BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
25 II
8

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu
15 . B

6 - F - 21.

6
F
5

Digitized by Google

Digitized by Google

De hoc opere haec Lucas Waddingus in Bibliotheca

Nos curavimus edi Romae Anno 1623. Commentaria in Marcum volumine uno, et in Lucam tomis duobus anno 1625. dabimus reliqua in Matthaeum, et Joannem si per otium licuerit, et tempora arriserint magis propitia

Digitized by Google



OPERVM VENERABILIS SERVI DEI, FRATRIS ANGELI DEL PAS

PROVINC. CATALONIAE

ORD. MIN. REG. OBSERV.

A. RR. PP. FR. LVCA VVADINGO & Fr. Antonio Hiquæo ſacræ Theologiæ profeſſoribus collectorum, & reuiſorum.

TOMVS SECVNDVS.

Complectens Commentaria in Marci Euangelium.

Theologis, ſacræ Scripturæ interpretibus, & Prædicatoribus vtiliſſima.

Romæ Typis & ſumptibus Ildefonſi Ciacconi. Superioꝝ. permiſſu. Anno Dñi. M.D.C.XXIII.

Digitized by Google

FR. BENIGNVS A GENVA ORDINIS MINORVM

MINISTER GENERALIS ET SERVVS

Dilectis in Chriſto Patribus Fr. Lucæ Vuadingo, & Fr. Antonio Hiquæo, ſacræ Theologiæ profeſſoribus, ſalutem.

COmmentaria Venerabilis Dei ſerui, & piæ memoriæ Viri Fr. Angeli del Pas in Euangelium ſecundùm Marcum à vobis recognita, à multis commendata, & à noſtris, quibus reuidendorum curam commiſimus, inoffenſo pede perlecta, & cum laude probata, placet, vt in commune bonum edatis, voſque hortamur, vt cætera eius opera, præcipuè in eos, qui ſuperſunt, Euangeliſtas, commentaria, qua poterit fieri cura, limata, & emaculata quantocius publicentur, fore etenim ſpero, vt non mediocrem omnibus ferant vtilitatem. Datum in Conuentu noſtro Aracælitano quarto Idus Septembris. Anno 1622.

Fr. Benignus à Genua Miniſter Generalis.

VIdi ſumma cum alacritate Commentaria Venerabilis Dei ſerui Fr. Angeli del Pas Perpinianenſis, Prouinciæ Cataloniæ, Reg. obſ. in Euangelium ſecundùm Marcum. In quibus nihil occurrit, quod quempiam ſincerum, aut Catholicum virum offendere, ſed ſummè delectari poſſit; Namque egregiè Chriſtianum agit Magiſtrum, res noſtras fortiter propugnando, falſas, & aduerſarias impugnando, & feliciter expugnando; Eccleſiaſtica inſtituta, laudabiles conſuetudines, & antiquas traditiones dignè commendat, Anagogicos ſcripturæ ſenſus feliciſſimè attingit, & quàm vberrimè ſacra eloquia ſuis locis inſerta miniſtrat. Dignum ergo puto vt edantur, & omnium articulis terantur, omnibus profutura. Datum Aracœli Pridie nonas Auguſti 1622.

Fr. Antonius de Salazar Lector iubilatus, & Secretarius Ordinis.

AD Præceptum Reuerendiſs. Patris noſtri Fr. Benigni de Genua, Ordinis Minorum Miniſtri Generalis, vidi Commentaria Venerabilis Serui Dei Fr. Angeli del Pas in Euangeliū Chriſti ſecundùm Marcum, quæ mira eruditione, SS. Patrum ſelecta doctrina, & vbique centonibus ſacræ Scripturæ referta deprehendi, totumque opus ſumma laude dignum comperi. Publicandum proinde iudicaui in commune omnium emolumentum, neque enim quidquam habet, quod Catholicum non ſit, & religioſis moribus conforme. Datis in Aede Aracælitana Kalendis Iunij Anno 1622.

Fr. Angelus Ligur de Monelia Romæ ſacræ Theologiæ Prælector.

CVm Anno 1594. Vices agerem Reuerendiſs. P. Fr. Bartholomæi de Miranda Magiſtri Sacri Palatij, è Curia abſentis, ex ſpeciali auctoritate ſel. rec. Clementis Papæ VIII. Vidi ipſe, & ſumma iucunditate perlegi Commentarios Venerabilis Serui Dei Fr. Angeli del Pas Perpinianenſis, Ordinis Minorum, Regularis obſeruantiæ, in Euangelium ſecundùm Marcum, & libentiſſimè facultatem tribui, vt in omnium conſpectum ederentur. In ipſis enim hominem æquè pium, & doctum, mihi tunc intima amicitia coniunctum, omni reuerentia dignum, verè Dei ſpiritum aſſequutum, & ſcientiam adeptum Sanctorum iudicaui. Adeò namque mira facilitate quidquid doctiſſimè dixit, ex ſacro probat eloquio, vt obuijs vbique, & ad rem enatis ſcripturæ verbis, alterum mihi videar experiri Bernardum in confutandis hæreſibus Auguſtinum, in Scholaſtica Theologia Aquinatem. Proculdubio omnibus erit opus proficuum, & doctis probatum. In quorum fidem præſentibus ſubſcripſi Romæ in Aede S. Mariæ ſuper Mineruam die 7. Iunij. 1622.

Fr. Petrus Ioannes Saragoſa de Heredia Magiſter.

EGo Franciſcus Piccolomineus Societatis Ieſu, quanta potui diligentia, vidi libros aliquot admodum R. P. & Venerabilis Serui Dei Pr. Angeli del Pas, & nihil à veritate Catholica fidei alienum deprehendi; quinimmò opus hoc luce digniſſimum iudico, ſapientiaque pleniſſimum, & contra Nouatores noſtri temporis, quos acriter inſectatur, opportuniſſimum. Elucet enim in illo in euoluendis ſacra Scriptura, ſacrorum Canonum, Sanctorum Patrum teſtimonijs mira felicitas. Faxit Deus vt quam doctrinam continet, ſcientiamque Sanctorum animo accurati lectoris inſtillet. In quorum fidem manu propria ſubſcripſi idem qui ſuprà. 13. Maij 1622.

Franciſcus Piccolomineus Societatis Ieſu.

ANTONII POSSEVINI

Teſtimonium de operibus Venerabilis Viri Angeli del Pas Tomo primo ſui apparatus ſacri.

ANgelus del Pas Perpinianenſis, Ordinis Minorum, ſcripſit Opus in Symbolum Apoſtolicum, in libros quatuordecim digeſtum, duobus nimirum tomis ſatis grandibus, ſed perutilibus diuiſum, nonnullas item in Euangelium Matthæi, Lucæ, Marci, & Ioannis Euangeliſtarum; Expoſitiones item in Scholaſticam Theologiam. Primus autem Tomus quem vidimus, editus eſt Romæ in Typographia Vaticana, Anno 1596. quo ipſe viuebat. Quem perlegiſſe, ſpero, neminem pœnitebit: nam & ſtylus elegans, & Eccleſiaſticus, ac cùm plurima afferat, non tamen laxus, ſed preſſus, & Patrum teſtimonijs abſque tædio legentium diues.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. P. Mag. Sac. Pal. Apoſt.

A. Epiſcopus Carinolæ Viceſgerens.

Imprimatur

Fr. Vincentius Martinellus Mag. & Socius Reuerendiſs. P. Fr. Nicolai Rodulfij Ord. Prædicatorum Sac. Apoſt. Pal. Mag.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D.

D. GABRIELI DE TREIO S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO TITVLI S. BARTHOLOMAEI IN INSVLA PATRONO SVO COLENDISSIMO.

QVAM verè L. Annæus Seneca (Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Domine) plerumque in ſententijs verax, dixerit: *Nemo non gaudet beneficium ſuum latius patere*, ſanè neſcio, cùm vel Tua tàm ſecreta, quàm ampla beneficentia fidem aliàs merenti ſubducat. Ita enim in beneficijs conferendis, non tàm nolis interponi pararios, nec ſignatores aduocari, nec teſtem beneficij, aut conſcium adhiberi, quàm vt cupias, vel Temetipſum quid in alios abundè effundas, neſcire, vt planè verius ſit in Te illud Euangelicum, quòd *neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua*; quàm philoſophicum, quòd præmiſimus, *gaudere omnes ſuum beneficium latius patere*. Præter arcana, quæ in vniuerſum noſtrum inſtitutum confers beneficia, & præter occultam, quam fers opem egenis, qui calamitatis ſuæ in tua miſericordia remedium reponunt, etiam occultis tuis beneficijs vita functos velis adſtrinctos. Etenim cùm de Venerabilis, æque pij ac docti Viri, Angeli del Pas eruditis, ijſque plurimis, elucubrationibus edendis, ego intenſius agerem, deterrererq; expenſarum magnitudine, innata Tua benefaciendi Chriſtianæ reipub. pietas modum excogitauit, quo & venerabilis Viri nomen magnificaretur, & quàm ignotiſſimum eſſet Tuum beneficium, quo factum eſt, vt hic liber prodiret: Impar tamen & longè alienum meum decet eſſe ſtudium, aliàs Tuo nutui obſequentiſſimum, quàm vt eius reticeatur nomen, per quem virorum magnorum fama celebratur. *Decet nempè* (vt habet Auguſtinus) *ei gratias agere, qui gratiam meruerat*. At non agendæ furtiuè, & in angulo, & ad aurem, neque enim ita agere obſequendi, ſed inficiandi genus eſt. *Ingratus eſt, qui remotis arbitris, agit gratias*. Benefacienti licet ſecreto dare, accipienti non niſi in publico reddere. Prodit ergo mecum, vel ex tenebris ipſe vir pius, in omnium conſpectu concionem adhibiturus, notitiam tui muneris producturus. Etſi tua mihi quàm explorata modeſtia nullas venetur hominum gratias, ſed æternam retributionem, noſtri tamen eſt officij quas poſſumus habere; quid enim tàm contra officium, quàm non reddere, quod acceperis? Eſto vt aliquis excuſari poterit, quòd non dederit, quomodo excuſari poterit, quòd non reddiderit? Non dare cuiquam vix licet, non reddere verò non licet. Illud tamen me terret, quòd non *menſura pari, ſed vberiori* S. Ambroſius dicat *reddendum*. *Etenim ſuperiorem non eſſe in reddendo beneficio, hoc eſt*, inquit, *minorem eſſe*: *Humanitatis huius exemplum ipſa terra ſuggerit, multiplicatum reddit, quod accepit*. Non alius mihi, perpetua lege interdicta pecunia, nummi cum fœnore reddendi

Seneca lib. 2. de benefic. c. 24.

Matt. 6.

Aug. ſer. 126. de temp. c. 2.

Seneca cit. c. 23.

Amb. lib. 1. de offic. c. 31.

dendi modus,quam gratiarum actionẽ,qua vel vnica ratione pauperum vrbanitati,

Ide lib. c.25. & gratitudini prouidè conſultum putem. P*auper enim*, inquit Ambroſ. *& ſi non habet vndè reddat pecuniam,refert gratiam. In quo certum eſt,quòd plus reddat quàm acceperit. Pecunia enim nummo ſoluitur, gratia nunquam exinanitur. Reddendo vacuatur pecunia,gratia autem,& habendo ſoluitur,& ſoluendo retinetur.* Longè abſit à me, vt hac ratione adeò tuæ beneficentiæ ſatisfactum putem,vt in reddendo me ſuperiorem conſtituam,aut beneficiorum tuorum vinculis me penitus abſolutum credam. Quinimò iure optimo illud Caij Furnij,à Cæſare Auguſto patri Antonianas partes ſecuto veniam impetrantis, vſurpem. *Hanc vnam Cæſar habeo iniuriam tuam, effeciſti vt viuerem, & morerer ingratus.* Quantumuis gratus meus animus, nullo modo ſibi ſatisfacit,nec ad ſpem quidem exæquandi vnquam beneficij accedit. Viribus meis par reddo, quod tuis beneficijs longè impar agnoſco; Niſi velim iam tanta aſſiduitate, beneficia non eſſe, ſed debita proclamare. Nam ſi iudici optimo Ambroſio credendum: *Quod à principio beneficium fuit, vſu,atque ætate fit debitum.* Vt mihi, & Collegæ meo,ſtudiorumque participi,R.P. Antonio Hiquæo,benefacias,adeò iam habes in vſu, vt noſtro iam iure tua dona videamur expoſcere, & notabilius eſſet nos illis priuari, quam affici. Magna,& plura in hoc vno, qui per te reuixit, Apoſtolico viro,ego accepi, per quem plures ſuperatæ ſunt difficultates, vt primus hic eius tomus in Euangelia lucem videret, & cæteri quamprimùm eandem lucem expectent. Id ſupereſt vt bono generis Chriſtiani (audacter dicam) tanti viri doctrinæ famam, & lucem circundes. Sub tuo patrocinio in omnium conſpectum,communem noſtrum parentem Franciſcum produxi,ſub eodem nunc prodit & filius,nec virtute degener, nec factis alienus. Viuens ſua magna eruditione ſatis notus erat Sixto Quinto, Clementi Octauo, intermedijſque Pontificibus,& præclaris ſuis factis celebris iudicatus in Populo Romano: mortuus tibi per quam notus ex ſcriptis, per quæ nunc efficis ſummo omnium bono, vt Chriſtiano ſit notiſſimus orbe. Tui hoc arbitrij eſt, qui attollere potes merentem, quem nec attuliſſe pudebit. Viue. Vale. Ex æde D.Petri in Monte aureo. 12. Kal. Iunias. 1623.

Ambroſ. lib.2.epi. 11.

Illuſtriſ. Tuæ Dominationis.

Obſequentiſſimus cliens.

Fr. Lucas Vuadingus.

AMICE LECTOR.

DESIIT eſſe inter mortales vigintiquinque abhinc annis Venerabilis Dei Seruus Angelus del Pas Franciſcani inſtituti, Vir celebris, relictis magno ſui deſiderio, fama doctrinæ, & tantæ ſanctitatis opinione, vt in ſacra Curia ſolerti cura de connumerando inter Sanctos agatur. Excitarunt præclari viri dotes multorum animos, vt darentur in omnium conſpectum eius opera multa & docta; addo, & reip. Chriſtianæ proficua. Ea ſunt tomi ingentes quinque in Euangeliſtas quatuor, quorum duobus Lucæ Euangelium, cæteris amplius, explicuit. In Ioannem non plenè abſoluta, nos integra, Deo annuente, dabimus commentaria. Duo item volumina in Symbolum Apoſtolicum, quibus ſanè, & cæteros huius argumenti Scriptores, & ſemetipſum ſuperauit. Horum primum, auctore adhuc ſuperſtite, prodijt è Typographia Vaticana, de quo illuſtre R. P. Antonij Poſſeuini habes in huius libri limine teſtimonium. Tomum item alterum variorum argumentorum, quorum pars vna ad Theologiam Scholaſticam, pars altera ad mores reformandos, vel ad pietatem excitandam collimat. Doluere multi quòd tanti viri elucubrationes optimæ laterent, doluit & ingemuit noſtri inſtituti ſupremus Rector Reuerendiſſ. Pater Benignus à Genua, quod hinc indè diſperſa fermè hæc opera perierint, & in alienorum tranſierint manus, qui omnem adhibebant operam, non vt euulgarentur, ſed vt ſecreta cuſtodia apud ſe laterent, in ſumma habentes reuerentia, quidquid huius pij Viri, pauperis erat ſuppellectilis, aut manus contrectauerunt. Mihi in virum optimum (cuius venerandum frequenti populi concurſu corpus præſens habemus in hac æde) ſummè propenſo, alijſque ſtudijs occupato, in mandatis dedit, vt omni ſolicitudine, & arte opera omnia colligerem, priuatis cuſtodijs, latibuliſque liberarem, & communis facerem iuris. Laboris adhibuit comitem (vt cæteros eoſque rei noſtræ, vt ſpero, non inutiles penitus ego non intermitterem conatus) R. P. Antonium Hiquæum, virum vt probum, & doctum, ita ſuas laudes faſtidientem, Colonia Agrippina, vbi Theologiæ publicum agebat profeſſorem, euocatum. Cuius ſolerti cura, & continuo ſtudio iam à me vndique collecta, & tranſcripta pij viri opera, vt autographum ob auctoris reuerentiam remaneret intactum, ſpero emaculata in omnium preditura conſpectum. Non inertem nauauit operam, vt tomus hic in Marcum ſuis numeris abſolutus, adhibitis notis marginalibus, citationibuſque vbi deerant, locorum ſacræ Scripturæ, vel Sanctorum Patrum, publico ederetur bono. Nihil verò eſt ex omni parte beatum, nam aliquantum vitiatus eſt liber, eorum qui prælo ſuperfuerant, incuria. Attamen non tanti ſunt momenti errores, vt cuilibet, vel modicum Latinè ſapienti non ſe prodant. Illud verò noſtrum fuit conſilium, vt antè alios hic tomus excuderetur, tùm quia hunc vnum piæ auiditati ſubtractum, domi latitantem primum aggreſſi ſumus: tùm quia iam à plurimis annis à R. P. Petro Ioanne Saragoſa docto ſacri Ordinis Prædicatorum Magiſtro, dùm vice fungeretur Apoſtolici Palatij Magiſtri, reuiſus, & approbatus, paratior erat ad prælum: tùm demum quia Marci Euangelium pauci aut fermè nulli ſunt, qui luculento, amplo, ſolitarioue illuſtrarint commentario. Hoc ergo præmittimus volumen, tuum iudicium exploraturum, quòd ſi approbaueris, cætera quamprimum dabimus, quæ maiori ſubſidio librorum Summi Pontificis Sixti Quinti beneficentia, auctori miniſtratorum, quam Franciſcana antè ſup-

pedita-

peditauerit paupertas, amplius elaboratos accipies. Porrò vel ex hoc ipſo coniјcere poteris, quanta fuerit hominis eruditio, quòd nihil Theologiæ ſpeculatiuæ, aut moralis, nihil quod ad controuerſias fidei, nihil quod ad varias Bibliorum, aut interpretum lectiones, nihil quod ad Eccleſiaſticam attinet hiſtoriam, quod vel incidenter & appoſitè inſeri poſſet, vel directè ipſum petierit argumentum, prætermiſerit. Admiranda etiam fuit viri in di. cendo fœcunditas, qui cùm anteà vberrima ſcripſerit in Matthæum commentaria, nihil repetit in Marcum, Matthæi (vt ipſe hic noſter ex Auguſtino rectè notat in limine huius operis) compendiatorem, ſed ad idem argumentum diuerſa, & ampliſſima addit commentaria. Nullus ſanè, quem viderim, hucuſque id præſtitit, vt nullum ex quatuor Euangelijs verbum abſque commentario prætereat, dùm familiare euaſit, in poſterioribus Euangeliſtis ad eas explicationes, quæ de eodem argumento in prioribus ſunt præmiſſæ, lectorem remittere. At non ita à noſtro interprete factum, nulli parcitum eſt labori, quin ad ſingula verba iuxtà ſenſuum præcipuè anagogicum, in quo feliciſſimus euaſit, ad mores reformandos commentarium adhiberet, & ex vnaquaque fermè vocula, tanquam ex perpetuæ ſcaturiginis puteo abundantes hauriat latices conceptuoſæ (vt vocant) & ſanæ doctrinæ ex ſacræ Scripturæ pœnu, & Sanctorum Patrum operibus, in quibus citandis licet frequentiſsimus ſit, non tamen, vt teſtimonio vtar Antonij Poſſeuini, laxus ſed preſſius eſt, & abſque tædio legentium diues. *Quam verè & candidè hoc dictum, ipſe dùm legeris, amice Lector, abundè probabis. Vale & fruere.*

IN SA-

IN SACROSANCTVM
CHRISTI EVANGELIVM
SECVNDVM MARCVM
ENARRATIO.

In libros ſexdecim diſtributa iuxta numerum Capitum, quæ continentur in Euangelio.

PER VENER. DEI SERVVM FR. ANGELVM DEL PAS Inſtituti Minorum.

PRAEFATIO TOTIVS OPERIS.

Act. 12.

MARCVS, quem Lucas Ioannem cognominat, Mariæ filium, inter ſeptuagintaduos Chriſti diſcipulos relatus (vti opinatur Origenes, quem ſequitur Metaphraſtes, & Procopius Diaconus) poſt aſcẽſionem Domini, & circa principia quidem (ait Euthymius Zigabonus) coniunctus eſt Barnabæ auunculo ſuo, & Paulo, ſicut liber Actorum teſtatur, & Paulus in Epiſtolis eius mentionem faciens, vt in Epiſtola ad Coloſſenſes, & in ſecunda ad Timotheũ Deinde factus (ſecundum Hier.) diſcipulus Petri, iuxta quod Petrum referentem audierat, rogatus Romæ à fratribus, breue ſcripſit Euangelium, quod cum Petrus audiſſet, probauit, & Eccleſiæ legendum, ſua authoritate edidit, ſicut Clemens Alexandrinus in 6. ὑποτυπώσεων libro ſcribit. Er Papias Ieroſolymitanus Epiſcopus meminit huius Marci, & Petrus in Epiſtola prima ſub nomine Babylonis, figuraliter Romam ſignificans; *Salutat vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone collecta, & Marcus filius meus.* Aſſumptoque mox Euangelio (inquit Petrus Damianus) quod ipſe confecerat, impiger adit Ægyptum, & Alexandriæ primus Chriſtum annuncians, iacit nouæ Legis fundamentum. Et dum ipſe ſcriptor, qui & prædicator extitit Euangelij, idem quodammódo faber, qui & agricola, ipſe ſibi vomerem fabricauit, quo videlicet ad ſpargenda ſacræ Fidei ſemina, humani cordis arua præſcidit. Vt omnes (ait paulo inferius) qui tunc ad Fidei rudimenta confluerent, mox per continentiam, ac totius ſanctæ conuerſationis inſtantiam, tamquam ad Monaſticæ perfectionis faſtigium peruolarent. Vnde & Philo diſertiſſimus Iudæorum, cum in libro de vita contemplatiua de primatu Beati Marci apud Alexandrinam Eccleſiam ſcribat, in Chriſtianorum laude verſatus, eorum habitacula Monaſteria nuncupat. Et non ſolum per Alexandriæ fines, ſed & in multis alijs Prouincijs, (Marco tum Eccleſiam illam adminiſtrante) tales extitiſſe perhibet Chriſtianos, quales, & Lucas meminit Apoſtolorum fuiſſe diſcipulos, videlicet, vt eorum eſſet *cor vnum, & anima vna*, nullusque eorum aliquid proprium diceret, ſed omnes omnia communiter poſſiderent, eſſetque inter eos inſeparabilis vnitas animorum, inter quos nulla poterat inueniri diuerſitas facultatum. Quanquam Centuriatores hoc Philonis teſtimonium ad Chriſtianos, per Marcum conuerſos, referri impudenter negent, ne noſtrorum Religioſorum exemplar in Marco præextitiſſe, cogantur admittere: Illud tamen Epiphanius, Euſebius, Nicephorus, Caſſianus, Hieronymus, atque alij de Religione Chriſtiana benemeriti Patres, de ſolis Chriſtianis, qui olim Ieſſæi dicebantur, dictum putant. Itaque primus ipſe in tota Ægypti regione, ait Metaphraſtes, Lybia, Marmarica, Ammoniaca, & Pentapoli, Chriſti Euangelium, quod ſcripſerat, & eius ad nos aduentum prædicauit. Rurſumq. à Pentapoli rediit Alexandriam, vbi (authore Gelaſio Papa in Rom. concil. de-

Margin notes: *Orig. dial. 1.* — *Euthim. in Marc. Coloſ. 4. 2. Tim. 4.* — *Hier. de illus vir.* — Marcus Romæ ſcribit Euang. — *1. Pet. 5.* — *Pet. Dam. Serm. de S. Marco.* — Philo Chriſtianos laudat. — *Cent. 1. lib. 5.* — *Metaph.* — *Gelaſ. Pap. in conc. Ro*

creto de libris authent. & apocryph)Martyrium glorioſè ſuſtinuit: Menſe, (ſecundum Metaphraſten) qui apud Ægyptios, Pharmutius, & apud Hebræos Niſan dicitur, ſeptimo Kalendas Maij (vt Romani numerant)hoc eſt Aprilis vigeſimo quinto, obijt, Imperatore Claudio Nerone Cæſare, hoc eſt, (vt exponit Martyrologium Romanum nuper editum) octauo Neronis anno. Quare admittat nemo eorum ſententiam, qui quòd in Euſebio, Hieron. aut Iſidoro de obitu Sanctorum nõ legant, profuſo ſanguine tranſmigraſſe ad Dñm;inter Martyres Marcum haud collocant. Neque item complecti opinio poteſt Chryſoſtomi, quam & refert Euthymius, videlicet in Ægypto paſſum, ac pariter græcè Euangelium ſcripſiſſe. Alteram enim ſententiam numerus authorum, atque dignitas, probabiliorem reddit, quinimo veriſſimam facit, vt nullus ambigendi locus relinquatur, quin Romæ latinis latinum conſcripſerit Euangelium. Quia vero Euangelium hoc, ex continua lectione Petri Marcus collegit, à quibuſdam Petri Euangelium appellatum eſt: Ganneius, verò illud vocat Epitomen Matthæi; etenim (ait Theoph.) fermè per omnia cum Matthæo eundem habet proceſſum hic Euangeliſta, niſi quod Matthæus diffuſior, & quod natiuitatis Chriſti ſecundum carnem ab initio memoretur; hic autem à Propheta Ioanne cæpit. Matthæus(ait Beda)à natiuitate humana exordiens, vſque ad reſurrectionem narrauit. Marcus ab Euangelica prædicatione incipiens, peruenit vſq. ad aſcenſionem. Lucas à natiuitate præcurſoris inchoans, Euangelium terminauit in aſcenſione Dominica, diſcipulis expectantibus aduentum Spiritus ſancti. Ioannes ab æternitate Verbi Dei, pertingit vſque ad reſurrectionem. Etſi ergo vno ſpiritu Euangeliſtæ ſcripſerint, diuerſum(notat Gloſſa) ſibi ſcribendi initium, & finem ſtatuerunt, nihil tamen præter Chriſtum annuntiarunt. Matthæus hominem euulgauit; Doctorem Marcus; Lucas Sacerdotem;& Deum Ioannes. Subinde intonat Sedulius.

Ganneius. *Theoph.*

Diuerſitas Euangeliſt. *Beda in Marc.*

Gloſſa.

Sedul lib. 1. oper. Paſch.

Hoc Matthæus agens hominem generaliter implet.
Marcus vt alta fremit vox per deſerta leonis.
Iura ſacerdotis Lucas tenet, ore iuuenci.
More volans aquila, verbo petit aſtra Ioannes.

Alludit enim ad Hieronymi, & aliorum placitum, qui Ezechielis viſionem de quatuor animalibus, quo referuntur ordine, Euangeliſtis quatuor applicant; à quorum Iudicio videtur Aug. diſcedere, inquiens, probabilius attendiſſe illos, qui leonem in Matthæo, hominem in Marco intellexerunt, vitulum verò in Luca, aquilam in Ioanne, quam qui hominem Matthæo, aquilam Marco, leonem Ioanni tribuerunt. De principijs enim librorum coniecturam capere voluerunt, non de tota intentione Euangeliſtarum, quæ magis fuerat perſcrutanda. Eam quidem attendens Iuuencus cecinit.

Aug lib. de conc. Euãg.

Matthæus inſtituit virtutum tramite mores,
Et bene viuendi iuſto dedit ordine leges.
Marcus amat terras, inter cælumque volare,
Et vehemens aquila ſtricto ſecat omnia lapſu.
Lucas vberius deſcribit prælia Chriſti.
Iure ſacer vitulus, qui mœnia fatur auita.
Ioannes fremit ore leo ſimilis rugienti,
Intonat, æterna pandens myſteria vitæ

Et Hieronymus, vel qui author eſt in præfatione ſuper Marcum, quatuor ait, ſunt qualitates, de quibus ſancta Euãgelia contexuntur, præcepta, mandata, teſtimonia, & exempla. In præceptis iuſtitia, in mandatis charitas, in teſtimonijs fides, in exemplis perfectio conſiſtit. Vt autem ad noſtrum Marcum veniamus, eum mandata percurriſſe quiſque dicet, qui eius hyſtoriam enucleauerit. Eſt enim mandatum, quod ſuadet bonũ, & ad id compellit: Præceptum autem, quod à malo declinat, illudque cogit deteſtari. Quo fit, vt circa vnam iuſtitiæ partem integralem dicamus præceptum verſari; mandatum verò circa alteram, atque potiſſimam: etenim declinare à malo, & facere bonum integrant iuſtitiam. Primum Matthæus præſtitit, poſtremum Marcus proſequitur. Nam in voce prophetice exclamationis inſtituens initium Euangelicæ prædicationis, inquit Zaccharias Chryſopolit. ordinem leuiticæ electionis oſtendit. Leui autem electio, pactum, ac fœdus fuit vitæ, & pacis, ſi Malachiæ credimus. At pacem annuntiat, vitamq. confert, qui euangelizat Sion, qui clamat in deſerto, qui parat Domino plebem perfectam, & qui demum baptizat Spiritu ſancto, atque inflammat, vt diligamus Deum ſupra nos, & ſicut nos, proximum amplectemur. Hoc inquam (ſcribit Procopius) Marcus fecit, vt non prædicatione ſolum, ſed Euangelica etiam ſcriptura, his, qui poſtea futuri erant, verbi Dei hominis facti, condicionem enuclearet, eiuſque diuina ſigna, ac miracula ante oculos noſtros poneret, quæque pro nobis paſſus eſt, ac quemadmodum è monumento reſurrexit, & ad cælos, vnde deſcenderat, elatus eſt, cunctis ſeculis oſtenderet.

Hier.

Quid præcipue doceat Marcus.

Differentia inter mandatum & præceptum.

Zacchar. Chryſop. in vnũ ex quatuor Præfat.

Proc. diac. habetur apud Metaph. & Surium.

Digitized by Google

deret: Tanquam illuſtri exemplo vniuerſos ad virtutis ſtudium, & perfectionis apicem inflammaret, bonique operis præmium aſſequendum calcaria adderet. Partiuntur hoc Euangelium Græcorum quidam, vt Ammonius, & Euſebius in cap. 235. Suidas in cap. 56. & titulos 48. Oecumenius verò, & Euthimius totam Euangelij enarrationem in 48. cap. diuidunt, at noſtri in ſexdecim.

Ammonius Euſebius Suidas. Occum. Euthym.

Comment. in Marc.

Illuſtrarunt autem ea ſuis Commentarijs nonnulli antiquorum; vt Efrem, Hieronymus (ſi tamen eius eſt, quæ nomine Hieronymi fertur expoſitio.) Beda, Arnobius, Euthymius, & plærique alij, etiam ex Neotericis: legi Dionyſium, & Ludolphum Cartuſianos, ac noſtrorum ſtudiorum, & inſtituti collegam R. Patrem Ioannem de la fuente Toletanæ Prouinciæ. Qui tametſi pulchrè, & elegãter Marcum enuclearint, vt nihil amplius dici poſſe videatur, neque in tanto opere deſiderari, non iam meis, innixus viribus neque humana ſapientia armatus, ſed ſpiritu Dei, opus alioqui difficillimum aggrediar, eodem ſeruato ordine, quem in Matth. lucubrationibus obſeruauimus. Totum enim opus tot complectetur libros, quot capita, & iuxtà numerorum partitionem, quam Stellij, & multorum impreſſio obſeruat, cuiuſque libri capita recenſebimus. Si tamen luminum pater, de cælis dignaberis me illuſtrare, animum, atque calamum agilitare, vt difficillima denudare obſcura detegere, ambigua aperire poſſim, & ad theſauros abſconditos me introducere digneris. Promiſiſti enim petenti, obtuliſti pulſanti, nec denegaſti aliquando exoranti: Ergo da mihi Deus de cælis tuam aſſiſtricem ſapientiam, vt mecum ſit, mecum habitet, & gradiatur, perficiamque opus tuum, & nomen tuum glorificem in ſæcula ſeculorum.

Prius ſcrip. ſit author in Matthæum.

Amen.

IN SACROSANCTVM
CHRISTI EVANGELIVM
SECVNDVM MARCVM
LIBER PRIMVS
IN CAPVT PRIMVM.
PRAEFATIO.

HVIVS primi capitis inſtitutum eſt, Chriſtũ (cuius rugitu, ac voce, de morte ſuſcitandus erat mortuus quatriduanus, in quo nulla præ fœtore ſpes erat) proponere gentibus, ac eiuſdem præcurſorem introducere. Is autem fuit Ioannes, cognomento Baptiſta, & officio Angelus, quem (iuxtà Iſaiæ prædictionem) Deus præmiſit, vt pœnitentiam ſuadens, & aqua abluens, accedentes quoſque ad Chriſtum diſponeret, & præpararet ſingulorum animos, ne durum, imo verò ſuauiſſimum arbitrarentur, & gratiſſimum quicquid à vero Magiſtro acciperent. Probat autem Ioannis acta Chriſtus; quandoquidem & ipſe à turbis, quæ ad Ioannem confluebant, incognitus voluit à Ioanne baptizari, & accepto Patris teſtimonio ad deſertum pergere, vbi & ieiunauit, & tentationem ſuſtinuit. Poſtquam autem Ioannes viſus eſt miniſterium ſuum perficere; ſe ipſum, ſol iuſtitiæ Chriſtus (cõgregatis diſcipulis) mundo declarauit, prædicans ſingulis Euangelium Regni Dei; ad fidem, & pœnitentiam cunctos adhortans, & cum omnium ſtupore cæleſtem proponens doctrinam his, qui ſynagogas frequentabant, quam & miraculis clariorem reddidit, ne quid ſupereſſe videretur, quo poſſent homines ad veritatem trahi. Quare totum caput in duas partes diſtribuamus. Prima, Ioannis acta proſequitur. Secunda, nobis Chriſtũ Doctorem manifeſtat. Quid verò tota litera contineat, per ſingula capita digeramus.

CAPVT PRIMVM.

Initium Euangelij Ieſu Chriſti filij Dei.

Marcus breuiator Matthæi.

VT enim Matthæus, quaſi titulum ſuæ narrationis præmiſit liber, generationis Ieſu Chriſti, ita & Marcus, qui, ſecundum Auguſt. tanquam pediſſequus, & breuiator eius eſſe videtur, ſuã hiſtoriã inſigni proponit titulo: *Initium Euang. Ieſu Chriſti filij Dei.* Hunc titulũ codices latini per ſe à ſequentibus diſtinctum legunt, vt quæ ſequuntur, nouam videantur orationem inchoare. Euthymius verò, ac cæteri Græci continuam periodum faciunt; *Initium Euangelij Ieſu Chriſti filij Dei, ſicut ſcriptum eſt in Prophetis*; (vel vt habent latini) *in Iſaia Propheta.* Attamen verò magis conſonã latinorum lectionẽ reddunt, Græca, Complutenſis, & Sanctis Pagnini, quarum vtraq. diſtinctè legit verba iſta Ἀρχὴ τοῦ Εὐαγγελίου Ἰησοῦ Χριστοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ Dein. à ſequentibus nouam orditur orationem. Nam quæ rationem habent inſcriptionis, vt in alijs, ita & in libris diſtinctim tradi debẽt, ſunt enim veluti Principia, quæ etſi contineant virtute concluſiones, ſtatuuntur tamen ſeparata, & ſupponuntur velut axiomata, & baſes totius ſtructuræ, quam peritus artifex intendit erigere. Quod ſi obijcias hebræorũ morem, qui ææſt libros, à prima voce, quæ ſemper ſequentibus coniungitur denominaſſe, vt בראשית bereſith, quem nos Geneſim dicimus, atque alios. Reſpondeo ſapienter apud eos factum, quod non dum haberent caput, aut primum, qui alius, atque diſtinctus eſſet à corpore totius Eccleſiæ. Habebant enim Abel, Moyſen, Aaron, ac reliquos Pontifices, ex hominibus aſſumptos, & pro hominibus conſtitutos, qui cum peccatores eſſent, pro ſe, ac pro alijs ſacrificium offerebant, prorſus ſimiles reliquis. dum autem venit temporis plenitudo, caput ſuper omnem Eccleſiam datus eſt Chriſtus, alius omninò à toto corpore, vt qui perſona Deus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cęlis factus. Fateor, & hoc idem caput præuiſum fuiſſe antiquis. At actu tantum nobis datum, & natum admitto. Quapropter noſter Euangeliorum codex titulũ habet à toto corpore libri diſtinctũ: antiquorum verò libri, titulũ coniungebãt ſequẽtibus. Hęc de titulo. Iã eius partes perſcrutemur, *Initium Euangelij.* Quid nomine Euangelij intelligatur, incertũ eſt. Theophilactus. Ioannem vltimũ prophetarũ, initium Euangelij filij Dei eſſe dicit finis, enim ve-

Diuerſitas lectionis.

Euthym.

Eligitur lectio latinorum & confirmatur.

Pagnin.

Cur Iudæis libros legis à prima voce appellẽt.

Heb.7.

Theophil.

Euthym.

teris

teris initium eſt noui teſtaméti . Euthym. non Ioannē, ſed ipſum teſtamentū nouum
Euangelium quid ſignificet.
dicit Euangelium,& nouā Chriſti legiſlationē.
Hier.
Hier.nomine Euangelij,ſcripturam ipſam Marci,ſeu alterius Euangeliſtæ intelligit.Marci,inquit,liber,dicitur Euangelium, & ſimiliter aliorum : quia vnum omnia, & omnia vnum; quia(ſicut ait Re-
Remig. in Matth.
migius) eſt vna fides,& vnū baptiſma,ita & vnum Euangelium,quia vna eſt doctrina,& quod vnum ſit,Dñs manifeſtat,cum
Marc.16.
dicit;Prædicate Euangeliū omni creaturę.
Aug. in pſ. 150.
Propriùs mihi dicendum videtur,nomine Euangelij intelligi veritatē,quā Chriſtus
Aug.
cæpit exponere.Euangelium enim inquit Aug.interpretatur bona annūciatio.Grecè ſiquidem εὖ bonum ἀγγελιον annunciatio dicitur,vnde & Angelus,nuntius interpretatur . Bonam autē annunciationē nemo probabit meliorē veritate,quàm Chriſtus orbi denunciauit,dicens; Ego ad hoc miſ-
Ioann.18.
ſus ſum,& ad hoc veni in mundum,vt teſtimonium perhibeā veritati,ne orto ſole quidquā lateat,neq.in tenebris errorū.& ignorantię verſetur quiſpiā . Orbis enim terrarū limpido illuminatur lumine . Di-
Gen 1.
xit ſiquidē Deus : Fiat lux, & facta eſt lux,
Ioann. 1.
quando verbum caro factū eſt, & habitauit in nobis,vt illuminaret omnem hominem venientem in hunc mundū,videretq. ſalutare Dei homo,qui in regione vmbræ mortis ſedebat, quiue mæſtus gaudiū ſalutis non admittebat , quod lumen cæli
Iob.5.
non videret, cælum ipſum penetraret , & intelligeret Deum vnum,& trinū, eſſentq. ei manifeſta,à cōſtitutione mundi abſcon
Matth. 13.
dita.Hæc enim aperiens os ſuum,Chriſtus amicis expoſuit. Huius ergo prædicatio-
Initium Euang.cur& non Euangelium?
nis & manifeſtationis exordia *Initium Euangelij* Marcus vocitat.Vt quid autem *Initiū Euangelij* dicitur veritas,cui Chriſtus teſtimonium præſtitit , & non *Euangelium* plenum, & abſolutum ? quoniam prædicatio Chriſti, & quæq. alia homini-
Veritas inchoata in viatoribus.
bus,dum viuunt exhibita,initia ſunt . Eſt enim gratia,lex, ac virtus omnis,mortali communicata, initium ad ampliorem,ſeu dilatatiorem veritatem, quæ poſt vitæ finem iuſtis repromittitur. Inde dixit: Ite-
Io 16.
rum videbo vos , & accipiam vos ad me ipſum, vt gaudium veſtrum plenum ſit,& gaudium veſtrū nemo tollet à vobis,quādo ſcilicet videbimus eū,ſicuti eſt,reuelata facie gloriam Dei ſpeculantes . Hoc
Plena in beatis.
eſt veritatem æternam , & immutabilem,
1. o.3.
quæ eructat;Ego ſum via, veritas,& vita.
2 Cor.3.
Huius initium ſolum mortalibus conce-
Io.4.
ditur,quod qui complectetur,ad plenum, & optimum veritatis conducetur. Quare tale,ac tantum initium cunctis,quę à Philoſophis prædicantur completa , vt mundanæ ſcientiæ, præferendum cenſeo ; nec non diuitijs, & honoribus , quæ vanus, & excors plena, & feliciſſima reputat. Hinc
Sap.7.
ille : Super ſalutē,& ſpeciem dilexi illam, & propoſui pro luce habere illam : quoniam inextinguibile eſt lumen illius .

Vtcumq. non deſunt qui illud conentur extinguere, videlicet peccatores,de quibus legimus : Diminutæ ſunt veritates à
Pſal. 11.
filijs hominū,vana locuti ſunt vnuſquiſq. ad proximum ſuum,labia doloſa in corde, & corde locuti ſunt ; quoniam non eſt in
Pſal. 5.
ore eorum veritas,cor eorum vanum eſt. Ex his grauiores veritatis hoſtes reputamus hæreticos non ſolum Fauſtum Manichæum,qui totum teſtamentum nouum
Heretici negabant Euang. Mar. & qui.
damnabat, verum etiam Ebionem , Cherinthum, Mernitum , & Marcionem , qui prorſus Euangeliū Marci abijciebant.Ac his crudeliores iudico Anabaptiſtas , qui partim Marcum recipiūt, partim relegāt, quando ſuæ hæreſi aduerſari conſpiciunt aliquid . Admittunt enim hi Marci Euangelium,ſed ſuis impoſturis adulteratum,vt non Marci Euangelium quis dicat, ſed librum blasphemiarū. Id totum accidit hęreticis,quòd docuerint linguam ſuam loqui mendacium, & ſtatuerint bonum,ma-
Cyrill. ad Acac habetur in act. Côc Eph 1. 1. c.16. t.6.
lum dicere . Equidem,ſcribit Cyrillus ad Acacium Epiſc. de capro emiſſario , qui eam nacti ſunt facultatem,vt veritatis efficaciam poſſint contemplari , illis venuſtas eius perinde, ac corruſcans quoddam lumen ſeſe offert , mentemque de Chriſti myſterio informat. Qui verò nō rectè,ſed puerorum more adhuc claudicantes incedunt,talibus ſanè etiā illuſtres ſcripturarū ſpeculationes nonnunquā obſcuræ videntur. Quapropter hæretici, quos paulo ante præmiſimus, omnē Euangelij narrationē,vel in toto damnāt, vel in parte fal-
Impugnantur.
ſant . Verum totius teſtamenti noui ſcripturam,& codices Euangeliorū,qui in Canone proponuntur fidelibus,ſore recipiē-
Canon.84.
dos Canon. 84. Apoſtol. docet, vbi inter alios expreſsè quatuor Euangelia nume-
Conc. Lao.
rantur.Et in Concilio Laodicenſi dicitur: Quæ autem oporteant legi, & in authoritatem recipi,hæc ſunt, & enumeratis veteris teſtamenti libris , ſequitur : Noui autem teſtamenti Euangelia quatuor, ſecundum Matt. ſecundum Mar. ſecundum Luc. ſecundum Ioann. Potiſſimum, vt ad Marcì Euangeliū veniamus, illud probatum à Petro Apoſtolo,traditumq. legendum Eccleſijs, deponūt Patres,quos ſupra citauimus. Quare orthodoxus libere profitetur cū Aug.ad Hier. Ego ſolis eis ſcrip
Aug epiſt. 19.d 9 c ego ſolis.
turarū libris,qui iam Canonici appellātur, didici hunc timorem,honoremq. deferre, vt nullum eorū ſcribendo erraſſe audeam credere : ac ſi aliquid in eis offendero , quod videā contrariū veritati, nihil aliud quàm vel mendoſum eſſe codicē,vel interpretē non aſſecutū eſſe , quod dictum eſt,

vel me minime intellexiſſe non ambigam. At Hæreticus, qui vel depræuat ſcripturã, vel negat, relegetur iuxtà Canonem Concilij ſexti Conſtantinopolitani.

Eraſmus

Iiſdem argumentis Eraſm. cõfutabimus. Dixit enim in Apol. contra Alb. Carporũ, Marci, & Matth. Euangel eundem fuiſſe ſcriptorẽ, videlicet Matth. ſucceſſu temporis abbreuiatum, & Marco imputatum. At erraſſe Canon Apoſtolorũ manifeſtat, vbi Petrus Marcũ diſtinguit à Matthæo.

Canon Apoſtolorum.

Similiter antiquiſſimorũ patrum ſcripta, Irenæi, Policarpi, Papiæ, Tertul. & Ignatij aliorumq. (in quibus Marcus citatur, à Matthæo diſtinctus) hominis audaciam & temeritatem retundunt.

Irene. Policarp. Papi. Tertull. Ignat.

Admitto quidem vt & Aug. fatetur, atque alij, Euangelium Marci abbreuiatum eſſe, & quoddam Matthæi compendiũ; Matthæi tamen non dicam, neque à Matthæo dictatũ cum adhæſiſſe Matthæo nuſquam legamus: ſed Barnabæ & Paulo, ac demũ Petro; nec propterea Euangelium Petri dicam: tametſi dicatur à Hieronymo interpres Petri, iuxtà quod Petrum referentẽ audierat, rogatus Romæ à fratribus, breue ſcripſit Euangelium.

Act. 13.

Nam non quia audiuit ab homine, ſed quia reuelatũ ſibi fuit, Marcus animũ ad ſcribendum appulit: quia eſt ſcriptura diuinitus inſpirata; Caro autẽ & ſanguis, (eructauit veritas) non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui in cælis eſt.

Matth. 16.

Inde Aug. cap. vlt. de auct. ſcriptorũ, & ſcribentium ſacra Euangelia; Quicquid ille de ſuis factis, & dictis nos legere voluit, hoc ſcribendum illis, tanquã ſuis manibus, imperauit.

Aug.

Authoritas Euangeliſtarum.

Hoc vnitatis conſortium, & in diuerſis officijs concordiam membrorum, ſub vno capite Miniſteriũ, quiſquis intellexerit, non aliter accipiet, quod narrantibus diſcipulis Chriſti in Euangelio legerit, quã ſi ipſam manum Dñi, quam in proprio corpore geſtabat ſcribentẽ conſpexerit. Quare lib. 1. de conſ. Euang. c. 2. ſubiecit. In ſcribendo Euangelio, quod diuinitus ordinatum eſſe credendũ eſt, ex numero eorum, quos ante paſſionem Dñs elegit, primum atque vltimum locum, duo tenuerunt, primum Matthæus, vltimũ Ioannes: vt reliqui duo qui ex illo numero non erant, ſed tamen Chriſtum illis loquentem ſequuti erant, tanquam filij amplectendi, ac per hoc, in loco medio conſtituti, vtroq. ab eis latere munirentur.

Marcus ſcripſit hoc Euãgelium.

Itaque hoc Euangeliũ ſecundum Marcum, ab alio quouis diſtinctum habuit authorẽ, vtpotè Marcum, ſed eundem reuelatorem Deum, & Patrem D.N. Ieſu Chriſti, ac eundem Chriſtum, qui dixerat; Ego dabo vobis os, & ſapientiã, cui non poterunt contradicere omnes Aduerſarij veſtri. Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis:

Luc. 21. Matth. 10.

Hic enim, qui ſuper Chriſtũ deſcendit, & requieuit, orante Chriſto, datus eſt Apoſtolis, & ſacris ſcriptoribus, vt inſpirati loquerentur, ſancti, & docti diuinitus, poſteris monumenta ſcripturarũ relinquerent; inter quos Marcum habeamus oportet, qui non abſque myſterio (vt cũ Hier. loquar) ſuam ſcripturam *Initium Euangelij* denominat; quod tantum initia veritatis auribus, atque oculis mortalium proponat; namq. litera ipſa ſcripta, quã, vel Propheta, vel Euangelicus ſcriptor tradit, eſt cortex dulcis caſtaneę, ager, ſub quo latet theſaurus, cortinæ ciliciinæ, quibus totum tabernaculũ operitur, ac velum, ne quis pro libito, ad interiora velamina, & ſecreta Dei facile intromittatur, niſi veſtitus ſacris; tũm maximè, malo granato, quod charitatem deſignat; & tintinnabulis, hoc eſt fidei fulgoribus, ſonis, & præclaris confeſſionibus perſonans.

Matth. 3.

Illuſtres ſimilitudines.

Matth. 13. Exod. 36. 26 28.

Hinc ille: Bonitatem, & diſciplinã, & ſcientiam doce me, da mihi intellectũ, vt ſciam teſtimonia tua.

Pſal. 118.

Non eſt ergo (infert Greg. Nazianz. ſerm. quod non licet ſemper, & publicè de Deo contendere) omnium mouere de talibus, ſed eorum, qui ingenium, & induſtriã ſuam in Θεωρίᾳ, atque ſcientiæ aſſumpſerint diſciplinis, & eorum, qui norũt amotis corporibus, & materia, incorporalia, & ſpiritualia conſpicari. Ante omnia verò illorum eſt, qui & anima, & corpore iam purgati ſunt, vt minimum, qui certè purgãtur, qui verò minus purus eſt, quomodo audet aurum contingere? Quoniam quidem nec imbecilles oculi ſolis radios contuentur; Sicut in cælo celatur Deus (proſequitur Chriſ. hom. 4. op. imp.) ſic in ſcripturis abſconditur. Et ſicut hoc cælum corporale omnes homines vident, non autem aſpiciunt Deum inhabitantem in eo; ſic & ſcripturas diuinas, omnes quidẽ homines legunt, non tamen omnes intelligunt Deum veritatis poſitum in ſcripturis, niſi qui fuerit ſic baptizatus, vt accipiat Spiritum ſanctum.

Chriſ. hom. 4 op. imp.

Igitur oret ſtudioſus: Ne proijcias me à facie tua, & Spiritum ſanctum tuum, ne auferas à me; Spiritum rectum innoua in viſceribus meis: Eo enim carẽtes hæretici errant paſſim in oraculis, & illum minus ſollicitè colentes, ac poſtulantes, plæriq. fideliũ, quaſi in limine domus paruuli hærent litteræ ſcripturæ, & initijs Euangelicis, quæ ſacer codex oſtentat, vt aſcendere ad ſpiritus myſteria, quæ ſub hiſce initijs, & corticibus latent, non valeant, *Initium Euangelij*, ac Euangelij totam literã, ac totius ſcripturæ, ſiue legere, ſiue commentari ſenſus literales, & hiſtoricos, laudo, probo, & hortor; valet enim cõtra hæreticos, his tamen hæret, qui ſolis elemẽtis literarijs delectatur, vt puer: Vir autẽ, & qui ſcientiam Sanctorũ affectat, ad in-

Pſal. 50.

Non hæren, dum in ſole cortice Scripturæ.

teriora deſcendit,& ſpiritualia dijudicat.
Gal 5. Quare initiũ Euangelij,ac ſcriptura vtilis,
ſed vtilior, qui ex talibus initijs fructus
ſpiritus cõſequitur,vtpotè gaudiũ,pax,pa
tientia,longanimitas,& reliqua,quæ Pau-
lus enumerat, & promittit tã inſignè ini-
tiũ Euang.ſiquidẽ nõ Petri,aut Marci,ſed.
Ieſu Chriſti filij Dei. Aptè(ſcribit Be-
da)primus Euangeliſta filiũ hominis eum,
ſecundus filium Dei nominat, vt à mino-
ribus, ad maiora paulatim ſenſus noſter
aſſurgeret,ac per fidem,& ſacramenta hu-
manitatis aſſumptæ, ad agnitionem diui-
næ æternitatis aſcenderet. Aptè etiã,qui
humanam generationẽ erat deſcripturus,
à filio hominis cæpit; Dauid ſcilicet, ſiue
Abraham. Aptè etiã is, qui librum ſuum
ab initio Euangelicæ prædicationis in-
choabat; filium Dei magis appellare vo-
luit Ieſum Chriſtum, quia humanæ erat
naturæ de progenie Patriarcharum, veri-
tatem carnis ſuſciperet:Et diuinæ fuit po-
tentiæ,Euangelium Mundo prædicare; in-
Iſa. 49. de ait pater ad filium: Dedi te in lucem
gentium, vt ſis ſalus mea, vſque ad extre-
mum terræ. At ne quis ad ſolam humani-
tatis potentiam iſta referat, dixit eidem:
Sede à dextris meis, donec ponam inimi-
Pſ. 109. cos tuos ſcabellum pedum tuorum.. Hoc
eſt,tibi,ac doctrinæ per te prædicatæ,cun-
ctos ſubijciam,quaſi ſub iugo vno, & im-
perio: eſto mecum regnans in cælis, vnde
deſcendes ſubiectos præmiaturus,& dam-
naturus rebelles.Quare poſt tantum à di-
uinitate acceptum beneficium concinat
noſter Chriſtus; Ego autem conſtitutus
Pſal. 2. ſum Rex ab eo ſuper Sion Montem ſan-
ctum eius,prædicans præceptũ eius. Præ-
Prædicauit Chriſtus, & pater per Chriſtum. dicauit quidẽ Chriſtus homo Euangeliũ
æternum, ſed in eo, & per eum pater,qui
ad eum dixit:Poſui verba mea in ore tuo,
& in vmbra manus meæ protexi te, vt
Iſa. 51. plantes cælos, & fundes terram, & dicas
ad Sion, Populus meus es tu: Eapropter,
& Chriſtus reſpondit calumniatoribus:
Ioann. 8. 14. Ego à me ipſo nõ loquor,ſicut docuit me
pater,hæc loquor,& qui me miſit,mecum
eſt,& non reliquit me ſolũ; quia ego quæ
placita ſunt ei,facio ſemper.Ergo quia di-
uinitatis fuit opus, Euangelium ſeminari
per orbem, & prædicari; optimè Marcus
adiecit *Ieſu Chriſti filij Dei*: Et vocat eũ
Lyra ex Hilario. (notat Lyra ex Hilario)filium Dei,ſcilicet
naturalem, non adoptiuum, diuinã natu-
ram, in qua eſt idem Patri, oſtendens; vt
vel inde Photium hæreticum expugnare-
Photius hær. mus, qui Chriſtum finxit purũ hominem.
Etiam animaduertentes in Dauidem
Georgium nouũ dogmatiſtã, qui auitam
Georgius Dauid hæreticus. fidem deturbare conatur, negans Chriſtũ
Dei filium naturalem eſſe; vt Photij ſe-
pultas feces,& deliria defenderet,& abyſſi
fætoribus peſtilentem luem (ſi poſſet) orbi
ferret. At qui in cælum mittit lapidẽ,ſu- *Eccl. 29.*
per eum cadet:Veritas autem Dñi manet *Pſ. 116.*
in æternum.Quia,Dñs(inquit)dixit ad me *Pſ. 2.*
filius meus es tu,ego hodie genui te: cui
enim aliquando Angelorũ dixit Deus; fi-
lius meus es tu? An non & Angeli filij *Heb. 1.*
adoptiui? Ergo quia ſoli Chriſto loquitur Chriſti probatur diuinitas.
Pater: Hic eſt filius meus dilectus,in quo
mihi bene complacui; ſolum Chriſtũ Dei *Matt. 17.*
filium credimus vnigenitum,naturalem,&
conſubſtantialem Patri. Et ita veritatis
ſtudioſos intrepidè fateri oportet(ait Cy- *In Conc. Epheſ. 1. tom.*
rillus Alexandr. de recta in Ieſum Chri- *cap 6.*
ſtum D.N. fide)eum,qui noſtri cauſa filius
hominis factus eſt, Deum eſſe ſecundùm
naturam,ne videlicet in errantium crimi-
na vltra nos abijcientes, per inſcitiam,il-
lis ſimilia ſapere, atque adeo vilia quædã
de Chriſto, periude ac illi imaginari de-
prehendamur.In propria venit(argumen-
tatur inde Theodotus contra Photiũ, ho- *Theod. ibid. to. 9. c. 9.*
milia in natalẽ ſeruatoris,Patribus Epheſi
congregatis)& ſui eũ non receperunt; ſed
& in mundo quoq.erat,& mundus per ip-
ſum factus eſt, & mũdus eum non cogno-
uit. Sunt enim hi filij huius ſæculi, & te-
nebrarum progenies, & licet Chriſti eſſe
glorientur, contra eum ſunt; propterea
(inquit)neſcierunt me: Paulus autem; & *Rom. 1.*
qui verè Chriſti eſt ſegregatus in Euan-
geliũ Dei,quod ante promiſerat,per Pro-
phetas de filio ſuo,qui factus eſt ei,ex ſe-
mine Dauid ſecundũ carnem,eructat ver- Formula fidei in Niceno Concil. tradita lib. 9
bum bonũ, credimus in vnum Dñm Ieſũ
Chriſtũ Filiũ Dei,genitum ex patre, vni-
genitum;hoc eſt ex ſubſtantia Patris:Deũ
de Deo, lumen de lumine, Deum verũ de
Deo vero: genitum, non factum conſub-
ſtantialem Patri: Et hoc quidem Marcus
hortatur addens *Ieſu Chriſti filij Dei.*
Nam Euangelicę prędicationis finis hic
eſt, vt credamus quia Ieſus eſt filius Dei.
Eſt enim author, & conſummator fidei; *Ioann 6.*
quia,inquit,qui credit in me,habet vitam
æternam. Cum ergo (infert ex his verbis
Cyrill. l. cit.) fides in Deũ feratur, & Chri *Cyrillus*
ſtus, in me credite,dicat, quomodo planũ *Ioann. 14.*
non eſt,ipſum eſſe Deum? Ego aliter con-
cludo; cum tota Euangelij prædicatio ſit,
vt credamus fide viua, dicente Chriſto:
Prædicate Euangelium omni creaturæ, & *Mar. 16.*
qui crediderit,& baptizatus fuerit ſaluus
erit, qui verò non crediderit,condemna-
bitur: omnis autem credulitatis ac fidei
obiectũ ſit Chriſtus,nec non vitæ æternæ,
conſequens ſit,initium Euangelij,progreſ-
ſum,& conſummationem eſſe *Ieſu Chriſti
filij Dei.* Hoc eſt(ſecundum Hier)Saluato-
ris vncti; in Hebræo יהשוע in Græco σωτὴρ
in Latino Saluator. משיח Hebraicè χριστὸς
Græcè,Vnctus Latinè,vt à ſignificatis,qui
nos Euangelium ad Chriſtũ, Deumq.per-
trahat,intelligamus;videlicet vnctione ſpi
ritus,

ritus,& oleo lętitiæ,quo ſicut Chriſtus vnctus eſt præ participibus ſuis,& factus Saluator, ita & nos vncti cōfiguramur Chriſto, trāsformamur in eandē imaginis pulchritudinē, & ſaluamur per eū,qui factus eſt nobis cauſa ſalutis,accipiēs ſpiritū abſq. mēſura,noſq.de ſua plenitudine donās.

1.Cor.3.

Ad hanc autem communicationē tota hiſtoria Euangelij omniū animos iuuitat, & inducit. Quare Marci hiſtoriæ titulus non tàm dignitatem ſcripturæ aperit,eam inſcribens *Euangelium*,& *initiū Euangelij*,quàm incomparabilem tantę narrationis fructum, qui eſt,vt ſimus conformes filio Dei,vel vt alius dixit:Vt filij Dei nominemur, & ſimus. Dignitatem oſtendit *Euangelij* nomen,quod eſt veritas, & optatiſſima de veritate annunciatio, quam voluerunt audire multi Reges,& Prophetæ,& non potuerunt,neque videre Euangelillam. Etſi enim antiqua oracula veritatem continerent, ſed vt ſpicæ granū,& aculeatus cortex caſtaneæ nucleum,quem nemo colligit abſque ſpinarum terrore. Hunc autem paſſim in Prophetis contemplamur,in Euangelio verò terroris nihil. Adde in Marci, & nouæ ſcripturæ encomiū,dici *Initium Euangelij*, boni,inquā, nuntij,& veritatis,quod ab Euangelij tēpore bonum nuncium cæpit audiri:Gloria in excelſis Deo,& in terra pax hominibus bonæ voluntatis: Dignus eſt agnus accipere virtutem:Vinea facta eſt dilecto meo in cornu filij olei:Cantemus Dño,glorioſè enim magnificatus eſt,æquum,& aſcenſorem deiecit in Marc.Deniq.Vox turturis audita eſt in terra noſtra:Vineæ florētes dederunt odorem ſuum.Quare & tunc apertus eſt liber ſignatus,quem nemo poterat legere; hoc eſt veterum intelligentia,& oraculorum veritas patuit mortalibus, quibus ſcilicet datum eſt, in lumine diei ambulare.Hi quidem vident,& intelligunt ſcripturas Prophetarum: Habent enim *Initium Euangelij*,hoc eſt totius veritatis introitum,& intelligentiam: Quapropter dixit Chriſtus ſuis: Vobis datum eſt noſſe myſterium Regni Dei, cæteris autem in parabolis; cæteris inquam, qui vel præceſſerunt vos, quibus omnia in figuris contigerunt, vel mecum non ſunt, ſed contra me,qui noluerunt intelligere, vt benè agerent: Non enim in parabolis, ſed palam Euangelium Regni Dei annuntiat myſteria,quæ obſcurè ſub legis velamine, & obſcuritate contemplabantur. Modo ergo; pauperes euangelizantur, & Hieruſalē totam reddidit Deus Euangeliſtam,quia omnes à minimo,vſq. ad maximū,hoc ſolemni,& perdocto initio Euangelij cognoſcunt Dñm,& Regni myſteria. Atq. hæc de Marci titulo, quem conſultè narrationi Euangelicæ præmiſit, vt tali exordio cunctorū voluntates, & beneuolentiam(more Rhetorū)captaret, inflammaretq.omnium animos,& exacueret ingenia ſtudioſorū ad ſequentem narrationem,quæ vt noſtra patitur conditio,& ſupra quā mens rationalis poſſit,titulo ſcilicet *Initiū Euangelij Ieſu Chriſti filij Dei* præclariſſimè explicatur: Eam ergo flante ſuperno numine, contēplari incipiamus.

Dignitatem oſtendit nomen Euangelij.

1.Ioann.3.

Luc.10.

Euangelium bonum nuntium.

Luc.2.

Iſaia 5.

Exod.15.

Cantic.2.

Apo.5.

Matth.13.

1.Cor.10.

Pſal.35.

Matth.12.

Matth.11.

CAPVT SECVNDVM

Sicut ſcriptum eſt in Iſaia Propheta.Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam,qui præparabit viam tuā ante te.

SEquitur narratio Euangelij Marci, quam incipit ab oraculo, vt eam fore non tàm Iſaiæ,quàm cæterorum Prophetarum elucidationem(vti diximus)titulo indicari,incipiamus agnoſcere. Allegat autem huius Iſaiæ oraculum(aptè ne,non ſolum hæretici, verū etiam catholici viſi ſunt dubitare. Omnem tamen(auxiliante Deo)dubitationē,inter exponendum, diſſoluemus, quia eloquia Dñi, eloquia caſta,argentum igne examinatū, probatum terræ, purgatū ſeptuplū; quod ſicut aqua imaginis picturā nequit recipere;neq.phęnix mixtionē alterius patitur,ita falsū nuſquā in ſacris oraculis potuit reperiri. Error ergo,quē Marco hoc in loco impingūt nonnulli, lyppis oculis,nō diuino ſcriptori,imputādus eſt. Verū & hoc oſtendamus.

Expoſitio.

Pſal.11.

Sicut ſcriptū eſt in Iſaia Propheta. Hinc terminant Græci ſcriptores periodū,connectentes(vt diximus)iſta præcedentibus; noſtri Latini nouam ordiūtur, vt Euangelium diu in ſcripturis antiquorum latitaſſe depræhendamus. Ex omnibus autem, qui ſubolfaciunt Euangeliſtam, eſt Iſaias, in cuius hiſtoria,apertiora quā in cæteris Chriſti myſteria conſpiciuntur. Aduerte tamen nō dici,ſicut ſcripſit Iſaias Propheta,ſed *ſicut ſcriptum eſt in Iſaia*,vt alium quam Iſaiam; vtpotè Deum authorē eſſe oraculorum,quemadmodum,& cum legimus,*factum eſt*,intelligamus. Huiuſmodi enim phraſis,qua videtur operans occultari nō poteſt aliū à Deo deſignare, quia, ſi venerit ad me,non videbo eū, & ſi abierit,non intelligā,& cuncta operatur ſecretè,omnia in omnibus, tū maximè,quæ ad creationem ſpectant, & quæ ſunt ordinis gratiæ. De his enim dr̄ *ſcriptū eſt*,de illis verò *factū eſt*. Etenim Deus non ſolū ſecundū Theologię noſtræ veritatē;ſed(vt inquit Auerroes diſp.10.in ſol.1.dubij)iuxtā Philoſophorū placitū,per ſcientiā ſuā operatur.Hæc autē recondita eſt creaturæ,ſicut & Deus ipſe abſconditus acclamatur, & incompræhenſibilis, ergo & operatio abditiſſima erit, vt nulli comprehendere eam liceat, ſed clamare: Mirabilia opera

Iſaias clarius de Chriſto loquutus

Iob.9.

Deus operatur, ſed occulte.

opera tua,& anima mea cognoſcet nimis,
Pſal.138. cognoſcet quidem ſolum, quod ſcriptum
ſit,& quod factum ſit opus à Deo,quomo-
Rom 11. do autem non comprehendet? Quis enim
cognouit ſenſum Domini, aut quis conſi-
liarius eius fuit?ſibi quidem ſeruauit iſta.
Gannaius. Græci codices (notat Gannæius) habent
ἐν τοῖς προφήταις , ideſt in Prophetis . 5. Iſai.
31. & 40. & Malach. 3. Perinde habet in
Pagninus. Prophetis Græca, Regia,& Pagnini, & ita
Euthy.Theophil. apud Euthymium,& Theophilactum legi-
tur. Etenim multifariè, multiſque modis
locutus eſt Deus olim Patribus in Pro-
phetis de filio ſuo, in primis, vt ſpem eo-
rum firmaret , & attenderet piorum deſi-
derium. Secundo, vt non ſolum ſigna, ſed
& omnem narrationem virorum nomina-
torum ſcirent omnes , quaſi ſeruorum
acta,ad Dominum Chriſtum ordinari. Eſt
enim Chriſtus finis ille,in quem Pſalmos ,
& Cantica Dauid concentor optimus di-
rigit. Tertio vt Scripturis ijs Chriſti ve-
ritatem,ac fidem comprobaremus, & cu-
ſtodiremus illibatam;quibus voluit Deus
reuelari ante tempora aduentum eius :
ſiquidem Scriptura diuinitùs inſpirata
vtilis eſt ad docendum Chriſti veritatem,
& ad arguendum eum, qui temerè Chri-
ſtum oppugnat. Abundant armis Prophe-
tæ,vt fidelibus, qui à dextris ſunt,panem
doctrinæ frangamus . Infideles verò qui
Iud.15. à ſiniſtris ſunt transfigamus . Eadem
quippe mandibula ſitim extinguit Samſo-
ni,& ſuperiorem,ac formidoloſum reddit
hoſtibus.

Ecce ego mitto Angelum meum ante
faciem tuam , qui præparabit viam tuam
ante te . Hem lapidem,in quem offendunt
Iudæi , Gentiles, & noſtrates . Namque
Malach.3. Hieron.ait apertè . Hoc non ſcribitur in
Iſaia,ſed in Malachia nouiſſimo Propheta-
Hieron. de opti gen interp ſcript. rum. Vndè iuxtà Hieronymum latina le-
ctio in dubium venit , & Eccleſia, quæ iu-
giter eam repetit, demandat, & prædicat,
videtur minus ſapere , ne dicam errare.
Diuerſæ interpretationes. Quod etiam addit Chryſoſtomus falſita-
te ſcriptoris legi in Iſaia , magis Eccle-
ſiam dehoneſtat , quæ falſam lectionem
ſuſtinet ; & tuetur, cum firmamentum fi-
dei,& columna veritatis habeatur . Quod
item Lyra ſcripſit ex Theophilacto;vide-
licet,Marcum ſub vno contextu,duas pro-
phetias coniunxiſſe , quarum prima, Ma-
lach.3. altera Iſai. 4. fertur, difficultatem
quoque parit . Nam etſi Iſaiam ſolum, vt
potiorem dicamus referri , & vt minus
principalem Malachiam ſcribi,oportebat
eum iuxtà ſuum oraculum citari , iuxtà
morem aliorum.Nunc autem videtur Ma-
lachiæ oraculo præponi. Quid ergò in
ambiguo dicendum? Legendumne cum
Græcis,*in Prophetis*,vt ſoluamus difficul-
tates ? vtcunque . ſed obſeruanda eſt la-
tina lectio , quam Eccleſia retinet , *ſicut*
ſcriptum eſt in Iſaia Propheta . Quia in- *Veritatis reſolutio.*
quit Beda : Etſi verba iſta minime in Iſa- *Beda.*
ia expreſsè inueniantur,ſenſus autem eo-
rum inuenitur in multis alijs locis eiuſ-
dem Prophetæ,& manifeſtiùs in hoc teſti-
monio,quod ſubiunxit. Vox clamantis in *Iſai.40.*
deſerto. Nam quod dixit Malachias,mit-
tendum Angelum ante faciem Domini ,
qui præpararet viam eius , hoc eſt , quod
dixit Iſaias : vocem clamantis in deſerto
audiendam,quæ diceret;Parate viam Do-
mini: In vtraque enim ſententia ſimiliter
paranda via Domini prædicatur. Id quod
ad Angeli officium pertinere certum eſt .
ſed & Angeli ſpiritualitas,in vocis nomi- *Pſal.103.*
ne exprimitur : Facit enim Deus Ange- *Ioanni tribuitur nomen, & officiũ Angeli.*
los ſuos ſpiritus , & miniſtros ſuos flam-
mam ignis , quos mittit propter eos, qui
hæreditatem capiunt ſalutis . Id igitur
præſtans Ioannes officio ſuo cum dixit ,
parate viam Domini,ab Iſaia in eiſdem
verbis præuiſus eſt Angelus Domini, quẽ
mitteret ante faciem ſuam. Itaque Euan-
geliſta ad intentũ Prophetæ alludit,quem
verbis expreſſit , quibus alibi Malachias
vſus videtur . Accidit enim nobis , & no-
ſtros,& aliorum conceptus exprimere,ſa-
cræ Scripturæ integris ſententijs , quas
non authoribus , vnde videntur deprom-
ptæ ; ſed nobis, aut illis , qui ſimilia fari
intenderunt,tribuimus. Atque iſta de no-
ſtris,circa huius loci difficultatem dicta
ſufficiant . Iam quomodo Pagani in ean-
dem ſententiam impingant, videamus; hi
enim quorum ſe Dux,& patronus obtulit *Obiectio Iuliani,& Porphirij.*
Iulianus ille , propugnator verò Porphi-
rius,vterque apoſtata,Euangelicam hiſto-
riam abradere cupientes; inter alia , quæ
fidei opponebant, erat huius loci citatio,
quam falsò dicebant fieri . Perindeque
nihil veritatis in ſacris Euangelijs conti-
neri . Namque vnius loci mendacitas,to-
tam hiſtoriam in dubium reuocat . Quod
autem reprobatum eſt , fidem non facit ,
auctoritate caret, nec abſque iactura eo-
rum,qui acta hiſtoriæ æmulantur;quando-
quidem ad finem,quem promittunt mini-
mè ducunt , cum de falſitate , quæ in vno
deprehenditur,reliqua redarguantur . At-
tamen nullam in Marco , aut altero ſcri-
ptore Canonico reperiri falſitatẽ certum
eſt: ſiquidem verbum Domini, & labia
electa continent eloquium,& ſunt ſermo-
nes veritatis . Verbum autem Domini *Certitudo, & veritas Scripturæ.*
manet in æternum, redolens ſupra balſa-
mum veritatem , ac ſupra myrrham cor- *Pſal.118.*
ruptioni aduerſans, neque patiens, vt ce-
drus exaltatus in Libano, cariem. Vnde
Aug. lib.2.c.3 de baptiſmo contra Dona- *Aug.*
tiſtas,dixit. Quis neſciat ſanctam ſcriptu-
ram Canonicam,tam Veteris, quàm Noui
Teſtamenti certis ſuis terminis contine-

ri

ri, eamque omnibus poſterioribus Epiſcoporum literis, ita præp·ni, vt de illa omninò dubitari, & diſceptari non poſſit, vtrum verum, vel vtrum rectum ſit, quicquid in ea ſcriptum eſſe conſtiterit? Nam

Aug. d. 9. c. quis neſciat, & cap ſi ad ſcriptum.

ait ad Hieronymum epiſt. 9. ſi ad Scripturas ſacras admiſſa fuerint, vel officioſa mendacia, quid in eis remanebit authoritatis? Propterea audacter ad Philoſophũ

Nic. Conc. gen. 1. lib. 2.

Epiſcopi, Nicææ congregati, per Euſebiũ Pamphili dixerunt; ſcriptis crede, quæ non ſcripta ſunt, nec cogites, nec requiras. Ita & nos hiſce, qui prauè philoſophantur de Scripturis ſacris proferamus; tùm maximè Anabaptiſtis, qui armis Porphirij vtuntur, vt olim Arriani Philoſophorum argutijs, dicamus; credite Euangelio, & nolite mendacium (quod neque in ſcribendo cogitatum eſt) imaginari. Hoc quærite in veſtris ſcriptis, quorum ſtylus mendax in multis deprehenditur, ſermonibus autem veritatis detrahere ſtultiſſimum eſt. Verum autem contineri in loco inducto, ex his, quæ præmiſimus, dignoſcite. Reſponſum eſt enim tritis Philoſophorum, ac noſtris colloquijs accomodatum, vt inde veritatem, quam expugnatis, facilè admittatis. Sed quid de

Opinio Iudæorũ perfida.

Iudæis? Hi ab inducto teſtimonio, quod de Meſſia interpretantur, Angelum, qui Chriſti aduentum præueniat, expectant. Veniſſe verò nobis iam conſtat, quando

Luc. 1.

miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in Ciuitatem Galileæ, cui nomen Nazareth ad Virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Ioſeph de domo Dauid, & nomen Virginis Maria. At non fieri hoc in loco mentionem de Angeli natura, ſed officio, textus ipſe ſubindicat. Nam præparatio, & diſpoſitio in Philoſophicis, & naturalibus: naturam formæ introducendæ imitatur, vt calor ignem. Et in ſupernaturalibus videmus rationales ſpiritus per inuiſibilem Angelorum, qui ratione pollent, cuſtodiam diſponi, & aſſumpto corpore, corporibus quandoque mortalium apparuiſſe, vt corporales homines ad aliquid, quadam ex parte ad corpus pertinens, inducerent. Ita demũm Deus, ac Dei filius, qui in forma ſerui venturus erat, ſeruum, qui eum præcederet, habuit, quem officio, non natura, Angelum vocitat Propheta. Angelum autem natura, non vnum, ſed omnes habuit præcurſores, qui ad virtutem inducentes iugiter, vt modo, ad Chriſtum tunc diſponebant. Ad hæc adde errorem Origenis, qui an à Iudæorum delirijs emanauerit, incertum eſt. Refert enim Hie-

Orig. error.

ronym. Origenem dixiſſe, Angelum extitiſſe Malachiam, qui venit aſſumpto corpore, vt Iſraeli vaticinaretur: Figmentum eſſe tamen idem Hieronymus, Epiphanius, atque alij perſuadent. Nec non Eſdram extitiſſe, vt ſentit Rab. Ionatha Chaldæusn, falſum reputat Nicolaus de Lyra. Hæc de dubijs, quæ præſentem ſententiam videbantur obuelare, iam literam emedullemus tantiſper, ne ariſtis, relicto grano, videamur oblectari.

Hieronym. Epiph. Rab. Ionat. Chal. Nic. Lyra.

Ecce ego mitto Angelum meum. Hoc eſt, Ioannem Baptiſta propter vitam Angelicam ait Theophilactus, & reuerentiam excelſam. Angelus enim græcè (proſequitur Origenes) latinè nuntius dicitur, quo nomine rectè potuit appellari homo ille, qui fuit miſſus à Deo, vt teſtimoniũ perhiberet de lumine, & veniẽtem in carnem Dominum mundo nuntiaret, cum conſtet omnes, qui ſacerdotio funguntur ob Euangelizandi officium, Angelos poſſe vocari (dicente Propheta Malachia) labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent de ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt. Vnde quia Angelus Domini, ait Petrus Chryſologus ſer. 127. eſt Ioannes, ſchola virtutum, magiſter vitæ, ſanctitatis forma, norma iuſtitiæ, virginitatis ſpeculum, pudicitiæ titulus, caſtitatis exemplum, pænitentiæ via, & fidei diſciplina. Deniquè ſi quæris excellentiam hominis, poſt multa concludit Aug. in Pſal. 29. Ioannes Baptiſta eſt; quia inquit Chryſoſt. homil. 27. oper. imper. omnibus ſanctis eſt maior, cui ſolus Chriſtus eſt prior. Eadem pene cuncti patres de Ioanne ſentiunt. Secus hæretici temporis noſtri calamitoſi videntur ſentire; ſcribit enim Brentius de Ioanne: Geſtat, inquit, adhuc peccatum, in quo conceptus, & natus eſt in carne ſua. Ergo ſceleſte non Angelus, ſed Diabolus; non Angelus Dei, ſed ſeruus eius, qui ab initio peccat? Abſit, vt eum talem dicamus, quem Deus delegat, non vt Moyſem ad Pharaonem, neque vt Heliam ad Acab, neq; vt Ieremiam ad Sedechiam, aut vnum ex prophetis ad populum incredulum; ſed vt Angelum ſuum ad orbem totum, & lucernam ante Chriſtum, vt pararet Domino plebem perfectam. Nunc commendat pater, dicens eum Angelum, filius celebrat, maiorem inter natos mulierum prædicans, Spiritus ſanctus adhuc ex vtero matris ſuæ ſanctificat; ac tota Trinitas vitam, & actus eius probat, ſui ſpecimen baptizanti oſtendens; ac totius Trinitatis exemplo, qui ſapiunt, continuis Ioannem laudibus proſequuntur. At homo apoſtata, eſt vir inutilis, graditur ore peruerſo in Ioannem, quem neque dignus eſt nominare.

Theophyla. Orig.

Ioann. 1.

Sacerdotes ſunt Angeli.

Malach. 2. Pet. Chryſ. ſer. 127.

Laudes Baptiſtæ.

Aug. in pſ. 29.

Auth. oper. imper. apud Chriſo.

Brentius hær.

Prou. 6.

Ante faciem tuam. In hunc modum prolata ſententia eſt ſermo Patris ad filium; vt leguntur apud Malachiam, ſunt

ver-

Malach. c.3. verba filij ad Iſrael.legit enim Malachias.
Ecce ego mitto Angelum meum ante fa-
Pagnin. *ciem tuam, vel facies tuas*, vt optime Pa-
gninus vertit. לפני enim plurale eſt, ſi-
gnificat autem proprie lepanai facies
meas, & quidem magno cum Sacramen-
to. Namque facies cognitionẽ importat,
Varietas co- Chriſti autem cognitio non eſt eadem in
gnitionis. omnibus;iuxta enim ſapientiam diuinitus
infuſam,vnus alio preſtantiorem de Chri-
ſto cognitionem habet, ne dicam in ter-
ris, ſed & in cælis, varia, & multiplex
ineſt Beatis Chriſti cognitio; etenim gra-
dibus cognitionis huiuſmodi beatitudo
diuerſificatur in beatis: Quia,inquit,Hæc
Ioann. 17. eſt vita æterna, vt cognoſcant te Deum
verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.
Cognitio autem Dei non eſt vna in ſingu-
S.Thom. lis beatis, vt optimè ſcholaſtici proſe-
Scotus. quũtur, tum maximè Angelicus Thomas,
& Scotus, tametſi opinando diſſentiant
aliquantiſper. Ergo & cognitio quam
de Chriſto Beati ſortiuntur, multiplex
erit. Atqui iſta eſt manſio multiplex
quam iuſtis Chriſtus repromittit. Opti-
mè ergo *facies meas* expreſſit Malachias:
nec minus ſapienter Marcus dixit *faciem*
Diuerſæ le- *meam*. Nam vt facies ſignificat claram
ctionis ratio cognitionem, & dilatatiorem, quam in
cælis ſperamus poſſidere; ita & enigma-
ticam,quam fides tradit,ſignificare poteſt.
Vnam autem fidem Ioannes annuntiauit,
ergo optime *ante faciem*, non *ante facies*
mitti dicitur.

Qui præparabit viam tuam ante te.
Ex varietate lectionis deprehenditur,
Euãgeliſtã non intendiſſe Malachiæ teſti-
monium citare, ſed animi conceptum,
Conceptum qui in Iſaia præextitit, verbis vtcunque
Iſaiæ verbis à Malachia mutuatis. Hic enim aliter
Malach. ex- multo retulit oraculum. *Ecce* (inquit)
primit. *ego mitto Angelum meum, & præparabit*
viam ante faciem meam; ſed vale iam
facto quæſtioni (intenderit ne Marcus ci-
tare Malachiam vel non?) laudem,quam
Ioanni conciliant verba Euangelij, dige-
Theophil. ramus. *Præparauit*(ait Theophil.) *viam*
Domini,animas Iudæorum, vt per baptiſ-
mum ſuſciperent Chriſtum. Cæterum,*an-*
te faciem ſignificat, prope te fore *Ange-*
lum tuum. Vnde oſtenditur familiaritas
Familiaritas præcurſoris erga Chriſtum. Nam prope
Ioann. cum Reges incedunt, qui familiariſſimi illis
Chriſto cæ- ſunt. Cœpit autem iſta familiaritas ab
pit in vtero. vtero,vnde Chriſtus ſanctificauit, & inui-
ſit Ioannem,& Ioannes Chriſtum,exultans
adorauit,iuxtà matris verba. Ecce enim,
Luca 1. vt facta eſt vox ſalutationis tuæ in auri-
bus meis,exultauit infans in vtero meo.
Denique concludamus, Ioannem Dei An-
gelum dici, quod viam Domini præpara-
turus eſſet. Ergo & hoc encomio præ-
dicator, & præſul gaudebit, ac præmio
tanti encomij, ſi hic ouibus, ille populis
viã Domini annunciauerit,& ad eam non
tàm verbo, quàm exemplo allexerit au-
ditorem. Tales autem fore indicat ſpon- *Cant.4.*
ſus ſponſam alloquens. Fauus diſtillans
labia tua ſponſa: mel, & lac ſub lingua Labia ſpon-
tua,& odor veſtimentorum tuorum,ſicut ſæ doctores.
odor thuris.Labia ſponſæ,ij ſunt,quorum
eſt alios docere,quos & doctrina ſuaues,
& opere placidos eſſe cunctis oportet.
Sunt enim opera,veſtimenta, quibus or-
natur animus,& proximus ædificatur.Vn-
dè Theodoretus Cyrenſis Epiſcopus in *Theodoret.*
hunc locum ſcripſit; Eccleſiæ Doctores *Cyr in Cãt.*
ſignificat, qui piam tradunt diſciplinam,
& quaſi fauos apum in labris gerunt, &
mellis diffluunt ſtillis, nec verò mel tan-
tum habentes, ſed etiam lac cuique cibũ
promunt ſalutarem,& cùm infantibus cõ-
modum, tum perfectis etiam congruen-
tem. Iam faui mellis, qui in Doctorum
geſtantur labris, ſunt diuinæ Scripturæ,
quæ continent apes tùm ceræ, tùm mel-
lis effectrices,ſacros nimirum Prophetas,
& Apoſtolos.

CAPVT TERTIVM.

Vox clamantis in deſerto parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius.

AB Iſaiæ vaticinijs deſumitur præ- *Iſai.40.*
ſens ſententia, ſub qua latet præce-
dens,iuxtà ea, quæ præmiſimus. Explica-
tur ea cæleſtis legati officium, quod eſt,
corda omnium diſponere, vt Dominum
admittant, obſeruent, & ad ſe intromit-
tant. Ad literam de Ioanne explicatur,
ſibiq.conuenire ingenuè is ipſe interroga
tus à Iudæis profitetur. *Ego vox claman-* *Ioan.1.*
tis in deſerto, ſicut dixit Iſaias Propheta.
Vox, ſcilicet Ioannes; ait gloſa in-
terlinearis, de quo clamat Dominus ad
Iudæos. Inter natos mulierũ non ſurrexit
maior Ioanne Baptiſta.Sed qui vox,ſi ma-
ior? & ſi maior,qui vox? Hæc enim eſt re- Quid ſit vox
ſpiratio,ſeu percuſſus aër,ac venti motio,
quæ nihilo approximat; qui autem maior
eſt natis mulierum,excelſior eſt,ne dicam
omni regione corporea, ſed Sanctorum
cœtibus, qui communi fruuntur aëre. At
ideo Ioannes vox dicitur, quoniam ma- Humilitas.
ior tantò quis eſt, quantò humilior, tan-
tòque præſtat cæteris, quantò in oculis
ſuis ſit vilior. Nam à fundamentis ædifi-
cij altitudinem metitur artifex,ſed & na-
tura cedrum altiſſimum profunda firmat
radice. Hæc eſt enim, quæ palmam exal-
tat,& ſublimat lignum humile.Hinc ille.
Quanto maior es,humilia teipſum,quia *Eccl.3.*
gloriam ſequitur humilitas. Ergò: *Lau-* *Tibull.*
rus vbi bona ſigna dedit, gaudete coloni.
bonum autem lignum erat laurus,quæ in-
cenſa

cenſa multum crepuiſſet,ſic & ſublimitatis futuræ eſt ſignum,ptæ humilitate multum ſeipſum in omnibus vilificare, vt ille qui dixit; *Pſal. 115.* Ego autem humiliatus ſum nimis.

Clamantis. Non loqnentis ſolum, ſed clamantis; clamor enim ex intimo cordis egreditur, & penetrat cor; locutio quandoque ad aures non pertingit,ſaltem non penetrat.Loquebantur olim falſi prophetæ, qui placentia proponebant Auditoribus; continuant verò locutionem; qui ſunt prurientes anribns, & à veritate quidem auditum auertunt, *Tit. 4.* ad fabulas connertuntur, lire canticum ſe præbent,& inſtrumentum muſicum, optantes potius Orphæum imitari, quàm omnium artificem,qui ait: Clama,rurſuſq; ait,clama,omnis caro fœnum, vt ſic loquaris ad cor Ieruſalem. *Iſai. 40.* Clamauit enim, & ipſe voce magna dicens, ſi quis ſitit,veniat ad me. *Ioan. 7.* Clama ergò ne ceſſes,& quaſi tuba exalta vocẽ tuam, qui euangelizas Sion, ſi fortè audiat, qui ſurdaſter eſt, *Iſai. 58.* & tuo clamore duram aurem perforans,& ipſe clamet. Eò enim eſt clamor vnius Seraphin, vt ad clamorem alius excitetur. Clamabat alter ad alterum, ait Iſaias, *Iſai. 6.* & quid? ſanctus; & alius? ſanctus quoque. Etenim clamor concionatoris Dei zelum præexigit,& formare Chriſtum in animis audientium intendit,ſanctoſque homines efficere: Qui etiam habet aures audiendi clamat,ſanctus, hoc eſt, proponit in melius vitam commutare,pœnitet eum præteritorum, & nouam orditur viuendi formam. Hic clamor auditur in excelſis,reſpondet enim clamanti de cælo, *Prou. 23.* fili mi præbe mihi cor tuum. Filij hominum *Pſal. 4.* vſquequò graui corde? ac ſimilibus, quæ in nomine Domini cæleſtis prædicator intonat, buccinat, & clangit,quibus pungat cor, non aurem demulceat, mentem erudiat, non delectet ſenſum, affectum inflammet,& ad noua benè viuendi ſtudia totum hominem excitet. Nam qui te miſit ò præco verbi Dei, dixit; *Luc. 12.* Ignem veni mittere in terram,& quid volo niſi,vt ardeat?At ignem,aër vehemens,atque ictus excutit de ſilice,& excuſſum ardere facit: Charitatis verò ignem in corde, & de corde audientium producit Chriſtus,clamans in Cruce clamore valido,& tu conclamans ad omnes, rememorans acta Chriſti, inde argnens negligentes, deuotos accendens, & contendens quotquot adſunt mauſolea fieri noſtri dilecti. Quin Chriſtum in peccatoribus mortuum ſuſcitare olim (inquit Aug. contra Fauſtum Manichæum lib. 32. c. 10.) iuſſus eſt frater, præmortui fratris vxorem ducere, vt non ſibi,ſed illi ſobolem ſuſcitaret,eiuſq. vocaret nomine, quod inde naſceretur, quod ſi recuſaret,diſcalceatus vno pede conſpui ſolebat in faciem. Nunc Euangelij quiſque prædicator,ita debet in Eccleſia laborare, vt defuncto fratri, ideſt Chriſto, ſuſcitet ſemen, qui pro nobis mortuus eſt, & quod ſuſcitatum,eius nomen accipiat. Subinde non Pauli, neque Cephæ, *1. Cor. 1.* ſed Chriſti ſunt credentes, & ab eo Chriſtiani vocantur. Hos ergò prædicator huiuſmodi clamoribus intendat efficere,non ſciolos rerum, quæ obſunt potius,quàm proſint; *Mat. 4.* neque elegantiam doceat, ſed ſpiritum, qui Ieſum impulit ſemel in deſertum, & continuò ad animos noſtros trahit, & format Chriſtum in nobis.

Marginalia: Officium Cõcionatoris clamare. — Similitudo. — Efficacia verbi. — Aug.

Alia explicatio. *Clamantis*,etiam dicitur,quia ad ſurdos obturantes aures voci, ait interlinearis Gloſa. Mittebatur enim ad gentem incredulam, cuius anres incircumciſæ erant, quin & ſpinis ſepinerat,ne audiret legẽ, ne ad eum ſermo Domini intraret, neque de malo conuictus,ad bonum perſuaderetur. Propterea *vox clamantis* קול קורא,chol chore,hoc eſt tonitruus,ſiue clamor perterrens; vociferantis,ſiue clamantis; non deliri, ſed ſapientis, & dilecti,qui vociferans, & clamans ad dilectũ, vt deſerto malo, bonum complectatur, omnem lapidem mouet: ſi tandem intentum perſuadeat, aliquando inuitat ad beneficia, quæ ex facto conſeqnnntur, nonnunquam inuocat Deum, & Sanctos, argnit auditoris naturam,& conditionem, vt hinc abhorrere facinus perſuadeat,illinc opem,& anxilium ad conuerſionem obſtinati exoret. Hæc enim argumenta perſuadendi ſubolfacit verbũ. קורא chara, vnde קורא chore; *Quomodo prædicandũ induratis.* ſignificat enim præter clamare,& vociferari, appellare, inuocare,& inuitare. Atqui prædicator egregius appellat ſuo nomine, quem perſuadere nititur, ne velit degenerare. Inuocat, & implorat omnium auxilia,& inuitat præmio. Quod ſi adhuc obdureſcit, clamat in doloribus flens miſeriam,& calamitatem hominis; vociferaturq. demum contra ingratũ,iam iam pœnam comminans, dignumque dæmonibus,& inferni cruciatibus oſtendit, vt is,quem non conuincit amor,& blandus ſermo,terrificus, & horrendns ad meliorem mentem(vt ſolet inſanus)verbere redeat. Arte ſimili,quam natura docet,Ioannes,necnon Chriſtus,& Dei Apoſtolus, qui vult pronentum facere,vtitur.Eſt enim quoque clamans Chriſtus,quin & verus clamans. Vnde literam nonnulli exponunt. *Tertia expoſitio.* *Vox clamantis*, ideſt Chriſti, vt & gloſa Interlinearis habet. Clamauit enim ab initio per alium,atque alium, nouiſſimè per Ioannem cœpit audiri. Solns tamen Ioannes vox Chriſti dici meruit, quod cæteris apertiùs Chriſtum annuntiarit, dicens: Ecce Agnus Dei

Dei: ecce qui tollit peccata mundi. Annuntiarunt alij Chriſtum, ſed à longè, ac ſępè tàm inuoluto Symbolo, vt vix quis niſi idem Propheta myſterium ænigmatis noſſet. Eadem gloſſa, quæ eſt apud Iſaiam, *clamantem* intelligit apoſtolum, videlicet, *vox clamantis*, ſcilicet, Apoſtoli. Siquidem, & is clamans eſt, ſi quidem aure audita ſuper tecta, prædicare iubentur, hoc eſt publicè, quæ ſpiritus ſecretè reuelat, annuntiare, vt dicebat ille: Prædica verbum, inſta opportunè importunè, argue, obſecra, increpa; vt ſolet, qui armentum minat, ducitque greges, quas diuerſis, & difformibus clamoribus adimpellit & conducit ad pabulum. Non enim vna, aut altera tuba, ſed pluribus vti præceptum eſt, earumque ſonis Dei populus iter cæptum percurrebat, & corruit Ierico. Hic eſt mundus, & mundi ſectator, ille autem cætus iuſtorum, & quiſque ex cætu; omnibus clamor varius Apoſtoli operatorius fuit.

Ioann. 1. — Clamantis. — *Matth.* 10. — *Tit.* 4.

In deſerto. Forte in deſerto Iordanis (exponit Theophilactus) vel fortè in Synagoga Iudæorum, quæ deſerta erat omni bono. Vel (vt inquir gloſſa ordinaria ex Hier.) quia vacans ſeopata, ſine ſpiritu Dei, Propheta, Rege, Sacerdote, Ieſus & Ioannes quærunt quod in deſerto amiſſum eſt: vbi vincit diabolus, ibi vincitur; vbi cecidit homo, ibi reſurgit! *In deſerto* quoque vox clamat, quod nihil præſtiterit, nec iuuamen tulerit Synagogę Principibus; quin eos inexcuſabiles reddidit, & ijs maiorem conciliauit damnationem. Vox enim in deſertum mitti dicitur, quæ nullam importat vtilitatem, quin ruinam, quando eſt, veniens à tonitruo, quam fulgur voco. Huius autem effectus fuiſſe clamorè Ioannis, quem ad Iudæos deſtinauit, hebræa vox במדבר bamidbar, in deſerto, ſatis indicat דבר dabar enim verbum, vnde מדבר deſertum, non ſolum loqui ſignificat, verum etiam perdere; iuxtà quod ſignificatum, deſertum interpretari poſſumus locum perditionis. In ſolitudine, enim errabat Ioſeph, & in latrones incidit, qui ab Hieruſalem in Ierico deſcendebat, ſed & onis, cuius aberratio cælum terramque commouit, vbi perijt? Vtique in ſolitudine. Igitur in deſerto clamat Ioannes, hoc eſt, in loco perditionis, vt lucretur quidem perditos, nolentes autem congregari, maiori perditioni dandos præſignet loco ipſo prædicationis. Vnde ad eos Chriſtus dixit. Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta. Quia (inquit Orig. lib. 4. quod ſcripturæ diuinitus inſpiratæ ſint cap. 1.) ex temporibus Chriſti vltra Reges apud eos non extiterunt; ſed & omnes illæ ambitiones Iudaicæ, in quibus ſe iactabant quamplurimi, & in quibus exultabant vel de templi decore, vel de altaris inſignibus; atque de omnibus illis Sacerdotalibus infulis, indumentiſque Pontificum, ſimul deſtructa ſunt; completa eſt enim prophetia, quæ dixerat. Per multos dies ſedebunt filij Iſrael, ſine Rege, ſine Principe, non erit hoſtia nec altare, nec ſacerdotium, nec reſponſa.

Quid importat deſertũ. — Perditio fit in deſerto. *Luc.* 10. — *Matth.* 23. — *Orig. lib.* 4. *cap.* 1. — *Oſee* 3.

Ab alio ſignificato verbi dabar, ex quo fluit medebar, ideſt deſertum, aliud & quidem iucundius arcanum educito, verbi enim, דבר dabar communis interpretatio eſt, loqui, & aſſiduè loqui, vt pſalmo 118. Etenim ſederunt Principes, & aduerſum me loquebantur, גם ישבו שרים בי נדברו gam iaſcebu, ſarim binidbbaru, etiam ſederunt Principes, contra me locuti ſunt; verbum enim nidbbaru, ideſt, locuti ſunt, aſſiduè loqui, valet interpretari, propter punctum daghes, in littera ב ideſt Beth poſitum, quo ſicut geminatur littera, & fit fortis pronunciatio, vt non dicamus diber vel diuer, ſed dibber, ita vt ſignificatio verbi auget emphaſim, quam Targum Ionathæ clarius expreſſit להוד יתבין רברבין מני, lechod Iathebin rabrebin mini; quin etiam ſedentes Principes, de me loquuntur, quaſi diceret, non contenti tot, tantiſque in me actis; quin etiam aſſiduant loqui aduerſum me praua. Iuxta igitur hoc ſignificatum verbi, dabar, midbar, ideſt deſertum, erit locus locutionis: vnde, clamans Ioannes in deſerto, denotat prædicationis locum, fore deinceps in deſerto, hoc eſt in gentilitate, & non in Sion; neque Hieruſalem; neque vltra dicendum: De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem, neque Notus in Iudæa Deus; & in Iſrael magnum nomen eius, ſed magnum eſt nomen meum in gentibus; quia quem ſui non receperunt, factus eſt lumen ad reuelationem gentium. Vnde populus, qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam, & poſuit Dominus deſertum eius, quaſi delitias, & ſolitudinem eius, quaſi hortum domini. Gaudium & lætitia inuenitur in ea, gratiarum actio, & vox laudis. Tantum beneficium gentilitati, quæ hactenus videbatur deſerta, concedendum fore, indicauit clamor, quem Ioannes in deſerto emiſit. A deſerto enim gentilitatis lex, prædicatio, doctrina, & omnis ſanctitas fluit: His autem Iudæi ſpoliati ſunt; offenderunt enim in lapidem offenſionis, ait Paulus. Propterea ſubdit Eutalius Diaconus in eum locum; qui ſunt ex gentibus, in ſemen Abraham reputati ſunt; tu verò non ita. Re promiſſio verò hæreditatis, & benedictionis ſuper eum eſt, qui natus eſt ſecundum ſpiritum; minimè vero ei, qui ex carne eſt; de ea enim dicitur: Eijce ancillam, & filium eius. En modo eiectam Synagogam,

Secunda interpretatio. — *Iſa.* 2. — *Pſal.* 75. — *Matl.* 1. — *Ioann.* 1. — *Luc.* 2. — *Iſaia* 9. — *Iſaia.* 51. — *Roman.* 9. — *Eutal. diac. ſuper* 9. *ad* 10. — *Gen.* 21.

gam, & cultum eius; gentem autem vo-
cari Dei populum, cui Deus eloquia ſua
committit, & vbi *vox clamantis* auditur.
Parate viam Domini. via Domini,qua
ad homines ingreditur,pœnitentia eſt, per
Hieronym. quam Deus ad nos deſcendit (ait Hier.) &
nos ad illum aſcendimus: Vnde Ange-
li aſcendentes, deſcendenteſque memo-
rantur ad filium hominis: *Parate viam*
Domini; hoc eſt pœnitentiam agite, &
Gen.18. prædicate. Vnde *Agendà* ante ſabbatũ di-
citur, ideſt pœnitentia ante requiem futu-
ram. Hinc namque initium prædicationis
Ioannis, & Chriſti,oritur. Pœnitentiam
Matth.3. agite, & appropinquabit Regnum cælo-
rum; quia in die ſeptima requieuit Deus
ab omnibus operibus ſuis; ſeptem enim
nobis neceſſe eſt delere vitia per pœniten-
Gen.2. tiam, vt requieſcentes poſtea poſſideamus
Gloſſa. deſiderabilem terram. Gloſſa ordinaria
eandem ſententiam tribuit, Iſidoro: eſt
Hier. tamen Hieronymi, ſi eius eſt opus in Mar-
Theophyl. cum. Secundum Theophilactum, *via*
Domini, eſt nouum teſtamentum; ſemitæ
vero, vetus, vt detritæ. Itaque ad viam
debebant præparari; hoc eſt, ad nouum
Error. teſtamentum. Hoc quidem per Ioannem
Centuriato- præparatum minimè dicerem, ne aliqua
rum. ex parte aſſentiri Centuriatoribus, qui
lib. 1. cap. 10. in hunc modum dogmati-
*Matth.*11. zant: Chriſtus pronuntiat, Matth. 11.
omnes Prophetas, & legem vſque ad Ioan-
nem prophetaſſe. Terminabat igitur te-
ſtamentum vetus, & ordiebatur nouum,
doctrina, ceremonijs, & ipſa ſeparatione,
propter hoc, officium, encomio ab ipſo
Chriſto ornatur. Errant tamen vt in alijs.
Iſa.42. Namque Chriſtus gloriam ſuam alteri non
dat. is eſt, qui nouum fœdus, & nouam le-
gem in cordibus hominum dedit, & ſcrip-
ſit ſuo ſanguine, atque merito; quaprop-
ter mors ſecuta eſt teſtatoris: ergo glo-
riam noui mediatoris, & teſtamenti, ſibi
dedit, non alteri. Ioannem vtique lauda-
uit à vitæ integritate, & fidelitate officij,
quod erat, annuntiare venturum. Fateor
Ioannis acta fuiſſe ad obſeruantiam teſta-
menti noui, quod Chriſtus orbi condidit,
& morte firmauit, quædam præambula:
Bernard. quia venit (authore Bernardo ſerm. de
excel. Ioann. Bapt.) vt oſtenderet medi-
camentum vulneri, peccato pœnitentiam,
iniquitati veniam: ex illo verbo pœni-
tentiæ dulce, & glorioſum verbum Re-
gni cælorum latum,& adorandum auditur.
quod celauerat Deus, tacuerat Angelus,
latuerat Patriarchas,Prophetæ neſcierunt,
huic concreditum eſt, & per eum omnibus
commendatum. Pœnitentiam agite,& ap-
propinquabit Regnum cælorum. Vtcunq.
perperam conferunt Centuriatores,lex, &
Prophetæ vſque ad Ioannem, ergo Ioannes
nouum teſtamentum eſt exorſus: Nam
etſi prophetare deſierint vates Ioannis
tempore,quod lux Chriſtus adueniſſet,quæ
Chriſto ſeruabantur, Ioanni tribuere ne-
fas eſt; ita eſt, ac ſi diccerent, ſerui in
Ioannem finem accepere: ergo ipſe Domi-
nus. At Ioannem quis vnquam dixit Do-
minum? Vnus eſt Dominus Ieſus Chriſtus, 1.Cor. 8.
& vnus noui teſtamenti mediator. Quod *Heb.9.12.*
inquit Ganneius, nobiſcum factus eſt, ſci- *Ganneius.*
licet, de peccatorum remiſſione, vt morte
interueniente in redemptionem earum
præuaricationum, quæ erant ſub priori te-
ſtamento, repromiſſionem accipiant eter-
næ hereditatis,qui ad eam fide vocati ſunt: *Hier. Theophilac.*
Quare, *per viam Domini*; neque pœniten-
tiam cum Hier.neque teſtamentum nouum
cum Theophilacto intelligerem, ſed deca- Quid ſit via Domini.
logum, quem impoſturis, falſis gloſſemati-
bus, & traditionibus obſcurauerant, vti *Matth.5.*
Chriſtus, multis ad Iudæos habitis ſermo-
nibus, demonſtrauit. Inimicos enim odi-
re ex lege prædicabant, deuouere bona,
cum parentum iactura, religioſum duce-
bant, vxorem quacunque ex cauſa dimit-
tere putabant licere, ac denique præceptis
diuinis non animum, ſed manum ſolam
prohiberi. His tempeſtuoſis alluuionibus *Iſaia 33.*
diſſipatæ erant viæ, ſeu potius deſertæ;
præſertim ex optimatibus, vix quiſquam *Leu. 26.*
erat; qui per eam ambularet. Parari ergo
hanc viam ſuadebat Ioannes, vt & olim
Iſaias 62. & Ier. 7. nec non alij. Paratur *Iſa. 26.*
autem via Domini ablatis erroribus, qui- Ier. 9.
bus imperuia redditur: Per ſemitas con-
ſequenter cætera à decalago,videlicet præ- Quid ſemita
cepta iudicialia,& cæremonialia: Namque
deficiente intentione à recto, & vero ſigni-
ficato., nihilo apud Deum ducebantur ce-
remoniæ. Ac proinde dictum eſt eis, quis
quæſiuit hæc de manibus veſtris? in iudi-
cialibus verò exercendis incuſabantur paſ- *Iſaia.1.*
ſim à prophetis; vt pupillo non iudicant,
cauſa viduæ non ingreditur ad eos, manus *Oſe.4.*
eorum ſanguine plenæ ſunt. Non eſt veri-
tas, non eſt miſericordia, ſanguis ſangui-
nem tetigit: Et ſimilibus iniuſtos eſſe in
exercendis iudicijs, & in reipublicæ bonis
diſtribuendis acceptatores perſonarum
agere. Semitæ autem fiunt rectæ, cum ad Semitæ re-
normam legis Dei, quæ cæterorum eſt re- ctæ.
ctitudo, regulantur: Ea propter ſequitur.
Rectas facite ſemitas eius. Dico ſemitas
cæremonialia,& iudicialia,quod hæc paci-
ficarent homines, illa verò pacificatos ad
Deum ordinabant. Vnde neque ad dex-
teram, à neque ad ſiniſtram recedentes à
via, facillimè ad Dei amicitiam poterant
peruenire. Eſt enim *ſemita* qua vel facilius,
vel breuius viæ finem aſſequimur. Recti-
ficantur autem ceremonialia intentione,&
attentione; iudicialia verò, æquitate in
omnibus ſeruata: Æquitatem ergo in his,
quæ ad proximum ſunt obſeruari voluit
Ioannes

Digitized by Google

Ioannes, & deuotionem Religionis in reliquis, quæ ad cultum Dei ordinabantur.

CAPVT QVARTVM.

Fuit Ioannes in deſerto baptizans, & prædicans baptiſmum pœnitentiæ, in remiſſionem peccatorum.

ORditur narrationem de Ioanne, videlicet, qnomodo ad deſertum exierit, ibidemque baptiſmo abluerit accedentes, & eoſdem inſtruxerit de pœnitentia agenda, vt peccatorum remiſſionem aſſeqnerentur. Hæc enim à morte liberat, Deo reconciliat peccatorem, & ſeruat, nè facto nauis naufragio, ipſe inter vndas, & procellas funditus pereat.

Fuit Ioannes in deſerto baptizans. De deſerto Ioannis plura contra nouatores homines ſuper Matthæum protulimns. Tantum quæ Euthymius in Mat. cap. 3. ſcribit referam, propter Bucerum, & alios hæreticos, qui negant Ioannis deſertum, ſolitudinem vaſtam fuiſſe, in qua nemo hominum habitaret; ſed locum parnm ab Vrbibus diſtantem, videlicet pagum, aut villam. Interrogat igitur Euthymius, vnde venit Ioannes? Ab interiori eremo: Ait enim Lucas. Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem Zachariæ filium in deſerto: & venit in regionem, quæ circa Iordanem erat. Hanc igitur regionem, quæ circa Iordanem erat, Matthæus deſertum nominauit Iudeæ. Duas ſiquidem innuit eremos, vnam interiorem, à qva venit Ioannes: alteram, quæ circa Iordanem erat, ad quam venit. In qua Ioannes legationem exercuit; iuxtà alterius Euangeliſtæ ſetnentiam, Hæc in Bethania facta ſunt trans Iordanem, vbi erat Ioannes baptizans. Hanc itaque ſolitudinem, mininè vaſtam fuiſſe damus hæreticis; priorem autem, quam à teneris coluit remotiſſimam ab omnium commercio patres tradunt, vt Pantaleon de luminibus Eccleſiaſticis, à pueritia eremiticam duxiſſe, ait, vitam; cur autem, ſubdit Theophilactus, ne ſcilicet multitudinis malitiæ particeps fieret, & vt neminem reueritus liberè repræhenderet.

Euthim. Luc. 3. — *Ioann. 1.* — *Pantaleon. Theophil. 2. Math. & 11.*

Illuc autem Angelo Duce perductum, deponit Nicephorus lib. prim. hiſtor. Eccleſiaſt. cap. decimo quarto. In hoc tamen deſerto non baptizauit, neque prædicauit, ſed in alio, quod circa Iordanem, Bethaniam verſus deſcribitur. Ibi ait ſacer Euangeliſta, *Fuit*, hoc eſt, erat, interpratatur Euthymius, ſed proprius vox græca ἐγένετο Fuit vertitur, vt habet vulgata, & Pagnini tranſlatio: Ac myſterio magis accomoda lectio: Nam per, *Fuit*, præteritum, magis deſitio, & annullatio baptiſmatis Ioannis indicatur. Erat enim, videtur adhuc præexiſtentiam connotare, quam & ſi de Ioanne prædicent, & aſtruant Nouatores, vt alibi ſuper Matthæum diximus, negamus nos, & damnamus. Tantum enim Chriſti baptiſma permanet, cui ceſſit ablutio illa, ſicut & Ioannes Chriſto; is crenit cum vero baptiſmate, perfuncto Ioannis miniſterio, quod ſibi altiſsimns demandarat. Hinc idem dicebat, illum oportet creſcere, me autem minui. Et de tenuitate ſui baptiſmatis adiecit. Ego quidem aqua baptizo vos, veniet autem fortior me, cuins non ſum dignus ſoluere corrigiam calciamentorum eius, ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto, & igne; ac ſi diceree: meum baptiſma, vt aqua dilabitur, Chriſti autem, quem vos quæritis, non diſſoluitur, quòd in ſpiritu, qui viuificat, rectificat, confirmatque, nat. Conſonat his Chriſtus; Ioannes quidem baptizauit aqua, vos antem baptizabimini Spiritu ſancto: Vnde qui in actis baptizati erant Ioannis baptiſmo (ſcribit Orig. in Ioann. tom. 8.) & neque an ſi Spiritus ſanctus eſſet, audierant, denuò ab Apoſtolo baptizabantur; qnia regeneratio non apud Ioannem, ſed apud Ieſum per Apoltolos ſuos fieret cum renouatione ſpiritus. Et Hieronym. in 2. cap. Ioel, qui Ioannis baptiſmum acceperant, quia Spiritum ſanctum neſciebane, iterum baptizabantur, ne quis putaret gentibus, ac Iudæis, aquam, ſine Spiritu ſancto ad ſalutem poſſe ſufficere. Scio iſta à Centuriatoribus acriter oppugnari; memini tamen (prout opus patitur) apud Matth. reſpondiſſe. *Fuit*, ergo non erat Ioannes in deſerto baptizans. Cuius facto (amabò) erudiamur non ſolum alios, ſed & nos, in deſerto exiſtentes baptizare: Eſt autem ſe, atque alios baptizans in deſerto, qui intra cubiculum receptus, quaſi profectus ad deſertum, lachrymis, orationibus, ſuſpirijs, ac gemitibus poſtulat, & precatur ablui à malitia cor, mentem à nequitia expurgari, & ab omni iniquitate emundari, vt ille qui dixit: Aſperges me Domine hyſopo, & mundabor, lauabis me, & ſuper niuem dealbabor; Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam, & exultabunt oſſa humiliata. Sic enim, & vitis abundans poſt multam, quam putata lachrymam emittit, exultare videtur propagines extendens, & botros multiplicatos de ſe ipſa proferens: Quoniam ſit tamquam lignnm quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, vel ſicut

Niceph. — *Euthym.* — Baptiſma Ioannis ceſſit baptiſmo Chriſti. — *Ioann. 3. Luc. 3.* — *Act. 1.* — *Orig. in Ioann. 8.* — *Act. 19.* — *Hier. in 2. cap. Ioel.* — Pœnitens. — *Pſal. 50.* — Similitudo accomoda. — *Pſal. 1.* — *Cant. 4.*

greges tonſarum, quæ aſcenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & ſterilis non eſt inter eas. Nam qui primo ſterilis erat, vt ſycomorus, fit optimi fructus parens; & qui maculoſus, vt pardus, ac varius, mutatur in virum alterum, qui neque maculam deinceps admittat, neque rugam, ſed pulchrior luna, electior ſole, & elegantior omni decore corporeo apud Deum videatur. Nec ipſe ſolum, ſed extremum, ſæpè mundum efficit, & purgatum, cum pro ſalute eius, ſeipſum agonizat, lachrimis irrigat, & diffundit ſuper eum ſalutiferas præcationes. Quod, quia debitum eſt, precor, ſit quiſquam in deſerto baptizans, nunc ſe, nunc alium, quem denigratum vitijs nouerit. Hæc eſt fraternitatis charitas, cuius nou aduri flammis, ſignum eſt noſtræ immunditiæ, & negligentiæ, quod, inquam, baptizans non ſit in deſerto, hoc eſt, nacto tempore ſe totum orationibus, atque vigilijs, dare; vſque dum remiſsionem peccatorum conſequatur.

Et prædicans baptiſmum pœnitentiæ. prędicabat enim Ioannes baptiſmum pænitentiæ; hoc eſt, ſolam illam pænitentiam, quam
Act. 1. nos dicimus baptiſmum flaminis, de qua
Ioh. 2. Chiſtus ad diſcipulos: Baptizabimini Spiritu ſancto, non poſt multos hos dies. & per vatem: Effundam de ſpiritu meo ſuper
Bapt. Flami- omnem carnem. Flamma enim ſpiritus, quæ pœnitenti contrito datur, baptizat, & mundat animum ab omni inquinamento malitiæ, & nequitiæ, renouat aquilæ noſtræ iuuentutem, & purgat filios Leui ſuper aurum, & argentum, vt ſint mundi coram Domino, & miniſtrent ſacrificium laudis. Hoc eſt cõdignam pœnitentiam, ac dignos pœnitentiæ fructus perficiant, quibus de-
Pſal. 49. lectatur Deus, & honoratur. Dixit enim Sacrificium laudis honorificabit me: vel, זבח תודה יכבדנני Sacrificans confeſsionem honorificabit me; iuxtà Pagnini translationem, vel ſecundum eam, quæ fertur Hieronymi. Qui immolat confeſsionem glorificat me. Hoc eſt, qui animi delicta, & ignorantias, atque errores, quibus auertit ſeipſum à Deo, lacrymis, dolore, compunctione, & triſtitia, atque timore conterit, damnat, deteſtatur, & abhorret, ſeque totum Deo humiliat, ab eo veniam precatur, eumque prædicat redemptorem, & glorificatorem, dignum cui ſoli ſeruiant creata, quem reuereantur, & adorent, & in quem omnem ſolicitudinem proijciant, atque ſpem. Is immolans, & ſacrificans interiora ſua, confeſsionem facit Deo acceptam; quoniam abijcit veterem hominem, & nouum induere conatur. Vnde Paraphraſtes Kaldeus vertit; qui mactauerit fomitem prauum, & compreſſerit illum velut oblatio confeſsionis imputabitur ei, & honoranti me. Quinimo hæc eſt prima, & vera oblatio, ac ratio honoris debiti, quem Deo creatura exhibet. Namque Deus in omnibus primò oculos ad cor dirigit; quod ſi purum extiterit, munus reputat, quaſi ab Abel. Et ſi dixerit: Confitebor aduerſum me iuſtitiam meam, ſtatim omnia peccata remittit quia: Cor contritum, & humiliatum haud deſpicit. Hanc ergo confeſsionem ſiue, vt noſtri vocant Pſal. 31. 50.
contritionem, Ioannes prædicabat ſub nomine baptiſmi pœnitentiæ; baptizat enim, hoc eſt ſordes animi abluit pænitentia, cuius potiſsima pars eſt contritio, quæ inter iuſtitiæ virtutes, eam reponit. Itaque baptizat Ioannes baptiſmo aquę, & prædicat baptiſmum pœnitentiæ, hoc eſt virtutem pœnitentiæ, quæ alluuione ſpiritus mundata, & inflammata, cælitus baptizat interiorem hominem, atque renouat. Hinc Hieronymus in Marc. quod conſu- Hieron. ſ. Marc.
matur per ſponſum, initiatur per paranymphum. Vnde Cathæcumeni, hoc eſt, inſtructi, incipiunt per Sacerdotem, & chriſmantur per Epiſcopum. Hinc autem per amicum ſponſi, inducitur ſponſa, ac ſi per Iſaac puerum Rebecca pallio velata albo conducitur. Nam ſicut aquæ baptiſmo, ad baptiſmum ſpiritus, ita virtute pœnitentiæ ad Sacramentum, quæ Chriſto inſtituenda ſeruabantur, gentem diſpoſuit. Gen. 24.

In remiſſionem peccatorum. Poſſunt verba iſta tùm ad baptiſmum, quem conferebat, tùm ad baptiſmum pœnitentiæ, quem prædicabat, referri. Vnde notat Lyra, hanc dupliciter exponi ſententiam. Vno modo de baptiſmo Chriſti, virtute cuius dimit- Nic. de Ly. in Marc.
tuntur peccata. Et quia talem baptiſmum Ioannes dare nou poterat, ideo ipſum prædicabat dandum per Chriſtum in proximo Varia expoſitio.
venturum; & ſecundum hoc, baptizans refertur ad baptiſmum Ioann. & quod ſequitur; *prædicans baptiſmum, &c.* ad baptiſmum Chriſti futurum. Alio modo exponitur de baptiſmo Ioann. & ſic baptizans, & prædicans referuntur ad prædicationem Ioann. & baptiſmum eius, quia licet baptiſmo Ioann. non dimitterentur peccata, tamen ſuſceptio illius baptiſmi erat quædam proteſtatio agendi veram pęnitentiam de peccato, per quam dimittũtur peccata. Dicimus ergo (ſcribit Theophilactus, quod prædicarit baptiſmum pœnitentiæ, hoc eſt, quod prædicauit, quo ferret baptiſmus pœ- Theophil.
nitentiæ, nempe in remiſsionem peccatorum, vt quando dicimus, venit quidam ſatelles Regis prædicans ciborũ præparationẽ, vt benè fiat his, qui præparant cibos regios; nõ dicimus quod ſatelles benefacturus ſit his, qui præparant cibos regios, ſed quod ipſe prædicarit præparationem ciborum, vt qui illos præpararint, Regemque

ſuſce-

ſuſceperint, beneficia conſequantur. Sic igitur, & hoc loco præcurſor prædicauit pœnitentiam, vt hi qui pœnitentiam egerint, ſuſcepto Chriſto, remiſſionem peccatorum conſequantur. Alludit itaq. Theophilactus ad priorem ſententiam, quam Lyra prænotauit. Poſteriorem verò videtur Euthymius ſeqni, cum ait. Præcipiens enim vt ipſos pæniteret, baptizabat eos, qui reſipiſcebant, & paulo poſt. Sed iam videamus quid Euangeliſta dicat: *Fuit* (inquit) *Ioannes baptizans in deſerto, & prædicãs baptiſmum pœnitẽtiæ in remiſſionem peccatorum*; non dixit pœnitentię, & remiſſionis peccatorum, ne putes illud baptiſma remiſſionem quoque tribuiſſe, ſed addidit in remiſſionem peccatorum, hoc eſt propter remiſſionem: Nam prædicabat pœnitentiam cauſa remiſſionis, vt per pœnit entiã de peccatis redarguti, ac compuncti, enm feruenter quærerent, qui tollit peccata mundi, quo apparente percurrerent, ac peccatorum remiſſionem ab eo acciperent. Ad hæc dicito pœnitentię virtutem, ab initio mundi peccata, virtute Chriſti remiſiſſe. Quare etiam nulla Chriſti mentione facta, prędicans pœuitentiam in remiſſionem peccatorum, ad Chriſtum tacitè accedentes remittebat, vt qui redemptor, valens ſolus peccata remittere, vel ſe ipſo, & cum Magdalenã miſit liberam, vel per ſacramẽta vt in ſtatu Euangelico, vel media pœnitentiæ virtute, vt in prioribus naturæ, ac legis ſtatibus. Quibus pœnitentiæ virtus concedebatur, qua malè acta purgarent, & redirent in amicitiam Dei, quem offenderant. Quare poſteriorem ipſe ſententiam magis probo: quod S. Ioannes baptizauerit baptiſmo aquæ, *et prædicarit baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum*, hoc eſt populum ad pœnitentię virtutem adhortatus ſit in remiſſionem peccatorũ à quibns liberi, fierent capaciores ad ea, quæ de Chriſto annuntiabantur, & neque impediti cæcitate, ac malitia facilius in Chriſtum crederent. Peccata enim maiores obuelarunt, ne Chriſtum agnoſcerent plenè, neque (vt par erat) renererentur. Ac nos quid detinet qnominus ad Deum cnrramns? Profecto peccantem virum iniquum inuoluet laqueus, vt irretita auicula, ne dicam aquila, volare nequeat ad Denm, qui fecit illum; ſed hæreat quercui præſtolans mortem. Nam, dixit inſipiens in corde ſno non eſt Deus ſed quid? aurum, & argentum dixit auarus; & laſciuus, caro & ſanguis, & qnod oblectat, Deus eſt. Hæc profitentur opere, qui impiè agunt, & derelinquerunt Dominũ, vt ſibi ciſternas veteres fodiant, quapropter inſipiens ac ſtultns, vti vox hebræa, נבל nabal ſonat. Et quidem ſtultiſſimus virorum. Ergo ne curſum retardemus, neue percamus, clamet quiſque: Illumina oculos meos ne vnquam obdormiam in morte; Ne quando dicat inimicus meus præualui aduerſus eum, vel (vt habet Targum Ionathæ) Illumina oculos meos in lege tua, ne fortè peccem, & dormiam cum his, qui rei ſunt mortis. Ne dicat inimicus meus malus dominatus ſum ei. Et tu ſpeculator, qui Ioannem agis è ſuggeſto prædica baptiſmum pœnitentiæ in remiſsionem peccatorũ, adhortare homines ad pœnitentiæ virtutẽ, deinde ad Sacramentum, & conare (vt alter Ioannes) factis, & dictis Deo reconciliari, & Chriſto ſubijci. Hoc Ioannes, qui & gratia Dei interpretatur, conatus eſt; & hoc iugiter facies tu prædicator Euangelij, ſi quæ gratia penes te regnat. Charitas enim non eſt otioſa, nec quærit, quæ ſua ſunt, ſed quæ Chriſti, & ad Chriſtum per pœnitentiam optat omnes reduci.

Theophil. *Lyr.* *Euthym.* — Ioannes non remittebat peccata. — Varij modi quibus Chriſtus dimittit peccata. — Conſtitutionis efficacia. — *Prou.* 29. — *Pſal.* 52. — *Hier.* 2. — Exhortatur ad pœnitentiam. — *Pſal.* 12. — 1. *Cor.* 13.

CAPVT QVINTVM.

Et egrediebatur ad eum omnis Iudea Regio, Ieroſolymitæ & vniuerſi: & baptizantur ab illo in Iordanis flumine confitentes peccata ſua.

HEm ſolitarij vim, ac vocis, quam per os ſancti Deus eructat. Non vnũ aut alterum prouocat, ſed totam regionem (inſtar tonitrui) concitat, & commouet Ieroſolymitas, vt vale facto vrbanis delicijs, incomtemptum eremitam quærant, attentius ſolitarium audiant, & gaudeant ſub eius magiſterio eſſe, quodque mirabilius, ſpoliari veſtibus ſtudent, vt à Ioanne baptizentur, neque verecundantur peccata ſua publicè confiteri, ſi quomodo hominis ſanctimoniam attingant, neque pereant, ſed cum tanto magiſtro ſaluentur. Quare à Ioanne oraculum auſpicari: Dominus dabit verbum euangelizantibus, virtute multa, nemo dubitat.

Et egrediebatur ad eum omnis Iudea Regio. Eſt hyperbolica loquutio (ait Lyra) ſicut in communi modo loquendi dicitur de aliquo ſpectaculo: Tota Ciuitas vadit ad tale ſpectaculum, licet aliquando maior pars popnli non vadat. Quam loqnendi phraſim ſæpè in oraculis licet inuenire; vt, omnes declinauerunt, & omnia traham ad me ipſum. Non enim omnes traxit, ſed meliores; neque omnes declinarunt, ſed infirmiores; quoties ergo vel præſtantiores conueniunt, vel infirmorum, & populi numerus propè infinitus aliquid operantur, omnibus tribui opus poteſt.

Expoſitio. — *Pſal.* 67. — *Lyr.* — *Pſal.* 13. — *Ioann.* 12.

Egrediebatur autem ad eum omnis Iudæa, Ait Ganneius, in figuram totius orbis concurſus fit ad Chriſtum, mediante baptiſmo, & pœnitentia, iuxtà illud: Et fluent ad eum omnes gentes, & venient populi multi. Exprimitur, *Iudæa regio*, vt à nominis interpretatione colligamus eos, qui ad Chriſtum concurrent, fore, inquam, credentes ex omni regione, quæ ſub cælo eſt. Iudæa enim confeſſio interpretatur, vnde & qui confitetur Deum, ad Chriſtum exit. Quod item dicantur ad Ioannem exire, finis prænotatur concurſus, quo ad Chriſtum trahimur, eſſe, habere gratiam. Eſt enim Ioannes gratia Dei: Gratia autem, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt, & accedenti in fide viua communicatur. Eſt enim lux vera, quæ illuminat omnem hominem, qui de hoc mundo non eſt; ſed venientem in hunc mundum, quærit authori mundi huius complacere, & ad eum tranſire.

Ganneius. *Iſa. 2.* *Ioann. 1.*

Et Ieroſolymitæ vniuerſi. Horum ad Ioannem egreſſus hominem commendat, qui non ſolum communes homines potuit ſua prædicatione excitare; verum etiam ſapientes, & illius ciuitatis incolas, qui morum grauitate, ſanctitudine, & prudentia cæteros præcellebant. Qui ergo Ieroſolymitis fuit ſtupori, qui facile omnem regionem potuit ad ſe conuocare? etenim vox Domini, quæ in Ioanne intonuit, & ponitur in ore Ieremiæ, aut alterius nuncij, eſt in virtute, & magnificentia, vt mutam faciat ſapientiam mundi huius, & ad auditum eius, omnes ſilere. Siquidem ſola hæc eſt vox auditionis, quam audire liceat, & cui neceſſe eſt, omnes obtemperare. Vnde & iuxtà Hebraicam veritatem קֹל שמועה col ſcemunghah interpretatur, vox obtemperationis. Verbum enim שמע parere, & obtemperare ſignificat, vt apud Geneſim; & vocabis nomen eius Iſmael, eo quod audierit dominus afflictionem tuam, hoc eſt morem geſſerit voci tuæ, quã afflicta protuliſti. Pro audierit, eſt ibi idem verbum שמע Samangh. Audit, antè Deus verbum ſuum, quod per os noſtrũ producit, & facit illud, vt ad vocẽ eius, quam per ſanctos Dei homines loquitur, ſciant omnia ſubijci, etiam feras, & muta elementa, ac cælum, quod & ſtetit ad vocem Ioſue, & quæ ſub cælo ſunt, obtemperant: ſolus homo, qui natus eſt vocem Domini audire, obturat aures, nè audiat, & cor aggrauat, nè voci loquentis in nomine Domini obſequatur. Væh autem ei, qui cum Ieroſolymitis non exit ad audiendum Ioannem. Erit enim cum his, qui bella volunt; Siquidem Ieroſolymita, qui & pacificus interpretatur: Audiam (inquit) quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem ſuam, & in eos, qui conuertuntur ad cor.

Ier. 1. *Pſal. 28.* *1. Cor. 1.* *Ier. 10.* *Gen. 16.* Solus homo voci Dei inobediens. *Ioſue 10.* *Pſal. 84.*

Et baptizabantur ab illo in Iordanis flumine. In aliquibus manuſcriptis codicibus legitur; *baptizabantur omnes*, & in alijs pro *Iordanis* ſcribitur (*Iordane*) quibus conſonat exemplar Græcũ καὶ ἐβαπτίζοντο πάντες ἐν τῷ Ἰορδάνῃ ποταμῷ quem locum Pagninus (iuxtà prænotatas lectiones) vertit. *Et baptizabantur omnes in Iordane flumine*. Signum, *omnes*, commendat opus Ioannis, & authoritatem, quæ tanta apud omnes erat, vt non ſolum audirent loquentem; ſed libenter iuſſis cuncti obtemperarent: Ablatiuum illud, *in Iordane flumine*; deſignat non vnam, aut alteram fluminis partem, ſed totum Iordanem, deſeruire cuique baptizando, vt in quo per aduentum Chriſti, materia baptiſmatis conſecranda erat, præſignaretur totius Chriſti baptiſmatis conditio. Hoc enim non per partes, ſed totum confertur, baptizando, vt non in Iordanis flumine; ſed *in Iordane flumine*, hoc eſt in integra ablutione, quam pro omnibus Chriſtus inſtituit, vnuſquiſq. baptizantium ſaluetur. Etiam & omnis effectus, qui ad perfectionem ſpiritualem requiritur, elargitur; abluitur enim homo ab omnis ſorde peccati, & donatur gratia, virtute, & Spiritus ſancti donis; ſiquidem conſepelitur morti Chriſti, quod eſt meritum paſſionis Chriſti pleniſſimè recipere hac Sacramentorum ianua. Iuxtà vulgaram lectionem, non minora valemus miſteria contemplari. Nam quod tantum legat *baptizabantur*; ſubindicat non omnes baptizatos, vti alibi deduximus, ex interrogatione Chriſti ad primores Synagogæ: Ioannis baptiſmus vnde eſt? in eo quod ſubijcit *in Iordanis flumine*, origo valoris veri baptiſmatis, vtpotè Chriſti, prænotatur: Iordanis enim nomine, ſecundum Orig. hom. 21. in Lucam, Bern. ſerm. 3. reſur. Chriſtus deſignatur, in cuius *flumine*, ſcilicet morte, & paſſione baptiſmus abluit animum, dealbat, atque purificat. Quod verò in Iordane baptizet, mirabiles baptizati conditiones videtur deſcribere. Interpretatur enim *Iordanis*, deſcenſio, demonſtratio, fluuiuſque iudicij; qui vero baptiſmum Chriſti ſuſcipit, deſcendit quidem corpore ad aquam, ſpiritu, à ſtatu animalis, & primi Adam; & induit nouum hominem. Fit & baptizato demonſtratio, & donatio cæleſtium per fidem, quæ ſuper infunditur, ac cætera chariſmata ſpiritus; intrat iudicij flumen, quod inter iudicandos baptizatos enumeret. Nam qui non credit, iam iudicatus eſt. Irrigat Iordanis terram Sodomorum, eſtq. introitus ad terram promiſſionis. Baptiſmo pariter ad Eccleſiam intromittimur, quo non ſolum Sodomitæ, immo etiam grauiſſimi quique peccatores abluuntur, vti Orig. hom. 1. in Ioſue, & in Luc. 33. diſſerit, & Tertullianus aduerſus

Pagninus. *Matth. 21.* *Orig. hom. 21. in Lucã Bern. ſerm. 3. reſurr.* *Ioann. 3.* *Orig. hom. 1. in Ioſue & in Luc. 33. Tertullian. aduerſus Marc.*

aduerſus Marc. atque alij.

Confitentes peccata ſua. Quid hac confeſſione intelligendnm venit, diximns in Matth. enarratione; vbi & Hæreticornm fallacias, inde petitas denudauimus, & noſtrorum placita, quæ animum ædificant. Hic tantum annotato hac peccatorum confeſſione, ſiue publica, ſiue priuata, vſos eſſe olim Iudæos, iuxtà quæ apud Leuit. 5. & 16. ac Numer. 5. legimns. Quam & eorum doctor ſuaſit, dicens: Non confundaris confiteri peccata tua, & ne te ſubiicias omni homini pro peccato. Fuiſſe autem à ſacramẽtali, quam nobis Chriſtus inſtituit, dedit, & præcepit, diſtinctam abſque dubio credimus. Vtcunque, iſta peccatorum confeſſio, quæ præcedebat Ioannis baptiſmum, prænotat virtutem pænitentiæ, quam ab adultis præexigimns in baptiſmate. Vnde gloſſa interlinearis ſuper *confitentes*, gloſſat; aliter non valet baptiſmus; videlicet Chriſti, cuius Symbolum in Ioanne præceſſit. Debent igitur, ait ex Beda gloſſa ordinaria, melioris vitæ nouitatem promittere, qui baptiſmum deſiderant accipere. Vnde prædicante Paulo, dicitur; Multi veniebant confitentes, & annuntiantes actus ſuos. Et Petro dicitur Macta, & manduca; qnaſi dicat; occide mala, quæ in eis erant, & ſic mundatos, Chriſtianam Religionẽ promittentes in Eccleſiæ membra commuta. Sed & Petrus dixit; Pænitemini, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum. Oportet itaque diſplicentiam prioris vitæ habere, qui nouam vult inchoare.

Leuit. 5. & 16. Num 5. Eccl. 5.

Illa confeſſion non fuit ſacramentalis.

Gloſſ. ord. ex Bed.

Act 19.

Act. 10.

Act. 12.

CAPVT SEXTVM.

Et erat Ioannes veſtitus pilis Cameli, & Zona pellicea circa lumbos eius, & locuſtas, & mel ſylueſtre edebat.

Expoſitio.

DEſcribitur Ioannis victus, atque veſtitus, vt à vitæ auſteritate commendatus, commendentur quæ egit, ac dixit. Ea enim homines (quibus tantum ex externis licet iudicium de alijs facere) probare tenebantnr, viſis externis quæ hominem videbantur irrepræhenſibilẽ reddere.

Et erat Ioannes veſtitus pilis Cameli, Quod ad Ioannem attinet, habes apud Matthæum. Ex his tamen circa noſtra philoſophemur; ſiquidem tantum à Ioannis auſteritate diſtant noſtrorum veſtitus, vt videamur Ioanni omnem auſteritatem renunciaſſe. Nam & Religioſi aliqui, qui monaſticæ vitæ authorem habere Ioannem gloriantur, & mortificationem Chriſti in ſuo corpore gerere, ſtudium in politura veſtitus, & oblectamento totum videntur impendere, ac ſæpius mihi ſæcularibus, etiam fæminis laſciuis, curioſiores (ne dicam) immodeſtiores, vt non panno, ſed colore, nec panni ſimplicitate, ſed forma habitus, cuins profeſſionis ſint, agnoſces. Cum tamen à priſcis temporibus, ait Synodus. cap 16. omnis ſacratus vir cum mediocri, & vili veſte conuerſabatur; omne quippe quod non propter neceſſitatem ſuam, ſed propter venuſtatem accipitur, elationis habet calnmniam, quemadmodum magnus habet Baſilius. Sed neque ex ſericis texturis veſtem quis variatam induebat, neque apponebat variorum colorum ornamenta in ſummitate veſtimentorum. Audierant enim ex deiſona lingua: Quia, qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt. Igitur (paulo ſuperius ſcribitur) ſi inuenti fuerint deridentes eos, qui vilibus, & religioſis veſtibus amicti ſunt, per epitimium corrigantur. Contra eos, qui indecenti veſtitu vtuntur, in 6. Syno. cap. 27. dicitur. Si quis tale quid fecerit, per vnam hebdomadam ſuſpendatur. Et in Synodo Rom. cap. 3. quod ſi temerè præſumpſerit contra ſtatuta agere, communione priuetur, donec quæ ſtatuta ſunt, adimplere maturet. Loquitur de indumento decenti, quod tàm domi, quàm foris ſacerdotem decet, & ſacratum Deo! Quare ait Innocentins in 2. Lateran. Concil. & Eugenius 3. in Romano. Præcipimus, vt tàm Epiſcopi, quàm Clerici in ſtatu mentis, in habitu corporis, Deo, & hominibus placere ſtudeant, & nec in ſuperfluitate, ſciſſura, aut colore veſtium, nec in tonſura intuentium (quorum forma & exemplum eſſe debent) offendant aſpectum, ſed potius, quod eorum deceat ſanctitatem, præſeferant; quod ſi moniti ab Epiſcopis emẽdare noluerint, Eccleſiaſticis careant beneficijs. Si nunc hæc conſtitutio obſeruaretur, magnus eorum numerus, qni in clauſtro, ac clero regunt, iàm iàm deponerentur. Aduertant nihilominus precor, quantum à maioribus, & à cleri diſciplina aberrent. Quid ſuper veſtimento Ioannis hæretici ſomniarint, ex dictis ſuper Matthæo venare. Quibus adde quæ Euthymius ſcribit in Marcum. Induebatur (inquit) pilis Cameli, non ſimpliciter incompoſitis, ſed contextis, dixit enim Matthæus, quod habebat veſtimentnm ſuum de pilis Camelorum; iſta tamen textura non vuandalatam, qua olim Reges, moxque nobiles vtnntur, componebat, vt Cythræus hæreticus finxit, ſed aſperrimũ veſtimenti genus, quemadmodum Saluator inſinuat, cum indumenti mollitiem in Ioanne minimè inuentam teſtatur: Nec non Patres, qni ab aſperrimis veſtibus laudant Ioannem. Rigida veſtis (inquit Bernard. ſerm. de priuil. S. Ioannis Baptiſtæ) & duriſſimis hiſpiditatibus contexta rigore ſquallifero corpus affligit Patriarchæ, carnemq. tenerrimam

Reprahẽditur curioſitas habitus, & veſtitus in religioſis.

21. q. 4.

Matth. 11.

Epitimium eſt ſuſpenſio per vnam hebdomadã.

6. Synod. c. 27.

Synod. Rom. cap. 3.

Innocen. in 2. Later.

Eugenius in Romano.

Euthymius in Marc.

Matth. 3.

Varro. lib. 1. de vit. populi Rom.

Matth. 11.

Bernar ſer. 10 priuileg. Ioan. Bapt.

immatura

immatura diſtrictio diſciplinę feritate coarctat. Inde Anſelmus in cap. 3. Matth. quod verbo prædicabat, exemplo oſteudebat; gerebar enim habitum pœnitentiæ, dum cilicio camelino indutus eſſet. Tali (ſubdit Chryſologus ſer. 148.) pœnitētiæ magiſter indui debet veſtimento. Vt qui alij durus erat (inquit Gregor. lib. 4. expoſi. in 1. Reg.) ſibi remiſſus non erar; quemadmodum illi, de quibus dicitur: Imponunt onera importabilia in humeris hominum; digito autem ſuo nolunt ea mouere. Potiſſimum crediderim veſtitu cameli præſignaſſe Chriſtum, quem digito demonſtrauit. Eſt enim camelus ſecundum Aug. lib. 1. q. in Euang. 35. & Eucherium form. ſpir. 5. qui mera peccata, & infirmitares omnium vſque ad crucem tulit. Quem qui in ſuſtinendis aduerſis fuerit imitatus, & his, quæ ſtatus ratio cuique iudicit, non ſolum veſtietur camelum, ſed dicetur (inquit Gregor. lib. 1. mor. cap. 28. & lib. 2. mor. cap. 35.) quod onera, quibus ſe Chriſtus, & ſanctorum Patrum antiquitas voluntariè, & patienter ſe ſubijcere non recuſarunt, immo verò gaudentes dixere: Sit nomen Domini benedictum.

Anſel. — *Chryſol. ſer. 148.* — *Greg. lib. 4. in 1. Reg.* — *Matth. 23.* — Quid deſignauit veſtis Ioan. — *Aug. lib. 9. in Euang. 31.* — *Iob 1.*

Et zona pellicea circa lumbos ſuos. Cuius autem animalis eſſet non memoratur, quod mortificationem circa corpus ferendam ſignaret; quæ autem in corpore occurrerant mortificanda quis dinumerabit, ac proprijs appellationibus exponet? Lumbi mei impleti ſunt illuſionibus, hoc eſt ilia coniuncta renibus id quidem ſonat dictio Hebræa כסלים cheſalim. Ilia autem, quæ illuſionibus, ſiue ignominijs (vti vertit Hieronymus) נקלה nichele replentur, ſunt ſenſus internus, atque externus, qui iugiter muſca innumerabili, & importuna agitatur, & fœdatur, vt vix qui Sanctus eſt, ſatis tutè officium ſuum faciat. Vbique enim aggrediuntur eum latrunculi ſyriæ, qui verò de proprijs laribus contra eum inſurgunt, terræ latitudinem implent. Vndè & ſi dicat: Inuenio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ: vel 1 Omne quod eſt in mundo, aut concupiſcentia oculorum eſt, aut concupiſcentia carnis, aut ſuperbia vitæ, aut demum 1 Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum; aut certè cum Apoſtolo: Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus principes, & poteſtates tenebrarum: ſicut neque hos principes dinumerare valet; ita neque illuſiones varias, quibus caro hominem impetit, lex membrorum aduerſatur eidem, aut concupiſcētia illudit, vnquam in numerum certum rediget. Quare neque pellem ſiue tegumen, quo illuſioni occurramus determinatum cuique tentationi nominabit quis. In genere dicemus Chriſtum, fidem, & ſimilia, ſub quibus, quæ continentur, tunc ſcimus, cum reſiſtimus, ac ſæpius, non antea quam vicerimus. Cumque hoſtis inſolitis, ac nouis vtatur fallacijs, continuò alia, atque alia arma miniſtrātur diuinitùs ne ſuccumbamus.

Pſal. 37. — Cōcupiſcētiæ. — *4. Reg. 24.* — *Rom. 7.* — *1. Ioan. 2.* — *Galat. 5.* — *Epheſ. 6.*

Fateor vnius animalis pelle confectam zonam Ioanni, ideſt iuſto tribui, vt olim primis parentibus tunicæ, videlicet meritum vnius Chriſti, quo & in fide reſiſtimus diabolo, & in caſtitate vincimus luxuriam, & in qualibet alia virtute, oppoſitum vitium propulſamus. Non tamen exprimitur animal, vel quòd Chriſtus, in quo ſunt condita vniuerſa; incomprehenſibilis ſit; vel quòd ſubintelligatur in cingulo ipſo, ac zona iuſtitiæ. Quoniam non eſt aliud nomen ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri; ſecundum Hieronym. pilis cameli diuites gentium ſignificantur, & zona pellicea, pauperes mundo mortui; ſecundum Theophylactum, mortificationem Iudaici populi. Etiam ſecundum Origen. hom. 9. in Leuiticum, mortificatam in Ioanne concupiſcentiam deſignabat. Quod inquit Ieremias zonam, Ioannes pelliceam zonam circa lumbos habuiſſe dicitur, indicatur pars illa corporis apud huiuſmodi viros ita mortua, vt neque leuis motus, neque alius quiſquam in lumbis eorum fuiſſe crederetur, ſed ſola caſtitas, & pura pudicitia.

Gen. 3. — *Act. 4.* — *Hieron.* — *Theophyl.* — *Origen.*

Et locuſtas, & mel ſilueſtre edebat. Quid de his hæretici, quidue patres proferant, narrationem ſuper Matthæum conſulito. At eſca Ioannis (ſcribit Theophylactus) non ſolum abſtinentiam norat, ſed etiam eſt indicatiuum intelligibilis eſcæ, qua tunc populus veſcebatur, non quid altum intelligens, ſed tamen in alta ſaliens, iterumque ſe deprimens. Talis enim eſt locuſta in altum ſaliens, & iterum cadens. Sic igitur, & melle veſcebatur populus, quod erar ex apibus natum, ſcilicet ex Prophetis, non tamen cultum, ſed ſylueſtre. Habebant enim Scripturas Hebræi, ſicut mel quoddam, ſed non benè intelligebant; ſecundum Bedam, quem gloſ. ordin. citat. etiam locuſtas, & mel ſylueſtre edebat Ioannes; quod dulce quiddam turbis ſaperet prædicatio eius; adeo vt Chriſtum opinaretur, ſed citò hæc opinio decidit, quia eum non Chriſtum, ſed Chriſti præcurſorem eſſe innotuit. Vnde & ſecundum Gregor. 31. cap. 19. & Hilar. 5. Matth. can. 2. ipſa ciborum ſpecie deſignauit Dominum, quem præuenit, quia infructuoſæ gentilitatis dulcedinem ſumpſit, mel ſylueſtre edit; quia verò Iudæorum plebem in ſuo corpore in partem conuertit, in cibo locuſtas accepit, quæ ſubitò ſaltus dantes, protinus ad terram cadunt: Saltus enim Iudæi dabant, cum præcepta Domini, ſe implere promitterent, ſed ad terram cadebant, cum per praua opera, hoc ſe audiſſe, denegarent.

Theophil. — Quid mel ſignificet? qd vè locuſtæ. — *Greg.* — *Hilar.*

Habe-

Habebant ſaltum per vocem, & caſum per
actionem; omnes denique habitatores ter-
Iſai.40. ræ, quaſi locuſtæ ſunt. Iuxtà Iſaiæ vatici-
Nahum. 3. nium,& Nahum;qui non tàm paruulos, ſed
& cuſtodes,hoc eſt maiores, & minores ſi-
mili dat nomine,qnod imbecilles ſint; om-
Rupertus. nes (notat Rupertus Abbas 5. Nan. 3.) ſi
Iſai.40. ad Deum referantur (dicente altero Pro-
pheta) omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt
coram eo,& quaſi nihilum,& inane reputa-
tæ ſunt ei. Igitur locuſtas comedens,Chri-
ſti Symbolum Ioannes, conuerſionem om-
nium gentium ad Chriſtum præſignauit.

CAPVT SEPTIMVM.

Et prædicabat dicens: Venit fortior me post me, cuius non ſum dignus procumbens ſoluere corrigiam calceamentorum eius.

Expoſitio. OPtimæ vitæ inſtitutum præmiſit Euan-
geliſta,vt dignum huiuſmodi legatio-
ne præconem habuiſſe monſtraret. Dece-
bat enim fortem moribus annunciare om-
ni ex parte fortiſsimum: cuius laudem
paucis verbis, ſed grauiſſimis proſequitur.
Quarum intelligentia eundem Ioannem
præoptat, aut ſpiritum eius, qui Ioannem
Pſal.50. docuit: Hoc ergò ſpiritu principali con-
firma me Deus, vt enarrem mirabilia tua,
quæ à longe in Ioannis ſententia ſubol-
facio.

Et prædicabat dicens: Sunt iſta Euange-
liſtæ verba, quibus ſequentium energiam
delineat. Non enim(ait)prædicabat, venit,
&c. vti ſolitum eſt,& ſimplex locutio vide-
batur poſtulare; ſed inquit,prædicabat di-
cens,quaſi non communem, & vulgarem,
immò verò maximam explicaturus foret
narrationem, quæ non tàm admirationem,
quàm gaudium orbi toti ferret; ſiquidem
iſta verborum repititio, vt reſpondit di-
cens: loqutus eſt ad eos dicens: orabat di-
cens: & ſimilis cuius vna,ant altera voce
poterat intentio animi explicari, myſteriū
dicendorum quaſi futuræ orationis exor-
dium præſagit,qua mens ſubleuatur,& ani-
mus; vt aures erigat auditor ad ea, quæ
paulò poſt proponentur. Igitur narratio-
nem auſcultemus.

Venit fortior me. ſtylum orationis ac-
commodat Ioannes auditori, vt olim Va-
tes,& Apoſtoli, qui ſublimia, quæ enarrari
vix poterant,nec homini loqui videbantur
licere ſermonibns imperitis, proponebant
hominibus, vt audita ſui eloquij phraſi at-
tenderent,& conarentùr enarrata penetra-
re. Solemus nos excellentias omnes,quo-
rumcunqne fuerint per comparationes re-
latinas explicare,vt hic eſt doctior illo,di-
uitijs magis Petrus abundat quā Ioannes.

Et quidem licet hiſce comparationibus,
inter creata, vti,cum nulla creatura aliam
in infinitum ſuperet,quin proportionem,
ſeu proportionalitatem admittat. Inter
Deum verò, & creaturam minimè locum
habet comparatio, neque proportio, quæ
eſt (inquit S.Thom. de verit.q.2.3.ad 18.) *S.Thom.*
ſecundum cōmenſurationem, ſcilicet eiuſ-
dem eſſe, nulla datur inter finitum, & infi-
nitum. Nam ſi comparatio, ſecundum
Ariſt.7.phyſ.tex.com.37. non accidit inter *Ariſt.*
ea,quæ ſunt diuerſorum generum, vt inter
album,& dulce, quomodo fiet inter Deum,
qui nullius eſt generis, ſed tranſcendit ge-
nera,& creaturā,conſtituitur? Nihilominus
Ioannes Deum fortiſſimum annuntiaturus,
ait: *venit fortior me.* Qui & ſi fortem profe-
rat ſeipsū,participatione tamē, non ſecun-
dum eſſe. Hoc enim eſt Dei,ac Chriſti,cui
cantatur: Dominus fortis, & potens: Rex *Pſal.23.*
fortis dominabitur eorum, & fortiſſimus. *Iſai.19.*
Dicitur autem Ioanne *fortior*, opere,
quod à creatura cernitur ſecundum autem
eſſe ſuum, fortiſſimns eſt, alterius compa-
rationem non admittens. Ioannis quidem
opera,quod ſcilicet vita excellat,ſanctimo-
nia ſit admirabilis, & prædicatione terror
cunctis,fortem arguunt hominem;at Chri-
ſtum fortiorem annuntiant opera, quæ ab
eo credimus emanaſſe. Eſt enim redem-
ptor,& conditor, qui vninerſa vſque modo
operatur. Poteſt quoque comparatiuum
fortior referri non ad omnem Chriſti for-
titudinem, ſed ad ſolum humanitatis, ro-
bur,& fortia, qnæ humanitati eius commu-
nicata ſunt. Quo modo non ſolum quan-
tum ad modum ſignificandi,& loquendi,ſed
re vera inter Ioannem, & Chriſtum valebit
comparatio; ſiquidem vterque fortis, vt-
potè habitus,idem genus participant.Sunt
enim omnia creata ſub genere qualitatis,
cui magis, vel minus ſuſcipere datum eſt.
Vtcunque, ſic Ioannes habitus,comparatus
cum his, quæ fides in Chriſto admittit, ſe
habet,vt ſcintilla ad ſphæram ignis;lux mi-
nimæ lucernæ, ad ſplendidiſſimum ſolem.
Namque Chriſtus eſt plenus gratia, & veri-
tate: Ioannes autem de plenitudine Chriſti *Ioan.1.*
accepit. Verùm ſi adeò fortis eſt Chriſtus, Fortitudo
vt ſecundum diuinitatem non admittat cō- Chriſti.
parationem alterius; neque ſecundum hu-
manitatem æqualem patiatur; quì venit?
Etenim motus imbecillitatem mouentis
arguit,quod immotus ſibi non ſufficiat,ne-
que alterius egeſtatem abſque motu valeat
reparare. Conuenit vtique hoc noſtræ con-
ditioni; Chriſtus autem neque venit,neque
mouetur, imbecillitate compulſus, ſed vt
amorem demonſtret amplius in eo, quàm
in reliquis lucere. Nam cum poſſet non
veniens, genus noſtrum reparare, venit vt
in terris videretur, conuerſanſque cnm ho-
minibus,eoſdem alliceret, & tanto ſpecta-
culo

Digitized by Google

ſtaculo ad amorem accenderet. Attamen veniens neque locum reliquit, cum cælum, & terram impleat, neque aliquid præſtitit noui, quod non aſſumpta humanitate non poſſet; quia nomen meum omnipotens. *Gen.17.* *Venit* ergò ſolum, vt quaſi venientis per aſſumptam humanitatem, mirabilia nobis communicaret. quid? quod ſeipſum donaret; vt homo venit propriè, ſeque ſæpius oſtendit ducem belli,& paſtorem,vt errantibus ferret opem,& defenderet pereuntes; imperfectionem tamen,neque inpotentiam motus huiuſmodi arguit, cum vnica oblatione, quam intra matris vterum obtulit, *Luc.2.* cuncta meruerit; meritum tamen volens communicare, venit naſciturus Bethleem; *Matt.2.* vnde ab Oriente vocauit iuſtos Magos. Auſtro dixit noli prohibere; inde venit ad Ægyptū, & ab vbere inter matris complexus, ſimulacra Ægypti contriuit; & Herodem diris vexauit cruciatibus, & perdidit *Matt.27.* homicidam illum; quid plura? *Venit* ad Crucem, & cælum obumbrat, ſolem eclypſat,terram commouet, petras ſcindit, ſepulchra aperit, infernum mordet, educit vinctos, vincit mundum, & mundi Principem relegat. Itaque non *venit* Chriſtus imbecillis, ſed quæ à conceptu meruerat, & poterat *venit* manifeſtare. Nos ſumus, qui propter indigentiam ſiue ad Deum, ſiue ad proximum compellimur venire.

Poſt me. videtur his Ioannes ſibi contradicere. Nam ſi venit, quod eſt præſentis temporis, aut certè præteriti; vt qui poſt me? Repugnat quippiam futurum,& iam veniſſe. Verum pugnantiam non admittit textus,neque legatus fidelis aberrat. Nam ἔρχεται, vti apud Lucam etiam legimus præſentis temporis, Matthæus per futurum explicat dicens ὁ δὲ ὀπίσω μου ἐρχόμενος qui antem poſt me veniens iuxtà Pagnini verſionem; vel ſecundum aliam Hieronymi; qui poſt me venturus eſt,cui ſuffragatur Syriaca tranſlatio. *Qui poſt me venit*. Litteram itaque contextus Scripturæ varius concordat litteratorum animos,ſpiritualium verò quiſque textus ſub diuerſitate, quam præſefert,inquirere arcana cogit. Mihi autem in præſentia haud contemnendum occurrit, videlicet,verbo *venit*, quod eſt præſentis, diuinitatem, & humanitatem additione iſta,*poſt me*, ſignificari. Nam Chriſti in carne conceptus, poſt conceptionem Ioannis factus eſt. At diuinitas Chriſti venit ſemper,eſtque continuò, idem permanens, ſuumq. eſſe habens inuariatum. Hinc quæſitus de nomine reſpondit ויאמר אלהים אל משה אהיה אשר אהיה ויאמר כה תאמר לבני ישראל אהיה שלחני אליכם vaijomer Elohim el Moſeh heijeh aſer heijeh vaijomer cho tomar libne Iſrael heijeh ſcelachani alechem. Dixit *Exod.3.* Deus ad Moyſen; Ego ſum qui ſum,ait, ſic dices filijs Iſrael, qui eſt miſit me ad vos iuxtà Hieronymi tranſlationem, vel iuxtà illam Pagnini: Et dixit Deus ad Moſeh. Ero qui ero, ſic dixit, dices filijs Iſrael,ero miſit me ad vos. Nomen itaque ſuum profert heych,quod eſſe interpretatur à verbo היה haia. vnde היה heie quod Deo proprius,quàm cætera,quæ de eodem efferuntur conuenire, S. Thom. 1. par. affirmet, *S.Thom.* tametſi Hebræi יהוה iehoua proprium,quomodo haberi poteſt affirment. Et hoc quoque ab eadem deſcendens radice idem prorſus,quod heijch deſignat, & vterque continuum eſſe Dei independens, cunctorum principium explicat. Quale, & noſter Ioannes per verbum præſentis temporis, *venit*, indicauit habitare in Chriſto, qui antequam (ne dicam) Ioannes in lucem *Ioan.8.* prodiret, ſed antequam Abraham fieret: Ego ſum, dixit, qui veni cum orbem conderem,& probarem condita; & veni quando concepit Eliſabeth, & in extremo tempore; ſemper *venit*; Æternitatem perpetuò penes ſe conſeruans. Igitur quia plenitudo diuinitatis in Chriſto habitat, dixit Ioannes, *venit poſt me*, propter humanita- *Ioan.1.* tem,quam idem Chriſtus portabat, dictum eſt. Hoc idem myſterium alijs verbis expreſſit dicens: *Qui poſt me venit ante me* *Ioan.1.* *factus eſt*. Et quidem,antequam quicquam fieret.

Cæterum quid, *poſt me*, dicemus? Num tantum iuxtà litteram,poſt meam prædicationem,baptiſmum,ac mortem? Etiam,*poſt me*, interpretare poſt me abiectum, & diminutum veniet, quem expectatis, vilior, deſpectior,& natis omnibus humilior. Vnde nec reputauimus eum,eructauit Vates;& illi, quando te vidimus eſurientem? humi- *Iſai.53.* liatus vſquequaque poſt omnes *venit* qua- *Matth.25.* ſi paſtor poſt oues, & humilitate humiliatus eſt vir, vt auem diſcolorem apprehenderet. Quare paucis verbis celſitudinem, & humilitatem Chriſti ſimul complectitur noſter Ioannes; Erudiens nos, qui noſtra enarrare debeamus. Neque digniora tantum (vt ſolent excordes) proferamus, ne vt puluis ante faciem venti euaneſcamus,neque item infirmitatem ſolum pertractemus,ne vt lignum putridum demer- *Hier.2.* gamur in deſperationis abyſſum, cum his qui proferunt, Deſperaui, nequaquam faciam, ſed læta triſtibus miſceamus; & in *Eccl.1.* die malorum, memores bonorum ſimus. Nam etſi nunc deliquimus,pœnitentiæ memoria adſit,& boni operis, ſi quãdo grauet corpus, occurrat menti nobilitas animi. Etſi hunc inferni horror occupat, ſubleuet ſtatim ſpes gloriæ. Horum viciſſitudo eſt vinum conditum aromatibus,quod mœrentibus confert, & lætificat peregrinos, & *Prouer.31.* operarios, quouſque finem operis ſui præſtolantur. Nam conſideratio miſeriæ timorem parit; amore verò ſedulo, bona, & digniſſi-

gniſſima, quæ de manu Domini accepimus, meditari. Igitur quoties vel de alio, vel de te recordaris, veni, ſcilicet ad honorem, ſcientiam, ac dignitatem aliam. Quamprimum cogita tibi dictum: Poſt ſcilicet omnes deſpectum eſſe, & indigniorem beneficijs; tametſi caligo mentem obumbret ne vilitatem tuam valeas plenè agnoſcere: Certus ſum enim in vnoquoque noſtrum, & theſaurum incluſum, ſimulque humiliationem contineri.

Cuius non ſum dignus procumbens ſoluere corrigiam calceamentorum eius. Atqui eo maior natis acclamatur, quod præ humilitate, quandoque vocem, quæ facillimè euaneſcit, ſeipſum appellat, & mox non dignum Chriſti præſentia. Ab humilitate enim augmentum orditur, neque aliud ars, neque natura habuiſſe principium vniuerſi norunt. Hominis enim principium, vt à digniori ordiar natura, viliſſimum eſt, ſed & aliorum, quæ à terra ſubleuantur, & multiplicantur in mari, materiam, quæ prope nihil eſt, Philoſophus conſtituit, necnon cælorum, quorum dilatatio, & pulchritudo cogit ſapienter admirari. De artificiatis autem quid dicam? Omnia, vel ex lapide, quę calcamus, vel ex ligno, quod inflammatur, vel ex terra, quæ abit in puluerē, vel ex metallo, cui neque erugo, aut rubigo parcit fiunt arte, nihilominus tanti pretij, vt Ariſtidis tabulæ centum talentis, & aliquando centum quadraginta quatuor venderentur. Hinc diſcat ſuper humilitatis fundamentum picturam ſuam, & opus fabricare præſertim, qui præconem verbi Dei, vt Ioānes, agit, continuo ore geſtet, non ſum dignus; indignum autem dicere non concedo: Nam indignus eſt conſcius criminis. Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum, exiſtimaſti inique, quod ero tui ſimilis? Arguam te, & ſtatuam contra te faciem meam; ſiquidem proditor eſt, qui contendit eſſe à ſecretis Regi. Quapropter ſuſpendium Architophel, & Naaman indigniſſimus promeretur. Non ergò indignos eſſe nos cenſet Ioannes, hoc eſt præuaricatores, & malos, ſed non dignos hortatur nos arbitrari officij, ac boni accepti. Nam quid eſt homo, quod memor es eius, aut filius hominis, quoniam viſitas eum? & alius: Quis ſum ego, vt vadam ad Pharaonem? Hem vir pollutus labijs ego ſum, exclamat Iſaias, & Ieremias à, à, à, Domine Deus, quia puer ego ſum, & neſcio loqui. Ergò ſi columnæ cedri clamāt non ſumus dignæ, tantas ſuſtinere cortinas tui tentorij Deus, quænam erit, ſycomori temeritas, vt dicat volo regnare, volo prædicare, meum eſt Dei eloquia explanare? Humilibus ſimus conſentientes ò fratres. Nemo tanti officij, quo ſe omnium fidelium exemplum exhibet, ſe dignum audeat reputare; nam neque eloquentia Paulum fecit Doctorem gentium, neque ſcientia, ſed humilitas cum dixit: Non ſum dignus vocari Apoſtolus. Quia non dignus in oculis ſuis, vocatus eſt Apoſtolus, & prædicator in vniuerſo mundo; & Ioannes meruit Chriſtum habere encomiaſten. Igitur parentem bonorum omnium humilitatem (ait Theodoretus) adipiſcamur. Hanc enim Dominus quoque poſſeſſionem beatam cenſet, quaſi eam, quæ prouentum habeat regnum cælorum: Beati enim pauperes ſpiritu, inquit, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Et ſeipſum exemplar ijs, qui iuuare voluerint proponens; diſcite à me (inquit) quia mitis ſum, & humilis corde; & oſtendens, qualis, & quantus harum ſit fructus, ſtatim ſubiecit: & inuenietis requiem animabus veſtris. Vos maximè qui à ſuggeſtu clamatis, & ibidem ſedetis non tàm nobis, quàm his, qui ſubſunt, incomparabilem requiem reconciliatis; mouentur enim exemplo humilitatis adimplere, quæ audiunt.

Procumbens. Pro quo græcus codex habet κύψας, quod propriè curuari, & proſterni ad terram ſignificat. Vnde Pagninus vertit *curuans*, & Syriaca lectio habet; *qui incuruatus*, iam vel inde adorationem latriam, quæ Deo debetur ſoli, Chriſto quoque dandam fore ſubindicans. Nam, & ſub hoc verbo, eam Deus ab omnibus per Iſaiam exigit. Quia mihi, inquit, curuabitur omne genu, & iurabit omnis lingua, vel vt habent ὅτι ἐμοὶ κάμψει πᾶν γόνυ, καὶ ὀμεῖται πᾶσα γλῶσσα vtentes eodē verbo græco in locū hæbraicæ vocis כי לי תכרע chi li tichrangh, quia mihi curuabitur כרע charangh enim curuare, & incuruare ſignificat. Ait mihi, hoc eſt ante me, ſicut habet Chaldæa paraphraſis, vt actum adorationis magis explicet; iuxtà illud: venite adoremus, & procidamus ante Deum: itaque procumbens, hoc eſt, humiliter adorans, interpretari valet. Adorationem autem Chriſto deberi, vt Deo, nullus orthodoxus negauit, niſi Arrhius, qui illum creaturam finxit, Photinus, qui Chriſtum ex Maria initium ſumpſiſſe docebat, atque alij, qui vel multiplicant in Chriſto perſonas, vt Neſtorius; vel mixtam naturam in eo introducunt, vt Monophiſtæ, authore Euthymio Zigabono Monacho, ſuæ panopliæ volum. 2. tit. 15. Nos verò, qui duas in Chriſto naturas diuinam, & humanam credimus, ſub vna hypoſtaſis ſubſiſtentia, Chriſto procumbimus, & vnica adoratione latriæ cultum debitum exhibemus. Nam Vates dixit; Exaltate Dominum Deum noſtrum, & adorate ſcabellum pedum eius, hoc eſt Chriſti humanitatem, vt Hieron. Aug. & Caſſiodorus interpretantur, & Cyrill. lib. 3. in Ioann. & Ambroſ. de fide. Itaque non dignum procumbens

Marginalia (left): Vilitas hominis. — Ariſtidis tabulæ magni olim pretij. — *Pſal. 49.* — *2. Reg. 17.* — *Heſt. 7.* — Sui vilipenſio. — *Pſal 8.* — *Exod. 3.* — *Iſai. 6.* — *Ierem. 1.*

Marginalia (right): *1. Cor 15.* — *Matt. 5.* — *Theod Cyr. Epiſ. ſ. Dan. in illud.* Nunc igitur ego Nabucdonoſor lau do. — *Matt. 11.* — *Pagnin.* — Chriſtus latria colēdus. — *Iſai. 45.* — *Pſal 94.* — Hæreticorū delyria. — *Pſal. 98.* — *Hier. Aug. Caſſiod. Cyrill. Ambr.*

bens,ſiue procumbere, & adorare Chriſtum
ſe reputat Ioannes,cum interpretetur gra-
tia Dei,& illuſtretur ab vtero. Nos autem,
quos tanta inuoluunt ſcelera , & quotidie
declinamus , qua fronte adorare accede-
Reuerentia erga Deum ſuadetur. mus? Angeli qui in cælis ſunt contremi-
ſcunt , & pauent ad nutum eius , & nos in-
trepidi ad eum veniemus , qui ab Angelo-
rum puritate diſtamus ? Etenim quanto
quís Ioannes , hoc eſt,gratia plenus, & An-
gelorum cognitione illuſtratus, tanto non
dignum ſe reputat procumbere, ſeu adora-
re Deũ,& ad Chriſtum,ſiue in oratione,ſiue
in ſacramẽto altaris accedere.Ruſticus eſt,
qui ſummi Regis præſentiam non formi-
dat, Eſter , quæ Aſſuerum nouit , tremore
Eſther. 15. ad eum veniens percutitur : Timor enim
ſanctus plus in maioribus nitet , quo & in-
citantur reuerentiùs , & frequentiùs pro-
cumbere ante thronum altiſſimi , & adora-
re. Quinimo opus ab adoratione aggrediũ-
tur , non tàm , vt illud Deo,quaſi authori
committere,quàm vt auxilium ab eodem
videantur petere,ac dicere: Domine in no-
Luc. 5. mine tuo laxabo rete : Quare Ioannem
agentes , ac Petrum , adhortor ſtudia ſua à
procubitu,& adoratione ordiri; Adorate,
inquam, eum, qui fecit cælum,& terram ;
& curuare genu Deo excelſo , quia ipſe eſt
Ap. 14. Mich. 6. Pſal. 44. Dominus Deus noſter , à quo datum opti-
mum,& donum perfectum deſcendit.

Soluere corrigiam calceamentorum eius.
intelligitur hoc(ait Theophylactus)omnes,
Prima expoſitio. qui veniebant, & baptizabantur à Ioanne,
ſoluebantur per pœnitentiã à vinculo pec-
catorum ſuorum , dum credebant in Chri-
ſtum.Omniũ igitur aliorum ſoluebat Ioan-
nes corrigias, & vincula peccarorum , Ieſu
autem corrigiam ſoluere non potuit , eo
quod non inuenit corrigiam,hoc eſt pecca-
tum in ipſo . Expoſitioni verò aduerſatur ,
non ſum dignus . Hoc enim dictum maie-
ſtatem, & celſitudinem eius,quem *non ſum
dignus* reſpicere, videtur potius attendere,
Secunda expoſitio. quàm infirmitatem. Quare (ſcribit Euthy-
mius) quidam dicunt,per calceamenta car-
nem intelligi, qua calceatus , ſiue veſtitus
eſt Dei filius . Corrigiam verò ineffabilem
coniunctionis ſuæ rationem. Quomodo vi-
delicet naturis inconfuſis vnita ſit humani-
Ambr. Gregor. Hieron. tas diuinitati.Expoſitionem hanc Ambroſ,
inſtit.virg.Gregor.hom.7. Hieron.in Marc.
& Gloſſa interlinearis amplectuntur . Alij
Beda. Gloſſa. vt Beda, quem Gloſſa ordinaria citat , de
miniſterio dictum putant , quo Ioannes ſe
minimè dignum ratus . Hebraiſmo , inquit
Ganneius,vſus eſt,nec non legis typo. Mos
Deut. 25. Ruth. 4. (inquit)Gloſſa ex Beda,fuit apud veteres,vt
ſi quis,eam, quæ ſibi competeret,vxorem
nollet,illa ei calceamenta ſolueret, qui ad
hanc ſponſus, iure propinquitatis,veniret .
Chriſtus autem ſponſus eſt Eccleſiæ,de quo
dicit idem Ioannes , qui habet ſponſam ,
ſponſus eſt ; quia ergò homines Ioannem *Ioan. 3.*
Chriſtum eſſe putabant , rectè ſe indignum
ſoluere corrigiam calceamenti dicit q. d.
Ego Redemptoris veſtigia denudare non
valeo, quia ſponſi nomen mihi non vſurpo.
Hinc Hilarius in 2. Matth. Ambroſ. lib. 2.
ſuper Lucam affirmant,Ioannem hiſce ver-
bis,non tàm Chriſto, quàm Apoſtolis infe-
riorem ſeipſum conſtituere : Siquidem illi
ad Eccleſię miniſterijs perfungendum electi
fuerunt ; ita non quæ ſua ſunt (ait Ruper-
tus in 3. Matth.) ſed quæ aliorũ erant,con-
ſiderando , & ſuperiores ſibi futuros Apo-
ſtolos arbitrando,regulam cuſtodiebat ſan-
ctæ,& veræ humilitatis, ſemetipſum depri-
mens, tanquam minor eſſet omnibus illis .
Sed nunquid ita iudicabat Dominus iudi-
cij ? nequaquam, ſed amen dico vobis, ait, *Matt. 11.*
non ſurrexit inter natos mulierum maior
Ioanne Baptiſta .

Quod ſi maior , non quidem ex ignoran-
tia,neque vt ſe peccatorem ſicut reliqui ,
oſtenderet , dixit Ioannes : *non ſum di-
gnus,&c.* (quemadmodum Centuriatores
lib. 1. centur. 1. dogmatizant) neque enim
Ioannes peccator , vt reliqui hominum ,
quem ab vtero Spiritus ſanctus repleuit;
neque verba iſta imperfecti ſunt , aut pec-
catoris ſigna,ſed humilitatis,ob quam ma-
ior cunctis appellatur , quia inquit Cyrill. *Cyrill.*
lib. 2. Theſ. c. 4. ad eos peruenit terminos ,
ſcilicet ſanctitatis,quo humana natura po-
teſt peruenire . Inde Auguſt. ſerm. 4. de na- *Auguſt.*
tiuit. Io: Quiſque Ioanne plus eſt , non
tantum homo,ſed & Deus eſt. Quod Ange-
lo nunciante , ſit conceptus (proſequitur
Iſidorus lib. de vir. & mor. ſanct. nou. te- *Iſidorus.*
ſtam)prænuntius Chriſti,præco iudicij,Pro-
pheta altiſſimi, vox verbi , amicus ſponſi ,
teſtis Domini , lucerna luminis , terminus
Prophetarum , baptiſmatis initium ; qui
prænuntiatus, parentis vocem abſtulit, ge-
nitus,officium linguæ reſoluit,qui nec dum
editus, Chriſtum prophetauit, ſalutauit ex
vtero,in columba agnouit,in deſerto mon-
ſtrauit . Cuius veſtimentum lanugo fuit
camelorum , habitatio eremus,victus,mel-
lis,& locuſtarum cibus . Ergò non quia
peccator, ſed quia humilis, non ſe reputat
dignum ſoluere corrigiam calceamento-
rum Chriſti.Quapropter libet ex tàm præ-
clara ſententia inferre doctrinam noſtris
accommodam . Si is (inquit homil. 15. in *Chryſoſt.*
Ioan.) qui terrarum orbi æquiparatur , im-
mo,qui maior eſt , non enim (inquit) erat *Hebr. 11.*
his dignus mundus , ne inter vltimos qui-
dem miniſtros connumerari ſe dignum di-
cit,quid nos innumerorum ſcelerum dice-
mus , qui tanto Ioanne ſumus inferiores ,
quanto terra minor eſt cælo? Itaque exem-
plo ſui non ſolum Phariſæos arguit,& à ſu-
perbia ad humilitatem conatur deducere,
vt Cyrill. lib. 1. in Ioan. cap. 26. arbitratur .

neque

Digitized by Google

Auguſt. *Ambroſ.* Neque tantum (vt Aug. tract. 4. in Ioan. ſentit) ſeipſum his verbis dignum facit enchomio Chriſti. Verum etiam ſecundum Ambroſ. in prologo ſuper Lucam, nos ſummam ſanctimoniam docet.

CAPVT OCTAVVM.

Ego baptizaui vos aqua, ille verò baptizabit vos Spiritu ſancto.

Expoſitio. CVr non ſe dignū reputet ſoluere corrigiam calceamentorū, inſinuat. Qnoniam (inquit) ille Deus, qui ſuo ſancto Spiritn baptizabit, & effundet ſuper omnē carnem, vt non ſolū corpus videatur, aqua mūdari, quemadmodum baptiſmo aquæ, quem confero, videor ipſe facere; verum etiā anima permundari ab omni inquinamento, quod ſolus ſpiritns tollit, quem ille abundè diffundet in animam, quando exterius corpns baptizabit. Hoc enim ſeruatū eſt ei, vt Domino; mihi antem ſeruo commiſſum eſt, tantum ſacramentū baptiſmo ſolius aquæ præſignare.

Ego baptizaui vos aqua. Græca lectio habet ἐγὼ μὲν βαπτίζω ὑμᾶς ἐν ὕδατι hoc eſt, vt optimè vertit Pagninus: *Ego quidem baptizo vos in aqua,* aduerbium enim μὲν. Hoc eſt quidem, auget affirmationē, ne quis aliter baptiſmnm ſunm accipiat, qnàm ab eo exponitur, & tollit locum philoſophandi his, qui ſecus de Ioannis baptiſmate fabulantur, vtpotè nouis hominibus, qui Ioannis ſententiam tortuoſè, & perperam ſic gloſſant. Teſtatur Ioannes, non tantum baptiſmo ſuo teſtimonium Chriſto exhibito ferri, ſed etiā beneficia ipſins conferri, & applicari. Quare
Brētij error. infert Brentius, Ioannem primum eſſe inſtitutorē eius baptiſmi, quo adhuc hodie vtitur Eccleſia; & quo vtetur vſq; ad conſummationem ſæculi. Videte hominū blaſphemias, & qnàm ineptè de Ioānis baptiſmate
Refellitur. philoſophantur. Ego quidem, ait, ò miſeri (vt affirmanti, & quodammodo iuranti credatis, quæ de ſuo baptiſmate profert) baptizaui vos aqua; ac ne ſub aqua aliquid cōtineri imaginemini ſolam aquam ſuperinfudi; habet græcus textus ἐν ὕδατι in aqua, hoc eſt, in ſolo elemento viſibili; præpoſito enim, in, determinat totum, Ioan. baptiſma in aqua, & aquæ naturalis affectibus concludi, tantum videlicet eo corpns ablui;
1. Cor. 10. quemadmodum & Paulus de baptiſmo patrum dixit; baptizati ſunt in mari; hoc eſt, ſolo aquarum tranſitu abſque aliquo ſpi-
Act. 19. rituali effectu. Is enim ſeruabatur Chriſti baptiſmo, quare denuo baptizantur baptiſmate, quod Chriſtus inſtituit, qui reperiuntur (vti refert actuum hiſtor.) à Ioanne baptizati, quod argumentum eſt manifeſtum contra huiuſmodi homines, qui nullum diſcrimen inter Ioannis, & Chriſti baptiſmum collocant: Verum dum ſoluere illud conantur ab alijs ſupercilijs, ſeipſos præcipitant. Centuriatores ideò rebaptizatos admittunt, quod non vera forma, quam Ioannes ſolebat proferre, baptizati eſſent, ac ſi vllā Ioānes ſui baptiſmatis habuiſſet; qui poſſēt in forma à magiſtro accepta decipi? Solus etiā Ioannes baptizabat, in quē talis error non cadit, circa baptiſma à ſe inſtitutum. *Reſpōſio Cētur. repellitur.* Muſculus concedit bis baptizatos eodem baptiſmate; cum ne dicam fruſtra, ſed ineptè ſacramenti medicina repetitur, morbo iam corrupto. Ergone ſtultiſſimum virorū, Paulum electionis vas, ineptum proferes, quod rebaptizauerit Epheſios illos? apage. Emendat reſponſum Loſſius dicens: à Paulo quidem baptizatos non tamen aqua, ſed ſpiritu ſolum. Ergò Ioannis baptiſma non dabat ſpiritum, ſed aquam ſolam infundebat, quare neceſſe eſt, te, illud à Chriſti baptiſmate diſtinguere. Item ſi Paulus baptizauit ſpiritu oportuit præmittere aquam, qua Chriſti miniſtri baptizantes Spiritum ſanctum diſpoſitis communicant. Itaque dum diſcrimen, ò hæretice, inter hæc duo baptiſmata negare contendis, cogeris admittere; videlicet, Ioannem in aqna ſolum baptizaſſe, Chriſtum verò in aqua, & ſpiritu: quod illud in lege eſſet (inquit Origen. homil. 14. in Lucam) hoc ad Euangelium pertineret; In Ioanne finem acciperent vetera, noua verò initium à Chriſto acciperent. His confoſſi, demum negare non verentur, vel quod minimè à Ioanne baptizati eſſent; vel quod eos Paulus non baptizauerit, ſed manus ſolum impoſuerit: primum Bulingerus, poſtremum Chytreus affirmat; Vterque tamen mentitur in caput ſuum. Nam interrogati à Paulo; quo ergò baptizati eſtis? dixerunt, Ioannis baptiſmate. Dixit autem Paulus; Ioannes quidem baptizauit baptiſmo pœnitentiæ, populo loquens, vt in eum, qui poſt ipſum venturus erat, crederent, hoc eſt in Ieſum Chriſtum. His auditis, baptizati ſunt in nomine Domini Ieſu; videtis ò impoſtores, detectum mendacium; baptizauerat enim eos Ioannes, denuo verò Chriſti baptiſmate baptizati ſunt; poſt quod confirmari meruerunt per manuum impoſitionem, deſcendente viſibiliter Spiritu ſancto; quem inuiſibili modo in baptiſmo receperant: Itaque Ioannes ſola aqua baptizabat (vt inquit Ignatius in epiſtola ad Epheſios) quaſi præparans homines ad baptiſmum Chriſti.

Loſſius hæres. *Origen.* *Bulingerus Chytreus.* *Act. 19.*

Ille verò baptizabit Spiritu ſancto, vel ἐν πνεύματι ἁγίῳ in Spiritu ſancto; quod Spiritum Sanctum dare primo, & per ſe ordinetur; ſub ſigno tamen ſenſibili aquæ, & Verbi: accedit enim Verbum ad elemen-

C tum,

Digitized by Google

explanabo ad cuius notitiam, iuuat ſcire, cauſam, ob quam Ioannes ſit traditus, & quorſum publicam Euangelij prædicationem in Galilæa cœperit. Sed & iſta in 4. lib. ſuper Matthæum tractantur. Itaque poſtquam Ioannes Macharuntæ in carcerem miſſus eſt, propter Herodiadem, præcipiente Herode adultero; Chriſtus Euangelium publicauit, vt non tàm Ioannem, quàm reliquos noſtri generis de carcere, in quem, vel erant coniecti, vel properabant, educeret confractis cathenis, & manicis ferreis, quibus detinebantur incluſi.

Vide Ioſeph lib. 18. 10.

Poſtquam autem traditus eſt Ioannes. Habet codex Græcus orationem hanc imperfectam, μετὰ δὲ τὸ παραδοθῆναι, τ'ιωάννην Poſt autem traditum eſſe Ioannem. Et quidẽ optime defectiua oratione defectus Luciferi, & Ecclypſis eminentiſſimi Ioannis prænotatur, qui non ſolum viſus eſt naturæ vim inferre, verum etiam naturæ authorem Chriſtum contriſtauit. Etenim hic, vt bonorum omnium, & perfectorum pater, ſigna mæroris oſtendit, poſtquam impij præualent aduerſus iuſtum; occurrit fratricidæ dicens: quid feciſti? deſcendit, vt liberet Iſrael. Percuſſit caput de domo impij, qui perſequebatur iuſtum: Quaſi animal in campo deſcendens ſpiritus Domini ductor eius fuit. Inde cantor. Quam bonus Iſrael Deus, his, qui recto ſunt corde. Deus noſtrum refugium, & virtus adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis. Apprehendit enim arma, & ſcutum, & venit in adiutorium eorum, qui faciunt Iudicium, & Iuſtitiam in omni tempore. Et interim dum tempus accipit, vt iuſtitias iudicet, ſubtrahit malis, quæ ſolebat naturæ eorum concedere, aufert vinum, & oleum, ſterilem reddit terram, mœrere facit, mare conturbat, & denegat ſæpè aërem. Denique vagum, & profugum dimittit eum, qui non veretur manum mittere in Chriſtum Domini. Eſt enim iuſtus oleo lætitiæ vnctus, vnde Chriſti nomen ſortitur, ac filij Dei. Quemadmodum ergo hærede male affecto, non tàm parentes, quam ſerui turbantur; itá impio præualente aduerſus Iuſtum, cuncta videntur Ecclypſim pati, & deficere, & quaſi ad authorem, & orbem iniuria tenderet; ille vindicat ſe de inimicis ſuis, vſq. ad tertiam, & quartam generationem; hic pugnat pro eo, contra inſenſatos. Tantus ergo defectus, qui in traditione Ioannis accidit, & propter eius carcerem inſidiatores paſſi ſunt, vt Ioſephus aliqua ex parte refert, oratione defectiua quam lectio græca expreſſit, demonſtratur.

Gen. 4. Exod. 3. Iſaia 63. Pſal. 72. Pſal. 45. Pſal. 34. Pſal. 108. Pſal. 74. Pſal. 44. Iſaiæ. 1. Sap. 5. Ioſephus.

Venit Ieſus in Galilaam. Vt Lucifero, vno in loco obſcurato, inciperet alibi ſol illuceſcere, ne ſub tenebris degeret mundus, ſed limpido illuminaretur lumine orbis. in Iudæa lucerna ardens, & lucens Ioannes tenetur in vinculis; vox clamantis in deſerto, obmuteſcit; non eſt, qui verbum Dei audiat inter Iudæos. Ecce tempus eſt, vt ad gentes conuertatur lux mundi, & inde illuceſcant corruſcationes ſingulis, qui ambulabant in tenebris, & oriatur Lucifer in cordibus eorum, qui in regione, & vmbra mortis ſedebant; iam iamque qui olim in Iudæa loquebatur trans Iordanem in Galilæa gentium eructat verbum. Itaque traditio Ioànnis, ad quem vſque lex viguit, & prophetæ, ſignificauit finem legalium, quarum obſeruantia in Iudæa vigebat; diſceſſu Chriſti in Galilæam, & ibi publicam ordiri Euangelij prædicationem, transferendam eſſe prædicationem ad gentes. Venit quoque in Galilæam poſtquam Ioannem reſciuit comprehenſum, vt ſubducamus nos (ait Theophilactus ex Chryſoſt.) à tentationibus, & nos temerè non ingeramus. Vbi autem inciderimus, feramus: Appellauit enim Paulus Cæſarem: Petrus aufugit carcerem; Policarpus in agrum ſe receperat, & Vrbanus Papa in cauernis latitabat; comprehenſi vero, martyrium ſtrenuè conſummarũt. Timor enim ſanctus, atque prudentia, quæ à malis declinare ſanctos perurgent, comprehenſos reddit impauidos, & muro æneo fortiores.

Ioann. 5. Iſaia 40. Theophil ex Chryſoſt. Act. 25.

Receſſit etiam, ait Chryſoſt. vt ad doctrinas, & ſanationes, ſe ipſum conſeruaret, priuſquam pateretur, hiſque omnibus adimpletis, fieret obediens vſque ad mortem: & hic quoque finis noſtri receſſus, & prolongatæ vitæ eſſe oportet doctrinam, & ſalutem animis noſtris cumulare, & nos ipſos ad pietatem exercere, quouſque morte iuſtorum in ſanctitate, & iuſtitia coram Domino, ſubque iugo eius moriamur. Beatus vir, qui impleuit deſiderium ſuum ex ipſis, non confundetur, cum loquetur inimicis ſuis in porta. Si quidem Dæmonum agmina, quæ vt apes ad mel morienti occurrunt, meritis, quæ ex continua vitæ ſanctitate ſibi conciliauit alligat, & propulſat, quia ſicut ſagittæ in manu potentis, ita filij excuſſorum, vel vegetorum, vt interpretatur Hieronym. ad Marcellam vel ſecundum hæbraicam veritatem כן בני הנעורים chen bene hanenghurim, itá filij iuuentutis, ſeu iuuentutum, vt Pagninus vertit. Filij autem vegetes, & iuuentutis robuſtiſſimi, quaſi in iuuentute, & perfecta ætate geniti, quibus Principes, & poteſtates tenebrarum procul à nobis facimus, percutimus, & vulneramus quaſi ſagittis feras, & harpias, ſunt merita, quæ renouata iuuentute cælitus, continuò operantur. Quemadmodum Paraphraſtes expreſſit, ſic vtrunque

Pſal. 126. Hieron. Pagnin. Paraphraſt.

verſum transferens. Sicut ſagittæ in manu potentis, ſic merces erit operum bonorum eorum, qui legi vacauerũt à pueritia: Beatus vir, qui impleuerit ſcholam ſuam ex ipſis: non confundetur, quando contenderit cum aduerſarijs ſuis in porta domus Iudicij. Domus autem Iudicij, quæ niſi mors, quando prout quiſque geſſit, iudicatur? Ergo vſque ad mortem, o homo *Eccl. 4.* agonizare pro anima tua, quodcunque poteſt manus tua inſtanter operare. Non *Eccl. 9.* ſit manus tua remiſſa ſed fortis; quæ ap- *Eccl. 4.* prehendat fuſum, & plantet vineam, ſtragulatam veſtem faciat ſibi, & duplicibus *Prou. 31.* domeſticos veſtiat; hoc eſt, contempletur cæleſtia, incaleſcat amore, ſe operiat iuſtitia, & proximi animum orando, & modeſtia corporis oculos circumſtantium ædificet. Fælix receſſus à bono ad melius; vnde acceſſit Dauid victoria contra Go- *1. Reg. 17* liam, noſtro autem Chriſto exaltatio ſuper omnem principatum; nobis autem, ſi perſeuerantia diuinitus concedatur, filij mercedem paratam, quis ambigit? Beati, *Pſal. 127.* ergo omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in vijs eius; nunquam poſt tergum reſpicientes, ſed iugiter de virtute in virtutem ad Deum, qui fecit illos properantes. Ideo enim venit Chriſtus ad Galilæam operaturus ſemper coram hominibus maiora, vt veſtigia magiſtri ſequamur.

Prædicans. Antea Chriſtum prædicaſſe, elegiſſe Apoſtolos, qui, & baptizarent, *Ioann. 3.* Ioanne in Ænnon iuxtà Salim baptizãte, nec non initium miraculorum peregiſſe, Ioannes deponit. Videbantur tamen iſta quaſi in abſcondito fieri, aut certè minus publicè; ſolemnem enim prædicationem poſt carcerem, & mortem præcurſoris orditus eſt. Legato voluit honorem deferre: eo comminuto, & ceſſante, creuit qui Euangelizat Sion, & prædicat præceptum Do- *Pſal. 18.* mini lucidum illuminans oculos; erigitque ſeipſam candela, quæ videbatur ſub *Matth. 5.* modio, vt ſuper candelabrum ſtatuta luceat omnibus, qui in domo ſunt, qui extra vagantur, nec dignantur intra Eccleſiæ ſæpta, hoc eſt credibilia, commorari, velut intra tenebrarum craſſam caliginem conſtituti, lucem non comprehendunt. *Inſtructio ad prædicatores.* Facto Chriſti optarem noſtros oratores inſtrui, videlicet à morte præcurſoris, & ieiunio quadraginta dierum, nec non tentatione publicam ordiri prædicationem. Præcurſor eſt animalis homo. Quia primum, quod animale eſt, cuius mortificatio- *1. Cor. 15.* nem expedire Paulus deponit. Ieiunium quadrageſimale dierum, ac noctium continuum, his fore orationem reor. Ea enim, & dies noſtros, hoc eſt, elatos cogitatus *Matth 6.* deprimimus: aliorum verò noctes, etiam noſtras, hoc eſt, peccata deploramus; quapropter electis Apoſtolis orationem Chriſtus paſſim ſuaſit, & formam tradidit orandi: antequam bini præmitterentur. Tentationis quoque exercitium præſentire, celebrem facit prædicatorem, & aptum. Nam qui non eſt tentatus, quid ſcit? Non tyronibus, ſed expertis militibus impetus belli committitur. Vnde his, quos ad prædicationem elegerat, dixit Chriſtus. Vos eſtis, qui permanſiſtis me- *Luc. 22.* cum in tentationibus, quoniam lectulum *Cantic. 3.* Salomonis ſexaginta fortes ambiunt, ex fortiſſimis Iſrael, omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi, vniuſcuiuſque enſis ſuper femur ſuum propter timores nocturnos. Hos Theodoretus Cyren. epiſt. in *Theodor.* Cant. & Auguſt. in pſal. 90. Diabolos, qui *Auguſt.* in tenebris ambulant, terrent, ac tentant, *Bernardus* imaginantur: Bernardus vero, & Ruper- *Rupert.* tus Abbas ſuper Cantica, Reges, qui in Chriſtianos ſæuiunt, interpretantur. Ego hæreticos dicerem, & prauos moribus, quos diſcerpit verbum Dei, & quaſi gladio ancipiti diuerberat. Portat autem verbum Dei fortis Iſrael ſuper femur ſuum, qui expertus eſt, quæ prædicat, & ex his quæ paſſus eſt, ad bella doctiſſimus euadit. *Gloſſa ord.* Hinc Gloſſa: qui indeſinenter habent Dei verbum in promptu, & ad reſecanda ſuperflua, & in ſe, & in ſubditis, & ad repellendos hoſtes, & conculcandos omnes terrentes gladios, Verbum Dei tenent, & periti ſunt, qualiter vtantur illo, tàm in alios quàm in ſe vitia expugnando. Lectolum Salomonis, facit Gloſſa, patriam, & militantem Eccleſiam, quarum fidem illibatam, & fideles in pace cuſtodiunt Prædicatores, quos retulimus.

Euangelium, ἐυαγγέλιον veritas eſt. Eam Chriſtus, qui veritas eſt per eſſentiam, prædicauit. Ideo miſſus; Ego (inquit) ad *Io. 14. 18.* hoc miſſus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati, hoc eſt, Deo, & his quæ Deus ordinat, & præcipit fieri: Eſt enim Deus increata veritas, origo omnium quæ ſunt, in quibus diuina relucet veritas ad modum veſtigij, *Gloſſa* imaginis, ſeu ſimilitudinis. Sicut (inquit Gloſſa ſuper illud pſalmi: Diminutæ ſunt *Pſal. 11.* veritates à filijs hominum) ab vna facie hominis reſultant plures ſimilitudines in ſpeculis diuerſis: ſic ab vna veritate diuina reſultant plures veritates, ſiue entia, quia ſecundum Ariſt. lib. 2. Meth. tex. 4. *Ariſt.* eadem eſt diſpoſitio rerum in eſſe, & veritate. Verum enim & eſſe, idem ſunt, & ſicut *S. Thom.* bonum conuertitur cum ente, ità & verum. Sed tamen ait S. Thomas 1. par. quæſt. 16. artic. tertio; ſicut bonum addit rationem appetibilis ſupra ens, ità verum comparationem ad intellectum. Vnde defi- *Definitio veritatis.* nitur: Veritas eſt adæquatio rei ad intellectum. In intellectu vero diuino eſt

Deus

complacet, quid non efficiet oratio aſſidua?
Aperuit cælos orans, quod eſt mẽtis opus,
potius quàm labiorũ, vt innoteſceret cun-
ctis redemptionem, quæ cælorum aditum
patefecit, initium ſumere ab his, quæ ani-
mo geſſit orans, & offerens ſeipſum Patri
à primo conceptu. Dicitur cælum aper-
tum, quod Patrem vnicum placauerit iam
iamque aperto ſinu miſericordiæ ſuæ com-
munem, & placidum prodigo homini red-
diderit. Pluresque cæli aperti numerantur,
quod miſericordias Domini aperiri miſe-
ris, & concedi meruerit: Atque hos ſciſſos
vult Marcus; quod regnum cælorum vim
Matt. 11. patiatur à diebus Io. Baptiſtæ, & violenti
rapiunt illud; hoc eſt fortes in fide, & con-
ſtantes in opere; quod à primo mane, ſeu
hora vndecima propoſuerint in vinea Do-
mini exequi: Sciſſura enim vim importat,
apertio autem ſpontaneum: atqui vtrun-
Iac. 1. que in ſalute hominis concurrit. Deus enim
voluntariè genuit nos verbo vitæ; nos au-
tem difficilè operamur bonum, vt certam
faciamus vocationem noſtram. Hanc diffi-
cultatem indicat Marcus, illam facilitatem
cæteri Euangeliſtæ. Plura mihi circa hu-
iuſmodi lectionum varietatem occurrunt.
Nam nihil abſque myſterio, nec apicem
credo in Scripturis ſacris, reponi. Interim
Chryſoſt. ad Patres veniã. Aperiuntur cæli (ait Chry-
ſoſt.) non reſeratione elementorum, ſed
Ezech. 1. ſpiritualibus oculis, quibus Ezechiel in
principio voluminis ſui, eos apertos eſſe
commemorat. Hoc autem, quod apertos
cælos poſt baptiſma vidit, noſtri vtiq; gra-
tia factum eſt, quibus per lauacrum rege-
nerationis ianua panditur regni cæleſtis.
S. Thom. Huic alias rationes addit S. Thom. 3. p. q.
39. & 40. & opu. 60. con. 7. cur cæli videãtur
aperti: quod de cætero virtus cæleſtis ba-
ptiſmum conſecraret, per baptiſmi fidem
Cur cœli aperti. cæleſtia inſpicimus. Mihi & aliam eſſe ad-
dendam, ac potiſſimam, videtur, videlicet
in ſignum depoſitæ iræ, quæ in genus noſtrũ,
ob peccatum exardeſcebat: Nam ſi cælum
clauſum & æneum, atque ferreum, quale in
Scripturis legimus, ſignificat Dei iram, &
Pſal. 84. aſperitatem; apertum profectò clementiam
prædicabit. Itaq; *apertis cælis*, licet cantare:
Benedixiſti Domine terrã tuã, auertiſti ca-
ptiuitatem Iacob; remiſiſti iniquitatẽ ple-
bis tuæ; operuiſti omnia peccata eorũ; mi-
tigaſti omnem iram tuam, auertiſti ab ira
indignationis tuæ. Quare intonat altius cõ-
Pſal. 125. centor: In conuertendo Dominus captiui-
tatẽ Sion facti ſumus, ſicut conſolati. Tunc
repletũ eſt gaudio os noſtrũ, & lingua no-
ſtra exultatione. Quid enim iucũdius fame-
Exod. 15. licis, quã videre Ægypti horrea aperta: fon-
tem olei Romæ decurrere, & ærariũ Regiũ
1. Pet. 4. patere cunctis? An nõ & maiora *cælũ aper-
tum* nobis pol licetur? His tamen, qui vidẽt,
hoc eſt, qui credunt; qui autem non vident,
in profundum deſcendunt quaſi lapis. Quis
finis (inquit Petrus) eorum, qui non credunt
Dei Euangelio? Et ſi iuſtus vix ſaluabitur,
impius, & peccator vbi parebunt?

*Et Spiritum ſanctum tanquam columbã
deſcendentem.* Spiritus verò deſcendit, ait
Theophylactus, non quod opus illo habeat *Theophyl.*
Chriſtus, aut quomodo hoc poſſibile, quum
in eo ſubſtantialiter maneat? Nam quod de *Ioan. 14.*
patre protulit Chriſtus: An neſcitis, quia
ego in Patre, & Pater in me eſt? quoque de
Spiritu ſancto venit intelligi: ſicut enim di-
xit; exiui à Patre; ita eructauit de ſancto
Spiritu: Ille me clarificabit, quia de meo ac-
cipiet. Quare inquit S. Thom. 1. p. q. 42. ar. 5. *S. Thom.*
In Patre, & filio tria eſt conſiderare, ſcilicet
eſſentiam, relationem, & originem; & ſecun-
dum quodlibet iſtorum, filius eſt in Patre, &
è conuerſo; & eadem ratio eſt de Spiritu
ſancto. Quid fuerit

De columba illa quæri inter Scholaſticos columba.
ſolet, num verum animal eſſet, & à quo mo-
ueretur? Miſſo tamen argumẽtorum ſtrepitu,
referam, quæ tradunt Scholaſtici iuxtà mẽ- *Aug. Greg.*
tem Patrũ, tũ maximè. Aug. 4. de Trin. Gre-
gorij, & aliorum videlicet ab Angelo, cuius
miniſterio in his inferioribus agendis vi-
ſus eſt ſemper ab initio vti, formatam, & Non fuit a-
motam, non vt animal, ſed tanquam ani- nimal.
malis ſimilitudinem ſolum, vt repræſenta-
ret myſterium; poſtea verò, ſicut ſtella, quæ *Matt. 2.*
Magos conduxit, & ignis qui ſuper Apoſto- *Act. 2.*
los ſedit, & nubes lucida, quæ diſcipulos *Matt. 17.*
tres obumbrauit, in præiacentem materiam
diſſoluta eſt. Signabat autem plenitudi- Quid ſigni-
nem ſpiritus in Chriſto requieſcere, & ba- ficauit.
ptizandis communicandum fore Spiritum
ſanctum. Semper enim inuiſibile quid, &
ſpirituale hiuſmodi apparitiones progno-
ſticant. Quia ſignum eſt ad ſignatum, & vi-
ſibilis miſſio ſpiritus ad inuiſibilem ordi-
natur, vt roborentur in fide circumſtantes;
quare in primitiua Eccleſia ſæpè viſibilis
iſte deſcenſus conſpiciebatur; ceſſauit au-
tem modo, quod multis argumentis fidei
firmamentum ſtare videatur. Tribuuntur
huiuſmodi apparitiones Spiritui ſancto,
non quod Trinitas tota non adſit, & opere-
tur, ſed quod donum, & amorem, talibus ſi-
gnatum, ſit ſolitum appropriari Spiritui
ſancto, quod à voluntate procedat, vnde
amor, & donum; dicitur Spiritus ſanctus
dari in ſuo dono. Magna (inquit Auguſt. *Auguſt.*
ſuper Rom. 5.) charitas Dei diffuſa eſt in
cordibus veſtris, Dei noſtri miſericordia,
quia dat nobis Spiritum ſanctum, donum
quippe dat æquale ſibi, quia donum eius
Spiritus ſanctus eſt. Inde is de Trin. pro-
rumpit in laudẽ Chriſti. Quantus ergò (ait)
Deus eſt, ſcilicet Dominus Ieſus, qui dat
Deũ? Accepit quidem Chriſtus à Patre Spi-
ritum ſanctum (ſcribit in 12. de Trin.) & ef-
fudit; accepit quippe, vt homo, & effudit, vt

Deo vero, ac verbum meum. Et quod
Ioann.1. meum? de quo intonat Ioannes: In prin-
cipio erat verbum, & verbum erat apud
Deum, & Deus erat verbum, hoc erat in
principio apud Deum. Et quid erat? an
non etiam eſt? vtique vt radius eſt ſoli
ſemper coniunctus, & fulgur de igne egre-
diens, quod meruit Ezechiel coutemplari.
Ezech.1. *S.Thom.* Verbum autem, ait S.Thom.1.p.q.34.a.1.
ad 2. eſt id, quod iutellectus concipiendo
format. Vnde & Aug. lib.7. de tri. cap.2.
Aug. non longè à principio, verbum eſt ſapien-
tia genita, quod nihil aliud eſt (expouit
S.Thom. S.Thom.) quàm ipſa conceptio ſapieutis,
quæ etiam pari modo notiria genita dici
poteſt. Et per eundem modũ poteſt intelli-
gi, quod dicere Dei ſir cogitando intueri
(iuxta Anſelmum in Monologio cap.31.
33. & 34.) in quantum, ſcilicet inruitu co-
gitatiouis diuinæ concipitur verbum Dei.
Atqui hæc cuius ne? Patris tantum. Hic
eſt qui compræhendens diuinam eſſentiam,
dicir notitiam, imaginem, filium, ac ver-
bum æquale iutelligenri,& in eadem eſſen-
tia infinita, format & producit illud. Scio
me iu Abyſſum difficultatum immerſiſſe,
quas explicare nou eſt facile, neque vtile,
hoc in loco; ſuut enim ſcholarum queſtio-
nes, quæ multos Græcorum, tùm maximè
Arrium feceruur delirare. Præſenti in lo-
co nobis ſufficiat credere ſolum Patrẽ ver-
bum dicere ſibi æquale; quum tamen nos
verbum noſtrum vocem ſoleamus appella-
re,& propterea cum de voce emiſſa cælitns
mentio agitur, non exprimi ab Euangeli-
ſtis ipſum dicentem, quod in diuinis vnus
ſit dicens, minimè fidelibus ignotus, vtpo-
te, pater.

De Cælis. Vox emiſſa cælitus, tàm Chri-
ſti, quàm Ioannis factum probat. Fuit enim
velut Regis ſubſcriptio, & ſigillarura, quæ
poſt narrationem ſiue epiſtolæ, ſiue iuſſio-
nis, ac legis editæ ſequitur. Quo factum
eſt, vt Chriſtus Ioannis Baptiſma è cælis
ſtatuerer, nec non ſuum. Itaque cæleſtia,
voce de cælis elapſa confirmantur, quæ de
terris ſunt terreuos habent laudatores.
Cant.2. Hinc illa; ſonet vox tua in auribus meis:
vox enim tua dulcis, & facies tua decora.
An non dulcis, quæ, vt balenæ flatus, cuncta
dulcorat, & vt imber ſerotinus ſemen ter-
Vox cęleſtis ræ commiſſum facit germiuare? Siquidem
vox dilecti, quæ noſtra illuſtrat, eſt appro-
batio facti, eſt multiplicare influxus; eſt
deniq. benedictionibus dulcedinis animum
Iſa.41. iuſti implere, ac dicere ad eum: Et tu Iſrael
ſerue meus Iacob, quem elegi, in quo ap-
præhendi te ab extremis terræ,& à longiu-
quis eius, vocaui te & dixi tibi, ſeruus
meus es tu, elegi re,& non abieci te. Con-
firmant enim electionem, & doctorum
acta ad cælos ordinari, indeque pendere
vox, & vocatio de cælo cæleſtis, quemad-
modum Origen. hom.5. ſuper Iſaiam per- *Origen.*
ſuadet, nec uon Hier. locum Iſaiæ inductum
exponens. De terrenis autem vocibus, *Hier.*
quæ ad rerrena perſtrepant, quid dicam?
Scir quotus, quiſque, quæ, & quales ſinr
huiuſmodi voces; qui de terra eſt, de terra *Ioan 3.*
loquitur. Vnde ſicut vapores, nubes, ac
demum, pluuiam, tonitrua, ſulgura, &
grandinem, & perſæpè infectum aërem, & Vox terre-
peſtem producit terra, ſic rerreni vocibus na & mun-
ſuis mundo portendunt mala. Nam ſi fue- dana.
rint adulationis, vapores,& nubes generãt,
videlicet cogitationes ſuperbas, & varias,
ſi verò diſplicentiæ, iram, indignationem,
furorem, maledicta, & quandoque mortes Quid gene-
efficiunt. Etenim voces ſunt commotio- ret.
nis magnæ de terra Aquilonis, quæ vel in- *Ier.10.*
frigidant charitatem veram, vel paruulum
perimunt. Nolite ergo andire terrenum,
ſed cæleſtem, cuius vox delectat animum,
ditat, & deificat.

Tu es filius meus dilectus. Quia dixit: *Pſal.2.*
Filius meus es tu, ego hodie genui te, eſt
autem genitus generauti dilectus, quia
ſimilis; ſimilitudo enim eſt ratio dilectio-
nis, ait philoſophus; vnde oraculũ protulit:
omne animal diligit ſibi ſimile: At quid *Eccl.13.*
cæleſti patri filio narurali ſimilius? Splen-
dor gloriæ (deponit Apoltolus) & figura *Hebr.1.*
ſubſtantiæ eius, portanſque omnia verbo
virtutis ſuæ. Hoc eſt, ſimillimus, ac om-
nino idem patri,& eiuſdem ſubſtantiæ om-
nia, quæ Pater, portans, & retiuens penes
ſe, quia omuipotens pater, omnipotens
filius, æternus pater, æternus filius, ſapiẽs *Athanaſ. in*
pat er, ſapiens filius, & vt omnia conclu- *Symbolo.*
damus in vtroque, cum Athanaſio confitea-
mur, æqualis pater, æqualis filius. Ergo
dilectus patri. Inde ſponſa: Dilectus ex *Cant.5.*
dilecto: Eſt quidem & pater dilectus, nec
non tota Trinitas, amore, quem vocamus
eſſentialem: notionali enim ſolus Spiritus
ſanctus dilectus dicitur. Vocat autem pa- Curvocatus
ter filium dilectum, non ſolum quod ad Chriſtus di-
opera dilecti videatur accingi, hoc eſt ad lectus.
redemptionem complendam, pœnirentia,
prædicatione, ſacramentorum inſtitutione,
ac morte, quæ geſſit; vr ſciat (inquit) mun-
dus quia diligo patrem, & nos quoque *Ioann.14.*
dilexit,& lauit nos: etiam vt dilectus apud *Apoc.1.*
nos eſſet, qui præ amore noſtri ſemetipſum *Phil.2.*
exinaninit, formam ſerui accipiens, & ſi-
cut mercennarius pro nobis tota die ope-
rans, donec aſpiret dies, & iuclinentur
vmbræ, vt nec calor me peccatorem adu-
reret, neque veterum vmbræ impedirent Canticum
viam, quæ ad vitam ducit. Quapropter animæ gratę
grata anima dicit: Dilectus meus mihi,& *Cant 2.*
ego illi, qui paſcitur inter lilia: lilia enim
eleuantur de terra candida, & odorifera. *Pſal 50.*
Hi quidem ſunt, quorum cor ſurſum fertur,
nec tantum orant: Cor mundum crea in
me Deus: Aſperges me Domine hyſopo,
& mun-

rati locuti ſunt Sancti, in enucleandis Scripturis non recedere, Pontificum, & Conciliorum decreta obſeruari, & reuereri eos, quibus Deus ſacra eloquia credidit. Dixit enim Euangelij auctor; qui vos audit, me audit, quia vobis datum eſt noſſe myſteriũ *Luc. 10. 8. 21.* regni Dei. Ego ero vobis os, & ſapientia. Et quæ in aure audiſtis, prædicate ſuper tecta. Vobiſcum enim ſum vſque ad con- *Matth. 10. 28. 18.* ſummationem ſæculi. Et vbi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, in medio illorum ſum; quin ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terrã, de omni re quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cælis eſt. Quo fit vt *Euangelium* dicamus, non ſolum quæ ſcripſere Apoſtoli, ſed traditiones, quæ ab ipſis emanarunt, nec non quæ eorum ſucceſſores in nomine Chriſti paſſim ordinant. Mouentur enim ab vno *Epheſ. 4.* ſpiritu, & capite cuius ſunt corpus. Caput, eſt Chriſtus, qui continuò interpellat Deũ, *Rom 8.* & precatur dari Spiritum paraclytum, ſpiritum veritatis, vt maneat nobiſcum in *Ioan. 14. 2 2.* æternum, & ſuggerat, quæcunque Chriſtus in conſummationem Sanctorum, in opus miniſterij, & in ædificationem corporis ſui dicit Apoſtolis, Doctoribus, Prophetis, ac cæteris, quos ſuæ Eccleſiæ præfecit. Pro- *Tertull.* pterea inquit Tertullianus lib. 4. aduer. Marcionem: Paulus Hieroſolymam aſcẽdit, ad Apoſtolos conſultãdos, ne forte in vacuũ cucurriſſet. Non enim ſufficeret ad fidem ſingularitas inſtrumenti, deſtituta patrocinio antecesſorum. Denique vt cum auctoribus contulit, & conuenit de regula fidei, dexteras miſcuere. Igitur ſi ipſe illuminator lucis auctoritatem anteceſſorum, & fidei, & prædicationis ſuæ optauit, quanto magis eam Euangelio lucem expoſtulem, quæ Euangelio magiſtri eius fuit neceſſaria? Quare ſi authoritas, & conſenſus maiorum Eccleſiæ, Euangelium probat, & declarat rata, & canonica, quæ Paulus, Marcus, *Iren.* *Auguſt.* Matthæus, & alij ſcripſere, vt Irenæus lib. 3. aduerſus hær. c. 2. 3. & 4. Aug. lib. 13. contra *Conc. Toletan. & Triden.* Fauſt. c. 4. & lib. 28. c. 1. 2. & 4. ac lib. 2. de Doctr. Chriſt. c. 7. & alij nec nõ Tolet. conc. ptl. & Trident. nouiſſimè affirmant, atque definiunt; illa quæ de communi conſenſu in Concilijs decernunt, & ſummus Eccleſiæ Paſtor ſcribit, & ſtatuit, ad fidei firmitatem, & morũ, quorſum negabimus rata? Nõ *Origenes.* dubitamus affirmare (ait Orig. præfat. in Ioann.) aliquo modo Euangelium eſſe, quæ ſcripſerunt Apoſtoli, cum ad Euangeliſtæ munus attineat, adhortatoria etiam oratione fidẽ his, quæ de Ieſu tradita ſunt, acquirere. Nomine Apoſtolorum intelligamus oportet Patres Eccleſiæ, qui Apoſtolorum functionibus ſucceſſere. Verum quo *Gelaſius. Synod. Trident.* in gradu accipi debeant noſtrorum, atque illorum ſcripta, docuit Gelaſius in concil. 70. Epiſc. & Synod. Trid. nec non Driedo, *Driedon.*

Thomas Vualdenſis, atque alij. Quare Fau- *Thomas Vualdenſis.* ſtus, qui totum nouum Teſtamentum negat, *Aug.* auctore Aug. lib. contra eumdem compoſitis, nec non Anabaptiſtæ, ſequaces Fauſti, minimè *credunt Euangelio.* Neque Ebionitæ, qui ſecundum Epiphan. lib. 1. hæt. 30. *Epiphan.* Matthæi Euangelio auctoritatem ſubtrahebant, dicentes ab hæretico ſub nomine Matthæi editum. Marcion, & Cherinthus, qui Marcum abijciebant, pari incredulitate notantur. Etiam Cerdon, qui ſecundum Tertull. lib. 1. de hær. c. 42. Lucam non re- *Tertull.* cipiebat. Alogi, ſic dicti ab Aug. lib. 2 hære. *Auguſt.* qui Ioannem non admittebant, ſub eadem ſunt infamia. Ac (ne cathalogum referam hæreticorum, & hæreſum) quotquot vel in toto, vel in parte à veritate Scripturæ Canonicæ aberrant, non *credunt Euangelio*; quibus cum non recuſo numerare eos, vt Ioan. Vuicleff. & Nouatores, qui epiſtolas decretales fingũt apocryphas, Concilia ſacra vocitant conciliabula: Bullas ſanctiſſimi Papæ Vrbis Romæ, vel non recipiunt, vel detrectant ijs obedire. Quid dicam? Neque *Euangelio credunt*, qui monita, præceptiones, & cenſuras Præſulum Eccleſiæ parui faciunt. Quorum numerus quantus ſit, quis nouit? audio enim ſæpè parum reuerenter accipi, quæ vel pro bono pacis, vel pro reformandis hominibus, vel diſtribuendis rebus Eccleſiaſticis, ad mundi partes varias deſtinant. Sed ſubuertet grando ſpem *Iſai. 28.* mendacij: & protectionem aquæ inundabunt. Et ſues, quæ veſte candida indutum *Plin.* lacerare contendunt, ſuccenſis facibus con- *3. Reg. 19.* cremantur. Denique datur Iehu incredulis, *Sillius Italicus lib. 8. bel. pun.* qui non recipiunt, quæ Deus per ſuos mandat. Iamque hoc ne dubites longæui nate parentis.

CAPVT DECIMVM SEXTVM.

Et præteriens ſecus mare Galilææ, vidit Simonem, & Andream fratrem eius mittentes retia in mare, erant enim piſcatores.

FOrmam prædicationis Chriſti præmiſit *Expoſitio.* Euangeliſta, vt eadem vſos eſſe, qui mox eliguntur cooperatores, oſtenderet. Occurrunt enim primi Simon, & Andreas, qui piſcatoriam artem exercentes, vt victũ proprio ſudore compararent, videri merentur à Chriſto, & probari digni, qui ad maiora aſſumerentur; labores ergo manuum tua- *Pſal. 127.* rum, quia manducabis (id eſt ſi manducaueris) beatus es, & bene tibi erit.

Et præteriens ſecus mare Galilææ. Hoc eſt diſcurrens prædicando Galilæam gentium, quæ mari adiecta erat. Præterita enim Nazareth ciuitate, ſolemnem prædicationẽ intra Capharnaum exorſus, fines Zabu-

lon

lon, & Nephtalim, propter Iſaiæ oraculum percurrit, ac totam Galilæam. Adeoque nomen eius diuulgatum eſt, vt ex confinibus, etiam remota Syria, & Hieroſolyma, ad eum confugerent; vt Matthæus maxima ex parte refert, & Lucas, nec non Marcus, ſed poſt electionem, ſeu vocationem Apoſtolorum. Siquidem & electis Apoſtolis, prædicationem, eodem gentium applauſu, Chriſtus proſecutus eſt.

Præteriens, itaque Chriſtus prædicat, vt facto, tradendam prædicatoribus doctrinam, comprobaret. *Præterire* enim, eſt retromittere, quæ non faciunt propoſito. Sola autem ſalus animæ eſt prædicatoribus ſcopus. Hanc ergo ſibi proponens reliqua prætereat; inde dixit: Neminem per *Ambroſ.* viam ſalutaueritis. Hoc eſt (iuxtà Ambroſ. ſuper Luc. 10. ſententiam) obſtaculum, quo fructus prædicationis retardari valeat, vel impediri *præterire*, velut optimi legati, & curſores fideles, quibus ſola ineſt cura, literas perferre, & ad Regem feſtinanter, cõpleta legatione, redire. Id autem fuiſſe ab *Cor. 11.* Apoſtolis obſeruatum, ſolicitudo omnium Eccleſiarum, quæ Paulum premebat, & peregrinatio diuturna, teſtantur. Nec non *Iſai. 60.* vniuſcuiuſque Apoſtoli velocitas, qua in prædicationis miniſterio vſi ſunt, fidem fa-*2. Reg. 1.* cit, in eis impletum eſſe illud: Qui ſunt iſti, qui, vt nubes volant? Aquilis enim velociores erant, vt venam doctrinę benedictam diffunderent in orbe, cum omnium ſtupore, *Iſai. 32. 40.* videntes impleri. Lingua balborum velociter loquetur, & planè. Current, & non laborabunt. Charitas enim, quæ ſpiritus vitæ eſt, & linguam agilitabat, vt non opera hominum, ſed quæ ſurſum ſunt faciliter eructaret ſapientibus, & inſipientibus; corpus pariter attenuatum ſubleuabat, vt tanti curſus anfractus nihilo duceret. Immò verò eos cogebat obliniſci cunctorum, quæ mentem à ſalute proximi auocarent. Atqui idipſum in noſtris cerneremus, ſi identidem igniculus ille, corda eorum inflammaret. *Ar. 2. cæli tex cõ 104.* Cauſa cum fuerit, erit cauſatum, dicebat Ethnicus. Fidelis verò; vbi non ſunt boues *Prou. 14.* præſepe vacuum eſt; vbi autem plurimæ ſegetes, ibi manifeſta eſt fortitudo bouum. *Cant. 8.* fortitudo autem prædicatorum quæ? fortis eſt, vt mors dilectio. Ideo prædicator ve-*Phil. 4.* ritatis eructat; omnia poſſum in eo, qui me confortat. Et quid? omnia arbitratus ſum, vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam. Forte-*Gal. 4.* ne ſibi? Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis. Iam ergo intuere, precor eam, quæ venit vſque ad partum, & non eſt ei virtus pariendi, quomodo ſudat, vt filium in lucem mittat, omnium obliuiſcitur, etiam viri, & oblectamenti proprij corporis, ne dicam, venuſtatis, vt nato, ac ſibi conſulat. An ignoras dici: Væh mihi, ſi non euangelizauero. Væh, ſi non parturiero Chriſtum, & væh, ſi non co- *1. Cor. 9.* nabor verum me proferre Euangeliſtam, qui me vltrò, ſiue vocatus ad officium ingeſſi? Conatus autem optimi prædicatoris, eſt, præterire exemplo maiorum omnia, quæ vel muneri derogant, vel fructum quoquo modo impediunt, & quaſi iam præterita reputare ea, quæ in mundo ſunt; tantum ad ſpiritualem animã reſpicere. Alioqui, ò vates, Benoni, doloris filium paries non Beniamin, niſi cæleſtis pater dignetur, ſic tuos auditores nominare, & beneplacito ſuo inter filios numerare. Tu verò niſi cęlitus illuſtreris, morieris, & ſepelieris in via, quæ ducit Ephratam, eo tamen non duceris. Ergo *præteriens* prædica.

Secus mare Galilææ. Quod Lucas nomi- *Luc. 5.* nat ſtagnum Genezaret, mare tamẽ dicitur more Hebræorum, qui congregationem aquarum appellant mare, vt mare mortuũ, quod eſt lacus Aſphaltidis: & mare templi, cuius aquis ſolitum erat, miniſtros lauari. Sic Marcus nunc mare appellat ſtagnum, de quo Ioſephus: Lacus Genezar à *Ioſeph. lib. 3. de bel. iud. cap. 18.* terra continente, appellatur, quadraginta verò ſtadijs in latitudine patens, centumq. in longitudine, aquæ dulcis eſt, atque potabilis. Paluſtri enim craſſitudine tenuiores habet latices, & vndique in littora, & are- *Deſcriptio lacus Genezar.* nas deſinens, purus eſt, ac præter hoc, temperatus ad hauriendum, & fluuio quidem, ſiue fonte lenior eſt; ſemper autem frigidior, quam lacus diffuſio patitur, manet, æſtiuiſque noctibus eius aquæ ſub dio perflatæ nequaquam æſtibus cedunt, id enim facere indigenis moris eſt. Varia autem ſunt in ea piſcium genera, ab alterius loci piſcibus, tam ſapore, quàm ſpecie diſcreta, mediuſque fluuio Iordane ſecatur. Hæc Ioſephus, qui allegorizare cupienti immenſum ſua narratione campum præbet. Pauca tamen ipſe animaduertam, ne ſilentio myſterium prætercam. Quare ſtagnum di- *Lacus Genezareth figura Eccleſiæ.* co Eccleſiam militantem, quæ cum cæleſti nomine communicat, & à continente terra appellatur in Scripturis, Eccleſia Epheſi, *Apoc. 2. 3.* Pergami, Philadelphi, Antiochiæ, &c. quadraginta latitudinis ſtadia iuxtà Aug. calculum. Sunt decem mandatorũ obſeruantiæ. Decem enim quater multiplicata reddunt quadraginta. Longitudo centenaria, finem, qui eſt beatitudo, deſignat: Beatitu- *Gregor.* dini enim Gregor. ſuper Ezech. hom. 17. 22. centenarium tribuit. Aquæ dulciſſimæ, quibus Eccleſia repletur, ſunt genera gratiarum, quæ ab vno Iordane, hoc eſt Deo, fluunt per Chriſtum; quieſcit ſemper Eccleſia, nunquam accedenti moleſta eſt, ſed benefica, aperiens theſaurum gratiarum, quæ nullis æſtibus, aut tempeſtatibus cedunt. Piſcium multitudo quanta ſit, & quàm differens à quocunque piſce, quiſque agnoſcet, qui fidelium qualitatem conſiderabit.

luntate ſui ſpiritus, vt ſternat aduerſarium. Vbi nobis præmonſtrat, vt poſt baptiſmum accingamur fortiter contra diabolũ, relictis mundi illecebris, & ſocietate prauorum.

Conſtitut. Apoſtol.

In Deſertum. Quod poſt baptiſmum in deſertum abierit, Conſtitutio Apoſtolorum apud Clem. lib. 7. cap. 23. erat, baptizandos debere ante baptiſmum ieiunare. Non enim, inquit, æquum eſt, vt qui conſepultus eſt, & conreſurrexit, in ipſo tempore reſurrectionis, lugeat, mortuuſque ſit. Huius ſeceſſus in deſertum cauſam viſus eſt Matthæus exprimere dicens; Vt tentaretur à diabolo. Præter quam nonnullas excogitemus. Sit prima. Ex his, qui Ioannis baptiſma ſuſcepere, ſolus Chriſtus in deſertum abijſſe legimus; quod ſolus Chriſtus foret, qui per baptiſmi Sacramentum, ſolitudines gentium populaturus erat, derelicta Iudæa. Vnde cantor cecinit: Poſuit flumina in deſertum, & exitus aquarum in ſitim. Terram fructiferam in ſalſuginem, à malitia habitantium in ea; Poſuit deſertum in ſtagna aquarum, & terram ſine aqua in exitus aquarum. Et collocauit illic eſurientes, & conſtituerunt ciuitatem habitationis. Vbi interim (ait Gloſſa) habitant in ſpe. Hanc enim Auguſt. & Arnobius Eccleſiam, quam à Iudæis ad gentes Chriſtus tranſtulit, intepretantur. Id quod pleriſq. alijs ſcripturæ locis apertius perſuadetur. Verum quomodo per baptiſmi aquas id factum ſit, præſens oraculum, & quod apud Ezechielem legimus 47. nec non Iſaiam. 35. 41 deſignat iuxta Hier. in Ezech. Tertull. de baptiſmo, & aliorum iudicium. Secunda, poſt baptiſmum in deſertum proficiſcitur, vt qui Ioannis baptiſmum ſuo baptiſmo probauerat, vt inquit Clemens lib. 7. conſtit. apo. cap. 24. nec non alia, quæ Deus in lege ordinarat, dicente eo: Non veni ſoluere legem, ſed adimplere, ita quoque ſua ſolitudine, quam priſci tenuerant, in ſolitudinibus errantes, in ſpeluncis, & in cauernis terræ, poſteritaſque erat proſecutura, comprobaret aduerſus Nouatorũ inſaniam, qui neque Ioannem coluiſſe vaſtam deſerti ſolitudinem, neque vnquam placuiſſe Chriſto, neque viris optimis, nec denique inſtituto Chriſtiano conformem volunt. Vnde inſanit Caluinus in Harmonia ſuper illud. Vnum eſt neceſſarium, dicens. Vetus quidem error eſt Angelicam vitam agere, qui procul à negocijs toti in contemplationem incumbunt: Itaque erroris damnat, non ſolum cuneos illos prophetarũ, qui antiquitatẽ celebrarunt, & quot quot poſt Chriſtum orbi extiterunt miraculum, & tota Eccleſia veneratur, immo verò os mittit in cælum, & Chriſtum, qui veritas eſt, & norma totius ſanctitatis, taxat erroris: ſiquidem deſertum cunctis arctius Chriſtus duxit, & Angelicam vitam quis diligentius, ac dulcius noſtro Chriſto eo loci obſeruauit, & tenuit? Nec ſibi ſoli, ſed eam reliquis perſuaſit illius dignitate promulgata cum dixit: Porrò vnum eſt neceſſarium, Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea: Quia contemplatiua hic incipit (ait Gloſſa) & in cæleſti patria perficietur, quia amoris ignis, qui hic ardere inchoat, cum ipſum, quẽ amat, viderit, in amore amplius igneſcet. Non igitur auferetur contemplatiua, quæ ſubtracta luce præſentis ſeculi perficitur: actiua cum corpore deficit, quia in æterna patria, panem non porrigit eſurienti, quia nemo eſuriet, nec cætera pietatis opera aget, quia non erunt neceſſaria, cum præſenti ergo ſeculo auferetur actiua. Merito igitur contemplationi alia iuſtificationum merita, immenſa virtutum ſtudia poſtponuntur. Eam autem in ſolitudine locum habere accommodum plurimorum exempla nos docent, & ſcripta. Tum maximè Chriſti, qui non ſemel, ſed pluries deſertum adijt, vt relictis turbis, ac mundi curis, ſuos pariter conduceret ad ſolitudinem, in qua, & loqueretur eis. Igitur quia magna eſt gloria, ſequi Dominum, & ſuper ſeipſum eleuari, qui poteſt, ſolitudinem adeat, & quæ contemplatiui ſunt, peragat; hoc enim vnum eſt neceſſarium. Hoc eſt, potiſſimum, & præcellens. Scio ab hiſce hominibus aliter ſententiam explicari, videlicet de fide, prædicatione, & auditione verbi Dei. Hæc vnice Lutherus, Loſſius, Brentius, atque alij neceſſaria eſſe contendunt, & commendari à Chriſto. At mendaces homines textus redarguit. Nam ſi ſalutem in auditu verbi ſtatuiſſet Chriſtus, non dimiſiſſet Martham abſque reprehenſione; & ſi tunc Mariam laudari dicimus, quòd crederet; ergo ante non credebat. Quare iniurij ſunt peſtiferi homines mulieribus, quas Chriſtus commendat. Abeant ergo, qui ſuis monſtruoſis inuentis orbem perturbant.

Quare Chriſtus iuit in deſertum. Matth. 4.

Pſal. 106.

Auguſt. Arnob.

Ezech. 47. Iſa 35 41. Hieronym. Tertull.

Matth. 5.

Caluini inſania refellitur.

Luc. 10.

Contemplatiua actiuæ præponitur.

CAPVT DECIMVMTERTIVM

Et erat in deſerto quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, & tentabatur à Satana, eratque cum beſtijs, & Angeli miniſtrabant ei, &c.

Expoſitio.

ITaque qui cælum implet ac terram, ecce in deſerto eſt. Quid autem ab eo actum eo loci ſit audiamus, & perſcrutemur ſingula; quæ ſummatim Euangeliſta enarrat. Quadrageſimam inquit dierum, & noctium, nullo percepto cibo, omnino ieiunus celebrauit; & licet prouocatus à Satana, & impetitus, honorem, & omne miniſterium ſolatij ab Angelis accepit.

Digitized by Google

Quin beſtiæ, quæ aduentantibus moleſtiam
inferunt, ac perſæpe mortem, Dominum, &
Iſaia 1. agnouerunt, & coluerunt : Iſrael autem me
non cognouit, conqueritur ipſe Dominus.

Et erat in deſerto. Quod in deſcenſu ab
Hieruſalem in Ierico ſitum eſt, vt homi-
Luc. 10. nem, qui infeliciter ibidem deprædatus fue-
rat, & malè mulctatus, ſubleuaret, foueret,
& reſtitueret valetudini priſtinę: Venit enim
Luc 19. filius hominis quærere, & ſaluum facere,
quod perierat; non iam aſinas (harum enim
eſt cura Sauli, vel dæmoni, qui rudes, & in-
1. Reg. 9. ſanos, ac duræ ceruicis homines, terram
circuiens, nititur ſibi congregare) ſed fra-
tres; quoniam Ioſeph accreſcens, & augmẽ-
tans, qui Dei gloriam, & Sanctorum nume-
rum multiplicare deſiderat, & ab vniuerſis
locis Oriente, Occidente, & à deſertis mon-
tibus in vnum congregare, vt vni Domino,
Sopho. humero vno, qui procul, & qui longè ſer-
Ioan. 10. uiant, nec ſint iam duæ gentes, nec duo po-
puli, ſed vnum ouile, & vna ciuitas ſolis,
quæ vnum Deum adoret, vnam fidem te-
neat, & complectatur vnum baptiſma, im-
Iſai. 19. pleaturque. multiplicabitur eius imperium,
& pacis non erit finis, ſuper ſolium Dauid,
& ſuper regnum eius ſedebit, vt confirmet
illud, & corroboret in iuſtitia, & iudicio,
amodo, & vſq; in ſempiternum. Porrò quid
congregati primum acturi ſint, vt certam
faciant vocationem ſuam, docet ſtans in
deſerto. Abiens enim in deſertum, ſolici-
tudinem, qua perquirit hominem, oſtendit:
at permanens, vt ait textus: *Et erat*, diſci-
plinam fideli obſeruandam proponit. Per-
manere, inquam, in continua pœnitentia,
Luc. 21. renunciatione omnium, & patientia infra-
cta. Dixit enim: In patientia veſtra poſſide-
Matt. 11. bitis animas veſtras: Tollite iugum meum
ſuper vos: Arcta eſt via, quæ ducit ad vitam,
Luc. 14. ac demum: Qui non baiulat crucem ſuam
poſt me, non poteſt meus eſſe diſcipulus.
Nam & militem probat dux, & coronat, qui
vnà cum eo iugiter belligerat. Hinc cantus:
Pſal. 125. Euntes ibant, & flebant mittentes ſemina
ſua, venientes autem venient, cum exulta-
tione portantes manipulos ſuos. Hos poſt
longam quadraginta annorum in deſerto
moram, collegit Iſrael de terra promiſſio-
nis. Ergò qui fructum terræ ſublimem
vis in terra viuentium deguſtare, eſto in
deſerto, perſiſte in ſtatu pœnitentiæ, ieiuna,
ora, labora, & exerce diligenter agrum
tuum, & manè ſemina ſemen tuum, vt ve-
Matt. 10. ſpere comedas fructum tuum. Quia qui
perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus
erit. Talis eſt enim hominum vita (ſcribit
Baſil. Baſilius Magnus ad Chilonem diſcipulum
ſuum ep. 181.) non contenta his, quæ præ-
ceſſerunt, ſed quæ nutriatur, non magis prę-
greſſis, quam futuris. Quid enim prodeſt
homini heſterna ventris ſatietas, ſi inſita
fames proprium eſus ſolatium non repe-
riat? Sic neque animæ lucrum ex heſterna
virtutis actione accedit, ſi hodierna iuſta
actio relinquatur, qualem enim reperis te,
talem te iudico. Itaque vanus eſt iuſti la-
bor. Irreprehenſibiles item ſunt peccato-
ris moræ, ſi alteratio inducatur, ita vt ille
à meliori, ad deterius, hic à deteriori ad me-
lius mutetur.

Obſerua Græcam lectionem καὶ ἦν ἐκεῖ ἐν τῷ
ἐρήμῳ, & erat illic, in hoc, ſeu iſto deſerto,
vt hiſce pronominibus, atque articulis mo-
uearis ſedulò contemplari factũ Chriſti, nec
non locũ, atque etiam opus, quod illic per-
manens vitæ auctor, & in hoc tàm remotiſ-
ſimo loco ab hominum commercio inten-
derit. Sunt quidem iſta adeo ſublimia, vt
ſingulum poſtulent tractatum, verum non
effugient pium, qui hiſce animum appli-
cuerit.

*Quadraginta diebus, & quadraginta
noctibus*. Quia venerit dies, & noctes con-
iungere, & diem formare, quæ neque eſſet
dies, neque nox, etiam implere oraculum:
Dies diei eructat verbum, & nox nocti in- *Pſal. 18.*
dicat ſcientiam. Hoc eſt facere, vt Angeli
Angelis declararent myſteria abſcondita,
quando eo aſcendente reſponderunt occur-
rentibus: Dominus fortis, & potens, Do- *Pſal. 24.*
minus potens in prælio. Etiam vt homi-
nes obſcuri generis euangelizarent Deum,
& eius ſcientiam. Ergò vt iam deſideratum
cantum Angeli eructent, & homines prædi-
cent Euangelium omni creaturæ, ieiunat
diebus integris, & noctibus; nam vtriſque
meruit tali fungi legatione. Quia dixit: Hie- *Iſai. 41.*
ruſalem Euangeliſtam dabo. At Hieruſa-
lem cæleſtem componi ex Angelis, & homi-
nibus quis dubitat? Sed & Eccleſiam
Angelorum cuſtodia, & miniſterio fulciri
omnes credimus; quicunque ergo gaudium
magnum euangelizant, à Chriſto dantur
Euangeliſtæ, ſiue dies illos dixeris, vtpotè
Angelos, à claritate; ſiue noctes facias, vide-
licet homines, qui dum viuimus obſcurita-
tem olfacimus: Tametſi cunctis emortuis,
erimus, ſicut Angeli Dei, quibus cum præ- *Apoc. 21.*
ſente agni lucerna fiet dies celebris, quæ
neque ſciet noctem peccati, aut miſeriæ,
neque huiuſce diei mutabilis interpola-
tiones admittet, ſed luce continua perfrue-
tur, & ſeptimpliciter, vt ſol ſeptem dierum,
lucebit quiſque, quem dignabitur ad eam
ianitor admittere. Hi autem qui? qui &
quadraginta diebus abſtinebunt, hoc eſt, qui
in proſperis ſeipſos continebunt à lapſu,
iuxtà illud: Diuitiæ ſi affluant nolite cor *Pſal. 61.*
apponere. Poſt hæc quadraginta noctibus
ieiunauerint, hoc eſt nocturnum quid non
guſtauerint, velut immundum, & militans
aduerſus animam. Nocturnum dico tranſ-
greſſionem negatiui præcepti, & affirmati-
ui omiſſionem. Hæc enim ſunt, quæ coin-
quinant hominem, denigrant ſuper carbo-
nes,

nes, & nocturnum efficiunt, ne dicam, beſtiam agri, & feram, quæ nocte graſſatur. Filius vero lucis qui, & Dei, his, deteſtatis, veritatem proſequitur; licet innumeri hoſtes inſurgant. Et quomodo

Clemens Alexandr.

(ait Clemens Alexandrinus ſtromatum lib. 7.) ſi vna ſit quidem via regia, & multæ etiam aliæ, ex quibus aliquæ ferunt in præcipitium, aliquæ verò ad fluuium rapide fluentem, aut ad mare profundum, non dubitauerit quiſquam viam ingredi, propter diſſenſionem, ſed vtetur via regia, & recta, & ſeiuncta à periculo. Hanc enim Chriſtus ſtans, & ieiunans in deſerto, monſtrauit.

Et tentabatur à Satana. Vt homo, interpretatur Gloſſa; quia vt Deus tenta-

Hebr. 4.

ri non poterat. Vt homo autem tentatus per omnia, voluit fratribus aſſimiliari, etiam ſua tentatione opem ferre, & prodeſſe. Victor enim euadens, aduerſarium debilitauit, ne ſimili auſu Chriſtianum aggrediatur; athletam ſuum confortat, vt tentatori accedenti reſiſtat fortiter, vt vim inferat, quouſque in nomine eius, à quo tàm ignominioſam repulſam paſſus eſt, procul à ſe faciat. Adde meritum, quo

Fructus tentationis Chriſti.

Chriſtus tentatione meruit pro tentatis, vt vincant, & reportent de tentatione prouentum. Talis enim nos decebat Pontifex, & Dux, qui bellum aggrederetur, vt aquila pro pullis animoſe pugnaret, & vt ciconia, venefica animalia perderet, & formidoloſum Iſrael ſecurum

1. Reg. 17.

redderet Dauid fidelis, gigante detruncato. Obtulit autem ſe tentatori (ait Zac-

Zacchar. Chryſop.

charias Epiſcopus Chryſopol.) quadraginta diebus, & quadraginta noctibus vt iudicet quia ſiue hic proſpera blandiũtur, quod ad dies pertinet, ſiue aduerſa feriant, quod noctis figuræ congruit, ſemper fidelibus eſt aduerſarius, non ceſſans eos impedire tentando. Habet quidem iram magnam, & efferuet, vt equus ad bellum contra filios

Apoc. 1. 12.

Dei, qui Chriſtum ſequuntur. Non lædit tamen, ſed proficit ſi reſiſtimus: quæuis

Celeſt. Papa

enim tentatio (ſcribit Celeſtinus Papa ad Clerum populumque Conſtantinopolitanum) eſt quædam Chriſtiani hominis pro-

Rom. 5.

batio. Hæc enim, vt legimus, patientiam parit, ex illa vero enaſcitur ſpes, quæ, ſcriptura atteſtante, nec confundit, nec decipit.

Vulgatæ textus, *Tentabatur*, anſam

Orig.

præbet, cum Origene, dubitandi, num toto illo quadraginta dierum numero, fuerit tentatus Chriſtus, an tantum finito ieiunio, vti Matthæus indicat, & credit Eccleſia. Verum græcus textus *πειραζόμενος tentatus*, difficultatem ſoluit. In membris quidem multifariam, multiſque modis *tentabatur* olim Chriſtus, & *tentatur* continuo, vſque in finem ſæculi. In proprio autem corpore tentatus eſt ſemel triplici tamen congreſſu. Quare inquit

Gloſſa ex Beda.

Gloſſa ordin. ex Beda; totum tempus ſignificat, quo membra eius diabolus tentat. Quadripartitus enim mundus, per obſeruantiam decem preceptorum, contra diabolum certando, Domino famulatur. Quater verò decem, quadraginta faciunt. Intereſt tamen inter Chriſti ten-

Differentia inter noſtrã & Chriſti tentationem

tationem, & noſtram, quod illa ab vno ſolo Satana prouenit: vſquequaque enim perfectus bellum concupiſcentiæ non ſenſit contra rationem. Noſtra non tàm diabolum, aut externum alium, quàm etiam internam concupiſcentiam, & animalem hominem poteſt tentatorem habere; quia vnuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua allectus. Concupiſcit

Iacob. 1. Rom. 7.

enim quod nolo malum, & aduerſatur bono, quod dictat lex mentis. Itaque

Gen 3.

Concupiſcentia in homine, &c.

licet videre pomum in homine, cuius intima granum contineant, quo germinet ſecundum genus ſuum; nec non vermem, qui vineæ pulchritudinem vaſtet. Patro-

Deuter. 28.

cinamur nos ipſi huic tentatori, cum ſenſuum diſciplinam negligimus. Quia mors (ait Ieremias) aſcendit per feneſtras noſtras, ingreſſa eſt domos noſtras,

Ier. 9.

diſperdere paruulos de foris, iuuenes de plateis. Feneſtras vocat (exponit Theo-

Theod. 5. Ier cap. 9.

doretus Epiſcopus Cyrenſis) erroris commentationes, per quas errorem ſuſceperunt, & illius ergò inflicta eſt plaga. Nec errauerit quiſquam ſi ſenſus corporis appellauerit feneſtras animæ, verbi gratia, viſum, guſtum, olfactum, auditum, & tactũ. Per hos enim vita, & mors ingredi poſſunt. Nam qui temperatè intuetur, conſequitur vitã: qui autem intemperatè, diſcerpitur in mortẽ. Et lingua verax comparat animę ſalutem, quæ autem mentitur, interitum procurat, & de reliquis ſenſibus idem dicere eſt perfacile. *Satana*; nomen eſt Hebræum, quod aduerſarius, ſiue contrarius ſolet interpretari. Eſt enim ad-

Matth. 12.

uerſus Chriſtum, quia qui non eſt mecum, contra me eſt. Aggreditur quoque homi-

Pet. 5.

nem circuiens, quærens quem deuoret. Huius fraudes, & potentia ſub nomine

Iob. 3.

Iſaia 14.

Behemot, & Leuiathan, apud Iob deſcribuntur. Caſum vero Iſaias proponit, eum vocans Luciferum; ſed & malitiam eiuſdem declarat, nomen Diaboli, ideſt cri-

Apoc. 2. 12. 20.

minatoris, de quo Ioann. in ſuo reuelationum libro. Ab eo ſecundum Auguſt. hom.

Auguſt.

2. in Apoc. & Hier. ſuper Iſaia 27. & Zac-

Hier.

char. 3. malorum cætus, qui ſub eo militat, denominatur. Nam qui ex patre Diabolo ſunt, Chriſtum pariter in mem-

Act. 9.

bris ſuis perſequuntur. Paule, Paule ait Chriſtus, quid me perſequeris? Et tentant Deum non ſolum, qui cum poſſint, neque ſuam, neque aliorum ſalutem

præcauent : iuxta Nicolai Papæ ſententiam cap. 46. ad conſulta Bulgarorum : verum etiam, cum malo animo ad Deum accedimus, vt illi, quibus dictum eſt : Quid me tentatis hypocritæ? Nunc ergo quid *Matth. 22.* tentstis Deum? Denique colligati *Act. 15.* ſerpentes ſimul cum colubro magno, mulierem, *Apoc. 12.* ac puerum, hoc eſt Chriſtum, & Eccleſiam *Pſal. 2.* inſequuntur. Qui habitat tamen in cælis, irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos. Et ſi ſapientes in bono fuerimus, *Rom. 16.* & ſimplices in malo, côteret Deus Satanam ſub pedibus noſtris. Verbi gratia *Orig.* (ſcribit Origen. lib. 10. in epiſt. ad Rom. cap. 16.) ſi agonem quis ſuſceperit caſtitatis, ſi vſque ad finem immaculata conſcientia perdurauerit, dici de eo poteſt, quia contriuit Deus Satanam ſub pedibus eius, ideſt ſpiritum, qui erat contrarius caſtitati, &c. Hoc eſt nimirum quod *Luc. 10.* Dominus in Euangelio dicit ; Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnes virtutes inimici.

Eratque cum beſtijs. Non tamen nocebant ei, ſed magis applandebant (inquit Lyra) quoniam agnoſcebant Dominum, & innocentiam, ob quam homo beſtijs dominabatur antiquitus, in Chriſto reuerebantur, cupientes amicitiæ fœdus cum homine renouare. Vnde impleri viſa ſunt *Oſe. 2.* quæ Oſees prædixerat. Et percutiam cum eis fœdus in die illa, cum beſtia agri, & volucre cæli, & cum reptili terræ, & gladium, & bellum conteram de terra, & dormire eos faciam fiducialiter. Inde *Pſal. 148.* pſaltes intonat. Beſtiæ & vniuerſa pecora, ſerpentes, & volucres pennatæ. Reges terræ, & omnes populi, principes, & omnes iudices terræ, iuuenes, & virgines, ſenes cum iunioribus, laudent nomen Domini, quia exaltatum eſt nomen eius ſolius. Quoniam ſolus pacificus, qui pacis fœdus, ne dicam inter Deum, & homines, ſed inter hos, atque beſtias potuit renouare. Quare, inquit, per Iſaiam : Glorifica- *Iſai. 43.* bit me beſtia agri. Nam quæ olim paſſim, non tàm priuatos homines, quàm populos, vrbes, & regiones deuaſtabant, vt refert Plinius, à Chriſti temporibus videntur ex parte cum omni humano genere manſuefactæ ; fideles verò, & ſanctos, ſicut in pleriſque ſanctorum hiſtorijs legimus, coluerunt, & ſedulo eorum iuſſis paruerunt.

Poſt Chriſti aduentum beſtiarũ deſijt ex parte ferocitas. *Plinius.*

Euth. Diſcas ergo (ait Euthymius) quod is, qui tuetur animæ dignitatem, b ſtijs potius formidabilis eſt. Ante inobedientiam enim iuſſum erat, vt omnibus homo dominaretur. *Erat* quoque *cum beſtijs* in deſerto, quod peccatorum cauſſm in deſerto ageret. Peccator autem comparatus eſt iu- *Pſal. 48.* mentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.

Et Angeli miniſtrabant ei. Poſt tentationes videlicet (notat Euthymius) & poſt manifeſtam de tentatione victoriam quemadmodum ſignificauit Matthæus. *Matth. 4.* Nam (inquit Chriſ.) poſt tentationem, & victoriam contra diabolum operatus eſt hominum ſalutem. Et ſicut Apoſtolus di- *Hebr. 1.* cit : Angeli in miniſterium mittuntur propter eos, qui hereditatem capiunt ſalutis. Itaque ait Beda, Chriſtus inter be- *Beda.* ſtias commoratur vt homo, ſed miniſterio vtitur Angelorum vt Deus, cui millia millium miniſtrant, & decem millia aſſi- *Dan. 7.* ſtunt. Et nos quoque, concludit Gloſſa ordin. ſi in eremo ſanctæ conuerſationis beſtiales hominum mores impolluta mente toleramus, miniſterium Angelorum meremur, à quibus, corpore abſoluti, in cælum transferamur. Tunc autem (ſubdit *Hier.* Hieron.) beſtiæ pacatæ erunt nobiſcum, *Gen. 7.* cum in arca animæ noſtræ munda cum immundis animalibus manſueſcimus, & cum *Dan. 14.* leonibus, ſicut Daniel, cibamus, cum ſpiritus non ſit aduerſus carnem, & ſanguinem, nec caro concupiſcit aduerſus ſpiritum. Poſt hæc Angeli miniſtri, qui vident *Matth. 18.* faciem Patris noſtri in cælis, ſemper mittuntur nobis, vt reſponſa, & ſolatia cordibus vigilantibus dent, dicentes Exaudita *Luc. 1.* eſt oratio tua, & : Nolite timere, Ieſum *Marc. 16.* quæritis Nazarenum, & ego quos amo, arguo & caſtigo. Et vincenti dabo edere *Apoc. 3. 2.* de ligno, quod eſt in paradiſo Dei mei. Denique poſt habitationem cum beſtiis, Angelorum miniſterium obueniſſe Chriſto, Marcus refert, vt innuat, quando, & propter quid Chriſtus ſuper Angelos prin- *Matth. 28.* cipatum acceperit, videlicet, debellatis, ſcilicet, mundo & dæmone, tunc enim dixit : Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra. Quoniam tunc Deus exaltauit il- *Phil. 2.* lum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu, omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum. Ideo (ait Lyra) per hoc *Lyra.* oſtendebatur Dominus terreſtrium, & cæleſtium.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

Poſtquam autem traditus eſt Ioannes, uenit Ieſus in Galilæam, prædicans Euangelium Regni Dei, & dicens.

MVlta prætermittit Marcus, quæ Matthæus proſequitur, ad quem confugito, & narrationes ſuper eundem factas, conſule. Mox litteram, vt ſequitur explana- *Expoſitio.*

explanabo ad cuius notitiam, iuuat ſcire
cauſam, ob quam Ioannes ſit traditus, &
quorſum publicam Euangelij prædicatio-
nem in Galilæa cœperit. Sed & iſta
iu 4. lib. ſuper Matthæum tractautur.
Itaque poſtquam Ioannes Macharuntæ in
Vide Ioſeph carcerem miſſus eſt, propter Herodiadem,
lib. 18. 10. præcipiente Heroue adultero; Chriſtus
Euangelium publicauit, vt non tàm Ioan-
nem, quàm reliquos uoſtri generis de car-
cere, in quem, vel erant coniecti, vel
properabant, educeret contractis cathe-
nis, & manicis ferreis, quibus detinebantur
incluſi.

Poſtquam autem traditus eſt Ioannes.
Habet codex Græcus orationem hanc im-
perfectam, μετὰ δὲ τὸ παραδοθῆναι τ' Ἰωάννην
Poſt autem traditum eſſe Ioannem. Et qui-
dē optime defectiua oratioue defectus Lu-
ciferi, & Ecclypſis eminentiſſimi Ioannis
prænotatur, qui non ſolum viſus eſt natu-
ræ vim inferre, verum etiam naturæ au-
thorem Chriſtum contriſtauit. Etenim
hic, vt bonorum omnium, & perfectorum
pater, ſigna mæroris oſteudit, poſtquam
impij præualeut aduerſus iuſtum; occurrit
fratricidæ dicens: quid feciſti? deſcendit,
Gen. 4. vt liberet Iſrael. Percuſſit caput de domo
Exod. 3. impij, qui perſequebatur iuſtum: Quaſi
Iſaia 63. animal in campo deſcendens ſpiritus Do-
Pſal 72. mini ductor eius fuit. Inde cantor. Quam
Pſal 45. bonus Iſrael Deus, his, qui recto ſunt cor-
Pſal 34. de. Deus noſtrum refugium, & virtus
Pſal. 108 adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt
nos nimis. Apprehendit enim arma, &
ſcutum, & venit iu adiutorium eorum,
qui faciunt Iudicium, & Iuſtitiam in om-
ni tempore. Et interim dum tempus ac-
cipit, vt iuſtitias iudicet, ſubtrahit malis,
Pſal. 74. quæ ſolebat naturæ eorum concedere,
aufert vinum, & oleum, ſterilem reddit
terram, mœrere facit, mare conturbat, &
denegat ſæpè aërem. Deuique vagum, &
profugum dimittit eum, qui non veretur
manum mittere in Chriſtum Domini. Eſt
Pſal. 44. enim iuſtus oleo lætitiæ vuctus, vnde Chri-
ſti nomen ſortitur, ac filij Dei. Quemad-
modum ergo hærede male affecto, non
tàm parentes, quam ſerui turbantur; ità
impio præualente aduerſus Iuſtum, cuncta
videntur Ecclypſim pati, & deficere, &
quaſi ad authorem, & orbem iniuria ten-
deret; ille vindicat ſe de inimicis ſuis, vſq.
Iſaia. 1. ad tertiam, & quartam generationem; hic
Sap 5. pugnat pro eo, contra inſenſatos. Tantus
ergo defectus, qui iu traditione Ioannis
accidit, & propter eius carcerem inſidia-
Ioſephus. tores paſſi ſunt, vt Ioſephus aliqua ex par-
te refert, oratione defectiua quam lectio
græca expreſſit, demonſtratur.

Venit Ieſus in Galilæam. Vt Lucifero,
vno in loco obſcurato, inciperet alibi ſol
illuceſcere, ne ſub tenebris degeret mun-
dus, ſed limpido illuminaretur lumine
orbis. in Iudæa Incerna ardens, & lucens
Ioannes tenetur in vinculis; vox claman- *Ioann. 5.*
tis in deſerto, obmuteſcit; non eſt, qui *Iſaia 40.*
verbum Dei audiat inter Iudæos. Ecce
tempus eſt, vt ad gentes conuertatur lux
mundi, & inde illuceſcant corruſcationes
ſingulis, qui ambulabant in tenebris, &
oriatur Lucifer in cordibus eorum, qui in
regione, & vmbra mortis ſedebant; iam
iamque qui olim in Iudæa loquebatur
trans Iordanem in Galilæa gentium eru-
ctat verbum. Itaque traditio Ioannis, ad
quem vſque lex viguit, & prophetæ, ſi-
gnificauit finem legalium, quarum obſer-
uantia in Iudæa vigebat; diſceſſu Chri-
ſti in Galilæam, & ibi publicam ordiri
Euangelij prædicationem, transferendam
eſſe prædicationem ad gentes Venit quo-
que in Galilæam poſtquam Ioannem reſci-
uit comprehenſum, vt ſubducamus nos
(ait Theophilactus ex Chryſoſt.) à tenta- *Theophil.*
tionibus, & nos temerè non ingeramus. *ex Chryſoſt.*
Vbi autem inciderimus, feramus: Appel-
lauit enim Paulus Cæſarem: Petrus aufu- *Act. 25.*
git carcerem; Policarpus in agrum ſe re-
ceperat, & Vrbanus Papa iu cauernis lati-
tabat; comprehenſi vero, martyrium
ſtrenuè conſummarūt. Timor enim ſanctus,
atque prudentia, quæ à malis declinare
ſanctos perurgent, comprehenſos reddit
impauidos, & muro æneo fortiores.

Receſſit etiam, ait Chryſoſt. vt ad do-
ctrinas, & ſanationes, ſe ipſum conſerua-
ret, priuſquam pateretur, hiſque omnibus
adimpletis, fieret obediens vſque ad mor-
tem: & hic quoque finis noſtri receſſus,
& prolongatæ vitæ eſſe oportet doctri-
nam, & ſalutem animis noſtris cumulare,
& nos ipſos ad pietatem exercere, quouſ-
que morte iuſtorum in ſanctitate, & iuſti-
tia coram Domino, ſubque iugo eius mo-
riamur. Beatus vir, qui impleuit deſide- *Pſal. 126.*
rium ſuum ex ipſis, non confundetur, cum
loquetur inimicis ſuis in porta. Si qui-
dem Dæmonum agmina, quæ vt apes ad
mel morienti occurrunt, meritis, quæ ex
continua vitæ ſanctitate ſibi conciliauit
alligat, & propulſat, quia ſicut ſagittæ in
manu potentis, ita filij excuſſorum, vel
vegetorum, vt interpretatur Hieronym. *Hieron.*
ad Marcellam vel ſecundum hæbraicam
veritatem כן בני הנערים chen bene hane-
ghurim, ità filij iuuentutis, ſeu iuuentu-
tum, vt Pagniuus vertit. Filij autem ve-
getes, & iuuentutis robuſtiſſimi, quaſi in *Pagnin.*
iuuentute, & perfecta ætate geniti, qui-
bus Principes, & poteſtates tenebrarum
procul à nobis facimus, percutimus, & vul-
neramus quaſi ſagittis feras, & harpias,
ſunt merita, quæ renouata iuuentute cæ-
litus, continuò operantur. Quemadmo-
dum Paraphraſtes expreſſit, ſic vtrunque *Paraphraſt.*

D 2 verſum

verſum transferens. Sicut ſagittæ in manu
potentis, ſic merces erit operum bono-
rum eorum, qui legi vacauerũt à pueritia:
Beatus vir, qui impleuerit ſcholam ſuam
ex ipſis: non confundetur, quando con-
tenderit cum aduerſarijs ſuis in porta
domus Iudicij. Domus autem Iudicij, quæ
niſi mors, quando prout quiſque geſſit,
iudicatur? Ergo vſque ad mortem, o ho-
Eccl. 4. mo agonizare pro anima tua, quodcunque
poteſt manus tua inſtanter operare. Non
Eccl. 9. ſit manus tua remiſſa ſed fortis; quæ ap-
Eccl. 4. præhendat fuſum, & plantet vineam, ſtra-
gulatam veſtem faciat ſibi, & duplicibus
Prou. 31. domeſticos veſtiat; hoc eſt, contempletur
cæleſtia, incaleſcat amore, ſe operiat iu-
ſtitia, & proximi animum orando, & mo-
deſtia corporis oculos circumſtantium
ædificet. Fælix receſſus à bono ad melius;
vnde acceſſit Dauid victoria contra Go-
1. Reg. 17 liam, noſtro autem Chriſto exaltatio ſu-
per omnem principatum; nobis autem, ſi
perſeuerantia diuinitus concedatur, filij
mercedem paratam, quis ambigit? Beati,
Pſal. 127. ergo omnes, qui timent Dominum, qui am-
bulant in vijs eius; nunquam poſt tergum
reſpicientes, ſed iugiter de virtute in vir-
tutem ad Deum, qui fecit illos properan-
tes. Ideo enim venit Chriſtus ad Gali-
læam operaturus ſemper coram homi-
nibus maiora, vt veſtigia magiſtri ſequa-
mur.

Prædicans. Antea Chriſtum prædicaſſe,
elegiſſe Apoſtolos, qui, & baptizarent,
Ioann. 3. Ioanne in Ænnon iuxtà Salim baptizãte, nec
non initium miraculorum peregiſſe, Ioan-
nes deponit. Videbantur tamen iſta quaſi
in abſcondito fieri, aut certè minus publi-
cè; ſolemnem enim prædicationem poſt
carcerem, & mortem præcurſoris orditus
eſt. Legato voluit honorem deferre: eo
comminuto, & ceſſante, creuit qui Euan-
gelizat Sion, & prædicat præceptum Do-
Pſal. 18. mini lucidum illuminans oculos; erigit-
que ſeipſam candela, quæ videbatur ſub
Matth. 5. modio, vt ſuper candelabrum ſtatuta lu-
ceat omnibus, qui in domo ſunt, qui extra
vagantur, nec dignantur intra Eccleſiæ
ſæpta, hoc eſt credibilia, commorari, ve-
lut intra tenebrarum craſſam caliginem
conſtituti, lucem non compræhendunt.
Inſtructio ad prędicatores Facto Chriſti optarem noſtros oratores
inſtrui, videlicet à morte præcurſoris, &
ieiunio quadraginta dierum, nec non ten-
tatione publicam ordiri prædicationem.
Præcurſor eſt animalis homo. Quia pri-
mum, quod animale eſt, cuius mortificatio-
1. Cor. 15. nem expedire Paulus deponit. Ieiunium
quadrageſimale dierum, ac noctium conti-
nuum, his fore orationem reor. Ea enim,
& dies noſtros, hoc eſt, elatos cogitatus
Matth. 6. deprimimus: aliorum verò noctes, etiam
noſtras, hoc eſt, peccata deploramus; qua-
propter electis Apoſtolis orationem
Chriſtus paſſim ſuaſit, & formam tradi-
dit orandi: antequam bini præmitteren-
tur. Tentationis quoque exercitium præ-
ſentire, celebrem facit prædicatorem, &
aptum. Nam qui non eſt tentatus, quid
ſcit? Non tyronibus, ſed expertis militi-
bus impetus belli committitur. Vnde
his, quos ad prædicationem elegerat, dixit
Chriſtus. Vos eſtis, qui permanſiſtis me- *Luc. 22.*
cum in tentationibus, quoniam lectulum *Cantic. 3.*
Salomonis ſexaginta fortes ambiunt, ex
fortiſſimis Iſrael, omnes tenentes gladios,
& ad bella doctiſſimi, vniuſcuiuſque enſis
ſuper femur ſuum propter timores noctur-
nos. Hos Theodoretus Cyren. epiſt. in *Theodor.*
Cant. & Auguſt. in pſal. 90. Diabolos, qui *Auguſt.*
in tenebris ambulant, terrent, ac tentant, *Bernardus*
imaginantur. Bernardus vero, & Ruper- *Rupert.*
tus Abbas ſuper Cantica, Reges, qui in
Chriſtianos ſæuiunt, interpretantur. Ego
hæreticos dicerem, & prauos moribus,
quos diſcerpit verbum Dei, & quaſi gladio
ancipiti diuerberat. Portat autem ver-
bum Dei fortis Iſrael ſuper femur ſuum,
qui expertus eſt, quæ prædicat, & ex his
quæ paſſus eſt, ad bella doctiſſimus euadit. *Gloſſa ord.*
Hinc Gloſſa: qui indeſinenter habent Dei
verbum in promptu, & ad reſecanda ſu-
perflua, & in ſe, & in ſubditis, & ad repel-
lendos hoſtes, & conculcandos omnes te-
nentes gladios, Verbum Dei tenent, & pe-
riti ſunt, qualiter vtantur illo, tàm in alios
quàm in ſe vitia expugnando. Lectulum
Salomonis, facit Gloſſa, patriam, & mili-
tantem Eccleſiam, quarum fidem illiba-
tam, & fideles in pace cuſtodiunt Prædica-
tores, quos retulimus.

Euangelium, εὐαγγέλιον veritas eſt. Eam
Chriſtus, qui veritas eſt per eſſentiam,
prædicauit. Ideo miſſus; Ego (inquit) ad *Io. 14. 18.*
hoc miſſus ſum, & ad hoc veni in mun-
dum, vt teſtimonium perhibeam verita-
ti, hoc eſt, Deo, & his quæ Deus ordinat,
& præcipit fieri. Eſt enim Deus increata
veritas, origo omnium quæ ſunt, in quibus
diuina relucet veritas ad modum veſtigij, *Gloſſa*
imaginis, ſeu ſimilitudinis. Sicut (inquit
Gloſſa ſuper illud pſalmi: Diminutæ ſunt *Pſal. 11.*
veritates à filijs hominum) ab vna facie
hominis reſultant plures ſimilitudines in
ſpeculis diuerſis: ſic ab vna veritate diui-
na reſultant plures veritates, ſiue entia,
quia ſecundum Ariſt. lib. 2. Meth. tex. 4. *Ariſt.*
eadem eſt diſpoſitio rerum in eſſe, & veri-
tate. Verum enim & eſſe, idem ſunt; & ſicut *S. Thom.*
bonum conuertitur cum ente, ità & verum.
Sed tamen ait S. Thomas 1. par. quæſt. 16.
artic. tertio; ſicut bonum addit rationem
appetibilis ſupra ens, ità verum com-
parationem ad intellectum. Vnde defi- Definitio veritatis.
nitur: Veritas eſt adæquatio rei ad in-
tellectum. In intellectu vero diuino eſt

Deus

Deus ipſe, qui ſe ipſum vt eſt, compræhendit & omnia in ſe ipſo intelligit. In intellectu creato eſt cognitio rei, vt eſt. Hanc igitur cognitionem, & de Deo, & de his, quæ ordinat, prout à creatura poſſunt cognoſci, Chriſtus manifeſtauit hominibus; quia lux veritatis fuit in ore

Eccl.45.

eius, opus textile viri ſapientis, iudicio, & veritate præditi. Verè quidem textile. Nam etſi *Euangelium* veritatem dicat, & in veritate *Euangelium*, & in *Euangelio* veritatem Chriſtus annuntiauerit; non

Cognitio veritatis ſine eius obſeruantia nihil prodeſt.

tamen ſimpliciter cognitionem de ea haberi voluit, ſed obſeruantiam; quapropter iudicium veritati adiunxit, & damnationem his, qui veritati non crederent. Texitur prædicatio Euangelij Chriſti, cognitione rerum, & obſeruantia, ad quam compellit iudicium, quod incredulis comminatur. Vnde pſaltes cecinit: Veritas

Pſal.84.

de terra orta eſt, & iuſtitia de cælo proſpexit. Etenim Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum; iuſtitia ante eum ambulabit, & ponet in via greſſus ſuos. Itaque iuſtitia, quæ æqualitatem præmiorum ad opera conſiderat, & ſingulis ſua diſtribuit, vera operari Studioſum cogit, propter præmium, etiam quia bonum, & honeſtum ex ſe; etiam formidine pœnæ, quam iuſtitia comminatur, vera plerique operantur, & *Euangelium* Chriſti complectuntur. Greſſus in via tenent, quod iuſtitiam præuideant; veritatem exercent, quod iuſtitiæ libram è cælo pendere contemplentur; ſeque ipſos ad fructus naturæ conſonos, & vocationi exercent, Dei benignitate cooperante. Hæc enim nunquam deeſt verum operanti, ac iuſtum. Equidem dixit: Ego vobiſcum ſum; Ecce

Matth.28

adſum. Non vos deſeram, neque derelinquam.

Iſaia 58.

Cæterum cum *Euangelij* nomen multa inuoluat, & comprehendat omnem

Ioann.1.

Quid docuit Chriſtus.

veritatem; fortene omnem, an aliquam tantum prædicauit Chriſtus? Et omnem docuit, quando Deum, in quo ſunt omnia manifeſtauit hominibus, & aliquam docuit, quando amorem præcepit. Menti itaque omnia credenda propoſuit; voluntati verò certa, & decreta commiſit operanda; etenim audendum eſt dicere (ait

Orig. tom. 1 in Ioann.

Origen. præfatio ſuper Ioann. tom. 1.) omnium ſcripturarum primitias *Euangelium* eſſe: ſed ſciamus, neceſſe eſt, non idem eſſe ἀπαρχὴν quod eſt, ſi interpreteris, primitias, & πρωτογέννημα, hoc eſt primogenitura. Proinde haud equidem quis errabit, ſi ex omnibus ſcripturis, quæ in omnibus Eccleſijs & feruntur, & creduntur eſſe diuinæ, Moyſi legem dixerit, πρωτογέννημα quaſi primogenituram: *Euangelium* vero, ἀπαρχὴν. Ideſt primitias. Quandoquidem poſt omnes prophetarum fructus, qui fuerunt vſque ad Dominum Ieſum, perfectus ille ſermo germinauit. Eſt igitur (ait inferius) *Euangelium*

Quid ſit Euangelium.

quæ bonam & conuenientem rationi rerum annuntiationem continet, quæ lætum reddunt auditorem propter vtilitatem, ſimul atque ab ipſo admiſſa fuerint, quæ annuntiantur. Vel *Euangelium*, oratio eſt, continens boni præſentiam cuicunque credenti; vel oratio affirmans adeſſe bonum, quod expectabatur. Quæ eſt enim (ſubdit Clemens Alexandrinus ſtromatum lib. 4. verſus finem) in Chriſtum

Clem. Alex.

fides, & *Euangelij* cognitio eſt expoſitio, & legis adimpletio, & ideo dictum eſt Hebræis, niſi credideritis, non intelligetis. Hoc eſt, niſi ei credideritis, qui per legem eſt prædictus, & à legis oraculo eſt ſignificatus: non intelligetis vetus teſtamentum, quod ipſe per propriam expoſuit præſentiam; ſummã autem totius *Euangelij*, Concilium Colonienſe par.6. cap. 6. ait

Conc.Colon.

contineri in verbis Ezechielis; Viuo ego

Ezech.18.

dicit Dominus; nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur impius, & viuat. quod Chriſtus breuius complexus: Pœnitentiam, inquit, agite appropinquabit

Matth.4.

enim Regnum cælorum. Hucuſque digreſſi ſumus, vt Brentij, Cruciferi, Loſſij, ac cæterorum errorem exploderemus.

Brentij Cruciferi, Loſſij errores.

Hi enim, qui ſe iactant Euangeliſtas, *Euangelij*, ſummam faciunt meram in Chriſtum fiduciam; ad quam quod viſus ſit Ioannes hortari, eum *Euangelij* authorem, & abrogatorem legis conſtituunt: qui quantum inſaniant, dictum eſt ſuper Matthæum, & ex his, quæ præmiſimus, cuique rei veritas patet, & ſcit quid ſit, & quale *Euangelium*, quod Chriſtus prædicauit, & qui ſolus Chriſtus inſtitutor eius appellandus ſit, cum propheta: Aſcende in montem tu qui Euangelizas Sion. Qui primus ad Sion dicet: Ecce adſum, & Ieruſalem

Iſaia 40.41

Euangeliſtam dabo. vnde Ioanni præcepit renuntiari, Pauperes *euangelizantur*;

Matth.11

vt nemo vnquam crederet hæreticis, qui Magiſtri honorem tribuunt diſcipulo; ſed quiſque confiteretur Chriſtum authorem *Euangelij*, & primum *Euangeliſtam*,

Habu.1.

qui *Euangelium* promulgauit: *Euangelium*, inquam

Regni Dei. Quod ducit ad *regnum*,

Gloſſa.

exponit Gloſſa. Dixit enim: Ego veni, vt vitam habeant, & abundantius habeant. Vita autem abundans, & libera ab omni onere vectigalis; *Regnum eſt*

Quid ſit?

Dei, quod omnem felicitatem omni ſublata miſeria, comprehendit, & includit gaudium plenum, quod ſemel poſſeſſum nemo tollit. Confluent enim ad bona Do-

Ier. 31.

mini ſuper frumento, & vino, & oleo & fætu pecorum, & armentorum eritq. eorum

Vita æterna

quaſi hortus irriguus, & vltra non eſurient.

Tunc lætabitur virgo in choro, iuuenes, & ſenes ſimul; & conuertam luctum eorum in gaudium, & lætificabo à dolore ſuo. Ait Deus. Quare hoc *Regnum Dei*, idem eſt quod *Regnum* Patris, quo vocantur ele-cti, & ad dexteram, vel ſiniſtram iuxtà potionem, quam ex calice propinato quiſque ſumit, admittitur. Non enim gratis

Non datur ſine merito adultis.

nec ſine labore, conceditur Dauid in ſolio ſedere, neque filijs Iſrael poſſidere terram fas eſt, ſine armis; nemo denique in illo Regno coronatur, niſi, qui legitimè certa-

Secunda expoſitio.

2. *Tim*. 2.

uerit. *Regnum Dei* poteſt quoque dici animi ſolatium, & pax, quam Euangelij obſeruantia cõciliat, his qui neque iotam, neque apicem prætereunt. Quibus ait

Solatium & pax iuſti.

Paulus; *Regnum Dei* intra vos eſt. Et Sapiens: Anima iuſti ſedes eſt ſapientiæ; Quia dixit; Ad eum veniemus, & manſio-

Ioann. 14.

Exod. 36.

nem apud eum faciemus; vt ſub pellibus hyacinthinis, & cilicinis, non iam cedrinam arcam, aut artificiatum propitiatorium, ſeu fuſile candelabrum, vel fictile altare reperiri liceat, ſed eum, qui continet omnia, & pacificat vniuerſa quæ in cælis, & quæ in terris magnificantur; Quare colonus exiſtens prædicatur indigena, ſimul contemplatur ſeruus, & Dominus, & ſibi in vno diues, & pauper obuiant;

Pſal. 48.

2 *Cor*. 4.

Philip. 3.

portat enim theſaurum in vaſe corruptibili, & omnia arbitratur vt ſtercora, verum obtinens principatum, & ſolium, quale in vniuerſis regnicolis Mundi huius non reperitur. Facile eſt huius *Regni* magnificentiam penetrare, ei qui fidem poſſidet: Propterea ſufficiant fideli, cũ quo agimus, pauca, quæ recenſuimus.

Dicens; prædicat itaque Chriſtus Euangelium *Regni Dei dicens*. Etenim aliter ſciri non poſſet. Siquidem oculus non vidit abſque te, quæ præparaſti Deus diligentibus te, Neque auris audiuit neque in cor hominis aſcenderunt magnalia quæ

1. *Cor*. 2.

Regnum Dei complectitur. Propterea vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris enarrauit nobis, & aperuit os ſuum, *dicens* quæ ani-

Duplex loquutio Chriſti ad animã.

mus ſcire deſiderat. Verum prædicat, & perſuadet *Regnum Dei*, & Euangelium Regni, non ſolum *dicens* verbis labiorum, ſed mente. Sic *dicens* loquitur ad cor noſtrum, & credere compellit; quæ de illo

2. *Cor*. 12.

Regno non licet homini loqui. Quando ſermone vocali fuit *dicens*, non ſemper profecit. Quoniam auris obturata, verbum Dei non recipit. Quare precandum eſt nobis Regni myſteria dici ſpirituali ſermone, vt ſciamus, vt credamus, & teneamus, quæ Euangelium Regni Dei ambit, & complectitur. Ergo loquere quia audit ſeruus tuus.

1. *Reg*. 3.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

Quoniam impletum eſt tempus, & appropinquauit Regnum Dei, pœnitemini, & credite Euangelio.

Expoſitio.

ASſignat rationem, cur Euangelium Regni Dei prædicare; ſit exorſus, quoniam (inquit) definitum eſt tempus, & impletum, quando per prophetas annunciauerat Deus fore publicandum, & communicandum his, quos ante mundi conſtitutionem elegit, vt pœniteant, credant, operentur bonum ad omnes, & cum eo regnent in ſæcula ſæculorum, regni opulentia fruantur, & comedant ſalubriter de ligno vitæ, qui ad lignum ſcientiæ boni, & mali indignè acceſſerant, facti iterum cuſtodes melioris Paradiſi, & pretioſioris cibi conuiuæ.

Quoniam impletum eſt tempus. Poteſt vel ad Regnum, vel ad Regni communicationem, præſens ſententia referri. Si ad regnum, facit hunc ſenſum; *quoniam impletum eſt tempus*, quo tardauit fabricari Regnum, ac perfici; verum cum Regnum Dei, Regnum æternum ſit, ab initio eſt, & ante ſæcula, & vſque ad futurum ſæculum non deſinet, neque finem accipiet, Quia ego ipſe ſum, ait. Si ergo Deus eſt *Iſaia* 43.

Regnum ſuum, qui tempus condidit, & cuncta in tempore, nihil eorum, quæ ſunt Regnum Dei, fabricauit; alioquin eſſet, Deus formans Deum, quod repugnat; cum Deus ſit quid neceſſarium, & infinitum; neceſſarium autem, & infinitum multiplicari non poteſt, neque ab alio, quàm à ſe ipſo, pendere. Quemadmodum igitur ille dixit (ſcribit Baſilius lib. 2. Euerſorio con- *Baſilius*.

tra apologeticum Eunomij) quòd Adam ex Deo, ſic nos interrogemus nos ipſos, *Luc*. 3.

Deus autem ex quo? Nonne promptum eſt cuique menti reſpondere; ex nullo? Ex nullo nimirum eſt, quod principio caret: quod vero principio caret, ingenitum eſt. Itaque non eſt impletum tempus, in quo finitum ſit Regnum Dei, ſicut neque Deus; quandoquidem Deus, ac Regnum ſuum, & beatitudo, qua Beatus in ipſo acclamatur, prorſus ſunt idem. Quare impletum dicetur tempus Regni, quando communicari liceat homini; de quo Paulus; *Galat*. 4.

At vbi venit plenitudo temporis. Sicut enim Deus cuncta fecit bona in tempore, & in eodem ſeruari fructus, & germina, ita & ſe manifeſtum fieri in tempore diſpoſuit; & regnum ſuum communicare his, quos nouit, & prædeſtinauit, conformes fieri imagini filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus *Rom*. 8.

in multis fratribus, quo in tempore pleno

reliqua

reliqua, quæ vacua appellantur, impleuit. Tum maximè primum quando dictum eſt; [*Gen. 3.*] ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt, ſciens bonum, & malum; nunc ergo ne mittat manum ſuam, & ſumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum. Quoniam non iam quaſi vnus, ſed prorſus vnus [*Cant. 2.*] ſpiritus ſit cum Deo. Ego, inquit, dilecto meo, & dilectus meus mihi: ſiquidem verè de vno generis noſtri enuntiatur, Deus eſt homo, & homo eſt Deus. Qui non hiperbolicè, [*Iſai. 7.*] ſed verè ſcit omnia; quia butyrum, & mel comedet, vt ſciat reprobare malum, & eligere bonum. Quapropter audiuit à [*Ioan. 16.*] ſuis; nunc ſcimus, quia ſcis omnia. Indeque factum, vt non iam fortè manum, ſed ſe totum ad vitæ arborem erexerit, ſitque ipſiſſima vitæ arbor iure conditus. Dixit enim [*Ioan. 14.*] [*Ioan 6.*] ego ſum via, veritas, & vita; per quam, & nos viuimus, facti ſumus docibiles Domino, nec non vnus; quia membra, de membro, vt ſicut vnus, & in vno, reliqui terreſtrem perdiderunt habitationem; ita vnus cæleſtem poſſideret, & cum eo reliqui ad eandem non manu factam admitterentur. Symbolum tanti myſterij expreſſit Paraphraſtes Chaldæus, ſic transferens; Ecce Adam eſt vnicus in ſæculo, ex ſe ſciens bonum, & malum, & nunc fortè extendet manum ſuam, & ſumet etiam de arbore vitæ, & comedet, & viuet in æternum. Quibus graphicè Chriſtum deſcripſit. Qui non quaſi vnus, ſed vnicus eſt in ſæculo, cui omne [*Philip. 2.*] genu flectitur, & omnes confitentur, quia in gloria eſt Dei Patris. Vnicus quidem qui non aliundè, ſed ex ſe cuncta nouit: ex [*Vide Mayro. in 3. d. 18. Albert. Mag. Rubione Baſſol.*] ſua enim natura diuinam habuit ſcientiã; & ex ſuo merito creatos animæ habitus ſcientificos ſortitus eſt. Fore & eundem, qui ad arborem aſcenderet, & fructum guſtui dulcem apprehenderet, ſubindicat, dicens, *nunc*, & *etiam*, quod enim præuaricatori negatum eſt primitus, nunc quando tempus impletum eſt, conceſſum eſt Adam cæleſti. *Etiam*, ait, non quod animali homini vnquam licuerit, ſed quod ſpirituali, [*Phil. 2.*] & olim quando præuiſus, & nunc quando habitu inuentus vt homo, ſemper datum fuerit vitæ lignum attingere, deguſtare, & eo membra propria conuiuificare. Hinc [*Heb. 1.*] Paulus; & iterum introducit primogenitum [*Act. 4.*] in Orbem terrarũ. Et Petrus; Non eſt aliud [*Ioan. 8.*] nomen ſub cælo datum hominibus. Quin & ipſe dixit: Antequam Abraham fieret, ego ſum. Abraham, qui fidei pater eſt, fideles omnes deſignat. Fidem autem non ſolum [*1. p q. 57. a. 5. & 64. ar. 1. ad 4. 2. 2. q. 5. a. 1. & c.*] in protoplaſto Adam, ſed in Angelo præfuiſſe, Theologorum ſchola docet. Ergo ante omnem creaturam præextitiſſe Chriſtũ theologemur, credamuſque præuiſum ab initio mittentem manum ad vitæ arborem, conciliantem non ſolum Abrahæ parenti vitam, & gaudium; ſed & Adæ ac poſteris plenitudinem ſuæ gratiæ communicaſſe. Vtcumque, priora tempora dicimus vacua, quòd ad regnum Dei non intromitterent quemquam, ſed tantum quaſi ad oſtium admitterent. Solum autem poſtquam factus eſt homo, & præordinata in corpore geſſit, cantari cœptum eſt; Ecce nunc tem- [*2. Cor. 6.*] pus acceptabile; ecce nunc dies ſalutis; [*Iſaia 26.*] aperite portas, & ingredietur gens iuſta. Et vt ipſe ait; quoniam impletum eſt tempus, ſcilicet, in quo regnum Dei his, qui vocati ſunt, communicabitur.

Et appropinquauit regnum Dei. Non loco appropinquauit, qui cælum, & terram [*Hierem 23*] implet, & eſt ſphæra, vt dicebat ille Triſmegiſtus, cuius centrum vbique eſt, & circumferentia nuſquam. Nec non ipſe ait; cælum [*Iſai. 66.*] ſedes mea, terra autem ſcabellum pedum meorum. Quæ eſt iſta domus, quam ædificabitis mihi? & quis eſt iſte locus quietis [Paraphraſis] meæ? Vel iuxtà paraphraſim Ionathæ. Cæli [Ionathæ.] ſunt ſolium gloriæ meæ, & terra ſcabellum coram me: Quæ eſt iſta domus, quam ædificabitis mihi? & quis eſt iſte locus, domus manſionis maieſtatis meæ? Igitur ſi plenum eſt maieſtate gloriæ eius quicquid ſub ambitu cæli continetur, & quod ſupra cælos tranſcendit aſpectum noſtrum; quomodo appropinquabit regnum Dei; ſeu appropinquauit? Quia (inquit Nicolaus de Lyra) [*Lyranus.*] per Chriſtum aperta eſt ianua cæli: Acce- [*Apoc. 3.*] pit enim clauem Dauid, aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit. Si quidem dixit; ego ſum oſtium: per me ſi quis in- [*Ioan. 10.*] troierit ſaluabitur, & ingredietur, & egredietur; & paſcua inueniet. Oportet ergo (inſert Clemens Alexandrinus ſtromat. lib. [*Clem. Alex.*] 5. circa medium) eos, qui per Chriſtum didicerunt veritatem, fieri ſaluos, etiam ſi fuerint Græcam philoſophati philoſo- [*Gal. 6.*] phiam, quia neque præputium, neque circumciſio aliquid valet apud Deum: ſed no- [*1. Pet. 1.*] ua creatura, quã Chriſtus regenerauit lauacro aquæ, & verbo vitæ in ſpem viuam, vt clamet; Abba Pater; Et, Adueniat regnũ tuũ. [*Matt. 5.*] Quod poſtulanti aperitur, & datur petenti in nomine eius, qui illud nobis promeruit [*Ioan. 14.*] in ſanguine ſuo. Vnde Paulus; Ieſus Chri- [*2. Cor. 1.*] ſtus, qui in vobis per nos prædicatum eſt per me, & Siluanum, & Timothæum. Non fuit, eſt & non, ſed eſt in illo, fuit: Quotquot enim promiſſiones Dei ſunt, in illo eſt: ideò & per ipſum, Amen Deo, ad gloriam no- [*Pſal. 109.*] ſtram. Ac ſi diceret, qui ſemper eſt dictus, & fuit, & eſt Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, vna oblatione [*2. Cor. 5.*] conſummans in æternũ ſanctificatos, & reconcilians mundum Deo, non eſt alius à ſeipſo, nec aliud in eo, aut de eo, ab illo; quod credimus, licet conſiderare. Quoniam per ipſum, & cum ipſo, & in ipſo ſunt omnia [*Rom. 11.*] impleta, quæ promiſſa legimus. Quapropter per eundem pro acceptis Deo gratias

agi-

Digitized by Google

agimus, qui ſic firma eſſe volnit. Amen enim confirmationis eſt particnla, à verbo, Aman, Hebræo, quod firmum eſſe interpretatur. *Theodor.* Docens (inquit Theodoretus Cyrenſis Epiſcopus in eundem locum) quod non ſolns Sacerdos orans offert hymnum, ſed etiam qui Amen adiungit, eſt glorificationis, quæ offertur, particeps, hoc eſt; qui reſpondet; vt cũ intonãti Sacerdoti, per omnia ſæcula ſæculorũ, aſtans reſpondet. Amẽ.

Pœnitemini, & credite Euangelio. Hoc eſt Euangelium regni Dei, pœnitentia, & fides, ſcribit pater Ioannes de la Fuente. Ac ſi eadem eſſet via, qua itur Athenas, & ipſa ciuitas, neque vllo modo finis, quo, & gratia cuius, differrent; ſed prorſus idem eſſet præceptum, & corona, quæ obſeruanti repromittitur. Etenim pœnitentia, quæ eſt *Heb. 11.* dolor pro male actis; & fides argumentum non apparentium; & ſi conducant ad Regnum, eidẽ tamen repugnant, vt nequeant ſimul cum eo eſſe. Nam in Regno cælorum, *1. Cor. 13.* videntur, quæ oblectãt, nõ in ænigmate, ſed vt ſunt, & Deus ipſe facie ad faciem, ſicuti eſt, inquit Apoſtolus. Quamobrem ſicut *Apoc. 21.* neque coinquinatũ poteſt in illud intrare, ſic neq; pœnitentia, aut fides, quibus dealbetur coinquinatus, admittitur in Regno Dei. Ibi enim abſterget Deus omnem lachrymam, neque dolor erit vltra, quæ prima abierunt. Ecce noua facio omnia, dicet idem, qni nunc pœnitere, & credere Euangelio, docet. Scio auctorem orthodoxum ab his non recedere. Attamen parum cautè propoſitionem, quaſi textus expoſitionem præmiſiſſe lector dijudicabit. Interim textum ipſe aggrediar.

Pœnitemini, dicens, ad virtutem pœnitentiæ, non ad ſacramentum hortatur. Namq; hoc baptiſmum ianuam ſacramentorum ſequitur; illa verò præcedit introitum. Quare præcurſor Ioannes inde legationem orſus eſt: *Matth 3.* Pœnitentiam agite. & Pe- *Act. 2.* trus antequam reciperet quenquam ad Eccleſiæ gremium, intonauit: Pœnitemini, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum. Eſt quidem præceptum naturæ, male acta per pœnitentiam retractare. Vnde ſicut vomitum natura corporis prouocat, ne repletione grauetur, aut ne infirmetur humorum corruptione, & ſanguinis, aperit nares, & quandoqne venas alias corporis, vt nociuo foras miſſo, diutiùs, ſanior conſeruetur. Ita vis animæ, cum alienum à ratione, & abſonum recogitat à ſe commiſſum, deteſtatur facinus, emendari optat, & offenſo reconciliari, qnod eſt virtutis pœnitentiæ, quam ab initio conceſſit auctor naturæ, eaque vti pro indecenti facto, nos voluit. Vnde de tranſgreſſoribus primis ait oraculum; & fe- *Geneſ. 3.* cit Dominus Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos. Vt his præmoneret peccatores, mortificatione vtendum, & pœnitentia ad remittenda peccata. Quare pellicea veſtiméta vocat Chaldæus Para- *Paraph.* phraſtes, veſtimenta honoris. Pelliceis vti incomptis, nemo magni ducit. Pœnitentia verò, quæ hiſce ſignatur, coronam, & honoris magnificentiam prædicat. Siquidem ea fit homo Dei amicus, charus Angelis, & acceptus hominibns, qui eũ primitus odio perfecto oderant. Proinde Hieron. in Marc. *Hieron.* Amaritudinem radicis, dulcedo pomi compenſat; Pericula maris ſpes lucri delectat; dolorem medicinæ ſpes ſalutis mitigat; qui deſiderat nucleum, frangit nucem; pœnitentiam agit, qni vult æterno bono adhærere. Propterea iure damnatur Lutherus, qui in *Luther. hær.* ſuo, de captiuitate Babylonica, nullam exigi ab hominibus pœnitentiam, neque ante, neque poſt baptiſmum dogmatizat; ſed fiduciam, ſi credat (inquit) vel ſtet fides in promiſſionem diuinam baptizato factam, in momento abſorbentur, ſcilicet peccata per eandem fidem. Quare ſubdit in ſer. de piſcatura Petri. Debemus cum ſolo Iſaac venire, hoc eſt, cum fide. Seruos, & aſinos, hoc eſt, opera, ſcilicet pœnitentiæ, deorſum mittere oportet. At noſter veritatis magiſter non recipit quenquam, quin primo pœniteat. Et, vt allegorica nouatoris vtamur, Iſaac onuſtis lignis deferens ignem, pœnitentiæ operibus deditum, iuxtà Philo. a. allego. ſignificat; qui deorſum relinquuntur ſeruiles ſunt, quibus non opera bona, ſed mala acta comparamus, & vt talia à nobis proijcere, ab humeris deponere, & procul à noſtro commercio facere, perſtringimur, & cum ſolo Iſaac dolenti, & triſti pœnitente pergere, ſi ſacrificium laudis Deo acceptum cupimus offerre. Alioqui neque munus accipiet Dominus de manu noſtra, neque ſermonem Chriſti ſeruabimus, neque Sanctorum exempla imitabimur: omnes enim anguſtiati, afflicti, & mortificati, agnũ occiſum ſecuti ſunt. Et tu Luthere, Melancton, vt noua viperarum progenies putatis in bonis dies ducere, gaudere ad ſonitum organi, & gaudentes triumphare? Peribit ſpes veſtra cum in puncto ad inferna *Iob. 21.* deſcenderitis. Tunc Tucetã, & cibos Regios, quos comediſtis, euometis. Nec erit qui *Iſa. 28. 25.* gutta æſtum linguæ refrigeret. Erraſtis enim præ ebrietate, & præ dolore vlulabitis, qui ſpreta pœnitentia, luxum ſectamini. Sed redeo ad alteram thematis Chriſti partem.

Credite Euangelio. Non ſolum pœnitentiam, ſed & fidem exigit ab his, qui volunt ei ſubeſſe. Nec qualemquanque fidem, ſed eam iubet nos tenere, quæ cuncta credibilia complectitur. *Euangelium* enim eſt omnis prædicatio, quam per ſe, vel per alium verbotenus, ſeu ſcripto promulganit. *Credere* ergo *Euangelio*, eſt Scripturæ canonicæ fidem præſtare: ab his, quæ inſpi-

rati

rati locuti ſunt Sancti, in enucleandis Scri-
pturis non recedere, Pontificum, & Conci-
liorum decreta obſeruari, & reuereri eos,
quibus Deus ſacra eloquia credidit. Dixit
enim Euangelij auctor; qui vos audit, me
audit, quia vobis datum eſt noſſe myſteriũ
Luc. 10. 8. 21. regni Dei. Ego ero vobis os, & ſapientia.
Et quæ in aure audiſtis, prædicate ſuper te-
cta. Vobiſcum enim ſum vſque ad con-
Matth. 10. 28. 18. ſummationem ſæculi. Et vbi fuerint duo,
vel tres congregati in nomine meo, in me-
dio illorum ſum; quin ſi duo ex vobis con-
ſenſerint ſuper terrã, de omni re quamcum-
que petierint, fiet illis à Patre meo, qui in
cælis eſt. Quo fit vt *Euangelium* dicamus,
non ſolum quæ ſcripſere Apoſtoli, ſed tra-
ditiones, quæ ab ipſis emanarunt, nec non
quæ eorum ſucceſſores in nomine Chriſti
paſſim ordinant. Mouentur enim ab vno
Epheſ. 4. ſpiritu, & capite cuius ſunt corpus. Caput,
eſt Chriſtus, qui continuò interpellat Deũ,
Rom 8. & precatur dari Spiritum paraclytum, ſpi-
ritum veritatis, vt maneat nobiſcum in
Ioan. 14. æternum, & ſuggerat, quæcunque Chriſtus
in conſummationem Sanctorum, in opus
miniſterij, & in ædificationem corporis ſui
dicit Apoſtolis, Doctoribus, Prophetis, ac
cæteris, quos ſuæ Eccleſiæ præfecit. Pro-
Tertull. pterea inquit Tertullianus lib. 4. aduer.
Marcionem: Paulus Hieroſolymam aſcẽdit,
ad Apoſtolos conſultãdos, ne forte in vacuũ
cucurriſſet. Non enim ſufficeret ad fidem
ſingularitas inſtrumenti, deſtituta patroci-
nio anteceſſorum. Denique vt cum aucto-
ribus contulit, & conuenit de regula fidei,
dexteras miſcuere. Igitur ſi ipſe illumina-
tor lucis auctoritatem anteceſſorum, & fi-
dei, & prædicationis ſuæ optauit, quanto
magis eam Euangelio lucem expoſtulem,
quæ Euangelio magiſtri eius fuit neceſſa-
ria? Quare ſi authoritas, & conſenſus maio-
rum Eccleſiæ, Euangelium probat, & decla-
rat rata, & canonica, quæ Paulus, Marcus,
Iren. *Auguſt.* Matthæus, & alij ſcripſere, vt Iræneus lib. 3.
aduerſus hær. c. 2. 1. & 4. Aug. lib. 13. contra
Conc. Toletan & Triden. Fauſt. c. 4. & lib. 28. c. 1. 2. & 4. ac lib. 2. de
Doctr. Chriſt. c. 7. & alij nec nõ Tolet. conc.
pri. & Trident. nouiſſimè affirmant, atque
definiunt; illa quæ de communi conſenſu
in Concilijs decernunt, & ſummus Eccleſiæ
Paſtor ſcribit, & ſtatuit, ad fidei firmita-
tem, & morũ, quorſum negabimus rata? Nõ
Origenes. dubitamus affirmare (ait Orig. præfat. in
Ioann.) aliquo modo Euangelium eſſe,
quæ ſcripſerunt Apoſtoli, cum ad Euange-
liſtæ munus attineat, adhortatoria etiam
oratione fidẽ his, quæ de Ieſu tradita ſunt,
acquirere. Nomine Apoſtolorum intelli-
gamus oportet Patres Eccleſiæ, qui Apoſto-
lorum functionibus ſucceſſere. Verum quo
Gelaſius. in gradu accipi debeant noſtrorum, atque
Synod. Trident. illorum ſcripta, docuit Gelaſius in concil.
Driedo. 70. Epiſc. & Synod. Trid. nec non Driedo,
Thomas Vualdenſis. Thomas Vualdenſis, atque alij. Quare Fau-
ſtus, qui totum nouum Teſtamentum negat
Aug. auctore Aug. lib. contra eumdem compoſi-
tis, nec non Anabaptiſtæ, ſequaces Fauſti,
minimè *credunt Euangelio*: Neque Ebioni-
Epiphan. tæ, qui ſecundum Epiphan. lib. 1. hær. 30.
Matthæi Euangelio auctoritatem ſubtra-
hebant, dicentes ab hæretico ſub nomine
Matthæi editum. Marcion, & Cherinthus,
qui Marcum abijciebant, pari incredulitate
notantur. Etiam Cerdon, qui ſecundum
Tertull. Tertull. lib. 1. de hær. c. 42. Lucam non re-
Auguſt. cipiebat. Alogi, ſic dicti ab Aug. lib. 2 hære.
qui Ioannem non admittebant, ſub eadem
ſunt infamia. Ac (ne cathalogum referam
hæreticorum, & hæreſum) quotquot vel in
toto, vel in parte à veritate Scripturæ Ca-
nonicæ aberrant, non *credunt Euangelio*;
quibus enim non recuſo numerare eos, vt
Ioan. Vuicleff. & Nouatores, qui epiſtolas
decretales fingũt apocryphas, Concilia ſa-
cra vocitant conciliabula: Bullas ſanctiſſimi
Papæ Vrbis Romæ, vel non recipiunt, vel
detrectant ijs obedire. Quid dicam? Neque
Euangelio credunt, qui monita, præceptio-
nes, & cenſuras Præſulum Eccleſiæ parui
faciunt. Quorum numerus quantus ſit, quis
nouit? audio enim ſæpè parum reuerenter
accipi, quæ vel pro bono pacis, vel pro re-
formandis hominibus, vel diſtribuendis re-
bus Eccleſiaſticis, ad mundi partes varias
Iſai. 28. deſtinant. Sed ſubuertet grando ſpem
mendacij: & protectionem aquæ inunda-
Plin bunt. Et ſues, quæ veſte candida indutum
3. Reg 19. lacerare contendunt, ſuccenſis facibus con-
Sillius Italicus lib 8. *bel pun.* cremantur. Denique datur Iehu incredulis,
qui non recipiunt, quæ Deus per ſuos man-
dat. Iamque hoc ne dubites longæui nate
parentis.

CAPVT DECIMVM SEXTVM.

Et prӕteriens ſecus mare Galilӕӕ, vidit Simonem, & Andream fratrem eius mittentes retia in mare, erant enim piſcatores.

Expoſitio. FOrmam prædicationis Chriſti præmiſit
Euangeliſta, vt eadem vſos eſſe, qui mox
eliguntur cooperatores, oſtenderet. Occur-
runt enim primi Simon, & Andreas, qui pi-
ſcatoriam artem exercentes, vt victũ pro-
prio ſudore compararent, videri merentur
à Chriſto, & probari digni, qui ad maiora
aſſumerentur; labores ergo manuum tua-
Pſal. 127. rum, quia manducabis (ideſt ſi manducaue-
ris) beatus es, & bene tibi erit.

Et prӕteriens ſecus mare Galilӕӕ. Hoc
eſt diſcurrens prædicando Galilæam gen-
tium, quæ mari adiecta erat. Præterita enim
Nazareth ciuitate, ſolemnem prædicatio-
nẽ intra Capharnaum exorſus, fines Zabu-
lon

Digitized by Google

lon,& Nephtalim, propter Iſaiæ oraculum
percurrit, ac totam Galilæam. Adeoque
nomen eius diuulgatum eſt, vt ex confini-
bus, etiam remota Syria, & Hieroſolyma,
ad eum confugerent; vt Matthæus maxima
ex parte refert, & Lucas, nec non Marcus,
ſed poſt electionem, ſeu vocationem Apo-
ſtolorum. Siquidem & electis Apoſtolis,
prædicationem, eodem gentium applauſu,
Chriſtus proſecutus eſt.

Præteriens itaque Chriſtus prædicat, vt
facto, tradendam prædicatoribus doctri-
nam, comprobaret. *Præterire* enim, eſt re-
tromittere, quæ non faciunt propoſito.
Sola autem ſalus animæ eſt prædicatori-
bus ſcopus. Hanc ergo ſibi proponens re-
liqua prætereat; inde dixit: Neminem per
Ambroſ. viam ſalutaueritis. Hoc eſt (iuxtà Ambroſ.
ſuper Luc. 10. ſententiam) obſtaculum, quo
fructus prædicationis retardari valeat, vel
impediri *præterire*, velut optimi legati, &
curſores fideles, quibus ſola ineſt cura, lit-
teras perferre, & ad Regem feſtinanter, cõ-
pleta legatione, redire. Id autem fuiſſe ab
Cor. 11. Apoſtolis obſeruatum, ſolicitudo omnium
Eccleſiarum, quæ Paulum premebat, & pe-
regrinatio diuturna, teſtantur. Nec non
Iſai. 60. vniuſcuiuſque Apoſtoli velocitas, qua in
prædicationis miniſterio vſi ſunt, fidem fa
2. Reg. 1. cit, in eis impletum eſſe illud: Qui ſunt iſti,
qui, vt nubes volant? Aquilis enim velo-
ciores erant, vt venam doctrinę benedictam
diffunderent in orbe, cum omnium ſtupore,
Iſai. 32. 40. videntes impleri. Lingua balborum velo-
citer loquetur, & planè. Current, & non la-
borabunt. Charitas enim, quæ ſpiritus vitæ
eſt, & linguam agilitabat, vt non opera ho-
minum, ſed quæ ſurſum ſunt faciliter eru-
ctaret ſapientibus, & inſipientibus; corpus
pariter attenuatum ſubleuabat, vt tanti
curſus anfractus nihilo duceret. Immò verò
eos cogebat obliuiſci cunctorum, quæ men-
tem à ſalute proximi auocarent. Atqui id-
ipſum in noſtris cerneremus, ſi identidem
igniculus ille, corda eorum inflammaret.
Ar. 2. cali tex cõ 104. Cauſa cum fuerit, erit cauſatum, dicebat
Prou. 14. Ethnicus. Fidelis verò; vbi non ſunt boues
præſepe vacuum eſt; vbi autem plurimæ ſe-
getes, ibi manifeſta eſt fortitudo boum.
Cant. 8. fortitudo autem prædicatorum quæ? fortis
eſt, vt mors dilectio. Ideo prædicator ve-
Phil. 4. ritatis eructat; omnia poſſum in eo, qui me
confortat. Et quid? omnia arbitratus ſum,
vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam. Forte-
Gal. 4. ne ſibi? Filioli mei, quos iterum parturio,
donec formetur Chriſtus in vobis. Iam er-
go intuere, precor eam, quæ venit vſque
ad partum, & non eſt ei virtus parturiendi,
quomodo ſudat, vt filium in lucem mittat,
omnium obliuiſcitur, etiam viri, & oblecta-
menti proprij corporis, ne dicam, venuſta-
tis, vt nato, ac ſibi conſulat. An ignoras di-
ci: Væh mihi, ſi non euangelizauero. Væh, ſi
non parturiero Chriſtum, & væh, ſi non co- *1. Cor. 9.*
nabor verum me proferre Euangeliſtam,
qui me vltrò, ſiue vocatus ad officium in-
geſſi? Conatus autem optimi prædicato-
ris, eſt, præterire exemplo maiorum omnia,
quæ vel muneri derogant, vel fructum
quoquo modo impediunt, & quaſi iam præ-
terita reputare ea, quæ in mundo ſunt; tan-
tum ad ſpiritualem animã reſpicere. Alio-
qui, ò vates, Benoni, doloris filium paries
non Beniamin, niſi cæleſtis pater dignetur,
ſic tuos auditores nominare, & beneplaci-
to ſuo inter filios numerare. Tu verò niſi cę
litus illuſtreris, morieris, & ſepelieris in
via, quæ ducit Ephratam, eo tamen non du-
ceris. Ergo *præteriens* prædica.

Secus mare Galilææ. Quod Lucas nomi- *Luc. 5.*
nat ſtagnum Genezaret, mare tamẽ dicitur
more Hebræorum, qui congregationem
aquarum appellant mare, vt mare mortuũ,
quod eſt lacus Aſphaltidis: & mare tem-
pli, cuius aquis ſolitum erat, miniſtros la-
uari. Sic Marcus nunc mare appellat ſta-
gnum, de quo Ioſephus: Lacus Genezar à *Ioſeph. lib. 3. de bel. iud. cap. 18.*
terra continente, appellatur, quadraginta
verò ſtadijs in latitudine patens, centumq.
in longitudine, aquæ dulcis eſt, atque pota-
bilis. Paluſtri enim craſſitudine tenuiores
habet latices, & vndique in littora, & are- *Deſcriptio lacus Genezar.*
nas deſinens, purus eſt, ac præter hoc, tem-
peratus ad hauriendum, & fluuio quidem
ſiue fonte lenior eſt; ſemper autem frigi-
dior, quam lacus diffuſio patitur, manet,
æſtiuiſque noctibus eius aquæ ſub dio per-
flatæ nequaquam æſtibus cedunt; id enim
facere indigenis moris eſt. Varia autem
ſunt in ea piſcium genera, ab alterius loci
piſcibus, tam ſapore, quàm ſpecie diſcreta,
mediuſque fluuio Iordane ſecatur. Hæc Io-
ſephus, qui allegorizare cupienti immen-
ſum ſua narratione campum præbet. Pau-
ca tamen ipſe animaduertam, ne ſilentio
myſterium prætereaм. Quare ſtagnum di- *Lacus Genezareth figura Eccleſiæ.*
co Eccleſiam militantem, quæ cum cæleſti
nomine communicat, & à continente ter-
ra appellatur in Scripturis, Eccleſia Epheſi, *Apoc. 2. 3.*
Pergami, Philadelphi, Antiochiæ, &c. qua-
draginta latitudinis ſtadia iuxtà Aug. cal-
culum. Sunt decem mandatorũ obſeruan-
tiæ. Decem enim quater multiplicata red-
dunt quadraginta. Longitudo centenaria,
finem, qui eſt beatitudo, deſignat: Beatitu-
dini enim Gregor. ſuper Ezech. hom. 17. 22. *Gregor.*
centenarium tribuit. Aquæ dulciſſimæ, qui-
bus Eccleſia repletur, ſunt genera gratia-
rum, quæ ab vno Iordane, hoc eſt Deo,
fluunt per Chriſtum; quieſcit ſemper Ec-
cleſia, nunquam accedenti moleſta eſt, ſed
benefica, aperiens theſaurum gratiarum,
quæ nullis æſtibus, aut tempeſtatibus ce-
dunt. Piſcium multitudo quanta ſit, & quàm
differens à quocunque piſce, quiſque agno-
ſcet, qui fidelium qualitatem confitebitur.

Hos

Digitized by Google

Hos enim piſces dicimus. Ac ne quis allegoriam irrideat, legat Ambr. 3. examaron. 5. nec non Baſilium lib. 4. qui mira de mari philoſophantur, eaque Eccleſiæ accomodant. Itaque *ſecus mare Galilaæ* prædicat Chriſtus; hoc eſt in mundo, & mundanis, qui Eccleſiam circundant, fiunt tamen de Eccleſia per verbum Dei.

Vidit Simonem, & Andream fratrem eius, &c. Hic interpretatur fortiſſimus; ille obediens. Vnde fratres diuinitus ordinati, quia vir obediens narrat victorias, quas nec efficit quiſque ſine fortitudine. Non quidem leonina, quæ rugire docet, neque tigris, qui ſæuiens vincit, neque bouis, qui ventilans hoſtem ſuperat; ſed auri, quod cedens martello ſplendet amplius, denigrato percuſſore. O præclarum vincendi genus, quod abiectis armis Goliam armatum detruncat, & ne dicam Gog, & magoga immò verò principes, & poteſtates tenebrarum *Heb. 11.* deturbat. Eo enim Sancti vicerunt regna, arma verterunt exterorum. Et quid? aliiſne *Apoc. 22.* armis factus eſt propugnator ad ſaluãdum, Chriſtus, quàm obediẽtia? Ecce ait venio, & mundi Principem deijcit, cum verò corpus dedit percutientibus, & genas vellentibus, **Chriſtus vicit obedientia.** mundum deuicit. Denique quando factus eſt obediens vſque ad mortem, vt triumphator, eſt exaltatus; ſecum autem volens triumphare electos, inter primos Simonem, & Andream ſtatuit, vt ab horum ethymologijs, quid ſequi oporteret reliquos doceret, videlicet fortitudinem, quæ in integra obedientia conſiſtit. Ideò videt Simonem primò, poſt Andream, hoc eſt obedientem, ſed fortem, qui ſcilicet fortiter pugnat, nũquam, vt palma cedens oneri. Nam obedientem abſque fortitudine, fatuum ego denuntio, & mollem. Is autem eſt, qui externis mandatis paret; ſubdit ſe autem proprijs concupiſcentijs. His imperare, & fortiſſimum, & glorioſiſſimum eſt, ac veri obedientis, qui ſe totum ſubiecit voluntati Dei, qui ſenſum ſubeſſe vult rationi, poſt, his, quæ ſecundum rationem Deus ipſe ordinat, & ſtatuit, qui per Deum noſtri curam gerit.

Mittentes retia in mare. Occupari homines ac iuſtis laboribus morem gerentes naturæ, quam ſudore, & anguſtia ordinauit conditor veſci, & ſuſtentari. Hinc ille: Homo naſcitur ad laborẽ, & auis ad volatum. *Iob. 5. 14.* Et ſicut mercenarij dies eius. Sed beatus es, & benè tibi erit, cantat Pſaltes; quia bonorum laborum glorioſus eſt fructus, & magnam habent remunerationem. Subinde *Eccl. 2. & 3* Sapiens; Hanc ratus ſum partem meam, ſi vterer labore meo: Omnis enim homo, qui comedit, & bibit, & videt bonum de labore ſuo, hoc donum Dei eſt. Procul tamen illud videmur à nobis facere, quandoquidem alienis ſudoribus egeſtatem noſtram curamus omnes ſubleuari. Agriculturam quique refugiunt, mechanicam coactè ſequuntur mortales. Quid dicam? alienis manibus cibum ſumere plerique more infantium amant, timentes defatigari. At qui vſque modo operatur, operarios videt, vt ab operibus mortuis ad viua, & meliora tranſmittat. Quare vide (inquit Theophylactus) quomodo illi iuſtis laboribus ſeſe *Theophyl.* enutriant, & non ex iniuſtis: Tales enim digni erant, qui primi fierent diſcipuli Chriſti.

Erant enim piſcatores. Horum viuendi inſtitutum ſemper habitum eſt viliſſimum. Nihil tamen nocere homini potuit, qui non ab externis, ſed internis laudem promeretur, & honorem: Neque Deo quicquam eſſe vile, præter peccatum, inſinuat Euangeliſta, Piſcatores nominans in ſæculo, quos Deus in cælo videt, & iudicat dignos ſe. *Pſal 8.* Is eſt, qui gloria, & honore coronat, ac tanto maiori, quanto magis ad ſe appropinquari hominem iubet, & ſuorum participem efficit; nec obſtat vtroque pede *2. Reg. 4.* claudum Miphiboſet, hoc eſt ignominioſum, ſeu ignobilẽ penes mortales videri, vel arte, vel genere, dũmodo panem de menſa regis comedat. Hunc ego virum glorioſum acclamabo, & honoratum, quem Deus videt, commendat, & peculiari dono illuſtrat. At quibus bonis Deus piſcatores præſentes decorauerit, notum eſt omnibus, quare nihil mirum ſi audientes erant piſcatores; non ſugillemus tantos viros, vti factitant nouatores, præſertim Quintinus Gallus, *Quintinus heret.* Coriphæus Anabaptiſtarum, qui & à piſcatione, & ab actibus, & à ſcriptis eorundem ludibria, contra noſtræ Religionis patres excogitat. Fient tamen miſeris, quæ Rabſaces in ſancta blaſphemauit, quando in in- *Iſai 36.* fernum detrahentur in profundum laci. Heu *Iſai. 14.* cæcæ mentes, tumefactaq. corda ſecundis.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

Et dixit eis Ieſus: Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum.

Expoſitio. EO quidem attentius Chriſtus viderat piſcatores Andræam, & Simonem, vt ſibi in eis complacens, nouo munere animi affectum aperiret; quamprimum enim vidit eos, probauit, elegit, & vocauit à materiali ad ſpiritualem piſcationem. Siquidem de cælo venit, & cæleſtis eſt; quamobrem ad ea, quæ cælum olfaciunt, & vocauit, & vocat.

Et dixit eis. Hoc eſt, propoſitum voluntatis ſuæ aperuit. Hoc enim ab æterno exiſtens, manifeſtatur in tempore: quoniam certam tunc quiq; vocationẽ, & electionem facimus, cum anticipauerunt vigilias oculi; *Pſal 76.*

cor

cor noſtrũ tradimus ad vigilandũ diluculo,
ad Dominum, qui fecit nos; curam habe-
Prou.31. mus de proximo; ad pauperem manum
Iſai 58. extendimus; & egenos vagoſque induci-
mus ad hoſpitia; colligationes, & funes
peccatorum diſſoluimus; ſollicitiq. ſumus
Pſal.23. mundum cuſtodire cor, & non in vanum
animam noſtram accipere; quemadmodum
ſuadent nouatores, dicentes(vt Schimide-
liuus vnus ex eis, concione ſuper Luc. 21.
refert) ſine,& permitte, vt huiuſmodi ope-
ra miſſa faciamus, cum per Chriſtum alio-
quin ſaluari poſſimus,& ſolum gratiæ Dei,
Chriſtiq. meritis nitamur. Sed dicitè ò miſe-
ri, quomodo Chriſti meritis vos inniti o-
ſtenditis? animòne an opere? ſi animo, vbi
charitas, qua adhæremus Chriſto? Hæc enim
Fides ſine charitate nó vnit Chriſto — eſt, quæ vnit, non fides ſola, quæ ſolam mi-
niſtrat cognitionem, quam amor charitatis
ſupponit,& inflammat, ſeu informat: Et ſi
charitas vobis ineſt, vbi cultus? cultum
enim procreat charitas. Quod ſi cultum
datis opere, neceſſe eſt confidentiam, quam
in Chriſtum habetis, demonſtrare. Hęc enim
1. Ioan. 5. eſt charitas(ait Ioannes) vt ambulemus ſe-
cundum mandata eius. Hoc enim eſt man-
2. Ioan. datum, vt quemadmodum audiſtis ab ini-
tio, in eo ambuletis. Sic enim propoſitum
voluntatis Dei æternum, quod in tempore
manifeſtatur, complemus. Sed quomodo
manifeſtatur, ſi incerti ſumus de noſtra ſa-
lute? quoties dixit, & quando dicit, aperi-
tur nobis electio Dei. Dixit autem in om-
nibus operibus, quæ mortali communicat:
Pſal.148. quia dixit,& facta ſunt; facta quidem, vt
non iam diei, ac nocti, ſed hominibus ſigna
eſſent notiſſima voluntatis diuinæ, & amo-
ris, quo vult omnes ſaluos fieri. In omni
ergo creatura, & beneficio, ſiue fideli, ſiue
infideli elargito dixit, & dicit continuo, vt
omnis ſpiritus laudet Deum, & reuertatur
ad eum, qui fecit illum; dicit autem effica-
citer cum gratiam communicat, & vocat
ad ſua veſtigia, ſubiungens.

Venite poſt me. Alio tẽpore,& loco vtpote
Ioan.1. in Iudæa, baptizãte Ioanne, vocatos; Secũdo
hoc in loco,& Matt. 4. Tertio Luc. 5. quidã
Lyran. voluũt. Hãc tamẽ vocationẽ Nicol. de Lyra
non diſtinguit, ab ea quam Marc. cap. 1. &
Matth. c. 4. enarrat. Conueniunt omnes poſt
primam vocationem ad artis exercitium
rediſſe, vnde mox vocantur, primo vt ve-
niant libere, non coacti, nec tracti metu, ſed
amore eius, qui vocat, & deſiderio ſalutis
propriæ; ſecundo vt poſt ſequantur, non
Matth. 10. præcedant ante: nam non eſt diſcipulus ſu-
Chriſti ſequela. — pra magiſtrum, neque ſeruus ſupra Domi-
num, qui autem anteire præſumit, velle
videtur præcellere, & ne dicam in homini-
bus, ſed in gruibus cæli, in delphinis,& in
elephantium cœtibus cernitur. At ante me
Iſai.43. non eſt formatus Deus. Et de Chriſto ho-
Iſai.2. mine legimus; Excelſus reputatus eſt ipſe.
Ergo ante Chriſtum ire nemo poteſt. Vt-
cunque, ante eum ire tentauit omnis pa-
ganus, qui ſe, vel Deum finxit, vt Caligula;
vel maiorem Chriſto, vt Mahometus. Qui-
cunque etiam hæreticorum, qui ſibi diuini-
tatem tribuere, vt Simon magus, qui Dei
virtutem magnam, ſe prædicabat; vel ſe
Chriſtum promulgauit, vt Ioannes Leiden-
ſis, qui in Vueſtphalia Regem Monaſterien-
ſium,& Chriſtum miſſum ad redemptionem
orbis, coegit ſe ab omnibus recipi. Quid?
nonne ante Chriſtum ire præſumit omnis
hæreticus, qui adinuentione propria, ac no-
ua, quam nec Deus præordinauit, nec ratio
dictat, ad cælum præſumit intrare? Dicam
ne? omnis homo, qui vita laxiore vtens,
confidit inter beatos recipi, ante Chriſtum
pergit, ſi quidem videtur priuilegio ſibi in-
dultum ſiniſtram, aut dextram Regni, abſq;
calice, poſſe aliquando poſſidere. Errant
tamen omnes, niſi qui poſt Chriſtũ ſequun-
tur. Hi enim veſtigia Chriſti ſectantur,
viam eius tenent, neque à dextris, aut
ſiniſtris ab ea declinant. Omnem ſolli-
citudinem in eum proijciunt; vocem eius *Ioann.10.*
audiunt,& cuſtodiunt, vtque pictores ima-
ginẽ einſdem in ſeipſis contendunt iugiter
deſcribere,& ſtatuunt denique totum Chri- *Exod 13.*
ſtum quaſi monimentum ante oculos, quod *Ioan 6.*
verba vitæ habeat, ſit vita vera, eamque *Ioan.14.*
communicet ſectatoribus. Ergo quando
audis; veni ſponſa mea, imitare eam, quæ *Cant.4.3.*
dixit ſtatim, ſurrexi, vt aperirem dilecto, *Cant 3.*
quæſiui quem diligit anima mea.

Et faciam vos fieri piſcatores hominum.
De quibus vates; ecce ego mittam piſca- *Hiere. 16.*
tores multos(dicit Dominus) & piſcabunt
eos. Nam qui in mundo ſumus, velut piſces
in mari degimus. Facies enim hominis, *Abac.1.*
quaſi piſces maris. Nam vt piſces ore, &
oculo aperto nauigant, & delitiantur in
aquis, ſic hominum cor, atque oculi ad aua-
ritiam, vel ad ambitionem, vel ad luxum,
& carnis curas facientes, in pomarium in-
trant, vt denudati proprijs veſtibus, lauent
ſe, non iam à ſorde, ſed vt amplius ſorde-
ſcant, delitijs affluunt in hortis, ac do-
mibus ſuis, vnde ſi contingat eos vocari,
reſpondent; ſpoliaui me tunica mea, quo- *Cant.5.*
modo induar illa? laui pedes meos, quomo-
do inquinabo illos? Inquinari enim ſe pu-
tat aſſuetus in malis, bona aggrediens; ne-
que veſtem gratiæ, quam obduratus exuit,
vult repetere. At Deo nihil impoſſibile,
quia inquit ad Moyſen: Ego ſum, qui ſum, *Exod.3.*
& dixit; ſic dices filijs Iſrael, qui eſt, miſit
me ad vos. Aut iuxtà Pagnini verſionem,
ero qui ero, ſic dixit, dices filijs Iſrael, ero
miſit me ad vos. Verbum enim אהיה pro
quo noſtra Vulgata,& illa Hieronym. vertit
fuit, eſt futuri temporis. Etiam dum ſecun-
do Deus profert nomen ſuum, tacet אשר
aſcer, qui; verum cum ſubintelligatur ab
alijs

Digitized by Google

alijs,quàm à Pagnino transfertur. Prætermitti autem, ſolumque poni ſemel אשר relatiuum,cum verbo היה haia, quod eſt radix אהיה interpretatum eſſe,ſubindicat vnicam relationem creationis,qua & creator, productor, & effector in tribus reperiri perſonis, ſeu vnum eſſe,ſecundum quod de tribus æquè dicitur; omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus ſanctus; neque tres omnipotentes,ſed vnus omnipotens; qui,inquit,ſum,qui ſum,ideſt, ſum Pater,qui & ſum Filius,& ſum Spiritus ſanctus, vel ero idem, qui ſemper immutabilis, tametſi videar nunc creans, & non primo.Et ero, cui nihil contradicet, atque ero omnia potens, liberans bonos, & perdens malos, ad quos ò Moyſes mitteris. Igitur quia facillimum eſt, Deo cuncta perficere, non magnum eſt ei plebeios homines facere piſcatores hominum, vt non

Exod. 14. de Ægypto ſolum, aut per mare Rubrum: ſed de ſeruitute diaboli, & per fluenta baptiſmatis oppreſſos miſerijs, & ſordidos traducant ad ſtatum Eccleſiæ,vbi cantent

Exod. 15 Domino glorioſè. Duo tamen opto diligenter animaduerti. Vnum eſt verbum, *faciam*, quod eſt imperij, & auctoritatis, quæ aliunde non pendet. Quapropter di-

Ioan 15. xit alibi: Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat. Quia vt Dedalus in formis animalium(quas veteres plaſtæ cæcas fingebant, & immobiles) oculos induxit,vt huc illucque mouerentur, ac ſi viuerent. Ita Apoſtoli Chriſti electione, & virtute, cæcos homines illuſtrarunt primi, & non apparenter,ſed vere videntes potuerunt efficere, ac vita perenni frui, facientes ſemper idem,qui dixit; *faciam vos* non ſolum fieri piſcatores per meritum humanitatis meæ, vel *faciam* per omnipotentiam, ſed *faciam* vobiſcum piſcationem:

1.Cor 12. operatur enim omnia in omnibus. Alterum mihi obſeruandum, & quidem omnibus, ſed non contrectandum nimis, quia hericium ſapit, & caſtaneum eſt totum ſpinoſum; illud dico; vocari, & fieri piſcatores hominum, non auri, non aquæ, non aeris, neque terræ. Qui ferreis vtitur manibus contractet,& enucleet caſtaneam.Ego quidem tenellus,& delicatus,ſeu potius adue-

Pſal. 38. na, & peregrinus ſicut omnes Patres mei: *Faciam vos fieri piſcatores hominum.*

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

Et protinus relictis retibus, ſecuti ſunt eum.

Expoſitio. MAgnificentiam Domini, agnoſcunt fideles ſerui, qui neque procraſtinant dum vocantur, neque aliquid ſibi retinent dum mittuntur, neque ſpem in alio, quàm in Domino, quem proponunt ſequi collocant. Quoniam dixiſti, ait ille, in æternum miſericordia ædificabitur, in cæ- *Pſal 88.* lis,præparabitur veritas tua in eis: Diſpoſui teſtamentum electis meis,iuraui Dauid ſeruo meo, vſque in æternum præparabo ſemen ſuum. Etiam ſeminis hæreditatem, quæ cogit omnia relinquere.

Et protinus. En ſedulitatem Apoſtolorum,cuius laus ſecordiam noſtram vituperat,qui vocamur quotidie, qui innumeris allicimur beneficijs,nec vnquam ceſſat bene facere, vt impius pium patrem agnoſcat; deteſtetur ſceleſtus ſacrilegium,& qui aberrat *protinus* audita voce reſpondeat. Domine quid me vis facere? & ſtet vt ani- *Act. 9.* malia rugitu leonis, quouſque iubeat, vel ſolui calceamentum, vel ire ad montem, *Exod 3.* hoc eſt,pœnitentiæ ſtatum,& actionis com- *Exod. 19.* plecti, aut ad ſolitudinem pergere vaſtam, vel monaſticam,quemadmodū Marcellinus Pontifex fecit, & Theodorus Pachomio dilectus,& innumeri, à quibus degeneramus; ne dicā *protinus*, ſed nullatenus mouemur, nec immenſitate beneficiorū conuincimur, Dominum ſequi; ſed vſquequo piger dormies? *Prou 6.* quando conſurges è ſomno tuo?paululum dormies,paululum dormitabis,paulum conſeres manus, vt dormias; & veniet tibi quaſi viator egeſtas.Hoc eſt magna feſtinatione(interpretatur Rodulphus Bayni. *Rodulphus.* lib. 1. in Prouer.) quaſi vir armatus, ſiue vt eſt in Hebræo, quaſi vir clypei, aut vir ſcutatus,hoc eſt,magna audacia, & impetu, vt non poſſis obſiſtere,præſertim diſſolutus,& molli ſomno aſſuetus. q. d. ſi per negligentiam, & inertiam tuā obrepat tibi egeſtas, qui poſſis paupertatis tyrannidem, ex ædibus eijcere,ſomno indulgens, neque vllam artem exercens? Etenim nihil agit, qui vocatus à Deo non reſpondet *protinus*, ſed differt de die in diem.

Relictis retibus ſequuti ſunt eum. Solebant olim Porphirius, & apoſtata ille Iu- *Ob.Porphyrij,& Iuliani.* lianus, atque gentiles, qui aduerſus Chriſtiani nominis profeſſionem totis viribus dimicabant, hanc Apoſtolorum renuntiationem leuitati tribuere: quia qui citò *Eccl 19.* credit, leuis eſt corde. At infideles, quis, qualis eſſet, quamque potens, qui vocabat, neſciebant. Etenim ſermo omnipotens, quaſi hamus de profundis aquarum, peccatorem ad momentum conuertit, & extrahit,& in tenebris conſtitutum illuſtrat promptè ſol ille iuſtitiæ, vt valeat rerum mundi abiectionem dignoſcere, deteſtari *Potentia vocationis, & gratia data.* præteritam vitam,& nouam inchoare,relictis omnibus. Poteſt ignis vehemens,Terebinthum,etſi durum, vt quamprimum reſinam odoratam mittat,cogere, & fulmen deijcere pyramidem quantumuis altiſſimam,& non poterit Chriſtus verbo,ac ſpiritu oris ſui, in quo omnia portat,alterum *Heb. 1.*

Dauidē ad pœnitentiam ſubitam inducere, *2. Reg 12.* vt ornamentis ſuis depoſitis, ſaccum induat?& alterum Ezechielē rapere, inter cælum, & terram, vt ſecedens ab his, quæ ſunt mundi, aſcendat ad cor altum, nihil iam præter Deum velit? id certum eſt nobis, qui Chriſtum adoramus Deum, & confitemur. *Lyranus.* Humanitas enim Chriſti (ait Lyra) inſtrumentum erat diuinitatis coniunctum, ſicut verbum Chriſti in quantum vox mouebat aurem, ita in quantum inſtrumentum diuinitatis mouebat mentem. Ea autem mota, quiſque relinquet omnia, vt teneat, quem apprehendit.

CAPVT DECIMVMNONVM.

Et progreßus inde puſillum, vidit Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius, & ipſos componentes retia in naui.

Expoſitio. Addere ſuo ſenatui, & collegio Apoſtolico hiſce duobus, alios, qui operi piſcatorio quoque indulgebant, proſequitur. Eos tamen vt primos diligenter contemplatur, & quid agant attentè conſiderat. Vocabantur autem Iacobus, & Ioannes fratres ab vno Zebedæo patre geniti, cuius artem ſimiliter profitebantur, videlicet è piſcatione victum mendicare. Ac propterea retia componentes introducuntur.

Et progreſſus inde puſillum, ſcilicet à loco, in quo primos elegerat, *1. Cor. 15.* vt qui velut ſtellæ differrent claritate, tempus aliud, atque locum haberent ſuæ electioni; nam alios, ac differentes progreſſus, occaſione horum, *Pſal. 43.* facimus in virtute. Mandat quidem Deus ſalutes Iacob, immò verò facit, *Act. 9.* alio tamen in tempore, atque loco Paulum vocat, & in alio Zebedæum. Sed & hi eiuſdem loci, ac temporis circumſtantia, aliud, atque aliud Dei ſalutarium operantur. Attamen qui æternus eſt Deus, tempus, & locum obſeruat minimè aſtrictus, ſed vt nos *Eccl. 3.* doceat, omnia ſuum habere tempus, illudq. *Gal. 6.* ad meriti augmentum ingiter attendere, & operari, dum tempus habemus, vt mercedem in tempore ſuo recipiamus, & non ſupplicium. *Hiere 8.* Sed proh dolor. Milnus in cælo cognouit tempus ſuum; turtur, & hirundo, & ciconia cuſtodierunt tempus aduentus ſui, populus autem meus non cognouit iudicium Domini.

Vidit Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius. Qui & ipſi pauperes erant, & *Theophyl.* patrem ſenio confectum alebant, ait Theophylactus. Paupertas enim cum pietate coniuncta Deum allicit, vt benedicens benedicat pauperi in omni benedictione ſpiritali, & ad ea, quæ ſupra nos ſunt, hominem aſſumat; *Pſal. 9.* proinde Pſaltes: Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus, præparationem cordis eorum audiuit auris tua. Deſiderium enim, & præparatio cordis, quam in paupere Deus audit, eſt pietas, & clementia, qua in cæteros affectat vti, quia indigens miſericors eſt, *Prou. 19. Pauperes Miſericordes ſunt.* & animo abundantior vite, quæ propagines ſuas ad arboris vſque ſummitates protendere quærit; & ſi virgultum de terra ſitienti extendit, ſi non manum, ſaltem animum, quem cum Deus potius intueatur, quàm munus, exaudit, & fouet, ac locupletatur, vt maiora, ac meliora perficiat. Exemplum adeſt quiſque penſitet, quàm honeſtum, & vtile, atque acceptum Deo, & hominibus ſtudium adoleſcentum, qui ſua paupertate, & induſtria patrē releuare intenti erant. Eos tamē intentius, & attētius vidit Chriſtus, hoc eſt probauit pietatem eorū, & dignos, qui ſupra multa conſtituerentur, iudicauit. Secundum Iacobum, *Iac. 2. Electi à Chriſto. 1. Cor. 1.* pauperes elegit Chriſtus, ne minus quàm diuites deinceps fierent: ſecundum Paulum, infirma mundi elegit, vt fortia quæque confunderent; fratres verò elegit, ac binos, quod initium, ac finis prædicationis Apoſtolicæ foret, pacem prædicare, quam abiens diſcipulis commendauit, dicens. *Ioan. 14.* Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis; hoc eſt, vos pacificos animo eſſe iubeo, nec non ſenſu; vt cum his, qui oderunt pacem, pacifici ſitis.

Et ipſos componentes retia in naui. Mittebant illi retia in mare. Hi verò componunt. Nam & ſi piſcatores animarum forent, viciſſim & rete mittere, & componere oportebat. Alioquin captura piſcium magna fieri nequiret, aut certè cum iactura, & piſcatoris, & retis. Hoc enim facto per Scripturam, quæ vtilis eſt ad docendum, *2. Tim. 3.* è mari vitiorum hominem ad Deum ſubleuant, ac propterea eam componit intelligentia Patrum, Sanctorum exemplis, & Conciliorum, ac Pontificum decretis, quaſi carbunculum gemmis circundatum, & illuſtratum multo amplius, quam rationale *Exod 30.* opere polymito textum, vt admirationem generet magnificentia oraculi; ſuper omnia Scripturā prædicandam componit oratione. Quare & ſi prædicare, & Scripturam ad populum mittere, vtiliſſimum ſit, componat tamen eam neceſſe eſt oratione, ſi cupit orator fructum ſibi, ac populo comparare: Nam & Angelos, qui lucebant in ſcala vidit Iacob, aliquando aſcendere, & nonnunquam deſcendere. Oportet itaque diligenter orare, & vacare ſtudijs ſacris, poſt ad concionem deſcendere, & à concione, denuo ad orationem redire.

CAPVT VIGESIMVM.

Et ſtatim vocauit illos. Et relicto Patre ſuo Zebedæo in naui, cum mercenarijs ſuis, ſecuti ſunt eum.

Expoſitio.

NEque ipſi differunt vocanti reſpondere, ſed ad vocem eius ſe promptos offerunt, ad omnia, quæ iuſſerit Chriſtus, vt hoc prompto obſequio, quales forent in adminiſtratione officij præmonſtrarent, vtpotè veloces, & agiles, neque vllo impedimento ceſſuros, quominus ſuo ſonitu orbem implerent. Itaque quod maximum eſt pijs filijs, patrem illico relinquunt, & vale faciunt reliquis, quæ poſſederant, vt eum, in quo ſunt condita vniuerſa, in quo, & cum quo ſunt omnia, ſequantur, & cum eo regnent.

Rom. 11.

Et ſtatim vocauit illos. Primos non vocanit ſtatim, illi tamen ſtatim ſecuti ſunt; quod ætas matura, qua fulciebantur, in negocio tàm honeſto promptitudinem exigeret, quam ſæpè immatura non patitur, eam tamen vocantis efficacia ſupplet; quemadmodum licet in duobus his fratribus contemplare, qui fortè adhuc iuuentute, & adoleſcentia illecebri compreſſi, tardaſſent Chriſtum ſequi, vt diues adoleſcens, niſi penetrabilior omni gladio ancipiti adfuiſſet vox dicentis, veni tubam clamantis andi, & vociferantis ſponſi: Surge, propera, amica mea, columba mea. Similis enim vox puerum Ieremiam ad diuinum obſequium promptum efficit. Eliſæum relinquere aratrum, & parentes, & potins poſt Heliam ire compellit; nec patitur Zachænm ſtare in arbore, ſed facit deſcendere, hoſpitio Chriſtum recipere, & diſtribuere bona. Quid? nonne vocis huius auditione mulier illa, quæ erat in ciuitate peccatrix in profluuium lachrimarum illicò prorupit, quæ vſque in hodiernum diem vniuerſis in exemplum proponitur? Itaque quos ſtatim vocat Deus, hoc eſt efficaciter, ſiue ſenex, ſiue puer, & immerſus fuerit peccatis, non tardat conuerti ad Dominum.

Matt. 19. *Hebr.* 19. *Cant* 2. *Hierem.* 1. 3. *Reg.* 19.

Efficacia vcationis Chriſti.

Et relicto patre ſuo Zebedæo. Interpretatur Zebedæus, dos, ſiue dotatus. Huius filij ſunt, Iacobus, ideſt ſupplantator, & Ioannes, ideſt gratia, ac pietas. Siquidem donum Dei eſt, & datum deſcendens à patre luminum, pium eſſe, & gratum. Qui ergo Iacobus, & Ioannes relinquunt Zebedæum? fortène licet obliuiſci doni, ac dati, & vltra non recordari Dei, qui pietatem largitur, & gratiam? Abſit: licet tamen Zebedæum relinquere, hoc eſt, Dei contemplationem deſerere, vt & proximo conſulamus, iubente Chriſto. Atqui hoc nõ eſt Deum ſed ad oculum, vt filij Zebedæi, ſuum patrem relinquere. Quem, quis credet eorum viſceribus non ſemper adhæſiſſe? ita & qui proximum quærens, videtur altiora Dei ſtudia deſerere, intra ſe Deum retinet, eius enim opus agit, & tanto perfectius, quanto amplius incaleſcit.

Iacob. 1.

In naui, cum mercenarijs ſuis. Quibus cum vitæ curſum abſolueret, & occurreret miſerijs naturæ. Aliàs filij tenentur patri prouidere, ſi aliunde non ſuppeditatur. Eſt enim diuinum præceptum honorare parentes, & releuare ſollicitius multo, quam ciconiæ patres ſenio confectos fouent. Quoniam non ſolum os, & caro noſtra, ſed caro de carne, & os de oſſe eſt filius, qui à patre generatur, & accipit humanum eſſe. Vnde Auguſt. lib. de fide ad Petr. filius patri debet, quod eſt, non pater filio. Ergo hoc reſtituendum, cum eget pater, hoc eſt operibus, quæ ab eſſe procedunt, fouendus, & releuandus; ſecus præcepto abſoluitur, cum, inquam, vel nauim habent, hoc eſt domum, quæ parentes recipiat, & mercenarios, qui valeant ſuis neceſſitatibus prouidere. Tunc poſſunt filij parentes relinquere, & ſequi Chriſtum in ſtatu religioſo. An verò religionem deſerere, & quando poſſit, redire ad ſeculum, vt parentum curam penes ſe recipiant, diffiniendum relinquo Scholaſticis. Interim hæreſim eorum; qui deſpectis omninò parentibus, etiam in extremo poſitis, religionem poſſe filios ſuſcipere, Gangrenſis Concilij verbis reprobabo. Si qui filij (inquit) parentes maximè fideles deſeruerint, occaſione Dei cultus, hoc iuſtum eſſe iudicantes: & non potius debitum honorem parentibus reddiderint, vt hoc ipſum in eis venerentur, quod fideles ſunt, anathema ſit? Referuntur verba iſta d. 30. ſi qui filij, vbi Gloſſ. fidelibus, & infidelibus parentibus tenemur ſubuenire, magis tamen fidelibus d. 28. non ſatis. Sed pone, quod habeas patrem hæreticum, nunquid præferes ipſum extraneo bono? Petr. Commeſtor dixit hanc quæſtionem eſſe nebulam, & tenebroſam aquam in nubibus aëris. Sed dicas, quod patrem, qualiſcunque ſit, debemus prępонere extraneo, etiã ſancto in his, quæ ſpectãt ad opus miſericordiæ, in prouidẽdo ei in neceſſarijs: niſi alter magis indigeat, quia tunc potius tenemur extraneo ſubuenire, vt 86. d. Paſchæ. Ambr. tamẽ videtur contradicere huic opinioni in Canticis, in illo loco. Ordinauit in me charitatem: ait enim, multorum eſt charitas inordinata: quidam enim id, quod eſt primum, ponunt tertium, vel quartum. Sed primo diligendus eſt Deus, ſecundo parentes; deinde filij, poſtea domeſtici, qui ſi boni ſunt, malis filijs præponẽdi. Sed illa auctoritas intelligẽda eſt de affectu interiori, nõ de beneficiorũ exhibitione: nã magis debemus diligere extraneos bonos, quã propinquos malos, li-

Exod. 20.

Cura parẽtum habẽda in neceſſitate.

Aug. ſeu potius Fulgẽtius auctor eius libri.

Synod Gangren. c. 16.

d 30. *cap. ſi qui filij. Gloſſa.*

Petr. Commeſtor. Pſal. 17.

86. *d. Paſcha. Ambroſ. ita citatur à Magiſt. in* 3 *d.* 29 *&* 5. *Thom.* 2. 2. *q.* 26. *ar* 9. 5. *ſed contra.*

cet iſtis potius debeamus ſubuenire 13.q.2.
nõ eſtimemus. Hæreticũ non expreſſit: Fuiſ-
ſe tamen Euſtachiũ certum eſt. Huius enim
occaſione fuiſſe Concilium congregatum
Nicephorus refert Nicephorus lib.9.hiſt.Eccleſ. cap. 16.
Gratianus. Gratianus verò d.3.c.illud autem, etiam
propter Manichœos deponit congregatum.
Agit de Cõcilio Gangrenſi, quod contra ſolos Euſtachianos fuit cõgregatum. Hi enim coniugium deteſtabantur, Euſta-
chius verò ſuperſtitioſè Religionem ama-
bat. Propterea fortè in hanc inſaniam
vtrique venere, vt negarent parentibus ob
cultum Dei, vel obſeruantiam cælibatus,
quod natura, ac Deus ipſe præcepit. Repe-
Matt. 15. ritur huius hæreſis ſpecies in Phariſæis, qui
ob munus, parentum curam præterire
ſuadebant. Hi ergo duces hæreſis dicen-
tur, ſequaces Manichœi, à quibus Euſta-
chius venenum hauſit.

Secuti ſunt eum. Nihil ſibi ex paternis
bonis retinentes: ſed relictis omnibus pa-
renti, cuius erant iure naturæ, non ſolum
quod pauper, ſed quod pater, quo ſuperſti-
te, nequit de bonis eius diſponere filius; ſed
penes eum remanent. Quare horum vocatio
exemplar eſt eorum, qui ſub cura adhuc Pa-
trum de paternis bonis nequeunt diſpone-
re, cum ad Religionem veniunt. Adoleſcens
verò, cui Chriſtus præcepit omnia diuen-
dere, & dari pauperibus, præponitur libero,
qui bonis pro libito vti poteſt, cui iuxta re-
Matth. 19. gulam Chriſti, olim rigide obſeruatam, in-
cumbit pauperibus dare, quæ poſſidebat;
ſaltem nihil ſibi retinere; quia cui portio
Ambroſ. Deus (ſcribit Ambroſ. de fuga ſæculi cap.
2.) nihil debet curare niſi Deũ. Inde huiuſ-
Hieron. ep. ad Nepotianum. modi homines (deponit Hieron.) vocantur
clerici, ideſt, ſorte electi. Omnes enim Deus
in ſuos elegit. Hi namque ſunt Reges, ideſt,
ſe, & alios in virtutibus regentes, & ita in
Deo regnum habent. Et hoc deſignat coro-
na in capite. Hanc coronam habent ab in-
ſtitutione Eccleſiæ, in ſignum regni, quod in
Clerici nihil habebãt proprij olim, vide 12. q.1. Chriſto expectatur. Raſio verò capitis, eſt
temporalis omnium depoſitio. Illi enim
victu, & veſtitu contenti, nullã inter ſe pro-
prietatem habentes debent habere omnia
Clem. Rom. communia ſicut (inquit Clemens epiſt. 5.
cap. 2. ad Iacobum fratrem Domini) non
poteſt diuidi aer, neque ſplendor ſolis; ita
nec reliqua, quæ communiter in hoc mun-
do omnibus data ſunt ad habendum, diuidi
debere, ſed habenda eſſe communia. Vnde
Pſal. 132. & Dominus per Prophetam loquitur dicẽs:
Ecce quam bonum, & quam iucundum, ha-
bitare fratres in vnum. Iſtius enim conſue-
tudinis more retento, etiam Apoſtoli, eo-
rumque diſcipuli (vt prædicatum eſt) vna
nobiſcum, & vobiſcum communem vitam
duxere. Hoc tamen Apoſtolorum inſtitutum
Guliel à ſãcto amore hæret impugnator relig. plerique hæreticorum conati ſunt labefa-
ctare. Gulhelmus de ſancto amore Mendi-
cantium Conuentus, quorum profeſſores
relictis omnibus abſque proprio, ſequuntur
Chriſtum, vt pernicioſos ſaluti damnat.
Ioannes Vuiclelff. omnem Religioſum ſta- *Vuiclelf.*
tum ſugillat. Ad hæc Lutherus: vltra præce- *Lutherus.*
pta legis nemo tutè profitetur quippiam
aliud ſupererogationis opus. Vnde Brentius *Brentius.*
hom. 66. in Ioan. dixit: Sequi Chriſtum non
eſt imitari virtutes eius, ſed eſt credere,
quod ipſe ſit verus Chriſtus, expiator pec-
catorum noſtrorum, & Saluator noſter. Vi-
detis hominis temeritatem, quàm impudẽ-
ter ſenſum, ne dicam patrũ, ſed Chriſti per-
uertit. Is enim expreſsit, quid ſit, eum ſequi,
eſſe, inquam, operari non ſolũ mandata, ſed
cõſilia. Diſcite, inquit, à me, quia mitis ſum, *Matt.* 11.
& humilis corde. Sunt eunuchi, qui ſe caſtra-
uerunt propter Regnũ cælorum, qui poteſt *Mate* 9.
capere capiat. Si percuſſerint te in maxilla *Luc.* 18.
vna, præbe tu & ei alteram, oportet orare, *Luc.* 12.
date eleemoſynam: pœnitentiam agite. Et *Matt.* 5.
ſimilia dixit, quę in decalogo nõ exprimun-
tur, ſed includuntur, quaſi ad obſeruantiam
mandatorum pleniorem; & perfectiorem
requiſita; ſub quibus reliqua religionis in-
ſtituta contineri quis dubitat? Nullus enim
Religioſus ſubdens ſe inſtitutionibus, & re-
gulis Monachorum, & fratrum, aliud præ-
tendit, quàm decalogum diligentius multo,
quàm ſæculares obſeruare. Vnde Proſper
lib. 2. de vita contempla. c. 20. quid eſt am-
bulare, ſicut Chriſtus ambulauit? niſi con-
temnere omnia proſpera, quæ contempſit?
non timere aduerſa, quæ pertulit? libenter
facere, quæ fecit? fieri docere, quæ man-
dauit? ſperare quæ promiſit? & ſequi quò
ipſe præceſsit? Tunc (ait Cyprianus lib. 4.
ep. 6.) reſpondet ad fidem nominis ſectatio
veritatis, & credenti præmium datur, ſi
quod creditur, & geratur. Proinde Petrus
dixit: Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis *1. Pet.* 2.
relinquens exemplum, vt ſequamini ve-
ſtigia eius. At veſtigia Chriſti ſunt opera
religioſa; vnde ſequi Chriſtum, non eſt
tantum credere, ſed Chriſti facta imitari.
Inter autem ea connumeratur deſertio cun- *Hiero.* 12.
ctorum; quia, inquit: Reliqui domum, di-
miſi hæreditatem meam, & dedi dilectam
animam meam in redemptionem pro mul-
tis. Vnde dixit Matri, quid tibi, & mihi *Ioan.* 2.
mulier? & parentibus; an neſciebatis, *Luc.* 21.
quia in his, quæ patris mei ſunt, oportet *Luc.* 9.
me eſſe? Filius hominis non habet vbi ca-
put ſuum reclinet. Annon hi ſunt heroici
actus Religionis, quos Chriſtus fecit, vt
doceret ſuos, & conantur veſtigia eius ſe-
qui, tanquam filij lucis? A Chriſto enim
Apoſtoli, & ab his poſteritas, ad hæc
vſque tempora ſeruauit. Vnde conſilium
dantes (proſequitur ibidem Clemens) ve- *Clement ep. 5 c. 2. ad Iacobum fratrem Domini.*
ſtram prudentiam hortamur, vt ab Apoſto-
licis regulis non recedatis, ſed communem
vitam ducentes, & Scripturas ſacras rectè
intelligentes, quæ Domino vouiſtis ad-
implete ſatagatis. Optarem hic votifragos
aduer-

Digitized by Google

Baſi. 1 *Auguſt.* *Gregor.* *Vrban.*

aduertere ſuam proprietatem, & moueri vti inſtitutores faciunt, Baſilius in ſuis regulis, Aug. in ſerm. 2. & 3. de com. vit. clericorũ 52. & 53. ad fratres in eremo. epiſt. 109. ad monachos. Gregorius reſpondens Auguſt. Epiſcopo Anglorum, c. 1. & 2. Et Vrbanus Papa epi. vnic. cap. 1. ad omnes Catholicos, & innumeri alij, quod proprietas ſit, quæ Religionem diſſoluit, oleaſtrum efficiat Dei ſeruum, Clodium in cœna, Demetrium Antigoni in cubilibus, & in regimine Flauium Veſpaſianum. Dicam ne? Iudam, & Simonem magum, qui non ſemel, ſed infinities, vt ita loquar, cum ſene, qui à nouitiatu proprietatem amauit, gratiam ſpiritus, & ſacra emere tentat, ac vendere. Poſtea autem quid? nihil fieri in perpetuum. Proh dolor venerat ſequi Chriſtum, vt in perpetuas fieret æternitates, & abit in exterminium illecebris eius, qui dixit, hæc omnia tibi dabo; ſi cadens adoraueris me. Cadit enim ab ſtatu aureo, & auream ſtatuam adorat, cum qua in fauillam reſoluitur miſer, qui inter primores Regni ſperabat ſedere. Ergo ſi ſequeris, ſequere fideliter, ſequere animo, nihil præter Chriſtum deſiderans, ſequere corpore, pauperem vitam complectens. Et ſequere purè, alienus ab hypocriſi, vt lætus audias: Euge ſerue bone, & fidelis, quia in pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui.

Deteſtabile vitium proprietatis in religioſo
Plutar. *Sueton.*
Dan. 12. *Matt.* 4. *Dan.* 3. *Matt.* 25.

Græca lectio hoc in loco habet *ἀπῆλθον ὀπίσω αὐτοῦ abierunt poſt eum*. Vnde conſtat idem eſſe ſequi Chriſtum, quod ire poſt eũ, hoc eſt imitari exemplum, quod in Chriſto præcedit, & proponitur imitandum cunctis. Etiam per verbum ἀπῆλθον. quod proprius interpretatur, abire; modus ſequendi Chriſtũ deſignatur, qui eſt, velut aqua decurrens, abire à montibus vnde ſcaturit, quouſq; in mare ſe diffundat. Qui pariter poſt Chriſtũ abit, ab omnibus ſe abſtineat, priora fugiat, & currat cõtinuo ad Deũ, nihil ſi fieri poteſt, cõmercij habẽs, cũ his, quæ reliquerat, nã talẽ Chriſtus ſuũ fore diſcipulũ dixit.

CAPVT VIGESIMVM PRIMVM.

Et ingrediuntur Capharnaum: & ſtatim ſabbatis ingreſſus in ſynagogam docebat eos.

Expoſitio.

IAm collectis diſcipulis, Galilææ Metropolim adit, ſua prædicatione replet, ac verbo ſalutis, quam dare venerat ijs, qui ex ſemine Abrahæ, ſecundum ſpiritum deſcenderant. Eoque conuenit loco, & tempore, operi decentibus. Sabbatis enim, quæ requiem, & ſolatium ſubolent, orationem apud populum haber in ſynagogis, quæ velut ſacræ ædes, hiſce pijs operibus fabricabantur. Obſeruauit autem in Metropoli locum, & tempus, quæ in huiuſmodi ciuitatibus, & populorum frequentia diligentius, quàm in pagis, & villis obſeruantur. Morem igitur gerens genti, qui vbique, & iugiter docet ſabbatis, in ſynagoga, & conuentu populi, nunc docere inſtituit, vt venaretur eos in proprijs cubilibus, in quibus turpius delirabant.

Hier. 31. *Luc* 4. *Dioſco. lib.* 3. *c.* 157. 1. *Reg.* 26. *Matt.* 11.
Ingratitudo Capharnaitarum.
Luc. 12. *Iſai.* 1. *Luc.* 2. *Ioan.* 8. *Apoc.* 3.

Et ingrediuntur Capharnaum, vel εἰς καπερναούμ, in Capharnaum. Præpoſitio enim, in, pro erga, beneuolentiam, & ardorem animi denotat, quo ad Capharnaitas Chriſtus acceſſit. Huic ſiquidem ciuitati, ac reliquis, immò verò proprius dicit; In charitate perpetua dilexi te, attraxi te, miſerans tui. Eam enim plus cæteris mirabilibus ſuis repleuit, vt inuiderent Nazareitæ, dicentes: Quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac hic & in patria tua. Amor hic tamen egregius, quem ſignis declarauit, Capharnaitis ceſsit in damnum, & perniciem. Minus enim grati, velut, *Mercuriali oblato*, filij mortis facti ſunt. Inde Chriſtus: Et tu Capharnaum, nunquid vſque in cælum exaltaberis? vſque in infernum deſcendes. Nec hoc ſolum his tanta pernicies accidit, verum etiam alijs, qui amorem amore compenſare neglexere. Quia ſeruus ſciens voluntatem Domini ſui, & non faciens, vapulabit plagis multis. Ideò gens Hebræa, facta eſt ciuitas meretrix, deſperatæ plagæ, & abominabilis; Græcia, quæ tantis viris claruit, ſub tributo; Germania, & Gallia, quæ vidit mirabilia Chriſti, replentur vertigine; ſed & in priuatis hominibus damnũ ſimile reperitur. Itaq; ingreditur Capharnaum, vt inflammatus ſuperno igne cunctos inflammaret; ſicut & cum in mundum venit, & diluculo in templum, ac in quemquam noſtrum, vt ſi non pari, quod eſſe nequit, ſaltem aliquali amore dilectum, qui ad nos venit, & ingreditur, vt maneat, & manducet nobiſcum, admittamus. Hoc potiſsimum incumbit prædicatori, qui eſt venturus ad alios in vero amore: Nemo autem dat, quod non habet, nec amore in proximũ ardebit, qui primo dilectũ, cũ amore non intromiſerit, & tenuerit.

Gannæius. *Clemens in conſt.*

Et ſtatim ſabbatis ingreſſus in ſynagogam. Hoc eſt in ſingulis ſabbatis (ſcribit Gannæius) ingreſſus in ſynagogam, vel ſingulis diebus feſtis. Nam præter diem ſeptimum, ſabbata dicebantur Iudæis dies feſti, in quibus quieſcerent. Feriari oportebat in quamcunque illi feriam incidiſſent. Ferias autem lectione Scripturæ comirabantur. Quem morem ab Apoſtolorum, & Chriſti temporibus retinuit noſtra Eccleſia: Vnde lib. 2. conſtitut. Apoſt. c. 59. ait Clemens. Cum autem doces Epiſcope, iube, & mone populum frequentare quotidie Eccleſiam, mane & veſpere, & omninò abeſſe

nolit,immò aſſiduè cōueniat.Et infra:Quinimo cōuenite in Eccleſiam ſingulis diebus mane,& veſpere ad canēdū Pſalmos,& precationes in tēplo Domini faciendas. Paulò poſt. Potiſſimū autē die ſabbati, & die Dominico:ſubditq. inferius.In quo itē adhibētur lectio Prophetarum,Euangelij prædicatio,oblatio ſacrificij, & ſacri cibi donum.

Act. 2. Vndè & Lucas deponit: Erant perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus. Si

1. Cor. 14. ergo, inquit, Paulus 1. Cor.14. conueniat vniuerſa Eccleſia in vnum,& omnes linguis loquantur,&c. vnum loqui,& prædicare Eccleſia docet,cæteris tacentibus, vt omnia ſecundum ordinem debitum fiant. Verum cū charitas, vnde concentus,tepeſceret, ne hic ordo debitus prætermitteretur, in pleriſque Concilijs tàm generalibus, quàm prouincialibus, præſertim in Prouinciali

Colon. Cōc. Synod. Trident. Colonienſi, par 3. de diſſeminatione verbi Dei per 27.capita,& in œcumenica Synodo Trident.Epiſcopis, vel per ſe, vel per alios, nec non parrochis concionē ad populū habere præcipitur.Prædicatione enim excitatur animus ad orationē,ob quā Domus Dei eſt,& feſtiuus dies prærequiritur.Cæterū,cur Chriſtus in ſynagoga,ſiue in templo docere inceperit, & perſæpe feſtiuam diem prædicationi ſuæ elegerit; Præcurſor verò, neque locum ſacrum, aut tempus obſeruauerit? Dicerem, quod Ioannes neminem ſua prædicatione ſanctificaret, velut Chriſtus,qui in ſcientia ſua iuſtificauit multos. Verbum, ergo, quod ſanctificat, locum, tempuſq.ſanctū,iure optimo ſibi vēdicauit.

Docebat eos. Quidem vtilia juxta audientium captum, & mores. Gentilibus enim Dei vnitas perſuadenda erat, & numinum multiplicitas deteſtanda; & proponenda tam efficax rationum multiplicitas, vt malum fieret exoſum, amabile autem bonum, vt conuicti illud declinarent, & facerent hoc, quod lumen deſuper ſignatum iugiter indicat. Iudæis,qui credebant, alia proponebat; quia ergo differenti doctrina,vt muſicus cantu, docebat eos, ait Euangeliſta, genere doctrinæ minimè explicato *Docebat eos*,ſcilicet,omnigenam doctrinam, quæ auditori conueniebat. Id quod Petrus in ep. p. Clementis ad Iaco-

Clem. Rom. bum, vult à nobis obſeruari, oportet (inquit) eum,qui docet, & inſtruit animas rudes, eſſe talem, vt pro ingenio diſcentium ſemetipſum poſſit aptare,& verbi ordinem pro audientis capacitate dirigere. Debet ergo ipſe præcipuè apprimè eſſe eruditus, & doctus,irreprehenſibilis, maturus, pauidus,ſicut ipſi probaſtis fore hunc Clemen-

2. Tim 4. tem poſt me. Ideò & Paulus ſuo Timotheo non ſolum prædicare iubet, ſed arguere, obſecrare, & varia agere officia, vt ſicut Minos Cretenſibus,Gymnoſophiſtæ Indis,& alij alijs diuerſas pro varietate negotiorū, rerum, & perſonarum leges tulerint, & cælum pro differentia temporum ſigna variat, ita orator verbi Dei varietate vtatur doctrinæ,& dicendi genere, vt fructum ferat. *Num. 10.* Neque enim vnam fieri voluit Deus tubam, neque tympanum, ſed ea iuſſit multiplicari, vt populus vario tubarum ſono ſurgeret, & alacrior, & animoſior iter ſuſciperet; Sacerdos verò tympanis circundatus, glorioſior incederet. Magnam equidem prædicatori optimo gloriam conciliat varietas doctrinæ,loco,tempori, & auſcultatori accommoda; ſed & populus, qui eam audit, & percipit, mouetur è peccato ſurgere,& viam mandatorum percurrere.

CAPVT VIGESIMVM SECVNDVM.

Et ſtupebant ſuper doctrina eius. Erat enim docens eos, quaſi poteſtatem habens,& non ſicut Scribæ.

QVid doctrinæ Chriſti varietas, & excellentia effecerit in plebe, his paucis indicat Euangeliſta; ſtupor enim apprehendit eam, quæ ſupra modum admiratur, de obiecto, nec ſolito, nec vnquam percepto. *Expoſitio.* Doctrinam verò Chriſti vnicam extitiſſe in ſæculo,& modum dicendi nunquam in aliquo excogitari poſſe, vniuerſi qui aderant,citra controuerſiam credebant, in omnibus à Sribis in doctrina, ac modo docendi videbant diuerſum. Erat enim cum imperio, & auctoritate docens: Quippe qui propria, non aliena eructaret: Quare *Pſal. 28.* vox Domini ſuper aquas, Deus maieſtatis intonuit: Dominus ſuper aquas multas. Hoc eſt populorum concurſus,quibus prædicans Chriſtus, Deus qui in ipſo loquitur, intonabat;vnde ſtupor,& admiratio cūctis.

Et ſtupebant ſuper doctrina eius. Eſt ſtupor quædam ſenſuum alienatio, quod conſtipentur ſenſus,vt ceſſent ab officio, à magnitudine miraculi proueniens, quam nequit ſenſus inueſtigare. Quanto autem doctrinæ Chriſti magnitudo præcelleret, verbum ἐξεπλήσσοντο, *præcellebantur*, hoc eſt ſupra omnem admirationem trahebantur ſupra ſe, vt omnium ora, oculos, ac mentes ad ſe Chriſtus conuerteret. Principes ceſſabant loqui, & digitum ſuperponebant ori ſuo. Vocem ſuam cohibebant *Iob 29.* duces,& lingua eorum gutturi ſuo adhærebat: nec mirum,quia: Verbo Domini cæli *Pſal. 32.18* firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum: At cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamētum. Quid ergo verbum, vnde iſta procedunt, & illuſtrantur, faceret audientibus? Profecto niſi maieſtatem temperaſſet, & vocem verbi accomodaſſet concioni, vnanimi-

nimiter exclamaſſent: Non loquatur nobis Dominus ne forte moriamur: Et iam cum Petro, & ſocijs, audita voce, quæ de nube exilijt, velut mortui cecidiſſent. Cæterum qui vocare venerat, & allicere, præ dulcedine vocis, ſtuporem generat, non terrorem, vt iterum, atque iterum appeteret quiſque audire mel, & lac, quæ ſub lingua Chriſti latent, & peroraret: Quæ habitas in hortis, amici auſculant te, fac me audire vocem tuam. Amicos vocat iuſtos, quibus dixit: Iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos. In hortis, hoc eſt, Eccleſijs priuatis, habitat humanitas Chriſti ſub ſpeciebus conſecratis; quo veniens vir deſideriorum obnixè precatur: fac me audire vocem tuam. Vox enim tua dulcis, & facies tua decora.

Matt.17. *Cant.4.* *Cantic.8.* *Ioann.15.* *Cant.2.*

Erat enim docens eos, quaſi poteſtatem habens, & non ſicut ſcribæ. Scribæ enim (ait Gloſſa ordin. ex Beda) dicebant, quæ erant ſcripta in Moyſe, & prophetis; Ieſus autem vt Deus, & Dominus ipſius Moyſi, liberè quæ deerant legi, addebat, vel commutabat. Vnde in Matthæo; Audiſtis quia dictum eſt antiquis, Ego autem dico vobis. Quare in hunc modum docere, eſt ſolius Chriſti, qui portat omnia verbo virtutis ſuæ, & cuncta verbo efficit. Reliquorum eſt docere, ſicut Scribæ, hoc eſt per oracula Sanctorum, & intelligentiam patrum, qui dati ſunt doctores, & interpretes, vt intelligerent ſcripturas, & nobis aperirent, ac velut patres filijs oraculorum hæreditatem conſeruarent integrã. Quare (inquit Theodoretus in præfat. ad Cantic.) ne furti nos inſimulent, ſi quid quod à Patribus dictum ſit, in his commentarijs offenderint. Fatemur enim, & nos ab illis explanationis occaſionem accepiſſe. Hoc autem non furtum appellari debet, ſed paterna hæreditas. Et ideo (ait Clemens Epiſcopus ad ſuos diſcipulos de ordinatione Epiſcop.) oportet ab eo intelligentiam diſcere ſcripturarum, qui eam à maioribus ſecundum veritatem ſibi traditam ſeruauit, vt ipſe poſſit ea, quæ rectè ſuſcepit, competenter aſſerere. Subinde Hier. lib. 9. in cap. 28. Iſaiæ, ſecundum Tropologiam pſeudoprophetas eos, debemus accipere, qui aliter ſcripturarum verba accipiunt, quàm Spiritus ſanctus ſonat, & diuinos, eos; qui coniectura mentis ſuæ incerta futurorum, quaſi vera pronuntiant abſque diuinorum authoritate verborum. Pſeudoprophetas mox ipſe dixero Hæreticos noſtri temporis, qui ſuo marte, nullo ſpiritu, proprio iudicio, ac contemptis patribus ſcripturam interpretantur, quaſi poteſtatem habentes *Non ſicut ſcribæ.* Quo factum eſt, vt in tot, tamque varias hæreſum ſectas declinarint, vt monſtra Africæ ſuperent, & muſcas, ac ranas Ægypti nihilo ducamus, conſiderata multitudine, & malitia hæreſum, quæ paſſim in Germania ex libertate interpretandi ſcripturas, renaſcuntur. Et quidem, vt optimè annotauit Picus Mirandula, & multo antè Origenes, & Hier. inde omnis hæreſis proceſſit.

Gloſſa ex Beda. *Matth.5.* *Theodor.* *Clemens.* *Hieronym.* *Hæreticorũ temeritas.* *Picus Mirandula* *Orig.* *Hieron.*

CAPVT VIGESIMVMTERTIVM.

Et erat in Synagoga eorum, homo in ſpiritu immundo, & exclamauit dicens.

Expoſitio.

Non ſolum verbis poteſtatem demonſtrat, ſed eam in operibus vult cunctis conſtare. Poſt igitur doctrinam, quæ omnium animos vertit in ſtuporem, proponit miracula, quæ non ad doctrinam, ſed ad docentem, & operantem traherent, iiſq. facilius, & iucundius crederent ei, qui operatur omnia in nobis.

Et erat in Synagoga eorum homo in ſpiritu immundo. Quid ergo foris, ſi immundi ſpiritus homo reperitur in loco ſacro? Etenim immundus homo in omni terra, quaſi vas immundum, & animal, quod ruminat, & non diuidit vngulam. Nam etſi ratiocinetur, & agnoſcat Deum, non ſicut Deum glorificauit, ſed euanuit in cogitationibus ſuis. Primus homo dixit; Vadam, & affluam delicijs. Poſteritas verò corpus ſuum in vitijs, & concupiſcentijs enutriuit, adeo vt omnis caro corrumperet viam ſuam. Quam neque herba, neque malagma; hoc eſt lex naturæ, quæ pro cibo herbam ab initio habuit; neque malagma, ſiue emplaſtrum, quod ad peccati apoſtema maturandum; naturæ additum eſt à tempore Adæ, quem vocauit Adam, Adam: à peccato Caim, cui dixit quid feciſti? à generali corruptione hominum, quos deleuit; ab ortu Abrahæ, quem de Vr Chaldæorum eduxit; & à fuga Moyſi, quem lege ſcripta donauit, vt tumor peccati maturaretur, minimè tamen ſanauit eos: ſed tuus Domine ſermo, qui ſanat omnia: Tu es enim Domine, qui vitæ, & mortis habes imperium. Optimè ergo in Synagoga prædicanti, occurrit homo ille immundi Spiritus, qui ſecundum Bedam genus ſignat humanum, vt libertatem, & ſalutem reportaret integram. Sed quare non foris? Synagoga enim locus eſt munditiæ, quietis, & ſanctitatis; & huic perſimilis, multoque excellentior erat paradiſus voluptatis, in quo miſer fœdatus eſt. Ergo vt videretur in eodem loco mundari, in quo perniciem contraxerat, in Synagoga medicum quærit. Quinimo ideo eſt Synagoga, ideo templum inſtitutum, vt homo in ſpiritu immundo adſit deprecans: Sana me Domine, & ſanabor, ſaluum fac me, & ſaluus

Oſe.8. *Leu.11.* *Eccl.2.* *Gen.6.* *Sap.16.* *Gen.3.* *Gen.4.* *Gen.7.* *Exod.2.20.* *Beda.* *Gen.3.* *Hier.17.*

Pſal. 32. ſaluus ero: Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos, quemadmodum ſperauimus in te. *Pſal* 50. Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me. Hę ſunt voces *Exod.* 29. animalium, quæ in templo vult Deus immolari; hæc ſunt organa, & muſicalia in- *1. Pet.* 23. ſtrumenta, quæ cantores Dauid, & Salomonis aſſumunt canendis pſalmis, & canticis: Sunt incenſa, & aromata redolentia, quæ ab altari thymiamatis redolent, & odor flagrans, ab holocauſtomatibus aſcēdens, in quo Deus placatur, vt non vltra maledicat terræ propter hominem. Ergo qui immundi ſumus, noſtram Synagogam, ſeu potius Chriſti templum non erubeſcamus intrare; attamen vt precemur, vt medicum audiamus, & benignè deprecemur, non vt velimus immunditiam, & ſpiritum neque eo loci conſeruare, neque augere; quemadmodū, proh dolor, plerique factitant. *Hier.* 11. Vnde conqueritur: quid eſt, quod dilectus meus, in domo mea fecit ſcelera multa? quæ autem quotuſquiſq. nouit, qui credit. Attamen quantum hac in re detrimenti accidat naturæ, amabò, aduertite. Fit enim ſpiraculum vitæ habens, ſub ſpiritu mortis, qui ad imaginem Dei condi- *Gen.* 1. tus eſt, vltrò denigratur, & illum, cuius ſplendorem diligit Deus, immundus ſpiritus fœdat, & viliorem cunctis reddit. Vide ergo homo immundi ſpiritus, quàm vilis factus es, iterans vias tuas, & in templo Dei mei abominationem faciens.

Et exclamauit dicens. Peccatori omni, vt diximus, conuenit in templis clamare: nulli magis, quàm vexato ſpiritu immundo. Eſt autem hic, luxurioſus & corpore, & mente. Mentalis enim luxuria, quæ eſt (ſe- *Scotus in 2. d 6 q. 2. A. 2.* cundum Scotum) amor, & appetitus inordinatus propriæ excellentiæ, radix eſt peccatorum ſpiritualium, quæ ſupra modum hominem grauant, & faciunt Deo exoſum. *S. Thom.* 22 *q.* 153. Corporalis luxuria eſt (ſecund. Thom.) inordinatio carnis circa voluptates venereas; inter vitia intemperantiæ maximè exprobrabile. Inde enim procedit cæcitas men- *Luxuriæ propagines.* tis, inconſideratio, præcipitatio, inconſtantia, amor ſui, odium Dei, affectus præſentis ſæculi, & deſperatio futuri; ſed & turpiloquium, ſtultiloquium, ſcurrilitas, & ludricum, nonne ex luxuria oriuntur? Hæc plus cæteris deprimit iudicium, rationiſque vſum. Non enim aduertit luxurioſus exhæredationem regni, periculum perſonæ, ac rerum, & bonorum operum impedimentum. *Pſal.* 37. Hinc ille: Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus, & non eſt ſanitas in carne mea. Adeo, vt diſſolutis lumbis, cum Bethzabe, per annum forte integrum conſeruauerit peccati complacen- *2. Reg* 12. tiam, nec pœnituit, niſi quando Nathan, ſub Symbolo pecoris conuincit cæcum de facinore. Propterea tanta infectum immunditia lex contemplatur in porco, cuius carnes prohibet tangere; in coruino ge- *Deuter.* 14. nere, quod vitari præcipit; ſiquidem lenis Iacob, cum piloſo Eſau eſſe non poteſt. *Gen* 27. At qui in Eccleſia, domo Dei, & in templo eſſe vult, lenitatem Iacob proponat imitari: quoniam ſanctum eſt templum *Pſal* 64. Domini: Ergo eius miniſtrū, & miniſteria *Iſaia* 52. ſancta eſſe oportet: Mundamini, inquit, *Iſaia* 4. qui affertis vaſa Domini: Lauamini, mundi *Iſaia* 1. eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis. Et quis eſt miniſter, cui tantum imponitur præceptum? *Munditia in Miniſtris Eccleſiæ.* Quos poſuit Deus regere Eccleſiam Dei, in ordine aliquo, & quos fecit genus electum, regale ſacerdotium, & ſacerdotes, *1. Pet.* 2. ſpirituali ſacerdotio, vt offerat quiſque pro ſe ipſo ſpiritualem hoſtiam, rationale obſequium, accedens per ſemetipſum ad *Hebr.* 5. ſancta ſanctorum, orans primo pro ſe, deinde pro alijs. Et quid? Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me, quoniam iniquitatem meam ego *Pſal.* 50. cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper. Hoc eſt peccatū luxuriæ, cuius concupiſcentia regnat in membris noſtris, & velut caprificus ſaxis hærens, ficus ma- *Hier.* 24. las, malas valde emittere contendit, niſi cedrus arbor honeſtiſſima dilatauerit ramos, & folia, fructuſq. fecerit; niſi, inquam, lex mentis impleuerit interiorem hominem, & in vno corpore, ac de vno Chriſto Phares, &c. Zaram conceperit, hoc eſt, per *Matth.* 1. Chriſti gratias, contemplationem optimam, & ſalutarem actionem. Tum enim liberabitur à ſeruitute peccati, & miniſtrabit mundus coram Domino. Igitur qui tanto miniſterio honoramur, ſi immundo ſpiritu, vel in toto, vel in parte nos grauari deprehendimus, clamemus, immo vero exclamemus, aliter tamen, quàm obſeſſus.

CAPVT VIGESIMVM QVARTVM

Quid nobis, & tibi Ieſu Nazarene: Veniſti perdere nos? ſcio qui ſis, ſanctus Dei.

Expoſitio. Exclamat itaq. immundus ſpiritus, non tamen deprecans, ſed conquerens, & quaſi obiurgans formica gigantem, qui cælis dominatur, & elementis. Quid, inquit, nobis, & tibi, qui es ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cælis factus? *Hebr.* 7. Nos vero de cælis eiecti, & in inferiores terræ partes deſtinati. Quid? vis ne iterum bellum, quod propter te in cælo eſt commiſſum, in terra renouare? Parum ne ducis è cęlo deieciſſe nos, vt adhuc in terris nos perſequi veneris? Scimus qui ſis; non nos deludit hic tuus habitus infirmus. Immo verò is ipſe facit nos ſcire, te eſſe ſanctum Dei cui

Digitized by Google

cui cantant ſeraphin, veneratur omnis mi-
litia cæli, ſanctum Domini glorioſum, &
vnctum expectat omnis homo, vt ipſe vn-
gatur, nos vero odore tanti vnguenti,
quem hactenus vinctum poſſedimus, eoga-
mur drſrrere.

Quid nobis, & tibi Ieſu Nazarene? Mul-
tum quidem. An non ſatis videtur vobis,
hærrditatem eius vſurpare, in ſibi ſimilem
tyrannizare, carnem ſuam agitare, & ho-
minem, quem ipſe formauit, & regenerauit
1. Pet. 1. in ſpem viuam, morti tradere, & deforma-
re? Nunquid non hoc ſatis? Quid vltra
fecit Pharao, quem cum exereitu deiecit
Exod. 14. io mare? Non vincit veſtram malitiam
quæ in Datam, & Abiron regnauit; nihilo-
Num 13. minus abſorbuit eos terra. Quid? neque
1. Mach. 1. Antiochus vnquam ſic inhumaniter ſæuit,
Apoc. 13. aut beſtia, vt vos, qui neque à Patriar-
chis, neque à Prophetis; neque à ſanctis
abſtinuiſtis, quin vel inficrre, vel torquere,
vel anguſtiare, aut certè tentaretis perde-
re, & in regionem vmbræ mortis demitte-
re. Ergo quo auſu eructatis, *quid nobis,*
Cantic. 2. *& tibi Ieſu Nazarene?* Nam ſi Nazarenus,
hoc eſt, floridus, vos vulpes paruulas, quæ
demolitis vineas florentes, & botros ea-
rundem dulciſſimos calcatis, qui poterit
pati? Et ſi Ieſus, ideſt, Saluator, ſaluum
Matth. 1. faciet populum, de manu exactoris libera-
bit, redimet à portis inferi, & de carcere
educet Brniamin, quem tenetis in vinculis.
O ſtulti, obiurgatione malum accerſitis, &
dum appellatis eum Ieſum, & Nazarenum,
Iſai. 8. prouocatis ad pugnam, vt acceleret ſpo-
lia trahere, & manum mittat ſecundum
ad reſiduum populi ſui. Iam enim hiſce
Apoc. 6. nominibus acclamatis victorem, qui venit
vincens, vt vinceret. Confitemini niue can-
1. Tim 6. didiorem, & ſplendorrm, qui habitat lu-
cem inacceſſibilem, qui in tenebris lucet,
Ioann. 1. & tenebras coram ſe mittit, nec iam ſtare
permittit, quouſque vos tenebroſos in te-
nebras exteriores, & horribiles demergat.
Itaque ore proprio, quæ vos mala ſpectant,
& nunc poſſidetis, confitemini, quando eum
Ieſum Nazarenum vocatis. At non ſpon-
tè, ſed coactè hiſce nominibus Chriſtum
honorant. Nam habitus humilitatis, quem
Phil. 2. Chriſtus induit, excelſum ſic fecit, & ſub-
limauit, vt omne genu eiflectatur, & omnis
lingua confiteatur quia Dominus Ieſus in
Matth 1. gloria eſt Dei Patris. Ieſus & ſaluator ipſe,
Iſaia 11. & Nazarenus, & flos, ſuper quem ſpirjtus
August. Domini requieuit. Hinc Aug. 10. de Ciuit.
Dei, contra ſupetbiam, porrò Dæmonum,
quantam virtutem habeat Dei humilitas,
quæ in forma Dni apparuit, ipſi Dæmones
ita ſciunt, vt eidem Domino infirmitate
carnis induto, hoc exprimerent. Turbauit,
& Dæmones doctrina, quam Chriſtus præ-
dicabat: Doctrina enim ſua cognoſcitur
Prou. 12. vir, vt flatu ventus, & ſplendore metallum.

Moyſenque efficit horrendum Magis, & Exod. 8.
Danielem reddit formidabilem Ariolis. Dan. 2.
Hinc ille, cõcreſcat, vt pluuia, doctrina mea, Deuter. 32.
fluat, vt ros, eloquium meum, quaſi imber
ſuper herbam, & quaſi ſtillæ ſuper gramina,
Nam doctrinæ veræ multitudinem pius re- Dan. 3.
cipit, & fugit Dæmon, comite præſertim
ſanctitate: Propter quæ non ſolum Chri-
ſto, ſed cuilibet de membris eius, perter-
ritus ait: *Quid nobis & tibi?* neque enim
Trochilus Aquilæ dignitatem pati poteſt;
neque vineam Engaddi, quæ redolet balſa-
mo non mixto, ſerpens tortuoſus ſuſtinet:
Siquidem ſanctitas eum perturbat, & do-
ctrinæ eloquium, atque imperium eijcit de
loco ſuo. Quare viro optimo, & docto
bellum eſt continuum contra ſpiritum im-
mundum, qui ignorantiam poſt lapſum
hærrditauit, & iram magnam.

Veniſti perdere nos. Pater es mendacij
ò Demon; non venit perdere, neque iudica- Ioann. 8.
re, ſed redimere, & ſaluare; quia ego re- Luc. 9.
demptor, & ſaluator. Perfectiſſimum autem,
& nobiliſſimum agens formam introducit,
& perfectum ens generat; corruptio à ma-
teria eſt viliſſima. Tu ergo Satan vilior
omni creatura, es perditor, exactor, tenta- Matth. 4
tor, leo vorax, vrſus diſſipans, ciuitas Be-
hemot prunas inflammans, draco ſtellas Apoc. 12.
deijciens. Diabolus tota die cogitans bella,
ſi quomodo vniuerſam orbis plagam, in ſo-
litudines ſempiternas reddas, Sed & te quis
perdidit ò Cherub? forte ne alius à te tãtam
tibi perniciem conciliauit? cecidiſti enim
quia voluiſti, & cadens quaſi lapis proie-
ctus es in profundum inferni. Ergo te om-
nis perditionis vocato prrditorem, & euer-
ſorem, non eum, qui perditum ſaluat, er-
rantem reducit, & vocat fugirntem; nec te
malorum omnium ſentinam deſpiciet ſi
noueris te ipſum humiliare, & pænitere.
At aſſuetus in malis, quaſi aquam bibit ini- Iob. 15.
quitatem, ſtringit caudam ſuam, quaſi ce- Iob. 40.
drum: nerui teſticulorum eius perplexi ſunt. Dæmonis in
oſſa eius velut fiſtulæ æris, cartilago illius duratio.
quaſi laminæ ferreæ. Denique vſquequaq.
indurat ſe ipſum, ne videat bonum, nec
agnoſcat quod malè geſſit; contemnit pa-
uorem, nec cedit gladio, dummodo perde-
re poſſit, & mactare hominem, ac ſuem.
Vtcunque vitium perditoris in eum, qui
perditionis cunctorum dolet, conijcit.
Veniſti, inquit, perdere nos. Multos hic pa-
ter filios procreauit, qui vitia ſibi propria,
alijs imputant, da illis (prrcatur calum- Pſal 27.
niam patiens) ſecundum opera eorum, &
ſecundum nequitiam adinuentionum ipſo-
rum: ſecundum opera manuum eorum tri-
bue illis: redde retributionem eorum
ipſis, nam qui filiationem ſequitur Diabo-
li, iuſtum eſt, vt hæreditatem eiuſdem
accipiat.

Scio qui ſis, ſanctus Dei. Non dixit
autem

Theophil. autem (ait Theophilactus) immundus ille, *Sanctus es*. Multi enim prophetæ Sancti fuerunt, ſed ille *Sanctus* adiectione articuli, ille vnicus, & præfinitus, de quo in oraculis. *Pſal 4.* Mirificauit Dominus *Sanctum* ſuum. *Pſal. 56.* Deus locutus eſt in *Sancto* ſuo. *Iſaia 6.* Semen *Sanctum* erit illud. *Oſe. 11.* In medio tui *Sanctus*, & alijs, legitur Chriſtus declaratus ſub antonomaſia nominis *Sancti*. Tum quod Deus Sanctus, & perfectus à ſe, creditur, tùm quod homo, quem Deus ſanctificauit, & miſit in mundum, vt ſanctificaret totam Eccleſiam, & abſque ruga, & macula renouaret. Verum an certo ſciret Dæmon, Chriſtum *Sanctum* Domini, ac Deum, dubitant Doctores, quorum ſententias *Nicol. de Lyra.* Nicolaus de Lyra, hiſce complectitur; per prophetias, inquit, de Chriſto dictas, quæ determinauerunt tempus, locum, & modum veniendi ipſius Chriſti, ſecundum quod plenius declaraui in quadam queſt. de aduentu Meſſiæ, completas in eo, & per alias circumſtantias, ſciebant ipſum eſſe Chriſtum in lege promiſſum, vnde infra dicitur, quod non ſinebat eos loqui, quoniam ſciebant eum, ſcilicet, eſſe Chriſtum, ſecundum quod expræſsè dicitur Luc. 4. Veruntamen neſciebant ipſum eſſe Deum: nec per tentationem Chriſti in deſerto Diabolus potuit ſcire de Chriſto, vtrum eſſet Dei filius per naturam, habens eandem numero naturam cum patre, licet ad hunc finem tripliciter eum tentauerit, vt dictum fuit plenius. Si enim cognouiſſent Dæmones ipſum eſſe Deum, nunquam induxiſſent Iudæos ad crucifigendum eum, ſecundum quod dicitur. Si cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. Aliqui autem Doctores dicunt, quod non ſolum non cognouerunt Dæmones ipſum eſſe Deum, vt dictum eſt, ſed nec etiam cognouerunt certitudinaliter ipſum eſſe Chriſtum in lege promiſſum; ſed tantum hoc cognouerunt quadam coniectura multum probabili, quæ in hoc loco, & in pluribus alijs locis Euãgelij, nomine ſcientiæ exprimitur. Sed primum dictum magis videtur conſonum textui, & dictis Sanctorum. Hæc ille. Inter ſanctos, qui priorem ſententiam videntur complecti, eſt Chriſoſt. ſuper hunc locum, Beda ſuper cap. 4. Lucæ. Et multo ante Athanaſius in de Cruce, & paſſione Domini, ac Leo ſerm. 21. de paſſione Dñi, Hier. ſup. cap. 8. Matth. Orig. hom. 6. in Lucam, videtur dicere, maioribus Dæmonibus ignotam fuiſſe diuinitatem Chriſti, minoribus in malitia notam. Sed conſidera (inquit) quia minor in malitia nouerit ſaluatorem; qui vero maior eſt in ſcelere, & verſipellis, & nequam, ex eo ipſo, quod in malo maior eſt, impeditur noſſe filium Dei. *Gregor.* Beatus Gregorius. lib. 33. mor. cap. 7. cognitum Deum affirmat: & quidem (inquit) Behemot iſte filium Dei incarnatum nouerat, ſed redemptionis noſtræ ordinem neſciebat. Sciebat enim quod pro redemptione incarnatus Dei filius fuerat: ſed omnino quod idem redemptor noſter illum, moriendo, transfigeret neſciebat. Vnde & benedicitur: In oculis eius quaſi hamo capiet eum. *Iob. 40.* *Auguſt.* Beatus Aug. lib. 9. de Ciuit. Dei cap. 22. admittit agnitum Deum ex quibuſdam effectibus temporalibus, quantum ſibi permittebatur. Innotuit ergo Dæmonibus, ait, non per id, quod eſt vita æterna, & lumen incommutabile, quod illuminat pios, cui, videndo per fidem, quæ in illo eſt, corda mundantur: ſed per quædam temporalia ſuæ virtutis effecta, & occultiſſima ſigna præſentiæ, quæ angelicis ſenſibus, etiam malignorum ſpirituum, potiuſquam infirmitati hominum, poſſent eſſe conſpicua. Denique quando ea paulului, ſupprimenda iudicauit, & aliquanto altius latuit, dubitauit de illo Princeps dæmonum, eumque tentauit, an Chriſtus eſſet, & explorans, quantum ſe tentari ipſe permiſit. Hæc Patres. *Dæmon neque diuinitatem Chriſti, neque eum eſſe Meſsiã cognouit certitudinaliter.* Mihi autem perſuaſum eſt, neque Deum, neque Chriſtum certò agnouiſſe, ſed extitiſſe de vtroque dubium. Ideo enim accedens tentator dixit: Si filius Dei es; & per miniſtros in cruce pendenti. Se ipſum ſaluum faciat: ſi hic eſt Chriſtus Dei dilectus. Et per eoſdem eadem conditionali certior voluit fieri. *Matth. 4.* Si tu es Chriſtus dic nobis palam. *Luc 23.* Profecto ſi Chriſtum nouiſſet certò, neque ipſe *Ioann. 10.* quicquam contra eum egiſſet, neque alios prouocaſſet; ex ſcripturis enim nouerat, & ſibi ruinam, & mundo ſalutem Chriſtum allaturũ. Nec obſtat præſens ſententia, nec ei ſimiles, quas alibi legimus. Nam & Samaritana dixit, ſcio quia Meſſias venit, *Ioann 4.* qui dicitur Chriſtus. Et alij dicebant, quia *Ioann 7.* hic eſt Chriſtus. Nullus tamen horum certò agnouit Chriſtum, ſed ſciebant, & dicebant, vt & nos ſæpius dicimus ſcire, quod non certum, ſed probabile eſt nobis, facitque coniecturam. Hanc ego cognitionem in Dæmonibus de Chriſto, & filio Dei admitto, minimè vero ſcientiæ certitudinem. Nam inde multa, quæ ſtare nequeunt, cerno inferri: Quare dicens hæc *ſcio*, hoc eſt certo, & euidenter, mentitus eſt Dæmon, ideoque vt pater mendacij prohibetur loqui.

CAPVT VIGESIMVM QVINTVM.

Et comminatus eſt ei Ieſus, dicens, obmuteſce, & exi de homine.

Expoſitio. Sciebat Chriſtus quid eſſet in homine, propterea neque à Dæmonibus, neque

ab

ab hominibus teſtimonium accipit, ſed ab eo,qui per ſe dixit: Hic eſt filius meus dilectus, & per alium: Tu es Chriſtus filius Dei viui: Hominibus enim non ſe credebat; Dæmonem vero iubet obmuteſcere. Nam quomodo pulchras fruſtra habet claudus tibias: ſic indecens eſt in ore ſtultorum parabola.

Matth. 3. *Matth. 16.* *Ioann 1.* *Prou. 26.*

Et comminatus eſt ei Ieſus. Quoniam omnia ſubiecit Deus ſub pedibus eius, & conſtituit ſuper opera manuum ſuarum, vt euellat, & deſtruat, diſſipet, ædificet, & plantet. Inde cantari captum eſt. Dominus fortis, & potens. Ante faciem eius ibit mors, diabolus ſtetit ante pedes eius. Non enim præſentiam leonis poteſt vulpis ſuſtinere, & Iordanis conuerſus eſt retrorſum,reſiſtente arca Domini. Sed quæ arca ſanctificarionis Dei, niſi Chriſtus? Hic ſtetit, & menſus eſt terram ſuo imperio, & Montes Sion exultauerunt, vt arietes à facie eius; at montes deſerti,ſicut cera à facie ignis diſſoluti ſunt: illos dicito Angelos, & ſanctos; hos verò Dæmones, qui abierunt abſque fortitudine, quaſi ante faciem ſubſequentis; potiſſimum eo comminante. Eſt enim comminatio Chriſti, virga, quæ percuſſit Aſſur, planta,quæ caput ſerpentis contriuit, & gladius,qui Holofernem fecit truncum. Hinc didicit Eccleſia in exorciſmis, quibus contra obſeſſos, ac Dæmonum fraudes vtitur, comminationibus agere. Quæ quantum apud eos poſſint, quotidie experimur. Vnde Eccleſiæ exorciſmos Cyprianus Epiſcopus ad Demetrianum, & ad Magnum vocat tormenta verborum, & flagella ſpiritualia; Chryſoſt. vero hom.40. in epiſt. ad Cor. Horribiles canones dogmatum de cælo miſſorum. At Caluinus hæreticus,vt omittam interim alios, qui etiam exorciſmos abnegant; appellat magicos exorciſmos; ſic enim ſolent hæretici inſimulare, & ſuggillare, quæ diuinitus inſtituta ſunt in Eccleſia Dei, quod ab ea alieni ſint,nec velint matrem agnoſcere, nec Patrem reuereri. Diſſipabit tamen impios Rex ſapiens,& incuruabit ſuper eos fornicem.

Pſal. 8. *Hier. 1.* *Pſal 23.* *Abac 3.* *Ioſ 3.* *Pſal 113.* *Iſaia 10.* *Gen 3.* *Iudit. 13.* *Cyprian.* *Chryſ.* *Caluinus.* *Prou 20.*

Dicens. Comminatur, & aliquando tacens, quando ſignis cladem futuram præmonſtrat, qualia Egyptijs dedit, & Iraelitis antequam illos aqua,hos bello perderet,nec non Babilonios: Faciens ſigna, & mirabilia in cælo, & in terra, contra Regnum, ciuitatem,aut perſonam priuatam, vt Caiu, in quo poſuit Deus ſignum, ne occideretur, quod occiſioni duriori ſeruaretur, certam indicat comminationem: ſunt enim dolorum initia. Vnde cecinit de his Pſaltes. Emiſit ſigna,& prodigia in medio tui Ægypte,in Pharaonem,& in omnes ſeruos eius, qui percuſſit gentes multas, & occidit Reges fortes. Hoc enim ſequitur poſt huiuſmodi ſigna comminatoria, quando *dicens* tantum comminatur, non ſemper impletur effectus comminationis vt in Niniue, & Ezechia contemplamur; aliquando ſequitur, & fit cunctis acerbior, comminans enim operatur, & *dicens* facit: Tunc quidem loquetur ad eos in ira ſua, & in furore ſuo conturbabit eos. Exemplum in facto hoc contemplemur.

Exod 7.8.9. 10 11 12. *Macha. 5.* *Dan.6.* *Gen 4.* *Pſal. 134* *Ioann 4.* *4 Reg 20* *Pſal. 2*

Obmuteſce. Quoniam non volebat (inquit Chriſ.) teſtimonium ſpirituum immundorum. Etiam tacere iubet eum, qui importuna narratione, & fallaci lingua, non hominem tantum, quem obſidebat, verum etiam totum genus noſtrum infecerat; vt hinc diſceremus ſilentium imponere hæreticis, qui orbem peruertunt; nec loqui permitteremus ſpectante populo, tametſi vera eructare videantur. Omnes enim(inquit Clem.lib.6 conſtit.Apoſt.cap. 10.) Diaboli ſunt inſtrumenta, & filij iræ. Nam (proſequitur Cyrillus Alexandrinus de recta in Chriſtum fide) oracula,quæ cum in noua, tum in veteri quoque ſcriptura ea de re paſſim occurrunt, ea quidem varijs opinionibus ebrij, & tantum non dementati à vero germanoque ſenſu in præpoſterum detorquent. Sanè nihil extat tam abſurdum, quod inſipientes non attentent. Quare æquum, eſt ſimiles ad ſilentium cogere. Argentum enim reprobum vocaui eos.

Clemens *Cyrillus*

Et exit de homine. Vt hominem poſſideret loquebatur, & veros ſermones effugit, vt conſeruaret; quamprimum vero cogitur obmuteſcere, cogitur & exire, & deſerere hominem. Vultis ne, & vos Patres ignem hæreſum extinguere, nec vltra Caluinum, Lutherum, Anabaptiſtas, aut alios quoſuis Regna poſſidere, & vt Dæmones obſidere animas; cogite obmuteſcere, & ceſſare miniſtros diaboli. Nam his tacentibus, exiet hæreſis, nec vltra graſſabitur,etiam nullo noſtrorum prædicante. Quoniam mendacium ex ſe ipſo ſtare nequit, corruit nullo fulciente: Vnde hæreſim pleriq. abiurant, & deteſtantur, quando hæreſiarcham non audiunt. Agite ergo vt non liceat hæreticis in conuentibus loqui, ſedulo præcipite, & vos ò Reges compellite miniſtros Satanæ obmuteſcere, & exiet ſpiritus procellæ, & tempeſtatis, qui (vt cernitis) totum penè hominem ditionis veſtræ perturbat. Sic fieri Helias docuit, Ioſias præcepit, & obſeruant, qui Regnis pacem veram quærunt, & præeſſe populis, & non obeſſe.

Silentium hæreticis indicendum.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT VIGESIMVM SEXTVM.

Et diſcerpens eum ſpiritus immundus, & exclamans voce magna exijt ab eo.

Expoſitio. EGrefert Dæmon furtiuam aquam deſerere,& exire ab homine,quem iniuſto, ac nullo titulo obſidebat. Ideo exijt dilacerans, diſcerpens, agitans, conturbans, & à planta pedis, vſque ad capitis verticem contorquens,quem blandè fuerat adortus. Se verò ad clamorem excitat, & magna emiſſa voce doloris, & afflictionis exijt violentus ab eo, quem gratè poſſidebat; omnis enim violenta prædatio cum tumultu. *Iſaia. 9.*

Et diſcerpens eum ſpiritus immundus. Immundi dicuntur mali ſpiritus, eo quod omnibus fœdis operibus delectantur (ſcribit Theophilactus) perditionemque ſuam exiſtimat Dæmon egredi ab homine. Dæmones enim,quia omnis miſericordiæ expertes ſunt, malum quiddam ſuſtinere ſe putant, niſi permittatur eis affligere homines. Inſuper quoniam & carnem amant, & paſci ſoleut materialibus vaporibus, magnam ferunt inediam, niſi in corpore habitent. Idcirco & Dominus dixit,ieiunio egredi dæmoniorum genus. Exijt autem *diſcerpens*: quia (inquit Chryſ.) Homo ille tanquam ſapiens loquebatur, & diſcretè verba proferebat, vt putaretur, quod non ex Dæmone, ſed ex corde verba componeret,verum diſcerpi permiſit à Dæmone, vt oſtenderet Dæmonem eſſe, qui loquebatur. Ad hæc Gloſſa ordin.ex Beda. *Diſcerpens eum*, vel conuexans, ſicut quidam codices habent. Lucas autem dicit; *quia nihil ei nocuit*: ſed quod ait Marcus *diſcerpens*, idem eſt quod Lucas; *Cum proieciſſet eum in medium*. Quod verò addidit(*nihilq nocuit*)intelligendum eſt,quia illa iactatio non eum debilitauit, ſicut exeunt Dæmones, amputatis, vel auulſis aliquibus membris. Qualiſcunque diſcerptio iſta fuerit, ſignat, meo iudicio peccati effectum, & opus, quod culpa læthalis in ſubiecto perpetratur, eſſe malum amarum, & graue nimis, quod vix queat ſuſtineri. Priuat enim (auctore Aug.) modo, ſpe, & ordine, maculam in anima generat, obtenebrat mentem,affectum infrigidat,& quaſi romphea bis acuta transfigit, & canibus præcipitat dilacerandam,vt vix caluariem, hoc eſt,naturam relinquat integram. Inde peccati agnitor, & malitiæ dixit: Peccatum meum contra me eſt ſemper;quoniam tandiu deuorat animæ viſcera, quamdiu firmum eſt, nihil,niſi quod contra ſubſtantiam, & operationem animæ vergit, excercet in lapſo, vt potius peccatori compatiendum ſit, quam eculei ſupplicio mulctato,aut in terram ſemifoſſo. Aliud eſt enim pœnam legere,& videre in pariete deſcriptam, & aliud ſupplicium pati Balthaſſar. Non ſunt dura, quæ corpus frangunt, ſi ad ea, quæ animus per peccatum patitur, deſcendimus. Hine ille: Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrimarum, & plorabo die, ac nocte interfectos filiæ populi mei?

Matt.17 · *Chriſ.* · *Gloſſa ex Beda.* · *Luc. 4.* · *Aug.* · Effectus peccati. · *Pſal. 50.* · *Dan. 5.* · *Ier. 9.*

Et exclamans voce magna exijt ab eo. Sub ſilentio intrat peccatum, & auctor peccati, quia in delieijs, quæ placent; in locutionibus, quæ guſtum ferunt, & in operibus inhoneſtis,quæ inhonoratus proſequitur, ſi tamen ea, conſcientia inſtigat deponere, & ſiue timore perſtringamur, ſiuè amore perſuadeamur emendare, magna voce, ac gemitibus, clamoribuſque inſolitis neceſſe eſt nobis vti. Cor meum quaſi cythara ſonabat,dixit vnus; & alter: Ventrem meum doleo; & tertius: Clamaui in toto corde meo; atque alij ſcriptores Eccleſiaſtici,dolentis animi vocibus vtuntur, vt pœnitentiæ affectus, & vehementis animi motus, & corporis exprimant, qui (egrediente peccato)in Dauid,Magdalena, Petro, aut altero peccatore leguntur. *Hier 4.* *Pſal.118.*

CAPVT VIGESIMVM SEPTIMVM.

Et mirati ſunt omnes: ita vt conquirerent inter ſe dicentes, quidnam eſt hoc? quænam doctrina hæc noua? quia in poteſtate etiam ſpiritibus immundis imperat, & obediunt ei?

ADmirationem generat in animis aſtantium, non tam modus,quo Dæmon exierat; quam quo fuerat propulſatus. Immo vero hic mirabilior erat; quare præ admiratione, & eſtaſi non poſſunt non inter ſe conquirere, ſeque mutuo ſtupidi interrogare. Quanta ſit poteſtas Chriſti, qualiſue doctrina, ad cuius auditum abſcondi iam amplius nequit ſpiritus immundus,neque ſtare,imperante Chriſto? namq. ſimilis poteſtas, quæ rebelles ſpiritus domaret, coerceret, ac propulſaret ad momentum, neque viſa hactenus,neque audita fuerat, neque quiſque legerat, tam promptè alicui,ab orbe condito, obediſſe ſpiritus. Expoſitio.

Et mirati ſunt omnes. Nullo excepto. Hoc enim erat primum ſignum, inter ea, quæ ſolemni prædicatione peregit:Primum omnium fuit in Cana Galilæ, quando potius priuatè, quam publicè Dei Regnum annuntiaret. Siquidem priuatè, atque

priuatos amoris ſignis trahit,publicè vero, & communitatem miraculis, & portentis, quæ ad timorem prouocent. Aliter enim Moyſen, & aliter populum aduocat Deus,illum rubo ardente qui amoris flam-*Exod 3.* mam notat; hunc tonitruis, buccinæ clangoribus, fumo,& caligine multa ſibi ſubiectat. Multitudo ſiquidem ferox, timore agnoſcit Deum. Vnde, & hi omnes mirantur viſo tremendo ſigno. Propter vini ſignum fratres credunt in eum. Dilexerunt *Ioann.2.* enim Chriſtum fratres, turba præſens timuit. Ideo vni admirari, alij credere dicuntur.

Ita vt conquirerent inter ſe, dicentes. *Ariſt.* Admiratio ait Ariſt. 5. Meth. cap 2. & in prohemio, eſt propter ignorare. Ignorantia vero facit conquirere, non tamen inter *Prou 10.* ignorantes, ſed ſapientes: quia in labijs ſapientis inuenitur ſapientia, & virga in *Oſe 7.* dorſo eius, qui indiget corde. Seducta columba non habens cor, eſt quæ cibum ab aucupe quærit. Venator autem ignorantis eſt alius ignorās. Quia ſi cæcus cæcum du-*Matth.15* cit ambo in foueā cadunt.Et quando cæcus cæcū ducit?quando ignorantes inter ſe cōquirunt difficillimum, ſcitu digniſſimum,& neceſſarium quæſitum reſoluunt, & amplectuntur: velut Arriani, qui interſe ſæpius de filij cum patre natura, & æqualitate, ac modo Caluiniſtæ, & alij hæretici qui de dogmatibus ſuis, nec non de his, quæ audiunt, interſe conquirunt, diffiniuntque ſemper peius. Et omnes qui neſciunt, niſi peritum conuenerint, aut recto animo, & pura mente ſe Deo commiſerint, nunquam ad ſcientiam Dei peruenient. Conquirere inter ſe laudamus, ſed vel præſente doctore, vel ad eum delata queſtione, vt ab eo audiant, & vera diſcant.

Quidnā eſt hoc? Ac ſi dicerēt exorcizant noſtri, & pellunt dæmones ab obſeſſis, orationibus, præcibus,ac formulis adiurationis,& imprecationis,quas ſancti Dei homines noſtris tradidere maioribus; talem autem modum, quo videntibus nobis nunc abiguntur,nemo noſtrorum vidit, nec ſperat videre ætas ſi naturam contemplamur? *Quidnam eſt hoc*, quod iſte facit? quæ ars, quæ virtus, atque potentia? Certè ſi modum inſpicimus, quo vſus eſt, cunctos facilè ſuperant, neque tale quippiam, vel Abraham, vel Moyſes, aut antiquorum quiſpiam perpetrauit. Ergo ne patriarchis noſtris, prophetiſue anteponemus hominem?

Quanam doctrina hæc noua? Quam non aſſequuntur,nouam vocant doctrinam ignorantes quantumuis antiquam. Quid enim antiquius, quàm ſpiritum nequam, & im-*Iſaia 14* mundum imperio eijci? Quomodo cecidiſti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris? corruiſti in terram qui vulnerabas gentes? Interrogat Iſaias ſub typo Regis Babilonis ſupremum Angelorum,qui ceciderunt: ſed quomodo ceciderit non exponit,ſupponēs, & ſtatuens fortem non poſſe, niſi à fortiori deijci, vt & veritas tradidit, at quis primo Angelo,qui eſt principium viarum Dei fortior? non homo, quia non eſt poteſtas ſuper terram, quæ comparetur ei, non alius Angelus, quia in naturalibus excellit omnes:Ergo Deus,hic autem imperio,ac iuſſu cuncta operatur; ergo & Deus eſt, qui hoc modo eijcit ſpiritum, neque noua eſt doctrina; ſed antiqua, quæ talem, ac tantam oſtentat virtutem, vt poſſit, ſpiritus, qui feruntur inuicti,deſtruere, diſſipare, & perdere. Doctrinam quæ alit ſpiritus immundos,& fouet in corpore, nouam ego iudico, quam nouatores in omni penè ſtatu adoriuntur: De qua licet potius dicere,quænā hæc doctrina noua? Non hanc Deus ab initio docuit ſuos; non Adam filios; non Abraham poſteros; non Moyſes populum; non propheta gentes,non Chriſtus Apoſtolos; non Petrus Clerum, non Benedictus Monachos, non Dominicus Prædicatores, non Franciſcus minores, neque aliquis antiquorum, qui veram didicit diſciplinam, docuit, quæ obſeruāt multi in ſtatibus Eccleſiaſticis;ſed caro,& ſanguis,& ille qui dixit: quare prohibuit vobis Deus. Is eſt qui *Gen.3.* noua in Religionibus paſſim docet,inſtituit & confirmat,vt veterū doctrinam,quam,ne dicam,vitæ auſteritate, & ſanguine prædeceſſores confirmarunt,etiam miraculis,quibus Religionum,& Eccleſiæ,primordia ſtabiliuit Deus, ne quis à iactis ſanctorū fundamentis præſumeret recedere, omninò aboleret. Nec ſegnis eſt in tam frequenti ſchola, circuiuit enim docens nouam doctrinam, & proh dolor,diſcipulos non paucos relinquit, qui ſanctos præſumant corrigere, & nouam doctrinam, ſeu potius relaxationem, maiorum inſtitutis præferre.

Ante vel à membris diuidar ipſe meis. *Ouid. lib.1. Elegiarum.*

Quia in poteſtate etiam ſpiritibus immundis imperat. Cum Michael Archange-*Iude.* lus, cum diabolo diſputans altercaretur de Moyſi corpore non eſt auſus iudicium inferrè blaſphemiæ, ſed dixit imperet tibi Dominus: Ergo Chriſtus qui imperat im-*Pſal.4.* mundis ſpiritibus Deus eſt, & Dominus excelſus, terribilis ſuper omnes Deos, hoc,eſt, Angelos, & ſpiritualem ſubſtantiam.

Et obediunt ei. Vt Deus, ait Gloſſa in-*Pſal.8.* terlinearis, etiam vt homo eſt excellenter dotatus, & coronatus gloria, & honore, conſtitutus eſt ſuper omnia opera, & ei ſubijciuntur oues, & boues, volucres cæli, & piſces maris, vniuerſa inſuper pecora

campi; quibus omne creaturarum genus intelligitur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, quod Chriſto propter mortis humiliationem genu curuatur. Obediunt itaque Chriſto Deo, & homini non vera obedientia, quæ laudem promeretur, ſed coacta, quæ ſeruilem perſonam prædicat.

CAPVT VIGESIMVM OCTAVVM.

Et proceſſit rumor eius ſtatim in omnem regionem Galilaæ.

Expoſitio. HOc peperit admiratio, vt qui intra Synagogæ ſepta operabatur, vbique notus fieret, audireturque à longè qui in-
Pſal. 75. tra nubes, & gentes Capharnaitas intonabat. Ac non ſolum in Iudæa notus, ſed & in Galilæa tota magnum nomen eius.
Malach. 1. Ec quid? Magnum nomen meum in gentibus. Harum enim ſymbolum Galaitida regio extitit.

Et proceſſit rumor eius. Hoc eſt fama, tùm vitæ optimæ, tùm inenarrabilis doctrinæ, atque potentiæ, quibus facile omne mortalium genus trahitur, & compellitur eum ſequi, in quem deſiderant An-
1. Pet. 1. geli proſpicere, ob vitæ, & naturæ ſplen-
Matth. 13. dorem; quem multi Reges, & Prophætæ, ob doctrinæ elegantiam voluerunt videre: Et quem vidit Abraham, propter potentiam, quæ in eo ab initio enituit, ante-
Ioann. 8. quam Abraham eſſet; quia ego principium, qui & loquor vobis, dicebat æmulis. Horum itaque rumor proceſſit, & vehementius hiſce buccinæ clangor perſtrepet in auribus vniuerſæ terræ, vt omnes, qui eam inhabitant, procedant in occurſum eius, procidant ante eum, plorent pro offenſis, quia ipſe eſt Dominus Deus noſter, quem dereliquimus.

Statim. Vulgi naturam indicat, qui vt ranæ clamoſi ſunt, hac, illacque pleni rimarum, quæ vel audiunt, vel vident ſpargunt, ſiue bona fuerint, ſiue mala, ſtatim ea euulgant. Tametſi præſenti in loco non ad vulgi conditionē, ſed ad magnitudinem operum refertur *Statim.* Nam & Chriſti doctrina, & potentia, erant orbi velut fulgura tonitrua, & elationes maris, quæ ad momentum ferè ſentiuntur. Quinimo niſi Chriſtus retinuiſſet ora hominum, ac men-
Aug. lib. 9. de ciuit. Dei cap. 21. tes, cælis velocior fama eius diſcurriſſet per orbem. At, vt Aug. ait, loquens de dæmonum notitia circa Chriſtum. Tantum eis innotuit, quantum voluit, tantum autem voluit, quantum oportuit; ità de fama eiuſdem apud homines dicere poſſumus.

In omnem regionem Galilaæ. Per hanc deſignari gentilitatem, quæ totum orbem comprehendebat, fatentur noſtri, qui Iſaiæ Iſaia 9.
locum explanant. Primo tempore alleuiata eſt terra Zabulon, & terra Nephtalim, nouiſſimè aggrauata eſt via maris trans Iordanem Galilææ gentium, populus qui habitabat in tenebris vidit lucem magnam, hoc eſt, Chriſtum mundi lucem. Ioann. 8.
Viderunt autem ex gentibus Chriſtum oculis proprijs quidam, & audierunt; & alij, atque omnes per rumorem ſparſum ab Apoſtolis, diſcipulis, & reliquis fideli- Act. 1.
bus, qui teſtes fuerunt in omni Iudæa, & Samaria vſque ad extremum terræ.

CAPVT VIGESIMVM NONVM.

Et protinus egredientes de Synagoga, venerunt in domum Simonis, & Andrææ, cum Iacobo, & Ioanne.

INterim dum rumor diffunditur, Chriſtus Expoſitio.
ad maiora parat animum, vt ampliorem de ſe odorem vnguentorum, quæ deſuper portabat, diffuſa aſpergeret, fieretque adhuc multo admirabilior cunctis, quibus vel videre, vel audire contingeret. Quare facto vale, & diſſoluto Synagogæ conuentu, protinus adit Simonis domum, quæ ſibi poſthac foret habitaculum, & requies nec non diſcipulorum, qui eum ſequi diſpoſuerant.

Et protinus egredientes de Synagoga. Quando, inquam cæpit Chriſtus diuulgari, & eius fama toti regioni innoteſcere, egreditur de Synagoga; eſt autem Synagoga populus hebræus, cui datum erat teſtimonium de Chriſto reddere in lege, Ioann 5.
pſalmis, & prophetis. Iuxtà illud; ſcrutamini ſcripturas, quia ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me. Accepto igi- Pſal 109.
tur teſtimonio à Pſalmiſta, cum intonuit; Dixit Dominus Domino meo. A legiſla- Matth. 12.
tore; Audi Iſrael Dominus Deus tuus, Deus vnus eſt. Matth. 12. Deut. 6. & à Deut. 6.
Propheta; Homo plantauit vineam. Luc 20.
Luc. 20. Iſaia 5. & alijs pleriſque in locis Iſaia 5.
hebræus populus Chriſti rumorem ſparſit; egreditur Chriſtus ab eo, quoniam proprijs eorundem teſtimonijs fidem preſtare noluerunt. Itaque fabricationi arcæ opem tulere, vmbram vero eius, & firmamentum minimè ſunt adepti, egreſſo ab eis Chriſto.

Venerunt in Domum Simonis, & Andreæ, cum Iacobo, & Ioanne. Dicitur Petri domus, vel quod ſocrus eius eſſet, vel quod

mercede

mercede ad hoſpitandum eam conduxerat. Nam Berhzaida oriundus, domicilium ibi ſuum habebat. Cæterum quod Chriſtus, & ad Petri nauim aſcendat, & intret domum eius, futurum præſcribebat arcanum, videlicet, relicta Iudæorum Synagoga, quam ſcribæ, & Phariſæi regebant, intra domum cuius regimen ad Petrum ſpectarer, & ſucceſſorem, ſe recepturũ Chriſtum, quoſq. elegerat, vt ſalutis viam proſequerentur. Nam extrà Eccleſiam, quam à primo Vicario, domum, ac ſedem Petri vocamus, non eſt ſalus, vr haber Concil. Carthag. 3.cap.1. In his quatuor, qui cum Chriſto domi manent, & cum eo intrant, ſecundum Hier. notantur ſaluandi per Chriſtum in Eccleſiam. Hiſce (inquit) quatuor nominibus in agmen Domini coniungimur. Obedientia vt audiamus; virilitate vt pugnemus, ſupplantatione, vt perſeueremus; gratia, vt conſeruemur. Niſi enim Dominus ædificauerit domum in vanum laborauerunt, qui ædificanr eam. Quæ quatuor virtutes cardinales dicuntur, quia per prudentiam obedimus; per iuſtitiam viriliter agimus, per temperantiam ſerpentem calcamus; per fortitudinem gratiam Dei meremur. Præmittit Hier. Simonem interprætari obedientem; virilem dici Andręam, Iacobum ſupplantatorem; & gratiam in Ioanne ſignificari.

Cõc Carth.
Hieron.
Pſal. 126.

CAPVT TRIGESIMVM.

Decumbebat autem ſocrus Simonis febricitans, & ſtatim dicunt ei de illa.

Expoſitio.

ETſi ſpectanti populo, qui concurrebat, videretur, Chriſtum ſe domi recipere vt corpus laſſum ex peracto ſermone, reficeret; alium ipſe cibum ſibi videbat præparatum, quem imperitum vulgus neſcit, illum autem Euangeliſta inſinuat dicens, in Petri domo, quo Chriſtus intrat ſocrũ Simonis febricitatẽ curare. Siquidem eſca Chriſto grata, & panis ſuauis, quo pius, & miſericors reficitur, eſt miſereri egeno, reficere laſſum, vulneratum curare, & ſanare ægrotum, aut certè conſolari. Ergo cum audis in eadem domo iacere febricitantem, ſcito ad eam, non ad cibum corporeum Chriſtum proficiſci.

Decumbebat autem ſocrus Simonis febricitans. Et hæc quidem vetula erat, ac proinde febris grauior, vnde alius Euangeliſta dixit *æſtuabat* magnis febribus; ſed & æſtũ, & febriũ grauamen, ſicut Verbum, *Decumbebat*, per ſe ſatis indicat. Quod vero febris in corpore operatur, hoc animæ conciliare malum, & vitium credimus. Quare ſecundum Rupertum ſup. Matth. 7. ſocrus Petri febricitans, eſt chriſtiana anima, morbo ſpirituali periclitans, quaſi lepus, quem canis leporarius dentibus comprimit, cogitque clamare. Nunquid tolletur à forti præda? aut quod captum fuerit à robuſto ſaluum eſſe poterit? Etenim captus homo in peccatis ſuis, & factus, præda dæmoni, confitetur non ſupereſſe vires, quibus ſe ipſum à poteſtate diaboli tollar, & ſaluũ faciat. Quia ſcriptum eſt: Veniet ſuper te malum, & neſcies ortum eius; & irruet ſuper re calamitas, quam non poteris expiare. Veniet repente ſuper te miſeria, quam neſcies. Quæ tamen homo neſcit, nec poteſt, Deo poſſibilia ſunt, & operatur credenti, & ſperanti in eum: Quare etſi morbo præſſus, & vexatus ab hoſte, ſibi ipſi reſpondet. Equidem & captiuitas à forti tolletur, & quod ablatum fuerat à robuſto, ſaluabitur. Ecce Dominus Deus auxiliator meus, quis eſt qui condemnet me? iuxta eſt qui iuſtificat me, quis contradicet mihi? ſtemus ſimul, quis eſt aduerſarius meus? Accedat ad me. In corpore experta eſt ſocrus Petri auxiliatorem, in anima verò omnis peccator, qui eum inuocat, credit fide viua, & confitetur. Ambroſ. ſup. Luc. 4. & Hilarius ſup. Matth. 7. febrim, quæ Simonis ſocrum contorquet, in fidelitatẽ, & ad eam affectum peſtilentem, quo optima hominis inclinatio ad bonum deſtruitur, ſignificare volunt.

Rupertus.
Iſaia. 49.
Iſaia 47.
Iſaia 49.
Pſal. 50.
Ambroſius.
Hilarius.

Et ſtatim dicunt ei de illa. Lucas dicit, quia rogauerunt pro illa. Modo enim (notat Gloſſa ordin.) Saluator rogatus, modo vltra curat, vt contra vitiorum quoque paſſiones, & ſi præcibus fidelium ſemper adeſſe, & quæ non intelliguntur, vel intelligenda dare, vel non intellecta dimittere piè petentibus oſtendat. Vnde delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me. Itaque diſcipuli (ait Chryſ.) tanquam exinde vtilitatem aliquam recepturi, non expectantes veſpere ſocrum Petri ſanari, precabantur. Ego non vtilitate, ſed charitate, quæ non quærit quæ ſua ſunt, ſed alterius, dicerem Apoſtolos ad rogandum pro ægra commotos. Et hæc quidem, nunc in cælo eoſdem compellit pro nobis, qui febribus ſpiritualibus æſtuamus, intercedere. Omnes (inquit Origen. hom. 3. in Cant) ſancti, qui de hac vita deceſſerunt, habentes adhuc charitatem erga eos, qui in hoc mundo ſunt, ſi dicantur gerere curam ſalutis eorum, & iuuare eos præcibus ſuis, atque interuentu apud Deum, non eſt inconueniens. Scriptum namque eſt in Machabeorum libris. Hic eſt Ieremias propheta, qui ſemper orat pro pepulo, & vniuerſa ſancta ciuitate. Quamuis igitur (ait Baſilius in oratione de Beato Philogonio) noſtræ facultates exiguæ ſint, minimique pretij, attamen,

Luca 4.
Pſal. 18.
Chryſ.
1.Cor.13.
Orig.
Interceſſio ſanctorum.
Mach 15.
Baſilius.

attamen quæ poſſumus offerimus. Ea licet non reſpondeant magnitudini meritorum animæ præclari,iuſtiq. Philogonij, tamen hoc ipſum celſitudinis illius maximum fuerit argumentum, quod nec puſilla repellat, ſed idem faciat, quod ſolent diuites ſiquidem illi,cum acceperint à tenuibus exigua, quibus non egent,ſua viciſſim apponunt,remunerantes eos, qui quod poterant obtulerint. Itidem & hic, cum acceperit à nobis laudem verbis peractam, qua nequaquam eget, redonabit nobis per opera ſua laudationẽ, qua ſemper vti poſſimus.

Brentius Loſsius Zuinglius hær. negant interceſſionem ſanctorum.

At his non aſſentiuntur Brentius, Loſſyus,Zuinglius, & reliqui hæretici, qui negant ſanctos in cælis noſtri memoriam habere, & orare pro viuis omninò diſcredunt, totoque conatu diſſuadent,præcibus, interpellare, & colere. Ignotum enim,ait Melanctõn,eſſe antiquæ Eccleſiæ ante Gregorium. Propterea ex innumeris tantum citaui duos, qui Gregorium præceſſerunt. Quorum vnus priorem hæreſis partem, alter, poſteriorem euertit. Quibus libet addere decretum Synod. Conſtantinop. falſo dicta 7. actio 6. definit. 17. ſub Greg.Epiſc. Neocæſaræ. Si quis (inquit) non confitetur, ſanctos venerandos eſſe coram Deo,& anima, & corpore, & horum interceſſiones non petierit, vt potè,qui libertatem apud Deum habeant pro mundo, ſecundũ Eccleſiaſticã traditionem interuenire. Anathema.

CAPVT TRIGESIMVM PRIMVM.

Et accedens eleuauit eam, apprehenſa manu eius: & continuo dimiſit eam febris, & miniſtrabat eis.

Expoſitio

ATtendere nos iubet Euangeliſta, & diligenter animaduertere, quam grata ſit Chriſto bonorum hominum interceſſio, & ſuffragium. Rogatus enim ad febricitantem accedit, tangit, & curat.

Et accedens eleuauit eam, apprehenſa manu eius. Tàm accedere, quàm apprehendere manum,nos ad altiora,quàm præſeferat littera, vocant.

Matth 8,

Non enim curaturus leproſos, aut cæcum acceſſit, ſed accedentes expectauit, nec eam, quæ fluxum ſanguinis patiebatur tetigit, neque paralytici

Matth. 9.

manum apprehendit, ſed hunc iuſſit ſurgere,& tollere grabbatũ: illi verò copiam ſuæ fimbriæ fecit. Hanc verò,quæ minori ægritudine videbatur laborare, maiori antidoto, & efficaciori medicina curauit. Siquidem accedere eum, qui verbo remotiſſimum quemque ſanat, & apprehendere manum (cum ſoleat nunc ſputo,nunc veſte infirmos à ſe liberos mittere) argumentum eſt difficillimi morbi, qui medici acceſſum, & manum totam efflagitet. Eſſe autem infirmitatum omnium difficillimam ex ſubiecto dignoſcimus. Namque vetula eſt, eaque mulier, quondam nuptijs indulgens, quæ febricitat. Iam enim occaluit morbus, ſerò autem difficilis medicina paratur; eſt autem hic morbus (ſecundũ Zachariam Chryſop.lib.2. in vnum ex quatuor Euang. cap. 40.) concupiſcentia, quæ oritur, & ſeneſcit nobiſcum; ſupra modum tamen mulierem vexat præ humoris abundantia; quod ſi commixtione eam laxauerit mulier, inflammatur, quia ſi nupſerit virgo non peccabit: tribulationem tamen carnis habebit huiuſmodi.

Zacharias Chryſopol.

Socrus Simonis indicat concupiſcentiam.

1. Cor. 7.

Quouſque accedat Chriſtus,& apprehendat manum. Accedit, inquam, vt in eum inſpiciamus auctorem, & conſumatorem, & proponamus nobis exemplum pœnitentiæ, & mortificationis; apprehendit manum gratiam largiens,quia non poſſum eſſe continens, niſi Deus det, vnde ſtimulis concupiſcentiæ agitato reſpondit; ſufficit tibi Paule, gratia mea.

Sap. 8.

2. Cor. 12.

Itaque acceſſus Chriſti, eſt noſtra mortificatio ad exemplar Chriſti, apprehenſio manus, eſt gratiæ collatio, quæ animum ligat ad meliores delitias, & ſenſum ne ruat ad illicitum. His duobus concupiſcentia modum habet, nec præſumit talibus ſeptis alueum preterire: ſed vt mare,intra terminos ſuos ſtare. At inualeſcit continuo morbus, nemo autem oblata medicina vult vti.

Et continuo dimiſit eam febris. Licet enim virtute naturæ febris poſſit curari, non tamen in inſtanti (ait Lyra) Chriſtus autem ſanauit eam hic ſubito, & ità perfectè, quod illa mulier miniſtrabat eis.

Lyranus

Ex quo oſtenditur illa curatio miraculoſa, ad diſcipulorum confirmationem. Quoniam etſi cuncta, quæ Chriſtus operabatur miracula, omnibus fidem facerent, eorum, quæ in ipſo erant; quæ videbantur in locis priuatis fieri, vtpotè in mari,cum illud calcauit, & excitatus imperauit ventis; in Cana Galilæ, cum aquam in vinum conuertit; nec non, quando traſfiguratus apparuit, preſentes potius firmabant.

Matth 14.

Matth. 8.

Ioann 2.

Matth. 17.

Vnde fratres, qui prius non credebant in eum, viſa tranſmutatione aquæ in vinum,cæperunt credere, & qui non intellexerant de panibus, priuato miraculo facti ſunt intelligentes.

Marc. 6.

Hoc itaque miraculum inter priuata, quæ conſolidabant Apoſtolos, recenſito; cætera omni hominum generi lucem dabant, vel cognoſcendi Chriſtum, vel hæſitandi, & interrogandi, an eſſet Chriſtus.

Et miniſtrabat eis. Qui ſermo indicat (ait Theophilactus) quod ſi morbo quopiam laborantes ſanet nos Deus,dono vtamut ad ſanctorum, & Chriſti miniſterium. Febricitat autem, qui iraſcitur, qui temeraria manu eſt, ſed ſi verbum apprehenderit manum eius, & non temerè extenderit

illam

illam, miniſtrabit verbo, quæ autea præ ira febri laborabat. Febris enim intemperantiam ſignificat (inquit Hier.) de qua nos filij Synagogæ per manum diſciplinæ, deſiderij eleuatione ſanamur, & huins, qui ſanat nos miniſtramus voluntati. Allegoricè (proſequitur Zaccharias Chryſop.) domus Petri circumciſio eſt, eius Apoſtolatui commiſſa, ſocrus eſt Synagoga, quæ quodammodo mater eſt Eccleſiæ, Petro commiſſæ. Hæc febricitat, quia iuuidiæ fæbribus laborat, perſequens Eccleſiam. Cuius manum dominus tangit, quando carnalia eius opera in ſpiritualem vſum conuertit, & itá erecta miniſtrat in ſpiritu.

Hier.

Zacch. Cryſ.

CAPVT TRIGESIMVMSECVNDVM

Veſpere autem facto, cum occidiſſet ſol, afferebant ad eum omnes male habentes, & dæmonia habentes.

Expoſitio

SParſus rumor, & in omnem regionem diffuſus, operabatur, vt nemo ſe vix contineret, quin ad Chriſtum confugeret; Præſertim Incolæ Ciuitatis, & vicini, eadem die, autequam aduefperaſſet, & infirmos, & obſeſſos magna cum fide, & deuotione ad Chriſtum detulerunt.

Veſpere autem facto, cum occidiſſet ſol. Fortè quod in ciuitate magna tardaſſet, ad illam vſque horam diuulgari miraculum, quod iu Synagoga ſupra obſeſſum fecerat. Vel (inquit Theophilactus) non abſque cauſá addidit, quum occidiſſet ſol, quia putabaut non licere cuiquam, ſanare die Sabbati, & eius gratia expectabaut, vſque ad ſolis occaſum, & tunc afferebant curandos. Poteſt & tertio dici, expectare horam illam, ne videreutur infirmi, præſertim graui vlcere percuſſi, pauperie grauati, & ſpiritu maligno. Sæpè enim nou tàm infirmi, quàm qui eorum curam habent, ægreferunt morbos promulgari. Gloſſa ſenſum ad altiora ſubleuat, dicens ex Beda: Cum occidiſſet ſol, ideſt Chriſtus qui dicit. Quamdiu ſ'n mundo ſum, Lux ſum mundi; cuius occaſus eſt mors. At cum exaltatus (inquit) fuero á terra, omnia traham ad me ipſum. Plures enim (ait alia Gloſſa) per Apoſtolos, poſt mortẽ ſuam ſanauit, quam in carne viuens Iudæis prædicauit.

Gloſſa ex Beda.

Ioann 12.

Alia Gloſſa

Afferebant ad eum omnes malè habentes. Et quidem diceutes; Ecce Deus ſaluator meus fiducialiter agam, & non timebo, quia fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem. Iam enim præſens oraculum, & ſimilia, videbaut tunc mater aliter impleri. Namque corporum curatio ſignificabat, adeſſe, qui premiſſus fuerat liberator, & ſaluator. Nota tamen diligenter inter tot fortè hominum millenaria (ſaltem centenaria) nullum referri, qui vel rogaret Chriſtum, vt manducaret cum eo; vel cibum in domo Petri adſerret; quum neminem lateret pauperem eſſe, & ex habito colloquio defatigatum; ſed quid afferunt? omnes male habentes. Quod hæc fit in primis hominum iuueterata conditio, offerre sẽper deteriora. Secundo quod ex nobis, uihil uiſi malè habens, valemus ante Deum proponere. Tertio quod dum ſumus Capharnaum, quæ ciuitas interpretatur delitiæ, & nos, ac noſtra, quæ præſentari Deo cupimus imperfecta ſemper erunt. Hinc ille imperfectum meum viderunt oculi tui. *Pſal. 138.*

Iſaia 12.

Et Dæmonia habentes. Sunt enim hi pluſquam male habentes, qnorum corpus cruciatur atrociter, & anima perſæpe ſuis operationibus priuatur. Vnde obſeſſi dicti ſunt, quod quaſi ab hoſtibus ciuitas arctiſſima obſidione comprimatur, vt neque interiorem, neque exteriorem operationem habeat liberam, dum á ſpiritu torquetur. Duo itaq. afflictorum genera ad Chriſtum deportantur, quod, & corporum, & animarum ſalnator, & liberator eſſet. Sed quid eſt, quod omnes afferuutur, quaſi vi, aut certè alterins ope, & nemo iufirmorum ad Chriſtum proficiſcitur, vt videatur non coactus, ſed vltroneus, ac deſiderio ſalutis pergere ad medicum? quoniam medicinam quã morbis Chriſtus applicat omnes abhorrent. Nam his, qui corpore iufirmantur, præcipit eleemoſyuam facere, malè parta reſtituere, & alia pietatis exercitia agere, quibus ſatisfaciant Deo, qui infirmitates, peſtilentias, & afflictiones alias corporis maudat ad modum irati propter peccata, quæ homiues perpetraut. Alijs vero, qui ſpiritu laborant, & ſub diabolo ſunt, mandat in primis dolore, lacrymis, & diſplicentia peccati, ſeipſum purgare, inchoare nouam vitam, eamque arctiſſimam tenere. At hæc animalis homo refugit, velut paruulus ſalutare cauterium, mauult enim iu lectulo eſſe, quam ſponſo aperire, nec multifacit lepram retinere, dummodo ad Iordanis fluenta non compellatur deſcendere: neceſſe eſt ergo, vt afferatur æger ad medicum, vt proximus oret, peccatorem conuerti, iutercedat pro ægroto ſanctus, & quiſq. curam habeat pro his, qui laborant, ſiue animo, ſiue corpore, vt Zacchæum reddat liberalem, Matthæum pium, Magdalenam pœnitentem; Dauid humilem, Nabuchodonoſor religioſum fieri oret, & deprææcetur. Hæc eſt enim charitas, & dilectio, quæ demandatur, vt membra ſana opem iufirmis ferant.

Luc. 19. Matth. 9. Luc. 7. 2. Reg. 12. Dan. 4.

CAPVT TRIGESIMVM TERTIVM.

Et erat omnis Ciuitas congregata ad Ianuam.

Expoſitio. NOn ſolum quos Satan vexabat, & grauabat infirmitas, ſed quot quot adeſſe poterant, ſiue mares, ſiue fæminæ, cuiuſcunque ætatis, & ſtatus, refert Euangeliſta, ad Chriſtum acceſſiſſe, nouitate miraculi, vt digni haberentur ſaltem videre, quem Deus admirabilem mundo dederat. Et hoc quidem in ſingulis appetit natura, quæ ad bonum eſt, atque verum. At hæc
Marc. 10. vbi? in eo qui dixit: Nemo bonus niſi ſo-
Ioann. 14. lus Deus: Ego ſum via, veritas, & vita: Ego ſum lux mundi.

Et erat omnis Ciuitas. Hoc eſt ciuitatis
2. Reg. 15. maxima multitudo, vt ibi; totus populus ibat poſt Abſalon. Non enim omnes obediunt Euangelio; quinimo per ſæpè egrediente Rege, ſeu matre apum nonnullæ nouum ſibi ducem parant, & diuidunt exercitum Domini, quem ſub vno Duce militare diſpoſuit, nec alium in orbe agnoſci
Rom. 10. ductorem, quam Chriſtum; vnus Deus eſt, & vnus Dominus noſter Ieſus Chriſtus.

Congregatam ad Ianuam. Non enim domus, tot hominum millenaria capere poterat; neque vicus tantam ciuitatem, & frequentem populum continere. Aderant tamen, quos locus admittebat; affectu vero omnes conuenerant. Dicuntur ad Ianuam congregari, quod ſalutis initia attingebant fide illa, qua conuenerant.
Conc. Trid. ſeſ. 6. Eſt enim fides initium iuſtificationis, vti patres in Tridentino Concilio ſtatuunt. Quare ad Ianuam congregantur, qui ſolam fidem, abſque operibus retinent. Intrant vero domum, in qua Chriſtus eſt, qui charitate Chriſti induuntur, & diſcipulatum ſequuntur, atque doctrinæ apicem ad io-
Hieron. tam ſectantur. Hieronym. Ianuam dicit pœnitentiam.

CAPVT TRIGESIMVM QVARTVM

Et curauit multos, qui vexabantur varijs languoribus, & Dæmonia multa eijciebat, & non ſinebat ea loqui, quoniam ſciebant eum.

Expoſitio. ACceptator perſonarum minimè eſſe Chriſtus voluit, quo enim animo magnifico dæmonia cum liberauit, & ſanauit febricitantem, omnibus, qui acceſſerunt ſe beneficum oſtendit, & medicum, iuxtà diſpoſitionem, quam vnuſquiſque ferebat. Vnde accidit multos curari, & à vexatione ſpirituum malignorum omnino eximi. Denique tantum apud eos egit, quantum poſtulabat deuotio, atque fides. Indiſpoſitos vero, vt prius, dimiſit. Siquidem indignum, ſanctum dari canibus, & ante porcos margaritas poni. Conatus eſt tamen dignificare omnes, dum vim faciens Dæmonibus, homines ad fidem, & deuotionẽ excitat.

Et curauit multos. Non omnes, tametſi aduentaſſe dicantur. Tum quod non omnes eſſent infirmi, illos verò multos, qui tenebantur infirmitate fecit conualeſcere. Tùm quod corporibus languentium ſanatis, pleroſque ex his, qui animo languebãt, non emundauit eorundem cauſa. Tertio multos dicitur curaſſe, nõ omnes quod prædeſtinationem, non omnes, qui vocantur, obtineant, dicente illo. Conſonat his Theophilactus dicens; multos ſanauit hoc eſt, non omnes ſanauit, quia omnes erãt increduli, qui non ſanati ſunt, propter incredulitatem ſuam: ſed quod multos ex oblatis ſanauit, ſignum fuit crediliſſe illos: in eundem modũ Lyra exponit. Multos, ideſt, om- *Lyr.*
nes, qui fuerunt ibi aducti, qui erãt multi, vel multos, ideſt plures de adductis, quorũ fides, & deuotio curationem merebatur.

Qui vexabantur varijs languoribus. *Eccl. 10.*
Quid ergo ſuperbis puluis, & cinis, cuius corpus iàm innumeris languoribus ſcatet, & repletur anima vitij? Argema oculos vlcerat; palpebrarum pruritum Apophroſis efficit. Branchus arripit guttur, & os exulcerat Aphthæ, Hypiſphaſma venam rumpit; Hæmorrohis ſanguinem emittit, & vrinam Gonorrhea. Hydropiſi corpus turgeſcit, & Entorocella teſticuli. Ictero corpus nigreſcit, & lepra fædatur; Petigo vultum maculat, & cutem impetigo. Nephritis torquet Renes, & caput Hecterocranea. Quid dicam de generibus febrium, & morborum, quæ antiqui ignorarunt, & medicinam vix admittunt? confundunt artem medicinæ nouæ infirmitates, quæ quotidiæ in paruulis, & ſenibus, diuitibus, & pauperibus, nec non relegioſis, qui ob vitæ temperantiam, & ſanctitatem, quam profitentur, videbantur exempti. Quod tamen medici verecundentur nullis adiunctis remedijs ſalutaribus, nihil mirum. Dolendum verò eſt, quod tantis humiliatis documentis arrogantiores ſemper ſimus. O Homo humi- *Mich. 6.*
liatio tua in medio tui. Es fimetum omni vermium genere, & ſerpentium plenum, quid dicam? Vallis Achior, locus Zophet, & lacus Aſphaltidis, ſeu mare mortuum, & præſumis diuina, diuinumque te effingis? Agnoſce infirma tua, humiliare Deo pro languoribus, qui te vexant, & recepta ſanitate poteris inter Principes cõputari, & in nouiſſimis tuis erit ſpes. Alioquin & cogitatus, & opera rua, quaſi olera herbarũ cito *Pſal. 36.*
decident, & cum onagris erit habitatio tua. *Dan. 5.*

Et

Lyran. ***Et dæmonia multa eijciebat.*** Eodem mo-
do(ait Lyra) dupliciter exponitur,ideſt,om-
nia,vel plura. At ego omnia exponerem.
Alia enim eſt de morbis ratio, alia de dæ-
monibus. Namque dæmones in creatoris
iniuriam, creaturam rationalem obſident;
infirmitates verò ſæpius iu beneficium ho-
minis caduut, & gloriam Dei. Quare & ſi
potuiſſet morbos cunctorum expiare, non
fecit, cum minimè, neque infirmis conue-
niret; At oblatum hoſtem, & quaſi ante
oculos exprobantem factori ſuo, quis fer-
Haba.3. ret? Ante faciem eius ibit mors, & diabo-
lus ſtetit ante pedes eius. Vnde qui late-
bat in ſyuagoga, ſtatim audito Chriſto,au-
Luc 8. fugit; qui ſe in ſepulchris abſcondebant,
tranſeunte Chriſto nou potuerunt latere;
Matt.17. & quem diſcipuli nequibant profligare, in
exterminium abire coegit; & modo parce-
ret dæmoniacis,qui ad Chriſtum exportan-
tur? minime quidem. Multos ergo iuter-
pretato, omnes, qui intereraut, quippe
multi.

Prou.26. ***Et non ſinebat ea loqui.*** Quia qui im-
ponit ſtulto ſilentium iras mitigat; vtiuam
ab initio permiſsũ loqui non fuiſſet, ſed vel
tautum,quæ meliores loquebantur in cælo;
Apoc.25. Dignus eſt agnus, qui occiſſus eſt accipere
gloriam,& diuinitatem. Vel omninò tace-
Pſal 56. re,& ſune ligata ſuiſſet lingua eius, quæ vt
gladius acutus transfixit, ne dicam homi-
nes in terra, quos interemit; ſed & Ange-
los iu cælo, quos de cælo cadere fecit.Fla-
Eccl.9. gello enim linguæ uil peſtilentius. Terri-
bilis eſt in ciuitate ſua homo linguoſus;
addam in toto orbe, quem, proh dolor,
vnius diaboli liugua turbauit, vt opus fue-
rit renouari in uouo homine, quem auctor
aſſumpſit; per quem tranquillum fecit ma-
re,& abſtulit bella,quę loquax Satau com-
mouerat. Propterea non ſinebat ea loqui,
ne vltra pruuas ardere faceret,neque bella,
quæ hactenus voluit, & dilexit, excitaret.
Theophyl. Porrò non ſiuebat ea loqui (ait Theophyla-
ctus) ſicut dixi, docens nos, ue credamus
eis, etiam ſi vera dicant. Hæc eſt mendoſi
pœna,vt apud eum nulla reputetur veritas.
Prou.17. Vnde Sapiens: Os ſtulti contritio eius, &
labia ipſius ruinæ animæ eius.

Quoniam ſciebant eum. Exemplaria
alia habeut, *Chriſtum eſſe*. Quid autem
ſciret, dictum eſt ſupra. Adde tamen ſcire
Angelorum eſſe, vel de naturali, vel de ſu-
pernaturali obiecto, iuxtá quæ ponuntur
in Angelis cognitiones duæ,naturalis vna,
& ſuperuaturalis altera. Hanc quæ eſt, vel
rerum in verbo, vel per ſpecies, & per ha-
bitus infuſos, nou habent dæmones. Ha-
bent, itaque ſolam uaturalem, quæ eſt re-
rum in proprio geuere, vel quam mens
naturæ viribus, ſiue de Deo, ſiue de alio
quouis aſſequitur. Cæterum cum intelle-
ctus creatus etiam in puris naturalibus
conſtitutus, ne dicam peccati albugine
obſcuratus, ſe habeat ad lucem inacceſſi-
bilem Deum, vt oculus noctuæ ad lumen
ſolis, neſcio qui poſſet dæmon tantam de
Chriſto habere notitiam, vt quidã volunt,
quod diuinitatem penetraret, & Chriſtum,
qui eſt uon ſolum gratiæ, ſed cunctorum
myſteriorum gratiæ auctor, & conſumma-
tor. Couſule lector, quæ de cognitione
Angelorum, Angelicus Thomas in ſua pri- *S.Thomas.*
ma parte, & Scholaſtici diſſeruut in ſecun- *Scholaſtici.*
do, & fortè mecum ſenties, uihil prorſus
certò de Chriſto uouiſſe dæmones, quos
vertigo culpæ,& velamen ſuperbiæ claudi-
care cogebat,& palpare parietem, vt ſem-
per iu ambiguo,quæ de Chriſto cogitabant
relinqueret.

CAPVT TRIGESIMVMQVINTVM.

Et diluculo valde ſurgens, egreſſus abijt in deſertum locum, ibique orabat.

QVi omuibus ſatisfecerat, & abundè *Expoſitio.*
cunctorum neceſſitatibus prouiderat,
quaſi volens ſuis rebus conſulere, gente,
& ciuitate relictis, diluculo alterius diei
poſt ſabbatum ſecreto è ciuitate egreſſus,
comitibus ſolis diſcipulis, petijt deſertũ,
quieti,& orationi aptiſſimum,vt ſolus cum
ſuis, & quieſcere videretur, & orare, qui
iugiter orat, & interpellat pro nobis,vigi-
lans paſtor, & vuicus totius vrbis, & or- *Rom.8.*
bis ſolers ſpeculator, ue quiſquam pereat,
nequeat tollatur.

Et diluculo valde ſurgens. Surrexit qui-
dem,quia dormiuit,vt humanitatem decla-
raret contra Cerdonem, & Proclianitam,
qui ſolam in Chriſto diuinitatem eſſe con-
fi ebantur. Vt uos quoque poſt laborem,
& ſpirituale exercitium dormire liceutia-
ret. Quia dulcis eſt ſomnus operanti, ſiue *Eccl.5.*
parum,ſiue multum comedat: Nam quem-
admodum arbor, quæ abſcoaſis folijs, &
viriditate deperdita, videtur in hyeme
dormire, nihilque agere, cum potius vires
aſſumat maiores, & amplius ad uoua ger-
mina roboratur, ita ſpiritualis homo, qui
multum,diùque, mente,& corpore labora-
uit ſomnum ſalubrem capieus, excitatur,
tanquam crapulatus à vino ad ampliora, *Pſal.77.*
ſubeunda certamina, quaudiù tameu in-
tonſus manet, & retinet capillos capitis
ſui,hoc eſt ſpiritualium donorum commu-
nicationem. Alioquin in ſomuo capietur,
& tradetur in manus hoſtium. Vis autem
neque tradi, neque capi, neque tonderi?
Surge diluculo, & trade cor tuum ad vigi-
landum diluculo, ad Dominum, qui fecit *Eccl.39.*
te; & ſummo mane cum philomena fre-
quenta canticum, & aſcende mente ad
Deum

Deum, ne videaris indignior aquila, atque ceruo, quæ die luceſcente in rupe ſedentes contemplantur, alia campeſtria, alia prædam; nobis aurem & præda viuificans, & delectans campus Deus eſt: quia hæreditas. Ergo vt huic vacarent, Euagrij ſocij, ſedentes dormire ſolebant, & qui accubare ſoliti erant antiquitus, vel ſuper ſtragulos cilicinos, vt Paula Romanarum ſplendor, vel ſuper ſcrupulos, vt Poſthumius., vel ſuper ſarmentorum faſciculos, vt Vincentius Prædicatorum Ordinis decus, atque alij ſub dio, vt Onuphrins, vbi per deſertum vaganti nox occurriſſet, ſicqne peruigiles in orationibus fierent, & ſurgerent fortes aduerſus Priucipes, & poteſtates tenebrarum, quas vt pigmei grues propoſuerant debellare, & quidem ſic Antonius, Franciſcus, Dominicus, Benedictus, Bernardus, & cæteri Patres debellarunt ſuperbos ſpiritus. Nos verò illorum filij deuincimur, quod diligimus ſomnum, quaſi vrſi, neque ſurgimus ſedulo ad orandum, ſed vt in cardine oſtium, per lectulum blandè pleriſque mundanis, & delicatis, ac diuitibus, delicatiorem circumferimur. Sed quid *Prou. 20.* dicit oraculnm? Qui diligit ſomnum, in *Ierem. 49.* egeſtate erit. Defluxit vallis tua filia delicata. Ergo noli diligere ſomnnm, ſed ſurge diluculo, qui Chriſtum profiteris, & prædicas crucifixum. Nam & tuus magiſter diluculo valde ſurrexit.

Egreſſus abijt in deſertum locum. Poſtquam, inquit Theophilactus, ſanauit ægros, ſeceſſit; docens nos, ne qnid ad oſtentatio- *Lyran.* nem faciamus, & ſi quid boni fecerimus, ſtudeamus illud occultare. Etiam in hoc dans exemplum (proſequitur Lyra) vt præ- *Euthym.* dicator, & mirabilinm diuinorum operator, debeat fugere populi applanſum. Et vt ab alijs ſegregati (addit Enthymius) Deo, qui nobis beneficinm contulit gratias agamus, & deprecemnr, vt illud in poſterum confirmet. Vnde locus deſertus orationi conueniens eſt, eo quod diſtractionem non adferat. At nulli ego deſertum aptum iudico niſi egredienti: nam neque Chriſtus abijt in deſertum, niſi egreſſus. Et vnde? è turbis, ab vrbe, à Capharnaitis, à languentibus, à dæmoniacis, & à domo, quæ victum miniſtrarat, & quietem. Quid autem hoc? exponerem ſi valerem, contemplarer ſi ſcirem, & ſi liceret, loquerer. Interim tibi dico ô monache, & audi tu frater, qui ſolitndinem incolis, nihil vobis prodeſſe ſolitndinem, niſi ab ijs, quæ recenſui egrediamini vnà cum Chriſto. Turbæ ſunt negociorum frequentiæ, quæ verbum bonum *Hieron.* ſuffocant, etiam in Hieronymo. Ciuitas eſt ſæculum, & mnndi amor, qui & Pachomium turbat: Capharnaitas dico delitias, quæ Euagrium retrahunt. Languentes habeto ô Æremita, conſuetudinem peſſimorum, & familiaritares, quæ ſuæ ſalutis dubium reddit Antoninm, & dæmoniacos dicam mulierum inutiles ſermocinationes, colloquia vana, ſcripritationes indecentes, & conractus periculoſos, de quibus formidabat Benedictus. Denique domus eſt caro, *Apoc. 3.* & ſanguis, cuins curam qui agir, & ſi nomẽ, qno viuat poſſidere videatur, ſiue Canonlcns, ſiue Epiſcopns, ſiue Cænobita, mortuus eſt. Quare qui profictum cupit in deſerto facere, ſequatur Chriſti egreſſum, & primò à domo. Nam qui ab hac ſcit plenè egredi, nullam, aut paruam in reliquis difficultatem egrediendi, inueniet.

Ibique orabat. Non quod orarione indigeret (ſcribit Chryſoſt.) ipſe enim *Chryſoſt.* hominum orationes ſuſcipiebat, ſed hoc quidem diſpenſatiuè agens, forma bonæ operationis nobis eſt factns. In deſerto verò orat, velut agricola in campo, quem optat dininitus multiplicari, non ſolnm in centum cum Iſaac, ſed in mille millia benedici, & repleri miſericordijs fidelibus. Vult enim gentiliratem, quæ deſertnm erat populi plantationibus veris, ſeminari bono ſemine, & repleri iuſta gente, quæ veritatem cuſtodiret.

CAPVT TRIGESIMVM SEXTVM.

Et proſecutus eſt eum Simon, & qui cum illo erant.

SEcum fert diſcipnlos, indignum putans inter turbas relinqui, qnos à rurbis ſe- *Expoſitio.* queſtranerat, & ſociarat ſibi, vt non tàm doctrinæ fierent diſcipuli, quàm qnod teſtes actorum cunctis eſſent, à die, quo ingreſſus eſt, & exiuit ad popnlnm. Igitur Simon cum reliquis Chriſtum proſequnntur, vt non nomine tenus, ſed opere, & veritare, ſe tanti magiſtri diſcipulos proferant.

Et proſecutus eſt eum Simon. Non eſt ſecutus Simon Chriſtum, qni clam egreſſus abierat; ſed proſecutus, hoc eſt, poſt ſecutus. Proſequi enim, eſt, poſt ſequi. Hoc in Petro, ac reliquis fuit argumentum fidelitaris, qui abſconditè abeuntem proſecuti ſunt, vt vnicum dilectum, & bonum, abſque quo eſſe nequit amans; ſed per vicos, & plateas quærit, quem diligit, & quemque de viatoribus intetrogat: num quem diligit anima mea vidiſtis? qnouſque *Cant. 3.* inueniat, & exclamet. Inueni qnem diligit anima mea. Illud in Chriſto argumentum ſolicitudinis, quia, ſi ſic loqui, licet præmebatur, vt ad maiora promouerentur, qui ad eum, ſiue ſani, ſiue infirmi conſugerant. Namque hi cernentes clam abijſſe Chriſtum, nullnm attuliſſe ſecum neque diſcipulos, ſtudium quærendi Deum quaſi in ſpeculo propoſitum ſibi videbant, videlicet,

licet, omnia ſpernere, nihilo ducere domeſticos, quinimo quaſi latrunculos clam aufugere, & ſolum Dominum quærere, & ab eo ſolo perfectionem, quietem, ſolatium, & optimam expectare conuerſationem. Habemus exemplum, proſequamur, ſi non cum Petro, poſt Petrum, & poſt infirmos, qui poſt Petrum Chriſtum ſunt proſecuti. *Proſecutus eſt eum Simon*, ideſt obediens. Huic enim tantum conceditur
Gregor. Chriſtum proſequi ad ſtatum perfectionis. Nam obedientia (inquit Gregor. 35. mor.) ſola virtus eſt, quæ menti cæteras virtutes inſerit, inſertaſq. cuſtodit. Melior eſt obe-
1.Reg.15. dientia quàm victimæ: Obedientia victimis iure præponitur, quia per victimas aliena caro, per obedientiam verò, voluntas propria mactatur.

Et qui cum illo erant. Cũ Petro erant Andræas, Iacobus, & Ioannes, qui paulò ante ad Apoſtolatum vocati erant. Quare æquo
Gen. 2. animo,& pari ſpiritu ad Chriſtum exierunt. Exeamus, & nos, quia non eſt bonum hominem eſſe ſolum; immò verò damnoſum abſque Chriſto eſſe. Is eſt qui noſtram quærit ſocietatem, qui poteſt conſolari, & hilares facere. Siquidem ſponſus nuptæ, mater infanti, pater filio, vita mortuo, reſurrectio ſepulto, regnum, atque ſacerdos his, qui excelſa appetunt miniſteria, ſequor ergo,
Phil.2. ait ille, ſi quomodo comprehendam.

CAPVT TRIGESIMVMSEPTIMVM

Et cum inueniſſent eum, dixerunt ei. Quia omnes quærunt te.

ABſcondité abierat, latere tamen non potuit, quia noluit: Iam enim egreſſu clandeſtino, doctrinam, quam optabat docere, propoſuetat; modo ſe publicans, aliam, neque minorem tradit, videlicet, ſollicitiores omnes multo fore, ac vigiles, ad cuſtodiendum eum, quem tàm anxiè quæſierant, & conandum omnibus viribus eum tenere, nec dimittere iam inuentum, cum ſolus ſit dignus, quem omnes vnanimiter quærant.

Et cum inueniſſent eum. Denique inue-
Pſal 131. niemus eum in campis ſyluæ; quo & Moy-
Exod 32. ſes Deum vidit, populus altiſſimo Deo deo-
4.Reg.2. rum ſacrificauit; Helias à Domino raptus;
Luc 3. Ioannes Dei verbum accepit, & Iacob con-
Gen.28. templatus eſt ſummum ſcalæ tenentem:
Gen 18. Vbi & locutus eſt Abrahæ; conſolatus eſt
Gen.25. Iſaac, vnxit Aaron, vocauit Dauid ad re-
Leu 8. gnum; Heliſeum dotauit duplici ſpiritu.
1 Reg 16. Itaque inueniunt eum in deſerto, in quo
4 Reg 2. ſolitum erat Deo ſe patribus communicare, & multa torundem filij diuinitus acce-
Baſil Gregor. pere. Ad hoc (ſcribit Baſil. Gregor.) ſimus
Oſe.2. ergo & nos ſolitarij, ſi quomodo inueniamus eum, vt loquatur ad cor noſtrum, do- *Iſai.2.*
ceat nos vias ſuas, & ambulemus in ſemitis eius, & ſicut adipe, & pinguedine repleatur *Pſal 62.*
anima noſtra, delitijs affluens innixa ſuper *Cant.8.*
dilectum ſuum. Non enim dubito iſta concedi optimo ſolitario, quem ſupra deſcripſimus. Qui, inquam, affectu didicit ani- *Greg Naz.*
mum, à conſenſu ad corpus auellere, ait Greg. Theo. Baſil. ep. 1. & eſſe extorrē ſine domo, ſine re priuata, ſine amicorum ſodalitate, inopem, vitæ negligentem, à negotijs alienum, ab omnibus vitæ commerciijs ſeparatum, humanarum doctrinarum indoctum, paratum ad ſuſcipiendas in corde formas, quæ ex doctrina diuina imprimuntur; præparatio autem cordis eſt, dediſcere doctrinas, quæ ex praua conſuetudine ipſum præoccuparunt. Neque enim in cera *Quomodo in*
ſcribere poſſibile eſt, inſitis prius characte- *uenitur Chri*
ribus non deletis. Neque animæ diuina *ſtus? & præ-*
dogmata apponi, anticipationibus ipſius, ex *paratur cor.*
conſuetudine, non prius exemptis. Ad hoc ſanè maximam vtilitatem nobis ſolitudo exhibet. Hanc in deſerto regulam Baſilius ille Magnus obſeruans, Chriſtum inuenit, & retinuit in Vrbe, factus Epiſcopus, nec nō Chriſtũ adhuc multo fulgẽtius, vt Effræp hē ille Syrus, qui è ſolitudine Cæſaream Cappadociæ venerat, Baſiliũ vidit igneas flammas eructantem, dum ſolemnia perſolueret, & erudiret populum. Quare qui ſolitarij quietem in vrbe ſeruat, inuenit Chriſtum, & perdit, qui in ſolitudine vrbanum, ne dicam mundanum, ſe gerit. At noſtrum eſt, qui Apoſtolos ſequi profitemur, in omni loco, ſtatu, atque negocio, inuenire Chriſtum. Igitur quæramus ſtudioſè, & inueniemus abundè.

Dixerunt ei. Dum vocantur, quando miraculum in ſynagoga, ac domo perfecit, aliquid dixiſſe haud legimus; quum autem inueniſſent, dixerunt ei, labor ergo, & quærendi ſedulitas loqui docuit ad Magiſtrum. Nam qui non eſt tentatus, quid ſcit? & qui ſerio, ac ſedulo Chriſtum non quærit, nunc *Eccl.34.*
orans, nunc ieiunans, & quandoque exclamans, dicere Chriſto, ac Deo quid poterit? Tum enim: Tibi dixit cor meum, exquiſiuit te facies mea, faciem tuam Domine requi- *Pſal.26.*
ram: Quia Deus meus es tu. Huic quaſi vir *Pſal.142.*
à ſecretis licet familiariter regem alloqui, & dicere ei non ſolum, quæ ſibi, ſed quæ alijs conducunt, & quæ Dei gloriam concernunt, quis dicit Deo, niſi is, qui iam Deum inuenit, & poſſidet? Dixerunt ergo Apoſtoli, & locuti ſunt poſtquam aliquali, voluntario, & laborioſo ſtudio conati ſunt Chriſtum quærere, & inuenire.

Quia omnes quærunt te. Vtinam ſic nunc dicere fas eſſet; & non: Omnes in viam *Iſai. 56.*
ſuam declinauerunt vnuſquiſque, ad auaritiam ſuam. Facti ſunt omnes filij tui per- *Thre.5.*
diti: Omnes declinauerunt, ſimul inutiles *Pſal.13.*
facti

[*Iſai.64.*] facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum. Facti ſumus, vt immundi omnes nos, quia præ paucitate bonorum, qui Deum quærunt ſignum vniuerſale dare poſſumus malis, vtpotè, hæreticis, ſchiſmaticis, paganis, & adulterinis fidelibus; ſicut terram rotundam dicimus non obſtantibus montibus, qui terræ magnitudini comparati, pro nihilo reputantur; ira omnem hominem declinare, & non quærere bonum Scriptura teſtatur, licet boni interſint. Sed quid vnus Abraham inter chaldæos? quid vnus Loth inter ſodomitas? aut vnus Ioſeph inter ægyptios? nihil prorſus numero in terra, quia in cælo numerati ſunt & capilli eorum; ſed virtute numerum excedunt ſtultorum, & vnus pro mille ſtatuitur; quid? & vnus iuſtus omnis eſt; vniuerſi impij nihil, & nihil erunt in perpetuum. Ergo cum non vnus, verum & innumeri, & præſtantiores totius humani generis Chriſtum colant, dicamus liberè, *quia omnes quærunt te*.

CAPVT TRIGESIMVMOCTAVVM.

Et ait illis, eamus in proximos vicos, & ciuitates, vt & ibi prędicem, ad hoc enim veni.

[Expoſitio.] SAtisfacit magiſter narrationi Apoſtolorum cuius ſenſum attendebat non corticem, loquebantur Apoſtoli de capharnaitis, reſpondet magiſter ad ſactum vniuerſarum gentium, quæ Chriſtum quæſituræ erant; ideo ſubiecit q. d. quod omnes quærunt me, *eamus ad vicos, & ciuitates*, vt prædicatione ad ſequendum me ardentius omnes prouocentur, nam & hoc eſt officium mihi iniunctum, & vos tantæ meſſis ſocios prælegi, & miniſtros, in tàm honeſto negocio.

Et ait illis. Eamus in proximos vicos, & ciuitates. Oppidum, vel ciuitas eſt (notat [*Euthym.*] Euthym.) quæ muros habet, pagus autē, ſiue villa, vel vicus, quæ muris caret κωμόπολις verò, quod hic ponitur vicos ſignificat maiores, aut oppidula ruſticana, quæ & vici, & oppida videri poſſunt, partim quidē muris cincta, partim autem muris carentia. Ad omnes harum habitationum incolas ire [*Sap.6.*] diſponit, quia ei cura eſt de omnibus; puſillum, & magnum ipſe fecit, redimere venit, & ſaluare. Quia hoc eſt pactum nouum, [*Heb.8. Ier.31.*] (inquit Paulus ex Ieremia) vt nō doceat vir vltra proximum ſuum, & vir fratrem ſuum dicens, cognoſce Dominum. Omnes enim cognoſcunt me à minimo eorum vſque ad maximum. Hæc dicit Dominus, qui dat ſolem in lumine diei, ordinem lunæ, & ſtellarum in lumine noctis; hoc eſt, Chriſtum, [*Luc.2.*] quem miſit in mundum, lumen ad reuelationem gentium; nec non Eccleſiam totam, & Sanctos, vt infidelitatem, & paganiſmum, qui nox eſt, illuſtrent. Itaque vt pactum illuſtrandi omnes firmetur, ire ad ciuitates diſponit Chriſtus, & ad vicos, vt non ſolum ſapientes, qui vrbes frequentant, ſed & rudes homines, qui victum è vicis, & pagis quæritant Deum communem agnoſcāt; nec ſint vltra duæ gentes, ſed vnus populus, & vnus Deus, vna fides, vnum baptiſma. [*Ezech.*] Prædicatione enim Chriſti, & cognitione veri Dei fit Iſrael tertius ægytio, [*Eph.4. Iſai.19.*] & aſſyrio, benedictio in medio terræ, cui benedixit Dominus exercituum, dicens: Benedictus populus meus Ægypti, & opus manuum mearum Aſſyrius: hæreditas autem mea Iſrael. Hic eſt Chriſtus, in quo, vt in hærede, & hæreditate ſibi pater complacuit. Iſrael hoc eſt videns Deum, quem à conceptu prquidet in conſpectu ſemper. Is ipſe eſt tertius, in quo tàm qui in Oriente, quàm qui in Occidente ſunt, (totus enim [*Matt.3. Pſal.15.*] orbis in Ægypto, & Aſſyria prænotatur) vt in angulari lapide coniunguntur, de cuius benedictionis plenitudine, quæ ſuper eum, vt in medio terræ, hoc eſt, vt in omnium perfectiſſimo, & Ægyptius, & Aſſyrius, hoc eſt, omnis ad fidem conuerſus, benedicitur. Quia ſcriptum eſt, & in ſemine tuo, quod [*Gen.12.*] eſt Chriſtus, benedicentur omnes gentes. Ad has ergo proficiſcitur, vt myſterium inchoetur.

Vt & ibi prædicem. Ergo ne qui poſtmodum bini miſſi ſunt, & continuò mittuntur non prædicant? Prædicat Chriſtus in eis, qui dixit: Ego ero vobis os, & ſapien- [*Luc.21.*] tia. Tuba quidem ſentitur, in ea tamen tubicen clamitat, inde prædicator veritatis, & doctor gentiū eructauit: An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Chri- [*2.Cor.13.*] ſtus? quoties ergo audimus Apoſtolum, doctorem legimus, aut Euangeliſtam auſcultamus. Nobis dicendum eſt: En vox di- [*Cant 5.*] lecti pulſantis: En dilectus meus loquitur mihi. Propterea dixit Petrus in epiſt. clem. [*Clemen.*] ad Iacobum fratrem; quicunque contriſta- [*Habetur 1. q 3. quicunq.*] uerit doctorem veritatis peccat in Chriſtum, & patrem omnium exacerbat Deum, propter quod & vita carebit. Nam inter- [*Habetur 1. q.1. interrogo.*] rogo vos fratres, vel ſorores (ait Aug. lib. 50. homiliarum, hom. 26.) dicite mihi; quid [*Auguſt.*] vobis plus eſſe videtur, verbum Dei, an corpus Chriſti? ſi verum vultis reſpondere, hoc vtique dicere debetis, quod non ſit minus verbum Dei, quam corpus Chriſti. Et ideo quanta ſollicitudine obſeruamus, quando corpus Chriſti nobis miniſtratur, [Reuerentia verbi Dei neceſſaria.] vt nihil ex ipſo de noſtris manibus in terram cadat, tanta ſollicitudine obſeruemus ne verbum Dei, quod nobis erogatur, dum aliud aut cogitamus, aut loquimur, de corde noſtro pereat: quia non minus reus erit, qui verbum Dei negligenter audierit, quàm

ille,

Digitized by Google

ille, qui corpus Chriſti in terram cadere negligentia ſua permiſerit.

Ad hoc enim veni. vel εἰς τοῦτο γὰρ ἐξελήλυθα ad hoc enim egreſſus ſum: quia cum ſit ſplendor Patris, & lumen de lumine, eius eſt ſecundum naturam illuminare. Et quia in ſplendoribus Sanctorum, hoc eſt, ſuper omnium claritatem, vel vt omnibus ſplendeat genitus, nuſquam venire poteſt quin ſplendeat, tum maximè Sanctos non poteſt
Dan. 12. non illuſtrare, qui ſtellæ ſunt firmamenti in perpetuas lucentes æternitates; luce tamen mutuata ab eo, qui natura ſua lux eſt, & ſplendor. Quare phraſis græca ad
Mich. 5. generationem filij, cuius egreſſus eſt à diebus æternitatis mentem trahit, & compellit litteram interpretari longè aliter
Generatio filij manifeſtatio Dei Patris. quàm ſolitum ſit, videlicet, Ad hoc veni, hoc eſt, ad hoc ſum genitus, ad hoc ſum miſſus à Patre, & proceſſi, vt prædicem, hoc eſt (vt alibi dixit) vt teſtimonium perhi-
Ioan. 18. beam veritati. Deo inquam, qui veritas eſt,
Ioan. 4. Quare poſt prædicationem concluſit. Pater
Ioan. 17. manifeſtaui nomen tuum hominibus. Ma-
Matt. 11. nifeſtat autem, qui cognoſcit. At patrem nemo nouit niſi filius, & cui voluerit, filius reuelare. Ergo ſi ſolus filius reuelat patrem, nec aliud fecit, nec facit quàm eundem Deum manifeſtare, cum eo tendant vniuerſa, quæ in cælis, & quæ in terris ſunt, optimè ad hoc venit, hoc eſt genitus, quia ſicut flamma, quam emittit carbunculus, & luciditas ſmaragdini pauimenti declarat gemmam: ita verbum, quod pater eructat, quid ſit pater exprimit. Quare per verbum conceptus expreſſiuum, ſeipſum Pater declarat omnipotentem, omniſcientem, & omnia, Verbumque ipſum, quod & filius, habens in ſe patris ſubſtantiam eandem numero, Patrem agnoſcit, hoc eſt, comprehendit. Itaque quoniam generatio filij eſt manifeſtatio Dei Patris, dixit: *Ad hoc veni*, ideſt genitus ſum, vel *ad hoc veni* in carne, vt ſicut veniens, & procedens à Patre, quicquid eſt Pater, totaque eius ſubſtantia in me manifeſtata eſt, vt in ſpeculo eandem numero penes me retinens; ita in carne veniens quicquid de Patre ſciri poteſt, & manifeſtari creaturæ, ego vnicus accepi, vt quam de Deo Patre cognitionem requirit creatura, per me accipiat. Quia nemo
Ioan. 14. poteſt venire ad Patrem niſi per me. Habes ergo lector duos modos explicandi litteram, & ſi ſubtiles tamen catholicos, quos meo iudicio littera, quæ grauiſſimi ſenſus eſt, ambit. Puteum enim profundum, & aquarum viuentium reputo ego omnia oracula, præſertim, quæ ſapientia noſtra Chriſtus ore proprio eructauit, ſuperant enim omnium noſtrum rudes mentes, quæ vix paleam ſubleuant.

CAPVT TRIGESIMVM NONVM.

Et erat prædicans in ſynagoga eorum, & omni Galilæa, & dæmonia eijciens.

PRopoſitum non tardat executioni mandare; ſed ocius diſcipulorum, & turbarum agmine comite peragrat ciuitates, & Expoſitio.
vicos, & cum omnium ſtupore, & extaſi, in conuentibus, & ſynagogis eorum prædicat, & ſeminat ſemen ſuum; ac ne marceſcat in audientium cordibus, neque euaneſcat, miraculis prædicationem confirmat quaſi qui rorem mittit ſuper herbam, & nouellam plantationem irrigat. Potiſſimum contra dæmones mira operatur, vt hoſtes prædicationis, & fructus inſtituti euangelici, quem neque orator, neque auſcultator conſequentur, niſi à ſe dæmones eiecerint.

Et erat prædicans in ſynagogis eorum. In hac prædicatione (ait Gloſſ. ordin. ex Beda) intelligitur etiam ſermo ille habitus in monte, quem refert Matthæus. Nam Mar- *Matt.* 8.
cus adiungit, & venit ad eum leproſus, de *Gloſſa.*
quo talia dicit, de quibus intelligitur eſſe, quem Matthæus dicit ſanatum poſtquam Dominus deſcendit de monte. Sic enim Matthæus ait. Cum autē deſcendiſſet Ieſus de monte, ſecutæ ſunt eum turbæ multæ; & ecce leproſus veniens adorabat eum, dicens: Domine; ſi vis, potes me mundare. Idem pene habet Marcus paulò inferius.
Beat. Aug. in lib. de conſ. euang. hoc idem *Auguſt.*
aduertit. Eſt prædicans in ſynagogis, in quibus per omne ſabbatum lex, & Prophetæ ſolebant à magiſtris conſtitutis legi, & explicari, vt nihil ordinariæ lectioni contrarium prædicare ſe oſtenderet, quinimmo omnium, qui ſcripſerant, expoſitorem, & interpretem audirent, vnde ſolitus erat æmulos ad Scripturam remittere, & explanare eiſdem, quæ vel falſabant gloſſematibus, vel traditionibus inficiebant, & intelligebant perperam.

Et in omni Galilæa. Hoc eſt regione tota, vt non ſupereſſet, qui ignoraret Dominum, ſed digito demonſtrarent. Ecce Deus noſter. Sic enim dicendum in aduentu Chriſti prædixerant vates; quia intonat Pſaltes.
Deus Deorum Dominus locutus eſt, & vo- *Pſal.* 19.
cauit terram. A ſolis ortu vſque ad occaſum, ex Sion ſpecies decoris eius. Deus manifeſtè veniet Deus noſter, & non ſilebit. Et ſi enim in ſecundo aduentu, cui pſalmus proprius aptatur, manifeſtiſſimus erit cunctis, etiam in primo manifeſtè in terra viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt, & vocauit ad ſe terram hoc eſt terrenos, vt audirent verbum Dei, & eum ſequerentur,

nec

nec aliquem à ſolis ortu,vſque ad occaſum
voluit latere prædicationis decorem, qui
ex Sion, & Ieruſalem cœpit. Quia de
Iſai 2. Sion exibit lex, & verbum Domini de Ie-
ruſalem. Venit itaque manifeſtè Deus in
carne humana, & non ſiluit, ſed palam lo-
Ioan. 4. cutus eſt, ego ſum, ſcilicet,Chriſtus qui, &
Deus.

Et dæmonia eÿciens. Vide(inquit Theo-
Theophyl. phylactus,) quomodo practicè doctrinam
coniungat. Prædicat enim, & dæmonia
eijcit.Sic & tu quoque cum docueris,etiam
opera bona fac, ne vanus ſit ſermo tuus.
Gregor. Vnde Gregor. hom.9. ſup.Ezech. ad cap.2.
quid eſt, quod Prophetæ iacenti dicitur, ſta
ſuper pedes tuos,& loquar tecum,qui enim
iacenti loquebatur, cur non ſe, niſi ſtanti
promittit eſſe loquuturum? Sed ſciendum,
quia alia ſunt,quæ iacentes; alia quæ ſtan-
tes audire debeamus. Iacenti enim dicitur
vt ſurgat: ſtanti autem præcipitur; vt ad
prædicationem proficiſci debeat. Adhuc
enim nobis in infirmitatis confuſione ia-
centibus præberi non debet auctoritas præ-
dicationis, ſed cum iam in bono opere ſur-
gimus, cum iam recti ſtare cœperimus,di-
gnum eſt, vt ad lucrandos alios,in prædica-
tionem mitti debeamus.

CAPVT QVADRAGESIMVM.

Et venit ad eum leproſus, deprecans eum,
& genuflexo dicit ei: Si vis potes
me mundare.

Expoſitio. NOn ſolum præſentes auditores,ædifi-
cat miraculis,quæ ſuper eos,qui ade-
rant operatur, ſed etiam abſentes inſtigat
ſpiritu oris ſui, vt ſuper illos populo aſtan-
te mira operans, confirmaret prædicatio-
nem, & audientium animos. En tibi lector
leproſus, quem lex iubebat ab alijs ſeque-
ſtratum eſſe, qui legis immemor; immò ve-
rò ſuæ ſalutis appetentior factus, ad Chri-
ſtum properat, procidit, & petit ab eo ſa-
nari.

Et venit ad eum leproſus. Tùm motus à
ſuperis, tum ab alijs,qui à Chriſto ſalutem
acceperant, prouocatus; tùm denique aui-
dus dimittendi morbi opprobrium, & con-
fuſionem,venit ad Chriſtum, & fide, & de-
uotione,& humilitate,velut placidis donis,
quibus Rex delectatur,& maiora præparat,
videlicet donum fidei, guſtum deuotionis,
& humilitatis gloriam, & honorem. Quia
gloriam ſequitur humilitas, & qui deuo-
Pſal 33. tus accedit,guſtat, & videt quam ſuauis eſt
Marc. 9. Dominus. Credenti autem omnia poſſibi-
lia ſunt. Propterea conſecutus eſt hic ſa-
nitatem. Attamen quam optimè leproſus
Beda. curandus hoc in loco proponatur,Beda no-
tat dicens: Poſtquam lingua ſerpentina dæ-
monum occluſa eſt, & fœmina, quæ primò
ſeducta eſt à febre curata, tertio vir, qui
male ſuadentis dicta coniugis audiuit, ab
erroris ſui lepra mundatur,vt ipſe eſſet or-
do reſtaurationis in Domino,qui erat ordo
caſus in protoplaſtis.

Deprecans eum. Deuotè & omni cum
animi anſietate. Eſt enim deprecatio, ora-
tio, & precatio affectuoſa, & magna, quæ
penetrat cælos,& aſcendit ad Deum. Iuxtà
illud:Deprecatio pauperis ex ore ad aures *Eccl. 21.*
eius,ſcilicet Dei,perueniet, & iudicium fe-
ſtinato adueniet illi, quia exauditus à Re-
ge, & ſupplicationis ſcedula lecta; quam
primum exauditur Iſaac pro vxore,Aaron, *Gen. 24.*
pro multitudine ſtans inter viuos, & mor- *Num. 16.*
tuos,& Dauid quando ab hoſtibus depreca- *2. Reg 22.*
tur liberari. Et quiuis noſtrum exaudie-
tur, ſi vt oportet,deprecatur. Ergo deuotè
quiſque deprecans ad eum dicit: Domine
mi Rex, valeat deprecatio mea in conſpe- *Ier. 37.*
ctu tuo.

Et genuflexo. Vt humilem ſe præbeat
Deo excelſo, cui omne genu curuatur cæ- *Phil. 2.*
leſtium,terreſtrium, & infernorum. Inferna
præ timore, ſupera præ amore; & terre-
ſtria; vt honorem exoluant, & obtineant
apud eum gratos eſſe,& ab eodem prouide-
ri. Quia in humilitate noſtra dicebat ille *Pſal 135.*
memor fuit noſtri. Excelſus enim Domi- *Pſal. 112.*
nus humilia reſpicit in cælo, & in terra ſu-
ſcitans de terra inopem, & de ſtercore eri-
gens pauperem,vt collocet eum cum Prin-
cipibus,cum Principibus populi ſui.

Dicit ei. Optarem in mundi Principes?
quid? vulgares etiam ferè homines agere,
nec non fœminas, quæ nihil ſibi à ſuis dici
volunt,nec patiuntur niſi genuflexo. At ſa- *Vituperabile ſupercilium, & ſeueritas.*
tis de ſe ipſis hoc facto ſuperbo pœnas
luunt. Si quidem ſimiles omnes fugiunt;
nec ad eos quiſpiam niſi coactus accedit;
ſed neque ipſi communicare cum cæteris
audeat, ne altitudo quam ſibi vſurpant vi-
leſcere videatur. Vndique ad politiam, ſo-
cietatem, & amicitiam nati ſunt,intractu-
biles fiunt abſque ſpe præmij, quod monachus
ſolitarius, & Eremita propter Deum ſpe-
rat.

Si vis potes me mundare. Fidelis ille le-
proſus erat(ait Theoph.)& benè ſentiebat; *Theoph.*
quia non dixit, vt petat Deum; ſed ſi vis;
credens in eum. Vnde Gloſſ.ordin.ex Beda. *Gloſſa et Beda.*
In voluntate tribuit poteſtatem, nec dubi-
tat,vt incredulus de voluntate Domini;ſed
colluuionis ſuæ conſcius, non præſumit.
Et qui excluſus à lege Domini,ſe poteſtate
curari poſtulat, ſupra legem iudicat gra-
tiam eſſe; vt enim in Domino poteſtatis
auctoritas,ſic in illo fidei conſtantia.Itaque
dicens potes me mundare,diuinam in Chri-
ſto potentiam confitetur, quæ omnia po-
teſt: quia ei ſunt,vt lutum in manu figuli. *Eccl. 33.*
Nec quiſquam ei contradicere poteſt, ne-
que di-

Iob 11. que dicere, cur ita facis? Benè enim omnia
Iob 5. fecit in tempore, & facit magna, & inſcru-
Pſal 103. tabilia, ac mirabilia ſolus in ſapientia, pon-
Sap. 11. dere, numero, & menſura, quæ rerum om-
nium menſuram excedunt. Hanc poten-
tiã, ſeu potius omnipotentiã leproſus pro-
fitetur. Verùm eum non omnia, quæ poteſt
operetur, addit leproſus. *Si vis*; ipſum libe-
rum, & voluntariũ in ijs, quæ poteſt publi-
cè confitens. Voluntas enim diuina ad ope-
randum extra, ſeipſam determinat, & eſt (vt
Scotus in d. 39. opinatur Scotus) regula omnium, quæ ſunt
tàm neceſſariorũ, quàm contingentiũ, & eo-
rum, quæ vel à natura, vel à libertate depē-
dent. Igitur quia voluntas eſt, quæ potentiã
Dei exequitur (an verò executiua quadam
vi, aliqua ratione diſtincta à voluntate, ipſi
1. p. q. 25. & in 1. d. 37. & 38. Scholaſtici iudicabunt) ait leproſus. *Si vis.*
Ac ſi diceret. Et ſi credam omnipotentem,
& talem te profitear, neſcio an tua miſeri-
cordia, & beneplacito decreueris ea me cu-
rare. Quia quis conſiliarius tui? proinde me
Iſai. 40. tuæ voluntati conformo, & dico; *ſi vis*, & de-
creueris me mundare, ecce me paratum re-
cipere beneficiũ de manu, & voluntate tua;
nec me turbant demerita, quæ in me ipſo
conſidero, neque indignitas me à petitione
reuocat. Quantumuis enim indignus ſim, ſi
voles, fiet quod peto; ſi decreueris, optatis
fruar, & emundabor à ſorde, quamprimũ di-
xeris; *volo, mundare*. In tua enim voluntate
ſita ſunt omnia, tu enim mortificas, & viui-
1. Reg 2. ficas, tu deducis ad inferos, & ſaluas, quem
tibi placuerit liberare. Quare voluntati di-
uinæ bona omnia tribuantur; quæ perpe-
trantur mala voluntati nequam, qua ſæpius
vtimur.

CAPVT XLI.

Ieſus autem miſertus eius, extendens manum ſuam, & tangens eum, ait illi; Volo, mundare.

Expoſitio. ETſi fidelis petitor leproſus viſus fue-
rit, magnificentiorem nobis proponit
Euangeliſta largitorem Chriſtũm, paucio-
ribus enim verbis, vtpotè duobus, concedit,
quod quinque fuerat poſtulatũ. Quid? quod
beneuolentiam animi, & commiſeratione,
non tàm ſignis, quàm factis declarauit. Nam
miſertus eſt eius, animi commiſerationem
vultu oſtendens, & præ compaſſione exten-
dit manum, ac tetigit carnem leproſam,
quam cæteri abominabantur, & fugiebant.
Tactus tamen Regis, & amabilem, & digniſ-
1. Reg. 2. ſimam omni conſortio effecit.

Ieſus autem miſertus eius. Quia charitas
Ioan. 2. eſt, cuius effectus tertius poſt gaudium, &
pacem recenſetur, miſericordia, à qua Deus
miſericors pius, & multum præſtabilis, de-
Vnde dicitur Deus miſericors. nominari ſolet; non quod animi tranſmuta-
tionem, ſiue præter naturalem motionem
patiatur, qui impaſſibilis eſt, ſed quod ſigna
pietatis declaret. Ad cuius euidentiam (ait
S. Thom. 1. p. q. 21. ar. 3.) conſiderandũ, quod
miſericors dicitur aliquis, quaſi habens mi-
ſerum cor, quia, ſcilicet, afficitur ex miſeria
alterius per triſtitiam, ac ſi eſſet eius pro-
pria miſeria. Et ex hoc ſequitur, quod ope-
retur ad depellendam miſeriam alterius,
ſicut miſeriam propriam, & hic eſt miſeri-
cordiæ effectus. Triſtari ergo de miſeria
alterius nõ competit Deo, ſed repellere mi-
ſeriã alterius, hoc maximè ei competit, vt
per miſeriam quemcunque defectum intel-
ligamus. Hæc ille. Verum & ſi Chriſtum cõ-
ſideremus hominem, aliter miſericordiã in
eo contemplamur; videlicet, voluntatẽ prõ-
ptam ſubueniendi noſtris miſerijs, quam ſi-
gnis cordis triſtis oſtendit. Non quod triſti-
tiæ paſſio inſit humanitati, ſed propaſſio;
quando, ſcilicet eſt triſtitia inchoata in ap-
petitu ſenſitiuo, & vlterius non ſe extẽdit,
vt cum cœpit pauere, & tædere; quãdo tur-
batus eſt, & infremuit ſpiritu, & quãdo mi- *Marc. 14.*
ſericordia motus, fleuit ſuper illã; hi actus *Ioan. 13.*
in reliquis hominibus ſunt naturales, quos *Ioan. 11.*
prædominãs paſſio operatur: in Chriſto vo- *Luc. 19.*
luntarij, quia quando voluit, turbauit ſeip-
ſum, triſtitiam paſſus eſt, & dolorem. Vnde
dixit: Poteſtatem habeo ponendi animam *Ioan. 10.*
meam, & iterum ſumendi eam: non ſolũ ad
mortem, ſed ad paſſiones, quæ mortẽ præ-
cedunt, & concomitantur. Itaque mox mi-
ſericordia motus eſt, non à triſtitia, quæ
facit cor miſerum, ſed à libera voluntate,
quæ poteſt miſerum conſolari.

Extendens manum ſuam. Quoniam (vt
notauit Beda) leproſus hic, ſymbolum geſ-
ſit Adæ, eum non vt reliquos curat, ſed ex-
tenſa manu, vt curatio huius, eam, quæ de
toto homine facienda erat, ſignificaret.
At totus homo, qui perierat, & incurrerat
lepram horrendam per extenſionem ma-
nnum ſanitatem recepit. Vnde dixit: Opor-
tet exaltari filium hominis; cum exalta- *Ioan. 12.*
tus fuero à terra, omnia traham ad meip- *Pſal. 140.*
ſum, quia eleuatio manuum mearum ſa-
crificium veſpertinum, quod diurnis fi-
nem imponit, & reliqua, quæ in lege
præceſſerunt, caſſat, ac honorificat Deum,
& placat; fitque vniuerſis ſalutare. Sub-
inde ſponſa. Manus illius tornatiles au- *Cant. 5.*
reæ plenæ hyacinthis. Hyacinthus cæle- Manus Chriſti tornatiles.
ſti colore lucet, ſed & hunc à Deo cæli in-
fundi Sanctis nemo diffitetur, neque ab eo
cæleſtes dici, ac hyacinthinos. Sed & hos
in manibus ſponſi ſcriptos eſſe deponit
ipſe, cum ait de Cruce: In manibus
meis ſcripſi te. Tornatiles fingit, quod *Iſai. 49.*
velut opus tornatile diſcurrit facilè; &
Chriſti meritum, quod paſſio elargitur,
non vni, aut alteri, ſed cunctis ſuffi-
cienter communicatur, & efficaciter mul-
tis. Inſuper aureæ, quæ non terram, vt

Gen. 22. *Pſal.* 126.

Iacob manus Ioſeph filio; ſed cælum, quod, vt aurum metalla excedit, donet electis, velut hæreditatem, quam manu, & haſta de mann Amorrhæi tulit, & legat dilectis poſt ſomnum. Iuxtà illud: Quum dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hæreditas Domini filij merces fructus ventris. Cæterum nota quod ſequitur.

Paſſio Chriſti neceſſe eſt, vt applicetur.

Et tangens eum. Hoc ſiquidem neceſſariũ eſt, vt manus extenſa noſtri Chriſti in nobis effectum præſtet. Paſsio etenim Chriſti, niſi applicetur, quem iuuat? Tactus ſacramentorum, & operum exercitatio in ſtatu gratiæ, meritum Chriſti applicat animæ, vt à culpa originis, liberet per baptiſmum; à mortali per pœnitentiam; à veniali per extremam vnctionem; armat contra ſpiritales nequitias per confirmationem; defatigatum recreat, & animat ad maiora ſubeunda certamina per Euchariſtiam; miniſterium totius militiæ ſpiritualis perficit; & illuſtrat per ordinis ſacramentum; & dignos Deo efficit per ſacramentum Matrimonij, eos qui appetunt, & laborant numerum fratrum adaugeri, & innouari. Quid? etiam opera, quæ quiſque facit illuſtratus ſaltem baptiſmate, & eius gratia baptiſmali, meritum Chriſti illa reddidit digna vitæ æternæ. Ergo ne tu nouator hæreticè ſanaberis ſola confidentia ſine ſacramentis, ac

Iſai. 24.

ſine bonis operibus? Et congregabuntur in congregatione vnius faſcis in lacũ, & claudentur ibi in carcere, & poſt multos dies viſitabuntur; quotquot tactum manus extentæ refugerint, vt manum clauſam in extremo iudicio duram nimis ſentiant. Interim quiſque exoret; fiat manus tua, vt ſaluet me. Emitte manum tuam de alto, vt dignetur tangere, & ſaluare. Ad hæc gloſſa ex Beda. Leproſum tangi lex prohibet, ſed quia Dominus legis eſt, non obſequitur legi, ſed legẽ facit. Non ideò tangit, quia ſine tactu curare non poterat, ſed ſic probat, quia legi ſubiectus non erat. Adde ex Chryſoſt. & Beda, Chriſto non eſſe prohibitum leproſi tactum, cum lepram ipſe non poſſet incurrere. Arcetur leproſus ab aliorum commercio, qui valent lepra infici.

Pſal. 18. *Pſal.* 143. *Chryſoſt.* *Beda.*

At illi. Vt alloquens triſtem animum conſoletur, & ad ſpem meliorem eleuet audientem ſuaue eloquium eius, ad quem tanto affectu clamauerat, & cuius opem, & auxilium implorauerat. Præſertim cum eum cæteri deteſtarentur; nihil enim genti ſimili gratius, neque iucundius poteſt eſſe, quàm gratum auditorem inuenire, & audire loquentem ſibi magnatem, cuius vultum, atque potentiam cæteri reuerentur. Inde Sapiens; Congregationi pauperum affabilem te præbe.

Eccl. 4.

Beda.

Volo; mundare. Non vt plerique Latinorum (ait Beda) putant, intelligendum eſt, & legendum, *volo mundare*; ſed ſeparatim dicat; *Volo*, deinde imperet; *mundare.* ſatisfacit itaque quæſito, quo ordine propoſitum fuerat; *volo* enim reſpondet, *ſi vis*, & *mundare* potentiam declarat. *Mundare* autem imperatiuum eſt, vt oſtendat (inquit Lyra) ſe per modum imperij lepram curare, tanquã Dominus creaturæ.

CAPVT XLII.

Et cum dixiſſet, ſtatim diſceſſit ab eo lepra, & mundatus eſt.

Expoſitio.

VOluit itaque acquieſcere roganti, & imperauit morbo. Iam quàm efficax Chriſti imperium extiterit, quàmque celeriter morbus paruerit iuſsioni, contemplemur. Quamprimum dixit *volo*, abijt lepra. Vixque finierat, *mundare*, quando leproſus mundatum ſe conſpicit.

Matth. 9.

Et cum dixiſſet. Nihil dicens, fluxum ſanguinis curauit: lepram quæ ex corruptione ſanguinis prouenit curat, dicens; *Volo mundare.* fortè ne alia virtute in illam, quàm in hunc vſus eſt? Minimè, ſed morbos ex cauſis oppoſitis prouenientes, aliter, atque aliter curat. vt in ſpiritualibus morbis curandis, diuerſis vtamur antidotis; vtpotè vitia, quæ ſunt in Deum, & proximum taciturnitate curemus, non blaſphemando, neque furando, neque agendo aliquid, quod Deum dehonoret, aut proximum ſcandalizet. Dicendo verò, licet curare lepram. Eſt hæc peccatum in ſeipſum, vt ocioſitas, gula, & ſimilia, quæ dicendo, hoc eſt, imperando appetitui proprio, & exercitando totum hominem, vincuntur.

Pſal. 148.

Statim diſceſsit ab eo lepra. Nihil medium (ait Gloſſa ordin. ex Beda) inter opus, & præceptum. Dixit, & facta ſunt. Vides, quia voluntas, poteſtas eſt? Itaque tanquam poteſtatem habens ſanandi, & auctoritatem iubendi, non refugit teſtimonium operandi. *Volo* enim dicitur propter Photinum; imperat propter Arrium; tangit propter Manichœum; ſed & ſtatim, & miniſtranti curatur propter Vadianum. Hic enim Deum corporeum finxit, imagine, ac membris homini ſimilem, & operari in tempore, vt reliqua corpora. Manichœus corpus phantaſticum, cui tangere non conuenit, in Chriſto poſuit. Arrius Chriſtum Patre minorem, ſecundum diuinitatem, & creatum, cuius non eſt imperare ſanationes, dogmatizauit. Photinus omninò, Deum eſſe Chriſtum negauit; quapropter, iuxtà eum, non poterat dicere; *volo*; quæ vox Dei omnipotentis videtur.

Et mundatus eſt. Non ſatis ducit dicere, *diſceſsit ab eo lepra*, ſed addit *mundatus eſt*, vt perfectionem adeptæ ſanitatis declaret.

Digitized by Google

claret. Parum enim eſſet lepram abijſſe, niſi ſecuta fuiſſet mundatio. Lepră abigunt ſæpè hominum antidota, herbarum ſuccus, & potiones electæ: at munditiam, quæ eſt animæ, ſolus confert medicus, qui de cælo venit, & ſuper omnes eſt. Itaque modus hic loquendi ſignificat leproſum, non tàm corpore à lepra; quàm animo à vitio curatum plenè, quando ad eum dictum eſt: *Volo, mundare*. Ergo talem, ac tantum medicum inquiramus, deprecemur, & interpellamus in omni morbo dicentes: *Si vis potes me mundare*. Si fortè dignetur dicere *volo, műdare*. *Ioan. 3.*

CAPVT XLIII.

Et comminatus eſt ei, ſtatimque eiecit illum.

TAntum abeſt, quod pro collato beneficio aliquid exigat, vt nihil dare præcipiat, quod ad aliorum aures perueniat. Comminatur enim ſi receptam à ſe ſalutē publicare audeat, ac ne agnoſcatur ſi fortè eum comitaretur, à ſe illum eijcit.

Et comminatus eſt ei. Comminatus eſt duobus cæcis, ne cui dicerent. Quoniā cæcitas ſpiritualis adhuc cecidit in Iſrael, & inter eos, qui ſemel illuminati ſunt per baptiſmum, nonnunquam regnat, quia quis cæcus niſi ſeruus meus? Lepra etiam, quæ concupiſcentiæ vitium notat, & amorem carnis, ac mundi, frequenter repullulat noſtra incuria. Quouſque ergo omnem maculam ſiue carnis, ſiuæ animæ tollat, ne vltra redire valeant, comminatur ſalutem publicari, ne de ea velint apud homines gaudere, ſed ſoli Deo rependere gratiam, & dicere; conſerua me Domine, quoniā ſperaui in te. *Iſai. 42.* *Pſal. 15.*

Statimq. eiecit illum. Hoc eſt, iuſſit abire. quid hoc? leproſum tangit, & mundatū vitat, ac pellit? Ordo hic eſt ſecundum legem præpoſterus, ſed ſapientiſſimè à Chriſto obſeruatus. Pellit mundatum, ne videretur ab eo honorem, aut aliquid aliud expetere, ſi vel iuberet, vel ſineret ſequi. At bonorū noſtrorū nō indiget, nec vt aliquid reddamus, aperit in nos manum ſuam, ſed propter ſemetipſum vniuerſa operatur. Tangit leproſum, vt egeſtatem, & miſeriam releuet. Itaq; in anguſtijs prōptus eſt Deus, venit, & vult nobis adeſſe, vt tangens nos cōſoletur. Dum videmur vti proſperis, ſpiritus nos eijcit, hoc eſt, ſimulat, quaſi eiectos; vt Paulum, qui ſe videns à Sathana infecutū, quaſi eiectus orauit ter; Antoniū, qui impetibus à dæmonibus, quaſi feris, clamat quaſi eiectus, & alios ſimiles, quos tactus, & gratia Chriſti perfectos ſuſtinet perſæpe, & à ſe excluſos exclamare cogit. Hei mihi quia incolatus meus prolōgatus eſt, fuerunt mihi lacrymæ panes die, ac nocte, dum dicitur mihi quotidie vbi eſt Deus tuus? Non ſunt tamen eiecti, ſed ſub his relinquuntur vmbris, atq; pauoribus, vt a maiora tendant per orationem, lacrymas, & ſimilia. Iam enim adoleuerunt, vt non egeant manu nutricis; qui infirmi ſunt, & lepra debiles, & horrendi, manus Chriſti tactu habent, & eo gaudent, atque fruuntur. *Pſal. 15.* *Pſal. 144.* *1. Cor. 12.* *Pſal. 119.* *Pſal. 41.*

CAPVT XLIV.

Et dicit ei: Vide nemini dixeris: ſed vade oſtende te Principi Sacerdotum, & offer pro emundatione tua, quæ præcepit Moyſes in teſtimonium illius.

NE videretur legem præterijſſe, leproſum tangens ſanatum, inbet legē obſeruare, qua à lepra mundati in gratiarum actionē tenebantur munus ſacerdotibus offerre. Sic tamen vult munus ſecundum legē ſolui ab eo, ne alicui auctorem tantæ ſalutis reuelaret, id quod primo prohibet, poſt aliud præcip.t. Quod maior ſuæ humilitatis cura eſſet, quā reliquorū, vt factus humilitatis ſtrenuus magiſter audacter diceret. Diſcite à me, qa mitis ſū, & humilis corde. *Expoſitio.* *Matth. 11.*

Et dicit ei. Hoc eſt, monuit, vt gratus Deo eſſet, qui tantum beneficium dignatus eſſet illi conferre; ac propterea nihil eorum, quæ gratum reddunt hominem, præteriret; ſed omni diligentia, ac ſedulo obſeruaret, non ſolum animo Dei memoriā iugiter colens, & magnificentiā celebrans, ſed & corpore, ac ſignis, quibus poſſet, externis omnipotēti honorē tribueret, m.ximè quē lex præcipit.

Vide nemini dixeris. Quaſi dicat (inquit Chryſoſt.) tempus non dum eſt, mea opera prædicandi, tua non indigeo prædicatione. Per hoc autem docet nos, ex noſtris operibus honorē apud homines pro retributione nō quærere. Etiam ſilentium imponit, vt minus efficaci teſtimonio apud Iudæos, qui tametſi miracula admirarent, ſed perperā facta acclamabāt; vt & modo poſteri eorū, nunc magiæ, & quandoq. dæmonū arti attribuunt. Vnde dum non depellunt malitiā, ſicut nec patres, ita neque filij ex miraculis Chriſtum agnoſcent. Sol quidē ex ſe lucet, non tamen cæco. At excæcauerat eos malitia eorum, & cor populi huius adhuc excæcatum eſt, vt videntes non videant, & intelligentes non intelligant, vt non credant, neq; conuertātur, nec ſanentur à plaga peſſima, crudeli, & inimici. Tertio prohibet leproſo ferre teſtimonium, vt indecenti. Indecens eſt, ſanctum à peccatore, mundum ab immundo, Regem ab inope, iudicem à reo, Redemptorem à ſeruo, & Deū creatoremq. ab infima, & infami creatura teſtimoniū accipere. Teſtimoniū quidē maius eſſe debuit, aut certè æqualis veritatis, vt veritati fi- *Chryſoſt.* *Quare iubetur leproſus tacere.* *Sap. 2.* *Iſai. 6.*

 deni

Iſai. 36. dem faciat; Alioquin ægyptiaca arundine, & confracta, fulciretur vitis vera: *Ioan. 8.* Quare ſibiipſi teſtimonium perhibuit, & pater, qui non ſemel ad eum voce de cælo lapſa dixit: *Matt. 3.* Hic eſt filius meus dilectus. Ergo ne Angelos, qui in ortu cantarunt *Luc. 2.* gloria in excelſis Deo; & Apoſtolos, qui *Act. 10.* dicuntur teſtes electi; nec non opera, & *Ioan. 10.* Scripturam, quæ pariter dicuntur teſtimo-*Ioan 5.*nium ferre de Chriſto, negabimus teſtimonia credibilia? Teſtimonium quidem *Pſal. 18.* Domini fidele, ſed & fideles teſtes mei, quæcunque horum interpretantur, admitto, ſed cum vel de cælis miſſi, vt & *Luc. 1.* Gabriel; vel virtute ex alto repleti referuntur teſtes, quaſi nil terrenum, ſed di-*Act. 2.*uinum habentes, vt teſtes Dei fierent, & cæleſtis hominis. Oracula dant teſtimo-*Pſal. 81.*nium, non vt aliquid humanum habent, vtpotè Scripturam, ſed vt ſunt Dei narrationes, in quibus iugiter Deus loquitur; Quia ſemel locutus eſt Deus. Opera fidem faciunt pariter, vt ſunt in manu Dei, quia *Eccl. 9.* in manu artificis opera laudabuntur. At *Iſai. 53.* leproſum à Deo percuſſum calumniabantur maligni; neque è cælo miſſum, neque virtute ex alto indutum credidiſſent æmuli; qui cæleſtem hominem Chriſtum, ac Deũ, terrenum, & peccatorem prædicabant.

Sed vade, & oſtende te Principi Sacerdotum. vt intelligat, ſecundum gloſſ. ex Beda) non legis ordine, ſed gratia, quæ ſuper legem eſt, eſſe curatum. Offerre iubet, quia non legem ſoluit, ſed implet, dum ſecundum legem gradiens, ſuper legem ſanat, quos remedia legis non ſanabant. Nec ante ſacrificium ceſſare debebat, cum non dum ſignificatum confirmatum erat conſtitutione Apoſtolo-*Chryſoſt.*rum, & fide credentium. Ad hæc Chryſoſt. propter hoc, hunc ad Sacerdotem mittit Saluator ad probationem medelæ, & ne extra templum fieret, ſed in oratione cum populo computaretur. Mittit etiam, quæ ſunt legis adimplens, vt Iudæorum linguam maliloquam obturaret. *Vade*, inquit, ne ob gratiam diuinitus receptam quis credat à maiorum obedientia exemptum, vt olim Begardi, & Beghini putarunt. Quinimmo gratia, vt ros herbam, humiliorem reddit. Siquidem ligatum te-*Iſai 8.*ſtimonium, & ſignaculum legis, quam diſcipuli Chriſti profitentur. Inde qui læ-*1. Cor. 5.*tus eructauit: Gratia Dei ſum id quod ſum, adiecit: Factus ſum omnia in omnibus. Protinus ſubdit: *Oſtende*, vt ineffica-*1. Cor. 9*ciam legis declararet; ſiquidem lex curandi, ne dicam animum, ſed neque corpus, vim aliquam habebat, ſed curatum lex oſtendebat, vt à cæteris mundus reputaretur. Principi Sacerdotum hæc cura demandabatur; potiſſimũ, quod Chriſtus Princeps vnicus, & Sacerdos futurus eſſet perfectus animarum emundator; vti Paulus hebr. 9. argumento à minori perſuadet.

Et offer pro emundatione tua, oblationem Leuit. 14. deſcribit Moyſes longa nar-*Leu. 14.*ratione, ſed profunda; nobis autem, qui in lumine ambulamus, notiſſima; duos inquam, paſſeres, & duos agnos, vel duos turtures, vel duos pullos columbarum cum agno, peculiari ritu ſignificare Chriſtum, quem in gratiarum actionem pro beneficijs offerri oportere credimus. Peculiaria explicare longam poſtulat narrationem.

Quæ præcepit Moyſes in teſtimonium illis. Videtur Dominus iudaicum probare ſacrificium. Quare Ebion, vt Philaſter ait, *Philaſtr.* & Cherintu; ſecundum Iren. lib. 1. adu. *Iren.* hær. cap. 25. poſtmodum alij, legem Moyſi eſſe cum Euangelio ſeruandam ex hoc loco, & alij affirmarunt. At inquit Paulus *Galat. 3.* lex pedagogus noſter fuit in Chriſto, vt ex fide iuſtificetur: At vbi venit fides, iam non ſumus ſub pedagogo. Et ſequenti cap. eiuſd. ep. Itaque fratres iam non ſumus fi-*Galat. 4.*lij ancillæ, ſed liberæ, qua libertate Chriſtus nos liberauit. Vnde ſubiecit cap. 5. *Galat 5.* Ecce ego Paulus dico vobis quoniam ſi cir-*Hebr. 6.*cumcidimini, Chriſtus nihil vobis prodeſt. & ad Hebr. 7. Si ergo conſummatio per Sacerdotium leuiticum erat (populus enim ſub ipſo legem accepit) quid adhuc neceſſarium fuit, ſecundum ordinem Melchiſedech alium ſurgere Sacerdotem, & non ſecundum Aaron dici? Tranſlato autem Sacerdotio neceſſe eſt, vt & legis tranſlatio fiat. Nihil enim ad perfectum adduxit lex. Propter quod ſcribit Lucas Act. 15. *Act. 15.* Apoſtoli, & Seniores conuenerunt Ieroſolymam, vt de hac re definirent. Habitaq. matura, prout decebat, rei examinatione, protulerunt ſententiam, quam per epiſtolam ſuam miſerunt his, qui erant Antiochiæ in hunc modum. Viſum eſt enim Spiritui ſancto, & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, quam hæc neceſſaria, vt abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione. Decreuerunt iſta Apoſtoli in primo Concilio Hieroſolymitano. Vnde ante, & poſt Chriſtum licitum fuit aliquandiù ſeruare legalia, quando verò omninò ceſſauerint, eſſeque cœperint mortifera, diu inter Hieronym. & Auguſt. diſceptatum eſt, & modo in ſcholis inter Thomiſtas, & Scotiſtas quæſtio agitatur. In præſentia nobis pro facto Chriſti dicere ſufficit cum Beda. Ideò *Beda.* hunc tranſmiſſum ad Sacerdotem, vt offerret Moyſis oblationem, quod non dum ſuum ipſe obtuliſſet ſacrificium, quo vetera finem accepere.

CAPVT

CAPVT XLV.

At ille egreſſus cœpit prędicare, & diffamare ſermonem: Ita vt iam non poſſet manifeſte introire in ciuitatem, ſed foris in deſertis locis eſſet, & conueniebant ad eum undique.

Expoſitio. HVmilitas in Chriſtó, & gratitudo in leproſo mundato obuiauerunt ſibi: Voluit Chriſtus nemini dici miraculum; mundatus omnibus publicat mirabilia Dei; Chriſtus fugit honores populorum; mundatus honores ſoli Chriſto deberi prædicat; latet humilitas Chriſti in deſertis locis, gratitudo mundati prærequiri Chriſtũ quantocius clamat. Denique vincit humilitas in Chriſto, vt neque ſignum iactantiæ pro heroicis factis aliquis in eo dignoſcat; Et vincit gratitudo in leproſo mundato, vt nihil prætererit quominus Chriſtum annuntiaret, & prædicaret mirabile opus, quo vniuerſi ad laudem debitam, & honorem auctori reddendam excitarentur. Quare inquit textus.

At ille egreſſus cœpit prædicare. Hoc eſt, diuinitatis potentiam, quam in Chriſto agnouerat, denuntiare hominibus, vt pariter confiterentur Deum, & colerent præſentem, quem loquuti fuerant prophetæ, & cuncti expectabant venturum. prædicabat igitur adeſſe, de quo lex, & Prophetæ ſcripſerant. Nec oportere in alium credere, nec Redemptorem alium ab eo agnoſcere. Et ſimilia, quæ ſub nomine prædicationis, quæ de Chriſto fit, intelliguntur. Vnde græca lectio habet ὁ δὲ ἐξελθὼν ἤρξατο κηρύσσειν πολλὰ *egreſſus cœpit prædicare multa.* Non quidem alia, quam quæ ipſe in petitione viſus eſt profiteri; & quæ Spiritus ſanctus auri ſuggerebat, vt non tàm donum, quàm prædicatio eſſet in teſtimonium vniuerſis, tàm maximè ſacerdotibus, qui Dominum neſciebant, cum legem profiterentur, & ſe doctores legis reputarent.

Et diffamare ſermonem. Hoc eſt euulgare opus ſecum actũ. Græca vox λόγον non ſolum ſermonem, verbum, rationem, ſed & opus ſignificat. Diffamat itaque ſermonem, hoc eſt, opus mirabile actum explicat occurrentibus, vt congratulentur ſecum, & gratias digniſſimas referant Deo, qui talia in terris dignatur operari.

Ita vt non poſſet manifeſtè introire in ciuitatem. Præ multitudine obuiantium ſibi. Vnius ſaluatio (ait Bedæ gloſſa) multos *Beda.* ad Dominum cogit, Non poteſt tacere beneficium etiam iuſſus ab eo, qui dedit. Oportet enim, ſubdit Theophylactus, bene- *Theophyl.* ficiatum eſſe gratum, & gratias reddere, etiamſi benefaciens non indigeat. Non poterat manifeſtè intrare, quia non volebat. Potuit per medium ſuæ gentis inuiſus ire, *Luc. 4.* & abire incognitus, quid obſtabat quominus publicè ad ciuitatem intraret? non potuit itaque, quia non decuit ſe manifeſtum fieri omni populo lepra hominis curata per mortem, ſed teſtibus præordinatis à Deo, quouſque fidem manifeſtè om- *Act. 10.* nes profiterentur. Per hanc ſe manifeſtat, & ad ciuitatem, gentem, & hominum animos manifeſtè intrat.

Sed foris in deſertis locis eſſet, vbi, inquit Gloſſ. interlinearis, tumultuoſas carnalium mentes fugit. Nam frequens populus amore ſui potius, quàm Chriſti concurrebat. Præſtat autem in deſertis eſſe, quàm ſimilium hominum conuerſationem admittere. Hinc ille: ecce elongaui fugiens, *Pſal. 54.* & manſi in ſolitudine.

Et conueniebant ad eum vndique. Hi ſunt (ſecundum gloſſ.) quos nihil poteſt ſeparare à charitate Chriſti. Sed quæritur quidnam ſit (ait Gregor. 19. mor. cap. 10.) *Gregor.* quod Dominus, quæ geſſit abſcondi iuſſit, & nec ad horam potuerunt abſcondi? ſed notandum miraculum faciens, taceri iuſſit, & tamen taceri nõ potuit, vt videlicet, electi eius exemplo in magnis, quæ faciunt, latere quidẽ in voluntate habeãt, ſed vt proſint alijs prodantur inuiti. Non ergo voluit quicquam fieri, & minimè potuit: ſed quid velle eius membra debeant, quidue de eis, etiam nolentibus fiat, doctrinæ magiſterio exemplum dedit. Nam dixit: Qui ſe humiliauerit, exaltabitur. Atque adeò *Luc. 14.* exaltat lignum humile, eleuat valde, & ſub- *Ezech. 17.* limat Deus, vt conſtituat ſuper opera ma- *Pſal. 8.* nuum ſuarum. Is autem eſt, qui iugiter conuenit ad eum, & vndique properat adhærere ei, & cum eo vnus ſpiritus fieri. Quod concedat altiſſimus in ſæcula ſæculorum. Amen.

FINIS LIBRI PRIMI.

IN SACROSANCTVM CHRISTI EVANGELIVM SECVNDVM MARCVM

LIBER SECVNDVS.

IN CAPVT SECVNDVM PRAEFATIO.

Ouid lib. 1. de rem. amor.

DECANTANDI *prabetur occaſio.* Sũma petit liuor, perflant altiſſima venti. *Nam cum ob morum elegantiã, doctrina eminentiam, & potentiam miraculorũ, vndique oppidatim ad Chriſtum conuenirent; ſibilare cœpit æmulorum extorris inuidia. Cum enim redyſſet Capharnaum, & pradicaret innumera populorũ multitudini, paralyticumq. magna cum fide ad ſe ductum, à peccatis ob fidem liberum pronuntiaſſet, Scriba eum blaſphemare, ac intra ſemetipſos calumniari*

Prou. 25.

cœperunt: At inſpector coratum, & ſerenus aquilo, qui nubes diſſoluit, *cordis eorũ venenum aperuit, & ſoluit calumniam, inferens:* Vt autem ſciatis, quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata (ait paraclyto) tibi dico ſurge. *Cum ergo ſurrexiſſet, in gloriam Chriſti ceſſit peſſimorum inuidia: Relicta tamen ciuitate, ad mare exyt, vocauitque ad ſe Leui ſedentem ad telonium, & ille non ingratus, facto vale in conuiuio cæteris publicanis, vocantem ſequitur. Verum liuor, qui iam arſerat furore, iterum orditur. Aderant enim Scribæ, & Phariſæi, qui apud diſcipulos cœperunt magiſtrum diffamare, quod cum publicanis, & peccatoribus manducaret, indignum, dicentes, vita, & doctrina ſua factum. Verumtamen inde potius laudem promereri, quàm calumniã vnico verbo oſtendit:* Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores. *Cæterum quorum furor ad maniam proceſſerat, non acquieſcunt, ſed aliam ſuæ æmulationis oſtentationem faciunt; quærunt enim in Chriſti optimi magiſtri detectionem, quare diſcipulis Ioannis, & Phariſæis abſtinentibus, ſui indulgeant cibo, & epulis? Euaneſcit quoque fraus, ſe proferens Chriſtus ſponſum, & filios ſponſi diſcipulos, quod affligi, præſente ſponſo, ratio indignum iudicat, niſi abſente. Tum enim & ieiunare, & abſtinere, & pœnalia quæque aſſumere, opus erit. Nam vt noua nouis ſumuntur, & vinum nouum vtri nouo imponitur, ac vetera veteribus aptantur; non ſecus triſtitia triſtibus, & læta lætis debentur. Ergo præſente ſponſo ſunt læta omnia; cum abierit, non ſine curarum mœrore opportunum ſe offeret tempus aſſumendi triſtitiã, utpote, abſtinentiam, & ægro corpori accommoda exercitia. Et ſi bis finem malitiæ oportuiſſet detractores facere; occalluerant tamen, vt facilius pardus varietates, & Ethiops nigrorem deponerent, quàm paruulæ vulpes, ſeu accipitres inſidiari ſolitis columbis, maligna ſtudia. Videntes enim diſcipulos ſaturato euellere ſpicas, vt magiſtrum calumnientur, dicunt ei:* Ecce quid faciunt ſabbatis, quod non licet? *Licere tamen vrgente neceſſitate probat exemplo Dauid, qui in extremis poſitus, panes ſanctos, ſacratum edulium, manducare non pertimuit, nec proinde ſubyt calumniam; diſpenſauerat enim Deus. Pari igitur caſu occurrente, cum Apoſtolis, hoc in ſabbato diſpenſatum eſt.* Quoniam ſabbatum propter hominem factum eſt, & non homo propter ſabbatum. *Tum maximè quod ipſe ſit diſpenſator, & tacens diſpenſet,* quia Dominus eſt filius hominis etiam ſabbati. *Satisfacit itaque totius capitis narratio, inuidorum quatuor calumnys, iuxtà quas caput in quatuor partes diſtribuimus. Singula ſequentibus capitibus abunatius perſcrutabimur, & ſuperna ſlante aura, conabimur enucleare.*

CAPVT PRIMVM.

Et iterum intrauit Capharnaum poſt dies, & auditum eſt, quod in domo eſſet.

Expoſitio.

PEragratis aliquot Galilææ regionis oppidulis, atque vrbibus, redit Capharnaum, quæ vrbs erat illius Prouinciæ, vt quam illuſtrare miraculis diſpoſuerat, ac verbo ſuo, adhuc multo ſequentibus

tactis

ſactis clarificaret. Quamprimum tamen, eo acceſſit, innotuit cunctis adeſſe domi, qua ſolitũ erat conuenire. Iam enim manifeſtus, & colluſtrans orbem, ſuper hemiſpheriũ, vt ſol conſtitutus, quomdo poterat tantus aduentus celari, quin cunctis pateret? & quidem ipſe voluit, ideoque auditum eſt adeſſe.

Et iterum. Gaudium fert quandoq. hoc verbum, quandoque triſtitiam. Quando

Gen 3.
Exod. 3.

iterum apparuit Deus Iacob; & dixit iterum ad Moyſen, & ad quemque electorum iterum atque iterum venit, boni nuncij ſignum eſt, & noui atque perpetui gaudij.

Diuerſimo de reditDe' ab bonos & ad malos.
Ioann. 2.

Vnde electis dixit: Iterum videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum, nemo tollet à vobis. Eſt enim reditus matris ad filium, vt complectatur, lactet, emundet, & foueat. Propterea clamat

Cant. 2.

ſponſa: Reuertere, ſimilis eſto dilecte mi, aſſimiliare capreæ, hynuloque ceruorum ſuper montes Bethel. Huiuſmodi enim feræ filios è vallibus, ad montana vocant, & aſcendere compellunt ad petrarum abrupta tutiſſima. Animæ vero rationali nihil tutius montibus Bethel, ideſt domo Dei, quæ ædificatur, vt ciuitas in cæleſtibus, & æternis montibus; quo ſperans eleuari pius, iugiter redire, atque venire dilectum precatur; quia omnia habemus in Chriſto (ait Ambroſ. in ſerm 5.) & omnia in nobis Chriſtus Si à vulnere curari deſideras, medicus eſt; ſi febribus æſtuas, fons eſt; ſi grauaris iniquitate, iuſtitia eſt; ſi indiges auxilio, virtus eſt; ſi mortem times, vita eſt; ſi tenebras fugis, lux eſt; ſi cælum deſideras, via eſt; ſi cibum quæris, alimentum eſt. Attamen electis; reprobis autem quanto

Gen. 4.
Exod. 7.
Num 16.
1. Reg 15.
3. Reg. 221.

plus iterum redit, atque iterum, venit alloqui, vt Cain, monere, vt Pharaonem; præmouere, vt Dathan & Abyron; reprehendere, vt Saulem; caſtigare, vt Achab; affligere, vt Herodem; etiam allicere multifariè, multiſque modis, vt populum Iſrael, tanto mærorem infert his, qui aſtrologizant videre multiplicari ſoles in cælo, nouas faces, ſeu cometas in aëre apparere. Hoc eſt,

Matth. 22.

alios, atque alios ſeruos ad inuitatos mitti, nam ſerotiua pluuia demum diluuium efficit, & ruinam, ne diram agrorum, ac domorum, ſed etiam interitum hominum. Hinc ille, qui iterum, atque iterum venit, nunc per ſe, nunc per ſeruos. Si cogno-

Luc. 19.

uiſſes & tu, & tu quidem ſi ſcires, quæ te mala expectant, quod iterum, atqte iterum venerim, vt te iuſtificaré, nec vnquam melior effecta es, ſed deterior, vt Sodoma, in lacrymas te prorſus diffunderes. Et hoc idem comminatur Capharnaum, ad quam iterum venit, nec non his, qui delitiantur in malo, nec faciunt bona, quæ audiunt.

Intrauit Capharnaum poſt dies. Non omnia vno die eis communicauit, cum poſſet. Habebat enim omnia in manus, & in verbo virtutis ſuæ omnia portabat, non

Matth. 11.
Hebr. 1.

inſtar coſmographi mundi ſpheram; ſed vt conditor, qui fert omnia, atque portat. Vtcunque totum lac ſimul vno die populis, & auſculatoribus minimè diffundebat, ſed parentis amore, quantum conducebat, & poterant pro tunc capere, & digerere; non ægreſerens poſt diem, poſt dies hebdomadas, atque menſes, ad eoſdem redire, qui ſi in prioribus profeciſſent, in ſubſequentibus ſapientiores fierent.

Prædicandũ iuxta capacitatem auditorum.
Prou. 1.

Quia audiens ſapiens, ſapientior erit, & intelligens, gubernacula poſſidebit. Hinc diſcant noſtri modum in ſermonibus ponere: nec veliut vno die tantam ſui oſtentationem facere, vt æris alieni reputentur prodigi, ne dicam ſocij hirundinum, atque ſaul inter

1. Reg. 10.

prophetas prophetantis. Quodque horribilius cum nauſea populi; qui cum vel non aſſequantur ſermonis celſitudinem, vel nimium oblectentur in flore, malum punicum negligant, & vt repleti infantes; labijs ſolis lac guſtant, minimè deglutiunt. Vnde

Gratianus.

Gratianus d. 43. cap. diſpenſ. ex expoſitione Ambr. in Pſal. 118. ad illum verſiculum, Abſcondi eloquia tua, refert hæc verba. Vitium eſt ſecreta myſteria vulgare indignis: quod fit vel loquacitate incauta, dum ſinè iudicio volat irreuocabile verbum; vel adulatione, vt ei placeat, cui ſecreta reuelat, vel iactatione ſcientis, vt plura ſcire videatur. In quibus omnibus profectò datur intelligi, quanta debet eſſe diſcretio in predicatione ſacerdotis, qua ſi forte caruerit, tanquam torto naſo ſacerdotis officio iudicatur indignus. Prædicatoris autem officium Chriſtus exhibuit; prædicare vno die, quantum populi capacitas poſtulat communi eloquio, & poſt diem, aut dies, ſi res poſtulat, iterum redire. Notat Ganneius lectionẽ antiquam habere *poſt dies octo*, ſed Stephanus (inquit) cum in græcis, quæ nunc extant, non haberetur *octo*, temerè raſit, cum nullus ſit ſenſus, niſi indefinitè ſumamus, ideſt, poſt dies aliquot, hoc eſt, preteritis aliquot diebus. Et quidem ita accipi in biblia complutenſi, & Pagnini Si *ἡμερῶν. poſt dies*. Syriaca habens *ad dies* alium reddit ſenſum, quod ſcilicet Chriſtus rediret, ad dies aliquot cum eis habitandum. Nanque continuò vellet Chriſtus nobiſcum habitare, dummodo melliflua apis florem inueniret, & oleam in qua requieſceret pes eius. At non inueniens niſi morticinia, & fætores, redit ad propria.

Et auditum eſt. Prædicans, qui auditum facit, prætermittitur in textu, eò quod non eſſet homo, ſed ſpiritus Dei, qui velut tuba in auribus omnium, atque cordibus intonabat, adeſſe Chriſtum, veniſſe Prophetam, acceſſiſſe Liberatorem, & Doctorem

paruu-

paruulorum intraſſe in ciuitatem. Vt enim elationes maris, terræ turbines, & ventorum agitationes repentinæ, nec non terræmotus ſubiti fiunt ex aëris commotione, ita cæleſti inſpiratione, non Petri, neque Pauli predicatione fit aliquando populorum concurſus, vt olim ad Simonem, qui è columna predicabat; ad Antonium, qui in deſerto latitabat, ad noſtrũ Franciſcum, quem literatiſſimi quique audire appetebant, & ad alios ſanctos Dei homines, & oratores verbi Dei, concurſus populorum, qui facti ſunt, Spiritui ſancto corda commouenti ego attribuo. Vbi vult enim ſpirat, & vocem eius audis, & neſcis vnde veniat, aut quo vadat; ſibilus ille auræ tenuis, qui & rotam agitat, vt currat, & ſtare facit ſuper pedes ſuos, vt audiat homo, quid loquatur Dñs Deus per os, ſiue ſimplicis, ſiue litterati, quem Deus legatũ præelegit. Id quod ego optarem, tum maximè à predicatoribus annotari, ne liuore vrgerentur, cum alios auſculantium numero, & frequentia cernerent abundare; & eos, qui frequentantur, pariter iuuaret ſimilis conſideratio, ne ſuperbirent, neque ſibi, quod eſt alienum tribuerent, eſt enim auditus, & frequentia hæc à Domino non ab homine.

Vide in quo rundam ſer. mo: ibus magni populorum concurſus.

Ioann 3.

Ezech 1.

Pſal 84.

Quod in domo eſſet. Hæc eſt, quæ precedenti capite dicitur Petri; hic autem nullius. Nam domus, ſiue animus, ad quem venit Chriſtus, eius eſt, non alterius. Intrans in domum meam, conquieſcam cum illa, ſcilicet ſapientia, & gratiæ ſplendore, quem infundit, & in quo, vt in prole cariſſima, delectatur, & conuerſatur, vt in dilecta ſponſa, non enim habet amaritudinem conuerſatio illius. Alioqui non diceret, ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.

Sap. 8.

Ioann 23.

CAPVT SECVNDVM.

Et conuenerunt multi, ita vt non caperet neque ad ianuam, & loquebatur eis verbum.

QVem ægrè perdiderant, iucundo animo, atque hilari recipiunt Capharnaitæ, qua tamen intentione, finis aperiet. Interim concurſum eorum ad Chriſtum contemplemur. Tanto quidem, ac celeri impetu conuenerunt, vt vix domum attingerat multitudo, quando à ſummo, vſque ad deorſum impleretur, vt plures non caperet domus, neque præ multitudine, introitus, neque acceſſus ad ianuam pateret, præoccupauerant primi locum omnem, vt poſſent vel miraculum accipere, vel dulciſſimum ſermonem audire; non enim operi mirabili, neque verbo parcebant, dummodo ſui, ac ſalutis auidos conſolaretur. Præſertim loquebatur eis verbum, lucidum, ignitum, electum, & bonum, quo erudirentur, illuſtrarentur, vitæq. normam addiſcerent talem, vt valerent deinceps inter filios Dei numerari, & inter ſanctos ſortem habere.

Et conuenerunt multi. Præmittit græca lectio εὐθέως συνήχθησαν *& cõfeſtim coacti ſunt* vulgata omittit *confeſtim*, & legit συνήχθησαν *conuenerunt*. Qui autem conuenerunt, declarat alia lectio *coacti ſunt*, videlicet vi, & impulſu alterius, vtpote ſpiritus Dei. Eſt enim velut torrens inundans ſupra ſolitum naturæ curſum, cogens nunc mentem cognoſcere, vt in propheta, nunc inflammans animum, ſupra quam credi poteſt, vt in apoſtolo, & aliquando ſupra hominum æſtimationem, & iudicium, currere compellens hominem, vt in veteri teſtamento Heliam, & in nouo Paulum, ac modo præſentes cateruas; quibus etſi iuxtà lectionem græcam videbatur coactio fieri, ſuauis tamen, cui adhæreret ratio, & voluntas aſſentiretur; vt cum qui inſperatè à multis ad dignitatem trahitur, quaſi volans: Eſt enim ſpiritus Domini ſuauis, dulcis in omnibus, quæ agit. Hanc ſuauitatem vulgatæ verbum, *conuenerunt*, explicat. Conueniunt enim ritè, qui ratione vna; mente, & animo libero ad aliquid congregantur.

4 Reg 8.

1 Cor 9.

Sap. 12.

Ita vt non caperet, neque ad ianuam. Elucidiorem reddit hanc orationis partem tranſlatio ſiriaca *ita vt non poſſet eos comprehendere, ne veſtibulum quidem ianua*. Fit & ea græca lectio clarior, quæ obſcurior adbuc multo eſt, quam vulgata. *Vt* (inquit) *non amplius capere, neque quæ ad ianuam*, ſic enim vertit Pagninus; tametſi Gann. ὥς τε μηκέτι χωρεῖν μηδὲ τὰ πρὸς τὴν θύραν idest *vt non caperet eos veſtibulum, vel ianua*: Transfert tamen hic ſenſum, non ſecundum litteram, vt Pagninus, cæterum cunctis lucidior eſt ſyriaca. Significabat autem hic populorum concurſus, ſtatum Eccleſiæ Chriſti, ad quem vndique omnes confugerunt, & conati ſunt in domum dñi intrare, dicentes; venite aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob. Quia redempti à Domino conuertentur, & venient in Sion cum laude, & lætitia ſempiterna ſuper caput eorum. Ecce accola veniet, qui non erat mecum, aduena quondam tuus adiungetur tibi. Ergo ait ad Eccleſiam, quam ex gentibus congregauit: lauda ſterilis, quæ non paris: decanta laudem, & himni, quæ non pariebas, quoniam multi filij deſertæ, magis quam eius, quæ habet virum; dicit Dominus; dilata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende; nec parcas: longos fac funiculos tuos, & clauos tuos conſolida. Vt enim arca Noè vniuerſa animantium genera,

Iſai. 2.

Iſai. 35.

Iſa 54.

Iſai. 54.

genera, ita Eccleſia noſtra, omnem gen-
tem, & nationem, quæ ſub cælo degit, nata
eſt continere.

Et loquebatur eis verbum. Quod autem,
aut quale, prætermittitur, quoniam prædi-
cabat illis ſe ipſum, qui eſt verum verbum,
& verax, æternum, & immutabile. Siqui-
dem tota Chriſti prædicatio erat, manife-
ſtare, Deum veniſſe ad homines, ſibique
adhærere. Vnde nunc ſe vnum cum Patre
Ioann. 10. dicebat, nunc Patre minorem vt his, homi-
Ioann 14. nem, in quo habitaret plenitudo diuinita-
tis corporaliter; illis verbis, eandem om-
Coloſſ. 2. nino ſe retinere diuinitatem cum Patre de-
clararet. Adiecit opera, vt facilius per-
ſuaderentur increduli, ſcripturis eſt vſus,
vt ex propriis rebelles conuinceret, deniq.
& dicta, & facta verbũ predicarunt, hoc eſt,
ſe verum Deum, & hominẽ eſſe. Quocunq.
enim ſol in orbem ſe vertat, & radios mit-
tat, ijs, ſemper quantum, & quale ſit cælum,
in quo relucet, oſtendit; quare & nos, qui
cæli portitores dicti ſumus, hoc eſt, Chri-
ſti, tantum intendamus verbum hoc loqui,
vt dicebat ille. Nos predicamus quod ſci-
mus, & quid ſcimus dignum prædicatione?
1. Cor. 1. Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcan-
dalum, Gentibus autem ſtultitiam, ipſis
autem vocatis Iudæis, atque Græcis, Chri-
ſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam.

CAPVT TERTIVM.

Et venerunt ad eum ferentes paralyticum, qui à quatuor portabatur.

Expoſitio. TAmetſi audire verbum appeterent,
plures tamen curari ab infirmitati-
bus, quæ in regione pinguiſſima, qualis
erat Galilæa, ſolent abundare. Inter om-
nes tamen adductum paralyticum Marcus
refert, & quidem opulentum, vt qui non
curru, vt ſolent pauperes, neque ſedili
communi, quo mediocres homines à duo-
bus portantur, ſed tabernaculo apprimè
ornato, & compoſito, quo Principes ex-
portantur ad minus à quatuor, vſus ſit.

Et venerunt ad eum ferentes paralyticũ,
παράλυσις neruorum eſt diſſolutio, quæ ſi in
alteram tantum corporis partem incubue-
rit vocatur ab ijſdem græcis Hermiplexia,
hoc eſt Semiapoplexia, quando totum oc-
cupat corpus vocatur Apoplexia. Con-
funduntur tamen ſæpius nomina, vt vnum
pro alio ſumatur. Paralyſis (inquit Hier.)
Hier. typus eſt corporis: quo piger iacet in mol-
Paralyſis ſpiritualis. licie carnis, habens deſiderium ſalutis: &
torporis ignauia, & duplis cogitationibus,
Prou. 21. ac ſi eneruatus membris, offendit. Deſi-
deria occidunt pigrum, noluerunt enim
quicquam manus eius operari, videtur qui-
dem vt ſaccus paleis plenus, quem ad fu-
gandos paſſeres pendent agricolæ ficubus,
quem agitante aëre videmus moueri; la-
pidem autem neque proijcit, neque bacu-
lum appræhendit; & vt de noſtro pigro
concludam, nullum opus facit. In paleſtra *Prou. 26.*
orationis, ait, leo eſt in via; in Acochiriſti-
ca concertatione, quæ ſolis manibus fit,
timet depauperari. Gaudet quidem audi- *Gen 3.*
re; omnes piſces, manui veſtræ traditi ſunt,
nec tamen dicere quidem vult, vado piſca-
ri, etſi aliquando dicat volo, illico dicit,
non volo. Vult enim, & non vult piger. *Prou. 13.*
Dumque hæſitat, cibum amittit, dein ſub-
ſtantiam, tandem miſerè perit. Quare ait
idem Hier. ad Ruſticum monachum, Nun- *Hier.*
quam de manu tua, & oculis tuis recedat
liber: dicatur pſalterium ad verbum, ora-
tio ſine intermiſſione. Vigil ſenſus ſit, nec
vagis cogitationibus parens, corpus pari-
ter, & animus tendatur ad Dominum: fa-
cito aliquid operis, vt ſemper Diabolus te
occupatum inueniat, &c. Ægyptiorum mo- Idem alibi.
naſteria hunc morem tenent, vt nullum
abſque operis labore ſuſcipiant, non tam
propter victus neceſſitatem, quam propter
animæ ſalutem, ne vagetur pernicioſis co-
gitationibus mens, & inſtar fornicantis
Ieruſalem omni tranſeunti diuaricet pe-
des ſuos. Eò enim tendit pigritia, & hoc
efficit ſpiritualis paralyſis.

Diligentius adhuc multò perpendi op-
tarem. *Et venerunt ad eum ferentes pa-
ralyticum.* Neque enim morbi grauitas
concedebat ægroto, ad Chriſtum ire. Qua-
re niſi aſportatus fuiſſet, nunquam conua-
luiſſet. Multum ergo debebat portato-
ribus, ſed magis Chriſto, qui paſſus eſt ad
ſe paralyticum aſportari, & ante eum ve-
nire, qui viuens, mortis ſpectaculum ge-
rebat. Voluit tamen, & gauiſus eſt, ad ſe
deferri ſemimortuum, vt vitam donaret;
incurabilem, vt omnipotentiam oſtende-
ret; impotentem, vt impoſſibilitatem tol-
leret; ac denique priuatum naturæ dotibus,
& officijs, vt miſericordem, ſe orbi decla-
raret, & reparatorem, qui cuncta in melius
renouat. Sed & ferentibus debitor erat
paralyticus. Hos autem ego dicerem An- *Quantum iuuát preces ſanctorum.*
gelorum atque patrum preces, quibus me-
ruit gens (quam Orig. hom. 4. in Matth. pa-
ralyticum dicit) ad Chriſtum venire, & à
ſeruitute peccati liberari. Niſi enim ſan-
ctorum omnium interceſſiſſent preces, non
veniſſet, neque veniet priuatus quiſque no-
ſtrum ad Chriſtum, niſi adſint ferentes.
Niſi Moyſes oret pro ſorore, Aaron pro *Num 16.*
populo, ac niſi oret iuſtus pro culpabili, &
reo, peccatum nunquam remittetur. De-
bilitatur enim, quem lethalis morſus aſpi-
dis attingit, vt neque ſibi, neque alijs pro-
ſit, ſed cunctis eſt oneri. Vtcunque iuſti
gaudent, orationibus ad Chriſtum ferre mi-
ſerum. Pro hac, cecinit vates: Orabit ad
te omnis ſanctus in tempore opportuno.

Et

Et quando opportunum? cum domi habitat: cum iam in Eccleſia nobiſcum cæpit habitare. Tum enim dixit: Memor ero Raab & Babilonis ſcientiũ me. Ergo nunc defectio teneat nos præ lacrymis, vigilia, *Pſal. 63.* ac prece, pro peccatoribus derelinquenti- *Pſal. 118.* bus legem Domini. Vult enim & his, ve- *Iſai. 60.* lut abiete, pino, & buxo, ornare locum tuum.

Qui à quatuor portabatur. Quia, inquit Gloſſ. interlin. quatuor libris Euangelij omnis doctrina firmatur. Ego tamen non doctrinam, nec minus Euangelium dicerem, paralytici portitores, ſed eos, in quibus aliqua meriti ratio conſideratur, ſiue congrui, ſiue condigni. Eos autem fuiſſe Patres, qui nobis accelerationem incarnationis meruerunt, facilè perſuadeor, dum eorum preces attendo, & Doctorum placita conſidero. Apud hos enim receptum eſt, Patrum merita, Chriſti aduentum acceleraſſe. Quod autem pro eo precationes effuderint, nemo dubitat; ſed & paralyticum hominem per Chriſtum ſanitati reſtitutum credimus. Ergo & paralytici portiores fuiſſe Patres credamus, vtpotè Patriarchas, Prophetas, Duces populi, & plebem acceptiſſimam Deo. Noſtri vero, cum ſimili laboramus morbo, quatuor portiores dicito, predicatorem, qui annuntiat veritatem; præſidem, qui minat ad interiora, & deducit per viam æquitatis; ſacerdotem, qui alleuiat dolores, & ligat diſſoluta membra ſacramentorum exercitio, & quartum conſtituito proximum, & *Pſal. 111.* fratrem, qui tota die miſeretur, & commodat, vt fratrem lucretur.

CAPVT QVARTVM.

Et cum non poſſent offerre eum illi præ turba, nudauerunt tectum, vbi erat, & patefacientes ſubmiſerunt grabatum, in quo paralyticus iacebat.

Expoſitio. AMorem non paruum oſtenderunt portando grauem paralyticum, & pondus eius ſuſtinendo, & fortè diei, & æſtus, quouſque domum, in qua Chriſtus erat, veniſſent è longinquo. At fidem memorabili facto demonſtrant. Nam tegulis domus tectum nudare, & facto aditu grabatum ſubmittere, ſimulque paralyticum ſtatuere ante Chriſtum, magnæ fidei argumentum eſt. Etiam indicium potentiæ hominis, cui nemo auſus eſt reſiſtere.

Et cum non poſſent offerre eum illi præ turba. Hæc enim fores oſtij, atque veſtibulum domus occuparat, nec perſuaſioni locum dabat, vt cederet introeunti, cum inſimil ibus ſpectaculis, neque maiorem neque æqualem nouit; ſed quiſque, vt fluminis decurrentes illuuiones, præſumit ſibi meliora. Quod ſi impedire tentaueris, ecce tumultus, & turbatio, quæ in perniciem multorum perſæpè vergit. Igitur ſapiens, qui iugiter curat à malo declinare, & timet, non tàm ſibi dehoneſtationem inferre, dum feris obuiam procedit, quã reliquis, dum furentium inſaniam, & dementicationem, atque auſum contendit reprimere; quando tumultuantem turbam cernit impedire propoſitũ, aliunde ſibi prouidet, ne oſtiorum Tiberis, Nili, Gangis, Eufratis, atque Tygris, turbines, charybdes, atque ſyllas experiatur. *Tum vero* (cantat Ouid. lib. 5. metaph.) *Indomitas ardeſcit vulgus in iras; telaque conyciunt.* Præ turba itaq. nequeunt paralyticum Chriſto offerre. Et tu totus paralyticus putas, cum turbis ad Chriſtum venire? foris enim ſtant turbæ, neque intrant, neque intrare conſentiunt. Turbas dicito ſæcularia negocia, quæ animum turbant; vitia, quæ tribulant interiorem hominem; tranſgeſſiones, quæ dilaniant accedentem; demum turbas dicito affectus proprios, qui infelicem reddunt, & extorrem quemcunque, vt percuſſus dicat: Miſit in renibus meis filias pha- *Ier. 3.* retræ ſuæ: tactus ſum in deriſum omni populo meo, canticum eorum tota die. Repleuit me amaritudinibus; inebriauit me abſynthio. Et fregit ad numerum dentes meos, cibauit me cinere. Et repulſa eſt à pace anima mea: oblitus ſum bonorum. Nam vehemens paſſio rationem tollit, ne videat bonum, nec velit, ſed deteſtetur.

Nudauerunt tectum, vbi erat. Namq. regionis illius, vt in tota Paleſtina, domus parum eleuabantur, & ideo facile ſuper earum tecta valebant aſcendere; tectũ autem domus, in qua Chriſtus docet, ſecundum Gloſſ. ſublimitas eſt ſcripturæ, in qua cor- *Pſal. 118.* rigit adoleſcentior viam ſuam, in cuſtodiendo ſermones tuos. Non incongrè etiã tectum dici puto, humanitatis Chriſti habitum, quo tegitur Deus abſconditus, & ſub quo fortitudinis ſuæ cornu latet; nec non manna dulciſſimum ſublimis conſolationis, ad quam nemo peruenit, neque omnipotentiam in ſe experitur, niſi tectum nudet ablatis tegulis, vt Lucas innuit, hoc eſt humanitatis articulos, mente ſedula pertractauerit, & firmiter crediderit. Ideo dixit: Creditis in Deum, & in me credite, *Ioann. 14.* q. d. ſi in Deum firmam habere fidem cupitis, in me primo credite. Nam ego ſum oſtium, & cortina tabernaculi, quam neceſſe eſt ab eo, qui intrare optat, primo eleuari: tum qui videt me, videt & pa- *Ioann. 14.* trem meum, hoc eſt qui me hominem, ſed & ſimul Deum, conſtanter crediderit natum, mortuum, paſſum, ſuſcitatum, & ſedentem à dextris, facilè credet Deum,

vnum,

Digitized by Google

vnum, trinum, felicitatis noſtræ compendium, & cunctorum opificem, quia ego homo Deus, qui non fallit, neque fallitur, dixi: ergo quoniam paruulorum doctori, oportet primò addiſcentem credere, & quæ humanitatis ſunt Chriſti ſigillatim, quaſi qui tectum denudat, mente reuoluere, paulatim in aditum ad ea, quæ ſolius Dei ſunt, & poſtea deſcendere.

Et patefacientes ſubmiſerunt grabatum. Denudat fides, ſpes autem eſt, quæ grabatum ſubmittit. Nam grabatum ſubmittere, nihil eſt aliud, quàm neceſſitates vitæ præſentis, ærumnas, & calamitates, quæ nos circumſtant, exponere. Exponit autem audacter, qui ſperat. Hinc ille: *Pſal. 70.* In te Domine ſperaui non confundar in æternum, in iuſtitia tua libera me. Inclina ad me aurem tuam, accelera vt eruas me. Accelerare vero iubemus, vel inferiorem, vel æqualem, nec non maiorem, quem familiarem, & amiciſſimum beneuolentia ſua, & inſita magnificentia fecit, & in quo ſpem totam reponimus. Iuſti autem, & fidelis hominis, quæ ſpes, atque fiducia niſi *Pſal. 4.* Deus? Tu Domine, ait, ſingulariter in ſpe *Pſal. 21.* conſtituiſti me, ſpes mea ab vberibus matris meæ in te proiectus ſum ex vtero, Spes mea tu in die afflictionis meæ; Quia *Iſai. 25.* factus es fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione tua; ſpes à turbine, vmbraculum ab æſtu. Patefacit verò ad tantam ſpem fides, quæ eſt ſubſtantia ſperan- *Hebr. 11.* darum rerum, patet enim nobis per fidem Dei omnipotentia, & ſingularis amor, quo vult credentes ſaluos fieri, & repleri conſolationibus, quæ ſunt in dextera eius, nec non promptitudo, qua, vt accintus ad bellum, ſtat ab aduerſis liberare clamantes. Quare tàm ſublimi cognitione mens elenata, voluntatem cogit ſperare, & afflictum confidenter clamare, ſalua nos pe- *Matth. 8.* rimus.

In quo paralyticus iacebat. Grabatum paralytici ego omnem paſſionis motum dicerem, quia corpus quod corrumpitur, *Sap. 9.* aggrauat animam, & deprimit ſenſum, *4. Reg. 9.* atque irretitum reddit hominē, ne dicam, deformatam Iezabel poſt præcipitium. Se enim præcipitem dat, qui corporeæ paſſioni ſubmittit liberum animum, trahitq. quaſi per nares bubalum, hoc eſt per vanitates, ad interitum ſpiritus. Inter omnes tamen, quæ paralytico preparant lectũ, immo verò efficiunt, ſunt quatuor, illæ quæ primatum (auctore Philoſopho) continent, vide- *Ariſt. in eth. lib. 3. cap 8.* licet, gaudium, amor, ira, atque triſtitia, quod quiſq. concedet, qui naturam huiuſmodi paſſionum ſcrutabitur. Sunt enim *Dan. 7.* quatuor illæ atrociſſimæ beſtiæ, que Danielem terruere, & quatuor plagæ, quas Iſrael expertus eſt, & rebelli omni comminantur.

CAPVT QVINTVM.

Cum autem vidiſſet Ieſus fidem illorum, ait paralytico: Fili dimittuntur tibi peccata tua.

Expoſitio. Itaque poſt diuturnum laborem in tollendis tegulis, ſubmouendis tabulis, & fortè trabe aliqua, onuſti grabato ad Chriſtum, cum paralytico veniunt. A quo & ſi benignè (vti natura clemens, & pius erat) recepti omnes fuiſſent, qui iacebat æger, magnificentiam, & amplam liberalitatem accepit. Quamprimum enim vidit Chriſtus paralyticum, & ſcrutatus eſt animum eiuſdem fidelem, non expectauit rogari, neque obſecrari, ſed paralytico dixit, liber eſto à peccatis, quæ in tàm horrendum morbum te pertraxerunt, & detinuere hactenus. Quare abſciſſa morbi origine, fac ſis bonæ ſpei, & ſpera tuam paralyſim alligari, & melius te habere.

Cum autem vidiſſet Ieſus fidem illorum. Signa fidei vidit Chriſtus oculo corporeo, intellectu verò, fidem ipſam vidit, quæ animum paralytici obumbrat. Eſt enim fides cognitio ænigmatica de Deo, qua videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, & quaſi per nubem ambulamus, & currimus ad eum, qui eſt, & qui remunerator eſt, & in qua (ait Aug. tract. 68. in Ioann.) deſide- *Auguſt.* ratur, quod non dum habetur. Hoc autem deſiderium, ſcrutator cordium Deus perſcrutatur, ſimul ac fidem videt, vt iam vel inde, & qui legunt, & qui audiunt indubiè credant Chriſtum Deum, & confiteantur omnipotentem. Inſuper quid interſit inter cognitionem eius, & noſtram, quam de homine paſſim nobis formamus, agnoſcamus. Deus quidem à cauſa nouit hominem, ſiue bonum ſiuè malum; vnde eius cognitio eſt euidens demonſtratio; noſtra autem tantum probabilis certitudo, ſeu potius opinio, quia per effectus venemur bonum, ac iuſtum, & iniuſtum dicimus ab operibus mortuis, quæ ſenſibus proponuntur. Inde fit, quod omnis cognitio Dei certiſſima ſit, noſtra autem incerta, ne dicam mendacio proxima, vt optimè dicatur; Deus verax, omnis autem homo *Rom. 3.* mendax. Nam & Conſtantinus Arrium aliquando ex ſcedula fidelem credidit, & *Vide conc. Nicen & Epheſin.* inter eos annumerari præcepit; ſimiliter Neſtorium reputauit ortodoxum Theodoretus, & defendit egregiè, quouſque hic patrum decretis vidit anatematizari, ille verò audiuit mortuũ enormiter hæreticũ. Itaque fidelem, & bonũ quandoque ſe mentitur hæreticus apud homines, apud Deũ nunquam, qui videt ea, quæ ſunt, videt fidem, & infidelitatem, quæ animis inſunt.

Ait

Digitized by Google

Ait paralytico, vt fideli. Nam Deus viuentium, viuentibus loquitur, qui valeant reſpondere vitalibus actionibus, & ſermonibus, qui vitæ ſpiritu pleni ſunt.
Rom. 1. Iuſtus autem ex fide ſua viuit. Ergo paralytico, qui iam viuebat fide, loquitur; minimè autem infideli, qui vel hæreſim profitetur, vel paganiſmum complectitur, vel
Tit. 1. factis Deũ negat. Ab his enim auertit oculos, & dicit eiſdem: Non audiã, nec reſpondebo eis, ſed conſiderabo nouiſſima eorũ, vt nõ ſit ſpes in nouiſſimis ſuis ſed exoſſentur.

Fili dimittuntur tibi peccata tua. Quamprimum vidit fidem illius, dotat priuilegio ſummo fidei, vtpotè nomine filij, quia quotquot per fidem receperunt eum,
Ioann. 1. dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. Ex Deo autem naſcitur quicunque nouam formam, & ſplendorem, vt cometes, ſeu nubes, quas ſol irradiat, à Deo accipit, &
Pſal. 44. ornatur, vt Regina à dextris Dei, in veſtitu deaurato, circundata varietate, ad quam & ſponſus, & pater ait: Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui, & concupiſcet rex decorem tuum, quoniam ipſe eſt Do-
Rom. 5. minus Deus tuus, qui fecit te, poſſedit te, & creauit te. Hunc ergo iam ex Deo natum, Chriſtus vocat filium. Vt & inde, non ſicut delictum, ita & donum. Hoc ſuperat delicti immenſitatem: per delictum paralyſim contraxerat iſte, per ad-
Gal. 4. uentum, & fidem fit filius Dei, quod ſi filius eſt, & hæres. Hæres quidem Dei; quare non inferni, neque peccati ſeruus. Optimè ergo ſequitur.

Dimittuntur tibi peccata tua. Vbi Gloſ. oſtendit propter peccata fuiſſe morbo percuſſum, & ideo non poſſe ſanari, niſi prius, his dimiſſis, ſiut paralytico ad piſcinam:
Ioann 5. Ecce ſanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Rebellis, enim ſolent Reges tributa augere, & quanto Pharao durior eſt, tanto grauatur plaga
Exod. 7. 8. 9. 10. 11. 12. noua: etenim quinque (ait Beda) de cauſis affliciuntur homines moleſtijs carnis; aut propter merita augenda, vt Iob, & Marty-
Iob 1. 2. res; aut propter humilitatem conſeruan-
2. Cor. 12. dam, vt Paulus ab Angelo ſathanæ; aut
Num 12. ob peccata intelligenda, & corrigenda, vt Maria ſoror Moyſi, & hic paralyticus; qui non niſi dimiſſis peccatis potuit curari;
Ioann. 9. aut ad gloriam Dei, ſicut cæcus, qui neque
Ioann. 11. peccauit, neque parentes eius, & Lazarus, cuius infirmitas non fuit ad mortem, ſed pro gloria Dei; aut ad initium æternæ
Act 12. damnationis, vt Herodes. Nota modeſtiam Chriſti, & prudentiam; dimittit peccata, ſua poteſtate plenaria, non tamen ait *dimitto*, ſed *dimittuntur*, vt occaſionem tolleret hoſtibus blaſphemandi, & à ſe iactantiam depelleret, qua, vt maligni erant, audientes, illum notaſſent, modo neque æmuli ſiniſtrum quid de Chriſto poſſunt iudicare, neque veritatem celat. Nam *dimittuntur*, ſcilicet ab eo, qui poteſt: quis autem ſit ipſe, exponunt Iudei infra.

CAPVT SEXTVM.

Erant autem illic quidam de Scribis ſedentes, & cogitantes in cordibus ſuis.

QVid paralytico fideli Chriſti eloquiũ contulerit, vidimus; quid iam auditor maleuolus ex tam dulci eloquio conceperit, videamus. Erant enim inter eos, qui Chriſtum loquentem audiebant, Scribæ quorum ſtylus mendax fertur, & iudicium ſemper peruerſũ in dijudicandis, quæ à Chriſto perceperunt. Siquidem reliquerunt iter rectum, & ambulant per vias tenebroſas. *Expoſitio.* *Prou. 2.*

Erant autem illic quidam de Scribis ſedentes. Etſi à ſummo vſque ad deorſum domus impleretur, vixque tantam multitudinem caperet, noluerunt ſuperbi Scribæ cedere iuri ſuo, quod erat ſedere ſuper cathedras, & in ſinagogis, & hominum conuentibus, primos recubitus velle, & quærere. Notabat tamen Ieſus peccati malitiam, & morum corruptionem, quam factis docebant populum, quaſi in cathedra peſtilentiæ ſedẽtes, ſed: Beatus vir, qui non abijt, in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit. Hinc ille: Non ſedi cum concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo; ſed laui inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum Domine, vt audiam vocem laudis, & enarrem vniuerſa mirabilia tua; quia non ſedit in vitijs adoleſcentiæ, neq. malitiam obſtinatè eſt ſecutus, ſed ſtetit audiens quid loquatur Dominus, & quid Dominus requirat à ſe. Itaque peruerſi Scribæ ſedent, reliqui ſtant, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud. *Pſal. 1.* *Pſal. 25.* *Pſal. 84.* *Luc. 11.*

Et cogitantes in cordibus ſuis. Et quid? aduerſum me omnes cogitationes eorũ in malum, inhabitabunt, & abſcondẽt, ipſi calcaneum meum obſeruabunt: ait Chriſtus per prophetam, ac ſi curſum velociſſimi equi poſſent colubres attingere, aut eius vngulam mordere, & deijcere aſcenſorem. At nomen illi Verax, quem nequit mendacium obſcurare, & habet ſcriptum Rex regum, & Dominus dominantiũ, cui omnium tela nocere non poſſunt: ſed factæ ſunt ſagittæ paruulorum plagæ eorum. Scriptum eſt enim: In abundanti iuſtitia virtus maxima eſt, cogitationes autem impiorum eradicabuntur. Domus iuſti plurima fortitudo, & in fructibus impij conturbatio. *Pſal. 55.* *Apoc. 19.* *Pſal. 63.* *Prou. 15.*

CAPVT

CAPVT SEPTIMVM.

Quid hic ſic loquitur? blaſphemat. Quis poteſt dimittere peccata niſi ſolus Deus?

Expoſitio. IAm quid corda peſſima cogitauerint, audiamus. Ante omnia obmurmurant quid hic? inquiunt, homuncio vt cæteri, in tantum prorumpit auſum, vt nobis, qui legis ſenſum tenemus præſentibus, ſic loquatur, & obſcura proferat? Quid obſcurum dicimus? nonne clare blaſphemat? audiuimus enim ex ore ipſius blaſphemiam, neque decipimur in verbo. Nam peccata dimittere, & à ſorde hominem mundare quis poteſt, niſi qui totus eſt mundus? ab immundo enim quid mundabitur? *Eccl 34.* nemo autem hominum mundus coram Deo, neque infans vnius Diei. *Iob. 15.* Ergo ne hic ſolus mundus, vt à peccato mundet? *Iſai. 43.* Ego Deus, & præter me non eſt alius, qui deleo iniquitates propter me.

Quid hic ſic loquitur? Hiſce verbis taxant, primo Chriſtum, & obmurmurant, & inſimulant ſic loquentem, in eorum præſentia, qui ſapientes erant in oculis proprijs, & apud ſemetipſos prudentes; *Iſai. 5.* à murmuratione prolapſi ſunt, in blaſphemiam. Quod & nonnunquam accidit his, qui malè percipientes ob odium alterius verba, ſtatim ſuſurrant, obmurmurantque dicentes. Quid hic magna præſumit, cum nihil ſciat? quid tàm arroganter in conſpectu hominum ſapientum loquitur, cum ſit cunctis inferior, nec inter ſciolos numerandus? murmurationem hanc frequentare ſcholas inuidorum, nulli eſt dubium; quinimo certum eſt inde oriri denunciationes, & accuſationes de rebus fidei, quibus ſe mutuo æmuli in omni pene ſtatu lacerant. Proinde hortatur ſapiens: *Sap. 1.* Cuſtodite, ergo vos à murmuratione, quæ nihil prodeſt, & à detractione parcite linguæ, quoniam ſermo obſcurus in vacuum non ibit, os autem quod mentitur occidit animam.

Blaſphemat. Hoc inſerunt ſophiſtæ ex murmuratione peſſima, & mala ſermonis Chriſti intelligentia, ne dicam malitia. Hæc enim eſt, quæ dicit bonum malum, & malum bonum, & ponit dulce in amarum, & amarum in dulce: quid enim Chriſti verbis dulcius? *Pſal. 18.* Dulciora ſuper mel, & fauum. *Iſai. 5.* Inde tamen ſerpentes venenum colligunt inſanabile. *Blaſphemat*, inquiunt. Et quid eſt, blaſphemat? tollit Deo honorem, ſibi tribuit dininitatem, aut quippiam diuinitati repugnans Deo tribuit? ſed quid ego interrogo miſeros, qui nihil niſi nomina blaſphemiæ didicerunt reſpondere? Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, ſemini nequam, filijs ſceleratis, dereliquerunt Dominum, blaſphemarunt ſanctum Iſrael, abalienati ſunt retrorſum. *Iſai. 1.* Et abierunt in exterminium. Dicere enim Chriſto blaſphemat, eſt ſummum ſcelus, & peccatum quod peccauit Ieruſalem, propter quod Deus tam aſperè in ciues illius animaduertit.

Quis poteſt dimittere peccata niſi ſolus Deus? Verum dicunt (ait Beda) ſolus Deus hoc poſt, ſolus etiam per eos dimittit, quibus poteſtatem dimittendi peccata tribuit, ideo verè Deus. Verum teſtantur, ſed perſonam Chriſti negando falluntur. Errant igitur, quia vt Deum eſſe, & peccata dimittere credunt; Chriſtum tamen eſſe eum non credunt; ſed dementius Arriani, qui & Chriſtum eſſe, & peccata dimittere, negare non audent; Deum eſſe negare non timent. Sed cur ſolius Dei peccata dimittere? quoniam ſolus Deus eſt, qui offenditur Siquidem in ſeipſum peccans, & proximum, imaginem, quæ Dei eſt, offendit, & abutitur his, quæ à Deo conceduntur. Inde qui in ſui dedecus, & proximi nocumentum deliquerat; dixit Deo: Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci. *Pſal. 50.* Etenim Domino irrogat iniuriam, qui ſeruum percutit; & hoſtis acclamatur Amã, qui regis ſigillo abutitur. *Heſt. 7.* An non creata omnia, ſigilla, & veſtigia ſunt Dei? in quemcunque ergo peccet homo, contra Deum peccat. Qua propter, dixit, mihi vindictam, & ego retribuam. *Rom. 12.* Quodſi eius eſt, condignam peccatis pœnam retribuere, ſolius quoque erit, dum volet, remittere, & peccatum, & pœnam, vt nemo condemnetur.

CAPVT OCTAVVM.

Quo ſtatim cognito, Ieſus ſpiritu ſuo, quia ſic cogitarent intra ſe, dicit illis: Quid iſta cogitatis in cordibus veſtris?

Expoſitio. SOphiſtas non ſophiſmatibus, ſed vero, & integro argumento examinat, quo & reprehendit, & ſimul ſe Deum, quem denegabant, aperit, oſtendens ſe cogitationum agnitorem, & perſcrutatorem

cordium. In hunc penè modum ſyllogizans. Secretorum cordis ponderator, Deus eſt. Ego autem noui intimos animi veſtri cogitatus, ergo Deus? at Dei eſt, per vos, peccata dimittere. Quare non rapinam facio; dum dico; dimittuntur tibi peccata tua, quod ſi meo iure vtor, id faciens; profectò vos veſtro abutimini, dum
Eccl. 17. me blaſphemum inſimulatis. Propterea in caput veſtrum cadet lapis, quem in altum proiiceciſtis.

Quo ſtatim cognito Ieſus ſpiritu ſuo. Si hunc ſpiritum interpretemur donum Spiritus ſancti, quod ſuper omnes Chriſto donatum eſt, non dicetur cognoſcere intimum cordis, vt Deus, ſed vt homo, cui reuelatur abſconditum per ſcientiam,
Ezec. 8. quam Spiritus ſanctus infundit, & imaginem rei, quam repræſentat, vt Ezechieli qui abominationes ſuorum vidit abſens in repreſentante ſpecie. Si ſpiritus hic ſumatur pro conditione naturæ, vt ſit ſenſus, cognouit ſpiritu ſuo, hoc eſt ſpirituali, & ſingulari ſuæ diuinitatis conditione, cui nihil abſconditur, tunc cognoſcet, vt Deus, ex ſe, & ex natura ſua. Namque Deus, quia ſpiritualis ſubſtantia, & intellectualis, ac purus actus, totus eſt intelligens, ac totum ita ſcit, vt nihil eum ſubterfugiat. Itaque prior cognitio, ad ſcientiam infuſam animæ pertinebit, & acquiſitam, nec non beatificam, ſed creatam. In omni hac ſcientia Spiritus ſancti miniſterium admittitur, quinimo abſq. eo non eſt cognitio creata. Poſterior cognitio, ad diuinitatis cognitionem, quam de creatis, & alijs à ſe, Deus habet, refertur. Secundum quam Deo eſt proprium, cogitationes de longè, & antequã ſint intelligere. An vero exiſtentes ſit ſolius Dei cognoſcere, vt non poſſit intellectualis ſubſtantia, vtpotè Angelus, & anima ſeparata, actu cognoſcere; non eſt æque certum inter ſcholaſticos noſtros, quibus nodum propono, interim ego ad medullam properabo.

Quia ſic cogitarent intra ſe. Inde innatam hominum malitiam perpendamus, qui nullo interſe, prius habito conſilio, quamprimum audiunt Chriſtum, quiſque intra ſe ipſum, & ſimul omnes cogitant peruersè, & malè interpretantur,
Vnitas impiorum in malum. quæ non hic ſolum, ſed alijs plæriſque in locis Chriſtus loquitur. Nam vt ſpiritus bonus in omnibus bonis veritatem operatur, & intellectum bonum, ne in diuerſis temporibus, lociſque diſtantibus exiſtentes diuerſa loquantur, ac varia, ſed vera ſmper, nec vnquam à vero diſcedant
2. Pet. 1. prophetæ, ac ſancti Dei homines, qui inſpirati locuti ſunt ſancta; ità ſpiritus mendax, qui eſt in ore omnium prophetarum Baal, & malorum, facit inſpiratos cõuenire in falſo, & intra ſe cogitare idem mendacium, eandem hæreſim, idem dogma, vt qui legat Aerium, & Arrium credat comuni locutos cõſilio; qui Manichæos, & Origenis errores notat, eos putat ſimul extitiſſe. Et qui omnium penè hæreticorum, qui præceſſerunt dogmata legerit, & nouatorum dogmata perſpexerit, collegas teſtabitur, & iure. Habent enim magiſtrum vnum, & patrem mendacem, qui vel eadem mala ſemper docet, aut decolorat, vt alia atque alia videantur; ego autem eadem dico, vt quæ verum vnum expugnent. Siquidem hæretici, ac nequam homines, qui intra ſe cogitant mala, in hoc conueniunt, vt veritatem conculcent, obſcurent, & depellant. At ſtabit hæc in æternum; in illa vero die peribunt omnes cogitationes eorum. *Pſal. 145.*

Dicit illis. Etſi inimicus, vt eos argueret, qui ſermonem hoſtibus negant, & nihilominus Chriſtianos ſe iactant. Neque ego tales diffiteor, ſed ſemiplenos, vt dicitur *Chriſtiani di la cintura*. Plenus, & perfectus Chriſti ſectator eſt, qui non ſolum Chriſti nomen, ſed imitationem ſectatur, orat, benefacit, diligit, & alloquitur offenſorem, oblitus inimicitiæ, memor familiaritatis, quam pro tanto opere, apud Deum aſſequitur.

Quid iſta cogitatis in cordibus veſtris? q. d. (inquit Beda) qua potentia cordis occulta intueor, eadem peccata dimitto. Ex vobis ergo intelligite, quid conſequatur paralyticus. Eſt iſta interrogatio, repræhenſio quædam, ac ſi diceret. Quid vos mouet tam inepta cogitare?

CAPVT

CAPVT NONVM.

Quid eſt facilius dicere paralytico, dimittuntur tibi peccata tua. An dicere ſurge, tolle grabatum tuum, & ambula.

Expoſitio. INſuper vana, & inſipienter cogitaſſe oſtendit, interrogatis illis propè in hunc modum. Omitto iam cognitionem, quam de veſtra intentione expoſui, ſuperque ſatis argumentum veritatis ſcio expandere; volo vos iterum proprijs armis confodere. Heus qui ſapientes eſtis, dicite, quid facilius, difficiliuſue eſt, peccatum dimittere, aut certè paralyticum ſanare? Etenim aut vtrumque negare, aut concedere mihi oportet, namque diuinitatem arguit ſanare imperio, ſicut propria auctoritate peccata dimittere. Quare ſi vnum nequeo, neque alterum; etſi in vno me potentem oſtendero, conuincemini aliud credere, niſi infidelitatem profitemini, & malitiam.

Quid eſt facilius dicere paralytico. Non ſolum ſano, verum etiam ægro, ac paralytico dicit Deus; hoc eſt, facit, vulnerat, & medetur percutit, & manus eius *Iob. 5.* ſanabunt. Neque enim eſt malum in *Amoſ. 3.* ciuitate, quod non fecerit Dominus, neque bonum, quod non deſcendat à patre luminum, parique facilitate læua percutit *Lac. 1.* hominem, & dextera ſanat, complectitur, ac refouet. Quia ego Dominus, volo, & *Iſai. 45.* facio; dico & factum eſt; impero, & nemo reſiſtit. Denique nutu eodem plagat ægrotum, ſed vt melius ſe habeat; ſanitatem inducit, ſed vt ad gratiarum actionem compellat. Quodque mirabilius infirmo ſemper dicit, hoc eſt potentiam, & miſericordiam oſtendit, quando internis conſolationibus lætificat animum eius, & dum ſuſtinet, & conſeruat, vt valent ſupra vires infirmitatem ſuſtinere. Quare in his, quæ nobis videntur infirma, & refugimus, ſe magnum oſtendit, & opificem mirabilium; ſicut & in pulchris, quæ nos alliciunt.

Dimittuntur tibi peccata tua. Non dicit peccatum, ſed peccata, quod non vno, aut altero, ſed pluribus, qui peccat in adulta ætate inuoluatur, quaſi vepribus. Fitque ὀρνεών, ſiue auiarium, non quidem cæli volucrum, ſed dæmoniorum habitatio, qui vitijs præſunt. Inde ſapiens. *Prou. 5.* Iniquitates ſuæ capiunt impiũ, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur. *Peccatorum nexus.* Peccans enim; vt plurimũ intentione vnũ peccatum perpetratur, facto, aliud; nam primũ ratione perſonæ, & loci grauat; & ſpetiale nomen, vt ſcandali, & ſacrilegij ſortitur, & propter circumſtantias, quæ antecedunt actum, & ſubſequuntur, multiplicantur nomina peccatorum. Sit ad modum exempli. Religioſus, & ſacris initiatus, qui carnis delitias, & luxuriam amat. Actum ipſum dicemus luxuriam; ſi contrahatur, erit ſacrilegium; ſi adulteratur, vt recipiat aliquid, ad auaritiam reducemus, vel ad furtum, aut rapinam; ſi dat vt concupitu fruatur in multis iudicabitur, votifragus, & operum Dei, ac miniſterij neglector. Denique qui liberè, ab vno ſe ſupercilio dimittit, ab vno gradu ſcalæ prolabens, ad alium, atque alium deſcendit, quouſque in profundum iniquitatis venerit. Vt qui malum ſciens perpetrat (ait Gregor. moral. libro quinto) dein- *Greg.* ceps iuſtè in alia etiam neſciens cadat. Hoc quippe agitur, vt culpa culpis feriatur, quatenus ſupplicia fiant peccantium ipſa incrementa vitiorum. Primum peccatum eſt (inquit Hieronim. libro primo *Hieron.* in cap. 5. Amo.) cogitaſſe, quæ mala ſunt. Secundum cogitationibus acquieuiſſe peruerſis. Tertium quod eſt deterius, opere compleſſe. Quartum poſt peccatum, non facere pœnitentiam. Atque ideo multa flagella peccatoris: in chamo, & *Pſal. 32.* freno maxillas eorum conſtringe, qui non approximant ad te Deus, vt veniant, & dimittantur.

An dicere ſurge. Hoc quidem dicit iucundius multo. Ego enim ſcio cogitationes, quas cogito ſuper vos, ait Dominus, *Hier. 29.* cogitationes pacis, & non afflictionis, vt dem vobis finem, & patientiam. Siquidem ipſe fecit nos, & quaſi aquila ad vo- *Deut. 32.* landum prouocat nos, & pergere ad hæreditatem, quam patribus repromiſit, nos vult. Ideo ſurgere de puluere vanitatum, ac vitiorum ſtercore, ac tenebris peccatorum, nos hortatur, vt lumen cæli, in quo ſumma delectatio reperitur, videamus, & catenulis amoris inuicẽ cohærentes mereamur inter ſanctos lapides à pectore ſacer- *Exod. 24.* dotis noſtri pẽdere, & cognominari Iſrael. *4. Reg. 17.*

Tolle grabatum tuum, & ambula. Quid grabatum ſit habemus, cur autem tolli, & ambulare cum eo liceat, videamus. Namque difficile eſt, cum onere graui ambulare, niſi vel teſtudinis, limacis, cancri, & volucrum, ac peccatorum ſarcinam grabatum fingamus. Et quis ignorat paſſiones eò naturæ inſitas? ignorat quidem animalis homo, qui neſcit, quæ Dei ſunt, & margaritam, quaſi lutum *Paſſionum naturalium varijs affectus in iuſtis & peccatoribus.* æſtimat. Tales partus emittit, quales ante oculos ſibi virgas cernit repreſentari, nullo rerũ habito delectu. Vnde cõcepit dolores, quos nuda paſſio in iraſcibili, & concupiſcibili carnali repreſentat, peperit autem ini- *1. Cor. 1.* quitatẽ, quandoquidẽ in gaudio dementica- *Gen. 3.* tur, in amore adhæret inhoneſto, in triſtitia

concipit agoniam, & in ira repletur furore. Cum vero odit, non parcet ſibi, neque bono honeſto; cum declectatur, ſitit illicitum; ſi timere cæperit, fit omnino puſillanimis, & pigerrimus animalium. Denique paſſio, in animali homine (vt paucis concludam) eſt onus graue grauatum, quo ad peiora iugiter deprimitur, & inclinatur ad deteriora, vt non erubeſcat Caligula muliebria; [*Iud. 16.*] ſed neque Sanſon verecundetur, à pectore vnius Dalilæ pendere; [*3. Reg. 11.*] quin ſapientiſſimus ille fit ſtultiſſimus virorum. At ſpiritualem hominem paſſio nihil grauat, quominus ambulet. Dicam ne? [*Pſal. 118.*] paſſio eſt, quæ facit clamare in toto corde Dauid? [*1. Cor. 9.*] Paulum currere; [*Matth. 26.*] Magdalenam pedes Domini tenere, & quemque iuſtorum magnum fecit, & ſimilem in gloria ſanctorum. Nam hæ ſunt gentes, quas reliquit Deus, vt erudiret Iſrael, Gangis vndæ, quæ aurum gignunt, & lapidem prætioſum; & horridæ ſolitudines, quæ habitatoribus manna dulciſſimum ſubminiſtrant. [*Exod. 16.*] Siquidem ſpiritualis dum gaudio percutitur mundi, tranſuolat ad ea, quæ ſurſum ſunt; quando amor carnis ſcintillat, ſe ipſum charitate in Deum, & proximum inflammat. Si eum triſtitia conetur deijcere, ad orationem ſe eleuat, ad Dominum, qui fecit illum; iram conuertit in zelum; & omnem paſſionem ſic temperat in ſe ipſo, vt Apollodori picturam dicas; vtpotè ſacerdotem adorantem, & Aiacem minas fulminantem. Nam motus paſſionis viriliter reprimit, & ab his ſe continuo ad Deum leuat, victor & in pſalmis gratitudinis canens. Quare hunc nemo diffitebitur ambulare optimè, [*Abac. 3.*] neque illi grabatum eſſe onus Babilonis, [*Iſai 13.*] aut Tyri, [*Iſai 23.*] ſed onus ſuaue, & iugum leue, [*Matth. 11.*] quod nos magiſter iubet tollere, vt triumphemus, [*2. Tim. 2.*] quoniam nemo coronabitur, niſi qui legitimè certauerit. Ergo certa, qui in agone contendis, [*Pſal. 118.*] & eris victor melius, quàm fuiſti, & ambulabis in latitudine, quam neſciſti.

CAPVT DECIMVM.

Vt autem ſciatis, quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, ait paralytico.

[Expoſitio.] Denique concludit, & conuincit æmulos, vt velint, nolint, confiteantur Deum, quem vt Dei aduerſarium blaſphemauerant. Infertur autem concluſio, ex antecedentibus. Nam ſi agnitor Deus eſt, & opifex cuncta æque facilè operans, vt ſciant æmuli poſſe peccata dimittere, ſapienter iubet ægrum bene valere, ne vnquam valeant ignorantiam prætexere, cum ex ſibi notis, & probatis fidem illis fecerit.

Vt autem ſciatis. Ergo non ſciebant? nequaquam; poterant tamen ſcire, ex ſcripturis, & lege, quarum ſe profeſſores iactabant. Nam Meſſias qui venturus erat, per Iſaiam dixerat, [*Iſai 43.*] Ecce (inquit) ego facio noua, & nunc orientur, vtique cognoſcetis ea, [*Iſai 45.*] & infra. Ego ſum, ego ſum ipſe, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor. [Chriſtus ex ſcripturis potuit cognoſci, vt redemptor.] Et in cap. 45. de eo pater ſubiecit. Ego ſuſcitaui eum ad iuſtitiam, & omnes vias eius dirigam. Ipſe ædificabit ciuitatem meam, & captiuitatem meam dimittet, non in precio, neque in muneribus dicit Dominus exercituum; ſed (vt Petrus exponit) [*1 Pet. 1.*] precioſo ſanguine, quaſi agni immaculati. Vnde Ioannes dixit. [*Ioann. 1.*] Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Igitur ſicut Ioannes, nullis de Chriſto viſis miraculis externis, præter illud, quod intra matris vterum ſenſerat, Chriſtum ſciuit ex ſcripturis redemptorem à peccatis; ità ſcribæ ſcire poterant. At excæcauerat eos malitia, [*Sap. 2.*] & odium, [*Baruch 3.*] vt viam ſapientiæ neſcirent, neque intelligerent. Obliti enim ſunt (ait Deus) ne videant oculi eorum, [*Ioann. 12.*] & ne intelligant corde ſuo. Ad poſteros iſta ignorantia peruenit.

Quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata. Non in cælo, vbi neque coinquinatus, aut abominationem faciens intrat, [*Apoc. 21.*] ſed dealbatus in ſanguine agni, ſanctus, & impollutus, quoniam domum Dei, quæ eſt in longitudinem dierum, in ſaphiris, & ſmaragdis fundata, decet ſanctitudo perpetua; quare in cælo non dimittuntur peccata. Attamen de cælo habet auctoritatem dimittendi peccata, & dimittit de cælo per miniſtros, & ſacramenta, quæ eo fine inſtituit, velint nolint nouatores hæretici, qui ſolam fiduciam confingunt, qua poſſit peccatum remitti. Qua tantum abſit, vt peccatum tollatur, quod illud affirmem per eam introduci. Nam qui malignè ad Deum accedit, maiorem indignationem incurrit, & iram Dei aduerſum ſe prouocat. [Reijcitur lutheranorum pernicioſa fiducia circa veniam peccatorum] At veſtra ò lutherani fiducia, maligno animo ad Deum vos accedere facit. Siquidem grauioribus continuò peccatis locupletati confiditis poſſe ſaluari, abſque operibus, & ſine pœnitentiæ fructibus, atque gratia in regnum intromitti. Meminiſſe vos oporteret, acerbi iudicij, quo in eum, qui abſque veſte nuptiali ad conuiuium venerat, paterfamilias animaduertit.

Veſtis

Veſtis autem nuptialis eſt gratia, & iuſtitia animi, quæ nos regno dignos facit, non fiducia ſola. Iuuat, fateor, eum qui certo credit, qui ardenter amat, & firmiter ſperat. Eſt enim fiducia, ſpei actus materialis remiſſus, & nullius efficaciæ, ſi non adſint cæteræ virtutes theologicæ. Multoque minus his, qui Sacramentis detrahunt,dicuntque conſtanter, nihil miniſtris ineſſe, quo peccatum remittant, videntur enim ſibi omnem ſalutis viam præludere. Quare ſi quis dixerit (deponunt Tridentini Concilij Patres) Sacramenta nouæ legis non eſſe ad ſalutem neceſſaria, ſed ſuperflua: ſed ſine eis, aut eorum votis, per ſolam fidem, homines à Deo per gratiam iuſtificationis adipiſci,licet omnia ſingulis neceſſaria non ſint, Anathema ſit. Et in ſeſſ. 14. canon. 9. Si quis dixerit abſolutionem ſacramentalem ſacerdotis non eſſe actum iudicialem, ſed tantum miniſterium pronunciandi, & declarandi remiſſa eſſe peccata confitenti, modo tantum credat ſe abſolutum, etiam ſi ſacerdos non ſerio,ſed ioco abſoluat, aut dixerit non requiri confeſſionem pœnitentis, vt ſacerdos ipſum abſoluere poſſit, anathema ſit. Itaque per ſacerdotem, & per ſacramentum ſtatus Euangelici Chriſtus in terris dimittit peccata.

Trid ſeſſ. 7 canon. 4.

Sed quid ſibi vult, *quia filius hominis poteſtatem habet?* hoc dictũ eſt(ait Chriſoſt.) vt oſtenderet, quod humanæ naturæ poteſtatem diuinitatis vniuit, indiuiſibili vnione: quia, & ſi factus eſt homo, tamen Dei verbum permanſit, Etſi per diſpenſationem in terris, cum hominibus conuerſaretur, non tamen prohibebatur miracula perpetrare, ac remiſſionem tribuere peccatorum. Non enim humanitas diminuit aliquid de proprietatibus diuinitatis, nec diuinitas impediuit Dei verbum incommutabiliter, & veraciter in terris, ſecundum carnem fieri filium hominis. Vnde Gloſſa Bedæ. Solus Deus dimittit peccata, filius hominis habet poteſtatem dimittendi peccata; ergo idem Deus & filius hominis eſt: ita homo Chriſtus per diuinitatem dimittit peccata, per humanitatem pro peccatoribus poteſt mori. Ego (iuxtà Theologorum ſcholam) aliter dicerem, videlicet, Chriſtum, vt hominem habere poteſtatem excellentiæ dimittendi peccata, non ſolum medijs ſacramentis, quæ eò videntur inſtituta, ſed extra ſacramenta, quibus inſtitutor potentiam ſuam non alligauit, ſed liberè. Magdalenæ aliquando, & mox paralytico, ait, *dimittuntur tibi peccata tua.* Sed vrget argumentum. Ergo hinc Chriſtus, diuinitatem non probat, quandoquidem gratia capitis, ad quam ſpectat poteſtas excellentiæ, puræ creaturæ poteſt communicari, ſi alteri Theologorum parti credimus. Fateor in alio, non concludi inde diuinitatem, bene autem in Chriſto, qui erat inſtrumentum coniunctum diuinitati. Vnde ſicut à motu manus, & ſermone linguæ totius hominis potentiam, & ſcientiam inferimus; ità diuinitatẽ Chriſti probamus à voce; Lazare exi foras, à tactu leproſi, & ſimilibus. Itaque, vt homo, habet Chriſtus poteſtatem, à Deo excellentiæ ad miracula, & ea quæ ad redemptionem hominis faciunt. Vt Deus habet à ſe poteſtatem auctoritatis, qua vt primum efficiens, & vniuerſale cuncta operatur.

Chriſ hom. 31. in Matt.

Vnde Chriſtos potentia miraculorũ.

Vide Theol. in 3. d. 14. & in 3. par q. 13.

Luc. 5.

Ioann. 11. Matth. 8.

Ait paralytico. Propter hunc orta fuerat quæſtio, & in eum eandem terminat, dicens ei, hoc eſt, operans in eo; mirabile dictum, quod nullus aſtantium ſcribarum, ſibi perſuadebat, hoc poſſe fieri. An non etiam propter vnum hominem, & hunc paralyticum ſpiritu, bellum ortum eſt ſpirituale? Sed & in homine finem accepit, quando ad eum miſit Deus verbum ſuum, & ſanauit eum. Tunc verbum caro factum eſt, & libertati reſtitutus, qui in peccati paralyſi,dolore, & anguſtia præmebatur.

Pſal. 106. Ioann. 1.

CAPVT XI.

Tibi dico ſurge, tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam.

EN vocis Chriſti imperium efficax, & operatiuum, quod nemo infirmat, ſed obſeruat omnis creatura, & complet. quoniam dominus locutus eſt verbum hoc, & præcepit.

Expoſitio.

Tibi dico. Aderant fortè, & alij in tanta multitudine, qui ſalutis verbum expectabant, petebantque inſtanter curari, propterea vſus eſt pronomine demonſtratiuo. *Tibi dico* nam etſi medicina generalis eſſe poſſit ad varias infirmitates eiuſdem generis, ſeu diuerſi; ſanatio tamen eſt particularis,& certi morbi. Generalem ſiue (vt ſcholæ vtar terminis) ſufficientem medicinam ad omnem animi, ac corporis ægritudines, Chriſti actionem dico, attamen niſi tibi, qui luxuriaris; aut illi, qui ſuperbit, & mihi qui iraſcor; aut huic vel iſti, qui moleſtantur nunc ſpiritu, quandoque corpore cruciantur, applicetur actio Chriſti, quam in voce, in tactu, & in toto vitæ eius curſu contemplari licet, ſanitatem minimè conſequemur. Quapropter egens orat. Dic animæ meæ; ſalus tua ego ſum. Meæ, inquam, priuatim quia ſcriptum eſt; congregabimini vnus, &

Chriſtus ſufficiens omnibus medicina, modo applicetur.

Pſal. 34.

Iſai. 23.

vnus filij Iſrael, hoc eſt, ſigillatim, & ſeorſum vnuſquiſque, vt plenam ſalutem quiſque diuiſim, prout expedit, aſſequatur. Vnde & oues vocat nominatim.

Ioann.10.

Surge. Obſeruat medicinæ artem, qua contraria contrarijs curantur, vt calida frigidis, frigida calidis. Paralyticum efficijt caſus à temperantia, à roboris exercitio, à ſolicitudine vigiliæ, & moderamine actionũ vitæ humanæ. Iubet ergo ſurgere ad temperantiam, victus exercitium, vigiliam, & reliqua, qnæ optimus naturæ ſtatus tàm animæ, quàm corporis appetit. Vtitur, & verbo, *ſurgere*, quod eſt in altum ab infimo leuari, vt finem curationis ſubindicet eſſe à terrenis ad cæleſtia, quæ ſurſum ſunt, & ab infimis ad diuina, quæ altitudinem ſuperant, velle hominem ſublimare.

Tolle grabatum. Hoc dicit ſecundum Theophil. ad maiorem miraculi confirmationem, quod non apparenter ſanatus ſit, & ad declarandum, quod non ſolum ſanarit, ſed & virtutem indiderit. Nam quæ per miraculum membra ſanabantur à Chriſto, ſiue oculi, ſiue pedes, ſiue totum corpus, multo melius ſe habebãt, quàm prius.

Ioann.2.

Vnde vinũ, quod miraculoſe in cana Galilææ factum eſt, fecit Archiſynagogum præ bonitate admirari. Sic quoque (ſubdit idem Theophilactus) facit in morbis animæ. Non ſolum liberat nos ab infirmitatibus, ſed etiam virtutem infundit, vt operemur mandatum. Iubet ſecundo grabatum tollere, ne fiat beneficij immemor, ſed recordetur vnde ad ſanitatem reuocatus fuerit. Eſt autem animæ grabatum, in quo diu, vel aliquandiu iacuit, peccati cõplacentia, à qua, cum ſanatur, per miſericordiam Dei educitur.

Quantum iuuet peccati remiſſi memoria.

Ne tamen reſidiuet, tollere grabatum, expedit, memorem eſſe, vnde quondam exciderit, & quàm enormiter animam peccati complacentia deformauerit. Vnde etiam à culpa iuſtificatus Dauid iugiter dicebat.

Pſal 50. *Iob.16.*

Peccatum meum contra me eſt ſemper, & alius; rugæ meæ teſtimonium dicunt contra me, & ſuſcitatur falſiloquus aduerſus faciem meam, contradicens mihi. Etſi nihil ſibi ſit conſcius homo ſapiens, nunquam eſt ſine metu. Peccatum quod pœnitentia deleuit ſemper conſiderat, vt contrarium bonis ſuis, & peccatorum reliquias, vt ille rugas, quaſi mali acti teſtimonia meditatur; proponitque ſibi dæmonem in iudicio animæ reſiſtentem, vt hac ſalubri memoria audacior contra aduerſarium fiat, & in periculis ſecurior; nec vltra facilè in peccatum cadat.

Et vade in domum tuam. Paradiſum (inquit Gloſſa) quæ prima domus hominis fuit, quia hic non habemus ciuitatem permanentem, ſed futuram inquirimus à pueritia, quia nudi egredimur de vtero

Hebr.3. *Iob.1.*

matrum; à iuuentute, quia in laboribus; à virilitate, quia ego vir videns paupertatem & miſeriam; à ſenectute, quia deficit virtus mea; & à decrepita, quia nihil amplius eſt, quàm gemitus, & dolor, quouſque ad ciuitatem munitam veniamus, & poſſideamus animas noſtras abſque terrore, ſitque omnis ſub ficu ſua, & fructum gutturi dulcem deguſtet. Ergo ò homo præcurre in domum tuam, & dic; quis dabit mihi pennas ad volandum, volabo, & requieſcam.

Pſal 87. *Thren 3.* *Pſal.70.* *Pſal.89.* *Pſal 59.* *3.Reg 4.* *Cant.* *Pſal.54.*

CAPVT XII.

Et ſtatim ſurrexit ille, & ſublato grabato, abijt coram omnibus, ita vt mirarentur omnes, & glorificarent Deum, dicentes, quia nunquam ſic vidimus.

Expoſitio.

SIſtit morbus imperante Chriſto, & qui ſtare non poterat, ſurgit; grabatum, quem vix quatuor ferre poterant, ſolus eleuat, & cuncto populo ſpectante, abijt lætus, quo venerat, non ſine omnium admiratione; exclamabant enim tale quid nunquam viſum fuiſſe.

Iſa.55. *Gen.1*

Et ſtatim ſurrexit ille. Quoniam os Domini locutum eſt; quo ſicut omnia facta ſunt ſimul, & abſque mora, & eſſe, & moueri cæperunt cæli, terra germinauit, & produxit beſtias, nec non aqua piſces, motaque ſunt animantia verbo Domini; ita & qui multum æger iacuerat, ſurrexit ſtatim, opus mirabile, ſed facillimum illi, cui nomen, Omnipotens. Quinimo hic eſt operationis diuinæ modus, ſtatim, & promptè operari, quia nihil obniat, neque reſiſtit; quod non accidit creaturæ. Artifici enim reſiſtit materia, medico ęgritudo, & omni operanti ſiue bonũ, ſiue malũ ſemper obuiat aliquid. Ac propterea creaturæ concreatum eſt tempus, quod eſt menſura motus, & mutationis noſtræ. Deus qui æternus eſt, ſe ſolo metitur, & vt vult, ſolus ſtatim, & in inſtanti operatur.

Exod.15.

Et ſublato grabato, abijt coram omnibus. Nullam contraxit moram domi, vbi curationem accepit, & ad quam tanta cum deuotione, & fide ſubintrauerat; neque viſus eſt portitorum rationem aliquam habere, neque ſcribas qui ſedebant, vt primores populi, ſalutauit; quinimo, pro nihilo habito populo, ſolus ad imperiũ Chriſti abijt, ſic enim decet eum facere, qui ſalutem animæ eſt conſecutus, vnicum Dei præceptum attendere, illud facere, & dicere. Benedictus es Domine, doce me iuſtiacationes tuas. In labijs meis pronunciaui omnia iudicia oris tui. In via

Pſal.118.

Dei beneficiorum iugis habenda memoria.

teſtimo-

teſtimoniorum tuorum delectatus ſum, ſicut in omnibus diuitijs; In mandatis tuis exercebor, & conſiderabo vias tuas: in iuſtificationibus tnis meditabor, non obliuiſcar ſermones tuos. Nam ſi fracto ouo, pulli perdicis vocem ſeqnuntur; nec vult ab oue agnus recedere, & ad curſus velocitatem ſe excitat onager natus, ac ceruus, ne à parente degeneret; quid eum facere oportebit, qui verè beneficium agnoſcit, & finem curſus, nec non viæ lenitatem animaduertit? *2.Reg.2.* Aſael curſor velociſſimns, quem non Pharao, neque ægyptij vrgent velociter exire, ſed ſponſus, qui clamat iugiter. *Cant.2.* Surge propera. Hæc eſt via, ò fideles, ambulate per eam, *Iſai.30.* quodcunque poteſt manus tua, qni ſaluus factus es, inſtanter operare; *Eccl.9.* Præceptum Domini attendite, qui beneficium ſalubre accepiſtis; *Pſal.145.* Et nolite iam confidere in Principibus, neque in filijs hominum, in quibus non eſt ſalns, ſed malignitas, ſed æmulatio, ſed perditio. Dominus eſt, *Pſal.145.* qui ſoluit compeditos, illuminat cœcos, erigit eliſos, & diligit iuſtos. Eſtote ergo iuſti in via mandatorum, & nolite exemplo huius in quemquam reſpicere eorum, qui nihil vobis profuerunt, immò verò nocuerunt.

Ita vt mirarentur omnes. Et hoc tritum eſt apud nos, admirari omnes mundanos, quando cernunt relictis omnibus abire Antonium in ſolitudinem, & Franciſcum ad victum horridum venire; mirantur delicioſi aſperitatem alterius; & qui vrbanitatem in ſalutatione mutua, & confabulatione, nec non munerum viciſſitndine collocant, mirantur, quaſi agreſtem, eum, quem ab ijs alienum intuentur: ſed non Baſilius, qui vrbanum facit cæleſtibus occupatum; neque Chryſoſtomus, qui cunctis vrbaniorem dicit, qui ſacris lectionibus, & meditationibus occupatur. Sed & Theodoſius ſenior Eremitam propè Conſtantinopolim degentem, Imperatore, atque Imperio fœliciorem iudicauit. Et Ludouicus Galliæ Rex fratrem Ægidinm à longe Peruſium viſitatũ venit, & tacentẽ cunctis curialibus præfecit. Si quidem vera vrbanitas, & ſapientia eſt, cum Deo, ac ſuis, in cæleſtibus negociari.

Quã diſpar regulariũ, & ſæcularium conuerſatio.

Galat.1. Quare qui ſupra coetaneos olim proficiebat, poſtquam ad ſaniorem mentem venit, protulit: *Philip.3.* Noſtra conuerſatio in cælis eſt. Reliqua arbitratus ſnm. vt ſtercora. Verùm cum de huiuſmodi abſconditis venter mundanorum impleatur, *Pſal.16.* nihil præter iſta ſapiunt, neque deguſtant. Sed gloria eſt, *Phil.3.* inquit ille, in confuſione ipſorum. Quod ergò admirentur inſipientes, nihilo ducas, qui ſapientiam, quæ de cælo eſt, quæris; ſed in via, quam inchoaſti, perge. Quia cuſtodit Dominus omnes diligentes ſe, *Pſal.144.* & omnes peccatores diſperdet.

Et glorificarent Deum, dicentes: Nota lector duplex genus glorificantium Dominum. Quidam glorificant dicentes, & quidam tacentes. Hi ſunt, qni animo recogitant, quæ de Deo credunt, & opera, quæ diſcernunt, contemplantur; & vt apis argumentoſa mella è talibus floribus colligunt, cantuſque animæ ſnaues, affectns in auctorem ardentes, & laudes excitant; quia inquit vates: Mitabilia opera tua, & anima mea cognoſcet nimis; *Pſal.13.* & quia ex Almena, & Pana, quæ non poterant precio præ nobilitate picturæ æſtimari, Zeuſim cognoſcit; immò verò Denm omnium artificem; ſeipſam excitat; dicens: Lauda anima mea Dominum, *Pſal.145.* landabo Dominum in vita mea, pſallam Deo meo quamdiu fuero. Quid? etiam omnes eos, qui in cælis ſunt, nec non mutuam creaturam ad gloriam Dei excitat, nouis hymnis, & canticis ſpiritualibus. Similes Dei glorificatores dico ego Seraphinos, qui ante Deum cantant triſagium, & Cherubinos, qui propitiatorium tenent. Quoniam his Deus propitiatur, *Exod.25.* & ſuadet frequentare dulcia cantica, *Pſal.112.* & dicit: Laudate pneri Dominum, laudate nomen Domini. Glorificant, dicentes tantum, qui compoſitos pſalmos, velut poemata in ſcenis, decantant in Eccleſia, recitant in choro, & priuatim, vt reliqua legunt, quorum numerus abundat. Acceptusnè Deo? ſcit, qui ſcrutator eſt cordium.

Exoperibus ſuis laudandus Deus.

Quia nunquam ſic vidimus. Sed neque ante vos aliquis vidit. Quia opus illius coram illo, vt ſolus longitudinem, latitudinem, & profunditatem comprehendat. *Iſai 40.* Nam opus, inquit, meum cum Deo meo. *Iſai 49.* Hic eſt actor, inſtrumentum tanti operis eſt humanitas, quæ & cum cœci oculos liniuit; *Matt.9.* emortuum tetigit, & dixit: Adoleſcens tibi dico ſurge, ſemper Deum ſecum habuit operantem. Hoc eſt opus, quod cum narrabitur, non creditur. *Habac.1.* Nam populus incredulus àdhuc dicit, non ſuit opus Chriſti cum Deo factum; non fuit Deus in Chriſto faciens opera. Veritas tamen, quæ non mentitur ait: Pater in me manens, ipſe facit opera. *Ioan.15.* Quare ſi opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent, nunc autem, & viderunt, & oderunt, & me, & patrem meum. Itaque certum eſt neminem à Chriſto talia opera ratione agentis, ac modi, feciſſe, neque aliquem ab orbe condito hniuſmodi opera perfeciſſe. Ergo nolite dicere: *quia nunquam ſic vidimus*; ſed quia nunquam ſic viſum eſt, minorate Moyſen, & omnes prophetas ante Chriſtnm, & dicite: hic eſt Deus noſter; illos, ac vos, lutum, & paleam æſtimate, & vninerſorum opera riſu digna, cum videtis, quæ Chriſtus operatus eſt nobis.

CAPVT

C A P V T   X I I I.

Et egreſſus eſt rurſus ad mare , omniſque turba veniebat ad eum , & docebat eos .

Expoſitio. AEdificatam habens Capharnaum, non tam verbis , quam ſignis, vt nihil videretur cinibus,ac genti , quæ conuenerat, deeſſe ; qnaſi volens ſibi conſulere , relinquere eam diſponit, & egredi ad maris littota, vt nauigio ad remotiora loca eueheretur, aliquantulum quieti vacaturus . Sed præuenit turba magiſtrnm tanto cum impetu,& feruore,vt eum ad noua colloquia, nouoſque ſermones compelleret . Et quidem gauiſus tali occurſu,greſſum figit, cœpitque,vt optabant, cunctos docere , & pabulo laudatiſſimo eſurientes,ac famelicos paſcere .

Et egreſſus eſt rurſus ad mare . Hoc eſt mare Tiberiadis , & Galilææ ſtagnum Genezereth. Eo poſt curatum paralyticum proficiſcitur; quod paralyſi totius humani generis in monte Caluario ſuo pretioſo ſanguine lanata, miſit in mari legatos ad inſulas , quæ expectabant eum , vt videret omnis caro pariter ſalutare Dei ; abijceret [*Luc.3. Iſai.2.*] vir idola argenti ſui , & idola auri ſui, habitaretque in ſolitudine iudicium, & iuſtitia in Charmel ſederet, eſſet opus iuſtitiæ [*Iſai.32.*] pax , & cultus inſtitiæ ſilentium in omni gente,& ſecuritas vſque in ſempiternum. Quoniam creaui fructum labiorum pacem [*Iſai.57.*] ei,qui longè,& qui propè(dixit Dominus)& ſanaui eum. Non enim eſt diſtinctio Iudæi , [*Rom.10.*] & Græci , ſed omnem ſanat hominem, atque pacificat gentilem , & hebræum , qni andit loquentem, & recipit miſſum , quia qui vos recipit , & qui me recipit , recipit eum,qui me miſit . Itaque egreditur Chri- [*Matt.10.*] ſtus ad mare gentium in Apoſtolis, qui pacem annuntiant gentilibus,inſulanis, & Indis,qui tota die conſtituebant prælia , nec [*Pſal.139.*] alijs vacabant, quàm inſulſis ſuperſtitionibus, eaſque ſupra maris vudas multiplicabaut . Ad hæc Gloſſ.Bedæ. Ad mare egreditur , quia non ſolum ciues , ſed & maris [*Beda.*] habitatores inſtruit , & fluctiuagos mundi motus fidei firmitate contemnere docet .

Omniſque turba veniebat ad eum . Vt diſcas (ait Theophylactus) quod quanto magis gloriam fugeris, tanto illa magis te [Fugiẽdo honores obtinentur.] ſequetur;ac ſi tu illam ſequaris,illa à te fugiet . Quoniam dignos ſe,ipſa circuit quæ- [*Sap 6.*] rens,& in vijs oſtendit ſe illis hilariter , & in omni prouidentia occurret illis . Non enim omne animal natura çoronat,ſed leonem inter tetreſtria , & inter volatilia aquilam . Quoniam neutrum horum magnifacit inferiora , quin deſpicit vilia , ſolum quæ ſupra ſe ſunt , attendit . Et qnid ſupra hominem ? Deus excelſus . Qui ergo deſpectis honoribus momentaneis , & infimis adhæret poſt Deum , & in eum cor , & caro eius exultant , gloria coronatur , & [*Pſal 83.*] multiplici honore decoratnr , & accipit diadema veri honoris; quare honores fuge, & veros inuenies,& recipies .

Et docebat eos. Quid eſſet inter Sanctum, [*Ezech 44.*] & pollutum ; vias etiam ſuas docebat , vt impij conuerterentur à vijs ſuis malis; boni autem ambularent in ſemitis eius , & omnes docti à Domino iuſtificationes eius facerent .

C A P V T   X I V.

Et cum præteriret vidit Leui Alphæi ſedentem ad telonium,& ait illi ſequere me , & ſurgens ſecutus eſt eum .

INterſeritur Matthæi conuerſio , vt eius [Expoſitio.] occaſione, calumniam aliam, quam in Chriſtum æmuli pararunt,enarret,& ſoluat Euangeliſta . Itaque prætetiens Chriſtus circa mare , quo prædicaturus ſeceſſerat , vidit telonarium Matthæum, cognomento Leui; vocauit , & traxit ; ſtatim enim vt audiuit Dominum vocantem , relictis omnibus ſecutus eſt eum .

Et cum præterieret vidit Leui Alphæi . Hoc eſt Matthæum, ſicut idem in ſua hiſtoria ſe nominat . Lucas verò, & Marcus ob [*Matt.9. Luc.5.*] reuerentiam Apoſtoli; nomine minus communi,ſcilicet Leui denominant . Erat quidem binomins, niſi cum Lyra dicamus Leui antequam eligeretur , poſt Matthæum à Chriſto vocatum fuiſſe, quemadmodum Simon dictus eſt Petrus , & Saulus ab eodem vocitatus Paulus , vt enim mores , & [Quare Pontifices,& religioſi mutuant nomina ?] ſtatus;ſic nomina mutari voluit.Non quod in ſe iuuet, aut noceat, ſed quod in memoriam reducat ligamen,quo ſe vincit Pontifex,qui primo Felix,poſt Sixtus,vel Pius V. qui antea Michael nominabatur . Idem & in religioſis dicendum , ſignificare . Nominum mutationem , videlicet,nihil poſthàc commercij habere , cum prioribus , quæ amabant ſecundum ſenſum , vel ſequebantur, ſed omnia ſibi noua fore. Aduerte quæſo modum electionis . *Cum præterieret , vidit* ; quaſi per accidens, & præter intentum exequitur propoſitum diuinæ voluntatis , quod ante mundi conſtitutionem Deus ſtatuerat, videlicet,Matthæum fieri Apoſtolum . Et Chriſtus pariter propoſuerat,& egrediens intendebat. Verum vt omnis homo ſciat reliqua à ſe non velle Deum neceſſario , ſed ex hypoteſi;vt tantum ſunt ordinata à Deo,& ad eundem ordinantur,&

quaſi

quaſi per accidens, & ſecundario. *Cum præteriret, videt*, hoc eſt cum aliò tenderet, quaſi caſu occurrit Leui Alphæi filins. Inde Thom. 1. par. q. 19. art. 3. Bonitatem ſuam eſſe, Deus ex neceſſitate vult, ſicut & voluntas noſtra ex neceſſitate vult beatitudinem, ſicut & quælibet alia potentia neceſſariam habitudinem habet ad peoptium, & principale obiectum, vt viſus ad colorem, quia de ſui ratione eſt, vt in illud tendat: alia autem à ſe Deus vult, in quantum ordinãtur ad ſuam bonitatem, vt in finem. Ea autem, quæ ſunt ad finem, non ex neceſſitate volumus, volentes finem, niſi ſint talia, ſine quibus finis eſſe non poteſt; ſicut volumus cibum, volentes conſeruationem vitæ, & nauim volentes transfretare. Non ſic autem ex neceſſitate volumus ea, ſine quibus finis eſſe poteſt; ſicut equum ad iter faciendum; quia ſine hoc poſſumus ire, & eadem ratio eſt in alijs. Vnde cum bonitas Dei ſit perfecta, & poſſit haberi ſine alijs, nihilque ei perfectionis ex alijs accreſcat, ſequitur, quod alia à ſe eum velle non ſit neceſſarium abſolntè, eſt tamen neceſſarium ex ſnppoſitione; ſuppoſito enim qnod velit, non poteſt non velle, quia non poteſt voluntas eius mutari. Hæc ille.

Sedentem ad telonium. τελώνιον menſa eſt, aut locns publicanorum, vbi colligunt vectigalia. Videt ergo ſedentem in telonio, quaſi peccatorem, qui in peccatis auaritiæ occalluerat, vt quantò eum nouerimus deterioratnm, tantò Redemptorem magnificemus. Aduerte non videri auaritiam, ſed *ſedentem*. Cum enim malum Deus

Pſal. 5. videt, perfecto odio odit; at cum ſedentem in malo videt, feſtinat liberare; attendit enim opus ſuum, quod fabricauerunt manus eius. Peccatum verò ex diabolo eſt, qui & odibilis eſt, ſicut omnes eius ſequaces. Ergo auerte faciem tuam à peccatis

Pſal. 50. meis, precatur ille, ne odibilis fiat. Vt au-

Pſal. 26. tem propitium ſentiat, exorat; ne auertas faciem tuã à me, ne declines in ira à ſeruo tuo. Tunc enim iraſcitur Deus in hominem, quando non imaginem, ſed deformitatem intuetur, vt in ſeditionibus accidit, quando frater inuadit fratrem obſcura nocte, putans eſſe extraneum; alioquin non interficeret. Ergo Dum Liæ deformita-

Gen. 29. tem Deus non conſiderat, ad peccatorem ingreditur, vocat, eligit, & ei ſe demum tribuit.

Et ait illi, charitate accenſus, quia in

Hiere. 31. charitate perpetua dilexi te, attraxi te miſerans tui. Nam calor eſt, qui in ſolari ra-

Exod. 3. dio vaporem trahit. Et vnde Moyſes audiuit ſe vocari, & à paſcuis ad ducatum populi pertrahi? de igne rubi. Et is quoque

Ioan. 4. inflammatus, nunc ait Matthæo; aliquando reuelauit Samaritanæ; nonnunquam Phari-

Luc. 7. ſæum reprehendit, & omnem hominem amore, qno eum proſequitur, caſtigat, flagellat, & loquitur. Quid? vt ſequatur ſe.

Sequere me. Hoc eſt imitare (inquit Gloſſ. ex Beda) non crede ſolum, vt inter- *Beda.*
pretantur Centuriatores, qni ſequelam Chriſti, & Chriſtianitatis legem, & ſalutem, ad vnicam fiduciam reducere non erube- *Fides abſque operibus mortua.*
ſcnnt, contra ea, quæ Scriptura tradit, obſeruauit traditio, & Patres deponunt. Videtis, inquit Iacobns, quia ex operibus iuſti- *Iacob. 2.*
ficatur homo, & non ex fide tantum: & Paulus Sanctorum traditione, & obſeruan- *Heb. 11.*
tia, quam in operibus, & fide ab orbe condito tennere, luculenter perſuadet ſanctitatem, atque iuſtitiam. Vnde tantorum permotus exemplo exclamat, ſequor, ſi quo *Phil. 3.*
modo comprehendam: & quid ſequeris Panle? ſpiritu carnis facta mortificans, & *Rom. 8.*
bonum operans ad omnes propter eum, qui dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro no- *Galat. 6.*
bis. Siquidem deſcendit ipſe (ſcribit Orig.) ad mortalitatem noſtram, vt nos ipſius *Origen. in Ioan. ho. 3.*
Ieſu, peccato mortui, mortificationem circumferentes, ordine capere poſſimus eam, quæ poſt mortificationem ipſius extitit, vitam in ſæcula ſæculornm. Quemadmodũ accolæ (ſubſcribit Baſil. in Pſal. 14.) alie- *Baſil.*
na terra conducta ad voluntatem locatoris agrum colnnt. Sic etiam iuxtà cautionem carnis cura tradita eſt, vt ipſam conuenienter excultam, fructnoſam locatori reddamns. Si autem fuerit caro Deo digna, reuera tabernaculum Dei fit, iuxtà inhabitationem ipſius, quam in Sanctis facit. Curratur igitur per viam mandatorum Dei (ait Clem. ep. 1. ad Iacobum fratrem *Clem. Rom.*
Domini) & à beatorum præceptorum Domini inſtitutis, & à Spiritus ſancti doctrina non recedatur. Recedunt verò hæretici, qui Chriſtum diſſuadent imitari, ſed ſolum confidere in eum abſque operibus iugiter hortantur. Nos qui vitam amamus, Chriſtum ſequamur, & ad fidem, & ad operta, & ad ea, quæ ſingulis obſeruanda præcepit, exemplo Matthæi.

Et ſurgens ſequutus eſt eum. Lucas plenins. *Et relictis omnibus ſequutus eſt eum*, vt pauperem Chriſtum, ait Beda, non *Beda.*
tàm greſſu qnàm affectu imitari poſſet, reliquit propria, qui rapere ſolebat aliena. Non ſolum autem lucra reliquit vectigalinm, ſed & periculum contempſit, quod euenire poterat à Principibus ſæculi, quia vectigalium rationes imperfectas, atque incompoſitas reliquit. Ipſe enim Dominus, qui hunc exterius humana allocutione, vt ſequeretur, vocauit; intus diuina inſpiratione, vt mox vocantem ſequeretur, accendit. Attamen perfectum modum ſeqnendi *Perfectus modus ſequendi Chriſtum.*
Chriſtum conſiderato lector, in duabus dictionibus, *ſurgens*, *ſequutus eſt eum* ſurgere, eſt corpus à priori loco ſubtrahere,

quo

qno animum ab omnibus alienum fore ei,
qui ſequı vult Chriſtum, prænotatur. Sequi
eſt noua ſibi vendicare loca, quo bonum
continuò expetendum, & proſequendum
eſſe ei, qui ſtatum perfectionis aggreditur,
manifeſtè docemur; vt neque iacere illi ın
vitijs adoleſcentiæ vltra liceat, ne forſan
ſurgat ludere, hoc eſt, idolatrare, & deierare
ſtatum, quem tàm ardenter viſus eſt in-
choare. Neque ſtet fixus in aliquo com-
muni exercitio externo, potius quàm in-
Pſal. 75. terno, ne fortè dum putat pugno compre-
hendere mare, dormiat ſomnum ſuum, &
nihil inueniat in manibus ſnis, quoniam
exiſtimans ſe omnia impleſſe, nihil fecit,
iactabundè, negligenter, pigritanter, abſque
intentione, & impuro animo, quæ Dei ſunt,
Iſai. 43. operans; ad quem Deus: Victimis tuis non
glorificaſti me. Offert enim oſſa arida
Ezech. 37. abſque medulla. At putas ne viuent oſſa
iſta? Minimè, niſi ſpiritu inſufflentur. Ergo
qui ſtat, & ſolis externis delectatur, exoret:
Pſal. 58. Spiritu principali confirma me. Siquidem
confirmatus ſequetur non ſe, non mundum,
ſed eum, qui bonnm eſt ſummum.

CAPVT XV.

Et factum eſt cum accumberet in domo illius, multi publicani, & peccatores ſimul diſcumbebant cum Ieſu, & diſcipulis eius, erant enim multi, qui & ſequebantur eum.

Expoſitio. NOn ſolum obedientiſſimum ſe oſten-
dit Matthæus vocanti; ſed & cunctis
vrbaniſſimum, cinilem hominem, atque
magnificnm. Siquidem vale facturus ſocijs,
amicis, cognatis, & præſentibus, conuiuium
opulentum parauit cunctis. Cnius primas
dedit Chriſto in gratiam accepti beneficij,
& vocationis, quam infinitum theſaurum
repntabat; poſt Chriſtum, diſcipulos, &
collegas ibidem habuit commenſales; per
circuitum menſarum ſedebant publicani
multi, qui congratulabantur homini; etiam
diſcnmbebant permixtim Scribæ, & Phari-
ſæi, quos ego potius dicerem peccatores,
quàm quos illi tam horrendo nomine infa-
mabant. Denique quotqnot nouitate fa-
cti, ſen potius magnificentia Leui trahi po-
tuerunt, vt ſeqnerentur, & intrarent ad con-
uiuinm, coacti ſunt ſimul ſedere, & epu-
lari.

*Et factum eſt cum accumberet in domo
illius*, ſcilicet, Ieſus, cui nihil nouum, neque
inſolitum, ſeipſum inuitare; non ſolum apud
Leni, & Zachæum, ad qnem dixit Zachæ
feſtinans deſcende, qnia in domo tua
Luc. 19. oportet me manere, quàm apud quemqne
Apoc. 3. noſtrum. Quoniam ſto, inquit, ad oſtium, &
pulſo, ſi quis aperuerit mihi intrabo ad eũ,
& cœnabo cum eo, & ıpſe mecum. Nec qui-
dem lautiori edulio, neque locupletiori
conuiuatur, ın quo aquila prædam deglutit
viuam, & pullı ſanguine feruente paſcun-
tur. Hinc illa: Dum eſſet Rex in accubitu *Cant. 1.*
ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum. Accu-
bitum Regis, ſeu ſolium, atque menſa, &
thronus, in quo Rex noſter libenter accum-
bit, iuſtus eſt, de quo protulit: Ad eum ve- *Ioan. 14.*
niemus, & manſionem apud eum faciemus.
In hoc igitur accubitu poſitus Chriſtus
nardus odorem mittit ſuum. Eſt nardus
modica herba, ſed grauiſſimi, & excellen-
mi odoris, propterea animæ ſymbolum,
cum eam maximè contingit ſedem ſapien-
tiæ fieri. Tum enim dat ſuum odorem am-
pliſſimnm, intellectiones emittit, ſupra na-
turæ vires, & amoris flagrantia ſic feruet,
vt Deo, Angelis, ac iuſtis omnibus fiat
amabilis, & formidabilis cunctis, qui quod
rectum eſt, neſciunt. Acta ſunt iſta in ani-
mo Matthæi, quamprimum in domo ſpiri-
tuali eius diſcubuit Ieſus. Atqui ideò dici-
tur: *Et factum eſt*, quaſi, ſcilicet aliquid
magnum, & admirabile, quale eiuſmodi lo-
cutione (vt dictum eſt alibi) denotatur.

*Multi publicani, & peccatores ſimul di-
ſcumbebant cum Ieſu.* Vt ſolent feræ cum
leone, poſtquam prædam fecerit, nec non
aquilam circumdant volitando anes, dum
raptam ſugit, ac diuidit. Fortaſſis & hi ali-
quid ex bonis Matthæi ſperabant: aut cer-
tè ſalutem poſſe conſequi exemplo colle-
gæ. Etenim nouerant minimè perſonarum *Act. 10.*
acceptatorem Denm eſſe ſed ſalutem om- Deus vult
ninm velle, vocare publicanum, ac ſacerdo- omnes ſal-
tem, & peccatorem, æque recipere, atque uos fieri.
Iudæum. Quia nunquid voluntatis meæ eſt *Ezech. 18.*
mors impıj, dicit Dominus Deus, & non
vt conuertatur à vijs ſuis, & viuat? Vt enim
ancupes optarent viuas ſibi anes offerri,
ſeque ſequi ceruos, capras, vrſos, leones,
tygres, & ſimiles feras vellent, qui venatio-
nibus indulgent; ita Deus abſque cæde, & Vnitas Ec-
ſanguine ad ſe venire peccatores optat, & cleſiæ.
ſimul congregari, vt iugiter impleatur: Ha-
bitabit lnpus cum agno, & pardus cum hæ- *Iſai. 11.*
do, accubabit vitulus, & leo, & ouis ſimul
morabuntur, & puer paruulus minabit eos.
Vitulus, & vrſus paſcentur; ſimul requie-
ſcent catuli eorum, & leo quaſi bos come-
det paleas. Nam qui alienum inhiabant
ſanguinem, poſt Chriſtum videmus pœnite-
re, & abſtinere, & paſſim conuerti ad Deũ,
ſimulque cum iuſtis cenuerſari in Eccleſia
Dei, qui in vanitatibus aberrabant neſcien-
tes iuſtum; vt antem ſciunt, ſimul diſcum-
bunt. Ante verò nunquam inter ſe conue-
niebant, quia non eſt pax impijs, dicit Do- *Iſai. 48.*
minus, niſi eis concedatur cum Ieſu diſcum-
bere: Is enim eſt lapis angularis, conne-
ctens parietes, & lapides, alioqui diſcretos *Act. 4.*

in vnum angulum domus laqueariæ coaptans, vt nequeant iam duo populi, tres
Apoc.7. gentes, quinque ciuitates, neque duodecim millia ſignatorum appellari, ſed vnicus hor-
Cant.4. tus concluſus, & fons vnus ſignatus, vna ſolis ciuitas, vna gens, vnus populus, quia Dominus vnus, Rex vnus omnibus imperans, vnicus cultus, & finis vnicus, quem ambiant, & quo in vnum continuo conſeruantur, habitant, currunt, & cuncta hæc vnanimiter perficiunt, qui olim, ac prius, & nunc, in hæreticis, & paganis cernimus, diuerſis erroribus ſcatebant. Ergo qui diſcordant, iam cum Ieſu diſcumbant, & ſimul commorari, conuiuere, & eſſe, nequaquam grauabuntur.

Et diſcipulis eius. His prædeſtinatos, reprobos illis comparamus, vt ſtatum Eccleſiæ militantis hoc in conuiuio valeamus cõtemplari. Eſt enim Eccleſia fidelium bonorum, ac malorum congregatio. Congregantur, & in hac Leui domo publicani, & peccatores, cum quibus diſcipuli conueniunt præſente Ieſu. Is enim eſt caput totius agminis, & gregis eccleſiaſtici, curam gerens potiſsimum diſcipulorum, quibus gratiam continuò largitur, ac oleum ſpiritualis vnctionis, ac ſuæ menſæ participes
Pſal.22. facit, vt quiſque decantet: Dominus regit me, & nihil mihi deerit. Concludens: Poſuiſti in conſpectu meo menſam aduerſus omnes, qui tribulant nos. Numerantur nihilominus hoc in loco poſtremi, quod loco etiã & æſtimatione dum in carne ſunt, minores habeantur. Primas enim ſibi vſurpant etiam in Eccleſia Dei publicani, & peccatores. Qui enim magis negocijs inſeruiunt, atque peccatis, ſunt qui dicunt, hæreditate poſſi-
Pſal.82. deamus ſanctuarium Dei. Sed Deus meus, pone illos, vt rotam, & ſicut ſtipulam ante faciem venti, quia deſolauerunt Iacob.

Erant enim multi, qui & ſequebantur eum. Quoniam vexillum leuauerat Dominus, vt ſequerentur omnes Ducem, iuxtà
Iſai.11. illud. Et leuabit ſignum in nationes, & congregabit profugos Iſrael, & diſperſos Iuda colliget à quatuor plagis terræ. Erat is ipſe ſignum, cuius manifeſtatione, & præ-
Quanta ad Chriſtũ cõuerſio populorum. dicatione quaſi ad ſignum militare omnes gentes conuocarentur, dum omnium ferè admiratione, quod quaſi in momento cunctorum ad Chriſtum concurſus fieret. Vndè dicebat Iſaias: Quis audiuit vnquam
Iſai.66. tale? & quis vidit huic ſimile? nunquid parturiet terra in die vna? aut parietur genus ſimul, quia parturiuit Sion filios ſuos? filij autem Sion ſunt ad Chriſtum conuerſi,
Iſai.60. de quibus dicitur: Filij tui de longe venĩet, & filiæ tuæ de latere ſurgent. Omnes iſti
Iſai.49. congregati ſunt venerunt tibi. Viuo ego dicit Dominus, velut ornamento veſtieris, & circumdabis tibi eos, quaſi ſponſa. Hos itaque peperit terra in die vna, nec non Sion. Quoniam, vt voce Dei terra herbam, *Gen.1.*
& facientem ſemen in genere ſuo ſtatim produxit; ſic prædicante Chriſto mundus ad ſequendum eum multos miſit. Tãm promptus, vnanimis, & frequens populorum ad Chriſtum concurſus, ſoli potentiæ Dei, & miſericordiæ tribuitur, non humanæ diligentiæ. Inde Sion dixit: Quis ge- *Iſai.49.*
nuit mihi iſtos? Ego ſterilis, & non pariens, transmigrata, & captiua; & iſtos quis enutriuit? Ego deſtituta, & ſola, & iſti vbi erant? Hæc dicit Dominus Deus: Ecce leuabo ad gentes manum meam, & ad populos exaltabo ſignum meum. Ac ſi diceret, ego manu mea, atque imperio, nec non prædicationis ſigno omnes ad me vocaui, vt ſequerentur me. Verum cum ad omnes nationes ſignum leuetur, omneſque voluerit Chriſtus conuerti ad ſe, cur tantum multi; & non omnes ſequuntur? Quoniam non omnes obediunt Euangelio, ſed quos elegit con- *Rom 10.*
formes fieri imaginis filij ſui, vt ſit ipſe in *Rom 8.*
omnibus primatum tenens; reliqui verò participes, & ſequaces eius, quod bonum eſt.

CAPVT XVI.

Et Scribæ, & Phariſæi videntes, quia manducaret cum publicanis, & peccatoribus, dicebant diſcipulis eius; quare cum publicanis, & peccatoribus manducat, & bibit magiſter veſter?

ACcenduntur in conſilijs ſuis æmuli, *Expoſitio.*
atque inuidi, in quibus cogitant mirabilia, quæ & audiunt, & cernunt de Chriſto. Cumque tantam gloriam, & concurſum populorum ferre nequeant, iam vltrà animi amaritudinem non valentes reprimere, ſpumant ſcaturigines, vt lædant, ac denigrent famam tanti Principis, & apud ſuos infament. Accerſitis enim ſeorſum diſcipulis, legis zelum, & prophetarum, vt credi poteſt, ſanctitatem, ac mores proponunt, quantumque à Chriſti inſtituto diſtarent, & conuerſatione. Siquidem, inquiunt, illi integri legis obſeruatores in peccatores inuehebant; malis nunquam blandiebantur, & pro reuerentia legis, quam in cartis, & phylacterijs deferebant, accedere ad aliquem, qui peccato eſſet obnoxius, minimè præſumebant. Quod ſi aliquando eos neceſsitas adeundi peccatores cogeret, neque cibum guſtabant inter eos, neque aliquid eorum velut immundum, tangebant, etiam præcipiente Domino. At veſter magiſter, neque legem, neque exempla maiorum, neque Deum conſiderat, quimmo retromittens honorem, peccatores adit, cum publicanis conuerſatur, & cum eis manducat, & bibit,

bibit, quaſi malè parta probans, & homines, qui à ſanctitate longè ſunt, magnificans. Quid ergò hæc fecit magiſter veſter? fortène, vt exoſum publicanorum ſtudium reddat amabile, & dum alia ex parte ſanctitatem ſuadet, nouam ſectam relinquat ſectatoribus? Nobis perſuaſum eſt introduci latentem errorem. Proinde vos, qui eius diſcipuli eſtis, aduertite, & cauete ne nouus hic homo ſimplicitatem veſtram deludat. Inexperti enim eſtis, nec ſcitis impoſtorum fallacias; quales nos, qui in lege conuerſamur, reuoluimus monumenta maiorum, & Scripturas, in iſto veſtro magiſtro coniectamus. Alioquin quare faceret, quæ cuncti abominantur? quomodo conuerſaretur cum his, quos odio perfecto iuſtus deteſtatur? Aut poſſet ne ſi ſanctus is eſſet, pollutas ſanguine pauperum epulas tractare, ne dicam mandere? Scriptum eſt enim: Cum ſancto ſanctus eris, & cum peruerſo peruerteris. Hæc infames homines; de quibus maiora ſuſpicari, malitia eorum permittit.

Pſal. 17.

Et Scribæ, & Phariſæi videntes. Sed enim prauè iudicantes, quia oculus malus ad mala; neque baſiliſcus parcit homini quantumuis dominatori, quin viſu inficiat, & ſi poteſt, perdat. Nihil probat peſsimus; quinimo deterioratur oculus, mens, ratio & iudicium, quanto plura videt in eo, quem inuidus ſibi hoſtem proponit. Languerunt enim oculi eius præ inopia. Ideò eos ſtatuit declinare in terram; vmbram potius, quàm veritatem rei, quam intuetur dijudicans; nihil tamen eſt illo nequius, & hæc eſt redditio nequitiæ illius, velut morbum fieri incurabilem. Beatus ergo vir, qui in ſapientia morabitur, & qui in iuſtitia ſua meditabitur, & in ſenſu cogitabit circumſpectionem Dei; vt aurifex, qui ſiue in fornace, ſiue inter aurifodinas, quod lucet, intuetur, & quærit. An non auro locupletius eſt (omitto, quod ex Chriſti geſtis) quod ex actionibus proximi colligit ſapiens, iuſtus, & qui ſenſu ſpirituali ſingula diſcernit? ſiue bonum, ſiue malum videat, nunquam à Dei conſideratione recedit. Nam hòc permiſſioni, illud verò actioni Dei attribuit. Pulchriores ſunt enim oculi eius vino, & dentes eius lacte candidiores, quia non murmurat dente, neque ſuſurrat lingua, videns, quæ proximus agit; cum claro, & ſuaui iudicio illa diſcernat.

Eccl. 14. *Pſal. 87.* *Pſal. 16.* *Eccl. 14.* *Gen. 49.*

Quia manducat cum publicanis, & peccatoribus. Hoc non erat opus ex genere ſuo malum, quo præſumerent de innocente malè ſuſpicari, & infamare. Quod enim ex ſe malum eſt, poteſt tutè, vt malum iudicari, alioquin ſemper vel mortali, vel veniali culpa inficietur homo, iuxtà qualitatem facti, atque materiæ, nec non eorum, quæ ex prauo iudicio ſequentur.

Dicebant diſcipulis eius, nō quidem zelo permoti ſalutis diſcipulorum, ſed inuidia, atque odio dicebant diſcipulis, & exprobrabant coram eis factum magiſtri, vt ab illius ſocietate auocarentur, & apud eos haberetur publicanorum ſimilis. Hic eſt mos hæreticorum, qui non valentes legis magiſtros adire, Chriſtianos, ſimpliceſque fideles adoriuntur, illiſque in primis dicunt errores, in quibus ſupremus magiſter (deprauato eorum iudicio) videlicet, Rom. Pontif. Epiſcopus, & ſacerdos, ac quiſque alius clericorum verſatur, deinde miſeros apoſtatare ab obedientia, & fide perſuadent, ſi velint ſaluari. Salutem liberè quiuis hæreticus repromittit dicens; in cœtu Arrianorum eſt tantùm ſalus; Donatus ait; Africa verum tenet dogma, qui extra donatiſtas dinertit, nequaquam ſaluatur. Idem profert Lutherus; & quæuis hæreticorum ſecta hoc idem præſumit.

Quare cum publicanis, & peccatoribus. Repetunt nomen publicanorum, & peccatorum, quæ horrenda erant Iudæis, tùm maximè his, qui ſalutem appetebāt, & Reipublicæ libertatem, vt vel ſic prouocarent Apoſtolos contra magiſtrum, cui ſe deuouerant in vijs iuſtitiæ inſtruendos non moribus corruptis publicanorum. Et hoc quoque hæreditarunt hæretici, qui vt ſimplices in hæreſi confirment, inculcant nomina Præſulū, & Religioſorum. Quinetiam Sanctorum, quos nos veneramur, quaſi publicanorum, & peccatorum, cū quibus tædum eſt ſocietatem inire; ſed delere de terra ſummam religionem dicunt. Sed & dictis facta addunt, vt penè orbem commoueant.

Manducat, & bibit magiſter veſter? In græco deeſt *magiſter veſter*; appoſitis tamen hiſce ditionibus, malitia hominum amplius declaratur. Nam non ſolum abominabilem volebant Chriſtum reddere à ſocietate malorum, ſed à proprio ſtudio, vtpotè ingluuie, quam in cibo, & potu denotabant, vt ſummum dedecus magiſtri. Siquidem magiſter ſapientiæ ſobrietate, abſtinentia, & omni genere continentiæ ornatur. Vndè qui ſapientiæ ſtudium quæſiuit, à vino, & à carnibus, cogitauit ante omnia, abſtinere. Nam qui diligit epulas (inquit) in egeſtate erit, qui amat vinum, & pinguia, non ditabitur. Igitur vt egenum ſapientia Chriſtum probent, & perſuadeāt, manducare, & bibere, dicunt cum publicanis, & peccatoribus, qui fercula delicata, & vina meliora vſque ad ebrietatem ſectantur. Verùm Rex, qui ſedet in ſolio iudicij, eſtque ſui compos, neque cibo, aut potu capitur, ſed his vtitur, vt ſpirituali a manducet, & quærat inter paleas margaritam abſconditam, omne malum, quod impij fabricant, intuitu ſuo diſſipabit.

Eccl. 2. *Prou. 21.*

CAPVT

CAPVT XVII.

Hoc audito Ieſus ait illis. Non neceſſe habent ſani medico. ſed qui male habent. Non enim veni vocare iuſtos, ſed peccatores.

Expoſitio. TAnto fortè mare inuidiæ intumuerat
in æmulis, vt non clam, neque abſcon-
ditè Chriſto apud diſcipulos detraherent,
ſed publicè, altaque voce, vt facilè à lon-
ginquo præſentiretur obmurmuratio. Itaq;
ſiue hoc, ſiue alio modo calumnias audi-
ret Chriſtus, ſatisfacere calumniatori-
bus diſponit, dicens; neque ob cibum,
neque ad ſectanda impiorum ſtudia adhæ-
ſiſſe ſe publicanis, & peccatoribus; ſed
vt opus amoris, ad quod venerat, exerce-
ret, ſeque medicum offerret his, qui infir-
mabantur; & his, qui ſub peccato labora-
rent, Saluator, & iuſtificator cunctis eſſet,
qui vocantem agnoſcerent, & ſequerentur.

Hoc audito Ieſus. In Scripturis legimus
videri à Deo calumnias, & calumniatores,
nec non audiri. Quæ tamen audiuntur, de-
ſcribuntur grauiora, vt audiuit gemitũ eo-
Exod. 2. rũ, ac recordatus eſt fœderis, quod pepigit
cum Abraham, Iſaac, & Iacob; Audiui vitu-
Pſal. 30. perationem multorum commorantium
in circuitu. Audiuit Dominus, & ſpreuit, &
Pſal. 77. ad nihilum redegit valde Iſrael; quæ enim
audiuntur, quaſi in abſentia videntur dici.
Qui verò peccat Deum indicans abſentem,
Pſal. 93. (vt illi, qui dicebant; nõ videt Dominus, nec
intelligit Deus Iacob) ac ſi prouidentiam
Dei negaret, immo verò Deum, cuius eſt
eſſe vbique, grauiſſimè errat, & delinquit in
Deum, creaturam omnem, & ſeipſum. Si-
quidem nihil eſſet, ſi Deus alicubi eſſe, &
alibi non eſſe, daretur, ac ſi ergo id vellet,
qui ſic peccat acerbiſſima pœna dignus cẽ-
ſetur, quam commereri, nunc æmulos, qui
Chriſto detrahebant, quaſi abſenti, denotat
Euangeliſta dicens: *hoc audito Ieſus.*

Ait illis, tanta animi ſerenitate, ac ſi ni-
Pſal. 85. hil mali contra ſe audiſſet, quoniam ſuauis,
1. Pet. 2. & mitis eſt Dominus, vt cũ malediceretur
non maledicebat; cum percuteretur, non
comminabatur, neque triſtis eſſet, aut tur-
bulentus, cum frigidus aquilo, atque mur-
mur aduerſariorum ad aures eius perueni-
ret. Quinimo furiam inundantis malitiæ
dulci eloquio diuertebat, erudiẽs nos, quo-
modo aduerſarijs reſpondeamus. Nam qui
Prou. 21. cuſtodit os ſuum, & linguam ſuam, cuſtodit
ab anguſtijs animam ſuam.

Non neceſſe habent ſani medico. Sed da-
Pſal. 106. to ſanũ? omnes infirmati ſunt, nec fuit, qui
adiuuaret. Quid? etiam infirmata eſt in pau-
Pſal. 30. pertate virtus mea, dicebat ille: Itaque cor-
poris infirmitatibus omnes ſubijcimur,
quoſdam carcinoma, & elephantiaſis rodit,
alios apoplexia, febriſque concutit, nec vix
membrum eſt, quod non morbo peculiari
infeſtetur. De morbis autem animæ, qui na-
turam ipſam obuoluunt, quid dicã? ſepties Prou. 24.
in die cadit iuſtus. Ergo ſi in domo iuſti
quærimus iniquitatem, quis iuſtificabitur
coram Deo? nemo mundus, neque infans Iob 26.
vnius diei. Ergo vbi ſani, qui nõ habent ne-
ceſſe medico? qui ſibi videntur ſani, cũ la-
borent peſtilentia; his non eſt opus medico,
quia neque quærunt, neque volunt, neque
medicamenta eius admittunt. Hi ſunt vaſa
peſſima Iudæorum, qui in lege gloriantur.
Poſt hos habeto hæreticos, qui pactum cum Iſai. 28.
morte, & inferno pepegerunt. In tertio loco
numerato Mahometanos, qui malum di- Iſai. 5.
cunt bonum.

Sed qui malè habent. Hoc eſt, qui ſe malè
habere agnoſcunt, neque de propitiato pec- Eccl. 5.
cato ſunt abſque metu, & iugiter pro pri-
ſtinis deprecantur, ne iterum permittantur
irretiri, aut poſt vitam grauiter puniri. Vn-
de dicunt: Delicta quis intelligit, ab occultis Pſal. 18.
meis munda me Domine, adoleſcentias, & Pſal. 24.
ignorantias meas ne memineris. Quia ſi
iniquitates obſeruaueris Domine; Domine Pſal. 129.
quis ſuſtinebit? miſerere ergo mei Deus ſe- Pſal. 50.
cundum magnam miſericordiã tuam, & ſe-
cundum multitudinem miſerationum tua-
rum dele iniquitatem meam. Similes qui
peccatum agnoſcunt habent neceſſe medi-
co, quem & honorant propter neceſsitatẽ,
& obſeruant, quæ ab eo mandãtur, vt opta-
tiſsimam ſanitatem aſſequantur. Tales fue- Ioan. 12.
runt gentiles, qui voluerunt videre Ieſum,
& alloqui. Idolatræ, qui confregerunt idola
argenti ſui, & Dominum ſaluantem quæſie- Iſai 31.
runt. Publicani, qui ab auaritia ſua, quam
cor eorum ſequebatur opportunè reuerſi
ſunt, & peccatores, qui nec audent oculos Luc. 18.
ad cælum leuare, ſed à longe proſtrati cla-
mant; Pater peccaui in cælum, & coram te,
iam non ſum dignus vocari filius tuus. At Luc. 15.
qui medici, & antidoti agnoſcunt neceſſi-
tatem, ſic merentur cõſequi. Nam ſubditur.

Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores.
In græco codice additur *εἰς μετάνοιαν ad pœ-
nitentiam.* Hanc enim ſuaſit, & prædicauit
initio prædicationis, dicens: *Pœnitentiam
agite.* Iuſtos non vocat ad pœnitentiam,
quod eam ſpontè aſſumant: peccatores au- Matt. 4.
tem qui ſoliti ſunt animum, atque carnem
delitijs replere, neceſſe eſt ad pœnitentiam
multis vocationibus, & perſuaſionibus in-
duci. Vel ſugillat (inquit Beda) Scribas, & Beda.
Phariſæos, qui iuſtos ſe putantes, peccato-
rum conſortia declinabant: ſeipſum medi-
cum dicit, qui miro medicãdi genere. Vul- Iſai 53.
neratus eſt propter iniquitates noſtras, &
eius liuore ſanati ſumus: Sanos autem, &
iuſtos appellat eos, qui ſuam iuſtitiam vo-
lentes ſtatuere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubie- Rom. 10.

cti. Porrò malè habentes, & peccatores vocat eos, qui ſuæ fragilitatis conſcientia deuicti, nec per legem ſe iuſtificari poſſe videntes, Chriſti gratiæ, pœnitendo, colla ſubmittunt. *Gloſ. interl.* Quare Gloſſa interlinearis ſanos interpretatur ſuperbos; malè habentes verò humiles gloſat. *Iuſtos* autem dicit, qui tales ſe æſtimant, *& peccatores*, qui huiuſmodi ſe eſſe agnoſcunt. Itaque concludit *Theophyl.* Theophylactus, per ironiam ad Iudæos Dominum loqui.

CAPVT XVIIII.

Et erant diſcipuli Ioannis, & Phariſæi ieiunantes, & veniunt, & dicunt illi: Quare diſcipuli* Ioannis, *& Phariſæorum ieiunant, tui autem diſcipuli non ieiunant?

Expoſitio. ORdiuntur aliam calumniam, qua & ſi videantur diſcipulos taxare, repercutiunt magiſtrum, in quem diſcipulorũ mores, & diſciplina redundat. Facto itaq; peſſimorũ agmine, accedunt Ioannis diſcipuli cum Phariſæis ad Chriſtum, cuius honorem fingebant ſe zelare, dum admonent eum de his, quæ videbantur ſuis diſcipulis deeſſe, vtpotè ieiuniorum obſeruantia, abſtinentia ciborum, quæ priſcis Prophetarum cuneis, nec non Ioanni, eiuſq. diſcipulis, ac Phariſæis, & quibuſq; optimis laudẽ, & ornamentum conciliarũt. Quare ergo, inquiunt, qui nos, & Phariſæi tantorum exemplis edocti, ieiunemus, tui diſcipuli, qui modo propter te tanti fiunt, bonis ſtudijs, quæ à te didicerunt, non addunt ieiunium? Equidẽ & ſibi, & tibi non paruum decorem adimunt. Quin propterea, qui modo vos beatificant, demum inglorios ducent, vt qui ſanctitatis elementa, & aditum, vtpotè abſtinentiam, omnino contemnatis.

Et erant diſcipuli Ioannis, & Phariſæi ieiunantes. Vbi minor, aut nulla medulla, ibi maior durities, & cortex aſperior in nuce, quæ nucleo caret, quàm in alia reperitur; ita ſæpè accidit durioris eſſe abſtinentiæ, qui nihil habent ſpiritus, vt in his, & modo in Æthiopibus, & Hæreticis orientalibus, & Mahometanis; aut certè parum (vt in pleriſque noſtrorum, qui pietatem, & religionem ad corporale exercitium reduxerunt) vel nihilo ducunt, quem non frangit cilicium, quem non debilitat ieiunium, & quem labor manuum non occupat, quæ & ſi nullus Catholicorum reprehendat, non tamen ſic laudat, neque magnificat, vt de his probet cantari: Labores manuum tuarum, quia man- *Pſal. 127.* ducabis, beatus es, & benè tibi erit, cum hiſce laboribus, qui interni ſunt, potius *Tim. 4.* comprehendantur. Nam exercitatio corporalis ad modicum vtilis eſt, pietas autem ad omnia. Propterea qui piè viuere volunt in Chriſto Ieſu, ante omnia exercent pietatem, quantumque ea permittit corporalia exercitia arripiunt, vt ocioſitatem fugiant, non vt ſpiritum ſanctæ orationis, & deuotionis extinguant: quæ ſuper omnia deſiderare debent, ait pius Franciſcus in ſua regula, qui nouum ho- *Franciſ. in reg. c. 2. 9.* minem, & cæleſtem induere volunt.

Et veniunt, & dicunt illi. Auguſt. de conſ. Euangel. vult conuiuas, qui iſta à Ioannis diſcipulis, & Phariſæis audierant, ad Chriſtum retuliſſe, & in perſona eorum locutos. Verùm & ſi per alios loquantur, taxantur in primis de iactantia, qui ſua ieiunia, nec quidem bona, prædicabant. Secundo notantur arrogantes, qui propter opus indifferens excellentiam ſanctitatis ſibi vſurpabant. Tertiò temeritatem oſtentant, qui ad ſummum magiſtrum cum friuola querimonia venire præſumpſerint, eamque illi proponere. Vnde ſicut ruſti- *Eccl. 27.* catio de ligno oſtendit fructum illius, ſic verbum ex cogitatu cordis hominis.

Quare diſcipuli Ioannis, & Phariſæorum ieiunant. Illi exemplo magiſtri, iſti ambitione ieiunabant; vtrique tamen indebitè. Quoniam qui non manducat, manducantem non iudicet; eſt enim alie- *Rom. 14.* nus ſeruus, alienum autem ſeruum nemo præſumit iudicio damnare: At peruerſa via viri aliena eſt à Deo, qui autem mun- *Prou. 21.* dus eſt, rectum opus eius. Seipſum enim attendit, & diiudicat, & ſi quando alienum conſiderat, vt iuuetur, iuxta illud: Excogitat iuſtus de domo impij, vt detra- *Ibidem.* hat impios à malo.

Tui autem diſcipuli non ieiunant? Quod non ieiunes, labor prædicationis, & continua omnium ſollicitudo te excuſant: diſcipulos verò tuos nihil. Quare vt ad opus bonum ſequentes turbas inducerent ſuo exemplo, expediret ieiunijs occupari, & aliquod ſanctitatis ſpecimen præſeferre in confirmationem diſciplinæ, quam di- *Prou. 26.* dicere. Sunt verba ſuſurronis, quaſi ſimplicia, ſed ipſa perueniunt ad intima cordis. Nam Chriſtum, non diſcipulos, tranſfigit ſagitta vulnerans lingua eorum. No- *Prou. 12.* uit tamen iuſtus noſter iumentorum ſuorum animas, & quam accedentium impiorum viſcera crudelia ſint, quia oculi mei (inquit) ſuper omnes vias eorum. Non *Ierem. 16.* ſunt abſcondita à facie mea, & non fuit occultata iniquitas eorum, ab oculis meis. Ergo quomodo ſoluat calumniam contemplemur ſequenti capite.

CAPVT

CAPVT XIX.

Et ait illis Ieſus. Nunquid poſſunt filij nuptiarum quandiu ſponſus cum illis eſt, ieiunare? quanto tempore habent ſecum ſponſum non poſſunt ieiunare.

Expoſitio. SIc prudenter calumniã diſſoluit, vt nemo eius factum,& Apoſtolorum nõ poſſit non laudare;tantum abeſt,quod quis,niſi maleuolus,præſumat calumniari. Nam quæ ratio,aut lex poſtulat, vt præſente ſponſo, qui ad nuptias, quaſi filij, vocantur, abſtineant à cibo,& potu, & ieiunent in pane,& aqua,ac lacrymis?Etenim ſponſus venit, vt gaudeat cũ ſponſa, & conuiuas ſua præſentia lætificet.Quare prorſus indignũ eſſet,læta,& gaudioſa miſcere triſtibus,cum omnibus tempus adſit. Non ergo expedit,neque poſſunt diſcipuli, in numerum filiorum ſponſi habiti, ieinnare. Eccl.3.

Et ait illis Ieſus. Multo quidem prudentius,quàm acceſſerant, & propoſuerãt querimoniam. Eſt enim Ieſus ſapientia ipſa, & prudentia,quã & facto,& verbo edocet,per quodcunque dicens ſuis: Audi fili mi,& ſuſcipe verba mea. Viam ſapientiæ monſtrabo tibi; ducam te per ſemitas æquitatis; quas cum ingreſſus fueris,non arctabuntur greſſus tui, & currens non habebis offendiculũ. Tene diſciplinam, & ne dimittas eam,quia ipſa eſt via tua;ſed quę via noſtra,niſi Chriſtus ipſe,qui ait;Ego ſum via veritas,& vita?Huius ergo actio, & locutio ſapientiam nobis prædicat; eamque diligentius multo obſeruandam,cum aduerſum nos peccator conſiſtit,& quærit verbis oris ſui illaqueare,& noſtra deſtruere. Prou.4. Ioan.14.

Nunquid poſſunt filij nuptiarum,vel iuxtà græcam lectionem οἱ υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος. *Filij thalami.* Quoniam non filij,eo quòd ad nuptias vocentur,aut quod interſint,ſed quod de thalamo proſilierint. Qui enim ad nuptias primò vocati ſunt,non fuerunt digni. Ex ijs autem, qui intra nuptiarum conuiuium admiſſi ſunt,vnus legitur non habens veſtem nuptialem,quæ eſt filij ſignum,illius inquam,qui in thalamo,hoc eſt, cognitione vera,integra,& perfecta Dei,gignitur in baptiſmo accepta gratia,& alijs virtutum ornamentis. Itaque Vulgata lectio omnes fideles notat, qui filij nuptiarum ſunt, quod ad nuptias, quæ in Eccleſia celebrantur, perinde ac filij, admittantur, cum quibus Deus nuptias agere diſponit; & quidem niſi obſit impedimentum, quemq. deſponſat ſibi in fide,& charitate perpetua. Hanc tamen deſponſationem peculiarem græca lectio ſubindicat.Quoniã filij thalami ſunt, qui ex coniunctione oriuntur: coniunctionem autem hanc ſpiritualem, quæ nos Dei filios generat acceptos,& gratos,cum quibus Deus iugiter nuptias celebrat, fides, quæ per dilectionem operatur,efficit,& cõplet. Igitur dicuntur Apoſtoli, *filij nuptiarum*,quod ad myſterium Incarnationis collaudandum;& manifeſtandum fuerint vocati, vel quod nuptias cum filio Dei contraherent,propter quas & nos filij Dei nominamur,& ſumus. Matt.22. Ioan.3.

Quamdiu ſponſus cum illis eſt, ieiunare? Sponſum ſeipſum vocat (inquit Chryſoſt) tanquam Eccleſiam ſibi deſponſaturus. Eſt enim deſponſatio datio arrhæ, ſcilicet gratiæ Spiritus ſancti,per quam credidit orbis terræ.Proinde(addit Theophyl.) ſponſũ ſeipſũ vocat, non ſolũ quod deſponſet virgines animas, ſed & quod tẽpus primi ſui aduetus,non tẽpus luctus,neq; auſteritatis eſt ijs,qui in illũ credunt,neq; labores habent, ſed facilè, & abſque operibus legis per baptiſmum refocillans nos. Qualis enim labor baptizari?attamẽ per facilia hæc ſalutẽ conſequimur. Filij autẽ thalami, Apoſtoli, vtpotè, & ipſi dominicũ gaudiũ aſſequuti, & omnis cæleſtis boni, ac voluptatis totius participes facti ſunt. Intellige & hic, quòd omnis homo quãdo virtutẽ operatur, filius eſt thalami nuptialis. Quamdiu igitur habuerit ſecũ ſponſum Chriſtũ, nõ ieiunat, hoc eſt, nõ oſtendit opera pœnitentiæ, neq; enim cecidit;quãdo autẽ ab eo ablatus fuerit Chriſtus,prolaberetq. in peccatũ,tũc ieiunat,&pœnitẽtiã agit,vt à peccato ſanetur. Chryſoſt. Theophyl. Apoſtoli, filij thalami.

Quanto tempore habent ſecum ſponſum, non poſſunt ieiunare, cuius plus proficit præſentia (ait Gloſ.interl.)quàm corporalis abſtinentia. Quinimo tota maceratio carnis, eò ordinatur, vt ſponſum facilius, clarius, & perſpicacius mente contemplemur, & præſentem tractemus. Nam qui facta carnis mortificat, ſpiritu viuit,volat vt columba, atque hirundo,quæ mole corporis non grauantur, quinimo currit, nunc ad locum certaminis, vt diabolum proſternat, eiuſque agmina confundat; nunc relictis bobus, & his, quæ in terris alliciunt; vt zelum Dei induat,præferatque Dei gloriam mundanis omnibus. Hinc ſponſus. Audi fili mi,& ſuſcipe verba mea, vt multiplicentur tibi anni vitæ. Viam ſapientiæ monſtrabo tibi,ducam te per ſemitas æquitatis,quas cum ingreſſus fueris, non arctabuntur greſſus tui, & currens non habebis offendiculum. Via ſapientiæ eſt temperantia,quæ integratur verecundia, & honeſtate, cui ſubijciuntur, abſtinentia,ſobrietas, & caſtitas. Et cuius potentiales partes ſunt,continentia, manſuetudo, clementia, & modeſtia. Quarum omnium exercitium nunc abſens ſenſu, ſed ſpiritu præſens Chriſtus nobis iugiter prædicat, & vult à nobis impleri, vt æquitatem animi aſſequamur, Gloſ. interl. Rom.8. Luc.14. Prou.4.

mur, & eiuſdem operationes pleniſſimè abſque offendiculo perficiamus, cum illo, *Pſal. 118.* qui dixit: Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum. Cor autem dilatatur, cum noxius ſanguis,& impetuoſus elongatur. Et(vt loquar proprius)tunc animus ampliatur vſque ad Deum, quum neque affectus, neque craſſities eum occu- *Deut. 32.* pat. Quia impinguatus, incraſſatus, dila- *Epheſ. 4.* tatus equus recalcitrat. Ergo macerandus eſt vetus homo noſter, vt nouum induamus, & adſit ſpiritu præſens, quem conſideramus abſentem. Quare qui ante oculos ſponſum continuo præſentem aſpiciebant, (optimè infert magiſter)nõ poſsũt ieiunare.

CAPVT XX.

Venient autem dies, cum auferetur ab eis ſponſus, & tunc ieiunabunt in illis diebus.

Expoſitio. NE arbitrentur ſemper Apoſtolos à ieiunio liberos fore, quinimo maiori, quàm vnquam homines, aſtringi oportere, ſubdit; poſt diſceſſum ſponſi ieiunaturos. At abſtinentia, lacrymæ, ſuſpiria, ieiunium, & carnis afflitio, quæ propter amati ſponſi abſentiam ſequuntur, & fiunt, vt eum alliciant, ac prouocent ad reditum, grauiora ſunt his, quæ vel ſolo legis præcepto, aut præceptoris ſtatuto, Ioannis diſcipuli, & Phariſæorum obſeruant. Quare tantum abeſt, quod diſcipuli reprehenſione habeantur digni, qui me præſente non ieiunant, vt laudem ſibi accumulent, qui obſeruant tempus, gaudentque, cum oportet; & triſtitias corporis ad ſua tempora referunt. Eſt enim factum ſapientis.

Venient autem dies. Diſcipulis, ſcilicet, & his, qui ſequuntur Chriſtum. Non noctes, ſed dies aduenient, clari, lucidi, & hilares, in quibus ſua peragant, placeant iugiter altiſſimo, & ſint cum Domino ſemper. Siquidem ſtellæ, quæ ſolem proſequuntur, obſcura neſciunt tempora; ſed ſiue ſtent, ſiue errent continuò illuſtrantur. An non *Dan. 12.* ſtellæ, quæ in perpetuas æternitates datæ ſunt lucere, iuſti, & diſcipuli Chriſti cen- *Pſal 60.* ſentur? Sic Pſalmum dicam nomini tuo in ſæculum ſæculi; vt reddam vota mea de die in diem; velut habet hæbræa lectio כן אזמרה שמך לעד לשלמי נדרי יום יום ſic canam nomini tuo iugiter, reddens vota mea per ſingulos dies; dicebat vates: Sic (inquam) hæreditatem timentium te ſortitus, atque iuſtorum ſortem, & claritatem, gratiam referam, atque lucem, & quæ pollicitus ſum clara luce perficiam, quaſi per diem, & dies, nunquam errorum noctes admittens, neque in obſcuritate ignorantiæ quicquam agens. Nam & Chriſtus ſuis di- xit: Operamini dum dies eſt. Venit enim *Ioan. 9.* nox, in qua nemo poterit operari. Nemo quidem electorum, ſed benè hi, quibus tenebræ inſunt, & qui per diem incurrunt tenebras. Illos dicito dæmones, qui ſtatim à creatione prolapſi ſunt; hos vocato hæreticos, peccatores, ac peſſimos homines, qui ab itinere iuſto, volentes, errant vſque ad exterminium; his conceditur nocte operari, ſed opera tenebrarum, adulteria, furta, homicidia, & nomina blaſphemiæ euomere, quibus nox illa ſuccedit, quam tene- *Iob 3.* broſus turbo poſſedit, quæ nec computatur in diebus anni, nec numeratur in menſibus. Quia eſt abſque requie, quã menſis nouarũ frugum præſagit, & largitur optatiſsimus iubilei annus; hoc eſt, Eccleſiæ ſtatus inchoat, & perficit cæleſtis beatitudo. In infer- *Iob 10.* no autẽ nihil horum; ſed ſempiternus horror inhabitat. Is ergo ſeruatur iis, qui noctibus gaudent. Iuſti verò, quibus veniunt dies; poſt multos dies, diem, qui neſcit occaſum, neque obſcuritatem, hæreditant.

Cum auferetur ab eis ſponſus, ſcilicet, in die Aſcenſionis, ait Gloſ. interlin. Tunc enim *Gloſ. interl. Act. 1.* videntibus illis, eleuatus eſt, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum. Hoc eſt velamen nubis, quod vſque in hodiernum diem durat, & quamdiu peregrinamur durabit, vt nemo noſtrum videat oculis Chriſtum, ſed vt ablatum contempletur, ſedentem in dextera Patris, tranſubſtantiatum ſub ſacramentali ſpecie, & ſpiritu manentem in vnoquoque iuſtorum, vt compellamur dicere: Indica mihi, vbi paſcas, vbi cubes in meri- *Cant. 1.* die, ne vagari incipiam poſt greges ſodaliũ meorum, ſiue concupiſcentias mortalium, hoc eſt; vt alibi legimus: Oſtende faciẽ tuã, *Cant. 2.* ſonet vox tua in auribus meis: Vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Hanc enim, & ſi quaſi per ſpeculum in enigmate, fidelis conſideret, optat ſibi reuelari, & loquentem certò percipere, vt in omni bono, fruatur pleno, & perfectiſsimo gaudio. Attamen negatur in carne viuentibus, quibus ſponſus eſt, quaſi ablatus.

Et tunc ieiunabunt. Eius affectantes aduentum (ait Chryſ.) vt ſpiritus illi coniungant, per corporales anguſtias emundatos. Quia ieiuniũ (deponit Aug. ſer. de ieiunio) *Auguſt.* purgat mentem, ſubleuat ſenſum, carnẽ ſpiritui ſubijcit, cor facit contritum, & humi- *Laudes ieiunij.* liatũ, concupiſcentiæ nebulas diſpergit, libidinum ardores extinguit, caſtitatis verò lumen accendit. Quare (ſubdit Baſil. concio- *Baſil.* ne de ieiunio) ſi mentẽ fortem facere voles, carnẽ per ieiuniũ doma. Hoc eſt enim quod Apoſtolus ait, quantũ externus homo cor- *Cor. 4.* rũpitur, tantũ internus renouatur, & illud: *Cor. 12.* Quũ debilis ſum, tum potens ſum. Nõ contemnes corruptibiles cibos? non deſiderium capies menſæ in regno, quam omninò ieiunium in hoc mundo procurat?

Igno-

Digitized by Google

Ignoras te per immodicam ſaturitatem
craſſum tibi ipſi vermem tortorem præpa-
rare? Quis enim in longo cibo, & aſsiduis
delicijs, communicationem gratiarum ſpi-
ritus ſuſcepit? Moyſes ſecundam accipiens
Exod. 34. legiſlationem, ſecundo ieiunio opus habuit,
ſi non bruta animantia, ſimul cum Niniuitis
Ioan. 3. ieiunaſſent, minas euerſionis nõ effugiſſent.
Quorum artus deciderunt in deſerto? non
Num. 11. eorum, qui carnis eſum quærebant? Illi qui-
dem quandiu contenti erant manna, & aqua
ex petra, Ægyptios vincebant, per mare
viam faciebant, non erat in tribubus infir-
Exod. 14. mus. Poſtquam verò mentionem fecerunt
carnium lebetum, & conuerſi ſunt cupidi-
tatibus in Ægyptum, non viderunt terram
promiſsionis. Non times exemplum? non
horres edacitatem, ne te à ſperatis bonis
Dan. 1. excludat? Sed neque Daniel viſiones vidiſ-
ſet, ſi non per ieiunium perſpicaciorem
animam feciſſet. Ergo vt perſpicacior ſit
mens ſequentium Chriſtum, ait: *Tunc ieiu-
nabunt*. Itaque ieiunandum cenſet Chri-
ſtus contra Melanctonem, & alios, qui ieiu-
nium hoc in tempore gratiæ prohibẽt con-
tra ea, quæ à Chriſto, & Sanctis accepimus,
& eo vſque traditio obſeruauit de conſ. d.
5. ieiunia in Eccleſia.

In illis diebus. Non vno, aut altero die,
ſed pluribus diebus ieiunandum fore Chri-
ſtus poſt ſuum diſceſſum pronuntiat, vide-
licet, quadrageſimale ieiunium pro deci-
ma temporis anni: 76. diſtinct. ſtatuimus, &
duobus ſequentibus, de conſecr. d. 1. ſo-
lent, & 5. diſtinct. quadrageſima, &c. Ieiu-
nium quatuor temporum 78. d. Ieiunium,
Rogationum dies, ieiuniorum ſunt de conſ.
diſt. 3. Rogationes. Etiam die Veneris,
& Sabbati ſolitum erat olim ieiunare d.
conſec. d. 4. in Sabbato. In alijs quoque
diebus ſolitum eſt in Eccleſia ieiunare à
primis temporibus, vt, non inuentum
clericorum, & ſtultorum, vt hæretici inſi-
mulant, ſed Apoſtolorum documentum, ac
Chriſti, ieiunium prædicemus.

CAPVT XXI.

*Nemo aſſumentum panni rudis aſſuit ve-
ſtimento veteri, alioqui aufert ſup-
plementum nouum à veteri, &
maior ſciſſura fit.*

Expoſitio. EXemplo perſuadet conducere, pro tunc
Apoſtolos ieiunijs minimè aſtringi.
Nam cognata proportionari oportet, &
quæ ad ornamentum ſumuntur, noxia eſſe
non debent; vt ſi pannum panno iungere
diſponis, non qualemcunque aſſumes, neq;
fruſtum panni noui, quod præ nouitate
rude eſt, veſtimento veteri coniunges, niſi
vetera velis facilius perdi, & deſtrui. Si-
quidem debilitas veteris veſtimenti non
valet noui fortitudinem ſuſtinere. Quin
amplius ſcindatur, & conſumatur faci-
lius. Ergo ieiunia, quæ ornant, & inno-
uant hominem, neque præcepta noua, quæ
animum ſubleuant, imponenda ſunt his,
qui nihil præter veterem hominem norunt,
& adhuc terrenis inhiant. Nam hos velle
ſtatim ſpirituales reddere, eſſet duriſsi-
mum, neque poſſent abſque diſpendio, ne
dicam, corporis inaſſueti, ſed & animi, qui
fortè margaritas negligenter contractans,
maledictionem incurreret, quia maledictus
homo, qui facit opus Dei negligẽter. Qua- *Hiere.* 48.
re cum non damnum, ſed vtilitatem diſci-
pulorum quæram, nolo eos onerari ieiu-
nijs, quouſque fiant noui per ſpiritum no-
uum, quem ad eos mittam.

*Nemo aſſumentum panni rudis aſſuit
veſtimento veteri*. Habet Syriaca verſio:
*Nemo immittit panniculum nouum, & aſ-
ſuit veſtimento veteri*; Græca lectio habet,
additamentum, panni impoliti ἐπίβλημα ῥά-
κους ἀγνάφου. Fruſtum itaque panni vocat
Vulgata *aſſumentum*, à ſutoris libertate,
cui liberum eſt illud aſſumere, aut non;
Græca dicit *additamentum* à ſubiecto, cui
additur; Syriaca, materiam ipſam, quæ aſ-
ſumitur, & additur, ſcilicet, eſſe *pannicu-
lum* explicat. Et quidem optimè. Nam Te-
ſtamentum nouum, quod vult Ambroſ. ſu- *Ambroſ.*
per Luc. 5. hic ſignari, panniculus eſt, & di-
minutiuum, ſi ad legem, quæ in cælis obſer-
uatur, referamus. Lex enim amoris, & gra-
tiæ, quæ, & Teſtamentum nouum; vt ignis Teſtamentũ
in ſphera, locum habet in cælis; in terris nouum, pan-
vt ignis, qui ardet in ligno, lapide, fer- nus dicitur,
ro, ac ſtupa, qui ſemper minimus eſt, & quare.
& minoris efficaciæ, quàm elementaris il-
le, cuius ſphera orbem circuit. Ita amo-
ris lex, & gratiæ adeò potens eſt in patria;
vt beatificet, & perfectum conſtituat ſpi-
ritum, ne poſsit vltra creſcere, neque
pati iacturam. Nec eſt in cælis, qui ſe
ab huiuſmodi calore abſcondat. Id quod *Pſal.* 18.
in terris minimè accidit gratiæ, ſeu legi
nouæ. Neque enim omnes obediunt Euan- *Rom.* 10.
gelio, neque omnes perſeuerant vſque in
finem, neque tenent manum ad aratrum, 2. *Cor.* 11. *Luc.* 9.
cum quo propoſuerant arare. Dormiunt
enim multi, & plures opponunt ſibi nu-
bem, ne videant bonum, neque faciant. *Thre.* 3.
Atqui facientibus legem gratiæ. Lex ipſa
non eſt pannus integer; vt valeat om-
nem nuditatem operire, & plane ornare.
Nam legem membrorum non tollit, neque *Rom.* 7.
vnionem plenam, quæ in beatis cum Deo
habetur, non concedit. Eſt autem panni-
culus, deformitates, quæ nos Deo exoſos
faciunt, tangens, & vt patitur ſtatus, ornans
animum habitu virtutum, & exercitio; no-
uus dicitur, quod nouo ſpiritu ſit diffuſa
gratia in cordibus noſtris per Spiritum

Rom 9. *Rom. 8.* ſanctum, qui datus eſt nobis, in quo clamamus: Abba pater; habentes ſpiritum adoptionis filiorum Dei, non iam ſeruorũ, qui erant in priori Teſtamento, ac patribus, qui etſi innitarentur; *Hierem. 3.* Amodo voca me, Pater meus es tu; nihil tamen nomine Dñi, quo ſerni vtuntur, illis erat familiarius. Verùm & ſi datus ſit ſpiritus nouus, & diffuſus ſuper omnem carnem, cunctiſq. lex noua, & gratiæ expoſita, ad eam nemo cogitur, ſed eſt enique *aſſumentum*, hoc eſt, quid liberè aſſumptum. Neminem enim cogit lex; ſed volenti vitam ait Legiſlator; *Matt 19.* Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata. Itaque ex hypoteſi eſt neceſſaria lex gratiæ, velut nauis transfretanti. Sed & volenti vitam eſt addiramentum, quod ſit quidam appendix legis naturæ. Huic enim addit lex noua gratiam, quam naturæ vires non conferunt. Quod *rude* appelletur, non intelligas aſperum, cum dicat auctor: *Matt. 11.* Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue: ſed difficilè; his tamen, qui rudes ſunt, & agreſtes, quibus rudia ſunt regalia, *Num. 2.* & ſuper cibo leuiſſimo nauſeam prouocant, Ægyptiorum ollis aſſueti. Quales Chriſtus *veteris veſtimenti* nomine deſcribit, quæ haud nouis gaudent, neque valent eorum robur ſuſtinere, niſi arte innouentur. *Theophyl.* Inde Theophylactus ait: Diſcipuli veteribus veſtimentis aſſimilati ſunt, propter eorum mentis infirmitatem, quibus non erat congruum imponere ſtatutum graue ieiunij. Quicunque ergo eſt infirmus in fide, charitate tepidus, inaſſuetus ſpiritualibus, præſertim qui concupiſcentias cordis ſui malas ſequitur, & in his ſolum delectatur, quæ terra corporis ſui gignit, appellandus eſt vetus veſtimentum; tàmdiùque in vetuſtate Adam, ac primi hominis manet, quàmdiu ſpiritum nouum, & cor nouum non induit. Eſt autem huius coniunctionis acus Chriſtus, per quem, & in quo, & cum quo ſunt omnia.

Alioqui aufert ſupplementum nouum à veteri, & maior ſciſſura fit. Hoc eſt, veſtimentum vetus reddit inutile humanis obſequijs. Tametſi enim vetus pauperi eſt ſupplementum, vt indigentiam, quam patitur natura, suppleat; ſiquidem operit carnes, & turpitudines, quibus homo ob peccatum verecundatur. Græca lectio aliũ ſenſum nobis parit, videlicet, quod ſi ſupplementum nouum veteri aſſuatur, & non auferatur, ſed relinquatur, ſciſſura fit maior, quàm prius. Habet enim *εἰ δὲ μὴ αἴρει πλήρωμα αὐτοῦ τὸ καινὸν τοῦ παλαιοῦ, καὶ χεῖρον σχίσμα γίνεται*; *ſi verò non aufert ſupplementum ipſius nouum, veteris & peior, ſciſſura fit.* Alludit ad eandem lectionem Syriaca, quæ ſic habet: *Ne detrahas ſupplementum illud recens ex vetere, fiatque ſciſſura maior.* Atque vtraque mihi aperit myſterium, quod cum Hebræis Chriſtus agere voluit. Ijs Chriſtus, quaſi aſſuens, prædicauit nouum Teſtamentum, legem gratiæ propoſuit. Idenridem Chriſti nomine fecerũt Apoſtoli, adeo vt per intelligentiam, quam ab Apoſtolia de nouo ſtatu acceperant, viderentur portare veſtimentum nouum, veteri aſſutum. Abſtulit tamen Deus intelligentiam, & noua indumenta gratiæ, & ſacramentorũ Scripturæ, ne fieret maior in eis ſciſſura, ne (inquam) maioris propriæ damnationis fabri fierent. Nam grauiùs punitur multo Chriſtianus, & ſtultius delinquit hæreticus, qui nouum veſtimentum legis euangelicæ retinere contendit, ſub veteribus enutritus, totus animalis effectus. *Hæretici grauius peccãt Hebræis.* Id quod factum probat, & quiſque clarè cognoſcit, qui peſſimorum hominum mores contemplatur, & hæreſes: Ex his enim non defuere, qui Dei vnitatem negarent, vt Manichæi; qui duos finxere; qui decalogum non admitteret, vt Lutherus; qui mandata primæ tabulæ non agnoſcit; & qui vnum dicant hominum interitum, & iumentorum, vt Hermannus Kiſſuich, & penè omnis nouatorum turba, qui bacchanalia perſuadent, & luxum: *Phil. 3.* Quorum finis interitus, & gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt. Habent, fateor, & Hebræi ſuas ineptias, quas plerique ex ſuis talmudicis collegere; multo tamen inferiores his, quas noſtri, & qui ex nobis proceſſere, eructarunt; quòd voluerint veſtimentum nouum retinere aſſutum, cum veteri: Iudæi verò retinentes vetera, noua ob duritiam cordis paſſi ſunt ſibi auferri; ac propterea non eſt facta in eis maior ſciſſura, neque peior, quàm paſſi ſunt à principio, quando venit ad eos Chriſtus volens nouis veſtimentis ſynagogam induere. Tùm enim negarunt Chriſtum, in diuinis Trinitatem, Scripturæ interpretationem, quam auctor ipſe expoſuit. Hæc eadem obſtinatè adhuc denegant. Deum vnum agnoſcunt, Decalogum prædicant, & animæ immortalitatem; eſt denique gens *Oſeæ 3.* (vt ait Propheta) quæ neque fornicatur, & abſque viro eſt, ſed vt derelicta manens conſeruat, quæ penes ſe inuenit, quando libellum repudij accepit.

CAPVT XXII.

Et nemo mittit vinum nouum in vtres veteres: alioquin dirumpet vinum vtres, & vinum effundetur, & vtres peribunt; ſed vinum nouum in vtres nouos mitti debet.

Expoſitio. PRiori exemplo perſuaſit, externa, quæ in veſtimentis deſignantur, non eſſe omnibus vtilia, neque aliquid emolumenti

afferre

afferre hominibus, niſi animi per rectã intentionem,& deuotionem ſpiritus, innouetur quæ faciunt ieiunia, & omnẽ corporis externi diſciplinam, & ceremoniam, apud Deum accepta, & grata Angelis, atq. operantibus vtilia; aliter vero ſi fiant, nulla, & inutilia ſunt: *Iſai.58.* Quia in die ieiunij veſtri, inuenitur voluntas veſtra. Mox altero exẽplo obſeruantiam mandatorũ, quæ in Dei amore,& proximi; vt decalogi, fundantur, neque fieri poſſe docet, neque dignè impleri, ac meritoriè, niſi animus efficiatur ſpiritualis, cor mundum, mens lucida, pura voluntas, & totus homo interior renouetur. Quare vt hominum nemo vinum nouum mittit in vtres veteres, ſic nouum charitatis præceptum nullus ſapientum reponit in animis carnalibus, qui vetera ſapiunt. Quod ſi contingeret, in vanum, immo verò, in damnum laboraſſe, ſtatim conſtaret. Siquidem vt vtres veteres accepto vino nouo rumpuntur, ſic animi indociles,& ſtolidi homines rubentem gemmam charitatis continere non valentes, rumpuntur in varios affectus, & eum, qui ſupra naturam eſt, & inflammat, à ſe pellunt, nec quidem abſque iactura hominis nequam, qui neſcit ſacramenta Dei. Etenim fit huiuſmodi paulatim obſtinatus, hunc autem perditio expectat. Igitur vt vinum nouum in vtres nouos ſolitum eſt mitti: itá præceptum nouum innouati decalogi, tantum prodeſt his, qui nouis exercitijs, & diſpoſitionibus ſpiritualibus ſe præparant, & nouam creaturam, quam in bapeiſmo ſuſcepere, conſeruare, & enouare elaborant. Hæc ego ab exemplis colligo, vt primum ad opera externa, ſecundum ad interna referatur, & vtroque doceamur debitè præparari, tàm ad ea, quæ animus Deo reddit, quàm ad ea, quibus proximum ædificamus. Meremur quidem in omni operationum genere, ſi rectè fiant, & procedant à noua diſpoſitione, quam Dei ſpiritus, qui non veteraſcit, neque emarceſcit; ſed floridam facit iuuentutem, ac renouat, abundè largitur petentibus ſe. Atque his ſatis puto exemplorum vim, & intentum patere; vtcumque litteram per partes rurſus enucleabo, more ſolito.

Et nemo mittit vinum nouum in vtres veteres. Hoc exemplum eſt humanæ diſciplinæ, & mundanæ aſtutiæ, quam nemo ignorat. Quia auaritia in capite omnium, quæ omnem hominem docet ſuis proſpicere, neque prodigè abſque commodo rebus vti. Quod enim de vino legimus, hoc intelligito de re omni; quam nemo mortalium alteri credit, neque committit, vt perdat, ſed vel lucrum faciat, vel conſeruet; mittuntur ſemina, vt ager reddat centuplum, fæneratur quis creditori, vt negociatione pecuniam augeat; aſſentatur homo homini, vt vel gratiam augeat, vel beneficia recipiat; ſe alteri filius huius lucis officioſum præbet, vt eidem ſi poteſt, dominetur. Denique mundani eſt proprium, & ſapientis ſecundum ſæculum, in omni opere præmium ab homine ſperare; ac proinde vetera, ac veternoſa arbitratur, ea ex quibus nihil colligi poſſe immaginatur. Quid? etiam pauperes, etiam ſanctos, ac Deum, quibus ſua committere formidat, & reſpuit. Ineſt enim & *formicis ſua bilis, & in Paguro ſapientia,* *Vide adagia Manutij,* ſed carnis, quæ mors eſt, vita autem illi, *Rom.8.* qui à diſſimili vtitur loco, vinum, & omnia ſua antiquo dierum, ac veterano, & pauperi committit, & totum in ſinum eorum ſe recondit, quouſque hyems tranſeat, & accedat optatiſſima æſtas, ac tempus meſſium.

Alioquin dirumpit vinum vtres. Hoc eſt, non poſſunt pati (ait Gloſſa interlin.) *Gloſſ.interl.* quia carnales adhuc ſunt. Eſt autem diruptio, quam patiuntur ſimiles, cum audiunt amoris præceptum, vel in iram concitari animum, & maius odium concipere in eum, quem audit amore integro proſequendum, vtpotè hoſtem, & inimicum. Vel diruptionem dicito ſuperſtitiones, quas carnalis, cultum audiens Deo deberi, imprudentiſſimè adinuenit, vel affectus inhoneſtos, cum de amore proximi ſermonẽ percipit optimi amoris,& integerrimę charitatis modum penitus ignorans. Hinc ſectæ eorum, qui cum Deum cognouiſſent, non ſicut Deum glorificauerunt, ſed *Rom 1.* euanuerunt in cogitationibus ſuis, vt ſuam quiſque religionem, & idololatria profiteretur, non amorem. Hinc communis illa pernicies; omnes quippe caro corruperat viam ſuam. *Gen.6.*

Et vinum effundetur. De materiali vino ſic contingit fieri. Spirituale autem nunquam effunditur, ſed aufertur indigno. Charitas enim cuius eſt inebriare, numquam excidit, neque peribit in finem. *1.Cor 13.* Eſt enim ſolaris radius, qui ſolem ſequitur, etſi intret ad cænaculum, non remanet, ſi feneſtram clauſeris, ſed recedit. Abeſt quoque charitas, ſi peccatum opponimus; quia amicitia hominis ad Deum, & flamma, quam ignis diuinus emittit, effunditur, ſiue perditur, nunquam cum apud Deum, qui charitas eſt maneat. Adde charitatem Dei ad homines, nunquam pati detrimentum, quia ego Deus, & non mutor, *Malac.3.* vniformiter diligens, quæ ſunt, quod ſeipſo cuncta diligat, tametſi ſignis dilectionem maiorem, vel minorem demonſtrare videatur. Charitatis autem habitus, qui in iuſtis eſt, peccato deſinit, auſertur, & effunditur.

Et vtres peribunt. Coriacei vtres non ſemper pereunt, vel non penitus deſeruiunt nonnunquam alijs vſibus. At peccatores, vaſa peſſima, ablata charitate in æternum *1.Cor.13.* peribunt;

Cor.13. peribunt; quia ſi charitatem non habuero,
Pſal.72. (dicebat ille)nihil ſum. Et alius:In nihilum
redactus ſum, & neſciui: quare dum viuit
Apoc.2. peccator audit ſibi dici. Habeo aduerſum
te pauca, quod charitatem tuam primam
reliquiſti. Memor eſto itaque vnde exci-
deris: & age pœnitentiam, & prima opera
fac. Poſt mortem verò coram amatoribus
ſuis ignominiam patitur acclamantium.
Nihil factus es & nihil eris in perpetuum.

Sed vinum nouum in vtres nouos mitti
debet. Itaque vtres ſunt mortales, qui ſi
noui fuerint, & renouati per lauacrum re-
generationis,& renouationis, quod effun-
dit in nobis Chriſtus, vinum nouum, hoc
eſt, mandatum accipiet nouum, ſpiritum
nouum,intelligentiam oraculorum nouam,
& cultum nouum, quo Deum in ſpiritu, &
Ioann.4. veritate adoramus. Hinc ſponſa: Intro-
Cant. 2. duxit me rex in cellam vinariam, & ordi-
nauit in me charitatem. In cellam intrat
vinariam, qui animum tradit contempla-
tioni cæleſtium, & æternorum, vnde amo-
rem ineffabilem,& ordinatiſſimum promat.
Ergo qui inebriari vino diuino optamus,
quæ operatus eſt Deus in nobis, & pro no-
bis,tota mente ſpeculemur. Siquidem ſpe-
culatio, & frequens meditatio mirabilium
Dei,animum ſic innouat, vt nihil eorum,
Pphil.3. quæ retro ſunt, putet ſe ſcire, & penitus
ignoret peccatum, quod primo regnabat
Rom.6. in corpore, factus quaſi modo genitus in-
ſans, in his quæ antiquata malitia conti-
1.Pet.2. nuo docet filios Agar,& eos, qui ſapientes
Iſai.5. ſunt in oculis ſuis, & apud ſemetipſos
prudentes.

CAPVT XXIII.

Et factum eſt iterum cum ſabbatis ambularet per ſata, & diſcipuli eius cæperunt progredi, & vellere ſpicas.

Expoſitio. PRoponit Euangeliſta vltimam occaſio-
nem, quam vltro ſibi æmuli accepe-
perunt, egeſtatem Apoſtolorum, ſeu po-
tius magiſterium Chriſti,qui,eorum depra-
uato iudicio, ſanam doctrinam non doce-
ret diſcipulos. Nam ſabbato colligere ſpi-
cas,piaculum ducebant imperiti homines,
ſeu maledici potius, qui aſſiſtunt omni viæ
non bonæ, & quod licet,abſque iudicio ca-
Pſal. 35. lumniantur;itaque ait Euangeliſta.

Et factum eſt iterum cum ſabbatis am-
bularet. Hoc eſt diebus hebdomadæ, qui
& ſabbati nomen retinent, vt prima ſab-
bati, ſecunda ſabbati,vt apud nos feriæ ap-
Caiet. pellantur. Præſertim vt inquit Caiet.feſta,
quæ pluribus diebus celebrantur,vt Paſcha,
Pentecoſtes, & feſtum Tabernaculorum,
omnes dies habebant ſabbata. Dies autem
hi, in quibus Chriſtus ambulabat paſchatis
erant. Aduerbium *iterum*, non refertur
ad ambulationem per ſata, ſed ad occaſio-
nem, quam iterum iudæi accipiunt calum-
niandi Chriſtum in Apoſtolis. Non enim
bis per ſata legimus Chriſtum tranſiſſe, ſed
ſemel. Vnde, & alij Euangeliſtæ habent
ſabbato, & non ſabbatis; ſed & Syriaca
tranſlatio loco præſenti, legit *in ſabbato*,
quod vna tantùm die id acciderit. Poteſt
quoque *iterum*, anagogicè ſignificare re-
quiem aliam, quam in hominibus præter
eam,qua in diuinitate fruitur. Dixit enim,
ego ſum in Patre. Ego vobiſcum ſum. *Ioann.14.*
Hoc eſt quieſco,quaſi in ſabbato שבת ſcab- *Matth.28.*
bat, enim, ſeu ſabbatum, ideſt, requies, à
שבה ſcabah quieſcere,& ceſſare deriuatur.
Ceſſat autem Chriſtus in Patre,cum ad pa-
trem vadit, & vnum cum ipſo eſt, gloriam
eius quærit, & ab eo clarificatur, hoc eſt,
cum ad inuicem pater, & filius beatifican-
tur in ſemetipſis, ſeu in eſſentia communi
vtrique perſonæ. Et idem ceſſat,& requie-
ſcit in homine cum ſaluat, & redemptio-
nem eius perficit; quia tunc (inquit) ad *Ioann.14.*
eum veniemus, & manſionem apud eum
faciemus.

Per ſata. Sata,per quæ Chriſtus ambu-
lat, & ducit Apoſtolos, ſunt virtutes, quas
in montibus Iſrael, hoc eſt Patriarchis, & *Ezech.36.*
Prophetis, Deus ſeminauit, vt fructum ve-
ſtrum afferatis populo meo Iſrael, dicebat
Deus, qui eò Abrahæ fidem, Iſaac amo- *Galat 3.*
rem, Iacob ſpei robur, Moyſi regimen, *Geneſ.22.*
Dauid docilitatem, Salomoni ſcientiam, *23.* *Exod. 3.*
atque alijs,alia contulit virtutum inſignia, *Pſal.113.*
vt non tàm præſentibus, quam poſteris *3. Reg.3.*
prodeſſent, quibus ſunt iugiter exempla
imitanda; & ſpecula cunctis, qui ad mare
mundi huius accedunt, vt videant quid ſu- Sacerdotum
perſit,aut deſit, quidue ornamenti animæ exempla
ſuæ apponi debeat, & quid mutuo poſſit à quantum poſ
ſanctis accipi. Propterea quaſi famelici ſint.
per ſata, pater Dominicus,Angelicus Tho-
mas, quin & prima illa Eccleſiæ lumina
Hier.Aug. & Greg. ſanctorum vitas diſcur-
rebant, quorum factis plus ſe profeciſſe
gloriabantur, quàm ſpeculatione ſcientia-
rum. Plerumque (ait Gregor. in illud, &
lunam indecentem clarè, lib.21. mor. cap.
5.) ad exercenda bona opera, aliena nos
vtiliter exempla perſuadent. Et cum men-
te humili opinionis alienæ bona ſuſcipi-
mus, noſtra vel ad melius bona perduci-
mus, vel ad bonum mala permutamus.
Cumque nos de vita proximi, famæ ſplen-
dor irradiat; mens noſtra, vt prædiximus,
quæ ad obtinendum virtutis iter ſe dirigit,
quaſi in lunæ lumine greſſus ponit.

Et diſcipuli eius cæperunt progredi.
Diſce item (ſcribit Theophilactus) iuxtà *Theoph.*
Anagogen,quod diſcipuli ſunt in ſabbato,
hoc eſt, in animarum quiete, ſabbatum
enim

enim quietem interpretamur. Quando
igitur quietem habent, ab omnibus affe-
ctionibus, & à dæmonibus non infeſtantur,
tunc iter faciunt, hoc eſt, & alijs ad virtu-
tem duces fiunt, vellicantes omnia, quæ à
terra, & humili phantaſia germinant. Niſi
enim prius quieſcat aliquis ab affectioni-
bus, & ſeipſum in ſolitudinem conferat,
neutiquã alios ad bonum ducet. Sed quid
cæperunt progredi? num antea ſiſtebant?
vtique. Tum enim progredi cæptum eſt,
quando Chriſtus viſus eſt per ſata ambu-
Baruc.3. lare; quando ſcilicet: In terris viſus eſt, &
cum hominibus conuerſatus eſt, cæptum
eſt in latitudine ambulare per vias Domi-
Pſal. 118. ni, & ſemitas Dei noſtri, quia apud Domi-
Pſal. 36. num greſſus hominis dirigetur, & viam
eius volet. Propterea progreſſurus Moyſes
Exod. 4. viam trium dierum orat: Obſecro Domine,
Exod. 33. mitte, quem miſſurus es. Si non tu ipſe
præcedas, non educas nos de loco iſto. In
quo enim ſcire poterimus, ego & populus
tuus inueniſſe nos gratiam in conſpectu
tuo, niſi ambulaueris nobiſcum, vt glorifi-
cemur ab omnibus populis; qui ambulant
ſuper terram? Glorificantur iuſti in vijs, &
operibus ſuis, Domino ſociante, quod nihil
niſi diuinum operentur, & dignum honore
ac bonum; ſiquidem omnia in iuſtis efficit,
nec abſque eo quippiam perficitur. Sine
Ioann. 15. me (inquit) nihil poteſtis facere. Ergo
tunc facimus, cum ipſe facit, & quando ille
ambulat nobiſcum, ſiue *per ſata*, ſiue per
vrbum, tunc incipimus pergere ad iuſti-
tiam, & de virtute in virtutem ire, quouſq;
ad perfectum veniamus.

Et vellere ſpicas. Nota primo ſecundum
Beda. Gloſſam Bedæ. Apoſtolos litteram ſabba-
ti deſtruere contra Hebionitas, qui cum
alios diſcipulos recipiant, Paulum quaſi
tranſgreſſorem legis repudiant. Tametſi
Arias Montanus. (ait Benedictus Arias Montanus) diſcipuli
non ſabbati violandi cauſa, non damni dan-
di ſtudio, ſed quod exurirent, ſpicas lege-
bant. Atqui animam paſcere, & eius cau-
ſa cibos parare ſabbatis licebat; ſed mala
mens omnia, vel ſimpliciſſima, & fraudis
expertia, in calumniam capit. Eſuriunt
Gloſſa. autem diſcipuli (ſubdit Gloſſa) vt homines,
præ turba manducandi ſpacium non ha-
bentes. Sed exemplum auſterioris vitæ
præbent, non præparatas epulas, ſed ſimpli-
ces quærunt. Sed & eſurientes accipere
Ioan. Bened. Iren. ſabbatis eſcas (proſequitur Ioannes Bene-
dictus, ex Irenæo lib. 4. cap. 20.) ex his, quæ
adijciebant, non vetabat lex; metere autem,
& colligere in horreum vetabat. Quia igi-
tur diſcipuli ſacerdotes erant, pars leuitica
illorum erat, ipſis igitur leuiticam ſubſtan-
tiam habentibus, licebat eis eſurientibus à
ſeminibus accipere eſcam. Atque hinc for-
tè Paulus aliunde, quàm à gentibus, quæ
erant eius vinea, atque ager, diſcit cibum
quærere, videlicet operando labore ma- *Act. 20.*
nuum, & non ab auditoribus, cum ex illo-
rum ſubſtantia, poſſet victitare: ſaltem
hoc nobis ſit, magnum paupertatis Chriſti *Paupertatis*
argumentum, nec non ſequacium, qui nul- *in Chriſto,*
lum cibi genus, quo inediæ ſatisfacerent, *& Apoſtolis*
præter ſata, quæ occurrebant, & ſilueſtres *exemplum.*
herbas & germina campeſtria, quæ colli-
gendi, & quibus veſcendi inerat facultas.
Attamen egenus factus eſt, vt illius inopia *2. Cor. 8.*
vos diuites eſſetis, prædicat Paulus. Sed
in quo diuites? quod imitatores eius facti,
Benedictus, Bernardus, Romualdus ex
agris, & ſyluis; Pochonius, Sabba, Anto-
nius de labore manuum; Dominicus de
mendicitate tenui, victum ſimplicẽ abſque
ſollicitudine, & pauperrimum quærere di-
dicerunt, vt diuitias contemplationis, &
quæ in requie opulenta dilectis parantur,
impetrarent; quorum ſtudium ſi nos profeſ-
ſores inſtituti ſancti proſequeremur, abſque
dubio Chriſti diuitias, quas patribus com-
municauit largiter, communes nobis face-
ret. Eſurimus tamen, eo quod abundemus; *Prouerb.*
vel quod *Equi ſenectam*, ſortiti ſimus; vel
quod res in foro noſtro ponderemus. Vtinã
in manu Dei, ac Chriſti nos ſæpe ſcriptos
eſſe, ac noſtra ab eius ſtatera pendere ani-
maduerteremus omnes, vt ſi nõ pauperem,
ſaltem moderatũ victum obſeruaremus, &
qualem cuiuſque ſtatum decet. Denique
adnotandum, cum Tertuliano lib. 4. aduer-
ſus Marcionem, Euangelium contineri in
lege, quaſi in ſpica granum, quod modo
Apoſtoli ab ariſtis, & folliculis ſpicarum
ſeparant, quoniam pretioſum à vili, ab are-
nis aurum, & medullam ſpiritus à cortice
litteræ ſeperaturi eſſent.

CAPVT XXIV.

Phariſæi autem dicebant ei; ecce quid faciunt ſabbatis, quod non licet?

IAm, quàm leui occaſione excitentur *Expoſitio.*
æmuli, videamus. Sola ſpicarum euul-
ſio, & fricatio, quam in Apoſtolis ſabbato
cernunt, ad inſaniam eos excitat, vt ſtatim,
quaſi improperantes magiſtro, exclament;
ecce Magiſter, qui alios doces, te autem ac
tuos non doces, neque ſeruas quæ lex ſan-
cta, in diebus ſanctis, mandat obſeruari.
An nõ vides opus ſeruile à tuis in ſabbato
fieri? non enim licet laborare in die feſto;
tui autem diſcipuli vellunt ſpicas, opus qui-
dem, neque agricolis conceſſum; quanto
minus tuis, qui tuum ſortiti diſcipulatum,
apicem virtutum putant ſe attigiſſe. Ergo,
aut prohibe opus, aut certè te legis euer-
ſorem oſtendis:

Phariſæi autem dicebant ei. Pietatem
præſeferentes, & zelum, quum dolo reple-
rentur, & efferuerent inuidia, atque freme- *Pſal. 2.*
rent

rent aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius, Luc 2. qui apud homines ſapientia, & gratia creſcebat continuo, vt penitus religio ſua Phariſaica videretur in nihilum redigi, atque damnari. Gen. 37. Hæc enim odij, atque inuidiæ cauſa extitit; meliorem enim ſe pati nequit mens mala, ac propterea quem aperto marte non aggreditur, ſimulato zelo impetit, & fictis verbis aggreditur. Eccl. 10. Propterea exhonorauit Deus cõuentus malorum, & deſtruxit eos vſque in finem.

Ecce quid faciunt ſabbatis. Mirari ſatis nequeo præponi *Ecce*, quod in ſcripturis ſemper olfacit myſterium, in opere, & animaduerſione maligna, cui dabant operam Phariſæi. An non myſterium, Phariſæos, Mali quandoque regũt in populo. qui de Religione gloriabantur dementaſſe? quid quęſo admirabilius ignorari ius regni, penes quos regimen eſt? Iterum dico admirabilius, vt exclamare cogar. Rom. 11. O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & ininueſtigabiles viæ eius; quod velit regnare hypocritam, qui lupum agat in populo; quod paſtorem eleuet, qui ſit idolum in templo; quod Principem imperio ornet; qui mane comedit, & tota die vſque ad veſperam ebrietati indulget; quid? dicam ne? *Deorum filij inuulnerabiles ſunt.* Vtcunq. dicam. In omni pene ſtatu quandoque peiores creantur, & iuſtioribus peſtilentiores imperant. Hoc ego dico. Ecce hoc mihi eſt admirabile, atque etiam cantori, qui concinit: Pſal 72. Exiſtimabam, vt agnoſcerem hoc, labor eſt ante me, donec intrem in ſanctuarium Dei, & intelligam in nouiſſimis eorum. Verum qui infelix hominum genus malitiam ſtudiorum ſuorum ſimulent, Et multa quæ non ſeruant præcipiunt. paululum conſiderato o lector, vt ſe præbeant, aut certe videantur optimi miniſtri regis, & zelum Dei habere, quid in ſabbatis agatur diligenter attendunt, quod nullum ſeruile opus fiat, ſtatuunt, prohibitiones multiplicant illis diebus, & affirmationes, vt quod Eccleſiæ ornentur, adſint Predicatores, miſſæ non deſint, Monachi non diſcurrant, non fiant conuenticula in templis, atque alia, quæ pietatem habent, & merentur laudem; ſunt tamen gemmæ, quas dura oſtreæ oſſa nobis offerunt; qui tamen auri ſacra ſame tenemur, Iſai. 12. hauriamus aquas cum gaudio de fontibus Saluatoris, terram autem vnde ſcatent, non curemus; quoniam ſcriptum eſt: Quæcunque dixerint vobis, ſeruate, & facite, Matth. 23. ſecundum autem opera eorum nolite facere, dicunt enim, & non faciunt.

Quod non licet. Hoc profitentur Phariſæi, quid autem liceat, ignorant. Nati enim ſunt prohibitionibus, & negatiuis præceptis humeros hominum onerare, quæ digito ſuo formidant mouere; Matth. 23. Rom. 2. immo verò non tangunt. Prædicant enim non furandum, & ipſi furantur, non mœchandũ, mœchantur. Quid? etiam non ſpuendum in terra, & ipſi à fundamentis domum euertunt. Dumque alijs ſtatuunt, non loquendum in choro, non garriendum in clauſtro, neque in refectorio ſuſurrandum? ipſi ſe proferunt domi leones, cicado, in vnoquoq. monaſterij angulo. *latrant muribus, catos lambunt*. Dicam ne? *In principio aſini, poſtea bubuli*. Tantum enim norunt clamare, non licet, non licet, & ipſi licentius multo, quàm par eſt, licitis abutuntur, nec alijs ſtudent, quàm quod non licet, faciant. Verum ne bonos carpamus, & prætioſum à vili ſeparemus, intellige lector ſermonem de Phariſeis, qui ſe alios ſimulant, vt poſſint præeſſe, ſed quales ſint acta patefacient.

CAPVT XXV.

Et ait illis. Numquid legiſtis, quid fecerint Dauid, quando neceſſitatem habuit, & eſuriit ipſe, & qui cum eo erant.

STolititiam Phariſeorum, & malitiam Expoſitio. quiſque vidit; iam contempletur, quæſo, ſapientis reſponſum, quàm prudenter tigridum ferocitatem reprimat, atque rabiem caninam depellat. Non quidem clamorem rugitu opprimit, neque balatum vlulatu conturbat, ſed eleganti ſermone, & hiſtoria delectabili, atque pia, impietatem reuincit, docetque ſciolos quid liceat, & quàm congruum ſit ſuo vti iure, ac lege naturæ ijs, qui in extremis ſunt poſiti: ſignatum eſt enim ſuper nos lumen vultus Pſal. 4. Dei, quo vt lucerna pedibus monemur, de- Pſal 118. clinare malum, quod imminet naturæ, & Pſal. 33. facere bonum, quod illúſtrat eandem, & ab iniurijs liberat occurrentium temporum. Etenim vt cælum ſuis temporibus aſtra proponit, ſic præcepta lex variat, quæ temporibus, negocijs, perſonis & caſibus quadrent. *Imperator bonus, & idem robuſtus miles*.

Et ait illis. Placido eloquio, vt impacatos animos ſedaret, & malignitatem, quæ miſerorum viſcera corrodebat, ſanaret, aut certè conuinceret. Talis enim fuit finis reſponſionum, quæ inuidis, & hoſtibus Chriſtus dedit. Quia argentum electum Prou. 11. lingua iuſti; erudit enim os eius, & docet Prou. 16. hominem ſcientiam, & ſapientiam hos, qui aberrant ab vtero, & falſa locuti ſunt. At, Pſal 97. inquit oraculum: Quàm aſpera eſt nimium Ezech. 6. ſapientia indoctis hominibus, & non permanebit in illa excors. Quaſi lapidis virtus, probatio erit in illis, & non demorabuntur proijcere illam. Quod in his impletum eſſe, deponit per prophetas ipſe

Chriſtus

[*Pſal.119.*] Chriſtus: Quum loquebar illis, impugnabant me gratis; locutus ſum, & non audierunt ſermones meos. Sapientiam enim [*Eccl.1.*] atque doctrinam, ſtulti, quorum infinitus eſt numerus, deſpiciunt.

Numquid legiſtis. Aſſumit ſcripturam, vt proprijs armis audaces, & temerarios transfigeret; legis peritos, & ſcripturæ gloriabantur ſe eſſe, cum tamen oblatum li- [*Matth.2.*] brum neſcirent legere. Erratis neſcientes ſcripturas, dicebat eis; quantum vero errarent, & nunc, & ſæpe alias ex ijſdem ſcripturis demonſtrat, proponens modum nobis, quo poſſimus hæreticorum inſaniam [Hæretici per ſcripturam conuincẽdi.] repellere; videlicet, ſcripturarum vera, & ſincera lectione, quam mendoſi homines, & falſarij ignorant, adulterinis vtentes, & obſcuratis. Quoniam omnes ſenſus hære- [*Phili. preſb.*] ticorum (ait Philippus presb. lib. 2. commentariorum in Iob. cap. 24.) nocti & tenebris comparandi ſunt, qui cum de lege furentur, & euangelio, vnde ſibi eoſdem prauos ſenſus de cordis ſui figmento componunt, manifeſtum eſt, quia ad auctoritatem ſibi faciendam aliena furantur, de quibus [*Zach. 5.*] ſcriptũ eſt: Vidi (ait Propheta) & ecce volumen volans, longitudo eius viginti cubitorum, & latitudo eius decem cubitorum. Et dixit Dominus ad me. Hæc eſt maledictio, quæ egreditur ſuper faciem omnis terræ, & venient ad domum furis, & ad domum iurantis in nomine meo mendaciter, & commorabitur in domo eius & conſumet, & ligna eius & lapides eius. Et Dominus de his dicit in Euangelio, cum de veris paſtoribus, loqueretur. Qui autem [*Ioann.10.*] aſcendit aliunde, ille fur eſt, & latro. At latroni, qui noctis obſcuritate vtitur, occurrendum eſt luce, vt confuſus abeat. Eſt autem lux, & veritas diuinitus inſpirata ſcriptura. Ergo qui miniſter es Chriſti, hæretico peſtilenti dicito. *Nunquid legiſti?* vt ſi cum Arrio diſputas; nunquid le- [*Ioann. 10.*] giſti: Ego & pater vnum ſumus? etſi aduerſus omnium poſtremum agere diſponis, vtpotè Lutherum, qui terræ limum, [*Rom.14.*] vt ille cælum cæli; *nunquid legiſti?* Regnum Dei non eſt eſca & potus? verum enimuero, qui tam acri ictu hoſtem diſponit ferire, legat ipſe diligenter ſcripturas, & diligenter diſcutiat, quem ſenſum, quamque vim patiatur, ne fortè incidat in manus illius, de quo ſperabat triumphare.

Quid fecerit Dauid. Et quid fecit Dauid? [*Pſal. 118.*] Feci, inquit, iudicium & iuſtitiam, non tradas me calumniantibus me. Suſcipe ſeruum tuum in bonum, non calumnientur me ſuperbi. Ergo audite Reges, & intelligite Principes, quos Deus poſuit, vt ſitis miniſtri eius, vt iuſtitiam & iudicium in omni tempore faciatis. Audite iterum illum, qui in miſericordia conſecutus eſt ſedem regni, cuius roboratur thronus in ſæculum ſæculi; cuiuſque ſceptrum virga directionis, virga regni ſui. [*Pſal.44.*] Is eſt, qui vobis ait, feci iuſtitiam in memetipſo, quam dilexi, & iniquitatem odio habui, vt diſcatis bonas & vos, facere vias veſtras, & populis vos irreprehenſibiles exhibere. Is quoque fecit iudicium rectum, nullius perſonam in iudicio excipiens, ſed iudicans in æquitate pro manſuetis terræ, qui à potentioribus calumniam patiuntur; vt & vos peruerſum fugiatis iudicium, & æquitatem in omnibus ſedulo ſeruetis, ne durum aduerſum vos fiat iudicium; regni ſedem auferat, diadema proijciat, & imperium melioribus tradat; vos autem in profundum demergat. Hic enim eſt finis eorum, qui tantum à iuſtitia, & iudicio abeunt, vt nihil præter calumniam meditentur, ſolam colant tyrannidẽ, & Nabuchodonoſori ſuperbi, Pharaones auari, Cæſares oppreſſores, Veſpaſiani onerosi, Tiberij potatores, Caij guloſi, Herodes crudeles, & Antiochi blaſphemi in Deum, & ſancta, ſe eſſe gloriantur. Talium ſedes deſtruxit Deus, & ſedere fecit mites Chriſtianos pro eis, qui ſi ab exemplo Dauid, quem Deus vnxit, declinauerint, magnificabitur in eis cantus: Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles; [*Luc.1.*] vt & in multis regnis impletum cernimus, & in alijs ad cantum cerno cantores præparari; ſed miſſis *lugubribus* ad læta Chriſti eloquia redeamus.

Quando neceſſitatem habuit. Mihi hoc iucundius eſt, quàm Regem in ſede regni videre. Quinimo nihil Regi terreno vtilius, quàm quod neceſſitatem habeat, afflictiones animi ſentiat, ſuſtineat infirma, & [Afflictio dat intellectum.] dura quandoque, vt cæteri hominum, patiatur: ſic ſe nouit hominem Alexander, qui diuinitatem in ſeipſo meditabatur; ſic [*Dan.4.*] excelſum confeſſus eſt Nabuchodonoſor, [*Dan.3.*] qui non ad ſe ſolum, ſed ad ſtatuam voluit omnes prouolui; & ſic Antiochus, qui neque ſacris aris pepercit, coactus eſt mi- [*2.Mach 9.*] ſericordiam poſtulare, ſera tamen pœnitentia miſericordiam non meruit. Sed & ex noſtris multos neceſſitas traxit ad meliorem vitæ rationem, & quandoque ad vitam monaſticam, & nonnullos effecit heremi cultores, dicentes: Bonum mihi, quia humiliaſti me. [*Pſal.118.*] Namque humiliatus, inquit: Neque vltra elati ſunt oculi mei, neque am- [*Pſal.129.*] bulaui in magnis, neque in mirabilibus ſuper me. Et vt dicebat noſter Franciſcus. Quod fuit mihi amarum, Dominus conuertit illud in dulcedinem. [*Franc. in teſtam*]

Et eſuriijt ipſe. Rarò accidit Reges eſurire, qui epulantur ſplendidè, & in abundantia cibi, Regis magnificentiam oſtentant. Prodigioſum ergo eſt, & ab alto prouiſum, quum ſimile accidit, ſiue in fame, quam Deus ſuper terram vocat; ſiue

in

in bello, quod Deus aduerſus regios luxus ſanctificat, vt qui eſurie viduarum domos, & pupillorum replent, & egeſtate vulgum perimunt, famem & ipſi ſentiant, diſcantq. ſua penuria pauperibus, quos ſpoliauerunt, compati, vel potius percutiantur plaga crudeli, vt in alios extiterunt crudeles. Eſuries, quam ſuſtinuit Dauid, in exercitium, & patientiæ argumentum, ac virtutis ſuæ laudem ceſſit; qui maluit pati famem, quàm deprædari cum poſſet; multoque durius iudicauit Regi contradicere, quàm parare fugam, & inediam extremam patiēter ferre. Sciebat enim, quia: Miſericordiam, & veritatem diligit Deus, gratiam, & gloriam dabit dominus, neque repellit in finem, ſed pro diebus, quibus humiliat, exaltat, & lætari facit, & eos qui ſe cuſtodiunt ab iniquitate epulari, & de bonis ſuis manducare. Vnde hac ſpe, & fide, panes ſanctos qui Domino conſecrati erant, non eſt veritus eſuriens in cibum ſumere.

Pſal. 83. *Pſal. 43.* *Pſal. 89.* *1. Reg. 21.*

Et qui cum eo erant. De domo patris ſui, de tribu Iuda, & profugi ex Iſrael, & qui ſequebantur toto corde Dauid in aduerſis, ſicut in proſperis; quia fidelis Dauid fideles meruit ſocios habere, qui non ſolum miſericordiam cum eo facerent, ſed pro eo penuriam extremam paterentur, & iura mutuæ, & optimæ amicitiæ obſeruarent, omni enim tempore diligit, qui amicus eſt, & frater in anguſtijs comprobatur. At ſtultus homo plaudet manibus cum ſpoponderit pro amico ſuo. Sponſionem autem quamprimum retractat, quia eſt amicus ſocius menſæ, & quem Plutarchus in de tranquillitate deſcribit. Amicus homo, eſt animal facile, inquit, natura mutabile; de quo Ariſt 4. Ethi. Prauus nihil amicũ habet, nec ad ſeipſum, nec ad alium. Cum tamen amicus ſe debeat habere ad amicũ, tamquã ad ſeipsũ, quia amicus eſt alter ipſe.

Reg. 22. *Prou 17.* *Eccl. 8.* *Plutarchus* *Ariſt.*

CAPVT XXVI.

Quomodo introiuit in domum Dei ſub Abiathar Principe *ſacerdotum, & panes propoſitionis manducauit, quos non licebat manducare, niſi ſacerdotibus, & dedit eis, qui cum eo erant.*

Expoſitio. *1. Reg. 21.* *Euthym.*

Habetur hiſtoria 1. Reg. 21. ſed ibi ſub Achimelech, non ſub Abiathar, & liber pſalmorum, in titulo pſalmi 33. habet Abimelech, vt notat Euthymius, qui loca ſic conciliat. Manifeſtum, inquit, eſt, quod binominis fuerit, vtroque modo appellatus Achimelech, vel Abimelech, quemadmodum, & alij Hebræi. Cognomen vero Abiathar habuit à progenitoribus deductum. Ideo filius quoque eius ſimiliter Abiathar vocatus èſt, vel etiam aliter (ſubdit Theophilactus) liber regum ſacerdotem dicit eſſe Abimelech. Euangeliſta autem Pontificem Abiathar. Vnde hæc inter ſe non ſunt diuerſa. Erat enim ſacerdos Abimelech, Pontifex autem Abiathar. Non tamen viuente patre (vt Ioann. Hentenius in ſcholijs ſuper Euthym. innuit) geſſit pontificatum, ſed eo occiſo (Saul imperante) Dauid eum creauit Pontificem, poſtquam regnum accepit. Quare (inquit Beda) hoc nihil habet diſſonantiæ, ambo etenim fuerunt illic, cum veniens Dauid panes petijt, & accepit Abimelech, videlicet Princeps ſacerdotum, & Abiathar filius eius, occiſo autē Abimelech à Saule, fugit Abiathar ad Dauid, & comes factus eſt totius exilij eius. Poſtea, eo regnante, ſummi ſacerdotij & ipſe gradum accepit, multoque maioris excellentiæ filius, quàm pater effectus eſt. Ideo dignus fuit, cuius memoriam Dominus, etiam viuente patre, quaſi ſummi ſacerdotis faceret. Hæc de veritate hiſtoriæ cuius plura apud Matth. 12. require. Interim litteram proſequar.

1. Reg 22.

Quomodo intrauit in domum Dei. Hoc eſt in Nobe vbi erat tabernaculum. Domum à Salomone habere Deus cæpit. Vocatur autem tabernaculum domus Dei, vt locus alius quiſpiam, in quo peculiari ſigno Deus agnoſcitur. Iuxtà illud: verè Deus eſt in loco iſto, & ego neſciebam. Pauenſq. quàm terribilis eſt, inquit, locus iſte, non eſt hic aliud, niſi domus Dei, & porta cæli. Vnde, & domum Dei dicimus non ſolum Eccleſiam materialem, quæ ſacram Euchariſtiam continet, ſed & animum ſapientis, in quo Deus ſedet, & manſionem facit, nec non montem, vallem, domumque priuatam, quibus in locis ſe Deus ſuis cultoribus communicat.

Gen. 28.

Sub Abiathar principe ſacerdotum. Dictum eſt cur ſecundum litteram Abiathar ponatur, modo intelligentiam ſpiritus perſcrutemur. Abiathar, pater excellens interpretatur, ex אב *ab* pater & יתר *iathar*, excellere, ſupereſſe, exuperare, vnde יתר *iathar*, excellens. Et quis pater excellens, niſi Chriſtus? & vocabitur nomen eius admirabilis, conſiliarius, Deus, fortis, pater futuri ſæculi, Princeps pacis. Vnde & excelſus reputatus eſt ipſe (dicit Iſaias) quia Dominus dixit: Et ego primogenitum ponam illum, excelſum præ regibus terræ. Excelſum, inquam, laudatum, vti עליון *ghelion*, hoc in loco poſitum, ſignificat, quia ſoli Chriſto proprium eſt ab omni creatura laudari, extolli, & ſublimari, eique genu curuari. Ergo quia ſub Chriſto accidit factum ſimile priori, quod ſub Abimelech, vel Achimelech, Dauid peregit, ponitur hoc in loco *Abiathar*, cuius interpretatio

Iſai. 9. *Iſai. 2.* *Pſal. 88.*

magis

magis Chriſto conuenit, quàm Abimelech, ſeu Achimelech. Tum maximè quod Princeps ſacerdotum commemoretur. Pontificem autem maximum, & vnicum ſcimus Chriſtum eſſe. Pontifice ergo Chriſto, qui eſt Abiathar optimus, Apoſtoli dimiſſo legali præcepto, lege naturæ vti ſunt, vt ſatisfacerent egeſtati. Quoniam ſub Chriſto legalia ceſſare debebant, & legis naturæ præcepta renouari, quibus ſolis, vtpote decalogo, animæ indigentijs ſubuenitur.

Et panes propoſitionis manducauit. Erant
Lyra. (inquit Lyra ſuper 1.reg. cap.21.) panes in triplici gradu, aliqui dicebantur panes propoſitionis, qui erant liciti ſacerdotibus tantum; & panes oblationis, qui offerebantur in altari holocauſtorum, & illis vtebantur Leuitæ; & panes communes, quibus omnes indifferenter poterant vti, & dicuntur hi panes laici. Quid propoſitionis panes duodecim ſignarent, docet Orig.
Origen. hom.23. in Leuit. in illis Chriſtum præuotari, quem in Euchariſtiæ ſacramento manducamus. Hom.vero 9. in Geneſim. Hos
Philo. panes facit Apoſtolos. Philo, Aug. Ambr.
Aug. Bernardus, atque alij plura de his referunt,
Ambr. quæ vt minus loco accomoda prætermitti-
Bernard. mus. Tantum ex littera collige non ſolum ſibi panes propoſitionis accepiſſe Dauid, vt liber Regum videtur innuere, dum dicitur ibidem; quare tu ſolus, & nullus eſt tecum? ſed & ſocijs, quos ad alia loca præmiſit, vel alicubi latitare iuſſit.

Quos non licebat manducare niſi ſacerdotibus. Quemadmodum Exo.29. Leu. 8.
Exod.29. & 24. legimus. Cur autem ſolis ſacerdo-
Leuit.8. tibus liceret? in typum veræ communio-
Leuit.24. nis factum crederē cum Beda. Hanc enim licite, manducant tantum, qui ſunt genus
1.Pet.2. electum, Regale ſacerdotium, gens ſancta, qui, inquam, per gratiam, qua vnimur Chriſto, ſummo ac vero ſacerdoti, facti ſumus ſacerdotes ſpirituales. Namque alij
1.Cor. 11. peccati obnoxij iudicium ſibi manducant. Vt alimentum alendi naturam vim habens, ſi in eum, qui malè concoquit, incidat, omnia deſtruit, atque corrumpit, & morbi
Chriſoſt. occaſionem præbet; ita inquit Chriſ. hom.
Auguſt. 17. ad Hæbreos, & horrenda illa myſteria. Et Aug.lib.5.de bapt. ſicut Iudas, cui buc-
Ioann. 13. cellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, ſed malè accipiendo, locum in ſe diabolo præbuit; ſic indignè quiſque ſumens Dominicum ſacramentum, non efficit, vt quia ipſe malus eſt, malum ſit, an quia non ad ſalutem accipit, nihil acceperit; accipit quidem, ſed non licitè, renerentur, neque vtiliter. Solus ſacerdos ſpiritualis, quem gratia conſtituit, licitè Euchariſtiam manducat, & effectus qui de ea prædicantur, mirabiles experitur.

Et dedit eis, qui cum eo erant. Egebant enim, & in extremis conſtituti, panes ſanctos potuerunt vnà cum Dauid manducare. Voluit ergo Chriſtus narratione hiſtoriæ ſecundum Gloſſam ordinariam dicere. Si Dauid, & Achimelech à nobis non reprehenduntur, ſed pro fame excuſantur, cur in his cauſam improbatis, quam in cæteris probatis? quamuis ſit magna diſtantia, hi ſpicas confricāt, illi panes propoſitionis comedunt; & appropinquabat dies ſabbati neomeniarum, quando in conuiuio requiſitus, fugit ex aula regis.

CAPVT XXVII.

Et dicebat eis, ſabbatum propter homines factum eſt, & non homo propter ſabbatum.

EXemplo propoſito ſatis à calumnia vindicauit Apoſtolos, & excuſauit à *Expoſitio.*
peccato, quod Phariſęi improperabant eis: modo rationem addit efficaciſſimam à fine ſabbati petitam, qua perſuadet nihil contra ſabbati legem Apoſtolos perpetraſſe. Nam ſi ſabbatum, inquit ad hominē ordinatur, quomodo poteſt in hominis damnū, & interitū quandoque ordinari? inſeruiunt enim fini media, quæ ad eum ordinantur, & non obſunt. Rurſus ſi homo non eſt propter ſabbatum, nuſquam ſabbati præuaricator cenſendus eſt, quando ob conſeruationem ſui ſabbati legem prætereat. Siquidem præuaricator is ſolum cenſetur, qui finem vltimum, propter quem eſt, vel contemnit, vel minus ducit, neque leges eius obſeruat. At finis vltimus, propter quem rationalis homo conditus eſt, ſabbatum non eſt, ſed Deus, qui indixit ſabbatum, vt homini per ſabbatum indicaret requiem, quam ex operibus colligeret, & in omni bono opere poſſet ſperare. Ergo ſi ſabbatum datur medium ad finem, cum detrimento finis obſeruari nequit, ſed iure præteritur, quando interitus imminet voluntarius, quem finis Deus prohibet, dicens. Non occides. Occideret autē quis
ſe ipſū, qui potens, nollet ob ſabbatū extre- *Exod 20.*
mæ indigentiæ ſubuenire. Preſertim cū non adſit neque contemptus, neque illicitum aliud occurrat præter legem ſabbati, quæ, vt diximus, propter hominem eſt.

Et dicebat eis. Volens ſapiens magiſter ab errore reuocare, eò enim efficaciter ſæpius homines aggrediebatur, & argutè veritatem eis concludebat, vt nequirent reſpondere. Quemadmodum quando inter-
rogauit eos Chriſtus: Cuius filius eſt? quan- *Ioann. 8.*
do dixit: Ego dæmonium non habeo. quando in publicum prodijt dicens: Quis ex vobis arguet me de peccato? atque alias ſæpè dicebat tam efficaciter Iudæis, quæ ſecundum rationem ſunt, vt non habe-

reut quid reſponderent ei, ſed vnus poſt *Pſal.67.* vnum ibat, & fugiebant tanquam cera à facie ignis.

Sabbatum propter hominem factum eſt. *Arias Mont.* Alludit (inquit Benedictus, Arias Montanus in Mar.) ad communem olim Iudæorum ſententiam de ſex rebus ante mundum creatis, inter quas illi ponunt ſabbatum; quam redarguit Ieſus re ipſa, & certo argumento ex nominis notatione. Sabbatum quietem ſignificat, & quies relationem quandam indicat. Quies enim ceſſatio eſt à labore, ac recreatio, ſed hæc ad hominem referuntur, vt ſcilicet, homo ceſſet & recreetur, quod ſi non ſit homo, nullum eſſe poteſt ſabbatum. Potuit quidem eſſe homo, & tamen ſabbatum non eſſe, aut inſtitui. Vt autem ſabbatum inſtituatur, homine nullo exiſtente, fieri non poteſt. Igitur ſabbatum factum eſt, vt in illo homo quieſceret à labore. Eſt autem inter labores corporis graues, etiam fames, ab hac etiam quieſcere poteſt homo ſabbato, alias ſi homo ex fame periret, ſabbatis laboraſſe grauiter iudicaretur, quod ſi neceſſe eſt hominem, aut ſabbatum perire, omnino præſtaret ſabbatum homini poſthaberi, dummodo nulla eſſet culpa in homine contra veram obſeruantiam ſabbati. Animam autem ſeruare ſabbato, non labori, ſed quieti eſt adſcribendum. Ego etſi ſenſum hunc cum reliquis probem, alium contemplor multo altiorem, videlicet propter Chriſtum factum eſſe ſabbatum. Nam homo in ſingulari poſitus, tam in veteri, quam nouo teſtamento, ſecundum Hier. ple- *Hieron.* rumque Chriſtum ſignificat. Vnde iuxtà myſterium hoc, voluit Chriſtus hiſce verbis dicere; ſi ſabbatum propter me factum eſt, cur iraſcimini, quod diſcipulis meis conſentiam ſabbato facere inſolitum, poſſum ego ſabbati legem hac in parte ſoluere, & totum transferre, & permutare.

Et non homo propter ſabbatum. Ergo ſi homo non eſt propter ſabbatum, ſed è contra, poteſt homo contra ſabbatum facere ad vitæ tutelam, vt prohibitos cibos comedere, ſacrum non audire, & ſimilia? Abſit, quoniam tunc non facio contra legem ſabbati, ſed contra Deum, & Eccleſiã, & in multorum perniciem ſcandalum perpetro, vt optimè Eleazarus ille aduertit his, qui *Machab.6.* carnes porcinas ſuadebant clam comedere.

CAPVT XXVIII.

Itaque Dominus eſt filius hominis, etiam ſabbati.

POſtremam, & validiſſimam adhibet ra- *Expoſitio.* tionem, vt excuſet Apoſtolorum factum, nihilque mali egiſſe perſuadeat. Nam filius hominis, inquit, qui eſt Dominus vniuerſorum; poteſt quoque in ſabbatum, vt poſsit cum quo voluerit diſpenſare, & eum à lege ſabbati liberare. Quinimo diſſoluere poteſt, & tranſmutare.

Itaque Dominus eſt filius hominis. Hoc eſt ego, cui loquimini, quem preſentem videtis, & auditis, vt vnum ex vobis, ego ipſe ſum Dominus, cui omnia tradidit Pa- *Matth.11.* ter in manus, & potentiam, vt in cælo, & terra haud ſecus, quam Rex Regum, & Dominus Dominantium, poteſtatem exerceam. Ergo, ſi Dominus; omnia mihi ſubiecta ſunt, nec quiſquam valet, quæ ipſe ſtatuam, reprehendere, ſed probare omnes tenentur, quæ mihi placent fieri.

Etiam ſabbati. Ac propterea ſabbati feſtum in Dominicam tranſtulit, non ſolum vt Reſurrectionis diem celebrẽ faceret, ſed vt ſabbati Dominum ſe oſtenderet. Ceſſent ergo Iudæi inſimulare Chriſtianos, & incuſare, vt ſacrilegos, quod decalogi præcepta non ſeruent. Nam Dominus eſt, qui ſabbatum ex ſabbato fecit, qui feſtum ſabbati in Dominicam diem tranſtulit, in qua requiem celebrari præcepit, non quæ corpus à ſeruitute liberat, ſed quæ animum ad requiem opulentiſſimam transfert, vt ſit perpetuo in pulchritudine *Ephes.2.* pacis, ad quam nos ducat pax noſtra Chriſtus. Amen.

FINIS LIBRI SECVNDI.

IN SACROSANCTVM CHRISTI EVANGELIVM SECVNDVM MARCVM

LIBER TERTIVS.

IN CAPVT TERTIVM PRAEFATIO.

Summariũ totius capitis.

POSTQVAM muſſitantium ora obſtruxit, ſeque ac ſuos, à calumnÿs liberauit, prædicationem proſequitur, & miracula, quæ Patrem glorificant, & ædificant populum, ſedulo peragit, vt nihil quod ſuſcepti muneris eſt, ac redemptionis, videatur præterire: ſed omnem mouet lapidem, vt in Iſrael ſalus fiat.

Itaque quò Iudæi conuenerant, vt ſacram lectiouem peragerent, vtpote in Synagoga, intrauit denuo, habiturus ſermonem, de diuinis, quæ ſitibundi mortales optabant audire. Paululum ergo digreſſus, occaſione infirmi, cuius manus aruerat, ſtatuit miraculo prædicationē confirmare. Quamobrem producto in medium infirmo, propter inuidos, & detractores iubet eum ſabbato benè valere. Videns tamen nihilo meliores effici Iudæos, ſeceſſit ad mare, ſequentibus turbis, & ægris, qui vt ſalui fierent irruebant in eum. E mari ad montem aſcendit, & inde duodecim, quos ex multis elegerat apoſtolos, poteſtate in ægros, & dæmoniacos conceſſa, prædicatobes verbi Dei conſtituit. Quo facto, domum rediens, turba denuo eum circumuenit, miraculis, & prædicatione Chriſti delectatã, quibus & frui tũ maximè appetebat. Sec tt autem Nazareni, qui velut furioſum retinere eum quærebant. Adhuc multò magis Phariſæi Chriſto detrahebãt, quem non amentem, ſed Magum, qui ſcilicet conueniens cum dæmonibus, in Beelzebub eorum principe, efficere cuncta ab ÿs fingebant. At vectus Dominus tantam infamiam non diſſimulat, ſed eliminat efficaciter. Quare conuocatis detractoribus, & ſuſurronibus, argumentabatur ab impoſſibili, ſi ego (inquit) arte dæmonis dæmoniũ pello, ergo dæmon aduerſatur dæmoni, et aduerſantiũ mutuò non eſt vnum regnum neque domus, quin diſſoluantur. Rurſus quis vnquam vidit fortem deÿci, niſi per fortiorē? ergo qui pello dæmonē, non fauore eius, ſed fortitudine, qua excello, fortia quæque iubeo ab obſeſſis exire. Quare blaſphemaſſe eos in Spiritum ſanctũ cõcludit. Interim mater vnà cùm cæteris diſcipulis, foris ſtabant, optantes audire ſermocinantē, quod cum renuntiatũ ei fuiſſet, neq. prædicationem dimiſit, neque intrare iuſſit, neque tum ad eos deſcendit, ſed eos dixit ſibi fore matrem, ac fratres, qui Dei voluntatem implerent, & iuſſa facerent. Hæc eſt totius capitis breuis paraphraſis, & ſumma, quam in tres partes libet diuidere. Prima Chriſti geſta in ſynagoga continet. Secunda enarrat, quæ in mari, & monte idem cùm ſequentibus egit, atque diſcipulis. Tertia domi acta proponit. Quorum ſingula cæleſti adiuti gratia, ſequentibus capitibus perſcrutemur.

CAPVT PRIMVM.

Et intrauit iterum in Synagogam: & erat ibi homo habens manum aridam.

TAmetſi vt ederent carnes Chriſti, paſſim Iudæi conuenirent, & eis quæ fiebant, dicebanturq. iugiter detraherent, non frãgitur dilectio fortis, neque lampas flammæ ardentis extinguitur, quinimo ardentior fit, & promptior in his, quæ iuuare poterant phreneſi percitos, & ſanare fœtores, & horrores, quos continuo phariſaica malignitas eructabat. Quare poſt calumnias, quibus inſimulabant magiſtrum, necnon diſcipulos, iterum redit ad eos immemor iniuriæ; intrat ſabbato ad eorumdem Synagogam, vt vnus ex eis; enarrat eloquia ſancta Dei; eſſeque cum homine infirmo, cuius manus aruerat, non dedignatur is, qui nihil deforme patiebatur; ſed erat ipſamet rectitudo, & pulchritudinis ornamentum; quia dilectus meus candidus, rubicundus, electus ex millibus. Cant. 5.

Expoſitio.

Et intrauit iterum in Synagogam. Videlicet in alio ſabbato, ait Lucas, vt inde præſentem narrationem continuari priori, facilius perſuadeamur, quod etiam aduerbium, iterum, videtur innuere. *Intrauit*; vt aſſueta beneficia impleret, à quibus qui bonus natura eſt, nunquam abeſt; ſed ſolem ſuum continuo oriri facit ſuper bonos, Luc. 6. Pſal. 76.

Digitized by Google

& malos, & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos,
Pſal. 76. non valens in ira ſua, continere miſericor-
dias ſuas. Neque enim ſaphirus, neque pul-
chrum aliquod, ſiue natura, ſiue arte con-
fectum (ſi liberum eſſet ei) vellet à pulchri-
tudine ſua diſcedere; quanto minus is, qui
illud condidit, vult, aut debet, aut poteſt
bonum, quod eſt ipſum pulchrum, depone-
Deus non deſiſtit operari bonum. re. Et quod eſt bonum eius? Oleum effuſum
nomen tuum, & bonũ tuum. Bonum autem
quid? diffuſiuum ſui ipſius, vt ſeipſum com-
Cant. 1. municare lumen in tenebris non ceſſet, ſed
tenebræ non comprehenderunt. In propria
Ioan. 1. venit, & ſui eum non receperunt. Semel ne?
Luc. 2. & ſemel intrauit natus de Virgine, & iterũ
venit, atque iterum. Sed quando receſſit,
Matth. 28. aut abeſt? Ego vobiſcũ ſum, vſque ad con-
ſummationem ſæculi. Fortè ne imperans?
Luc. 22. tanquam qui miniſtrat, & ſponſus qui noſtri
amore vulneratus, & à Patris dextra, & à
Cant. 2. ſacramento altaris, iugiter clamat: Surge,
propera amica mea, columba mea, formoſa
mea, & veni. Quid veni? aperi mihi ſoror
Cant. 5. mea. En vocem dilecti pulſantis, ò mor-
tales? hanc præmittit, eandem intromiſſus
continuat, nec ceſſat iterum, ac denuo, vt
hyrundo, eumdem repetere cantum, ſi quo
modo pulli agnoſcamus parentem, ſequa-
mur, imitemur, intromittamus, retineamus
& incrementa frugum per eum ſuſcipia-
mus, quouſq. digni ſimus, eum tenere, nec
iam dimittere, ſed in æternum poſſidere.

*Et erat ibi homo habens manum ari-
dam.* In Synagoga manus arida? o facinus!
Synagoga conuentus eſt ſacerdotum, qui
docent legem, & congregatio fidelium, qui
Eccl. 9. ocius operantur quodcumq. poteſt manus
eorum. deniq. eſt cætus ſanctorum, qui Deo
placere ſtudent, in hoſtijs, ſacrificijs, & mu-
Manus arida quid deſignet. neribus; quomodo ergo inter hos manus ari-
da, quæ ſemper eſt ocioſa, nec legem dictat,
neque nouit, neque poteſt ad pauperem ſe
extendere? Proh dolor. Auaritia in capite
Hier. 6. omnium; à minore quippe, vſque ad maio-
rem, omnes auaritiæ ſtudent, & à propheta
vſque ad ſacerdotem cuncti faciunt dolum.
Hilarius Hæc quæ in manu arida (vt Hilarius ſuper
Ambroſius. Matth. can. 12. & Ambr. ſerm. 8. aiunt) præſi-
gnantur, inuenit Chriſtus intrans in mun-
dum; vnde veniens ad Synagogas, & con-
uentus Iudæorum, auaritiam, & dolum in
hypocritis, vehementius cæteris vitijs, car-
pebat, à quibus cum neque modo noſtri
abſtineant, quinimò videantur manu arida
lætari, debent omni conatu ab his, qui Chri-
ſti gerunt officium, auocari. Nam quocumq.
perges, ò prædicator, & in quamcumq. no-
ſtrorum congregationem intres, hominem
aridæ manus inuenies; auaritiam (inquam)
ocium, atque dolum. Compatere ergo ho-
mini; ſcelus deteſtare; & age, vt ſanus
fiat; ſiue Epiſcopus ille fuerit; ſiue ſæculi
Princeps, aut alius de communi ſtatu. In-
tra oportunè, importunè. Eſt enim grauis *Tit. 4.*
infirmitas, & noxia, quæ niſi diligentiſſimè
perfricetur, ſomnum perpetuæ mortis ge-
nerat. Hinc Clemens epiſt. ad Iaco- *Clemens*
bum fratrem Domini ait Eccleſiaſticis
omnibus, & fidelibus: Super omnia autem
auaritiam fugito, quæ homines occaſione
præſentis lucri, ab æternis ſeparat bonis.
Pondera, menſuras, ſtateras, pro locis qui-
buſcumque æquiſſimas cuſtodite, depoſita
fideliter reſtituere; quæ omnia, & ſi quæ
ſunt ſimilia his, ita demum ſolicitè, & di-
ligenter implebitis, ſi futurum Dei iudi-
cium, ſine intermiſſione, in veſtro corde
voluatis. Quis enim peccare poterit, ſi
ſemper ante oculos ſuos Dei iudicium
ponat?

CAPVT SECVNDVM.

Et obſeruabant eum, ſi ſabbatis curaret, vt accuſarent eum.

SPontè ne, & ſibi compatiens venerit in *Expoſitio.*
Synagogam æger, an calliditate phari-
ſaica introductus ante Chriſtum, non con-
ſtat ex textu manifeſtè, tametſi obſeruantia
iſta videatur vltimũ perſuadere, nec qui-
dē noui aliquid machinati fuiſſent, ſed artē *Ioan 8.*
ſolitam exercuiſſent, qua vſi ſunt, cum adul- *Matt. 22.*
terã ei propoſuerunt, & interrogarunt: Li-
cet cenſum dare Cæſari, an non? ac ſæpè *Pſal. 34.*
alias cogitarunt dolos, & extenderunt la-
queos, in quos miſeri inciderunt. quia *Prou. 21.*
non eſt conſilium contra Dominum.

Et obſeruabant eum Mala mēte quidem,
& animo, attēdebat quid ageret, & expecta-
bant oportunam calumniandi occaſionem,
more reptilium, quæ ſimplices columbas
deprædari volunt, & ad inſtar ferarum, quæ
non ſolum cæteris animantibus inſidiantur,
ſed etiam alijs generis ſui. Sic obſeruabit *Pſal. 36.*
peccator iuſtum, & ſtridebit ſuper eum
dentibus ſuis. Dominus autem irridebit
eum, quoniam proſpicit, quod veniet
dies eius, quando iuſti punientur, & ſe-
men impiorum peribit. Iuſti autem hæ-
reditabunt terram, & inabitabunt in ſæ-
culum ſæculi ſuper eam, vt non Sybaritæ
per plateas; ſed vt hinnulus ceruorum ſu- *Cant. 2.*
per montes Bethel, permaneant, vt ſint
perpetuo in paradiſo illo voluptatis, pro
iniuſtis obſeruantijs, quæ à calumniatori-
bus quotidie patiuntur. Ergo qui obſer-
uaris: Expecta Dominum, & cuſtodi *Pſal. 36*
viam eius, & exaltabit te, vt hæreditate
capias terram, cum perierint peccatores
videbis.

Si ſabbatis curaret. Sabbatis (ait Za-
charias Chryſopol. lib. 2. in vnum ex qua-
tuor, cap. 64.) præcipuè Dominus docet, &
operatur virtutes, non ſolum vt inſinuet
ſpirituale ſabbatum; ſed etiam propter ce-
lebrio-

lebriorem populi connentum. At rebelles lumini, curationem, & virtutes Chriſti deteſtantur in ſabbatis fieri, & calumniantur ſi ſabbatis curet. Propterea per Prophetam impreeatur genti peſſimæ. Confundantur, & reuereantur quærentes animã meam. Auertantur retrorſum, & confundantur cogitantes mihi mala. Fiant tamquam puluis ante faciẽ venti, & Angelus Domini coarctans eos; quoniam gratis abſconderunt mihi interitum loquei ſui; ſuperuacuè exprobrauerunt animam meam. Hanc ſententiam, pro ſcelere ſuo incurrunt modo Iudæi; hos autem qui imitantur eos, & ſimili pareitos inuidia benè actis detrahunt, nec in ſabbatis aliorum prædicationes, & virtutum opera, quæ fideles optimi, & Religioſi ad gloriam Dei, & populi ædificationem operantur, valent ſuſtinere; neque animam à ſuſurratione, neque linguam à murmure, neque in colloquijs ſe poſſunt abſtinere, quin vel inſimulent Religionem, quæ ſanctis exercitijs occupatur in diebus ſanctis; vel ſugillent eum, qui pia ſectatur in feſtiuis temporibus; tales, ſimilis expectat ſententiæ executio, ne dicam maior; quoniam auerſi ſunt, auerſione contentioſa. Apprehenderunt mendacium, & noluerunt reuerti, ſed eos, qui quando, vbi, & cum oportet, benè agunt, arroganter arguunt, diffamant, & inſipienter docere præſumunt, & contendunt contra bonos, quorum mores, & ſanctas inuentiones, priuatim, & publicè ſub falſo velamine, carpunt. Exurge Domine Deus, exaltetur manus tua, ne obliniſcaris pauperum.

Pſal. 34. — Ier. 8. — Pſal. 9.

Gloſſa. Beda. *Vt accuſarent eum*. Vt ſi in ſabbato curet (ait Gloſſa Bedæ) tranſgreſſionis, ſi non curet, crudelitatis, aut imbecillitatis arguant. Simulator enim eſt cornupeta, qui nunc vno, nunc altero vtroque inſontem aggreditur. Vt decipiant pauperem, & inopem (decantat Pſaltes) & trucident rectos corde. Exerceant, vt velent artes, & impoſturas, Ptolomei Iudæi, Triphonis Græci, ſiue Poleſſlai Bohemi (qui ſimulatione colloquij, Moſconem Poloniæ Regem exoculauit) nihil eis proderunt, in die vindictæ, quando de execratione, & mendacio annunciabuntur in conſumatione; in ira conſumationis, & non erunt. Et ſcient quia Deus dominabitur Iacob (iuſti, qui ſimpliciter graditur) & finium terræ.

Pſal. 36. 1. Mach. 16 — Pſal. 58.

CAPVT TERTIVM.

Et ait homini habenti manum aridam: Surge in medium.

Expoſitio. PRoſpectis cunctorum animis, non vt illorum augeret malitiam, ſed delectaret, & doceret veritatem occaſione miraculi, iubet in medium prodire mancum, præ ariditate manus, vt videntes eum proterui compatiantur, & depoſita malitia ob ſanitatem adeptam, confiteantur Chriſtum, laudent, agnoſcant, ſequantur, & complectantur, quem hactenus oderunt. Nihil tamen malis prodeſt prudentia Chriſti, neque bonitas, quoniam excæcauerat eos malitia.

Et ait homini habenti manum aridam. Æger iſte (ſcribit Zacharias Chryſopolitanus) dicitur fuiſſe cæmentarius quæritans victum manibus. Et Iudæorum manus, cui ſpiritualis ædificij cura commiſſa fuit, arida erat, vſque ad aduentum Saluatoris. Poſtea autem reddita eſt dextera in Apoſtolis credentibus, ſecundum Bedam. Beda. Myſtice homo, qui manum habebat aridam, humanum genus indicat, in fæcunditate boni operis areſactum, ſed Domini miſeratione curatum. Cuius dextera, quæ in primo parente, dum vetitæ arboris poma decerperet, aruerat; per Redẽptoris gratiã dum inſontes manus in cruce arboris tenderet bonorũ operũ ſuccis eſt reſtituta ſaluti. Et benè in Synagoga manus erat arida, quia vbi ſciẽtiæ donum maius eſt, ibi grauius eſt inexcuſabilis noxæ periculum. Manum hanc, Lucas, & Matthæus, dexteram dicunt, vt grauitatem morbi ponderent, defectu enim dexteræ, niſi homo ambidexter ſit, maximam patitur iacturam. Eſt autẽ mortali dextera Deus, qui ſi aruerit infelici, hoc eſt, ſi renuerit iuuare, & auxiliari, nihil eo miſerius. Etenim abominabilis ei fit in vita ſua panis, & animæ illius cibus ante deſiderabilis; tabeſcet caro eius, & oſſa, quæ tecta fuerant, nudabuntur. Appropinquat corruptioni anima eius, & vita illius mortiferis, quia non habet Deum adiutorem ſuum, qui eum à dæmonibus tueatur, & repleat benedictionibus dulcedinis, quibus deſiderabilem panem valeat guſtare, & in cunctis proficere; ne bona præterita tabeſcant, & peccata olim commiſſa, ſed remiſſione, vt ita dicam, tecta per miſericordiam Dei, denudentur. Obueniunt tamen iſta malis, qui Deum velut aridam dexteram habent. Et cum his infortunijs paulatim appropinquant corruptioni inferni, & fiunt Dæmoniorum ſocij.

Myſticè quid arida manus — Iob. 33.

Surge in medium. Nam qui vel ad dexteram, vel ad ſiniſtram declinat, recto itinere deſtituto, nequit curari, niſi à vitijs extremis ſurrexerit, & medium, in quo virtus conſiſtit, apprehenderit. Inde Theophilactus. Aridam dexteram omnis habet, qui opera eorũ non facit, qui ad dexteram partem pertinent, ad quem Chriſtus dicit: exercitare, hoc eſt; ſurge à peccato, & ſta in medium, hoc eſt, in mediocritate virtutum.

Theophil.

virtutum. Omnis enim virtus mediocritas
eſt, eo quod ſicut mediocritas neque in
defectum, neque in exceſſum declinat.
Tunc igitur quando ſe ſtatuit in mediocri-
tatem, reſtituitur dextera illius ſana. Er-
go qui angis, & appetis ſalutem conſer-
Prou. 4. uare; dirige ſemitam pedibus tuis, & om-
nes viæ tuæ ſtabilientur. Non declines ad
dexteram, neque ad ſiniſtram, auerte pe-
dem tuum à malo. Vias enim, quæ à dex-
tris ſunt nouit Deus; peruerſæ verò ſunt,
quæ à ſiniſtris ſunt. Ipſe autem rectos fa-
ciet curſus tuos, itinera autem tua in pa-
ce perducet, ſi viam regiam mandatorum
tenueris, vt neque ſpiritualibus peccatis
animum macules, neque concupiſcentiæ
vitijs, corpus denigres. Hæc enim voco
ego ſiniſtram, dexteram verò illa, quæ ta-
metſi abſcondita, nouit Deus, qui corda
hypocritarum nouit, & perſcrutatur quæ
corde committimus.

CAPVT QVARTVM.

*Et dicit eis, licet ſabbatis benefacere an
male? Animam ſaluam facere,
an perdere? At illi
tacebant.*

Expoſitio. NOn vna, aut altera perſuaſione Iu-
dæos à ſuperſtitione reuocare cona-
tur, ſed argumentis, quibus ſuperiori ca-
pite vſus fuerat, miraculum addit. Quod
manifeſtat interrogatio; licet ne ſabbatis
bonum perficere, ſalutem animæ agere,
an non? ac ſi diceret; permittit feſtiuitas
ſabbati, aut certè inhibet, ægrum, quem
ante vos ſtare iuſſi, ſaluti reſtituere? Nihil
tamen reſpondent callidi, timentes pro-
prio gladio interimi, & diuerberari pro
ſuis reſponſis; aut certè obtumeſcunt de-
terioribus occupati cogitationibus; quia
Eccl. 16. qui minoratur corde, cogitat inania, & vir
imprudens & errans cogitat ſtulta.

Et dicit eis. Non tentando eos, neque
animo criminandi, ſed docendi errantes à
Prou. 15. via virtutis. Cor enim ſapientis quærit
doctrinam, & eius labia ſcientiam diſſemi-
nant, vt qui obſcura peccati nocte vagan-
Iſai. 9. tur, haud ſecus, quàm plerique piſcium
lumine capiantur, & qui ambulant in te-
nebris, lucem magnam videant. Ideo
quidem Chriſtus loquitur, & profert elo-
quia ſapientiæ ſuæ. Verum etſi doctrina
bona dabit gratiam peracuto, & docili, at
Prou. 13. in itinere contemptorum vorago ſemper
erit, nihil retinentium eorum, quæ cor
iuuant, & pulchrificant animum. Sardus
enim ſemper venalis erit, & Æthiops niger,
aſpiſque ſurda.

Licet ſabbatis benefacere, an male?
Quid male? fortè licet malum aliquando
facere? abſit, nec ſabbatis, neque alijs die-
bus licuit vnquam malè facere, & operari,
neque velle malum. Nam malum non eſt
exiſtens in aliqua natura, neque eſt in exi-
ſtentibus, vt pars perfectionis, ſed vt pri- Quid ſit ma-lum.
uatio in ſubiecto, ait Thom. 1. par. queſt. *D. Thom.*
48. art. 1. & de malo queſt. 1. art. 2. Vnde
dici poteſt bonum imperfectum. At agens
natura ſua perfectum intendit, etſi liber-
tate agat, agnoſcere, & iuxtà appetitum
innatum quærit poſſidere, vt naturam,
perficiat, & ornet, quam deſtruit malum, *Theodor.*
cuius initium (deponit Theodorectus ſe-
ctio 5. in Ezechielem) eſt à Deo deficere, Initium mali
iuxta illud: Dereliquit Deum factorem *Deuter. 32.*
ſuum, & receſſit à Deo ſalutari ſuo. Re-
licto autem in medio vndarum tuto gu-
bernatore, quid ſequitur? manifeſtum
naufragium, & ſubmerſio in gurgites pec-
catorum. Peccatum verò nunquam licet,
ergo neque malum, ſed quid malum, niſi
peccatum? claudit oculos ſuos, ne videat *Iſai. 33.*
malum, ait Iſaias, & Ieremias; de malo ad
malum egreſſi ſunt, & me non cognoue- *Ierem. 12.*
runt. Quare ſicut peccatum ex genere,
perpetuo prohibetur, ita malum. Eſt enim Malum in
vel in Deum, vel in proximum, vel in genere.
ſeipſum, quibus non malè, ſed beneface-
re, & beneuelle, & honorem debemus ex
lege innata, & ſcripta. Itaque nunquam
malum permittitur impunè, ſed bonum
fieri, iugiter Deus præcipit.

Bonas facite (inquit) vias veſtras, & *Ier. 7.*
ſtudia veſtra. Bona enim arbor bonos fru- *Matth. 7.*
ctus facit, & bonus Dominus propitiabi-
tur cunctis, qui bonæ indolis fuerint, &
induſtrij ad bonum; benefacietque his,
qui recto ſunt corde, & ſortiti animam *Pſal. 124.*
bonam, eam in vanum non acceperint, ſed *Sap. 8.*
ſanctis exercitijs occupare, & illuſtrare *Pſal. 23.*
virtutum nitore contenderint die, no-
ctuque. Præſertim in ſabbatis, ac feſtiuis
diebus, qui Deo dicati ſunt, neque opus
ſeruile facere, neque portare onus licet;
ſed Deo (cui nos à baptiſmo deuouimus,
à profeſſione conſecrauimus, & ab ordine
cæpimus miniſterium eius agere) vace-
mus, & guſtemus, quoniam ſuauis eſt Do-
minus. Cæterum quandoquidem tàm *Pſal. 33.*
priſcis, quàm nobis hæc manifeſta ſunt; Quæſtio.
quorſum Chriſtus interrogat benè ne, an
malè liceat facere? Quoniam Iudæi quæ-
ſtionem hanc animo voluebant. Vnde &
Lucas vult ab eis propoſitum, quod con-
tigere potuit primò, nihil tamen à Chriſto
tum reſponſum. Vnde opportuniori data
occaſione, Chriſtus, iuxta Marcum, quæ-
rit, liceret ne in ſabbatis, quod bonum
eſt facere, quod etiam Phariſæi, qui ſab-
bati honorem zelabant, minimè, vt dece-
bat, illud obſeruabant pleni hypocriſi.
Ob quā venit ad eos Propheta dicēs: Iniqui *Iſai. 1.*
ſunt cætus veſtri: vt ergo Idolatris Helias in

dubium

dubium viſus eſt cultum Dei veri reuocare, dicens: Si Dominus eſt Deus, ſequimini eum; ſi autem Baal ſequimini illum; ita [Reſponſio. 3. Reg. 18.] Chriſtus problematicè loquitur Iudæis, non vt alteram partem reddat opinabilem, ſed ijs, qui factis opinabilem faciunt, verbis autem damnant, omninò reddat damnabilem, & veram facilius perſuadeat, videlicet, beneficentiam eſſe ſabbati propriam, neque fas eſſe, aliquid aliud à bono in ſabbato excogitare.

Animam ſaluam facere, an perdere? Animam intelligit non ſolum rationalem, ſed ſenſilem, de cuius vita quærit, licet nè in ſabbato ſaluari, an ob ſabbati obſeruantiam perditioni relinquere. Nam apud [*Matt. 12.*] Matthæum, tacētibus Iudæis, Chriſtus adiecit: Quis erit ex vobis homo, qui habeat ouem vnam, etſi ceciderit hæc ſabbatis in foueam, nonne tenebit, & leuabit eam? quanto magis melior eſt homo, oue. Argumentatur ab anima, ſenſili ad ſenſilem, quæ in homine, cum à rationali non diſtinguatur, præſtat. Et quidem Hebræi rationalem curari poſſe à peccatis in ſabbato per circucifionem, & legis ſacrificia minimè dubitabant, ſed curari corpora ſabbato, cum in alium diem poſſet differri, negabant; ac propterea contra eos valet argumentum à corpore beſtiæ, ad corpus hominis, qui maior eſt, vtpotè beſtiarum dominus, cui oues, & boues, vniuerſa inſuper [*Pſal. 8.*] pecora campi Deus ſubiecit. Vndè in Hebræorum libro, qui Maſnaiat, hoc eſt repetitionum liber in tractatu de ſabbato, prohibetur (ait Benedictus Arias Montanus [*Benedictus Arias Montanus.*] ſuper Marcum) omne opus, niſi ſit pro anima, hoc eſt in ſalutem animantis alicuius, vt ouis, bouis, aſini, &c. ne dum hominis, atque hæc exceptio frequenter reperitur, in illo libro, ita vt ad ſalutem animi referatur cibi, & potus exhibitio, & actio pecorum ad fontem, & flumen etiam remotum, & alia. Itaque more Scripturarum (ſubdit Zacharias Chryſopolit.) animam [*Zacharias Chryſop. Exod. 1.*] pro homine poſuit, vt ibi: Hæ ſunt animæ, quæ exierunt de femore Iacob. Vel ideò curaturus corpus, de animæ ſaluatione interrogat, quia ipſa manus ſanatio ſalutem animæ ſignificabat, quæ à bonis operibus ceſſans, arida quodammodo dextera videbatur. Nullum ſiquidem ſummè pius perdit; ſed quando non ſaluat, dicitur perdere, Scripturæ conſuetudine, ſicut indurauit cor [*Exod. 10.*] Pharaonis, ideſt. Non emolliuit, ſed indurari permiſit.

At i ſt dicebant. Haud certè conuicti, ſed cogitantes dolos, quia: Vir impius pro- [*Prou. 21.*] caciter obfirmat vultum ſuum, & tacet concipiens dolorem, vt iniquitatem parturiat, [*Pſal. 7.*] & accepto tēpore Abſalon irruat in Amon. [*2. Reg. 13.*] Cum igitur (ſcribit Arias Montanus) huiuſmodi interrogatio eſſet illis obiecta ar- [*Arias Mōtanus.*] gumentatione, vt dici ſolet, ad hominem illi tacebant. Non poterant enim inficiari id quod manifeſtè exceptum erat in illorum traditionibus. Iam verò curationem etiam medicam aptius referri ad animæ ſalutem, quàm ad ſeruile opus illi apertè videbant: atque ideò etiam tacebant conuicti inſcitiæ, nec tamen apertè, id quod res erat, reſpondere volebant, vtpotè obcæcati corde, & inuidia occupati maxima. Habes lector in his exemplum Hæreticorum, qui conuicti malunt potius tacere, quàm confiteri verum, & erratum abiurare. Præſertim qui iam ab auis, & proauis hæreſim imbiberunt. Doctrina mala hæc eſt, [*Prou. 15.*] deſerentium viam vitæ, vt velint, ſicut Siculi, more parentū ſiculizare, & ſicut Ephratei nunquam à ſcibbolet recedere. Amicus [*Num. 16.*] enim ſtultorum ſimilis efficietur, & qui in errore, & verbis parentum iurauerit, ſequetur Abiron, & Dathan, & cum Achan lapi- [*Ioſ. 15.*] dabitur.

CAPVT QVINTVM.

Et circunſpiciens eos cum ira, contriſtatus ſuper cæcitate cordis eorum, dicit homini: Extende manum, & extendit. Et reſtituta eſt manus illi.

Itaque tacentibus Phariſæis, Chriſtus reſpondet, & factis eorum taciturnitatem [Expoſitio.] redarguit, & ſignis triſtitiæ compatitur cæcitati, & malitiæ illorum, qui ſiluerunt, & ſilere propoſuerant, ne quod verum erat confiterentur, neque probarent, quod nulla ratione poterat damnari, ſed merebatur omnem laudem, & gloriam, quod in ſabbato operaretur mirabilia, quibus ad glorificandum Deum quiſque prouocaretur; opus quidem ſabbati. Nolentibus igitur iſta cognoſcere Chriſtus compatitur, etiam ægro, quem videbat, & iubet bene valere, vt impleret: Omnis iniuriæ proximi ne [*Eccl. 10.*] memineris, & nihil agas in operibus iniuriæ.

Et circunſpiciens eos cum ira. Hoc eſt zelo ſalutis eorum, quos cernebat voluntariè malè agere, & damnari. Vocatur enim zelus in Scriptura, ira; Et ira Dei aſcendit ſuper illos. Exardeſcet, ſicut ignis ira tua. [*Pſal. 77. Pſal. 88.*] Calcaui eos in furore meo, & conculcaui [*Iſai. 63.*] eos in ira mea. In igne iræ meæ conſumpſi eos, hoc eſt in zelo, quia ego Dominus [*Zach. 1.*] (inquit) locutus ſum in zelo, & zelatus ſum [*Iſai. 9.*] Sion zelo magno. Vnde Iſaias de vindictis, quam Deus infert, concludit; zelus Domini exercituum faciet hoc. Vt enim zelator boni, malique alterius ſignis animam declarat, quem iratum putat ignorans, ſic Deus ea cum hominibus operatur aliquando,

do, quæ ab irato videntur procedere,& iu-
xtà modum noſtrum iræ,effectus dicuntur,
1.Tim.2. cũ ſint Zelatoris, qui vult nos ſaluos fieri,
Ezech.18. à malo conuerti, bonum operari, fugere
Gal.6. Diabolum,& corde toto ad Deum reuerti.
Ioel.2. Denique vult malum abeſſe, & ineſſe nobis
omne bonum, quia Deus zelotes. Ira paſ-
Gloſſa. ſio,quæ (ſecundum Gloſſ.Matt.5.)eſt omnis
malus motus ad nocendum,& ſicut effectus
ſuas cauſas,paſſiones alias, ex quibus ori-
tur, continet; tota ad vindictam inhians
contra rationem,cum rixa, tumore,contu-
melia,indignatione,& blaſphemia (vt opti-
S.Thom. mè 1.2.q.88.& alijs ſup.Thom.diſſerit, nec
Paſſiones in Deo nullæ. non iu 3.par.)neque in Deo,neque in Chri-
ſti humanitate eſſe poterat;ſed, vt diximus,
loco iræ,zelus ponitur in Deo, in Chriſto
Propaſſio in Chriſto non paſſio. homine propaſſio. Hoc eſt, quidam iræ
motus,quemadmodum paſſionis in corpore
declarabat, qualis eſſe poterat, palpitatio
cordis,tremor corporis,inflatio faciei,ocu-
lorum exaſperatio, & clamor, qui effectus
iræ ſæpius in hominibus abſque ratione
ſunt; at in Chriſto rationem ſequebantur,
Ioan.13. & voluntatem. Dederat enim ei Pater om-
nia iu manus, vt liberè aue,& animali liga-
2.Par.20. to vteretur,vniuerſique dicerent: In manu
tua virtus,& poteutia,quibus vſus eſt quan-
tum redemptioni,& Redẽptori cõpetebat.

*Contriſtatus ſuper cæcitate cordis eo-
rum.* Cor propriè animalis membrum
potiſſimum,occupari dicitur,vt cum triſta-
tur,timet, & iraſcitur. Sanguis enim,quaſi
volens ſubuenire ad id,impetum facit;inde
ad alia membra digrediens, dicitur dilata-
ri,vt in gaudio,delectatione,& amore con-
tingit: Mentis verò, & intellectus,cuius eſt
cognoſcere,vt oculi videre,obcæcationem
eſſe dicimus, cum falſum imaginatur ve-
rum,& amplectitur malum,ac bonum.Qua-
re cor in Scripturis, tum pro tota anima
rationali,quæ hominem viuificat, tum pro
poteutijs rationalibus,intellectu,& volun-
Iob 12. tate capitur, vt mihi eſt cor, ſicut & vobis,
Pſal 38. ideſt anima. Concaluit cor meum intra
Ierem.24. me,ideſt voluntas. Dabo eis cor,vt ſciant;
ideſt intellectum, vt cognoſcant. Iſta ine-
Obcæcati Phariſæi. rant Phariſæis, carebant tamen ornamen-
tis, quæ ſuut menti agnitio, voluntati
amor, & animæ gratia, quam plerique, vt
S. Thom. in eſſentia animæ collocat, ſicut
charitatem,quam à gratia diſtinguit in vo-
luntate. Ac propterea quaſi orbati vocan-
tur cæci. Quid enim proſunt oculi lumine
priuati? Nec hominem iuuat natura ratio-
nalis, quæ cæleſtibus priuatur colluſtratio-
nibus. Eſt cæcus orbatus,& vt dicam cum
Thren.4. Propheta: Denigratus ſuper carbones,& ol-
lam, quæ ſuperponitur igni; non quidem
ſacro,ſed profano, qui Abin iuflammat, &
Leu.10. fratrem, & niſi interiit ſacerdos, qui oret,
peccatorem abſumit. Tantam ergo perni-
ciem ineſſe hominibus, *contriſtatur*. Nos
pariter docens *contriſtari* cum ſimile obie-
ctum nefandiſſimorũ contemplamur,ac præ
mœrore dicere: Contriſtatum eſt cor meum *Ier.23.*
in medio mei, contremuerunt omnia oſſa
mea. Factus ſum quaſi vir ebrius, & quaſi
homo madidus à vino; quia adulteris re-
pleta eſt terra, quia à facie maledictionis
luxit terra, areſacta ſunt arua deſerti, fa-
ctus eſt curſus eorum malus; & fortitudo
eorum diſſimilis. Siquidem, vt arborem
infructuoſam, & noxiam ſequitur abſciſſio,
eamque herus euellit commota terra; ita
Deus malum exterminat cum ruina eorum,
quæ ſunt eius. Propter quæ Loth à longe
ſtans contriſtatur,& Abraham cui reuelatur *Gen.19.*
pernicies hominum,& euerſio,ſupplex præ- *Gen.18.*
uenit caſum,& orat per Sanctos,qui in cælo
per merita eorum,qui peregrinantur,& per
uomen eius glorioſum, compati miſeris,&
contriſtatus accedit contiuuò ad Domi-
num, quouſque,vel audiat: Noli orare pro *Ierem.14.*
populo iſto in bonum;vel proieci eum à fa-
cie mea,vel certè de malis vindictam à Deo *1.Reg.16.*
ſumptam videt.

Dicit homini. Quem ſcilicet curaturus
erat; alios quandoque curauit, uihil allo-
quens, vt ſocrum Petri; alios ſolum tan-
gens, vt leproſum; alios veſtis fimbria, vt *Mar.1.*
Syrophœniſſam curanit, alios ſputo, vt *Matth.9.*
cœcum;& alios voce,atque dictione,vt La- *Ioan.9.*
zarum quatridianum,Paralyticum triginta *Ioan.18.*
annorum, & aridæ mauus ægrum, dicendo
curat; vt non minus faceremus manum Variè curat
aridam,quæ eſt auari, quàm paralyſim, cui Chriſtus.
propriatur luxuria, & quatriduo ſub lapide
eſſe,quod eſt ſuperari, vt nequeant,niſi im-
perio vocis curari, ad modum pernicioſiſ-
ſimi morbi,& vitij. Eſt enim auaritia ido- *Epheſ.5.*
lorum ſeruitus,& nihil eſt ſceleſtius auaro.
Itaque *dicit homini* curaturus, & imperat. *Eccleſ.10.*
Ecquid?

Extende manum tuam. Quia (inquit
Zacharias Chryſopol.) debilitas fructuoſæ *Zach.Chryſopl.*
animæ vllo ordine melius, quàm anima- *Eccl.4.*
rum largitione curatur. Vndè Eccleſiaſti-
cus: Non ſit manus tua ad capiendum
porrecta, & ad dandum collecta. Homo
enim iſte (ſubdit Hierouymus) ſignificat *Hieron.*
auaros, qui nolentes dare, volunt accipe-
re,prædari,& non largiri. Quibus dicitur,
vt exteudant mauus ſuas, ideſt, qui ſura- *Epheſ.4.*
batur omnia,iam uon ſuretur;magis autem
laboret operando manu ſua, quod bouum
eſt,vt habeat, vnde communicet indigenti-
bus. Homo quippe (proſequitur Zacha- *Zach.Chryſop.*
rias) ante aduentum Chriſti dexteram ha-
buit languidam; quia ab eleemoſynis tor-
pebat, ſiniſtram ſauam; quia ſuæ vtilitati
iuteudebat. Adueniente Chriſto,dextera
ſanatur, vt ſiniſtra: quia quod congre-
gauerat auidè, modò diſtribuit ex cha-
ritate; Et quid diſtribuit? Deo gloriam, &
honorem,quam vel ex Idolatrijs tollebat,
& va-

Digitized by Google

& varijs ſuperſtitionum generibus; vel concupiſcentijs animalibus, quibus ſupra modum imaginem ſuam deturpabat, vt neque temperantiam in cibo, aut potu, aut luxu ſeruaret, neque modum poneret carnis prudentiæ, ſed vt onager aſſuetus in ſolitudine liber ad omnia nefaria currebat, vix quemque agnoſcens, niſi ſeipſum, ad quem optabat cuncta referri, ne dicam bona, & homines, quibus ſupereſſe contendebat; ſed & Deum, quem non ſemel, aut bis, verum etiam penè infinities ſeipſum appellauit. Hæc fuit iniquitas, & auaritia progenitorum noſtrorum, & hoc peccatum, quod ſæcula illa aurea, qualia fingunt Poetæ, mundo pepererunt. *Pſal 106.* Miſit tamen Deus verbum ſuum, & ſanauit eos, iubens hominem manum extendere. Hoc eſt, ſuſceptam humanitatē extendi in Cruce, & inde ad cælum, vſque ſuum ſanguinem diffundere, & per orbem terrarum ſpargi, vt ſanctificaret omnia, mundaret, & largiretur cunctis, quæ primus Adam, & animalis homo ſubtraxerat, *Col. 1.* ſicq; pacificaret omnia, ſiue quæ in cælis ſiue quæ in terra, & non vltra diceretur: *Thren. 4.* Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. *Iſai. 8.* Habemus enim principem, qui nō ait: In domo mea non eſt panis, ſed clamat: *Matt. 26.* Comedite panem meum, bibite vinum meum, *Prou. 31.* extendit manum ſuam ad pauperem, *1. Reg. 2.* & famelici ſaturati ſunt. *Ioan. 5.* Deo ſacrificatur quotidie hoſtia munda, in ſpiritu, & veritate adoratur, & cantat omnis creatura, *Apoc. 7.* amen. *1. Pet. 1.* Angelus proſpicit vultum, quem deſiderabat intueri, & homo ait: *Pſal. 15.* Deus meus es tu. *Luc. 3.* Et videt omnis caro ſalutare Dei. Vnde ſequitur: *Et extendit*. In ſignum acceptæ ſalutis, & modo quo oportebat Iudæos vti, quando reſpicerent, vellentque ſanari ab incredulitate, & obſtinatione, quam hactenus patiuntur. A quibus liberi erunt, quando extendent manus ad eum, quem pupugerunt, *Apoc. 1.* & ei commori quærent. *Oſe. 2.* Et erit in die illa (ait Dominus) vocabit me vir meus, & non vocabit me vltra Baalim. Et auferam nomina Baalim de ore eius, & non recordabitur vltra nominis eorum, & percutiam cum eis fœdus in die illa, cum beſtia agri, & volucre cæli, & cum reptili terræ, & arcum, & gladium, & bellum conteram de terra, & dormire eos faciam fiducialiter. Nam pacatis omnibus, quæ Antichriſtus turbauerat, *Rom. 9.* reliquiæ Iſrael ſaluæ fient, cum quibus (tametſi modo agreſtes, vt beſtiæ, rebelles, vt volucres, & viri ſanguinum, vt reptile) fœdus inibit amoris, *1. Theſſ. 4.* & charitatis perpetuæ, vt ſic ſemper cum Domino ſint.

Et reſtituta eſt manus illi. Græca lectio addit αὐτοῦ ὑγιὴς ὡς ἡ ἄλλη illius ſana, vt altera. Hoc eſt, ad curationem hominis noſtri locutionem, referendo; vt altera naturalis potentia, quæ ſemper integra in homine permanſit ad naturæ opera, tametſi debilis, ita potentia ad ea, quæ de ſuperis communicantur, & capacitas reſtituta homini, per extenſionem manus, quando ſanguinis perfuſi meritum, & gratiam recepit, vt cantaret: Diligam te Domine fortitudo mea, *Pſal 17.* Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus, qui docet manus meas ad prælium, & poſuit vt arcum æreum brachia mea. Sic benedicam te in vita mea, *Pſal. 62.* & in nomine tuo leuabo manus meas. Quoniam redemptus homo promptus eſt, & ſolicitior, quàm vnquam, orare ad Deum, pugnas acriores cum Principibus, & poteſtatibus tenebrarum aggredi, & vincere, quam antiquitus ante redemptionem. *Reſtituta* eſt nobis *manus dextera*, & capacitas illa ſupernaturalium, ſiue potentia illa obedentialis (quam vocat Caietanus) *Caietanus.* ampliata eſt nobis ad ea recipienda, quæ ſupra nos ſunt, & vires naturæ, quodq; glorioſius, facti ſumus tantis donis, & medijs agiliores, & feliciores in comparandis victorijs, & augendis talentis, quàm fuerit aliquando conceſſum à diebus Adæ, & Noë. Quapropter dixit Chriſtus: Veni, vt abundantius habeant, *Ioan. 10.* at geſta Martyrum, & Confeſſorum, qui Chriſto ſucceſſerunt, teſtantur.

CAPVT SEXTVM.

Exeuntes autem Phariſæi, ſtatim cum Herodianis conſilium faciebant aduerſus eum, quomodo eum producerent.

HEm fructus, quos taciturnitas Phariſæorum peperit, *Expoſitio.* Herodianos conſulere, & de perdēdo Chriſto contractare. Quoniam non intellexerunt opera Domini, & *Pſal 27.* in opera manuum eius non reſpexerunt; ſed ad odium, quo perſequi vſque ad necem inſontem ſtatuerant. Is autem quid? Quoniam reſpexiſti humilitatem meam, *Pſal. 30.* ſaluaſti de neceſſitatibus animam meam; nec concluſiſti me in manibus inimici, ſtatuiſti in loco ſpatioſo pedes meos, victor, ſcilicet effectus, ab his qui quærebant eum perdere; contra quos Concentor: Dextera tua inueniat omnes, *Pſal. 20.* qui te oderunt. Pones eos, vt clibanum ignis, in tempore vultus tui. Dominus in ira ſua conturbabit eos, & deuorabit eos ignis. Fructum eorum de terra perdes, & ſemen eorum à filijs hominum.

Exeuntes autem Phariſæi. Non de medio Babylonis; ſed ad Babylonem. Non ab Ægypto, vel Aſſyria; ſed ad Aſſyrios, & Ægyptios, vt darent illis dexteras, & oleum ferrent. Exierunt quidem veloces ad malum, ſummo bono, cum quo poterant conuerſari, ſpreto. Quinimo exierunt filij ſcelerati, vt blaſphement ſanctum Iſrael, in

vnumque

Pſal. 2. vnumque conueniant aduerſus Dominum,
& aduerſus Chriſtum eius: Omnis enim
exitus,& omnia,quæ loquitur populus iſte,
Iſai. 8. coniuratio eſt. Ac quis iſte? Populus duræ
ceruicis hebræus, populus rebellis,hæreti-
Exod 32. cus; & omnis, qui declinat à Deo ſuo,exit
ad omnem impietatem,& ruinam. Hinc il-
Eccl 29. le. Peccator tranſgrediens mandatum Do-
Myſticus ſé mini incidet in promiſſionem nequam, &
ſus. qui conatur multa agere, incidet in iudi-
cium.

*Statim cum Herodianis conſilium facie-
bant aduerſus eum.* Hæc eſt conditio ſocie-
tatis malorum,conſilium facere non ſolum
contra fratrem, ſed Deum, ſanctoſque Dei
homines, & miniſtros. Dixerunt enim co-
gitantes apud ſe non rectè, opprimamus
Sap. 2. pauperem iuſtum, & non parcamus viduæ,
nec veterano, nec reuereamur canos multi
temporis. Sit autem fortitudo noſtra lex
iniuſtitiæ, quod enim infirmum eſt,inutile
inuenitur. Denique vt in licentia victus
Scythiſant, *& Syriſant*, ita in conſilio, &
ſocietate Nabathæis ſimilantur,qui ſemper
de ære alieno cogitabant, vel. Sardis, qui
mortis genus,quo parentes afficerent, me-
ditabantur,aut certè Trogloditis,qui loqui
nō norunt, ſed ſtridere,vt velociores equis
iugiter venari. Facti autem ſunt leones,
qui non beſtias,ſed homines deprædantur.
Eccl. 27. Subinde Sapiens: Narratio peccatorum
odioſa,& riſus illorum in delictis peccati.
Nam quiſque illorum, vt leo venationi in-
ſidiatur ſemper. Itaque Phariſæi conue-
niunt cum Herodianis,hoc eſt; cum his,qui
Herodis partes agebant.(notat Arias Mon-
tanus) atque Romanorum Imperium de-
Arias Mō tanus. fendebant. Nam Herodes à Romanis con-
ſtitutus erat Galilææ Thetrarcha: Ieſus au-
tem Galilæus cum eſſet in ſuſpitionem ad-
ducebatur à Phariſæis apud Herodianos,
quod populum ſibi conciliaret, tanquam
nouas res moliturus: atque ita agebatur
per vtroſque, vt facto impetu in eum, ir-
rueretur,aliquo ſubito inuēto nomine,quo
res in odium adduci poſſet. Ad hæc Theo-
phylactus. Qui nam erant Herodiani? vel
milites Herodis, vel hæreſis quædam nuper
admodum orta, quæ docebat Hærodem ip-
ſum eſſe Chriſtum,eo quod in illo Iudaico-
rum Regnum, & Regum ſucceſſio finem
habuiſſet. Ita enim exponebant prophe-
tiam Iacob,quando defecturi eſſent ex Iuda
Principes,tunc venturum Chriſtum.

Sap. 2. *Quomodo eum perderent*. Quoniam gra-
uis erat eis ad videndum, vt nicticoracibus
ſol,quem iam olim eorum patres fulguran-
Exod 19. tem,& clangentem è monte Sina audire, &
videre formidarunt,clamantes: non loqua-
tur nobis Dominus: Filij autem poſt mo-
Ioan. 19. dum dixere: Tolle,tolle, mittamus lignum
in panem eius, & eradamus eum de terra
Hier. 11. viuentium. Agite, & inite conſilium. At
ipſe dabit impios pro ſepultura,& diuitem
pro morte ſua, eo quod iniquitatem non *Iſai. 53.*
fecerit,neque dolus fuerit in ore eius.

CAPVT SEPTIMVM.

*Ieſus autem cum diſcipulis ſuis ſeceſſit ad
mare; Et multa turba à Galilæa,
& Iudæa ſecuta eſt eum.*

VT ſequuntur reptilia ducem, ſic vo-
latilia ad ſibi ſimilia conueniunt, &
congregantur ad Chriſtum, qui cæli vola-
tum appetunt. Etenim relinquens Ieſus
Synagogam,& ab impijs, qui conuerti no-
luerunt, abſcedens verſus mare, ſtatim
turbas,quæ veritatem amabant,poſt ſe ha-
buit. Nec ſolum Galilæa, ſed & Iudæa to-
ta videbatur ad Ieſum exiſſe, tantus erat
populorum concurſus, qui turmatim ad
eum veniebant.

*Ieſus autem cum diſcipulis ſuis ſeceſsit
ad mare*. Dans locum furentibus, ait Dio-
nyſius Carthuſianus, & Beda, quaſi homo *Dion. Carthuſ.*
fugiens perſequentium inſidias,quia neque *Beda.*
adhuc venerat hora paſſionis eius, neque
extra Ieruſalem fuit locus paſſionis. Vbi
exemplum dedit ſuis fugiendi in alteram
ciuitatem, ſi in vna perſequutionem pa-
terentur. Scriptum eſt enim abſtine te à li- *Eccl 28.*
te,& minues peccata. Homo enim iracun-
dus accendit litem, & vir peccator turba-
bit amicos,& in medio pacem habentium
immittet inimicitiam. Secundum enim
ligna ſyluæ, ſic ignis exardeſcit, et ſecun-
dum virtutem hominis, ſic iracundia illius
erit, et ſecundum ſubſtantiam ſuam exal-
tabit iram ſuam, vt ſuperet furorem Na- *Dan. 3.*
buchodonoſor contra pueros, qui reſtitue-
runt ei, et videatur Pharao implacabilis, *Exod. 14.*
nec non Saul deterior, qui non haſta, ſed
lingua, quæ deterior eſt,ſibi commorantem *1. Reg. 19.*
percutiet; quin cæteros ad furorem contra
innocentem, niſi declinauerit, concitabit.
Ergo ſecede, et fuge equos paratos ad bel-
lum,qui nullo fræno cohibentur;diuerte ca-
nes rabidos,qui ſunt ſoliti lacerare,et lin-
ces. Nam neque Iacob, neque Moyſes, ne- *Gen. 27.*
que Elias liber euadit, et Dauid quis à fu- *Exod 16.*
rijs aduerſantium ſibi liberauit, niſi fuga, *3. Reg. 19.*
et ſeceſſus ad aliam partem,à tumultu alie- *1. Reg. 19.*
nam?Ecce elongaui fugiens(inquit)et man- *Pſal. 54.*
ſit in ſolitudine.

*Et multa turba à Galilæa, & Iudæa
ſequuta eſt eum*. Ita vt minus poſſent
Herodiani (ſcribit Arias Montanus) ag- *Arias Mō tanus.*
gredi, quod cogitabant, maximè cum pu-
blica fama, qua omnes alliciebantur, erat
ſanitatem, et miraculorum, diuinorum-
que beneficiorum cupiditas, et copia ipſis
per Ieſum facta, quæ res in calumniam
cum rapi non poſſet, illorum improbo-
rum

rum conſilia diſſipabat, & teſtimonium, atque famam Ieſu, ipſiuſque Euangelij notitia augebatur in horas, vndique apud omnes.

CAPVT OCTAVVM.

Et ab Ieroſolymis, & ab Idumæa, & trans Iordanem, & qui circa Tyrum, & Sydonem multitudo magna, audientes, quæ faciebat venerunt ad eum.

EXprimitur adhuc maior populorum concurſus, qui vndique ad Chriſtum fiebat, vt vel ſic æmuli conuerterentur, aut certè fruſtrà conari agnoſcentes, deſiſterent à prauis conſilijs; quia non eſt conſilium contra Dominum. *Prou.* 21.

Et ab Ieroſolymis, & Idumæa, & trans Iordanem. Græci dicunt (notat Gannæins) ἀπὸ πέραν τοῦ Ἰορδάνου. Similiter vertit interpres. Et hoc modo ſenſus eſſet: Quod turba illa ſequuta eum eſſet trans Iordanem, quod non puto, ſed cum dixiſſet ἀπὸ τῆς Ἰουδαίας, καὶ ἀπὸ Ἱεροσολύμων, καὶ ἀπὸ τῆς Ἰδουμαίας, καὶ πέραν τοῦ Ἰορδάνου, iterum ſupplendum ἀπὸ, ſcilicet ἀπὸ πέραν τοῦ Ἰορδάνου. Vt Chriſtum ſequuti ſunt etiam ab ea regione, quæ eſt trans Iordanem. *Gannæius.*

Et qui circa Tyrum, & Sydonem multitudo magna, audientes quæ faciebat, venerunt ad eum. Et alienigenæ quidem à locis remotis ad eum veniunt. Iudæi verò qui ad ipſum veniſſent, infeſtàtur (ſcribit Theophilactus) quia nemo Propheta acceptus eſt in patria ſua. Nota diligenter lector, & perpende hoc ſeptuplum genus nationum, quæ Chriſtum ſequuntur, vt eos, qui ſunt Chriſti coniectemus. Galilæa, ideſt rota, ſunt pœnitentes. Iudæa, ideſt confeſſio, ſunt religioſi laudibus, & confeſsionibus Deo dicati; ab Ieroſolymis, ideſt viſio pacis veniunt ad Chriſtum prædicatores annuntiantes, & euangelizantes pacem; qui ab Idumæa, ideſt ſanguinea veniunt miſericordes, qui non ſolum bona, ſed & viſcera optant pauperibus dare; trans Iordanem, ideſt, aliena deſcenſio, mittit ad Chriſtum humiles, qui volunt ſemper deſcendere, humiliari, & viles in oculis omnium fieri; Tyrum, quæ interpretatur anguſtia, ſunt patientes, qui perſequutionem patiuntur propter iuſtitiam; Sydon, ideſt venatio pacis, præſules ſignificat, qui dati ſunt venatores, & piſcatores hominum; multitudo magna alludit ad eam, quam Ioannes vidit dicens: Poſt hæc vidi turbam magnā, quā dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, ſtantes ante thronum, & in conſpectu agni amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum, & clamabant voce magna dicentes: Salus Deo noſtro, qui ſedet ſuper thronum, & agno. Factis cantum hunc decantabat præſens multitudo, quæ relictis omnibus, Chriſto adhærebat, in eum credebat, & vt Redemptorem animæ, atque corporis die, ac nocte ſequebatur. *Theophyl. Luc.* 4. *Apoc.* 9.

CAPVT NONVM.

Et dixit diſcipulis ſuis, vt nauicula ſibi deſeruiret propter turbam, ne comprimeret eum.

MAgnum eſt, ſequi Dominum; glorioſum autem deuotè ſequi. Primam laudem dedit Euangeliſta turbis in præcedentibus; poſteriorem hoc præſenti capite indicat, dum præ deuotione, quaſi irruentes, poſt Chriſtum ibant. Cedit autem Chriſtus eorum deuotioni, dum neque retrocedere turbam iubet, nec latet; ſed ſuper nauiculam aliquantulum vult eleuari in mari. Vt votis omnium in propatulo ſatiſfaceret, ſimulque omnes ſuo aſpectu fruerentur, ſermocinantem quietiùs audirent, & reciperent benedictionem, quam ocius quærebant. *Expoſitio. Eccl.* 13.

Et dixit diſcipulis ſuis. Quaſi miniſtris futuris ad ea, quæ Dei gloriam, & totius corporis Eccleſiæ concernunt. Iuxtà illud: Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas; alios autem paſtores, & Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti. Nam ſicut naturale corpus, & ornatur, ſtat, & cadens conualeſcit exercitio membri officioſi, videlicet, manus, linguæ, oculi, pedum, & aliorum; ita & tota Eccleſia medijs miniſtris continuò illuſtratur, ſtat firma, & qui in ea labuntur, miniſterio maiorum ſubleuantur. Vt ergo Moyſes ſuis ſeptuaginta Sapientibus, & Aſſuerus ſeptem Satrapis, & prouintiarū Principibus ſua committebat. Ita Chriſtus dixit modo diſcipulis; quid agi oporteat ad conſolationem, tàm ſui, quàm ſequentium, & vſque in ſæculum, narrationem continuat: Quia vobiſcum ſum, ait, vſque ad conſummationem ſæculi, vtpotè loquens, ſuadens, & monens, quid ſuis temporibus expediat, vt noui Teſtamenti miniſtri idonei ſitis. *Epheſ.* 4. *Exod.* 18. *Heſt.* 1. *Matt.* 28.

Vt nauicula ſibi deſeruiret. Lectio græca habet ἵνα πλοιάριον προσκαρτερῇ αὐτῷ, *vt nauicula adſiſteret ſibi.* Conſonat huic lectioni Syriaca tranſlatio, habens, vt proximè ad ſe adducerent nauiculam; vtraque tamen lectio indagandis myſterijs deſeruit. Vulgata notat proximum, & potiſſimum finem miniſtrorum Chriſti, qui eſt in omni miniſterio Eccleſiaſtico, quod aſſumunt

munt Chriſtum attendere, ei deſeruire po-
tiſsimum, & eius gloriam pro ſcopo ante
Epheſ 3. omnia habere. Cuius (inquit Paulus) factus
ſum miniſter, ſecundum donum gratiæ eius,
quæ data eſt mihi, ſecundum operationem
virtutis eius. Alia lectio ſecundum finem,
proponit, qui eſt velle, & conari omnes ad
Chriſtum trahere, Chriſto adeſſe, & ſubeſſe
iugiter, vt poſsitis (dicit ille ſuis) compre-
Epheſ 3. hendere cum omnibus Sanctis, qui ſit lati-
tudo, & longitudo, & ſublimitas, & profun-
dum. Scire etiam ſupereminentem ſcientiæ
charitatem Chriſti, vt impleamini in om-
nem plenitudinem Dei. Denique hoc eſt fi-
delis ſerui officium, primũ ſe Domino fide-
lem oſtendere, poſt conſeruorum vtilita-
Luc. 12. tem concernere, vt det illis tempore triti-
ci menſuram.

Propter turbam ne comprimerent eum.
Dionyſ. In quo oſtendit ſecundum Dionyſ. ſe verè
paſsibilem fuiſſe, atque ſæpè ad tempus vi-
taſſe incommoda corporis, vt tempore di-
uinitus præſtituto, pateretur. Et quamuis
poterat turbæ preſſuram ſine læſione, &
pœna ſuſtinere per viam miraculosè, noluit
tamen humanum ſubſidium deuitare, vt ve-
ritatem aſſumptæ naturæ oſtenderet his,
qui eam negaturi erant, vt Cerdoni, Appel-
lini, Manichæis, & pleriſq. alijs, qui huma-
nitatem eiuſdem ſpeciei cum noſtra nolue-
runt in Chriſto agnoſcere, ſed ſimulatam,
vel phantaſticam, vel cæleſtem, cum apertè
Deut. 18. dixerit Moyſes: Prophetam ſuſcitabit vo-
bis de medio fratrum veſtrorum, ſimilem
mei; ſcilicet in natura; nam in alijs multò
excellentior, ne dicam Moyſe, ſed & Ange-
lis Chriſtus extitit, quia excelſum dabo
Pſal. 88. eum (ait Pater) præ Regibus terræ; & Paulus
Heb. 7. excelſior cælis factus ſuper omnem princi-
patum, & poteſtatem.

CAPVT DECIMVM.

Multos enim ſanabat, ita vt irruerent in eum, vt illum tangerent quotquot habebant plagas.

Expoſitio. TAnti concurſus cauſã exprimit Euan-
geliſta fuiſſe ſanitatem, quã pleriſque
ad ſe venientibus, conferebat. Erant enim
Similitudo. nouellę plãtationes, quæ primò ſibi proſpi-
ciunt, poſt verò fructus reddunt. Ita hi indi-
gentiam ſuam reparari ante omnia quæ-
runt, propter quam Chriſtum ſequuntur,
iam prouectiores facti, & doctiores in ſcho-
la Chriſti, propter Chriſtum, Chriſtum ſe-
quuntur, amore inquam amicitiæ. Interim
concupiſcentiæ amor aliquando in Sanctis
regnat. Nam & vir iuxtà cor Dei eructat.
Pſal. 118. Inclinaui cor meum, ad faciendas iuſtifica-
tiones tuas in æternum, propter retributio-
nem.

Multos enim ſanabat, Alibi legimus, &
curabat omnes. Omnes quidem ſufficienter
curat, tã à corporali, quã à ſpirituali mor-
bo: Data eſt enim ei omnis poteſtas in cælo,
& in terra, vt ſanet omnes infirmitates tuas,
& ſanet contritos corde ab animæ morbis.
Qui verò ſperant in Domino, ſanabuntur à Prou. 18.
corporis plaga: Ab his enim requirit fidem,
ab illis dolorem ſi velint ſaluari. Nam etſi
liberum ſit Iſaac benedictionem tàm cæli,
quàm terræ conferre filio, & vocem, & ta-
ctum requirit, nec non cibum, & potum; be-
nedictionem cæli accipit, qui animo mun-
datur; de pinguedine verò terræ benedici-
tur, qui corporis leuamen ſentit. Attamen
neque huic conceditur, quin vocem perdat,
& tactum; hoc eſt, fidẽ, quæ mente loquitur,
& fidelem facit hominem. Neque ille mun-
datur, quin cibũ, potumq. largiatur. Cibus,
qui decoquitur contritio eſt; vini potio eſt
charitatis affectus, quẽ in eo, quẽ ſibi Chri- Iacob figura venientium ad Chriſtũ, Iſaac verò Chriſti.
ſtus reconciliat, poſtulat. In vno igitur Ia-
cob omnem hominem venientem ad Chri-
ſtũ conſidera, & vnius Iſaac hæreditate po-
tentiam Chriſti, qua poteſt cæleſtia, & ſpi-
ritualia cõmunicare animis noſtris, nec non
corporea corporibus. Quo fit vt etſi poſsit
omnibus benefacere, non facit tamen, pro
ſua libera voluntate, vndè aliquando omnes
curat, hic verò tantum multos.

Ita vt irruerent in eum. Eſt à caſu arbo-
rum petita metaphora, proceræ enim arbo-
res, vel ſecuri præciſæ, vel vi. ventorum, aut Ratio metaphoræ rectè aſsignata.
inundatione euulſæ, dum cadũt, ruunt, quin
irruunt facto impetu ad ſolum, vndè origi-
nem traxere. Quaſi vitam, quæ ſibi adimi-
tur in ſuo principio recepturæ eſſent, aut
certè ſuum interitum à terra vindicandum.
Arbores ergo imitando, ſeu potius turba-
rum affectum; in Chriſtum nobis concedi-
tur irruere, quando fert caſus. Eſt enim
principium, quod perdita reſtituit, & eſt
iudex qui vindictam retribuit.

*Vt illum tangerent quoquot habebãt pla-
gas.* Græcè legitur μάστιγας. Flagella. Quo-
niam plaga, quæ vulnerat carnem, morbus,
qui corpus cruciat, bellum, quo turbantur
ſenſus, & fames, quæ arefacit homines, fla-
gella ſunt Dei, quibus caſtigat hoſtes, eru-
dit filios, & ſeruos reddit ſolitò diligentio-
res. Hinc ille: Flagella, & doctrina in omni Eccl. 22.
tempore ſapientia. Flagellis enim velut
ſata pluuijs humiliamur. At doctrina,
quam flagella inducunt, quaſi ſole, poſt mul-
tam nebulam, illuſtramus, vt effecti ſapien-
tes eructemus: Bonum mihi; quia humilia- Tob. 13.
ſti me: Flagellans enim ſaluas: Fui flagella-
tus tota die, & caſtigatio mea in matuti-
nis. Caſtigaſti me, & eruditus ſum, quaſi iu- Ier. 31.
uenculus indomitus, conuerte me Domine,
& conuertar: Quia tu Domine Deus meus.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT XI.

Et ſpiritus immundi cum illum videbant, procidebant ei: Et clamabant dicentes.

Expoſitio. NOn ſolum corporis infirmitatibns preſsi, & plagis laniati Chriſtum ſequuntur, ſed & obſeſsi, ſiue tracti, ſiue ſpontanei poſt Chriſtum eunt, procidunt eidem, adorant, agnoſcunt, & clamoribus confitentur dignitatem eius, in confuſionem aduerſantinm ſibi, & argumentum ſnæ perditionis, vt qui abnegent eum, quem omnis ſpiritus laudat, omnis creatura confitetur, & cui genu omne curuatur.

Et ſpiritus immundi cum illum videbant. Immundi feruntur ſpiritus maligni, non ſecundum naturam, quæ remanſit in eis integra, eſtque ſignaculnm ſimilitudinis Dei, tota ſpiritualis, & perfecta, ſtellæ nomẽ ſẽper retinens, ſed obſcurata peccati nubecula, ob quam aliqnando immundi, cum ab amore concupiſcentiæ tàm contra ſe, quàm contra Deum, & proximum peccare accipiunt, & ſuggerunt alijs peccata carnalia, & materialia; aliquando vocantur maligni ab intentione, qua cunctos effici malos, & optant, & tentant. Procellæ ſpiritus, & tempeſtatis vocitantur ab effectn, quem ſuggerendo mala hominibus operantur, vtpotè ſeditiones, bella, homicidia, ſcandala, & ſimilia, vndè reipublicæ accidit euerſio, priuatis familijs, atqne hominibns ruina. Spiritus nequã dicti ſunt ab iniquitate, qua continuò diſſuadent, ne cui honorẽ honorẽ, ne cui vectigal vectigal, neq; quod ſuũ eſt, cuiq; demus. Alijs etiã ignominioſis appellatur nominibus, ſed de his ſatis. Quod legimus: *Videbant illum*, non intelligas dæmonibus conceſſum videre Chriſtum, ſecũdum interiorem hominem, alioqui myſteria redemptionis penetraſſent, & Chriſtum agnouiſſent Denm ab hypoſtaſi, quam adeſſe diuinam concluſiſſent, cum non reperiſſent humanam, ſcirentque naturam abſq; perſona minimè conſiſtere, vel ſubſiſtere. Habitus qnoque infuſos qui mirum in modum animam Chriſti decorant, conſpexiſſent, quæ abſurda mihi videntur, quod hoſtis valeat Regis caſtra peruagare. Videbant igitur ſolum exteriorem hominem, quem ex ſignis magnum coniectabantur, & ſuſpicabantur eſſe, quem oracula venturum pollicebantur.

Variæ dæmonum appellationes ab effectu, & affectu.

Rom. 13.

Qnomodo, aut in quo viderint Chriſtum.

Procidebant ei. Non liberè, neque honorem volentes Chriſto deferre, ſed coactè ante faciem, & pedes, Chriſti ſeipſos proſternunt, vt qui alios ab adoratione, & cultu Chriſti dehortantur, pœnas in proſtratione luant. Nã nihil ſuperbis grauius, quàm humiliari, neq; arrogantibus durius, quàm proſterni ante mites; Et quidem ſuſtinebunt grauamen quiq; ſuperbi. Dicente oraculo: Iacebunt mali ante bonos, qnando ſcilicet, veniet Dominus, cuius hæredes sũt boni, mali autẽ ſerui nequam. Interim dilectus Dauid patienter fert inſultationes Semei, neq; moleſtè fert Samuel ſciſſurã veſtis; cumqne Mardochæũ inſequitur Aman, tantum ille orat, & ſperat vicem, quandoq. cõmutandã. Quia propè eſt Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in veritate, & ſaluos faciet eos, cuſtodit Dominns omnes diligentes ſe, & omnes peccatores diſperdet.

Pſal. 14.

2. Reg. 16.

1. Reg. 24.

Heſt. 3.

Pſal. 144.

Et clamabant dicentes. Per ora, ſcilicet obſeſſorum. Namq. naturæ eorũ non eſt clamare, qnod eſt corporis. Eſt enim clamor corporum colliſio, quæ ſi articulata fuerit, vox dicitur, ſecus appellatur ſonus; eum effertur clamoris nomẽ ſortitur, qui ſpiritus eſt, nõ eget colliſione corporũ, videlicet linguæ, palatus, labiorũ, ac dentium, ſiue gutturis, neque aliorũ, vt locutionẽ exprimat, & conceptum. Vult tamen aliquando Deus dæmonem humiliari corporibus, ſuaq. hiſce medijs agere, vt loqui, & tentare in corpore, vel aſſumpto, vel obſeſſo; tametſi nonnunquam ob peccata hominum, & perditionem permiſsione Dei, id quoq; accidat.

CAPVT XII.

Tu es filius Dei: Et vehementer comminabatur eis, ne manifeſtarent illum.

EN clamorem Dæmonum, qno nullo magis offendebantur. At hoſtibus, quæ minus placent, & angunt demandantur. Propterea Dæmones cogebantnr vocari Chriſtum, Deum clamare, quem in cælis confiteri negarunt, volentes tantum honorem ad ſe transferri; vndè eorum dux Lucifer erecto collo adnerſus Deum proceſsit dicens: Similis ero altiſsimo. Ergo depoſitus de cælis cogitur acclamationibus altiſsimum proſequi. Verùm humilitas hominis, qui & altiſsimus, non patitur laudes in manifeſto, neque ab impijs vult honorari, ſed iubet tacere, & comminatur pœnas. Expoſitio.

Iſai. 14.

Tu es filius Dei. Scilicet naturalis, nam per gratiam pleroſque inter Iudæos nouerant, & ſciebant, quod eſſent iuſti, & timentes Deum. Circuierunt enim, non ſemel, aut bis, ſed continuò perambulant terram; & ſciunt, vbi habitet Iob, quid in ſecreto agat Tobias, & quam ſolicita ſit Iudith, mundiſsimæ eſſe vitæ probè contemplantnr. Neque enim eos fallit Ægyptus, vt quid inter Ioſeph Dei cultorem, & Pharaonẽ magicę artis obſeruatorẽ interſit. Nec non Noë iuſtum à carne reliqua; etiam bonos à malis vbique terrarum diſcernunt;

Iob 2.

Tob. 2.

Iudith. 8.

Gen. 6.

Digitized by Google

at Chriſtum, vt ſolem iu medio ſtellarum, & orbis; vt mare ſuperficiem terræ inundans. Quid? vt cælum continens vniuerſa proſpiciunt; & ideò dicunt ei: Tu es filius Dei, ſcilicet, naturalis. Alios enim quantumuis iuſtos, & adoptione filios Dei, non dignãtur filios Dei appellare. Verum quomodo cognoſcerẽt in Chriſto myſteriũ, ſuperius dictum eſt. Interim (ait Theophylact.) miranda eſt Arrianorum cœcitas, qui poſt reſurrectionis gloriam, filium Dei negant, quem dæmones, adhuc mortali carne indutum, filium Dei profitentur.

Et vehemẽter cõminabatur eis. Quid hoc? 1. *Pet.* 2. cũ malediceretur, non maledicebat, cũ percuteretur, non cõminabatur; mox verò cõ- *Rom.* 5. minatur his, qui laudant eum? Quoniã adulatio obeſt; tribulatio autẽ patientiã operatur; patientia autẽ opus perfectũ habet. Familiare autẽ, & cõmune vitiũ eſt adulatio, quę omniũ ferè aures oblectatur; quid referã? Eſt mima, & hiſtrio, q nihil habet veri. Eſt hiena, & pardus, qui oblectamento vocis, & guſtus trucidãt. Eſt nauis, quæ proſpero vẽ- *Apoc.* 12. to ducit ad præcipitiũ. Eſt denique draco il- *Gen.* 3. le; qui cauda ſtellas trahit, & eloquio depo- *Ezech.* 13. pulat paradisũ delitiarũ. Quia ergo (cõminatur Deus adulatoribus) locuti eſtis vana, & vidiſtis mendaciũ; ideo ecce ego ad vos, dicit Dominus Deus: Et erit manus mea ſuper prophetas, qui vident vana, & diuinant mendaciũ. In concilio populi mei non erũt, & in Scriptura domus Iſrael non ſcribẽtur, nec in terrã Iſrael ingrediẽtur; & ſcietis, q a ego Dominus Deus. Eò quod dexpexerint populũ meũ dicentes: Pax pax, & nõ eſt pax; & ipſe ædificabat parietẽ, illi autẽ liniebant cum luto abſque paleis. Dic ad eos, qui liniunt abſq; tẽperantia, quod caſus eſt. Casũ autẽ adulatoris expreſſit Vates primò, poſt conditionẽ. Conditio eſt tantũ linire, caſus autẽ non eſſe cũ bonis, deleri de libro vitæ, priuari Regno cæleſti. Ergo vt tantum vitium abhorreremus, principibus, & auctoribus adulationis, comminantur dura ſupplicia, quæ & poſsident.

Ne manifeſtarent illum. Hoc eſt, ne vltra dicerent (exponit Dionyſius) coram populo, Ieſum eſſe filium Dei; contempſit enim teſtimonium dæmonum propter cauſas præmiſſas. Sed cur dæmones dixerunt

Cur dæmones Chriſtũ laudarint?

tot bona de Chriſto? Dicendum quod coactè, vel malo fine, & ob alias cauſas, quas non eſt facilè excogitare, & fortè, vt eius paſſionem impedirent, ſcientes. quod nunquam crucifigerent Dominum gloriæ ipſi Iudæi, ſi eum agnoſcerent. Attamen communis Patrum ſententia aduerſatur rationi, ſiquidem diabolus introiuit in cor, vt traderet eum Iudas, & principes ad necem excitauit, & cum omnibus homicida ille egit, vt Chriſtus crucifigeretur, quouſque in maiorem incidit cognitionem de Chriſto, & ex taciturnitate, patientia, & reſponſis colligere cœpit, Chriſtum eſſe, & Deum. Vndè Pilati vxorem terruit, per quam & *Matt.* 27. monuit Pilatum Chriſtum dimittere. Hæc *Cyrillus.* Ambroſius, Hilarius, Hieronymus, Gre- *Auguſt.* *Hieron.* gorius, Cyrillus, Alexand. & reliqui. Quare *Ambroſ.* intendiſſe dæmones præſenti confeſſione *Hilarius.* Chriſtum à Cruce, & morte liberari, ne fie- *Gregor.* ret redemptio, minimè probatur. Multam verò, ac maiorem malitiam, quàm nobis occurrat, prætendiſſe dæmones præſenti laude, non dubito.

CAPVT XIII.

Et aſcendens in montem, vocauit ad ſe, quos voluit ipſe, & venerunt ad eum.

Videns iam ergo Chriſtus multam nimis ſegetem creuiſſe, & albam meſſem, diſponit operatores prouidere, qui colligant fructus optimos. Propterea in montem aſcendit, vt tantum negotium oratione, & maturo conſilio videatur peragi, eſſeque opus non humanum, ſed diuinum. Itaque aſcendens ad montem, vocat, & eligit, quos vult, nec vocationem parui duxerunt electi, quinimo vt electiſsimum donum reputantes, ſtatim vocantem adeũt, ſeque ad omnia paratos proferunt.

Et aſcendens in montem. Poſtquam (inquit Gloſſa Bedæ) immũdos ſpiritus ſe præ- *Gloſ. Bed.* dicare prohibuit, Sanctos elegit, qui eum prædicarent, & nefandos ſpiritus eijcerent. Mons iſte ſignificat altitudinem iuſtitiæ, qua inſtruendi, & prædicaturi erant: per locum admonet ad cæleſtia erigi, ſic & legem in monte dedit. Et Hieronym. Con- *Hieron.* ſuetudo eſt Scripturæ diuinæ, allegoricè loqui, & cum aliud dicat, aliud velit intelligi, quod in Euangelio poſitum frequenter inuenies. Sic nobis neceſſe eſt, vt ſic excelſiora ſenſibus noſtris applicemus, vt tamen cuncta, ſecũdum hiſtoriæ veritatem, cernamus. Chriſtus enim ſolus ſpiritualis mons

Chriſtus mons explicatur.

eſt, mons quidem breuiter à nobis laudatus, ſed cæleſtium rerum qualitate copioſus: Ex quo aquæ viuæ decurrunt; lac in paruulorum ſalutem præparatur; pinguedo ſpiritualis agnoſcitur; & quicquid ſummè bonum creditur, in montis iſtius eſt gratia conſtitutum, qui eſt mons montium, & ſanctus ſanctorum, quos quotidie ad ſe de præſentibus ærumnis inuitat. Placet quoq; cũ Hilario ſuper Matt. can. 4. Montẽ, ad quem Chriſtus aſcendit, contẽplari, totamq. Trinitatẽ montẽ excelſum confiteri. Igitur cõſultus Pater ſuper electione Apoſtolorũ, ad montem viſibilem aſcendit, vt inuiſibili cõtemplaremur inuiſibilem Deum, montẽ in *Mich.* 4. vertice montium ſtatutum, qui lucem inac- 1. *Tim* 6. ceſſibilem habitat, ad quẽ nemo aſcendit, neque nouit perfectè, niſi qui deſcendit de *Eph.* 4. cælo, filius hominis, qui eſt in cælo. Quid autẽ in monte ante omnia egerit, Lucas de- *Luc.* 6. ſcri-

Digitized by Google

ſcribit dicens : Aſcendit in montē orare,& erat ibi pernoctans in oratione;Vt ex facto nos doceret, quid in arduis agendum foret, videlicet Deo cauſam cōmittere, oratione volūtatē Dei agnoſcere, & cōtinua vti prece,ac debita,quoties,vel præſul eligitur,vel noſtrū negotium agitur,ſiue priuatum,ſiue
Pſal.101. publicum. Quia ædificauit Dominus Sion, & videbitur in gloria ſua. Reſpexit in orationem humilium, & non ſpreuit preces eorum. Pernoctabat ergo in oratio-
Euthym. ne (concludit de Chriſto Euthymius in Marc.)inſtruens nos, vt ſi quando aliquem electuri ſumus, in oratione pernoctemus, quo is,qui dignus eſt, innoteſcat,nec communicemus peccatis alienis.Aſcendit quo-
Theophyl. que in montē ad orandū(ſubdit Theophyl.) quoniam miracula fecerat,factis miraculis adorat,docens nos,gratias agere Deo,& ſicubi boni quippiā perfecerimus , id diuinæ virtuti offerre debere.

Vocauit eos , ad ſe , quos voluit ipſe .
Vt quandoque diceret non vos me elegi-
Ioann.15. ſtis, ſed ego elegi vos, vt eatis, & fru-
Iſai.8. ctum afferatis , & fructus veſter maneat. Teſtareturq. Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in ſignū, & in portentū Iſrael à Domino exercituū , qui habitat
Ioan.10. in monte Sion.Dominus,inquit,non caro,& ſanguis . Sed ſicut me miſit viuens Pater, &
Luc.22. ego mitto vos,& diſpoſuit mihi Pater meus regnum,& ego diſpono vobis,ſcilicet voluntate, nō accipiens perſonā,& ego volo vos,atque eligo,& nullo carnis,neq; cognationis intuitu.Eſt enim rectiſſima Chriſti voluntas,iuxtà quam non ſolū miniſtros Eccleſiæ vocat,ſed omnem hominē ad opus
Matt.20. ſuum,vt illud inſtanter operetur , ad vineā,
Luc.14. vt portet pondus diei,& æſtus ; & ad cœnā
Matt.22. & prandium,vt manducet de bonis eius ſolus. Hoc eſt, vt breuius loquar, vocat quos vult ad opera meritoria. Quare non eſt vo-
Rom.9. lentis,neque currentis,ſed Dei miſerentis,
Iſai.46. vocantis ab Oriente iuſtum,& de terra longinqua virum voluntatis ſuæ , qui ait ſaluū
Pſal.17. me fecit,quoniam voluit me.Ergo quē non
Ezech. 18. vult perijt?Nunquid volūtatis Dei eſt mors impij? Vult quidem omnes homines ſaluos fieri,& ad cognitionē veritatis venire.Vnus enim Deus,vnus,& mediator Dei,& hominū,homo Chriſtus Ieſus.Nihilominus cuius vult miſeretur,& quem vult, indurat. Quid
Rom.9. ergò dicemus? Nūquid iniquitas apud Deū? Abſit. Moyſi enim dicit : Miſerebor , cuius miſertus ſum,& miſericordiā pręſtabo,cum miſerebor.Deniq;qui nulli deuinctus eſt,ex miſericordia , & liberalitate ſua vult hoc bonum, aut illud, alteri non vult abſq; cuiuſque iniuria. Etenim figulo ex eadē maſſa vas vnum in honorem,& aliud in contumeliā facienti,quis dicet: Cur ita,aut malè facis?Dominus eſt; quod bonū eſt in oculis eius, hoc faciat;tantùmodo nobis licet ex-

clamare. O altitudo diuitiarū,ſapientiæ, & *Rom.11.*
ſcientiæ Dei.Confiteor tibi Domine,quia
abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudenti- *Matt.11.*
bus,& reuelaſti ea paruulis; ita Pater, quia ſic placitum fuit ante te.Vt cunique admittimus,nolle mortem peccatoris, ſed velle
omnes ſaluari . Quod cunctis naturam,quæ *Duplex in*
ad ſalutem eſt,velit, nec non media cunctis *Deo volun-*
dederit, & ſigna ſalutis propoſuerit, vel, vt *tas ſaluādi.*
ſcholaſticè loquar, volūtate antecedēte, & ſigni,vult oēs ſaluari; beneplaciti verò, & cōſequente,tantū quos efficaciter vocauit, iuſtificauit, magnificauit , ac beatificauit. Aduerte lector vocari homines ad ſe,vt qui ad miniſteriū aſſumūtur,ſciāt,in adminiſtrationibus ſuis ad Chriſtū ſęper reſpiciēdum fore,& per ea,quę iubet,& ordinat,actiones ſuas regulari oportere,non ad captū ſuum, & appetitum ſenſus. Noli quoque præterire annotationem vulgarem,tamen dignam; videlicet, vocari ad apicem honoris Apoſtolos,non aſſumi ab eis vltrò, neque ſe ingerere , aut intromittere . Denique aduertite declamatores verbi Dei campum hic vobis offerri de prædeſtinatione . Eam tamen more Scholaſtico in fuggeſtis tractari,vt ſolitum eſt quibuſdam, quantum poſſum diſſuadeo , ſed precor concionem ad
opera , quæ videntur prædeſtinati inſcitari, *2.Pet.1.*
vt certam quiſque vocationem ſuam faciat.

Et venerunt ad eum . Vocati ſunt, ſed ſola vocatione non acceperunt miniſterium; oportuit eos venire. Si rem ad miniſteria Eccleſiæ referimus,venire poſt vocationem ad Chriſtum eſt ordinari,& per ordines Eccleſiæ promoueri vſque ad vltimum miniſterium , ad quod quiſque voca-
tur, vt omittant delirare Magdeburgenſes, *Hæreſis Lu-*
& ſentina malorum Lutherus , qui omnes *theri repro-*
eccleſiaſticos ordines ablegant , dogmati- *batur.*
zantes à puero vſque ad ſenem,à viro vſque ad fœminam , ad miniſterium eccleſiaſticum vocari omnes, & eligi, eſſeque ſacerdotium commune. Contra hos, & ineptias, quæ ex tàm corrupto principio emanant, actum eſt in Symbolo , & ſæpè aliàs . Hic annotaſſe ſufficiat, & admonuiſſe prudentem, qui nouit , vnde poſſit facilè errorem eliminare, ſi occurrat . Alioquin non decet falſa dogmata , quæ vulgus ignorat , in publica concione pertractare. Expedit tamen paratum eſſe, qui ſuggeſtum aſcendit , rationem reddere de ea, quæ in nobis eſt,fide. Rurſus ſi litteram conuertimus ad eos, qui vocantur ad gloriam , ſiue prædeſtinantur venire ad Chriſtum , erit benè operari, legem implere,non præterire apicem, neque
iotam,quantò minus , vt Loſſius Brencius, *Hæreſis cō-*
& Centuriatorum turba hortantur, omnia *futatur.*
opera , legem , & bona quæque præteriri oportere ad ſalutem . Tantam quoque hominum inſaniam,& amentiam multis in locis refutauimus .

CAPVT XIV.

Et fecit, vt eſſent duodecim cum ipſo: Et vt mitteret eos prędicare.

Expoſitio.

QVuorſum vocarit Chriſtus ad ſe quoſdam, aperitur. Vt ſcilicet prædicarent genti, quæ famem patiebatur, & ſicut ceruus ad fontes aquarum, ſitiebat verbum Dei audire, vt inde ad Deum ipſum omnes traherentur. Numerum autem prædicatorum ponit Euangeliſta, non abſque myſterio, quod cum alijs percurremus ſeorſum.

Et fecit. Cum quo fecit? Num ex ſe. Cum Patre, quem conſuluit, ad quem pernoctans, orauit; qui ante mundi conſtitutionem elegit miniſtros Euangelij, quod ante promiſerat per Prophetas. Cum hoc igitur fecit orans, ſuo merito impetrauit, non hos ſolum, ſed quoſcunque, ſiue ad miniſterium Eccleſiæ, ſiue ad gloriæ manſionem eligi. Subinde Paulus iſta ſæpius in

Eph. 1.

Chriſto facta replicat. Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu eius, in charitate. In quo habemus redemptionem

Electio omnium eſt facta in Chriſto.

per ſanguinem eius. In quo etiam nos forte vocati ſumus, prædeſtinati ſecundum propoſitum eius, qui operatur omnia, ſecundum conſilium voluntatis ſuæ, vt ſimus in laude gloriæ eius nos, qui ante ſperauimus in Chtiſto. In quo cum audiſſetis verbum veritatis, Euangelium ſalutis noſtræ, in quo, & credentes ſignati eſtis. Et alibi perſæpè conculeat. In quo, in eo, per eum, per Chriſtum, cum Chriſto, vt perſuadeat in merito Chriſti electionem omnium factam, & per eum, vt vnicum mediatorem vocari homines ad Eccleſiæ miniſterium, gratiamque & gloriam nulli niſi per meritum eius à Deo concedi. Quare Deus ipſe eſt auctor bonorum omnium, & immediatus factor, Chriſtus fecit, vt mediator promerens, quæ hominibus conceduntur. Vide

Tho. Paul. Ambroſ. Catherina, Chryſoſt. Theodoret.

S. Thom. S. Paulum. Ambroſium, Catherinam, Chryſoſtomum, & Theodoretum, atque alios, qui cum ab his non diſcedant mentem ad maiorem fortè ſpeculationem de ijſdem habendam prouocabunt.

Vt eſſent duodecim. Quia (inquit Hieronymus) ſpeciem Iacob dilexit Dominus.

Hieron. *Deut* 32.

Et cum diuideret altiſſimus gentes, & ſepararet filios Adæ, ſtatuit terminos populorum, iuxtà numerum filiorum Iſrael, vt

Matt. 19.

ſint ipſi ſuper ſedes duodecim indicantes duodecim tribus Iſrael. Subdit Zacharias Chryſopolitanus; fecit, quod eſſent duodecim, vt quadratum orbem fide ſanctæ Trinitatis inſignirent, & ſalutem, quam prædicarent, ſuo quoque homine commendarent. Sicut enim ſeptenario, ſic & duodenatio ſignatur perfectio, propter partes ſeptenarij, quæ in ſe multiplicatæ reddunt duodecim. Horum figuræ fuerunt duodecim filij Iacob, duodecim principes plebis Iſrael, duodecim lapides in veſte ſacerdotis, duodecim fontes repetti in Helim, duodecim panes propoſitionis, duodecim exploratores à Moyſe miſſi, duodecim lapides altaris, duodecim lapides de Iordane elenati, duodecim boues ſub mare Æneo, duodecim ſtellæ in Corona ſponſæ, duodecim fundamenta, dnodecim portæ ciuitatis. Multiſque alijs figuris prænotati ſunt Apoſtoli ad diſpenſanda diuina myſteria; Notandum quod Scriptura non ſolum duodecim appellat Apoſtolos, ſed & omnes, qui à Deo miſſi ſunt prædicare. Apoſtoli enim græcè, latinè, miſſi, dicuntur. Vnde Dominus alibi: Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.

Figuræ duodecim Apoſtolorum. *Gen.* 35. *Num.* 1. *Exod.* 28. *Exod.* 15. *Leuit.* 24. *Num.* 13. *Ioſ.* 4. *Apoc.* 12. *Apoc.* 21. *Ioan.* 20.

Cum illo. Ergo ſi *cum illo* ſunt duodecim, tantum extra Chriſtum numerabuntur vndecim. Quod ſi id damus, non tàm numerus, qui hic refertur, quàm quæ alibi Chriſtus dixit (nonne duodecim elegi vos) in dubium neceſſe eſt reuocari. Attamen vera hæc reddimus, & *cum illo*, myſterium tangere arbitror. Videlicet cum illo eſſe duodecim, hoc eſt numerum duodecim eſſe vnum cum illo, & vnum eſſe miniſterium Apoſtolorum, cum illo quod ipſe geſſit. Omnes enim legatione pro Chriſto fungimur, ſacerdotium Chriſti, & Pontificatus vnus eſt in omnibus Epiſcopis. Vt enim in duodecim iugis bobum arantibus, vnus erat, ita vnus eſt Chriſtus duodenario ſacro. Vnde in Apocalypſi legimus nomina duodecim Apoſtolorum, & agni, quod in vnoquoque Apoſtolo, Chriſtus, & in omnibus ſimul Chriſtus. Quare, *cum illo*, non ſignificat quid diſtinctum à duodenario, ſed idem cum toto numero, & ſingulis numeri partibus, vt anima eſt vna in toto corpore, & in ſingulis partibus, ita Chriſti Apoſtolatus idem in toto collegio ſacro, & in ſingulis Epiſcopis collegij, tãetſi, vt anima in capite, maiora præſtat, ita in Petro, & eius Vicario auctoritas Chriſti fœcundior, atque plenior, quam in reliquis videatur.

Ioan. 3. 2. *Cor.* 5. 3. *Reg.* 19.

Et vt mitteret eos prædicare. Hic eſt finis potiſſimum totius electionis Apoſtolorum, & Epiſcoporum, qui Apoſtolis ſuccedunt. 21. d. in nouo. 35. d. Eccleſiæ. 78. d. quorum vices. Vnde Paulus ait ad Epiſcopum: Prædica verbum; & Petrus: Paſcite, qui in vobis eſt, gregẽ Dei. Inde ſal, & lux, nec nõ teſtes, & teſtimoniũ Chriſti, dicti ſunt. Cum quibus pactum Leui vitæ, & pacis renouatum videtur, vt legem populis annuntiaret, accepto deſuper Spiritu ſancto, qui in forma ignis, & linguæ deſcendens, eos docuit omnia,

21. d. c. in nouo. 35. d. c. Eccleſiæ. 78 d. c. quorum vices. Tit. 4. 1. *Pet.* 5. *Matt.* 5. *Act.* 1.

nia, quæ lingua poteſt, & debet imperitis
tradere, vt ad ſupereminentem charitatem
ſcientiæ Chriſti perueniant, & ſaluentur.
Epheſ.3. Idcircò (ait Clcementi Petrus in epiſt. 1.
Clemens. cle.ad fratrem Domini Iacob.) tu quidem
ad hoc ſolum vacato, vt opportunè, & ſine
intermiſsioue doceas verbũ Dei, per quod
ſalutem conſequi poſsint. Illi verò cum
tanta reuerentia tua verba ſuſcipiant, tan-
quam qui ſciant legatum te, & præconem
Euariſtus. eſſe veritatis; & Euariſtus in epiſt.2.de Epi-
ſcopis: Epiſcopum verò oportet, opportu-
nè, & importunè, atque ſine intermiſsione
Eccleſiam ſuam docere. Quare nuper in
Conc.Trid. Concilio Tridentino, decreto de reforma-
tione, potiſsimum Epiſcoporũ munus præ-
dicare Dei verbum eſſe dicitur, quod per
ſe, vel per alios ſolicitè debeant exercere.
Id quod etiam Patres in multis teſtantur
88 d c. Epiſcopi nullã. 3.q.1 c.Epiſcopi.43 d. §.1 c.ſequẽti. decretis. 88. d. Epiſcopus nullam. 3. q. 1.
Epiſcopi. Vnde 43. d. §. 1. c. ſeq. dicitur non
ſufficere Epiſcopo vitæ innocentiam, niſi
etiam doctrinam habuerit, vt uou gram-
maticam, vel philoſophiam, ſed ſacram
86. d c. cũ multa. 38. de ignorantia. Scripturam doceat populum. 86. d. cum
multa, & 38. d. ignorantia. & 36. d. qui Ec-
cleſiaſticis, & c. ſi quis. Quid quod nomen
36. d qui Eccleſiaſticus, & cap ſi quis. 8.q.1.& 19. d. cleros hoc ſonat. 1.Tim.3. Auguſt. Epiſcopi, qui græcè dicitur, ſuperinten-
dens. 8.q.1. qui Epiſcopatum, & 21. ad cle-
ros, hoc ſonat. Non eſt, inquit Auguſtinus,
Epiſcopus uomen honoris, ſed operis. Qua-
propter coucludit Paulus: Qui Epiſcopa-
tũ deſiderat, bonũ opus deſiderat. Nota dili-
genter hoc in loco penè hæreſum omnium
illorũ, qui hoc æuo iufeſtant Eccleſiam, ori-
ginem, quam ab electione, & officio Apo-
ſtolis credito, venantur. Aiunt enim, vtpo-
Here. reprob. tè Lutherus, & colluuies Centuriatorum
nihil præter miniſterium verbi Dei, & fi-
dẽ, quæ prædicanda miniſtris committitur
à nobis per Chriſtũ tradi, nou ſacramenta,
non opera, non cœrimonias cultus externi,
non Cleri diſtinctionem, ſed tantum aſsi-
gnari miniſtros, qui Dei verbum prædicent.
Id quod modo; non vno, aut alteri, ſed Rei-
public. primoribus, ciuitatis, vel oppidi, vo-
lunt competere iudicium miniſtros eligen-
di, qui Euangelium diſſeminent, ſiue ma-
res, ſiue fœminas, in quibus idoneitatem
inuenerint. Quantũ verò aberrent, ſi vellem
hic oſtendere, digreſsione prolixa vti o-
porteret. Quare, & annotaſſe ſufficiat, &
Cõc. Trid. ſcire, peculiari anathemate in Concilio
Tridentino damnari, & ratione, quæ con-
fuſionem abhorret, quam ex tanto delirio
paſsim ſequi, quis non videt? Id tamen
teſtantur, quæ in pleriſque Aqui-
lonarium partium legimus
fieri, & audimus bella, &
ſeditiones com-
mitti.

CAPVT XV.

Et dedit illis poteſtatem curandi infirmos, & eijciendi dæmonia.

Itaque non inermes mittit, quos prædi- *Expoſitio.*
cationi deſtinat, ſed armat, & prouidet
neceſſarijs, quæ expeditioni conducunt. Po-
teſtatem curaudi morbos impartitur, in ſi-
gnum effectus ſpiritualis, quem operatur
miniſterium commiſſum, videlicet, animæ
libertatem ab omni reatu, & culpa, ac de-
mum miſeria, cum à mundo ad Patrem fit
tranſitus. Dæmones expellere, miniſtris
Chriſti conceditur, ne ſint impedimento,
quominus prædicationis fructus ſuũ locum
in animis audienrium habeat. Quare præ-
dicator veritatis dixit: Nou eſt nobis col- *Eph. 6.*
luctatio aduerſus carnem, & ſanguinem; ſed
aduerſus principes, & poteſtates, aduerſus
mundi rectores, tenebrarum harum, contra
ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus.

Et dedit illis poteſtatem. Hoc intereſt in-
ter electos à Deo, & quos homo ad officia
aſſumit. Quod hic præter miniſterium, ſiue
temporale, ſiue ſpirituale, nihil poteſt ele- Differentia inter electionem factam à Deo, & ab homine.
cto infundere, quo idoneus miniſter efficia-
tur, & regat, atque miuiſtret ſingula, ſicut
decet Dei miniſtros, & diſpenſatores mi-
niſteriorum Dei; at Deus quem eligit, & ad *Pſal.78.*
apicem miniſterij ſubleuat, ſiue de piſca- *Matt.4.*
tione, & telonio, ſiue paruulum, ſiue ſenem *Matt.9.*
ornat cunctis, quæ tantum miniſterium
exigit. Ait enim manus mea auxiliabitur *Pſal.88.*
ei, & brachiũ meũ confortabit eũ. Hic enim
accipiet benedictionem à Domino, & mi- *Pſal.23.*
ſericordiam à Deo ſalutari ſuo, quaſi li- *Pſal.1.*
gnum, quod plantatum eſt ſecus decurſus
aquarum. Et hortus irriguus, cuius non *Iſai.58.*
deficiunt aquæ. Ergo noli dicere, quia
puer ego ſum, neque vir pollutus labijs ego *Ierem 1.*
ſum; aut neſcio loqui, vel Babylonem ne- *Iſai.6.*
ſcio. Nam qui omnipotens eſt, & dixit ni- *Dan.14.*
hilo. Fiat firmamentum, & factum eſt fir-
mamentum: Et aquis fluxibilibus: Produ- *Gen. 1.*
cant aquæ reptile animæ viuentis, & vola-
tile ſuper terrã ſub firmamento cæli, & fa-
ctũ eſt ita. Rurſuſq; Germinet terra herbam
virentem, & facientem ſemen, & lignum po-
miferum, faciens fructũ, iuxtà genus ſuum,
cuius ſemen in ſemetipſo ſit ſuper terram.
Poterit quoq, perſequutorem illuſtrare, vt
ſit vas electionis, & cælum orbi, cum Paulo: *Act.9.*
Et eum qui delitijs mundi huius molleſcit,
atque diſſoluitur, nuntium ſuæ reſurrectio-
nis efficere cum Magdalena; & eum qui ter- *Luc.7.*
ra ſiccior eſt, & immeſericors ad pittatem,
cum Zachæo ſubleuare, vt qui prorſus im- *Luc.19.*
periti, & incapaces reputantur, ſint poſtmo-
dum ſtupori. Beatus ergo quem elegiſti, & *Pſal.64.*
aſſumpſiſti.

Curandi infirmitates. Infirmitatũ duplex eſt genus, quædam enim corpus aggrauant, vt Apoplexia, quæ ſubitò conſternat; Cancer qui membra corrodit; Pranchus qui guttur fauceſque ſauciat; Hydrocelle, quo morbo inteſtina defluũt, & colliguntur, atq; alij propè innumeri, qui quotidie ex ſuperabundantia, & varietate cibi pullulant, vt neceſſe ſit medicis, noua experiri remedia, & ſuperare Hypocratem, & Galenum, corrigereque Dioſcoridem, & Plinium. Aliæ infirmitates ſpirituales dicuntur, quæ in ſpirituali anima ſubſiſtunt, eamque in immenſum denigrant, vt ſeptem capitalia vitia, & quæ referuntur virtutum oppoſita. Super has Apoſtolica poteſtas potiſſimum verſatur. Curant, & alias, vt expedit priorum curationi, vel præſeruationi. Curare infirma corpora, eſt gratiæ gratis datæ. Animas verò à morbis liberari eſt gratiæ gratis facientis, quam medijs ſacramentis Sacerdos euangelicus confert, & ad quam prædicatione diſponit.

Et eijciendi dæmonia. Non ſolũ ab obſeſſis, ſed à phanis gentium, & ab omni loco, in quo ſibi diuinitatem tribuerent, vel præſumerent Euangelium impedire, aut moleſtare gentes. Quare ſimilem communicare poteſtatem, ſignum fuit deſolandæ idola-
[Iob 26.] triæ, iuxtà illud: Spiritus eius ornauit cælos, & obſtetricante manu eius eductus eſt coluber tortuoſus. Cæli ornati (ſecundum
[Gregor.] Gregorium) ſunt Apoſtoli, qui & virtutum ſplendore nitent, & prævalent poteſtate, qua Chriſtus dignos fecit imperio, vt obſtetricante, hoc eſt, adiuuante Dei auxilio colubrum tortuoſum educerent ab Idolis, à templis, & ab hominibus. Iamq; nomen Dei ſolius agnoſceretur, & adoraretur in terra, ac cantarent vnanimiter Tribus terræ: Om-
[Pſal. 46.] nes gentes plaudite manibus, iubilate Deo, in voce exultationis, quoniam Dominus excelſus, terribilis, Rex magnus ſuper omnem terram. Siquidem homo natus eſt in
[Pſal. 86.] ea, & ipſe fundauit eam altiſſimus.

CAPVT XVI.

Et impoſuit Simoni nomen Petrus.

[Expoſitio.] VVlt quoque electos non officio ſolum, ſed & nominibus, & ab alijs, & à ſe inuicem diſcerni. Nomen Apoſtoli eos, à quibuſuis alijs diſtinguit, vt neque Angeli, neque cõmunes homines dictitentur, ſed nomine officij, quod ſupra mortalium genus celebrantur, & homines cum ſint, Angelis æquiparentur, & ſuperiores videantur doctrina, quandoquidem per eos innotuit myſterium abſconditum Principibus. Nomen Petri, Iacobi, Ioannis, & aliorum, à ſe penitus facit differentes. Siquidem quodcumque horum nomen, non tàm perſonam, quàm priuilegium ſingulis commiſſum, donumque deſuper infuſum connotat. Sunt enim myſterioſa, ſi quæ alia in Scripturis legantur.

Et impoſuit. Non quiſque ſuum, neque vnus alteri huiuſmodi nomen potuit impo-
nere. Sed Chriſtus, qui ſcit omnia, & nouit [Sap. 9.]
quid ſit in homine, & quemque, cum eſſet [Ioan. 1.]
ſub ficu, vidit. Quia portamini (inquit) à [Iſai. 46.]
meo vtero, & geſtamini à mea vulua. Ego
enim principium, qui & loquor vobis. In [Ioan. 8.]
quo condita ſunt vniuerſa, & per ipſum ſunt, & vt ſunt cognoſcuntur, & nominan-
tur proprio nomine, & adæquato. Ergo ne- [Iſai. 45.]
que alius id poteſt, quia abſque me non eſt [Exod. 15.]
alius, nomen omnipotens, & omni ſciens ſcientiam creatam vincens. Hinc conclude; quod ſicut nomen Adæ à Deo ſolo impoſi-
tum, magna complectitur myſteria, quæ [Galatin.]
Galatinus tangit, & fuſiùs in ſua Harmonia mundi diſcurrit, ita nomina propria Apoſtolorum, quæ ore proprio Chriſtus Deus, & homo dat ſuis, non parua includunt arcana, quæ (Deo auctore) ſuo loco proſequemur. [Nomina Apoſtolis à Chriſto data myſteria continent.] Interim nota, cum Theophilo, [Theophilus] diſtingui Apoſtolos nominibus propter falſos hæreticos, & Apoſtolos vitandos, qui non Apoſtoli, ſed pſeudoapoſtoli, neque Petrus, aut Andræas Apoſtolus, ſed membra Sathanæ dici debent.

Simoni nomen Petrus, ad diſtinctionem
Simonis Chananæi, ait Zacharias Chryſop: [Zacharias Chr ſop.]
Et non modo primum (proſequitur Gloſſa [Gloſ. Beda.]
Bedæ, & Auguſt. de conſ. Euang.) ſed cum [Auguſt.]
adducto ab Andræa dixit: Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. Sed hic Euangeliſta te attentum reddit dicens: Quod eum Dominus ſic cognominatus ſit; aliter enim ſic putares vocari caſu, non prouidentia. Voluit Deus prius alio nomine vocari, vt ex mutatione nominis, viuacitas Sacramenti notaretur, ideſt græcè, vel latinè Petrus, quod ſyriacè Cephas, & in vtraque lingua, à petra dictum, de qua:
Petra autem erat Chriſtus; ſicut enim à [1. Cor. 10.]
Chriſto luce, lux mundi vocantur Apoſtoli, [Math. 5.]
ſic à petra Petrus. Eſt autem Petrus, vel Cephas, vt à noſtris legi ſolet, emanans à à verbo, ſiue πέτρος ſaxum, ac petra, quam
Hebræi סלע ſela vocant צור zur, Prou. enim [Prou. 20.]
20. Viam colubri ſuper petram, loco petræ
habetur zur. Et Pſal. 39. Et ſtatui ſupra pe- [Pſal 39.]
tram pedes meos, ponitur ſelah. Per metaphoram verò ſelah interpretatur arx, & munitio. Zur verò fortis, ac fortitudo, nec non Deus, gladij acies, & acutus gladius. Quæ omnia, quàm propriè Petro noſtro accomodentur, quis ignorat? Etenim qui cum alijs poteſtatem accepit filios Dei fieri, profectò Deus eſt. Nam ad quos ſermo Dei factus eſt, dixit Deos Scriptura. At ſer-

monem

monem de Cælo Petro communicatum [*Matth. 16.*] fuiſſe veritas deponit: Caro (inquit) & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus, qui in cælis eſt. Quod ſi Deus per metaphoram eandem, quis prohibet arcem dicere? Nec quidem aliam ego contemplor, quàm turrim Dauid cum propugnaculis, in qua mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Quoniam ſuper hanc petram dixit Chriſtus fundabo Eccleſiam meam. Hanc vero turrim, & arcem Dauid eſſe inexpugnabilem, quæ omnem militem proprijs armat, nemo inficiatur. Neque profectò quis Petrum negabit arcē, neque fortē, qui potuit aduerſus omne genus hoſtium præualere; externum enim deiecit, internum verò lacrymis abſumpſit. Quid? poteſtates tenebrarum, & omnes principes debellauit. [*Niceta.*] Petrus igitur is eſt (ait Niceta in orat. 42. Greg. Nazianz.) qui fide firma, & ſolida præditus eſt, eaque etiam virtute, quæ in agendo verſatur. Quoniam ſolus [*Damaſus.*] (ſcribit Damaſus Papa epiſt. 3.) & præ omnibus reditus eſt, atque percipere meruit à Rege Regum, Chriſto Deo claues regni cælorum, ad aperiendum fidelibus, & beneuolis hominibus in eundem Dn̄m noſtrum, & claudendum infidelibus, & maleuolis, atque ſuis ſacerdotibus, & ſanctæ Eccleſiæ, ſuo prætioſo ſanguine redemptæ, & impugnatoribus, ſiue nocentibus; quod vtique & nos facere poſtulauit. Verum enim verò, non ſolum noſtrum, ſed [*Paulus Emiſſenus, videt impreſſionē ſix ſtimam.*] (vt inquit Paulus Emiſſenus, hom de Chriſti natiu. quæ habetur tom. 6. act. concil. Epheſ. cap. 13.) eſt Petrus apoſtolorum coriphæus, eorumdemq. os. [*Chryſoſt.*] Et quid ei dicemus (proſequitur Chryſoſt. hom. de laud. Petri & Pauli) qui eſt dulce Eccleſiæ ſpectaculum? Is reuera eſt lāpas vniuerſæ terræ, alba, & caſta columba, acris, & vehemens Apoſtolus, feruens ſpiritu Angelus, & homo gratia plenus, ſolida petra fidei, vetuſtus Eccleſiæ ſponſus; qui beatus es, & columbæ filius propter caſtitatem, audiſti ex ore Domini, qui claues regni cælorum accepiſti, ab ipſo Domino. Atque ab his habet Petrus excellentiam, & omnem præeminentiam, quam in ſucceſſoribus Petri credimus, in poteſtate clauium, [*Zepher. 2. q. 6. c. Rom. Anacl. d. 22. c. ſacroſancta & 21. Turrecrem. Roffenſis. Caiet. Vigilius.*] Zepherinus Papa. 2. q. 6. ad Romanam. Anacletus d. 22. ſacroſancta, & 21. in nouo. Et ex poſter. Turrecremata lib. 2. ſumm. Roffenſis, Caietanus, atque alij fundant. Cæterum vt ad Petrum redeamus, ſciendum alibi vocari Cepham, vel lingua propria Syriaca כיפא cipha. ideſt caput, Quoniam licet omnium Apoſtolorum (ait Vigilius Papa ad Eutherium) par eſſet electio, beato Petro tamen conceſſum eſt, vt cæteris præemineret. Vnde & Cephas vocatur, quia caput, & primus eſt omnium Apoſtolorum, & quod in capite præceſſit, in membris ſequi neceſſum eſt; quamobrem ſancta Romana Eccleſia eius merito Domini voce conſecrata, primatum tenet omnium Eccleſiarum.

CAPVT XVII.

Et Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem Iacobi, & impoſuit eis nomina Boanerges, hoc eſt filij tonitrui.

DVobus quoque ſequentibus, videlicet, Iacobo, & Ioanni nomen indidit peculiare. Hæc autem mutatio nominum (ait Dionyſius Carthuſ.) ſpirituale innocationem, & gratiam ſpecialem deſignauit; ſed quam proſequamur paucis.

Et Iacobum Zebedei, vel vt habet Chaldæa littera וליעקוב בר זבדי valiachub bar Zabdai. Intepretatur autem Iacob, ſupplantator, planta, atque veſtigium à verbo עקב hacab, quod exponit theſaurus linguæ ſanctæ ſeducere, decipere, ſupplantare, fraudare, doloſè agere, & tenere plantam. [Quid interpretatur Iacobus Zebedæi.] Plantam autem, quam Iacobus iſte tenuit, Chriſti eſt, qui ad eum, vt ad reliquos dixit: Venite poſt me; illi autem relictis retibus, & patre ſequuti ſunt Dominum, & calcaneum eius obſeruarunt, non vt coluber mordens vngulas equi, vt cadat aſcenſor eius, ſed vt canis qui Domini veſtigia inſectatur. Factus eſt enim imitator Chriſti, & æmulator ſuarum traditionum, & diſcipulus integer doctrinæ eius apoſtolicæ, & gratiarum particeps. Quibus tortuoſum ſerpentem, qui vniuerſos gentes ſeducit, ipſe ſeduxit, dum ſanctimoniæ gradum amplectitur, quem callidus ille diffugit, decepit mundum, dum contemptis ſuis, dragmam mundis omnibus excellentiorem, abſque argento emit. Supplantat fratres Iudæos, quibus ius primogenituræ (relinquens eis terrena) aufert, & transfert ad ſuos poſteros, fraudatur principatum mundi, dum illi, atque principibus, cedens cæleſtem in terra, ac cælo accipit. Doloſè demum agit aduerſus carnem, quam attenuat ieiunijs, & pœnitentia arctiſſima depauperat, vt laſciuire non poſſit, neque opera carnis agere, ſed ſpiritum ſequi. Propterea filius Zebedæi is dicitur. Eſt enim Zebedæus dos, ſiue dotatus, aut fluxus vehemens, à verbo זבד Zabad, quod dotare, & donare interpreretur; Quod ergo tanta conferantur, mirum non eſt, quoniam filius eſt dotati, & donati. Eius (inquam) qui dotatus eſt, & donatus theſauris ſapientiæ, & ſcientiæ, in quo & plenitudo diuinitatis inhabitat. Proſequentur tanti Apoſtoli laudes, alij ego interim cæptum diſcurram.

Et Ioannem fratrem Iacobi. Seu יוחנן Ioannah,

Iohannah, hoc eſt Domini gratia, ſiue Domihi donum, aut Domini miſericordia, à verbo חנן Chanan, miſereri, parcere, largiri, donare, rem gratam facere, aut gratis dare. Etenim Ioannes noſter gratis ſe dedit, non tàm vniuerſis Eccleſijs, quæ ſunt in Aſia, ſed & orbi, & poſteris; quibus rem gratam fecit, Euangelium omnium ſubtiliſſimum relinquens, & Apocalypſim, hoc eſt, reuelationem contingenrium vſque ad finem ſæculi. Hoc autem præſtitit, quod donaſſet, & deuouiſſet ſeipſum Domino. Vnde ab eius pectore miſericordiam, donum, & gratiam Domini hauſit. Quare ſatiatus de fonte in exauſto dominici pectoris, miſertus fuit pereuntibus, pepercit delinquentibus, & abſque auaritia largitus eſt cunctis fidelibus, quæ diuinos, ac cæleſtes eos efficerent.

Et impoſuit eis nomina, &c. Non quæ explicauimus, ſed quæ ſequuntur. Cæterum nouorum nominum impoſitio, tantum abeſt, quòd ethimologiæ, & ſignificato aduerſetur priorum, vt illam videatur diffuſius explicare. Nam Iſrael, ideſt videns Deum, denudat ſupplantationem Iacob, & fortitudinem, quæ tanta in eo extitit, vt Deum potuerit prece vincere, & ab eo accipere benedictionem, & peculiarem ſui, ac ſuorum cuſtodem habere, & defenſorem, Similiter Abraham, ideſt pater multitudinis, eſt diffuſa interpretatio nominis Abram, ideſt pater excelſus. Nam in tantam filiorum multitudinem creuit, vt excelſum ipſum meruerit filium habere, vtpotè Chriſtum, qui excelſus reputatus eſt, genitor autem eius ſecundum carnem, Pater excelſus. Petri quoque nomen Simeonem explicauit: eſt quippe Simeon, obediens, ſed quæ maior obedientia, & humilitas petræ, quæ petenti ſe tribuit, nec vnquam monetur, niſi ab alio dirigatur; eſtque fortis, & patiens, patienter, enim cuncta ſuſtinet, & magis fortiter potenti brachio agitata. Hæc eadem in impoſitione ſequentium nominum contemplemur. Boanerges quod eſt filius tonitrui legit autem Ioannes Benedictus, benè reges; hoc eſt filij tonitrui, legit autem ſic, vel ſecundum Hieronymum Benecrem, quod non vt plerique putant Boanerges, ſed emendatius legitur Benecerem. Hæc Hieronymus, ſuper Danielem. Verum in textu Syro chaldæo, בנירגשי ראיתוהי בנירעמא Bonai regheſchi dithahi benarahama, quod eſt filij tonitrui. In græco eſt βοανεργὲς ὅ ἐστιν, υἱοὶ βροντῆς Eſt nomen hoc Hebræum, ſiue caldæum, vt proprius creditur, à בן ben id eſt filius & à רעם ragham, quod eſt tonare, intonare, indignari, & iraſci, ſeu à verbo רגש raghas, quod interpretatur tumultum facere, & fremere, nec non congregare, & coniungere, vtrumque enim verbum ponitur primitiuum, & radix huius nominis impoſiti, ſi Caldæam ſequitur litteram. Nam in nomine ipſo vtitur verbo raghas, in interpretatione verò verbo ragham. Iuxta quod tàm Latinus interpres, quàm Græca lectio, interpretantur filij tonitrui, ſimiliter Chaldæus. Verum interpretatio videtur à nomine diſcordare, cuius ſignificatio propria eſt filij congregationis, ſeu tumultus, & congregatio hominum ad ſuas familias, ne fulgurentur, hinc fortè per metaphoram exponitur nomen filij tonitrui. Hoc eſt eius, qui de cælo tonuit, & in terris dedit vocem ſuā: quam Ioannes vt echo repetens, tonitruum fecit, dicens: In principio erat verbum. Ad hæc Euthymius; ſicut filius iniquitatis dicitur, qui iniquus eſt, & filius perditionis, perditus, & filius pacis pacificus; ita quoque filij tonitrui, qui tonant: tanquam tonitruum enim de cælo auditum, hi diuina tonarunt dogmata, Iacobus quidem ſine ſcriptura, Ioannes verò ſcribendo tanto pondere grauidam vocem theologam emittens (ſubiungit Beda) vt ſi aliquando plus altius intonare voluiſſet, nec ipſe mundus capere potuiſſet. Sic etiam vocati ſunt à Chriſto (ait Lyra) quia in transfiguratione Chriſti, audierunt verbum Dei patris dicentis de Chriſto: Hic eſt filius meus dilectus. Quod quidem verbum vocatur tonitruum, ſecundum illum modum loquendi Iob: Cum vix paruam ſcintillam ſermonis eius audierimus, tonitruum magnitudinis illius quis poteſt intueri? at qui hoc (ſubdit Hieronym.) trium ſub limine meritum in monte meretur audire tonitruum patris, per nubem de filio tonantis: Hic eſt filius meus dilectus: vt per nubem carnis, & ipſi ignem verbi, ac ſi fulgura in pluuiam ſpargerent in terris; quoniam Deus fulgura in pluuiam fecit. Vt extinguat miſericordia, quod iudicium inurit. Vnde Propheta dicit; miſericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine.

Ioann. Benedictus. Hieronym. Euthym. Beda. Lyra. Iob 26 Hieronym.

CAPVT XVIII.

Et Andræam, & Philippum, & Bartholomæum, & Matthæum, & Thomam, & Iacobum Alphæi, & Thadæum, & Simonem Cananæum.

Seorſum ponuntur octo iſta nomina Apoſtolorum, quod nulla eis fiat nominum impoſitio noua, ſed deſcriptio, ſeu potius reiteratio priorum. Vt & in ipſis contemplemur arcana Dei. Sunt enim nomina, quæ os Domini nominauit, ac nominans, videtur de nouo impoſuiſſe; vt de decalogo, ac matrimonio habemus; ideò enim affirmamus de nouo eſſe inſtituta,

quod

quod ea legiſlator expreſſerit ore ſuo.

Quid ſignificet Andreas.

Et Andream. ואנדריאס, & Anderahanam hoc eſt, virilis fortiſſimus, à verbo אדר magnificatus roboratus, vnde Iud. 5. לאדירים עם lehadirim gham interpretatur, fortibus in populo. Cæterum quam magnificatus, atque fortis non in populo,ſed in vniuerſis populis, perſuadet crucis triumphus, quem incredibili gaudio & prædicauit, & ſuſtinuit. Magnificentiam autem declarauit, quando parum duxit præcurſorem ſequi, niſi & vitæ auctorem complecteretur, & ad eum, ne dum fratrem, ſed etiam numeroſas gentes pertraheret.

Ioannes Benedictus. Quid Philippus.

Et Philippum, ופיליפוס, & Philipaum. Hoc eſt,bellicoſus,vel venerator equorum, ſecundum Ioanuem Benedictum, apud Hebræos צד Zad, venator,neque רכב recheb, id eſt equus,neque item מלחמה milchama, ideſt,bellicoſus ad nomen Philippi referendum. Quare mihi videtur potius iudicem, à verbo פלל iudicare, vel facere iuditium; vnde eſt nomen פלילים phelilim, ideſt iudices. Scio ex pluribus verbis vnius nominis ſignificatum poſſe deduci. Quare cedo controuerſiæ, & bellicoſum,ſeu venatorem equorum,nec non Iudicem extitiſſe Philippum admitto,nec non os lampadis,vt Hieronymus interpretatur. Nam lampades prædicationis eius, lampades ignis, atque flammarum: admittimus, quibus ſchyticos equos qui indomiti ſunt, & feroces perdomuit,& venatus eſt non terrena ſolum, ſed cæleſtia, dum quærit: Domine oſtende nobis patrem.

Hieron.

Ioannes Benedictus. Quid Philippus.

Et Bartholomaum, וברתולמי, vebarthulemai, quod Syriacè (ait Ioannes Benedictus) interpretatur filius cæcus, vel filius cæcitatis. Nam vt plerique authumant, gentilis erat, ex Syrorum Regibus ortum habens, qui tamen carne filius cæcitatis, & cæcus erat, adeò illuminatus eſt ab eo, qui habitat lucem inacceſſibilem, vt nequeat iam,niſi yronicos,filius cæcitatis appellari. Eſt enim verè filius lucis illuminatus à montibus æternis.aliter Hier. *Et Bartholomæi* (inquit)qui eſt filius ſuſpendentis & quis filius ſuſpēdentis aquas,niſi qui dixit:Et mādabo nubibus,vt pluant ſuper eam imbrem? Nomen vero filij Dei per pacem,& dilectionem inimici acquiritur. Beati enim pacifici, quoniam filij Dei ſunt, & diligite inimicos veſtros, vt ſitis filij Dei. Et reliqua.

Hieron.

Quid Matth.

Et Matthaum, ומתי, Humathei, hoc eſt donatus,à verbo נתן nathan, quod eſt dare, largiri,donare, vnde מתת מתן mathat, mathan, hoc eſt, donum, & Matthæi, ideſt donatus. Nam relictis mundanis, & relonio ſeipſum Chriſto dono dedit. Etiam ſecundum Hieronymum, eſt donatus,cui donatur à Domino,vt non ſolum remiſſionem peccatorum adipiſcatur,ſed in numero adſcribatur Apoſtolorum, vt leo,& bos ſimul comedant, & lupus cum agno paſcatur. Nota (ait Gloſſa) quod alij Euangeliſtæ Matthæum præponunt, & publicanum non dicunt, ipſe poſt Thom. ſe ponit; & publicanum ſe dicit. Donatum quoque ego dicerem Matthæum, quod priuilegio Euangeliſtæ ſuper Apoſtolicum donatus fuerit.

Hieron. *Gloſſa.*

Quid Thom.

Et Thomam ותאומא vethahumah, hoc eſt abyſſus, vel geminus à תאם thaham, quod eſt geminare, vel geminari, vnde & תאומים rhcomim, & thomim, ideſt gemini, & gemelli,vt abyſſus interpretatur,deſcendit Thomas à תהם rhaam,vnde תהום thehom,vorago, & abyſſus,hoc eſt locus aquarum multarum. Et quis eiuſmodi locus, niſi lateris Chriſti, ac manuum vulnera, & pedum, ad quæ Thomas mittere digitos,ac manum promeruit, & inde ad abyſſum confeſſionis prorumpere: Dominus meus, & Deus meus: quin & ab hac confeſſione, qua & Dominum agnoſcit,& confitetur Deum, geminum,ac gemellum, ego dicerem. Ad hæc Beda, Thomas abyſſus, qui altitudinem virtutis in reſurrectione penetrauit, vel geminus, quod Græcè dicitur didimus, ideſt dubius, propter dubium cor, quia reſurrectionem vix credidit.

Beda.

Quid Iacobus Alphæi.

Et Iacobum Alphei, ויעקב בר הלפי veihachub bar halephai. Interpretatur autem Alphæus, milleſimus, vel doctus, aut dux ab אלף eleph, quod eſt mille, vnde אלוף aluph, ideſt, Princeps, Dux, Dominus,atq. magnus. Et אלף alaph, quod ſignificat diſcere, & docere, vnde,& doctus. De Iacobo autem dictū eſt ſupra. Appellatur autem iſte filius Alphæi, quod eſt (inquit Hier.) filius milleſimi cuius à latere cadunt mille, & decem millia à dextris ſuis. Iacobus alter, cui colluctatio non eſt aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed contra ſpiritualia nequitiæ.

Hieron. *Pſal 90.* *Ephes. 6.*

Et Thadaum ותדי vetaddi. Hoc eſt laudans ſiue confitens, qui ſecundum lectionem Græcam, dicitur læbdæus. Secundum Hieronym. interpretatur corculus, ideſt cordis cultor: Qui conſeruat cor ſuum omni cuſtodia. Munditia namque cordis à Deo videtur, vt per vitrum mundum forma oſtenditur expræſſa. Hunc (notat Gloſſa) Lucas in Euangelio, & in actibus Apoſtolorum, Iudam Iacobi nominat, quia frater Iacobi fratris Domini, vnde dicitur filius Mariæ matris Iacobi, & Ioſeph, & Iudæ, & Simonis.

Hieron. Quid Tadeus. *Gloſſa.*

Quid Simon Cananæus.

Et Simonem Cananaum, ושמעון קנניא veſcemhum chenanaiah: Interpretatur autem Simon audiens, vel obediens, à verbo שמע Scamah, hoc eſt audire, exaudire, obtemperare. Secundum Hieronym. Simon ponens triſtitiam interpretatur. Beati namque, qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. Trinum luctum implet,qui conſolationem futuram quærit. Deflet peccata propria,

propria, cum Dauid, & Maria, flet cum flentibus cum Paulo, & flet multum cum Ioanne, qui dicebat: Et ego flebam multum, quia nemo dignus inuentus eſt, qui aperiret librum, & ſolueret ſeptem ſignacula eius, Cananæus exponitur Zelotes, aut æmulator, à verbo קנא chana, quod eſt inuidere, æmulari, zelare, vnde קנוא & קנא channo, & channa, zelotes, & æmulator. *Cananaus.* Zelotes autem dicitur (ſecundum Hier.) quem zelus domus Dei comedit, vt Phinees ſacerdos, vt ceſſet quaſſatio. *Hieronym.* Erat autem Simon hic Cananæus, non à terra Chanahan, vt illa, quæ in Euangelio Cananæa appellatur; ſed à vico Galileæ, qui Chana dicitur, vbi Chriſtus nuptijs interfuit, & edidir primum ſignorum, aquam in vinum, quod cuncta præcelluit, tranſmuttans. Nam & zelus optimus, quem in ſpirituali ſponſo licet freqnenter reperire, cæteris virtutibus antefertur.

CAPVT XIX.

Et Iudam Iſcariotē, qui & tradidit illum.

MErentur ſeu potius demerentur huius facta ſeorſum ab alijs ſcribi, & peculiarem chronologiam de eo tradi, non autem cum Caianis laudemus hominem, qui omne excedit piaculum; neque eum Chaldæis eiuſdem facta, quæ horrorem generant, probemus. *Caiani har.* Sed vt extorrem faciamus ſcleſtem Deo, & orbi proditorem, & execremur; quæ inhumaniſſimè contra Sanctum Domini perpetrauit.

Et Iudas. ויהודא vijudah, vel Ieuda, ideſt laudatio, ſeu cofeſſio, à verbo ידה Iadah, à quo הודה hoda in Hiphil confiteri, gratias agere, laudare, prædicare, & celebrare, & תודה thoda confeſſio. Er quidem hanc Iudas iſte infælix tenuit, & cum cæteris coætaneis, & collegis, quãdiu Regi confeſſorum adhæſit, dilexit eum, & in mandatis eius perſtitit. Nam veram de Deo, & Chriſto confeſſionem facere, & proſequi laudes eius, nihil eſt aliud, quàm ab eo communicatam gratiam euulgare ſignis, & verbis, vt ſolenr folia, arque arborum rami in viriditate, & onuſtate florum, & pomorum venuſtate, oſtendere humorem, quo intrinſecus à radice humectantur. Inde laus noſtra protulit: Sicut palmes non poteſt haberc vitam in ſemetipſo, ſic vos, niſi in me manſeritis, ac ſi dicerer, neque vitam, neque vitæ laudem, aut confeſſionem, nullus veſtrum eructabit, niſi quandiu mecum ſteteritis, vt filij patris veſtri perfecti. Recedentes verò, in terra ſcribemini, eritis ſicut puluis ante faciem venti, & velut nihil perit confeſſio. Vndè etſi miſer iſte, videns Chriſtum eſſe damnatum, diceret: Peccaui tradens ſanguinem iuſti, neque peccatorum meruit veniàm, neque iuſto, quem confitebatur, dignam laudem contulit. Erat enim Iudas, ſed ſequeſtratus à vero Iudæorum collegio, & capire Chriſto. In hoc enim, & cum eo confeſſionem accepram reddunr iuſti. Hinc ille: Confitebor tibi Domine in roto corde meo, in conſilio iuſtorum, & congregatione.

Scarioth, סכריותא Scariutha, interpretatur autem ſecundum Hieronym. memoria mortis. *Hieronym.* Confeſſores (inquit) ſunt multi in Eccleſia ſuperbi, & glorioſi, quorum primus Simon Magus, & Arrius, & cæteri hæretici, quorum memoria mortalis idcircò celebratur in Eccleſia, vt deuitentur. Quin potius ſubdit Tertulian. lib. de præſcriptionibus adu. hæret. *Tertull.* Memores ſimus tàm dominicarum pronuntiationum, quàm litterarum apoſtolicarum, quæ nobis, & futuras hæreſes prænuntiarunt, & fugiendas præfinierunt; vt ſicut eſſe illas non expaueſcimus, ita & poſſe id, propter quod fugiendæ ſunt, non miremur.

Et qui tradidit illum. De huius traditione, ſeu potius ingratitudine dictum eſt, & reſtant pleraque dicenda. Ideò ad alia properemus.

CAPVT XX.

Et venit ad domum, & conuenit iterum turba, ita vt non poſſent neque panem manducare.

QVuoniam Apoſtolos elegerat ad ædificationem eorum, qui deperibant fame verbi Dei; redijt domum, quò facilè turbæ famelicæ conuenirent. Expoſitio. Quod & factum magno cum impetu, & affectu conſtat, adeò vt volenres eorum deſiderio vehementi ſatisſacere, neqûe Chriſto, neque Apoſtolis ſpatium manducandi concederetur.

Et venit ad domum. Videlicet à monte, in quo Apoſtolos elegerat, & longo ſermone accedentes cõſolatus fuerat, vbi Matth. *Matth. 10.* & Lucas referunt. *Luc. 9.* Erat autem domus hæc alterius, quia filius hominis non habet, vbi caput ſuum reclinet. *Luc. 9.* Quare domum fingamus mundum, montem autem vnde venit cælum, ac ſinum paternum, Exiui, inquit, à patre, & veni in mundum. *Ioann. 16.* Deſiderium quo venit, & celeritatē expreſſit Vates decantans: Exultauit vt gigas ad currendam viam, à ſummo cælo egreſſio eius; *Pſal. 18.* vnde inquit ſponſa: Veni ſaliens in montibus, tranſiliens colles: ſimilis eſt dilectus meus capreæ, hinnuloque ceruorum; *Cant. 2.* ac ſi dicerer; vt ceruus ad planiciem properans, à colle in collem, & facili, ac veloci decurſu montes retromittit; ſic dilectus meus à

ſinu

ſinu patris ad gremium Virginis properans , choros , & ordines Angelorum cito greſſu percurrit, deſcenditque ad terram, & Ioann. 1. verbum caro factum eſt , & habitauit in nobis .

Et conuenit iterum turba . Quemadmodum & ad montem confluxerat , & altera vice ad domum : *Ita vt non caperet neque* Marc. 2. Sap. 8. *ad ianuam* . Nunc quoque iterum conuenit ad Ieſum . Non enim habet amaritudinem conuerſatio illius, nec tædium conuictus illius, ſed lætitiam, & gaudium ; quia Cant. 3. labia eius lilia diſtillantia myrrham primam . Hoc eſt mandatum nouum, quod redolet , & nitet vt lilium , & vt myrrha ab omni corruptione ſeruat . Hinc ille : Quo Ioann. 6. ibimus , quia verba vitæ habes ? Verba Eccl. 10. enim oris ſapientis gratia .

Ita vt non poſſent, neque panem manducare . Volebant quidem , tùm quod iuſtum eſſet, vt qui laborauerant, de vinea, ficu, & agro ſuo manducarent , tùm quod vtile illis , apud quos hoſpitabantur : Non tamen poterant . Haud certè quod turbæ panem negarent ijs , quos tanto proſequerentur affectu , ſed quod ardor, quo euangelizare pauperibus , inflammabatur Euangeliſta Sion , non conſentiebat corpori cibum capere . Spiritualia præferenda carnalibus exemplo Christi. Iamque & non diſcamus ſpiritualia præferre temporalibus, & tamen anxiè occupemus ſpiritum, vt nequeat corpus manducare, cum appetit , neque dormire quoties noctescit, neque ſuas exercere actiones , quando concupiſcit aliquid aduerſus ſpiritum. Sic enim datum brachiorum tuorum , & ſacrificium ſanctificationis offeres Domino, & initia ſanctorum . Namque his repreſſionibus carnis , & ſenſus, velut elementis , ſcientiam ſanctorum conſequti ſunt viri glorioſi , quorum memoria non eſt in obliuione coram Deo .

CAPVT XXI.

Et cum audiſſent ſui, exierunt tenere eum. Dicebant enim, quoniam in furorem verſus eſt .

Expoſitio. HOmo homini quid intereſt ; iam hic contemplemur, ò fideles. Turba quæ à longè venerat, neque aliquid ad Chriſtum attinebat, oblitis omnibus, iterum, atque iterũ, & continuo ad Chriſtũ pergit, audit, adorat, & laudat. Neceſſarius verò, & is qui cum eo nutritus fuerat Nazaret tentat vim Chriſto inferre, ligare, & retinere, haud ſecus , quàm furioſum . Atqui vident Chri- Pſal. 139. ſtum , acuerunt linguas ſuas, ſicut ſerpentes, venenum aſpidum ſub labijs eorum . Et funes extenderunt in laqueum , iuxta iter ſcandalum poſuerunt mihi .

Et cum audiſſent ſui . Græcè ſic habetur (notat Gannæius) ϗ ἀκούσαντες οἱ παρ' αὐτοῦ Quod mihi quidem melius reddidiſſe videtur interpres , quàm Eraſmus vertens , & Gannæius. eum audiſſent , qui ad illum attinebant . Theophyl. Attamen Theophilactus , nec non Euthi- Euthym. mius antiquiſſimi ſcriptores, ſic transferũt. Pagninus verbo ad verbum proprius vertit. Pagninus. Et audientes patrueles eius , hoc eſt neceſſarij eius , ait Theophylactus , vel fratres Theophyl. eius . Fortaſſis autem (addit Euthimius) Euthym. erãt hi fratres ex Ioſeph, aut alias cognati. Aliter Dionyſius Carthus . Cum diſcipuli Dion.Cart. (inquit) Chriſti, & maximè quidam ex conſanguineis ſuis ex parte matris, de quibus ait Ioannes : Quod fratres eius nondum Ioann. 7. credebant in eum . Cum igitur iſti audiſſent verba Ieſu , quæ erant ſupernaturalia, ardua, inſolita, rudibusque Iudæis penitus inaudita, exierunt comprehendere eum , Sententia Auctoris. Ego neque neceſſarios dicerem , aut cognatos , qui eius infantiam ſanctitate , & ſapientia plenam nouerant, neque inuidia premebantur . Fratres ex Ioſeph , altera vxore natos eſſe minus credo, quemadmodum ſuper Matth. dictum eſt . Diſcipulos verò extitiſſe , qui furentem Chriſtum dicerent , admiror in mentem alicuius incidiſſe . Quare non mihi alij videntur hi , quàm proceres Nazarenorum , & promiſcuus ſexus eorum , qui facile aliorum bono ad inuidiam incitantur . Atqui hos patrueles , ſiue compatriotas dici fratres neceſſarios , & cognatos in ſcripturis notum eſt, etiã apud latinos auctores nonunquam reperies .

Exierunt tenere eum . Hoc eſt ligare, & in arcta cuſtodia retinere : Vt fratres Io- Gen. 37. ſeph; collegæ Danielem; Saul, Dauidem; & Dan 14. principes Iudæorũ in Ieremiã, & omnis pec- 1. Reg. 19. cator qui conſiderat iuſtum, & quærit mor- Ier 39. tificare eum, vt Aries piſcis, qui natantem Pſal. 36. hominẽ aggreditur, & vt pantheræ oculi hæbetantur in ſole , ſic ægrè videt , & patitur eum, qui ſole lucidior eſt, & dicunt vel recede à nobis , vel comprehendite eum, quia Sap. 2. contrarius eſt operibus noſtris . Dominus autem non derelinquet eum in manibus eius, nec damnauit eum , cum iudicabitur illi . Quia ſalus iuſtorum à Domino, & pro- Prou. 36. tector eorum in tempore tribulationis .

Dicebant enim . Ecquid non dicunt mali contra ſanctum , & iuſtum ? Hic obmuteſcit , cum conſiſtit peccator aduerſus Pſal. 38. eum ; illi autem acuerunt linguas ſuas, ſi- Pſal. 139. cut ſerpentes, & dicunt ad inuicem . Venite percutiamus eum lingua : Murmuremus de eo , quia hypocrita ; ſuſurremus aduerſus eum , quia deceptor ; iudicemus neglectorem commercij noſtri ; detrahamus factis , quæ nihil habent veri ; ſpernamus vitam , quæ ſibi ſoli prodeſt ; inſimulemus hominem , qui diſſimilis eſt operibus noſtris ; infamemus apud plebem , quem magnificauit,

gnificauit, & prædicat ſanctum. Quid? locuſtæ deuorant omnia, quæ in ſancto homine vireſcunt, pulchreſcunt, & gloriam pariunt. (*Pſal. 63. Deuter. 38.*) Intenderunt enim arcum ſuum, rem amaram, firmauerunt ſibi ſermonem nequam. Scrutati ſunt iniquitates, defecerunt ſcrutantes ſcrutinio. Iuſtus autem accedet ad cor altum, & exaltabitur Deus.

Quoniam in furorem verſus eſt. Hæc eſt tua cantio matutina, ô ſtulte; ſtultior omni cum ſis, & furibundior, vt qui in te ipſum furias, quem à ſceleribus tuis cernis diſſimilem, furioſum, amentem, & hominem ſine honore proclamas. (*Pſal. 61.*) At ille: in Deo ſalutare meum, & gloria mea. Deus auxilij mei, & ſpes mea in Deo eſt. Verum conuertendo ſermonem ad neceſſarios Chriſti, eos nos non liuore ſed pietate (ait Lyra & Dioniſyus) moueri ſimilia dicere, videntes (inquit Lyra) (*Lyra. Dionyſ.*) inſolitum feruorem in eo, quia, ſicut dictum eſt, propter feruorem prædicandi omittebat horam comedendi, videbât etiam in vultu eius inſolitam claritatem, ex virtute diuinitatis procedentem; item audiebant eum loquentem de diuinis ardua, & inſolita, & per conſequens eis non intelligibilia, ideò credebant eum, ſicut arreptitium, & furioſum loqui, ideò voluerunt eum tenere, & ligare, ne ſibi, vel alijs poſſet nocere, & iſti mouebantur pietate.

CAPVT XXII.

Et Scribę, qui ab Ieroſolymis deſcenderant, dicebant: quoniam Beelzebub habet & quia in principe Dæmoniorum eijcit Dæmonia.

(Expoſitio.) NOn paruam offenſionem in Chriſtum tulerunt, qui furioſum arbitrabantur, cum eſſet ſapientia ipſa, quę nihil committit inordinatum, ſed ordinatiſſima cum ſit, cuncta ordinat. At qui obſeſſum iudicarunt, & regi imperio Beelzebub, maiori, quàm poſſit, iniuria affecerunt, cum hoc infami ſermone, non ſolum inimicũ Deo conſtituentes, ſed fautorem dæmoniorum, quibus aſſentiretur. Fuerunt autem hi Scribæ, qui rectum iuditium in ſtylum mendacem conuerterant. Et Scribæ Ieroſolimytani, qui dicentes: Pax pax; pacem neſciunt, ſed bellant tota die. Nec qualeſcumq. ſed Scribæ, qui deſcenderant audire, & videre mirabilia, quæ Chriſtus operabatur. Hi cum deberent bonum de Chriſto ſentire, dicunt malum, & dulce ponunt in amarum. (*Pſal. 5.*) Amarum adeò, vt cum guſtaſſet, noluit bibere, (*Matth. 27.*) bibit quidem; hoc eſt, ſimulat omnem iniuriam, ſiue Samaritanum eum, ſiue peccatorem, & amicum publicanorum, nec (*Ioann. 8. Matth. 11.*) non furioſum ſe dici patienter auſcultat, dæmoniacum verò, & ſub Beelzebub eſſe, & in principe dæmoniorum dæmonia eijcere, audire abhorret, neque diſſimulare poteſt calumniam, non tàm in hominem, quàm in Deum prolatam, quin reſpondeat inferius.

Et ſcribæ qui ab Ieroſolymis deſcenderant. Hos enim profeſſio litterarum, religio vrbis, & deſcenſus tàm fælix ex ijs, quæ viderant operari, & prædicari à Chriſto, circumſpectiores in his, quæ Chriſti erant, poſtulabat, vt zelatores honoris Chriſti, non autem detractatores eſſent. At malitiæ, & inuidiæ fomes, & ſulphur, religionem annihilat, vt neque veſtigium Religioſus retineat ſancti inſtituti, & qui ſe litteratum profitetur, offendat in meridie, quodque abominabilius, qui bona recipit, ingratiſſimus fiat, & tradens obliuioni quæ recipit, inſurgat aduerſus benefactorem. Laua ergo à malitia cor tuum Ieruſalem, (*Ier. 4.*) vt ſalua fias, vſquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ. Morabuntur, vſque in finem ô ſcriba docte, ô religioſe compoſite, & ô, homo fidelis, ciuis Ieruſalem, quouſque malitiæ verbum viuet in corde tuo! Eo enim retento cogitabis mala de Præſule, magiſtrum inſimulabis, & contra Deum, qui te fecit, inſurges; quia abundabas malitia, lingua tua concinnabat dolos, (*Pſal. 49.*) ſedens aduerſus fratrem tuum loquebaris, & aduerſus filium matris tuæ, ponebas ſcandalum. Quid? Nonne omnis (*Gen. 6.*) caro corruperat viam ſuam, quod malitiam foueret? Ecquid caro? An non, & ſpiritus propter malitiam factus eſt homicida, & diabolus? Ergo nequaquam eſt natio iſta ſcribarum, quæ in pleriſque remanſit, & naturalis malitia ipſorum, qui neſciunt (*Sap. 12.*) frænum ori imponere. Attende frater. Attende ſcriba, & attende fidelis, ne fortè (inquit Deus) egrediatur, vt ignis indignatio mea, (*Ier. 21.*) & ſuccendatur, & non ſit qui extinguat propter malitiam ſtudiorum veſtrorum.

Dicebant: Quoniam Beelzebub habet. Erat Beelzebub Idolum Accaron, in quo (*4. Reg. 1.*) caput & princeps cunctorum dæmonum, qui in hoc ſæculo dimicant, reſponſa dabat, ſecundum Lyram, & Orig. hom. 13. in num. Eſt nomen Syriacum בעלזבוב bengelzebub (*Lyra. Orig.*) à בעל banghal dominari. Vnde בעל baghal Dominus, & זבוב zebub, muſca. Quo nomine infamabant Chriſtum multipliciter. Primò, quod eius dominium muſcæ ſimile nullum eſſet, conſequenter neque Deum fuiſſe. Secundò. Quod muſcæ more præcioſa fædaret, & perderet ſuauitatem vnguenti ſpiritualis, quod legis obſeruantia cultoribus diffundebat. Et tertio, quod inſtar muſcæ deſtruendus eſſet, & corrumpendus, quæ omnia plenitudinis diuinitatis, quæ in eo habitabat, omninò repugnabant, & veritati cui teſtimonium perhibebat.

Simili-

Simili penè iniuria afficit fratrem , qui
contemnit,ſpernit,& nihilo ducit maiores,
qui nobis præſunt . Quid ? etiam Beelze-
bub Deum facit,qui vel negat Chriſtum, vt
hæreticus , vel parui facit eius dominium ,
dicens : Non faciet Dominus benè, non fa-
ciet Dominus malè . Tu autem Deus , qui
Iſai 41. vides multa,nonne cuſtodies ? Qui apertas
Iſai 42. habes aures , nonne audies ? Et qui omnia
operatus es, nonne contemptores, & deri-
ſores percuties ? Ecce vos eſtis ex nihilo ,
Iſai 42. & opus veſtrum ex eo,quod non eſt,abomi-
natio eſt, qui elegit vos . In dæmone qui ſi-
milibus delectatur,quoſque docet contem-
nere Deum , & vt muſcam reputare, ac ni-
hil, quum id potius de nobis ipſis quiſque
cogitare deberet, tum maximè,cum ſuper-
bia inflat,dicens:Quid ſuperbis Beelzebub?
Quorsū maiora de te præſumis muſcarum
Ier. 31. Dñe ? Sic erit ſpes nouiſſimis tuis ò homo.

Et quia in principe dæmoniorum eijcit dæmonia. Itaque admittebant Iudæi princi-
patum inter dæmones, vt & noſtri catholi-
ci, qui dæmones in malum ſibi ipſis domi-
nari admittunt.Ita quod princeps cenſetur
inter eos,qui præualet malitia, velut in ra-
pacibus animantibus, & ferocioribus con-
templamur . Quamdiu enim durat mundus
(ait Gloſſa in illud , cum euacuauerit om-
Gloſſa. nem principatum, Angeli Angelis , homi-
nes hominibus , & dæmones dæmonibus
S.Thom. pręſunt. Quia enim(ſcribit Angelicus Tho-
mas, 1.p.quæſt.109.art.1) inferiora corpo-
ra naturali ordine ſunt infra corpora cæle-
ſtia , actiones , & motus eorum ſubduntur
actionibus,& motibus cæleſtibus cæleſtium
corporum;ita in rationali creatura contin-
git . Sed in dæmonibus eſt ex communi ne-
quitia,qua homines oderunt,& Dei iuſtitiæ
repugnant . In Angelis prouenit ex Dei
amicitia,ſecundum quam Deus miniſteria
diſtribuit, & propter quam ſubeſſe quiſque
gaudet, & in ordine ſuo ſtare .

CAPVT XXIII.

Et conuocatis eis,in parabolis dicebat illis: Quomodo poteſt Sathanas Sathanam eijcere ?

Expoſitio. ALiorum ſaluti potius volens proſpice-
re,quàm ſuo honori,cuius curam pa-
ter ſuſceperat,conuitiatores & blaſphemos
aggreditur.Conuocatiſq.demōſtrat multi-
pliciter,in virtute Beelzebub dæmonia mi-
nimè eijci;nō enim Sathanas eijcit Sathanā.

Et conuocatis eis. Quaſi nihil mali ab eis
recepiſſet,immò vero beneficiū,eos conuo-
cat, & benigno animo iubet accedere , nec
quidē vt accedentes verbis diuerberet, aut
transfiget armis,more fallaciū; ſed vt cha-
ritatis officia eis impēdat,habeantq.ducem
cæci,ſubſanati chyrurgū,& vitam qui mor-
te turpiſſima,& voluntaria interierāt ſpiri-
tu.Iam inde pariter relinquēs nobis exem-
plum,iſta chariſmata meliora imitari; quæ
ſunt nobiliſſimæ charitatis effectus diuini .
Charitas (inquit Apoſtolus)patiens eſt,be- *1.Cor.13.*
nigna eſt,non æmulatur,non agit perperam,
ſed vt ignis circumſtantem aerem, etiam
ferrum frigidiſſimum inflammat,& ſeipſam
omni tranſeunti communicat . Vnde Cha-
ritate perfectis decantatur : Cæli enarrant *Pſal.18.*
gloriam Dei,& opera manuum eius annun-
tiat firmamentum . Quid ? amplius multo
charitate præcellēs,Deum,qui charitas eſt, *1.Ioan.3.*
commendat,vt qui non ſolum intra ſe crea-
turam ambiat, ſed Deum, quem ſummè di-
ligit,præ creatura omni , quam non diſtin-
guit à ſe, & ſiue bonum , ſiue malum ab ea
recipiat,amoris igniculus non extinguitur;
ſed vt cælum , tum maximè firmamentum,
non tàm in æthercam regionem, quàm in
elementorum influit ; ita dilectus bona
negare non poteſt , etiam hoſtibus . Facti
exemplum habemus in Chriſto , & ab eo
mandatum . Ergo qui cuſtodit mandatum, *Prou.19.*
cuſtodit animam ſuam , qui autem negli-
git viam ſuam , mortificabitur . Fænera-
tur Domino , qui reddit pauperi , & viciſ-
tudinem ſuam reddet ei ; omni autem
egeno pauperiorem ego iudico peccato-
rem, & hoſtem, qui in ſeipſum animaduer-
tit, & transfigit ſe proprio mucrone ; red-
dere autem huic, eſt eleemoſynam ſpiritua-
lem in eum exercere , quam Chriſtus hiſce
reddit, & reddi iubet .

In parabolis dicebat illis. Hoc eſt : Exē-
plis (ait Theophyl.) quibus contradici non
poteſt, vincit inuidos Iudæos . Nam para-
bolæ ſunt ad ſciendam ſapientiam,& diſci-
plinam,ad intelligenda verba prudentiæ,&
ſuſcipiendā eruditionē doctrinæ, iuſtitiam,
iuditium , & æquitatem, vt detur paruulis
aſtutia, adoleſcenti ſcientia,& intellectus.
Ijs (inquam,ſecundum Orig.in prologo ſu- *Orig.*
per cant.) qui boni ſunt humiles ſpiritu, &
moribus præclari, ac dociles . Cæteris ait
Iſaias, ſunt, vt videntes non videant,& in-
telligentes , non intelligant ; haud ſecus , *Iſai.6.*
quā edentatis euellanæ,ſeu oſſa medullata,
nec non liber clauſus,qui legendus exponi-
tur doctis , nec valent legere . Quoniam
pedes illorum ad malum currunt , & feſti-
naut,vt effundant ſanguinem . Sunt quidem *Prou. 1.*
peſſimo affectu,& abſque pietate,qua prop-
ter pietatem non percipiunt , tametſi per-
ſuadeat parabolis , videlicet ratione (ait
Gloſſa)quia neque mente captus eſt,neque
in Beelzebub eijcit dæmonia .

Quomodo poteſt Sathanas Sathanam eijcere ? Proponitur omnium iuditio,iſta pro-
poſitio, vt argumentum totius diſputatio-
nis.Ego,ſaluo meliori iuditio , primam to-
tius controuerſiæ ſtatuerem rationem.Sup- *Gloſſa.*
ponitur enim argumentum,cum ad contro-

uerſiam venitur, ſicut & axioma, & primum principium in ſcientijs, & fit diſputationis inchoatio à rationibus, quarum primam his verbis Chriſtus cõplectitur: Quomodo poteſt Sathanas Sathanam eijcere? tranſit enim à nomine Beelzebub ad Sathanam.

Quid Sathan ſignificet.

Hebræum nomen eſt, aduerſarius, odio habens, & perſecutor à שטן ſcathon verbo, quod aduerſari, deteſtari, odio habere interpretatur. Pſal. 109. Hoc opus eorum, qui detrahunt mihi apud Dominum, & qui loquuntur mala aduerſus animam meam; & alibi vbicumque reperitur, vel Sathan, vel ſcathan, idem enim ſignificat, שטן ſcatham.

Pſal. 109.

Ratio Chriſti expenditur & deducitur.

Sub cuius igitur ethymologia rationem inuoluit. Ac ſi diceret: dæmoniorum Princeps Beelzebub, ideſt Scathan, hoc eſt aduerſarius, non huic, aut illi, ſed cunctis. neque ſolum homini, ſed & Deo aduerſatur. vnde nomen aduerſarij permeruit, qui bonis omnibus aduerſatur. Ergo quomodo poteſt bonum aliquod facere, & auxiliari afflicto homini, eijciendo ab eo Scathanam? Alioqui non Scathan abſolutè; quandoquidem in me, & per me (vt fingit veſtra malitia) multis propitiatur, eſtque vtilis, inprimis corpori, quod liber fit, conſequenter animæ, quæ liberato corpore ad ſanctitatem properat. Hoc autem naturæ Sathanæ repugnat. Ergo vel dæmonium non habeo, vel Sathan, non Scathan. Poſtremum autem admittitis, acclamante ſcriptura, & ratione, ergo primum, quo me afficitis iniuria, negare oportet, vt impoſſibile; & deteſtari, vt impium, videlicet in Beelzebub principe dæmoniorum à me dæmonia eijci. Hoc ego dico impium, quod ſit malum bono tribuere. Bonum eſt genere ſuo oppreſſis ſuccurrere, Dæmon autem malus eſt, malitia, & odio. Hæc de ratione prima.

CAPVT XXIV.

Et ſi regnum in ſe diuidatur non poteſt ſtare regnum.

POſtquam à nomini ethymologia argumentatus eſt, mox idem ab affectu dominandi, qui in dæmonibus præualet, idem concludit, videlicet, neque habere ſe dæmonem, neque in dæmoniorũ principe dæmonia eijci. Argumentum autem eſt. Appetit dæmon omnis regnare in homine, minimè ergo ſe ſe viciſſim ab obſeſſis expellent. Nã qui ſe viciſſim expellunt, in factiones varias neceſſe eſt diuidi: Hæ autem diuidunt regnum, ſed regnum diuiſum non ſtat. Igitur, vel dæmones non ſe oppugnant mutuò, vel eorum regnum dicitote nullum. Hoc autem nemo veſtrum negat, conuicti experientia, quæ nos certos facit, in infinitis penè ſtultis, ſceleratis, impijs, idolatris, auaris, & hypocritis veſtri ſimilibus regnare dæmones. Ergo primam dilẽmatis partem retractari oportet. Quod ſi dæmon dæmonem non oppugnat, ego quidem in Beelzebub non poſſum dæmonia eijcere. Quare videte errorem, ò miſeri, & quàm malè de Deo loquamini diligentius conſiderate. Hæc de ſecunda ratione, iam nunc paulisper ſuper litteram diſcurram.

Etſi regnum in ſe diuidatur. Regni regimen quod monarchiam, & legitimũ vnius principatum importat, in ſe vnitum eſt, non diuiſum. Quod verò per tyrannidem eſt, in ſe diuiditur. Quod etſi ſenſus tyranno conſentiat, animus ſubiectorũ diuiſus eſt. ſemperq. libertatem meditatur, & appetit tyrannum interimi. Quare dominatur homo homini tyrannide, in malum & perniciem. Dum enim dicit: Pax, pax: Ecce repentinus interitus, qui Alexandro imperium abſtulit, & Claudio, veneno accepto; nec non Cæſarem, & Caligulam, quamprimum Imperatores dicti ſunt, auctus gladius exanimauit, vt etiam pleriſq. alijs quos ſacra Cronologia refert, legimus accidiſſe. Huiuſmodi ergo principatum nullus fidelũ ambiat, præſertim dicente Chriſto: Prinpipes gentium dominantur eorum, & qui maiores ſunt, poteſtatem, hoc eſt tyrannidem, exercent inter eos; vos autem non ſic. Sed cui contingit, ſiue in clero, ſiue in populo regnare, legitimum regnum, & optimæ monarchiæ leges conſeruet, quibus non corpora, ſed animos potius ſibi ſubijciat, nec habeat regnum in ſe diuiſum.

Hier. 6.

Math. 20.

Non poteſt ſtare regnum. Ac proptereà nullum ſenſibile regnum ſtetit, neque ſtabit per multa ſæcula, niſi Chriſti regnum, quod eſt æternum, vtpotè regnum cæli, & poteſtas eius, poteſtas æterna, quæ non auferetur, lex vero vnica dilectio, caput vnũ, vnus Chriſtus, & vnus Deus pater Domini noſtri regni Ieſu Chriſti. Bonum regnum, vnica fælicitas, quam omnes appetunt, & in ea quieſcunt in ſæcula ſæculorum. Iſta cum deſunt regnis alijs, non permanent, ſed de gente ad gentem paſſim transfertur regnum, quandoque funditus euertitur, & abſumitur in fine: Chriſti autem regnum ſtabit his, qui in mandatis Dei permanſerint. Et eggredietur de eis laus, voxque laudantium, & multiplicabo eos, & non minuentur, & glorificabo eos, & non attenuabuntur. Et erunt filij eius ſicut à principio, & cætus eius coram me permanebit. Et ego ero eis in Deum, & ipſi populus meus erunt. Ergo qui regnorum no[illegible] uimus differentias, [illegible] renuntiemus vanis, & verum, & æternum aſſequamur.

Dan. 7.
Eph. 4.
Ier. 30.

CA-

CAPVT XXV.

Et ſi domus ſupra ſemetipſam diſpertiatur, non poteſt domus illa ſtare.

Expoſitio. A Toto ad partem deſcendit, & ab ea rationem præſentem format, quemadmodum proximam à toto: Habet enim Diabolus appetitum dominandi in toto orbe, vt neque Dominus, neque Deus, ſi fieri poſſet, alius à ſe ſub cælo dominaretur, Ambitio dæmonis. quinimò in cælo hoc ipsũ tentauit. In terris vero obtinuit, exceptis paucis hebræis, & alijs ſoli Deo notis, qui inter gentes erãt, vt Pan, ideſt totum, nominaretur, & honores diuinos ſibi deferrent; hoc vbiq. terrarum. *Iob.* 40. Elatior factus putauit Iordanẽ abſorbere, hoc eſt Iudaiſmũ, gentemq. hebræam, quæ à flnmine, vt Iberi, Cimbri, & alij, denominantur. Eſt autem Indaiſinus totus, orbis gentibus comparatus, minima pars, velut domus priuata, reſpectu populatiſſimi, & dilatati. Eſt & domus à ſecuritate imbrium & malorum, quæ in judaiſmo, lege, & cultu vero poterat quiſque deuitare. Quare nomine regni Chriſtus hnmanum genus ſub peccato intellexit; domum verò dicit hebræam gentem, quæ funditus perderetur, quando Chriſtns dominiũ haberer, & in eius virtute dæmonia depelleret. Iam ergo ratiocinemur. Domus veſtra, ò Hebræi, & habitatio ſancta eſt, & perpetua. Ergo non poteſt à polluto, & à diabolico ſpiritu ſtabiliri; & conſernari eins ſanctitas non poteſt ab eo, qui dæmonium habet. Conſeruator autem, & fundator ſum ego, ergo vel dæmonium non habeo, vel domus veſtra diſpertitnr; quod ſi diſpertitur, quomodo *Pſal.* 92. dicitis: Domum tuam decet ſanctitudo, in longitudinem diernm? Quare neceſſe eſt, vos primũ calumniari ſcripturis, detrahere veritati; immò vero de falſitate Prophetas, ne dum auctorem redarguere, qui domus Eccleſiæ ſtabilitatem annuntiarunt. At illud conſtanter recuſatis, neque mendacium in oraculis admittitis, ergo & hoc peruerſius multo, ſeu æque malum, vos abiurare, neceſſe eſt, nec vltra imaginari, eum, qui veſtram domum Eccleſiæ fundat, & conſeruat vſque in ſæculum, habere dæmonium, & in eins virtute dæmonia eijcere. Quoniam dum dæmonia à filijs domus Eccleſiæ eijcio, Eccleſiam conſeruo, & augeo, & illuſtriorem reddo, & firmiorem. Vos autem infirmiorem, & nihilo proximam funditusque dirutam, dum me caput ſubijcitis Beelzebnb, & ab eo meam pendere potentiam arbitramini. Igitur auferte *Iſai.* 1. malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis, ne fortè recedat à vobis anima, & & malum, atque ruina, quam videmini toti Eccleſiæ impræcari, ſoli domui Iudæ, & hebræis adueniat. Et quidem factum cum dolore, & gemitũ contemplamur, vt neque lapis, ſuper lapidem in eorum domibus materialibus remanſerit, in ſpiritualibus verò plaga inimici percuſſi ſunt, & vſque in finem deſolabuntur: Vt & ſi apprehendat vir ſratrem ſuum domeſticũ patris ſui, & dicat: Veſtimentum tibi eſt, princeps *Iſai.* 3. eſto noſter, ruina antem hæc ſub manu tua. Reſpondebit dicens: Non ſum medicus, & in domo mea non eſt panis, neqne veſtimentum, nolite me conſtituere principem populi. Continuo enim, quærunt hebræi qui eos veritatem doceat, conſulunt Rabinos, qui demum negant ſe aliquid ſcire, & ignorare veritatem profitẽtur, atque ſcripturas; has enim vocant panem, quem ſingulis ſabbatis frangi ſibi in Synagogis petunt. Veſtimentũ, quo ignominia tegitur, & illuſtratur homo, veritas eſt, quã ſtylus mendax ſcribarũ non habet in domo ſua, neque intelligentiam ſcripturarum, quapropter velit nolit, ait Rabbinus omnis, qui Chriſtnm non credit; non ſum medicus, qui valeam plagam crudelem hebraiſmi ſanare, quia inſanabilis eſt, ò domus hebræa, fractura tua, inſanabilis plaga, quonſque Dominus trahat te, miſerans tui. *Ier.* 30. Tunc rurſus ait, ædificabo te, & ædificaberis virgo Iſrael *Ier.* 31. ad hnc ornaberis tympanis tnis, & egredieris de loco ludentiũ, hoc eſt, Chriſtianorũ quorũ cætui coniũgeris, & pones tibi caput ꝙ genus noſtrũ agnoſcit, adorat, & ſub eius iugo ſnaui delectatur. Et ſi lõga oratione in hac ratione fuerim vſus; litteræ tamen partes in gratiam ſtudioſi præterire nolo.

Et ſi domus ſupra ſeipſam diſpartiatur. Domus nomine, tàm in ſacris, quàm profanis libris familia, vel cognatio ſolet intelligi. Vtraque ſupra ſeipſam diſpartitur propter amorẽ propriũ. Erunt enim homi- *2.Tim.* 3. nes ſe ipſos amantes, cupidi, vt propter diuitias non agnoſcant fratres, neq. reuereantur parentes, elati plura de ſeipſis præſumẽtes, qũàm oporteat; ſnperbi, vt maioribus præeſſe velint, & melioribus; blaſphemi in Deum, parentibus non obedientes, cum optima cõſulunt, & ſalutifera; ingrati his, à quibus beneficia accepere, ſceleſti, criminibus peſſimis dediti, ſine affectione, ne dicã ſpirituali, ſed neq. naturali, quæ in ſibi ſimilibus beſtijs reperitur, ſine pace, tota die cõ *Pſal.* 139. ſtituentes bella; criminatores, vt neq. ſanctis parcãt, ſed ſollicitè iniquitatẽ in domo iuſti quærant; incontinentes, vt nõ ſit pratũ, *Sap.* 1. qnod nõ pertranſeat luxuria eorum; immites, vt nullis ſubiectionibus, & officijs velint placari; ſine benignitate in eos, qui vel iniuriã patiuntur, vel egeſtatẽ; proditores, vt nulli ſecretũ ſeruẽt; proterui, vt nullis rationibus, neq. minis ab errore imbibito valeant reuocari, neq. flecti, vt bonũ operentur; tumidi vt ſint abſque ſermone, & alloqui dedignentur humilem; & volunta-

tum amatores, magis quàm Dei dicentes: *Sap. 1.* Exiguum, & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ, & non eſt refrigerium in fine hominis. Quare vt inter reptilia, & rapaces aues, ob amorem concupiſcentiæ, qui prædominantur, ſunt inimicitiæ continuæ, ita inter cognationes, & familias, quæ inundationi Tygris, & Eufratis, non reſiſtunt, bella, & ſeditiones crebro reperiuntur, quibus ita diſpartiuntur, vt neque ſauilla domus Nabuchodonoſor, neque familiæ Pharaonis, aut Herodis videri poſſit. Vnde Plato in *Plato.* Euthyphrone, [illegible] volant enim omnia, breuiſſimè autem familię, & cognationes, quæ amorem proprium conſentiunt dominari.

Non poteſt domus illa ſtare. Ergo ſi neque regnum ſtabile, neque domum permanentem liceat homini in terris inuenire, *Heb 13. Matth. 7.* aut fabricare, futurã inquiramus, quæ non veteraſcit, neque fluminis impetus deijcit, ſupra firmam petram fundatam. Hæc eſt domus Dñi firmiter ædificata, ad quas aſcen- *Agge. 2.* derunt tribus Iſrael, & cuius gloria magna eſt, pluſquam primæ. Quapropter concen- *Pſal. 25.* tor cecinit: Domine dilexi decorẽ domus *Pſal. 83.* tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Elegi abiectus eſſe in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorũ. Namq. iſta, vt lanugo deſinunt, illa autem in æternum durat. Ergo vnam peti à Dño, hanc *Pſal. 26.* requiram, vt inhabitem in domo Dñi, omnibus diebus vitæ meæ, vt videam voluptatem Domini, & viſitem templum eius, tunc cantabo, & pſalmum dicam Domino, interim contriſtatus incedam, & lugens humiliabor, quia incolatus meus prolongatus *Pſal. 41. Pſal. 119.* eſt, habitaui cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea.

CAPVT XXVI.

Et ſi Sathanas conſurrexit in ſemetipſum, diſpertitus eſt, & non poteſt ſtare, ſed finem habet.

Expoſitio. HAnc Patres faciunt illationem præcedentium. Ego nouam rationem, qua Hebræos conuincit, crederem, eamq. peti, non à damno regni, aut domus priuatæ, ſed à iactura propriæ perſonæ, acſi diceret. Nemo contra ſeipſum arma ſumit, neque ſuæ naturæ vim infert, aut damnũ; ſi autem Sathanas Sathanã eijcit, Sathanas in ſeipsũ conſurgit, quoniam damnum vnius ſimilis, proprium reputatur alteri ſimili, quum natura vtrique communis videatur damnificari, vel euulgari imperfecta, quæ non æquè ſentiat in indiuiduis, neque ad eadem inclinet perſonas, quas ſubſtinet. Ergo dum Sathanã alium deijcit, & damnificat, ſibi iniuriam facit, ſeque deſtruit, & partitur. Hoc autem non ſtat, cum nullus ſpiritus ſeipſum odio habeat, vt & de carne dicitur. Ergo neque verum eſt me in Beelzebub dæmonia eijcere: Niſi velitis dæmonem velle finem ſui, nec eſſe, quod eſt abſurdius dicere, & deteriora concludere. Nam quod finẽ accipit, vel à ſe, vel ab agente, & opifice, id ei prouenit. Si primo, ergo quod finem accipit, non eſt de genere ſubſtãtiæ, ſolius enim accidentis eſt à ſe deſinere. Si ſecundo, ergo opifex, vel negabitur omnipotens, qui factum, & creatum ens non valet conſeruare, vel affirmabitur mutabilis, & inſipiens, quod velit ſubſtantiam nobiliſſimam creari, & poſt anihilari abſque ſucceſſione alterius, quæ ordinem, & pulchritudinem vniuerſi, qui in tali ſubſtantia lucebat, conſeruet. Horum autem vtrumque, ne dum impoſſibile, ſed horrendum eſt cogitare, & blaſphemum quippiam tale imaginari. Ergo durante diuino beneplacito, & ordine vniuerſi, quem Deus perficit, nequit dæmon finem accipere, neque in ſeipſum pariter conſurgere, multoq. minus ſeipsũ partire. Neq. ego dæmoniũ habere poſsũ, quo dæmoniũ propulsẽ. Difficilis eſt ratiocinatio, ſed efficax.

Etſi Sathanas conſurrexit in ſeipſum. Sathanas eſt aduerſarius legi, Deo, ac ſibmetipſi omnis peccator, qui vel peccat in corpus ſuũ, vt luxurioſus; in animã ſuam, vt auarus, qui eam diuendit; in proximum ſuum, vt homicida, qui, vel ſubtrahit vitæ alterius neceſſaria, atque honori, vt detractor, & immiſericors, vel vitam directè tollit, vt ſanguinarius. In Deum vero peccat omnis hypocryta, & nequam, quocumque horum quis peccet, in ſemetipſum inſurgit, quia peccatum meum contra me eſt *Pſal. 50.* ſemper. Nam Deus eſt in omnibus, vt principium, & cauſa vniuerſalis, quæ per eſſentiam, præſentiam, & potentiam eſt in ſingulis. Proximus eſt in proximo, vt ſimile in ſimili, & ſpeculum in ſpeculo, quod viciſſim reſpicit. Ego autem mihi vnitiſſimus, & in Deo, ac proximo repreſentatus, quomodocumq ergo homo peccet, eſt Sathanas conſurgens contra ſemetipſum; quoniã ſeipsũ aggrauat duriſſimo iugo, & bonis, ad quæ natura ſpirabat, penitus priuatur, ab ijſdem ſe elongat, ſeque impotentem reddit, quanto obſtinatè peccatum retinet.

Diſpertitus eſt. Hæc eſt peccati vis diſpartiri, & excribrare, vt triticum. Omitto corpus, quod culpa infinitis penè modis, & morbis diſpartitur, nũc partes à partib⁹, vt opus ſit alterã ſecare, aliquando membrũ reddit deformẽ alteri, nonumquã carnẽ ab oſſibus ſeparat, & oſſa ipſa infirmitas ex culpa proueniens, confrangit. *Effectus peccati.* Verũ iuuat hominẽ aliquando ſimilis partitio, quapropter eã parui facio. Quæ in anima ex peccato prouenit, me totũ conturbat, ſiquidẽ mentẽ in fallacias, & errores, qui ſibi nõ cõſtãt partitur, volũtatẽ omni trãſeũti, vt adultera ſuũ corpus cõmunicat. Cõcupiſcit omnia, & in de-

terioribus

terioribur oblectatur. Cor machinatur cogitationes peſſimas, quæ ſũt ſine intellectu timidæ, & incertæ. Sunt enim à ſpiritu vertiginis; quod ſi aliquãdo occurrat actio animi, quæ boni ſpetiẽ præſeferat, inſurgentes ſpinæ verbum bonũm ſuffocant. Hiſce contraria operatur virtutis ſtudium, vtpotè vnitatem agnitionis, dilectionis, timoris, & ſanctæ ſpei, quam in vnico Deo collocat, ſpretis alijs. Ea propter ſemita iuſto- *Prou.16.* rum declinat mala, cuſtos animæ ſuæ ſernat viam ſuam, quæ dncit ad vitam, & vnicum vitæ auctorem communicat.

Et non poteſt ſtare. Homo enim natus de muliere, & in peccatis conceptus. In varias ſectas, & errores, atque amores partiri hominem, à culpa propria, vt plurimum prouenit. At non poſſe ſtare, neque in eodem ſtatu permanere hominem, deliquio primorum parentum debemus. *Iob.14.* Homo enim natus de muliere, & in peccato conceptus breui viuit tempore repletur multis miſerijs, quarum hanc ego miſerabiliorem reputo, nunquam in eodem ſtatu permanere. *Malach. lib.4. ſtrom.* Eſt æquale nihil terrenos aſpice tractus.

Sed finem habet. Videlicet principatus dæmonnm in fine mundi poſt iuditium euacuabitur, inquit Apoſtolus, terrenus, qui mortales facit inſanire, cum homine ipſo finem habet. *Pſal.48.* Quia cum interierit non ſummet omnia, neque deſcendet cum eo gloria eius. *Pſal.36.* Ergo non timueris, cum diues factns fuerit homo, & nolli æmulari in malignitatibus, neque zelaueris facientes iniquitates, neque rectè miniſtrantes in ſedibus ſuis; quoniam tanquam fænnm velociter areſcent, & tanquam olera herbarum citò decident.

CAPVT XXVII.

Nemo poteſt vaſa fortis, ingreſſus in domum, dirumpere, niſi fortem prius alliget, & tunc domum eius diripiat.

Expoſitio. HActenus probauit dictis Scribarum repugnantiam, videlicet, dæmonum ſe habere, & in eius poteſtate dæmonia alia eijcere, nunc perſuadet ſe principe Beelzebub fortiorem eſſe. Demonſtratio eſt huiuſmodi. A forti non tollitur præda, quam domi recondidit, niſi prius fortis ipſe vincatur, & alligetur. *Ratio formatur.* Sed princeps Beelzebub, homines, vt prædam penes ſe habet, ergo homines ab eius poteſtate nemo tollet, quin ſe ei ante omnia ſuperiorem fecerit; deiecerit, & velnt canem rabidum alligauerit iam deuictum. Id autem præſtare *Iob 41.* nemo poteſt, niſi Deus, & Chriſtus, quia non eſt poteſtas, quæ comparetur ei, ſuper terram. Ergo Deus ipſe ſum, atque Chriſtus, qui principem dæmoniorum deuici, & ſpolia eius detraxi, liberoſque feci homines à poteſtate, & Seruitute diaboli. Quare infert poſtmodum Scribas nefaria blaſphemaſſe calumnia; ſed de blaſphemia poſtea; mox litteram ſolitò percurramus.

Nemo poteſt vaſa fortis ingreſſus in domum dirumpere. Vaſa ſecundum Theophylactum, *Theophyl.* vocat homines, qui & more ſcripturarum vaſa appellantur. Tum quod apta ſint diffuſa cælitus recipere, tnm quod fragiles ſint, vt vaſa figuli. Domum appellat mundum, ad quem ingreſſus eſt, & venit factus homo. *Ioann.1.* Ingreſſus in domũ hanc, vaſa dirupit, hoc eſt homines à poteſtate Diaboli eripuit, quoniam in iſtanti conceptione factus eſt propitiatio pro peccatis noſtris, merens omnia, adeò vt ab eo tempore, & facto, vocaretur nomen eius: *Iſai.8.* Spolia, detrahe, cito prædare, qnia antequam ſciret puer vocare patrem, & matrem, fortitudo Damaſci, hoc eſt dæmonis, corruit, & ſpolia Regis Aſſyriorum, hoc eſt, homines à poteſtate diaboli erepti ſunt. Domus dominum prætermittit, quoniã notus eſt. *Pſal.23.* Dñs enim eſt terra, & plenitudo eius orbis terrarũ, & vniuerſi qui habitãt in eo. Tametſi orbis principatum ſibi dæmon tribuerit, puæſumens aliquando dicere, non ſolũ vulgari homini, ſed Chriſto: *Matth.13.* Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me: *Dan.4.* Hæc eſt tyranni conditio aliena ſibi vindicare, & eructare. *Pſal.2.* Ego feci Babylonẽ, manus meæ fecerunt hæc. At qui habitat in cælis irridebit eos, & Dñs ſubſanabit eos, tunc loquetur ad eos in ira ſua, & in furore ſuo conturbabit eos, quoniam vnius orbis vnus eſt Deus, & Chriſtus, cui ſoli fas eſt perloqui. *Pſal.2.* Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo, ſuper Sion montem ſanctum eius, prædicans præceptum eius, ſiue implens voluntatem eius, dixi enim: *Pſal.39.* Ecce venio. In capite, ſiquidem, libri ſcriptum eſt de me, vt faciam volnntatem tuam. Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei. *Pſal.8.* Propterea & ipſe Dñs Deus noſter, admirabilis in vniuerſa terra. *Pſal.40.*

Niſi prius fortem alliget. Fortem dicit dæmonem, à fraude & aſtutia, quibus non tàm homines, quàm Angelorum tertiam partem expngnauit. *Iob.40.* Fortitudo enim eius in lumbis eius, & virtus illius in vmbilico ventris eius; hoc eſt in amore concupiſcentiæ, & appetitu propriæ excellẽtiæ quibus immiſſis facilè reliqua perſuadet. Concupiſcentia autem in lumbis viri videtur regnare, propriam autem excellentiam mulier oſtentat in vmbilico ventris ſui, quem veſtis, & gemma curioſitate muliebri ornat. Alligatur autem fortitudo eius, quoniam fraudes deteguntur, & vt fur nocte deprehenſus, & lumine declaratus aufugit. Lux verò, quæ in terris lucet Chriſtus eſt. *Ioann.1.* Ergo illuminans ipſe orbem

terrarum, diabolus ſugit ante pedes eius; *Pſal. 103.* ortus eſt ſol, & congregati ſunt, & in cubilibus ſuis collocabuntur; vt feræ nocturnæ, quæ luceſcente die petunt latebras metu venantium, & tranſeuntium, à quibus timent deprædari. Alligatus quoque dici poteſt dæmon, quod in infernum detruditur, vt in carcerem. Quemadmodum in Apocalypſi legimus, *Apocal. 20.* Sathanam in inferis alligatum per annos mille. Verum ſiue hoc modo, ſiue illo alligatum eum dicamus, ſolus Chriſtus eſt, qui ſuo imperio, & ſplendore alligat dæmonem; nam Angelus *Apoc. 12.* in ſanguine agni draconem vicit, non propria ſortitudine, ſed & homo penitus corrueret, niſi Chriſti virtus eum conſortaret, & adeſſet cuſtodia Angeli. Vnde Iob dictum eſt: Nunquid pones circulum *Iob. 40.* in naribus eius, aut armilla perforabis maxillam eius? Nunquid feriet tecum pactum, & accipies ſeruum ſempiternũ? Nunquid illudes ei, quaſi aui, aut ligabis eum ancillis tuis? Ac ſi diceret, tibi homini non conceditur tanta poteſtas, ſed ei, qui eum (videntibus cunctis) præcipitabit, & à ſede, quam tanto tempore vi tenuit, deponet; itaque ſolus Chriſtus alligat dæmonem; alij verò per eum.

Et tunc domum eius diripiet. Domum hic dicit dæmonis, mundum in maligno poſitum, hoc eſt, malorum cœtum. Siquidem horum quidam ſolatium ſequuntur, vt ſuperbi, qui velut montes herbas ferunt vanitatis; alij oblectamenta; vt carnales, qui velut beſtiæ agri ludunt dæmoni. Tum maximè ipſe gaudet latitare in habitu religioſo hypocritarum, quaſi ſub vmbra in ſe- *Iob. 40.* creto calami ſerpens dormit, & in locis humentibus. Fruuntur vanitate dæmonis, eamque magnificant hæretici, & pagani, vt *Ibidem.* vmbra vmbrã, & vt ſalices torrentem omni ex parte circundant; ſic verboſi, iactabundi, arrogantes, & vaniloqui, quæ dæmonis ſunt videtur ſequi, & circumire eius delitias. Itaq. domus dæmonis eſt conuentus *Hæreſ. re-per. 6.* peſsimorũ, non orbis, neq. aliqua orbis regio, vt Manichæus ſentit, qui propterea duos introduxit Deos; bonũ, qui Angelos, animas, & ſpiritualia crearit, & condiderit; malũ vero, cuius eſt corporea regio, atque dæmon. At neque ſcriptura, neq. ratio, neq. infuſa fides nouit Deum alium, quàm vnum, *Symbol. Nicen.* cui cantamus. Credo in vnum Deum patrem, factorem cœli, & terræ, viſibilium omnium, & inuiſibilium. Aduertat lector, tum è domo expelli fortem, quando fortior ingreditur. Alioquin niſi ad nos veniat Chriſtus, & manſionem faciat per gratiam, nunquam liberabimur à ſeruitute Diaboli. *Pſal. 30* Ergo dic, ò, homo: In iuſtitia tua libera me, inclina ad me aurem tuam, accelera, vt eruas me, dixi Deus meus es tu, in manibus tuis ſortes meæ.

CAPVT XXVIII.

Amen dico vobis: Quoniam omnia dimittentur filijs hominum peccata, & blaſphemię, quibus blaſphemauerunt.

RAtionibus oportebat Iudæos conuinci, humiliari, & ſupplices ad genua *Expoſitio.* Chriſti peruolutos, veniam petere pro calumnia, qua non ſolum in hominem, ſed in Deum peccauerunt, quem cum debuiſſent ex miraculis in Chriſto agnoſcere, blaſphemabant, ei, qui omnipotens eſt, mendicatam virtutem tribuebant, neque à quocumque mutuatam, ſed ab hoſte, qui vniuerſa depopulatur. Vnde furi ſimilem tacitè Chriſtum faciebant, quia qui cum fure graditur, ſimilis ei efficietur. Ergo, quia neque ſcelere ipſo, neque ratione multiplici adduci potuerunt, vt facinus expiarent; ſequenti narratione Chriſtus aperit grauitatem culpæ, & prolatæ blaſphemiæ, ſi fortè timore pœnæ reſipiſcerẽt, quod ſi nõ, inexcuſabiles fierẽt.

Amen dico vobis. Vobis inquam, ò Iudæi, dicitur, qui videtis viſionem, & non vultis cognoſcere; auditis loquentem Deum, & recuſatis credere; opera intuemini, quæ nemo alius fecit, & tota die blaſphematis. Ergo quia non didiciſti, vbi ſit prudentia, *Bar. 3* vbi ſit virtus, vbi ſit intellectus, vt ſcires etiam ſimul, vbi ſit longiturnitas vitæ, & victus, vbi ſit lumen oculorum, & pax; ſed *Iſai. 3.* dereliquiſti fontem ſapientiæ, & vt canis impudentiſſimus neſciſti ſaturitatem: Idcircò audi hoc paupercula, & ebria gens; non à vino, ſed à malitia, quæ te obcæcat. *Dico* enim *vobis Amen.* Fiat, & fiat, vt iuraui in memetipſo, dura quæ propediem euenient, & iam iam exponam. *Amen*, vt perſæpe dictũ eſt, iuramenti nota conſtituitur.

Quoniam omnia dimittentur filys hominum peccata, & blaſphemiæ. Diſtinguit magiſter noſter, & doctor inter peccata, & blaſphemias; velut inter genus, & ſpeciem, inter plus, minuſue nigrum, aſperum, venenoſum, magiſque propinquum obſtinationi Ægyptiacę, & duræ captiuitati Babilonicæ. De ſpirituali enim loquor. Peccatum genus eſt ad omnem culpam, quæ vel in finem deliquit, vt mortalis; vel circa media, vt venialis; ſi aliquorum credimus ſententiæ. Blaſphemia eſt culpæ ſpecies, quæ grauiter *Quid blaſphemia.* offendit Deum, cum tribuit quod repugnat, ſeu negat quod naturæ eius conuenit. Quo fit, vt blaſphemia opponatur fidei, quæ nobis exponit, quæ de Deo ſentire oporteat, quæue confiteri, & quæ negare. Peccatum *Diſtinctio eius à peccato in genere.* verò ſecundum virtutem, quam deſtruit, ſic illud opponi dicimus, vt negligentiam prudentiæ, ebrietatẽ ſobrietati, & alia alijs. De quibus dilucidè. S. Thom. 1. 2. & 22. agit. *S. Thom.*

Tàm

Tàm peccatum, quàm blaſphemiam, ait Saluator dimitti à Deo, qui miſericors cum fit, quantum diſtat ortus ab Occidente, longè facit à nobis iniquitates noſtras. Ego ſum: Ego ſum, inquit, qui deleo iniquitates tuas propter me, non quidem propter te, ò peccator; ſed vt manifeſtetur gloria ſua in te; vt in cœco, quem mirabiliter ſanat inopinato antidoto, nunc felle piſcis, nunc luto, nunc ſolo verbo. Vel, vt catholicè concludam, ſanguine ſanguinem expiat; quod eſt mirabile dictu. Sanguis enim eius emundat conſcientias noſtras, quas ſanguis noſter (hoc eſt vitium, quod ſanguis feruens ſcaturit) deformat, deturpat, & vt carbones denigrat. Ergo Deo auctore, & Chriſto mediatore peccatum omne dimittitur, nec non blaſphemia. Dimittitur autem pœnitenti; impœnitenti verò grauatur. Nam qui abſcondit ſcelera (ait Sapiens) non dirigetur, qui autem confeſſus fuerit, & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur. Quare à miſericordia Dei excluſus eſt Lutherus, tum quod totum hominis opus peccatū aſtruat, tum quod nunquam per confeſſionem, & pœnitentiam dimitti velit; ſed tantum per fiduciam non imputari. Iuxtà illud: Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum. Nam quod ſemper ineſt, dimitti non poteſt, ſed non imputatur, & hoc eſt, inquit, miſer, dimitti; at errat, vt in alijs: Dimitti eſt maculam peccati per gratiæ infuſionem delere. Sed non imputari peccatum dicimus, quod miſericorditer non punitur in pœnitente. Ita Auguſt. & Caſſiod. atque alij in pſalmos, quinimo fides eſt catholica, culpā dimitti pœnitenti, & peccatū non imputari ad pœnam gehennæ, ſed vel contritione magna, vt Magdalenæ, vel longa maceratione carnis, vt in alijs, vel exercitijs denique alijs, ſuppoſita ſemper pœnitentia, pœnam omnem, quæ criminibus ordinatione Dei imponitur, dimitti. Abeat ergo impoſtor, nos verò pœnitendo oremus. Dimitte nobis debita noſtra.

Pſal. 102. *Iſai. 43.* *Tob. 11.* *Ioan. 9.* *Luc. 18.* *1. Ioan. 1.* *Prou. 28.* Reprob. hæreſ. *Pſal. 31.* *Auguſt.* *Caſſiodor.* *Luc. 17.* *Matth. 6.*

Quibus blaſphemauerunt. Multa ergo ſunt, quibus poſſumus blaſphemare. Tot quidem, quæ fides de Deo, & Chriſto noſtro proponit, quotuē negat, blaſphemis ſunt offendicula, accepta tamen non data. Quinimo ex ſe vniuerſa, quæ in Deo, & de Deo credimus pijs animis, & qui rectà ſapiunt, florentiſſima ſunt prata, ac areolæ aromatum, vndè ampliſſimas laudes colligāt Sancti, & offerant Deo diuinos honores, ac iugiter clament: Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus Sabbaoth, pleni ſunt cæli, & terra maieſtate, & gloria eius. Dignus eſt accipere gloriam, & diuinitatem, qui eſt, qui erat, & qui venturus eſt.

Iſai. 6. *Apoc. 4.*

CAPVT XXIX.

Qui autem blaſphemauerit in Spiritum ſanctum, non habet remiſſionem in æternum. Sed reus erit æterni delicti.

Diſtinguit blaſphemos, ſi quidem alij ſunt, qui blaſphemant in patrem, & qui omnipotentiæ detrahunt; alij in filium, qui non benè, aut malè de ſapientia filij ſentiunt; & alij, inquit Chriſtus, blaſphemi ſunt in Spiritum ſanctum, vt qui bonitatem Dei ſpernit, ac nihilo ducit, eius amicitiam, quinimo negligit, neque vult ad eam accedere, cum poſſit, & inuitetur. Huiuſmodi inquit non habet remiſſionem, ſed perpetuò cenſetur reus, quod perpetuò in culpa eſſe velit, neque vnquam ab ea recedere. Expoſitio.

Qui autem blaſphemauerit in Spiritum ſanctum. Blaſphemia in Spiritum ſanctum eſt ſecundum Thom. 2. 2. q. 14. art. 1. & 3. & in cap. 12. Matth. Dicere aliquid contra deitatem, ſiue perſonæ, ſiue attributi. Secundo finalem habere impœnitentiam, & tertio peccatum ex malitia, hoc eſt, quando quis ex electione mali peccat, contemnens dona, quæ peccatum impediunt directè, ac delent. Huius ſpecies numerantur: Deſperatio, præſumptio, impœnitentia, obſtinatio, impugnatio veritatis agnitæ, & inuidentia fraternæ gratiæ. *S. Thom.* Peccata in Spiritū ſanctum.

Non habet remiſsionem in æternum. Vel quod non pœniteat, aut ſimulatè. Nam ſicut pœnitentia vera (ait Iſychius ſuper Leuit. lib. 2. ad cap. 10.) veniam promeretur, ita ſimulata Deum irritat, quia ſpiritus diſciplinæ effugiet fictum. Hoc autem ſancti Patres irremiſſibile peccatum, & blaſphemiam in Spiritum ſanctum dixerunt, in ſceleribus vſque ad finem vitæ perſeuerare, & de ſalute ſua deſperare, & de potentia, & miſericordia diffidere. Proindè ſceleratiſsimus omnium ò Iuda, & infeliciſsimus extitiſti (ait Leo Papa ſer. 3. de paſsion. Domini) quem non pœnitentia reuocauit ad Dominū, ſed deſperatio traxit ad laqueum. Expectaſſes conſummationem criminis tui, & donec ſanguis Chriſti pro omnibus funderetur peccatoribus, in formis læthi ſuſpendium diſtuliſſes. Talis eſt mihi crede (ſcribit Chryſoſt. epiſt. 5. ad Theodorum Lapſum) talis eſt erga homines pietas Dei, nunquam ſpernit pœnitentiam, ſi ei ſincerè, & ſimpliciter offeratur. Etiam ſi ad ſummum quis perueniat malorum; & inde tamen velit reuerti ad virtutis viam, ſuſcipit, & libenter amplectitur. Itaque iuxtà Patrum doctrinam, illud peccatum eſt irremiſsibile, de quo non pœnitemus in extremis. *Iſychius.* *Leo Papa.* *Chryſoſt.*

Hæret. Armeni. *Iouinianus.*

mis. His tamen ſe opponunt hæretici: Inprimis Armenj, qui teſtimonio præſenti ducuntur affirmare, peccata dari, quæ nulla pœnitentia valeant expiari. Deinde Iouinianus dixit, ſemel per baptiſmi ſuſceptionem iuſtificatum, ſi cadat, renouari per pœnitentiam non poſſe, neque remitti vnquam eius peccatum. Vtramque hæreſim præmiſſæ Patrum ſententiæ reprobant. Iouiniani figmentum inſtitutione Sacramentorum damnatur, nec non canonibus pœnitentialibus. Inter ſacramenta, enim pœnitentia poſt baptiſmum ſtatuitur: fruſtra tamen, ſi nihil prodeſſet ei, qui à prima iuſtificatione diſceſſiſſet. Vt quid etiam canones pœnitentiales, niſi prolapſis opem ferrent? Pœnitentiam inſtituit Chriſtus, canones verò tantum Apoſtoli, & Romani Pontifices, tum ſynodales cœtus Patrum Eccleſiæ. Ergo nè melius detractor vnus cenſebit, quàm regula veritatis, & eius ſectatores? Anathema Ioninianus, Armeni quoque conuincuntur ijſdem penè argumentis. Verumtamen adhuc inſtant perfidi (inquit Auguſtinus lib. de vera, & falſa pœnitentia cap. 5.) qui ſapiunt plus, quàm oportet; non ſobrij, ſed excedentes menſuram. Dicunt enim, & ſi ſemel peccatoribus poſt baptiſmum valeat pœnitentia, non tamen ſemper peccantibus proderit iterata; alioqui remiſsio, ad peccatum eſſet incitatio. Dicunt enim Dominum incitatorem mali, ſi ſemper pœnitentibus ſubeniret, & etiam ei placere peccata, quibus ſemper præſto eſt gratia. Dicunt etiam, quis non ſemper peccaret, ſi redire ſemper poſſet? Errãt autem, immo conſtat ei multum diſplicere peccata, qui ſemper præſto eſt, ea deſtruere, &c. Sumunt occaſionem hypocritæ iſti ex factis Domini. Quem enim cœcum bis illumrnauit? quem leproſum bis mundauit? quem mortuum bis ſuſcitauit, &c. In nulla perſona iterauit factum, docens (vt aiunt) non ſemper à Domino fieri remedium. Dixit mulieri: Vade, & amplius noli peccare, & languido apud piſcinam: Iam noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat; promittit pœnam, non amplius veniam. Quod autem multos cœcos, & diuerſo tempore illuminauerit, & multos debiles confortauerit, oſtendit in diuerſis illis, eadem etiam ſemper dimittenda eſſe peccata, vt qui primo ſanauit febricantes, tot languidos, &c. ne deſperet peccator pro vllo tempore. Ideò etiam non ſcribitur aliquis, niſi ſemel ſanatus, vt quiſque timeat mergi peccato. Cæterũ medicorum eſt centies infirmum viſitare, centies curare; dominus autem cæteris minor eſſet, ſi alijs poſsibilia, ignoraret. Memor eſt ſui, qui dicit: Nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur, & viuat. Quem enim peccatorum excluſit? Cur docuiſſet orantes dicere; Dimitte nobis debita noſtra, niſi ipſe miſericors perſeueraret, qui nos ab hac petitione non vult deficere? Concludimus itaque non vnum, aut alterum, ſed omnia peccata toties, quoties pœnitemus, remitti; ſecus autem, quando non adeſt pœnitentia. Tunc enim peccatum in Spiritum ſanctum dicitur irremiſſibile, vel (vt inquit S. Thom. 2.2. q.14. ar.3.) eſt deſperatum ex parte peccantis, non ex parte Dei; meruit enim dici irremiſſibile, vel quia eſt finalis impœnitentia, vel (vt inquit Ricardus de ſancto Victore, & Theophylactus.) Dignum ſit ob eius malitiam, nullam ſibi pœnæ indulgentiam fieri, vt cum peccatum ex ignorantia, & infirmitate ſolet fieri, ille ex malitia peccet; vel quod culpę & peccati obſtinatio, dona, quæ à malis reuocant, à ſe pellat.

Auctores canonum pœnitentialiũ. *Auguſt.* *Rom. 12.* *Argumẽtum hæreticorũ.* *Reſpoſio.* *Ioan. 8.* *Ioan. 5.* *Miſericordia ſemper obuia pœnitenti.* *Ezech. 18.* *Matt. 6.* *S. Thom.* *Ricard. de ſancto Victore.* *Theophil.*

Sed reus erit æterni delicti. Vel iuxtà græcum ἔνοχός ἐστιν αἰωνίου κρίσεως noxius eſt æterni iudicij. Hoc eſt, quod in æternum iudicetur. Vulgata lectio ſenſum reddit alium, quod ſcilicet, culpa indeleta perpetuò maneat. Culpa verò indeleta, & iudicium Dei perpetuum, damnationem reddunt æternam, & reum efficiunt hominem æterno ſupplicio. Reatus enim ſecundum Scotum in 4 d.14.q.1. Eſt ordinatio diuinæ voluntatis obiecta diuino intellectu, hominem peccatorem ad pœnam æternam pro mortali, & pro veniali ad temporalem deſtinans. Quare in æternum reus nemo eſt, qui & actuale delictum non retineat, & is Dei iudicium ſuper ſe continuò habet. Vt enim Deus eſt ſemper beans electos; ita reprobos iudicans; ſiquidem Deo nihil abit in præteritum, æternus eſt, cuncta ſimul poſsidens, & operans. Motus autem, ſucceſsio, & veritas, atque diuerſitas propriantur creaturæ, quæ oritur, & occidit, & nunquam in eodem ſtatu permanet. Nota ſolum æternum dici delictum, & permanere poſt mortem, per quod damnatur peccator. Cætera, quæ per pœnitentiam deleta fuerant, minimè redeunt, ſed ſi quæ reſtabant ſoluenda in inferis abſoluit. Verum de peccato veniali, in quo diſcedit quiſpiam, an remaneant cum mortali in æternum, & vnà puniatur, ſub lite eſt.

Scotus. Intellige Scotum de reatu pœnæ in ſenſu formali: in materiali verò de reatu culpæ. Succeſſio propria creaturæ, in Deo non eſt. *Iob 14.*

S. Thom. affirmat. Scotus negat. Ego de hiſce occultis iudicium meum non profero, tametſi poſtrema, rationi magis conſona opinio mihi videatur.

S. Thom. *Scotus.*

CAPVT

CAPVT XXX.

Quoniam dicebant, ſpiritum immundum habet.

[Expoſitio.] EXprimit his totius Iudaicæ damnationis cauſam,eamq. facit,dixiſſe, & perſuaſiſſe alijs Chriſtum habere ſpiritum immundum: [*Pſal* 72.] [*Eccl.* 27.] Erat enim,in cælum os, & in altum mittere lapidem;qui cadens confregit Iudaiſmum confractione horribili, vt nequeat, vti vas confractum,reparari.

Quoniam dicebant. Et dicunt modo poſteri,Chriſtum fuiſſe magum,diaboli cultorem, cuius arte, & potentia dæmones pellebat; & efficiebat miracula. Propterea adhuc iudicio coutendam vobiſcum, ait Dominus, [Ier. 2.] & cum filijs veſtris diſceptabo. Verbum Domini ſuper vos reliquiæ Iuda. [*Ier.* 42.] Quia deſcendit malum à Domino in portam Ieruſalem,nec adhuc finis, [*Mich.* 1.] quouſque quem dereliquerunt,repetant, & cui blaſphemias intulerunt, offerant dulcia cantica, & gloriã nomini eius afferant. Tunc,inquit,reddã [*Soph.* 3.] populis labium electum,vt inuoceut omnes nomen Domini,& ſeruiant ei humero vno.

Spiritum immundum habet. Spiritus immundus propriè eſt, qui prunas ardere facit,& inflammat concupiſcentiam,repletq. animam appetitu luxuriæ ſpiritualis, & quandoque carnalis. [Quis ſpiritus immundus.] Eſt autem appetitus hic, amor propriæ excellentiæ, aut certè carnis. Ille in Angelis præualuit, vt ab eo, ad ea,quæ patiuntur, adducti fuerint; hic hominem deiecit, [*Gen.* 3.] qui volens placere vxori dilectæ,tranſgreſſus eſt pactum. Cum ergo à ſpiritu immundo vniuerſa mala prouenerint, Iudæi illum Chriſto tribuunt, vt auctorem omnium ſcelerum videantur facere,& participem. [Ier. 7.] Propterea peccatum Iuda ſcriptum eſt ſtylo ferreo in vngue adamantiuo,exaratum ſuper latitudinem cordis eorum, & in cornibus ararum eorum, donec ſanguis agni immaculati aſpergatur ſuper eos, [*Pſal.* 50.] & ſuper niuem dealbentur.

CAPVT XXXI.

Et veniunt mater eius, & fratres: Et foris ſtantes miſerunt ad eum: vocantes eum.

[Expoſitio.] REpulſis hoſtibus,amici,quaſi gratulabundi,quærunt victorem.Sunt hi,mater cunctis charior, & qui fraternitatẽ eius amabant,& venerabantur. Capti ergo deſiderio ſui, iamque videndi, & audiendi, quem ardenter diligebant, miſerunt, qui vnicum eorum bonum aduocaret. Non enim præ turba licebat eo intrare.

Et veniunt mater eius. [*Theophilus*] Quia(inquit Theophilus)propinqui Domini venerant tenere eum, tanquam in furiam verſum, mater eius amoris compaſſione detenta, venit ad ipſum. Etiam vt filio congratularetur, & de eo gauderet in tantis mirabilibus, quæ & fiebant, & enarrabantur. Nam ſi Salomonis fama traxit extraneam, [3. *Reg.* 10.] & incognitam à finibus terræ,quomodo potuit mater continere ſeipſam, quin à mirabilibus filij, ad eum viſendum pertraheretur celeri greſſu?

Et fratres. Non filij Mariæ(notat Gloſſa & Hieron.)ſemper Virginis,vt meutitur Heluidius; [*Gloſſa*, & *Hieron.*] [Hæreſis reprobatur.] vel Ioſeph, ex alia vxore, ſicut alij garriunt;ſed cognati. Et quidem nos in Chriſto cognati ſumus, ſecundum carnem, & is nobis eſt primogenitus in multis fratribus, [*Rom.* 8.] ad quem qui venerit,audierit,& obſeruauerit eius vitæ mandata, beatus erit. Quia ego, inquit Dominus Deus tuus, docens te vtilia,gubernans te in via,qua ambulas. [*Iſai.* 48.] Vtinam attendiſſes mandata mea; facta fuiſſet,ſicut flumen,pax tua, & iuſtitia tua ſicut gurgites maris. Hoc eſt,abundantia pacis,& plenitudo iuſtitiæ, quæ magnificè coronat.

Et foris ſtantes, miſerunt ad eum. Myſticè,inquit Gloſſa, mater, & fratres, populus Iudæorum. [*Gloſſa.*] Ex quibus Chriſtus ſecundum carnem, foris ſtant in litterali ſenſu. Turba in domo, gentes in ſpirituali myſterio. Foris voluut Iudæi videre Chriſtum, quia ſpiritualem intelligentiam non quærentes, potius ad carnalia docenda,eum exire cogunt, vel quærunt. Sumus, & nos foris, qui peregrinamur à Domino, cuius deſiderio capti eructamus. [*Corinth.* 5.] Veni Domine: Dirigatur ad te oratio mea,ſicut incenſum in conſpectu tuo: [*Pſal.* 115.] [*Pſal.* 122.] Ad te leuaui oculos meos; & ſimilibus clamoribus ſpiritus poſtulat gemitibus inenarrabilibus, [*Rom.* 8.] & mittit ſagittas orationum, vt vel dignetur venire, vel iam iam ad ſe trahere, poſſideatque cor vnum, & viam vnam, ue vltra ſeparentur. [*Ier.* 32.]

Vocantes eum. Alter Euangeliſta ait: Quod fratres eius nondum credebant in eum. Non enim vocaſſent, ſi crediciſſent Deum, & vniuerſorum Dominum eſſe, ſed vel patienter expectaſſent, vel deuotè ceſſiſſeut, & inſtaſſent, locum adeundi eum ſibi dari. Fortè de humilitate, & benignitate Chriſti confiſi, non trepidarunt maiorem omnium aduocare. Quoque moueri poterant timentes, ne vis aliqna intus magiſtro fieret. Potueruut etiam alij nomine fratrum Chriſtum vocare,volentes ſic ei illudere.

CAPVT

CAPVT XXXII.

Et ſedebat circa eum turba, & dicunt ei: Ecce mater tua, & fratres tui foris quærunt te.

Expoſitio. QVi adcrant officium agunt eorum, qui foris vocabant, & expectabant Chriſtum. Aiunt enim: Mater paupercula eſt, & afflicta, & fratres, qui labore manuum, & artis exercitio ad victũ relicto, te ſollicitè quærunt, foris clamant, & petunt velle te ad eos exire, ſiquidem intrare nequeunt.

Et ſedebat circa eum turba. Quæ ab ore
Pſal. 18. eius pendebat, audiens dulciora ſuper mel, & fauum, & ſperans paupercula, & delicata ab ægritudinibus animi, atque corporis ſanari. Hæc enim sũt, quæ, quemlibet de viatoribus ſi ſapiant, compellunt, nec ad momentum à Chriſto permittũt recedere: Ad-
Pſal 118. hæſit anima mea poſt te, me ſuſcepit dexte-
Pſal. 102. ra tua, quæ ſanat omnes infirmitates, &
Pſal. 54. eripit de interitu vitam meam, ab his, qui appropinquant mihi.

Et dicunt ei. Non turba, quæ ab oſtio diſtabat, ſed æmuli, qui gloriam Chriſti paupertate matris, & fratrum, maculari
Eccl. 30. poſſe putabant. Cor enim prauum triſtitiam dare pacifico quærit, at homo peritus reſiſtit illi.

Ecce mater tua. Tametſi corde duplici fungerentur legatorum officio; aduerbio, *Ecce*, myſterium deſignant non contemnendum, videlicet, carnem omnem, loquente Chriſto ad ſpiritum, foris ſtare; quia
1. Cor. 2. animalis homo non percipit, quæ Dei ſunt; appetit nihilominus, in eo, vt in ſupremo
Pſal. 83. delectabiliũ, ſatiari, iuxtà illud: Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.

Et fratres tui foris, quærunt te. Eſt ſiquidem tempus acceptabile, & dies ſalutis, &
2. Cor. 6. ſalutifera conquiſitio, foris, dum hic viuimus, Dominum quærere; alioquin inueniri
Iſai 55. nõ poteſt. Ergo quærite Dominum, dum inueniri poteſt, inuocate eum, dum propè
Cant 8. eſt. Ec quis mihi det te fratrem meum ſugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deoſculer te, & iam me nemo deſpiciat? Hoc eſt, inter brachia matris, vt tuis concupitis frui valeam? Affectus eſt enim, qui in Bernardo, & in animo pio regnat, & inflammatur.

CAPVT XXXIII.

Et reſpondens eis, ait: Quæ eſt mater mea, & fratres mei?

Expoſitio. NEque ignorabat, à quibus vocaretur, neque vocantes deſpicit, neque ad eos ire recuſat; ſed reſpondet, vt matrem, fratreſque magnificet, & eos, qui ſibi putabant illudere, deludat, & confundat. *Quæ eſt* (inquit) *mater mea*, cuius dignitatem vllus veſtrum capiat, & nominis dignitatem, dignus ſit nominare, quæ incomprehenſibilem peperit? *Et qui fratres mei*, quorum ſanctitatis priuilegia, & honorem dignoſcat facilè veſtrum quiſpiam, vt ſic temerè eorum nomina deferat, aut contemnat?

Et reſpondens eis ait. Vnum quidem auribus, & aliud menti Iudæorum; auribus quidem reſpondet, interrogationi ſatisfaciens, menti ait, vt malitiam animi deſtruat. Verba enim ſapientum ſicut ſtimuli, Eccl. 12
& quaſi claui in altum defixi, vt non facilè à quibuſuis apprehendantur, niſi quibus intelligentiæ ſcala conceditur. Dignaturq. Gen. 28.
Deus volumen deuorandum tradere. Hi Ezech 3.
nouerunt, quid loquatur Dominus, & quid Pſal. 84.
reſpondeat his, qui peſſimo corde interrogant, quidué pro Sanctis proferat, vt à calumnijs eorum innocentiam vindicet.

Quæ eſt mater mea, & fratres mei? Hinc, & ex alijs, quæ de matre Chriſtus protulit, vt in Cana Galilææ, quid tibi, & mihi mu- Ioan. 2.
lier: Et in Cruce: Mulier, ecce filius tuus. Hæretici noſtri temporis, vtpotè Centuria- Hæret.
tores, occaſionem accipiunt derogandi matri Chriſti, quam volunt nihilo plus habitam à Chriſto, quam reliquas mulieres, neque cæteras præcellere, quæ tot à filio repulſas paſſa fuerit. Quinimo exemplum in- Repelluntur
fidelitatis, & impietatis extitiſſe dogmatizant, inter alios Culmannus, & Latcerius. Quum non tàm Scriptura, quàm ratione perſuaſi Patres Eccleſiæ, eam præferant, nedum viris, ſed & Angelis, & exemplum totius ſanctitatis à conceptione extitiſſe manifeſtè probant. Nam Angelus ad eam di- Conceptio Mariæ munda.
xit: Aue gratia plena. Nihil autem plenum, quod vacat, aut cui aliquid deeſt. Mariæ verò cuius humilitatem reſpexit Deus Pater, cuius corpus filius fœcundauit, & obumbrauit Spiritus ſanctus, quid deeſſe potuit, aut quid in ea vacuum reperiri? Tota pulchra es, ait dilectus ad eam, amica Cant. 4.
mea, columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ, in vtero, inquam, matris, ac matricis loculis, vti Galatinus ex- Galatinus.
ponit: Ergo cuius ſplendor tantus eſt ab initio, quomodo potuit aliquando quid in filium committere, vt vel improperaret ipſe matri, vel eam deſpiceret, velut vnam de ſtultis mulieribus?

Quæ rerum auctorem tactus ignara virilis Videas Vi-
Concepit grauis ætherea diuinitus aura, dam hymno
Solaque virgineum ſeruauit freta pudorem. magnæ matris Virginis.

Eſt mons ſuper verticem montium. Hoc Iſai. 2.
eſt, ſuper Sanctorum omnium dignitatem, & maie-

Gregor. Irenæus. & maieſtatem. Vti Gregor. lib. 1. regiſt. c. 1. exponit, & Irenæus lib. 3. aduerſus hæret. c. 28. atque alij, & penè omnes Sancti ſuis ſcriptis Mariam præ cæteris celebrant, & Angelis excelſiorem prædicant, & ſalutant Reginam cælorum, ac Dominam Angelorum. Quid ergo? Solus Rex confeſſionum, & laudum, qui, & filius, matrē dehoneſtabit, & vllo verbo ab eo admittemus minorare? Abſit. Vt in cælis confitetur, & laudat matrem, & in terris eam commendaſſe ſemper teneo. Quare dicens nunc, *quæ eſt mater mea, & qui fratres mei*, vocantes potius reprehendit, qui peccatis obuoluti, iuſtos nominare præſumebant. Quemadmodum enim iuſto non eſt dignus mundus totus, ita nec meretur nominare: Etenim Scripturæ ſactæ narratio minor eſt matre, quæ veritatem Scripturæ, & opus in ſeipſa firmauerat Dei gratia. Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Sic quoque redarguere volens malignos, ait, *quæ eſt mater mea*, cui honores deferunt ciues cœleſtes, & quā Angeli comitatur quocunque pergat, & fert penes ſe ſplendorem gloriæ ſummi Dei; quæ, inquam, eſt orbi vnica, & vos qui peccatis nihilo proximi facietis, ore polluto præſumetis per ludibrium nominare? ſed neque fratres datum eſt vobis nominare. Quoniam virorum nominatorum narratio ſapientum eſt, non ſtultorum. Excelſa ſtulto ſapientia, in porta non aperit os ſuum, neque præſumet ſapientes nominare.

Prędicta verba non in reprehenſionem matris dixit Chriſtus.

Heb. 11.

Pſal. 49.

Eccl. 39.

Prou. 24.

CAPVT XXXIV.

Et circunſpiciens eos, qui in circuitu eius ſedebant, ait: Ecce mater mea, & fratres mei.

Expoſitio. Confirmare volens tacitam Matris laudem, & obiurgationem malignantium prædictis addidit ſequentia. Primò factum, poſt ſermonem, quibus laus, & obiurgatio præcedens roboratur. Factum eſt circunſpicere aſſidentes ſibi, notans matrem, & fratres ſibi aſſidere, & ſuo decorari honore, ſecumque in throno ſedere, & propterea debere honorari ab alijs, vt ſe, in eumque retorqueri iniuriam, quæ in matrem, vel fratres vergit. Verbis aſtruit factum, ſeu declarat, cum ait: *Ecce mater mea, & fratres mei*; ac ſi diceret: Non foris eſt mater, ſed intus, cuius meritum ad omne mortalium genus ſe extendit, & cuius virtutem iuſti omnes imitantur, & vt exemplum ſequuntur. Quare mecum habens plebem iuſtam, habeo matrem, quæ in hiſce omnibus lucet. Habeo, & fratres, qui catena amoris præſcutibus colligantur, vt vnū ſint mecum mutuò. Vbi enim ego ſum, illic, & miniſter meus. Et vbi vitis vera, ibi & palmites, qui fructificant. Ergo non foris, ſed intus mecum habeo matrem, & fratres, qui dignum honorem, à quibus honor expetendus eſt, iugiter accipiunt. De his autem, quæ foris ſunt, & vagantur extra me, quid ad me? malum eſt, malum eſt dicit omnis emptor, quia morietur, quí de ouis eorum comedet. Vos enim qui clamatis, foris eſtis, & qui vobiſcum eſt Sathan. Meorum autem nullus foris, intus ſunt omnes, & gaudent cum ſponſo. Adhuc plura mihi videntur ſub his verbis in laudem matris, & fratrum latere, & peſſimorum vituperium. Sufficiant tamen prænotata, vt paululum liceat ſuper litteræ particulas deuagari.

Ioan. 12. Ioan. 15.

Prou. 20.

Et circunſpiciens eos. Non circumſpicit malignè loquentes, ſed ſimplices abſque malitia, & mundos, ac pueros, in quibus ſibi complacet, vt nos ab alta turri, locoque præeminenti campeſtria intueri contingit, & hortos, ac vineas, quæ oculis ſubſunt. Hinc ille: Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cælo, & in terra? Suſcitans à terra inopem, & de ſtercore erigens pauperem, vt collocet eum cum principibus, cum principibus populi ſui. Longanimis, & miſericors Dominus, areolam aromatum aſpiciens, & egreſſus ad vineas, botrum ad ſuam menſam colligit, & nouos flores ſuo faſciculo ſuperaddit. Itaque humiles circumſpicit ſemper in bonum, à malis autem, & arrogantibus auertit faciem ſuam, vt fiant conturbati, & demum tribulati, quod eis iuſtitiæ lumen non illuxerit.

Pſal. 112.

Qui in circuitu eius ſedebant. Hic eſt typus ſeſsionis iuſtorum, quā per gratiam, dum viuunt, poſsident, & è viuis tranſlati per gloriam in æternū hæreditant, Eſt enim Rex eorum in medio, & facit illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrat, Hoc eſt, quaſi ad ſingulos pergeret, fideliter ſingulis dat ſecundum propriam virtutem, vt negotientur, dum tardat præmium, & quando venitur ad præmium, incipiens à minoribus, ſingulis ſuum impartitur denarium, vt nulli iniuriam faciat.

Matth. 25.

Matt. 20.

Ait ecce mater mea, & fratres mei. Non ait; Ecce fratres mei, quod fratres Chriſti quoſcunque dicas, ſiue cognatos, ſiue Apoſtolos omnes, nullus eſt, qui ad myſtica matris, & ad inenarrabiles eius gratias, ac priuilegia attingat, vel ea poſſideat, ſunt quidam Sancti digni laude, & qui mercantur ab omnibus honorari; nemo tamen laudes matris, ſicut nec priuilegia, poteſt ſuſcipere. Poſt Chriſtum ſedet in regno, & poſt Chriſtum decoratur gratia, & omni laude ſublimatur. Quapropter vt narratio, quæ de Chriſto texitur, ſæpè præmittit, *Ecce*, ob myſteria, quæ ſubſequuntur, ita & quando

Dignitas Mariæ.

do de matre introducitur ſermo, prænotatur *ecce*, ſimili ratione. Vt ecce Virgo concipiet, Ecce mater tua, ecce mater mea.

CAPVT XXXV.

Qui enim fecerit voluntatem Dei, hic frater meus, & ſoror mea. Et mater mea.

Expoſitio. DEnique in compendium reducit his verbis laudes, & honores, qui matri, ac fratribus debentur; vt qui plus cæteris digni ſint, & maioribus cumulati diuitijs, quam reliqui. Non enim negans matrem, ſed eam confiteus, quæ Dei voluntatem facit, matrem profitetur Deo chariſſimam, quæ Dei voluntatem plus cæteris impleuerit, cum obſequentiſſima ſimul, & humilis dixerit: Ecce ancilla Domini; fiat mihi ſecundum Verbum tuum. Legem omnem in ſolito modo complens, & in opere omnium admirabili, & gratiſſimo obediens Deo, qui ideò plus cæteris ſibi matrem delegit, quod gratior, & promptior in exequendis Domini mandatis, quàm reliquæ, eſſet. Simili ratione in laudem fratrum tendunt iſta verba, quod ſcilicet Dei voluntatem (quæ fraternitatis optima radix eſt) complerent Apoſtoli, qui & circunſpectione, & ſermone deſignabantur.

Qui enim fecerit voluntatem Dei. Non propriam, quæ nos facit filios diaboli; vnde his, qui die ieiunij voluntatem ſuam faciebant, ait, vos ex patre diabolo eſtis, ſunt & ex matre Babylonia, & ſorore Samaria. Soli autem Chriſti fratres ſunt, & ſorores, qui voluntatem Dei complent. Hæc eſt enim
1. Theſ. 4. voluntas Dei ſanctificatio veſtra, vt abſtineatis vos à fornicatione, ne quis ſupergrediatur, neque circumueniat in negotio fratrem ſuum, vt abundetis magis, & operam detis, vt quieti ſitis, & vt honeſtè ambuletis, ad eos, qui foris ſunt; & nullius aliquid deſideretis. Ne quis malum pro malo alicui reddat; ſed ſemper, quod bonum 1. Theſ. 5.
eſt, ſectamini inuicem, & in omnes ſemper gaudere. Sine intermiſsione orate. In omnibus gratias agite. Hæc eſt enim voluntas Dei in Chriſto, in omnibus vobis. Concludit Apoſtolus Theſſalonicenſibus, & nobis omnibus, hanc eſſe voluntatem, quæ nos Chriſti matrem, fratrem, & ſororem efficit, ratio perſuadet: Nam voluntas Dei nos efficit Deos per participationem, Chriſtum firmat Quomodo quis mater, & fratres Chriſti fit.
in nobis, & imaginem cæleſtis, operantium animis imprimit. Imago autem imagini ſoror eſt, & mater vocatur, qui intra ſe formatum quid habet, & fratrem dicimus, qui alterius bona participat.

Hic frater meus. A fratre incipit, vt fraternitatem ſuper omnia diligamus. Quæ & Deum fecit hominem, & nos homines ad Rom. 12.
diuinitatem ſublimat, & bona corã Deo, & corã omnibus hominibus prouidere facit.

Et ſoror mea. Etſi ad omnem animam ſermo feratur, & carnem, quæ Chriſti veſtigia ſectatur. Ego Virgini aptarem, quam in canticis cerno vocari ſororem, & conſonat nominis ethymologia. Nam ſoror (in- Cant. 5.
quit Gellius lib. 3. cap. 10.) Ex ſententia an- Gellius ex ſentẽtia antiſtitis Labeonis.
tiſtitis Labeonis dicta eſt, quod quaſi ſeorſum à ſua ſtirpe naſcatur, ſeparaturque ab ea domo, in qua oritur, & in aliam familiam tranſgreditur. Ita qui Virginem complectitur, ſeorſum eſt, & ſeparatus ne dicam à coniugio carnis, ſed animi; ſoli Deo intus, dicens ei: Mihi adhærere Deo bonum Pſal. 72.
eſt, & ponere in Domino Deo ſpem meam.

Et mater eſt. Hic non addit mea. Vt in fratre, & ſorore, quod etſi omnes iuſtos loco ſororum, & fratrum habeat, atque matres vocet, matrem meam ſolam vult appellare Mariam, vt cum ait pater meus: Deum patrem (qui eſt prima in diuinis perſona) intelligit; ita cum eructat mater mea, primam inter mulieres, & puras creaturas, nos quoque agnoſcamus, & complectamur, & exoremus. Monſtra te eſſe matrem; ſumat per te preces, qui pro nobis natus, tulit eſſe tuus. Amen.

FINIS LIBRI TERTII.

IN SA-

Digitized by Google

IN SACROSANCTVM CHRISTI EVANGELIVM SECVNDVM MARCVM

LIBER QVARTVS.

IN CAPVT QVARTVM

PRAEFATIO.

NEQVE furioſum, aut amentem, ſed feruidũ zelatorem eſſe animarum ſe oſtendit Chriſtus præſenti narratione. Tantoperè enim ſpiritualem hominum profectũ ſitiebat, vt volens cunctis, qui ad eum confugerant, ſatisfacere, in naui conſtitutus, ab alto mare prædicare cœpit mirabilia turbis, quæ circa mare ſuper terram auidè Dei verbum ſibi annunciari expectantes erant. Id quod Chriſtus, quàm diligentiſſimè ſub parabolis fecit. Quarum prima fuit agricola, qui ſuum ſeminare ſemen ſuper omnem terram, quæ ad ſe pertinebat, omni cum diligentia, & largè, curauit; adeò vt & petræ, ſpinæ, ac via publica iactis ſeminibus replerentur. Vnde quiſque noſcet, nulla acceptione perſonæ notari Deum poſſe, qui eſt huiuſmodi ſeminator, queadmodum interrogantibus Apoſtolis aperit Chriſtus. Secunda parabola conditionem diſſeminati verbi ſubindicat eſſe, his lucere, qui illud ſuſcipiunt, & qui circunſtant. Eſt quidem lucerna, quæ ſuper modium, non ſub, ſtatuitur, vt habenti, & non habenti lumen conferat ſalutare. At propterea ſolicitos eſſe vult omnes, circa obſeruantiam eorum, quæ audiunt, vt abundent. Volens ergo pigritiam procul ab hominibus facere, tertiam ſubdit parabolam hominis, qui cum bonum iaciat ſemen, zizanijs inuenit ſuperſeminatum ab hoſte, qui dum agricola dormit, ſummo mane ſurgens ſata inficiat. Hoſtis itaque calliditatem, & penitus relegare pigritiam, non propter malum, quod ipſa parit, vti proxima præcedens parabola indicat; ſed propter bonum, quod confert ſolicitudo, docet ſequenti parabola grani ſynapis, quod etſi minimum, ſit diligentia maximum ſtipite, ramis, folijs, multiplicatione granorum, & virtute, vt non tam inter olera, ſed inter arbores locum ſibi vendicet. Vſus eſt & alijs parabolis, vt cunctos doceret, prout poterãt audire. Verũ, vt tã in his, quàm alijs, quæ ſeorſum loquebatur Apoſtolis, doctores, & firmiores redderet, miſſis iam turbis, eadem naui ad altũ mare ire diſponit, vbi procellã, eo dormiente, commotam ſedauit, cum omnium admiratione. Iam quid ſupra hominem in Chriſto agnoſcentes. Hæc eſt totius capitis, & libri ſumma, quam in quinque partes diſtribuimus, vtpotè, parabolas quatuor, & ſilentium mari, ventiſque impoſitum, mox ſingula, quæ ſublatent percurramus.

CAPVT PRIMVM.

Et iterum cœpit docere ad mare, & congregata eſt ad eum turba multa, ita vt nauim aſcendens, ſederet in mari, & omnis turba circa mare ſuper terram.

NIhil quidẽ importunè, ſed oportuniſſi- Expoſitio.
mè omnia peregit Xp̃s, tum maximè
prædicatione Euãgelij, quã ſibi pater vnicè
demandauerat, vt ſuſcitaret feces Iſrael, &
ſcientia ſua impios iuſtificaret. Quare cũ è
terra docuiſſet plurimos, tũc ſuper mare ele-
uatus omnes edocet, qui in nauiculis ad eũ
aſcenderant, & qui fixi in terra, quid loque-
retur Dñs, attẽtè audiebãt. Sic quidẽ indul- *Iſai. 26.*
ſiſti gẽti Dñe, indulſiſti gẽti, nunquid glorifi-
catus es? In terra, & mari quin elongaſti ſu-
per omnes terminos terræ, ac mari gloriam
tuam ò Chriſte, nunc in terra, nunc in mari
prædicans, & operans mirabilia, quæ nemo
alius fecit, neque ſic loquutus eſt homo in
mundo, qui veritatem dilucidaret.

Et iterũ cœpit docere ad mare. Hoc eſt iuxtà littus maris, vt habet Syriaca lectio. Aduerbiũ *iterũ* poteſt dupliciter intelligi: vel quod iterũ doceret: vel quod iterum ad mare aſcenderet, inde homines docturus. Et quidem vtrumque fecit. Vbi enim ſibi occaſio docendi occurrit, ſiue in terra, non ſemel tantum. Sed iterum, atq; iterũ, tanquã
imbres eloquia ſapientiæ ſuæ emiſit, & *Eccl. 39.*
oſculo oris ſui, quod eſt verbum ſalutis di-
gnatus eſt quemquam ad ſe venire, oſculari, *Cant. 1.*

& benedicere benedictionibus cæli,vt inter aſtra cæli ſedē, principatumq. mererentur, non quem Ganymedes, & alij iuxtà fabulas
Pſal. 121. poetarū, ſed quē tribus tribus Domini teſtimoniū Iſrael,in ſtellas perpetuæ æterni-
Dan. 12. tatis tranſlati poſſident. Hic eſt finis verbi Dei,non redire vacuū, ſed ſpiritualem ſubſtātiā hominis,quaſi hamo è profundo abyſſi ad altitudinē Empyrei, & immortalitatis
Iſai 6. ſubleuare.Hinc ille: Vè mihi,quia tacui. Et
1.Cor. 9. alius:Vè mihi eſt ſi non euangelizauero.Nā qui mandatus nō prædicat, videtur aborsū optare,& ſpontè ſe filijs priuare,immo hæreditati Dei inuidere,quam ſalutaribus Dei verbi monitis plerique conſequuntur.Ergo
Matt. 25. haud ſecus, quàm qui talentum abſcondit,
Luc. 19. neq; lucrum ex Mna quæſiuit,punietur.Coronabitur autem,qui opus bonū Epiſcopale,& prædicationis fidelis miniſterium conſummauerit. Propter hoc in doctrinis glo-
Iſai. 24. rificate Dominū,in inſulis maris nomē Domini Dei Iſrael,qui legationē Chriſti agitis.

Et congregata eſt ad eum turba multa. Hæc quæ ſalutis propriæ eſt auida, ſemper timens ſibi ad Chriſtum congregatur. Scri-
Eccl. 2. ptum eſt enim:Qui timent Dominum non erunt incredibiles verbo eius,& qui diligūt illum conſeruabunt vias illius, qui timent Dominum, inquirent,quæ beneplacita ſunt ei,& qui diligunt illum replebuntur lege eius. Vt enim Auratæ piſces omnium timidiſſimi facilè capiūtur, & celerrimè tractorem ſequuntur, ita ſimplicium animi, qui pauidi sūt,& coloris aurei amoris ad Chriſtū,qui in charitate perpetua diligit, & attrahit, miſerans noſtri,properant, congregantur, legem eius cōplectuntur, iuſſis obtēperant,& nō reſiſtūt;quinimo gaudet To-
Tob. 8. biæ coniuge ſimplex Sara,vt futuro gaudio, mœſtitiā,& priores anguſtias,quas ſub peccatis perpeſſa fuerat,reparet,& lætetur purus animus in operibus, quæ velut nouellæ
Pſal. 127. oliuarum, & filij in circuitu menſæ parentem exhilarant.

Ita vt nauim aſcendens, ſederet in mari. In illo die (ait Matth.) exiens de domo,ſedebat in mari.Igitur in eadē die (infert Be-
Arias Mōtanus. nedictus Arias Montan. ſup. Mar.) relictis propinquis,qui impedire conabantur illius actiones,exijt è domo, & ſeceſſit ad mare, vt commodius docere poſſet verbū, comodumque locum è naui optauit,vndè tanquā è ſuggeſtu audiri melius poſſet, & videri à conſeſſu turbæ. Quare licet his, qui zelo animarum inflammantur, locum aptiorem eligere,quærere, tum maximè ad illum vo-
Greg. Nazianz. catos ſe transferre. Vnde Gregor.Nanzianz. Nazianzo relicto, Conſtantinopolim ſe tranſtulit. Similiter Euthychius priori ſede relicta. Quare mutationes Epiſcoporum
Anter. epiſ. 7. lib 7 q. 1. Mutatio, et c. ſcias frater. (ait Anterius Papa Epiſcopis Beticæ,& Toletanæ Prouinciæ) ſcitote communi vtilitate, atque neceſsitate fieri licere,ſed non propria cuiuſque voluntate,aut dominatio-
Transferri poſſunt Epiſcopi ex maiori fructu. ne. Petrus ſanctus Magiſter noſter,& Princeps Apoſtolorum, de Antiochia vtilitatis cauſa tranſlatus eſt Romam, vt ibidem potius proficere poſſet. Euſebius quoque de quadam parua ciuitate,Apoſtolica auctoritate mutatus eſt Alexandriam,ſimiliter Felix de ciuitate, in qua ordinatus erat electione ciuium propter doctrinam, vitamq. bonam, quam habebat, auctoritate huius ſanctæ Sedis, & communi Epiſcoporum, & reliquorum Sacerdotum, ac populorū conſilio,tranſlatus eſt Epheſum. Nō enim tranſit de ciuitate ad ciuitatem,nec transfertur de minori ad maiorem, qui hoc non ambitu, neq; propria voluntate facit, ſed aut vi è propria ſede pulſus, aut neceſſitate coactus, aut vtilitate loci, aut populi, non ſuperbè, ſed humiliter ab alijs tranſlatus, &
Pelagius Papa Secūdus. intronizatus eſt.Non ergo (ſubdit Pelagius Papa Secundus, epiſt. 2. ad Benignum Archiepiſcopum.)Benè intelligunt eccleſiaſticas regulas, qui hoc negant, cauſa neceſsitatis,vel vtilitatis fieri poſſe,quoties communis vtilitas, aut neceſsitas perſuaſerit.
Cōc. Nicen. Carthagin. Chalcedon. Antioch. Habentur huiuſmodi regulæ in Cōcilio Nicæno.c.15. Cartaginenſi ſup.c.8. Calcedonenſi,c.5 Antiocheno,c.22. & alijs. Quibus nonnulli permoti tranſlationem à ſede, in ſedem Epiſcopalem fieri poſſe, conſtanter negabant. Quomodo autem intelligantur regulæ,expreſsit Pontifex. Fuerunt etiam alij hoc in negotio extremi,qui liberè trāſferri poſſe aiebant Epiſcopum, & ad ſedem vacantē ſeipſum intromittere.Vt olim Irenæus Epiſcop qui Barchinonensē Eccleſiā nullius auctoritate, ſed ſuiipſius voluntate
Lib 7. cap. remotio. conabatur retinere. Quē Hilarius Papa iuſ-
Greg lib. 1. decret tit. 7. de translatione Epiſc. ſit remoueri poſt Aſcaniū Archiep. Tarraconen. Id quod etiam Innocentius I'I. fieri præcipit cum eo,qui abſque Romani Pontificis auctoritate à Turonenſi Eccleſia ad Andegauenſem tranſierat. Nec non contra eum,qui Heldeſemenſi Eccleſia relicta Herbipolensē occuparat.Quū tranſlationes(inquit) Epiſcoporum, & ſedium mutationes, ad ſummum Apoſtolicæ Sedis Antiſtitem de iure pertineat, nec ſuper his quiſque, præter eius aſſenſum, debeat immutari. Quinimo ſi quis ambitioſo animo tranſlationem à Rom. Pont. obtineat, videtur ex
Leo Papa. Leonis verbis.C.ſi quis.7.q.1. vtraque ſede priuandus. Ait enim quacunque ratione ſe tranſtulerit. Sed de hoc ſatis, &c. Vt ergo Chriſtus è terra ad nauim ſe tranſtulit,maiorem populi quærens vtilitatem: Ita Epiſcopus,qui eſt datus populis prædicator,ad maiorem eorum vtilitatem,poteſt ad aliam ſedem tranſire, habito conſenſu ſuperioris, necnon prædicatores de Epiſcoporum maiorum licentia à ſuggeſtu in ſuggeſtum valent diſcurrere.

Et omnis turba circa mare ſuper terram.

Audi-

Digitized by Google

Auditores itaque ſuper terram,prædicator
verò ſedet in mari. Quid ad hæc? Vt locus
Hieron. docendi, inquit Hieronym. indicet audito-
res amaros fuiſſe,ac inſtabiles, vel ſecundũ
Theophyl. Theophylactum,vt in conſpectu habeat au-
ditores omnes, magiſq. andiatur, & nullus
ſit à tergo. Porrò in naui ſtans docet,quod
in Eccleſia tantum ſit Euangelij prædica-
Hæret.error tor. Errant ergo Lutherani,Caluiniſtæ,Hag-
giomachi, Hugnoſtici, & omnes hæretici,
qui cum extra nauim ſint Eccleſiæ,Euange-
Extra Eccleſiam non eſt ſalus. lij miniſtros ſe iactant. Extra Eccleſiam non
eſt ſalus, nec qui ſalutem profiteatur: Hoc
eſt Apoſtolorum, & Diſcipulorum Chriſti,
quibus datum eſt ſalútis nomen euulgare,
& dare ſalutẽ his, qui libenter audiunt Dei
verbum, & cuſtodiunt quodcumque magi-
ſter ordinauit. Prædicantibus his, ſedent tur-
bæ ſuper terram, quod firmitatem per præ-
dicationem Verbi,auſcultantes conſequan-
Iſai. 44. tur,ſed ſpiritualem; Effundam (inquit Deus)
aquas ſuper ſitientes, & fluenta ſuper ari-
dam. Effundam ſpiritum meum ſuper ſemen
tuum. Et benedictionẽ meam ſuper ſtirpem
tuam. Et germinabunt inter herbas, quaſi
ſalices iuxtà ſuperfluentes aquas. Iſte diceti
Domini ego ſum, & ille vocabit in nomine
Iacob, & hic ſcribet manu ſua Domino, &
in nomine Iſrael aſſimilabitur. Hic eſt do-
Dan. 12. ctor, qui ad inſtitiam erudit multos, tum
factis, quibus aſſimilatur Chriſto, tum ſcri-
ptis, quibus manu ſua Dominum exponit.
Vocat in nomine Iacob Apoſtolos, qui in
nomine Domini petit, & miracula opera-
tur, vt efficiat Dei filios. Domini ego ſum,
perfectus in ſpeculatione cæleſtium, quibus
Cant. 2. abſtractus,& allectus exclamat iugiter: Ego
dilecto meo, & dilectus meus mihi. Ex his
abundãt plures à Chriſti temporibus, vt vi-
deantur quaſi cælitus irrigati, germinare.
Cuius rei teſtis eſt Ægyptus, & Paleſtina,
& orbis, qui monaſterijs Sanctorũ repletur,
qui tametſi ſitientes, & aridi, vt ſemen, &
ſtips Dei gratiarum aquas, ac ſpiritum Dei
recipiunt, & benedictionem, quæ virtutibus
eos replet, quaſi germinibus. Beati ergo qui
de terra audiunt verbum Dei, quod è mari
nos Chriſtus docet.

CAPVT SECVNDVM.

*Et docebat eos, in parabolis multa, & dice-
bat illis in doctrina ſua.*

Expoſitio. MOdum prædicationis,& artem fuiſſe
parabolam, teſtatur Euangeliſta, vti-
lem quidem auſcultatoribus, & per neceſſa-
riam grauitati myſteriorũ, quæ aliter, quàm
parabolis nequeunt percipi ab his, qui hé-
betes ſunt intellectu, neque valent abſcon-
dita penetrare. Dãt enim intellectũ, vt ſcia-
mus teſtimonia Dei, & mandata diſcamus.
Et docebat eos in parabolis multa. Non
omnia, ſi enim omnia (inquit Hieron. in 13.
Matt.) dixiſſet in parabolis, abſque emolu-
mento populi diſceſsiſſent; perſpicua mi-
ſcet obſcuris, vt per ea, quæ intelligũt, pro-
uocarentur ad eorũ notitiam, quæ nó intel-
ligũt. Familiaris quippè docendi ratio (ſub-
dit Arias Montan. in Mar.) ex ſimilitudini- *Arias Mõtanus.*
bus, & ſimplicioribus diſcipulis apta, mali-
tioſis obſcura. Multa autem docebat in pa-
rabolis, hoc eſt multa argumenta propone-
bat, & varia, quę omnia ad ſalutẽ pertinebãt.
Ex his autem per ſimilitudines ſignificabat.
Dicito quoque. *Docebat eos,* quæ ad mores
ſpectant diſerto ſermone, & ſine parabolis
loquebatur eis, quæ eos ſacere oporteret
ad obſeruantiam legis, ad animi rectitudi-
nem, & victus ordinationem. In parabolis
verò multa alia, quæ myſtica erant, & ſpe-
culabilia, vt penetrarẽt. His enim deſeruiũt
parabolæ. Itaq; moralia ſine parabolis doce-
bãt, ſpeculabilia theologica cum parabolis.
Et dicebat illis in doctrina ſua. Non alie-
na. Hoc enim eſt Chriſto proprium, *in do-
ctrina ſua,* quam neque ab Angelo didi-
cit, neque per hominem accepit, ſed à ſe-
metipſo habet (quia verbum, & ſapientia)
alios docere, & in ea quæcumque dicere. In-
de protulit. Mihi autem dedit Deus dicere *Sap. 7.*
ex ſententia, & præſumere digna horum,
quæ mihi dantur, quoniam ipſe ſapientiæ
dux eſt, & ſapientium emendator. Ac pro-
pterea in me manens, & loquens mecum,
facit, vt ex mea ſententia loquar, non alio-
rum, qui nihil mihi dare poſſunt, neque ali-
quam tradere eruditionem. Et conſequen-
ter præſumere, abſque iactantia, aut rapi-
na diuinitatis, ſcientiam, & priuilegia,
quæ mihi cum natura dantur. Siquidem
indiſtinctus ſum ab eo, qui dux eſt ſapien-
tiæ, & ſapientes emendat, & omnia opera-
tur. Quia ego & pater vnum ſumus; licet er- *Ioan 10.*
go dixerit: Doctrina mea non eſt mea, lo- *Ioan. 7.*
quitur *in doctrina ſua,* quæ & patris, et ſua,
neque ſolius Patris, neque ſolius Filij, neq;
ſolius Spiritus ſancti, ſed eſt communis tri-
bus. Ad hæc Arias Montan. Solẽt Doctores *Arias Mõtanus.*
præter communes ſententias, & doctrinã ge-
neralẽ, quædã propria dicta frequẽter vſur-
pare; ſinguli, inquam, ſua, quę vel ſenſu ipſo,
vel oratione, ac dicendi genere ſingulare
aliquid, et ipſi doctori familiare referãt. At-
qui huiuſmodi multa inueniemus in libris
antiquorũ, quod hoc modo indicat. Verbũ
fuit in ore Gamaliel: Verbum fuit in ore
Iohãnan, ad hãc phraſim alludit Marcus di-
cens, hanc ſimilitudinem, præter alias, à Ieſu
fuiſſe ſingulariter vſurpatã, ita vt huiuſmo-
di ſententiã tali oratione prolata, apud aliũ
reperiri non contingat. Itaq; duplicẽ ſenſum
patitur littera. *In doctrina ſua,* quam à ſe-
ipſo habet, vt Deo, qui à nemine mendicat.
Vel *in doctrina ſua,* ideſt phraſi, & modo
loquendi ab alijs diſtincto.

CAPVT TERTIVM.

1.

Audite : Ecce exÿt ſeminans ad ſeminandum .

Expoſitio. ORditur prædicationem, magna cum emphaſi verborũ; & admirabili exordio vtitur, in quo attentionem poſtulat dicens: ***Audite***,& tanquam de magnis loquuturus, proponit totius orationis habendæ argumentum graue,cum ait: *Ecce exÿt ſeminans ad ſeminandum* . Iſta enim propoſitio tam varia, multiplex, & fœcunda eſt, vt quorumcunque mentes ſuſpendat.

Eccl. 32. ***Audite*** . Nam vbi non eſt auditus, ne effundas ſermonem. Eſt enim ponere
Matt 7. margaritas ante porcos, & Pharaoni prædicare.
Exod. 7. Nunc ergo ſapientia, quæ foris prædicat,& in plateis dat vocem ſuam,ante omnia ait: Fili mi audi me,& attende verbis oris mei.
Prou. 7. Nunc ergo filij audite me: Beati, qui cu-
Prou 8. ſtodiunt vias meas. Audite diſciplinam,& eſtote ſapientes, & nolite abijcere eã: Beatus homo,qui audit me, & vigilat ad fores meas quotidie, & obſeruat ad poſtes oſtij mei. Atqui hæc ab auditu proueniunt: Auditu enim buccinæ monẽtur canes leporarij ad prædam; nec non falcones aucupum voce ad Dominum redire feſtinant; & Samuel, qui audit, meretur diuina myſteria
1. Reg. 3. percipere: Nam fides, quæ myſteriorum eſt
Rom. 10. compendium, per auditum, auditus autem
Auguſt. per verbum Dei. Proinde Auguſt. lib. 50. homiliarum, homil. 26. Interrogo vos fratres,vel ſorores. Dicite mihi: Quid vobis plus eſſe videtur verbum Dei, an corpus Chriſti? Si verum vultis reſpondere, hoc vtique dicere debetis, quod non ſit minus verbum Dei, quam corpus Chriſti. Et ideò quanta ſolicitudine obſeruamus, quando nobis Chriſti corpus miniſtratur, vt nihil in Chriſto de noſtris manibus in terram cadat, tanta ſolicitudine obſeruemus, ne verbum Dei, quod nobis erogatur, dum aliud aut cogitamus, aut loquimur,de corde noſtro pereat. Quia non minus reus erit, qui verbum Dei negligenter audierit,quàm ille, qui corpus Chriſti in terram cadere
1. q. 1. interrogo. negligentia ſua permiſerit. Habetur 1.q.1. Interrogo; vbi Gloſſa, verbum, ideſt prædicatio, quæ plures conuertit, & plus facit compungi hominem, ita vt omnia peccata per eam tollantur. Sed per corpus Chriſti tantum venialia tolluntur, vt de conſecrat.
De conſ. d. 2. c. iteratur. d. 2. Iteratur, &c. quotidie, & ſic non obſtat ſupra,eò multi.

Ecce exÿt ſeminans ad ſeminandũ. Supponit ſeminatorem, eum inquam, qui continuò ſeminat, vnde & ſeminatoris,& ſatoris nomen habeat, & agricolæ. Quis autem is ſit non explicatur, fore autem admirabilem, *ecce*, aduerbium deſignat. Vnde ſiue Deum, ſiue Chriſtum (vt habes lector in Matth.) dicamus, vtrique pro facto cantandum eſt: Domine Dominus noſter, quàm
admirabile eſt nomen tuum, in vniuerſa *Pſal. 8.*
terra. In ſe quidem nomen habet, quod eſt mirabile; non tamen creaturæ rationali, niſi in vniuerſa terra, hoc eſt in opere, quod operatus eſt Dominus, & vſque modo operatur in cælo, quod terra viuentium dici ſolet, & in terra, ac regione elemẽtari. Ex his,
quæ Angelus, atque homo, tàm in ſe, quàm *Omnipotẽtia Dei ex opere cognoſcitur.*
in alijs contemplatur, Deũ agnoſcit omnipotentem,& infinitum, quem videt beatus, quia eſt; Vnde tàm beatus, quàm viator ab operis,& ſeminatoris officio, gloriam Dei, admirabilem prædicat. Niſi enim recepiſ-
ſent creaturæ ſemen Dei, hoc eſt eſſe, gra- *Iſai. 6.*
tiam,& gloriã, quomodo dicerent: Plena eſt
omnis terra gloria eius? Dignus eſt agnus *Apoc. 5.*
accipere virtutem,& diuinitatem? Itaque ſeminatoris officium, & opus, Deum nobis, & omni creaturæ rationali facit admirabilem, tametſi natura ſit,& antequam quicquam fieret admirabilis eſſet, & magnus, atque laudabilis, cœpit autem laudari quamprimum *exÿt ſeminans*, atque di-
cens: Fiat lux, fiat firmamentum, appareat *Gen. 1.*
arida, germinet terra herbam virentem, fiant luminaria in firmamento cæli, ac ſimi-
lia; tum aſtra matutina, hoc eſt, Angeli ad- *Iob. 38.*
mirari, & laudare cœperunt. Quia (inquit
Aug. in lib. de Ciuit. Dei) cognouerunt, quę *Auguſt.*
facta sũt, veſpere, in proprio genere,& mane in Verbo; ſed & homo tũc admirari cœpit, cum factus eſt in animam viuentem, & virtutẽ accepit continẽdi omnia, & intelligendi. Denique ne vltra currat oratio, Dei opus eſt,& quod ipſum reddit admirabilem. Tum maximè: quod neque operandi, neque ſeminandi finem faciat. *Exÿt* enim *ſemi-*
nans, & aperiens manum ſuam, & implens *Pſal. 144.*
omne animal benedictione, fortè ne exiet *Deus quomodo ſẽper ſeminat?*
ſol, quin illuſtret? aut cælum, dum orbem circuit ab influxu ceſſabit? Cælum cæli tu
es Deus, & ſol illuminans mirabiliter in *Pſal. 75.*
montibus æternis Chriſte Saluator. Ergo ne ceſſabis ab opere, & communicatione do-
norum? Pater meus vſque modo operatur, *Ioan. 5.*
& ego operor. Ergo homo auare, atque ſceleſte confundere, qui exis ad forum; & non das, ſed furaris. Exis ad Eccleſiam; & non ſeminas iuſtitiam, ſed Deo tollis honorem. Exis ad populum, & ſpolias pauperem. Nolite ò mortales facere, ſicut vſque ad hanc diem; ſed continuò ſeminate, & ſuo tempore metetis. Bona (inquam) quæ accepiſtis communicate, Deo gloriã, & honorẽ
reddite, qui vos gloria,& honore coronauit, *Pſal. 8.*
dum ad imaginẽ ſuã condidit hominẽ. Pauperibus elargimini diuitias; quia ad hoc datæ ſunt vobis. Denique quoties exitis, non vos bonum opus prætereat.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT QVARTVM.

Et dum ſeminat, aliud cecidit circa viam, & venerunt volucres cæli, & comederunt illud.

Expoſitio. TAnta cum largitate iacit ſemina Sator, vt decurrant circa viam, fiantque paſcua volucrum, qui viam frequentant, ſuper eam volitant, & emendicant cibum.

Et dum ſeminat. Non dicitur *dum ſeminat* hoc primum ſemen, vel ſecundum, aut tertium, tum quòd operũ Dei, & donorum, nihil Deo primum, neque ſecundum; cum omnia ſimul in ſeipſo condita habeat, & diligat amore vnico eſſentiali vniuerſa quæ ſunt. Tum denique quòd recipienti, nihil primum, niſi vt eo, vel primus, vel poſterior conſtituitur. Nam Apoſtolatus nobilitate primus eſt, Iudam tamen nouiſſimum fecit; temporalia minima ſunt; attamen Zachæo primatum conciliãtunt, quia ſalus à Deo facta eſt ei, quod dimidium bonorum dedit pauperibus, & reddidit quadruplum, ſi quem fortè defraudaſſet; propter quod & ad donum, & ciuitatem quadratam Ieruſalem meruit introduci, eijci autem proditor, & abire in locum ſuum. Ergo etſi dona gradus habeant, vſus, vel abuſus donorum, nos deponunt, vel ſublimant, & efficiunt primos, vel nouiſſimos.

Aliud cecidit circa viam. Diximus quomodo, cadere, in dante amorem connotet, quomodo etiã & donũ ipſum appetat, ſe rationali creaturæ communicari; ex verbo *cecidit*, colligamus. *Cecidit* enim quod impetu quaſi ad finem, in quo eſt quies, fertur. Annon homo quodammodo finis omnium? Eſt quidem finis ſub fine. Ergo ſicut ſupremus ille finis, ait: Ditiæ meæ eſſe cum filijs hominum; ita quæ ab eo ſunt, & ad eundem vltimatè ordinantur, gaudent homini prodeſſe, ad quem videntur etiam quodammodo ordinari. Si cælum interroges: Quid tibi cum homine? fœdus perpetuum, reſpondiſſet, vt die, ac nocte illuminem. Si terram percunctaris, quid germinas? vt ſeruiam homini, dicet. Violenter? Immo ſpontè, & ridens præ abundantia frugum, quibus hominem lætifico. Quid? etiam gratia, gloria, & omnia ſupernaturalia iucundantur eſſe in homine, quoniam naturæ eſt hominum, poſſe illa habere; dumque inſunt, perficiunt naturalem ſpiritum, atque illuſtrant, vt color optimus in facie. Quodcunque ergo illud dixerimus ſemen, ſiue naturale, ſiue ſupernaturale donũ, cadere, hoc eſt appoſitè, & quaſi amote accenſo, & gaudio pleno ad hominem venire.

Prou. 8.

Et venerunt volucres cæli, & comederunt illud. Hoc eſt deſtruxerunt; vt ibi: Iuuenes eorum comedit ignis, qui me comedunt, non dormiunt. Confuſio comedit laborem, & alibi ſæpè. Vt enim comeſtum in ceſſum emittitur, omni pulchritudine amiſſa, & natura ſubſtantiæ tranſmutata; ita ſemina bona, quæ dæmones triturant, & abigunt ab hominibus, in nihilum, velut deſtructa, & comeſta, cadunt. Etenim volucres cæli, qui præſenti in loco deſignantur, neque comedunt cæleſtia, ſed abominantur, neque bibunt aquas ſalutis, ſed execrantur. Attamen quaſi manducaſſent, & bibiſſent, gaudent, vt inuidi nos tantis ac talibus bonis priuari, & vt auidi ad paſtum ea ſubtrahi nobis curant, & perdi. Sed ecce, inquit Gregor. lib. 2. mor. c. 24. Dum bona, quæ agimus ſapientiæ epulis, fideique paſcuntur; hoſtis noſter arantes boues, & paſcentes aſinas ſubtrahit, & pueros gladio occidit. Quid arantes boues niſi grauiores noſtras cogitationes, accipimus? Quæ, dum cor ſtudioſa cogitatione conſiciunt, vberes profectò fructus reddunt. Quid paſcentes intelligimus aſinas, niſi ſimplices motus cordis, quos dum ſtudioſè à duplicitate, & errore compeſcimus, quaſi in campo liberæ puritatis nutrimus? Sed plerumque hoſtis callidus cum graues cogitationes in corde conſpicit, eas ſubintroducta voluptatis delectatione corrumpit, & dum motus ſimplices cordis videt, ſubtilia inuentionum acumina oſtendit, vt dum laus de ſubtilitate quæritur, puritatis ſimplicitas amittatur. Etſi vſque ad opus prauum pertrahere non valet, tentando tamen bonorum cogitationibus ſubrepens nocet, vt cum turbare bona mentis agnoſcitur, ea quaſi funditus abſtuliſſe videatur. Nomine volucrum intelligi dæmones, notum eſt ex interpretatione magiſtri. Cur autem ſic voluerit appellari incertum eſt, cum alij, atque alij diuerſi ſentiant. Quorum ſententijs nunc omiſſis addam, fortè Chriſtum velle ad gentiles alludere, qui dæmones, quos ipſi Deos venerabantur, in volucrum formam apparuiſſe, ac ſæpiùs videri arbitrabantur, iiſque inaugurari. Quorum figmenta Origenes lib. 4. contra Celſum deſtruit. Nec non Cyrillus, & Theodoretus. Vnde hoc quoque (ait Origenes) ſi quid aliud in Moyſe admiratione dignum, exiſtimo, quod conſideratis animalium differentijs, ſine diuinitus edoctus, quid cognationis cum quibuſdam dæmonibus habeant ſingula animalia, ſiue ſuaptè ſapientia perueſtigatis eorum ordinibus, omnia pronuntiauit impura, è quibus præſagia ſumunt Ægyptij, cæterique homines.

Pſal. 71. Iob 30. Ier. 3. Gregor. Origenes. Cyrillus. Theodor.

CAPVT QVINTVM.

Aliud enim cecidit ſuper petroſa, vbi non habuit terram multam, & ſtatim exortum eſt: Quoniam non habebat altitudinem terræ.

Expoſitio. CVm diſpoſuerit ſator terræ plenitudinem ſeminare, vt omnia fructificent, accidit ſuper petroſa ſemen demitti, ac pariter perdi, quod etſi oriatur humectante petra, minimè fructum reddit, quòd radicali humido ſufficiente careat. Non enim ſuper terræ profunditatem radicatur.

Aliud verò cecidit ſuper petroſa. Petroſa, omnes interpretantur, corda impia, quæ obdurantur, ne faciant bonum. Ecquid, nonne corda omnium petroſa ſunt, & duriora adamante ad ea, quæ Dei ſunt? Nonne (ait *Ier. 17.* oraculum) Prauum eſt cor hominis, & inſcrutabile, & filij dura ceruice dicuntur *Exod. 34.* homines? Non diffiteor duro nos corde eſſe, hoc eſt difficiles ad bonum propter legem, *Rom. 7.* quæ regnat in membris noſtris, quæ niſi *Pſal 31.* chamo, & fræno conſtringatur, ducet homi- *Iob. 12.* nem, quo non vult, & errare, quaſi ebrium *Iud. 16.* faciet, ne dicam Samſonem, & Salomonem. *1. Reg. 11.* Sumus, & nos aliquando duri corde, & petroſi, hoc eſt obdurati, qui non ſolum difficulter; ſed nihil omninò agimus, aut parum. Quales meminit Scriptura, fuiſſe Pharaonem, & Iſraelitas, quibus adhuc dici- *Pſal. 94.* tur: Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra: Sicut in exacerbatione, ſecundum diem tentationis in deſerto, vbi tentauerunt me patres veſtri, probauerunt, & viderunt opera mea, qui vt petræ Iordanis potius obdurati ſunt, quàm emolliti. Quare & hos cum reliquis obſtinatis petroſam terram dicito. Significat *Zach. Chryſopol.* petra (ait Zacharias Chryſopol. lib. 2. c. 71. in vnum ex quatuor Euangeliſtis) duritiam proteruæ mentis. Sed quid eſt illud cadere ſecus viã, hoc eſt ſuper petroſa? An non petræ ab agro collectæ, & eiectæ viam faciunt petroſam? Vtique; ſed non omnis via pe- *Ioan 14.* troſa eſt, vtpotè Chriſtus, qui eſt via, ſimul, & veritas, atque vita, circa quem terra conſtituta, vtpotè infideles, ſecundum Theophilum, ſeminantur; ſuper eum verò nihil, quia perfectioni Chriſti non fit additio, licet hæretici dogmatizent, & blaſphement dicentes Chriſtum profeciſſe. Satisfactum eſt tamen aliàs. Via omninò petroſa dæmon eſt, cui omnium peccata imputantur, circa hanc viam, etiam cecidit ſemen, velut ſuper petroſa, cum obſtinati dæmonibus proximi prædicantur. Sed neque ſuper viam petroſam cadit ſemen: Quod dæmones in termino ſint demeriti, & malitiam conſummatam habeant, quæ nullum pœnitentiæ genus recipit. Super petra, quæ in campis reperitur, iacitur ſemen, hoc eſt, malos, qui in Eccleſia ſunt, atque mundo.

Vbi non habuit terram multam. Deni- *Matt. 13.* que terræ datum eſt germinare, & multiplicare ſemen in trigeſimum, ſexageſimum, & centeſimum. Terram autem vocauit Deus hominem, cum appellauit אדם; ſignificat enim rubeſcere, quod eſt terræ. Ergo ne dicemus vnum terram multam, alium non multam, altam, aut non altam; hoc eſt vnum alio meliorem? Si de hominis ſub- *Deffinitio ſpeciei.* ſtantia ſermo ſit, omnes homines ſunt vnus homo, hoc eſt, vnius ſpeciei, ſpecies autem eſt, quæ prædicatur de pluribus ſolo numero differentibus, in eo quod quid eſt; hoc eſt ob quidditatẽ indiniduis illis communem. Quare ſicut ſubſtãtia non recipit magis, aut minus, ita vnus homo, ſecundum quidditatem, non eſt altero maior, ſeu melior. Hæc enim de accidentibus ſignificãtur, & qualitatibus, quę hominibus inſunt. Hoc eſt, propter dona, & cõplexiones corporis, magis, vel minus diſpoſitus eſt qs ad opus peragẽdum, & fructificandum, iuxtà virtutẽ ſuam.

Et ſtatim exortum eſt. Per recordatio- *Zach. Chryſopol.* nem tantummodo (ait Zacharias) non per efficaciam. Nam qua facultate leuis corde *Pſal 36.* credit, diſcredit, velut fœnum, quod velociter areſcit, & tanquam olera herbarum, quæ citò decidunt. Caſus enim malorum feſtinanter venit, & amicorum, atque glo- *Pſal. 77.* riæ; & diuitiæ cum feſtinatione tranſeunt. Vidi impium ſuperexaltatum (dicebat ille) & eleuatum ſicut cedros Libani, & tranſiui, *Pſal. 36.* & ecce non erat, & quæſiui eum, & non inuentus eſt locus eius.

Quoniam non habebat altitudinem terræ. In græco eſt καὶ διὰ τὸ μὴ ἔχειν βάθος γῆς propter non habere profunditatem terræ. Cui Syriaca tranſlatio conſonat habens: Quoniam non erat profunda terra. Profunditatem autem terræ, ego humilitatem dico, cuius defectu, ſtatim exoritur ſemen ſuſceptum. Quoniam præſumens, & multo ſibi tribuens animus, quàm primum audit bonum, ſtatim proponit, & multa cogitat facere, & antecedere exercitatiſſimos quoſq; in abſtinentia, & vitæ ſanctitate, ne dicam *Prou. 30.* æquare. Eſt generatio, cuius excelſi ſunt oculi, & palpebræ in alta ſurrectæ, more piſcium, qui apertis oculis ſemper incedunt, *3. Reg. 22.* & vt Sedechias ferrea portant cornua, plura, quàm oporteat, ſibi arrogantes. Ideoque ſuperbum ſequitur humilitas, & humilem ſpiritu ſuſcipiet gloria. Nam audiens ipſe verbum, etſi deſideret implere, dubitat ſi poſſit, orat Deum, obſecrat Sanctos, & ſingulis momentis poſtulat ſibi concedi adiutorium, dari perſeuerantiam, & cuſtodiam contra hoſtem, ne opus inceptum dimittere cogatur. Huic licebit dicere:

Ego

Pſal. 51. Ego autem, ſicut oliua fructifera in domo Dei, ſperaui in miſericordia Dei in æternum. Illi vero, qui diligit verba præcipitationis, & arrogantiæ, dicetur: Ecce autem *Ibidem.* homo, qui non poſuit Deum adiutorem ſuum. Sed ſperauit in multitodine diuitiarum ſuarum, & præualuit in vanitate ſua, hoc eſt, in ſuperbia, quæ eum deiecit à ſancto propoſito ad ſummam malitiam, & calamitatem; euellit enim eum Dominus, emigrat de tabernaculo ſuo, & de terra viuentium eradicat, quoniam humilitatis profunditatem non habet. Nota, in vulgata defectum humilitatis notari, pro non habere altitudinem terræ, vt confundat ſuperbiam, quæ putat in humilitate conſiſtere vilitatem, cum re vera nihil altius humilitate, qua nihil præſtantius, neque vtilius, cum Deum altiſſimum, & ducem, atque finem habeat. Igitur humilis, ſublimis eſt valde, qui ſuperbus eſt, non habet altitudinem, neque ſublimis eſt, ſed miſer, & miſerabilis, cæcus, nudus, pauper, & clau- *2. Reg. 19.* dus vtroque pede, vt Miphiboſet qui regem in humili ſtatu ſequi non valet.

CAPVT SEXTVM.

Et quando exortus eſt ſol, exæſtuauit, & eo quod non habebat radicem exaruit.

Expoſitio. EN finem iacti ſeminis ſuper petroſa, æſtuari, & areſieri, æſtuatur ad calorē ſolis; areſit, quod radice careat, duplicem ergo cauſam infructuationis licet in eo contemplari, vnam extrinſecam, vtpotè ſolis ardorem, & intrinſecam aliam, radicis, inquam, defectum.

Et quando exortus eſt ſol, exæſtuauit. Sol oriens, ne dicam plantis, ſed & hominibus, vitam largitur, eos augmentat, & conſeruat, & æſtus ſolis proficit vitibus, oliuis, & ficubus, & aromaticis plantationibus. Quid? etiam infirmis hominibus opem fert, & ſalutē, quomodo ergo perit ſemen, quod æſtuat? Vt infra Magiſter exponit; ſemen eſt verbum Dei, hoc continuo creſcit ſolis iuſtitiæ ardoribus, & influxibus bonis, dummodo virtutem, quam Deus infundit, valeant ſuſtinere: vt potè abſtinentiam, orationem, & quæque religionis, ac pietatis officia; ad quæ verbum diuinum, per continuam Dei aſſiſtentiam, inſtigat, & mouet animum, qui non valens tantam Dei efficaciam ſuſtinere, neque pro debilitate operari, illud euomit; vt accidit his, qui pauonis carnes, atque perdicis nequeunt digerere. Itaque magnitudo influxuum, qui Dei verbum concomitantur, æſtum generant in puſillanimo, vt patiantur aborſum.

Et eo quod non habebat radicem, exaruit. Hæc eſt intrinſeca cauſa perditionis ſeminis. Radix autem fructus omnis, eſt charitas. Hæc eſt, quæ operatur omnia in omnibus, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet, *1. Cor. 13.* quod enim cordi eſt ſanguis circūſtans, quo viuit cor primum, deinde totum animal; hoc idem eſt animæ charitas, qua viuit per fidem viuam, & per virtutes alias ſingula eius opera viuificantur. Vt eam non incommodè fluuium dicamus, qui arbores propè plantatas facit mirificè germinare, & per ſingulos menſes fructificare.

CAPVT SEPTIMVM.

Et aliud cecidit in ſpinas, & aſcenderunt ſpinę, & ſuffocauerunt illud, & fructum non dedit.

HAbet & tertia pars ſeminis incommodum, *Expoſitio.* quo fructuum multiplicatione priuetur. Illud autem ſunt ſpinæ, quæ videntur natura ſua optimis ſeminibus inimicari. Vnde neque volucribus, neque ſolis ardoribus, aut alio extrinſeco impeditur huius ſeminis fructus, ſed ſpinis ipſis, quæ intercipiunt ſemen.

Et aliud cecidit in ſpinas. Quid ſpinarum nomine intelligendum ſit, habemus ex magiſtro. Verum cur potius ſpinis pungentibus, quam florentibus, diuitiæ comparentur, non ſatis conſtat omnibus, ijs potiſſimū, qui dicunt: Coronemus nos ro- *Sap. 2.* ſis; qui ducunt in bonis dies ſuos, neque in *Iob. 21.* laboribus hominum ſunt. His flores ſunt *Pſal 71.* diuitiæ, non ſpinæ; attamen ſecundum carnem: *Similes enim habent labra lactucas*, & caro, qua nihil moleſtius, in diuitijs mundi huius; quæ verè ſpinant, delectatur. Tametſi addant amicos plurimos, curas *Moleſtia diuitiarum.* quoque multiplicant, quæ non ſinunt eos dormire, & tantam ſæpè moleſtiam afferunt, vt ad paleſtram inter ſicarios, & gladiatores videantur conſtitui, & fieri ſupra fumum clauus. Nam vanitas vanitatum eſt, mundi huius ſubſtantia, ſed auaro clauus eſt perforans, ne dicam animum vitijs, ſed corpus pluries anguſtiat, & moleſtat ſpinis, tribuliſque deſerti.

Et aſcenderunt ſpinæ. Siquidem mala herba cito creſcit, eoque facilius, & diligentius euellitur, & inflammatur. Igitur ne timueris, cum diues factus fuerit homo, *Pſal 48.* & cum multiplicata fuerit gloria domus *Pſal. 106.* eius. Et ſi aſcendant vſque ad cælos, de- *Pſal. 48.* ſcendent vſque ad abyſſos, neque deſcen- *Pœna diuitum.* det cum eis gloria eorum. Sed ſub eis erūt vermes, qui cum rodere cæperint, non dor- *4 Reg. 21.* miēt. Erunt enim in vaſtitatem, & rapinam *Iſai. 3.* cunctis aduerſarijs ſuis. Nam pro ſuaui odore fætor, quem oderant eis inerit, cilicium

licinm pro byſſo,& in locum ebrietatis, & crapulæ, ſitim, & eſuriem ſuſtinebunt.

Vrgil. l.6. Aeneid. *Diſcite iuſtitiam moniti,& non temnere diuos*
Vendidit hic auro patriam,dominumque potentem
Impoſuit,fixit leges prætio,atque refixit.

Quid? Etiam venalem habet animam ſuam,eamque deuouet dæmonibus auarus, vt diuitijs potiatur, & aſcendat ad mundi faſtigia. Vnde infelix velut collecta ſpina ad inferos deijcitur.

Et ſuffocauerunt illud. Propter vmbram, quæ radios ſolis viuificatrices impedit, ne ſemen viuificent, & incrementum debitum perducant. Tria ex hijs mala colligamus, quæ videntur auaris ineſſe, iuxta ſpinarum ethymologiam. Harum enim vmbra nocet ſatis, aculeus accedentibus, & vilitas eas efficit ignis pabulum. Hoc poſtremum auaris ſeruari dictum eſt. Secundum experientia demonſtrat, cum neque vidnis parcant, neque pupillis. Primum omnium ſæpè legimus accidiſſe, ſata, hoc eſt ſancta propoſita, dæmum ob auaritiam, & abundantiam dinitiarum perijſſe, & à ſtatu religioſo declinaſſe. An non etiam tàm peſtifera vmbra obumbrati integri ſtatus Religioſorum abſumpti ſunt? Ergo melior eſt pauper ambulans in ſimplicitate ſua; quàm dines in prauis itineribus. Prou. 18.

Et fructum non dedit. Non quidem defectu naturæ ſeminis. Eſt enim bonum, neque vacuum intrinſecus, neque extrinſecus alligatum folliculis, quibus germen marceſcat. Eſt granum purum excuſſa palea. Ergo alterius vitio accidit infructuoſitas. Sed quid eſt,quod corroſa mundi ſemina,& malæ ſuggeſtiones in immenſum fructificant, vtpotè hæreſis, & omne vitium, atque vanitas; integrum autem Dei ſemen, non dat fructum in omnibus, immo verò vix in paucis, vt fert eius conditio, fructificat? Quoniam,vt bonum ex integra cauſa, ſic neque bona multiplicat, niſi ex integris, & multiplicatis concurrentibus cauſis. At malum ex vnoquoque defectu, qui cum in pluribus dominetur, poteſt in his omnibus penè malum, cui autem aperimus, multiplicari. Exempla nota ſunt: Conduceret tamen ſæpe tantæ cladis recordari, ſi fortè inter Æyptios,& in medio Babylonis, daretur nobis cantare: Anima mea in manibus meis ſemper, & legem tu non ſum oblitus. Pſal. 118. Poſuerunt peccatores laqueum mihi, & de mandatis tuis non errauí. Vt nauis,quæ ſuperatis vndis, non ſubmergitur, ſed optimo directore ad portum transfretat, & venit ad ciuitatem, quæ ædificata eſt, & poſita in loco campeſtri,& plena omnium bonorum;introitus antem eius anguſtus, & in præcipiti poſitus, habens à dextris ignem, & à ſiniſtris aquam 4.Eſdr.7. altam. Hæc eſt illa Hieruſalem, à cuius ſemita, qui declinauerit, ſiuè per exceſſum, ſiue per defectum igni traditur, & aquis niuium.

CAPVT OCTAVVM.

Et aliud cecidit in terram bonam,& dabat fructum aſcendentem,& creſcentem,et afferebat vnum triginta,vnum ſexaginta, & vnum centum.

Expoſitio. MVltiplicentur,quantum volent,ſpinæ, & ſuperent areuas maris, & guttas, qui malignè loqũntur, & agunt peruerſa; præualebit vnius ſtellæ ortus, & oriens mundo Lucifer vincet tenebras malignantium; valet enim ſemen in bonam terram demiſſum, multiplicari in triginta, ſexaginta, & centũ. Hon enim, tantam aſſequi bonitatem poteſt qni non accepit in vano animam ſuam: Pſal. 23. Neque gratiam ſeminis vacuam retinet, ſed iugiter tota die,ac nocte negotiatur, vt fructum plus afferat ipſe ſolus, quàm peſtiferi omnes malitiam oſtentant.

Et aliud cecidit in terram bonã. Vel [illegible] hoc eſt pulchram, vt transfert Pagninus, qua animam intelligi certum eſt. Dicitur autem bona, ſecundum naturã, iuxta illud: Vidit Deus cũcta, quæ fecerat,& erant valde bona. Nam bonum illud eſt, inquit Auerroes, quod eſt actu. Secundum Theologos verò,quod Deum, qui actus eſt ſimplex, & purus participat,vel in ratione veſtigij, vt creata omnia, vel in ratione ſimilitudinis,vt rationalis natura, vel in ratione imaginis, vt homo; de quo opifex eructauit. Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. Gen.1. Itaque homo eſt bonus, & eius anima pariter bona, in cuius potentijs, vel vt alij opinantur, in potentiarum actibus, ratio imaginis Dei,& Trinitatis fundatur. Pulchram verò dicerem ob ornamenta, qnibus eam ab initio in naturalibus, nec non ſupernaturalibus decorari voluit; iuxta illud: Deus creauit de terra hominem, & ſecundum imaginem ſuam fecit illum. Eccl. 17. En naturam: Et iterum conuertit illum in ipſam per dona,ſcilicet, naturalia,infuſa tamen primo parenti,& ſecundum ſe, veſtiuit illum virtutẽ, hoc eſt, gratia ſupernaturali,cuius eſt capax natura, ſitque in dies capacior vſu optimo naturalium, omnino autem pulchreſcit poſſeſſione, & exercitio cæleſtis doni,vt audire mereatur. Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te. Cant.4. Vtcumque dum corpus informat, corporis idiomata accipit,diciturque terra. Corpus enim formauit Dominus de terra. Igitur quaſi ingreſſus in hæreditatem amplam vxoris, & regnum

Quare aliquid dicitur bonum.

Vnde anima bona? vnde pulchra?

gnum, cognomen familiæ vxoris accipit, ſuppreſſo interim proprio ; hinc vates. *Hier. 22.* Terra, terra, terra audi ſermonẽ Domini, auditus enim eſt animę, audit tamen in corpore terreno. Nihilominus bonitatem, & pulchritudinem non amittit, ſed auget, quoties ad eum cadit ſemen cæleſte, & fit continuo ſapientior coram Deo, & hominibus, *Eccl. c 5.* audiens verbum Dei. Obuiauit enim illi, quaſi mater honorificata, & quaſi mulier à virginitate ſua ſuſcipiet illum. Deus *Ibidem* autem Quid? Cibabit illum pane vitæ, & intellectus, & aqua ſapientiæ ſalutaris potabit illum, & firmabitur in illo; & non flectetur; & continebit illum, & non confundetur, & exaltabit illum, apud proximos ſuos, & in medio Eccleſiæ aperiet os eius, & adimplebit illum ſpiritu ſapientiæ, & intellectus, & ſtola gloriæ veſtiet illum. Hæc inter multa, & penè innumera, quæ cadens ſemen ſuper terram bonam, operatur, dicta ſint, vt curemus nos agrum noſtrum exercere, & quantum in nobis eſt, terram bonam fieri, quoniam Dij facientes adiuuant, inquit Varro. & Homerus.

Var. lib. 1. de re ruſtica.

Hæc partim ipſe tuo perpẽdes pectore tecũ
Partim aliquis diuum ſuggeret.

Et dabat fructum aſcendentem, & creſcentem. Hoc eſt (ait Arias Montanus in Marc.) non æqualem in omnibus, ſed pro ſoli ratione varijs gradibus auctum, ita vt idem ſemen eiuſdem generis, in alio loco terræ trigeſimum, in alio ſexageſimum, in alio centeſimum, etiam ferret, pro terræ ipſius vario ingenio, & cultu, nam cultura multum facit ad fructus percipiendi copiã, & præſtantiam, videat vnuſquiſque quemadmodum propiam terram præpare, & co- **Varie ſemen fructificat.** lat. Syriaca tranſlatio dilucidat textũ melius, ſic legens: Aſcendit, creuitq. & addidit fructum. Noſtra vulgata habens; dabat fructum aſcendentem, & creſcentem, minuit fructuum varietatem, quam efficit bonum ſemen, vt alij ſint aſcendentes in altum, & alij creſcentes in latus. Et quidem ſic eſt. Nam eodem ſuſcepto Dei verbo, **Nunc in contemplationẽ** quidam in contemplationem proficiunt, & aſcenſiones fiunt in cordibus eorum. Vt ſint quaſi palmes, quæ vnicum ſibi retinentes ſemen ad ima continuò aſcendunt: Et ſicut virgula fumi ex aromatibus myrræ, & vniuerſi pulneris pigmentarij, repe- *Cant. 3.* tentes ſedulò: Dominus pars hæreditatis *Pſal. 15.* meæ, & calicis mei, tu es, qui reſtitues hæreditatem meam mihi. Funes ceciderũt mihi in præclaris, etenim hæreditas mea præclara eſt mihi. Alij vero poſtquam Dei verbum ſuſceperunt in latus creſcunt, **Nunc in opera charitatis** & dilatantur ad opera charitatis, & actiones, quibus proximum iuuant, fratrem ædificant, & inter homines augere merita, & cumulare operibus bonis ſtudent; ſeu vt *Pſal. 14.* oraculo vtar. Qui iurat proximo ſuo, & non decipit, qui pecuniam ſuam non dedit ad vſuram, & munera ſuper inocentem non accepit, ſed eſurientem pauit, nudum veſtiuit, reduxit errantem, & correctione fraterna lucratur fratrem ſuum, vt non diſſimilis ſit illi, qui inter petras, & ſpinas agri theſaurum quæſiuit; nec non alteri qui fratres in Dothaim inuenit. *Gen. 37.* Itaque fructus optimi ſeminis, prima partitione in aſcendentem, & creſcentem diſtribuimus, hoc eſt, contemplationẽ, & actionem. Hæc enim creſcit in merito; illa aſcendit in palmam, vt apprehendat fructus eius, & guſtet in *Pſal. 33.* terris, ſi poteſt, quàm ſuauis ſit Dominus.

Et afferebat vnum triginta, vnum ſexaginta, & vnum centum. Iuxta agricultræ artem, poteſt interpretari dupliciter; videlicet de culmo, & ſpica: Namque tanta eſt aliquando vis ſeminis in optimo agro, vt vnum ferat triginta culmos, & culmus triginta ſpicas, & ſpica triginta grana, vel ſexaginta, vel centum, vt habet littera; & ſpiritus ſimile augmentum, ſed ſpirituale, in animis fidelium, creditur fieri. *Gannaius.* (ſicut enim notat Gannæius) pereuntium tres aſtruit differentias, inanes iuxtà viam, puſillanimes in locis petroſis; & auaros inter ſpinas; ſic in ſaluandis, tres alias deſignat: Incipientium, proficientium, & perfectorum; ſiue nuptarum, viduarum, & virginum, velut Zacharias proſequitur. *Zacharias* Sicut enim in terra mala, tres fuere diuerſitates, ſic in terra bona tres. Alius enim bonus eſt, alius melior, alius optimus, cũ denarius numerus pro perfectione ſoleat accipi, quia in decem præceptis legis cuſtodia continetur. Centenarius qui per multiplicatum denarium ſurgit, pro magna perfectione ponitur. Terra ergo bona, fructu centuplo fæcundatur, quando mite cor, & docile per amorem proximi, actiuam; & per amorem Dei, contemplatinam adipiſcitur viam, & ſpiritualium ornatur perfectione virtutum. In ſenario autem numero, quia mundi ornatus expletus eſt, congruè perfectio boni operis; in adimpletione decalogi, ſexageſimus fructus intelligitur: triceſimus verò fructus eſt, in fide ſanctæ trinitatis impletio legis. Ad hæc angelicus Thom. *S Thom.* 1. 2. q. 70. a. 3. ad 2. dicendũ quod fructus centeſimus, ſexageſimus, & trigeſimus non diu diuerſificantur ſecundum diuerſas virtuoſorum actuum ſpecies, ſed ſecundum diuerſos perfectionis gradus, etiam vnius virtutis, ſicut continentia coniugalis dicitur ſignificari per fructum trigeſimum, continentia vidualis per fructum ſexageſimum, virginalis autem per centeſimum. Et alijs etiam modis Sancti diſtingunt tres euangelicos fructus, ſecundum tres gradus virtutis, & ponuntur tres gradus, quia cuiuſlibet rei perfectio attenditur, ſecundum principium, medium, & finem.

CAPVT NONVM.

Et dicebat: Qui habet aures audiendi, audiat.

Expoſitio. NOuam poſtulat attentionem, & audire omnes, quæ in proxima parabola enarrauit, ſed diligentius multò, quàm audita ſunt, iubet penſitare, animoque reuoluere, quid ſibi iſta velint, quæuè myſteria obuoluant, quibus quotus valeat ædificari, & in bono proficere. Hæc namque eſt attentio, quam magiſter noſter à nobis requirit.

Et dicebat. Animo ſcilicet proficiendi omnibus, ne in vanũ ſalutifera verba abirent neque alicuius mens, abſq. fructu eſſet. Ideò, poſt narrationem parabolæ, iterum dicit ſalubre conſilium, quaſi poſt iactum ſemen, abigere volens auiculas, quæ ad deuoranda grana circumuolitant. Neminem enim vult perire, ne dicam hominem, ſed ne quidem, quæ ab homine ſunt, & valent homini quocumque modo prodeſſe.

Qui habet aures audiendi audiat. Vbicumque hæc admonitio interponitur (notat Zacharias Chryſop) myſticum eſſe, & attentius quærendum oſtendit, quod dicitur. *Zacar. Chryſop.* Igitur qui habet aures cordis, ideſt intelligentiam mentis, audiat, hoc eſt; ſpiritualiter hæc verba intelligat. Huiuſmodi *Apoc. 2.* autem prænominatione vtitur Chriſtus, & Angelus in Apocalypſi non vt penetremus tantùm myſteria, ſed impleamus, & operemur quæ præmiſſis inſinuantur. Cum enim tantum vult myſteria rimari, ait; intelligite, cognoſcite, ſcitote, videte, & nonunquam audite, & intelligite. Nam auditus eſt ſenſus diſciplinabilis, non tàm mores iuuans, quàm ſpeculationem, contrahitur verò ad ſpeculationẽ, per intelligite, ſcitote, & ſimilia, quæ mentẽ iuuant. Mores verò operandos notat in reduplicatione auditus, vt hic, qui habet aures audiendi, audiat. Nam mores ſunt, qui in optimis diſciplinis, & à viris magiſtris quæruntur, diriguntque diſcipulorum auditus, & ſtudia. Siquidem non faciens, tametſi doctus, ſciolus appellabitur à philoſophis, noſter verò *Matt. 5. Ioann. 8.* magiſter minimum eum fore in regno cælorum atteſtatur, & teſtimonium eius verum eſt. Ergo audite, intelligite, & erudimini, qui aurem habetis, neque huius anti- *Eccl. 39.* qui dierum ſublimis narratio vos prætereat. Cunctorum enim ſeniorum narrationem continet, & inuolnit parabolarum omnium intelligentiam, quæ ſalutem operatur.

CAPVT DECIMVM.

Et cum eſſet ſingularis, interrogauerunt eum hi, qui cum eo erant duodecim, parabolam.

ERexerunt aurem Apoſtoli ad animaduerſionem Chriſti, cumque ſecum *Expoſitio.* cæpiſſent cogitare, quid ſibi velit parabola, neque valerent penetrare, magiſtrum adeunt, interrogant, & edoceri plenius poſtulant, ne quid fortè eos lateret eorũ, quæ audierant, neque aliquid omitterent ſalutiferum, quo poſſent animæ ædificari. Nam ſapientia ædificabitur domus, & prudentia *Prou. 24.* roborabitur.

Et cum eſſet ſingularis. Græcus textus habet ὅτε δὲ ἐγένετο καταμόνας cũ autẽ factus eſſet ſolus, nõ quidẽ ſolus, vt ſolent alij, qui ſe à turbis ſequeſtrant, ſiue ad montem Soractè, vt Sylueſter, ſiue ad montem Nitriæ, vt Antonius, ſiue ruri habitant, vt Longinus, ſiue domi ſoli in vrbibus degunt, vt Iuo; ſiue in monaſterijs, quantum poſſunt, ſua ſoli agunt. Non ſic Chriſtus, ſed vt explicat vulgata lectio, ſingularis ſolus. Quia inquit, ſingulariter ſum ego, donec tran- *Pſal. 140.* ſeam. Quid ſingulariter? Hoc eſt difficillimum, quod Salomonem deterreret, ſingulariter enim ſolus erat Chriſtus, donec è mundo ad patrem tranſiret, vt Aquila in cælo, quæ ſuperat volatu omnes aues, & intuentium oculos excedit; vt vir in adoleſcentula, cuius mirabile nouum extitit or- *Prou. 30.* bi cæleſti, & ſub cæleſti; vt nauis in medio maris, nullum ſuæ ſtationis, & accubitus veſtigium relinquens. Horum omnium ſingularitas tanta in Chriſto extitit, vt ſolus hac in parte factus ſit, abſque ſocio. Verum qualis, & quanta ſingularitas iſta cenſenda ſit, inditio maiorum relinquo, à quibus cupio edoceri. Coniector enim ſingulare omne, hoc eſt præcioſum, pulchrum, & tranſcendens Chriſto ſoli conceſſum, vt ſecundum non admittat, neque poſſit ei alius ſociari, niſi fuerit Deus cum eo. Verum qui quodammodo ſingularitatem Chriſti ſub illis quatuor dificillimis optat contemplari, conſulat Galatini arcana, vel vt melius *Pſal. 63.* loquar, aſcendat ad cor altum.

Interrogauerunt eum hi. Hi, inquam, qui doctores iuxtà cor magiſtri futuri erãt, & paſcere plebem debebant ſcientia, & doctrina, vt veri paſtores, nunc herba, nunc ſale curantes, oues impinguari, & effici, ſi- *Cant. 4.* cut greges tonſarum, quæ aſcenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & ſterilis non eſt inter eas. Hoc eſt inter Sanctos, ſed ſi fieri poſſet, vt eſſent ſicut Angeli Dei, qui ſpoliati affectu, & veſtiti munditia, fœcundantur iugiter amore duplici in

Deum,

Matt. 18. Deum, cuius faciem ſemper vident, & adorant; ac proximum, quem cuſtodiunt in omnibus vijs ſuis. Huc ergo cum tendant horum ſtudia interrogauerunt magiſtrum, vt ſufficientiam ſibi compararent. Eandem curam reliquerunt ſucceſſoribus Epiſcopis, (Interrogandũ eſt, quod neſcitur.) vt diligenter, quæ neſciunt, interrogent. Hinc Clem. Rom. epiſt. 3. ad Iac. fr. Dom. (*Clemens lib. d.39.c. null.*) Nullus Epiſcopus propter opprobrium ſenectutis, vel nobilitatis generis, à paruulis, vel minimis eruditis, ſi quid forte eſt vtilitatis, aut ſalutis, inquirere negligat. Qui enim rebelliter viuit, & diſcere, atque agere bona recuſat; magis diaboli, quàm Chriſti membrum eſſe oſtenditur, & potius infidelis, quàm fidelis monſtratur. Vnde (ſubſcripſit Gratianus) quidam in Epiſcopum (*Greg. lib. 8. epiſt. 40. Gratianus. 24. q. 3. ſi quis. Auguſt.*) electus à beato Gregorio pro ſua ſimplicitate repellitur, ne eius occaſione res Eccleſiæ dilapidarentur. En ergo (ait Aug. ad Auxilium Epiſcopum epiſt. 75.) adſum ſenex à iuuene coepiſcopo, & Epiſcopus tot annorum à collega nondum anniculo paratus ſum diſcere, quomodo vel Deo, vel hominibus iuſtam poſſimus reddere rationem.

Qui cum eo erant duodecim, parabolam. Erant enim familiares, & amici, & ex omnibus diſcipulis electis, ad maiora ſubeunda negocia. Ec quid? neque vnus inter duodecim magiſtrum percipiebat? minimè: Erant enim adhùc ſenſu hebetes, & mente inculta. Adde: Quod nec dum Chriſtus clauem myſteriorum applicauerat. (*Apoc. 3.*) Claudit vtique is, & nemo aperit; aperit, & nemo claudit. Cum ergo aperuit ſenſum, vt intelligerent ſcripturas, (*Ioann. 16.*) aperti ſunt quoque oculi eorum, & mentes exacuatæ ſunt, vt cuncta eſſent illis facillima, ac dicerent: Nunc ſcimus, quia ſcis omnia, palam loqueris, & prouerbium nullum dicis. Itaque eſſe cum Ieſu, audire Ieſum, communicari inter duodecim, & habere gradum doctoris, aut ſalutari Epiſcopum, non facit hominem ſcire omnia, quæ audit, aut videt, quæue ſunt officij, & gradus. Adhuc mihi videntur tria homini deeſſe, vt cum Ieſu proficiat. Docilitas, voluntas, & diligens ſtudium.

His poſitis non ſe denegat magiſter paruulis, ſed quæcumque (inquit) (*Ioann. 15.*) accepi à patre, nota feci vobis. Eſto ergo ò homo manſuetus ad audiendum verbum Dei, vt intelligas, (*Eccl. 5.*) & cum ſapientia proferas reſponſum verum.

CAPVT XI.

Et dicebat eis. Vobis datum eſt noſſe myſterium Regni Dei, illis autem qui foris ſunt in parbolis omnia fiunt.

Itaque doctor paruulorum, qui Euangelizat Sion, neque ſe, neque ſua denegat (Expoſitio.) his, qui humiliter quærunt, & appetũt vtilia diſcere. Quoniam his datum eſt Regni myſteria agnoſcere, vt qui Regnicoli, ſeu potius Reges, & Regale ſacerdotium. Alijs verò qui extorres ſunt à Regno, & exules, & vt verè loquar, hoſtes, qui obſident regiam, & Regis aulicos expugnant, & eligunt potius foris cum beſtijs viuere ſub dio quàm intra Eccleſiam conſiſtere, & cum ciuibus ſacræ vrbis ciuiliter conuerſari: his, inquam, abſconduntur omnia, & in parabolis proponuntur, & fiunt. Quoniam nullam veritatem, ſed figmentum in parabolis contemplantur, neque ſubeſſe parabolis aliquid imaginantur, quod poſſit eos ædificare. Quo fit, vt cum oſſe medullam ſpernant; neque aliquid ducant caſtaneam, vt canes, viſis ſpinis.

Et dicebat eis. Quæ animus eorum optabat, & quæſierant diligenter, & humiliter poſtularant ſibi reuelari. Fortè ne his tantum? Et vniuerſis, qui Chriſtum ad eundem modum interrogabunt, ſimilia dicet. Scribitur enim: Si ſapientiam inuocaueris, (*Prou. 2.*) & inclinaueris cor tuum prudentiæ: Si quæſieris eam, quaſi pecuniam, & ſicut theſauros effoderis illam, tunc intelliges timorem Domini, & ſcientiam Dei inuenies, quia Dominus dat ſapientiam, & ex ore eius prudentia, & ſcientia. Hæc eſt mel, illam imaginato ceram, quam melliflua apis offert Ionathæ, (*1 Reg. 14.*) ſi tamen ad fauum extenderis virgam. Ecquid virga, niſi mens, poſtulatio, interrogatio, & humilis deprecatio? Ergo interroga, & dicet tibi. (*Deut. 32.*)

Vobis datum eſt noſſe myſterium Regni Dei. Hoc eſt (ſcribit Arias Montanus) Arcanum illud conſilium Dei, cuius expoſitio continet veram diſinitionem Regni Dei, quod nulla ſapientia, aut ſcientia humana excogitari poſſit, niſi à Deo ſignificetur, & etiam ratio, qua peti, initiq. poteſt hoc Regnum, & ſacrorum librorum oracula, & ſententiæ, quibus hæc ratio continetur omnis, & ſimilitudines ad hoc myſterium facientes, tàm ex natura, quàm ex arte, & conſuetudine petitæ. Hæc omnia vobis agnoſcenda, contẽdit Deus, & exemplificanda proponit vobis diſcipulis, qui verè, & ex animo diſciplinæ meæ operam dare ſtudetis, veritatemque cognoſcere cupitis, vt declarat poſtulatio, interrogatioq.

vestra

Digitized by Google

veſtra. Et cur datum? Quoniam miniſtri eſtis regni illius. Ergo ſi datum eſt, vel permiſſum, vel mandatum; vtrumque quidem, permittitur ex liberalitate Dei, & homuncio introeat in potentias Domini, & perſcrutetur ſecreta Dei; mandatur autem ratione officij quod committit. Vnde definimus omnem (ait Syno. cap. 2.) qui ad Epiſcopatus prouehendus eſt gradum, modis omnibus pſalterium noſſe, vt ex hoc, & omnis clerus, qui ſub ipſo fuerit, ita moueatur, & imbuatur. Inquiratur autem diligenter à Metropolitano; ſi in promptu habeat legere ſcrutabiliter, & non tranſitoriè, tàm ſacros canones, & ſanctum Euangelium, quàm diuini Apoſtoli librum, & omnem diuinam ſcripturam, atque ſecundum mandata Dei conuerſari, & docere populum ſibi commiſſum. Subſtantia enim ſummi ſacerdotis noſtri, ſunt eloquia diuinitus tradita, ideſt, vera diuinarum ſcripturarum diſciplina, quemadmodum magnus perhibet Dionyſius. Quia ignoratio ſcripturarum (ait Hieronym. in proemio in Eſaiam ad Euſtochium) ignoratio Chriſti eſt. Quomodo ergo miniſteriū aget Chiſti, qui ignorat Chriſtum? Quare (inquit Zozimus Papa ad Epiſcopum Salonitanū) qui Eccleſiaſticis diſciplinis per ordinem non eſt imbutus, & temporum approbatione diuinis ſtipendijs eruditus, nequaquam ad ſummum Eccleſiæ ſacerdotium aſpirare præſumat, & non ſolum in eo ambitio ineſficax habeatur; verum etiam ordinatores eius careant eo ordine, quem ſine ordine contra præcepta patrum crediderant præſumendum. Itaque *datum eſt* Epiſcopis, qui locum Apoſtolorum tenent, *noſſe myſterium Regni*, hoc eſt, præceptum, & mandatum iure officij ſcire, ſcripturam, & canones, atque alia quæ ad Chriſti regnum faciant, poſſidendum, & defendendum. Parati enim eſſe debent rationem reddere hæreticis, & infidelibus, & fidelibus ſolidum cibum conferre, quo valeant ad regnum pergere.

Pſal. 70.

d. 38 c. omnes ſicut ſtellas.

Dionyſ. c. 1. Eccl. hier.

Hieroym. d. 36 c. qui Eccleſiaſt.

Illis autem, qui foris ſunt. Hoc eſt, non in naui mecum, exponit Gloſſa interlin. cui Gloſſam aliam oporter addi paulo conſonam; qui quæ foris ſunt non curanda à fidelibus, hortatur; hoc eſt, de his, qui non ſunt de Eccleſia. Hi autem ſunt, qui cum Chriſto in naui, hoc eſt, in Eccleſia, non habitant. Verum quinam de Eccleſia cenſeri debeant, non conſtat. Ioann. Huz. qui in primo articulo condemnato à patribus, Concilij Conſtantienſis, dixit: Vnica eſt ſancta vniuerſalis Eccleſia, quæ eſt prædeſtinatorum vniuerſitas. Et infra. Vniuerſalis Eccleſia tantum eſt vna, ſicut tantum eſt vnus numerus prædeſtinatorum. Quare ſecundum eum præſciti, ſiue reprobi, qui fidem habent, & quandoque gratiam, non ſunt de Eccleſia. Item qui in hæreſi iacent, aut paganiſmum ſequuntur, inter Eccleſiæ membra cenſentur, ſi fuerint prædeſtinati. At neque vnum, neque alterum verum eſſe, ſed vtrumque falſum, & ſummum errorem, multis perſuaderi poteſt, pariterque concludere articuli damnationem iuſtiſſimè factam; paucis tamen aperiā: Ait enim Chriſtus: Omnem palmitē in me non ferentē fructum, tollet eum. Ergo eſt aliquis in Chriſto & in eius Eccleſia, qui fructū non ferat, hoc eſt qui malè agat, vt Iudas, propter quē dixit: Vos mundi eſtis, ſed non omnes. Vt enim in magna domo, ſecundū Apoſtolum, ſunt non ſolum vaſa aurea, & argentea, ſed & lignea, & fictilia, & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam. Ita inter membra Eccleſiæ bonos, & malos annumeramus. Eſt enim Eccleſia ſagena miſſa in mari, quæ piſces bonos, & malos congregat. Eſt cætus virginū, qui ex ſapiētibus, & inſipientibus conſtat. Et eſt nuptiarum conuiuium, in quo vnus reperitur, non habens veſtē nuptialem, propter quem ait per vatem Chriſtus: Et ſi is, qui oderat me, ſuper me magna locutus fuiſſet, abcondiſsē me forſitan ab eo; tu verò homo vnanimis, dux meus, & notus meus, qui ſimul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulauimus cum conſenſu. Deteſtantur Chriſtum, qui foris ſunt: ſupplantant verò qui ſub nomine Chriſtiani peruersè agunt. Inde dictum eſt. Erunt duo in agro, in domo, in molendino, vnus aſſumetur, & alius relinquetur, quia fidelium boni ad Regnum aſſumētur, relinquuntur malj dæmonijs. Non enim ſciunt, quia foris ſunt. At qui ea, quæ Dei ſunt neſciunt (ait Greg. in paſtorali par. 1. cap. 1.) à Deo neſciuntur. Paulo atteſtanre, qui ait: Si quis ignorat, ignorabitur. Vt Ioann. Huz. & qui cum eo ſentiunt, neque verentur vnitatem Eccleſiæ, quæ ex bonis, & malis fidelibus conſtat, impugnare. Sed de his ſatis.

Hæreſis taxatur.

Impugnatur Ioann. Huz.

Ioann. 15.

Ioann. 13.

2. Tim. 2

Matt. 13.

Matt 25.

Matth. 22.

Pſal. 54.

Matth 24.

Greg.

1. Corint. 14

In parabolis omnia fiunt. Non modo verba, ſed & facta (ſcribit Gloſſa:) Quia non poterant capere ſpiritualia, quæ in eis tegebantur. Quare omnia in parabolis fieri, idem eſt, quod ludibrio haberi, & æſtimari nugas, & fabulam dicere. Vnde parabolam, quæ veri eſt, conuertebant in prouerbium, hoc eſt irriſionem. Quinimo Chriſtum nugacem deprædicabant. Adeò vt cum Iob diceret: Filij ſtultorum, & ignobilium, & in terra penitus, non parentes. Nunc in eorum canticum verſus ſum, & factus ſum eis in oprobrium, abominantur me, & longè fugiunt à me, & faciem meam conſpuere non verentur. Ecce loquentur in ore ſuo (aiebat vates) vt gladius in labijs eorum; quoniam quis audiuit? videlicet quæ ſacrilegi de me, ac meis rebus per cachinnum, & clam, & publicè efferebant. Denique in

Exod. 18.

Iob. 30.

Pſal. 58.

parabolis,

părabolis, & nugis erant Iudæis, quæ infelicibus ad ſalutem proponebat vitæ au-ctor.

CAPVT XII.

Vt videntes videant, & non videant, & audientes audiant, & non intelligant, ne quando conuertantur, & dimittantur eis peccata.

QVid parturiat neglectus, & in quantam perniciem, miſeriamque deueniat, qui contemnit epulas in tempore famis, neque congregat in meſſe, hic contemplemur. *Prou. 10.* Vident Chriſtum, quem Reges, & Prophetæ voluerunt videre, & non potuerunt; *Luc. 10.* hic autem toruo oculo inſpicientes, facti ſunt, quaſi non videntes lucem oculis apertis. Et audientes eum, qui in ore omnium prophetarum loquebatur, & quo loquente, Angeli ori ſuo digitum imponunt. Iſti dixerunt: Non audiemus. *Ioann 9.* Hunc neſcimus, vnde ſit. Moyſi loqutus eſt Dominus. Ideo horrendum, ſurditatis genus contraxerunt, vt audientes vocem omni tonitruo robuſtiorem, non audiant, neque intelligant, quid ſibi vox velit. Permiſit Deus hoc genus infirmitatis ſpiritualis immedicabile, quoniam medicum, & medicinam neglexerunt, quo factum eſt, vt conuerti non poſſint ob contractam duritiam, ſed in peccatis ſuis omnino irremiſsis moriantur. Ergo honora medicum (ait ſcriptura *Eccl. 38.* nobis infirmis) propter neceſſitatem, etenim illum creauit altiſſimus, immò ipſe altiſſimus ſecundum diuinitatem.

Vt videntes videant, & non videant. Ab Iſaiæ oraculo petuntur verba iſta. Vade (ait Deus ad Iſaiam) & dices populo huic: Audite audientes, & nolite intelli-*Iſai. 6.* gere: & videte viſionem, & nolite cognoſcere. Propterea ſubdit vates. Excæca cor populi huius, aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne fortè videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, & conuertatur, & ſanem eum. *Dubium Reſolutio.* Quæ verba an ſint imprecatiua mali, an verò pro minori malo exorent, incertum eſt multis. Externa littera malum imprecatur Iudæis, & animus prophetæ à maiori malo optabat gentem ſuam liberari. Minus enim malum eſt, nolle intelligere, vt malè agant, quàm intelligere clarè, & præuaricari; quare præuidens vates ſemper fore Iudæos pertinaces, orat non videre, neque intelligere Iudæis, quæ proponentur. Conſonat his Theo-*Theophyl.* phylactus ſcribens in locum hunc Marci, dicens: Cæteros autem excæcauit Deus, ne ſit illis in maiorem condemnationem, ſi intelligant, & non faciant. Itaque videntes vident, ſi volunt, ſcilicet: Libertatem enim non tollit Deus. Alioqui non clamaſſet: Si quis ſitit veniat ad me. *Ioann 7.* Neque conuerſus ad Hieruſalem dixiſſet: Hieruſalem, Hieruſalem quæ occidis pro-*Luc. 13.* phetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt, quia ſi cognouiſſes & tu. Neque item paſſim ad ſe vniuerſos inuitaſſet, dicens: Qui vult venire poſt me. *Matth 16.* Verum etſi libertatem non tollat, ea ſe videntur peſſimi priuare. Quandoquidem non viderunt, ſed oculos ſuos ſtatuerant declinare in terram. *Pſal. 16.* Incuruati ergo propria voluntate, vt vites, & teneræ arbores, erigi non poſſunt, niſi vel igne, vel multa humiditate, hoc eſt, multis à Deo immiſſis ſalutaribus remedijs, quemadmodum per Ieremiam, Deus ipſe permittit, dicens: Obducam cicatricem tibi, & à vulneribus *Hierem. 30* tuis ſanabo te. Interim videntes non vident, vt cæci, quia Domino peccauerunt.

Et audientes audiant, & non intelligant. Itaque ſenſus diſciplinabiles, vtpotè auditus, & viſus admittuntur Iudæis, denegatur tamen intellectus, prædicens hac narratione, Chriſtus ſimul, & propheta, apud hebræos remanſuram ſcripturæ curioſitatem, nuſquam tamen intelligentiam. Etenim in indaganda ſcriptura modo Iudæos eſſe, & curioſiores multo poſt Chriſtum, quàm ante fuiſſe; teſtes ſunt Talmudici eorum libri, & Rabinorum commentaria, quæ in dies multiplicant, vt videant, & audiant aliquid de Chriſto, nunquam tamen intelligunt, ſemper addiſcêntes, & nunquam ad ſcientiam Dei peruenientes. *2. Tim. 3.*

Ne quando conuertantur, & dimittantur eis peccata. Quia veritatem Dei repellentibus (ait Arias Montanus) pœna eſt eiuſdem veritatis ignoratio, ex qua *Arias Montanus.* multa etiam malorum genera, & pœnarum oriuntur. Vt, & videre eſt in eiſdem Hebræis, & Mahometanis, apud quos regnat infidelitas poſitiua, ob quam non ſolum diſcredunt, ſed etiam nefandiſſima quæque operantur contra naturam.

CAPVT XIII.

Et ait illis neſcitis parabolam hanc? & quomodo omnes parabolas cognoſcetis?

TAcitè reprehendit Apoſtolos, quod *Expoſitio.* neſciant parabolam, quæ omnium

clariſsima videtur, & perſpicua. Hanc igitur neſcientes, quomodo cæteras, quæ difficillimæ ſunt, agnoſcetis.

Et ait illis. Qui neque malitia, neque negligentia, ſed quadam ruditate naturæ, & mentis craſsitiæ, ſeu potius ſimplicitate neſciebant. Hos liberè erudit Dominus, *& ait illis*, quæ cæteris abſcondit. Quoniam ſimiles de ſe nihil confidunt, neque *Prou. 3.* aliquid ſapere arbitrantur. Igitur: Ne ſis ſapiens apud temetipſum, time deum, & recede à malo: Sanitas quippe erit vmbilico, tuo, & irrigatio oſsium tuorum. In oſſibus conſiſtit fortitudo, & in vmbilico, quo fœtus matri hæret, & per quem viuificatur, & alitur, vita intelligitur. Quare non confidenti in ſe, hoc eſt humili, ſanitas datur in vmbilico, cum gratia *Iacob. 4* communicatur. Humilibus enim Deus, dat gratiam, ſuperbis autem reſiſtit. Irrigantur oſſa, cum impletur animus ſapientia, & intelligentia diuinorum, quibus roborantur, vt non poſſint reſiſtere om- *Act. 6* nes aduerſarij ſpiritui, qui loquebatur in Apoſtolo, in Stephano, & cum Dominus magnus voluerit in ſuis ſimplicibus, & per eoſdem mirabilia eructabit.

Neſcitis parabolam hanc? Non ait ignoratis, quoniam ignorantia in maioribus eſt. Neſcientia quandoque imperfectio reputatur, & perſæpe neque vitium dicit, neque imperfectionem; cum, videlicet, eſt eorum, quæ ſcire minimè tenemur, neque iuuant ad doctrinam, quam profitemur in Eccleſia Dei, vt ſunt plura ex mechanicis, *Quid ſit neſcientia? & quæ vitioſa?* & ſpeculatiuis, quæ potius curioſitatem alunt. Neſcientia, quæ imperfectionem conuocat, eſt eorum, quæ iuuant, & ornant animum, vt melius quæ Dei ſunt, peragat, atque facilius. Non eſt tamen imperfectio vitioſa. Hæc enim dicitur ignorantia, quæ propriè dicitur eorum, quæ quis ratione ſtatus, dignitatis, atque officij compellitur ſcire, non ſcire autem, vel non penetrare vnius litteræ ſenſum, non reputatur vitium, etiam magnis magiſtris, & Apoſtolis, ſed benè imperfectio; vt conuerſari cum gentilibus, eiſque ſacramenta Euangelij impartiri debere, neſciuit Petrus. Ergo ne, vt ignorantem vitio notabimus eum, qui iam peccare non poterat? Abſit, ſed imperfectum. Vnde ad eum Dominus: Quod Deus mandauit, tu com- *Act. 10.* mune ne dixeris. Huiuſmodi imperfectio non ponit maculam, ſed vt nebula tenuis videtur aliquantiſper ſplendorem minorare,

Et quomodo omnes parabolas agnoſcetis? Ergo ne omnia, quæ in parabolis dicta ſunt oportebat Apoſtolos addiſcere? Vtique, futuri erant Scribæ docti, qui de theſauro ſuo *Matth. 13.* noua, & vetera proferrent, hoc eſt, vetus, & nouum teſtamentum explicarent. In his enim omnes parabolæ intelligentur. Et hanc notitiam ad Epiſcopos omnes ſpectare, præter ſanctorum canones, pontificalis mitra deſignat.

CAPVT XIV.

Qui ſeminat, verbum ſeminat.

IAm ergo parabolæ explicationem aggreditur Magiſter noſter, ſummamque *Expoſitio.* his paucis complectitur: *Qui ſeminat, verbum ſeminat*. Cuius propoſitionis vtraq. pars eſt abſoluta annunciatio, de vno ſeminatore, & de vnico ſemine; quare vt iſta eſt vera, & quam infert, negatiua videlicet: *Qui verbum* non *ſeminat* nullo modo *ſeminat*. Et quidem veriſſima, quoniam Dei verbum eſt, quod germinat, & facit fructum manentem, in vitam æternam: Caro autem non prodeſt quicquam, ſed & vetera, quæ germinant, quid? Sicut fœnum, quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, quod priuſquam euellatur exaruit, de *Matth. 6. Pſal. 128.* quo non implebit manum ſuam qui metet. Hinc clamor: Omnis caro fœnum, & om- *Iſai. 40.* nis gloria eius, quaſi flos agri. Exiccatum eſt fœnum, & cecidit flos, verbum autem Domini manet in æternum. Ergo quia verbum manet, & fructum in ſe manentem reddit, is eſt ſator, & ſeminans *qui verbum ſeminat*. Cæteri non ſeminatores, ſed meſſores dici poſſunt. Et in hoc (ait Chriſtus) eſt verbum verum, quia alius eſt *qui ſeminat*, & alius qui metit. Ego miſi vos *Ioann. 4.* metere, quod vos non laboraſtis. Laborat enim *qui ſeminat*.

Qui ſeminat. In Græco eſt participium σπείρων Seminans, vt conditionem ſeminatoris huius eliciamus, eſſe non vno, aut altero tempore, ſed perpetuo ſeminare; Nec quidem in diuerſis locis, vt contingit in temperatiſſimis Indiæ regionibus, & in plerisque orbis noſtri climatibus; ſed iugiter agrum, quem ſuſceperit ſeminare, ſuperſeminat nouo ſemine, quod Theologi noſtri influxus vocant, nunc generales, nunc particulares, quibus, vt ſol, & aſtra, quæ ſubſunt miris illationibus, ſuſtinent, fœcundant, & conſeruant, quantum poſſunt, Ita, *qui ſeminat* Deus nouis fauoribus proſequitur Paulum, quem in via ſemi- *Act. 9.* nauit; Magdalenam, quam domi verbo ſuo efficaciſſimo dignam fecit. Ecquid *Luc. 10.* nonne Turcam? nonne Paganum? nonne adulterum, & homicidam eſt ſeminans perpetuo? Ait enim ſto ad oſtium, & pul- *Apoc. 3.* ſo, ſi quis aperuerit. Ergo ſi quemlibet hominum expectat ſibi aperiri, pulſationes

ad

Digitized by Google

ad quemque noſtrum fiunt. Quid antem eſt pulſatio, niſi frequens auxiliatio Dei? *Pſal.120.* Auxilium meum à Domino, qui fecit cælum, & terram. Et quando? ab vtero auxiliator tuus, quia de ventre matris meæ, *Iſa 44. Pſal 70.* Deus meus es tu. Itaque *qui ſeminat*, eſt ſeminans me, & meorum quemlibet à principio, neque deſinit vſque in finem. *Pſal.115.* Quid igitur retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? Vtique facere miſericordiam, & vindictam. Hoc eſt bonum, ò homo, quod Deus requirit à te, ſiquidem fructus eſt, quem Dei verbum, ac ſemen cæleſte parturit.

Verbum ſeminat. Nonne in ventum abit verbum? Quid igitur ſemen dicemus verbum? Aeris ne, ac venti? *Eccl 5.* Sed qnid prodeſt ei, qui laborauit in ventum? Etenim rapietnr. *Pſal. 1.* Sicut puluis montium, à facie venti. Et ſi in tempore germinauerit, infirmiter poſitum verbum à vento tolletur. *Differentia inter Dei, & hominum verbum.* Hoc ſuccedere verbo, & humano ſermoni non diffiteor. Verbum autem Domini, *Pſal 18. Iſai. 55.* ignitum, non reuertitur vacuum, ſed ad quæ mitticur, fiunt. Videant ergo prædicatores, & diſtinguant verbum à verbo. Eadem enim ſcriptura, & hominis, & Dei verbum eſt. Hominis quidem cum ad ſolam oſtentationem, & animi iactantiam præfertur, dum cupit orator eo, potius oblectare aures, quàm animis prodeſſe. Dei verbum eſt, cum eo Dei gloriam manifeſtare, & populi vtilitatem quærit prædicator, iſque dicitur ſegregatus ad *Rom. 1.* Euangelium Dei, quod cum ab hominibus *2. Pet. 5.* non ſit, neque per hominem allata prophetia, nequit homo illud ſibi tribuere. Quod ſi faciat, Dei verbum in hominum ſermonem vanum transfert.

C A P V T XV.

Hi autem ſunt, qui circa viam, vbi ſeminatur verbum, & cum audierint, confeſtim venit Sathanas & aufert verbum, quod ſeminatum eſt, in cordibus eorum.

Expoſitio. EXponit cauſam iacturæ primi ſeminis, quod circa viam ceciderat, eamq. facit Sathanam, qni audita in prædicatione curat obliuioni tradi.

Hi autem ſunt, qui circa viam, vbi ſeminatur verbum. Hoc eſt, hi, qui primò ſemen recipiunt, ſunt qui circa viam eſſe gaudent, indeque myſteria Dei intelligere, vbi ſeminatur verbum in campo Eccleſiæ. In via ſunt tranſeuntes, negotiatores circa viam, qui mundi negociationibus animum applicant, tametſi cohibeant manum, vt mundi Principes, & nonnumquam Religioſi, qui amant attendere cunctis, quæ in mundo ſunt, & fiunt: Quid in Aſia agatur; qnid noui ferat Africa, & quid Europa parturiat. Nemo autem *1. Tim. 2.* militans Deo implicat ſe negocijs ſæcularibus. Namque ceruus, qui prætereuntem hominem delectatur intueri, fit ſæpius præda canibus, & Dyna Sichymitis. Nihil quidem periculoſius, quàm de ſche- *Gen. 34.* mate egredi. Ergo de ea re, quæ te non moleſtat, ne certeris, & in iudicio pec- *Eccl. 11.* cantium non conſiſtas. Hoc eſt, niſi inter peccatores velis enumerari. Gloſſogaſtores, & infideles, qui locum ſuæ vocationis, & certaminis relinquent, quæ tuæ profeſſionis non ſunt, deuita, neque pro his, qui alieni à ſua profeſſione agunt, contendas. Quid? neque ſcire cures. Inuenitur enim iniqnitas in multa negotiatione, & ocioſitas, quæ mater eſt vitiorum, nouerca virtntum, & ruina clerici, ac optimi principatus præcipitium.

Et cum audierint, confeſtim venit Sathanas. Confeſtim, nulla interpoſita mora, adeſt Sathanas his, qui vel bene agunt, vel audiunt bonum. Eſt enim aduerſarius vigil falco, qui ad prædam magno impetu volitat. Et hoſtis qui terram vult ponere *Iob. 15.* in ſolitudine, & ſolus in ciuitatibus deſolatis habitare, & domibus deſertis, quæ in tumulos ſunt redactæ, hoc eſt, in hominibus ex peccato mortuis, neque alios vellet in terra viuere, vt ſuum in eis principatum firmaret perpetuum. At neque in his Sathanas ditabitur, nec perſeuera- *Ibidem.* bit ſubſtantia, nec mittet in terra radicem ſuam. Tametſi enim ſupramodum ſtudeat malè agere, non ditatur; ſed depauperatur, ſuſceptis ſuæ malitiæ pænis; quod hominem, quem tanquam ſuam ſubſtantiam falacijs retinet, ſæpius perdit, neque cum eo perſeuerat ſuffultus diuinitus. Præſertim in eum, qui terra eſt ſerotina, irrigata cælitus nihil poteſt. Etenim confeſtim pro more tentare poteſt, ſed radicem neqnit in eo mittere, hoc eſt propoſitum malum firmare, quia Dominus ſupponit manum *Pſal. 36.* ſuam, & obumbrat in die belli. Atqui Athleta Chriſti, vt bonus miles laborat, in fide reſiſtit, & charitate veteraſcit in *Pſal. 139.* operibus mandatorum Dei. Ergo plenis velis, qui properas ad ſeruitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem, & *Eccl. 2.* ſemper imaginato aduentare piratas.

Et aufert verbum. Alio immiſſo verbo. Nam clauus clauum trudit, ſic & cogitationibus peſſimis, ſeu vanis Diabolus aufert verbum, & cogitationem bonam, quæ per aurem intrat in animum hominis. Neque Schyta, neque Arabs, tàm ſolicitus eſt, atque velox in emittendis ſagittis, quàm dæmon in recluden-

dis cogitationibus intra animam hominis. Adeo, vt niſi cauerit, eaſque ſedulo; vt muſcas flagello abigerit, perdet ſuauitatem vnguenti, & flens, ab optimo ſtatu deiectus, eructabit. Ego ille quondam opulentus, repentè contritus ſum: tenuit ceruicem meam, confregit me, & poſuit me ſibi quaſi in ſignum. Concidit me vulnere ſuper vulnus, irruit in me quaſi gigas. Nuſquam occaſionem præteriens, qua poſſit cogitationibus peſſimis, totum hominem perdere. Attamen hoc accidit ei, qui malus eſt ianitor, qui autem eſt cuſtos animæ ſuæ, liberat ſe à cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu, altiſſimi meditationem iugiter portans. *Eccl. 10. Iob. 16.*

Quod ſeminatum eſt in cordibus eorum. Denique & his, qui circa viam ſunt, qui parum diſtant à tranſeuntibus, & iumentis, quæ viam Regiam frequentant, vel, vt apertius dicam, qui in luxurijs viuunt, & in omni concupiſcentia enutriunt corpora ſua; ſeminandum eſt verbum. Et quidem magna cum arte, vt non in aures neque in linguam, neque in manus, aut in pedes eorum, ſed in corda ſeminetur. Hoc eſt, proponatur his, qui eorum animas ædificant, mentes illuſtrant, vt deponant errores, affectum inflamment, vt declinent adulteria, & quæ ad ſanctitatem interioris hominis pertinent, vt vale faciant amatoribus ſæculi, & delictum ex delicto non complectantur, fiantque verè Chriſti, qui in ſolo nomine Chriſtiani gloriabantur. Ad vos ergo ô paſtores, & vigiles loquimini ad cor Ieruſalem, & aduocate eam, ſic enim viuent corda eorum in ſæculum ſæculi. *Iſai 40. Pſal. 21.*

CAPVT XVI.

Et hi ſunt ſimiliter, qui ſuper petroſa ſeminantur. Qui cum audierint verbum ſtatim cum gaudio accipiunt illud.

Expoſitio. Accipe hic, lector, perditi ſecundo ſeminis expoſitionem, eius, inquam, qui ſuper petroſam incidit, hoc eſt, hominem petroſis ſimilem, qui læto animo audit vtilia, difficilè verò, aut nullatenus digitos ſuos ad fuſum boni operis extendit.

Et hi ſunt ſimiliter. Hoc eſt prioribus in ſterelitate ſimiles. Omni enim peccatori ſterilitas, & infructuoſitas communis eſt, & de vnoquoque cuiuſcunque peccati macula reus ſit, dicitur: Scribe virum iſtum ſterilem, virum qui in diebus ſuis non proſperabitur. Sunt enim omnes ſub *Ier 22.* manu Herodis, qui neque paruulis parcit; ac perſicæ arbores in Rhodo, quæ florent tantum, ſecundum Plinium, fructum autem non faciunt, quod Idolo Moloch ſe deuoueant. Deſideria quidem, vt flores habent, ſed non matureſcunt, neque aliquid dignum vitæ æternæ agunt. Vniuerſa enim peccatorum acta, vel mortua, vel mortifera æſtimantur. Et in hoc, ſimiles, quia ſimiliter auertit ſe vnus à Deo, atque alter, tametſi conuerſionibus ad illicita diſtinguantur. An vero ab auerſione, vel conuerſione potius peccati ſpecies petatur, morales accuratius diſcernent. Hic nos ſimilitudinem peccatorum aduertamus ſedulo, vt diſſimiles ſimus, neque vnum cum malis marſupium ponamus. *Plin. lib. 16. cap. 26.* *Prou. 1.*

Qui ſuper petroſa ſeminantur. Petroſa dixerim, non quæ petras, & calculos præſeferunt, ſubeſt tamen terræ fundus, & fæcundo ſolo deſuper honeſtantur. Huiuſmodi enim loca, ne dicam oliuetis, & vineis, ſed & frumento aliquando ſunt ampliſſima; ſed ea crediderim, quæ parua terra operiunt ſaxa ingentia, & continua. Eiuſmodi enim loca, qua facilitate emittunt germina, perdunt abſque fructu. Vnde ſermonem de iſtis petroſis haberi, certum eſt, ac proinde Chriſtum de hypocritis loqui. Simulant enim hi ingentia ſaxa, & peccata, atque abominationes, quæ vix credi poſſunt, ſub colore terreno, humilitate ficta, deuotione diſſimili, & ſtudio ſanctimoniæ, quo honorabiles redduntur cunctis, & arbitrantur plantatio Dei, & ager, cui benedixit Dominus: Cum potius ſint ædificantes domum ſuam in iniuſtitia, & cænacula ſua in iudicio in delictis, & verbo ſuperfluo; facti ſepulchra dealbata exterius, intus autem oſſibus mortuorum, & ſerpentibus plena: Mortui enim ſunt, & ſe viuere mentiuntur. Vnde omnis prædicatio, quæ ad hypocritam ſit, eſt quaſi ſuper petroſa ſeminare. Fiduciam enim habens in malitia ſua, ait: Non eſt qui videat me; ſed veniet, ô miſer ſuper te malum, & neſcies ortum eius, & irruet ſuper te calamitas, quam non poteris expiare. *Hypocritæ.* *Ier 22.* *Matth. 23.* *Iſai. 47.*

Qui cum audierint verbum. Præ alijs qui hypocriſi petroſa replentur, Dei verbum audiunt, ſed non faciunt, in canticum oris ſui vertunt illud. Neſciunt Simonides pſallere, gaudent audire, ſed ad muſicam aduolant, nolunt tamen apprehendi, neque ſubiugo eſſe. Loquere aiunt ad oratorem, audiemus te de hoc iterum. Poſtmodum vero dixerunt. Deſperauimus. Poſt cogitationes, enim noſtras ibimus, & vnuſquiſque prauitatem cordis ſui mali faciemus. Quid ergo ô miſeri proficit audire? *Ezech 33.* *Act. 17.* *Hier. 18.*

Statim

Statim cum gaudio accipiunt illud. Hoc proficit, lætitiam ſeu potius linituram inferre parieti dealbatæ. Sed extrema gaudij Prou. 14. luctus occupat. Quoniam gaudium non eſt plenum, ſed neque verum, quinimò Iob. 20. fictum, & inane. Hoc enim ſcio à principio, ex quo poſitus eſt homo ſuper terram. Quod laus impiorum breuis eſt, & gaudium hypocritæ ad inſtar puncti.

CAPVT XVII.

Et non habent radicem in ſe, ſed temporales ſunt: deinde orta tribulatione, & perſecutione propter verbum, confeſtim ſcandalizantur.

Expoſitio. IActuræ ſeminis cauſam aperit, videlicet carere radice, quæ firmum efficiat contra tempeſtates ventorum, & imbrium quæ paſſim agitant ſata, conuitiunt arbores; & nouellas plantationes, ac peſſimè radicatas eradicant turbidines, & procellæ, quas magiſter tentationes denominat.

Et non habent radicem in ſe. Quoniam repugnat, ignem viuere in frigido mari, & 2. Cor 6. ſolem in obſcuro latitare. Quæ enim eſt participatio lucis ad tenebras? Tenebras dico ſimulatores, & callidos, repugnat ergo Ioann. 1. his lux vera, quæ illuminat omnem hominem; neque in ſe habere patiuntur charitatis ignem, in quo creſcit ſpiritus, dilatatur animus, & fit fortis ſuper adamantem, vt omnia poſſit, qui in charitate radicatus ſit, & fundatus. Neque timeat Gen. 31. Iacob æſtum, & gelu, dum amore ſeruit.

Sed temporales ſunt. Quia ad tempus credunt, vel quod temporalia ſectentur, neque aliud appetant, quàm vſque ad Iſai. 5. terminos loci agrum agro copulare, primos Luc. 20. accubitus quærere, primas ſalutationes in foro, & cætera temporalia, quæ tantum ſenſibus obſeruiunt. Vmbræ enim tranſitus aiunt, eſt tempus noſtrum, & non eſt reuerſio finis noſtri; quoniam conſignata Sap. 2. eſt, & nemo reuertitur. Venite ergo, & fruamur bonis, quæ ſunt, & vtamur creatura, tanquam in iuuentute celeriter.

Deinde orta tribulatine, & perſecutionem propter verbum. Pſal. 118. An non pax multa diligentibus verbum, & pacem ipſam Dei eloquium generat? Vtique ſed pacem Luc. 2. animi his, qui ſunt bonæ voluntatis, ac dæmum eam confert pacem, quæ finem neſcit. Interim propter verbum oritur in interiori homine tribulatio, & perſecutio. Nam audito verbo, qui Dei eſt, vult animo, & corpore placere altiſſimo, oratione, ieiunio, & multiplici diſciplina carnem ſubiugat ſpiritui. Ac illa ſentiens ſe affligi, concupiſcit aduerſus ſpiritum. Gal. 5. Hinc tribulatio Rebeccæ, quæ hoſtes geſtat in vno vtero, & hinc perſecutio, & inimicitiæ, inter domum Saul, & Gen 25. David. 1. Reg. 18. Verum neque hæc ſola eſt perſecutio, aut tribulatio, quæ propter verbum exoritur; ſolent enim nonnunquam in publicum prodire inimicitiæ, & tàm graues, vt inſurgant filij in parentes, & morte afficiant ex eis, vt accidit regnante ante Aduentum Chriſti, Antiocho, & poſt Chriſtum Caio, Claudio, Nerone, Nerua, Traiano, & alijs Romæ imperantibus. Dicitur hæc perſecutio Eccleſiæ. Illa tribulatio interioris hominis, qui bonus eſt in vtraque perficit, deficit vero vanus, & excors qui non recogitat mercedem.

Confeſtim ſcandalizantur. Quod eſt dicere, & in tempore tentationis recedunt, Luc. 18. quia minimè fundati ſupra firmam Matth. 7. petram; ſed ſuper arenam, cuius ædificia fluminis impetus proſternit. Vt enim vident difficultatem victoriæ, & experiuntur carnis impetus, confeſtim acquieſcunt, deuorant propter inediam, dormiunt tota nocte, ne infirmentur, & ambulationibus vacant, ne fiant melancholici. Etſi ad eoſdem tribulatio Eccleſiæ veniat, aut abſcondunt nomen Chriſti, aut negant, timentes mori, proptem verbum Chriſti, cui propterea ait: Fratres mei præterierunt me, ſicut torrens, qui raptim tranſit in conuallibus. Iob. 6. Sed qui timent pruinam, irruet ſuper eos nix.

CAPVT XVIII.

Et alij ſunt qui in ſpinis ſeminantur: Hi ſunt qui verbum audiunt.

AGgreditur tertiam partem, ſeminis Expoſitio. explicare: Eius videlicet, quod inter ſpinas deuenit: Etenim ſpinæ quoque Dei verbum audiunt, nec prætereunt diuites, qui ſpinis ſimilantur, libenter audite, quod de Deo annunciatur, & prædicatur de diuitijs cæleſtibus, quas ſibi cum terrenis optaret aſſeruari, Deumque colere, atque mundum. Matth. 6. Nemo autem poteſt Deo ſeruire, & mammonæ.

Et alij ſunt. Optimè dicitur de diuitibus: *Et alij ſunt.* Quoniam hi à reliquis peccatoribus, ſunt omnino alij, diſcreti, diſtincti, & differentes, ſoli incedunt, auaritiam meditantes, ſoli negociantur, vt congregent theſauros iniquitatis, & ſoli quærunt ditari, depauperatis omnibus. In ne-

gocio leones; in couerſatione pantheræ; in reddendis debitis tygres; in exigendis camelopardi; in defendendis gryphes, in congregandis formicę, & in inferendis iniurijs vnus Leuiatham contra piſces, vnica aquila contra aues, & vnica manticora contra omnia terræ viuentia. Quid? ſolus eſt, & ſecundum non habet in malis, neque eſt illo ſceleſtius. *Eccl. 2 Eccl. 10.* Eſt (inquit Democritus) totius improbitatis metropolis. Nam auctore Anſelmo in epiſt. ad Epheſ. Auaro Deus nummus eſt, qui cum pluribus communicari nequeat, ſibi ſoli illum appetit, & in eo Creſi aurum, Midæ diuitias, Alcynai hortos, Tantali talenta, & Darij opes, atque omnem prætioſam ſubſtantiam, includi vellet.

Qui in ſpinis ſeminantur. Hoc eſt, qui ſpinis conſiti cum ſint, & repleti, patiuntur ſeminari grano optimo, neque recuſant audire ſancta, & quæ videantur ad conſcientiæ nitorem facere, quinimo vidi ego hos, ſæpius quæſtiones de ſecuritate animæ mouentes, & quomodo in contractibus ſequi poſſint negociatores, vt auditis opinionibus, vel deteriorem ſequantur, aut omnem reijciant.

Hi ſunt qui verbum audiunt. Tametſi enim eos auri ſacri fames in profundum mare demergat ſpiritus vitæ, quam Deus ſuper infundit, vult audire, quæ Dei ſunt, etſi ſubmerſus ad alta ſpirat, ſi quo modo à tàm immenſo pondere, & periculo liber euadat. *Pſal. 76. Matth. 9. Luc. 19.* Fruſtra tamen, niſi fiat mutatio dexteræ excelſi, qui manum teneat, & in voluntate ſua deducat Matthæum, & Zachæum efficiat liberalem. Alioquin quæcumque verba diuina audierit Anicularum deliramenta reputabit.

CAPVT XIX.

Et ærumna ſæculi, & deceptio diuitiarum, & circa reliqua concupiſcentiæ introeuntes ſuffocant verbum, & ſine fructu efficitur.

Expoſitio. ENumerantur iam cauſæ perditionis, ſeu inefficaciæ verbi Dei in auaro, & pecuniarum cupido. In primis ærumnæ, quæ miſerum affligunt, & alienant à ſeipſo, ſecundo fallax appetitus auri, quo dum putat ditari, depauperatur interius; & tertio concupiſcentia omnium penè rerum, quæ in infinitum conatur abire. His præpeditus infelix, ſi quid boni concepit ex verbo Dei, illicò ſuffocatur, ipſe verò in peccato ſuo manet, & moritur.

Et ærumna ſæculi. Quid ergo prodeſt ei, *Eccl. 5.* quod laborauit in ventum? An non ditatur, vt abundet, quieſcat, honoretur, & ſit longè ab omni ærumna ſæculi? Hoc ipſum intendere fateor, ſed auaro tàm deeſt, quod habet, quàm quod non habet. *Aerumnæ auari. Prouerb.* Vnde ei ſanguiſugæ duæ ſunt filiæ, dicentes affer, affer. At hydropico, qui ſitit continuo, & quæ fælicitas? Cuncti dies eius doloribus, & *Eccl. 2* ærumnis pleni ſunt, nec per noctem mente requieſcit, & hoc nonne vanitas? Quid? infirmitas peſſima; quam vidi ſub ſole, diuitias congregatas in malum Domini ſui. Impletur enim in his ſententia, terræ cultori data. Spinas, & tribulos germinabit tibi. *Gen. 4* Non vtiq. illi, qui cælum aſpicit, & obſeruat cęli auctorē. Subinde, clericis, multis canonibus. 14. quæſt. 4. per totum, & 16. quæſt. 1. atque alijs, genus omne auaritiæ, & occaſio inhibetur, ne qui à ſæculo auocantur, vt ad cælum ſe eleuent, ærumnis ſæculi deijciantur à pace, quam ſacer ſtatus permittit. *Auaritia clericis inhibita.* Ac ne omnino medicamen prætereatur vrgente morbo. Audiant clerici Martinum Papam. *Martinus Papa* Si quis oblitus timorem Domini, & ſanctam ſcripturam, quæ dicit: Pecuniam ſuam non dedit ad vſuram. *Pſal. 14.* Poſt hanc cognitionem magni Concilij ſœnerauerit, & centeſimas exegerit, aut ex quolibet negotio turpe lucrum quæſierit, aut per diuerſas ſpecies vini, & frugis, vel cuiuslibet rei, emendo, vel vendendo, aliqua incrementa ſuſceperit de gradu ſuo deiectus, alienus habeatur à Clero. Audiant quoque monachi, & fratres Eugenium. *Eugenius.* Placuit (inquit) communi noſtro concilio, vt nullus monachorum pro lucro terreno de monaſterio exire nefandiſſimo auſu præſumat, neque pœnitentiam dare, neque filium de baptiſmo accipere, neque baptizare, neque infirmum viſitare, neque mortuum ſepelire, neque ad Eccleſiam ſæcularem tranſire, neque alijs quibuſcumque negotijs ſe ſe implicare. Sit clauſtro ſuo contentus, quia ſicut piſcis ſine aqua caret vita, ita ſine monaſterio monachus.

Et deceptio diuitiarum. Hoc eſt, amor falſus, quo fallaces diuitias miſer auarus proſequitur. Ab obiecto enim actus denominatur. Cuius obiectum verum eſt, & intellectus verus; & falſus, qui falſum intelligit pro vero, & ei adhæret; diuitias autem temporales nihil veri continere, ſed repleri falſitate quis dubitat? Non enim permanent. Non iuuant in die vltionis, & infirmitatis. Non liberant ab oppreſſione, non conſolantur in tempore tribulationis, etſi ergo diuiti decepto, dum viuit multi recuperatores, poſt interitum inſimul clamant decepti diuites. Quid profuit nobis diuitiarum iactantia? *Sap. 5.* Qui volunt ergo diuites fieri, incidunt in tentationem, *1. Tim. 6* et in laqueum Diaboli, quia (auctore Chryſoſt. lib. quod nemo læditur, niſi à ſe ipſo) *Chryſoſt.* diuitiarũ ſequela eſt luxuria, ira intẽperans, furor iniuſtus, arrogantia ſuperba,

omniſque

omniſque irrationabilis motus. Et Innocentius de vilit. condit. hum. Diues in ſuperfluitate reſoluitur, & iactantia effrenatur, currit ad libitum, currit ad illicitum, & ſiunt inſtrumenta pœnarum, quæ fuerunt oblectamenta culparum. Propterea ex legiſlatoribus Græcorum, vt Draco, Licurgus, Solon, & alij diuitiarum cumulum prohibuerunt ciuibus, & ex philoſophis innumeros legimus diuitiarum nomen deteſtaſſe. Summus autem magiſter his, qui decipi nolunt, ſed veri ſunt ſectatores, prohibuit affectum diuitiarum, vt reiectis ab animo falſis, veras diuitias amarent, & poſſiderent. Nequit enim animus oppoſitis attendere, neque diuitiarum deceptionibus illaqueatus, in verbo Dei, quod cæleſtes diuitias parat, fructum faciet, neque perficiet ei ſolidus cibus, qui cineribus ſeipſum paſcit.

Circa reliqua concupiſcentia introeuntes. Hæc eſt tertia cauſa, ob quam Dei verbum eſt auaro infructuoſum, videlicet concupiſcentia reliquarum rerum. Eſt enim concupiſcentia appetitus rei non habitæ, quæ ſi fuerit pecunia, eius appetitus dicitur auaritia; ſi quodnis aliud, & indifferens, eius appetitus, ſecundum Ariſtol. vocatur concupiſcentia non naturalis, quæ abit in infinitum, non ſolum pecuniam, ſed omne delectabile appetit, & ſenſibus conueniens, nunquam dicens ſufficit. Atque hic ſummus auaritiæ gradus, quo homo redditur incapax omninò operandi aliquid, iuxtà verbum, quod audit. Siquidem huiuſmodi concupiſcentia tranſuertit ſenſum, & ſi liceat vti fabulis, velut potio incantatricis Siculæ hominem commutat, nunc in auem, quandoque in piſcem, ſæpius in iumentum, & continuò eum efficit reptile terræ. Nam cum huiuſmodi auaritiæ concupiſcentia alicui dominatur (inquit Aug. de lib. arb.) ſubiectus malis omnibus demonſtratur: quia de auaritia omnia mala oriuntur, & peccatorum omnium ſpinæ producuntur. *Auguſt.*

Suffocant verbum. Hoc eſt primum malum, quod auaritia in auaro generat, ſuffocare verbum, videlicet inſpirationem, motionem Dei, & pulſationem, qua Deus poſt miſſam ad eum prædicationem vocat ad pœnitentiam, inſtigat ad reſtitutionem, commouet ad miſerationem, deuotionem immittit, religionem inſpirat, & vitæ ordinem, at ille nolens aſſueta relinquere, vel nihil eorum facit, aut ſegniter.

Et ſine fructu efficitur. Ecquid? Nonnè fructificat audiens verbum Dei? Nonnè operatur, dum germinat, & facit aliquid, aut proponit? Facit opus, ſed inſtabile. Audire verbũ vtique bonum, quia qui ex Deo eſt, verba Dei audit. *Ioan 8.* Adde tamen qui cuſtodit iuxtà interpretationem magiſtri: Beati *Luc. 11.* qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud. *Matt. 10.* Cuſtodiunt, inquit, vſque ad finem, quia qui perſeuerauerit vſque ad finem hic ſaluus erit. *Mar. 6.* Quod ergo Herodes libenter Ioannem audiat, & eo audito multa faciat, ſine fructu eſt. Tum quod primam charitatem nõ recuperet. Tum quod dimidiatum opus peragat. Proponat igitur auarus, quæ volet, & multa faciat, audito verbo, quamdiu ex toto corde ad Deum conuerti tardauit, & in omni opere bono perſeuerantiam vſque in finem neglexerit, ſine fructu efficitur in articulo mortis. Sine fructu dico, quo poſſit ad fruitionem duci.

CAPVT XX.

Et hi ſunt, qui ſuper terram bonam ſeminati ſunt, qui audiunt verbum, & ſuſcipiunt, & fructificant, vnum triginta, vnum ſexaginta, & vnum centum.

TAndem incidit in vltimam feminia partem exponendam, eam (inquam) quæ cæterarum ſupplet iacturam; Si quidem fructificat ad trigeſimum, ſexageſimum, & centeſimum vſque, vt ſit ſpes nouiſſimis noſtris, & paucis, qui videntur in Eccleſia fructificare ſarcientes damnum eorum, qui inutiles, & incommodi ſunt. *Expoſitio.*

Et hi ſunt. Et qui? Quos pater plantauit plantationem fidelem, qui ſicut lignum *Pſal. 1.* ſecus decurſus aquarum, fructificant. Et ſicut hortus, & paradiſus delitiarum, omne *Gen. 2.* lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuaue continent. Immo verò hi ſunt, & eſſe dici poſſunt, qui operari ſciunt naturæ opus, & illud continuò ad finem perfectiſſimum, ſecundum gratiam ſibi datã, valent dirigere, vt cum eo, qui ſimpliciter eſt, perpetuò ſint. Alij ab his non ſunt, cum eſſe ſit, propter operari, quod ignorant; quibus ergo deeſt operatio, dicimus eſſe pariter deeſſe; hoc eſt denominantur nihil, ſiue non eſſe. Verè quidem ſunt, ſed malè, & perperam. Quandoquidem illud, dum in carne ſunt, vitijs, quæ dicuntur naturæ corruptiones, denigrant, perpetuis anguſtijs affliguntur, vt velint miſeri potius non eſſe. *Qui nõ operantur bonũ ſunt nihil.*

Qui ſuper terram bonam ſeminati ſunt. Non ſufficit terræ ſua bonitas, vt fructifera ſit boni fructus, quinimo quanto bona, niſi colatur, aretur, & ſeminetur, ſpinas, & tribulos germinat, nutritque feras, & venefica animalia. Vndè quamprimum homo, rectitudinem diuinitus datam, exuit, infinitis ſe miſcet quæſtionibus, quæ tantopere in poſteris excreuerunt, vt omnis caro corrumperet viam ſuam. *Gen. 6.* Sed & qui ex hominibus conualeſcere videbãtur, quidam ad luxuriam-

2.Reg.11. xuriam ſe præcipitarunt, vt Dauid, alij cul-
3.Reg 11. tum execrabilem complexi ſunt, vt Salo-
2.Par 33. mon. Alij facti ſunt ſanguinarij, vt Manaſ-
ſes, & alij impij, & in omni genere impieta-
tis, quæ Deum offendit, atque hominem.
Pſal.126. Quare niſi Dominus ædificauerit ciuita-
tem, in vanũ laborauerunt, qui ædificãt eã.
Pſal 93. Hinc ille: Niſi Dominus adiuuiſſet paulò mi-
nus habitaſſet in inferno anima mea. Ædifi-
Pſal.146. cans Ieruſalẽ Dominus diſperſiones Iſraeli
congregabit, qui ſanat contritos corde, &
Pſal.14. alligat contritiones eorum. Ergo lauda Ie-
ruſalem Dominum, qui poſuit fines tuos
pacẽ, & adipe frumenti ſatiat te. Qui emit-
tit eloquium ſuum terræ; & tu qui terra
bona es, ſuſcipiens pulchrũ eius eloquium,
intromittens ad te gratiam, & dona à Patre
luminum oblata, fructifices ſecundum vir-
tutem tuã. Ex his poſſumus contra Pelagiũ
Hæreſis re- inſurgere. Dogmatizabat enim ſolis natu-
pro batur. ræ bonis, abſque ſemine gratiæ poſſe nos
operari digna Dei amicitia, quæ nos Deo
reconciliarent, & vita æterna dignos effice-
rent. Hæc eadem agendi contra Lutherum,
& Hagiomachos occaſionem præbent. Ait
& is. Nullum nobis inhærere donum, ne-
que dari è ſuperis gratiam iuſtitiæ, & virtu-
tis habitum, quo bonum operemur. Atta-
mẽn erraſſe homines, inſinuat parabola, in
qua ſemen ſuper terram bonam videmus
ſuperſeminari, oracula paſſim condemnant
eoſdem. Ex Patribis, & Concilijs, non eſt, qui
in hanc incidens difficultatem, non eliminet
tantam peſſimorum fallaciam. Qui cum
formati videantur ad illudendum eis, cæ-
teros volunt duci inglorios, ab iſto bono
ſemine gratiæ, & iuſtitiæ, quod in terram
Prou.8. bonam ſeminat ſator, vt in vijs iuſtitiæ am-
bulet, & in medio ſemitarum iudicij, ambu-
lans, diligentes ſe diligat, & theſauris re-
Matt.24. pleat. Nam ſcriptum eſt: Habenti dabitur,
& abundabit, ac fiet iuſtior cõtinuò, qui ac-
ceptã iuſtitiã exercuerit, & is erit Deo ac-
ceptus magis, qui iudicij ſemitas rigidè ob-
ſeruauerit. Hoc eſt (vt paucis concludã) qui
ſemen receptum curauerit ſua opera, & ſo-
lerti induſtria multiplicare. Vndè ſequitur.

*Qui audiunt verbum, & ſuſcipiunt, &
fructificant*. Inde tres gradus auſcultato-
rum verbi Dei colligamus. Audiunt quidã
tantũ; alij audiunt, & ſuſcipiũt, & tertij ſunt,
qui audiunt, & ſuſcipiũt, & fructificãt. Pri-
mos ergo reputo obſtinatos in ſcelere, & in
hæreſi pertinaces, qui etſi audientes, ſunt
Iſai.28. tamen illuſores. Dicunt enim: Percuſſimus
fœdus cum morte, & cum inferno feci-
Obſtinati. mus pactum. Flagellum inundans cum
tranſierit, non veniet ſuper nos, quia poſui-
mus mendacium ſpem noſtram, & menda-
cio protecti ſumus. Et quid aliud à Lybica
fera expectandum eſt, aut à petra agri? Hæc
niuem frigidiſſimam habet, illa malitiam.
Indeque fit, vt neque amorem, quo eis an-
nunciatur verbum ſalutis admittant, neque
veritati credant. Audiunt tamen, vt ſuggil-
lent, aut minus benè loquentẽ redarguant,
vt ſuis argutijs ad hæreſim trahant. Vulpes
enim ſunt, quæ mortuas ſe fingunt, & in-
cautas aues, & gallinas ſtrangulant, & de-
glutiunt, & vorant. *Qui audiunt, & ſuſci-
piunt*, ſunt fideles, qui ſignis profitentur fi-
dem, ſed mortuam deferunt. Quibus dici-
tur: Recordamini, prioris ſæculi, quoniam *Iſai.46.*
ego ſum Deus, & non eſt vltra Deus, nec eſt
ſimilis mei. Annuncians ab exordio nouiſ-
ſimum, & ab initio, quæ nec dum facta ſunt,
dicens: Conſilium meum ſtabit, & omnis
voluntas mea fiet, & non veſtra. Vt quid er-
go in ventum laboratis, & ſeminatis ſuper *Eccl.5.*
aquas, neque quod bonum eſt, facitis? Vè
mihi quia factus ſum, ſicut qui colligit in *Mich.7.*
Autumno racemos vindemiæ, non eſt bo-
trus ad comedendum, præcoquas ficus de-
ſiderauit anima mea, quia facti ſunt fili mei
perditi. Filij Ephren immittentes, & tenen-
res arcum, in fratrem, & domeſticum patris
ſui. Perijt Sanctus de terra, & rectus in ho- *Mich.7.*
minibus non eſt. His, atque alijs dictum
columba ſeducta non habens cor, & popu- *Oſe.7.*
lus, qui in delitijs ſedet, ſolitus erat olim
per Prophetas ad charitatem, & integram
legumque obſeruantiam trahi. Et quos à
Deo ad nos Chriſtianos, legi mandatos, ſi-
cut video verbum fidelibus annunciaſſe,
non vt modò plerique noſtrorum, qui leno-
cinijs, & dulci eloquio, ac placida aura po-
tius demulcent, quàm prædicent. Ac pro-
pterea audiunt populi, concurrunt magna-
tes, feſtinantq. omnes audire, quæ placent,
& ſuſcipiunt læto animo, ore geſtant, & re-
citant ad inuicem, quæ è ſuggeſtu ad aures
eorum peruenerũt. Cum fructu nè? Hoc ſer-
uatum eſt tertijs. Ad quos ſic prædicator
loquitur: Audite me, qui ſequimini, quod
iuſtum eſt, & quæritis Dominum. Attendite *Iſai.5.*
ad petram, vndè exciſi eſtis, & ad cauer-
nam laci, vndè præciſi eſtis. Attendite (in-
quam) ad Chriſtum, qui vos regnerauit in *1.Pet.1.*
verbo vitæ, & redemit, non corruptibilibus,
auro, & argento, ſed prætioſo ſanguine. At-
tendite ad vulnera, & latus, vndè Eccleſia
tota emanat, & Chriſtum in corpore veſtro,
& cogitatione crucifigite, ſufferentes paſ-
ſiones; vt probatio fidei veſtræ patientiam
operetur, & hæc vos perfectos efficiat. Ita-
que hæreticis damnationem, malis timo-
rem, & bonis amorem proponat orator, vt
hi ad perfectionem currant, mali pecca-
tum abijciant, & fiant inexcuſabiles hære-
tici, qui proteruiunt.

*Vnum triginta, vnum ſexaginta, &
vnum centum*. Hoc eſt, ſecundum Gloſſ.
interl. fidem Trinitatis in electorum cordi-
bus, perfectionem bonæ operationis, quia
ſex diebus ornatus mundi expletus eſt, &
perpetuam beatitudinem, quia centenarius

à leua

à ſeua transfertur, in dexteram digitali computatione. Sed quid eſt ter repeti vnum? Nũm quòd vnum ſit tantum ferens triginta, & non amplius? Equidem contingit vnum opus bonum mereri tantum, vt triginta ferat, iuxtà noſtrum loquendi modum. Verè enim quodcumque opus meritorum beatitudinem ſibi promeretur. Nihilominus idem opus; vt dare eleemoſynam, tàm in eodem largitore, quàm alio, iuxtà affectum poteſt etiam vt ſexaginta, & vt centum; hoc eſt, maiorem gratiæ, ac gloriæ gradum ſibi poteſt acquirere. Dicitur vnum, quia & perfectum; Conuertuntur enim triplicatur vnum, quod perfectionem in quocumque operante introducat. Vnde licet charitatis gradus incipientium, proficientium, & perfectorum numerentur; qui ratione ſtatus incipientes vocantur, & trigeſimi fructus, poſſunt, ſi ex animo laborant, ne dicam æquare, ſed multo ſpatio præcedere eos, qui ſe magni, & ſupremi ſtatus gloriantur. Ergo deprehendi nihil eſſe melius, quam lætari hominem in opere ſuo. Hoc enim bonum cum ſit in omni ſtatu, vitam abundanter largitur; ſtatus verò ſine opere bono quid? Dijudica lector, & meditare, vt præeſſe non ambias, ſed benè facere.

CAPVT XXI.

Et dicebat illis, nunquid venit lucerna, vt ſub modio ponatur, aut ſub lecto? nonnè vt ſupra candelabrum ponatur?

Expoſitio. ABſoluta prioris parabolæ explicatione, ſecundam aggreditur, qua ſuos docet lucere alijs debere. Eoque dignos præfici, & ad honores Eccleſiaſticos ſublimari, & ſuper candelabrum non ſub modio, aut lecto conſtituti, ſe quales ſint reliquis oſtendant, & ſe exemplum imitandum ſingulis proponant in fide, charitate, atque alijs, quæ Paulus enumerat.

Et dicebat illis. Qui ad ſe conuenerant, tum maximè ad eos loquitur, qui ex priori parabola edocti, iam animo fructificabant, deuotius audiendo, quæ poſthac proponebantur, & proponendo multa, quæ ad emendationem morum faciebant. His ac ſimilibus, quorum anima audito verbo, conſiderauit ſemitas domus ſuæ, & panem ocioſa non comedit; *Prou. 31.* dicit iterum magiſter, vt nouis lectionibus nouos faciant profectus, ſapientia perſeuerat cũ eis, vt ſupergrediãtur *Eccl. 2.* opibus cæleſtis theſauri, omnes alios, qui antefuerunt. Etenim Apoſtoli in multis antecedunt patres legis. Atqui ideò amici dicti Apoſtoli, Prophetæ autem ſerui. Quia ſeruus (inquit veritas) neſcit quid faciat *Ioan 14.* Dominus. Vos autem dico amicos, quæcumq; enim accepi à patre, nota feci vobis.

Nunquid venit lucerna. Græci codices, qui nunc extant (ait Gannæius) *Gannaeius.* prouenit habent καίεται, id eſt accenditur. Vndè oportet interpretem ſuo tempore aliud legiſſe ἥκεται; aut ἔρχεται aut aliud ſimile; qui tamen ſint codices, quos iſte refert, neſcio, vnum ſcio in codice græco, qui manibus contractatur, & legitur in Eccleſia græca, habere ἔρχεται hoc eſt venit. Sic quoque legit Syriaca tranſlatio. Nunquid venit lucerna. Explicari autem myſterium aduentus lucernæ, peraccenditur, non inficior, videlicet eo venire accenſam, vt accendat, & ſimul illuminet. Præſertim Chriſtus, qui eſt *Ioan. 1.* lux vera, & illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, & vt ignis accenſus accendit, & inflammat. Dixit enim *Luc. 12.* ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi vt ardeat. Vnde diſcipuli. Nonne cor *Luc. 24.* noſtrum ardens erat, dum loqueretur nobis in via? Obijcies; fortè cedo lucernam, quæ nõ accendatur. Intuere aſtra cæli, & luminaria firmamenti; carbunculum quoque, & aliæ gemmæ lucent, cum pleriſque alijs naturalibus, quæ in piſcibus, animalibus, & arboribus obſeruauit Ariſtoteles, Plinius, Solinus, & alij. *Ariſt. Plin. Solin.* Cumque luceant, non accendant. Quibus ego eos comparo, qui ſanam doctrinam, & verbum irreprehenſibile prædicant in ſuggeſtu, docent in ſcholis, & in Concilijs definiunt, cui nefas eſt contradicere, attamen inaccenſi charitate, neque pleni zelo feruido illud eructant, quo fit, vt parum moueantur legentes, & audientes remiſsè ſe habeant. *Venit* dicitur (notat Arias Montan.) *Arias Mõtanus.* vt ſignificet ſponte à Deo offerri, & venire gratiam, quod ſi ſpontè venit, vt ſui vſum præbeat, *venit*. Eadem ratio eſt verbi Regni, quod ſpontè ſeminatur à ſeminatore optante, vt nullum granum ſine fructu efficiatur, atque ideò, neque Regni rationem, neque huius verbi expoſitionem, neque inuitationem hanc priuatam eſſe, aut priuatè exhiberi debere, ait Ieſus, ſed vt manifeſtetur, & in palàm veniat. Cæterum cum notum ſit lucernam accendi, ſimiliter gratiam, ac verbum offerri omnibus, & communia ſingulis, qui voluerint fieri; quorſum? *Nunquid* nemo dubitat bonum eſſe communicabile, tantoque extendi, quanto excellentius. Dubitauit quidem *Act. 8.* Simon magus, qui donum Dei pecunia ſibi poſſidere tentabat; & idem prorſus dubitant, qui ſimoniaci ſunt. His tu orator dicito: Nunquid? poſt dubij profer ſolutionem, & damnatæ hæreſis, morbique peſtilentis iacturam narrato; vt qui verbis abiurant hæreſim, factis reprobent, & deſinant magum ſequi. Hæreſim dixi ſimoniam, iuxtà cap. quiſquis 1. q. 1. qui eſt *1. quæſt. 1.* Gregorij, lib. 7. ep. ep. 110.

Vt ſub

Vt ſub modio ponatur, aut ſub lecto. Modius eſt menſura, quam apud Matt. expoſuimus, tametſi de eius quantitate nihil certi habeatur. Siquidem de ea aliter Voluſius Metianus differit, quàm Calepinus. Hic cum Peroto putauit modium eſſe duorum, & viginti ſextariorum. Ille ſexdecim ſextarios opinatur continere. Nobis ſufficit ſcire concauam eſſe menſuram, ſub qua poſſit abſcondi lucerna. De lecto autem nihil profero cum notiſſima ſit eius ſignificatio. Modius, ſecundum Hieronymum auditus eſt inobedientium. Beda modium facit vitam noſtram Dei præſcientia menſuratam. Hilarius ſuper Matt. can. 4. Synagogam imaginatur modium, quæ aliquam obſeruantiæ formam tenet. Ambroſ. ſuper Lucam. 11. legis litteram, quæ Euangeliũ videtur continere. Itaque lucernam ſub modio condere, ſecundum Hieronym. eſſe poſſet. Rebelli, ſchiſmatico, hæretico, & alicui, qui ſuperbè graditur continuò, neque obedire vnquam didicit, neque voluit, committere præſulatum, qui totus eſt obedientiæ plenus, quia præſul alijs imperans, neceſſe eſt ipſum parere maioribus, Deo in primis, per quem regnat, & imperat. Vnde ſedes ducum ſuperborum deſtruxit, & ſedere fecit mites pro eis, ſed ſuper omnes mitiſſimum Chriſtum, qui ex his, quæ paſſus eſt, didicit obedientiam. Quam quia plerique ſuperiorum ignorant, eorum cœtus perturbantur, & ipſi maiorem ſibi damnationem aſciſcunt, cuius participes ſunt electores, qui lucernam propter ſua commoda ſub modio ponunt, cum ſæculi ſcandalo, quibus vt olim non lucet præſularus vbique, neque in omnibus, neq; ex his ſuperioribus aliquid emolumenti in anima colligunt. Secundum Bedam ſub modio recondit lucernam, qui beatificat hominem in vita ſua, iamque plenum ſanctitate audet acclamare. Cum iuſtus Iob dicat: Si ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea. Secundum Hilarium, lucernam ponit ſub modio, qui Eccleſiam nouam, & obſeruantiam ſtatutorum eius, vnà cum his, quæ Synagoga decreuit concurrere, vt olim Ebion, Cherinthus, Saniſei, Elceſci, & alij, qui de circumciſione erant, præſumpſerunt affirmare. Cum dicat Apoſtolus: Si circumcidimini, Chriſtus nihil vobis prodeſt. Secundum Ambroſium, is ſub modio recondit lucernam, qui Euangelium intra legis litteram clauderet, neque aliquid diſtinctum à lege Moſayca dicere legem Chriſti affirmaret. Denique lucernam ſub modio ponit, qui ob temporale commodum prædicationis gratiam ponit, ſecundum Eucherium form. ſpiri. 8. Sed quid de *lecto*? Multa quidem de eo in Scripturis lectio, & mentio reperitur, in bonum, & in malum, quomodo hic crediderim accipi. Hoc eſt pro pigro, qui ſicut oſtium vertitur in cardine ſuo, ita piger in lecto ſuo. Huic ergo aliquid ſpirituale committere, præſertim eccleſiaſticæ dignitatis gradum, & præſulatum, qui vigiles poſtulat, & totum hominem; cum ſit ars artium, eſt ſub lecto lucernam condere. Eſt quoque lectus delitioſi hominis, & luxurioſi argumentum, dixit enim meritrix. Intexui funibus lectum meum, ſtraui tapetibus pictis ex Ægypto, aſperſi cubile meum myrrha, & aloe, & cinnamomo, ac ſi diceret: Delirijs vſquequaque abundo. Ergo carnalibus hominibus effœminatis, & delicatis, quorum venter repletus, luxuriam iugiter ſpumat, officia Eccleſiaſtica dare, & eos alijs præficere, eſt lucernam ſub lecto abſcondere. At quàm impium ſit ſimilium hominum curam habere, eoſque eligere, docet titulus de electione, & electionis poteſtate. 8. q. 1. oportet. Et tribus capitibus ſequẽtibus. 28. d. priuſquã, & c. Syracuſanæ, 19. d. in canonibus. 25. d. primum. Atque alijs tum canonibus, & Sanctorum decretis Pontificium, & Conciliorum, tum Scripturarum ſententijs, prohibetur electio eiuſmodi hominũ. Nam ſi de prælato præſumenda eſt omnis ſanctitas. 40. d. ne nos. abſurdum eſt populo eſſe peiorem. 1. q. 1 viliſſimus. Porro ſi vita paſtoris eſt ſubditis exemplar. 2. q. 7. cum paſtoris, quod eius integritas ſit ſalus ſubditorum. 41. d. miramur, aut certè ſuo exemplo multos ad inferos trahat. 40. d. ſi Papa. Incongruè ſanctorum locum tenet, qui Sanctorum facta non imitatur. 41. d. non eſt. Idem dicito de prędicatione; quòd neque ſub modio, neque ſub lecto ponatur, hoc eſt non commendetur auaro, aut luxurioſo, ne ſeipſum condemnet, & abſumat, alios verò ſcandalizet, & auctoritati ſacri verbi derogeт. Accidunt, & hæc incommoda quando ſimilibus ſacramentorũ adminiſtratio committitur, tametſi ſacramentorum effectus non impediatur. Ergo concludit Chriſtus.

Nonne vt ſuper candelabrum ponatur? Meminiſſe oportet (inquit Arias Montan.) ad huius loci explicationem, quis fuerit antiquis vſus candelabri, ac lucernarum. Antiquitatem tamen non proponit ipſe, eam affert Plinius lib. 34. cap. 3. ſed fabuloſam. At veram ex ſacris oraculis colligimus. Candelabri vſum, & in tẽplo, & domi fuiſſe, inſeruiſſeque communibus vtilitatibus, vt candelabrum Moyſi, nec non priuatis, vt quod in cœnaculo Heliſei adhibeatur. Vt iam, vel inde perpenderemus, quibus ſpirituales gratiæ conueniant, & quorſum communicentur. Candelabrum enim templi ex auro erat, aliud ex ære. Æs ſonum emittit, aurum ſplendorem, quod ex auro erat vtilitati omnium inſeruiebat, tum maximè ad gloriam Dei erat. Ex ære compactũ priuato accommodabatur. Candelabrum æris eſt homo priuatus, qui fortiter

Marginalia: *Voluſius Metian.* — *Calepinus.* — *Perotus.* — *Hieron.* — *Beda.* — *Hilar.* — *Ambroſ.* — *Hieron.* — Varij modi condendi lucernam ſub modio. — *Beda.* — *Iob. 9.* — *1 Theſ. 5.* — *Ambroſ.* — *Eucherius.* — *Prou. 26.* — *Prou. 7.* — *8. q. 1. cap. oportet 28. d. c. priuſquam. c. de Syracuſanæ 19. d in canonibus 25. d. c primũ.* — *40. d c. ne nos. 1 q 1. c. viliſſimus. 2. q 7. c. cũ paſtoris. 41. d. c. miramur.* — *Arias Mõtanus.* — *Plinius.* — *Exod. 25.* — *4. Reg. 4.*

riter agit in his, quæ animum perficiunt, & ſonat exemplo, & verbo his, qui eum tangunt, & ad eum accedunt, non aliter. Nam non tangentibus, vt ſæpè æs viriditatis ſuperficie naturam ſimulat, & priuatus homo ſanctitatem taciturnitate, & alijs. Eam tamen priuatus detegit priuatis, & lucernam, quam ſuper ſe defert, oſtendit. Candelabrum aureum ſeptem lucernis ornatum, & templo, & populo expoſitum eſt, ac diuinis obſequijs. Hoc eſt, homo publicus, & communis, quem Deus publicis vtilitatibus delegit, ſanctitate publica, & patente opere fulgentem cunctis, vt aurum, ſed multo clariorem lucerna ſuperpoſita. Cuius finis tàm in hoc, quàm in illo eſt, non ſua tantum, ſed aliena potius quærere. Nam & gratia gratis data, quæ eſt in ædificatione corporis Eccleſiæ, & gratia iuſtificans, quæ illuſtrat habentem, Deum primò reſpicit, & Deo vult, non tàm ſubiectum in quo eſt, quam reliqua, in quibus deſideratur Deus, vel abundantius. Ergo vt lucerna, quæ tàm priuato, quàm communi candelabro ſuperponitur, illuſtrat circunſtantem aërem, necnon candelabrum, cui innititur, ſic gratiæ, quas Deus homini priuato, & communi largitur, deſeruiunt, & habenti, & circumſtanti. His itaque viſus Chriſtus, ſecundum

Theophyl. Theophylactum, in hunc modum cœpit affari Apoſtolos: Erit autem, & vnuſquiſque veſtrum lucerna, quæ debet poni ſuper candelabrum, hoc eſt ſuper ſummitatem diuinæ vitæ, vt & alijs poſſit lucere, & non ſub modio, hoc eſt ſub gaſtrimargia, & ciborum cura, neque ſub lecto, hoc eſt quiete. Nullus enim, cui cibi curæ ſunt, & qui requiem deſiderat, poterit lucerna eſſe omnibus lucens, etiam per ſui vitam. Vel lucerna eſt

Gloſſa ex Hieronym. & Beda. verbum Dei (ait Gloſſ. ex Hieron. & Beda) quod illuminat, qui ergo amore præſentis vitæ, & carnalis illecebræ occultat verbum Dei, quaſi ſub modio, vel lecto, lucernam operit, quia ei carnis concupiſcentias præponit. Iuxtà hanc gloſſam, parabola præſens eſt expoſitio præcedentis, & reſponſio tacitæ obiectionis, quam quis priori parabola audita, obijcere poſſet. Quod ergo non fructificet ſemen, non eſt culpandus homo; ſed vel ſpinæ, vel volucres, aut petræ, aut certè non mitti ad eum ſemen. At, inquit Chriſtus: Etſi prædicta ſeminis fructum impediant, nihilominus in homine culpa tota vergit. Siquidem Dei verbum non ſolum eſt ſemen frugiferum gratiæ, & gloriæ his, qui illud colunt, & fouent; verum etiam eſt

Ioan. 1. lucerna, quæ illuminat omnem hominem, vt videat volucres, & abigat, ſpinas euellat, necnon petroſa comminuat, & comminutas colligat, & collectas foras emittat. Placet mihi expoſitio. Aliam tamen primò intentam crederem, necnon quam Dionyſius his

Dionyſ. verbis conſcripſit: Per hæc (inquit) Saluator ſignificauit, quod euangelica doctrina, quæ comparatur lucernæ, non eſſet occultanda, ſed primò Iudæis, deinde omnibus gentibus prædicanda.

CAPVT XXII.

Non eſt enim aliquod abſconditum, quod non manifeſtetur, nec factum eſt occultum, ſed vt in palam veniat.

POtiſſimam cauſam, cur lucerna ſuper candelabrúm ſtatuatur, verbis his aperit: Eſſe, inquam, non illuminare ſolum corporis oculos, aut pedes dirigere, ne offendant ad lapidem; ſed cordium cogitationes, & conſcientias manifeſtare, ne quis in errore animæ ſuæ verſetur, dumque ſe putat ſapere, ſtultus iudicetur, qui abſcondita mala neſciuit aperire medico. Ergo quia oportet in die reuelationis occultiſſima quæque reuelari ante tribunal Dei, & cunctis mentibus in palam fieri: Lucernam ſuper candelabrum neceſſe eſt poni, vt luce; vel miniſterij ſeduli, quod præſuli demandatur, vel prædicatione verbi Dei, cuique pateant ſua facta, eaque dijudicet, corrigat, melioret, perficiatque ne iudicio publico dijudicentur, reprobentur, & damnentur in concione publica, quæ noluimus in priuatis laribus emendare.

Non eſt enim aliquod abſconditum. Si aliquod, interpretetur ens, propoſitio nota eſt. Non item ſi priuationem importet, qualem omnes faciunt peccatum. Hoc enim etſi ſtatuatur, videtur tamen nulli peruium, cum ſit mera boni priuatio, & nihil cum obiecto mentis habens commercij. Vtcumque ſiue aliquid connotet omne ens poſitiuum, ſiue priuatiuum, non eſt quicquam abſconditum præſertim oculis Dei, qui vniuerſa conſpicit. Scit quid deſideret ſpiritus, intuetur cor. Eſt enim maior corde noſtro dicebat Ioan. & nouit *1. Mar 9.*

omnia; quæ nuda, & aperta ſunt oculis eius, *Ioan. 3.*

in omnique loco contemplatur bonos, & malos. Siquidem vbiq; præſens eſt, & quæcumque fiunt, ipſe operatur; à malis autem quæ peruerſa voluntas facit, abſtinet, neque cum eis concurrit. Tumque ſcit malum parpetrari, & in ente, quod operatur nouit non ens, & priuationem boni in bono, à quo peccator ſe cohibet peccans. Eſt quidem (ait S. Thom. 1. p. q. 14. art. 1.) Cognoſcibile vnumquodque, ſecundum quod eſt. Vnde cum hoc ſit eſſe mali, quod eſt priuatio boni: per hoc ipſum, quod Deus cognoſcit bona, cognoſcit etiam mala, ſicut per lucem cognoſcuntur tenebræ. Vndè dicit Dionyſius 7. cap. de diui. nom. quod Deus per ſemetipſum tenebrarum accipit viſionem, non aliundè videns tenebras, quàm à lumine. Deus igitur (infert in reſp. ad p.) *4. Heb. 4.* *S. Thom.* *Dionyſ.*

non

Digitized by Google

non cognoſcit malum per priuationem in
ſe exiſtentem, ſed per bonum oppoſitum,
ſcilicet, eſſentiam ſuam. Cui licet malum nõ
opponatur, quæ non eſt corruptibilis per
malum, opponitur tamen effectibus Dei,
quos per eſſentiam ſuam cognoſcit, & eos
cognoſcens, mala oppoſita cognoſcit. Hæc
ille ad 3. Verum quomodo aliquid rationa-
li creaturæ ſit abſconditum, multæ concer-
tationes inter Scholaſticos fiunt. Primò de
his, quæ in Deo lucent, an ſit aliquid abſcon-
ditum beatis, an omnia videant. Secundò
quæ in cordibus mortalium ſunt, an intel-
lectibus ſeparatis ſint peruia. Et tertio
quæ futura ſint, poſſint tum ab hominibus,
tum ab Angelis præuideri, quæ omnia cum
nihil auctoritatis contineant, prætereo; ſuf-
ficit nobis ſcire nihil abſconditum Deo,
neque præſens, neque futurum, neque vni-
uerſale, ſiue ſingulare; neque bonum, neque
Error Abailardi. malum. Vt Petrum Abailardum hæreticum
euitemus, qui Epicuro, & Democrito con-
ſentiens, Deum negauit præuidere, neque
prouidere, quæ in mundo ſunt, & fiunt; ſed
quadam neceſſitate cuncta accidere ſtatuit,
contra oraculum: Attingit à fine vſque ad
Sap 8. finẽ fortiter, & diſponit omnia ſuauiter. Co-
gnoſcit ergo vt prouideat, & prouidet ſingu-
lis, quia cognoſcit quid expediat. Ex priori-
Orig. Cyril. bus Eccleſiæ patribus, vt Orig. Cyrill. Theo-
Theodoret. doret. atq; alij ſcripſere multa de his, optã-
tes gentiles ab errore reuocare, ergo quia
vetus error abijt, dictis ſimus contempti.

Quod non manifeſtetur. Propriè mani-
feſtatio boni eſt, & entis; per accidens fit
mali manifeſtatio. Erat Deus mundo ab-
ſconditus, regnum cælorum nulli patebat,
ſed & viam, qua itur ad Deum, & regnum
quis nouerat? Hæc igitur abſcondita à ſæ-
culis manifeſtanda erant per Apoſtolum,
per Euangeliſtam, & diſcipulum; ſed ver-
bo Domini, & lucerna, quam in manibus te-
nentes, & ore manifeſtarunt auctorem, vt
omnes cognoſcant Dominum, à minore
vſque ad maiorem, & confeſtim properent
ad montem Domini, & ad domum Dei Ia-
Iſai 2. cob, & dicant omnes. Hæc eſt via, ambulate
Iſai 30. per eam. Indè appellati ſunt Apoſtoli lux
mundi, & ad eos dictum eſt, quod in aure
Matt. 10. audiſtis, prædicate ſuper tecta. Hoc eſt pa-
lam annuntiate bona, quæ in ſecreto audi-
ſtis. Manifeſtata ſunt etiam per Apoſtolos
mala, ſed quaſi per accidens; vt prædicatio-
ne vnius Dei, idolatria manifeſtarunt ſum-
mum ſcelus. Prædicatione verbi Dei, mun-
dum, & quæ in eo ſunt vaniſſima eſſe oſten-
derunt; dumque viam regni, hoc eſt, legem,
& Euangelij ſtatum exponunt, ſectas, erro-
res, & vitium omne, atque peccatum ape-
riunt, & dignum ſupplicio. Nihil horum,
quæ olim abſcondebantur gentilitati; &
multa ex parte Iudæis relictum eſt, quod
in prædicatione Apoſtolorum manifeſta-
tum non fuerit. Et qui Apoſtolis ſuccedunt,
eorumdem manifeſtationi intendunt, non
fabulis, aut figmentis, quæ nihil proſunt au-
dientibus. Multò enim luculentius in die
iudicij eadem manifeſtabuntur per eum, qui
lucem inacceſſibilem inhabitat, vt quem *1. Tim. 6.*
mox Iudæi data opera volunt ſibi abſcon-
di, videant in quem pupugerunt, & cuius *Apoc. 1.*
viam mortales negligunt, mœrentes con-
cludant: Ergo errauimus. Vndè Theophy- *Sap. 5.*
lactus. Vnuſquiſque veſtrum, ſiue bonum *Theophyl.*
quid fecerit, ſiue malum in occulto, manife-
ſtabitur etiam hic, & multo magis in futu-
ro ſæculo. Quid enim occultius Deo? at-
tamen ipſe manifeſtatus eſt in carne.

Nec factum occultum. Si phraſim Scri-
pturæ attendimus, per factũ intelligi opor-
tet Dei opus, quod, per *factum eſt*, legimus
explicari. Vt facta eſt lux. Factum eſt ve-
ſpere, & factum eſt ita. Etiam per *factum*, *Gen. 1.*
intellige creaturæ actionem: Nam ſcribi-
tur: Factum eſt, vt imperaſti. Facta bona *Luc. 14.*
manifeſta ſunt, Beatus in facto ſuo erit. *1. Tim. 5.*
Igitur tàm Dei, quàm noſtra facta ſunt mo- *Iac. 1.*
do occulta, non tamen omnia. Occulta dico
creaturæ, non creatori; quia opera omnis *Eccl 39.*
carnis coram illo. De cælo quidem reſpe- *Pſal. 32.*
xit Dominus, vidit omnes filios hominum.
Quippe totus oculus, atque vigil.

Sed vt in palam veniat. Ergonè vniuer-
ſa, quæ operatus eſt Dominus palam fient,
necnon quæ creaturæ? Vtique Deo. Non ſo-
lum quæ facta ſunt, ſed quæ tàm in ſua po-
tentia permanent, & quæ creatura poteſt;
quamuis enim (ait Auguſt. lib. 22. de Ciuit. *Auguſt.*
Dei, cap. 18. in fine.) Infinitorum nullus eſt
numerus, non tamen incomprehenſibilis
ei, cuius ſcientiæ non eſt numerus. Habet
enim rerum omnium ideas, quin ipſe ſit
idea cunctorum, quæ ſunt, & eſſe poſſunt in
infinitum, licet in actum non exeant. Eaque
non in vniuerſorum, vt homo in homine,
quoſque homines, qui eſſe poſſunt, non it ſe-
cundum ſpeciem, ſed diſtinctè, quoniam eſ-
ſentia diuina, ait S. Thom. 1. p. q. 14. art. 12. *S. Thom.*
per quam intellectus diuinus intelligit, eſt
ſimilitudo ſufficiens omnium, quæ ſunt, vel
eſſe poſſunt, non ſolum quantum ad princi-
pia communia; ſed etiam quantum ad prin-
cipia propria. Et Philoſophus tertio meta. *Ariſt.*
tex. 15. contra Empidoclem (qui inferiora
dicebat à Deo ignorari) infert Deum fore
inſipientiſſimum, ſi diſcordiam ignoraret,
ſeu aliud quoduis. At Deum ſapientiam
ipſam eſſe, tum ratio, tum oraculum per-
ſuadet: Ergo & diſtinctè noſſe ſingula, quæ
ſunt actu, & in potentia neceſſe eſt crede-
re. An verò rationali creaturæ palam fiant
diſſerere nos velle, videremur repetere quæ-
ſtiones, quas vt inutiles propoſito ſupra
reliquimus. Nam etſi indubitatum ſit, ho-
minem non videre omnia, quæ Deus videt
ſua infinita ſcientia, & modo infinito; de

his,

his,quæ palam fiunt beatæ menti, necnon damnatæ multa agitantur problemata. Cæterum quod Deo(vt dictum eſt)ſint palam omnia, nobiſipſis timeamus; qui abſcondimus ſcelera, ſtudeamus ergo palam facere
Iſai. 43. ſacerdoti, qui poteſt remittere. Scriptum eſt: Narra ſi quid habes,vt iuſtificeris.Nam ouis,quæ balat contra lupum à paſtore ſubuenitur;& exauditur vox pueri,quem mater
Gen. 21. præ dolore abiecit,ne morientem cerneret. Abiecit te Eccleſia per excommunicationē, & anathematiſmum,ò hæretice,& tibi peccatori negat participationem meritorum, clama,lachrymare,& confitere omnia peccata tua,& habebis Deum propitium,recōciliaberiſq; matri. Atque eò vt ſic fiant palā ſcelera noſtra,lucerna,non vna,aut altera,ſed multiplex ſuper candelabrum, & ſu-
Hæreſis reprobatur. per candelabra Eccleſiæ ponuntur, ergo pereat Lutherus,& ſequaces; qui confeſſionē negant auricularem,& prohibent abſcondita mala ſacerdoti publicari. Qui enim ab-
Prou. 28. ſcondit ſcelera,non dirigetur.

CAPVT XXIII.

Si quis habet aures audiendi, audiat.

Expoſitio. MAgnitudinem enarratæ parabolæ,hac breui ſententia, qua vſus fuit etiā in fine prioris inſinuat, & animaduerſione dignam eſſe. Nam noſtrum intereſſe certum eſt, ſcire, quæ abſconduntur,& palam fieri, quæ ad regnum conducunt, & quæ ab eo reuocant. Aures autem ſolemus erigere ad ea,quæ vel vtile conferunt,vel ad honeſtum inducunt:Quid autem vtilius,aut honeſtius Deo, regno, & via, quam ſupra retulimus? Ergo ſi quis verè cupidus eſt eorum, quæ appetitione digna ſunt,ait Chriſtus. Aures aperiat, & audiat narrationem, quam propoſui, diligenter attendat, & penſiter. Non enim agitur de lana caprina, neque docemus lutum luto purgare, ſed ex luto vas in honorem formare.

Si quis. In priori ſententia prætermittitur cōditionalis coniunctio. *Si*,quæ hic additur, tum ad maiorem emphaſim, tum vt indicaretur paucitas eorum,qui myſterium propoſitæ parabolæ penetrant. Nam neque qui candelabrum in Eccleſia agunt, & lucernam tenent, plenè norunt dignitatem miniſterij, onus, & exercitium pauciſſimi, vt oporteret,complent. Vnde qui modo ſupra omnes hac in parte habetur celebris,
Cor. 15. olim dicebat: Qui non ſum dignus vocari Apoſtolus. Neque etiam populus,qui illuminatur, reueretur eos, vt deceret, neque eorum functionibus vtitur, qua poſſet vtilitate, & virtutum incremento. Vndè tàm populus, quàm ſacerdos, tàm hierarchia illuminans, quàm plebs illuſtrata poſſunt
iugiter dicere: Homo peccator ego ſum, *Luc. 5.*
ſerui inutiles ſumus. *Luc. 17.*

Habet aures. Integras,non perforatas ſi- *Exod. 21.*
cut habet captus, ſiue emptitius ſeruus apud herum manere volens.Qui autem ſeruus eſt peccati,ex diabolo eſt,non ex Deo; inde dixit veritas ad illos. Propterea vos
non auditis,quia ex Deo nō eſtis. Ergo qui *Ioan. 8.*
iſta,quæ Dei ſunt,audire vult, integras aures habeat,ſcilicet,mentem ſanam,animum
rectum,& purum.Nam is(ait Deus)in audi- *Pſal. 17.*
tu auris obediuit mihi. Quinimo exorat:
loquere, quia audit ſeruus tuus: Fac me *1. Reg. 3.*
audire vocem tuam,qua audita,lætus ſub- *Cant. 8.*
iungit: Dominus aperuit mihi aurem, ego *Iſai. 50.*
autem non contradico,retrorſum non abij, vt ſolet ſeruus malè conciliatus.

Audiendi audiat. Aures quidem natura ſua ad audiendum ſunt; arte tamen fiunt aliquando ſurdæ. At ſi ſurditas fuerit dæ-
monis, fiunt ſurdæ ad bonum: Sicut aſpidis *Pſal. 57.*
ſurdæ, & obturantis aures ſuas. Vt malè
agant liberius. Maledictus tamen vir hic, *Ier. 11.*
qui non audierit verba pacti, quod Deus nobiſcum pepigit, & prædicat. Sed vocaui (inquit)& nō erat qui audiret. Quando ars Dei ſurdum facit auditum, ne audiat, quæ ad ſe non pertinent, neque auſcultet, quæ lædunt proximum, & ad omnem iniuriam ſpinis aures ſepit; laudem omnem meretur,& gloriam: Eſt enim opus eius, qui per
vatem dixit: Ego autem tanquam ſurdus *Pſal. 37.*
non audiebam,& ſicut mutus non aperiens os ſuum: Et factus ſum ſicut homo non audiens, & non habens in ore ſuo redargutiones,quoniam in te ſperaui, tu exaudies me Domine Deus meus. Vtinam huiuſmodi ſurditas,& mihi, & cunctis,tum maximè religioſis ineſſet,ne in vanum fieret noſtra religio. Et quidem ad eam nos exemplo, & verbo magiſter inuitat, quando dixit: Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis
corde, & inuenietis requiem animabus ve- *Matt. 11.*
ſtris.

CAPVT XXIV.

Et dicebat illis: Videte quid audiatis: In qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis, & adijcietur vobis.

HOrtatur Apoſtolos ſolicitos eſſe,quæ Expoſitio.
ab ipſo audierint, alijs prædicare. Quoniam aderit,inquit, diuina pietas, quæ non patietur,vos abſque fructu eſſe. Nam etſi præſenti ſæculo iuxtà ſtudium,atque zelum, quo curabitis proficere alijs, remetietur vobis, hoc eſt capaciores reddet ad altiora recipienda. Quid? Quod poſt vitæ

curſum adijciet retributionem, quæ finem non habet, neq; in cor hominis aſcendit.

Et dicebat illis. Videlicet diſcipulis: Quoniam miniſterium totius Eccleſiæ ad eos deuoluendum erat, & gratiarum diuiſiones inter eos partiendæ, vt miniſtri fideles (1. Cor. 4.) miniſteriorum Dei eſſent. His ergo dicit; & ſucceſſoribus dicit; vt fidelis quis inueniatur, & ſeruus prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam. (Luc. 12.)

Videte quid audiatis. Hoc eſt (ait Theophylact.) nullum ex dictis meis vos fugiat. (Theophyl.) Si quidem (proſequitur Arias Montan.) omnem opportunæ gratiæ copiam, omnem veritatis, & conſilij, atque doctrinæ rectæ rationē hominibus ex diuino beneficio conſtare. (Arias Montanus.) Si quid autem deſit, id culpa hominis eſſe, docet Ieſus. Bonum enim ſemen ſeminatum eſt ab ipſo, & ab his, quos diuinus ſpiritus miniſtros verbi Regni conſtituit.

In qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis, Hoc eſt, exponit Theophylactus: (Theophyl.) Qualem menſuram attentionis attuleritis, talis etiam vtilitas vobis dabitur. Auditor enim ſi attenderit, quantum poteſt, magnum commodum illi Deus dabit. Etenim in præſenti (adijcit Gloſſa interlin. Bedæ) ſenſus intelligendi, & effectus operandi, & in futuro dona æternæ retributionis adijcientur. (Gloſſa.) Aliter Hieronym. ſecundum menſuram (dicit) fidei, vnicuique diuiditur intelligentia myſteriorum, & adijcietur donum ſcientiæ; (Hieronym.) etiam adijcientur virtutes. Ad hæc Arias Montan. Prouerbiū vulgatiſſimum hebræis eſt. (Arias Montanus.) נרה כנגד מרה ſignificat idem, quod latinum adagium: *Par pari relatum*. Hoc in loco in eam ſententiam pronuntiatur à magiſtro noſtro, vt vnuſquiſque ſatagat omni ſtudio, & conatu veram diſciplinam diligenter ſubire, non ſolum cognitione, ſed exercitatione etiam. Nam per Deum non ſtabit, quominus ea gratia afferatur, ad quam recipiendam vnuſquiſque ſe præparauerit, qui magno ſtudio, magnaque diligentia vſus fuerit in audiendo Euangelio Regni, & ijs agendis, quæ in ipſo Euangelio præcipiuntur, is profectò magna gratia à Deo, non adiuuabitur modo, ſed etiam cumulabitur. Hoc eſt, quod ait.

Et adijcietur vobis. Hinc (ſcribit Gannæius) mihi Caietanus delirare videtur, dicens, & exemplificans illum locum *adijcietur vobis*, ait, intelligitur tàm in bono, quàm in malo, tàm in præmio, quàm in pœna. Nam etſi dixerit: Secundum menſuram delicti erit, & plagarum modus, (Deut. 25.) quod in iudicio temporali obſeruari ſolet, quoad fieri poteſt; in æterno tamen iudicio Deus nunquam adijcit pœnam grauiorem delicto: cum Deus (aiunt Theologi) ſupra condignum præmiet, puniat autem citra. Attamen hoc non obſtat quominus dicamus non delirare, ſed ſapienter loquutum Caietanum. Tum quod & in malo videtur Paulus vſurpaſſe, cum dixit: Væ mihi eſt, ſi non euangelizauero; (1. Cor. 9.) ſimiliter & in bono, cum ſibi repoſitam coronam pollicebatur. (2. Tim. 4.) Nec quidem aliundè ex æquali menſura, ſecundum quam & auditoribus, ſicut & prædicatoribus plus, minusvè præmij adijcit, necnon pœnæ, prout quis minus benè officium exercuit, vel plus minusvè indecenter. Scriptum eſt enim: Ponam iudicium in pondere, & iuſtitiam in menſura. (Iſai. 28.) Hoc eſt iuſtitiæ merita, & peccati iudicia metibor præmio, vel ſupplicio, quæ actibus correſpondent, ita vt adauctæ negligentiæ, aut ſolicitudini adijciatur præmium, vel pœna augmentata. In quem modum intellexiſſe Caietan. minimè quidem theologiæ ignarum, crediderim: Non quod vltra condignum pœna detur, ſed citra condignum, nihilominus augmentatam iuxtà augmentum culpæ.

CAPVT XXV.

Qui enim habet, dabitur illi: Et qui non habet, etiam quod habet auferetur ab eo.

OStendit non ſolum iuſtum fore Deum in metiendis hominum conatibus, & dandis his, quæ menſuræ eorum reſpondent: (Expoſitio.) Verum etiam largum, & magnanimum, vt qui abundantius iam habentem cumulet. Qua miſericordia vtitur etiam in eos, qui nihil habent ob negligentiam in operando, ſiquidem ne maius iudicium ſubeant, quod videntur habere, ab illis aufert. In his ergo miſericordia, & veritas obuiauerunt ſibi. (Pſal. 84.)

Qui enim habet, dabitur illi. Ideſt, qui habet fidem (interpretatur Hieronym.) habebit virtutem, (Hieron.) & qui habet opus verbi, habebit intelligentiam myſterij, vel ſecundum Theophylact. (Theophyl.) *Illi dabitur*, qui alacer eſt, & diligens, quia hilarem datorem diligit Deus. (Cor. 9.) Vt ſicut Reges fideli principi nouum addunt honorem, ac ſæpius principatum, (Matt. 25.) & ille, qui in quinque talentis ſolers fuit, alia recepit; ſic qui iniuncta à Deo complet fideliter, maiora continuo recipit. Nullum ergo honorem ſeruis: Et erunt, vt complaceant eloquia oris mei, & (Pſal. 18.) meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper. Tu verò quid? Inaltabo aceruum (Eccleſ. 20.) frugum, hæc eſt abundantia diligentium Deum.

Et qui non habet, etiam quod habet auferetur ab eo. Et qui non habet, contra fidem (proſequitur Hieronym.) deficit virtute. (Hieron.) Et *qui non habet* opus verbi, eius intelligentia caret, & qui non intelligit, iam auditum perdidit, ac ſi non audiuiſſet.

Nonnun-

Euthym. *S. Thom.* *Theophyl.* *Chryſoſt.*

Nonnunquã enim (ait Beda) lector ingenioſus negligendo, ſe priuat ſapientia, quã tardus ingenio ſtudioſius elaborãdo deguſtat. Vndè ſubdit Euthym. Quemadmodũ ſtudiũ auget tale ſemen, ita ſegnities corrumpit: Per ceſſationem ſiquidem actuum virtus (ſecundum Philoſophum) corrumpi dicitur, ſicut per continuationẽ augeri, tum maximè per feruentiorem. Id quod etiam in virtute theologali iã infuſa locũ habet. Vt optimè S. Thom. 1. 2. differit. Equidẽ propter ignauiã (ait Theophyl.) extinguitur parua ſcintilla, ſicut per alacritatem redaccenditur. Deniq; cum Chryſoſt. ſic totam litteram exponito: *Qui habet*, ſcilicet affectũ, & voluntatẽ audiendi, & petendi, *dabitur ei*; qui verò non habet diuini auditus deſiderium, & ꝙ contingit habere ſcriptæ legis, *auferetur ab eo*. Dicit autẽ, *quod nõ habet*, quia veritatẽ non habet: dicitur autẽ ꝙ *habet* propter hoc, quod mendaciũ habet: putat enim aliquid ſe habere, qui mẽdacis intellectus exiſtit. Prior huius litteræ pars ad gentes, quæ auidè receperunt verbum, poteſt referri. Poſterior tangit Iudæos, qui negligentes audire Euangelium, putant in littera legis veritatem omnem reperiſſe, cum verè mendaciũ apprehẽderint. Et intelligẽtia Scripturarũ, quam ſibi vẽdicant, omninò ab eis tollatur.

CAPVT XXVI.

Et dicebat: Sic eſt regnum Dei; quemadmodum ſi homo iaciat ſementem in terram.

Expoſitio.

TErtiam ſubnectit parabolam, qua ſementis vim explicat, modum, atque proceſſum, qui ſub ſemine in operatione verbi Dei, poteſt contemplari.

Theophyl. *Euthym.* Variæ interpretationes. *Rom. 11.*

Et dicebat, ſic eſt regnum Dei. Regnũ Dei intellige (ait Theophylact.) Dei propter nos incarnationem. Inde Euthym. Regnum nunc Dei ſeipsũ appellat. In ipſo enim, vt in Regno condita ſunt vniuerſa. Et cum ipſo, per ipſum, & in ipſo ſunt omnia, qui eſt caput ſupra omnẽ Eccleſiam, & in quo inhabitat plenitudo diuinitatis corporaliter. Quamobrem dixit: Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te Deũ verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtũ, & in eum credere. Vndè Chryſoſt.

Epheſ. 1. *Coll. 2.* *Ioan. 17.* *Chryſoſt.*

Regnum Dei, dicit fidem, quæ eſt in ipſum, ac diſpenſationem humanitatis, quod quidẽ regnũ eſt, ſicut ſi iaciat homo. Ipſe enim exiſtẽs Deus, & Dei filius, homo incommutabiliter factus, pro nobis terrã ſeminauit; ideſt, totum mundum, verbo diuinæ cognitionis illuminauit. Vel ſecundum Hieron.

Hieron. *Luc. 7.* Propria opinio.

Regnũ Dei, Eccleſia eſt, quæ regitur à Deo, & ipſa regit homines, & contrarias virtutes, & vitia calcat: Vt eſt Centurio habens ſub ſe milites. Ego propter aduerbium, *ſic*, quod in Scripturis emphaſim connotat: vt ſic Deus dilexit mundum; ſic fuit placitum ante te, & alibi. Dicere *Dei regnum*, non Deum, non Chriſtum, non Eccleſiam; non fidem ſolum, ſed omnẽ virtutem tum maximè charitatẽ; omnem miniſtrum Eccleſiæ, tum maximè præſulem; omnem fidelẽ, præſertim religioſum, & omnia ſacramẽta, quæ Chriſtus in Eccleſia ordinauit, præſertim Euchariſtiam; ſiquidẽ nihil horum eſt, quod non germinet, & creſcat in ſuis effectibus, iuxta qualitatẽ diſpoſitionis, & quantitatẽ, quæ in ſubiecto reperitur. Ideò dixit Pſaltes: Beatus vir, cuius eſt auxiliũ abs te, aſcẽſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lachrymarum, in loco quẽ poſuit. Etenim benedictionem dabit legiſlator, ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion.

Ioan 3. *Luc. 10.* *Pſal. 83.*

Quemadmodum ſi homo iaciat ſementem in terra. Et Chriſtus homo ſeminauit orbẽ, & Apoſtolus plenitudinẽ terræ, & Epiſcopus diocœſim, & ſuperior, qui ſe dignum officio præfert, in gregẽ ſementẽ prædicationis iacit: Nec non priuatus quiſq; quã aſſumpſit virtutẽ in ſuo ſpiritu ſuperſeminat. Etiã dico ſacramentum, quod homo accipit, ſiue baptiſmũ, aut pœnitẽtiã, & quodcumq; aliud in ſe ipſo homo recipit, vt eius gratiã cõtinuò, velut negotiator, pecuniã adaugeat, & multiplicet. Ergo ò homo mane ſemina ſemen tuum, & veſpere nõ ceſſet manus tua. *Eccl. 11.*

CAPVT XXVII.

Et dormiat, & exurgat nocte, & die, & ſemen germinet, & increſcat, dum neſcit ille.

Expoſitio.

SOlicitudo, & anxietas ſeminatoris, necnõ vis occulta ſeminis explicatur. Hoc enim vidente nemine, germinat interius, & exterius creſcit. *Ille* verò etſi agris ſeminatis quieſcat, & dormiat placidè, liber à cura ſeminandi; nihilominus eſt vigil nocte, ne à feris ſata depaſcantur, & die ſolitus eſt cãpos deambulare, germina frugum erumpentia reuiſurus, ſi vel aqua, vel fimo egeant, aut ſi æquè creſcant, aut nimium.

Hieron. *Pſal. 3.* *Cant 5.* *1. Cor. 3.*

Et dormit. Iſta dormitio. Si ad Chriſtum referatur, ſecundum Hieronym. & alios, qui hominem hunc Chriſtum dicant, vocabitur mors eius, quam ſic is ipſe appellauit dicens: Ego dormiui, & ſomnũ cœpi, & exurrexi, quia Dominus ſuſcepit me; ſi ad Deum referimus dormire, ſecundũ alios, qui Deũ hunc hominem contemplantur, idem erit dormire, quod ſui nullam oſtenſionem facere. Vt ibi: Ego dormio, & cor meum vigilat. In alijs, qui ſeminauit, dormire, eſt animo quieſcere, & lætari cum Deo pro bono opere, & cogitatum ſuum in Domino iactare, quia ego plantaui, Apollo rigauit; Deus autem incrementum dedit, ait Apoſtolus.

Quaſi ergo ad aliũ commiſſa cura ſuarum rerum, quieſcere, & dormire videtur benè agens, ac ſeminans verum ſemen. Iuxtà il-
Prou 3. lud. Tunc ambulabis fiducialiter in via tua, & pes tuus non impinget, ſi dormieris non timebis, quieſces, & ſuauis erit sõmus tuus.

Et exurgat nocte, & die. At quomodo exurgit Deus, Chriſtusvè, aut alius quiſpiã, ſi dormit? Etenim nobis Deus videtur dormire, dum vel iuſtos vexari conſentit, vel peſſimos exaltari. Attamen nõ dormitanit,
Pſal. 120. neque dormiet, qui cuſtodit Iſrael. Quid vi-
Ierem. 1. des Ieremia? virgam vigilantem ego video, benè dicis, quia vigilabo ego, dicit Dominus: Et vigilat quidem, & in omni loco, ocu-
Prou 5. li Domini contemplantur bonos, & malos;
1. Par. 16. & præbent fortitudinem eis, qui corde perfecto credunt in eum. Ad quem vates: Do-
Pſal. 120. minus cuſtodit te, Dominus protectio tua ſuper manum dexteram tuam. Hoc eſt, in bonis, quæ proponis agere, velut in manu dextera gladius eſt tibi contra inſultores. Eſt tibi lucerna aduerſus tenebras, eſt tibi aurum, vt amplius diteris, & eſt cooperans denique, quando tu incipis operari, vel facis, quod in te eſt. Opus itaque bonum, & boni propoſitũ eſt animi dextera manus, ſuper quam Deus propitiationẽ ſuam ponit; minimè verò ſuper opus ſiniſtrũ, ac manũ, quæ mali eſt operatrix, ſuper hanc Sathan propitiationem ponit, atq; ideò pariter vigilat *die*, ac *nocte*, lucrum putans, homines malè agere, & damnari. Qui tamẽ nobis impartiuit ſuam gratiam, immo volens illibatam cuſtodiri, augerique ſancta deſideria, quæ deſuper miſit, *nocte, ac die exurgit*, vt confirmet in bono, & promoueat. *Nocte exurgit*, quando à periculis, quę noctu ſunt, hominem tuetur. *Die* verò, quando in miſerationibus magnis congregat nos ad ſe, im-
Iudic. 13. plet benedictionibus dulcedinis, ſicut adipe, & pinguedine, vt gaudentem in victoria reducat ſpiritũ, quò egreſſus eſt. Vel ſecun-
Euthym. dum Euthym. Excitatur *nocte* quidem, dum permittit induci tentationes, quæ nos ad gratũ Dei obſequium prouocãt, *nocte* enim tentationes ſunt propter obſcuritatem triſtitiæ: *Die* verò dum per vtiliora cõſolatur, quæ nos ad virtutẽ exacuunt. Nam hæc diẽ ſignificant propter illuminationem lætitiæ.
Theophyl. Ad hæc Theophylact. Surgit *nocte* cum per tentationes nos erigit in ſuã cognitionem. *Die* verò, cũ propter orationes noſtram di-
Chryſoſt. ſponit ſalutem. Surgit quoq; ait Chryſoſt. ideſt beneuolentiæ ſuæ verbo ad fructificationẽ nos erigẽs per arma iuſtitię à dextris, quibus ſignificatur dies; & à ſiniſtris, quibus ſignificatur nox perſequutionum. Per hæc enim ſemper germinat, nec areſcit.

Et ſemen germinet, & increſcat. Itaque exurgere Deum, ac Chriſtũ die, & nocte, inſereq; ſata; facit ſemẽ germinare, & increſcere; ſi tamẽ, & hominis ratio die, ac nocte vigilauerit ſuper ſeipſum, quod audiens, accipiens, & intromittẽs in animũ dicitur ſeminare. Exurgit ad illud nocte, dũ in noctibus extollit manus ſuas, & cor ſuũ tradit ad *Pſal. 133.*
vigilandum diluculo, ad Dominum, qui fecit *Eccl. 39.*
illũ, & in nocturnis precibus confitetur Dominum. Exurgit & die, dũ miniſteriũ, quod ad vtilitatem, & ædificationem proximi ex lege, vel ordine habet, diligẽter, & fideliter adminiſtrat. Hic eſt beatus ille, qui in lege
Domini meditatur die, ac nocte. Ideòq; erit *Pſal. 1.*
tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructũ ſuum dabit
in tempore ſuo. Beatus ergo (ſcribit Ephren *Ephren.*
in hunc locum) qui plantat bonam plantationẽ in anima ſua, virtutes ſcilicet, & vitã ſanctorũ Patrum, & Deo placentium monachorũ Beatus qui irrigat plantationes ſuas lachrymis, Chriſtũ ſemper exorans, vt ſint fructiferæ, & acceptiſſimæ Deo.

Dũ neſcit ille. Quis ille? Deusnè, & Chriſtus, an homo, qui ſuperſeminatur? Vterq; ſed ille metaphoricos dicitur neſcire fructũ, homo autem verè, & propriè, vndè Hie-
ron. Tropica eſt iſta locutio, & in Scripturis *Hieron.*
diuinis creberrima. Conſuetudine ſemina- *Matt. 10.*
tur, ideſt, neſcire nos facit, quis fructũ in finem afferat; *dũ neſcit*, qui perſeuerauit vſq; in finẽ, ipſe ſaluabitur. Aut *neſcit ille* (inquit *Chryſoſt.*
Chryſoſt.) vt oſtendat liberã voluntatẽ eorum, qui verbum ſuſcipiunt. Voluntati enim noſtræ committit opus, & non totũ ipſe ſolus operatur, ne bonũ inuoluntariũ videa- *Theophyl.*
tur. In idẽ coincidũt Theophyl. & Euthym. *Euthym.*
Ego tamen non video, qui, *dum neſcit*, interpretari poſſit, hoc eſt neſcire faciat. Aut quomodo, neſcire nos augmentũ ſeminis, cõnotet libertatẽ, & cooperationẽ noſtrã; quinimo oppoſitũ. Nam quod neſcientes facimus, inuoluntariũ eſt; ſiquidem animalis actio, non rationalis ponitur, ſi priorẽ quoque interpretationem admittimus. Ideò neſcire ſeminatorem augmentum, quod faciat neſcire. Ergo augmentũ animæ ſpiritualis, niſi impediret Deus, poſſet natura ſua ſciri à mortali. At quę ſunt in homine, nemo nouit; non quod Deus impediat, ſed quod inſcrutabile ſit cor hominis natura ſua, & abſcondita ſit cuicumq; animæ propria pulchritudo, vt facies proprijs oculis. Itẽ ſi *neſcit* Deus, & Chriſtus, hominis profectũ, ꝙ faciat hominẽ neſcire, textus parabolæ non reſpondet contextui, neq; re ille demonſtrat ſeminatorẽ, vt indicat ipſa narratio verborũ. Quare mihi apertius videtur dicendũ, tã illud, quàm *neſcire*, ſubindicare ſeminatorem, ſiue Deum illum contemplemur, ſiue hominẽ, aliter tamẽ, atq; aliter. Deus quidẽ, Chriſtusvè *neſcire* dicitur incrementum ſanctitatis animæ, quod quaſi ignorans quid inter bonum, & malum interſit, ſic iuſtum, & impium videtur tractare, ſolem, & pluuiam vtriſque mandans, quin per ſæpe

exal-

Digitized by Google

exaltato peſſimo, iuſtum qnaſi impiū affligi permittit, ac ſi nō videret, ac ſi *neſciret*. Scit tamen omnia, & aperti ſunt oculi eius ſuper omnes vias filiorū Adam. Homo etiam, qui & ſeminat, accipiens in ſeipſo auditum verbū, aut ſeminat prædicans alijs, *neſcit* augmentum, neque profectum, quod ſecretū ſit, & verbum abſconditū adhuc multò, quàm formatio fœtus, & generatio mineraliū, quę in montiū antris fit, & penetrabilibus. Quapropter iuſtus dixit: Si iuſtificare me voluero, os meum condemnabit me, & ſi innocētem me oſtendero, prauū me comprobabit, etiam ſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea. Et alius: Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum. Ec quis poteſt dicere, mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato? Nemo certè niſi apoſtata Lutherus, qui ſuæ iuſtitiæ certū, & ſciolum facit omnem, qui ſuam, quam introdnxit fiduciam accipit. Sed cauete omnes Luciferum, qni de cælo deſcendit, dum ait: Similis ero altiſſimo; & fugite Nabuchodonoſorem, qui dum in ſeipſo gloriatur, audit: Succidite arborem, hæc prorſus Luthero acciderunt, & euenient ei, qui dixerit: Quid feci? Mundus ego ſum. Ergo qui gloriatur in Domino glorietur, non enim qui ſeipſum commendat ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat, ille probatus eſt: Tunc ſcies, qui ſis, cum dies Domini reuelauerit.

Sap. 9. — *Iob. 9.* — *1. Cor 4.* — *Prou. 20.* — Hæreſis reprobatur. — *Dan. 4.* — *Iob. 11.* — *2. Cor. 10.*

CAPVT XXVIII.

Vltro enim terra fructificat, primum herbam, deinde ſpicam, deinde plenum frumentum in ſpica.

Expoſitio.

QVid neſciente humine ſtatum ſuū diuina virtus verbi ingeneret, & quā ordinatiſsimè operetur in animis noſtris, attende lector. Operatur enim fructū pleniſsimū; hoc tamen admirabili modo, vt primò velit animus vltrò benè agere, habita operantis voluntate, & conatu, more ſeminis, quod in herbā, ſpicam, & granū proſilijt, Dei verbum multiplicat, velut herbam, deſideria pia, Deo placere ſtudet, & iuuare proximum.

Chryſoſt. — *Cæleſtinus Papa.*

Vltrò enim terra fructificat. Ideſt (ſecundum Chryſoſt.) non neceſsitate coacta, cōtra propriam voluntatē; ſed voluntate adducitur ad fructificandum. Tanta enim (ait Cæleſtinus Papa. ep. 1. decret.) erga omnes homines eſt bonitas Dei, vt noſtra velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius bona, & pro ijs, quæ largitus eſt, æterna præmia ſit donaturus. Agit quippe in nobis, vt quod vult, & velimus, & agamus. Neque otioſa in nobis eſſe patitur, quæ exercenda, non negligenda donauit; vt & nos cooperatores ſimus gratiæ. Ac ſi quid in nobis ex noſtra viderimus remiſsione langueſcere, ad illū ſolicitè recurramus; qui ſanat omnes languures noſtros, & redimit de interitu vitam noſtram, & cui quotidie dicimus: Ne inducas nos in tentationem, ſed libera nos à malu. Vnde (hortatur Anacletus Epiſcopus) nubis ſummopere ſtudendum eſt, vt cooperatores ſimus gratiæ Dei, quia ad hoc vocati ſumus, eiuſque familiari colloquio ſociati, & ſacerdotes ſacrati, vt fructuoſos illi manipulos reportemus, cooperante gratia eius. Gratia enim Dei (proſequitur Bernardus. ſerm. 3. de modo benè viuendi ad ſororem) nos præuenit, vt bonum velimus: conſequitur nos; vt bonum incipiamus, cooperatur nobiſcum, vt bonum perficiamus. Igitur (concludit Theophyl.) neque coacti, & neceſſario fructum afferimus, ſed ſpontè, hoc eſt, à nobis ipſis; adiuti tamen gratia, quaſi ſemine, vt Patres contra Pelagiū definiere. Affirmauit enim miſer ſolo libero arbitrio bona omnia, quæ ſunt præcepta nobis, poſſe impleri, abſque gratiæ dono, contra ea, quæ paſſim in Scripturis legimus, abſque Deo nihil eſſe, nihil poſſe, neque agere, ab eo ſalutem pendere, auxilium emanare, atque victoriam, nobis tamen coagentibus. Quare Pelagius, & Cæleſtius. (ait Aug. ep. 157. ad optatum) Conciliorū Epiſcopalium vigilantia, in adiutorio Saluatoris, qui ſuam tuetur Eccleſiam, etiam à duubus venerabilibus Antiſtibus Apoſtolicæ Sedis, Papa Innocentio, & Papa Zoſimo, niſi correcti etiam egerint pœnitentiam, toto Chriſtiano orbe damnati ſunt. Etiam Honorius Imperator (ſubſcribit Poſsidius Calamenſis Epiſcopus in vita S. Auguſt. cap. 17.) audiens, ac ſequens, ſuis legibus eos damnatos, inter hæreticos haberi debere conſtituit. Concilia, quæ hos damnarunt, referuntur Carthaginenſe, & Mileuitanum, quæ in primo tomo Conciliorum extant. Sed iam vndè digreſsi ſumus redeamus.

Pſal. 12. — *Matt. 6.* — *Anacletus Epiſcop.* — *Theophyl.* — *S. Thom. 2. 2. q. 109.* — Hæreſis reprobatur. — *Auguſt.* — *Poſsidius Calam.* — Impreſsionis venetæ.

Primum herbam, deinde ſpicam, deinde plenum frumentum in ſpica. Herbam quidem germinant (ait Euthymius) qui virtutis principium demonſtrantes, ad certamina ſunt adhuc delicati; *Spicam* verò, qui in bono progreſsi ad ſufferendas contumelias duriores effecti ſunt. Spica ſiquidem inter nodis diſtinguitur, & recta in altum erigitur. Plenum autem frumentum, qui perfectam virtutem fructificant: Conſonat Theophylactus dicens: Primum quidem herbam florentem, ac principium boni demonſtrantes, quando paruuli ſumus, nondum ad menſuram Ieſu Chriſti peruenimus. Deinde *ſpicam* proferimus, quando, & contra tentationes conſiſtere valemus. *Spica* enim, & geniculis cingitur, & rectè ſtat, & perfectior eſt, ac turgida. Quando autē quis perfectū fructū attulerit,

Euthym. — Variæ interpretationes p. p. — *Theophyl.*

Hieron. *Pſal. 110.* congregat fructum. Aliter Hieronym. *Primum* (inquit) *herbam*, ideſt timorem. Initium enim ſapientiæ timor Domini. Deindè *ſpicam*, ideſt pœnitentiam lachrymoſam. Deinde *plenum frumentum in ſpica*, ideſt, *Dionyſius Carthuſ.* charitatem. Alludit ad Hieronym. Dionyſ. Carthuſ. ſic ſcribens: Per *herbam* intelligi poteſt opus incipientium, ſeu timor ſeruilis, per *ſpicam* opus proficientium, vel ſpes vitæ futuræ, aut timor initialis: Per *plenum frumentum*, opus perfectorum, ſeu feruor, & actio charitatis. Quemadmodum itaque terra quodā ordinato proceſſu peruenit ad bladū; ſic cor ſucceſſiuè pertingit ad opus *Chryſoſt.* perfectum. Aliam Chryſoſtomus ſuperinducit expoſitionem, primò (inquit) *herbam* fructificat in lege naturæ, paulatim ad perfectum creſcens. Poſtmodum producit *ſpicas*, in manipulum colligendas, & in altari Domino offerendas, in lege ſcilicet Moyſi. Poſtea *plenum* fructum in Euangelio, vel quia non ſolum oportet nos frondeſcere per obedientiam, ſed eſſe prudentes, & quaſi arundinis *ſpicas* erectos perſiſtere, de ventis agitantibus non curantes. Oportet nos etiam animam curare per aſſiduitatem memoriæ, vt tanquam *ſpicas* fructum geſtemus: ideſt operationem virtutis completam demonſtremus. Poſtremam expoſi- *Zacharias Chryſop.* tionem viſus eſt ſequi Zacharias Chryſopolit. lib. 2. cap. 76. dicens: Hæc terra primum produxit *herbam*, habens adhuc teneritudinem inchoationis bonæ. Deinde *ſpicam* cum virtus animo concepta ſe ad fructum boni operis pertrahit. Deinde *plenum frumentum*, quando iam virtus ad robuſtum, & perfectum opus promouetur. His addo ſequentem. Emittit ſemen (emortuum tamen & radicatum) primo *herbam*, hoc eſt deuotionem ſignis externis declaratam, videlicet lachrymis, genuflexionibus, atque alijs ceremonijs, quibus nouitij plurimum delectantur, & vt mulier grauida pallore, vomitu, & externis alijs mutationibus corporis, ſecretam adhuc conceptionem detegit in arte peritis. Prorumpit herba in *ſpicam*, quando ceremonijs, quæ ſignant radicatum in corde verbum, adiungit pius animus egregia facta, videlicet actum omnem externum referre in Deum, vt in genuflexione adorare Deum, in lachrymis per ſanguinem Chriſti expectet mundari; dum frequentat Eccleſiam, ſe intrare ad templum non manufactum exoret; ſi ſe cruce perſignat, imaginetur Chriſtum induere, & illi crucifigi; ſi ſacrum audit, cæleſti militia circumſeptū cōſideret Chriſtū præſentem, qui ſe in cruento ſacrificio patri offert, & ita in alijs Eccleſiæ ceremonijs, & deuoti hominis geſticulationibus, vt *ſpica*, ſurſum erigit mentem in Deum. Aſſuetus his demum profert granum plenum, hoc eſt, gradum illum perfectionis aſſequitur, de quo Paulus gloriatur. Viuo ego, iam *Galat. 2.* non ego, viuit verò in me Chriſtus. Nam non ſolum in eccleſiaſticis ceremonijs, & in illis, quas deuotionis ſpiritus paſſim excitat, & adinuenit, mentem ad Deum eleuat; ſed in quibuſcumque, quæ corpus agit, actum naturæ neceſſitate; vel negotio, reducit ad Deum, quem vt præſentem continuò meditatur, alloquitur, exorat, & ardentiſſimè conuerſatur, & accepta occaſione à quocumq; obiecto ſenſibili, & actu ad eum ſe transformat, dicens: Ego dilecto meo, & *Cant. 2.* dilectus meus mihi. Ac propterea granum eſt, in eū ſpiritu conuerſus, qui eſt granum frumenti. Etenim maſſa ferri, ſi ſemper in igne ſit (ait Fulgentius in illud Pſal. Sed in *Fulgentius*, lege eius meditatur die, ac nocte) venis omnibus, ac poris ignem ipſum amplectens, iam ignis nō ferrum præſefert. Quomodo igitur anima, quæ quaſi ferrum in igne, ſemper in verbo, in ſapientia, in Deo eſt poſita, quidquid agit, quidquid ſentit, quidquid intelligit Deus non erit?

CAPVT XXIX.

Et cum produxerit fructus, ſtatim mittit falcem, quoniam adeſt meſſis.

DEnique frugum multiplicationem ſequitur meſſis. Hanc enim multam *Expoſitio.* videns meſſor, *falcem mittit*, vt dimiſſa palea, reiecta ariſta, & folliculis, atque puluere in area, granum colligat purum, & ad horrea Domini congreget.

Et cum produxerit fructus. Græca lectio habet ὅταν δὲ παραδῷ ὁ καρπὸς. *Et cum ex ſe produxerit fructus*, quamquam *Pagnin.* Pagnino viſum eſt prætermittere ex, cum Vulgata transferens. *Et cum ſe produxerit fructus*; quaſi fructus ſeipſo producatur, nullius adminiculo. Cooperatur enim productio in fructus anima (vt diximus) voluntas hominis operans, & faciens iuxtà verbum legis. Nihilominus quaſi non noſtro, ſed ſuiipſius adiutorio produceretur. Nunquam debemus nobis tribuere fructus, ſed auctori dicere: Tibi Domine iuſtitia, nobis *Bar. 1.* autem confuſio faciei. Nam etſi pomum fructus afferat, flores, & folia, terræ vnde manarant, reſtituit, ſibi tantum ariditatem, ac nuditate ramorum retenta. Quid autem habes, ò homo, quod non acceperis? Dat *1. Cor. 4.* Deus velle, dat, & perficere. Igitur quaſi *Phil. 2.* fructus ſe produceret, non noſtro, ſed ſolius agricolę miniſterio multiplicaretur. Dicito, & ſciant, quia manus tua hæc: Quia tecum *Pſal. 108.* principium in die virtutis tuæ. Nobis autem quid? Ego dixi in exceſſu meo: omnis *Pſal 109.* homo mendax: à mendace autē nō eſt verū. *Pſal. 115.* Ergo neque homini bonum, quod eſt verum ſecundum Philoſophum, ſed Deo tribuamus, qui dixit: Ego ſum via, veritas, *Ioann. 14.* & vita.

& vita. Hunc itaque ſenſum nobis parit vulgata lectio. Græca alium miniſtrat, videlicet, ex ſe hominem accepto ſemine fructus producere: Non ex ſe, hoc eſt naturaliter, velut terra, quæ granum habet; quemadmodũ Iouinianus arbitrabatur, volens per gratiam libertatem tolli, vimque inferri naturæ, vt amplius peccare nequeat, ſed ad bonum iugiter iuſtificatum trahi, & cogi: contra oraculum, quod de iuſto legimus, potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, facere mala, & non fecit: Contra naturam meriti, quod libertas adauget, & deſtruit coactio: Contra auctorem, qui diligit omnia, quæ ſunt, & nihil odit eorum, quæ fecit: Et contra naturam hominis, qui natura liber cum ſit, videretur in aliud eſſe commutari, ſi libertas ab eo tolleretur. His ergo Eccleſiaſticis regulis (ait Celeſtinus Papa 1. epiſt. 1.) & ex diuina ſumptis auctoritate documentis, ita adiuuante Domino confortati ſumus, vt omnia bonorum affectuum, atque operum, & omnium ſtudiorum, omniumque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum fatemur auctorem, & non dubitemus ab ipſius gratia omnia hominis merita præueniri, per quem fit, vt aliquid boni incipiamus, & facere: quo vtique auxilio, & munere Dei, non aufertur liberum arbitrium, ſed liberatur, vt de tenebroſo lucidum, de prauo rectum, de languido ſanum, & de imprudente ſit prouidum.

Hereſ. 1. reprob. — *Eccl. 31.* — *Sap. 11.* — *Celeſt Papa*

Statim mittit falcem. Falcem mittit (ait Zachar. Chryſopol.) qui iam paratus ad martyrium, optat diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Per *falcem* reſecat meſſem, & per mortem operari ceſſat, metens fructum operis, vitam ſcilicet æternam. Aliter Hieronym. Falx eſt mors, vel iuditium, quod ſecat omnia, vel ſecundum Euthym. cum productus fuerit, ſiuè cum matura erit; hoc eſt, vbi omnes, qui fructum ſunt allaturi, fructificauerint; *falcem* vero, dicit verbum, quo mundi imperabit conſummationem. Tunc (ſubdit Theophyl.) falx, hoc eſt verbum Dei congregat fructus. Dicet enim. Venite benedicti in Regnum patris mei, quod vobis paratum eſt à conſtitutione mundi. Hæc eſt, vox Domini in magnificentia, quæ ſuſcitat de terra inopem, & de ſtercore erigit pauperem, vt ſedeat cum principibus. Beatus hic populus, qui ſcit iubilationẽ: Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die, & in iuſtitia tua exaltabuntur, non in ſua, qui nihil ſibi tribuunt, quoniam gloria virtutis eorum, tu es, & in beneplacito tuo exaltabitur cornu noſtrum, quia Domini eſt aſſumptio noſtra, & ſancti Iſrael Regis noſtri. *Mittit* igitur *falcem* Chriſtus, & ipſe ſalx, & meſſium collector. Ec quid *ſtatim*? Num quamprimum homo iuſtus eſt, & perfectus, e vita tollitur, & vocatur ad palmam? aut certè ocyus ad mortem properare, vel appetere debemus, quando nihil nobis conſcij, & videmur, quæ præcepta ſunt nobis, impleſſe, & peccatis ſatisfeciſſe? Abſit: hoc enim naturæ hoſtis, & tranſgreſſor diuini præcepti Petilianus impiè docuit, dicens: Diſplicentiam peccati habens, & pro ſcelere acto ſe interficiens non homicida, ſed martyr habeatur: Diaboli tamen; non Chriſti, qui ait: Non occides. Eſt enim vita, eamque venit abundanter in ſpiritu dare, & in corpore prolongari, pro vt auctor diſpoſuerit. Ille vitæ, & mortis imperium ſibi retinuit, nobis tantum conceditur quotidie ad mortem præparari; vt ſeruus qui expectat Dominum ſuum, quando reuertatur à nuptijs, & cum venerit, inueniat eum vigilantem, & fructificantem in omni opere bono, alienumque ab omni opere carnis, & plenum ſpiritu, ac eius fructibus. Non ergo hoc ſibi vult *ſtatim*, ſed vt prima obiectio præſefert, videlicet *ſtatim* mortem immitti, quando homo gradum vltimum gratiæ attingit, qui reſpondet gloriæ, ad quam eſt prædeſtinatus. Nam ſi perueniens ad illum gradum ſuperuiueret, vel perſeuerans in opere bono non augeret meritum gratiæ, vel oporteret prædeſtinationem Dei, mutari ad alium gradum gloriæ. Vtrumque tamen inuoluit pugnantia, ne dum impoſſibilia. Primum enim eſt contra ſtatutum Dei, qui per gratiam, quandiu viuitur, poſſe de virtute in virtutem, & de merito ad meritum, & de bono in melius creſcere, videtur conceſſiſſe. Secundum eſt contra eſſe Dei, qui eſt immutabilis. Ergo quia neutrum horum fieri poteſt, neceſſe eſt *falcem* mortis hominem percutere, ſtatim quando gradum vltimum gratiæ, vel culpæ attingit. Quæ res fidelem quietat, ne in cuiuſq. morte, vt ſolent mulierculæ ſe pro dolore dilaniet, & conficiat præ triſtitia.

Zachar. Chryſop. Philip. 1. — *Hieronym.* — *Euthym.* — *Theophil.* — *Matth. 25.* — *Pſal 28.* — *Pſal. 88.* — *Hereſ. reprob.* — *Exod. 20.* — Soli Chriſto ſeruatur imperium vitæ & mortis. — *Heb. 2.* — *Luc. 12.* — Quæ periodus vitæ iuſti?

Quoniam adeſt meſſis. Per meſſem intellige (inquit Theophyl.) conſumationem ſæculi. Hieronym. quoque eamdem fecit *meſſem*. Non quod conſumatio ſæculi meſſis ſit, ſed quod tunc fiat collectio vniuerſalis bonorum; vnde Euthymius:

Meſsis autem collectio iuſtorum
eſt, hi enim fructus ſunt
euangelicæ legis, qui
tunc colliguntur
(ſubiungit
Zachar.
Chryſopol.) quando omnia bona ſua repreſentantur ei, coram
Angelis
Dei.

Theophyl. Hieronym. Euthym. Zachar. Chryſop.

CAPVT

CAPVT XXX.

Et dicebat: Cui aſſimilabimus Regnum Dei? aut cui parabolæ comparabimus illud?

Expoſitio.

HActenus ſub parabolis proximis virtutem, & effiecaciam verbi Dei propoſuit Chriſtus, mox eiuſdem excellentiam, dignitatemque, ac celſitudinem aggreditur declarandam. Verum enimuerò, quando verbi diuini nobilitas excellit omne ſenſile, vnde exempla petuntur, quærit cum admiratione, cui nam illud valeat comparari, quo eminentiam eius ſimplicibus exponat.

Et dicebat. Non fractus, neque defatigatus ex ſermone protracto, vt ſolent qui aliena decantant; & ob commodum, ſed vt à principio viriliter dieit, & ingēti affectu docet hominem ſcientiam. Ergo ſi multitudinem ſcientiæ deſiderat quis, dicentem Chriſtum audiat.

Cui aſſimilabimus regnum Dei? Cum ſimilitudo ſemper claudicet, nihil eſt, quod æquam verbi Dei ſimilitudinem gerat. Tametſi à luce, prima omnium creatura ſenſili incipias, & procedas vſque ad plaſmationem vaſis terreni, in quo opifex creationem viſus eſt terminare, quod corporeum eſt, nunquam ſpiritualitatem verbi Dei, aut alterius plenè indieabit. Eſt ſiquidem ſimilitudo ſemper veritatis vmbra, & obſcura quædam imago lucentiſsimæ gemmæ, ſeu viuentis; quaſi ergo difficile inuentu, percuntatur magiſter: *Cui aſſimilabimus regnum?* Hoc eſt, verbum, aut aliquid aliud ſpirituale, quod in abſcondito Deus operatur in ſubiecto ſpirituali.

Aut cui parabola comparabimus illud? Parabola [illegible] quod ſignificat comparare, vt ſimilitudo, ac comparatio rerum diſsimilium, idem quod parœmia, & prouerbium. Differt à ſimilitudine propriè dicta, quod illa tantum ſit comparatio à natura ſimplicis rei, ſiue naturalis, ſiue artificialis petita, vt cū à velocitate aquilę & nubium, Apoſtolos in prędicatione veloces fuiſſe dicimus, & Dei immenſitatem ex ambitu cæli inſinuamus; aut ex artificiatis opificem omnium oſtendimus. Parabola, ſeu prouerbium, atque parœmia eſt conficta ſententia, ſeu factum, quo aliud ſignificatur, quàm appareat, manifeſtans rem ſub quadā obſcuritate. Antiquis, tum maximè Paleſtinis, & ſimilitudinum, & parabolarum erat vſus frequentiſsimus; adeò vt Reges parabolis ſe mutuo prouocarent, & ſalutarent. Et Philoſophi eum ſapientiorem iudicabant, qui parabolis, & parœmijs magna, & difficilia inuolueret; indeq. ſapientiorem volentes haberi ea ratione Pithagoram, in prouerbium abijt. *Pythagoræ ſymbola*; quod ſe ſymbolis, & prouerbijs ſapientiſsimum declaraſſet. Ergo vt omittamus alios, Chriſtus magna, & intellectu difficilia explicare volens, quærit parabolam, cui ea comparet. Subindicans rerum omnium naturas, vnde ſimilitudines petuntur, nec non artificiata omnia, & voluntaria, quæ parabolis initium ferunt, non ſufficere oſtendendis his, quæ de Regno Dei, hoc eſt, ſpiritualibus Dei donis, dici valent. Siquidem magnus Deus, & mirabilia eius magna, quorum non eſt numerus, quæ & vincunt ſcientiam noſtram.

Differentia inter ſimilitudinem, & parœmiam.

Parabolę familiares Paleſtinis, & antiquis.

Pſal. 47. Pſal. 138.

CAPVT XXXI.

Sicut granum ſinapis, quod cum ſeminatum fuerit in terra, minus eſt omnibus ſeminibus, quæ ſunt in terra.

Expoſitio.

VTitur hic ſimilitudine, vt oſtendat quæ occurrunt de Regno Dei, & conducit ſcire. Petitur autem ſimilitudo à grano ſinapis, quod & ſi minimum quantitate, creſcit in arborem, & virtute præpollet.

Sicut granum ſinapis. Eſt, ſcilicet, Regnū Dei, hoc eſt fides ſecundum Theophylact. ſup. Marc. Secundum Hier. in Matth. eſt prædicatio Euangelica. Clemens Alexand. 1. pæd. 11. humilitatem contemplatur. Auguſt. verò 1. quæſt. in Euang. 11. 22. & ſerm. 31. de ſanctis, per imaginem perfectionis. Greg. in prolog. mor. 4. Martyres, & ſanctos vult ſimilari *grano ſinapis*. Ambroſius ſuper Lucam, & Hilarius in Matth. Chriſtum dicunt *granum ſinapis*. Ego minimus, omne datum optimum, & omne donum perfectum deſcendens à patre luminum, quod poteſt ſaluare animas noſtras, eaſque perficit, ſicut *granum ſinapis* efſero. Eſt enim quodcumque ſpirituale natura ſua integrum, vt *granum*; vim multiplicandi in ſe ipſo continet, & ſublimandi hominem ad ſtatum ſupremum, & vt *granum ſinapis* purgat ſuperfluū, expellit noxium, medetur ægris, & ſolatium affert, & leuamen. Hoc præſtat gratia, quæ eſt vita æterna; hoc charitas, quæ maior eſt, neque deſtruitur. Hoc pietas, quæ ad omnia eſt. Hæc fides, quæ eſt ſubſtantia ſperandarum rerum; idem à ſcientia Dei habemus, quia vani ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei: Idem nobis confert prudentia, quia cuſtos prudentiæ inuenit bonum. Sed & iuſtus, vnde habet excellentiam, niſi à iuſtitia? Iuſtitia enim liberat à morte, ſimplicis dirigit viam, eleuat gentem, & in iuſtitia firmatur ſolium. Habet & à fortitudine fortis non minorem laudem:

Theophyl. *Hieronym.* *Clem. Alex.* *Auguſt.* *Gregor.* *Ambroſ.* *Hilarius.*

Propria opinio. *Iacob.* 1.

Proprietas grani ſinapis

1. *Cor.* 13. *Hebr.* 11. Omnis virtus poteſt eſſe granum ſinapis. *Prou* 19.

Quia

Prou. 12.

Quia manus fortium parat diuitias, & dominabitur, non vt princeps gentium, ſed cæli; itaque omnis virtus mihi eſt granum ſinapis. Etenim omnes efficiunt circulum, & diadema regni, ne dum in manu, ſed in capite cuiuſcumque ſtudioſi ponit, vt iam iam gloria, & honore coronatum diceres. *Pſal. 8.* O mortalis, ſi tibi liceret videre, quem Deus præuenit in benedictionibus dulcedinis. *Pſal. 20.* *Cant. 8.* Ec quid? Nonne quiuis virtute præditus innitur ſuper dilectum ſuum? At qui hunc ſicut Angelum Dei contemplor, & dico ſicut *granum ſinapis*, vt ruſticæ mentes ſylueſtri ſemine edoceantur, & quodammodo ſpiritualium magnificentiam attingant.

Quod cum ſeminatum fuerit in terra. A quo autem ſeminetur, non dicitur, quod virtutum, & habituum ſtudioſorum, quidam à natura ortum habent, & incrementum à frequentatione actuum, vt intellectus principiorum habitus, ſecundum Ariſt. in 6. Etthi. cap. 6. atque alij ſecundum quod (interprete Sancto Thoma 1. 2. quæſt. 51. art. 1.) homo diſpoſitus eſt plus minuſuè ad operationem virtutis. *Ariſt.* *S. Thom.* Alij dicuntur infuſi, vt theologicæ virtutes, quæ ad finem ſupernaturalem ordinant. Et quia (ſcribit S. Thom. ibidem art. 4.) habitus oportet eſſe proportionatus ei, ad quod homo diſponitur ſecundum ipſos; ideò neceſſe eſt, quod etiam habitus ad huiuſmodi finem diſponentes, excedant facultatem humanæ naturæ. Vnde tales habitus nunquam poſſunt homini ineſſe, niſi ex infuſione diuina, ſicut eſt de omnibus gratuitis virtutibus.

Quid ipſa natura; quid vero in homine ſerit.

Itaque virtus ſeminatur quandoq. à natura, quæ ſynderesim habens, & conſcientiam, dijudicat bonum amplectendum, & fugiendum malum, quod aduerſatur morali virtuti, & ſtudioſo, qui naturæ ducatum ſequens, inter homines philoſophi nomen meruit, non tamen ſancti, niſi cuius natura infuſis illuſtrari meruit. Ergo habet textus *ſeminatum*, tacito ſeminatore, quod & Deus ſeminet, nec non natura. Vt enim terra ex ſe quædam ſolet producere, & alia propter receptum ſemen, ita & homo; nihil tamen perfectum, niſi Dominus benignitatem ſuam infuderit.

Minus eſt omnibus ſeminibus, quæ ſunt in terra: Etenim virtus omnis, cui ſinapis granum aſſimilamus, in terra minorem habet locum, quantoque excellentior, tanto ab his, qui terram colunt, & dominantur in terra, minus fit. *Iſai. 59.* *Hier. 12.* Veritas in plateis iacet, iuſtitia à longe ſtetit. Non eſt pax vniuerſæ carni, quæ terræ germina ſpinas, & tribulos obſeruat. Quinimò iuſtiorem ſe conculcat, bonum odit, lumen deteſtatur, & virum, cui hæc ſunt, perſequitur, vt non memoretur amplius. Hyſtricis ſeta eſt, quæ in quemlibet, tum maximè in blandum, & delicatum tortuoſa, & aſpera ſe oſtendit. Virtuti enim deditum audit mundanus offerri decem millia, quæ in cælis ſunt; ſibi aut millia, quæ in terris hominem deprimunt; quia cælum cæli Domino, *Pſal. 113.* terram autem dedit filijs hominum, ideò excandeſcit, iraſcitur, & cogitat tota die prælia, diſcordias ſeminat, ſectas introducit, aſtutias meditatur, & parat laqueos, vt opprimat pauperem, & ſanctum, quem Deus honorat; contriſtet, comminuat, & minimum efficiat alter Ianus. Attamen dum in terra minor fit virtus, & virtutis ſtudioſus minoratur, creſcere, & ſublimari incipit ignota gemma Schytis.

CAPVT XXXII.

Et cum ſeminatum fuerit, aſcendit, & fit maius omnibus oleribus, & facit ramos magnos; ita vt poſſint ſub vmbra eius aues cæli habitare.

Expoſitio.

PAruitatem grani ſinapis ſublimitas ſequitur. Superat quidam oculum cæli influxus, qui granum, quem homo minimum intuetur, in terra multiplicat, ita & eleuat è profundo ſoli ſuper cætera olera, & ad ſimilitudinē arboris ramificare facit; vt ſit auibus ſolamen, ne dicam hominibus. His quidem dedit Deus omnia ſata in eſcā, præſertim eis ſeruauit omne verbum, quod procedit de ore Dei, & dicitur ſicut granum ſinapis minoratum, ſed valde ſublimatum, cum æſtas venerit.

Et cum ſeminatum fuerit, aſcendit. Itaq. non aſcendit in ore, non in manu, neque in horreo, ſed ſeminatum: Si quidem vbi res eſſe habet, nata eſt multiplicari. In terra granum formatur, & in terra creſcit in ſpicam, multiplicat grana, & ſe ipſo facit locupletius. Et quis locus, & ſubiectum virtutis doctrinæ euangelicæ, aut alterius beneficij ſpiritualis, niſi animus hominis? *Habitus intellectus.* Huius mens, intellectum, ſapientiam, & ſcientiam recipit; nec non artem, ac fidem; voluntas charitatem ſuſtentat, & ſpem, *Habitus voluntatis.* moraleſque virtutes apud alium eſſe non patitur; ſola ipſa non tàm ſubiectum harum eſſe gloriatur, quàm executor, & opifex, qui virtutum omnium perfectionem iubet exequi, retineri, & augmentari. Oportet ergo in voluntate, vel intellectu ſeminari virtutem, & hominem animo præditum gratijs, quæ è cælo fluunt, & infunduntur; ſi aſcendere vult de virtute in virtutem, vſque ad palmam, cuius fructus dulceſcit, vſque ad domum Dei Iacob; vnde perfectionis ſemitæ; & ad montem Domini; in quo perfectio conceditur, facie ad faciem alloqui *Iſai. 2.*

Domi-

Dominum. Qui tantum ore virtutum narrare, aut calamo deſcribere, ſeu in libris, atque imaginibus eorum,qui virtutem ambierunt, reponere volunt, tantum abeſt, quod aſcendant,neque aliquid eorum aſſequantur, vt potius demigrent,marceſcant, & pereant.

Et fit maius omnibus oleribus. Olera, atque herbas, dico virtute deſtitutos, & gratia,ea ſolum ſectantes, quæ euaneſcunt, & nullius ſunt firmitatis. His quicquid à virtute procedit maius eſt; precio maius, quia diuinum eſt, excellentia maius, quia honoratius, & æſtimatione vera ſemper eſt maius habitum, quod immortalitatem & coronam immarceſcibilem conciliet. Ergo olus, quid facis,& opus tuum abſque *Iſai. 45.* manibus eſt? Confuſi ſunt, & erubuerunt omnes, ſimul abierunt in confuſionem fabricatores errorum. Tu autem filii in *Eccl. 3.* manſuetudine opera tua perfice, & ſuper hominum gloriam diligeris.

Et facit ramos magnos. Hos dicito fructus ſpiritus, qui ſunt; charitas, gaudium, *Fructus ſpiritus.* pax, patientia, benignitas, bonitas,longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia,continentia, caſtitas. Vel dicito fructus lucis ſpiritualis. Eſt autem fructus lucis in omni bonitate, & iuſtitia, & veritate probare *Epheſ. 5.* quod ſit beneplacitum Deo, ſicut & *rami magni* adinuentiones ſpirituales, quæ ad perfectionis habitum, & apicem ſtudioſos ſubleuant, vt Gregorium Nazianzenum, dici Theologum. Ioannem Antiochenum vocari Chryſoſtomum,Antoniū Ægyptium celebrari magnum; & Ignatium deiferum vocitari, quinimò virtutis exercitium facit, vt filij Dei nominemur, & ſimus. Quid *1.Ioann.3.* hoc maius? neque Alexander in Aſia, neq. in Europa Auguſtus, neque in Affrica Mahoma tantam celſitudinem aſſequti ſunt. Nec Philoſophis ſtudiū, nec ingenioſis ars vlla præſtitit, quod virtus infuſa, & ſpiritus dilectis communicat.

Ita vt poſſint ſub vmbra eius aues cæli habitare. Ad prædicationem Euangelij,& fi- *Theophyl.* dem eius referens ſimilitudinem Theophylactus, hæc ſcribit. Vide (inquit) qualis ſermo, tale eſt granum ſinapis. Nam prædicatio miſſa ſuper terram dilatata eſt, & creuit,ita vt volatilia cæli,omnes ſublimes ſcientia, & ſenſu, in ipſo habitent: quot enim ſapientes relicta ſapientia gentilium in prædicatione requieuerunt? Magna igitur fuit prædicatio,& magnos ramos fecit. Apoſtolorum enim vnus ad Indiam: Alius Romam, & alij in aliam terræ partem diuiſi ſunt, vt rami. Ad hæc dicito per vmbram in ſcripturis ſignificari refrigerium, nec non temporalium conditionem. Per aues cæli, qui vmbris delectantur, & paſcuntur in vmbris, intelligito homines vecordes, qui cum nati ſint ad cælum, & ſolem intueri, volareque properè ad Deum, mente præditi, & voluntate; degeneres ſancti, vmbras, quas ſub ſe ponunt ſancti, & calcant, infeliciter amant,ab eis victitant, & contempto Deo, felicitatem in infæliciſſimis rebus collocant. Eſt & ſtudioſorum vmbra refrigerans eloquium,quo peccatores corripit,& lucratur quandoque fratrem ſuum, oratio deuota, & feruens, qua obtinet ſceleratis dimitti noxam,tribulatis ſolatium impartiri, captiuis libertatem, & egentibus neceſſaria cælitus miniſtrari. Multum enim valet apud Deum deprecatio iuſti: *Iacob. 5.* Nec mundus quidem ſtaret, niſi iuſtus orans, vt murus ictibus, ſe Deo opponeret. Sub oratione ergo Moyſis populus veniam,& ſub petitionibus iuſti omnis, qui indigentiam ſuſtinet, facile inuenit, ſi aduocat ſanctum, & ſuum poſtulet apud Deum patrocinium.

CAPVT XXXIII.

Et talibus multis parabolis loquebatur eis verbum, pro vt poterant audire.

HInc Euangeliſta, non tàm magiſtri facundiam in dicendo aperit, quàm in docendo prudentiam doctore dignam manifeſtat. *Expoſitio.* Nam non tribus ſolum,ſed & multis parabolis vſus eſt (inquit) Chriſtus & profunditatem inexhauſti theſauri captui audientium accommodauit, vt quiſque poſſet fructum ex accommodata lectione reportare. Cor enim ſipientis erudiet os *Prou. 16.* eius, & labijs eius addet gratiam.

Et talibus multis parabolis. Prædicatores,ſcilicet, docens quomodo ſe ad populū habere debeant; vt iuxta diuerſitatē ſtatuū & conditionum, & quæ in populo conſiderantur multis,ac varijs parabolis vtantur, quibus diſſuadeant malum, & bonum perſuadeant oportuna ſimilitudine, Nam ſen- *Ecc.18.* ſati in verbis, & ipſi ſapienter egerunt, & intellexerunt veritatem,& iuſtitiam,& impleuerunt prouerbia, & iuditia. Hæc ſcire prædicatorem, indicat ſermo eius opportunus.

Loquebatur eis verbum. Et quod *verbum*? Patris: Quia verba mea non ſunt mea, & ego à me ipſo non loquor. Nec tu *Ioann. 14.* orator,& Eccleſiaſtes ſacri ſenatus à te ipſo loquaris; ſed verba quæ ponit Deus in ore tuo, enarra populo. Hæc autem ſunt, quæ in ſacris oraculis ſcribuntur, & patres reliquerunt nobis: Qemadmodum Tridentini Concilij habet conſtitutio, & Cate- *Concil. Trid.* chiſmus iuſſu Pij Pontificis quinti æditus.

Pro vt poterant audire. Qui.enim ea docet (ait Gratianus in 43. d. c. diſpenſatio) quæ ab auditoribus non valent intelligi, non ad eorum vtilitatem, ſed ad ſui oſtentationem facit. Quare prouidendum eſt, *Gratianus.* ſolicita

Greg.

ſolicita intentione rectoribus (ait Gregor. par. 2. paſtor. cap. 4.) vt ab eis non ſolum prava nullo modo, ſed ne recta quidem nimiè, & inordinatè proferantur, quia ſæpè dictorum virtus perditur, cum apud corda

Documentũ prædicatori obſeruandũ.

audientium loquacitatis incauta importunitate leuigatur, & auctorem ſuum hæc eadem loquacitas inquinat, quæ ſeruire auditoribus ad vſum profectus ignorat. Vnde bene per Moyſen dicitur: Vir qui

Leu. 15.

fluxum ſeminis patitur, immundus eſt, in mente quippe audientium ſemen ſecuturæ cogitationis eſt qualitas auditæ locutionis, quia dum per aurem ſermo concipitur, cogitatio in mente generatur. Vnde, & ab huiuſmodi ſapientibus prædicator egregius ſeminiuerbius eſt vocatus. Qui ergo flu-

Pulchra ſimilitudo.

xum ſeminis patitur, immundus aſſeritur, quia multiloquio ſubditus, ex eo ſe inquinat; quod ſi ordinatè promeret, prolem rectæ cogitationis edere in audientium corda potuiſſet. Dumque incautus per loquacitatem defluit, non ad vſum generis, ſed ad immunditiã ſemen effundit. Vnde Pau-

Tit. 4.

lus dicturus importunè, præmiſit opportunè, quia ſcilicet apud auditoris mentem ipſa ſua vtilitate ſe deſtruit, ſi habere importunitas opportunitatem neſcit.

CAPVT XXXIV.

Sine parabolis autem non loquebatur eis, ſeorſum autem diſcipulis ſuis diſſerebat omnia.

Expoſitio.

RVrſus magiſtri, prudentiam diſſerit Euangeliſta, & celebrat, nec non ſapientiam; vt qui abundaret omnigena parabola, qua explicabat luculenter quicquid vellet. Præſertim Apoſtolos, qui ſucceſſores in magiſterio futuri erant, diligentius multo docebat, quæ in parabolis intellectu difficilia continebantur, vt & ipſi in docendo periti euaderent, obtinerentque in domo Domini, & in muris eius, hoc eſt, in

Iſai. 56.

Eccleſia, & miniſterijs locum, & nomen melius à filijs, & filiabus, vtpotè Prophetis, & Patriarchis, & ſanctis antiquæ legis. Si quidem Apoſtoli, & diſcipuli Chriſti, & prima ſtructuræ Eccleſiaſticæ fundamenta nobiliora.

Sine parabolis autem non loquebatur eis. Quoniam turba erat imperita, & indocta, ait Theophylactus, vt cognitis & conſuetis nominibus doceat eos vtile quoddam; vel excitet, vt accendãtur, & interrogent, & interrogando, quæ ignorant, diſcant. Et Dio-

Dionyſius.

nyſius. Ideo vtebatur ſimilitudinibus rerũ notarum, vt aliquo modo intelligerent, quæ dicebantur, quamuis ſenſum myſticum, & perfectum non poſſent capere. Quare profunditatem ſapientiæ in continua parabolarum narratione, voluiſſe exponere, certum eſt mihi; ſiquidem parabolis is vtitur, qui rerum, & factorum naturas penetrans, nouit his altiora accommodare. Sapien-

Eccl 39.

tiam ergo omnium antiquorum, non ſolum exquirebat Chriſtus, ſed ſuperabat, & declarabat; vt cum cuncti agnoſcerent ſapientiam illam eſſe, quæ in foris clamitat, & in plateis dat vocem ſuam, qua nihil locupletius, quæ vitam inſpirat, ædificat do-

Prou. 1.
Prou 9.
Bar 3.
Eccl. 42.

mũ, & effudit flumina omnium gratiarum. Agnoſcentes vero ſic Chriſtum, diſcerent vbi ſit ſapientia, & magnalia ſapientiæ tuæ inueſtigarent. Quia beatus vir, qui in ſapientia morabitur. Hinc ille: Vinum, & muſica letificant cor, & ſuper vtraque dilectio ſapientiæ.

Seorſum autem diſcipulis ſuis diſſerebat omnia. Græce (inquit Gannæius) ἐπέλυεν

Gannæius.

ideſt diſſoluebat, atque aperiebat parabolica omnia. At lectio græca non ἐπέλυεν ſed ἐπέλει hoc eſt diſſerebat, vt interpretatur Hieronymus. Pro ſeorſum legimus in

Hieron.
Theophyl.

Græco κατ' ἰδίαν hoc eſt, priuatim. Quoniam inquit, Theophylactus, ſeorſum accedebant ad eum, & interrogabant, omnia autem ſoluebat, quæcunque ignorantes rogabant, non enim ſimpliciter omnia, & quæ manifeſta. Nam de his, quæ dixerat eis, interrogant. Cætera enim manifeſta erãt eis, & ita omnia exponebat eis. Ergo qui vis ſcire

Deut 32.

omnia, quæ tuã ſalutem concernunt, interroga patres tuos, & dicẽt tibi; maiores tuos & annunciabunt tibi. Humilia te ipſum ſacerdoti, & legem de ore eius require Labia enim ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam.

CAPVT XXXV.

Et ait illis in illa die, cum ſero eſſet factum. Tranſeamus contra.

Expoſitio.

ITaque vt quæ publicè, ac priuatim docuerat, firmitatem apud Apoſtolos haberent, ſtupendo prodigio, & nunquam audito miraculo confirmare ſtatuit. Quapropter miſſis turbis, transfretare iubet ſuos, & ad aliam maris ripam applicare. In mari enim ac fluido loco, quæ in terra firmiſſima prædicarat, non abſq. myſterio validiſſimis ſuis dictis robur præſtat.

Et ait illis. Alia quidem intentione, quàm aures audientium percipiebant. Etenim arbitrabantur Apoſtoli, fatigatum velle à turbis abire, at qui non ceſſat miſereri, neque defatigatur largiens, neque laborat communicans quæ de cælo ſunt, ad maiora ſe accingit, & meliora tum Apoſtolis, tum reliquis meditatur, Propterea ſapientiam ejus narrabunt gentes, & laudem

Eccl 39.

eius enuntiabit Eccleſia: Et enuncians ait filius: Date nomini eius magnificentiam, & cõfitemini in voce labiorum veſtrorũ, & in can-

In canticis labiorum, & citharis, & ſic dicetis in confeſſione; opera Domini vniuerſa, bona valde.

In illa die cum ſero eſſet factum. Hoc eſt, die eadem, qua ſolemnem ad populum orationem habuerat: Neque enim vna die declamat, & altera declamatæ rei veritatem facit, vt ſæpè accidit nobis, qui mendaces in ſtateris cum ſimus, & imperiti, quæ ne dicam vna die, vel hora, ſed vnico momento loquimur, multis diebus, menſibus, & annis vix poſſumus probare. Nec ſufficiunt teſtes, neque inueniuntur oracula, quibus propoſitio, ac verbum indiſcretè prolatum verificetur. Hinc Hæreſes, hinc ſchiſmata, & bella in hominibus graſſantur. At noſter Chriſtus eadem die, vnico facto immenſam prædicationem ratam vult haberi, cui neque æmuli valent contradicere; ſed viſo veritatis ſigillo, compelluntur digitum ſuper os ſuum mittere, menteque clamare: Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus; teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis. Fit autem opus ſerò, appropinquante (inquit Gloſſa) occaſu veri ſolis: Nam omne teſtamentum per mortem teſtatoris ratificatur, vt optimè perſuadet Apoſtolus, atque in Chriſti morte cuncta, quæ fecit, dixit, ordinauit, & præcepit, vim accepiſſe, ab olitis his, quæ ſanguis vitulæ confirmarat, quouſque veniret vitulus cornua producens, & vngulas, in quem pater ille familias ſibi complacuit.

Pſal.61. *Pſal.92.* *Gloſſa.* *Heb.9.* *Pſal.68.* *Matth.3.*

Transeamus contra. Erat (ait Arias Montanus) in littore, quod definit terram Iſrael, hoc eſt, occidentali littore maris Tiberiadis, & voluit traijcere in littus orientale, vt hoc tranſitu inſinuaret ab oriente, & occidente fideles eſſe congregãdos iuxta oraculum. Ab Oriente adducam ſemen tuum, & ab Occidente congregabo te. Dicam Aquiloni: Da, & Auſtro noli prohibere; affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ. Quibus alludens Chriſtus dixit. Multi venient ab Oriente, & Occidente, & recumbent cum Abraham, Iſaach, & Iacob in regno cælorum. Tranſiens quoque ab Oriente, ad Occidens, nos monuit finem ſuæ prædicationis imitari; videlicet quæ in Oriente, & ortu noſtro hæreditabimus, relinquere peccata, & deponere omnem malitiam, & omnem dolum, neque vltra ad Orientem vultus conuertere, neque ea, quæ mundi ſunt diligere; ſed manifeſtationem corporis noſtri Chriſtum crucifixum, ac vitæ finem, qui mors eſt, circumferre iugiter, vt renati cum Chriſto, meliori vita fruamur. *Transeamus* ergo, ò mortales, quia non habemus hic requiẽ, tranſeunt hirundines, tranſeũt corui, grues, & aues aliæ, vt aura, & paſtu ſalubriori vtantur, vitamque prolongent, & nos propter æternitatem non tranſibimus? Fuge dilecte mi, & tranſi Iordanem iſtum, quia & ipſe Dominus Deus tuus, tranſibit ante te, & mittet Angelum ſuum, qui te conducat & cuſtodiat, ſi tu tamen non recuſes quod in te eſt facere.

Arias Montanus. *Iſai.43.* *Matth.18.* *Ioſue 1.*

CAPVT XXXVI.

Et dimittentes turbam, aſſumunt eum, ita vt erant in naui, & alia naues erant cum illo.

Igitur facto vale turbis, intrat in naui, quam ſibi parauerant Apoſtoli, & vnde prædicaret, cæpitque, ſequentibus alijs nauibus, transfretare. *Expoſitio.*

Et dimittentes turbam. Scilicet Apoſtoli, diſcipuli, & qui in nauibus Chriſtũ ſequebantur, turbam dimittunt; non Chriſtus dimittit eos, qui audiunt verbum ſuum & faciunt. Dixit: Si quis ſermonem meum ſeruauerit, pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Nam & in ramo, qui fructificat, floret, ac germinat, vis arboris eſſe dicitur, & ad eum tranſmittit humorem. Sic Chriſtus ad ſuos auditores, & factores verbi iugiter mandat cæleſtes influxus, per quos ineſt, inhabitat, & venit ad hortum ſuum ad areolam aromatum, dans pacem, & benedicens benedictionibus cæli. Dimittunt homines ſui ſimiles, & obliuiſcuntur. At Deus non obliuiſcitur miſereri, neque deſerit neq. derelinquit, longe à ſe eos, qui diligunt Chriſtũ, quia pater meus (inquit) amat vos, quia vos me amatis. Ergo quia hominis eſt dimittere, Dei autẽ nobiſcum adeſſe, intonat concentor: In Deo laudabo ſermonem, in Deo ſperaui, nõ timebo quid faciat mihi homo. In me ſunt Deus vota tua, quæ reddam laudationes tibi?

Ioann.14. *Pſal 76.* *Ioan 16.* *Pſal.55.*

Aſſumunt eum. Non vt Diabolus, qui aſſumpſit eum in ſanctam ciuitatem, & ſtatuit eum ſupra pinnaculum templi, et inde ad montem excelſum valde, ſed ad mare. Ecquid mare? Profecto anguſtia, tribulatio, et paſſiones. Ad hæc *aſſumunt* Apoſtoli Chriſtum, et vt anguſtientur, eius miniſterium recipiunt, et mittuntur, vt cum fletu ſalutem propriam, et aliorum operentur. Ideo dixit: Ecce ego mitto vos, ſicut oues inter lupos; qui inſultant ſimplicitati ouinæ; et di laniant eos, qui pacifici ad eos accedunt; et dimittunt cum ignominia legatos Dauid pientiſſimi. Verum etſi in mari via eius, et ad fletum, et planctum videatur à ſuis aſſumi, et ſequi ad ſufferenda maxima vitæ diſcrimina, demum aſſumunt ad gloriam eundem, et cum eo duplicia de manu Domini, quiu centuplicia gaudia, quibus priuatur is, qui inſtar Diaboli tentat Chriſtum aſſumere. Hoc eſt,

Matth.4. *Matth.10.* *Reg.10.* *Pſal.76.*

eſt, eius initiari vult ſacris, & miniſteria agere, vt ſupereminеat, fiatqne locuples. Is enim audir ſibi iam iam dici: Vade retro Sathanam. *Matth. 4.*

Ita vt erat in naui. Vnde prædicarat turbis, & eo modo, quo erat dormiens præfatigatione concionis habitæ. Cum ſero (ait Arias Montanus) eſſet factũ, laſſus ex labore diurno, & contentione concionandi, cubuit ſuper ceruical, & dormire cœpit, illi, qui in naui erant, cum iuſſi prius fuiſſent tranſire, eum ita dormientem traijcere cœperunt. Nam & nos pariter vt in naui vitæ huius inuenti fuerimus, ad mortem traijciemur, & vt fuerimus inuenti iudicabimur: Felix qui vt Chriſtus erit in naui. *Arias Montanus.*

Et aliæ naues erant cum illo. Etſi dormiret, cum illo dicuntur eſſe aliæ naues, quod propter eum adeſſent, inſpiciendi, & audiendi cauſa, & accipiendi curationem morbi. Quorum facto, & modo loquendi Euangeliſtæ docemur, dicere omnes Eccleſias, ſiue patriarchales, ſiue metropolitanas, dioceſanas, nec non templa, & Eccleſiaſticos cætus cum Chriſto eſſe, & eius vicario Romano Pontifice, idem ſapere, idem credere, & profiteri, quod Romanus Pontifex, qui in naui Petri dicitur eſſe. Cum illo enim ſumus, cuius mandata cuſtodimus, obſeruamus ſacramenta, & Euangelium, quæ in Romana Eccleſia illibata retinentur, & primatum tenens ſuper priuatas Eccleſias, quæ coniunctæ capiti omnium Eccleſiarum, vnam efficiunt Eccleſiam. Non enim Eccleſiam ſcindimus, ſed vnimus, & vnicam in toto orbe diffuſam credimus ab vnitate capitis, fidei, legis, & ſacramentorum. Huiuſce veritatis nobis teſtimonium fert Oraculum, quod varijs ſcriptis Patres declararunt. Vt Caliſtus, cap. non decet, & Gregorius cap. præceptis d. 12. Marcellus cap. Synodum d. 17. Anacletus. In nouo, d. 21. & 22. cap. ſacroſancta. Zepherinus ad Romanam. Fabianus. Licet cum ſequentibus. Sixtus. Si quis veſtrum, & Vigilius cap. qui ſcit alij 2. quæſt. 6. & 17. quæſt. 4. Nemini. Eſtque Nicolai Pontificis. Idem & alij depoſuerunt, vt Cyprianus in tractatu de ſimplicitate prælatorum. Ambroſius, in Luc. lib. 6. cap. 95. Bernar. lib. 2. ad Eugenium, & nouiſſimè Iacobatius, Turrecremata, & Caietanus, cum pleriſque alijs, qui paſſim libris æditis deteſtantur græcorum ſchiſma, & ſectatorum hæreſim, atque Lutheri, qui turrim hanc Dauid propugnaculis ſeptam fortiſſimis adhoriuntur, expugnant, & feriunt, ſed fruſtra, quia nec portæ inferi præualebunt aduerſus eam.

Caliſtus. Greg. Marcell. Anacletu. Zepherin. Fabianus. Sixtus. Nicolaus. Cyprianus. Ambroſius. Bernardus. Iacobatios. Turrecrem. Caietan.

Matth. 16.

CAPVT XXXVII.

Et facta eſt procella magna venti, et fluctus mittebat in nauim, itavt impleretur nauis.

OCcaſio ad miraculum præparatur, ſeu materia. Fit procella impetu, & contrarietate ventorũ, tumeſcit mare, ſpumat, fluctuat, nauim inundant, & qui trans fretabant, in diſcrimine vitæ verſabantur. *Expoſitio.*

Et facta eſt procella magna venti. Ne extollerentur (ait Theophyl.) quod ipſos, alijs dimiſſis, aſſumpſerat, & vt doceat ferendas tentationes, relinquit eos procellis periclitari. Sed quid procella, nec vulgaris, ſed magna, neque aliunde, ſed à vento cauſata? Hæreſis profecto, quæ ab elatione, vanitate, & ſuperbia, nonnumquam affectu comodi oritur. Inde Aug. lib. de vtilitate credẽdi, c. 1 Hæreticus eſt, qui alicuius temporalis commodi, & maximè gloriæ, principatuſque ſui gratia falſas, ac nouas opiniones, vel gignit, vel ſequitur. Is qui procellas, & quidẽ magnas in orbe generat. Arrius (inquit Hieronym. in c. 5. epiſt. ad Gal.) in Alexandria vna ſcintilla fuit, ſed quia non ſtatim oppreſſa eſt, totum orbem eius flamma depopulata eſt. Et quid opus eſt veteres cõmemorare? Vnius Lutheri clades, quæ maiorẽ partem Europæ commouent, & bellis conquatiũt, nos certiores faciunt, quàm horribilis, & quã magna procella, quam hæretici omnes, & hæreſis portẽtãt, necnõ ſchiſmata.

Theophy. Hæreſes. Auguſt. Hier.

Et fluctus mittebat in nauim. Hoc eſt peſtilentiã hæreſis, his, qui in Eccleſia ſunt perſuadere, & quoſcunq. callidè interficere conantur. Non ſufficit hæreticos eſſe (ait Bernard. ſerm. 66. in Cant.) niſi & hypocritę ſint, vt ſit ſupra modũ peccans peccatum. Hi ſunt qui veniunt in veſtimentis ouium, ad nudandas oues, & ſpoliandos arietes. An non tibi vtraq. res impleta videtur, vbi & fide plebes, & plebibus ſacerdotes deprædati inueniuntur? Qui nã iſti prædones? Hi oues ſũt habitu, aſtutia vulpes, actu, & crudelitate lupi. Hi ſunt qui boni videri, non eſſe, mali non videri, ſed eſſe volunt. Mali ſunt, & boni videri volunt, ne ſoli ſint mali: mali videri timent, ne parum ſint mali. *Matth. 7.*

Ita vt impleretur nauis. Etenim tãtus eſt hæreticorũ auſus, ſibiq. tantum tribuunt, vt orbem præſumant erroribus ſuis implere. Quia non alicuius vnius mẽdacij doctores, ſed omniũ pſeudoprophetæ ſunt (ait Orig. tract. 3. in Matth.) illius Antichriſti, cuius falſos ſermones prædicant, quaſi veros, & docẽt. Omnia enim & perſuaſoria, quę proferũtur ad verbi Antichriſti defenſionẽ, ſigna ſũt, & prodigia illius Antichriſti, quęcunq. à ſapientiſſimo omniũ beſtiarũ terrę ſerpẽte & à magno Principe Aſſiriorũ ſuggerũtur, ſigna ſũt magna, & prodigia, vt in errorẽ inducãtur (ſi poſſibile eſt.) etiã electi. Hæc ille. *Origines.*

CAPVT XXXVIII.

Et erat ipſe in puppi ſuper ceruical dormiens: & excitant eum, & dicunt illi: Magiſter non ad te pertinet, quia perimus?

Expoſitio. OMnimoda miraculi iam canſa adeſt, fluctuat nauis, terrentur nautę, & quotquot pertranſibant mare con fundūtur, marinis aquis repleti; quodqne anxios magis reddit, eſt, videre Chriſtum dormire, ac ſi nullum adeſſet periculum. Anxij ergo, & pauidi, clamoribus excitant magiſtrum, & interpellant.

Et erat ipſe in puppi. Vbi gubernaculū, quo tota nauis regitur in proſperis, & in periculis, cōſeruatur. At Eccleſię clauū quis tenet, *Eſſeſ. 1.* niſi qui & caput? Chriſtū autem dedit Deus caput ſupra omnem Eccleſiā, vt eam ſanctificet, gubernet in via, & adſit vſque ad conſumationē ſæculi. Itaq. puppim ipſe tenet, *Matth. 18.* hoc eſt, primū locū in Eccleſia occupat; alij alia loca nauis tenent, & in Eccleſia diuerſis vtuntur miniſterijs, ſub vno principe Chriſto, qui cunctis dominatur.

Super ceruical dormiens. Ceruical (inquit Hier.) corpus Dñi eſt, cui diuinitas ſicut caput inclinata eſt. Puppis initiū Eccleſiæ eſt, in qua Dñs dormit morte corporali. Ergo dormitio iſta ſalutem, & tranquillitatē denotat. Dormit etiam ſecundum Theophyl. *Theophyl.* vt maius appareat miraculum, cum prius turbati fuiſſent. Nam ſi vigilaſſet Chriſtus, & facta fuiſſet tempeſtas, vel nō timuiſſent, vel nō oraſſent. Proinde permiſit eos in metum periculi incidere, quo veritatem ipſius ſentirent manifeſtius. Quia enim videbant alijs beneficia dari, ſeſe autē nullo tali frui, periculum erat, ne fierent negligentiores. Eadem profecto ratione in hæreſibus videtur dormire; ſecundum Auguſt. lib. 1. de Geneſi contra Manich. c. 1. *Auguſt.* Ideo (inquit) diuina prouidentia multos hæreticos diuerſi erroris eſſe permittit, vt cum inſultant nobis, & interrogant nos ea, quæ neſcimus, ſic excutiamus pigritiam, & diuinas ſcripturas noſſe cupiamus; propterea & Apoſtolus ait: *1. Cor. 11.* Oportet hæreſes eſſe, vt probati manifeſti fiant inter vos. Hi autē Deo probati ſunt, qui benè poſſunt docere, ſed manifeſti hominibus eſſe non poſſunt, niſi cum docent. Indè factū, vt nouis in dies exurgētibus hæreſibus, noui quoq. Athletæ Dñi conſpiciātur, qui hæreſes propulſent, & confirment *Alexander.* catholicos. Quare Alex. Epiſc. Alexandriæ ad Alexandrū Epiſc. Conſtant. ſcribit. Eccleſiam porro vnam ſolam Catholicam, & Apoſtolicā cognoſcimus, quæ ſicut nunquā expugnari poteſt, etiam ſi totus mundus eam expugnare inſtituat: ſic omnem impiā hæreticorū incurſionē euincit, & profligat; quandoquidē eius Dñs nos efficit ſatis animoſos dū clamat. Cōfidite ego vici mūdū. *Ioann. 16.*

Et excitant eum. Non quidem tangendo eum, neque afficiendo aliqua moleſtia, qua ſolēt iſtis temporibus dormiētes, vt Ionas, *Ioann. 1.* affici, & moleſtari, vt ſurgant, prouideātq. ſibi; ſed clamoribus; ſic & Deum, quē ſcriptura dormientē introduxit, cum permittit mala, excitare ſolemus clamoribus, precibus, quaſi ad dormientem habitis: Exurge Dñe, & ne repellas in finem. *Pſal. 43.* Aperi oculos tuos, & vide tribulationē noſtrā. Excita potentiā tuā, & veni. *Pſal 79.* Recordare mei, & viuifica me, & tuere me ab bis, qui perſequntur me. *Hier. 15.* Vſquequo Dñe obliuiſceris mei. At qui ſimilib' vult à nobis excitari. *Pſa. 12.* Immò vero nos, ſiquidem nos ſumus, qui vt muſici ſonando excitamur, & orādo aſſiduè inflāmamut, maioremq. ſic amicitism contrahimus, vt non hæſitemus ei dicere: Non dimittā te, donec *Gen. 32.* benedixeris mihi, & fiat petitio mea.

Et dicunt illi: Magiſter. Ecquid magiſteriū in mari? Num docibile eſt, vt magiſtrum audiat? Vtique, audit cælū, audit terra audit mare, & muta omnia magiſtrū, qui & auctorem audiunt, agnoſcunt, & obſeruant. Neque mare præterit terminos, neq. cælum *Pſal 113.* à motu ceſſat, neque animal à lege, quam à tāto magiſtro ſemel didicit, vnquā aberrat. In ſolo homine ego ruſticitatē contēplor. Nam & vetera, quæ cum legæ naturæ audiuit, obliuiſcitur, & noua, quæ paſſim ei dicuntur, neque ſcit, neque facit. Apprehendunt quidē mendaciū, & noluerunt reuerti. *Ierem. 8.* Attendi, & auſcultaui, nemo quod bonum eſt loquitur, nullus eſt, qui agat pœnitentiam ſuper peccsto ſuo dicens: Quid feci? Omnes cōuerſi ſunt ad curſum ſuum, quaſi equus impetu vadens ad prælium. Hi ſunt hæretici, qui & Chriſtū allegant magiſtrū, ſicut & Apoſtoli, & doctores Eccleſiæ. Vnde magiſtri ſcripturis vtentes, ſed falſatis, tota die cogitant prælia. *Pſal. 139.* Nam non per veritatem (legimus in pontificali ex decretis *Agathonis Papa in Pōtificali.* Agathonis Papę) ſe ſuperare æſtimauerunt, niſi per mendacia, & cōmenta, quæ in libris ipſis addiderunt. Inde Martinus Primus in *Martinus Papa.* Conſultat. 3. Lateran. Syn. Qui ſpiritualem expugnant Hieruſalem, id eſt, Catholicam Eccleſism, imitantur eos, qui terrenam expugnauerunt Hieruſalē, & feſtinant, & ipſi paternis abuti quodammodo doctrinis, ſicut Rapſaces patria voce contra Iudæos abuſus eſt, vt facilè nequitia eius potuiſſet ſentiri, ſicut & ipſi proprism inficiunt. Nec enim in honorē patrū, ſed in deceptionē ſimpliciū, ſicut ille Iudæorū, hoc callidè peragere nituntur. Verumtamen ſicut Dominus ait: Ex fructibus eorum cognoſcetis eos. *Matth. 7.* Si benè Chriſti magiſterium allegent, etſi conuenienter ſcripturis vtantur, vt noſtri, qui etiam, ſed verius, ac proprius Chriſtum vocant magiſtrum. Scripturam talis, & tāti

magiſte-

magiſterij citant, eamque calumnijs aduerſariorum opponunt. Non quidem ſcriptura deſtruentes ſcripturam, cum interſe haud pugnent oracula, ſed verum aurum adulterato obijcientes, & facta ſcripturis conſona, necnon magiſtro, ad cuius auxiliũ catholici confugiunt, ſicut ad ſcripturã.

Non ad te pertinet. Ac ſi dicerent, te præſente indignum eſt aliquid pati, qui ieiunijs nos affligi minimè ob reuerentiam ſponſi nobis vis, quomodo pateris à fluctibus vrgeri? Defendis nos à calumnijs Phariſæorum, & conſentis agitari procellis? Quid eſt, quod dæmonia ſubiecisti, & venti nobis prædominantur? Noſtra nihil intereſt, quippè nati ad laborem, vt aues ad volatum. Fit tamen iniuria maieſtati tuæ, cuius principatum, neque in te agnoſcunt, neque in nobis, quos participes effeciſti, reuerentur inſenſata elementa. An non ad te pertinet horum inſolentiam compeſcere? Hæ ſunt queruloſæ preces, quas Schiſmatum, & Hæreticorum temporibus, publicè, & priuatim facit Eccleſia; vt quibus neque magiſterium Chriſti, neque perſuaſio ex ſcripturis petita, neque anathema in auctoritate Apoſtolica pronuntiatum, lumen afferunt, reſipiſcentiam, aut emendam; adſit dextera omnipotentis faciens virtutem, & quoſcumque, vel conuertat, vel confringat inimicos. Vnde tum intonari ſolent Pſalmi: Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam. Qui regis Iſrael intende. Deus quis ſimilis erit tibi, ne taceas, neque compeſcaris Deus: Quoniam ecce inimici tui ſonuerunt, & qui oderunt te, extulerunt caput. Atque alijs propoſito accomodis, quibus hæc pauca: *Non ad te pertinet*, explicantur. Ac ſi ſolus Chriſtus iniuriam pateretur, & ab eo vindictam fieri oporteret. Id quod locum habet in priuatis, quia dixit: Mihi vindictam, & ego retribuam. Quare laceſſitus dicat: *Non ad te pertinet* Deus? An non ego opus manuum tuarum, ſeruus, filius, & imago? Tuum eſt ergo hiſce malis proſpicere. Ad te pertinet iudicium agere, meum autem eſt æquiſſimum iudicium expectare. Quia præceptum amoris, & patientiæ in Iſrael eſt, & iuditium Deo Iacob, vt faciat illud, cum acceperit tempus.

Matth. 9. Iob. 5. Pſal. 78. Pſal. 79. Pſal. 8. Rom. 12. Pſal. 80. Pſal. 74.

Quia perimus. Hic eſt hæreticorum ſcopus perdere electos, vt non fiat ſalua omnis caro. Nam hi ſunt (ait Federicus Imperator in conſtitutionibus contra hæreticos promulgatis, & confirmatis ab Innocentio, Alexandro, & Clemente huius nominis quarto) lupi rapaces intrinſecus, eo vſque manſuetudinẽ prætendentiũ ouium, quouſque ouile poſſint ſubintrare dominicum. Hi ſunt Angeli peſſimi. Hi ſunt filij prauitatum à patre nequitiæ, & fraudis auctore ad animas ſimplices deſtinati. Hi colubri, qui columbas decipiunt. Hi ſerpentes qui latenter videntur inſerpere, & ſub mellis dulcedine virus euomere, vt vitæ cibum miniſtrare ſe ſimulent, à cauda feriunt, & mortis poculum velut quoddam diriſſimum venenum immiſcent. Hæc ille. Quare velut criminoſos læſę maieſtatis eos iubet puniri, & pleraq. alia conſtituit, quibus Inquiſitores, Hiſpaniæ præſertim, & Siciliæ vtuntur, ad vindicandam, & depellendam hæreſim, & hæreticos. Denuo nota dictum eſſe, *quia perimus*, quod tum mirabile Dei auxilium implorandum ſit, cum aliundè non patet in extremis conſtitutis, ne videamur tentare Deum, petendo miraculum abſque neceſſitate. Vt inquit Aug. q. 26. in gen. & Nicolaus Papa ad Conſulta Bulgarorum, cap. 46. & S. Thom. 2. 2. tractans quæ partibus potentialibus iuſtitiæ opponuntur, videlicet religioni, cui inter alia aduerſatur tentare Deum.

Matth. 24. Federicus Imper. Auguſt. Nicolaus Papa. S. Thom.

CAPVT XXXIX.

Et exurgens comminatus eſt vento, & dixit mari: tace, obtumeſce. Et ceſſauit ventus, & facta eſt tranquillitas magna.

ADeſt miraculum, quod ad extremum vſque diſtulit, vt virtutem omnipotentis in opere agnoſcentes; nullam in verbis, quæ ab eodem defluxerant dubitationẽ ponerent; ſed crederent magiſtrum veritatis, quem patratorem mirabilium prædicabant, viſo tam ſtupendo miraculo; quandoquidem neque ventus tempeſtuoſus, neque vndoſum mare eius imperio valuerunt reſiſtere, quin emiſſa iuſſionis voce, illico quieſcerent, fierentq. omnia tranquilla.

Expoſitio.

Et exurgens: Quaſi è ſomno ſuſcitatus, dimiſſo cubili, ſtans ſuper pedes ſuos, paratus ſuccurrere his, qui affligebãtur, orabãt, & interpellabant ſupplices. Nam propter miſeriã inopum, & gemitum pauperũ, nunc exurgam dicit Dñs. Quoniam Dñs in generatione iuſta eſt. Ad nihilum verò deductus eſt, in conſpectu eius malignus. Dixit enim in corde ſuo: Oblitus eſt Deus, auertit faciem ſuam, ne videat in finẽ. De præparato autẽ habitaculo ſuo, reſpexit Dñs, vt eruat à morte animas iuſtorum, & alat eos in fame. Accipite ergo, ò paſtores diſciplinã, & nolite abiicere eam, quam princeps paſtorũ ſurrectione præſenti tradit, & moniti de periculo animarũ exurgatis, hac, illacq. circũſpicientes pericula, quæ imminent, & nolite deſerere gregẽ propter aduerſa 7. q. 1. ſuggeſtum, & duobus ſequentibus. Nam aduerſitas (ſubdit Greg. poſt liberium, & Honor.) quæ bonis votis obijcitur, probatio virtutis eſt, nõ iuditiũ reprobationis. Quis enim neſciat quã proſperũ fuit, q̃ B. Paulus Apoſt.

Pſal. 11. Pſal. 13. Pſal. 14. Pſal. 9. Pſal. 31. Pſal. 2. Gregor. Liberius. Honorius.

prædicaturus ad Italiam veniebat, & tamen *Act. 17.* veniens naufragium pertulit. Sed nauis cordis in maris fluctibus integra ſtetit. Monemus ergo (ait Innocentius 3. Epiſcop. *Innocent. 3.* Calaritano, de Renunc. cap. 10.) vt laborem paſtoralis regiminis non recuſes, ne fortè *Ioann. 20.* ad pedes ſuos cum Maria ſperneret te recipere, qui ſibi apud te diuertenti ſpreuiſ- *Luc. 10.* ſes cum Martha ſolicitè miniſtrare.

Comminatus eſt vento. Hic enim eſt, ait Theoph. qui ferox reddiderat mare; origine *Theoph. l.* enim ergo mali præſcindere nititur, & docet, maiorum omniũ cauſa, non eſt peccatũ ipſum, neque hæreſis, ſed peſtilens hominis libertas, & malitia, quæ in hæretico inoleuit. Quare his comminandũ eſt, & interminanda pœna. Scriptum eſt: eijce deriſorẽ, & exibit *Prou. 22.* cum eo iurgiũ. Verũ cum de hæreticis ſermonem proſequamur, dupliciter comminãdum hæretico, dũ pœnæ, quæ omnes tangunt publicè proponuntur, & dum in particulari quiſpiam in hæreſim prolapſus, monetur abiurare hæreſim, ne grauiſſimas pœnas in- *Pœnæ hæreticorum.* currat. Eſt autẽ hæc comminatio particularis, quæ ad inquiſitores ſpectat, illa eſt generalis, quã ius ſcriptum proponit. Videlicet: Quod ipſo iure ſint excommunicati, 24 q. 1. Achatius. Etiam poſt mortem excommunicentur, 24. q. 2. ſane profertur. Non recipiantur ab eis ſacramenta, 24. q. 1. ſi quem forte. Neq. eis dentur, 24. q. 1. nec quiſquis. Sint infames, vt neque contra catholicũ teſtificari valeant, 2. q. 7. non poſſint. Neq. accuſare, aut damnare, 4. q. 1. c. 1. 25. q. 1. omne 24. Miramur. Priuẽtur hæreditate de hæreticis, c. vergẽtis, 8. d. quo iure, 23. q. 4. ipſa pietas. Tradãtur deniq. ſeculari iudici, atq. alia *Nicolaus Limeric.* comminantur miſeris, quæ compilauit Nicolaus Lymericus in ſuo directorio inquiſitorũ. Et Alfonſus de Caſtro in lib. de iuſta *Alfonſus de Caſtro* hæreticorum punitione, & de lege pœnali.

Et dixit mari. Dicere mari eſt hæreticũ de hæreſi conuincere, quibus autem conuincatur, docet Alfonſus de Caſtro, lib. 1. de iuſta *Caſtro.* hæretic. punit. c. 4 aſſignatis quinq. argumentorũ ſedibus, quibus in hæreſim prolapſum quempiam conuincimus, videlicet, ſcriptura ſacra, definitione concilij generalis legitimi, vniuerſali totius Eccleſiæ conſenſu, & traditione Apoſtolicæ ſedis iudi- *Quibus conuincitur hæreſis* cio, ſacrorum omnium doctorum concordi ſententia. Verum non ſemper, his neceſſe eſt cum hæretico agere, ſiquidẽ abſque argumentis his, tenetur hæreticus Romano Põtifici credere, etiam in hæreſi non apertè damnata. Cæteris à Romano Pontifice, vtpotè Epiſcopis, inquiſitoribus, & quibuſuis alijs, abſque his argumentis, in ſimili hæreſi non apertè damnata, fidem dare non compellitur, vt proinde pertinax cẽſeatur; ſecus in publica hæreſi. Lege Caſtrũ ibidẽ, c. 10.

Tace, obmuteſce. Obmuteſcit quis in ſeipſo, dum nec ſibi loquitur, tacet quando neque reſpondet alijs, neque interrogat circunſtantes, neque vox eius exterius ſonat. *Modus reconciliationis.* Quibus forma reconciliati hæretici traditur, tũ maximè hæreſiarchæ; videlicet, neq. vltra hæreſim alicui exponere, neque mente amplius ſapere. Nam ſapiens mente, iterum quod abiurauerat fit hæreticus mentalis, & mente relabitur, etiam in excommunicationem, iuxta Gloſſam in Clement. 1. de hæreticis, licet Gloſſæ doctores aduer- *Gloſſa in Clem. 1.* ſentur, quorum ſententia præſtat. Reliquas pœnas incurrit, qui docet, quæ abiurauerat. In titulo & Clement. de hæreticis, & citatis canonibus, nec non à doctoribus fuſius iſta pertractantur.

Et ceſſauit ventus, & facta eſt tranquillitas magna. Accidit ſæpius (inquit Arias *Arias Montanus.* Montanus) vt moti ſemel fluctus, etiam vento quieſcente, non quieſcant, niſi elapſo iam temporis ſpatio. Voluit Ieſus vt ſimul ventus ceſſaret, & mare quieſceret; idque factum eſt, cum primum ille iuſſit, magna tranquillitate, vt non poſſet naturæ adſcribi, ſed miraculo. Fuit autem tranquillitas non vllo ventu, ſed ſecundo, & leuiſſimo. Nam etſi hæreſes ceſſent in Eccleſia, & regnis, non deſunt tribulationes, quæ corpora cruciant, & eos qui ſunt Chriſti exercent, vt maiori cum laude ad portum felicitatis applicent. Omnis enim alia tribulatio ab hæreſi, tentatio humana dici poteſt, quæ facit in tentatione prouentum. Nam etſi ad tempus damnaris ab homine (ait Auguſt. in Pſal. 36. conc. 3.) etſi dixerit *Auguſt.* ſententiam Proconſul. in Cyprianum; alia eſt ſella terrena, aliud tribunal cælorum. Ab inferiore accipit ſententiam, à ſuperiore coronam. Quare ſubdit Gregorius *Greg.* lib. 6. epiſt. 14. ad Conſtantium Mediolanenſem Epiſcopum. In cunctis quæ in hac vita aduerſa proueniunt, ſola eſt, ſicut noſtis, omnipotentis Dei diſtrictio penſanda, atque ad cor ſemper proprium recurrendum, vt nullius nos ibi lingua implicet, vbi conſcientia non accuſat. Itaque *tranquillitas magna*, dici poteſt, & debet, quando ab hæreſi arrhiana, & alijs liberatur Eccleſia, eamque retinet ſeruiente Domitiano in orbem, & in priuatos fideles malitia rugiens nequit tollere. Igitur ceſſet ventus, & optatiſſima tranquillitate fruatur; ceſſent inquam hæreſis cauſæ, quas Alfonſus *Alfonſus de Caſtro.* de Caſtro lib. 3. de iuſta hæreticorum punitione cap. 11. & ſequentibus colligit, videlicet prædicationis defectum, per quoſcunque indiferenter prædicari diuinum verbum, Epiſcoporum negligentiam, & quorumcunque ſuperiorum indignationem, ſcripturæ vulgarem, & incautam gentilium librorum lectionem, quibus auctor ipſe remedia applicat, ſed obſeruantiam concedet opifex, quando dignabitur orbi miſereri.

CAPVT

CAPVT XXXX.

Et ait illis: Quid timidi eſtis? Nec dum habetis fidem? Et timuerunt timore magno, & dicebant ad alterutrum: Quis putas eſt iſte, quia, & ventus, & mare obediunt ei?

Expoſitio. HAbemus miraculum, quid in animis effecerit circunſtantium, iam nunc tandem aperit Euangeliſta, vtpotè admirationem, & fidem. Ea ſiquidem fuiſſe primitus deſtitutos, indicant Chriſti verba; cæterum ad auctam, & repetitam miraculo in eiſdem, apertè demonſtrat colloquium mutuum. Quis putas iſte eſt? Non iam hominem ſolum credebant, ſed aliquid ſupra hominem, quo eorum mentes volare non poterant, in Chriſto confitebantur.

Et ait illis. Ad Apoſtolos conuertit ſermonem, quod profligatis hæreticis, ſit ſæpè cum catholicis agendum, & eorum carpendi mores, & viuendi licentia maior, ne hæreſes repullulent. Id quod obſeruatum legimus in omnibus concilijs œcumenicis, quæ orbatas hæreſes expugnant, tum maximè in vltimo quod Tridenti celebratum eſt. In quo poſt damnationem hæreſum, decreta de reformatione ſtatuuntur, quæ velut medicorum, & Hypocratis regulæ de ſanitate tuenda Religionem hæreticorum auſibus impugnatam, ſed ſubleuatam, & tutatam diuinitus; ſedulo conſeruent, qui pietatem amant, & reformationem.

Quid timidi eſtis? Eſt timiditas vitium puerile, quod quantum à paſtoribus Eccleſiæ alienum eſſe debeat, tum increpatio præſens, tum officij dignitas, tum etiam damna, quæ paſtorem timidum, ſequuntur nos monent. *Eccl. 7.* Inde dictum: Noli quærere fieri iudex, niſi valeas virtute rumpere iniquitates, ne fortè extimeſcas faciem potentis, & ponas ſcandalum in agilitate tua. Id quod accidit multis tàm in clero, quàm in populo: dum tamen timent Regem humanum, aut inuaſorem, amittunt Regnum cælorum. *Auguſt.* Vnde Auguſt. iuxta Gratianum, 2. quæſt. 7. Dixit: Qui nec regiminis in ſe rationem habuit, nec ſua delicta deterſit, nec filiorum crimen correxit, canis impudicus dicẽdus eſt, magis quàm Epiſcopus. *Greg.* Tales quippè (ait Greg. epiſ. 9. lib. 2. regiſtri) ad veritatem, non iuſtitiæ defenſio, ſed amor præmij prouocat, quibus ſi ſpes nummi ſubtrahitur, confeſtim à iuſtitiæ defenſione recedunt. Acceptio nummorum præuaricatio veritatis eſt. Vnde & pro iuſto dicitur. Qui excutit manus ſuas ab omni munere, iſte in excelſis habitabit. *Iſai. 40.* Itaque timiditatem generat quandoq. auaritia, & ſæpius amor proprius, quod damnabile eſt his, qui vitam pro ouibus, & rationem pro eis reddere ſpoponderunt.

Non dum habetis fidẽ? Nam ſi (ait Theophylactus) fidem habuiſſent, credidiſſent vtique quod & Dominus poſſet illos ſeruare illæſos. *Theophyl.* Oportet igitur (ſubdit Arias Montanus) nobiſcũ vt eũ fide adhuc carentibus agere, miraculo aliquo edito. *Arias Montanus.* Nam miracula ſigna ſunt non credentibus. *1. Cor. 14.*

Et timuerunt timore magno. Cum oporteret lætari, timent; timor enim figura eſt imminentis mali. Quid ergo non timent vrgente procella? timebant quidem, alioqui non clamaſſent, ſed timor ille ad ſeruilem tendens, Apoſtolo indignus erat, eoque prætermittitur, refertur poſt miraculum timor, qui filialis eſt, & initium ſapientiæ, *Pſal. 110.* quemq. generat Dei operum admiratio.

Et dicebant ad alterutrũ. Videre miraculum, & miraculoſa Dei opera contemplari, mentem ad altiora continuo ſubleuat, & accendit affectum; ad alterutrum vero illa dicere, & tractare, proximum ædificat. Hinc ille: Omnis ſermo malus, ex ore veſtro non prodeat, ſed ſi quis bonus ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus. *Ephſ. 4.* Et ſi quis loquitur quaſi ſermones Dei; vt cantent in vijs Domini, quoniam magna eſt gloria Domini, & mirabilis in cunctis operibus ſuis. *Pſal. 137.* Tales legimus apud Caſſianum patrum collationes extitiſſe, quas & imitantur, qui recto ſunt corde. *Caſſianus.*

Quis putas eſt iſte? Forte nè noſtri ſimilis? hominem quidem ſe habitu oſtendit, ſupra hominem ſub homine latere quid magnum, quis noſtrum negabit, qui vidimus hodie mirabilia eius? Mirabilis certè eſt Deus, faciens prodigia.

Quia ventus, & mare obediunt ei. Nota (ait Gloſſa ord.) Quod omnis creatura ſentit imperium creatoris. *Gloſſa ord.* Non quod omnia animantia tantum, vt mentiuntur Hæretici; *Hæreſ. conf.* ſed maieſtate conditoris, quæ nobis in ſenſibilia, illi ſunt ſenſibilia. Vtcumque ab his, datum eſt nobis inuiſibilia Dei, ſempiternamque virtutem venari, & ei melos dicere. Benedic anima mea Domino. Domine Deus meus magnificatus es vehementer. *Pſal. 103.* Iucundum ſit ei eloquium meum, ego verò delectabor in Domino, qui fecit mirabilia magna ſolus. *Pſal. 71.* Quoniam in æternum miſericordia eius. *Pſal. 135.*

FINIS LIBRI QVARTI.

Digitized by Google

IN SACROSANCTVM CHRISTI EVANGELIVM SECVNDVM MARCVM

LIBER QVINTVS.

IN CAPVT QVINTVM

PRAEFATIO.

Summarium totius libri.

PROSEQVITVR doctrinam miraculis confirmare, ſeipſum vt in mari, ita & in terra potentem declarãs, ne quis iam de omnipotentia in agẽdo, & in loquendo veritate, dubitaret, ſed cuncti eum in omnibus veridicum arbitrarentur, perſpectis mirabilibus ſuis. Itaque occurrenti ſibi dæmoniaco trans fretum ſalutem confert, licentiatis dæmonibus, vt in gregem porcorum intrarent, quem magno impetu præcipitarunt in mare, quo factum eſt, vt regionis indigenæ timentes ſibi quippiam accidere mali, vt porcis, rogarent Chriſtum à ſuis exire finibus: ille vero annuens, abijt rurſus trans fretum, relicto eo, qui à dæmonibus liber euaſerat, vt prædicaret virtutem eius, qui illum donarat beneficio. Et cum, trans fretum poſitus, Hemorroiſam, & filiam Archiſinagogi, donaſſet ſaluti, magnam toti regioni admirationem affert. Huius capitis ſummam in duas partes diuidimus. In prima narrantur quæ in vna ſtagni, ſeu maris geſſit parte, in altera continentur quæ in ſecunda. Iam per capita digeramus ſingula.

Diuiditur in duas partes.

CAPVT PRIMVM.

Et venerunt trans fretum maris in regionem Geraſenorum.

Expoſitio.

MAre iam tranquillo nauigare occipiunt, et maiori continuo repleti admiratione ſuper his, quæ in mari acciderant, ad aliam maris ripam applicuerunt omnes; vbi ſicut nec Chriſtus virtutem abſcondit, ita nec qui cum eo venerant à Chriſti laudibus potuerunt ſe ipſos continere, vt notam facerent filijs hominum potentiam ſuam, et gloriam magnificentiæ regni ſui, quia fidelis Dominus in omnibus verbis ſuis, et ſanctus in omnibus operibus ſuis.

Pſal. 144.

Et venerunt trans fretum maris. Nam etſi in mari via Chriſti, et ſemitæ eius in aquis multis, et vehementibus ſint; tamen neq. ipſe, neque ſuorũ aliquẽ vult morã in mari trahere; ſed preſſis vndis eius trans fretare, et quærere firmitatem terræ. Et quid terra? et quid mare? Hoc dico mundum, qui totus in maligno poſitus eſt, cuius malitiam Dux militiæ Chriſtus vicit, domuit, & temerarios auſus compreſſit, ne vltra aduerſus Dominum rebellare valeat, neque gigas, aut princeps ſit in eo, qui latrocinetur, ac deprædetur ſeruos Regis æterni. Terram dicito ſtatum Eccleſiæ firmiſſimum; ſiquidem terra Emanuel, vt exponit Hier. Iſai. 8. in qua ſola flores apparent; quæ fluit lacte, & melle, & terra Beniamin, ſecundum Greg. 1. Reg. 9. in qua dilectus eleuatur in mentis exceſſu; vnde erigitur ſcala, quam vidit Iacob, cuius cacumen cælum tangebat, & ſummitati Dominus innitebatur, eiuſque gradus Angeli aſcendentes, & deſcendentes miro ſplendore illuminant. Ergo vt huiuſce terræ mirabilibus fruantur ſectatores Chriſti, venerunt trans fretum maris, deuenerunt, in quam, ad ſtatum Eccleſiæ, ſed comite Chriſto, & eius viuifico ſpiritu. Nam ſcriptum eſt: Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam, velut habet paraphraſis Chaldæa in viam rectam, באירחתריץ namq. ארח harach chaldaice via, & iter interpretatur; & תריץ tharas rectitudo, & rectum, velut apud hæbræos ישר Iaſcar, dirigere, rectum eſſe, loco ארץ herez ideſt terra, transfert paraphraſtes, harac, hoc eſt viam vt myſterium, quod ſub hac terra, deſerta, inuia, & inaquoſa, quæ ſpinas, & tribulos germinat, continetur, nomine viæ aperiat; videlicet Deum, Chriſtum, legem, ſacramentum, doctrinam, ſcientiam, gratiam, virtutem, & bonum omne, quod eſt homini via rectiſſima, ad eam rectitudinem (à qua ſe per peccatum deiecerat) repetendam, intra Eccleſiam reperiri (tametſi in terra laborioſa videatur peregrinari à Domino) adeo vt qui viam deſerat, neque ſalutem inueniat, neque rectitudinem, quam appetit

aſſequa-

Pſal. 76.

Quid mare, quidue terra myſtice deſignat?

1. Ioh. 5.

Hier ſup. Iſai 8.

Greg. 1. Reg 9.

Gen. 28.

aſſequatur. Ad eam verò deducitur, qui ſpiritu Dei ductus maris vndas compeſcit; hoc eſt, vitia omnia calcat, & paſſionem retinet, ne malignetur.

In regionem Geraſenorum. Marcus græcus ſimiliter, & Lucas (ait Gannæius) ſic habent τῶν γαδαρηνῶν, ideſt Gadarenorum, & videtur inrerpres, ita tranſtuliſſe, vt patet in pleriſque antiqnioribus exemplaribus, ſed quia Matth. habet hoc loco γεργεσηνῶν, ideſt Gergeſenorũ, pro quo poſuerunt Geraſenorum, ita hoc loco in Marco cum poſuiſſet interpres Gadarenorum arbitrati ſunt, reponendum eſſe Geraſenorum, quemadmodum Marth. habet, puto eandem eſſe regionem Gadarenorum, Gergeſenorum, & Geraſenorũ, quæ eſt trans Geneſar, contra Galilæam, in qua eſt oppidum Gazara nomine, cuius meminit Ioſephus, à qua regionem Gadarenorum Mar. & Luc. vocarunt. Eſt & oppidum Gergeſſa, à quo Gergeſenorum regionem Matth. nominauit. Ergo illic pro Geraſenorum reponendum puto Gergeſanorum: attamen vſitata lectio Græca neutra vtitur, ſed γαδαρηνῶν Gadarinorum à γαδαρα Syriæ ciuitare non longè ab Aſcalone (vt refert Plin. lib. 5. cap. 18.) ſic forte dicitur. Huic lectioni proximior eſt Syriaca, quæ habet Godareorum: Gloſſ. vult dici à Geraſa vrbe Arabiæ, quæ iuncta eſt monri Galaad in Tribu Manaſſe non longè à ſtagno Tiberiadis. Cæterum Vulgatæ, quam nobis proponit Eccleſia, adhærentes Geraſenorum lego, & non aliter. In quem locum Arias Montanus ait, ex Girgaſæis oriundi videntur illi, qui vltrà mare Geneſaret habitauere; ſed ſi huius ethymologiam petimus à verbo Græco γεννάω, qui eſt genero, ac gigno, vndè genizaret, ſiue gereſanet corrupto vocabulo eſt. Multa philoſophare poſſemus circà aduentum Chriſti in terram hanc Geraſenorum. Nam ad terram generationũ transfretans, innuit ſe ad Eccleſiam venire, quæ eſt optimarum generationum parens, vtpotè filiorum Dei, & generationẽ perficiat, & adaugeat; quia, inquit, ego veni, vt vitam habeant & abundantius habeant. Et veniens ad eam fert ſecum Apoſtolos, quoniam, & ipſis dedit poteſtatem filios Dei fieri. His qui non ex ſanguinibus, ſed ex voluntate Dei nati ſunt.

Ratio diuerſæ lectionis.

Arias Montanus.

Ioan. 1.

CAPVT SECVNDVM.

Et exeunti ei de naui, ſtatim occurrit de monumentis homo in ſpiritu immundo.

Expoſitio.

DEnique ſiue in mari, ſiue in terra ſit Chriſtus, dum in carne eſt, pugnandi occaſionem habet; ſed Dominus fortis, & potens, Dominus fortis in prælio, omnia

Pſal. 23.

deuincet; Et quis cogitabit aduerſus eum? qui ſperat Iordanem poſſe abſorbere? Is eſt, qui procellam in mari excitat, & qui in terra extenſo collo aduerſus eum eucurrit.

Iob 40.

Iob 15.

Et exeunti de naui. Venerunt omnes, & applicuerunt; vnus tamen Chriſtus dicitur de naui exire; quod etſi ingens virorum multitudo ad Eccleſiam veniat, multi ſint, & penè innumeri, qui nauigent mare, & valeant pericula eius narrare, vnus eſt Chriſtus, qui exit à periculis liber, qui plenam narrat victoriam, & qui exijt vincens mundum in mari, vt vinceret in terra diabolum, & profligaret à terra, & mari, vt ceſſaret comminatio, & planctus. Væ terræ, & mari, quia deſcendit ad vos diabolus habẽs iram magnã. Sed potius eructet æmulator Chriſti. Iuxtà eſt, qui iuſtificat me, quis contradicet mihi? ſtemus ſimul, quis eſt aduerſarius meus? accedat ad me: Ecce Dominus meus, auxiliator meus, quis eſt, qui cõdemnet me? Ecce omnes quaſi veſtimentum conterentur, tinea comedet eos.

Iſai 50.

Statim occurrit de monumentis. Eorum, inquam, quorum non es memor amplius, qui ſicut vulnerati dormiunt in ſepulchris, & ſepulchra eorum domus illorum in æternum. Erant hi gentiles, & ſunt quique infelices, quorum animas poſſedit dæmon, & in eorum monumentis habitat, & in die occurrit iuſto, vt affligat, deterrear, & perturbet, quemadmodum accidit Antonio degẽti in deſerto caſtro gentilium, & Machario dormienti in antro, quo infidelium oſſa iacebant, & pleriſque alijs. De monumentis Sanctorum, non dæmones, ſed Angeli; non noxia, ſed auxilia; neq; fœtor egreditur, ſed bonus Chriſti odor; qui lætificat nedum fideles, ſed infideles: ſiquidem infidelis adhuc erat Conſtantia, cum è monumento Agnetis à lepra meruit ſana redire, ſed & paganorum multitudo nonne incendium euaſit, Agathæ ſuffulta præſidijs, cuius ſepulchrum apud ſe retinebant? Et quidem gentilem volunt plerique eum, quem Heliſæi oſſa ſuſcitarunt. Pretioſa eſt enim in conſpectu Domini mors Sanctorum eius. Et corpora eorum in pace ſepulta ſunt, & nomina eorum viuent in ſæculum ſæculi, neque delebitur de terra, quoniam Dominus cuſtodit omnia oſſa eorum, & mira in eorũ monumentis operatur, & operabitur vſque in finem ſæculi. Tametſi Haggromachi, & Anteſignanus hæreticorum noſtri temporis Lutherus: ne dicam baſilicas, & templa; ſed & Sanctorum monumenta euertere, corpora perdere, & in nihilum eorum redigere oſſa tentauerint, ſub religionis ſpecie, qui neque religionem ſciuere: neque enim idolatriæ vitium eſt, neque nouum (vt ipſi mentiuntur) Sanctorum monumenta venerari. Nam & Patres naturæ legis Sanctos honorato donarunt ſepulchro,

Pſal. 87.

Sepulchra Sanctorum honorata.

Pſal. 115.

Eccl. 44.

Pſal. 33.

Confutatur hæreſis.

chro,& venerati ſunt,vt Abraham Saram, Iacob Iſaac patrem,& à duodecim Patriarchis,ac toto Ægypto nonne Iacob veneratus eſt in monumenti ſepultura? ſimili religione conſtricti filij Iſrael oſſa Ioſeph ſecum aſportarunt, & quamdiu eis licuit in proprijs monumentis Samuelem, Ioſue, Sanſonem, Danielem, Ezechielem, & reliquos viros glorioſos coluerunt, & adhuc diſperſi eorũ celebrant memorias. Ieiunant

Iudæi memoriã antiquorum Sanctorum ieiunio celebrant.

enim tertio Ianuarij ob mortem iuſtorum, qui extiterunt temporibus Ioſue. Aaron quoque Moyſis, Mariæ, Ioſue, Samuel, & aliorum memoriam ieiunio conſecrãt. Antiquitatem continuauit Euangelij ſtatus; Primum in capite Chriſto; demum in Stephano, Apoſtolis, Martyribus, Confeſſoribus, Virginibus,& in cunctis denique fidelibus,qui in Domino moriuntur. Omnes enim in dedicatis ædibus, monumentis, aut ſepulturis conſecratis traduntur. Reliqui à fide alieni ſepultura aſini extrà patres ſuos ſepeliuntur. Fidem his conciliant hiſtoriæ, quas compilauit Lyppomanus, Laurentius Surius,ac nuper Reuerendiſs. Flamma; ſed & acta Conciliorum,ac decreta Pontificum lucem adferunt veritati;necnon Patres omnes. At mala progenies à patribus degenerans,patres impetit,& ſuggillat. Haud ſecus,quàm dæmoniorum, monumenta fideliũ reputans, id quod nos iure damus ſuibus vndè dæmonia exeunt.

Homo in ſpiritu immundo, Ideſt (ait Lyra) obſeſſus à dæmone. Matt. 8. dicitur, quod erant duo. Ad quod dicendum, quod in veritate duo erant dæmoniaci, vt dicit Matt. ſed vnus erat ſenior altero, in quo erat legio dæmonum, vt dicitur infrà, & iſte ſolus nominatur hic à Marco, & alius tacetur, quia non erat ita famoſus in malo. In eundem modum conciliat Auguſt. de conſ.

Auguſt. de conſ. Euãg.

Euang. Dicitur autem homo in ſpiritu immundo, quod ad immunda,& animo,& corpore propelleretur. Vndè Arias Montanus

Arias Mõtanus.

ſcribit. Docuimus in lib. de arcano ſer. ſpiritum immundum eum dici, qui & animæ,& corpori eius, quem obſidet, nocet, ita hic ſeſe ab omni conſuetudine hominum abducens ſedebat,& eos, qui ſecundum illa loca tranſirent, infeſtabat, neque id morbo, aut inſaniæ, ſed dæmoni aſcribi debuit, quando nulla inſania tanta eſt, vt poſſit dirumpere catenas, & catenas comminuere. At nihil habere immunditiæ hanc ferocitatẽ certũ eſt, quandoquidẽ in Sanſone,& reliquis Dei viris exſtitit ſpiritus, qui ſimilia efficeret; quare immundũ ego dico ſpiritum, qui immunditijs externis ad internã,& obſeſsũ,& circumſtantes prouocabat, vtpotè luxum, gulam, inhoneſtos complexus,& diſſolutas carnis concupiſcentias. Atqui ideò in ſepulchris habitabat. Nam qui delitijs huiuſmodi enutriunt corpora, ſeipſos faciunt ſepulchra concupiſcentiæ, nec alium hæreditant finẽ, quàm ad ſepulchra deſcendere.

CAPVT TERTIVM.

Qui domicilium habebat in monumentis, & neque catenis iam quiſque poterat eum ligare.

Expoſitio.

DEſcribitur obſeſſi infelicitas, & deploranda calamitas, quæ tanta erat, vt neque domi commorari, neque conuerſari cum hominibus poſſet, ſed cogebatur à ſpiritu agitatus latitare in ſepulchris,& mortuorum oſſibus volutari, ac morè beſtiæ ſylueſtris, neque timebat quemquã, neque reuerebatur, qui pauorem ipſe cunctis incutiens, procul abeſſe compellebat, neque audax, aut fortis quiſque poterat eum colligare, neque penes ſe à fuga cohibere. In die enim eius, quando rapiebatur, ſtabant nouiſſimi,& primos inuadebat horror. *Iob 18.*

Qui domicilium habebat in monumentis. Habitabat autem in ſepulchris (ait Theophylactus ex Chryſoſt.) volens hominibus malam opinionem inferre, quod morientium animæ dæmones fiant, quod abſit, vt quis credat. Vtcunque auctore Auguſt. lib. de hæreſ. ad quod vult Deum, cap. 63. errorem hunc Tertullianus imbibit, credens damnatorum animas in dæmones conuerti, id quod etiam intellexi ſibi perſuadere mulierculas, quæ à dæmonibus illuſæ credunt ſe in corpore multa terrarum ſpatia tranſire,& noxias ſe cunctis profitentur, & ſunt, idque inquiri, & grauiter puniri præcipit extrauagans Ioan. 22. ſuper illis ſpecula, &c. Et multò ante Damaſ. Papa in Synodo Romæ habita contra Macedonium, & Apollinarem, vndè videntur peti verba, quæ Conc. Anquiren. c. 1. contra huiuſmodi mulieres profert; ſed his miſſis, ad hæreſim redeo: Eam enim damnat Scriptura, quæ facit hominem inextermiuabilem, & animam eius à Deo in perpetuum conſeruari: quòd verò in alterius ſubſtantiam tranſmutatur, vt olus in carnem, ſulfur in aurum, & aqua in vinum, non manet ſecundum priorem ſubſtantiam, ſed omninò deſinit, & abit in nihilum; id autem damnatorum animis repugnare, quæ iudex profert, aperiunt. Ite, inquit, in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis eius. Non ait, qui paratus eſt vobis dæmonibus, ſed ite vos homines ad locum, ſortem, & pœnam dæmoniorum, qui eorum officia voluiſtis imitari, & quaſi filijs parentibus obſequi. Fortaſſis,& hoc modo animas damnatorum in dæmones conuerti dixerunt, vt & nobis familiare eſt, nequam vocare dæmonem; nam vt boni erunt, ſicut Angeli Dei; ita peſſimi erunt, ſicut Angeli Sathanæ, non natura,

Theophyl. *Auguſt.* *Tertull.* *Extrauagans.* *Damaſ. Papa.* *Conc. Anq.* Confutatio hæreſis. *Matth. 25.*

ra,

Digitized by Google

ra, ſed officio, & malitia.

Et neque catenis iam quiſque poterat eum ligare. Catenam fingit poteſtatem temporalem, quæ ferro, gladio, compede, manicis, & catenis dominium parat. Hæc non poteſt ligare dæmonem, nec ſuum ſibi *Iob 41.* dominium ſubijcere: Reputabit enim quaſi paleas ferrum, & quaſi lignum putridum æs. Non fugabit eum vir ſagittarius, in ſtipulam verſi ſunt ei lapides fundæ, quaſi ſtipulam æſtimabit malleum, & deridebit vibrantem haſtam. Denique non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei, quia *Gregor.* etſi actionis ſuæ merito (ait Gregor. lib. 34. moral. cap. 7.) infra homines cecidit, omne tamen humanum genus naturæ Angelicæ conditione tranſcendit, quamuis enim internæ fœlicitatis beatitudinem perdiderit: naturæ tamen ſuæ magnitudinem non amiſit, cuius adhuc viribus humana omnia ſuperat, licet ſanctis hominibus meritorum ſuorū deiectione ſubiaceat. Expertus enim *Notgerus.* Sathanas (ait Notgerus Laodicenſis Epiſcopus, in vita ſancti Remachi Epiſcopi Treiactenſis) pertimeſcit initia rectè viuere inſtituentium, vigilias, orationes, ieiunia, manſuetudinem, patientiam, voluntariam paupertatem, vanę gloriæ contemptum, humilitatem, miſericordiam, & præcipuè purum erga Chriſtum amorē. Vndè Mauritio *Fortunat. de Epiſc. Andeg.* Epiſcopo Andegauenſi, Fortunato ſcriptore, dixerunt dæmones è ſimulacris: Quid nos, & hic Mauriti perſequeris. In his regionibus nullus eſt locus, quo te euadere valeamus. At Sāctus illico in aduerſos ſigno ſanctæ Crucis oppoſito, dæmonia repente eleuato magno rugitu, non ſine immenſo fœtore fugerunt. Itaque etſi naturalibus præcellant, ſubijciuntur virtuti Sanctorum. Nam & Lupus Epiſcopus Senonenſis incluſit eos intrà vas aquæ. Bartholomæus ligauit, & alij plures in dæmones potuerunt.

CAPVT QVARTVM.

Quoniam ſæpè compedibus, & catenis vinctus dirupiſſet catenas, & compedes comminuiſſet, & nemo poterat eum domare.

Expoſitio.

ET cur ligari non poſſet, non tām quod ferociſſimus, quā quod fortiſſimus, vt non cederet ferro, qui totus ferrugineus eſt, & indomitus. Nūquid (ait Dominus ad Iob) pones circulum in naribus eius; aut armilla *Iob. 7.* perforabis maxillam eius? Nunquid multiplicabit ad te preces, aut loquetur tibi *Gen. 8.* mollia. Fera peſſima, quæ deuorat filium, & mala beſtia, quæ vineam Domini depopulatur, neque humiliari nouit, neque domari conſenſit, compedes, catenaſque diſſoluit.

Quoniam ſæpe compedibus, & catenis vinctus. Ergonè aliquando cingitur à domeſticis? Vtique à nicromanticis, qui magiam, quæ ex pacto dæmonum fit, exercent. Hanc magiam partitur Auguſt. lib. 10. de *Auguſt.* Trinit. cap. 9. in Theurgiam, & Goetiam; illa docet inuocare dæmones per ſacrificia, & conſecrationes ad bonum aliquod: Hæc mortuos cogit, inuocatis etiam dæmonibus. Addit his Philo lib. de *ſpecialibus* le- *Philo.* gib. tertiam, vtpotè Pharmatiam, quæ cibo præſtito nouum aliquid operatur, vt inſaniam, amorem, odium, aut aliquid ſimile, virtute ſemper dæmonis, qui ex pacto mago, & incantatori obſequitur. Iurant enim dæmones (vt refert Eymericus 2. par. dire- *Eymeric.* ctorij inquiſitorum q. 43. ex lib. qui tabula Salomonis inſcribitur, & theſauro Nicomaſtriæ) adeſſe eorum inuocationibus, inuocatis verò expreſsè, quandoque latriæ cultum exhibent, & tacitè verò ſemper; quare ſemper peccatū eſt, inquit Aug. 26. q. 7. Non ob- *Auguſt.* ſeruabitis; & eſt apoſtaſia aperta cū adorātur, & inuocantur, ſecundū Alb. diſt. 7. ſup. 2. *Alb.* ſent. quinimo hæreticum opus eſſe teſtatur. Oldrad. in compilat. q. 210. Io. And. 5. C. *Oldrad. Io. And.* Accuſatus, §. ſanè, & verbo ſaperent extrà de hæret. lib. 6. & ibidem Io. Monach. Huius *Io. Monach.* peſſimæ magiæ Plinius facit auctorem Zoroaſtrem perſen. Auguſt. Zoroaſtrem Ba- *Auctor magiæ quis.* ctrianorum Regem. Quicumque ſit auctor damnatur in Conc. Laodicen. cap. 36. Tole- *Conc. Laodicen.* tano quarto cap. 28. Agatenſi cap. 42. Aure- *Toletan. Agaten. Aurelian. Carthagin.* lianenſi cap. 32. Carthaginenſi quarto cap. 89. Anquirenſi cap. 1. Necnon Leo Quartus ad Epiſc. Britanniæ, cap. 4. & Gregor. lib. 7. epiſt. 66. ad Iannarium Epiſcopum. Hi ergò, qui cum dæmonibus iam iam damnationis pœnam ſuſtinent, ſæpè vinciunt, & ligant dæmones, vt imperata faciant, & poſtulata.

Dirupiſſet catenas, & compedes comminuiſſet. Nam & ſi dæmones fœdus ineant cum nicromanticis, auguribus, auruſpicibus, ſortilegis, veneficis, incantatoribus, & ſimilis generis, tamdiu illud ſeruant, quamdiu animarum iacturam ſperant, & diſſol- *Fallacia dæmonum.* uunt mendaces, quando, quam ſibi propoſuerunt vtilitatem horrendam, non intuentur, tamque callidè agunt, vt vix agnoſcantur à ſuis deceptores, & præuaricatores. Fallunt (inquit Aug. lib. de diuinat. dæmon. *Auguſt.* cap. 6.) & ſtudio fallendi, & inuida voluntate, qua hominum errore lætantur, ſed ne apud cultores pondus auctoritatis amittant: id agunt, vt interpretibus ſuis, ſignorumque ſuorum coniectoribus culpa tribuatur, quando vel decepti fuerint, vel mentiti.

Et nemo poterat eum domare. Siquidem malus peruerſus, & obſtinatus, qui ſtringit caudā ſuam, quaſi cedrū, nerui teſticulorū *Iob 40.* eius perplexi ſunt, oſſa eius velut fiſtulæ æris,

æris, cartilago illius, quaſi laminæ ferreæ. Eſt cauda animalis finis. Nunc autem adhuc in tormentis poſitus dæmon ſibi proponit cedro altiorem, quia ſuperbia eorum, qui te oderunt aſcendit ſemper, continuò elatior ait, aſcendam in cælum, & ſuper aſtra cœli pœnam ſolium meum. Nerui teſticulorum, quibus luxuria deſignatur perplexi ſunt; hoc eſt, amores concupiſcentiæ, & propriæ excellentiæ appetitus, elationis ſuæ initia vigent, & iugiter inflammantur, ſeque cæteris excellentiorem reputat, & præſumit ob dignitatem ſimilitudinis naturæ Dei. Oſſa, quibus inteſtinæ, & medullæ fouentur, in dæmone ſunt liberæ electiones, odia, inuidiæ, & malitiæ, ære duriores, ſed velut fiſtulæ, per quas venena diffundit. Cartilaginem dico libertatem in malo conſummatam, qua hominibus, Angelis, nedum Deo reſiſtit, & tota die aduerſus ſibi ſimilem bellum excitat, quoniam non eſt pax impijs, dicit Dominus: quare indomitus eſt cunctis, & ferax, quod enim hominibus eſt mors, Angelis eſt caſus, ait Damaſcen. lib. 2. orthod. fid. cap. 4. Siquidem voluntas Angeli (ſubdit S. Thom. 1. p. q. 64. a. 2. ad 3.) adhæret fixè, & immobiliter. Vnde peccatum, quo primo peccauit, adhuc manet in diabolo, quantum ad appetitum, licet non quantum ad hoc, quod credat ſe poſſe obtinere; ſicut ſi aliquis credat ſe poſſe facere homicidium, & velit facere, & poſtea adimatur ei poteſtas; nihilominus volūtas homicidij in eo remanere poteſt, vt velit feciſſe, vel velit facere, ſi poſſet. Hanc obſtinationem, quam Iob tribuit diabolo, Beatus Gregorius lib. 32. mor. cap. 12. refert ad Antichriſtum. Poſſumus, & nos cuicumque eius membro obdurato eam accommodare. Neque enim peccatorem, qui in profundum iniquitatum venit, poteſt quiſque domare, niſi manum ſuam mittat Deus de alto; quæ de lapidibus Abrahæ ſemen ſuſcitet.

Pſal. 73. Iſai. 14. Iſai. 48. Damaſcen. S. Thom. Gregor. Pſal. 143. Matt. 3.

CAPVT QVINTVM.

Et ſemper die, ac nocte in monumentis, & in montibus erat clamans, & concidens ſe lapidibus.

Expoſitio. QVid cum alijs, qui eum volebant retinere, ageret dictum eſt. Mox quæ contra ſeipſum committeret demonſtrantur. Nam vel cum mortuis in monumentis, vel in montibus cum feris degebat, & quocumq; pergeret ſeipſum lapidibus concidens vulnerabat, vt plagatus vndiq; continuò appareret.

Et ſemper die, ac nocte in monumentis, & in montibus. Monumenta mortuorum dico ego infidelitatis ſtatum, & paganiſmi conuentum: quia deſiderium impij monumentum eſt peſſimorum. Sepulchrum patens eſt guttur eorum, qui à fide errant, & ſicut vulnerati, plaga inimici, inſanabili vulnere, & crudeli in ſepulchris Ægypti iacent, viuentes enim mortui ſunt ſpiritu, dumque corpori vitam prolongant, maiorem ſibi damnationem adſciſcunt, & parant in inferis profundiorem ſepulturam. Ducebar (inquit per Iulianum infidelis ſuſcitatus) neſcio à quibus Æthiopibus, quorum ſtatura erat, vt Gigantum, aſpectus horrendus, oculi, vt fornax ignis, dentes, vt leonum, brachia, vt trabes, vngulæ, vt aquilæ, in quibus nulla miſericordia erat. Hi me lætantes ducebant in infernum, & iam propè ad os putei cum eſſem, hoc expectabatur, vt caro mea redderetur terræ, ex qua ſumpta eſt. Et Iulianus ad Martianum Præſidem infidelem, & complices: ſicut autem illa omnia (ſcilicet, templum cum idolis, & ſacerdotibus) vterus ſuſcepit terræ, ita vos, & Imperatores veſtros dæmonum perpetuus accipiet infernus, vbi ignis edax non extinguetur, & vermis deuorans non morietur; vbi corpus ſemper reparatur ad pœnam, vbi miſericordia quæritur, & non inuenitur. Hic vos talis locus expectat, & ſcelerum auctorem diabolum; qui propterea, vt ſocios tum culpæ, tum pœnæ, die, noctuque frequentat, & habitare vult cum eis; quid quod monumenta ſua efficit. Sed vt quid *in montibus*? Montes quidem ſignificant Sanctos Dei homines. Ergonè cum Sanctis interdiu, ac nocte dæmon habitat? Minimè quidem, ſed dæmones omnes (dicebat Antonius apud Athanaſium) nunc de nobis torquentur inuidia, atque vniuerſa mala commouere non ceſſant, ne priſtinis eorum ſedibus ſuccedamus. Diuerſa autem eorum, & partita nequitia eſt; quidam enim ad ſummum nocendi verticem peruenire, alij ex comparatione peiorum videntur eſſe leniores, atque omnes pro poſſibilitate virium diuerſa contra ſingulas cauſas ſumpſere certamina, & infra: hoſtile illis contra omnes Chriſtianos, maximè verò contra monachos, & virgines Chriſti odium eſt. Eorum ſemitis laqueos tendunt, eorū mentes impijs, atque obſcœnis cogitationibus nituntur euertere: Aliquando quidem (ait Metaphraſtes in vita Eufroſinæ virginis) certè eius in Deum curam, & meditationem ſtudebat euellere, parentum accendens deſiderium; aliquando diuitiarum, gloriæque, & ſponſi memoria conabatur eius emollire ſpiritum; propterea ei in memoriam reuocabat memoriam familiarium, & æqualium. Diabolo ergo (ait Theobaldus de beato Vullelmo Duci Equitaniæ) reuocante ad ruminanda præterita, & mundi concupiſcentia illiciente oculos ad præſentia, factus eſt minus diligens. In hunc

Prou. 12. Pſal. 5. Pſal. 13. Metaphraſte. Athanaſ. in vita Ant. Greg. ep. ad Secundinū. Metaphr. Theobaldus de B. Vullelmo.

itaque modum circuit montes Dei, ſi quo
modo fieri poſſit dæmonũ habitatio, mons
Pſal.67. Dei, mons pinguis, in quo beneplacitum
eſt Deo habitare in eo. At qui exultant, vt
Pſal.113. arietes à facie Domini, & fortiter agunt
contra temerarios auſus Gog, & Magog, vi-
Montes qui. ctoriam narrant. Poſſumus, & montes ap-
pellare ſuperbos, qui diabolo herbas fe-
Gregor. lib. runt, quia ex eo illum reficiunt (ait Gregor.
33.mor.c.1. lib.33.mor. cap.1.) quod nequiter operan-
tur. Huic Behemot herbas ferunt, quia ſuas
2.Tim.3. illi offerunt fluxas, & lubricas voluptates.
Erunt enim (ait Apoſt.) homines ſeipſos
amantes, voluptatũ amatores, magis quàm
Dei, quæ eſt ergo herba montium, niſi vo-
luptas fluxa, quæ ex corde gignitur ſuper-
borum? quia niſi Deum ſuperbiendo con-
temnerent, nequaquam tot lubrica laſci-
uiendo perpetrarent. Principalium enim
Bernar. lib. ſeptem vitiorum (ſecundum Bernard. lib.
de ord. vitæ. de ord. vitæ propè finem) regina, & mater
eſt ſuperbia, quæ omnium deterior tanto in
imo iacet, quantum in altum ſe erigit. Se-
ptem principalia pariunt de ſe multa vitia,
quæ ita ſibimet quadam cognatione iun-
guntur; vt ex altero alterum oriatur. Su-
perbia ſicut eſt origo omnium criminum,
ita ruina cunctarum virtutum. Ipſa eſt in
peccato prima; in conflictu poſtrema. De
ſuperbia naſcitur arrogantia, quæ tàm in
factis, quàm in dictis cauenda eſt. Væ ei, qui
ſibi magis, quàm Deo placere ſtudet, quo-
niam dæmonum pabulum, & habitatio die,
ac nocte efficitur, etenim die, hoc eſt, in pro-
ſperis, eleuat ſeipſum, & nocte, hoc eſt, in
aduerſis, ait, deſperaui.

Clamans, & concidens ſe lapidibus. Cla-
mat quidem dæmoniacus. Quia ecce ab-
Iob 40. ſorbebit fluuium, & non mirabatur: & ha-
bebit fiduciam, quod influat Iordanis in os
eius; hoc eſt vniuerſum humanum genus,
tum maximè fideles deglutire appetit, &
ideò quaſi ſtruthio in deſerto, leo in mon-
tibus, tygris in vallibus, & vt draco voli-
tans clamat, & circuit quærens quem deuo-
ret. Quid enim hoc loco fluuij nomine, niſi
humani generis decurſio deſignatur? Quæ
Gregor.33 mor. (inquit Greg. lib. 33. mor. cap.6.) velut à
fontis ſui origine naſcendo ſurgit, ſed quaſi
ad ima defluens moriendo pertranſit. Qui
Iordanis quid. autem aſſignantur appellatione Iordanis,
niſi qui iam imbuti ſunt ſacramento ba-
ptiſmatis? & infrà: ante Redemptorem
mundi, mundum non miratus abſorbuit
(ſcilicet Behemoth.) Sed quod eſt grauius
etiam poſt Redemptoris aduentum, quoſ-
dam, qui baptiſmatis ſacramento ſignati
ſunt, deglutire ſe poſſe confidit. Alios nam-
que ſub Chriſtianitatis nomine poſitos de-
norat; quia in ipſo fidei errore eos ſup-
plantat. Alios à rectitudine fidei nequaquã
deuiat; ſed ad vſum prauæ operationis in-
clinat. Alios quantum vult in operatione
immunditiæ flectere non valet; ſed apud ſe-
metipſos in ſtudio intentionis intorquet,
vt dum à charitate mentem diuidunt, re-
ctum non ſit, quicquid intrinſecus operan-
tur. Quorum ſtudium, atque exemplum ob-
ſeſſus hic, qui ſeipſum lapidibus concide- Lapides qd.
bat, nobis ponit: lapides enim opera ſunt,
quæ ſi à charitate procedant Goliam de-
ſtruunt, & placent Deo, & operantes inter
margaritas, ex quibus cæleſtis Ieruſalem
ædificatur, faciunt connumerari: ſecus ſi
informes ſint actiones eius, & frigidæ, & la-
pides torrentis, tantum enim conciſioni
eius deſeruiunt. Equidem laborat fruſtrà,
& perit demum; miſer, & miſerabilis effe- *Apoc.3.*
ctus, cœcus, nudus, & pauper. Denique di-
ſcant indè mortales, quàm amarum ſit, &
malum dæmoni parere, qui ſuos contra
ſeipſos ſæuire cogit, non tàm quod in ma-
lis triſtes, vt plurimum efficiat, ad deſpera-
tionem vſque cum Achitophel, & Iuda, *2.Reg.c.17.*
quàm quod dum viuunt actis, geſtis, ſermo-
nibus, & facie horrendos cunctis reddat;
namque:

Paſtillos Ruſillus olet, Gorgonius hircũ. *Horat.*
Quod item ſeipſum concidat dæmoniacus,
auctoris malitiam ſignat, quæ tanta eſt, vt
nihilo ducat in ſeipſum damna retorqueri,
dummodo alios defatiget. Vndè Priſcillia- *Priſcillian.*
nus, & multò ante Manichæus dæmonem
natura malum introduxit, contra quos Leo *Leo Primus*
Primus ad Turibium Aſturicenſem, ſic ſcri-
bit: Sexta (inquit) annotatio indicat, quod
diabolus nunquam fuerit bonus, nec natura
eius opificium Dei ſit, ſed enim ex chao, &
tenebris emerſiſſe: qui, ſcilicet, nullum ſui
habeat auctorem, ſed omnis mali ipſe ſit
principium, atque ſubſtantia, cum fides ve-
ra, quæ eſt Catholica, omniũ creaturarum,
ſiue ſpiritualium, ſiue corporalium bonam
confiteatur ſubſtantiam, & mali nullam eſ-
ſe naturam, quia Deus, qui vniuerſitatis eſt
conditor, nihil non bonum fecit. Hinc ad
fratres Anton. Hoc primum debemus men- *Athan. in*
tibus affigere, nihil Deum feciſſe, quod ma- *vita S. Ant.*
lum eſt, nec ab eius inſtitutione dæmonum
cœpiſſe principia, peruerſitas iſta non na-
turæ, ſed voluntatis eſt vitium. Boni enim,
vtpotè à Deo conditi, ex proprio mentis
arbitrio ad terras ruere de cælo, ibique in
cœni ſordibus voluti, gentilitatis impias
conſtituere culturas. Principium enim
(ait Gregor. lib.32. mor. cap.14.) viarum *Gregor.*
Dei Behemoth dicitur; quia nimirum cum
cuncta creans ageret, hunc primum condi-
dit, quem reliquis Angelis eminentiorem
fecit. Huius primatus eminentiam conſpi-
cit Propheta cum dicit: Cedri non fuerunt *Ezech 31.*
altiores illo in paradiſo Dei. Et infra: hinc
ei rurſum per eundem Prophetam dicitur:
Tu ſignaculum ſimilitudinis Dei, plenus ſa-
pientia, & perfectus decore in delitijs Para-
diſi Dei fuiſti. Recepit ergo (concludit

Gra-

De pœn. d. 2.c.citius. Gratian. de pœnit. d. 2.cap. citius, ſ. quod verò) dilectionem in ſui creatione, ſicut, & cæteri, de quibus dicitur: Angelicæ virtutes, quæ in Dei amore perſtiterunt, quæ ex creatione eius diligere cœperunt, vt principium diuinæ dilectionis omnibus credatur eſſe commune; perſeuerantia verò eorum tantummodo intelligatur, qui in retributione hoc accipere meruerunt, vt confirmati, vlterius cadere non poſſent, & hoc de ſe certiſſimè ſcirent. Vndè benè apud Moyſen prius cælum, deinde firmamentum factum eſſe dicitur, *Gen.1.* quia Angelica natura prius æqualiter ſubtilis in ſuperioribus eſt condita, poſtea in perſiſtentibus in amore ſui conditoris mirabiliter confirmata. Proindè inter creationem, & lapſum Angelorum neceſſe eſt moram, aut moras ponere, quot autem, Scholaſtici in 2. & S.Thom. in p.p.q. 63. definient. *Thom.* A quibus etiam ratio philoſophica, & naturalis, cur dæmon non ſit malus natura, poteſt emendicari: Interim nos ad alia pergamus.

CAPVT SEXTVM.

Videns autem Ieſum à longe cucurrit, & adorauit eum.

Expoſitio. HActenus eum inferioribus poteſtatibus egerat; vt autem ſupremam intuitus eſt poteſtatem, timore, tremore, & horrore percutitur, ac compellitur ad Dominum vniuerſorum currere, & adorare Deum in homine, cuius potentiam nondum reuereri didicerat, ſed affligere, perſequi, & debellare.

Videns autem Ieſum à longe. Non propè. Hoc autem bonorum eſt, qui ſemper vident faciem Patris mei, qui eſt in cælis, dicebat *Matt. 18.* veritas; & iuxtà Danielis oraculum, mini- *Dan.7.* ſtrant, & aſſiſtunt eidem, quæ vt ſtellæ ſolem, & propitiatorium Cherubin, intuentur, contemplantur, & vbicumque ſint, vel mittantur, agnoſcunt. Siquidem Angelus bonus, ait S.Thom. 1.p.q.61.art.1.ad 2. *S.Thom.* Duplicem habet verbi cognitionem, vnam naturalem, & aliam gloriæ. Naturalem quidem, qua cognoſcit verbum per eius ſimilitudinem in ſua natura relucentem; cognitionem verò gloriæ, qua cognoſcit Verbum per ſuam eſſentiam. Et vtraque cognoſcit Angelus res in Verbo. Sed naturali quidem cognitione imperfectè; cognitione verò gloriæ perfectè. Prima ergo cognitio rerũ in Verbo affuit Angelo à principio ſuæ creationis. Secunda verò non, ſed quando facti ſunt beati per conuerſionem ad bonum. Itaque beati eum ſint, & ad bonum ſummum perpetuò conuertantur, iugiter vident Deum, & perpetuò; ſic videlicet *Bernar.* (inquit, Bernard. ſerm. 5. in dedicatione Eccleſiæ) paruulorum cuſtodiæ deputati, vt non priuati vllo modo beatitudine ſua. Igitur ea deſtituti dæmones à longe vident, quia à iuſtitia, & à lege Dei longè facti ſunt. Vt ergo nigrum ab albo dicitur, multumque diſtare Babylonem à Ieruſalem; ita dæmonem à Deo, ab eius conſpectu, & viſione; *Gen.1.* ſeparauit enim Deus lucem à tenebris, lucem vocauit diem, & tenebras noctẽ Et quid lucem? niſi Chriſtus, qui dicit: Ego ſum lux mundi. *Ioan.8.* Tenebras autem dico dæmones, quia tenebræ peccatoribus concreatæ ſunt. Habent quidem cognitionem diminutam diuinorum, & veritatis. Quomodo autem declarat S. Thom. 1. *S.Thom.* p.q.64.art.1.dicens: Duplex eſt veritatis cognitio, vna quæ habetur per gratiam, alia quæ habetur per naturam, & iſta quæ habetur per gratiam eſt duplex, vna, quæ eſt ſpeculatiua tantum, ſicut cum alicui aliqua ſecreta diuinorum reuelantur. Alia verò, quæ eſt affectiua producens amorem Dei, & hæc propriè pertinet ad donum ſapientiæ. Triplex cognitio de Deo. Prima autem harum trium cognitionum, nec eſt ablata, nec diminuta. Conſequitur enim ipſam naturam Angeli, qui ſecundum ſuam naturam eſt quidam intellectus, vel mens, propter ſimplicitatem autem ſuæ ſubſtantiæ à natura eius aliquid ſubtrahi non poteſt: Quę manet in dæmone? vt ſic per ſubtractionem naturalium puniatur, ſicut homo punitur per ſubtractionem manus, aut pedis, aut alicuius huiuſmodi; & ideo, dicit Dionyſius cap.4.de diuin. nom. *Dionyſ.* quod doua naturalia in eis integra manent; vnde naturalis cognitio in eis non eſt diminuta. Secunda autem cognitio, quæ eſt per gratiam in ſpeculatione conſiſtens non eſt in eis totaliter ablata, ſed diminuta, quia de huiuſmodi ſecretis diuinis tantum reuelatur eis, quantum oportet, vel mediantibus Angelis, vel per aliqua temporalia diuinæ virtutis effecta, vt dicit Auguſt.9.de Ciuit.Dei. *Auguſt.* Non autem ſicut ipſis ſanctis Angelis, quibus plura, & clarius reuelantur in ipſo Verbo. Tertia verò cognitione ſunt totaliter priuati, ſicut, & charitate, quare alijs ſemper beatificè Deum videntibus; hi nunquam vident, vt infert Origen.hom. 35. in Lucam. *Orig.* Vident tamen à longe, quaſi hebetes viſu ſecunda cognitione, vt optimè Thom. Angelicus docuit.

Cucurrit, quia difficile eſt aſſueta relinquere. Tetendit enim ab antiquo aduerſus Deum manum ſuam, & contra omnipotentem roboratus eſt. *Cucurrit*, aduerſus eum *Iob.15.* erecto collo, & pingui ceruice armatus eſt. Contrà Deum manum tendere (ait Gregor. *Greg.* hom. 12. in Iob cap.21.) eſt in operatione praua deſpectis Dei iudicijs perſeuerare. Erecto collo contra Deum currere, eſt ea, quæ creatori diſplicent, cum audacia perpetrare, de quo rectè dicitur: *Cucurrit*, ideſt

ideſt in malo opere obſtaculum de aduerſitate non habuit, de quo adhuc additur: Et pingui ceruici armatus eſt. Pinguis ceruix eſt opulenta ſuperbia, affluentibus rebus, quaſi multis carnibus fulta; ſic quidem temerario auſu aduerſum hominum genus proceſſerat dæmon, factus leo graſſator, & depopulator ciuitatum Iuda, eorum, inquam, qui Dei aliqualem cognitionem retinebant. Vndè videns Ieſum, qui & ſalus, exacuit omnem iram, quaſi in principem hoſtilis exercitus, dum tamen ſolito currit, agnoſcit, quem impetere ſatagebat, & fractus viribus proſternit ſeipſum ante pedes eius, vt ſolent feræ beſtiæ ante pedes Sanctorum.

Et adorauit eum. Hoc eſt corruit ante eum, & coactè genuflectit capiti, cuius membra toto ore dilacerabat, vt vel inde principatum eius, & ſæuitiam terminatum iri agnoſceremus. Scimus (ait

Athanaſ. in vita Anton.

Anton. ad diabolum) te impuriſſimum cadauer, ſcimus quia idcircò viuimus Chriſtiani, & contrà te nobis eſt ſecura congreſſio, quia infirmatus es à Domino.

1. Cor. 15.

Deo igitur gratias, qui dedit nobis victoriam per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, & per ſanguinem Crucis eius. Sæpiſsimè enim dicebat Auxentius Abbas diſcipulis (auctore Metaphraſte) ſigno Crucis repreſsi deflent ſe eſſe victos. Nos ergo ne cedamus, & illi deijciuntur. Nos reſiſtamus, & illi euertuntur. Nos Dominum inuocemus, & diſsipatur vniuerſum eorum conſilium. Paulò poſt cogitationes deſtruentes, & omnem altitudinem, quæ erigitur aduerſus Dei ſcientiam, & omnem cogitatum captiuantes ad Chriſti obedientiam, qui ſemper vincit in noſtra imbecillitate diabolicam audaciam, & non permittit nos tentari

1. Cor. 10.

ſupra id quod poſſumus; ſed præbet euentum per tollerantiam, vt uos poſsimus ſuſtinere. Quid? etiam, vt Narciſſus Epiſcopus in forma æthyopis hoſtem proſterne-

In vita Afre Metaphr.
Pſal. 90.

re. Scriptum eſt. Super aſpidem, & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem; quod enim caput per potentiam egit, membris conceditur priuilegio. Itaque adorat Chriſtum dæmon in obſeſſo, hoc eſt proſternitur victori; adoratione vera, & integra, quæ religionis eſt primus effectus internus, & obſeruantiæ optimæ pars, atque latriæ cultus, minimè Chriſtum adorat. Hoc enim Sanctorum eſt opus, & humilium, non ſuperborum, qui odio habent Chriſtum, & tota die nomen eius blaſphemant.

CAPVT SEPTIMVM.

Et clamans voce magna dixit: Quid mihi, & tibi Ieſu fili Dei altiſſimi? Adiuro te per Deum, ne me torqueas.

Expoſitio.

Vide lector ſuperbiam dæmonis, & indè fictam potius, & nugacem adorationem eius animaduerte; exterius (dum adorat) ſe minorem exibet, cum tamen ad verba venit, nequit ſuperbiæ tumorem diſſimulare. Primum enim a ſe Chriſtum proteſtatur alienũ, neq; aliquid in ſe iure poſſe clamat, eũ ſic tacitè de tyrannide increpãs, quomodo alterius vſurpet imperium, & in non ſubditos poteſtatẽ exerceat; poſtmodũ audacter velut creaturam aliquã, & hominẽ iniurium adiurat per Deum, opus execrandum dæmoni, & illud contra Chriſtũ agere, qui Deus eſt, & Princeps Regum terræ ſummum piaculũ. At os impiũ ebullit ſtultitiã.

Prou. 15.

Et clamans voce magna dixit. Clamat in montibus, & clamat viſo Chriſto, ſed tunc non voce magna; modò in vocem magnam prorumpit, vt canes noctibus præ timore obſcuritatis, & vt leones vulnere cruciantur. Etenim præſentia Chriſti pauor eſt dæmoni, vt veſpertilionorum more, ac noctuarum, quæ repentina luce illuſtratæ clamitant, ſic diaboli, & nituntur aufugere, quamprimũ & Chriſtũ, & quæ ſua ſunt cernunt, tunc clamat voce magna, tunc furit, & ac ſi iam iam ad ſupplicium traheretur, tradereturq; flammis, vociferatur, quãdo exorcizatur, crux ei proponitur, aſpergitur aqua benedicta, Euangelium legitur, & pſalmus cantatur, legatur ſtola, & Euchariſtia obijcitur adoranda. Hæc atque alia, quæ Chriſtum repræſentant, inſanire miſerũ faciũt, & voce magna, ſeipsũ prodere, & cõfiteri palã Chriſtũ, cuius mẽbra clã perſequitur. Hinc Iob:

Iob. 24.

Mane primo conſurgit homicida, interficit egenũ, & pauperẽ per noctẽ, erit quaſi fur, oculus adulteri obſeruat caliginẽ dicẽs: Nõ me videbit oculus, & operiet vultũ ſuũ. Perfodit in tenebris domos, ſicut in die condixerat ſibi, & ignorauerunt lucem. Si ſubitò apparuerit aurora, arbitrantur vmbrã mortis. Aurora conſurgens vſque ad perfectum diẽ, luna pulchrior, & electior ſole, Chriſtus eſt. Apparuit autẽ ſubitò dæmoni, & ſequacibus, quia ante tempus iuxtà eorum opinionem, ſeu potius deſiderium, qui optaſſent nunquam veniſſe Chriſtum. Vndè occurſus eius viſus eſt illis mortẽ inferre; Interim nulli parcens primo mane, hoc eſt, à ſuo propè initio cõſurrexit homicida, bellũ mouens aduerſus Dominũ, Michaelẽ, & Angelos Dei, ex quibus numerum non paucum interfecit, fecitq. egenum à regno Dei

deſtratus ſua cauda ad inferos; ſed & hominem quaſi fur per noctem in mendaſijs aggreditur, & depauperat à iuſtitia, & diuitiarum cumulo. Nec adhuc finem imponit malitiæ, immo verò ab homicidio ad adulteria ſe transfert, ſiquidẽ mortuũ primo peccato hominem illecebris, & luxuriæ delicijs replet, quouſq; omnis caro viã ſuã corrumperet, & corrueret ad idolatriam, offerretq; dęmoni honores diuinos, ſub vmbra tamẽ, & nomine Dei. His enim inductis ab eo caliginibus, & tenebris introductis in orbẽ, perfodit ſibi, & erexit domos, animos hominũ, qui conditi erant ad Deũ. Igitur primo tẽpore quoque veniens triumphator in Iſrael Chriſtus, repetere ſua exorſus, ad clamorẽ, ad voces inſanas, & tumultus inauditos, cõpellit homicidam, adulterum, latronem, & tyrannum atrociſſimum, quia omnis violenta prædatio cum tumultu. *Iſai 9.*

Quid mihi, & tibi Ieſu fili Dei altiſſimi. Tibi ô dæmon nihil cũ Ieſu, quia abſciſſus, & proiectus es, velut cadauer putridũ, neq; *1. Mac 9.* patria ſepultura, neq; peregrina donatũ, ſed in profundũ maris demerſũ. Ieſu verò multa ſunt, propter quæ tecũ conqueratur. Miſiſti in cælũ os tuũ, quando eructaſti: Aſcendã *Iſai 14.* in cælũ. Blaſphemaſti, quãdo temerè loquutus es; Similis ero altiſſimo; turbaſti cælum, caudã ad ſtellas extendens, & orbẽ denigraſti totum mendacio, quum dixiſti: Scit enim *Gen. 3.* Deus, quod in quacunq; hora comederitis, ex eo aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut *Pſal. 49.* Dij ſcientes bonum, & malũ. Ergone exiſtimaſti inique, quod ero tui ſimilis, ait Chriſtus, ô peſtifer, arguã te, & ſtatuã contra te faciem meã. Ponat te Dominus ſicut Sede- *Ierem. 29.* ciam, & ſicut Achab, quos frixit Rex Babylonis in igne; Et quidẽ contriuit Dominus *Iſai. 14.* baculum impiorum, virgã dominantium, cedentem populos in indignatione plaga inſanabili, ſubijcientem in furore gentes, proſequentem crudeliter. Ergo ô Sathan detracta eſt ad inferos ſuperbia tua, concidit cadauer tuũ, ſubter te ſternetur tinea, & operimentum tuũ erunt vermes. Hæc ſunt, quæ tecum habebat Chriſtus, & hæc in te animaduertit, qui diſſipator eſt ſepiũ. Itaq; etſi nulla ſit participatio Chriſti ad Belial, neq; lucis ad tenebras, lux ipſa fugat principes tenebrarũ, & Xp̃s ait vade retrò me Satha- *Mar 8.* na, quia Dominus fortis, & potens, cui iudiciũ datum eſt, vt digna animaduerſione in ſcelestos agat. *Gloſſ.* In hunc locum ſcribit Gloſſa: Hoc contra Arrium, qui negat filium Dei. Credunt, & contremiſcunt filiũ Dei. An verò infuſa fide, quã ante caſum ponunt Doctores in Angelis, an verò ſola acquiſita ex ſignis, & Scripturis, non eſt certum Durando, qui in damnatis fidelibus fidem infuſam admittit, qua etiam certitudine, aut euidentia tàm clarum teſtimonium de Chriſto ferrent dæmones, alibi protulimus. Mox autem dicamus in agonia poſitũ dæmonem, & in extremis ſui interitus, deiectioniſque ignominioſæ, Altiſſimum reuereri, & acclamare *Chriſtum Dei filium* in terris, quem in cælis vidit, & inuidit ſecundum Aug. con- *Auguſt.* tempſit, negauit, ſibiq; poſtponi ambiebat. Denique tribulatio, & vexatio, non tàm hominibus, quàm dæmonibus intellectus præſtat, & cogit damnatos, qui ſub terris ſunt, *Iſai 28.* curuato genu clamare, quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris. *Philip. 2.*

Adiuro te per Deum. Facinus hoc extitit, & horrendum piaculum adiurare Chriſtum per Deũ, tùm maximè coactiuo modo, quẽ- *Matt. 25.* admodũ & Caiphas. Hic vt mẽbrũ, ille, vt caput totius malitiæ, adiurauit Deũ, qui nullo modo poteſt adiurari. Nã auctore S. Tho. in *S. Thom.* 4. d. 15. q. 4. art. 3. q. 1. ad primum. Adiuratio, iuramentum, & deprecatio fiunt per res ſuperiores, Deo autẽ quid ſuperius? Ego prin- *Ioan. 8.* cipium, qui & loquor vobis. At nihil prius, neque eminentius principio. Ergo impium eſt dicere *adiuro te per Deum*, ſiquidem, vel nugatio, ſi interpretetur *adiuro te* Deus *per Deum*, vel manifeſta blaſphemia, & hæreſis intolerabilis, ſi exponatur *adiuro te* Deus minor, *per Deum* maiorem, quocumq; modo velis locutionem accipere, audaciſſimũ, & peruicacem dices dæmonẽ, & Caipham, qui vel nugari cum Deo non erubeſcunt, vel Deum multiplicare. Licet quidẽ adiu- *Quis adiurandus.* rare creaturas per Deum, non creatorem. Pares, & ſuperiores deprecando, ſubditos imperando, & deprecãdo, dæmones verò cũ imperio adiurandi ſunt, vt qui inferiores ratione donorum, quæ Eccleſiæ fidelium communicantur. Adiurantur paſſim dæmones per nomen Dei, & ſacra alia; non vt proſint, ſed ne noceant; irrationales creaturas vtroque modo, vt Simon, & Iudas draco- *Adiurantur dæmones, & creaturæ, etiã irrationales.* cones adiurarunt, & in deſertum ſe cedere coegerunt, ne cuique nocumentum inferrent, & Hieronymus leonem, vt cuſtodiret aſinum, onuſque ferret, perdito aſello. Indè lector ad Catarorum, vel Chathariſtarum, vt vult Auguſt. hæreſim expugnandam ſe accingat: Etenim religioſiſsimi homines iuramentum omne, & adiurationem nuſquã licere Chriſtianis affirmabant, quorum fe- *Confut. hæreſis.* ces hauſit Lutherus, qui exorciſmos ablegat, & ordinem exorciſtatus non admittit. At Religionis partes, ceu effectus eſſe iuramentum, & adiurationem, concio Theologorum deponit, eaq; vſa eſt ſemper Ec- *Vſus adiurationis in Eccleſia.* cleſia non ſolum in energumenis cũ exorcizantur; ſed & in obſeſſis, cum liberantur, quinimo sãcti Dei homines perſæpè aduerſus inſultus dæmonum legimus adiurationibus vſos, nec modo familiarius nihil habent fideles, quàm importunitatem hoſtium adiurando compeſcere d. 21. cler.

Ne me torqueas. Tormentũ ſuum putant dæmones (ait Theophyl.) ſi cogantur exire *Theophyl.*

ab ho-

ab homine, ideò dicunt *ne torqueas*, hoc eſt ne educas nos ex habitaculo noſtro, hoc eſt homine, ſed & aliter exiſtimabāt, quod propter grauia, quæ attentaſſent, non vltra paſſurus eſſet ipſos, ſed mox ſupplicijs traditurus, idcircò orant ne ſe torqueat, quare (inquit Gloſſ. Bedæ) magnum tormentū ei, à læſione hominis ceſſare, & tanto dimittit grauiùs, quāto poſſidet diutiùs. Vndè paſſus eſt dira dæmon à Baſilio, quando ab illius poteſtate iuuenem liberauit. Ecquis dicere poteſt, quàm ægrè tulit Iulianā Virginē cultu patrio idol·rū deſerto fidē complecti, & pro ea ad martyriū feſtinare? Impatiēs enim cùm nihil ſuis artibus inuiſibilibus prodeſſet, in Angelū lucis ſe transfigurans ad cultū vanum hortatur Virginē. Hæc verò poſtquā audiuit Iuliana (ſcribit Simon Metaph.) aliud quoq; fecit admirabile, alia vincula, & plagas impoſuit dæmoni, omninò autem is, etiā, qui abſq; his, ineuitabilibus illum conſtrinxit vinculis, & effecit, vt teneretur manibus, non eſt credibile eum procuraſſe, vt vinculis rurſus ligaretur à Sancta, & ſentire plagas. Itaque & Chriſtus, & qui, vt milites boni, cum hoſte certant, torquent dæmonē, atq; plagant, & multò faciliùs à ſe pellunt, quàm apoſtatam, & iniquū hominem. Hinc Ephrem in ſuo teſtamento adiurari potius poſsūt ſceleſti dęmones, quā perſuaderi iniquitatis filij; ſiquidem dæmones fatentur. Tu es Chriſtus filius Dei. Et vide obſtinatos, & amaros eorū mores. Princeps apoſtaſiæ eorū exclamat, & dicit *quid nobis, & tibi fili Dei?* Et ipſi negant aſſiduè; ſi ergò fieri poteſt, vt ſterilis ſalix in loco arido germinet, fieri etiam poteſt, vt apoſtata aliquando erudiatur.

Beda. — *Iuliana virgo dæmonē ſuperat.* — *Ephrem.*

CAPVT OCTAVVM.

Dicebat enim illi: Exi ſpiritus immunde ab homine.

Expoſitio.

NOn compatitur dæmoni, qui in alios atrox eſt, & ſæuus in ſeipſum: ſed torturam, quam timebat, infert ſupplicanti, & protinus iubet exire ab eo, quem tenebat vinctum. Vndè potuit dicere: Timor, quem timebam, euenit mihi. *Iob 3.*

Dicebat enim illi. Nō negat dæmoni ſermonē, alloquitur tamen non conſentiens ei, in quo animæ poſſit præiudiciū fieri; ſed quę ab anima expellant inuaſorē. Doctrinā magiſtri in exorcizandis obſeſſis Eccleſia retinet, & paſſim ea vtūtur Sācti, ex quibus vnū referā Amandum Epiſc. Traiectenſem: quadam igitur nocte (ait Baudemundus hiſtorię ſcriba) dum ſolus, vt illi mos erat, oraret; immundus ſpiritus, vnum è famulis apprehenſa manu trahebat ad mare, volens eum ibi demergere; ſed idem puer, qui trahebatur magnis cœpit clamare vocibus, dicens, Chriſte adiuua me, Chriſte adiuua me, mox malignus ſpiritus eidem puero inſultando reſpondit, qualis Chriſtus? ſed cum puer, qui trahebatur minimè reſponderet, ait S. Amandus: Dic illi fili Chriſtus filius Dei viui crucifixus, ſtatimq; ad vocem illius inimicus, vt fumus euanuit. Similia ergo debemus dicere, & loqui cū dæmone, quę tempeſtuoſum fugent, ſalubre, & vtiliſsimum documentum, quod nobis magiſter reliquit.

Notabile dictum Amādi Epiſcopi.

Exi ſpiritus immunde ab homine? Quod bonus, maluſq; ſpiritus in homine videatur: Dei prouidentiam perſuadet. Origenes ait lib. 3. periarcho. cap. 3. Illud quoque conſequenter requirendum puto, ex quibus cauſis humana anima, nunc quidē à bonis, nunc autem moueatur à malis? Cuius rei cauſas ſuſpicor eſſe quaſdam antiquiores, etiā hac natiuitate corporea, ſicut deſignat Ioan. in matris ventre tripudians, & exultans, cū vox ſalutationis Mariæ ad aures Eliſabeth matris eius allata eſt; & vt declarat Ierem. Propheta, qui antequā plaſmaretur in vtero matris, cognitus erat à Deo, & antequā à vulua procederet, ſanctificatus ab eo eſt, & puer adhuc, prophetiæ gratiam accepit. Ex reſponſis è contrario oſtenditur ab aduerſarijs ſpiritibus, quoſdam à prima ſtatim ætate poſſeſſos, ideſt nonnullos ab ipſo dæmone poſſeſſos eſſe iam natos; alios verò à puero diuinaſſe, hiſtoriarum fides declarat. Alij à prima ætate dæmonem, quem Pythonem nominant, ideſt ventricoſum paſſi ſunt. Pro quibus omnibus ab his Dei prouidentia regi omnia, quæ in mundo ſunt (vt ſanctæ Scripturæ aſſerunt, noſtra quoque continet fides) vt mihi videtur non aliter poterit reſponderi, ita vt abſque omni iuſtitiæ culpa prouidentia demonſtratur, niſi priores quædam fuiſſe eis cauſæ dicantur, quibus antequam in corpore naſceretur animæ, aliquid contraxerint culpæ in ſenſibus, vel motibus ſuis, pro quibus hoc meritò pati à diuina prouidentia iudicatæ ſunt. Hæc ille, cuius priorem ſententia, vſque ad illa (niſi priores quædam) admittunt omnes fideles, poſteriorem verò anathematizat Eccleſia, quæ non ante animas eſſe, & creari, quàm corpus informent, neque à corpore in corpora tranſire admittit, nec minus ab actis in vno corpore, melius, aut deterius ſe in alio corpore habere; ſed ſimul creari, & infundi, & ex his, quæ in vno, ac proprio corpore gerunt puniri, aut præmiari.

Origen. — *Luc. 1.* — *Ierem. 1.* — *Confutat Origeo.*

Digitized by Google

CAPVT NONVM.

Et interrogabat eum; quod tibi nomen eſt? Et dicit ei: Legio mihi nomen eſt, quia multi ſumus.

Expoſitio.

FAcit interrogatio hæc ad miraculi amplitudinem, ſiquidem reſpondens legionem vocari, & legionis numerum obſidere hominem, Chriſtum, qui tantam eijcit multitudinem, magnificat apud homines, qui vident non vnum, aut alterum, ſed innumeros penè dæmonios vnico vocis imperio debellari.

Et interrogabat eum. Sicut dicere dæmoni, & loqui, ita interrogare dæmonem nonnunquã ad doctrinam aliorum expedit, vt illa Trifonis ad dæmonem interrogatio, quam Simon Metaphraſtes ſcribit: Tibi dico (inquit) in nomine Ieſu Chriſti, appare ijs, qui adſunt, & eis oſtende tuam turpitudinem, & imbecillitatem, ſimulatque hoc dixiſſet, ecce tanquam canis aſpectu deformis, niger colore, oculos habens tanquam ignem emittentes, & caput humi defixus coram omnibus apparuit, cui Dei ſeruus; dic, inquit, execrande, quis te miſit, vt hanc inuaderes adoleſcentulam? Et quomodo cum ſis talis, nempè tenebroſus, & imbecillis, & plenus omni probro, & dedecore, adeò audes contemptui habere, & vexare, quod factum eſt ad Dei imaginem? Dæmon autem reſpondens: mittor, inquit, à meo patre. Dicebat verò eſſe ſibi patrem, auctorem, & cauſam malorum, qui etiam appellatur Sathan, & ab eo iuſſum eſſe, hanc puellam torquere. Et quænam eſt ei poteſtas, rurſus dicit Trifon, malitiæ, inquam, principi aduerſus figmentum, quod conſtituit omnipotens bonitas, & munijt ſancto Spiritu? Ille autem canis, etſi nollet; diuina tamen quadam operatione vera reſpondit omnibus audientibus. Nos nullam habemus poteſtatem in eos, qui ſunt pij in Deum omnipotentem, & Chriſtum illum, pro quo Petrus, & Paulus hic præclarum ſuſceperc martyrium. Huiuſmodi interrogatione, non ſolum fideles ædificantur, ſed etiam gentiles, & hæretici conuincuntur, ergo expedit cum magiſtro ſic dæmonem interrogare.

Turpitudo, & deformitas dæmonis.

Quod tibi nomen eſt? Dæmonibus, vt Angelis bonis non eſt nomen perſonæ, ſed officij. Hoc ſanctis Angelis honorata conciliant nomina, vt Gabriel, Michael, Raphael, Vriel, vel Seraphin, Cherubin, Thronus, atque alijs dicantur nominibus, vt Dionyſius deponit; quæ verò exercent dæmones, tàm nefaria ſunt, vt horrendis eos nominibus donent. Ab his enim dicuntur Diabolus, Sathan, Behemoth, Leuiathan, Aſmodæus, Belzebub, Acharon, Belial, Draco, Serpens tortuoſus, Babylon, Tentator, Fera peſſima, Beſtia agri, & Accuſator fratrum ſuorum. Nec his, atque alijs malitia eius valet ſatis explicari. Quia (inquit Origen. lib. 7. contra Celſum) omne genus dæmoniorum viſum eſt. Ideò hac nunc illa beſtia forma, atque fallaci, & horrenda Sanctis apparet, vt ſancto Benedicto in ſpecie muli, quo medicus ſolitus erat inſedere; in bouis formam & puparum ſe oſtendit ſanctæ Catharinæ, Vincentius eum vidit ſenem, eremitam, & æthiopem; Bernard. vt Chriſtum glorioſum, atque alijs alijs formis nugacibus, & horrendis, quas deſcribere non valet, neque Antonius, neque Paulus anteceſſor, neque Paphnutius, aut Onufrius, qui tantis annis aperto marte, & viſibili cũ eo decertarunt. Quare peculiare nomen haud conuenit dæmoni, ſicut non vna, aut altera, ſed omnis mali aſtutia in eo diſcernitur.

Dionyſ.

Origen.

Diuerſæ dæmonum effigies.

Et dicit ei; Legio mihi nomen eſt. De legione quid ſit, quem numerum contineat, ait Gannæius, vide Budæum de Aſſe, & eos, qui de re militari ſcripſerunt, de quo melius tractabitur in actis, vbi de legione militari agitur. Hinc eſt, quod Aul. Gellius lib. 16. cap. 4. in legione, inquit, ſunt centuriæ ſexaginta, manipuli triginta, cohortes decem; manipulus autem continet milites 25. cohors 50. manipulos. Centuria centum milites. Mihi ſimpliciter legio hic ſumi videtur pro numero magno, vt ſit certus numerus pro incerto, aut etiam dæmon id ſignificat, dicens, *legio mihi nomen eſt*, quoniam multi ſumus. Alludit Chryſoſt. non dicit, inquit, determinatum numerum, ſed multitudinem, non enim prodeſt ad ſcientiam requiſitio numeri.

Gellius.

Quantũ cõtineat legio.

Chryſoſt.

Quia multi ſumus. Multitudo enim in legione clauditur; vndè quia in vno gentili populo dæmonum multitudo prædominabatur, obſeſſum hunc facit Bed. gentilem populum innumeris idolatriç cultibus mancipatum, cui contra eſt (inquit) multitudinis credentium cor vnum, & anima vna. Vndè benè in Babylonis conſtructione linguarum vnitas per ſpiritum ſuperbiæ ſciſſa, in Ieruſulem per gratiam Spiritus ſancti linguarum varietas eſt adunata, & illa confuſio, & hæc pacis viſio dicitur: Quia electos in pluribus linguis, & gentibus vna fides, & pietas toto Orbe pacificando confirmat, reprobos autem plures ſectæ, quaſi linguæ diſſociando confundunt.

Beda.

Gen. 11.

Act. 2.

CAPVT

CAPVT X.

Et deprecabatur eum multum, ne ſe expelleret extrà regionem.

Expoſitio. VIdebat fortè regionis homines diſpoſitos hiſce vitijs, quæ ſibi aditum parant, & vocant ad ingreſſum. Ergo manens in regione ſperabat facilè ad aliam intrare, quando à priori expelleretur.

Et deprecabatur eum multum. Non deuotio, neq; boni appetio, aut filialis timor, ſed ſeruilis omninò, & pauor imminentis ſupplicij dæmonem efficit deprecatorem, & ſupplicem, quoniam propugnator, qui *Apoc. 6.* exijt vincens, vt vinceret mucronem exacuerat, cumq; vibrantem metuertt, deprecatur. Quid ergo apud Iob legimus: Nu*Iob 40.* quid multiplicabit ad te preces, aut loquetur tibi mollia? optimè, quia purum hominem non timet, Deum autem, & Ducem militiæ Chriſtum non valet ſuſtinere; compulſus ergo neceſſitate ad Chriſtum preces multiplicat; ad hominem minimè, ui fortè Chriſti armaturam induerit.

Ne ſe expelleret extra regionem. Ergo *Arias Montanus.* poterat Ieſus (infert Arias Montanus) quocumque vellet dæmonum legionem relegare. Amare videntur dæmones regiones quaſdam, præcipuè in quibus nocere plurimum poſſent: Illudque in primis cupere, vt malum hominibus afferant, quam maximũ, ſin minus damnum dent. Docebat, & hoc *Hieron.* Hilarion (ſcribit Hieronym.) hominum cauſa, diabolnm etiam iumenta corripere, & tanto eorum ardere odio, vt non ſolum ipſos, ſed & ea, quæ ipſorum eſſent, cuperet interire. Huiuſque rei proponebat exem*Iob 1.* plum, quod antequam beatum Iob tentare permitteretur, omnem ſubſtantiam eius interfecerit. Nec mouere quempiam deberet, quod Domini iuſſione duo millia porcorũ à dæmonibus interfecta ſunt, ſiquidem eos, qui viderant non potuiſſe aliter credere, exiſſe de homine tãtã dæmonũ multitudinẽ, niſi grãdis porcorũ numerus, & quaſi à multis actus pariter corruiſſet. Notat hic Chry*Chryſoſt.* ſoſt. apud Lucam haberi abyſſum. Eſt autem abyſſus, ceù mitti in abyſſo, in hoc mundo *Matt. 25.* ſeparari. Promerẽtur (inquit) dæmones mitti ad tenebras exteriores, diabolo, & ſuis Angelis præparatas. Hoc autẽ Chriſtus facere poterat, permiſit tamẽ eos in hac terra eſſe, ne abſẽtia tẽtatoris homines corona victoriæ priuaret. Hinc Amatus Abbas *Amatus Abbas.* cernens vas aquæ, & panẽ à dæmone proiectũ, dixit gratias tibi ago Dñe Ieſu Chriſte, qui me vis productiori ieiunio exerceri. Erit hoc mihi magno emolumento, quandoquidem nihil in hoc mundo geritur abſq; prouidentia tua.

CAPVT XI.

Erat autem ibi circa montem grex porcorum magnus, paſcens.

IAm Euangeliſta ad aliud enarrandũ mi- Expoſitio.
raculũ ſe accingit, vt enim rota in medio
rotæ, ſic miraculum in miraculo clauditur, *Ezech. 1.*
quia mirabilia opera Domini. Aderat, inquit, tum porcorũ ingens numerus, qui paſcebatur in campeſtri vicina montibus illis, circa quos ſolebat obſeſſus inſana ſua agere.

Erat autem ibi circa montẽ. Non in mõte, ſed in propinquis cãpis. In monte enim per quem ſtrenuus deſignatur, & virilis in fide, & in opere conſtans, Angeli habitabant, & conuerſantur iuxtà illud: Præuenerunt prin- *Pſal. 67.*
cipes coniuncti pſallentibus in medio iuuencularum tympaniſtriarum, in Eccleſijs benedicite Domino. Hoc eſt, digna Deo operamini, vt benedici à Domino mereamini, & à cæli principibus viſitari, & conſolari, ſiquidem, vt ad mel apes, & Angeli ad bonos properant, eorumque ſacrificia, & actus heroicos inflammant, vt accidit Ma- *Iud. 13.*
nue; ſed dulcius multo Oſſualdo Epiſcopo, cui ſacrificanti viſus eſt Angelus à dextris eſſe, & reſpõdere ad ſingula, & officio ſe miniſtrare, quẽadmodũ Senatus Brauonius vitæ ſcriptor tradidit, & de plerisq; alijs multi ſimilia ſcriptitant. Nec magnũ eſt viſitari à ſeruis, quos dignatur Rex Regũ in habitationem ſibi eligere. Abſit ergo, quod in monte viderentur porci. Hos ſuſtinẽt planitiæ herbeſcentes, & paludales, atque luto ſæ gaudent huiuſmodi animalia immunda paſcere. Sunt autem hi delitioſi, qui in vitijs Quid p porcos deſignatur.
nutriunt corpora ſua. His enim dicitur: Et
poſt oſtiũ, & retro poſtẽ poſuiſti memoria- *Iſai 57.*
le tuũ, quia iuxtà me diſcooperuiſti, & ſuſcepiſti adulterũ, dilataſti cubile tuũ, & pepigiſti cũ eis fœdus, dilexiſti ſtatum eorum manu aperta. Adulter hic dæmon eſt, vt porcus immunditiæ amator, & luxus. Huuc, atque ſocios recipit potibus vacans, & commeſſationibus, promptuſque eſt libidinem ſpumare, & vt hoſpites recreet, dilatat cubile, hoc eſt, abundat concupiſcentijs carnis, & oculorum, & vitæ, quouſque occaleat quaſi facto fœdere cum dæmonum ſordibus, tum enim manu aperta, hoc eſt, palam, diligit peſſimum ſtratum, & viam perniciofam. Vtcunq; mala agit poſt oſtium, quo ſe tegit, quod monachus, & Chriſtianus velit haberi, cum factis neget Chriſtum, qui oſtium eſt. Retro poſtem memoriale ſuum ponit; quando facta nequam Sanctorum conſortio operit, ſunt enim Sancti, & ſtatus Religioſi, poſtes oſtij Chriſti. Cum

huiuſmodi, inquam, gente porci habitant; hoc eſt, dæmones, quia Hildagardis Abbatiſſæ iudicio, dæmonium has artes habet, quæ moribus hominum in vitijs aſſimilantur. Vnde, & cum hominibus libenter manet, & ideò etiam crucem Domini, & reliquias Sanctorum, ac cætera, quæ ad ſeruitium Dei pertinent, aliquantulum negligit, & deridet, nec multum pertimeſcit. Ea quidem non diligit, ſed fugere ſimulat, velut aliquis ſtultus, & negligens homo; verba, & minas, quæ à ſapientibus inferuntur paruipendit, quapropter & difficilius, quàm aliud, dæmonium expellitur. Difficillimum dæmonem, reputo ego, qui vitioſum tenet, qui verò obſeſſum, paruifacio.

Artes dæmonis.

Grex porcorum magnus paſcens. Quoniã de vitioſis ſecundum ſenſum cœpimus ſermonem, ex his verbis naturam eorum colligamus. Grex dicuntur, non tàm quòd gregatim incedant, & vnum ſecum ponant marſupium, vnaque mente ad prata luxuriæ hinniant equi amatores in fœminas; quàm quod quiuis eorum à luxu gregem vitiorum penes ſe congreget. Nam prodigus diſſipata ſubſtantia, non vnum, aut alterum porcum, ſed gregem ſeruabat. Fit enim guloſus, ineptus, ſcurra, immundus, multiloquus, hebes, ac ſæpius ebrietate percutitur. Omitto ſpecies gulæ, quæ infamem vndiq; circumeunt. Ecquid dicam de luxurioſo? maiori adhuc grege, & inhoneſtiori obuoluitur. Siquidem cœcitas mentis eum occupat, inconſideratio, præcipitatio, inconſtantia, ac demum amore ſui repletus, Deum odit, ſæculum vitæ huius diligit, & deteſtatur vitam, quæ in cælis eſt. Parco autem ſpeciebus luxuriæ, quas in ſe cumulat infelix. Itaque grex quiſque horum, & quidem porcorum, quos lex vetat ſacris aptari, neque conſentit humanis vſibus inſeruire, ſed feris relinqui præcipit, vt Symbolo, qui in carne ſeminant, credant corruptionẽ meſſuros in inferno, quoniam ſimiles Dei regnum non poſſidebunt. *Magnus* dicitur, quod carnalium hominũ numerum ſuperexcedat: Vnuſquiſq; enim poſt viam ſuam abijt. Vnde concemptor cecinit: omnes declinauerunt. Namque vel in toto, vel in parte caro, quæ aduerſus ſpiritum concupiſcit, hominem curuat vſque in finem, quando corporis pondus deponemus. Interim numerus eorum, qui cepis, carnibus, & Ægyptiorum ollis delectantur, excedit, & in dies creſcit, quoniã non vnus Ioſue, aut Chaleb; ſed multi ſunt, qui terrã promiſſionis, & regnũ pollicentur carnali populo, immo verò abſque luxu conteſtantur minimè regnum aſſequi. Quod ſi vir Dei inſanire Hieroboã prædicet apertè animales effecti clamant: Non ambulabimus, non audiemus, aut certè in eum manũ extendunt. Ecquid? Omnes iſti principes declinantes, ambulantes fraudulenter, æs, & ferrũ vniuerſi corrupti ſunt. Tandem introducitur, *paſcens*, quod ſaturitatem neſciat gens eiuſmodi; ſed velut ſanguiſugæ, aut ſugant ingiter, vel appetant manducare, & bibere, & poſtmodum luxuriari. Quia cras, inquiunt, moriemur. Vnus interitus eſt hominis, & iumentorũ, & æqua vtriuſq; conditio, ſicut moritur homo, ſic & illa moriuntur. Similiter ſpirant omnia, & nihil habet homo iumento amplius; cuncta ſubiacent vanitati. Ita verò, quæ ſenſus ſũt, & qui ab his trahitur vaniſſimus; ſecus qui in ſpiritu ambulat, & quæ ſpiritualis ſunt ſubſtantiæ, nunquam euaneſcunt. Nota in manu ſcriptis haberi, *paſcens in agris*, fortè quod præmittatur *circa montem*. In græcis codicibus non reperitur *in agris*. Adde quod apud Lucam legi, gregem in monte extitiſſe, hic, *circa montem*, quoniam ſecundum Auguſt. de conſ. Euang. Grex porcorum tàm magnus fuit, vt aliquid eius eſſet in monte, & aliquid circa montem. Adhæc dicito, *in monte*, fuiſſe ſecundum Lucam, hoc eſt parum à monte, vt inquit Marcus, circa montem, vtpotè in agris circumiacentibus, & paruis collibus, qui ad montem relati, campeſtres ſunt.

Ierem 5. *Luxus varietas, & turpitudo.* *Luc 15.* *Affectus luxurioſi.* *Num. 11.* *Ierem. 6.* *Prou. 30.* *Eccl. 3.* *Auguſt.*

CAPVT XII.

Et deprecabantur eum ſpiritus dicentes, mitte nos in porcos, vt in eos introeamus.

DEnique genetatio praua, & exaſperans non vult abſque malo præterire, factus leo didicit prædam facere, & ingemiſcit cornupeta cum non habuerit herbam. Igitur conſtanter petit, introitum ad porcos ſibi concedi, ne abſque ſanguine abeat ſanguinarius. — *Expoſitio.* *Ezech. 19.*

Et deprecabantur eum ſpiritus. Hactenus vnus multorum vice loquebatur, callidè confuſionem loquentium ſimulantes; cum tamen fugari occipiunt, vt veſpæ, & apes, quæ ab alueario expelluntur, confuſionem linguarum incipiunt, & quiſque loqui, & deprecari per vnius obſeſſi os. Simile Hieron. in vita Hilarionis refert accidiſſe Orioni primario vrbis Ailæ, quem legio obſidebat. Rem loquor (inquit) inauditam, ex vno hominis ore diuerſæ voces, & quaſi confuſus populi clamor audiebatur, quando, inquam, cœpit ab Hilarione cogi: nam antea vnus tantum audiebatur. Itaque ſemper dum abeunt, vel aures loquacitate, vel nares fœtore, vel oculos fumo obſcuro, & tetro, & quandoque ora amaritudine confundunt. — *Hieron. in vita Hilarionis.*

Mitte nos in porcos. Tametſi armenta, & ouilia; vt credi poteſt, adeſſent in vberrima, & herbeſcente illa regione; pluris æſtimant porcos, vel quod maiorem genti iactu-

Digitized by Google

iacturam, & damnum inferrent, vel quod porcorum mores potius complecterentur. Nam alij inflammant luxuriam, alij ſuperbiam inflant, & alij alijs vitijs fomentum præbent, quo fit, vt diuerſis animalium formis iuxtà vitia, quæ ſuadent, ſæpius videantur. Quare vigilia opus eſt vſque in finem; nam rerum omnium conſumatio, ſecundum Aicadrium Abbatem, auctore *Fulbertus.* Fulberto, maiorem quærit laborem. Et quidem nauis ipſa, quando aduerſas ..luei vndas contrario curſu ſuperat, ſi nautæ laſſæ admodum manus remiſerint, mox retroacto curſu, nauis deflui amnis, inuitis nautis, ſequitur vndam: Sed nec raro contigiſſe videmus, vt toto mari libera currat nauis, & ſi non ſemper à puppi ventorum ſpirent flamina, gubernator tamen velorum ſinus obliquat, & ſine refragio ſcinditur fretum. Sed vbi ad portum venitur, opportuna aurarum temperies neceſſaria eſt, & anguſto ingreſſus nauium coercetur limite. Maior itaque periculi cura, vbi ſpes propinqua. Quandoquidem tunc inuadere homines feſtinant dęmones, ſi quo modo ad mare Inferi valent præcipitare.

Vt in eos introeamus. Idcirco (inquit *Remig.* Remigius) intrauerunt in porcos non ſponte; ſed petierunt, vt eis concederetur. Vt demonſtraretur, quia non poſſunt nocere hominibus, niſi permiſſione diuina. Subinde, *Ber.* Ber. ſerm. 48. de ſerm. paruis: Notandum quod dicitur. Si aſcenderit ſuper te ſpiritus poteſtatem habentis. Nihil quidem aduerſus nos malignus ſpiritus poteſt, niſi miſſus, aut permiſſus. Vnde cum eius voluntas ſit ſemper mala, nunquã poteſtas eius eſt niſi iuſta. Nam voluntas quidem mala ex ſe ipſo ſibi ineſt, poteſtatem verò non aliunde, quàm à Deo habet. Quam tamen ſemper moderatur Dominus, ne ſcilicet, ex nequitia voluntatis plus puniat, quã eorum exigunt merita, qui puniuntur. Quæri hoc in loco ſolet, introeant ne dæmones in corpora obſeſſorũ, an verò in exteriori corporis parte exiſtentes efficiant, quæ in obſeſſis videntur. Omiſſis hinc inde argumentis, quæ in vtroque afferri poſſent, *Quomodo dæmon homines ingreditur.* tantum Hildagardæ Abbatiſſæ ſententiam referam; & quid ipſe proprijs oculis viderim. Vidi ego Tiburti non vnam ſolum, ſed plures ſpiritu arreptas mulieres, quas cum dæmon aggrederetur quaſi ab intimis viſcerum, videbatur ſe ipſum ſubleuare; & eo reuerti, cum ceſſaret obſeſſio. Hildagarda ait: Me cogitante, & ſcire volente, quomodo diabolica forma hominem intraret, vidi, & reſponſum audiui, quod diabolus in forma ſua, vt eſt, hominem non intrat, ſed cum vmbra, & fumo nigredinis ſuæ obumbrat, & obtegit, ſi enim forma illius hominem intraret, citius membra eius ſoluerentur, quàm ſtipula à vento diſpergatur, quapropter Deus non permittit quod hominem in ſua forma intret, ſed ſupradictis perfundens, ad inſaniã, & inconuenientiam euertit, & per eum, quaſi per feneſtram vociferatur; & membra illius exterius mouet, cum tamen in eis in forma ſua interius non ſit, anima interim quaſi ſopita, & ignorante, quid caro corporis faciat. Alludit huius ſanctæ dictum ad opinionẽ Caiet. *Caiet.* 1. par. quæſt. 52. Angelum eſſe in loco, ſecundum contactum virtualem. Difficile inuiſibilia penetramus, condoleamus miſeriæ, cui Deus ob peccatum hominem ſubiecit, vt non modo terræ tribulis eum infeſtet, ſed & Sathan continuo quærat, quem offendat, atque deuoret.

CAPVT XIII.

Et conceſſit eis ſtatim Ieſus; & exeuntes ſpiritus immundi introierunt in porcos, & magno impetu grex præcipitatus eſt in mare ad duo millia, & ſuffocati ſunt in mari.

PEtitioni tandem Dæmonum videtur, *Expoſitio.* Chriſtus aſſentiri, quinimo faciunt quod ipſe iubet, relinquunt obſeſſum, & cum porcis ad mare ſeipſos præcipitant, primum iuſſione factum eſt, poſtremi permiſſionem habent, & ſimul iuſſionem, facta permiſsione.

Et conceſſit eis ſtatim Ieſus. Vt ex conceſsione animalium, & corporearũ rerum, bonum in hominibus ſequatur; vtporè timor, reuerentia, atque honor, & amor erga eum, qui ſe præcellentem, & præpotentem in dæmones, & corporea omnia declarat. Hoc peperit circumſtantibus regionibus Ægyptiorum ſubmerſio, & interitus militiæ Sennacherib, pacem bonis, & lætitiam conciliauit. Ac in ſimilibus, ait vates. *Iſai. 59.* Timebũt, qui ab Occidente nomen Domini, & qui ab Ortu ſolis gloriam eius. Vnde abſumptio gregis Iob, multorum animas lucrata eſt, & hoſtilia, quæ paſſus eſt Tobias, pleroſque ad Deum traxerunt: ſed & hi, quorum ſubſtantiam conceſsit Deus annichilari, quales euaſerint, orbis nouit; quare dicendum & in permiſsionibus cogitationes ſemper pacis à Deo excogitari. Nam, & tunc malis videtur prædicare: Viã *Iſai. 57.* facite, præbete iter, declinate de ſemita, auferte offendicula de via; bonis autem quorum, & ſubſtantiam permittit deprædari, *Iſai. 60.* dicit: pro ære afferam aurum, & pro ferro afferam argentum, & pro lignis æs, & pro lapidibus ferrum, & ponam viſitationem tuam pacem. Beatus igitur vir, qui non eſt lapſus, ſed rapinam bonorum ſuſtinet, & ad meliorem ſubſtantiam animum dirigit quando à dæmonibus, & eorum manu

ſatel-

ſatellitia ſpoliatur.

Et exeuntes ſpiritus immundi. Ob præceptum: *Exi ſpiritus immunde*. Alioquin & hominem, & gregem retinuiſſent; Nam propter hominem, ſubſtantiam hominis euertunt; exeunt ergo præcipiēte Chriſto, cuius fulti auctoritate qui Chriſti ſunt, dæmones perſtringunt abire, & obſeſſos deſerere, vt Maclouius Epiſcopus potu aquæ benedictæ puellam liberauit, auctore Sigiberto in vita eius, cap. 16. & S. Hubertus Epiſcopus Leodeicenſis, mulierē ſigno crucis, Phitonycus ſpiritus Phitoniſſā deſeruit ſola reprehenſione Hugonis Epiſcopi Lincolnienſis, vt iam, vel inde errorem deponant hæretici, & diſcant reuereri Chriſtum, & Crucem, nec non ſacramentalia plurimi facere, atque ſacra, & benedicta omnia, quæ adeò ſunt dæmonibus formidoloſa. Verum imitatores facti Celſi, qui excantationes Chriſtianorum, & expelli ab obſeſſis dæmones inſanum opus, auctore Origen. affirmabat. Oblatrare quoque non ceſſant, & inſimulare catholicos, qui aſperſione aquæ benedictæ, ſigno crucis, ſtola, & imperioſo verbo in dæmoniacos vtuntur; ſtatuerunt miſeri oculos ſuos ad terram declinare.

Sigibertus in vita Ma chrouij Epiſcopi.

Contra hæreſes.

Introierunt in porcos. Non in homines, quia illum, cuis virtute torquebantur, ait Remigius, humanam ſpeciem geſtare videbant, nec petierunt, vt in pecora mitterentur, quia velut munda animalia in templo Dei offerebantur; vnumquodque ſuum ſimile diligit; optime ergo ad porcos immundos ſpiritus intrarunt; non minarunt, vt ſolent latrones, aut Domini; ſed introierunt, more famelicorum, qui ſe videntur, cibis deuouere, tantus eſt eorum ardor vniuerſa, quæ ſunt hominis, diſſipandi.

Et magno impetu grex porcorum præcipitatus eſt in mare. Omnem lacū magnum (ſcribit Arias Montanus) mare dicunt Hebræi. In regione Gaderenorum lacus eſt, iumentis, & pecoribus peſtilentiſſimus, quē Solinus deſcribit maximè ab omni genere caueri, ac formidari, & tamen tanta rabie exagitati ſunt porci, cum dæmones ferre cogerentur, & ipſi vltro ſuo interitu redimendum illud malum cognouerint, idque optauerint. Ad hæc Hilarius in Matth. can. 8. videntes igitur dæmones non ſibi iam locum in gentibus derelinqui, vt patiatur eos habitare in hæreticis, deprecantur: quibus occupatis totus in mare impetu rapido per præceps grex coactus eſt in cupiditatem, ſcilicet, ſæcularium: demonum præcipitantur inſtinctu in aquis multis, ideſt, cum reliquiarum gentilium infidelitate moriturі. Obſerua quoq. ſecundum Theophylactum, quod in homines, qui porcorum more viuunt, & in luto voluptatis verſantur, ingrediuntur dæmones, & mittunt illos præcipiti perditione in mare huius vitæ, vt ſuffocentur. Nam niſi quis (ſubdit Beda) porci more vixerit, in eum diabolus poteſtatem non accipit, niſi fortè ad probandum, non autem ad perdendum.

Arias Montanus.

Solinus.

Hilar.

Theophyl.

Beda.

Ad duo millia. Vt nec vnus ſupereſſet; ſic quidem liberatur dæmoniacus ſpiritualis, cum omnia peccata eructat, & in profundum maris dimittuntur, hoc eſt obliuioni traduntur perpetuo. Attamen ſunt plures (ait Aug. lib. de vera, & falſa pœnit. cap. 9.) quos pœnitet peccaſſe, ſed non omnino, reſeruantes ſibi quædam, in quibus delectantur, non animaduertentes Dominum ſimul ſurdum, & mutum à dæmonio liberaſſe, per hoc docens nos, nunquam niſi de omnibus ſanari, ſi enim vellet peccata ex parte reſeruari; habenti ſeptem dæmonia, manente vno, proficere potuerat, ſex expulſis. Expulit autem ſeptem, vt omnia crimina ſimul eijcienda doceret. Legionem autem ab illo eijciens, neminem reliquit ex omnibus, qui liberatum poſſideret, oſtendens quod & ſi peccata ſint mille, oporteret de omnibus pœnitere: laudatus eſt enim Dominus, quando eiecto dæmonio loquutus eſt mutus. Nunquam aliquem ſanauit, quem omnino non liberauit. Totum enim hominem ſanauit in ſabbato, corpus ab infirmitate, & animam ab omni contagione liberauit, indicans pœnitentem oportere ſimul dolere de omni crimine orto in anima, & corpore, ſcio enim Deum inimicum omni criminoſo.

Auguſt.

Et ſuffocati ſunt in mari. Hoc eſt in aquis, quæ quondam ſibi erant ſolatio. Priores tamen illis dulces fuere, poſteriores verò amaritudinem, atque mortem eis attulerunt. Talia ſunt nouiſſima eorum, qui ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendūnt, in profundum quaſi lapis. Suffocantur quidem porci, non ſpiritus, qui ad eos intrarant. Etenim immortales ſunt hi, atque perpetui. Interimimus nos tamen dæmones (ait Orig. hom. 8. ſuper Ieſum Naue) quia opus eorum, ac ſtudium hoc eſt, vt peccare homines faciant, & hæc eſt illorum vita, ſi nos peccemus, ſine dubio interitus eorum eſt, ſi non peccamus. Interficiunt ergo habitatores Hai, ſancti quoſque perimunt, & non dimittunt ex eis vllum, ſi ſine dubio cum omni diligentia ſeruant ſuum cor; ne de eo cogitationes malæ procedant; ſed & qui obſeruant os ſuum, vt omnis ſermo malus non procedat ex ore eorum, hoc eſt, non relinquere vllum, qui effugiat, cum eos nec ſermo effugit malus.

Iob. 21.

Orig.

Ioſue 8.

CAPVT

CAPVT XIV.

Qui autem paſcebant eos fugerunt, & nunciarunt in Ciuitatem, & in agros, & egreſſi ſunt videre quid eſſet factum.

Expoſitio. HActenus miraculum, qnid verò effecerit, mox aperitur. Paſtores timore replet, & cogit ad fugam, qui autem in Ciuitate erant, colebantq agros, nouitate miraculi ad locum conueniunt, optantes reddi certiores eorum, quæ acciderant.

Qui autem paſcebant eos fugerunt. Denique mercenarius ſiue ouis, ſiue etiam pecudum ſit, ſiue porcorum aufugit, quamprimum videt gregem periclitari, ouis paſtores, dico præſules animarnm, qnos Spiritus ſanctus poſuit regere Eccleſiam Dei. Porcorum ductores facito principes gentiũ, & contemptibiles quoſque (vt Pauli verbis vtar) qui temporale regimen adminiſtrant. Ab vtriſque queritur, vt fidelis quis
1. Cor. 6. inueniatur, neque in anguſtijs deſerant ſibi commiſſos, ſed orent, conſulant, & optent pro fratribus anathema fieri.

Et nunciauerunt in Ciuitatem, & in agros. Vt videantur excuſabiles quod gregem deſeruerint: Et nulla excuſatio paſtori, qui fugam inijt, cnm lupus rapit ouẽ, aut mactat; quia bonus paſtor animam ſuam ponit pro ouibus ſuis, mercenarius antem, & qui non eſt paſtor, cuius non ſunt oues propriæ, vidit lupnm venientem, & fugit.

Et egreſſi ſunt videre quid eſſet factum. Fuga paſtorum, reliquos trahit, & admirari facit miraculi nouitate, & magnitudine, qua ex parte diuinæ pronidentiæ opus eſt, fugere aliquando. Fnga euim Apoſtolorum per orbem, perſequeute Herode, vniuerſum orbem traxit ad Chriſtum. Nonnunquam ad inſaniam prouocat, vt Herodem,
Matth. 2. audito magorum receſſu per aliam viam, quaſi fugitiuorum. Herodem imitantur, regiones indigenæ, & qui poſt tantorum prædicationem eorum, quæ fecit Chriſtus,
Iob. 21. dicunt: Recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolnmus, tametſi egreſſi ab infidelitate & originis labe ad fidem, & ad Eccleſiam viderint, quæ Chriſtus operatus eſt, & eius mirabilia opera fuerint contempla-
Deut. 32. ti. Gens abſque conſilio, & ſine prudentia, vtinam ſaperent, & intelligerent, ac nouiſſima præuiderent, nec ſe in morbo conſummarent.

CAPVT XV.

Et veniunt ad Ieſum, & vident illum, qui à dæmonio vexabatur ſedentem, veſtitum, & ſana mentis, & timuerunt.

QVamprimum terræ Populus egreſſus Expoſitio.
eſt ob fugam, & narrationem paſtornm, ad locum, quo ſolebant porci habitare, circumſpexit, vbi nihil videns ad Ieſum multitudine ſequentium circumdatum properat, inijcit oculos, & videt obſeſſum libertati datum, ſedentem, & quieſcentem ab anguſtia vexationis paſſi, veſtitum à circumdantium miniſterio, & charitate, ſanæ mentis propulſato hoſte inſano. Quæ omnia cum ſapientiam preſtarent paruulis, & adhærere Chriſto intelligentes prouocarent, ruſticam progeniem, ad timorem ineptum pertraxerunt, adeo vt nihil grauius ducerent, quàm eſſe cum Chriſto, neq. putarent viuere poſſe, aut quietè degere, quandiù apud eos Chriſtus verſaretur. Is enim eſt mundani timoris finis, mortem, ac damnum, vnde procedit vita, & ſalns, ſperare.

Et veniunt ad Ieſum. Vtique bonum, & honeſtum, cum tamen pater trahit, non homo; quando amor ſui, non noſtri commoditas, & quando non timor humanns, neque mundanus, ſed vel initialis, ac filialis conducit venientem, & perſtringit ad Ieſum properare; quandoquidem ſic veniens ſit plantatio patris, quæ eradicari Matth. 15.
non poteſt, neque marceſcit; ſed in domo Pſal. 91.
Domini, in atrijs domus Dei noſtri floret, quaſi plantatio roſæ in hierico, & proficit continuo ad augmenta virtutum, quaſi cy- Eccl. 24.
preſſus in monte Syon; demunque ad cæleſtium lucidam contemplationem ſublimatur, quaſi palma in cades; ſecus qui præpoſtere ad Ieſum venit, apoſtatæ enim facile, fit, & fiunt nouiſſima hominis illius Matth. 12.
peiora prioribus.

Et vident illum, qui à dæmonio vexabatur. Nam, & propter eum potius venerant; vnde, & oculos, atque mentem ad conſiderandum diligentius eum, ponunt. Ad Ieſum autem etſi veniant, non traſmittunt oculos, neque, vt opportebat attentè vident, vt ex modo loquendi Euangeliſtæ imperfectionem aduentus horum agnoſcamus, & quàm ſine fructu acceſſerint dignoſcamus. Etenim qui miraculi nouitate trahitur, vt Dionyſ. eclipſi viſo, Nicodemus circumſpecto cœconato, Magdalena audita Adulteræ venia, ſeu Samaritanę colloquio cum Chriſto habitu, non ſiſtit in miraculo, neque tantum ad ſolem eclipſatum attendit, ſed ab opere mirabili ad opificem

ficem properat, inueſtigat quis ſit artifex, & eum, vt cunctis admirabiliorem, complectitur, tenet, illique adhærere modis omnibus quærit dicens: Mihi autem
Pſal. 72. adhærere Deo, bonum eſt, & ponere in Domino Deo ſpem meam.

Sedentem. Iuxta pedes Ieſu ſecundum Lucam; quod ſignat (ait Beda) eos, qui à peccatis correcti ſunt, fixa mentis intentione veſtigia Saluatoris, quæ ſequantur, intueri. Nec non ſtatum eorum, qui illuminati ſunt, & guſtauerunt donum Dei, Chri-
Hebr. 6. ſti libertate donati. Hi enim verè ſedent, & firmum ſtatum, qui non infirmat hominem, neque ventilat ad omnem ventum, ſed ſtabilem reddit, & ſecurum vitæ, ſolatij, quietis, & perpetui gaudij poſſident; Beatus ergo homo, quem tu erudieris Do-
Pſal 93. mine, & de lege tua docueri eũ. Vt mitiges ei à diebus malis, donec fodiatur peccatori fouea, qui non ceſſat pendentem ab vberibus vbertatis tuæ tribulare, & Dauid
1. Reg. 23. iuſtum, qui in monte ſedet, & quieſcit cum Deo ſuo in mentis exceſſu, corona tribulationis cingere feſtinat. Attamen Dominus
Pſal. 93. ſcit cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt.

Veſtitum. Nam primo ſpoliatus, aut ſeminudus, ſciſſis veſtibus incedebat, denudatiſque pluribus corporis partibus, vt ſolent eiuſmodi homines, qui à naturæ accidente, aut dæmonis arreptione inſaniunt. Exutum ergo malitia hoſtis, amici, ac fratris charitate induitur. Etenim fratrum nemo carnem ſuam odio habuit, ſed nudam veſtit, vt terra arbores; eſurientem alit, vt ros corum; afflictum ſubleuat, vt elephantem elephas; & egenti denique prouidet, vt mater filio, quem anxiè diligit. Iam tunc fratre primogenito adſtante lex fra-
Act. 4. terna vigere cæpit. Erat credentium cor vnum, & anima vna, & cum nihil haberent, non erat egens inter eos, quin de facultatibus fratrem ſubuenirent, aduenis, peregrinis, & ijs, qui ad inopiã deueniſſent. Itaque quem Sathan deſpoliat, veſtit Chriſtus, ſed
Gloſſ. virtutum ſtudio, ſecundũ Gloſſ. Vnde filius
Luc. 15. prodigus ad patrem rediens, mox ſtola prima, cum annulo induitur: quia quiſquis vero corde pœnituerit, poteſt donante Chriſti gratia, priſtina iuſtitiæ opera, de quibus ceciderat, cum annulo inuiolatæ fidei recuperare: Quem qui fortitus fuerit,
Iſai 61. ſtatim præ gaudio poteſt exclamare: Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me veſtimentis ſalutis; & indumento iuſtitiæ circumdedit me, quaſi ſponſam decoratam corona, & quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis. Corona, quæ circuit totum caput, eſt gratia, quæ iuxta S. Thom. ſententiam, animæ eſſentiam totam illuſtrat, & in ea, vt corona in capite, quod eſt primum, & nobilius cœteris membris reſidet, & ſubiectatur. Monilia dico, virtutes, quæ hinc inde pendent, aliæ intellectum illuminant, & inflammant aliæ voluntatem, & roborantur, Vnde hiſce ornata anima à dextris Regis ſedet Regina, in veſtitu deaurato circumdata varietate, tametſi olim in ſanguine proprio conculcaretur, & nuda in ignominia traheretur, quoniam Dominus miſertus *Ezech. 16.* eſt eius, in miſerationibus magnis abiectam congregauit.

Et ſana mentis. Hanc enim ante omnia dat Saluator hominum Deus, vnde dixit: Intellectum tibi dabo, & inſtruam te in via hac, qua gradieris, firmabo ſuper te oculos *Pſal. 31.* meos. Oculi autem Domini, vt flamma ignis, & lampades ignis, atque flammarum, *Apoc 1. Can. 8.* quæ illuminant mirabiliter à montibus *Pſal 75.* æternis omnem venientẽ in hunc mundum, *Ioann. 1.* qui ad Eccleſiam intrare diſponit, & integram conſequi ſalutem: Nam qui cæcus eſt, & non videns in foueam cadit, ſaltem in parietem inpingit, vel offendit in lapidem; recta autem nemo inſedit, niſi illuſtratus per fidem, & ſit ſanæ mentis ſapiens ad ſobrietatem.

Et timuerunt. Religioſo metu tacti ſunt *Arias* (ait Arias Montanus) agnoſcentes diui- *Montanus.* nam vim, & efficacitatem, vt ille, qui dixit: Exi à me Domine, quia homo pecca- *Luc 5.* tor ego ſum. Meo tamen iudicio non religioſus, ſed ruſticus, & inurbanus timor horum extitit, quod non ab humilitate penderet, neque indignitate humanæ conditionis, vt ille Petri, ſed ab amore ſui, vt qui tanti facerent ſubſtantiam huius vitæ, pluriſque æſtimabant, quàm Chriſtum, quem ob porcorum interitum putabant fore ſuis bonis aduerſarium. Vnde victi metu huiuſmodi egerunt quomodo Chriſtus abſederet. Conſentit Theophylactus ſcribens: *Theophyl.* Timuerunt enim, ne quando, & maius quiddam patiantur, qui enim perdiderant porcos, in perditione dolentes precantur, vt abeat Dominus.

CAPVT XVI.

Et narrauerunt illis, qui viderant, qualiter factum eſſet ei, qui dæmonium habuerat, & de porcis.

AVdierant quæ acta fuerant, narrantibus paſtoribus; denuo relatione *Expoſitio.* preſentium certiores efficiuntur, qui ab vrbe, & agris conuenerant. Aſtantes enim congratulantes tùm auctori, tùm liberato, tùm operi, hac, illacque perfluebant, nec finem dicendi præ lætitia, & admiratione ſancta poterant facere ſuper his, quæ nuper de dæmoniaco, & porcis contigerat. Ocyus ergo appropinquantibus factum enarrant, & repe-

& repetunt, ne tantum prodigium à memoria cadat.

Et narrauerunt illis, qui viderant. Viderant quidem paſtores, ſed profugia parua, aut nulla fides debet adhiberi. Argumentum ferunt firmum, & perſuadent integrè, qui à viſis, & creditis non recedunt. Quare neque Iudæ Chriſtum prædicans iuſtum, neque hæretico, qui confitetur eundem Redemptorem, auris paranda eſt; tamen ſi vera loquantur. Nam qui apoſtatas, veris falſa miſcet, & inter aromata venena diffundit peſſimus aromatarius. Hinc ille: Non credas omni verbo, & alius: Semitam ignorauit auis, nec intuitus eſt eam oculus vulturis. Nec calcauerunt eam filij inſtitutorum, nec pertranſiuit per eam leæna. Hæc facilè cum pardo adulterat, ſed facilius abluta recipitur à leone. Inſtitor eſt, qui à mercatore negotiationi alicuius eſt præpoſitus, in qua perſæpè herum defraudat. Vultur auis eſt rapax, carniuora, à volatu tardo dicta, quod propter magnitudinem corporis tardè volet. Auis genericum nomen eſt ad volucrum omne genus ſic tamen ad regiam Aquilam, & volatu ſuperiorem cæteris, pluſque rapinis aſſuetam, ſuis nomen contrahitur. Per quam Iob intelligit Luciferum, principium viarum Dei, per vulturem paganum hominem, qui ſacrificijs ſanguinem humanum diffundit, neque parcit propriè ſpeciei, neq. filijs. Inſtitor eſt infidelis miniſter, cuius fidelitas ſemper expetitur. Leænam dico hæreticum apoſtatam, et ſchiſmaticum, qui à leonis noſtri commercio fugientes, ignorant ſemitã veritatis, ac fidei; quare ab his fugitiuis, neq. doctrinam, neque ſalutationẽ recipiamus, ſed ab Apoſtolis, qui perſtiterunt, viderunt, et tractauerunt, et teſtantur vera, quæ operantur, et narrant ſanã doctrinam, quã audierunt. Apoſtolos dico etiam Epiſcopos Eccleſiæ, Doctores, et reliquos, qui verbum ſanum, et irreprehenſibile illilant his, qui veniunt, vt audiant, et accedunt puro corde, vt intelligant.

Matth. 27. *Eccl. 19.* *Iob. 28.*

Qualiter factum eſſet ei. Hoc eſt, factum adamuſsim explicabant, vt et omnem dubietatem tollerent, et redderent capaces tanti miraculi, vel magis amatores Chriſti fierent, et ſectatores. Nam vt Alexander dilexit admodum, et honorauit Apellem ob picturæ opus inſigne, et Dedalus græcis omnibus, ac poetis celebris extitit, propter ſculpturæ, et architecturæ ingenium, ità qui enarrant gloriam Dei, & Chriſti opera proponunt populis, ſi donum habent Pauli, & Petri, & vt clarius loquar, ſi ſpiritus ſapientiam habent, qua ſingula opportunè denudent, ne dicam fidelem, ſed & gentilem ad Chriſtũ trahent, & Dei nomen, ac opus Chriſti glorioſũ cunctis facient. Ergo orator poſside ſapientiã, poſside prudentiam. Principium ſapientiæ, poſside ſapientiam, & in omni poſſeſsione tua acquire prudentiã, arripe illã, & exaltabit te, & glorificaberis ab ea, cũ eã fueris amplexatus.

Prou. 4.

Qui dæmonium habuerat, & de porcis. Quod de dæmoniaco narrabatur facilè gaudium afferebat cunctis: præcipitatio porcorum multis inferebat mæſtitiam. Nihilominus, & mæſtis, ac lætis perſuadetur Chriſtus hominibus; nam & Chriſtus idem, regno cælorum, quaſi aquam vino, pœnitentiam miſcuit in prædicatione. Et quidem antiquus eſt mos prophetarum, nunc gaudioſa, nunc triſtitia enarrare. Siquidem illis, quæ promittuntur, obſeruatores, & auditores omnes ad amorem accenduntur. Hi verò timorem concipiunt: vnde timore inferni, & dominij Sathanici perterriti, de medio Babylonis fugiunt captiui, & venerunt liberi oleum in Ægyptum ferre, neque vltra Aſſyrijs dare manum præſumunt, neq. cum infidelibus iugum, neque preuaricatoribus volunt vltrà patrocinari; ſed totos ſe altiſſimo conſecrare, ſeruire in timore, & exultare eidem cum tremore, qui verò audita præmiorum magnitudine accenditur, ne dum alijs, ſed ſibi ipſi valè facit, renuntians omnibus, quæ poſſidet, & ſeipſum in ſacrificium voluntarium offerens. Ergo concionator prædica vitia, & virtutes, pœnam, & gloriam cum breuitate ſermonis, quia verbum abbreuiatum fecit Dominus ſuper terram. Prædica, inquam, quomodo à dæmonio liberati ſimus per Chriſtum, & ad quid libertas tàm fælix. Prædica item de porcis, quomodo vt porci in profundum inferni ſubmergemur, niſi quæ Deo placita ſunt, fecerimus. Et quidem ſic organum baſſis, & altis harmoniacum cunctis ſonabis, & cantum in tympanis, & citharis regi Regum ſuaue decantabis.

Ier. 5. *Oratio Ier.* *2. Cor. 6.* *Pſal. 2.* *Conc. Trid. ſeſſ. 5. cap. 2*

CAPVT XVII.

Et rogare cœperunt eum, vt diſcederet de finibus eorum.

Videte quo proceſſit timor gentis, nolle pœnes ſe habere Chriſtum, in quem deſiderant Angeli proſpicere, & cuius vultum creatura omnis reueretur, neque ſinem faciunt Beati decorem faciei ſuę contemplare, & commendare, quæ ab eius ore procedunt. Soli regionis huius homines agreſtes, & fatui expauent, & rogant, & optant à ſe Chriſtum longè fieri. *Expoſitio.*

Et rogare cœperunt eum. Non rogabane plenè, ſed *cœperant rogare*, plenè rogant, qui ex certa ſcientia, & malitia Chriſtum à ſe alienant anteſignano dæmone. Sunt huius Ducis, ac ſigniferi, & aquilarij milites, in primis Iudæi, quia odio habuerunt me gratis, viderunt, & oderunt, & me, & patrem *Ioann. 15.*

Digitized by Google

Iſai.59. patrem meum, ſicque impletum. Auerſi ſumus, ne iremus poſt tergum Dei noſtri, vt loqueremur calumniam & tranſgreſſionem, & loquuti ſumus de corde verba mendacij. En verba mendacij. Hunc neſcimus vndè *Ioann.9.* fit. At me ſcitis, & vnde ſim, ſcitis, & viam meam ſcitis clamabat, & iugiter elamat in plateis veritas, vt ſi quis ſit paruulus, qui non ſuccendat ignem eum patribus, ve- *Ioann 7.* niat ad Chriſtum, retineat, & ſaluetur. *Prou 9.* Poſt Iudæos, qui plenè rogant Chriſtum abire, quinimò compellunt, habeto hæreſiarchas, qui dicunt non illè, ſed hic, aut *Mar. 13.* illie, aut ibi eſt Chriſtus. Contaminaue- *Pſal.54.* runt teſtamentum eius, diuiſi ſunt ab ira vultus eius, & appropinquauit cor illius. Molliti ſunt ſermones eius ſuper oleum, & *Pſal.10.* ipſi ſunt iacula. Non ſolum, vt ſagittent in obſcuro rectos corde, ſed vt aduerſus Deum roborentur. Alienati ſunt à vulua, *Pſal.57.* & doctrina Eccleſiæ, errauerunt ab vtero ſacramentorum fidei, propterea locuti ſunt falſa, & verbum Dei negarunt. Rogare incipiunt Chriſtum abire, qui intra fidelium numerum conſtituti, vel infirmitate naturæ, vel ſuggeſtione peccant, negantque Chriſtum factis, contriſtant ſpiritum ſan- *Tit.1.* ctum, & dum vitijs vacant, videntur Chriſtum rogare, vt abeat. Incipiunt tamen, non perficiunt, quod fidem non amiſerint. Horum cœtui ſcribit Chriſtus, qui habet ſeptem ſpiritus Dei, & ſeptem ſtellas. ſcio *Apoc.3.* opera tua, quia nomen habes, quod viuas, & mortuus es. Eſto vigilans, & confirma cætera, quæ moritura erant. Non enim inuenio opera tua plena coram Deo meo. In mente ergo habe qualiter acceperis, & audieris, & ſerua, & pœnitentiam age. Mente habetote ò fideles epiſtolam, præſertim maiores, ad quos primo Iubilæi plumbea fertur, & deſtinatur, quoniam pauci ſunt, qui non incipiant rogare Chriſtum, vt abſcedat.

Vt diſcederet de finibus eorum. Exiſtimant peccatores homines (ſcribit Arias Montan.) virum ſanctum ſibi damnoſum, *Arias Montanus.* aut incommodum eſſe, eo quod non poſſit vitium cum virtute vnà commorari. Namq. virtus ſuo ſplendore vitium perſtringit, eaſore exurit, maximè ſi ſit diuina virtus, vt Dei ipſius, aut Angeli à Deo miſſi. Indignos enim ſe putant, qui cum homini natura, & virtute verſari poſſent, atque ex collatione ſuæ virtutis cum diuina, metuunt *Exod.20.* ſibi periculum. Id accidit Iſraelitis in *Iud.13.* monte Synai; idem patri, ac matri Sam- *Luc.5.* pſonis. Idem Petro cum diceret: Recede à me Domine, quia homo peccator ſum. Hos *Gloſſ.* ſequuntur multi, qui ſecundum Gloſſ. antiqua ſuauitate delectati honorare ſe, ſed Pati nolle Chriſtianam legem dicunt, quia eam implere non poſſunt, admirãtur tamen fidelem populum à priſtina conuerſatione ſanatum. Fines huius regionis gentilicæ errores omnes dici poſſunt, à quibus abeſt Chriſtus, qui veritas eſt, aliquando tamen ad eos ſe extendit, vt dilatet tentoria Eccleſiæ, & longos faciat funiculos tabernaculi, deſtructis totius erroris, & infidelitatis finibus, ſic venit ſæpius ad Perſam per Euthimum ſemel, ac ſecundo per Barlaam; & multo ante per Bartholomæum. Ad Affricam per Cyprianum, Auguſtinum, & per alios ad alias orbis partes. Verum cum dicerent indigenæ, diſcede à finibus noſtris, imbibitos errores & hæreſes retinuerunt, & Mahometem.

CAPVT XVIII.

Cumque aſcenderet nauim, cœpit illum deprecari, qui à dæmoniaco vexatus fuerat, vt eſſet cum illo.

IN quale, & quantum extremum deuenerit poſt curationem dæmoniacus, *Expoſitio.* mox enarrat, vt eius exemplo ad gratitudinem, qui paſſim liberamur ab incurſu, & dæmonio meridiano, excitet, & promoueat integram gratiarum actionem benefactori tàm ſplendido iugiter reddere; ea autem eſt à ſeruitute peccati, & dæmonis ad Chriſti obſequium, & famulatum perpetuum ſe transferre, & eius laudem continuo in eo geſtare. Prout Marcus exponit dæmoniacum feciſſe. Namque rogat ad ſocietatem Chriſti recipi; quam etſi corpore videatur non aſſequi, ſed benè ſpiritu, quare abſens fit ſtrenuus, & vigil prædicator magnificentiæ Redemptoris, qui ſaluat pro bona voluntate, & liberat.

Cumque aſcenderet nauim. Videlicet Chriſtus, vt intraret, & ad alteram maris oram applicaret, & ſic ambulans ſupra mare, vt alias fecit, potuiſſet trans vadum ire. Doctrinam haud contemnendã relinquens poſteris, non quæri, ſcilicet ſupernaturalia, quando id poteſt natura, nec ſtatim ad miracula confugere, eum ars illud præſtat, neque ab ordinaria via, neque potentia diſcedere, cum per eam optatis fruimur. Potentia ordinaria religioſo eſt Præſes, *Officia Prælati.* Chriſtiano Epiſcopus, is eſt nauis egeno in tribulationibus, pupillo, ac viduæ, & grauato, vt ferat, & releuet eorum miſeriam, & lites ſi quæ ſint, componat. Si fortè in ſinu patris, quod abſit, ignem, quo foueatur, non inueniat, poteſt, & debet ſi negotium vrgeat, per appellationem ad ſuperiores deuenire, quouſque res coram Romano Pontifice diſcernenda ſtatuatur, 2. quæſt. 6. Si quis veſtrũ. Decreto, quoties Epiſcopi. Quoniam à minori ad maius poteſt gradatim, qui iniuriam patitur appellare, diſt. 99. prouinciæ, & 9. quæſt. 3. conquæſtus,

Digitized by Google

Papa ſupremus Iudex. quæſtus,& multis cap.2.quæſt. 6. Romanus Pontifex nauis eſt Noe, intra quam neceſſe eſt omnes includi, & eius aſtare iudicio maturo,& optimo conſulto,eſt enim Iudex omnium 9. quæſt. 3. conquæſtus, cuius ſtatutum, atque ſententiam, ac ſi de ore Dei habenda eſt 19.diſt.ſi omnes.Quare tantum abeſt, vt Concilium ſit ſupra Papam iuxtà partum baſiliſci, quod abſque eius nutu, & conſenſu conciliorum ſtatuta minimè habeantur rata 17.diſt. concilia. Siquidem iam non Petri,neque Noe, ſed Chriſtus eſt nauis, cuius vicariatum gerit Petri ſucceſſor. Aſcendente ergo Chriſto, ſeu potius iam aſcenſo, & ſedente, aſcendamus, ſedeamus, & trans fretemus ad maris ripam, quæ ignorat procellas,nihilq. inſulſum,ſed ſalubria, dulcia, & amæna profert,quibus datum eſt illis fines fœliciſſimos attingere.

Eſt ſuper Concilium.

Cœpit illum deprecari. Homo homini quid intereſt? Syluestres quidem rogant Chriſtum abſcedere, & vrbanior factus, qui olim cunctis erat inſanior, deprecatur coniungi Chriſto, eſſeque continuò cum eo, à quo donum acceperat. Etenim, vt illa infælix, & malum portentat omne, ita hæc precatio feliciſſima eſt, neque maior, aut melior datur, quàm velle eſſe cum Chriſto, & illi conuiuere, quoniam conuiuenti dicitur: Et iuraui tibi, & ingreſſus ſum pactum tecum, ait Dominus Deus, & facta eſt mihi, & quid mihi? amica, ſoror, ſponſa, & tota pulchra. Dixit enim laui te aqua, vnxi te oleo, veſtiui te diſcoloribus, calciaui te hyacintho, cinxi te byſſo, & indui te ſubtilibus, vtpote ſpiritualibus animæ habitibus, quæ in aqua baptiſmi, in oleo chriſmato confirmationis, & diſcolori, ac vario ordine, hyacinthina Euangelij doctrina, byſſo doctorum eloquio, ac patrum ſubtili narratione communicat,adauget, & proficit, vt optime cui talia accidunt, rurſus dicatur,ornaui te ornamento, dedi armillas in manibus tuis, & torquem circa collum tuum,hoc eſt charitatis ornamentum, ſpei armillam, & torquem fidei, & multiplicia alia priuilegia, quæ vates ſubſequentibus ſymbolis enumerat, concludens, decora facta es vehementer, & profeciſti in regnum. Quoniam fecit nos Chriſtus Deo noſtro Regnũ, & ſacerdotes. Hinc Ambroſ. ad virgines: Apud Chriſtum ſeruitus, & libertas æqua lance penduntur, nec vllo diſcerniculo bonæ ſeruitutis,& libertatis merita diuiduntur, quia nulla maior eſt dignitas,quàm ſeruire Chriſto. Hæc enim ſeruitus glorioſa eſt, in qua gloriatur,& Apoſtolus.An non ſumma gloria eſt, quando tali prætio æſtimati ſumus, vt ſanguine Domini redimeremur?

Ezech. 16.

Ambroſ.

Qui à dæmonio vexatus fuerat. Non fit mentio dæmonis, neque vexationis in improperium, & ignominiam,vt ſolent ſæpè maligni, & iracundi ante acta exprobrare actoribus, ſed vt miſericordia Dei, & pietas Chriſti amplius innoteſcat, & confidentius in ea ſperent, qui miſerationes magnas audiunt iterari, & fieri. Vnde neque Matth. ſe telonarium negat exercuiſſe, neque Paulus in Chriſtianos ſæuiſſe, neque ſcriptura voluit vſque in diem hanc Dauid ſcelera reticere, vt qui miſerabili caſu ad ea inciderit, audacter vnà cum eo exclamet: Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam.

Matth. 9. *1.Cor. 15.* *2.Reg. 11.*

Vt eſſet cum illo. Timebat enim (ait Theophyl.) ne ſi quando dæmones eum inueniſſent ſolum, iterum ſe adirent. At quem Chriſtus in regione illa decapoleos Euangeliſtam fecerit, nemo admitteret timore ſeruili, & non potius amore feruido ad Chriſtum trahi, & optare vehementer inter minimos ſeruorum benefactoris referri, quàm in tabernaculis peccatorum ducatum agere, quia factus es ſuſceptor meus,& refugiũ meum in die tribulationis meæ. Sitiuit ergo in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea.Eſt amantis affectus, quem gratus nequit in ſinu abſcondere, quin aperte eo indi et ſibi charius multo fore amantem ſequi, quàm deſerere. Obſeruat hoc loco Ganneius,melius verti poſſe ſecum,quam cum illo, aut certè cum eo proficiſceretur, vt poſthac in comitatu eius eſſet. Nam [illegible] venire puto (ait) ab [illegible] ideſt vado, vt tamen iacet græca lectio, verti non poteſt melius, quàm cum illo.

Theophyl. *Pſal. 58.* *Pſal. 62.* *Ganneius.*

CAPVT XIX.

Et non admiſit eum, ſed ait illi: Vade in domum tuam ad tuos, et annuncia illis quanta tibi Dominus fecerit,& miſertus ſit tui.

VOluntatem etſi Chriſtus admittat,non tamen opus, ſed ad aliud deſtinat,vnde,& Deo maior gloria,& homini meritum accumulatius, & proximò magna obueniat ædificatio; quæ omniſciens Chriſtus diligenter conſiderans, volentem ſecum venire remiſit ad ſuos,vt annunciet accepta diuinitus, prædicta compleret, & vix initiatus, fieret Euangeliſta.

Expoſitio.

Et non admiſit eum. Nam Chriſtum ſequentes diſcipuli,vel ſacerdotes, vel Epiſcopi erant ordinandi,& inter eos,qui ſpiritum ſanctum donaturi eſſent, & virtutem eius communicare, indignum erat recipi eum,qui ſpiritu immundo fuiſſet oppreſſus. Non ſufficit ad ordinem ſanctitas, ſed & honeſtas requiritur. Hinc Nicolaus Papa Clerici, qui in adoleſcentia à dæmonibus cognoſcuntur obſeſſi, ad ſuperiorem ſacri regiminis gradum aſcendere non poſſunt. Inde ſtatuit Arauſicanum Conciliũ P. c 16.

Nicol. Papa

Energumini reijciuntur ab altari

Energumini non ſolnm aſſumendi non ſunc ad vllum ordinem Clericatns; ſed & illi, qui ordinati iam ſunt, ab impoſito officio ſunt expellendi. Vſque adeo ſanè comperimus (ſubdit Gelaſius Papa epiſ. ad vniuerſos Epiſcopos per Lucaniam conſtitntos c.21.) illicita quæq. prorumpere, vt dæmonibns, ſimilibuſq. paſſionibus irretitis miſteria ſacroſãcta tractare tribuatur, quibus ſi in hoc opere poſitis aliquid propriæ neceſſitatis occurrat, quis fideliũ de ſua ſalute confidat, vbi miniſtros ipſos curationis humanæ tanta perſpexerit calamitate vexari? Atque adeo neceſſario remouendi ſunt, ne quibuſlibet, pro quibus Chriſtus eſt mortuus, ſcandalum generetur infirmis. *Cõc. Arau.* Militant iſta quoq. contra indiſcretum, nę dum inſanum, & diabolicum appetitũ, qui in ſuperioribus Religionum nonnunquam viget, vt nullo facto delicto aduentantium, indiſcriminatim ad ordinẽ admittunt, quo factũ eſt, vt paſſim in ſæculo audiantur ſcãdala, vixq. proh dolor! ſibi ordines conſtẽt, & cõtinuo ab aureo ſęculo & prima inſtiutu tione degenerent. O patres nolite admittere omnes, non ſpuriũ, non Iudæũ, non apoſtatã à fide, neq. aliquẽ, cui aſſumpto habitu religioſo valeant infamiæ notã exprobrare.

Sed ait illi. Tametſi non admittat, *ait illi*, & loquitur, vt confortet eius ſanctum propoſitum; confirmet in fide, quam cæpit, tenere, & beneuolum ſe ei oſtendit, aç ſi admitteretur ad ordinem. Quin ſæpè legimus ad colloquia Dei admiſſos, qui in ſæculari habitu, & ſtatu degunt, ac maiori ſtrictos amicitia cnm Deo, & Angelis, quàm ad ordines promotos, & dignitates. Nam neque ordo, neqne dignitas ſanctificauit hominẽ, ſed diligens ſanctitatis ſtudium, mortificatio ſui, diligens Dei cultus, & integra ſui ſtatus obſeruatio, quibus ſi ſe ordinatus, ac pręſul ornauerit, vt par eſt, efficietur maior, quod ſi laycus, ſiue vir, ſiue fœmina in his excesserit, apud Deum gloriam maiorem habebit, & fortaſſis viuenti, vt hiſtoriæ deponunt ſe ipſum Chriſtus communicabit, & loquetur familiariter. *Ecclеſ 39.* Et ſi Dominus meus voluerit, ſpiritn intelligentiæ replebit illũ, qualem Debbora inter fœminas, & inter priſcos laycos Dauid accepit, & multo plures à Chriſto nato reperiuntur myſteriorũ Dei intelligentia, & Angelorum colloquijs frui. *Iud. 4.* Siquidem conſequitus eſt ſedem in miſericordia noſter Dauid, qui pauit eos in innocẽtia cordis ſui, & in intellectibus manuum ſnarum deduxit eos, ergo quem canones, atque ratio, ordine, & religione priuãt, vos qni ſpirituales eſtis huiuſmodi inſtruite, qui poſſit in ſæculo manens perfectionem, quam quærit, aſſequi. *1. Mach. 2. Pſal. 77. Gal. 6.* Hæc illi dicite, & nolite ò Præſules, ſibi, ac vobis onus imponere. Amabo magiſtri documentum ex facto, & reſponſo eius collectum, annotate, attendite, & obſeruate, ſiqnis religioni, ac toti Eccleſiæ amor ineſt, ait enim.

Vade in domum tuam ad tuos. Ergone ſibi contrarius eſt, qui relinquere volenti omnia dixit: Veni ſequere me, & optanti reuiſere ſuos, ac mortuos ſepellire diſſuaſit dicẽs; ſine mortuos ſepellire mortuos ſuos? *Matth. 19. Matth. 8.* Peroptime locutus eſt ſemper Chriſtus: forma locutionis, & menſura ſermonis. Etenim vt Rex magnus diuerſis vaſis vult Regiam ornare, ac regnum multitudine miniſtrorũ ſeruorumq. pollere, quoſdam vult accepta portione in proprijs refici laribus, & alios aſſumit aulicos, qui intra palatij parietes, deq. menſa regią reficiantur. Hos ſeorſum, vt Daniel olim, ac ſocij ordinat enutriri in canonica, & monaſterio, ſeu deſerto, vale facto, ne dicam mortuis, ſed & viuis, cũ quibus in his, quę mundi ſunt, commerciũ prohibet, vt quietius non iam chaldaica, ſed cęleſtia ſtudia proſequantur. *Dan. 1.* Illos vero non tàm conſentit, quàm præcipic ire, & eſſe in domo ſua, vt quiſq maneat in ſua vocatione. Mulier nupta curã habet viri, filiorum, atquæ ſamiliæ, vir ligatus cum vxore non quærat ſolutionem. Filij obediant parentibus, curam in neceſſarijs eorum agant. Serui, ac ſubditi pareant Dñis non tantum bonis; ſed etiam diſcolis. *1. Pet. 2.* Rex portet gladium in vindictam malefactorũ, laudem verò bonorum. Nec quidẽ ſic cuicumq. horũ dicens: *vade in domum tuam ad tuos*, denegat ſe, quia omnis terræ Deus, neque eos fraudac præmio, qnia vnuſquiſq. ſuam mercedem accipiet; neque (quod præſtantius eſt) nulli acceptator perſonarum ſe exhibet, quia nõ eſt apud Deum diſtinctio Indæi, & Græci, vnus Dñs omnium diues in omnes, qui inuocant illum. *Rom. 10.* Neque apud eum aliquid valet, ſed noua creatura. Quãdo ergo hanc nõ tàm in cœtu Epiſcoporum, & ſacerdotum, quàm laycorum fidelium poteſt deuotus acquirere, ait *vade in domum tuam*. Nam & in ea multi abundantius proficiunt.

Et annuncia illis. Itaque prædicator in domo propria conſtituitur, & retento habitu, & commercio domeſticornm, fit euãgeliſta, & teſtis veritatis. Imitantur autẽ eum quotquot in ſæculo degunt, qui iuxtà ſtatũ ſuum viuũt, & operibus carnis renuntiãtes, ſpiritu ambulant in actibus ſuis, deſideria carnis non perficiunt, fructificant in opere bono, non accipinnt in vano animã ſuã, bonũ operãtur ad omnes, & noſcunt dare quæ ſnnt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo, deniq. faciunt iudicium, & iuſtitiam in omci tempore. Hic eſt Iob, annuncias iu terra Hns, Tobias in Niniue, Abraham in Chaldæa, Ioſeph in Egypto, & in medio nationis prauæ vnus Daniel. Eſt enim cũctis exẽplũ, quo nõ tã domeſtici, quã forẽſes illuſtrãtur. Et quidem in moralibus plus prædicat, qui facit, quàm qui abſcondit manum, cupiens

ſolo

ſolo verbo prædicator videri. Minus enim habet mentis, quàm Dithyramborum poetæ, qui baccho afflati furebant.

Quanta tibi Dominus fecerit. Quanta huic Deus contulerit ſcimus. At quanta cuique noſtrûm, quis dinumerabit? *Deut 32.* Quando diuidebat altiſſimus geutes, quãdo ſeparabat filios Adam, conſtituit terminos populorum iuxta numerũ filiorum Iſrael. Hoc eſt numerũ Angelorum Dei ſecundũ Metaphr. ex Pantaleone diacono in S. Michaelẽ, quia vnicuique genti, ac gentiũ priuato Angelũ cuſtodiæ præfecit: addit fidelium cœtui, ac ſingulis ſe ipſum communicare. Vnde ſequitur: Pars autem Domini populus eius, Iacob funiculus hæreditatis eius. Probant factum, quæ poſtmodum in cantico enarrantur, quæ verò à Chriſtianis in ſacramento altaris conceduntur, conuincunt vltra nobiſcum fieri uon poſſe. *Pſal. 101.* Etenim, Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors, & miſerator Domiuus, eſcam dedit timentibus ſe, non certe aliam, quàm ſeipſum, in quo ſunt condita vniuerſa. Hæc autem quis dimenſus eſt? Mortalium nullus. Immortalium ſolus immortalitatis auctor uouit, & comprehendit. Ergo uon poteſt homo fidelis, quanta fecerit ei Deus, prædicare, valebit tamen pro modulo contemplari. Iude ad gratiarũ actiouem ſeipsũ excitare. Demumq. circumſtantes ad congratulationem prouocare. At incraſſatus eſt dilectus meus, vt hebes factus, ſpeculari neſciat, quæ accepit; & recalcitrauit incraſſatus, beneficijs iugratus; impiuguatus neſciuit ſaturitatem, dilatatus euanuit corde; quouſq. dereliquit Deum factorem ſum, qui tàm mirabilibus naturę ornamentis eũ illuſtrarat, & receſſit à Deo ſalutari ſuo, qui eum gratuitis, ac ſeipſo ditarat,. Quanti ſimilem profiteamur uequitiam, ò fideles, conſideremus, & pœniteamus, ne tradamur cum peccatoribus, neq. cum operantibus iniquitatem perdamur; ſimus autem cum his, qui exaltãt Dñm, & benedicunt pro his, quæ retribuit, & mirabilibus, quæ ſingulis cõceſſit.

Theophyl. *Et miſertus ſit tui.* Hæc iubens Dominus oſtendit (iuquit Theoph.) quod licet ipſe non adſit; nihilominus virtus ſua, & viſitatio cuſtodiet eum. Nam euangelizanti pro- *Pſal. 67.* pitius eſt Deus. Quoniam Dñs dabit verbũ euangelizantibus virtute multa. Proin- *Iſai. 49.* de orator cõſtitutus dixit: Et poſuit os meũ quaſi gladium acutum, in vmbra manus ſuæ protexit me, & poſuit me ſicut ſagittã electam, in pharetra ſua abſcondit me. Manus eſt auxilium, quo protegit veritatis annunciatorem, pharetra doctrina eſt, vnde eloquia, quibus abundant ad prædicandũ miſſi, & deſtruunt hoſtes; quia inquit mittens: *Luc. 21.* Ego ero vobis os, & ſapientia cui non poterunt cõtradicere omnes aduerſarij veſtri, vt cõpellantur, vel oleo tranquilliores fierij vel mordere frænũ, ſeq. demum (vt pleriſq. hæreticis, ac tyrannis accidit) præcipites ad uecem dare, & inde inferni rudẽtes petere. Quod verò prędicare iubeat, non ſolùm quę fecerit Deus cum eo, verum etiã quod miſertus ſui illa contulerit, deſignat, & duplex beneficij genus, nec non modum largitoris alium, atque alium: Siquidem alia concedit, non miſericordia motus, ſed bonitate ſua, cuiùs eſt cõmunicare, quomodo rerum omnium naturas & vniuerſa, quæ ad ordinẽ naturæ ſpectant, ſingulis impartitur. Alia à Deo miſericorditer manant; videlicet quæ ſunt ordinis gratiæ. Namq. eiuſmodi ad finem ſupernaturalẽ ſunt, & feliciſſimum, in cuius approximatione, maximè in conſequutioue miſericordia omnis completur, obuiat veritati, exaltatur in cęlis, & trhonus roboratur. Acceperat dæmoniacus vtrumq. beneficium, ergo vtrumq. iubetur anuunciare, & Deum dupliciter cõmendare. Primum à bonitate, quod tanta naturalia conceſſiſſet. Secundo à miſericordia, quæ cæleſtibus gratijs, ingratum repleſſet. Sed & tu lector ab his duobus lauda auctorem, & hortare omnes ad canticum: Confitemini Dño, *Pſal. 104.* & inuocate nomen eius, aununciate iuter gentes opera eius. Hæc ſunt opera, cunctis benefacere, & omnibus miſereri, quia vni- *Pſal. 24.* uerſæ viæ Domini miſericordia, & veritas.

CAPVT XX.

Et abijt, & cæpit prædicare in Decapoli quanta ſibi feciſſet Ieſus: & omnes mirabantur.

NOn ſurdus auditor factus, neq. extriti *Expoſitio.* ingenij, audacter prouinciã ſuſcepit, & ſegnitie depoſita, toti regioni prædicat verbũ Dei, confirmans illud nõ fictis hiſtorijs, ſed proprio facto, quod iam cunctis patebat. Tamq. acriter pugnabant iacula ſuorũ eloquiorũ, & vulnerabant animos ſagittę illius ardentes, vt quaſi è ſomno excitati audientes, mirarentur in his, quæ percipiebant de Chriſto enarrari, & ſtupebant videre ſolicitũ pro viuis, & cunctorũ ſalute, qui antea monumentis, & mortuorũ oſſibus oblectabatur. Nihilq. prater Dei miſericordiã, quã in terrã, & in cęlo operatur, ſtrenuè prędicare eũ, qui ab omni miſericordia excluſus videbatur, & ad inferni oſtiũ, extremũ ſupplicij genus expectare. Iſta quis non miraretur audire, & ſtuperet videre?

Et abijt. Vt & alios lucretur (ait Theo- *Theophyl.* phyl.) qui ipsũ viſuri eſſent, is eſt enim finis prædicationis euangelicæ, lucrari fratrem, & Chriſto animas conciliare: olim enim (ait Aug. lib. 32. contra Fauſtum cap. 10. iuſſus *Aug.* eſt frater præmortui fratris vxorẽ ducere, vt non ſibi, ſed illi ſobolẽ ſuſcitaret, eiuſq. *Deut. 25.* vocaret uomine, quod inde naſceretur; quod ſi recuſaret, diſcalceatus vno pede conſpui

ſolebat in faciem. Nunc Euangelij quiſq. prædicator, ita debet in Eccleſia laborare, vt defuncto fratri (ideſt Chriſto) ſuſcitet ſemen qui pro nobis mortuus eſt, & quod ſuſcitatum fuerit, eius nomen accipiat, non Petri, non Pauli. Numquid enim Petrus, aut Paulus (dicebat ille) pro vobis mortuus eſt? Quare ſumus (inquit) conſilia deſtruẽtes, & omnem altitudinem extollentẽ ſe aduerſus ſcientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti. Omnia autem chariſſimi propter ædificationem veſtram. Ædificatur verò in prædicatione, qui lucratur Deo, & fit Chriſti cibus, quem habet manducare prædicatoris miniſterio.

Suſcitare ſemen Chriſto

1. Cor. 1.

2. Cor. 10.

Et cœpit prædicare in Decapoli. Decapolis nomen eſt græcum δεκάπολις à δέκα quod eſt decem, & πόλις Ciuitas; vnde regio illa adiacens ſtagno Genezaret, quod decem vrbibus illuſtraretur ſub metropoli Ceſaræa, appellationem accepit. Hic ergo fuit Euangelij Chriſti annunciator, qui à dæmonibus liber per Chriſtum euaſerat. Similem enim miſericordiam, ſiuè in baptiſmo, ſiue in pœnitentia obtento, vt ad vitam intret, opus eſt in decalogo, qui decem complectitur præcepta, prædicator, & obſeruator efficiatur. Dixit ianitor, qui clauem habens, claudit, & aperit: Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Memores ergo ſunt mandatorum Dei ad faciendum ea, qui habitare in tabernaculo altiſſimi volunt, & in eius ſancto monte requieſcere.

Matth. 19.
Pſal. 102.
Pſal. 14.

Quanta ſibi feciſſet Ieſus. Præ humilitate Chriſtus prædicare iuſſerat, quæ à Domino accepiſſet; ille verò non Domini, ſed Ieſus beneficia commendat, quoniam perfectè illuſtratus Ieſum agnouit Dominum, tùm quoque opus illud non Domini, qui iuſtus eſt, & durus, ſed Ieſus erat: Eſt enim Ieſus ſaluator. Ad hæc Theophyl. Non dixit annuncia, quæ tibi feci, ſed quæ tibi fecit Dominus; ſic & tu, quando bonum quid facturus es, non tibi ipſi, ſed Domino factum tribuas.

Theophyl.

Et omnes mirabantur. Quod Ieſus talia præſtaſſet ſigna, quod & potuiſſet ſanitati priſtinæ reſtitui, qui tàm petulantibus dæmonijs, & tantæ multitudini ſubiectus potuiſſet liberari. Primum eſt Iudaicum figmentum, ſeu Iudæi admirantur primum, vt qui Ieſum, non Deum, neque omnipotentem, ſed Magum prædicarent. Secundum, ne dicam admirationem, ſed ſtuporem, extaſim, & vt verius loquar, hæreticis phrænesim generat, tum maxime Lutheranis, qui adduci non poſſunt, vt credant hominem per Chriſtum potuiſſe ſanari ab animæ vitijs; quin adhuc regnans concupiſcentia peccatum ſit.

CAPVT XXI.

Et cum tranſcendiſſet Ieſus in naui rurſum trans fretum, conuenit turba multa ad eum; & erat circa mare.

Itaque aſſentitur decapolitis, & eorum regioni valè faciens, abijt trans fretum, quo multi ad eum conuenerunt, cum quibus & ipſe liberè manſit, & præclara geſſit, diligentes enim ſe diligit, & quærentibus ſe communicat, abeſt autem ab his, qui dicunt ei, recede à nobis. Neminem enim cogit, & volentem non abigit.

Expoſitio.

Et cũ tranſcendiſſet Ieſus. Græce (inquit Gannæius) legitur διαπεράσαντος quod plerumque interpretes vertere ſolent, trans fretare, quod hic magis quadrabat: At Pagninus à vulgata, & communi interpretatione diſſentiens transfert. *Et traycientе*, cum quo Syriacus conſentit dicens *quum traieciſſet*. Hieron. nulli coherens vertit, *& cum tranſcendiſſet*, & quidem optimè ſi ad myſteria deuenimus. Nam relictis, qui eum nolebant, & ſi Chriſtus ad alios videatur tranſire, huiuſmodi receſſus non eſt vulgaris tranſitus, qui eſt ab vno ad aliũ proficiſci, ſed eſt ſingularis, & vtiliſſimus tranſitus, quia tranſiens tranſcẽdit ad maius lucrum, ad cumulatiorem fructũ, et abundantiorẽ populũ, quẽ ſibi acciuit. Quare ad meliora pergens, non lento gradu, et ſegniter proficiſcitur, ſed vt delphinus maria, et hyrundo traijcit aera, Chriſtus velociter in alterã maris partẽ ſe recepit. Ergo velocitatem deſignat verbum traijcio, quo Syriacus, et Pagninus vtuntur; perfectum huius tranſitus notat Hier. verſio tranſcendens, tranſire, & trans fretare actum ipſum extremum demonſtrant.

Pagninus.

Hier.

Rurſum trans fretum. Hoc eſt verſus Iſraelitarum Regionẽ (notat Arias Mont.) quoniam hæreditas mea Iſrael. Ergo eo ſæpius proficiſcitur, vt colat, quaſi agricola campum, vt vinitor lapides colligat, vt ſeminator vero ſemine ſuperſeminet, & vt pater doctrina bona filios imbuat. Hinc diſcant Præſules ſolicitudinem ſuarum Eccleſiarum habere. Dati enim ſunt, non tàm ſpeculatores, vt videant à longe, vt aquilæ, quid pullis conducat; quàm operatores, vt vineam Domini ſabbaoth excolant exemplo, & verbo; nec ſemel cum munus Epiſcopale ſubeunt, ſed rurſum, & iterum, atq. denuo, & iugiter, nunc per ſe, nunc per alios gregem Dñi inuiſere. Hinc Patres Conc. Valentini ſub Imperatore Lothario cap. 16 Vt vnuſquiſque noſtrum ſiue per ſe, ſiue per aliquem, vel aliquos ex miniſtris Eccleſiæ fideliter doctos, ita verbũ prædicationis tàm in vrbe, quã foris in plebibus exhibeat

Conc. Valentinum.

vt

Digitized by Google

vt omnino eis admonitio , & exhortatio ſalutaris adeſſe non poſſit , quia vbi verbũ Dei fidelibus non adminiſtratur, quid aliud, quã vita animæ ſubtrahitur? ſubinde quoq. iu conc. Meldenſi cap. 28. ſub Sergio 2. Pa- *Cõc Meld.* pa precipitur Epiſcopis, vt Parochias ſuas, cum officij efficacia circumeant . Hoc cnim eſt eis rurſum trans fretare .

Conuenit turba multa ad eum. Quoniam *Ioan. 10.* oues agnoſcunt paſtorem , audiunt vocem eius, & ad eum properant , qui cupiunt ex Iſrael ſaluari , quia ſalus populi , ego ſum dicit Dñs. Ergo vt piſciculi innoxij ſub ſquamis cætę à venefico Leuiathan ſaluantur, & *1. Reg. 22.* Duce Dauid multi, qui ære alieno tenebãtur, ſecuri fiunt : ita qui vinculis peccatorum conſtringuntur ad Chriſtũ conueniunt, vt à paterna hæreditate, quæ nos in peccatis concepit, & ab inueterata malitia, quæ nos efficit morboſos redimat, ſaluet, & in optimo vitæ ſtatu conſtituat. Is eſt finis cõuenientium ad Chriſtum, eorum, inquam , quos pater trahit ad Eccleſiã, quoſq. idẽ in hortis religionum plantat, quem enim non *Matth. 15.* plantauit ipſe, eradicabitur, & morietur in iniquitate ſua, quẽ non traxerit pater, quod cum ſæpè accidat , non dicit Euangeliſta omnes conuenire , ſed multos. Nam & ſi omnes ad Chriſtum veniant , & recipiant eius fidem, non omnes, ſed multi, quos ipſe nouit, optatum finem conſequuntur .

Et erat circa mare . Tanto enim impetu multitudo conuenerat; & ſtabat circa eum, audire cupiens ſalutis monit , & curationes accipere , vt progredi ad Ciuitates , & oppida circũuicina vix concederetur . Erat ergo circa mare aperiẽs os ſuũ docibilibus Deo, & manum ſuam his, qui egebant . Vt & tu , qui ſectator es Chriſti , vbi videris fratrem tuum neceſſitatem habere, non remittas ad Ciuitatẽ, ac domum, ſed cum poſ- *Iſai. 58.* ſis, ſiue in mari, ſiue circa mare, frange exurienti panem . Et tunc erumpet quaſi mare lumen tuum, & ſanitas tua citius orietur, & anteibit faciem tuam iuſtitia tua, & gloria Dei colliget te . Tunc inuocabis , & Dñs exaudiet, clamabis, & dicet : Ecce adſum. Quoniam promptitudinem animi in bono imitatus es, & non procraſtinaſti pietatem in tuos exercere .

C A P V T   X X I I.

Et venit quidam de Archiſinagogis , nomine Iairus, & videns eum procidit ad pedes eius .

Expoſitio . EX multis, qui acceſſerant, inſignior obfactum , ac fidem Iairus nomine refertur . Hic enim ſynagogæ Princeps deuotius multo conuenit, & fide ardentior , genibus Chriſti prouolutus, & ſaluatorem, & redemptorem, & Deum viſus eſt profiteri .

Et venit quidam . Optimè in tanta multitudine numeratur quidam , & fit mentio peculiaris alicuius ſingularis: Nam vt mundus ſuos habet primates ; ſyluæ abietes ; oceana Orchas, atq. Balenas; terra Elephantes, atque Dragones, & Rinocerontes. Necnon ædificia vrbiũ ſupereminentes regias, & quadrato lapide domos; & in omni artiũ genere, & artificiatorũ, ſingulare aliquod reperitur preſtantius reliquis ſui generis, ita in multidine, quæ cum Ieſu conuenit, ſiue in Clero, ac monaſterio, inuenitur quidã Antonius, qui anachoritis præfertur, quidam Theodorus, qui inter cœnobitas plus laudatur , quidã Gil qui inter fratres excellit, quidam Vincentius, qui poſt ſe predicatorũ modum, & formam relinquit, & quædam Chriſtina (ne fiat preiudiciũ ſexui deuoto) quæ fit ſpiritus admirabilis, quædam Eufroſina, quæ, ne dicam æqualibus, ſed, & ſenibus ſit exemplum, & quædam Agnes, quæ longiori interuallo ab alijs ſemota , poſt agnum proximius currat, cui dicitur multę filiæ cõgregauerũt ſibi diuitias, tu ſupergreſ- *Prou. 31.* ſa es vniuerſas. Ergo labora, vt fias quidam.

De archiſynagogis nomine Iairus. Intelligendũ eſt (inquit Aug. in de cõſenſ. Euang.) *Auguſt.* quod de Archiſynagogi filia ſubditur factũ eſſe, cum traſcendiſſet Ieſus in naui rurſus transfretum, ſed quantum poſt, non apparet, niſi enim fuiſſet interuallum, non eſſet quãdo fieret, quod narrat Matth. de conuiuio domus ſuę, poſt quod factũ, nihil aliud continuo ſequitur, quàm illud de Archiſynagogi filia, ſic enim ipſe contexit, vt ipſe tranſitus apertè indicet, hoc conſequenter narrari, quod conſequenter eſt factũ. Nomen po- *Theophyl.* ſuit propter Iudęos (ait Theophyl.) qui ſcie- *Chriſ.* bãt quod fiebat , vel vt Chriſoſt. tradit, no- *Hier.* men miraculi fieret oſtenſiuũ, vel ſecundũ Hier. nomine ipſo intelligeremus Iudæorum aduentũ poſt gentilitatis ingreſſum. *Iairus* (inquit) ſiuè illuminans, ſiuè illuminatus interpretatur, ideſt iudaicus populus, vmbra litteræ depoſita, ſpiritu illuſtratus, & illuminatus procidens ad pedes verbi, ideſt ad incarnationẽ Ieſu ſe humilians, rogat pro filia, qui ſibi viuit, & alios viuere facit . Abraham , & Moyſes, & Samuel rogant pro plebe mortua, & ſequitur Ieſus præces eorum. Adde *Iairi* nomen exprimi, vt eum inter eos haberemus , qui in libro vitæ ſcribuntur, quorum nomen non eſt in obliuione, ſed à generatione in generationẽ, et vſq. in ſæculum permanet, ſic enim, de Ioanne ſcribitur ; Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes, et de matre ſanctiſſima *Ioan 1.* ait Lucas, et nomen Virginis Maria. Huiuſ- *Luc. 1.* modi ergo nominis expreſſio, non tã honorẽ, quàm feliciſſimũ quid nominato importat . Præſertim ꝙ inter Principes ſit relatus, ſicut augebat difficultatẽ aliquid apud Deum poſſe; cum dicatur Archiſynagogis

Iſai 1. Principes tui infideles, ſocij furũ; ita admirationẽ facit eo modo in ſcripturis eius nomẽ referri, quo ſolent amicorũ Dei nomina in libris ſanctis deſcribi. Ad hæc facit regula; quorum eſt vna nominis deſcriptio, & vna ſubſtantia; ſubſtantiam hic appello ſanctitatis neruos, & optima vitæ ſtudia, quæ fideles obſeruant, vel religioſi profitentur. Igitur *Iairus*, cuius nomen ſic recitatur in oraculis, vt ſanctorum, iam inter ſanctos denumeretur, ſed & qui ſimili preoptat graduari honore, curam de bono nomine habeat, depugnetque ſtrenuè, vt nomen eius inter viros glorioſos locum acquirat. Hoc enim magis manebit tibi,
Eccl 41. quàm mille theſauri pretioſi & magni.

Et videns eum procidit ad pedes eius. Vt & modo, olim maiores ſoliti erant procidendo honorari.
Heſter.8. Hæſter enim procidit an-
1 Reg. 25. te Regis pedes flens. Abigail quoque feſtinauit, et deſcendit de Aſino, & procidit coram Dauid ſuper faciem ſuam. Eadem pænè ceremonia vtebantur quando Deum
Deut.9. honorabant. Procidi ante Dominum ſicut prius, dicebat Moyſes. Et procidebant
Apoc.4. viginti quatuor ſeniores. Ergo ne vnus, & idem honor creaturis, ac Deo? Abſit. Gloriam meam alteri non dabo. Quis Deus ſi-
Iſai 42. cut Dominus, & quis Deus, ſicut Deus noſter? Non eſt Deus, vt eſt Dominus. Neque honor, qui ſuo comparetur. Honorantur
Dulia Hyperdulia, latria. creaturæ ob excellentiam creatam, honore, qui dulia, ſeu hyperdulia; at latria Deus ſolus. Diſtinguitur hic honor, non verbis ſolum, cum ſæpè, vterque adorationis nomine in ſcripturis appelletur. Neque geſticulationibus, cum, & Deus, & creatura procidendo adoretur, ſed mente, & intentione; quòd procidendo nos Deo profiteamur animo, eius cuncta eſſe, tamque nos, quàm noſtra ab eo perdere, idque creaturæ tribuere impijſſimum eſt, ſecundo verbis, quæ animi conceptum exprimant, vt miſerere mei, redime, ſalua, libera me, liberator, creator, omnipotens, & ſaluator, ac ſimilia, quæ increatam excellentiam, & immenſitatem Dei explicant. Hinc ait Theraſius ad Conſtantinum Imperatorem, & Ælenam matrem Diuina ſcriptura dicens: Deum tuum adorabis, & illi ſoli cultum exhibebis: adorabis, abſolutè ponit, neque adijcit ſoli, vt ſignificetur vox diuerſæ notionis, & æquiuoca. Cultum autem exhibebis, ſiuè ſeruies ſoli, dixit, quam ob cauſam latriam vni Deo tribuimus, & ad illum referimus. Cultus autem, & ſeruitus vnde
Theraſius. Theraſius latriam infert, conſiſtit in animi intentione, & ſignis externis, quæ ad Religionem faciunt, quibus neque Angelum, neque hominem, ſed Deum, & Chriſtum, & quæ Chriſti ſunt adoramus, & ante ea procidimus mente, & corpore. Procidunt homines ante homines, ſed corpore tantum.

CAPVT XXIII.

Et deprecabatur eum multùm dicens: Quoniam filia mea in extremis eſt. Veni, impone manus ſuper eam, & ſalua ſit, & viuat.

QVid ſibi velit Archyſinagogus ante Expoſitio.
Ieſum proſtratus, videamus. Primum deprecatur eum multum. Secundo filiæ extremam debilitatem, & vitæ neceſſitatem aperit. Et tertio curandi modũ facillimum exponit, per impoſitionem inquã manuum, quam obnixe petit filiæ concedi, vt ſaluari valeat, atque viuere. Forte magiſter in Iſrael ſcit oratoris periti partes agere, atque officia, vt perſuadeat venire, quem turbæ detinent, & ſaluare, quam de propinquo mors inuadit.

Et deprecabatur eum multum. Multùm hoc loco aduerbialiter captum, non tàm longiuſculam precem, quam affectũ ardentem notat: is enim in oratione ante omnia quæritur. Hinc orans dixit: Concaluit *Pſal.38.*
cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcet ignis. Nam vt motus nullus eſt, qui è mortuis procedit membris, neque ſcirpus creſcit humore deſtitutus; neque Ezechielis currus agitatur, niſi quandiu ſpi- *Ezech.10.*
ritus vitæ rotas occupat: Sic nec quidem labiorum motus æſtimabitur apud Deum, ſi frigeſcat animus, nec in cælum aſcendet oratio, quæ ſuffito velut humore careat. Quid? neque curret viam mandatorũ Dei, neque perficiet in domo Domini, quia non Quomodo
habet ſubleuantem ſe, confirmari ſpiritu fit orandum.
principali non didicit, & inflammari, ſiquidem & Moyſes oraturus intra caliginem *Exod 19*
ignitam, & fumigantem intrat: ſed et pueri, *Dan 3.*
nonne in medio ignis orant, cantant, & ambulant. Animus ergo, qui charitatis igne inuoluitur, hic multũ deprecatur, & breui oratione multa, & omnia, quæ ritè poſtulat, aſſequitur, vt ille Ioannes, quem Metaphraſtes in vita Abbatis Simeonis refert, cum traheretur ad iniuſtũ mortis ſuppliciũ tantum oraſſe. Deus adſis mihi in hac hora, quin etiam tacendo animus ardens, vt globum igneũ ſupra ſeipſum orantem excitauit, Abbas Simeon, ita meruit orans amicum liberare. Qui ſic ſolitus eſt orare, multũ quoq. deprecatur, hoc eſt, prolixè, & infracto animo, vt de Oſualdo Anglorũ Rege ſcribit Beda l.3. hiſt. Eccl. Anglicæ gẽtis, quod ob crebrũ morẽ orandi, ſiuè gratias agendi Dño, ſemper vbicũq. ſederet, ſupinas ſuper genua ſua manus habere ſolitus ſit, vulgatũ eſt hoc & in conſuetudinẽ prouerbij verſum, quod inter verba orationis vitã finierit. Hæc tamen oratio multa & aſſidua, ardentẽ poſtulant, quia coruus, camelus, & ceruus naturæ calidiſſimæ vitã diuturniorẽ cæteris ducũt.

Dicens

Digitized by Google

Pſal 109. *Pſal. 115.* *S. Thom.* *De conſ. d. 5 conuenit.*

Dicens. Vt enim in Scripturis dupliciter capitur pro mentali dicere, vt: Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis. Er ego dixi in exceſſu meo omnis homo mendax. Necnon pro vocali: Dic regi, & dominatrici, dic ſomnium ſeruis tuis; ita oratio, quæ nihil eſt præter dictionem, vna eſt vocalis, & alia mentalis conſtituitur. Hæc quidem ſimpliciter neceſſaria, illa iuxtà ſtatum, vel, vt inquit S. Thom. in 4. d. 15. q. 4. horæ canonicæ Eccleſiaſticis ſunt in præcepto, minimè alijs de conſecrat. d. 5. conuenit. 92 diſt. C. vlt. vndè clericus non dicens voce officium diuinum, deponi iubetur.

Chryſoſt. *Plin.* *Val. Max.* *Matt 25.* *Ioan. 7.* Filia in extremis, anima in peccato. *Tren. 1.* *Habac. 3.*

Quoniam filia mea in extremis eſt. Et quidem (notat Chryſoſt.) Matth. narrat Archiſynagogum puellam mortuam nunciaſſe; Marcus verò grauiter infirmatam, ſed poſtmodum Archiſynagogo, cum quo Dominus ire debebat, nunciatum fuiſſe puellam mortuam eſſe. Statum ergo filiæ explicar, quam reliquerat, videlicet extremum. Et extremus vitæ ſtatus eſt, ne dicam morbus, cuius finem homo neſcit, ſed ipſa corporis ſanitas, cum ignoret homo quid mox ſibi accidat. Nam omitto veneficam artem, quæ Claudium Romanũ, Zimiſcem Conſtantinopolitanum Imperatorem ſuſtulit. Quot intercipit ſubita mors? Nullis euidentibus cauſis, ait Plin. lib. 7. cap. 53. obiere, dum calciantur matutino duo Cæſares, & Sofocles vuæ acinum comedens ſpirauit, ſecundum Valerium Max. ſed ex noſtris, omnis ſexus, ætatis, ſtatus audiui, & vidi inopinata, & infauſta morte perijſſe, quando pleroſque vitæ annos, falſæ parcæ, atque fatales videbantur eis promittere. Quare vigilate ò mortales, quia neſcitis diem, neque horam, quando finem accipiant veſtra extrema, ſiquidem tempus veſtrum ſemper eſt paratum. Eſt quoque *filia in extremis*, quando anima ſub peccato degit, depoſita eſt enim vehementer, non habens conſolatorem; non Deum, quem ad iracundiam prouocauit, non hominem, cuius ſocietatem ſpreuit, non Angelum, à cuius monitis receſſit, neque ſeipſum, quem deſtruxit, deformauit, & ad nihilum valdè redegit, quare in extremis peccator eſt à Deo, vt nihil ſibi iam præter infernum reſtet. Iam vox flagelli, & vox impetus rotæ, & equi frementis, & quadrigæ feruentis, & equitis aſcendentis ſupplicium extremum comminantur. Hoc eſt furiæ infernales iam in eum fremunt. Hoc vnicum ſolatij genus, & ſpes conceditur, ad Dominum clamare, & inuocare Chriſtum, quia Deus adiutor noſter in æternum.

Theophyl. *Baruch. 3.* *Ioan. 14.*

Veni. Hoc dixit, vel paſſione turbatus, vel fide minoratus, aut certè ſubleuatus; fidelis enim erat (ait Theophylact.) eo quod procidebat ad pedes Ieſu; ſed quia & obſecrabat, vt veniat, non quantum oportebat fidem præſeferebat; debebat enim dicere, dic verbo, & hoc quidem affari poterant patres, nihilominus, dum anguſtiarentur, non dic, ſed veni, dictitabant; oſtende faciem tuam, & veni: veni, & noli tardare. Latebat enim in verbo, veni, deſcende, ſurge, & ſimilibus, myſterium Incarnationis futuræ, ſecundum quam viſus eſt Deus in terris, & cum hominibus conuerſatus eſt. Saluare quidem poterat Deus verbo, dic, quo & creauerat cuncta (dixit, & facta ſunt) ac noluit niſi per veni, quia qui venit, ſedat, Deus autem, cui confert ſalutem, ſedat per gratiam, iuxtà illud: Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Ergo vt non tàm corpori ſanitatem, quàm animæ ſalutis donum videretur filiæ appetere; non ait, dic, ſed, *veni*. Quare tantum abeſt ab improperio huius precatio, vt omnem laudem mereatur, & precator dicendus ſit fidelis, plena fide oratio, quæ Dei montes, ac myſteria abſcondita penetrat.

Manus deſignat opus. *Pſal 79.* *Iſai. 1.*

Impone manus ſuper eam. Non ait manum, ſed manus. Eſt autem manus ipſum opus iuxtà illud: Fiat manus tua ſuper virum dexteræ tuæ. Hoc eſt, iuſto tua opera, ac dona communica. Manus veſtræ ſanguine plenæ ſunt; hoc eſt, veſtra opera doloſitate, & fraude maculantur. Opera autem Chriſti non diuiſim; ſed coniunctim efficiunt ſalutem: Nam, vt aliqui Doctores deponunt, vnica actio reputatur, quæcumque Chriſtus geſſit; vndè non operatur natiuitas abſque morte, neque reſurrectio iuſtificat, quin ad iuſtificationẽ reliquæ actiones concurrant. Quare nihil pulchrius, neque ſubtilius dici poterat, quàm *impone manus ſuper eam*, ac ſi diceret merita cuncta, & opera tua applica morienti, & viuet.

Et ſalua ſit, & viuat. Salua ab infirmitate, quam patitur, & viuat feliciter. Optimi parentis eſt hæc nato quærere; ſalutem optare ſolam, etiam beſtiarum eſt; ſalus verò, quæ ad vitam animæ perpetuam ordinetur, fidelium eſt, atque hominum, qui vitam alteram præſtantiorem appetunt, & expectant.

CAPVT XXIV.

Et abijt cum illo, & ſequebatur eum turba multa, & comprimebant eum.

Expoſitio.

EXcuſat ſe minimè, tametſi Rex Regum, neque accuſat infidelitatem eius, qui videbatur credere potentiam eius, nihil ad ea, quæ abſunt, poſſe; ſed humili, ac deuoto contenẽt, ad domum eius properat, ac humilem Chriſtum ſequitur gloria

ſequen-

Digitized by Google

ſequentium,qui non valentes eum tetinere properè ſequuntur, tantoque cum impetu, vt videretur comprimi, qui vniuerſa ſubijcit,& ſtatuit ſcabellum ſuorum pedum, ac pauimentum ſmaragdinum, ſupra quod filius hominis ambulet.

Et abijt cum illo. Quia voluntatem timentium ſe facit, & deprecationem eorum exaudit. An non pater? Mirum ergo videri non debet, ſi quem diligit filium ſequatur,& quo exorat paruulus,& digito oſtendit, adhuc elinguis, ceu balbutiens,properet parens, vt complaceat, cui gaudij locũ præparat. Ego,inquit ante te ibo,& Angelus meus præcedet te. Quis ergò eſt homo,qui timet Dominum? legẽ ſtatuit ei in via,quam elegit. Anima eius in bonis demorabitur, & ſemen eius hæreditabit terram. Firmamentum eſt Dominus timentibus eum, & teſtamentum ipſius,vt manifeſtetur illis. Vndè Petro, quem per Crucis triumphum ordinarat ad ſe redire,occurrit dicens: Romam redeo,vt iterum crucifigar, tu autem Romam reuertere.Quod haud ſegnis tanto Duce fecit. Sed & Magdalenam allexit ſolitudo diuturna ſecum in omnibus habere Chriſtum; quoad vixi (inquit ad Eliam eremitam) centies,ac decies me in ſpelunca pro ſua pietate viſitauit. Et quidem cum pijs omnibus abit, & cum expedir,ſeipſum manifeſtat. Igitur, qui timetis Dominũ,laudate eum, quia fecit vobiſcum miſericordiam ſuam, & in cunctis itineribus veſtris adeſt comes peregrinationis veſtræ,& ſolamen.

Pſal.144. Iſai 41. Exod 23. Pſal.24. Pſal.21. Iob 12.

Et ſequebatur eum turba multa. Nam ſi quem cernit populi multitudo habere Chriſtum, & in cunctis, quæ agit virtutem eius,ac opera conſpici, ad Ducis ſequelam excitatur. Et quidem ideò, vel cum Paulo, & Barnaba abijt in Arabiam; cum Lazaro ad Galliam; cum Bernardo ad Claraualem; cum Patre eius Benedicto ad Montem Caſſinum; & vt cum noſtro Franciſco concludam, ad Mariam Angelorum; hoc eſt,ad inſtituta, quæ his, atque Sanctis alijs demandat, eoſque per illa efficit opere, & ſermone mirabiles,vt talibus ducibus multitudinem eorum, qui viuunt in ſæculo ſegnitet, & indecenter, ad ſe trahant, & ſequantur Deum, qui in Sanctis ſuis mirabilis appatet. Etenim hi mirabiliter conſecuti itet, Duces belli Chriſti fiunt,caſtra exterorum euertũt,& Gabaonitas præ timore, & amote Deo excelſo ſeruite compellunt. Videmus enim ſub vnoquoque ſimilium patrum congregatam multitudinem, vt ſequatur,& profiteatur Chriſtum, quem primi ſequuti ſunt Pattes, quorum memoria obliuionem non accipiet. Quia cum ipſis permanent bona,& hæreditas: quin etiam ſecum perpetuò Chriſtum, quem toto corde dilexerunt,retinent,conſeruant,& poſſident.Quod ſi nos, qui de turba ſumus, aduertemus, forſitan audacius multo,quàm præſens turba,Chriſtum ſequeremur. Ecquis eſt iſte, vt applicet cor ſuum, vt appropinquet mihi,ait Dominus? Et eritis mihi in populum, & ego vobis in Deum.

Sequela Chriſti, & ſeruorũ eius. Pſal.67. Heb.11. Ioſue 9. Eccl.44. Iſai 40.

Et comprimebant eum. Cum ad puellam ſanandam vadit (ait Gloſſa) à turba comprimitur: quia Iudæis ſalutis monita præbens, quibus ægram conſcientiam exigeret,noxia carnalium populorum conſuetudine grauatus eſt. Facta ſunt, inquit, mihi moleſta,laboraui ſuſtinens, quia manifeſta ſunt opera carnis, & quàm horrendus ſit earum fœtor,nomina indicant, ſunt enim: Fornicatio,immunditia, impudicitia,luxutia, idolorum ſeruitus, veneficia,inimicitiæ,contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſentiones, ſectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates,commeſſationes, & his ſimilia, quæ non ſolum Cananæos, Iebuſæos, Ægyptios,atque Arabas oriuntur;ſed hæreditatem Domini vexare,& polluere templum eius, atque ſanctum Domini abominabile conantur efficere. Quid? & comprimere Dominũ.Etenim operibus carnis Antichriſtus ille, cuius idolum geſſit Lutherus, iuge ſacrificium, quod Chriſtus eſt,calcare, & ceſſare faciet peccatis hominum exigentibus, ſanctos infici, & diuina omnia immunditijs ſimilibus profanari per miniſtros,quos præmittit in dies,conatur.Adeò, vt qui mores hominum attentè conſiderat, & ad ea loca, quæ olim ſequebantur Chriſtũ, oculos tranſmittit,flens cantabit:Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum,poſuerunt Ieruſalem in pomorum cuſtodiam, & quod ſequitur: Excita potentiam tuam, & veni,vt ſaluos facias nos.

Iſaia.1. Gal.5. Opera carnis. Pſal.78. Pſal.79.

CAPVT XXV.

Et mulier, quæ erat in profluuio ſanguinis annis duodecim.

Non vir ſolum, ſed & mulier ingemiſcit,ille pro filia; hæc in ſeipſam grauedinem morbi ſentit. Exanguis enim tantorum annorum, vtpotè duodecim profluuio ſanguinis effecta, & paupertatem extremam expectat, & vitæ obitum, niſi vitæ auctor occurrerit.

Expoſitio.

Et mulier. Sequitur poſt virum, vt ſocij culpæ,pœnam doloris vtetque ſentiat. Præmittitur tamen viri afflictio, quam filiæ labor extremus inferebat patri,quoniam & ſi primo Eua deliquerit, Adæ peccatũ cœpit primo imputari poſteris. Nam Adam non peccante,mala hæc nunquam ad filios deueniſſent; ſunt enim effectus peccati originalis, quod pater communicat, non mater,

quia

Rom 1. *S. Thom.*

quia per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit. Hoc eſt, inquit S. Thom. 1.2.q.81.art.5. peccatum originale à primo parente traducitur, inquantum ipſe mouet ad generationam natorum. Vndè dictum eſt, quod ſi materialiter tantum aliquis ex carne humana, abſque ſemine humano generaretur, originale peccatum non contraheret. Manifeſtum eſt autem ſecundum doctrinam philoſophorum, quod principiũ actiuum in generatione eſt à patre, materiam autem mater miniſtrat, vndè peccatũ originale non contrahitur à matre, ſed à patre, & ſecundum hoc, ſi Adam, peccante Eua, non peccaſſet, filij originale peccatum non contraherent; è conuerſo autem eſſet ſi Adam peccaſſet, & Eua non, optimè ergo introducitur prius Archiſynagogi anguſtia, quam mulieris. Hæc enim mihi hoc loco Euam repræſentat, ille typum Adæ videtur gerere.

Peccatũ Adę infecit poſteros.

Quæ erat in profluuio ſanguinis. Et ſi è naribus, atque venis, & virilitate hominis ſanguis nonnunquam fluat, cum de profluuio ſanguinis in muliere agitur; intelligitur ſemper, qui ſingulis menſibus accidit ſexui, necnon cauſis occurrentibus, atque morbis cõtingit diebus ſingulis, & aliquando continuò, ac ſoli mulieri ſecundum plurimum. Hæc igitur ſanguinis fluxum patitur, vt à morbo corporeo, quem patitur, Euæ typum gerens, ad incorporeos etiam, quos eius vterus hominibus procreat, veniamus: Similes enim ſunt fontibus aquæ. Ebullit ſanguinem mulier, & ex ſanguine corpus adaptat homini, ac viliſſimo omniũ. Quid ergo homo? repletur miſerijs: Et cur non ſanguinibus, qui è profluuio ſanguinis menſtrui ortum habet? Equidem miſerias, quibus corpus labefactatur, & quæ animam vermiculant, vt coccinum, ſanguines vocitat oraculum: Libera me de ſanguinibus, Deus, Deus ſalutis meæ, & exultabit lingua mea iuſtitiam tuam. Hoc eſt, à miſerijs carnis, & paſſionibus, vt potitus quiete, liberius vota ſoluam. Et ſanguis ſanguinem tetigit; hoc eſt, peccatum peccato connectitur. Initiantur tamen omnia in vtero; quia in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea. Tantorum ergo malorum origo, & mulier profluuiũ ſanguinis inter animalia, ſola patitur, vt ſigno oſtendat, quæ per eam homo hæreditat.

Phi. l. 7. c. 15. *Pſal. 50.* *Oſea 4.*

Sola mulier profluuio ſubiacet, & quare?

Annis duodecim. Notandum (ſcribit Zacharias Chryſopolytanus lib. 2. cap. 60.) quia mulier duodecim annis ſanguine fluxerat, & Archiſynagogi filia duodecim annis erat, ideſt, quando hæc nata fuit, illa infirmari cœpit: Vna enim penè, eademque ſæculi ætate, & Synagoga in Patriarchis naſci, & gentes cœperunt idolatriæ proſtitutione, & carnis oblectatione latè per orbem fœdari. Nam regnante Abraham, cœperunt Chaldæi (vt deponit Beroſus) ignem colere. Iſaac, qui religionem patris complexus eſt, vixit cum Iſmael, qui ſtatuas idolorum fingebat. Iacob quoque, qui ampliauit ſacrum cultum, vterinus frater extitit Eſau, qui mulierum vaniſſimas numinum cærimonias ſequutus eſt. Denique quando in agmina creuit Iſrael; pugnare pro Dijs cœperunt Gog, & Magog, omniſque gentium impietas contra Deum verum arma ſumpſit, cultoreſque eius delere ſtatuit. Dixerunt enim: Venite, & diſperdamus eos de gente, & non memoretur nomen Iſrael vltrà. Quoniam cogitauerunt vnanimiter: ſimul aduerſus te teſtamentum diſpoſuerunt. Omnes principes eorum, hoc eſt dæmoniorum, qui dixerunt hæreditate poſſideamus ſanctuarium Dei, ideſt, ex naturalibus, & propria virtute, abſque meritis alterius, & vt expouit S. Thom. cum Lucifer ſimilis Deo altiſsimo eſſe voluit. Hoc eſt, vt Deus nullius ope, ac merito beatificari.

Zacharias Chryſop. *Beroſus.* *Pſal. 82.* *S. Thom.*

CAPVT XXVI.

Et fuerat multa perpeſſa à compluribus medicis, & erogauerat omnia ſua, nec quicquam profecerat, ſed magis deterius habebat.

Expoſitio.

AD quantam miſeriam ob diuturnum morbum redacta fuiſſet mulier, proponitur. In primis enim multiplicitate antidotum, quæ ſibi à medicis adhibebantur, vehementer fuit vexata. Secundo in ſoluendis medicis, & medicamentis, cuncta bona erogauerat, quodque peius, fruſtra, quandoquidem continuo morbus inualeſcebat, vt nullum ſalutis remedium videretur ſupereſſe, ſed mors, quæ omnia abſumit.

Et fuerat multa perpeſſa à compluribus medicis. Horum enim fraudes, ait Plin. lib. 24. cap. 1. & ingeniorum, capturæ officinas inuenere iſtas, in quibus ſua cuique homini venalis promittitur vita. Nihilominus, qui rectius de rebus iudicat protulit. A Deo eſt omnis medela, & à Rege accipiet donationem. Diſciplina medici exaltabit caput illius, & in conſpectu magnatorum collaudabitur. Altiſsimus de terra creauit medicamenta, & vir prudens nõ abhorrebit illam; ſed & hoc idem nouit ipſe Plin. dicens lib. 29. cap. 1. Dijs primum inuentores ſuos aſsignauit, ſcilicet natura, & cælo dicauit. Necnon, & hodie multifariam ab oraculis medicina petitur. Veritatem tamen ſub errore Deorum texnit. Igitur medicina à Deo eſt, quod in applicatione eius aberrent medici, humanum eſt, quia mendaces filij hominum in ſtateris.

Plin. *Eccl. 38.* *Plin.* *Pſal. 61.*

Et ero-

Digitized by Google

Et erogauerat omnia ſua. Vt priſtinam corporis valetudinem aſſequeretur. Etenim liberaliores ſunt homines, vel in tuenda, vel in repetenda carnis ſanitate, quàm ad curandum ea, quæ animum excolunt, perficiunt, & illuſtrant. In his auariſſimi ſupra modum ſumus omnes, & auaritia hæc in capite omnium; neque cilicio carnem, neque exercitijs oſſa, neque corpora pœnitentiæ, ac partibus eius liberè damus: nunc

Prou. 26.

leonem in via timemus, ne vigilantes nos obruat; nunc horremus in nuditate frigus ſuſtinere; omitto pecuniæ auaritiam, quæ modum excedit. Animam quidem optamus omnes lucrari; ſed vel ieiunio dapibus abũdante, & ferculis duplicatis; vel oboli eleemoſyna; aut apparente potius deuotione, & prece oramus Domine, Domine, tanta breuitate, vt idem videatur initium, atque finis. Si nos tamen contingat externa negociare, horas, dies, & annos in loquendo expendimus; ſi autem corpus requirat à nobis delicias ad ſatietatẽ, & nauſeam petenti acquieſcimus. Nec eſt, qui carni oblectans non doleat ſibi deeſſe redundantiam eius, qui eructabat: vadam, & affluam delicijs, & fruar bonis. Poſtea autem quid? cum morietur homo hæreditabit ſerpentes, & beſtias, & vermes, atque vtinam ſolum in carne. Proh dolor! erogatis omnibus inter inferni gigantes mærens ſedebit, ſuſtinens onus deſerti maris, vbi dæmon, qui depopulator eſt, vaſtat, & non ſit ſpes dicendi: Pater peccaui in cælum, & coram te, iam non ſum indignus vocari filius tuus. Quoniam omni ex parte filius homicidæ factus eſt, pauper, nudus, miſer, & miſerabilis.

Negligentia hominum in procuranda ſalute animæ.

Eccl. 2.

Luc. 15.

Apoc. 3.

Nec quicquam profecerat. Inter tot, tantoſque medicos conſtituta. Nec vnquam gentilitas profecit, quamdiu ſuos medicos conſuluit. Medicos dicit (ait Zacharias) ſiue falſos Theologos, ſiue Philoſophos, legumque ſæcularium Doctores, qui multa de virtutibus promittebant; ſed nullum remedium animabus conferebant; ſpiritus etiam immundos ſignificat, qui ingerebant ſe colendos pro Dijs, quaſi conſulendo hominibus, vt Diana Epheſis, Faunus Archadijs, Iano Carthaginenſibus, & Pan Romanis, cui & Pantheon adhuc extans templum celebre dicarũt; quid tamen à ſuis Dijs idolatræ acceperint, monumenta, quorum ruinæ, quæ inuiſuntur Romæ, demonſtrant. Nec quidem antiquorũ barbariem vincere potuerunt Plato, & Socrates philoſophantes Athenis, neque apud Indos Gymnoſophiſtæ; quinimo ſuperſtitionem in Ægypto adauxit ſapiens ille Bocchoreus Dynaſtes; & Scythas quis in cultu fecit plus ſcythizare, quàm Zamolſis? Denique prius illis temporibus, atque gentibus ſtultus factus eſt omnis homo, à ſcientia confuſus eſt artifex omnis in ſculptili, quoniam falſum eſt, quod conflauit, & non eſt ſpiritus in eis. Vana ſunt, & opus riſu dignum, in tempore viſitationis ſuæ peribunt. Non eſt his ſimilis pars Iacob, qui enim formauit omnia, ipſe eſt, & Iſrael virga hæreditas eius, Dominus exercituum nomen illi, qui ingratis Iudæis à ſe actis, ad nos, qui gentilitati ſuccedimus ſe tranſtulit, & opprobrium profluuij ſanguinis abſtulit.

Zachar.

Ier. 10.

Sed magis deterius habebat. Vt coniector, non ad gentes, ſed ad Iudæos quoque, & omne hominum genus, iſta deterioritas fertur. Quoniam ſi annales conſulimus in vaniſsimo cultu gentes deterius ſemper ſe habuerunt, adeò vt non tàm homines aliqua peritia excellentes ſacris honorarent, ac templis, vt Bacchum à vini inuentione, Cererem à frugibus, Æſculapium à medicina, & alios ab alijs inuentis. Verum etiam inanimes ſubſtãtias diuinis honoribus proſequebantur inſenſati homines, vt ſolem, lunam, & ſigna cæli. Quid? Nonne accidentibus diuinum numen tribuere? febrem, fortunam, honorem, virtutem, ac ſimilia, quæ tum hominibus, tum alijs accidunt, deificabant. Adeò vt circà Chriſti tempora, mundi Princeps Roma millenaria Deorum ſub ſuo cultu, & in vno Pantheon, reuereri gloriaretur. Quid, quod Sen. Conſ. in Deum aliquis recipiebatur, aut vt indignus à Deorum numero pellebatur, poteſtne deterius hoc in genere excogitari? Ideò dicta eſt mundi metropolis Roma, Ciuitas vanitatis, cuius ciues iniquitatem traxerunt in funiculis vanitatis. Deterioritates Hebrææ gentis, eamque in peius debacchaſſe, ſacræ atteſtantur hiſtoriæ, & quandoque diſertis verbis, & aliquando ſub enigmate duarum ſororum, Oliba, & Olibama, atque alijs, prophetæ inſinuant. Adeò vt vnus eorum concludat: Veni, vocaui, & non erat, qui reſponderet, abalienati ſunt retrorſum. Nec hanc deterioritatẽ Euangeliſta retinuit, dũ peſsimos principes retulit, quando Deus Ioannem præmiſit ante Chriſtum. Denique totius naturæ humanæ deterioritatem ſignificant, tum vitæ eius decurſus, qui ab Adam, vſque ad Chriſtum in peius ſemper declinarunt (vt neque lex naturæ valeret ſuo lumine cæcitatem hominum illuſtrare; neque lex ſcripta debacchantes, & petulantes animos detinere, quin ad enormia, & inexcogitata vitia, vel in toto, vel in parte declinarent, deformarentque facies ſuas ſuper carbones) tum oracula ipſa; quæ clamant: Non eſt, qui faciat bonum. Non eſt ſcientia Dei in terra. Et ſimilia, quibus deterioritas magis, ac magis totius generationis humanæ aperitur, quouſque venit potens, qui impotentiam naturæ erexit, & roboratus eſt, diffuſis gratijs, & pronitatem ad vitia mitigauit conferens ſacramenta, & inuentorem malorum dæmonium debellauit.

Vanitas Gẽtium.

Corruptio hominum vſque ad aduentũ Chriſti;

Iſai. 5.

Ezech. 23.

Iſai. 1.

Luc. 3.

Tren. 4.

Pſal. 13.

Oſee 4.

Theophyl. lauit. Ad hoc Theophylact. Intelligas, inquit, hæc etiam de humana natura, quæ ſanguinis profluuio laborat. Scaturit enim in ea peccatum, quod mors eſt animæ, & ſanguinem animæ noſtræ effundit. A multis enim medicis, hoc eſt, ſapientibus huius mundi; ſed & à lege, & Prophetis, non potuit curari; tetigit autem veſtem Chriſti, hoc eſt carnem eius, & ſanata eſt, qui credit enim eſſe incarnatum Deum is eſt, qui tangit veſtem eius.

CAPVT XXVII.

Cum audiſſet de Ieſu, venit in turba retro, & tetigit veſtimentum eius.

Expoſitio. Itaque, quæ in deterius ſemper abijt, nec artificio medicinæ curari potuit, excogitat nouum medicandi genus, quod mortalium mentibus non dum occurrerat, neque Hypocrates, aut Apollo de eo ſcripſerāt; vt, ſcilicet, tactu veſtimenti lanifici curationem aggrediatur; quare cum medicinam ratio probaret, atque deuotio, nulli ſalubre conſilium communicans, proprius ad Chriſtum accedit, dumque omnes ab eius ore penderent, proſpicerentque in faciem eius deſiderabilē, illa nullo, vt opinabatur, vidente, manū ad Chriſti ſacrum veſtimentum extendit, & omni deuotione illud contractat, tangit, & quantum ei licuit in medio comprimentis turbæ exoſculatur.

Cum audiſſet de Ieſu. Quæ, ſcilicet in regione Decapoleos fecerat, & in locis alijs, ſpem ſalutis concipit, & ſperat firmiter, ſolius Chriſti ope, & adiutorio ad priſtinam corporis valetudinem redire. Nec huic mulieri ſolum, ſed omni alij, qui aures audiendi habet, audire, quæ de Ieſu enarrantur, fidem facit Chriſtum omnia poſſe; vt qui liberator, & ſaluator; cuncta communicari per eum, quia ſcit omnia; & in ipſo vniuerſa poſſideri, quia per ipſum, & cum ipſo, & in ipſo ſunt omnia, in quo inhabitat plenitudo diuinitatis. Audite ergo, inquit, qui longè eſtis, quæ fecerim, & cognoſcite vicini fortitudinem meam.

Rom. 11.

Iſai. 33.

Venit in turba retrò. Hoc eſt cum turba, quæ impetu ferebatur ad Chriſtum, ſecumque mulierem, tum morbo, tum ætate attenuatam trahebat. Veniens autem non antè; ſed *retrò* acceſſit, non tàm pudore muliebri, quàm humilitate animi ducta. Vtramq; virtutē illi concilianerat infirmitas, & neceſſitas extrema. Tunc, inquit, percuſſus: Humiliata eſt in puluere anima, mea cōglutinatus eſt in terra vēter meus. Quid? Leonē ferocē, elephantē ſyluestrē, & vagam aquilā humiliat plaga. Hinc oraculū humiliatus eſt Iſrael in conſpectu Dei, ſiquidē afflicti, vulnerati, & percuſſi, diluculo veniebāt ad eū; hoc eſt enim humiliari in cōſpectu Dei, ad Deū currere, petere ab eo veniā, lachrymari, & dolere; in conſpectu hominum, ſeu coram hominibus humiliari, eſt ſolùm ab hominibus iugum impoſitum ferre inuito, & indomito animo, vt Madian, qui humiliatus dicitur coram filijs Iſrael; ſimiliter Amon, & Philiſtæi, qui ſic in labore, & ærumna humiliantur, tantum à fructu abſunt, vt pœnam duplam accipiant. Vndè dicitur: Fac illis ſicut Madian, & Siſaræ, ſicut Iabin in torrente Ciſſon. Perierunt in Endor, facti ſunt, vt ſtercus terræ, quod omni tranſeunti patet, ſic hi vitijs, tandemque dæmonijs, ac pœnis inferni. Diſcamus ergo humiliari coram Domino, hoc eſt corde integro, ac *retrò* Chriſtum ſtare indignos reputari ſuis ſauoribus, quia ſuperbis Deus reſiſtit, humilibus autem dat gratiā. Acceſſit quoque *retro* Eccleſia (ait Zacharias). idest per fidem appropinquauit ad Chriſtum. *Retro* autem dicitur ſiue iuxtà id, quod ipſe ait, ſi quis mihi miniſtrat, me ſequatur, & alibi præcipitur. Poſt Dominum Deum tuum ambulabis; ſiue quia præſentem in carne Dominum non videns per fidem cœpit eius veſtigia ſubſequi; & tactu, ideſt, participatione ſacramentorum eius meruit ſanari à peccatis.

Pſal. 43.

Humilitas, & fides Hemoroyſſę.

Iud. 6.

Pſal. 77.

Iud. 8.

Pſal. 82.

Iacob. 4.

Zachar.

Ioan. 12.

Et tetigit veſtimentum eius. Chriſti veſtimentum ſi altius ſpeculamur, non ſacramenta ſolum, aut carnem, ſed virtutem omnem infuſam, & habitum dicimus ſpiritualem, quo ab inſtanti conceptionis repletus creditur, vt in eo profectum non fecerit, ſed tantum viſus eſt alijs proficere. Hac enim veſte cuncta geſſit, & potuit vulnera noſtra ſanare, & curare infirmitatem, & ignominioſam nuditatem operire. Hinc concentor cecinit: Dominus regnauit, decorem indutus eſt, indutus eſt Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe virtute. Etenim firmauit orbem terræ, qui non commouebitur. Neque enim portæ inferi præualebunt aduerſus Eccleſiam, quæ fundata eſt, non ſupra arenam, ſed ſupra firmam petram. Atqui hoc neque noſtra, neque priorum merita, illi obtinuit; ſed veſtimentum decoris, quo ſe Rex Regum in anima aſſumptæ humanitatis induit. Siquidem virtus infuſa, quæ mox candidi veſtimenti mentem, voluntatem, & totam animæ eſſentiā, quaſi podere ſacerdotali, deaurata veſte ſponſæ, & operimento aureo totius tabernaculi, atque arte, & vtenſilium miruminmodum ſublimat, & nedum hominibus, ſed Angelis Chriſtum facit ſuperiorem, & caput ſupra omnem Eccleſiam. Eadem ipſa eſt, quæ fortem produxit Chriſtum, vt Rinocerotem, & in omni genere paleſtræ, atque artis inſuperabilem ſe exhibuit à die quando præcinxit ſe virtute; hoc eſt, humanitatem virtute, & gratia omni decoratam ſibi vniuit. Iam tunc, in illo primo inſtanti conceptionis, fortis factus in

Pſal. 92.

Matt. 16.

Quid ſit veſtimentum Chriſti.

prælio,

prælio, tulit ſpolia Damaſci, & manum
Iſai.11. miſit ad foramen aſpidis; hoc eſt, peccatum diaboli receptaculum ſoluit, & deſtruxit vim eius, & ablegato hoſte, animas libera-
Pſal.92. uit. Proindè ſubiecit Pſaltes: Parata ſedes tua ex tunc à ſæculo tu es; ac ſi diceret. Et ſi à ſæculo æterno Deus ſis, ſedes tua firma, & ſtabilis, in qua apud homines homo ſederes regnans, & imperans, ex tunc cœpit, factus homo, poſſeſſor creaturæ Dei, & tyranni debellator. Hoc igitur veſtimentum tetigit pia mulier, dum virtutẽ Chriſti, humilitatem, deuotionem, & patientiam imitabatur. Quique Chriſti æmulator exiſtit, toties veſtimentum eius tangit, quoties virtutis opus exercet, præſertimque manſuetudinem, & humilitatem, quibus mulier iſta acceſſit ornata, obtinuerit. Dixit enim:
Matt. 11. Diſcite à me, quia mitis ſũ, & humilis corde. Is, qui ſeipſum ornauerit, decantabit:
Iſai.61. Gaudens gaudebo in Domino, quia induit me veſtimentum ſalutis.

CAPVT XXVIII.

Dicebat enim; quia ſi vel veſtimentum eius tetigero, ſalua ero.

Expoſitio. VT enim indigentia naturæ, quæ vel ſitim patitur, vel famem, dormientem cogit, epulas, ac fontium delicias ſomniare; ita egeſtas, & morbi grauitas, quæ mulierem occupabat, compellebat cogitare iugiter de remedio, ac demum auditis, quæ de Ieſu ferebantur, intra ſeipſam dicere: Ec quis mihi tribuat, vt poſſim ad eum, accedere, cuius fama peruolat, & virtus ad ſanandum eſt efficax? quis mihi det tam ſingulare beneficium, vt videre poſsim hominem deſideratiſsimum? aut quis me infirmam, & ægram deducet ad eum, vt veſtigia tanti viri deoſculer, & veſtimenti eius fimbriam ſummitate ſaltem digitorum tangam? Niſi enim ſpes me fallat, quod mihi perſuadere non poſſum; confido ad tactum ſimplicem veſtium eius ſaluam fore. Nam qui voci tantam vim confert, vt dæmones à longe ſtantes pellat, ac morbos, poterit, & veſtimento, quo admirabile corpus operitur vim ad ſanandum conferre; & quidem credo, ac iuxtà fidem accedo. Sed quid moror tangere?

Dicebat enim. Non quidem à ſeipſa, ſed ab eo, qui dat velle, & perficere, qui intellectũ dat paruulis, & illuminat oculos mentis, vt cognoſcat omnia; meliora probet, & quod bonum eſt ſequatur, Ab eo eſt datum optimum, & donum perfectum; ſapientiam filijs inſpirat, & inſpiratos facit ſancta lo-
Iob 32. qui, & proponere; quia inſpiratio omnipotentis dat intelligentiam. Diuini itaque
Cõc. Arauſican. eſt muneris (inferunt Patres Concilij Arauſicani 2. 2. 9.) cum & rectè cogitamus, & pedes noſtros à falſitate, & iuſtitia tenemus:
Quoties enim bona agimus, Deus in nobis, *Deus in nobis operatur, vt operemur*
atque nobiſcum, vt operemur, operatur. Nemo habet de ſuo (ſubdit cap. 22.) niſi mendacium, & peccatum. Si quis autem habet homo veritatem, atque iuſtitiam, ab illo fonte eſt, quem debemus ſitire in hoc eremo, vt ex eo, quaſi guttis quibuſdam irrorati non deficiamus in via. Irrorata igitur mulier cælitus, *dicebat* intra ſeipſam

Quia ſi veſtimentum eius tetigero. Conditionata vtitur locutione *ſi tetigero.* Nam humilitas vna ex parte, & ex altera infirmitas horrenda inter timorem, & ſpem eius animũ detinebat. Ac omnis, qui peccatum ſuũ enorme contrà ſeipsũ agnoſcit ſemper, clamare audit eius ſanguinem in tot ſceleribus; quin in vno, quando & in minimo mortali; in cælum omnium Angelorum, & hominum, & continentem creaturam omnem, ac coram Deo peccamus, præſentimus miſeri, tametſi nos confirmet miſericordia Dei, & eius benignitas confidentes faciat, & ſperantes, nihilominus conditionatè præ timore, & humilitate, quam Deus infundit, & peccati memoria auget; dicimus *ſi tetigero,* ſi ſalutis antidota plenè fuero aſſecutus, ſi pœnitentiam, vt oportet, expleuero; ſi ieiunia mihi proderint, ſi eleemoſynæ debitum effectum fuerint ſortitæ, & ſi cultus, quem Deo exhibeo, conſcientiam expiabit.
Verumtamen propè timentes eum ſalutare *Pſal.83.*
ipſius.

Salua ero. In græco eſt σωθήσομαι, pro quo Pagninus vertit *ſeruabor*, vt habet etiam Syriaca tranſlatio, qua notatur ſalutem continuari per Chriſtum; vt per Vulgatam haberi. Nam *ſalua ero* habitudinem ſalutis importat, ſaluabor continuationem; quare ex alterutra lectione colligimus, Chriſtum vnicum, & perfectum Saluatorem, qui non ſolũ confert ſalutem, verum etiam conſeruat. Quia ipſe liberator, & ſaluator, liberauit à morte animas noſtras, & ſaluat ne iterum moriamur, ac
pereamus. Subinde dicit: Sine me nihil *Ioan.15.*
poteſtis facere, & ſicut palmes non poteſt habere vitam in ſemetipſo, niſi manſerit in vite, ſic vos, niſi in me manſeritis; ita expo-
nunt patres Arauſicani Concilij citati, c.24. *Conc. Arauſicani.*
ſunt in vite palmites, vt viti nihil conferant, ſed indè accipiant, vndè viuant; ſic quippè vitis eſt in palmitibus, vt vitale ſubminiſtret eis, nõ ſumat ab eis. Ac per hoc, & manentem in ſe habere Chriſtum, & manere in Chriſto diſcipulis prodeſt, & non Chriſto. Nam præciſo palmite, poteſt de viua radice alius pullulare, qui autem præciſus eſt, non poteſt ſine radice viuere. Ergo manet continuò Chriſtus in his, qui ſaluantur, & is ſolus eſt, qui ſemel ſaluat, & continuò ſeruat hominem incolumẽ ne offendat, & corruat,

CAPVT

CAPVT XXIX.

Et confeſtim ſiccatus eſt fons ſanguinis eius, & ſenſit corpore, quia ſanata eſſet à plaga.

Expoſitio. QVemadmodum cogitauit, ita accidit, nec defrandata eſt à ſpe, & confidentia, quam cælitus conceperat; quinimo largior cum ea Chriſtus extirit, quàm cogitarat, ſalutem quidem ſperabat; & dator confeſtim abſque mora voti compotẽ facit. Siccatur enim origo profluuij, ac ſi nullam habuiſſet ſanguinis infirmitatẽ; quo factũ eſt, vt & ſi in ſecretiſſimo corporis loco laboraret, illicò valetudinẽ præſenſit, & quidẽ ab omni plaga liberam cognouit ſeipſam.

Et confeſtim. Non ſic curat medicina, nec confeſtim, & in inſtanti operatur creatura pura. Infinitæ enim virtutis eſt in momento agere, ſimul dicere, ac fieri, & quamprimum mandat, creatum apparere; ſi quidem omnipotenti cedunr omnia, neq; reſiſtere alquid *Iob.9.* poteſt, nec dicere, cur ita facis? Nã etſi operetur ſubito; tamen perfectiſſimè, vt diminui, neque ſubtrahi aliquid à perfectione operis poſſit. Dei enim perfecta ſunt opera; *Deut.32.* quippequi in ſapientia facta.

Siccatus eſt fons ſanguinis eius. Fons ſan- *Beda.* guinis (ſecundum Gloſ. Bed.) eſt origo peccati, videlicet, primordium immundæ cogitationis, ex quo omne peccatum oritur; ſed Dominus non ſolũ opera, ſed & verba mala, & cogitationũ radicẽ ſacramentis Euangelicis, quaſi ſuis veſtimentis, fontes obſceni ſanguinis emundat. Cæterũ cum ſanguinum nomine peccata actualia intelligãtur, & in muliere ſanguinaria genus humanum, fontem ipſe dicerem originale peccatum, quod aboleuit ſua motte. Tollẽs, quod erat aduerſum nos chirographũ decreti. Et cui- *Coloſſ.2.* cunque conceditur tangere veſtimentum eius, hoc eſt meritum ſuæ humanitatis per baptiſmum in voto, aut verè ſumptum, liber euadit, & ita exſiceatur ei fons peſtilens, vt nullo modo repulluler; quicquid *Luther. hæreo.* dogmatizet hæreticus Lutherus, & complices, videlicet remanere concupiſcentiam, & originale peccatum. Aduerſus hominum inſaniam ſæpius egimus. Mox vnius Pauli afferre teſtimoniũ placet. Si enim vnius de- *Rom.5.* licto mors regnauit (argumentatur Paulus) per vnum, multò magis abundantiã gratiæ, & donationis, & iuſtitiæ accipientes in vita regnabunt per Ieſum Chriſtum; ſicut igitur per vnius delictũ in omnes homines in condemnationẽ, ſic per vnius iuſtitiã in omnes homines in iuſtificationẽ vitæ. Sicut enim per inobediẽtiã vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, ita, & per vnius obeditionem iuſti conſtituentur multi. Deli- *Dionyſ. Carthuſ.* ctum vnius dicit peccatum Adæ (interprete Dionyſ. Carthuſ.) quod etſi illi actuale extiterit, nobis eſt originale, quia per originẽ traductum; ſed deletum in morte Chriſti; in qua & morimur in baptiſmo, & conſepelimur, atque mundamur. Hinc Leo epiſ. 84. ad *Leo.* Nicetam Aquilenſem Epiſc. ferturq; de conſ. d.4. A paruulo, inquit, recenter nato, vſq; ad decrepitum ſenem, quamlibet corporis ætatem gerant, ſicut nullus prohibendus eſt à baptiſmo, ita nullus eſt, qui nõ peccato moriatur in baptiſmo. Sed paruuli originali, maiores autẽ etiam his omnibus moriuntur peccatis, quæcunque malè viuendo addidere ad illud, quod naſcendo contraxere. Ergo ſiccatur fons ſanguinis, hoc eſt, origi- *Conc. Mogunt.* nale peccatũ. Concupiſcentia enim (ſubdit Maguntin. Synod. c.12.) quę poſt baptiſmum in nobis ad agonem, non ad culpã relinquitur, iam nõ eſſe peccatum vera ratione peccati, ſed peccatum ob id appellari, quod per peccatum facta, & ex peccato relicta ſit, & ad peccatum amplius inclinet.

Et ſenſit corpore. Quod iſta ſanitatẽ corporis in corpore ſentiat, nihil mirum, quod verò corpus agnoſcat animã mundari, prorſus admirabile. Et quidem ad hoc miraculũ nos trahit præſens littera. Namque mulier animæ munditiam fuerat prius cõſequuta, munditia autem animæ virtute eius, ad quẽ acceſſerat, corpus ſanauit: Id quod Euangeliſta indicat dicens: *Et ſenſit corpore*, ſcilicet, poſtquã animæ nitorẽ eſt aſſequuta. Eſt enim hoc priuilegiũ, ſpiritualem perfectionẽ in corpore ſentire, vt quod Pelagia Terſenſis poſt baptiſmũ facie ſplẽdidiſſima appareat, Simone Metaphraſte referente. Quod ex perceptione Euchariſtię Mariæ de Ocgnes angor cordis temperaretur, vt in eius vita Iacobus de Vitriaco Card. deponit, quodque præ amoris magnitudine noſter Franciſcus, vt ſcribit S. Bonauentura, videretur in furorẽ penè ſpiritualem transformari. Hæc atq; alia, quæ in corpore pleriq; ſentiunt, vt indices eorum, quæ filia regis intus accepit, vel in ſacramentorũ perceptione, vel oratione accipit, ex priuilegio dãtur. Nam ſpirituales habitus in anima inſenſibili fundãtur, non in corpore. In eo tamen vult Deus aliquãdo ſentiri, vt teneros velut infantes pomis ad maiora promoueat exercitia, & aliquãdo, vt cæteri ædificẽtur, credantque virtutem ineſſe ſacramentis, & plurimum poſſe puro corde ad Deum orare, & ſacramenta prodeſſe,

Quia ſanata eſſet à plaga. Vel vt in græco à flagello τῆς μάστιγος eſt enim plaga omnis, quam vel dęmon per ſeipſum infert, vt Iob, ac Antonio Eremitæ, vel per alios, vt filijs *Num.21.* Iſrael per ignitos ſerpentes, vel natura ipſa ex corruptione humorum in homine profluit, Flagellum eſt Dei, quo vel torturas inferni vult inchoari in peſſimis, quales ſuſtinuir Ægyptus, Sodoma, Pharao, & Herodes, vel ad meliorem mentem reuocat inſanos,

& peccatores, vt Dauid, & Manaſſen; aut certè, ac aurum fornace ſuos reddit ſplen- *Eccl.18.* didiores. Primos dicit oraculum percuti plaga inimici crudeli, & inſanabili iuxtà plagam Madiam, quæ liuorem facit. Poſtremos vulnerari præ amoris magnitudine, & caſtigari, vt mater filium, quem vult erudi- *Tob.13.* *Heb.12.* ri, flagellat enim, vt ſaluet, omnem filium, quem recipit, vt percuſſus inſtar oleæ, atque palmitis, dulcius, & vberius fructificet, & fiat arbor ſuper aquas multas plantata, & ſtella, quæ in medio nebulæ ſcintillat, multoque amplius feruet, & irradiat contuentium oculos. Etenim hiſce flagellis, fecit *Gen.22.* reliquos ſcire, Abraham Dei timentem eſſe; & qui dura Aſſyriorum premebantur ſeruitute, exemplo Tobiæ cōſtantiores ſunt effecti; ſiquidē eiuſmodi flagella, & doctrina *Eccl.22.* in omni tempore ſapientia, quam ſi plagatus ſemel aſſecutus fuerit, tantum à timore aberit, vt in infirmitatibus gaudeat, & in laboribus multis euadat fortior, quia loramentum ligneum colligatum fundamen- *Eccl.22.* to ædificij non diſſoluitur, ſic & cor confirmatum in cognitione conſilij.

CAPVT XXX.

Et ſtatim Ieſus in ſemetipſo cognoſcēs virtutem, quæ exierat de illo, conuerſus ad turbam, aiebat: Quis tetigit veſtimenta mea?

Expoſitio. QVi videt omnia; & qui finxit oculos, quomodo non conſideraret, quæ mulier pia clam egerat, & quod cum ipſa actum eſſet? ſtatim quamprimum extendit manum mulier ad veſtimentum, vndè ſperabat ſalutem, agnouit Saluator, & animum attendentis, & veſtimenti virtutem, quæ ad ægram è veſtibus defluxerat. Nolens tamen Dei gloriam in tàm excellenti opere latere, neque laudes, quæ auctori debebantur ſubticeri; cœpit conuerſus ad turbam conqueri, ſeu potius quærere, qui tàm fideliter, & deuotè veſtimentum ſuum tetigiſſet, vt mereretur eius virtute obumbrari, conſolari, atque ſanari à quacunque detineretur infirmitate.

Et ſtatim Ieſus. Optimè collatam ægræ ſalutem agnouit Ieſus, ſicut, & ſtatim illa fertur curata, quoniam iuſtificatio impij, quæ huius curatione deſignatur; tàm ex parte eius, qui iuſtificat Deus, quàm illius, qui à peccato mundatur in inſtanti fit, vt illuminatio aëris, qui & ſi obſcurus, ſimul videtur à tenebris expiari, & illuſtrari lumine, ſed Deus, qui voluntatis vltimam diſpoſitionem ad gratiam operatur, infunditque iuſtitiam, qua dicitur peccator formaliter iuſtificari, vt ab albedine dealbari. Gra- *Cōc. Arauſ.* tia (ait Conc. Arauſican. p. cap. 25.) ſalui facti eſtis per fidem, & hoc non ex vobis. Dei enim donum eſt. Et quod de ſeipſo, dit Apoſtolus: Miſericordiam conſequutus *1.Cor.1.* ſum, vt fidelis eſſem. Non dixit, quia eram, ſed vt eſſem; & illud: Quod non accepiſti? *Ibidem.c.4.* Et illud: Omne datum bonum, & omne *Iacob.1.* donum perfectum deſurſum eſt deſcendens à patre luminum. Et illud: Nemo habet quicquam boni, niſi illud illi datum fuerit deſuper. Ergo deſuper per infuſionem, & inſtantaneam operationem Dei ſolius eſt ſalus, & iuſtificatio, quam iuſtus miſericorditer penes ſe recipit.

Et in ſemetipſo cognoſcens virtutem. Hoc intereſt inter caput Eccleſiæ Chriſtum, & nos, qui viuimus membra eius, quod nos virtutem, & ſanctitudinem, quæ in anima diuinitus infunditur, conſeruatur, & augetur, minimè cognoſcimus. Nam ſi animæ ſubſtantiam nequimus plenè ſcire, ſed à poſteriori, vt aiunt, ab effectibus, & adhuc ſuppoſita fide, eius eſſentiam, & immortalitatem demonſtramus; quæ illi inſunt diuinitus, quomodo penetrabimus, aut ſciemus? Omnia hæc (infert Sapiens) tra- *Eccl.9.* ctaui in corde meo, vt curioſè intelligerem. Sunt iuſti, atque ſapientes, & opera eorum in manu Dei, & tamen neſcit homo vtrum amore, an odio dignus ſit; ſed omnia in futurum ſeruantur incerta, eo quod vniuerſa æquè conueniunt iuſto, & impio, bono, & malo, mundo, & immundo, immolanti victimas, & ſacrificia contemnenti. Verum etſi potus, cibuſque in os tranſmiſſus molares, ac dentes conſtringat, qui ſani ſunt potius oblectantur, & officioſos ſe exhibent. Pluit quidem ſuper iuſtos, & *Matt.5.* iniuſtos Dominus. Ac illi gratiores ſe præbent, & ſolicitiores, hi autem ſegniores, vndè ab externis ad internam iuſtitiam deducuntur, non tamen certò. Solus Chriſtus eſt, qui cognoſcit diſtinctè, & manifeſtè virtutem, quæ in ipſo eſt. Nam ſcriptum eſt; Sciebat quid eſſet in hoc? *Ioa.2.* hoc eſt in ſeipſo per ſcientiam illam multiplicem beatam, & infuſam, quas vnita verbo eius anima accepit, acquiſitam, & experimentalem, quas naturæ vis, & acumen illi adminiſtrauit, de quibus Scholaſti- *3.p q.41.3. ſent.d.14.* cos conſule.

Quæ exierat de illo. Græcè legitur *τὴν ἐξ αὐτοῦ δύναμιν ἐξελθοῦσαν*. Pro quibus Paginus conuertit, *ex ſe efficacitatem perfectam*, nulla memoria facta verborū Vulgatæ, *quæ exierat*, ſupponuntur enim, & includuntur, dum dicitur ex ſe, ſiquidē cognouit in ſemetipſo virtutem ex ſe, quod ad alium exiſſet. Vocatur autem virtus Chriſti efficacitas perfecta. Non ſolum, quod patienti effectum præſtaret perfectum in vtroque homine; animā curans æquè, ac corpus; verum etiam, quod efficaciſſima eſſet, vt diſpoſitionem ad effectum requiſitam induceret; quia

data

Matt.2. data eſt mihi (inquit)poteſtas in cælo,& in
terra.Qnid in cælo,& in terra?fortène,vt in
cælo,& in terra,vt ſcilicet terrena in terri-
gena,& cæleſtis in cæleſtia poteſt, ſic Chri-
ſtus?Vtique;etiam ſupra ipſa cęleſtia,& ter-
rena, excellentiori adhuc virtute; quia do-
minator Dominns;At hæc vtrnmque ſæpius
efficiunt,diſpoſitionem, atque effectũ; ergo
multò præſtantius is , qui eſt dator forma-
rum,& effector . Hinc ad eius efficacitatem
perfectam confugere monemur , & in illa
potius,quàm in cæteris ſperare . Ergo ſpe-
Pſal.6. rate in eo omnis congregatio populi,effun-
dite coram illo corda veſtra. Deus adiutor
noſter in æternnm . Veruntamen vani filij
hominum , mendaces filij hominum in ſta-
teris , vt decipiant ipſi de vanitate in idip-
ſum,hoc eſt,ſi in eiſdem ſtateris,quibus va-
nitas libratur , ſtatuantur homines , multo
adhuc leniores,& mendaciores erunt homi-
nes ipſa vanitate:In idipſum intellige ſimul
in eadẽ ſtatera,quare nõ in hominibus mẽ-
doſis, ſed Chriſto veritas, & virtus efficaci-
tatis perfectæ ſpem noſtram reponamus.

*Conuerſus ad turbã aiebat.*Non ad Apo-
ſtolos, qui vt perfecti, non erant inſtruendi
ſignis . Signa enim non fidelibus,ſed infide-
1.Cor.14. libus dantur , vndè Phariſæis incredulis di-
Matt 9. xit,vt autem ſciatis,quia filius hominis ha-
bet poteſtatem dimittendi peccata,tibi di-
Ioan.11. co ſurge . Et ad patrem, nõ propter me,ſed
propter circumſtantes, vt credant, quod tu
me miſiſti . Igitur miraculum propalaturus
non conuertitur ad Apoſtolos, qui iam cre-
debant in eũ, ſed ad turbam imperitã, quæ
adhuc imbecillis egebat ſignis cõfirmari in
his,quæ à Chriſto audierat.Propterea ad eã
conuertitur,vt quid à turba exigeret,quan-
do miraculnm pateret geſtu ipſo deſigna-
ret,videlicet ad eum conuerti:Nam ideò ad
nos conuertitur Deus, vt & nos ad eũ con-
uertamur . Immò verò ea propter cuncta
operatur,vt ad ſe omnes trahat. Hinc Pſal-
Pſal.84. tes: Deus tu conuerſus viuificabis nos , &
plebs tua lætabitur in te .

*Quis tetigit veſtimẽta mea?*Tãgitur à fœ-
mina(ſcribit Tertull.lib.4.adu.Marcionem)
quæ ſanguine fluitabat , & neſciuit à qua,
quis me,inquit,*tetigit*? Etiam excuſantibus
diſcipulis,perſeuerat ignorantiæ voce.Quid
dicit hæreticus? ſciebatne perſonam?& cur
quaſi ignorans loquebatur?vt confeſſionem
certè prouocaret,vt timorem probaret.Ad
Beda. hæc,Bedæ Gloſſ.interrogat,vt ſalus,quam
mulieri dederat , declarata , & agnita fidei
veritate multis proficiat.Non quærit igitur
Lyra. ex eius ignorantja(proſequitur Lyra)ſed vt
per confeſſionem mulieri ſanatæ appareat
fides eius, & à Chriſto cõmendetur, & quia
manifeſtatio miraculi dictæ ſanationis ce-
debat ad gloriã Dei , & Archiſynagogi aſ-
ſecurationem, vt per hoc certificaretur de
futura ſucceſſione filiæ ſuæ .

CAPVT XXXI.

Et dicebant ei diſcipuli ſui:Vides turbam comprimentem te , & dicis : Quis me tetigit ?

ABſit quod increpando reſponderent ei, *Expoſitio.*
cuius ſapientiam admirantur Angeli,
& vniuerſæ procul terræ venerantur ſermo-
nem, qui de ore eius egreditur; ſed reſpon-
dent admirantes potius,& ignorantes my-
ſteriũ,quod circumdatus,& quaſi cõpreſſus
à turba,quęrat *quis me tetigit*?Sciebãt enim
nihilo abs re quæri ab eo,huius tamen quę-
ſiti cauſam prorſus ignorabant .

Et dicebant ei diſcipuli ſui . Chriſto , ac
Deo dicere tripliciter contingit ; quando
ignoramus, vt dignetur veritatem aperire,
docere ſcientiam, quæ mentẽ illuſtret, bo-
nitatem,quæ affectũ inflammet , & diſcipli-
nam,quæ carnem rationi ſubdat, & legi cõ-
ſona compellat operari. Secũdo dicit Deo,
quando pro peccatis exorat,ac malis. Ter-
tio quando ad profunda myſteria intelli-
genda,& poſſidenda precatur homo recipi .

Vides turbã comprimentem te. Vide(no-
tat Theophyl.)quomodo turbæ quidẽ com- *Theophyl.*
primant , & ex eis nullus illum tetigerit,
contra illam , quæ non præmebat , illum
tetigerit. Myſterium hic quoddã diſcimus;
quod nullus ex his;qui turbulento ſunt ani-
mo tangit Chriſtũ;ſed ſolum pręmit Ieſum.
Qui autem non præmit Ieſum,neque turba-
to eſt animo,ille tangit eum.Fortaſſis aper-
tius dicetur:Accedens malignè comprimit,
reportatq; vltionem , cum vacuus reuerta-
tur; appropinquans deuotè , humili, ac pio
animo,tangit tantum,nõ comprimens, me-
returq;propterea illuminari,neq;abire con-
fuſus,quin donorum multitudine repleatur.

Et dicis quis me tetigit ? Sola fidelis mu-
lier Chriſtũ tangit (ait gloſ.Bed.) quẽ paſ- *Beda.*
ſim comitans turba comprimit : quia qui
diuerſis inordinatè gloriantium hæreſibus,
vel peruerſis moribus grauatur,ſolo fidei
Eccleſiæ corde tangitur. Vndè:Noli me tan- *Ioan 20*
gere . Non dum enim aſcendi ad patrem
meũ;quia veraciter tangere,eſt eum æqua-
lem patri credere .

CAPVT XXXII.

Et circumſpiciebat videre eam,quæ hoc fecerat.

INterrogationi addit circumſpectionẽ,vt *Expoſitio.*
adaugeat admirationẽ tã in Apoſtolis,
qui causã latenter quæſierant,quã in circũ-
ſtanti populo,qui rei exitũ expectabat.Ple-
nè quippe admirati, poſt accepto myſterio
multò amplius ædificati abierant .

Et circumſpiciebat videre eam. Nouerat

namque cognitione illa ſua diuina (inquit *Arias Mōtanus.* Arias Mont.) & huiuſmodi circū́ſpectione adducere volebat ad confeſſionē fidei ſuæ, & accepti beneficij in exemplum eorū, qui aderant, & aliorum, omnium, ad quos huius rei notitia deferretur. *Circumſpiciebat*, vt oculos eius apertos ſuper filios Adam, quibus vniuerſa conſiderat, & quærit virum fidelem, timeamus.

Quæ hoc fecerat. Sapiēs circū́ſpiciēs viros, *Eccl. 7.* vnicū reperit, ex mulieribus nullā. Chriſtus contra inter viros nō inuenit, qui eū tangeret; ſed mulierem vnicam hoc feciſſe demōſtrat. Quid ad hæc? Num ſapiens ſapienti aduerſatur? abſit. vterque ædificat domum, & ore vno ille, & iſte loquitur. Tum enim quærebatur redemptor, is autem vnus vir extitit, non mulier; mox quæritur redemptoris parens, qui cum tangeret, portaret, & faceret carne data tangibilem. Id quod nulli virorum, ſed mulieri ſoli datum eſt, quando *Ierem 31.* nouum fecit Dominus ſuper terram, mulier circumdedit virum.

CAPVT XXXIII.

Mulier verò, timens, & tremens, ſciens quod factum eſſet in ſe, venit, & procidit ante eum, & dixit ei omnem veritatem.

Expoſitio. DEniq; interrogatione, & circū́ſpectione, coegit venire mulierē, & publicare factū, & debitū obſequiū largitori præſtare.

Mulier verò. Tacito nomine proprio, quod alibi Hemorroiſſa exprimitur; cōmuni appellat, quoniā huius factū toti ſexui laudem conciliat, qui cum ad deuotionem pronior eſt, & pietate virum præcellat mulier, meretur facilius gratiam, ac dona plurima ab auctore conſequi. Indè Sapiens: Gratia *Eccl. 16.* ſuper gratiā mulier ſancta, & pudorata; omnis autē pudoratio non eſt digna continentis animæ. Sicut ſol oriens mundo in altiſſimis Dei, ſic mulieris bonæ ſpes in ornamentum domus eius, lucerna ſplendens ſuper candelabrum ſanctum, & ſpecies faciei ſuper ætatem ſtabilē columnæ aureæ ſuper baſes argenteas, & pedes firmi ſuper plantas ſtabilis mulieris. Fundamēta æterna ſuper petram ſolidam, & mandata Dei in corde mulieris ſā̄ctæ, quæ & ſi ſub mulieris typo, de Eccleſia ſcribantur, & eius matre Maria, in pleriſque fœminis impleri cernimus laudabilius multò, quā in viris. Quādo *Baſil.* (ait Baſil. ho. 20. in examerон) hominis maſculi natura cum mulieris natura certare poteſt, quæ toleranter vitā ſuā degit? quando pertinaciam mulierū in ieiunijs vir imitari poteſt, itemq. in orationibus ſedulitatē, & in lachrymis vbertatem, & in beneficijs promptitudinē? Noui ego mulierē clādeſtino furentem honeſta furta citrà virū beneficia facientem pro viro, pro domus incremento, pro liberorū diuturnitate elargientem, & fallentem viri cognitionem, pro ipſo tribuentē, & ipſum celantem. Hæc ille. Ego verò ſcio, & noui non vnā, aut alteram, ſed plures, & penè innumeras in diuerſis Italiæ, Hiſpaniæ, & Galliæ partibus, in quibus ſui accola, multò plura, ac hiſce omnibus majora facientes, vt non dubitarem laudare, vt ſanctas, ac venerari; niſi me quorundam furor terret, qui cum à peſſimis non diſcedāt aliarum ſanctitatem irrident, & malè iudicant etiam de Franciſco cum Clara, de Benedicto, & ſua Scholaſtica, de Hieronymo cum Paula. Quid? Clerum, & monachatū omnem infamant, & mixtū deuotis fœminis nō vereutur proclamare. Horum anteſignanus eſt Lutherus, qui quod alijs improperat, *Lutherus monacatui infeſtus.* prius, & publicè egit. Ne igitur ſceleratis dem oblatrandi occaſionem, ſeu ipſi accipiant, ſexus deuoti enchomia factis earundem committam: ego interim præſentem hiſtoriam proſequar.

Timens, & tremens. Siccari fontē profluuij magnū erat; timorem verò, ac tremorē Dei proferre, dulcius, ſalubrius, & vtilius; *Eccl. 1.* quia plenitudo ſapientiæ eſt timere Deum, & plenitudo à fructibus illius. Omnē domū illius implebit à generationibus, & receptacula à theſauris illius. Sunt enim ampla oceana, non vt multitudinē piſciū capiant; ſed virtutum omniū cumulum, quæ & mētem illuſtrent, & voluntatē adornent. Hinc *Cant 8.* Cātor: Soror noſtra paruula eſt, & vbera nō habet, ſi murus eſt ædificemus ſuper eū propugnacula, ſi oſtium eſt compingamus illud tabulis cedrinis. Oſtiū eſt voluntas, per quā ad vitam, vel mortē egredimur. Murus vndè ſpecula, & defenſio eſt intellectus, qui præuidet cuncta, & dictat, & conſulit reſiſtendum fore aduerſario; propugnacula, quibus vtitur, ſunt habitus practici, & ſpeculatiui intellectus, ſapientia, ſcientia, fides, ars, & prudentia. Cedrinæ tabulæ, quibus compingitur oſtium, habitus voluntatis dicito, charitatē, & ſpē, quæ ſunt omni cedro firmiores. Horū ſit poſſeſſor ſoror paruula, hoc eſt anima, præ timore, & tremore optimo, humilis, & abiecta, neq; ſcit vberū tumorem, hoc eſt, ſuperbiā, faſtū, & arrogantiā abijcit penitus, ſeipſam iugiter ſub timore Dei continens, nihilque reputans eo pretioſius, ſiquidem timor Domini gloria, & gloria- *Eccl. 1.* tio, & lætitia, & corona exultationis.

Sciens, quod factum eſſet in ſe. Timebat igitur mulier (ait Theophyl.) vtpotè, quæ ſanitatem furtim abſtulerat. Etenim ſimilis nos ratio ad timorem propellit, vt qui furto nutrimur, alimur, & deprædamus bona Domini, quæ melioribus nobis debebantur; profectò ſi quis ſedulo aduerteret, & ſciret quod factum eſt cum eo, quando in lucem de parentibus Chriſtianis prodijt, & indè

ad ſta-

ad ſtatũ, vel cœlibatus, vel coniugij ductus eſt,& bonis,quæ in vnoquoq; ſtatu deſiderãtur repletus,flens præ ingratitudine,& furti Pſal. 54. conſcientia exclamaret. Timor, & tremor venerunt ſuper me, & contexerunt me tenebræ. Et dixi quis dabit mihi pennas, ſicut columbæ,& volabo,& requieſcam.Ecce elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine; vt quæ iniuſtè hactenus poſſedi, & lucra, quæ abſtuli Domino,ex recondito talento,ſatiſfaciã lachrymis Magdalenæ, nuditate Onufrij,pernoctatione Antonij, Hilarionis pauperie,& Pachomij, atque aliorum pœnitentia,quã pro viribus imitabor, ſi quo modo talentum duplicans, non more latronis, & ingrati;ſed vt ſeruus bonus,& fidelis admittar,& intromittar ad gaudia Domini,à quo videor me, ac mea omnia furto abſtuliſſe, quandoquidem abuſus ſum cunctis. Qui autẽ acceptis abutitur,furtum apud Deum committit.

Venit,& procidit ante eum. Is eſt vltimus, & miraculorum,& operum Chriſti finis, vt veniamus ad eum,& procidamus ante Deũ; Pſal 94. hoc eſt, vt agnoſcamus,quia ipſe eſt Dominus Deus noſter,nos autem populus eius, & Pſal. 28. oues paſcuæ eius.Et vt procidentes afferamus ei gloriã,& honorẽ,gloriã nomini eius, quia magnus Dominus,& laudabilis nimis.

Et dixit ei omnẽ veritatẽ. Hoc enim erat confiteri Domino,& miſericordiã eius cantare, immo verò ad laudes cæteros prouo-Pſal. 105. care: Confitemini Dño, quoniã bonus,quoniã in ſæculum miſericordia eius, qui facit Beda. mirabilia magna ſolus. Subindè Bed. gloſ. Ecce quo tendebat interrogatio,vt mulier, confiteatur veritatẽ diuturnæ infirmitatis, ſubitæ credulitatis,& ſanationis,& ita ipſa cõfirmaretur in fide, & alijs pberet exẽplũ.

CAPVT XXXIV.

Ille autem dixit ei: Filia, fides tua te ſaluam fecit: Vade in pace,& eſto ſana à plaga tua.

Expoſitio. Parum ducit benefeciſſe muleri, niſi eam commendet à fide,confirmet eius ſalutem,& pace,quæ exuperat omnem ſenſum,dimittat illuſtratam,& lætam.

Ille autem dixit ei. Læto animo,ac beneuolo,vt confeſſionẽ confeſſione,& laudẽ acceptam reciproca laude rependeret. Idq. in cælis laudatoribus ſuis promittit dicens: Matt. 10. Qui confitetur me coram hominibus, confitebor,& ego eum coram patre meo.

Filia,fides tua te ſaluam fecit. Filiã vocat ab animæ ſalute, quam fuerat aſſequuta, Gal. 4. Ioan. 1. quia,qui fecit,vt nos in adoptionem filiorũ reciperemur,& dedit poteſtatem filios Dei fieri per ſacramentorũ perceptionem,ſe ſolo gratiam cõmunicat, quando complacet ſibi,vt filij Dei nominemur, & ſimus. Non 1. Ioan. 3. enim ſacramentis poteſtatem alligauit. Fidei ſalutẽ tribuit,quam opera, & actus externi Religionis, & charitatis comitabantur.Nam & huic vim confert Apoſt.& iuxtà Synodum Tolet. 2. in proœm. initiandis ad Conc. Toletan. beatam viam hominibus hæc prima ſemper eſt via ſalutis.Conſtat ergo(infert Conciliũ Pariſienſe lib. 1. c. 1.) quod fundamentum Conc Pariſ. Chriſtianæ religionis fides ſit catholica, explicatiſq. articulis ſubditur.Et quod noſſe vnumquemque fidelem oporteat, quia hæc fides vera, & fructuoſa eſſe non poteſt, niſi bonis operibus ornetur. Ideſt fide, ſpe, charitate,humilitate,caſtitate, cõtinentia, ſobrietate, vnanimitate,concordia,iuſtitia, pietate,miſericordia, innocentia, ſimplicitate,& cæteris his ſimilibus,quæ omnia in dilectione Dei, & proximi conſiſtunt. Hinc Nicolaus ad conſulta Bulgarorum c. 1. Fides Nicolaus. prima eſt omnium virtutum in conuerſione credentium;vndè,& prima die lux eſſe dicitur cum à Deo fiat lux,dictum fuiſſe deſcri- Gen. 1. bitur, ideſt illuminatio credulitatis appareat: Siquidem,& propter hanc Chriſtus in terram deſcendit,opus autẽ bonum nihilominus à Chriſtianis exigitur,quemadmodũ in lege noſtra ſcriptum eſt: corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ita, & fides ſine operibus Iacob. 2. mortua eſt.Quare perijt fides Lutheri, & ne dicam mortua, ſed mortifera eſt,quam Hagiomachi prædicant, & ſuadent Centuriatores ex hac Chriſti ſententia, *fides tua te ſaluã fecit*, hoc eſt,fiducia mera in Chriſtũ. At nihil prodeſſe fiduciam ſæpius conſtat. Mox veram fidem hoc in loco proferri demonſtremus.Saluum enim facit vera, & integra fides. Ergo eam hic memorari certũ eſt.Vera autẽ,& integra fides non in animo ſolũ ſita eſt,ſed in opere. At qui opus dile- Fides ſine operibus mortua. ctionis, & Religionis exercuit, mulier cum deuota acceſſit,humilitatem quando retro venit, obſeruantiã quando proſtrata venit, & obedientiam quando veritatem omnem aperuit.Hiſcene ornamentis, ò hæretici fiducia veſtra clarificatur. Equidem obſcura eſt,& intra mentiũ veſtrarũ latebras recondita,quã nemo nouit, neq; amplectitur,niſi qui in tenebris ambulant, & properant ad mortem ſecundam. Nos eam, quæ ſaluat,& operatur ſalutifera,profitemur,vtinam vſq; in finem, vt lætus quiſque audiat: *Fides tua te ſaluum fecit.*

Vade in pace. An non congruentius diceretur: Eſto in pace, aut, vt is ipſe horta- Matth. & Luc. 10. tur Apoſtolos,& fecit: pax tibi;vel pacem do tibi?Et hoc præmiſit dum ægram liberat. Nam ſaluauit per ſpiritum, cuius fructus ſunt pax,patientia; ſaluauit per ſeipſum; Gloſ. 5. qui eſt noſtra pax, & propter opus bonum mulieris.Pax autem omni operanti bonum. Ergo quæ à facie Domini conceperat ſpiritum ſalutis, penes ſe pacem habens, hac

ſola imprecatione egebat, *vade in pace*. Ac
ſi diceret pacem, vt optabas, accepiſti, &
abundantiorem, quàm ſperabas, corpore, &
animo ſimul pacificata. Vade ergo, & cura
ſedulo in pace recepta te cuſtodire illæſam;
Pſal. 36. qnoniam ſunt reliquiæ homini pacifico;
hoc eſt, felicitas, & exitus felix, vel vt alij
interpretantur poſteritas, & facultas. Iniuſti
autem diſperibunt ſimul, reliquiæ impio-
rum interibunt.

Et eſto ſana à plaga tua. Vel flagello, vt
ſuperius annotauimus. At inquit Gannæius
contra Eraſmũ, qui μάστιγι vertit à flagello,
quẽ ſequutus eſt Pagniu. flagellũ dici latinè
nõ inuenio pro calamitate alicui obueniẽte,
quomodo plaga pro calamitate, & dãno ali-
cui ſuperueniente ſæpè ponitur, etiã ſi nul-
lum ſit vulnus. Nam decem μάστιγας αἰγύπτου:
qnas etiam latini decẽ plagas Ægypti no-
minant, fortaſſe non perperam, ſed μεταφορι-
κῶς, tamen flagella appellare poſſumus, quod
ijs veluti flagris, ac virgis paternè primum
caſtigare, atque ad meliorem frugem redu-
cere Pharaonem voluerit Dominus. Verum
etſi μαστίζω non interpretetur de calamita-
te ſuperneniẽte, ſed de verbere, ſolitũ eſt in
diuinis Litteris flagellum pro plaga, & pla-
ga pro flagello accipi, & vtroque vocabulo,
tum calamitatem ſuperuenientem, tum in-
ſtrumentum, quo malum accidit, appellari.
Ita vt malum, quod iuſto, infertur potius
flagellum, quod eſt ad emendationem dica-
tur; plaga verò, cum peſſimus percutitur.
Porrò aduerte lector modum, quo mulie-
rem à ſe dimittit. *Eſto*, inqnit, *ſana*, impe-
rat, & iubet benè valere; non quod tum eam
à morbo liberaret; ſed vt modum imperij,
quo ſanarat, exponeret, etiam vt firmita-
tem obtẽtæ ſalutis diceret. Nam qui cœpit,
ipſe perficit, atque firmat, vt nemo infir-
met. Addit *à plaga tua*, vt miſeriam om-
nem nobis imputemus, Deo autem, quæ
Baruc. 1. conſolantur, quia tibi Domine iuſtitia, no-
bis autem confuſio faciei, dixit vnus Pro-
Oſea 13. pheta, & alius: Perditio tua ex te Iſrael, au-
Pſal 50. xilium autem ex me, inde lapſus dixit: Pec-
catum meum contra me eſt ſemper.

CAPVT XXXV.

Adbuc eo loquente veniunt ab Archiſyna-
gogo, dicentes: Quia filia tua mortua
eſt: Quid vltra vexas Ma-
giſtrum?

Expoſitio. POſtquam mulierem curaſſet, alterius
miraculi, ad quod properabat, occaſio
amplior occurrit, cum enim adhuc mulie-
rem alloqueretur, accedunt ad Iairum Ar-
chiſynagogum nuntij, qui mortem vulga-
rent, diſſuaderentque Chriſti ad eos aduen-
tum, cum eius opere non egerent iam mor-
tua puella; id quod accedẽdi potius accen-
dit, & occaſionem præſtitit maioris mira-
culi, vtpotè præſcientiæ, quam ſe habere,
paulò poſt aperuit.

Adbuc eo loquente. Hoc eſt, vix dicendi
finem fecerat. Phraſi quidem hac, quæ He-
bræis familiaris eſt, præſertim apud Iob. *Iob 1.*
Adbuc eo loquente, venit alius, denotatur
non tàm facti promptitudo, quàm continua-
tio, quod inter præteritam, & ſequentem
narrationem, ſeu operationem nihil me-
diet. In Chriſto verò ego altiora cogita-
rem, quod ſcilicet, adhuc loquente; hoc, aut
illud nos agimus, & omnis creatura opera-
tur, & loquitur, quoniam qui verbum eſt
ſemper loquitur. Vndè dicitur, ſemel loqu- *Pſal. 60.*
tus Dominus; intelligit, ſcilicet, ordinat,
præuidet, & diſponit. *Adbuc loquente eo*,
qui finem non ponit dictioni, infinitus cum
ſit; nos qui menſura finita metimur, nunc
inchoamur ſermonem, nunc operi finem
damus. Nec vnquam in eodem ſtatu per- *Iob. 14.*
manemus.

Veniunt ab Archiſynagogo. Vt (inquit
Arias Montan.) viuæ fidei ad impetrandam *Arias Mõtanus.*
etiam difficillima virtus à Ieſu prædicata,
altero etiam exemplo confirmaretur. Vo-
luit Deus, vt eodem ipſo momento veni-
rent, qui Archiſynagogo filiam vitæ defun-
ctam nuntiarent. Fortaſſis veniunt perſuaſi
à dæmone, qui gloriæ Chriſti inuidens, cu-
rabat per nuntios miraculum non fieri.
Tum maximè ſi mortuæ animam in ſuam
redegiſſet poteſtatem. Nam nihil durius,
neque tormentum maius inuido poterat
dari, quàm ad reſtituendam animam cogi.

Dicentes, quia filia tua mortua eſt. En
nuntium lugubre, quod datum eſt homini-
bus deferre. Durus quidem nuntius eſt ho-
mo homini, qui noſcit niſi vel mortem
nunciare, vel quæ mortem afferant loqui.
Nam bonus nuntius de terra longinqua. *Prou. 25.*
Ea, inquam, quo homo ille peregrè profe- *Matth 25.*
ctus eſt diſtributis bonis. Indè venit, qui
euangelizat pacem his, qui propè, & longè, *Epheſ. 2.*
& facit fructum labiorum pacem, homini- *Iſai. 57.*
bus bonę volũtatis, qui è cælo nõ eſt, ſed de *Luc. 2.*
terra, & terrenus; & ſi dicat pax, pax, nõ erit
pax, ſed gladius, tametſi nunciet bonum, & *Ierem. 6.*
lucẽ, nemo ab eo, niſi tenebras, malũ, & tri-
bulationẽ accipiet. Denique homini homo
quid niſi amara ſub velamẽto communicat?
Mors in olla, mors in olla clamat ille, & *4. Reg 4.*
quid olla, niſi qui mundi concupiſcentijs
flagrat? Atqui hunc profero ego hominem
duri nuntij, qui iugulatum defert ad To- *Tob 2.*
biam. Iob nunciat exterminium gregum, & *Iob 1.*
armentorum, caſu Abſalon contriſtat Da- *2. Reg. 18.*
uid, & qui demum Balaam inuitat ad male- *Num. 22.*
dicendum caſtris Dei. Hoc eſt, qui bonis
inficere, & malos conatur deteriores effice-
re, & vt ollam exoſſare ſubſtantiam animæ,
& corporis fratrum; qui bona nunciat, non
olla, ſed virga eſt vigilans, qui annunciat, & *Ierem. 1.*
vigilat

vigilat ſuper verbo Domini, vt illud impleat, & ſuadeat reliquis.

Quid vltra vexas magiſtrum? Familiares (inquit Theophyl.) Principis Synagogæ arbitrabantur Chriſtum eſſe ex doctoribus quendam, propterea obſecrabant, vt veniret, & oraret ſuper puellam, & quia iam mortua erat,putauerunt vltra non opus eſſe, eo quod mortua eſſet. Adhæc, Zachar. Chryſopol. lib. 2. cap. 60. muliere ſanata, puella nunciatur mortua, quia Eccleſia gentium à vitiorum labe mundata,mox Synagoga letho perfidiæ,ſimul, & inuidiæ ſoluta eſt. Perfidiæ,quia non credidit, inuidiæ,quia Eccleſiam,crediſſe doluit. Vnde in actibus Apoſt. Videntes autem turbas Iudæi repleti ſunt zelo, & contradicebant his, quæ à Paulo dicebantur. Nuncius iſte eſt quicumque videns Synagogam deſtitutam,credit eam non poſſe reſtaurari,ideoq. pro ea non eſſe ſupplicandum, ſed quæ impoſſibilia ſunt apud homines, poſſibilia ſunt apud Deum.

Theophyl.

Zachar. Chriſ.

Act. 13.

Marc. 10.

Nota lector horum loquendi modum perſimilem hæreticorum nugis. Etenim vt ab oratione ad Deum, & ſanctos reuocent fideles, dicunt nos orationibus, pſalmodijs, lætaniis, ac reliquis precibus velle Deum, ac ſanctos vexare; quaſi Deus, qui charitas eſt,poſſit vnquam tædio affici, aut recuſare preces miſerorum,qui dixit: Ego Deus, & miſericors; poſſitq. obliuiſci verbi ſui; pulſate, petite clamate, inuocate; ſed neque ſancti vexantur precatione fidelium,quin intra amoris ſpheram conſtituti, & ante ſpeculum maieſtatis Dei conſiderant viuorum acta, & obſecrationes auidè percipiunt, ac diligentius multo,quàm fari poſſit,auctori bonorum offerunt, & ſupplicant ardenter viuos adiuuari. Alioquin fruſtra Chriſtus docuiſſet ad patrem orare, & Apoſtoli(qui Auctore Clem.lib.7.cap.34 & ſeque, orationes, formulas deprecandi Deum compoſuerunt,nugaces haberentur, ſed & ſancti,vt Baſil. Chriſ. qui in liturgijs ſanctos deprecantur,minus benè ſenſiſſent; abſit autem,talia de his, quos Deus honorat, vt amicos, & glorioſos patres tota Eccleſia celebrat,cogitare,ne dum dicere. Igitur non vexat Deum, qui orat, neque negligitur. Sed audiri (ait Clem. epiſt. 1, ad Iacob.) à Deo merebitur quis,ſi orationes ipſæ bonis moribus, & bonis operibus adiuuentur. Idque intercedentibus ſanctis, ad quos recurrimus, & oramus. Interceſſit enim Epiphanius pro Maximo, qui orabat, & liberum à dæmone miſit, vt ſcribit Sabinus ad Polybium Epiſc. Atque alij de alijs, qui aduocati ſe patronos exhibuere; tantum ergo abeſt, vt orationes ſint vexationes, quod dici debeant, cum Cypriano ad Cornel. Papam,arma cæleſtia,quæ ſtare, & perſeuerare fortiter faciant; munimenta ſpiritualia, & tela diuina, quæ protegunt.

Hæret. cõſ.

Orationis fructus contra hæreticos adſtruitur.

Matth 6. Luc. 11.

Clem.

Orationes ſunt arma cæleſtia.

CAPVT XXXVI.

Ieſus autem audito verbo, quod dicebatur, ait Archiſynagogo: noli timere, tantummodo crede.

NOn conſentit vitæ nuncius Chriſtus, & largitor, mortem denunciare, vt qui deſtruere mortem venerat, & cantare: vbi eſt mors victoria tua; vbi eſt mors ſtimulus tuus? Quamobrem mortis verbo audito,iubet patrem puellæ bono eſſe animo, firmumque in fide, neque timeas, inquit, filiæ obitum, dummodo credas, & ſanari poſſe ægram, & mortuam ſuſcitari, quia qui eam de nihilo formauit,deformatam abſque dubio poterit reformare.

Expoſitio.

1. Cor. 15.

Ieſus autem audito verbo, quod dicebatur. Maxime (notat Arias Mont.) illa orationis parte; *quid vltra vexas magiſtrum?* qua fides Archiſynagogo diſſuaderi videbatur, aduerſabatur enim his,quæ prædicabat, & ſaluti, quam per fidem promittebat. Audit ergo verbum nequam, quod ab inſipientibus dicebatur,vt nos doceat,præſertim Eccleſiæ miniſtros ſolicitos reddat, & faciat erecta aure attendere ad ea, quæ aduerſantur fidei, & quæ legem diſſipant, vt valeant armati hoſtes impetere, & defendere gregem præſcij eorum, quæ pecus inficit. Etenim neque in ſcientijs ſit profectus,niſi prauè,aut minus benè dicta nonerit quis,neq. ſapiens iudicabitur aggrediẽs hoſtem,aut expectans in ſtadio nulla armorum eius habita notitia: Ergo audite, & intelligite ò Epiſcopi quod dicitur à Luthero,& alio quouis hæretico, vt poſſitis ſtare aduerſus eos,& rationẽ reddere de ea,quæ in vobis,eſt fidei. Nam ſi in laycis (ſcribit Leo ad Cler. & plebem conſtantinop. cap. 22.) vix tolerabilis videtur inſcitia, quanto magis his, qui præſunt, nec excuſatione digna eſt, nec venia?

Arias Montanus.

Leo ad Cler.

Ait Archiſynagogo. Qui iam ſemel ad eum venerat, & cœperat per fidem adhærere. Ad hunc ergo loquitur, vt pœnes ſe retineat, quem exteri alienare volebant. Dixit autem: Qui venit ad me non eijciam foras, & non rapiet quiſquã de manu mea. Confirmat itaque verbo ſuo, & auxiliatur venienti ad ſe. Adhæſit igitur anima mea poſt te, me ſuſcepit dextera tua.

Ioann. 6.

Pſal. 62.

Nolite timere. Timorem humanum excutit,vt filialem introducat, quem parit in primis infuſio ſpiritus, quia donum eius; ſed diſponitur amare, quia perfecta charitas foras expellit timorem; augmentant beneficia, quia timor ſanctus permanet in ſæculum ſæculi, inter beatos, qui ſe diuitijs

1. Ioann. 4.

Pſal. 18.

tijs cœleſtibus locupletatos agnoſcunt; optimè ergo beneficijs proſequuturus Archiſynagogum, ait *noli timere*, ſcilicet ſeruili, & humano timore, ſed præpara te ad timorem, qui filiorum eſt, & ſapientum.

Tantummodo crede. Vel vt habet græca lectio ſolum crede μόνον πίστευε. Non quod ſolum fides ſit miraculi effetrix, neque induſtrix. Efficit enim illud Deus, qui facit mirabilia magna ſolus. Et inducitur non tàm petentis fide, quàm ædificatione puſillorum, qui miraculis tùm ad fidē, tùm ad opera legis pertrahuntur. Vnde & gratia ſanitatū, inter gratias gratis datas annumeratur, quæ ad vtilitatem totius Eccleſiæ ordinantur; dicitur tamen, *ſolum crede*, quod miraculū non concedatur, niſi vel recipiens credat, vel is, cui ſubſtituitur, vt pater lunatici, qui optans filio ſalutem exorauit, adiuua incredulitatem meā. Credenti igitur omnia poſſibilia ſunt. *Marc. 9.*

CAPVT XXXVII.

Et non admiſit quemquam ſe ſequi, niſi Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem Iacobi.

Expoſitio. ITaque confirmato, ac melioris ſpei reddito Archiſynagogo ad miraculum ſe accingit Chriſtus vna cum patre puellæ, & diſcipulis tribus properans in domum mortuæ, vt veritatem dicti facto confirmaret.

Et non admiſit quemquam ſe ſequi. Eorum inquam, qui vel obeſſe poterant diſſuadentes fidem, vel non iuuare, cum adeſſet operator efficax, vel non conducebat eos duci, dum præſentium teſtimonium ſufficeret.

Niſi Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem Iacobi. Hos tres (notat Gannæius) tanqnam cæteris præſtantiores, ſolitus erat Chriſtus ſecum aſſumere: vtpotè in transfiguratione, in orto olіueti; vt etiam cœteris anſam daret illos imitandi. Petrum imitantur optimi Præſules, qui vigilant, & donant animam ſuam pro ouibus ſuis: Iacobi ſunt æmulatores, qui ſæpè nitentes exhibent, vt intrent in regnum cęlorum. Ioannis ſectatores habeto eos, qui munditiæ ſtudent, vt Deum videant. Hos aſſumit, vt vitæ myſterium innouari cernant; quoniam vitæ ſpiritum habent, mortem horrent, & non timent pericula dummodo expetendam vitam conſequantur.

CAPVT XXXVIII.

Et veniunt in domum Archiſynagogi, & videt tumultum, & flentes, & eiulantes multum.

HIſce comitibus venit ad domum funeſtam, vt eam ſua preſentia exhilaret. Expoſitio. Erant enim congregatæ funeſtæ mulieres, ad quas cum funus pertineret, præ animi anguſtia, & dolore, impatientes tumultuabant; aderant, & perfidæ, quæ vt plantus ſunt Principes & lacrymarum, ita doloris ſunt expertes; eiulabant & multum reliquæ, quæ funebrem pompam complebant.

Et veniunt in domum Archiſynagogi, Non vt mortuam lugeant, & plantum funebrem cum reliquis emittant. Hæc enim præſtant mortuis ſuis; decet autem minimè eos, qui vitam profeſſi ſunt ſequi, & feſtinant ad eam. Subinde Anaſtaſius epiſt. 2. ad Nerianum ſcripſit: Habent forſitan illi iuſtam longi doloris excuſationem, qui vitam alteram neſciunt, qui de hoc ſæculo ad melius eſſe tranſitum non confidunt. Nos autem, qui nouimus, qui hoc credimus, & docemus, contriſtari nimiū de obeuntibus non debemus. Ne quod apud alios pietatis tenet ſpeciem, hoc magis nobis in culpa ſit. Nam diffidentiæ quodammodo genus eſt, contra hoc, quod quiſque prædicat, torqueri mæſtitia, dicente Apoſtolo: Nolumus vos ignorare de dormientibus, vt non contriſtemini, ſicut, & cœteri, qui ſpem non habent. Et Dominus (addit ſynod. Tolet. 3. cap. 22.) non fleuit Lazarum mortuū, ſed ad vitę huius ærumnas reſuſcitandū plorauit. Religioſis tamen omnino aliter fieri non debere cenſemus. Igitur neq. Chriſtus, neque ſui *in domum veniunt Archiſynagogi*, vt lugeant mortuum; ſed eos, qui triſtantur pro mortuo, conſolentur. *Anaſtaſius.* *1. Theſſal. 4.* *Conc. Tol.*

Et videt tumultum & flentes, & eiulantes multum. Hi ſunt miſeræ carnis effectus. Dum enim oritur, charis gaudium parit, quia natus eſt homo in mundo; quando occidit contra, domeſticos contriſtat; ſe autem quid? replet miſerijs, infinitis ſe miſcet quæſtionibus, quæ eam vſque in finem curant. Videt autem eiuſmodi miſerias ſolus Chriſtus, qui de cælo cæleſtis, & totus ſpiritualis, claro oculo carnis opprobria intuetur. Cœteri dum viuimus, ſenſibus obumbramur, & trahimur paſſione gaudij, ſeu triſtitiæ, atque doloris, quibus carni compatimur. *Ioann 16.*

CAPVT

CAPVT XXXIX.

Et ingreſſus, ait illis, quid turbamini, & ploratis? puella non eſt mortua, ſed dormit.

Expoſitio. INcipit ſui aduentus cauſam detegere, videlicet triſtes conſolari, & dare vitam mortuæ, quapropter ingreſſus ad tumultuantes, & conſpiciens lugentes, & eiulantes, & quaſi nulla cauſa adeſſet luctus, ſciſcitatur cur turbentur, & plorent, ſi ob puellæ mortem, inquit, deponite planctum, ſi quidem mortua vobis videtur, quæ dulci ſomno ſoporatur.

Et ingreſſus, ait illis. Equidem venit
Iob. 2. oneroſus conſolator, vt illi qui ſederunt in terra cum Iob ſeptem diebus, & ſeptem noctibus, & nemo loquebatur ei verbum. Non ſic Chriſtus, ſed videns ploratum, & vlulatum multorũ ingreditur ad eos, & loquitur, vt meſtitiam deponant, faciant finem ſingultibus, lacrymas abſtergant, & læta ſint omnia, quia prope eſt, qui lætificat, nec abeſt vita, & reſurrectio. Etenim mæſtis ſolatium affert aduentantium dulce
Iob. 16. eloquium. Hinc Iob: Conſolarer & ego vos ſermonibus, & mouerem caput meum ſuper vos. Roborarem vos ore meo, & mouerem labia mia, quaſi parcens vobis. videtur quidem qui opportunè triſtem alloquitur partem oneris penes ſe ſuſcipere, & ſub ceruicali puluinar ponere ei, qui ægrotat.

Quid turbamini. Turbatio accidit triſtibus, quod ratio, quæ, veluti naui, eſt gubernaculum toti homini, obumbretur vt
Iuſtitiæ effectus. non valeat diſcernere, neque rectum ferre iudicium, quo fit, vt triſtem ſequatur anguſtia, anxietas, accidia, & plura alia, quæ ſic animum hominis turbatum declarant, & corpus, vt neque pes, neque mens, neque membrum aliquod videatur ſatis officium ſuum agere: vnde quibuſdam amentiam, alijs mortem voluntariam, & alijs multis indigna ſtatu, & conditione hominis procreat. Quare concludit Philoſ. triſtitia turbante nullam paſſionum eſſe deteſtabiliorem, quæ in multis homines damnificat.

Et ploratis? Ploratus triſtẽ mitigat, inquit Phil. qui tamen peccatis grauamur, ſuper nos potius, quàm ſuper mortuum plorare debemus, vt ſicut triſtis linitur imbre lacrymarum; ita animus abluatur multitudine ploratus. Lauant enim lacrymæ, mundant cor, & ſuper niuem dealbant. Subinde pœnitens dixit: Fuerunt mihi lacrymæ
Pſal 41. panes die, ac nocte, dum dicitur mihi quotidie vbi eſt Deus tuus.

Puella non eſt mortua, ſed dormit. Non
Dion. Cart. eſt mortua quoad me (exponit Dionyſius in cap. 9. Matth.) quamuis naturali ordine mortua ſit, ſed dormit mihi, qui eam valeo citius ſuſcitare à morte, quàm vos dormiẽtem à ſomno. Itaque *non eſt mortua*, id eſt irreparabiliter deſtituta à vita. Alludit quoque locutio ad eam, qua de Lazaro lo- Mors iuſtorũ
cutus eſt: Lazarus amicus noſter dormit, Ioann. 11.
ſed eamus vt à ſomno excitemus eum, quibus notatur iuſtorum finẽ, non mortem, quæ diſſipat, ſed ſomnum, quo reficitur laſſus, & delectatur homo, hoc eſt requiem
eſſe. Quia cum dederit dilectis ſuis ſom- Pſal. 62.
num, ecce hæreditas Domini, filij, merces fructus ventris. Apponitur enim iuſtus ad patres ſuos, vt cum eis hæreditatem præclaram accipiat, cum quibus funiculos diſtributionis meruit exercere; hoc eſt, arcta, & difficilia operari.

Memento lector huiuſce locutionis, cum audis hæreticos Hagiomacos, Caluiniſtas, Huganotos, ſectarios, ſacramentarios, lutheranos, vſſitas, & ſimile viperarum genus concrepantes, oblatrantes, ac debacchantes aduerſus cælibatum, quod mortua ſit puella, quæ ſe conſecrauit Domino, quod funditus perijt anima, quæ caſtitatem de-
uonit. Iſta vlulantibus dicito *non eſt mor-* Defenditur
tua puella, quæ ſuam virginitatem dicauit cælibatus.
auctori; *ſed dormit*, quieſcit à moleſtijs concupiſcentiæ, & requieſcit cum ſponſo
Chriſto, qui habitare facit ſterilem in do- Pſal. 112.
mo, matrem filiorum lætantem, filiorum inquam, qui parentes non irritant, ſed conſolantur. Namque continenti, & caſto di-
citur: Filij tui ſicut nouellæ oliuarum in Pſal. 127.
circuitu menſæ tuæ. Cuius menſæ? Non iam terrenæ, ſed eius, quam poſuit Deus in
conſpectu ſanctorum aduerſus omnes, qui Pſal. 22.
tribulant eos, vt edant, & bibant cum Luc. 22.
ſponſo in regno ſuo. Propter quod ſe ca- Matth. 19.
ſtrauerunt, ne in carne viuentes carni placerent, ſed Deo, in cuius ſpiritu ambulare & fructificare, honorem ſummum reputarunt potius, quàm de carne metere cor-
ruptibilia corpora, quæ nihil proficiunt Gal. 6.
poſſeſſori. Quare non dicat Eunuchus: Ecce
ego lignum aridum; quia hæc dicit Domi- Iſai 56.
nus Eunuchis, qui cuſtodierũt ſabbata mea & elegerint, quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum. Dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filijs, & filiabus. Filij, & filiæ ſunt cæteri fideles, qui etſi ad regnum admittantur, non dotantur aureola virginitatis, qua in cælo, & inter ſedes beatas præcellunt virgines, quod caſtitatis fuerint cultores, velut ſabbati, & eam, quam ſibi Chriſtus voluit, delegerint, & tenuerint perpetuo fœdus, ac votum, quod ſponſo immaculato promiſerunt. Abſit ergo, vt cum hæreticis dicamus, monachum, & monacham, & celibem alium mortuum, quod non coniungantur matrimonio. Dormiunt quidem, & dormieo-

dormiendo fructificant, & elegantiores filios, atque filias generant.

CAPVT XXXX.

Et irridebant eum: Ipſe verò eiectis omnibus, aſſumit patrem, & matrem puellæ, & qui ſecum erant, & ingreditur vbi puella erat iacens.

Expoſitio. TAmetſi conſolatoria verba, quæ conſolator optimus protulerat noluiſſent recipere tumultuantes, quinimò irriderent eum, vt inſipientem, qui quod neſcit, loquitur, & plus cœteris vult ſapere. Pergit nihilominus, vt verbis, ſic factis conſolari parentes. Etenim aſſumptis eis vnà cum tribus diſcipulis, ad locum vbi iacebat puella ingreditur, vt domeſticis ferrent teſtimonium parentes; cœteris verò Apoſtoli, quod factum eſt, vbique terrarum enarrarent.

Et irridebãt eum. Derident (inquit Theophyl.) ne poſſint poſtea dicere quod in exceſſu mentis correpta fuerit, & non fuerit miraculum eam ſuſcitare; vnde deriſerunt eum, quod diceret illam non mortuam, ſed *Gal 6.* dormire. At Deus non irridetur. Irridentur hi, qui derident eum, qui eos fecit, & *Pſal. 2.* creauit, vt eſſent. Scriptum eſt: Qui habitat in cælis irridebit eos, & Dominus ſubſa- *Sap. 4.* nabit eos, & erunt poſt hæc decidentes ſine honore, & in contumelia inter mortuos in perpetuum.

Ipſe verò eiectis omnibus. Quia ergo verbum ſuſcitantis irridere, quàm credere malebant, meritò foras excluduntur, vtpotè indigni, qui potentiam ſuſcitantis, ac *Euthim.* miraculum viderent, ait Beda, & Euthym. *Chryſoſt.* ex Chryſ. vt fugeret eorum laudem, cum enim nunquam tale quippiam vidiſſent, applauſuri erant, & ſupramodum laudaturi. Non admittuntur denique (proſequitur *Zachar.* Zachar. Chriſop.) cum Domino niſi fideles, *Chriſopol.* vt eis miniſteria reuelentur, qui honorant. *Math. 11.* Vnde alibi, iuſtificata eſt ſapientia à filijs ſuis. Quia Synagoga lætitiam dominicæ inhabitationis merito infidelitatis amiſit, quaſi mortua vſque hodie iacet inter flentes, & eiulantes; hoc eſt, dolentes. Nec tamen ſuperna pietas eam funditus interire patitur, ſed circa finem ſæculi reliquias *Gloſſ. ord.* eius ſaluabit. Ad hæc Gloſſ. ordin. Turba eijcitur, vt puella ſuſcitetur, quia niſi curarum, ſæcularium multitudo à corde, eijciatur anima, quæ intus iacet mortua non ſuſcitatur. Dum enim ſe per vniuerſas cogitationes ſpargit ad conſiderationem ſui, nullatenus colligit. Nam quæ partici- *2. Cor. 6.* patio Chriſti ad Belial? aut, quæ communicatio lucis ad tenebras?

Aſſumit patrem, & matrem puellæ. Patrẽ ſiquidem, matremq. puellæ (ait Euthym.) *Euthim.* miraculi ſpectatores aſſumpſit; tamquam puellæ magis domeſticos, quibus facilè cœteri crederent. Vnde apud Ioann. parentes *Ioan. 9.* cœci aduocantur, vt de filij cæcitate, & viſione noua teſtimonium ferant. Neque etiam reſuſcitat animam à peccato ad gratiam, niſi patre, & matre aſſumptis. Eſt animæ pater mens, qui eam dirigit, & qui eam vel viuam, vel mortuam conſeruat voluntas. Has ergo potentias aſſumit Deus cum animam iuſtificat. Mentem quidem per fidem trahit, & voluntatem per amorem quia dixit: Sponſabo te mihi in fide. *Oſe. 2.* In charitate perpetua dilexi te, traxi te *Ier. 31.* miſerans tui.

Et qui ſecum erant. Videlicet Apoſtolos tres, quos teſtes eſſe voluit Ieſus (notat Arias Mont) eorum, quæ ipſe geſſit, *Arias* vtpotè à principio vocatos, vel potius, *Mont.* vt toti mundo hi tres teſtes facti eſsent. Iacobus enim in Iudæa Samaria, & in Hiſpania prædicauit. Ioannes in Aſia principatum obtinuit, Petrum ſcimus relicta Antiochia, Cathedram in hanc vrbem ſuo aduentu, & morte tranſtuliſſe. Intelliguntur quoque, inquit Zach. Petrus. Iacobus, *Zach.* & Ioannes, fides, ſpes, charitas, Pater, Epiſcopus, Mater Eccleſia.

Et ingreditur, vbi puella erat iacens. Hoc eſt Chriſtus, diſcipuli, & parẽtes, vt qui officiũ agunt paſtoris, & qui aſſumentes teſtes, videlicet prædicatores, ſciant vſquequaque humiliari, dummodo viuat qui perijt, & qui luctum prouocabat, gaudium ferat. Non dedignentur ad infima loca de- *Vitalis Abb.* ſcendere, vt Vitalis abbas ad locum mere- *Narciſius.* tricium, & Narciſius Epiſcopus ad Affram impudicam, ſi ſciant expedire. Inde quoq. reduc lector in memoriam Epiſcopis, Clericis, & Religioſis, quæ ſacri canones ordinant ſuper cohabitatione & conuerſatione mulierum. Nam qui cadere non poterat, noluit neque ad mortuam mulierem ſolus, ſed honeſta ſocietate accedere, læge quæ ex patribus, & concilijs referuntur 18. queſt. 2. diffinimus. In 10. diſt. 81. legitur, Clericus in omnibus, atque alijs in locis.

CAPVT XLI.

Et tenens manum puellæ ait illi: Talitha cumi: quod eſt interpretatum, puella (tibi dico) ſurge.

INgreſſus itaque ad locum, vbi iacebat *Expoſitio.* puella, opus aggreditur, mortuæ apprehendit manum, aduocat nomine proprio, & eã iubet ſurgere. Nec quidẽ abſque myſterio in præſenti miraculo vtitur tacto, & voce, quare autẽ, paulopoſt diſcurremus.

Et

Digitized by Google

Et tenens manum puellæ. Quæ in Heua prima parente tranſgreſſionem commiſerat, & induxerat mortem. Ergo vt contrarijs vitam repetendam fore indicaret, manum tenet ne vlterius ad arborem, neq. deinceps mandatum prætergrediatur, ſed ſit ſub manu Dei, ſub iugo Chriſti, nec ab eius præceptis recedat. Sic inquit quidam: *Pſal. 48.* Deus redemit animam meam, de manu inferi.

Ait illi. Vt enim videt ea, quæ non ſunt *Rom. 4.* tanquam ea, quæ ſunt, ità loquitur ad eos, qui mortui ſunt, ſicut ad eos, qui viuunt. *Ioann. 5.* Et mortui quidem audient vocem filij hominis. In typum ergo reſurrectionis communis, loquitur ad mortuam, & ſuſcitat voce. Vnde Chryſ. *Chryſ.* manus Ieſu viuificatiua exiſtens, mortuum corpus viuificat; vox autem iacentem excitat, quia vox Domini *Pſal. 28.* in virtute.

Talitha cumi. Nomen eſt ſyriacum, טליתא קומי compoſitum ex talitha, & cumi. Talitha à טלל thalal, hoc eſt tegere, obumbrare, cumi verò קום chum, ſurgere, ſtare, firmum eſſe. Vnde Thalitha cumi interpretabitur obumbrata ſtans. Nam mors eam obumbrauit, at verò ſtantem fecit reſurrectio. Vſus eſt voce hac ſyriaca, qua hebræi vtebantur (ait Arias Mont.) *Arias Mont.* vt manifeſtè probaretur virtus, & efficacitas illius ad ſuſcitandum mortuos tàm facilè, quàm excitari ab aliquo dormiens quis poſſit, nàm huiuſmodi actione, & oratione excitare ſolemus dormientes corpore ſanos, appræhenſa manu, & voce addita. Petre ſurge. Fuere aliquando incantatores (vt *Simon Magus.* Simon magus) qui ſuſurris, murmure, carminibuſq. obſcuris, & inuocationibus dæmonum, mortuorum corpora non reſurgere, ſed moneri tantum fecerint; ſed qui ſimplici appellatione, mortuos excitauerint? nulli (præter Ieſum) fuere & præter quoſdam, qui nomine Dei patris, vel Ieſu filij eius inuocato idem præſtiterint. Sed quàm propria, & certa Ieſu ad mortuos excitandos virtus fuerit, ex hac oratione, & *Lyra.* actione declaratur. Nicolaus de Lyra cum alijs pleriſq. legit: Thabita, quod non eſt, inquit, nomen commune, ſed proprium nomen illius puellæ, quæ fuit ſuſcitata, & *Pſal. 91.* hoc patet per ſimile Actorum 9. vbi dicitur: In Ioppe autem fuit quædam diſcipula nomine Thabita, & ideo Marcus pro nomine proprio propoſuit commune, interpretando, ſcilicet, puella. Verum quoad nomen neque græca, neque ſyriaca lectio fauent Lyræ, cum vulgata legentes Talitha cumi, quæ poſt adiecit, pugnare videntur. Nam ſi nomen eſt proprium, quomodo Euangeliſta vſus eſt communi pro proprio? fortaſſis quod interpretationem nominibus adduxit, alioqui quid ſibi velit Lyra, non video.

A I

Quod eſt interpretatum: puella (tibi dico) ſurge. Si nominis adductam ęthymologiam inſpiciamus, non quadrat interpretatio, quare non nomen ipſum, ſed voluntatem, & dicentis animum crederem exponi, vnde non dicitur, quod interpretatur, vt ſolet dici cum de nominum interpretatione agitur, ſed quod eſt interpretatum, videlicet totũ illud, quod egit, ac dixit, *puella ſurge*, quoniam huc omnia ordinabantur, vt puella ſurgeret.

CAPVT XLII.

Et confeſtim ſurrexit puella, & ambulabat; erat autem annorum duodecim, & obſtupuerunt ſtupore magno.

DOminus locutus eſt, quis contradicet ei? *Expoſitio.* Neque infernus retinere potuit animam, quin audita voce Domini, confeſtim rediret ad corpus, & ſurgeret, quæ planctum vnigenitæ domi ſuæ morte tulerat. Surgit itaque & ambulat plenè, non vt ægra, ſed vt integræ, & ſanæ ætatis annorum 12. tot enim & ipſa habebat annos. viſo ergo qui aderant, tàm inſperato, & tremendo miraculo, obſtupuere, vt vix loqui poſſent præ ſtupore.

Et confeſtim ſurrexit puella. Optimè confeſtim ſurgit, quæ reſurrectionem cunctorum ſignat. Siquidem, & hæc in momento in ictu oculi fiet.

Et ambulabat. Vt viuentem ſe parentibus oſtenderet, qui lugebant mortuam, & præmoneret cunctos, non ad quietem, vt fiet in nouiſſimo die; ſed ad laborem ſolitũ ſuſcitatam, conſequenterq. iterũ moriturã; bene quoque ſurrexit puella (ait Zacharias Chryſop.) *Zachar. Chryſop.* & ambulabat, quia quemcumq. peccatis mortuum ſuperna miſeratio reſuſcitat, non ſolum à ſordibus ſcelerum debet exurgere, ſed etiam mox in bonis operibus proficere, iuxta pſalmiſtam. Qui ingreditur ſine macula, & operatur iuſtitiam. *Pſal. 14.*

Erat autem annorum duodecim. Qua in ætate optimè poterat ambulare, & ſua ambulatione, non phantaſticam, ſed veram eſſe reſurrectionẽ ſuam. Et hoc quidem poterat in minori ætate. Attamen, vt reſurrectionem futuram agnoſceremus, vniuerſorum fore, duodecim exprimuntur anni ſuſcitatæ. Vniuerſalitatem dicit duodenarius numerus. Vniuerſalitate autem & temporum, & perſonarum omnes quidem reſurgemus. Idque in nouiſſimo die, hoc eſt, completo omni tempore.

Et obſtupuerunt ſtupore magno. Nam tàm ratione miraculi, quàm modi, quo illud peregit. De quo preſenti in loco, Nicolaus de Lyra quæſtionem proponit. *Lyra.* An Chriſtus miracula fecerit ſola virtute diuina,

Leo. Aug. Greg.

nina; agitatam tamen ſanctorum dictis, vtpotè Leonis ad Flauianum. Auguſt. lib. 22. de Ciu. cap. 9. & Greg. lib. 2. dial. cap. 30. definit iuxta ſcholaſticorum ſententiam, videlicet ſecundum diuinitatem, vt agens primum, miracula perpetraſſe, ſecundum humanitatem, vt inſtrumentum.

CAPVT XLIII.

Et præcepit illis vehementer, vt nemo id ſciret: & dixit, dari illi manducare.

Expoſitio.

POſt miraculũ, quod vix latere poterat, vult ipſe latere, indicens ſilentium cunctis, qui aderant, ne illud vulgarent, curamq. gerit ſuſcitatę, vt eam parentes alerent, quam à Deo, vt nouam acceperant.

Et præcepit illis vehementer, vt nemo id ſciret. Præcepit, hoc eſt, admonuit (vt exponit Euthym.) ſic enim habet Luc. ob hoc enim etiam alios eiecit. Et quanquam ſciret futurum eſſe, vt miraculi ſermo vbique diuulgaretur. Nam & Matth. dixit quod exiuit fama hæc in vniuerſam regionem illam; tamen quod ſuum eſt vbique facit, docens nos humilitati ſtudere.

Euthym. *Matth. 9.*

Et dixit, dari illi manducare. Ad teſtimonium vitæ (inquit Zachar.) vt non phantaſma, ſed veritas crederetur. Si quis etiam à ſpirituali morte reſuſcitatur cæleſti neceſſe eſt mox pane ſatietur, particeps effectus, & diuini verbi, & altaris ſacroſancti. Iuxtà moralem intelligentiam tres illi mortui, quos Saluator in corporibus ſuſcitauit, tria genera reſurrectionis animarum ſignificant. Puellam ſuſcitauit adhuc in domo clauſam, ideſt animæ conſenſum tantum, non actum malæ delectationi præbentem. Iuuenem reſuſcitat iam extra portam elatum, ideſt peccatorem, qui conſenſum iam perduxit ad actum; ſuſcitat Lazarum iam fœtentem; ideſt, longa conſuetudine peccandi animam malè olentem, & alios ſama corrumpentem. Puellam paucis alloquitur, quia eam facilè ſuſcitat, quam & mortuam negat, & animam ſimilem cito reſuſcitari demonſtrat. Iuuenem pluribus corroborat, cum dicit, tibi dico ſurge, quia tales animæ aliquanto difficilius reuiuiſcent. Ad monumentum quatridnani Lazari fremuit ſpiritu, turbauit ſemetipſum, lacrymas ſudit, voce magna clamauit. Lazare veni ſoras. Similiter longe conſuetudine preſſus, vix, & quaſi cum labore ſuſcitatur. Habet penè eadem Beda. Itaque ſuſcitata manducat, quod reſurrectionis optatiſſimæ finis ſit manducare de bonis Dei, & panem Angelorũm in ſæcula ſæculorum guſtare. Amen.

Luc. 7. *Ioann. 11.*

FINIS LIBRI QVINTI.

IN

IN SACROSANCTVM CHRISTI EVANGELIVM SECVNDVM MARCVM

LIBER SEXTVS.

IN CAPVT SEXTVM PRAEFATIO.

Summarium capitum & libri ſexti.

MESSEM multam congregare optans, pergit alio, reditq. ad terram Nazaret, non tàm, vt inuiſeret eos, qui ſe gloriabantur conciues eius, quàm vt miraculis ædificaret, et ſpiritualia incrementa penes illos faceret. At neq. doctrina, quã propoſuit in ſynagogis & in caſtellis euulgauit, neq. paucis miraculoſis, quæ oſtendit, ruſticitatẽ eorũ, ne dũ malitiã, et inſipientiã potuit vincere. Dum tamen conatur Nazarenos rudes inſtruere, alio deſtinat Apoſtolos duodecim, vt bini euntes pœnitentiã prædicent, & nõ tàm verbo, quã opere, quàm etiã prodigijs, & miraculis factis veritatẽ cunctis annunciarent. Id quod Chriſtũ apud oẽs regionis homines celebrem fecit adeò vt Herodes Rex arbitraretur Ioann. Bapt. quẽ ob Herodiadẽ vxorẽ decollari iuſſerat, è mortuis reſurrexiſſe, at quẽ alij crederent vel Eliam, vel vnum ex prophetis eſſe, legatione itaq. abſoluta, redeunt Apoſtoli ad Ieſũ, cui acta denunciant. Illis verò cõpatiens Chriſtus prouidit quietẽ à turba, quæ nec ſpatiũ edendi concedebat. Verũ etſi naui aſſumpta, in ſolitudinem ſeceſſiſſent, nõ potuerunt turbã continere, quin oppidatim, vndiq. confugientes ad locũ eos præuenirent. Cæterũ neq. magiſter deuotis negat doctrinã, neq. Dñs famẽ patientibus denegat cibũ. Docuit n. aduentantes, et pauit ex quinq. panibus, et piſcibus duobus, quinq. millia virorũ qui conuenerãt, exceptis mulieribus, et paruulis, ædificatas ergo turbas dimittens, ſua quiſq. loca repetit. Iubet quoq. Apoſtolos ſe præcedere trans fretum, vt orationi ſolus in mõte vacaret. Attamen cum transfretantes Apoſtolos ventus contrarius nocte obſcura agitaret, liberat eos Chriſtus inuſitato miraculo, quare his, atq. alijs multis, ab illis, qui in terra Genezaret erant, auditis, ad Chriſtũ ex vniuerſis Oppidis, Villis, Ciuitatibus, et Pagis conuenerunt, cupidi ſaltẽ veſtimẽti eius fimbriã tangere. Itaq quinq nobis præſens cap. proponit, redditũ Chriſti ad patriã Nazaret; prædicationẽ Apoſtolorũ; opinionẽ de Chriſto inter gẽtes, tũ maximè apud Herodẽ illũ Ioannis homicidam; ſeceſſũ Chriſti in deſertũ, ibiq. actũ miraculũ; ac demũ quid cum Apoſtolis fluctuantibus geſſerit, nec non cum alijs, qui trans fretum eum conuenerunt. Iam ad ſingula veniamus.

Quinq. partes contin.

CAPVT PRIMVM.

Egreſſus inde abijt in patriam ſuam, & ſequebantur eum diſcipuli ſui.

Expoſitio.

PRæceperat puellæ reſurrectionẽ non publicari, qui tamen beneficiũ receperant minimè potuerunt linguã cõprimere, quin vbiq. Chriſtũ laudarent, & euulgarẽt paſſim tantũ miraculũ, quapropter illinc egreditur ne videatur laudis appetitor, & ire deſponit Nazaret Galileæ Ciuitatẽ, quæ eius patria dicebatur. At euntẽ ſequuntur comitis diſcipuli, qui tanti magiſtri ſcholæ admoti, continuo ab eius melliſluo ore pendebant.

Et egreſſus inde. Scilicet vbi puellę vitã dederat, & ſe mirabiliũ operũ patratorẽ declararat. Et vt hominũ præconia declinaret, qui maior eſt omni laude, etiã cæleſti, & vt ſecũ ad altiora traheret quos miraculo reddiderat ſtupidos, videlicet, ad Deum, ad cælũ, & imitationem ſui perduceret. Etenim amati egreſſus amantẽ trahit, vnde abeũte ſpõſo: Surrexi, inquit ſpõſa, vt aperirẽ dilecto, nec ſolũ aperuit, ſed inſtanter quæſiuit, & ſecuta eſt, quouſq. eum inuenerit. Siquidẽ potẽtior eſt, & efficacior igniculus, qui in iuſto ardet, quã affectus, qui in cane cõſpicitur. Hũc autẽ quis abeũte Dño poterit retinere? Et canis ſequutus eſt eos, deponit ſcriptura. *Cant. 5.* *Tob. 6.*

Abijt in patriam ſuã. Hoc eſt Nazaret, vbi fuerat nutritus ſecundũ Lucã; à nutrimento igitur, quod ſecundũ carnẽ eo loco ſuſceperat, Ciuitatẽ illã appellat patriã ſuã more cæterorũ, qui Ciuitatis ciues, vnde alimentũ accipiũt ſe ciues proferunt. Etenim, qui habitu inuentus eſt homo, & cũ hominibus voluit cõuerſari, mores hominũ haud omnino ſpreuit; ſed compleſſus eſt; vt ſub his meliores doceret eam nobis fore patriam, quæ totum vitæ fulcimentum, atque perennem annonam miniſtraret, & donaret *Luc. 4.* *Phil 2.* *Bar. 3.*

Quænam eſt patria noſtra.

ret habitationem iucunda; vtpotè cælo, cæ-
leſti eius manſione, quā cubitus conſumat,
& perficit Chriſtus, auctor, & conſúmator.
Huiuſmodi locum fore nobis patriam vo-
luit, dūm Nazaret, in qua nutrierat corpus,
Ioann.10. patriam dicit. Nam, vt more magiſtri ar-
gumentemur, qui dixit; ſi eos dicit Deos,
ad quos ſermo Dei factus eſt, quem pater
ſanctificauit, & miſit in mundum, &c. Sic
quoque, ſi eam vocat patriam, vbi corpus
incrementum ſuſcepit, quantò eam cenſe-
bit patriam, quæ ne dum animæ; ſed etiam
corpori meliora, optima, & ſempiterna
pollicetur, & præbet? Hæc eſt illa Ieruſa-
Pſal 121 lem, quæ ædificatur, vt Ciuitas, cuius par-
ticipatio in idipſum, quo aſcenderunt tri-
bus Domini, & precatur Pſaltes deduci:
Pſal 26. Vnam, inquit, petij à Domino, hanc requi-
ram, vt inhabitem in domo Domini omni-
bus diebus vitæ meæ. Et quot ſunt dies vi-
Pſal. 20. tæ tuæ ò Rex? In longitudine dierum, in
æternum, & in ſæculum ſæculi. Ergo qui
Pſal 33. vult dies videre bonos, patriam, quam ſub
typo Nazaret Chriſtus indicat, ſedulo per-
quirat; ad eius oſtium pulſet, & modis om-
nibus ingredi feſtinet; quia non habemus
hic requiem, neque patriam, ſed commune
exilium, & moleſtam peregrinationē, atq.
infeſtam ſocietatem. Id quod Chriſtus ex-
Euthym. pertus eſt in ea, quā vulgata loquendi con-
ſuetudine, patriam vocitat: vtcumque ad
eam abijt, ſecundum Euthym, ne poſtmodū
dicere poſſent, quod non docuiſſet eos.

Et ſequebantur eum diſcipuli ſui. Erant
hi comites peregrinationis ſuæ, & teſtes
actorum, quæ fiebant; vt annunciarent in
Act. 1. omni Iudæa, & Samaria, & vſque ad extre-
mum terræ, cuncta per ordinem, quæ Chri-
ſtus dixit, ac fecit; quapropter ſequuntur
non inſpectores ſolum; ſed imitatores facti
operum, quæ propoſuit imitanda, vt vel in-
de qui diſcipuli nomen tenemus, diſcamus
1. Ioan. 2. formam, quia qui dicit ſe noſſe Deum, &
mandata eius non cuſtodit, mendax eſt, & in
eo veritas non eſt. Chriſtus (ait Hier. lib. 2.
contra Iouinianum) veritas appellatur. Ego
Ioann. 14. ſū, inquit, via, veritas, & vita. Fruſtra nobis
in eo plaudimus, cuius mandata non feci-
Iacob. 4. mus: Scienti bonum, & non facienti illud,
peccatum eſt. Ergo ſi ſequeris, ſequere,
hoc eſt, mores imitare, cuius te ò præco, &
Epiſcope diſcipulum profiteris. Nam grues
non voce tantum; ſed volatu ductricem ſe-
quuntur, vocem quidem Chriſti prædican-
do æmularis; ſed quid proficit, niſi ad vo-
Ezech. 1. laueris ad opus? Et manus hominis ſub pen-
nis eorum, in quatuor partibus; hoc eſt,
prædicatoris exercitatio, atque operatio,
Greg. in quatuor virtutibus, prudentia, iuſtitia,
temperantia, fortitudine, iuxta Greg. ex-
poſitionem hom. 3. in Ezech. Id quidem eſt
indiuiduos Chriſti comites fieri, & attica
muſa in concionibus vti.

CAPVT SECVNDVM.

*Et facto ſabbato cœpit in Synagoga docere,
et multi audiētes admirabātur in doctri-
na eius, dicentes; vnde huic hæc omnia? &
quæ eſt ſapientia, quæ data eſt illi, et vir-
tutes tales, quę per manus eius efficiūtur?*

IN patriam, itaque aduentās, quæ hono- *Expoſitio.*
rem, augmentū, & opulentiam poterant
illi afferre, meditatur, & elargitur. Etenim
quæ Moysē, ac prophetas fecit claros, do-
ctrinā, & ſapientiā eos docet, vt & ipſi ho-
norati in populo, & inter gentes glorioſio-
res haberentur. At qui otio vacant, & in-
tendunt fabulis, atq. mundi fauſtis, dū Chri-
ſtū ſabbato audiunt in ſynagogis prædican-
tem, admirantur quidem ſapientiam eius,
atque virtutem, improperant verò ei, qui
talia operabatur; quapropter monet ſa-
piens: Non communices cum homine in- *Eccl. 8.*
docto, ne malè de progenie tua loquatur.

Et facto ſabbato, cœpit in Synag. docere. Ex-
pectat ſabbatum, & in ſabbato theſauros ſa-
pientiæ & ſciētiæ ſuę aperit, vt ſinē doctrinæ
exquiſitiſſimæ deſignaret requiē, gaudiū, &
lætitiā eſſe his, qui eā amplectuntur. Viæ n.
eius viæ pulchræ, & omnes ſemitæ illius pa- *Prou 3.*
cificæ; lignū vitæ eſt his, qui apprehēderint
eā, & qui tenuerit eā beatus, ſiquidē nō quā
Heua appetijt; ſed ſancti poſſidēt, per quā in
terris vicerūt regna, & in cælis gloria, & ho- *Heb 11.*
nore in ęuū coronantur, & ſabbatizant. Huc *Pſal 8.*
tendunt vniuerſa, quæ Chriſtus geſſit, & do-
cuit, & ideò optimè ea ſabbato, in quo re-
quies proponitur. Non tradūtur in princi-
pio, vt creaturę corporeæ huiuſmodi, q. tē-
porū anguſtijs, mutationi ſubiacent, & cor-
ruptioni cū hōe ipſo, qui & bulla, & vanitas;
ſed in ſabbato, quod Deo ſeruatū eſt. Nāq.
documēta, & acta Chriſti à tēporarijs oībus
ad æternitatē, quæ Dei eſt propria, nos per-
trahūt. Propterea clamat. Vſquequo paruuli *Prou. 1.*
diligitis infantiam, & ſtulti ea, quæ ſibi ſunt
noxia cupient, & imprudentes odibunt ſciē-
tiā? Cōuertimini ad correptionē meā, en pro
ferā vobis ſpiritū meū. Et quidē hoc in lo- *Luc. 4.*
co, vt Luc. ſcribit (expoſito Iſai. miraculo, ſpi *Iſai. 61.*
ritus Dñi ſup me) ſi alicubi ſpiritū protulit,
& in ſpiritu ſcripturā explanauit, & docuit
auditorē. Id q innuit verbū, *cœpit*: Nam, & ſi
ſæpè alias docuiſſet, at tanto cum ſpiritu, &
oſtenſione virtutis Dei, tunc *cœpit*; quia in
ſabbato, quod precioſiora requirit, quia in
ſynagoga, quæ cœtu multorum coaleſcens,
digniſſima poſtulat eloquia, & quia in pa-
tria, quæ noua, & meliora ab indigenis, qui
aliunde aduentant, exoptat offerri.

*Et multi audientes admirabantur in do-
ctrina eius*. Erat enim gratia diffuſa in la- *Pſal. 44.*
bijs ſuis, quæ eloquium efficiebat dulce, &
placidum. Erat & plenus ſapientia, quæ ex *Matth. 7.*
ore eius primogenita, hoc eſt ſublimia eru-

ctabat

ctabat. Erat,& doctor poteſtatem habens,
quæ in ſpiritu oris eius virtutẽ tamen col-
locabant,ac tantũ abeſt,quod quis contra-
diceret docenti, vt compellerentur decla-
mantem admirari. Interpretabatur enim
Arias Mont. (ait Arias Mont)ſcripturarũ myſteria adeò
Iſai. 61. apertè, vt nemo illius interpretationem
impugnare poſſet; atque in his, illud
Iſai. vaticininm grauiſſimi ac diuini argu-
menti: Spiritus Dñi ſuper me,quid noſter
prædicator doceat, colligamus; videlicet,
Tit. 2. Verbum ſanum, & irreprehenſibile, quod
non cachinnũ prouocet,neq.riſũ,ſed admi-
rationem ijs;qui audiunt,& admirantes ab
ore dicentis pendeant,vt aues à philomenæ
ſuauiſſimo cantu, ac ſi, & ipſe miſſus à Deo
Luc. 1. auſcultãti diceret:Aue gratia plena;namq.
Euangeliſtæ noſtri eſt,eloquio ſacro.Auere
animos, & eos, qui volunt gratia impleri,
quia ſapientia,quam his prædicat filijs ſuis
Eccleſ. 4. vitam inſpirat, & ſuſcipit inquirentes ſe,&
præibit in via iuſtitiæ, & qui illam diligit,
diligit vitã,& qui vigilauerint ad illam cõ-
plectentur placorem eius, ſeu placatorem,
ſcilicet Chriſtum, qui placat, & pacificat
omnia, quæ in cælis, & quæ in terris ſunt.

Dicentes, vnde huic hæc omnia? Præue-
nerat Chriſtus horum ignorantiam quando
aperto libro,Iſaiæ locus;ſpiritus Dñi ſuper
me, oblatus eſt. At animales neſciunt ſa-
cramenta Dei,neque percipiunt porci mar-
garitas.Ex ſe,vnde iſta Chriſto adueniſſent,
Eccl. 1. nemo ſcire poterat; quia ſapientiam Dei
præcedentem omnia, quis inueſtigabit?
Prior omnium creata eſt ſapientia,& intel-
lectus prudentiæ ab æuo:Hoc eſt,ab æterno
Eccl. 24. dicente ipſa: Ab initio,& ante ſæcula crea-
ta ſum, & vſque ad futurum ſæculum non
deſinam:Sapientia autem,quæ dicitur crea-
Matth. 11. ta,hoc eſt, genita intellectu paterno,Chri-
ſtus eſt,ſicut ergo neq.patrẽ nemo nouit niſi
filius,neq.filiũ,& quę in ipſo ſunt,& vnde ea
habeat,ac quomodo,nemo ſcit,niſi pater,&
cui reuelatio fiet,datumq.erit iuxtà captũ,
vnde Chriſto hæc omnia prouenerint; inde
Matth. 16. Petro dictũ eſt: Caro,& sãguis non reuela-
uit tibi,ſed pater meus, qui in cælis eſt.

Et quæ eſt ſapientia, quæ data eſt illi.
Priora verba ad increatã,& genitã ſapien-
tiam,quæ eſt origo omnium,referri poſſunt;
hæc autem ad creatam, cuius ſermone tra-
hebantur in admirationem; tametſi,vt ru-
Prou. 24. ſticns ecclypſim,ignorarent quoq.quia ex-
Iob. 28. celſa ſtulto ſapientia. Et abſcondita eſt ab
oculis omniũ viuentiũ,volucres quoq.cæ-
lis latet,vtpotè ſuperbos,& eos,qui viuunt
in delitijs carnis huius,dixerũt enim perditi
homines,& mortui peccato,auribus noſtris
audiuimus famam eius, in ore autem nemo
eorũ aſſumet, neq. eã manibus operabitur.

*Et virtutes tales,quæ per manus eius effi-
ciuntur?* Hoc eſt,miracula, quæ tactu,& im-
poſitione manuũ operabatur,dicuntur vir-
tutes tales,hoc eſt ſublimia opera,quæ vir-
tutem hactenus auditam pręcellebant. Effi-
ciebantur, nedum verbo, ſed fimbriæ con-
tactu:Vt cumq.per manus fieri dicuntur,vt
idem principiũ recreationi hominis, quod
& crearioni darent.Manus enim tuæ Dñe fe- *Iob. 10.*
cerunt me, & plaſmauerunt me, ait Iob, &
Iſai. In manibus meis deſcripſi te, deſcrip- *Iſai. 49.*
tus eſt indelebili ſtylo,qui ſaluatur. Factus
verò & plaſmatus, qui creatur. Tribuitur
autem vtrumq:opus manibus:Quod ijs po-
tentia deſignetur,iuxtà illud: Altitudò ma- *Abac 3.*
nus ſuas leuauit, & regnum in manus eius,
poteſtas,& imperiũ. Nam,& reges ſceptra,
quæ ſunt potentiæ ſigna,in manibus geſtãt.
Inde pater de Chriſti imperio loquens, di-
xit: Ponam in mari manũ eius, & in flumi- *Pſal. 88.*
nibus dexteram eius:Hoc eſt potentiã Chri
ſti ſuper omnes ſublimes,& humiles protẽ-
dam,& dilatabo eius imperiũ à mari vſq.ad *Pſal. 71.*
mare,& à flumine,vſq.ad terminos orbis ter
rarũ,vt corã ipſo ꝓcidãt Æthiopes,& inimi
ci eius,terrã lingãt,adorẽtq oẽs reges terrę.

CAPVT TERTIVM.

*Nonne hic eſt faber, filius Marię, frater
Iacobi, & Ioſeph, & Iudę, & Simonis?
Nonne & ſorores eius hic nobiſcum
ſunt? & ſcandalizabantur in illo.*

HEm fatuitatem ſtultorum,qui doctri- **Expoſitio.**
nam, atque miracula cõmendant,au-
ctoré verò vilificant,& deijciunt,quaſi nun-
quam vile quid,aut deiectũ poſſit excellẽs
opus perficere.Arborem enim ſequitur fru-
ctus.Minorant itaque Chriſtũ ab arte fabri-
li,quã cum Ioſeph putatiuo patre exercue-
rat;ac ſi ars inhoneſtũ quid eſſet, & fabrili-
bus miracula fierent. Neque enim muſicus
ædificat,neq.fabrilis ars virtutes operatur.
Addunt à fratribus,Iacobo,Ioſeph, Iuda, &
Simone improperare ei,cũ neq.fratres ger-
mani eſſent, neq. inde vituperiũ adueniret,
quouis modo fratres dicerentur.Deniquè à
ſororibus derogare auctoritati Chriſti nitũ-
tur. Quid plura? In luce ſcandalizãtur,& eũ
qui in veritate docet,& imperat cum maie-
ſtate ſuſpicantur perperam cuncta agere:
quapropter conqueritur. Proijcientes, in- *Pſal. 16.*
quit, me, nunc circundederunt me, oculos
ſuos ſtatuerunt declinare in terrã, ſuſcepe-
runt me, ſicut leo paratus ad prædam,& ſi-
cut catulus leonis, habitans in abditis.

Nonne hic eſt faber? In græco legitur.
ὁ τέκτων *ille faber*, vel vt ſyrica tranſlatio
habet *faber ille*, fortaſſis quod nominatiſſi-
mus eſſet præ excellentia operum, quæ Io-
ſephum iuuans operabatur,vt olim diceba-
tur Apelles in arte pictoria; in cantu cy-
tharæ Dorceus, & Orpheus in Lyra; in cæ-
latoria Archimedon,& Lyſippus Sycionius,
in ſculptura,atque alij in ſua arte peritiſſi-
mi, vt & modo dicti ſunt magni, & notati
pronomine, vel articulo, quaſi alijs prefe-
rendi. At Chriſtum in omni arte antecelle- *Sap. 7.*

re quis dubitat? omnium enim eſt artifex,
& in manibus eius opus laudatur, quod ab
alijs in quacumq. arte peritis emanat, me-
liorari ſẽper poteſt; quia vt plurimũ opus
inutile, & riſu dignũ, aut certè imperfectũ,
quouſq. deſuper illuſtretur: vt enim nihil
hydropico ſiccius, neq. cęterorum hominũ
à Chriſti operibus vanius. Adeò vt non eru-
Eccl. 1. beſcat ſapiẽs narrationẽ ſuã ordiri: Vanitas
vanitatũ, & omnia vanitas. Optimè ergo de
ſolo Chriſto legi poteſt. Ille faber; ligniarius
an ferrarius? habes lector apud Matthæum.

Filius Mariæ. Pauperculæ, ſcilicet, pau-
pertatem enim opprobrio habent potentes
Paupertas exoſa filijs ſæculi. à ſæculo. Iniuſtitiam ſcripſerunt, vt oppri-
mant in iudicio pauperẽ, deprimant in por-
ta, calumnientur, & ſacrificium ex ſubſtan-
Amos 5. tia pauperis offerant. Generatio, quæ pro
Prou. 5. dentibus gladios habent, & commandit mo-
laribus ſuis, vt comedant inopes de terra,
& pauperes ex hominibus; ſed quæ com-
Eccleſ. 13. municatio ſancto homini, ad canẽ? aut quæ
pars diuiti ad pauperem? venatio leonis
onager in eremo, ſic & execratio diuitis
Iſai 25. pauper. Factus eſt tamen. Dñs fortitudo
Pſal 67. pauperi, & parat in dulcedine pauperi Deus
theſauros qui non veteraſcunt; ſaturat pa-
nibus Angelorum, & exaltat humiles exip-
ſis. Vnde Maria paupercula, quæ in deſpe-
ctum, & vilipendiũ proponitur vocem exal-
tat: Quia reſpexit humilitatẽ ancillæ ſuæ,
ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes
generationes, quia fecit mihi magna, qui
potens eſt, & ſanctũ nomen eius. Ergo ta-
Prou. 19. metſi fratres hominis pauperis odio habent
eum, inſuper & amici recedant ab eo, glo-
rietur in paupertate, tùm quod paupertas,
& honeſtas à Deo; tum quod pauperem be-
nedicens benedicat, & in regnum filij ſui
transferat. Animaduerte lector centuria-
tores cum Luthero, ex hoc potiſſimũ Naza-
Heræſ. repr. reorum contemptu, quo videntur Mariam
afficere, ſibi perſuadere, Mariam non tàm
pecunia, quàm genere vilem, & abiectam in
Lib. 13. in populo extitiſſe. Attamen quantum errent,
Matth loco habes in expoſitione ſuper Matth.
citato.

Frater Iacobi, et Ioſeph, et Iuda, et Simonis.
quomodo habeantur hi fratres Chriſti, di-
ctum eſt in expoſitione ſuper Matth. Et quã
malè Eluidius, & qui cum eo ſenſerunt, ab
hoc loco Mariæ virginitatem expugnarent,
habes ibidem. Non enim ſunt fratres ex
Maria orti, neq. progeniti à Ioſeph ex alia
coniuge (vt Euthym. cum gręcorum pleriſq.
putarunt) ſed vel conſobrini, vel alias co-
gnati, more ſcripturarũ, quæ eiuſdẽ cogna-
tionis homines, appellant fratres. Ab horũ
itaque paupertate Chriſtũ impetunt æmuli;
quorum ſectatores ſunt, qui in iuſto pœni-
tentiam irrident, virtutũ augmentum dete-
ſtantur in Religioſo, confeſſionem Chriſtia-
no improperant, & obedientiam ſancti ho-
minis pati nequeunt. His enim fratribus, Ia-
cobo, Ioſepho, Iuda, & Simone deſignantur,
prędictæ quatuor virtutes, quæ velut qua-
tuor pennæ vni inſunt viro fideli, & optimo; *Pſal. 54.*
vt volet, & requieſcat in Dño, fiatq. menſa *Exod. 25.*
propoſitionis fulſita pedibus quatuor, con-
tinens non panes terrenos, ſed panem to-
tius delectamenti, quo continens ſatietur.

Nonne, & ſorores eius hic nobiſcum ſunt?
Nomina earũ non referuntur, ſed credũtur.
Marię Cleophę, Salomę, & Zebedei, de quib*
etiam diſceptatio eſt, fuerint ne Marię Dñę
ſorores ab iiſdem parentibus Ioachim, &
Anna progenitæ; quære ſolutionẽ dubij in
Matth. Interea nota, ſorores eſſe cum eis, *Lib. 13. in*
fratres verò minimè. Quod hi Chriſtum ſe- *Matt. c. 57.*
querentur, & cum eo peragrabant terram;
illæ verò domi quieſcerẽt. Nam, & ſororum Quid ſorores
Chriſti mos eſt laudabilis non circumire Chriſti
edes, in plateis non ambulare, neque hac, decent.
aut illac diſcurrere; ſed in Eccleſijs cũ alijs
eſſe, ſeipſas in monaſterijs cõtinere, aut cer-
tè domi habitare. Hæc enim eſt pars bona
mulieris bonæ, quæ domũ ædificat, virũ ob- *Prou. 31.*
lectat, & veſtit domeſticos duplicibus, ſeq. *Eccl. 25.*
byſſo, & purpura induit; hoc eſt gratijs or-
nat, & præbet exemplum alijs: ſecus verò
agit, quę vel amicitia coniungitur illi, cuiq.
artes iuuenem vecordẽ deludunt, vel mori-
bus æmulantur filias Son, quæ ambulauerũt *Iſai. 3.*
extento collo, & nutibus oculorũ ibant, &
plaudebãt, ambulabãt, & pedibus ſuis cõpo-
ſito gradu incedebãt. At quã durũ tibi infe-
lix iudiciũ cõparet, ex verbis Iſai. quiſq. de-
ducet, & quidem iuſtè, vt in paradiſo condi-
ta, ac loci cõmoditate, & quietis, quã ſexus
concedit, lexq. præcepit, vti neſciat. Etenim
diſcurrunt pleraq. ſub ſpecie deuotionis, &
negotia publicè tractãt in habitu ſãcto, qua-
rũ pietas, etſi fortè apud Deum laudẽ pro-
mereatur pleriſq. noſtrũ eſt offendiculum. *Concil.*
Propterea libet Nannet. Conc. c. 19. trãſcri- *Nanneten.*
bere: Cum Apoſt. inquit, dicat, mulieres in
Eccleſia taceant, non enim permittitur eis *1. Cor. 14.*
loqui: Turpe eſt enim mulierẽ loqui in Ec-
cleſia, mirũ videtur, quod quędã mulierculæ
contra diuinas, humanaſq. leges attrita frõ-
te impudenter agẽtes, placita generalia, &
publicos cõuentus indeſinẽter adeũt, & ne-
gotia Regni vtilitateſq. Reipub. magis per-
turbãt, quã diſponant, cũ indecẽs ſit, & etiã
inter barbaras gentes reprehẽſibile, mulie-
res virorũ cauſas diſcutere, & quæ de lani-
ficijs ſuis, & operibus textilibus, & mulie-
bribus inter genitarias ſuas reſidentes de-
buerant diſputare, in Conuentu publico, ac
ſi in Curia reſidentes, ſenatoriã ſibi vſurpãt
auctoritatẽ, quæ ignominioſa præſumptio
fautoribus imputanda eſt magis, quã fœmi-
nis. Vnde quia diuinæ leges, vt ſupra mon-
ſtratũ eſt, hoc contradicũt, & humanæ idip-
ſum prohibent, vt fœminæ nihil aliud pro-
ſequãtur in publico, quã ſuã cauſã, ait enim
lex Theod. nulla ratione fœminæ amplius,
quã ſuas cauſas agendi habẽt poteſtatẽ, nec *Lex Theo-*
alicuius cauſam à ſe nouerint conſequendã *doſina.*
Idcirco

Idcirco auctoritate canonica interdicimus, vt nulla ſanctimonialis virgo, vel vidua conuentus generales adeat, niſi à principe fuerit euocata, aut ab Epiſcopo ſuo, niſi fortè propriæ neceſſitatis ratio impulerit.

Et ſcandalizabantur in eo, σκάνδαλον, πρόσκομμα eſt quod noſtri offendiculum, impactionem, & ruinam appellant, ſcandalizabantur igitur Nazareni in Chriſto, hoc eſt ſibi ipſis ruinam, & perditionẽ conciliabant; quandoquidem diuina opera, atque verba malis artibus tribuebant, & non ab eo profluere, ſed à dæmone, qui per eum, vt magum talia efficiebat. Eiuſmodi enim cogitare de Chriſto, ſumma impietas eſt, & cogitatio, quæ non vulgarem interrogationem poſtulat; ſed curioſam, & horrẽdam, vt quæ in Deum ſit, & pluſquam peccatũ ariolandi, quare cum adhuc in ea perſiſtant Iudæi: Peccatũ Iuda ſcriptum eſt ſtylo ferreo in vngue adamantino ſuper latitudinẽ cordis eorum, & in cornibus ararum eorũ, vel iuxta hebræum, ſuper tabulam cordis eorũ. Ex quo patet (infert Lyra) quæ in vngue adamantino conſignificauit cor populi Iudæi, qui ſic nominatur propter obſtinationẽ in peccato. In hebræo habetur in vngue ſamyr, & dicunt hebræi quod ſamir eſt nomẽ cuiuſdã vermis, cuius ſanguis habet vim cauandi, & incidendi lapidem, & ſecundũ hoc vnguis non accipitur hic pro politione, ſed pro virtute illius ſanguinis, & ſecundũ eos ſic fuerunt lapides, qui ponebantur in tẽplo Salomonis, ſicut fuit dictũ in 3. Reg. 6. ſuper illud malleus, & ſecuris non ſunt auditu in domo Dñi, cum ædificaretur. Ad hæc Gloſſ. ord. Peccatũ Iuda indelebile, quaſi ſcriptum ſtylo ferreo in vngue adamantino, qui hebraicæ dicitur ſamir, non quæ vllus vnguis appelletur ſamir, ſed adamas, qui in eo ꝙ indomitus ſit, & infrangibilis, hoc nomen accepit. Tantum nitorẽ habet, & lenitatem, vt abſque vllo impedimento ſcribi poſſit in eo ſtylo ferreo, vt dura ferri materies ſcribat in duriori tabula, & ſcriptũ in æternum maneat, ſecundum illud: Sanguis eius ſuper nos; quoniam vſque nunc ſcandalizabantur in Chriſto, cum non Deum, ſed hominẽ, neq. communem, ſed magũ, & incantatorem appellantes. *Ferunt plauſtra conuitijs onuſta*, quibus, præfigunt ſuã damnationẽ, & cauſã mortis Theta concludunt quouſq. acceptum ſcandalũ deponant, & fonte lacrymarũ contractã duritiã leniant, fiantq. docibiles.

Graue Iudæorum peccatum.

Ier. 17

Lyra.

3. Reg 6.

Gloſ ord.

Matth. 27.

CAPVT QVARTVM.

Et dicebat illis Ieſus, quia non eſt propheta ſine honore, niſi in patria ſua, & in domo ſua, & in cognatione ſua.

Expoſitio. Nouerat Chriſtus multo ante, & quando hi ſermones inutiles à Nazarenis texebantur. Attamen nihil pro malo reſpõdens, ſed aliqualem aperit cauſam, cur perperã de factis ſuis iudicent conciues, neq. debitum ei honorẽ afferant. Quoniam, inquit, in patria mundi huius, vbi quiſq. vult principare, nec maiorẽ agnoſcere; in domo, quæ vnicũ hæredẽ quærit, neq ſecundũ admittit, & in cognatione carnis huius, quæ iugiter aduerſus ſpiritũ inſurgit; non eſt propheta, qui honorẽ conuenientem accipiat. *Gal. 5.*

Et dicebat illis Ieſus. Vt corrigerentur, & erudirẽtur verbis ſuis. Quia labia iuſti erudiunt multos, qui autẽ indocti ſunt in cordis egeſtate morientur, vt gracili nucleo glandes, quæ ventum non ferentes decidũt; fiuntq. ante tempus paſcua porcorũ immò verò eſca vermiũ, & puluis; quem proijcit ventus à faciè terræ. Ità euenit his, qui Nazarenis, ac ſimilibus, qui Chriſto docente non erudiuntur. At verò auris, quæ audit increpationes vitæ, in medio ſapientũ commorabitur. Hinc rurſus, qui abijcit diſciplinam deſpicit animã ſuam; qui autẽ acquieſcit increpationibus, poſſeſſor eſt cordis.

Prou. 10.

Pſal. 1.

Prou. 15.

Quia non eſt Propheta ſine honore. Ergo in ſe dignus qui honoretur; & honorem alicubi expectat ſibi deferri, ab his, qui excellentiam dignã ſuo gradu agnoſcunt. Honor enim virtutis eſt præmium, qui ad augmentum virtutis excellentis creſcit. Vnde qui excellentiam claro intuetur oculo, & ſciũt, & norunt, ac volunt, conferunt excellenti honorem, & reuerentiam. Is eſt in primis Deus, cuius oculis clara ſunt omnia, qui gloria, & honore coronat dignos, donatq. triumphis, ac titulis, prophetæ, doctoris, Archangeli, Principatus, Martyris, ac virginis, & ſimilibus. Poſt reliqui Deo proximiores, prout cuique datum eſt, plus minuſue virtutum, & officiorum gradus, & præcellentias dignoſcere, ſic plus, minuſue dignis honores impartiuntur. Quapropter non tàm in terra, quàm in cælo ſancti honorantur; quinimò ampliores ibi honores accipiunt, ac veros, & ab his, qui valent de honoribus diſcernere. Adeo vt tranſlatis ad illum ſtatum proprius, quàm alibi, vnquam decantetur: Nimis honorati ſunt amici tui Deus nimis confortatus eſt principatus eorum. Ad quem ſpirantes dum in carne viuunt terrenos honores, aut nihilo faciunt, aut referunt ad ſupremos, quos Rex certantibus in militia promittit, dicens: Qui vicerit faciam columnam in templo meo, ſedebit in throno meo. Nam ſi ad honores, qui olim à Romanis, & mox à Regibus largiuntur, vix abſque labore aliquis aſcendit; ad honores cæleſtes iuſtè labor exigitur, pugna, atque victoria. Vngitur quidem Dauid, adhuc paruulus, attamen Regni faſtigium grandeuus poſt multos conflictus poſſedit. Id quoque viuentibus ſit regula, honores

Viri ſancti honorandi.

Pſal. 8.

Pſal. 138.

Apoc. 3.

Reg. 17.

Eccleſiaſticos iuxta laborum merita conferre 61.diſt. miramur. Nam ſi huiuſmodi honor à digno cum metu ſuſcipiendus eſt 1.quæſt.1. Non eſt quis imponè abſq.meritis illum ambiet,& quæret ſibi dari? Profectò infelix eſt; qui dum conatur aſcendere, deſcendit, & honor, qui virtutis eſt, ſibi in culpam,& pœnam cedit 1. quæſt.6. ſicut 8. quæſt.1. ſunt. De alijs honoribus,quos accommodatius honoris ſigna appellabimus, ſolum dicam, ſic cunctis deferendi, vt nulli derogetur 11.quæſt.3.qui reſiſtit 25.quæſt. 2.de Eccleſiaſticis 99.diſt.Ecce.

Niſi in patria ſua. More gentis loquitur,quæ preſentem habitatioẽ vocitat patriam ſuam; cum loquemur lingua altera, quæ eſt Angelorum,nemo viſibilẽ mundum, ſed regnum cælorum appellabit patriam.

2.Cor.5.

Quamdiu ergo in carne ſumus, & peregrinamur à Domino, quod neſcimus loquimur, & apprehendimus mendacium, quoties,vel Romam,vel Conſtantinopolim,vel Mexicum, aut aliquam vrbem diligimus, vt patriam. Loquendum fateor,vt plures, ſed ſapiendum, vt pauci; qui non hic permanentem Ciuitatem: Sed futuram inquirunt,

Hebr.13.

ſunt autem hi, qui philoſophiam,quæ de cælis eſt, amant; & volunt piè viuere in

2.Tim 3.

Chriſto Ieſu, qui ad Ciuitatem munitam aſcendit, & ad eam, vt ad patriam per ancillas aduocat,& intrare per anguſtam portam,quæ eſt Ciuitas Dauid,atque Regnum, quod lacte, melle.& omnium vbertate redundat.

Pſal 59.
Matth.7.
Deut.6.

In preſenti verò patria,quam caro agnoſcit ſuam, quid? Exponat primus ædificator eius Cain. Etenim vt prima latrocinijs, & omni impietate abundabat, auctore Beroſo Caldæo, ſic reliquæ hucuſque conſtructæ homicidas fouent,ac vitia,propter quæ, vel igne abſumi, vt Sodoma cum cognatis, vel fluminum impetu,vt Babylon illa, vel bello vt Troia dirui, aut, vt legimus apud Plinium ex Varrone, à cuniculis ſuffoſſum in Hiſpania oppidum, à talpis in Theſſalia, à ranis Ciuitatem in Gallia pulſã, ex Gyaro Cycladũ inſula incolas à muribus fugatos, in Italia Amyclas à ſerpentibus deletas. Miſericordia tamen, quæ obuiat iuſtitiæ, iram Dei retinet, ne corruant Ciuitates, quas in peccatis colimus, & in illis cum omni miſeria ſub luto, & latere degimus.

Beroſus Caldæus.
Gen.19.
Plin ex Var
Mira diuinæ vltionis exẽpla.

Et in domo ſua. Huius noſtræ domus veritas protulit:Domus ſupra domum cadet; quod ſi cadit,quomodo ad honorẽ quenquã ſublimabit? non domeſticum,quia inimici hominis domeſtici eius; non aduenam,cui fores claudit;non indigenam,vt quæ ad eius domum coniungi velit, & agro eiuſdem copulari, & ſola in terra hac Gigantum commorari, ſed qui laqueata, & dilatata vſque ad terminum loci ſola in terra habitabit,ſi cadit? At qui ideo ſocietatem non admittit, quod cadat, & ideo honorem negat, huiuſce domus patronus bonis, iuſtis, & ſanctis,quod in profundum vitiorum deuenerit. Inde cœpit Saul exhonorare Dauid, Herodes ne dum honorem; ſed etiam paruulis vitam tollere, & omnis tyrannus inde ſæuitiam contra honoratos cœpit exercere. Habitat enim domum exaſperantem,quam denique ſiue regis fuerit,ſiue vulgi, Chaldæi ſuccendunt, dæmones dico, qui ſimiles domeſticos nutriunt, fouent & contra honoratos excitant.

Luc 11
Mich 7.
1.Reg 18.
Matth.2.
Ier 39.

Et in cognatione ſua. Quia ſi fratrem frater venatur ad mortem, filius inſurgit aduerſus patrem, & nurus ſocrum exaſperat. Neque miſericordia, neque veritas,neque iuſtitia,neque ſcientia Dei reperitur in cognatione carnali, quomodo fieri poteſt,vt honorem à cognatis carnis huius accipiatur? Cognati Tobi irridebant eum, & cognati ſecundum carnem in Paulum irruerunt. Et Chriſtum nonne cognati morti tradiderunt? Egredere ergo de cognatione tua ait Rex illi, quem diſponit honorare, vnde Chriſtus, qui vnice dignus eſt gloria, honore, & diuinitate, minime inter cognatos,& notos voluit reperiri,ſed in templo in medio doctorum interrogãs, & audiens eos. Et tu ò fidelis, qui ſpiras ad honores eſto in templo, & eos, qui præcellent doctrina, & ſapientia vera, cognatos reputa,conuerſare, audi narrationem illorum, & interroga opportunè, quæ te faciant honoratum in populo, & dignum qui in Eccleſia Dei honoris cathedram merearis.

Mich. 17.
Cognati aliquando infideles.
Oſei 4.
Tob.2.
Act 9.
Matth.26.
Gen.12.
Apoc.5.
Luc.2.

CAPVT QVINTVM.

Et non poterat ibi virtutem vllam facere, niſi paucos infirmos impoſitis manibus curauit.

QVantam hominibus ruinam attulerat ſcandalum, quod de Chriſto acceperant, vel hinc dignoſcamus, quoniam, inquit Euangeliſta, adeo ſeipſos obtenebrarant, & alienarant ab omni docilitate, & bona animi aptitudine, vt nihil in miſeris poſſet ordinaria Chriſti virtus, qua tot, & tam admiranda vbique geſſerat; exceptis quibuſdam infirmis, quibus per manuum impoſitionem contulit valetudinem,quam deſiderabant.

Expoſitio.

Et non poterat ibi virtutem vllam facere. Iſtud non poſſe (ſcribit Lyra) non refertur ad potentiam eius abſolutam,ſed congruitatis,& decentiæ;quia non erat congruum, ꝙ ibi faceret multa miracula. Sicut enim agens naturale (ſubdit Gannæius) non agit in paſſum, niſi benè diſpoſitum, neque diuinum de potentia ordinaria. Indiſpoſiti

Lyra.

autem

autem illi erant per defectum fidei. Et ita
cum ad curationem duo præcipua concur-
rere debeant, & fides eius, qui curatur, &
curantis poteſtas; cum alterutrum deeſſet,
æquum non erat, vt curationis munus exhi-
Theophyl. beretur. Non poteſt igitur (proſequitur
Theophyl.) illic virtutes facere, non quod
Euthym. ipſe infirmus eſſet; ſed quod illi increduli.
Intelligitur autem (addit Euthym.) non po-
terat; hoc eſt, tamq; impoſſibile ducebat. Ait
Greg. Theolog. enim Greg. Theolog. quod ſimul vtrumque
neceſſarium eſt, ad perficiendas ſanitates,
& fides eorum, qui curandi ſunt, & potentia
eius, qui curare debet; nec prodeſt vnum,
ſi deficiat alterũ, quod illi coniunctum eſſe
debet. Immo nec ſcio ſit ne hoc addendum,
vt iuſta, & rationabilis ſit ſanitas. Neque
enim iuſta ſanitas eſt, quæ his confertur,
quibus per incredulitatem nocumentum
eſt allatura. Denique impeditur à malo ho-
mine Dei operatio, ne quod ſua bonitas in-
tendit communicare conferatur. Hinc Ste-
Act. 7. phanus inſimulat Iudæos: vos ſemper Spi-
ritui ſancto reſiſtitis, quemadmodum in-
2. Tim 3. quit Paulus: Ioãnes, & Mambres reſtiterunt
Moyſi, ita, & hi reſiſtunt veritati. Hoc eſt no-
lunt intelligere, & malè liberius agunt, vel
nolunt reuerti, cum vocantur, neque bene
facere, cum didicerint malè. Conſenſum
igitur voluntatis negare operanti Deo, eſt
obſiſtere potentiæ, quæ vel ſaluare animam
Saulis diſponit, vel à plaga Antiochum. Vn-
Pſal. 108. dè noluit benedictionem, & elongabitur ab
eo; ſiquidem maledictus, & peſtifer, quem
quiſque fugiat, & exoret procul fieri huiuſ-
Pſal. 16. modi gentes, iuxta illud: A reſiſtentibus
dexteræ tuæ cuſtodi me, vt pupillam
oculi.

Gloſ. ordin. ex Theoph. *Niſi paucos infirmos*. Ne ciues incredu-
los, ait Gloſ. ordin. ex Theophyl. peius con-
demnaret faciens multas virtutes, vel quia
in patria ſua deſpicitur, paucas ibi virtutes
facit, & ſigna, ne penitus excuſabiles ſint.
Maiora quotidie in gentibus ſigna facit nõ
tàm corporum ſanatione, quàm animarum.
Ideò autem *paucos infirmos* priſtinæ vale-
tudini reſtituit, quod fidẽ in his paucis in-
uenerit, quare ad vltima Eccleſiæ tempora
nos vocat præſens factum, tum enim in
paucis fidem licebit reperiri, paucos quoq;
illis temporibus ſaluos fore quis dubitat?
Eſt Eccleſia Chriſti patria, quæ etſi tota ad
Chriſtum conueniat, pauci ſaluantur, quia
Matt. 20. multi ſunt vocati, pauci verò electi.

Impoſitis manibus curauit. Maius eſt da-
re Spiritum ſanctum, qui eſt curationum
fons, & origo, quàm infirmitatem pellere;
vt quid ergo Chriſtus per impoſitionem
manuum ſolum mundat corpora; Apoſtoli
Act. 10. verò morbos à corporibus pellunt, & infun-
dunt Spiritum ſanctum? Et hoc quidem fa-
cit Chriſtus ſpiritualiter, nam totum homi-
nem ſanum facit, ſpiritu quidem animam,
& ſanitate corpus, quod verò Apoſtoli vi-
dentibus cunctis ſpiritum conferrent ex
priuilegio acceperunt, quod eis conceſſit
Chriſtus, vt non ſolum noui Athletæ robo-
rarentur, verum etiam Apoſtoli ipſi ad mu-
nera Euangelij ſubeunda audaciores fierẽt,
vt (inquit, vates) annuncient in Syon no- *Pſal. 101.*
men Domini, & laudem eius in Ieruſalem
in conueniendo populos in vnum, & Reges,
vt ſeruiant Domino.

CAPVT SEXTVM.

Et mirabatur propter incredulitatem eorum, & circuibat caſtella in circuitu docens.

QVoniam Nazaret Ciuitatem occupa- Expoſitio.
bat incredulitas, quæ in admiratio-
nem traxerit Chriſtum; vicina circuit op-
pidula, docens, prædicans, & operans mira-
bilia, vt vel ſic vrbis ciues fierent melio-
res, & crederent in eum; qui paratus erat
beneficijs eos cumulare, & erudire princi-
pes vrbis, ſicut ſemetipſum, & ſenes eius *Pſal. 104.*
prudentiam docere, quinimo augere popu-
lum ſuum vehementer, & firmare.

*Et mirabatur propter incredulitatem
eorum*. Admiratio, inquit Donatus, ab igno-
rantia procedit: Eſt enim admirari, idem
quod obſtupeſcere nouitate rei. Hinc co- *Teren. in Andr.*
micus: Miror vndè ſit. Ergo ne dogmati-
zanti Caluino in harmo. Euang. Chriſtum Hæreſ. Caluini refut.
ignoraſſe plura, aſſentiemur? abſit. Nouit
quidem omnia, nudaque, & aperta oculis *Dan 13.*
eius. Præſciuit Iudæ Delyrium, & prædixit, *Heb 4.* *Matt. 26.*
necnon Petri lapſum, & hoſtium cogitatio-
nes propalauit: quamobrem acclamarunt *Ioan. 16.*
Apoſtoli: Nunc ſcimus, quia ſcis omnia,
& non eſt opus tibi, vt quis te interroget;
in hoc credimus, quia à Deo exiſti, vtpotè
legatus fidelis, cui Rex litteras omnes cre-
dit, & ſui pectoris ſecretum, & vt filius vni-
genitus, quem vxori tradens prætioſis om-
nibus induit. Qui ſic à Deo exijt, tantum Chriſtus omniſcius.
abeſt ab ignorantia, & neſcientia, vt nihil,
niſi per eum ſcire quis poſſit; quia lux mun-
di illuminans omnem hominem venientem *Ioan 1.*
in hunc mundũ. Quid tandem *admiratur*?
Minimè ignorans, ſed compatiens, quod
obicem ſaluti poſuerint, cum liberè creden-
tes animæ immenſas conciliaſſent diuitias.
Propter hanc ſpontaneam incredulitatem
admiratur, quod tàm negligentes ſint ve-
rorum, alioquin falſorum ſtudioſiſſimi, &
auidi. Nec adhuc admirationem, ò mor-
tales, de nobis depoſuit, à dextera patris
admiratur noſtri, quibus tàm præclara con-
ceſſit, vt ſimus Dei, & eius hæreditatem *Pſal. 81.*
nobis vltrò comparemus. Nos autem len- *Gen. 25.*
tem primogenituræ præferimus, & gloria-
mur cum morte, & inferno turpè fœdus
inire.

Nabu 3. inire. Sed quid admirans ait? væ ciuitas ſanguinum, vniuerſa mendacij dilaceratione plena, non recedat à te rapina. Adhuc
Abac. 2. dixit, ſcribe viſum, & explana eum ſuper nebulas, vt percurrat, qui legerit eum. Veniens veniet, & non tardabit. Ecce qui incredulus eſt, non erit recta anima eius in ſemetipſo, iuſtus autem in fide ſua viuet.

Et circuibat caſtella in circuitu docens.
Lyra. Quia ſui (notat Lyra) doctrinam eius repellebant, connenienter ad alios docendos tranſiuit, & ita fecerunt Apoſtoli, ſecundum
Act. 13. quod dicitur: vobis oportebat primum loqui (ſcilicet Iudæis verbum Dei) ſed quia repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes; ſic enim præcepit nobis Deus, vigetque adhuc præceptum, vt quando non receperint
Luc. 9. & 10. nos, fugiamus, & excuſſo de pedibus puluere, alio transferamur. Id quod, vel vrbis, vel gentis in ſummum vergit ſupplicium. Inde quoq; monétur Epiſcopi circumire Epiſcopatus ſui caſtella 10. q. 1. decernit. Nullo modo expéſis grauantes populũ 17. q. 3. Re-
Commendatur viſitatio Epiſcoporũ. latu; neque faſtu ſuperfluo incedentes. 10. q. 3. inter cætera; neque crudeliter agere, ibidem, cauendum; ſed prædicando diſcurrere debent, & vitia, quæ tàm in Clero, quàm in populo obſerperint, corrigere, extirpare 10 q. 1. cap. Epiſc. placuit, atque alijs. Tum
Cõc. Later. maximè in Lateranenſi Conc. ſub Innocentio Tertio. cap. 33. ſic ſcribitur. Porrò viſitationis officium exercentes non quærunt, quæ ſua ſunt; ſed quæ Ieſu Chriſti, prædicationi, & exhortationi, correctioni, & reformationi vacando, vt fructum referant, qui non perit. Qui autẽ cõtrauenire præſũpſerit, & quod acceperat reddat, & Eccleſiæ, quã taliter aggrauauit, tantundẽ rependat.
Cõc. Colon. Quare Colonien. Conc. par. 14. modũ optimũ, qui in viſitandis diocœſibus ſeruari debeat, diffusè explicat. Leges verò viſitatori-
Synod Trident. bus præſcribit Synod. Trid. ſeſſ. 24. c. 3. qui-
Card. Borrhom. bus permotus Borrhomens Card. in Synodo prima Mediolanẽſi 2. p. conſtitutionũ circa
Cõc. 1. Mediol. medium, præclara de viſitatione ab Epiſcopis facienda, ſtatuit documenta. Quorũ omnium auctor Chriſtus, circumiens in orbem caſtella extitit, Apoſtolis, & ijs, qui eius magiſterium complectuntur.

CAPVT SEPTIMVM.

Et vocauit duodecim: Et cœpit eos mittere binos, & dabat illis poteſtatem ſpirituum immundorum.

Expoſitio. FActus itaque Chriſtus in lucem gentiũ, & Apoſtolis datus in magiſtrum. Poſtquam ſufficienter eos ſecum retinens erudiſſet, ad prædicationem, & viſitationem populorum diſponit. Vocat ergo ſacrum Collegium, & viratim duodecim appellat; quos ſuæ ſcholæ eruditiores fecerat, & cõbinatos tranſmittit à ſe, vt ſeduló prædicent verbũ ſalutis, & ne ab his, qui armantur aduerſus Deum, & legem, moleſtiam patiantur donat eis poteſtatem, qua huiuſmodi ſpiritus immundos deijciant, & eorum auſus temerarios comprimant, & eneruent tyrannidem, qua vniuerſos aggrediuntur.

Et vocauit duodecim. Vocauerat antea eos ad Apoſtolatum, & nominarat Apoſtolos; mox vocat ad exercitium muneris demandati. Primam vocationem, dixit Chriſtus electionem. Non vos me elegiſtis; ſed ego elegi vos. Ego ſcio quos elegerim. *Ioan. 15.* *Ioan. 13.*
Poſtremam nuncupat miſſionem: Sicut, inquit, me miſit viuens pater, & ego mitto *Ioan. 20.*
vos. Electio eſt conſilij, miſſio verò ad actũ, & exercitium conſilij reducitur. At Dei conſilium æternum eſt, exequutio verò temporaria, ergo vt ab æterno præordinatos Apoſtolos, qui in tempore miſſi ſunt, aduertamus, priorem vocationem, nominat electionem, poſteriorem miſſionem, quando donantur his, quibus certam faciant priorem vocationem; hoc eſt electionem, de qua Paulus: Elegit nos ante mundi conſtitutionem. Itaque dupliciter vocat, quem prædeſtinat; videlicet, ante tempora, & in tempore. Antequam (inquit) quicquam boni, vel mali egiſſent, Iacob dilexi, Eſau autem odio habui. Hæc eſt vocatio ante tempora. In tempore verò cum iuſtificatur, & magnificatur; hoc eſt, ornatur gratijs, quæ ad finem vltimum conducunt, iuxtà illud Pauli: Quos prædeſtinauit, hos & vocauit, iuſtificauit, & magnificauit. Duodecim vocat; quod miſſio præſens deſignaret generalem ad orbem futuram; videlicet, per duodecim quoque Apoſtolos, & vniuerſalitatem miniſtrorum, quos ſub hoc numero voluit comprehendi, vel ab eis pendere, vt à Regni Principibus.

Miſſio Apoſtolorum. *Epheſ. 1.* *Mal. 1.* *Rom. 8.*

Et cœpit mittere binos. Vt collata opera ſeſe mutuò iuuarent. Euangelijque teſtimonium bini confirmarent, & publicum magis redderent. Nam quod à duobus palam geritur publicum omninoque confirmatum cenſetur; melius eſt ergo duos eſſe ſimul, quàm vnum, habent enim emolumentum ſocietatis ſuæ. Hinc, & Paulus nunc Barabam, nunc Lucam, & aliquando Timothæum, aut alium quempiam ſocium accepit. Petrus, Marcum, Syxtus, Laurentium, & Valerins, Vincentium. Ac poſtmodum ordinatum non eſſe Epiſcopum abſque Diacono, qui Euangelij teſtis eſſet, & comes peregrinationis, vndè Clem. lib. 2. conſt. c. 30. dixit: Nunc enim veſter Aaron eſt Diaconus, Epiſcopus verò veſter Moyſes, & Deus; ſi igitur Moyſes à Domino appellatus eſt Deus; Epiſcopum in honorem, vt Deum habete, & Diaconum, vt Prophetam eius; vt enim Chriſtus ſine patre nihil agit, ſic

Quare Apoſtoli mittuntur bini. *Eccleſ. 4.* *Act. 13.* *2. Tim. 4.* *Act. 16.* *Clem.* *Ioan. 5.*

ſic enim neque Diaconus ſine Epiſcopo,
item vt filius eſt debitor patri, ſic omnis
Diaconus Epiſcopo, atque vt filius eſt An-
gelus,& Propheta patris,ſic Diaconus. An-
gelus,& Propheta Epiſcopi; quapropter,vt
Prophetę poſt Aaron,& Moyſen aucti ſunt,
ſic Apoſtoli Diaconorum numerum multi-
Euariſtus. plicarunt Epiſcopo. Diaconi(inquit Euari-
ſtus epiſ.1.ad Epiſcopos Aphricę;)qui qua-
ſi oculi videntur Epiſcopi in vnaquaque ci-
uitate,iuxtà Apoſtolica conſtituta, ſeptem
debent eſſe,qui cuſtodiant Epiſcopum præ-
dicantẽ,ne aut ipſe ab inſidiatoribus quo-
quo modo infeſtetur,aut lædatur à ſuis,aut
verba diuina detrahendo,aut inſidiãdo pol-
luantur, vel deſpiciantur, ſed veritas ſpiri-
tuali redoleat feruore,& pax prædicata la-
bijs animi cum voluntate concordet, nec
plures ſeptem Rom. Pont. habuiſſe Diaco-
Siluester Papa in Synod. Rom. nos Cardinales, Silueſter Papa in Synodo
Rom. cap 6. apertè tradit. Mox autem au-
ctus eſt numerus vſque ad duodecim, non
propter neceſſitatem, ſed auctoritatem pri-
mæ ſedis, quotquot tamen ſunt, vnum fa-
ciunt cum paſtore vno; quare iuxtà my-
ſterium deliteſcens in facto ſemper binos
dixerim, & binos ad Eccleſiarum regimen
mitti:Nam Epiſcopus caput,reliqui corpus
miniſtrantiũ ſignificant. Eſt quoq; binarius
numerus ſignum amoris, quo ſe miniſtri
Chriſti debeant mutuò amore. Amor au-
tem inter duos eſt;quod etiam amorem du-
plicem Dei,& proximi prædicare eos opor-
Hier. tet,bini mittuntur. Vndè Hieron.legit,con-
uocauit, non vocauit, quod ſcilicet conuo-
caret ad mutuum amorem poſſidendum,&
prædicandum his, ad quos mittebantur.

*Dabat eis poteſtatem ſpirituũ immundo-
rum.* Quemadmodum vocauit duodecim
ſimul,non vnum poſt alterum; ita poteſta-
tem contulit aqnè omnibus, non vni per
Turrecrem. alterũ, vt imaginatur Turrecremata lib.2.
ſummæ Eccleſiæ,per Petrum Apoſtolis po-
teſtatem fuiſſe communicatam. Cui non
dum oracnlum, ſed & oratio aduerſatur.
Matt.19. Nam omnibus æquè dixit ſedebitis, & vos
Luc 22. ſuper ſedes duodecim. Hoc facite in meam
Matt.10. commemorationem. Quodcumque ligaue-
Apoſtolorũ poteſtas immediatè à Chriſto non à Petro emanauit. rits ſuper terram, erit ligatum & in cælis.
Accipite Spiritum ſanctum,qnæcumque re-
miſeritis peccata, remittuntur eis.In qui-
bus æquè iudices, ſeſſores in venturo ſæcu-
lo,ſacerdotes in præſenti Eccleſia,atque Iu-
dices arbitrarij in vtroque foro ordinan-
tnr, iuxtà Patrum intelligentiã. Adde quod
ratio non conſentit,præſente Rege prore-
gem Regem agere.Ergo neq; videri poteſt,
quomodo præſente Chriſto Petrus ordina-
Caiet. ret Apoſtolos; admittit tamen Caietan.
opuſc.de aucto.Papæ.cap.23.Cum quo ſen-
tio Petrum ordinariè poteſtatem omnem
accepiſſe, reliquos verò extraordinariè,
quod,ſcilicet à Chriſto eam haberent, cum
alias à Petro accepiſſent abſente Chriſto,
cuius Vicarius erat. Cæterum an Petrus
poteſtatis plenitudinem, quam à Chriſto
acceperant Apoſtoli, potuiſſet eis conferre
non video; nam neque Rom. Pontifex valet
æqualem ſibi Epiſcopum, qui poſſit vbique
terrarum Epiſcopos creare, & admonere
ſingulis locis, & alia munera agere, quæ
Caiet. & alij Apoſtolis concedunt,quare & *Caiet & alij.*
ſi cum eo ſentiam,æquè à Chriſto Apoſtolos
auctoritate ſpirituali donatos,habita ſem-
per relatione ad Petrũ, vt ad Ducem totius
militiæ primariũ,cuius erat ſolũ relinquere
pari auctoritate ſucceſſorem, auctoritatem
Apoſtolorũ,;dici extraordinariã mox nõ pa-
tiar,tametſi aliquãdo plauderet opinio: va-
le tamen facto opinabili, quod quiſq; pro
captu tenet, ad poteſtatem, quæ hoc in lo-
co conceditur Apoſtolis adueniamus. Hic
tantum coercitiua poteſtas contra dæmo-
nes conceditur, quibus etſi homo non præ-
ualeat iuxtà illud: Nunqnid pones circu- *Iob.40.*
lum in naribus eius,fidelis tamen ſuperior
eſt,dicente Chriſto: In nomine meo dæmo- *Mar.16.*
nia eijcient.Quod ergo fideli omni conce-
ditur, tantum mox Apoſtolis datur, vt ca-
thechizantes, & exorcizantes ſimul eſſent,
quare aliorum expectato iudicio arbitra-
rer,Apoſtolos hic ordinari minoribus ordi- An Apoſtoli in hac miſſione ordinati inferioribus ordinibus?
nibus exorciſtatus,& lectoratus,& annexis,
videlicet oſtiariatu,& accolytatu; necnon
ſubdiaconatu, & diaconatu, quod horum
munus ad populi illuminationem faciat, &
libertatem; vexat autem dæmon hominem
dupliciter, videlicet, & per errores, & ob-
ſcuritates, quas ſuggerit, & per tortores,
quibus conſternit corpora. Vexationem
corporum exorciſta depellit,animarum ve-
rò omnes ordinati, maioribus, & minori-
bus; ergo dedit ei ſacerdotij poteſtatem? *Ardmac.*
Abſit aſſentiamur Ardmacano,qui omni or-
dine Apoſtolos arbitratur decoratos,quan-
do electi ſunt duodecim,& vocati Apoſtoli.
Acceperunt quidem ſacerdotium in cœna,
non ante. Et ſi poteſtas hæc à dæmone li-
beret, & per communicationem ſpiritus,
quo in ſacramento pœnitentiæ hominem
iuſtificat,cum ſacerdos verè abſoluat; atta-
men cum potiſsimum eius munus,& ſupre-
mum eſt corpus Chriſti verum, & excelſa
contemplari, non eam hoc loco contulit,
ſed opportuniori ſeruauit; quando deberet
de hoc mundo ad patrem tranſire, vt inſti-
tutionis tantæ, ac ſacramenti finis facto
heroico pateret. Nam & poteſtate ſacer-
dotali,necnon ſacramẽto Euchariſtiæ,quaſi
viatico,& miniſtro trãſimus à vitijs ad gra-
tiam, & à gratia ad gloriæ ſtatum, quibus
cum impedimento ſint dæmones ſuggeſtio-
ne,& obſeſsione,præmittuntur armati Apo-
ſtoli regia poteſtate aduerſus Principes, &
poteſtates tenebrarum, vt abolitis oceani
piratis, ad inſulas maris, quæ legatos ex-
pectant,

Digitized by Google

pectant, & ſubeſſe Regi æterno quærunt, vt aditus ſecurus pateat. Itaque quod Iob ſeruo, ac reliquis negatur ligare Leuiathan, conceditur ancillis Apoſtolis, quia ad noſtram redemptionem veniens (ait Gregor. in Iob lib. 33. cap. 15.) & ſuos contra mundi ſuperbiam prædicatores mittens relictis ſapientibus, inſipientes; relictis fortibus, debiles; relictis diuitibus, pauperes elegit. Ancillis ergo ſuis, Leuiathan huius fortitudinem Dominus ligauit, quia atteſtante Paulo: Infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia.

Gregor. *1. Cor. 1.*

CAPVT OCTAVVM.

Et præcepit eis ne quid tollerent in via, niſi virgam tantum, non peram, non panem, neque in Zona æs.

Expoſitio. PRæſcribit quoq; eiſdem formam, quam debeant in itinere obſeruare, vt qui annunciatores ſunt veritatis, ac cæli, nihil commercij cum hoc mundo fallaci habere videantur; ſub præcepto enim nihil, quod oneri ſit, ac faſtus, ſeu ambitionis ſpecimen ſapiat, ordinat deferri; *neque peram*; vnde certò ſperant opulentiam victus. *Neque panem*; qui delitias generet; neque concedit in zona æs; cuius cupidine, vel ſonum prædicationis falſet, vel prædicationem ipſam denigret, cum non minare gregem ad delitias Dei videatur; ſed clamare: affer affer; virgam ſolam concedit, quæ defatigatum ſubleuet.

Et præcipit eis. Ad litteram mandatum ſic fuiſſe Apoſtolis, vt ab eiſdem obſeruatum nemo dubitare poteſt, cum idem Luc. 9. ac 10. & Matt. 10. penè præcipiatur. Et interrogati: Quando miſi vos ſine ſacculo, & pera, & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? reſponderunt nihil. Verum an vſque ad finem vitæ innodati fuerint, & cum eis eorum ſucceſſores? Etſi Ioannes Vuicleph, atque alij hæretici affirment, damnantes propterea Eccleſiaſticos redditus, apparatum, & victũ, qui in omni penè Clericorum genere, & Religioſorũ monaſterijs reperitur. Nos qui Catholici ſumus, alteram, vt veriſſimam elegimus partem. Ad quam nos trahunt in primis Apoſtoli, qui hiſce rebus vſi ſunt. Nam, & Iudas oblatam pecuniam detulit. Paulus nauigaturus annonam accepit, ſed & Collegium Apoſtolorum, qui Ieroſolymis congregatum erat non ſolum prætia bonorum, quæ à fidelibus venundabantur penes ſe recipiebant; ſed & collectas vbique terrarum fieri ordinarunt, & diſtribuebant his, qui egebant, vndè & ab eis conſtituti ſunt canones, quod fideles Epiſcopis offerant de bonis ſuis can. 5. Ea, quæ impartiantur pauperibus, nec non eorum cognatis ſi egeant can. 41. quin & Epiſcopis proprium, quo liberè vtatur concedunt can. 40. De decimis etiam, & primitijs, ex quibus maior pars redditus Eccleſiaſtici conflatur, extat eorundem conſtitutio apud Clem. lib. 2. conſt. Apoſt. cap. 25. Ecquid in re manifeſta immoror? Non eſt Rom. Pont. non Epiſcopus, non presbyter, neque Eccleſiaſtica inſignis, qui niſi cogente tyrannorum rabie, quæ hic Apoſtolis præcipiuntur, duxerit ſub præcepto obſeruanda, cum tamen in multitudine diuitiarum, & apparatu Eccleſiaſtico haud paruo miraculorũ gloria, & vitæ ſanctitate claruerint. Nam qualis Silueſter fuerit in tàm ſublimi principatu, ſciunt omnes; quæ Gregor. geſſerit nemo ignorat. Leonis primi apparatum, maieſtatem, & gloriam veneratus eſt Attila; haud ſecus, quam Alexander Magnus Sacerdotem magnum Leuitici generis. Atqui in Abbatibus monaſteriorum, & monachis, atque alijs perſonis Eccleſiaſticis, quæ victu, veſtitu, & redditibus annuis abundarunt, ſigna pariter mirabilia viſa ſunt, in teſtimonium eorum, quæ complectebantur. Quid? etiam in ſacrilegos, qui bona Eccleſiaſtica, & Eccleſiaſticos opulentos inuaſerunt, Deus ſe mirabilem vltorem oſtendit, vt in inuaſores Thom. Cantuarien. in Chaldericum ſpoliatorem Franciſci Epiſcopi Eccleſiæ Aquenſis, & in Proculum, quem Geiſerius raptorem miſerat bonorũ Eccleſiaſtici ſtatus in prouinciam Zeugitanam, atque in alios ſacrilegos legimus Deum acerbè animaduertiſſe, ne quis iam iſta diſplicere præſumeret affirmare, neque detrahere perſonis Eccleſiaſticis, quæ lautioribus, quàm ferat præceptum hic traditum, vtuntur, non alias voto aſtricti. Tum enim iuxtà votum ligarentur. Nullo tamen exiſtente voto peculiari; præceptum mox traditum, nullum comprehendit, niſi pro tunc Apoſtolos, qui facto illo graphicè interiorem animi nuditatem à cupiditate omni rerum ſæculi, alienam, quam obſeruare debeant cultores Chriſti, & deuotos, deſignarent. Vndè Theophyl. prohibet eis quippiam tollere, vel peram, vel æs, vel panem, docens per hæc, illos à diuitiarum ſtudio eſſe debere alienos, & quod his, qui illos vident grati ſint futuri, cum agnouerint paupertatẽ tantam, eo quod nihil habeant. Quis enim viſo Apoſtolo, qui neque peram, neque panem, qui maximè neceſſarius eſt, tollat, nõ benè afficeretur, & ſe ad diuitiarũ contemptum pararet? Hoc etiam ait Chryſoſt. eis Dominus præcepit, vt per habitum oſtenderẽt, quantum à diuitiarum deſiderio diſtarent. Tanta enim in prædicatore (ſubdit Beda) in Deo debet eſſe fiducia, vt præſentis vitæ ſumptus, quamuis non prouideat, tamen hos ſibi non deeſſe certiſſimè ſciat, ne dum mens eius occupatur ad temporalia, minus alijs prouideat æterna. Ergo non eſt præceptum vniuerſale ad litteram omni-

Præceptum hoc loco cõtineri. *Luc. 22.* Hæreſ. damnatur. *Ioan. 3.* *Act. 18.* De diuitijs Eccleſiaſticorum. *Act. 4.* *1. Cor. 6.* *Clem.* *Gregor Turon lib. de glor. conf. c. 72.* *Theophyl.* *Chryſoſt.* *Beda.*

omnibus Apoſtolorum ſucceſſoribus obſeruandum, vt hæretici ſomniant, quos ideò *Synod. Conſtant.* Synod. Conſtantien. meritò damnat.

Ne quid tollerent in via. Attende hæreticè, quomodo ſolum in via, ad quam mittuntur, prohibentur tollere viaticum, domi habere, finita peregrinatione aliquid retinere non prohibet. Nam hoc conſilium eſt, non præceptum, ait *Chryſoſt.* Chryſoſt. in illud Pauli: Salutate Priſcam, & Aquilam. Vnde *Hieron.* Hieronym. ad Demetriadem de ſeruanda virginitate epiſt. 8. ſi vis, inquit, eſſe perfecta, non cogo, non impero, ſed propono palmam, oſtendo præmia, tuum eſt eligere ſi volueris in agone, & certamine coronari. Conſilium autem fit præceptum poſtquam illud complectitur Religioſus, & ſe voto adſtringit, nihil habere in communi, neque in particulari, vt Franciſcani inſtituti ſectator; vel prorſus ad priuatos vſus nihil ſibi proprium facere, vt Benedictinus, & reliquarum Religionum profeſſus, qui etſi in communi habeat, aliquid in particulari nihil poſſidet. Hi ait *Baſil.* Baſil. in Conſtitut. Monaſt. cap. 19. rerum omnium paupertatem tenent, in quibus nihil proprium cuiuſque ſit, ſed communia omnium omnia, & Pater *S. Franc.* Franciſcus ad ſuos: Nihil ſibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem. Aduerte tamen lector, neque hos perſtringi mandato præſenti.

Niſi virgam tantum. ad traijcienda flumina, quæ vadari poſſent (notat *Arias Montanus.* Arias Montan.) & ad lamas, & ad alia difficilia loca ſaltu ſuperanda, quoniam virgæ, & ad hunc vſum, & armorum loco geſtari ſolent. Nullus autem armorum vſus ijs conuenit, qui diuinæ tutelæ præcones, teſteſque eſſent. *Pſal. 45.* Et pacem annunciarent, bellis vſque ad fines terræ ſublatis, itaque *virgam tantum*, ſic exponimus vnicam virgam ῥάβδον μόνον. Neq; verò hæc ſentẽtia pugnat cũ alijs Euãgeliſtis, apud quos legimus, neq; virgã. Nam duplicẽ virgam in illis locis intelligimus, quod manifeſtũ eſt ex nonnullis græcis codicibus, in quibus legimus ῥάβδους, tàm *Act. 9. Matt. 10.* apud Matt. quàm apud Lucam. Itaq; prohibet duplicem ferre virgam, ne Magis Pharaonis ſimiles eſſent, qui duas penes ſe *Quid ſignificetur per virgam.* habebant virgas, eaſque in dracones conuerti ſuis præſtigijs fecerunt. Hoc eſt potentiam animæ, & corporis, quæ ad vitam optimam eſt, in mortem duplicem, eamque horrendam commutarunt. At qui Dei teſtis eſt, vnica ornatur virga, quæ eſt virtus Dei mortem omnem abſorbens, & tàm corpus, quàm animam ad vnum vitæ dulciſſimæ ſtatum dirigens; Significat, & vnicum imperium Chriſti, quemadmodum Baſil. & *Baſil. Hilar.* Hilar. ſup. Pſal. 44. opinantur in virga Moyſi deſignari. Nam illud ad gentes deferre, & ſub eo, velut ſub ſcabello omnes ſubijci, conati ſunt omnes Apoſtoli. Id quod adhuc ſucceſſores contendunt, quouſque fiat vnum ouile, & vnus Paſtor, & Rex vnus omnibus *Ioan. 10. Ezech. 37.* imperet, & eius potentiam, ac virgæ ſummitatem adoret Heſter, *Heſt. 5.* hoc eſt populus Hebræus credat, & confiteantur fratres Ioſeph *Gen. 45.* Dominum Ægypti, ac mundi Saluatorem acclament Chriſtum, oſculantem virgæ, & imperij eius ſummitatem, cuius deſolationem tentarunt, vt vult *Cyrill.* Cyrill. de incarnatione vnigeniti, cap. 14. Poſſumus & virgam vnicam interpretari paſſionem Chriſti, vndè vis omnis, & ſolamen procedit his, qui ſunt miniſtri Chriſti, vt *Arnob.* Arnobij ſententia poſſit cum Pſalte cantari: *Pſal. 22.* Nam etſi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Virga tua, & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt.

Virgam quoque facit *Greg. Nyſſ. in vita Moſis.* Greg. Nyſſen. charitatem, quæ omnia poteſt, neque agit perperam, ſed virga directionis eſt, virga regni Dei noſtri, *Pſal. 44. 1 Ioan. 4.* quia Deus charitas eſt. Placet & mihi cum *Origen.* Orig. ho. 9. in Exod. in illud tolle virgã tuã, & proiice corã Pharaone; *Exod. 7.* doctrinã dicere virgã, ſiquidẽ docti à Deo, & euãgelizati, atque imbuti ſcientia Dei, miſſi ſunt Apoſtoli, vt paſcerent ſcientia, & doctrina omnes, vt à minimo vſque ad maiorem agnoſcerent Dominum. Ad hæc oportet addi omnium notiſsimum virgæ ſignificatum, videlicet vigilantiam paſtoralem miniſtris Euangelicis neceſſariam, vt imperio Chriſti ſubijciant rebelles, cæcos doctrina illuminent, & potentia claudos in viam reducant. Vndè dicitur miniſtro. Quid vides? & dixit virgam vigilantem *Ier. 1.* ego video. Ad quem Dominus: Benè dicis. Fortaſsis ob id, quod ſequitur. Vigilabo ego. Etiam vt vigilent qui vigilis ſummi miniſterium agunt. Vigilet quidem ſuper verbo prædicando, quomodo illud primo faciat, poſt qualiter doceat; vigilet denuò ſuper gregem, qui ambulet in veritate Euangelij, proficiatque in ſanctitate, & iuſtitia coram Domino; quoniam interogabitur: In lege, quomodo legis, ſeu potius legiſti? *Luc. 10.* Et nonne rationem reddet gregis? Vos enim (ait *Clem. Rom.* Clem. lib. 2 conſt. Apoſt. cap. 6.) oportet populi ſpeculatores eſſe, quod vos quoque ſpeculatorem habeatis Chriſtum, & vos igitur boni eſtote ſpeculatores populi Dei, ait enim Dominus vnicuique noſtrum per Ezech. *Ezech. 3.* Fili hominis ſpeculatorem dedi te domui Iſrael, & audies ex ore meo ſermonem, & cuſtodies, & eum ex me annunciabis. Proſequitur totum oraculum miniſtris Euangelij applicare. Quare (ſcribit *Euariſt. Papa.* Euariſtus Papa epiſt. 2.) Epiſcopum oportet opportunè, & importunè, atque ſine intermiſſione Eccleſiam ſuam docere, eamque prudenter regere, & amare, vt à vitijs ſe abſtineat, & ſalutem conſequi poſſit æternam: Namque ideò virga donatur, vt fultus ipſe, alios fulciat, & ad paſcua

pin-

pingnia montium æternorum grex totus,ſi
fieri poteſt,deducatur.

Non peram. Pera eſt ſacculus, quem pe-
regrini à collo ad lumbos vſque cingunt,vi-
tæ neceſſarijs plenum, ac viæ ſolatijs, qui-
Hilarius. bus cum Hilario ſuper Matth.can. 10. ſæcu-
laria comparamus, quæ cum à ſeruis Chri-
ſti, tum maximè miniſtris longè eſſe de-
Quid per peram. beant,prohibentur in pera. Neque enim(ait
Petrus ad Clem.in ep.1 ad Iacobum fratrem
11.q.1.c.te quidem. Domini.) Iudicem, aut cognitorem ſæcu-
11.q.1. ſicut enim. larium negotiorum, hodie te ordinare
vult Chriſtus, vti ne præfocatus præſenti-
bus hominum curis, non poſſis verbo Dei
vacare, & ſecundum veritatis regulam ſe-
cernere bonos à malis. Sicut enim tibi im-
pietatis crimen eſt,neglectis verbi Dei ſtu-
dijs ſollicitudines ſuſcipere ſæculares: ita
vt vnicuique laicorum peccatum eſt,niſi in-
uicem etiam in his, quæ ad vitæ communis
vſum pertinent, operam fideliter dederint,
Can.6 Apoſtolorum. Vndè can. 6. Apoſtolorum habet. Epiſco-
pus, vel Presbyter, vel Diaconus ſæculares
cura non ſuſcipiat, alioqui deponatur. Ete-
nim Epiſcopus (iuxtà Conſtit.Apoſt. lib.2.
cap.17.) debet fieri ſcopus iuſtitiæ, præco
bonorum cæleſtium, quæ ſunt præparata,&
iræ in iudicio futuræ denunciator, ne con-
tempta Eccleſia,quæ ſatu Dei orta eſt, au-
diat propter incuriam,& negligentiã, quod
apud Oſeam dictum eſt: Cur impietatem
ſilentio diſsimulaſtis, & fructus eius colle-
giſtis, colligit fructus ſteriles, ne dum ſpi-
noſos, qui ſæcularibus ſe tradit, & mundi
agit negotia; qui Deo ſeipſum deuouit, &
ſaluti animarum conſecrauit. Ergo Præſul
recole prouerbium. *Vbi non ſis, qui fueris,*
non eſt cur velis viuere: vel melius atten-
de dicenti: *Non peram.*

Non panem. Sed cur panem prohibet,
Matt.6. qui orare iubet: Panem noſtrum quotidia-
Matt.15. num da nobis hodie? & alibi quærit:Quot
Quid per panem. panes habetis? Diſtingue panis ſignifica-
tum,ò lector,& admirari deſines. Eſt panis
Nonius. dictus à paſcendo ſecundum Nonium, ſiue
quod πᾶν græci totum nominant,& omne
quod omnibus pulmentis adhiberi poſsit,
& ferè adhibeatur cum nullum obſonium
faciat guſtatu ingratius. Vndè ſicut aucto-
Plin. re Plinio lib. 18. cap. 11. multiplicia ſunt
panum materialium genera, ita & ex ora-
culis myſticos panes, ac multos colliga-
mus,eoſque ad bonos,& malos reducamus;
bonos dico,qui ad animi ſalutem ordinan-
Gloſſ.ord. tur,vt gloria cæleſtis, quam Gloſſ.ord.ſup.
2. Reg.9. panem comedet ſuper menſam
meam;panis nomine intelligit; quia de illo
ſtatu loquens Deus protulit: Ecce ſerui
Iſai.65. mei comedent. Eſt & Euchariſtia panis de-
ſiderabilis, quem dedit nobis Dominus, &
Matt.6. iuſsit quotidie poſtulare. Doctrinam quo-
Origen. que panem dicit Origen.ſup.Leuit.hom.15.
Phil. & Philo.2. allegor. atque alij alia, quæ ad
animum faciunt, & victum hominis ſalu-
brem faciunt in panibus ſacrorum oracu-
lorum contemplantur, de quibus Chriſtus *Matt.15.*
non tàm ab Apoſtolis, quàm à nobis, quæ-
rit quot panes habetis? hoc eſt,quot virtu-
tes,quot pœnitentiæ fructus, quot opera
bona,quot ſenſus,& intelligentias ſcriptu-
rarum,& myſteriorum Dei,quot conuerſa-
tionis optimæ, & vitæ ſpiritualis gradus,&
quot ſimilium, quæ interiorem hominem
impinguant, dilatant, & ad perfectum ho-
minem tranſmittunt.Huiuſmodi panes,tan-
tum,abeſt,quod prohibeat Chriſtus,vt non
conſentiat abſque ijs ſuos eſſe, iubeatque
quæri,& abſque argento,& vlla commuta- *Iſai.55.*
tione emi.De inutili igitur ait,non panem,
ſcilicet pollutum; quo ſecundum Ruper- *Rupertus.*
tum ſup. Mala.1. ſignificatur Iudæorum ſa-
crificium, quod poſt paſsionem Chriſti,
polluit obſeruatorem; quia ſi circumcida-
mini Chriſtus nihil vobis prodeſt. Non pa- *Galat.5.*
nem,ſcilicet hæreticorum, quos dant ama-
tores noſtræ perditionis diaboli ſecundum
Bedam Oſe.2. Quoniam contra commeſſo- *Beda.*
res, ſcribitur, inquit Hieron. Noli lætare *Oſe.9.*
Iſrael,noli exultare, ſicut populi, quia for- *Hieron.*
nicata es à Deo tuo, dilexiſti mercedem
ſuper omnes areas tritici.Area,& torcular
non paſcet eos,& vinum mentietur eis.Non
habitabunt in terra Domini, reuerſus eſt
Ephraim in Ægyptum, & in Aſſyrijs pollu-
tum comedit, videlicet inter exteros ho-
mines, qui vt ſerpentes terram comedunt
cunctis diebus. Non quidem panem,ſæcu-
laris ſapientiæ,quia ſcientia iſta inflat. Vn- *1.Cor.8.*
dè prædicator gẽtiũ protulit: Sermo meus, *1.Cor.2.*
non in humanæ ſapientiæ verbis, ſed in
oſtenſione ſpiritus, & virtutis Dei. Scri- Quid prædicatori euitandum?
ptum eſt enim:Omnis oblatio,quæ offertur
Domino abſque fermento fiet, nec quic- *Leuit.2.*
quam fermenti, ac mellis adolebitur in ſa-
crificio Domini. Fermentum eſt, non tàm
impura conuerſatio,quæ longè ab Euange-
liſtis eſſe debet, quàm ſæcularis doctrinæ
ſtudium, quod (inquit Origen. homil. 5. *Origen.*
in Leuit.) veritatem puram non continet;
mel dicerem gentilium ſabulas, quibus
græcus homo delectatur. Horum nihil vult
ſibi Dominus in prædicatione adoleri, ne-
que ijs prædicatorem vti ad captum au-
rium,ſed vt ab eis occaſione accepta,ad ea,
quæ tenenda ſunt, aſcendat. Quia melio-
ra ſunt vbera tua vino;hoc eſt,diuina ora-
cula, quæ ab alto ſunt, vt lac ab vberibus, *Cant.1.*
quam gentilium facultates, quæ vt vinum
à terra, colliguntur ab infimis inuentori-
bus: Quid? Etiam non panem gulæ, quia *Iob 20.*
in vtero vertetur in fel aſpidum intrinſe-
cus.

Igitur Epiſcopus (ſtatuunt Apoſtoli lib.
2. Apoſt. conſtitut. cap. 5.) ſit contentus
commodo cibo, & potu, qui ſufficiat, vt
poſsit ſobrius eſſe ad monendum imperi-
tos.

Digitized by Google

tos. Ne ſit multus in ſumendo, ne voluptuarius, ne delicatus, ne deditus eſcis ſuauibus. Et in Concil. Carthag. 4. cap. 15. Vt Epiſcopus vilem ſupellectilem, & menſam, ac victum pauperem habeat, ac dignitatis ſuæ auctoritatem, fide, & vitæ meritis quærat. Expreſſit longiunculæ hanc optimam viuendi formam Carolus Borrhomeus in Concil. Mediolan. Denique panem omnem, qui nocet, Christus, qui vitam optat, ſuis prohibet, & interdicit in via, in qua ſumus, ne pereamus cum iis, qui ſurrexerunt manducare, & ludere.

Conc. Carthag. *Carol Borrhom in Conc. Mediol.* *Exod 32.*

Neque in zona æs. Hoc eſt occultam ſapientiam (interpretatur gloſſ. ex Beda) quia ſapientia abſcondita, & theſaurus inuiſus, quæ vtilitas vtriuſque? Melior eſt, qui celat inſipientiam ſuam, quàm homo, qui abſcondit ſapientiam ſuam. Hic enim in tempore ſiccitatis videtur frumentum abſcondere, & dum tempus negotiandi conceditur talentum fodere ſub terra. Ille verò ſe peregrinum fingere, & alienigenam, ne cogatur ſermonem cum aliis contrahere, ſimulque expenſas communes tacere. Sed quid (ait Scriptura) ſapientes abſcondunt ſcientiam? Quoniam obſeruant verbum in tempore ne temerè quid loquantur, aut vanè: Sermo enim opportunus eſt optimus, & fauus, & mellis compoſita verba. Aere quoque cuius eſt ſonare, ac lucere, hypocriſim, quæ perſonat, & lucet aliis, ſed in vanum, intelligere poſſumus. Hanc deferri prohibet Chriſtus in zonis, quibus vult lumbos præcingi; hoc eſt, virtutum exercitio, quod oſtentatione, & appetitu laudis humanæ carere debet. Ne per hoc, quod à nobis rectum geritur (ait Gregor. homil. in c 25. Matth.) fauor, aut humana gratia requiratur, ne appetitus laudis ſubrepat, & quod foris oſtenditur, intus à mercede euacuetur. Subindè Bernard. in fine tractatus de ordine vitæ, ac morum inſtitutione. Boni viri timentes Deum, idipſum, quod eſſe meruerunt, videri refugiunt, ſanè laus humana bonos cruciat, malos lætificat. Dupliciter autem damnantur hypocritæ, ſiue pro occulta iniquitate, ſiue pro aperta ſimulatione. Nam non ſemper latent hypocritæ, omne ſyncerum permanet. Nam quæ ſimulata ſunt, diuturna eſſe non poſſunt. Hypocritæ foris candidi, intus ſordidi. Amator vanæ gloriæ, vndè poſſit laudari, agere non quieſcit. Id quod veritas noſtra Chriſtus, qui gloriam, & laudem in cælis præparat ſuis, prohibet, docens: *Neque in zonis æs*; hoc eſt, in conuerſatione veſtra, nullus hypocriſis fucus appareat, ſed veritatem diligite.

Gloſ. ex Bed. *Eccl. 20.* *Eccl. 4.* *Prou. 11.* *Prou. 10.* *Prou 15.* *Prou 16.* *Luc. 12.* Dãnatur hypocriſis. *Greg.* *Bernard.*

CAPVT NONVM.

Sed calceatos ſandaliis, & ne induerentur duabus tunicis.

PRopter difficultatẽ, & aſperitatem itinerũ, quæ vel ſpinis replentur, vel calculis plantas pedum excruciant, ſandaliis calciari præcipit. Vt autem expeditiores ſint ad Euangelii promulgationẽ duas prohibet tunicas; ſolet enim multiplex veſtimentum, hominis velocem curſum impedire, & retardare opus, quod citò aggredi, & perſici optat. Expoſitio.

Sed calceatos ſandaliis. Sandalia (notat Arias Mont.) ſoleis conſtabant, quas corrigiæ circa pedẽ, & cruris extremã partẽ ligatæ continebant. Hoc calceorũ ſimpliciſſimum genus eſt, ad vitandum tantum nocumenta ſaxorum, & ſpinarũ; illud verò, ornatiorem vſum præbet, quod græcè ὑπόδημα vocatur. Hoc autem apud Matt. Apoſtolis ſetus, illud verò alterum apud Marcum permittebar, ex quo patet (ſubdit Lyra) quod ſandalia non dicũtur calceamenta propriè, quia illis poterãt vti Apoſtoli. Proindè (ait Aug. in de conſ. Euang. Marcus docẽdo calceatos ſandaliis, vel ſoliis, aliquid, hoc eſt, calceamentũ myſticæ ſignificationis habere admonet, vt pes neq; tectus ſit deſuper, neq; nudus ad terram, deſt, nec occultetur Euangeliũ, nec terrenis cõmodis innitatur. *Arias Mõtanus.* Sandalia diſtinguũtur à calceis. *Lyra.* *Aug.*

Sandalia etiam dico Euangeliũ ipſum cũ Paulo, qui ait: State ergo ſuccincti lumbos veſtros in veritate, & induite loricam iuſtitiæ, & calceati pedes in præparationẽ Euãgelii pacis. Hoc eſt, exponit Theodoret. Ne ad ſceleratas actiones pedes mouete; ſed Euangelii curſũ implete, & laudẽ etiã propheticam ſuſcipiatis, quàm ſpecioſi pedes euangelizantiũ pacẽ, euangelizantiũ bona. Poſuit autẽ pacẽ, quoniã belli etiã meminit, vt inter nos quidẽ inuicem, & cũ communi Domino pacẽ habeamus, cũ ſolo autẽ diabolo, & cum illius phalange in acie confligamus. Ea propter Euangeliũ dicit *ſãdalia*, quæ terrena calcãt ſolea, aperturis verò deſuper reſpicit cæleſtia, vbi pax. Bella autem graſſantur in terris, quod diabolus irã habens magnam deſcendit ad eas, quas ardere diſſẽtionibus facit flatu nariũ ſuorũ. Pes tamẽ pauperis Apoſtoli, qui ſandaliis hyacinthinis calceantur, aufert bella vſq; ad fines terræ, & omnes paci Euãgelicæ ſubdet, quoniã legimus. In Idumeã extendã calceamentum meum, mihi alienigenæ ſubditi ſunt. Proindè acclamatur Euangeliſtæ, quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia Principis; nam mare, flumenque Ægypti, hoc eſt idolorum ritus diſſoluit; ita vt liberè, & abſq; vllo terrore tranſeant per eũ calceati, *Epheſ 6.* *Theodoret.* *Rom. 10.* *Apoc. 12.* *Ezech. 16.* *Pſal. 45.* *Pſal 59.* *Cant 7.* *Iſai. 11.*

videlicet, prædicatores Euangelij, qui modò Romæ, ac alijs mūdi partibus, vbi vanus vigebat cultus, ſucceſſerunt Apoſtolis vſque in finem. *Iſai.5.* Quoniam non eſt deficiens, neque laborans in eo, neque dormitabit, neq; dormiet, neque ſoluetur cingulum renum eius, nec rumpetur corrigia calciamenti eius. *Iſai.11.* Hoc eſt in ſtatu Euangelico, quem Deus leuauit ſignū procul in nationibus, quæ vellent ſaluari, non deerit vnquam qui vigilet, & obſeruet perfectionem ſtatus, & annunciet Euangelij doctrinā, vt ſit, inquit Deus, via reſiduo, qui relinquetur ab Aſſyrijs, vtpotè electis, quos nequeunt dæmones expugnare. Itaque *calceari ſandalijs*, eſt Euangelij doctorem fieri, quemadmodum Ambroſ. de fuga ſæculari cap. 7. & ſup. Luc. 3. Greg. hom. 7. Cyrill. ſuper Ioan. 9. & Beda in illud Exod. 12. & calceamenta habebitis in pedibus veſtris. vide quoque Hier. ſuper Iſai. 11. & Orig. hom. 6. in Ezech. *Ambroſ. Gregor. Cyrill. Beda. Hier. Orig.*

Et ne induerentur duabus tunicis. Quod non haberi, vel portari duas tunicas, ſed expreſſius indui prohibet, quid eos monet, niſi non dupliciter, ſed ſimpliciter ambulare? Quiſquis autem putat non potuiſſe Dominum in vno ſermone, quædam figuratè, quædam propria ponere eloquia, cætera eius inſpiciat, & videbit, quod hoc temerè, & ineruditè arbitretur. *Auguſt. Gloſſ. interl.* Hæc Auguſt. de conſen. Euang. & Gloſſ. interlin. prohibet ne induerentur duabus tunicis. Ne alia induti, aliam in futuro reſeruent; non quod vna tunica in locis glacialibus contempti eſſe debeamus. *S. Franc.* Quare Seraphicus Franciſcus in regula. Poſtquam vnam tunicā fratribus conceſiſſet, adiecit, ſecundum loca, & tempora, & frigidas regiones. Nā in calidis, vt Ægypto, & Paleſtina, atque Thebaida conſuetū eſt monachis exemplo Antonij, Hilarionis, Pachomij, Sabbæ, & aliorū Archimandritarum, & Cœnobitarum vnicam tunicam induere. In temperatis, vt Italia, Hiſpania, & maiori Galliæ parte, ſolebant patres vnicæ tunicæ fragmenta addere. In frigidiſſimis verò Septemptrionis regionibus, magnæ ſanctitatis viri duabus, aut pluribus vſi ſunt tunicis. *Quid ſignificetur per duas tunicas.* Et quoſdam legi, illis in locis vnicam tantum geſtaſſe tunicam. Priuilegio tamen Dei aſcribo opus. *Beda.* Hinc Beda: In duabus tunicis duplex mihi videtur oſtendere veſtimētum, nō quod in locis Scythiæ, glaciali niue rigentibus, vna quis tunica debeat eſſe contentus; ſed in tunica veſtimentum intelligimus, ne alio veſtiti, aliud timore futurorum ſeruetur. *Matt.6.* Nam alias dixerat: Nolite ſolliciti eſſe quid manducetis, neque corpori quid induamini: ſufficit enim diei malitia ſua. Quare præſenti prohibitione omnem ſollicitudinem proijcere in eum, qui omnia diligit, & cui cura eſt de omnibus, hortatur ſecundū Gloſſ. & Bedā. *Bed. gloſ.*

Attamen ſublatere peculiare myſterium ipſe credo cum Orig. ſuper Luc. hom. 23. & hom. 6. in Leuit. & Hil. ſup. Matth. cap. 10. *Orig. Hilar.* videlicet prohiberi ſibi ſimul nouum, veteremque hominem induere, quem Paulus expreſsè vult expoliari, & indui nouum, quia: *Epheſ.* Nemo poteſt duobus dominis ſeruire; nec *Matt.6.* quod ſterquilinio ſeruatur, & ad loca immunda deferri lex præcipit, aptum eſt ſacrificijs. Ac nedum populū, ſed neque aliquid populi ſui conſentit in Ægypto remanere: *Exod.10.* Cuncti greges pergent nobiſcū (dixit Moyſes) nec remanebit in eis vngula, quæ neceſſaria ſunt in cultum Domini Dei noſtri. Greges dico ſenſus, quorum vngulas etiam, hoc eſt, minimas actiones vult Deus ſibi à charis offerri, vt cor, & caro ſemper in Deū viuum exultent. *Pſal.83.* Poſſumus ab hoc myſterio ad aliud quoque trahi, videlicet, prohiberi duplicē cultus diuini obſeruantiam, legis, inquam, & Euangelij, ſed tantū eam, quæ in nouo Teſtamento ordinatur retineri, iuxtà decretū etiā Ieroſolym. Conc. in quo ſcribitur. *Conc. Hieroſolym. Act.15.* Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis nihil vltra imponere vobis oneris, quàm hæc neceſſaria. Neceſſaria erant, quæ ibidē pro tempore referūtur. Etiam multoq. amplius neceſſaria ſunt mandatū nouū, & ſacramentū, quibus Teſtamentū nouum conflatur, & creatur noua creatura, quæ apud Deū valet, *Gal.6.* hyacintina tunica induta, hoc eſt cæleſti vita ſecundū Iſych. in illud Leuit. 8. *Leu.8.* Induens eū tunica hyacintina, ſiquidem in præclarā ſortem admiſſi palā eructant: *Apoc.1.* Fecit nos Deo noſtro regnū, & Sacerdotes. Ergo Sacerdotes ſpirituales effecti pro materiali tunica ſpiritualē conemur induere cum Apoſtolis, qui nobis primitiæ ſpiritus dati ſunt. *Rom.8.*

CAPVT DECIMVM.

Et dicebat eis: Quocumque introieritis in domum, illic manete, donec exeatis inde.

QVemadmodū diſciplinā circa habitū perſonæ docuit, ita quomodo cū alijs ſe habeant, tradit, vtrumq; enim neceſſariū eſt rectori, ac principi, præſertim ei, quē cōſtituit Dominus ſuper familiā ſuā, vt nō ſolū triticū, hoc eſt ſacramenta adminiſtret ſeruis, ſed eos perducat ad montē Domini, & ad domū Dei Iacob, caput gregis ſubordinatus. *Expoſitio. Luc.12. Iſai.2.* Ergo intrare in alterius domū concedit, & familiariter conuerſari, & in ſilentio vitæ verba eis miniſtrare, quando præ rabiæ tyrānorū negātur loca publica; ſicq; priuatim domeſticos tractare, vt ædificentur cōuerſatione, & morū exercitio, ac temperātia victus, contenti his, quæ ſibi apponuntur; quare illic (inquit Chriſtus) manete facti exemplum omnibus, quouſque vos aliò vocet prædicatio. Non gula, neque cupiditas vos compellat exire inde ante tempus.

Quia

Digitized by Google

Eccl.29. Quia melior eſt victus pauperis ſub tegmine aſſerum, quàm epulæ ſplendidæ in peregrè ſine domicilio. Minimum ergo pro magno placeat tibi. & improperium peregrinationis non audies. Vita neq; hoſpitandi de domo in domum; & vbi hoſpitabitur non fiducialiter aget, nec aperiet os. At Apoſtolũ neceſſe eſt continuò os aperire. Indignum eſt ergo à domo, quæ eum benignè recepit, exire quouſque diſcedendi ab vrbe tempus appropinquauerit . .

Et dicebat eis. Vt optimus parens, atque magiſter, qui infamiã præcauet filijs, & quos *Chriſtus perfectè inſtruit* ſemel erudire cœperit in omni doctrina, & diſciplina morum à ſe dimittit inſtructos, & perfectos, vt nequeant in opere, aut verbo *Prou 10.* reprehendi. Quia filius ſapiens lætificat Pa- *Prou 17.* trem, & ira patris filius ſtultus . Ergone vi- *Matt.17.* dens iratus dicat: Vſquequo vos patiar, aut certè: Vade retro Sathana, ſcandalum es mi- *Matt.16.* hi, ſed lætus proferat: Vos amici mei eſtis. *Ioan 15.* Iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos, vos *Luc.22.* eſtis , qui permanſiſtis mecum in tentationibus, & alia ſigna lætitiæ oſtendat redeuntibus ad ſe, mox dicebat eis, quæ doctos facerent, & replerent ſcientia Dei, ac ſpiritu, qui in eis loqueretur , abundantius multo *Num.11.* quàm illis, quos manus Moſaica tetigerat; quia ſcriptũ eſt: Pro patribus tuis nati ſunt *Pſal.22.* tibi filij conſtitues eos principes ſuper omnem terram ; non ſuper deſertum , & eius accolas, quibus Moſaicos præfectos ſolum legimus .

Quocumque intraueritis in domum. Non *Luc 8.* in monumentis mortuorum, vt dæmones, & immundorum ſpirituum legiones, neque in tugurijs, vt gentes Iſraelitæ, quæ à principio in campis habitabant, neq; in tentorijs, ſub *Heſt 1.* quibus æſtuat Aſſuerus , & Holofernes de- *Iudic. 13.* capitatur; ſed in domum. Eſt autem propriè *In quas domus liceat intrare.* domus ædificium ad habitandum , quod ex parietibus, & tecto conſtat ; impropriè pro quocumque habitaculo capitur. Vndè propriè domus ſpiritualis dici poteſt populus Iſrael, qui parietibus legis, & tecto protectionis Dei illuſtrabatur. Reliquæ gentes impropriè vocari poterant . Vndè & Chri- *Luc.11.* ſtus Iſraelem vocat domum , vndè ſpiritus nequam egreditur, & reuertitur; cæterorum nationes dicit loca arida, inuia, & inaquoſa, quare intrare in domum Apoſtolis eſt propriè tantum Iudæis prædicare, quoniam di- *Matt.10.* xerat ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum non intraueritis. Potiſſimum hac licentia domum intrandi, negat monumenta; hoc eſt, hæreticorum conuentus, qui inter Saducæos , Phariſæos, & Eſſæos vigebant . Negat tuguria, quæ habitantibus fuerunt ſepulchra concupiſcentiæ; hoc eſt, ne concu- *Ier.9.* piſcentiam oculorum, per quos intrat mors vllo modo diligant. Negat denique tẽtoria, in quibus Reges deliteſcunt, & quandoque æſtuant libidine in omnes fœminas , ac læpius decapitantur, & deturpantur fœminarum amore. Eiuſmodi loca, & habitare, nedum intrare, ſed neq, nominari vult ab ijs, qui dantur in exemplum omnium fidelium, & eorum, qui à longe vocantur . Itaque intrare in domum , hoc eſt, fidelibus Iudæis conceditur Apoſtolis prædicare. Hæreticorum fieri ſocios prohibetur , necnon auaritiam ſequi, atque libidinẽ. Deturpant enim, ne dicam Apoſtolũ, cui ſucceſſit Epiſcopus, ſed minimum quemque miniſtrorum Chri- *Matt.5.* ſti , qui ad ſuos dicit : Vos eſtis lux mundi, ſed enim quomodo aditus in domum conceditur his, quibus præceptum erat domum *Matt.19.* relinquere, & audacter eructarant: Ecce nos relinquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid *Act 5.* ergo erit nobis? Propria reliquerant quidẽ, eaque repetere facinus eſt Ananiæ , alienis vti conceditur. Nam qui propter Deũ cunctis ſe ſpoliauit, æquum eſt aliena ſibi obſequium præſtare .

Rurſus quæro cum dici ſoleat . Domus vna non alit duos canes, quomodo Chriſtus velit eos in domum intrare? quoniã eadem *Epheſ 4.* prædicant, vt vnum Deum, vnum baptiſma, & fidem explicent, non per inuidiã, & æmulationem, aut inanem contentionem, quæ in leuibus homuncijs, proh dolor, ſerpit etiã in ſæculo illo aureo Apoſtolorum , ſed in vnitate ſpiritus, & charitate, quæ docente vno , compellit alium tacere , & patienter audire, quæ Deus per ſocium loquitur .

Illic manete . Scilicet in domo (ſcribit *Arias Mõtanus.* Arias Mont.) cuiuſcũq; ordinis, facultatiſuè ſit. Nihil amplius quærentes, vel commoditatis veſtræ, vel voluptatis maioris, ſed vti- *Diſcurrere per cõuiuia dedecet prædicatorem.* mini his, quæ vobis ibidem miniſtrabũtur. Idq. parciſſimè, & ſũmo tẽperantiæ exẽplo, ne videamini veſtra commoda quærere; ſed aliorũ, ad quos bonũ nuntiũ defertis. Porrò *Theophyl.* (ait Theophyl.) in vna domo eos manere iubet ne videantur propter gaſtrimargiã inconſtantes eſſe , ab alijs ad alios tranſeuntes . Ergo non eſt curſitandum per domos euangelico prædicatori (inſert Ioannes de *Ioan de la Fuente.* la Fuente) ne ſuſpicionẽ ingeneret vicinis, neque intelligendũ, quod ab hora ingreſſus diſcipulorum in domum hanc, vel illam pro hoſpitio habendo , non licebat indè exire vſquequo ad aliam ciuitatẽ commigrarent, cum certè rationabilibus, & neceſſarijs de cauſis exire de domo hoſpitij oporteret : Nimirũ ad docendũ publicè, ad viſitãdos infirmos, & curandos, & ad vnctionem illorũ. Itaq; illic manere iubet ſimplicitate victus contempti, & nec ſectari conuiuia, quemadmodũ iubet etiã cõſtitutio Apoſtolica lib. 2.c.28 non adſit, inquit, in conuiuio, idq. in *Franc Turrianus.* honorem Dei, qui cũ ſacerdotium mandauit , quem locum Franc. Turrianus notat non intelligi de conuiuio, quod in Eccleſia *1.Cor.11.* olim fiebat, cũ ſemper prohibitũ ſit. 1.Cor. 11. ſed de eo, quod cũ auctoritate Epiſcopi

X 2 domi

Digitized by Google

Ignatius. domi parabatur, ſecundum Ignatium in ep. ad Smyrnenſes, & illud crebrius celebrari *Clem.* Clemens in epiſt. ad Iacobum fratrem Domini hortatur, vt charitas augeretur. Ad quod ſi acceſſum prohibent Apoſtoli ſacerdoti, & prædicatori quomodo vnquã ad profana, & luxurioſa permitteretur? Aut quomodo vnquã Regũ, & Principũ ſæculi cõuiuia in domibus Epiſcoporum, & Sacerdotum, nec non fratrum præparari, & illis paſci conceſſiſſent? Fortè propter pauperes, aut certè ne murmurarent, qui Ægypti recordantur. Interim optimis Apoſtolis, & Apoſtolicis viris dicitur: *Illic manete.*

Donec exeatis indè. Oportebat enim eos exire, quoniam non ad vnam mittebantur gentem, aut populum; Sed eritis (inquit ad *Act. 1.* eos mihi teſtes in Ieruſalem, & in omni Iudæa, & Samaria vſque ad extremum terræ, quare duces innumeri exercitus conſtituti, ſolicitudine omnium Eccleſiarum, & Orbis præmebãtur; quæ diu in vno loco eos quieſcere non permittebant, niſi diuinitus monerentur; vt Iacobus, qui Ieroſolymis ſedem tenuit, Petrus qui Romam tot annis incoluit, & alij ſedes ſuas inſpirati cælitus retinuerunt; cæteri, vt nubes volabant per orbem, & vt animalia cæleſtis curſus requiem ſibiipſis non dabant, infatigabiles *Iſai. 40.* ſemper; nam qui ſperant in Domino mutabunt fortitudinem, aſſument pennas, ſicut aquilæ current, & non laborabunt, ambula-*Act. 5.* bunt, & non deficient; quinimo gaudentes ibant à conſpectu Concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati, & ea agere, quæ ſupra naturam ſunt. Exibant quoque affectu, dum adhuc domi eſſent in Vrbe, ac ſede Pontificali, quoniam *Phil. 3.* dicebat ille, noſtra conuerſatio in cælis eſt. Semper enim ignis etſi clauſus ſpirat ad alta, ſi quomodo ſphæræ coniungatur. At quæ ſphæra Apoſtoli, niſi Chriſtus? Vbicumque ergo eum eſſe contingeret, exire optans cla-*Phil. 1.* mabat: Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto.

CAPVT XI.

Et quicumque non receperint vos, nec audierint vos, exeuntes indè excutite puluerem è pedibus veſtris, in teſtimonium illis.

Expoſitio. QVid cũ his, qui dociles forent, & oſtẽderent ſe beneficè agendũ, & quomodo conuerſandum eſſet Apoſtolis hactenus *2. Cor. 6.* propoſuit. Mox doctrinã circà ingratos ſeruandã eiſdem diſcipulis ſtatuit, vt per arma iuſtitiæ à dextris, & à ſiniſtris pugnarent, & ſcirent vnicuiq; quod ſuum eſt dare. Igitur qui vos à me miſſos ad ſalutem vniuerſorũ, potiſſimum eorũ, ad quos commigrare vos contingerint, non receperint humaniter, neque officioſè, vt par eſt, legatos ſummi Dei tractare, hoſpitare, & in omnibus prouidere temporalibus eos, qui ſpiritualia ſubminiſtrant, quodque iniurius multò, non audierint vos, qui cæleſtia annũciatis, & læta, quæ animus cõcupiſcit, exponitis, cum ſoliciti ſint, & auidè cõcupiſcãt aures aperire, ne dum paraſitis, & aſſentatoribus, ſed auibus, & alijs beſtijs, quorũ melodias, hinc intus, mugitus, balatus, barritus, & alios animalium ſonos vocales audire delectantur, quaſi in peculio, & felicitate mundi huius locupletiores facti: Hos, qui tantam declarauerint ingratitudinem beſtialitate commixtã, pœna commerita afficite. In primis exite ab eis, & ſubtrahite ſpontaneis cæcis lumen, quod eos veſtra præſentia illuſtrat, vt videntes non videant, & intelligentes nõ intelligãt, neq; vltra plagæ eorum ſit ſalus; Secundo exeũtes ab eis, puluerẽ, qui veſtris adhæſijt ſandalijs, excutite contra eos, qui, quod ſe indignos fecerint cæleſti conuiuio, terram comedent cunctis diebus, cum au-*Gen. 3.* ctore ſcelerũ, & in terram miſeriæ, & tenebrarũ abibunt, cum his, qui deputati ſunt in inferno. Interea erunt vt puluis, quẽ proijcit *Pſal. 1.* ventus à facie terræ, ſeſe continuò ad deteriora peccata mergentes, vſque in profundum iniquitatũ. Quorũ omnium puluis iſte veſter excuſſus erit in teſtimoniũ illis, plagæ inimici, & miſerabilis vulneris, quo demum plectentur. Habeantque iam teſtimonium pœnæ futuræ, qui nihilo ducunt teſtimonium Regni cæleſtis.

Et quicumque non receperint vos. Non dixit me, cũ re vera Chriſtum non recipiat, *Prædicatores recipiẽdi hoſpitio.* qui legatum abigit; iuxtà illud: Qui vos recipit, & recipit eum, qui me miſit. Etenim *Matt. 10.* factum, quod in miniſtrũ fit, honori, vel vituperio Regis aſcribendum fore nulli dubium eſt: immò certiſſimum contra Deum os mittere, qui promiſſum non ſeruat Moy-ſi, qui Ieremiæ librum inflammat, & inſanũ *Ier. 36.* acclamat Iſaiam, quem Deus ipſe miſit. Veruntamen, quoniam neque priores, neque poſteriores tyranni Deum ipſum in Sanctis prætenderunt vnquam expugnare; ſed homines, quos operibus ſuis contrarios agnoſcerent, & quandoque veritati aduerſos cultumque verum, ac patriam legem arbitrarentur velle eos abolere. Ideò & ſi facto aduerſus Deum armarentur cum Sanctos tribularent, & à finibus ſuis expellerent, non dicuntur ingrati ad Deum, ſed in homines; vel iuxtà textum feruntur non recipere Apoſtolos. Non recipit propriè Chriſtum, qui fidem abnegat, vt apoſtata; & qui agnitam veritatem expugnat, vt hæreticus. De quibus nulla hic mentio habetur; ſed de paganis, & alijs, qui vel pietate falſa hallucinati, aut amore proprio contriſtant, quos Deus habet charos. Vtrorumque tamen peccatum complecti-

Digitized by Google

pleſtitur oraculum his verbis. Si pecca-
uerit vir in virum, placari ei poteſt Deus;
ſi autem in Dominum peccauerit vir,
Angelomus. quis orabit pro eo? Ac ſi dicatur(ait Ange-
lomus)per quem Deus ſibi, in quem pecca-
uit propitium ſibi facere potuerit?Per eun-
dem quidem ſi plenè pœnituerit, viuenti
non clauduntur fores miſericordiæ,niſi ve-
lit cum obſtinatis ſortem mittere.

Nec audierint. Non recipere Apoſtolos,
erat non agnoſcere naturam, & ab humani-
tatis officio degenerare, quod in omni pe-
nè gente,etiam barbara vim tenuit; quia
nemo carnem ſuam odio habuit,ſed diligit
Ephes. 5. Eccl. 13. omne animal ſibi ſimile,& arbitratur natu-
rą ſocium peregrinationis,& adiutorem,
cum quo omnia ſunt cõmunia, quando ne-
ceſſitas ingruit,& arbitratur facinus tum
dici aliquid meum, vel tuum,cum ſimilitu-
do ſubſtantiæ, qua nihil proprius periclita-
tur, & eget ſubleuante, qui moueat caput
Iob 2. eius, qui in ſterquilinio roditur, qui iacet
in hoſpitali, & qui ſe offert peregrinus po-
Leuit. 11. ſtulans panem, & pulſans ad amicum etiam
intempeſta nocte.Cõtra hæc agens, præua-
ricator eſt legis naturæ, in quam peccant
primo,qui non recipiunt Apoſtolos paupe-
res,& nudos rebus mundi huius. Peccant
verò contra eiuſdem legis finem,atque prę-
cepta,qui non audiunt eoſdem.Nam qui nõ
audit Apoſtolum, ſui conſeruationem per-
petuam in optimo viuendi ſtatu non con-
ſequetur, quoniam iſta per auditum ſunt.
Legis quoque naturæ præcepta, quæ à no-
ſtris principia practica dictitantur, abijcit,
qui prædicantem non admittit.Etenim non
audiens verbum Dei ignorauit quid ſibi
Matt. 7. velit: quod tibi non vis, non facito alteri;
Deus eſt colendus, reſtituendum depoſitũ,
& alia multa, quæ velut ramos, ac radios
lex naturæ mittit, quibus iuuatur is, qui
prædicatione, quaſi ferro incidi, & poliri
animum patitur, & pellem ab oculo extra-
Iob 36. hi;vndè Iob: Si audierint, & obſeruauerint
complebunt dies ſuos in bono, & annos
ſuos in gloria,ſi autem non audierint tran-
ſibunt per gladiũ, & conſummentur in ſtul-
titia. Quid enim ſtultius,quàm in cæcitate
poſitum negligere ductorem, quodq; dete-
Gen. 4. rius,percutere? Planè is dicet: Occidi vi-
rum in vulnus meum, & adoleſcentulum in
liuorem meum. Quoniam in augmentum
ſuæ perditionis erit laceſcere Dei nuntiũ,
qui more adoleſcentis ductoris per viam
rectã dirigere contendebat: Similiter pec-
catum omne, quod in virum omnem com-
mittet,grauabit eũ in doloribus,quod præ-
dicantem non audierit: Beati ergo,qui au-
Luc. 11. diunt verbum Dei,& cuſtodiunt illud.

Magnũ ſupplicium, negari prædicationem. *Exeuntes inde.* Hoc eſt primum,& gra-
uiſſimum damnum, quod Deus hoſtibus in-
fert,& ſignum inimicitiæ aptiſſimum,vt ſo-
lent aduerſarij Reges,ab vrbibus,Regno,&
ſolo auferre nuntium, & legatum. Hinc
planctus: ſigna non vidimus iam non eſt
propheta, & nos non cognoſcet amplius. *Pſal. 73.*
Nam qui oculos ſibi effodi cernit,quid ſpe-
rat, niſi vltimum ſupplicij genus, & igno-
miniam Sedechiæ portare? Sed qui homi- *4. Reg 25.*
num oculi,atque orbis luminaria, niſi præ-
dicatores Dei, & legati altiſſimi? Hi ſunt *Exod 25.*
candelabrum, quod lucet in templo. Hi *Exod. 12.*
Aaron, & Moyſes, qui captiuum liberant
populum. Hi Duces exercitus, qui debel- *Exod. 18.*
lant vanitatis cultorem,& hi lapides ſancti,
qui non ſolum penes ſe aliorum retinent
nomina, ſed eos ad Sancta Sanctorum in-
troducere aſſiduis precibus, & ſacrificijs
contendunt, necnon prædicatione incitare
ad virtutum incrementa ſuſcipienda, vt vi-
deatur Deus Deorum in Sion. Quare *Pſal 83.*
exire à nobis prædicatores eſt columna-
rum baſes,ædificiorum fundamenta,& cor- *Iudic. 16.*
da animalium percutere, & ferri fabros, *Ierem. 24.*
Iſraelitis præripere, & aquæductus con-
ſtringere ne viuat Bethulia, vel iuxtà ora- *Iud 7.*
culum: Auferet à Ieruſalem, & à Iudæa va-
lidum, & fortem,omne robur panis, & om-
ne robur aquæ, fortem, & virum bellato-
rem,Iudicem, & Prophetam, & ariolum, &
ſenem. Quibus ablatis, quis miſerebitur
tui ò Ciuitas? Nullus quidem,quia Ciuitas *Iſai. 1.*
fidelis fit omninò meretrix, & abiecta,ma-
ter fornicationum, & ſordium cumulus.
Ergo qui Apoſtolos adhuc poſsidetis at-
tendite, & cauete ne à vobis exeant,vt ac-
cidit Iſraelitis,& pleriſque quos modo pa-
ganiſmus occupat, vel præualet apud eos
hæreſis.

Excutite puluerem de pedibus veſtris.
Et cur non de manibus? Etenim Apoſto-
los manibus innocentes, & mundos cor-
de eſſe oportet, neque dum viuunt impre-
cari malum debent, nec ab oratione ceſſa-
re, niſi audierint; noli orare. At excute- *Ierem 9.*
re puluerem, vindictæ ſignum eſt, quæ in *Quare excuti puluerem de pedibus*
oratione, quam eleuationem manuum,
& corde deſignat Scriptura, poſtulari non
debet, niſi poſt mortem cum his, qui cla-
mant: Vindica ſanguinem noſtrum Deus *Apoc. 6.*
noſter. Tunc enim lauabunt manus ſuas *Pſal. 17.*
in ſanguine peccatoris, & lætabitur iuſtus
cum viderit vindictam. Hoc autem tem-
pus ſignatur in pedibus, qui in ortu ad
mundum poſtremi ſunt. Ergo vt in po-
ſtremo tempore malum oppreſſurum in-
gratos, & in eodem vindictam à bonis
appetendam monſtraret Dominus, iubet
puluerem de pedibus excuti, non de ma-
nibus, quas iugiter lauare inter innocen- *Pſal 25.*
tes debemus, vt poſsimus coram Domino *Luc. 6.*
ſtare, & orare pro perſequentibus, & ca-
lumniantibus nos,ſicut & pro his, qui benè
faciunt; legimus enim. Vna virga cunctas *Num. 17.*
eorum familias continebit. Hoc eſt vna
oratio pro omni hominũ genere,ſiue bono,

ſiue malo offeretur. Alioqni quam mercedem habebitis? hoc eſt manuum, & orationis, quæ mox diffunditur officium ſalubre; excutere puluerem, & vindictam expetere licebit in fine, quem pedes deſignant.

In teſtimonium illis. Non quidem ſalutis, vt illud: *Pſal. 8.* Teſtimonium Domini fidele ſapientiam præſtans paruulis; quia Lex Domini immaculata conuertens animas, pro quo exorat Pſaltes: *Pſal. 18.* Inclina cor meum in teſtimonia tua, & non in auaritiam. Conceditque docilibus iuxtà illud: *Iſai. 8.* Liga teſtimonium, ſigna legem in diſcipulis meis. Neque in teſtimonium veræ felicitatis, vt illud: Et erit in ſignum, & teſtimonium Domino exercituum in terra Ægypti. Quoniam qui vita æterna eſt homini hominem, quem donat felicitate, vel ſpe, vel re, reſpicit, & diligit, vt ſignum, ſeu thalamum ſponſæ, ad quam intrare vult, & manere. Nec denique eſt factum Apoſtolorum in teſtimonium illis, quod futuri ſint teſtes veritatis, velut *Iſai. 19.* Ioannes, & alij, ſed potius in teſtimonium perditionis vſque in ſempiternum; quia *Quales teſtes Apoſtoli.* populus ad iracundiam prouocans eſt, & filij mendaces, filij nolentes audire legem Dei, ab his, qui ad eos venerunt pedeſtres, fatigati puluere itineris, & prolixitate, qui laborem nullum recuſarunt, vt ſalui fierent. In ſignum igitur & teſtimonium, quod labor corporis ſuſceptus veniet contra ingratos, quodque puluis, qui legatos grauauit, opprimet eos, qui noluerunt de puluere ſurgere, & turbine puluerum inuoluentur, iubet Dominus puluerem excutere de pedibus; vel quod nihil ab eis acceperint (ait *Theophyl.* Theophyl.) & ne puluerem quidem, quem etiam ipſum excuſſerint, ita vt hoc ſit in teſtimonium illis; hoc eſt, in reprehenſionem. *Arias Mõtanus.* Ad hæc omnia, Arias Montanus non de ſingulari vnius, aut alterius, ſed de communi multorum repulſa hoc intelligimus. Neque enim ſi in vna domo non eſſent recepti continuò illam deteſtari videbantur Apoſtoli, poterant in aliam domum ire, & dignum aliquem inuenire, à quo reciperentur. Itaq; illa proteſtatio, & vt ita dicamus, deteſtatio fiebat aduerſus multitudinem. Huius rei exemplum æditum eſt aduerſus Iudæorum, & Principes gentilium turbam Antiochiæ agentem. Act. 4.

CAPVT XII.

Et exeuntes prędicabant, vt pœnitentiam agerent.

Expoſitio. ACcepta itaque viuendi normam, quam in demandato officio eos oporteret ſeruare, exeunt hilares, & benè inſtructi ad opus prædicationis ſedulò peragendum. Neque aliud in eo quærunt, quàm hominũ mores deprauatos corrigere, & cunctorum corda inducere ad pœnitentiam de peccatis commiſſis, & ſtudeant emendationem ſcelerum, ac vitam in melius commutare. Ne hactenus vagi, & profugi à facie Domini extorres abirent; ſed pœnitentiam integram complexi inter aulicos Regis Regum admitterentur.

Et exeuntes prædicabant. Non exeunt iam à Domino, neque parentibus, ac diuitijs, quibus multò ante vale fecerant; ſed exeunt à Domino, quorum gratiſſimum erat conuerſari, & audire viuiſſimum eius ſermonem, qui in mentis exceſſum ducebat *Pſal. 67.* Beniamin. Ab huius igitur conſortio admirabili exeunt Apoſtoli, vt ſaluti cæterorum proſpiciant. Quies itaque (ait Greg. *Gregor.* lib. 6. epiſt. 5. Cyriaco Epiſcopo) nobis ex corde appetenda eſt; & tamen pro multorum lucro aliquando poſtponenda. Nam ſicut toto deſiderio debemus occupationẽ fugere; ita ſi deſit qui prædicet, occupationis oneri libenti animo neceſſe eſt humerũ ſubire, quod ex duorum prophetarũ opere docemur, quoniã vnus prędicationis officiũ vitare conatus eſt, & alter appetit. Nam mittenti ſe Domino Ierem. reſpondit dicens, a, a, a, Domine Deus neſcio loqui, *Ierem 1.* quia puer ego ſum. Et cum omnipotens Deus perſonam ad prædicandum quæreret dicens, quem mittam, & quis ibit nobis à vltrò ſe obtulit Iſai. dicens: Ecce ego, mitte me. *Iſai. 6.* En ab vtriſque exterius diuerſa vox prodijt, ſed non à diuerſo dilectionis fonte manauit. Vterque tamen poſt habitum cũ Deo ſermonẽ, exijt, vt proximis cõſuleret.

Vt pœnitentiã agerent. Initium Euangelij (notat Arias Mont.) vt Marcus ipſemet *Arias Mõtanus.* expoſuit, eſt pœnitentiæ denunciatio, cauſa autem eſt Regnum cælorum. *Mar. 1.* Prædicabant igitur vtramque partem huiuſmodi ſumma *Pœnitentiæ virtus.* contentã: Pœnitemini, & credite Euãgelio; vel quoniã appropinquauit regnũ Dei, *Matt. 4.* pœnitentiam agite. Huic legationi auctoritatẽ conciliabant curatione verborũ. Erat enim totus mundus in maligno poſitus, *1. Ioan 5.* abſq; miſericordia, & fide, plenus fallacijs, dolo, ambitione, & cochlea ſpurcitiarũ, ac vitiorum mare, quare neceſſe erat à pœnitentia ordiri prædicationẽ, ſummoq; ſtudio perſuadere ijs, qui anima ægrotabant. Magna eſt enim contra peccatũ (ſcribit Greg ad Theoctiſtã *Gregor.* patriciam) virtus pœnitentiæ, ſed ſi quis in eadem pœnitentia perſeuerauerit. Nam ſcriptum eſt: Qui perſeuerauerit vſque in finem hic ſaluus erit. *Matt. 24.* Hinc rurſum ſcriptũ eſt: Qui baptizatur à mortuo, & iterũ. Tãgit *Eccl 34.* mortuum quid proficit lauatio eius? Mortuũ quippe eſt omne opus peruerſum, quod pertrahit ad mortem, quod vita iuſtitiæ non viuit. Baptizatur ergo à mortuo, & iterum tangit eum, qui praua opera, quæ ſe meminit egiſſe, deplorat; ſed in eiſdem, ſe

iterum

Digitized by Google

iterum poſt lacrymas implicat. Anima
itaque quælibet eiuſdem mortui lauatione
non proficit, quæ hoc iterum faciendo quod
planxit, nec per lamenta pœnitentiæ ad re-
ctitudinem iuſtitiæ exurgit. Pœnitentiam
enim verè agere eſt commiſſa flere; ſed ite-
rum plangenda declinare. Quod cum vitæ
initium ſit, & ſecurus aditus ad regnum,
quo criminoſus quiſque recôciliatur Deo,
& vt Ezech. tradit, animam ſuam ſaluat.
Hoc primum demandatur prædicatoribus:
Iſai. 58. Clama ne ceſſes, & quaſi tuba exalta vo-
cem tuam, & annuncia populo meo ſcelera
Sinod. Par. eorum, & domui Iacob peccata eorum; vt
hi (concludit Pariſien. Synod. lib. 1. cap. 5.)
de vtili ſua prædicatione, & illi de obedien-
ti impletione æterna à Domino donentur
retributione. Igitur qui munus tibi aſſum-
pſiſti Apoſtolicum, aut ad illud aſſumptus
es, ſtude quomodo te, atq. alios ad pœnitê-
Greg. tiam trahas. Nam gallus (ait Greg. lib, 3.
paſt. cap. vlt.) cum iam edere cantus parat,
prius alas excutit, & ſemetipſum feriens
vigilâtiorem reddit, quia nimirum neceſſe
eſt, vt hi, qui verba ſancta prædicationis
mouent, prius ſtudio bonæ actionis euigi-
lent, ne in ſemetipſis torpentes opere,
alios excitent voce. Prius ſe per ſublimia
facta excutiant, et tunc ad bene viuendum
alios ſolicitos reddant, prius cogitationum
alis ſe ipſos feriant, et quicquid in ſe inu-
tiliter torpere ſolicita inueſtigatione de-
præhendunt, diſtincta animaduerſione cor-
rigant; et tunc demum aliorum vitam lo-
quendo componant. Quid autem opor-
teat prædicatorem loqui, diffusè tradit Me-
Côc. Med. 1 diolanen. Conc. primum propè initium, vbi,
de prædicatione verbi Dei agitur.

CAPVT XIII.

Et dæmonia multa eÿciebant, & vngebant oleo multos ægros, & ſanabant.

Expoſitio. VT doctrinam, ita & poteſtatem, quam
à mittente Chriſto acceperant, expli-
cant populis, vt quoquo modo ad Chriſtum
pertraherent homines, quorum aliqui mo-
uentur claro verbo, et ratione, vt rationa-
liores, et veritatis capaciores; rudiores
verò, ac duræ ceruicis homines, et amato-
res ſui, excitantur ſignis, atque prodigijs.
Propter hos ergo dæmonia ab obſeſſis eij-
ciebant Apoſtoli, magno cum fragore, et
terrore ſpectanctium; vnde mouebantur
ſeruire ei, ac eſſe ſub eo, in cuius nomine,
et potentia tâm horrendi ſpiritus fugaban-
tur. Tûm maximè proprijs circumſpicien-
tes oculis mirabilia, q̃ circa ægros fiebât.
Vngebât enim Apoſtoli oleo multos ægro-
torũ, qui ad ſe accedebât & recedebât ſani,
qui videbantur in fide conſtantiores. Equi-
dem iuxtà fidẽ quiſq. ſalutem reportabat,

Et dæmonia multa eÿciebant. Non omnia.
Nam eum, qui lunatico ſpiritu vexabatur, *Matth. 17.*
non potuerunt expellere. Nec quidem
morbum omnem curarunt. Nam poteſta- *Poteſtatis*
tis plenitudinem ſolus Chriſtus habuit, di- *plenitudo*
cente eo: Data eſt mihi omnis poteſtas; *apud ſolum*
Chriſtum.
quia ecce validus, et fortis Dominus, ſicut *Matth. 28.*
impetus grandinis, turbo confringens, ſicut *Iſai. 28.*
impetus aquarum multarum inundantium,
et emiſſarum ſuper terram ſpacioſam, quæ
cedit potentiæ maximæ, et radicitus euul-
ſa demigrat ad mare. Ita et diabolus om-
nis, et peccatum, quod introduxit, et inde
ſequuta in carnem plaga, ante pedes, et
imperiũ Chriſti proſternabatur, vt nõ eſſet,
qui reſiſteret. At quomodo dicitur, quod
non poterat multas virtutes facere? Quo-
niam legis ordinem, quæ fidem in miracu-
lis exigit, ſeruare volens, non poterat mi-
raculum agere inter infideles. Poterat
tamen abſoluta potentia, vel in infidelitate
relictos, donare in miraculo, vel ad fidem
tractos curare, quod nulli Apoſtolorum
conceſſum eſt; neque ſancto, quibus ad men-
ſuram datur ſpiritus. Vnde ſponſa cecinit:
Introduxit me rex in cellam vinariam, & *Cant. 2.*
ordinauit in me charitatem. Hoc eſt com-
municauit amoris ſpiritum facultati meæ
ordinatum, & proportionatum, vt poſſit,
quæ decent, & quæ iuxta debitum ordinem
fieri expediunt, exequatur. Chriſto autem,
cui non eſt datus ſpiritus ad menſuram, *Ioann. 3.*
quique datus eſt caput ſupra omnem Ec- *Epheſ. 1.*
cleſiam, maiora conuenit eructare, & poſſe.

Et vngebant oleo multos ægros. Ex hoc
loco (inferè Lyra) patet, quod vnctio extre- *Lyra.*
ma, quæ eſt infirmorum, fuit inſtituta à
Chriſto. Alludit Theophyl. dicens, quod *Theoph.*
vnxerint oleo Apoſtoli, ſolus Marcus nar- *Iob. 5.*
rat, quod & frater Domini Iacobus in ca-
tholica epiſtola dicit, infirmatur quis inter
vos? aduocet ſeniores Eccleſiæ, & orent ſu- *Iſai. 5.*
per illũ vngentes eũ oleo: Hoc tamen loco
Iacobi commendari tantum extremam vn-
ctionem, & non inſtitui, vt quidam ex no-
ſtris putarunt, ſed multò antè à Chriſto;
cuius inſtitutionem Marcus præſenti facto
inſinuauit, his verbis Synod. Tridentina *Syn. Trid.*
ſeſſ. 1. cap. 1. expreſſit. Inſtituta eſt autem
ſacra hæc vnctio infirmorum, tanquam ve-
rè, & propriè ſacramentum noui teſtamen-
ti à Chriſto Domino Noſtro, apud Marcum
quidem inſinuatum, per Iacobum autem
Apoſtolum, ac Domini fratrem fidelibus *Extremæ vn-*
commendatum, ac promulgatum: Et præ- *ctionis inſti-*
miſſis Apoſtoli verbis, ſubditur quibus ver- *tutio, mate-*
bis, vt ex Apoſtolica traditione per manus *ria, forma,*
accepta Eccleſia didicit, docet materiam, *effectus.*
formam, proprium miniſtrum, & effectum
huius ſalutaris ſacramenti. Intellexit enim
Eccleſia eſſe oleum ab Epiſcopo benedi-
ctum. Nam vnctio aptiſſimè Spiritus ſancti
gratiam, qua inuiſibiliter anima ægrotantis
inungi-

ininngitur,reprcſentat,formam deinde eſſc illa verba: Per iſtam ſanctam vnctionem, &c. quæ in Conc. Flor. exprimitur. Ex quibus inſurgit iam catholicus contra Heraclionitas, Vuicleſſ ac Lutherum, qui vnctionem extremam negant ſacramentum eſſe nouæ legis,neque,vt aliqui Græci ſomniãt,aliquid infirmis prodeſſc, ſed fictitium inuentum eſſe. At ſcribit Beda in cap. 1. Iacob. Hoc & Apoſtolos feciſſe in Euangelio legimus,& nunc Eccleſiæ conſuetudo tenet, vt infirmi oleo conſecrato vngantur à Præsbyteris, & oratione comitante ſanentur. Nec ſolum à Præsbyteris, ſed vt Innoc. Papa ſcribit, etiam omnibus Chriſtianis vti licet eodẽ oleo in ſua, aut ſuorũ neceſſitate vngendo. Innoc.iſte eſt primus, qui in epiſt.1. ad Decentium Eugubinum Epiſcopum, præsbyteros dicit eſſe miniſtros ſacramenti huius,nec non Epiſcopos, cœteros minimè,iuxta aliorum Patrum, & Conciliorum decreta, & traditionem;quare Bedæ verba intellige licere cunctis chriſtianis vti hoc oleo,ſed à miniſtris proprijs accepto, vti Arnulphum Epiſcopum Sueſſionenſem, ſecundum Dominicum Otthum Epiſcopum, Stephanum Hungariæ Regem, atque alios ſanctitate perſpicuos, legimus in eorum hiſtorijs feciſſe. Igitur ſi quis dixerit(definit. Synod.Trid. can.2.) ſacram infirmorum vnctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata,nec alleuiare infirmos,ſed iam ceſſaſſe,quaſi olim tantum fuerit gratia curationum: Anathema ſit. Repetitur Anathema can.3.& 4.

Conc. Flor.
Hæres repr.
Beda.
Innoc.Papa.
Synod.Trid

Et ſanabant Nota coniunctionis, *Et*, indicat vnctione illa olei apoſtolos ſanitatem contuliſſe. Id quod Arias Mont, ſentire videtur dicens. Cœremonia fuit antiquis vſitata, cum multi non medicinæ remedijs, ſed præcibus, & ſupplicationibus curarentur. Erat enim oleum Symbolum, & veluti myſterium quoddam recreationis membris diuinitus adhibendæ. Hac ceremonia Apoſtoli vtebantur, qua ſignificare Chriſti vnctionem ſalutiferã omnibus iam adeſſe,quæ animos curaret, vt oleum illud miraculosè magis,quàm ex naturæ vi morbos varios ſanabat. Verum etſi oleo multos ſanarent, abſque oleo, gratiam, ſanitatem, & curationem exercuiſſe non tàm alias, quam præſenti miſſione, eadem coniunctio, *Et*, mihi fidem facit. Nam poteſt quoque, vt alibi ſæpè coniungere non factum facto,ſed factum perſonæ, videlicet quod ijdem,qui vngebant, & ſanabant. Id tamen parum refert, dum certi ſumus eos ſanaſſe, quorum operum illuſtri, & deſideratiſſimo fine monentur Apoſtolici in omni legatione, quam ſuſcipiunt, vel ad hæreticos,vel catholicos ſanare,quæ eſt,vt Philoſophus ait: Agentis perfecti formã optimã poſſe introducere, vel cum ſupremo Apoſtolo verè ſtatuere: Quod perierat requiram, & quod abiectũ erat reducã, & quod confractum fuerat alligabo, & quod infirmum fuerat conſolidabo, & quod pingue & fortè cuſtodiam, & paſcam illos in iudicio; hoc eſt,cum diſcretione cuncta agam, vt non pereat quiſque ex his, quos dedit mihi Dominus; ad quos enim mittimur, & qui tranſmittuntur ad nos,dantur nobis,vt curentur,& ſaluentur modis omnibus,quãtum facultas noſtra extenditur. Nota legi alias, *ſanabantur*, vt non auctores ſalutis, ſed miniſtros fuiſſe Apoſtolos intelligamus. Auctor ſalutis eſt qui ait: Salus populi ego ſum. Salus autem mea in ſempiternum erit, & iuſtitia mea non deficiet.

Arias Mont.
Vnctionis olei antiqua conſuetudo.
Phil.
Ezech.34.
Iſai. 51.

CAPVT XIV.

Et audiuit Rex Herodes (manifeſtum enim factum eſt nomen eius) & dicebat: quia Ioannes Bapiſta ſurrexit à mortuis: et propterea virtutes operatur in illo.

ADEO Chriſti operum, quæ tum per ſeipſum, tum per Apoſtolos fiebant, rumor creuit, vt in Principum aulis, ac palatijs Regum perſonaret,& quaſi è Chriſto, minorum, & maiorum familias impleret. Audiuit enim Herodes geſta Chriſti, quæ aulici ad eum referebant,& referebantur inter commenſales, qui menſæ Regiæ aſſidebant; vnde poſt longas, & ineptas recumbentium concertationes quid de Chriſto ſentiendum foret, hoc non minus ineptum iudicium exijt, vt Chriſtum arbitrarentur Ioannem Baptiſtam, quem immanis Rex, & Tyrannus è vita ſuſtulerat, à mortuis ſuſcitatum, & propterea tot, tantaque virtutum opera facere; vt eius prædicationi olim non crediderant, viſis miraculis eum dignum credant Prophetam,& admittant, quæ ab eo dicerentur.

Expoſitio.

Et audiuit Rex Herodes. Quoniam & propter Reges Chriſtus venerat, & vt ſaluarentur terræ principes mittebantur Apoſtoli: Immò verò ad hos potiſſimum Dei nuncius deſtinatur.Nam et fulgur ſublimia ædificia ante omnia percutit, & agricola qui campum emundare vult, non ſolum ſpinas, frutetaque eruncat, verum etiam abietes altas, & ſycomoros, atque alias infructuoſas,& noxias arbores ſecuri percutit. Hinc Pſaltes intonat: Audite Reges, & intelligite, erudimini qui iudicatis terram: Et Iſai. Audite verbum Domini principes Sodomorum,percipite auribus legem Dei noſtri Populus Gomorræ. Denique non eſt Propheta, qui ſermonem non conuerteret, primo ad maiores: Nam his eruditis,

Prædicandũ præcipue Rectoribus populorum.
Pſal. 2.
Iſai.1.

ditis, & rete prædicationis captis, facilè plebs, vt Delphyni, capto duce ſequitur, Quemadmodum Syluester in imperio Romano fieri obtinuit, & Greg. Armenus in tota Armenia, & conuicinis prouincijs, & *Pſal. 44.* alij in diuerſis mundi partibus, ſic gratia diffuſa in labijs eorum, veritatem principibus denudarunt, vt amplexam, ijdem Reges cogerent à ſubiectis populis recipi, quare *Sinod. Senon. Greg.* hortatur Senonenſis Synod. cap. 36. Sint prædicatores iuxta Greg. in verbo diſcreti, ne vel tacenda proferant, vel dicenda reticeant, prædicent rurſus ſacrum Euangelium, innitantur interpretationibus ſacrorum doctorum. Inſtruant populum ad obſeruantiam præceptorum Dei, vt fidem inconcuſsè teneant, atque omnibus mandatis Dei, & Eccleſiæ pareant, nec ab eiuſdem Eccleſiæ decretis, & ſanctionibus deuient. Nam diſcretione quorumcumque animus allicitur, eruditione mentes principum ſublimes acquieſcunt, & pietati omnes. His enim tribus ſermo prædicatoris conditus, & Rex qui audit, & populus, qui aſtat, niſi aduerſetur, facillimè capitur.

Manifeſtum enim factum eſt nomen eius. Fruſtra ergo clamant adhuc Iudæi. *Iſai 64.* Vtinam dirumperes cælos, & deſcenderes, & notum fieret nobis nomen tuum. Nam *Iſai. 30.* neque illis dicitur: Ecce nomen Domini *Probatur cõtra Hebræos Chriſti aduentus.* veniet à longinquo. Vel nomen ſanctum meum notum faciam. Iam enim manifeſtum factum eſt nomen eius. Atque adeò *Malach. 1.* notum, vt dicat: Ab ortu enim ſolis vſque ad occaſum magnũ eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum eſt nomen meum in gentibus. Non quidem in vobis ò hebræi, qui adhuc quæ- *Marc 5.* ritis, quod eſt nomen tuum? & vos conque- *Malach. 1.* ritur ipſe, polluiſtis nomen meum; & nunc *Iſai 52.* quid mihi eſt hic dicit Dominus; quoniam oblatus eſt populus meus gratis? Dominatores eius iniquè agunt, dicit Dominus, & iugiter tota die nomen meum blaſphematur. Propter hoc ſciet Populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipſe, qui loquebar. Ecce adſum. Et in qua die? numquid in ea quam falſo ſperas? Tranſijt quidem, ſed in die illa magna, & amara valde, quando veniet Dominus iudicare *Apoc. 1.* terram. Tunc miſeri videbunt in quem pupugerunt, & plangent ſuper eum, cuius nomen manifeſtum non admittunt, non agnoſcunt, non reuerentur, neque inuocant, vt ſaluentur, ſed ſuggillant, & infamant.

Et dicebat. Tametſi virorum omnium ſtultiſſimus, audet Rex in ore, & negotio *Quidquid Reges loquuntur, approbatur ab aulicis.* arduo ſententiam proferre; nec ineptiam, quam diues eructat, audet quiſque reprehendere; quinimò loquutus eſt ſuperba, & iuſtificauerunt eum, humilis deceptus eſt, *Eccl. 13.* inſuper, & arguitur, locutus eſt ſenſatè, & non eſt datus ei locus. Diues loquutus eſt & omnes tacuerunt, & verbum illius vſque ad nubes perducunt. Etenim rugitus leonis, etſi aſper, & horridus, cæterorum voces facit ſub ſilentio eſſe, & verbum quod Nabuchodonoſor facit in domo ſua, com- *Iud. 2.* mendatur à ſuis, & exequutioni mandatur. Verum etſi, nec hoc ego probem in Regibus, vt quod in domibus ſuis dicunt abſq. contradictione amplectantur, cum Regem ſtultum, & ſtultiſſimum Regnis aliquando præſidere, ſcriptura deponat, quod dicant in Concilio Patrum, & Senatu Eccleſiæ, velintq. audientes, qui plaudere Regibus volunt, fieri irreuocabile verbum, cuius piæ aures, & cor rectum patienter feret? aut quis vnquam Principis ſæcularis admittet ſententiam, quam, vel de fide, vel moribus protulit, antequam in examen patrum Eccleſiæ venerit recipiendam inconcuſſe? Equidem os, & ſapientiam, atque ſpiritum *Notabile exemplum Regis Siſenandi.* ad hæc in Apoſtolis præmiſit Deus noſtris maioribus, qui ſub vicario Chriſti ſunt, & Romanam fidem profitentur. Vnde eorum iudicio Rex Siſenandus in Conc. Toletano, *Luc. 21.* humi proſtatus coram ſacerdotibus ſe ſubmiſit, & Flauius quoque Hiſpaniæ Rex in Tolet. 8. ſecundum quatuor Concilia generalia, fidem profeſſus eſt, atque omnis, qui (vt Iſydor. in lib. ſent. ait) piè, & iuſtè, & *Iſyd.* miſericorditer regit, vt merito Rex appelletur, non Tyrannus, ſic dicit coram Senatu Patrum Eccleſiæ, & in domo; ſic quoq. dicit, vt paratus ſit meliorem ſententiam accipere.

Quia Ioannes Baptiſta ſurrexit à mortuis. Videtur ſecundum Marcum hæc protuliſſe Herodem ex propria ſententia, ex aliena verò ſecundum Matth. Verum etſi ab *Matth. 19.* alijs audiſſet, aſſentiens dicentibus, opinionem ſibi propriam fecit, vt nos ſolemus quando, vel Aug. vel Hier. aut alterius Doctoris placitum proferimus. Igitur (ait *Theophyl.* Theophyl. cum audiret miracula Domini, ſciens quod immeritò, & abſque cauſa iuſtum Ioannem occidiſſet, ſuſpicatus eſt, quod ſurrexiſſet à mortuis. Non enim erat ſectæ Saducæorum fautor, qui reſurrectionem negabant. Verum quod auditis Chriſti miraculis, prima feratur fama, Ioannem à mortuis reſurrexiſſe, effectum primum *Gratia per Chriſtum facta.* aduentus, & operum Chriſti, atque verborum ſignat eſſe gratiam, quæ peccato pe- *Ioann. 1.* rierat, ſuſcitare. Eſt enim Ioannes gratia. *Rom. 5.* At gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Et eius meritis, inquit Apoſtolus, diffuſa eſt in cordibus veſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Vt enim poſt caniculæ exortum eteſiæ venti, quos Strabo lib. 3. ſubſolanos vocat, flant quadraginta diebus; & Spiritus ſanctus qui gratijs ſuis lætificat animos, poſt aduentum Chriſti, & ſalutiferam eius prædicationem

perflat,

Digitized by Google

perflat, & ſubintrat corda eorum, qui manent cum Chriſto, conſepeliuntur, & commorabuntur eidem, fiuntque auditores

Eccl. 9.

Euangelij, & factores: Datio enim Dei permanet iuſtis, & perfectus illis ſucceſſus habebit in æternum, & benedictio Dei in mercedem iuſti feſtinat: Et in honore veloci proceſſus illius fructificat.

Eccl. 11.

Et propterea virtutes operantur in illo. Quoniã è mortuis ad vitã reſurrexiſſe Ioãnẽ opinabatur, & ab eodẽ virtutes illas fieri credebat. Non enim viuentibus iſta concedebat, ſed mortuis, qui ſuſcitato potuerunt ea communicare, Magorum fortè opinione illuſus, & Nicromanticis fidem habens, qui vt olim Phitonici, à mortuis potentiam, & ſcientiam ſperant, & quærunt

Rabanus.

ſuis preſtigijs. Nicromantici enim ſunt, (ait Rabanus in libello de Magorum præſtigijs) quorum præcantationis videntur

Nicromant.

reſuſcitari mortui, diuinare, & ad interrogata reſpondere νεκρὸς enim græcè mortuus μαντεία diuinatio nuncupatur, ad quos ſuſcitandos cadaueri ſanguis adijcitur. Nam amare ſanguinem dæmones dicuntur; ideoque quotieſcumque nicromantia fit, cruor aquæ miſcetur, vt cruore ſanguinis facilius prouocentur. Hydromantici ab aqua dicti. Eſt enim Hydromantia in aquæ inſpectione vmbras dæmonum euocare, & imagines ludificationes eorum videre, ibiq. ab eis aliqua audire, vbi adhibito ſanguine etiam inferos perhibentur ſuſcitare. Eos

Synod. Laod

Ancyran.

autem (ait Synod. Laodicen. cap. 36.) qui talibus rebus vtuntur proijci ab Eccleſia iuſſimus, & Ancyran. cap. 23. ali. 24. Qui diuinationes expetunt, & more gentilium ſubſequuntur, vel in domos ſuas huiuſmodi homines introducunt, exquirendi aliquid arte malefica, aut expiandi cauſa, ſub regula quinquennij iaceant, ſecundũ gradus pœnitentiæ definitos. In Conc. autem Rom. ſub Greg. cap. 12. anathematizatur hiſce vtens.

Conc. Rom. ſub. Greg.

Videant ergo qui tàm liberè arte damnata vtuntur, quàm longè ſint à Chriſtianitate, quam profitentur, & à ſacramentis, quæ potius vt membra diaboli, quàm ſacerdotes altiſſimi tractant. Intellexi enim peſtiferæ ſcientiæ reperiri ſacerdotes, qui eam celebrant. Væ autem deſerentibus & legem & Deum, et patrum ſtatuta, quæ nihil ab inferis, ſed ſuperis hortantur, noſtra ſperare, neque aliquem credit à mortuis ſurrecturum, niſi quem Dei vox aduocauerit, non phitonis, neque magi hominis delyra incantatio.

CAPVT XV.

Alij autem dicebant: quia Elias eſt. Alij verò dicebant: quia Propheta eſt, quaſi vnus ex Prophetis.

Expoſitio.

INſipientis, & fatui Regis ſtultum de Chriſto placitum audiuimus quid reliqui ſenſerint, Euangeliſta paucis verbis explicat. Alij, inquit, qui nouarum opinionum erant amatores, & ex friuolis, ac falſis imaginationibus prompti quid arduũ concludere, dixerunt temerè eſſe Eliam, quem Dominus ſe miſſurum pollicetur, ſed in fine ſæculi. Alij verò, qui ſibi videbantur plus ſapere, & omnium ſententijs propriam putabant præferri debere, non minus abſurdum ex nugacibus præmiſſis concluſerunt, videlicet Chriſtum eſſe prophetam, vnum eorum, qui ad populi ſublenamen ſolebant olim mitti, vt vel de agendis inſtruerent gentes, aut mala hominum acta publicè arguerent, antequam Dei furor, & flagellum peſſimos inundaret. At omnes inſipientes, qui ſic opinati ſunt, & infelices ſupra modum, qui Chriſtum vel Eliam, vel vnum ex prophetis comunibus credunt.

Errores varij de Chriſto.

Sap. 15.

Alij autem dicebant. Vt vel inde ſcirent, quia homines eſſent, ex quibus vnus ſic, & alius ſic, nec aliud ſciunt, quàm opinari, qualeſque in ſtatu vario, vix vnquam in eodem permanentes; tales in ſententijs, ſiue de his, quæ procul, ſiue de his, quæ propè ſunt, eructant, ſemper ambigui, amphibologici, & ancipites reperiantur. Quo fit, vt prorſus, qui humana tractant, & humanitus inuentis ſcientijs vacant, nihil ſciant. Nam opinio non generat ſcientiam, quoniã eſt cũ formidine de oppoſito. Vnde 1. Poſt. tex. 44. ait Phil. opinio eſt incertum, vel eſt contingentis aliter ſe habere 7. Metaph. tex. com. 53. At ſcire, & ſcientiæ eſt certi, & neceſſarij, quia tunc ſcire arbitramur cum cauſas primas principiaque prima, vſque ad elementa cognoſcimus, quare qui in facultatibus mundi huius tempus conſumunt, ſemper ſunt diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis peruenientes. Nihil quidem aliud licet apud eos audire, quàm alij dicunt, alij opinantur, & alij contradicunt ducentes in orbem rotam, velut iumenta cæca, quæ molendinis alligantur.

Hominum ſcientia fallibilis.

Philoſoph.

2. Tim 3.

Quia Elias eſt. En opinabile, tantum à vero diſtans, quantum à claro obſcurum. Eo ducti ſunt, quoniam (inquit Theophyl.) reprehendebat multos, ò incredula natio! Etiam ob latens myſterium Eliam hi Chriſtum faciunt, quod pœnitentiæ Symbolum in Elia luceret. At pœnitentiam poſt ſuſcitationem

Theoph.

rationem gratiæ, quæ fit in baptiſmo, ſcimus neceſſariam fore, vnde nomen accepit, ſecunda tabula poſt naufragium. Sentire ergo de Chriſto Eliam eſſe, eſt Chriſtum ſob velamine confiteri redemptorem origiualis, dum gratiam ſuſcitat in baptiſmo, nec non actualis delicti, quando pœniteoti condonat culpam omnem.

Alij vero dicebant. Et hoc quoque vitium multò adhoc deterius in hæreticis reperitur: Nunquam omnes idem ſentire; ſed

Heretici in ſuis ſententiji inſtabiles.

inſtabiles eſſe, & flexibiliores, qui in omnē ventum circumferantur per doctriuas dæmoniorum, quas in vnum redire conſenſum, eſt impoſſibile. Hinc Ambr. lib. I. de fide ad Gratiauum: Hæreſis velut quædam Hydra fabularum vulneribus ſuis creuit, & dum ſæpè reciditur, pullulat igni dedita, incendioque peritura, aut velut quæ monſtruoſi ſcylla portenti, in varias formas diſtinctas perfidiæ velut ſupernè vacuum Chriſtiauæ ſectæ nomen obtendit; ſed quos in illo impietatis ſoæ freto miſeros iuter naufragia fidei reperit fluctuautes, belluiuis ſuccincta prodigijs, tetri dogmatis ſæuo

Aug.

dente dilacerat. De quibus Aug. de coutinentia decem præceptorum, & decem plagarum cap. 2. In ranis inquir, heræticí intelliguutur, atque Philoſophi. Habes congruenter ſignatam philoſophorum, vel hęreticorum prauitatem, ſi conſideres ranarum loquacitatem. Ranæ ſunt clamantes in paludibus limoſis per ſuperbiam, & inanes contentiones, ſtrepitum vocum habere poſſunt, doctrinam veræ ſapientiæ non poſſunt inſinuare. Qui enim Chriſtianæ veritati contradicunt, & iu ſua vanitate decepti ranæ ſunt, tædium afferentes auribus, non cibos mentibus. Tantum enim habenr alij dicunt, alij ſectantur. At neque ipſi, neque quos citant veritatem perſuadent, ſed in omnibus mendacium apprehendunt.

Quia propheta eſt. Mihi quidem vide-

Chryſoſt.

rur (ait Chryſ.) hunc prophetam dicere, de quo Moyſes: Prophetam ſuſcitabit vobis

Deut 18.

Deus de fratribus. Rectè quidem, ſed quia manifeſtè dicere trepidant, hoc eſt Chriſtus, Moyſi vtebantur voce, propriam ſuſpicionem velantes, prępoſitorum ſuorum timore. Id tamen uon opinio, aot falſa ſententia, ſed veritas eſt Euangelica, ſupra quam uon quæſiſſet Chriſtus aliam: Vos

Matth. 16.

autem quem me eſſe dicitis, ſi dicentes prophetam, intendiſſeut ſub velamine Chriſtum verom confiteri. Prophetæ ergo oomine (ait gloſſ. interl.) nou intelligebant

Gloſſ interl.

Dominum Prophetarum, qui Chriſtus eſt. Per quem ſecundum Paulum accepimus

Rom. 1.

gratiam, & Apoſtolatum, & donorum diuerſitatem, vt ſit doctor, & propheta in Eccleſia Dei.

Quaſi vnus ex Prophetis. Inde apertius conſtat per prophetam intellexiſſe, non illum, de quo Moyſes, quem omnes Chiſtum eſſe credebant; ſed vnum ex his, qui ſoliti erant mitti: Fertur de Chriſto hæc tertia opinio poſt duas priores; vt ſob ea opus tertium quod Chriſtus adueniens peregit, contemplemur; parum enim duceret ſuſcitare gratiam baptiſmi inſtitutione, & mundare prolapſum in pœnitentia, niſi miniſtrum inſtitueret, qui velut propheta os Domini eſſet, à quo baptizatus & pœnitens legem veritatis, quæ in ore miniſtri Chriſti ponitur, requireret, & qui ſpiritualia miniſtraret puſillanimis, ne in via, quam ingrediūtur, errarent, ſed ſecuri ad finem peruenirent. Eſt enim miniſter Chriſti, quaſi vnus ex prophetis, qui loquitur quæ Dominus iubet, & annunciat futuram mercedem, quam operibus conſouam quiſque recipiet.

CAPVT XVI.

Quo audito Herodes ait: Quem ego decollaui Ioannem, hic à mortuis reſurrexit.

REpetitur Herodis ſententia, vt ab eius narratioue continuetur hiſtoria mortis Ioannis, quem Herodes ſacrilegus, & legum deprauator, & ſanguis proditor decollauit. Expoſitio.

Quo audito Herodes ait. Audiuit iterum Herodes Chriſti opera, non quidem ſua diligentia, cui uihil horribilius erat, quàm audire, quæ munda ſuut, & ſanctificaut, quia dicitur: Audiuit luxurioſus, & diſplicuit Eccl. 21.

ei, vt ſus volutabro delectatus; ſed audit ob miſericordiam Dei, qui uon ſemel, aur iterum, ſed crebrius, ac multoties facit loxurioſum, & peccatorem uimis, quæ ſancta ſunt audire, vt vel conuertatur, vel excuſationem uon habeat de peccato ſuo.

Quem ego decollaui Ioannem. Præceperat ipſe miniſtris amputari capur Ioanuis, propterea ait, *ego decollaui*, quia, qui per alium facir per ſe ipſum facere videtur. Vude, & Dauid qui per induſtriam Ioab 2. Reg. 11.

ſuſtulerat Vriam, homicida dicitur. Verum nunquam Dauid ait, ego interfeci Vriam, velut inuerecundus Herodes: *Ego decollaui Ioannem*, quoniã peccator cum in pro- Prou. 18.

fundum iniquitatum venerit contēmuit, lætatur cum maleſecerit, & exultat in rebus peſſimis qoi tygrina ferocitate egir. Qui tamen ex infirmitate cecidit non maleſa-ctum, ſed preces veniæ repetet: Tibi ſoli Pſal. 50.

peccaui, & malum coram re feci, vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & viucas cum iudicaris. Aſperges me hyſopo, & mundabor, lauabis me, & ſoper niuem dealbabor.

Hic à mortuis reſurrexit. Hoc dixit timens,

Digitized by Google

mens, ne à mortuis redeuntem, multò aſperiorem, quàm antea nuncium cogeretur experire; & fortè vindicem mortis, & pœnæ iuſtiſſimæ ob iniuſtam mortem. Et quidem iacebunt mali antè bonos, cum à mortuis reſurrexerint, trementes à voce clamoris, & timentes à facie victorum, quia tunc ſtabunt iuſti in magna conſtantia aduerſus eos, qui ſe anguſtiauerunt, & qui abſtulerunt labores eorum. Impij autem videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis. *Sap. 5.*

CAPVT XVII.

Ipſe enim Herodes miſit, ac tenuit Ioannem, & vinxit eum in carcerem propter Herodiadem vxorem Philippi fratris ſui, quia duxerat eam.

Expoſitio. QVoniam opinionem Herodis de Chriſto in medium adduxerat Euãgeliſta, hiſtoriam de Ioannis interitu contexuit præcedentibus, ne quempiam lateret ratio, quæ Herodem ſic de Chriſto opinari mouerer. Ipſe quidem Herodes, qui Chriſtum dixit Ioannẽ eſſe ſuſcitatũ, Ioannem, quem præ ſanctitate vitæ, & viuendi auſteritate cuncti venerabantur, infamis homo tenuit ligatum, & manicis ferreis velut facinoroſum aliquem; ac ne fugeret, aut à deuota plebe raperetur, neque poſſent diſcipuli libertati dare magiſtrum, in carcerem miſit, ibique ſtrictioribus vinculis colligauit, quaſi vel ipſe meditaretur fugam, cui nihil dulcius, quàm pro veritate vincula perpeti, atque mortem. Tantæ autem crudelitatis incentiuum extitit adultera. Fiebant enim iſta propter Herodiadem vxorem Philippi fratris, quam contra legem viuente fratre ſibi coniunxerat. Fouea enim profunda eſt meretrix, & puteus anguſtus aliena, inſidiatur in via quaſi latro, & quos incautos viderit interficiet. *Prou. 23.*

Ipſe enim Herodes miſit, ac tenuit Ioannem. De hoc Herode, quæ ad litteram ſpectant, apud Matth. habes: Mox quid eſt, Herodem tenere Ioannem contemplemur. *Matth. 14.* Herodes eſt pellicens, ſeu pellicitor, qui blanditijs aliquem in fraudem pellicit, & inducit; Ioannes autem eſt gratia. Qui igitur funibus peccatorum ſuorum, & in funiculis vanitatis iuſtum, & ſanctum cupit ad malum illicere is eſt Herodes, qui miſit, & tenuit Ioannem.

Et vinxit eum in carcerem. Itaque vincula, & carceres ſuſtinet Ioannes, propter veritatem tamen, & zelum Dei, ac legis, proximique ſalutem. Hæc enim Ioannem faciunt martyrem. Vnde martyrij ſpeciem patitur, qui propter opus verum perſequutionem patitur, cui licet dicere propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis: Morimur & ecce viuimus. *Ioannes Martyr.* *Pſal. 43.* *2. Cor. 6.* Vt enim oliua videtur percuſſionibus mortificari, & lapis qui ſculpitur deformari, cum tamen hic nobilitetur ictibus & percuſſionibus, illa appareat fœcundior, ita qui aduerſa ab inimicis veritatis ſuſtinet, etſi plagam corporis oſtendat, animum diuitijs cœli replet, patienter ferens, ſicut, inquit Chriſ. (hom. 49. oper. imperf.) *Chryſ.* inuernali flatu arbores laxantur in folia, & fructus, ſic perſequutionibus excitantur animæ ad virtutem.

Propter Herodiadem vxorem Philippi fratris ſui. Hæc enim proprium virum relinquens, & adhærens Herodi è Roma reuertenti, imitata eſt meretricem, de qua ſcribitur. Et ecce occurrit illi mulier ornatu meretricis præparata ad decipiendas animas, garrula, & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo conſiſtere pedibus ſuis, nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxtà angulos inſidians, apprehendenſque deoſculatur iuuenem, quem ſic allicit, vt propter eam obliuiſcatur Dei, honorem nihil faciat, & ſanctos Dei homines perſequatur, vt poſſit liberius concupitis vti. *Prou. 7.*

Quia duxerat eam. Hoc eſt rapuerat, & volentem ſecum ad domum traxerat, & admiſerat ad thorum. Viderat enim eius pulchritudinem, concupiuit, & adamauit, & niſus eſt per fas, vel nefas. Ideò monet ſapiens: Noli circumſpicere in vicis Ciuitatis, nec oberraueris in plateis illius. *Eccl. 9.* Auerte faciem tuam à muliere compta, & ne circumſpicias ſpeciem alienam, propter ſpeciem mulieris multi perierunt, & ex hac concupiſcentia, quaſi ignis exardeſcit.

CAPVT XVIII.

Dicebat enim Ioannes Herodi: Non licet tibi habere vxorem fratris tui.

EN totam cauſam, quæ Herodem compulit Ioannem perſequi, cum potius propter eam commendare eum debuiſſet, qui ſalutem animæ ſuæ quærebat, & honorem corpori. *Expoſitio.* Dicebat enim magno accenſus zelo Ioannes ille, qui ſolum Deum timebat, non homines, neque Herodem Regem, cui apertè & palam circumſtante populo dicebat illicitas eſſe nuptias, quas cum Herodiade fratris Philippi vxore contraxerat.

Dicebat enim Ioannes Herodi. Magno cum terrore verborum, & facie terribili, verborumque aſperitate, quando neque lenitas admonitionis primæ (pœnitentiam agite, quoniam appropinquauit regnum cælorum) profuit in hominem ſceleſtem

inuehit,

inuehit, & virga oris ſui percutit, arguit, & repræhendit, minatur, & multo ſermonum apparatu, nunc ſuaui, nunc difficili, & quandoque intermixtis obſecrationibus, dicebat Herodi quid facere eum expediret, vt offenſum Deum placaret, ſatisfaceret ſcandalo, quod ex tàm nefario facto omnes acceperant, & proſpiceret ſaluti tàm animæ ſuæ, quàm adulteræ, & paci Regni quod ob peccata Principum ſolet affligi, ſentireque famem, peſtilentiam, & mutuis, ac inteſtinis odijs turbari, ſcindi, & conquaſſari. Hæc, & ſimilia dicebat Ioannes Herodi, vt ne quid optimo oratori videretur, deeſſe eorum, quæ poſſunt ſuadere virtutem, vt à vitio retrahere, hortari ad opus dignũ Principè, & infamè dehortari. Quam dicendi formam iureiurando tradit Apoſtolus, & demandat prædicatori Euangelico: Teſtificor (inquit) coram Deo, & Chriſto Ieſu, qui iudicaturus eſt viuos, & mortuos, per aduentum ipſius, & Regnum eius. Prædica verbum, inſta opportunè, importunè, argue, obſecra, increpa in omni patientia, & doctrina. Nam fluuius (ſecundum Gregor. in præfat. moral. in Iob) dum per alueum defluit, ſi valles concauas ex latere conſtringit, in eas protinus curſum diuertit, cumque illas ſufficienter impleuerit, repentè ſe in alueum refundit; ſic diuini verbi tractator eſſe debet, & cum de re aliqua differit, ſi fortaſſe iuxtà poſitam occaſionem congruæ ædificationis inuenerit, quaſi ad vicinam vallem linguæ vndas intorqueat, & cum ſubiectæ inſtructionis campum ſufficienter infuderit ad ſermonis propoſiti alueum recurrat. Ea eſt enim ſæpè hominum barbaries, & obſtinatio, vt quemadmodum Deus ad trahendum electum populum, diſſipandum verò reprobum, ſignis, portentis, pugnis, & viſionibus vſus eſt, ſic oporteat prædicatorem multiplicare eloquia, atque varia proponere his, qui auſcultant, ne vitia locum habeant in miſeris; ſed virtutes, vſque ad perfectum pullulent. Ita (inquit Mediolanen. Conc. 1.) efficere ſtudeant, auditores, vt ſua peccata dolenter defleant, quos interdum propoſitis ſupplicijs æterni ignis, à flagitijs, & facinoribus deterreant, interdum commemoratis cæleſtis vitæ præmijs, ad virtutes, in primis verò ad Dei, & proximi amorem accendant.

Aliquando cum aſperitate prædicandum.

Tim. 4.

Greg.

Deut. 4.

Med. Conc.

Non licet tibi habere vxorem fratris tui. Dicunt quidam (ſcribit Theophyl.) quod Herodes rapuerit Herodiadem viuẽte Philippo, & quod reprehenſus fuerit, vt præuaricator, qui abduxerit viuentis fratris vxorem. Alij autem quod mortuus quidam fuerit Philippus, reliquerit autem filiolam, & cum filiam reliquerit non debebat Herodes vxorem fratris ducere, etiam poſt mortem; lex enim tunc iubebat fratrem fratris vxorem ducere, cum non ſupereſſet puer; nunc autem illi erat filia. Illegitimæ igitur erant nuptiæ. Priorem ſententiam in Matth. vt comuniorem probauimus, & magis conſonam hiſtoriæ, quæ de Herode apud Ioſephum lib. 18. & Euſeb. lib. 1. cap. 13. Verum ſi fratris vxorem non licet tangere, quid matrem, aut ſororem, nouercam, aut filiam, vxoris ſororem, vel ſoceram? Reperiuntur, & huiuſmodi crimina, & horrenda ſcelera perpetrant noſtri ob incautum conuerſandi modum, & nimis familiarem; qui inter ſimiles perſonas ſæpius conſpicitur nimis, & inordinatus. Hinc ille: Inueni amariorem morte mulierem. Quia ego iudico (ſcribit Hier, ad Oceanum) ſi cum viris fœminæ habitent, viſcarium non deerit diaboli. Ex ijs aucupatum eſt ab initio peccatum. Ferreas mentes libido domat, ſi alligauerit quis ignem in ſinu ſuo, veſtimenta eius non comburentur? aut ſi ambulauerit quis ſuper carbones ignis, pedes ſuos non comburet? Mulier quam dediſti mihi dicebat ſeductus, & mulier, quam tracto, dicet incantus, proſtrauit me. Prudentiam igitur voca amicam tuam, vt cuſtodiat te à muliere. Et omnes erubeſcite à patre, & matre de fornicatione.

Ioſephus
Euſebius

Hier.
Eccl. 7

Gen. 3.

Prou. 7.

Eccleſ. 41.

C A P V T   X I X.

Herodias autem inſidiabatur illi; & volebat occidere eum, nec poterat.

Expoſitio.

Pſal. 41.

ETenim abyſſus abyſſum inuocat, nec adulterijs ſatiatur mulier fornicaria, niſi manus ſuas repleat ſanguine iuſti. *Herodias*, quidem illa, quæ illicitis concubitis iugiter vtebatur, & animam venundarat Aſmodeo, meditatur ſe ſociam facere Behemoth, vt cum homicida ab initio inſidietur illi, quem Deus ad vitam meliorem delegit, & iudicauit dignum ſe. Nec ſolum inſidiatur, vt vel ſpoliet pelle, quam induit, neque priuet locuſtis, quibus veſcitur, aut certe domum diruat ei, qui ſubdio habitat, vel latitat in ſpelunca feris communi, & tranſeuntibus, ſed vt occidat, & ſuſtollat è vita, quo nihil deteſtabilius in natura, quàm ſanguinem innoxium fundere. Nec præterea poterat ſic facilè, vt optabat facinus perpetrare. Neque enim ſemper animus, ac conſcientia ſtimulatus aderat, neque ſerui audebant multoties ad ſeruum Dei accedere. Neque honor mundi locum dabat ſceleri; ſaluis itaque omnibus, non poterat conceptum odium in Ioannem explicare, ac multò mi-

nus vita priuare, quem orbis totius virum magnum, cui omnes ſe ſubmitterent, celebrabat.

Herodias autẽ inſidiabatur illi. Muliebri vtens arte, quæ cum viribus deſtituatur, inſidijs potentiſſimorum vires ſuperat, quibus aliquando virum perdunt veneno, vt liberius adulteris miſceantur, aut nubant alijs; nonnunquam in ipſa commixtione adulterus vitam exhilarare curant, ne in ſuſpicionem veniant, ſed quid non tentat inſidiari mulier nequam. Profectò commorari leoni, & draconi placebit magis quàm habitare cum muliere nequam. Nequitia mulieris immutat faciem eius, vt non cognoſcas ſimulationem eius, & obcæcauit vultum tuum tanquam vrſus, vt nullus deprehendat, quam parat malitiam, & mortem & quaſi ſaccum oſtendet in medio proximorum eius. Oſtendet quidem quando minus ſperatur facinus, quod in pectore, quaſi in ſacco interdiu latuerat, vt Lucilla, quæ Antonium Imperatorem, Ioanna quæ Andræam Pannoniæ Regem, atque aliæ, quæ maritos perdiderunt clanculum. Hinc fortè naturam menſtruam facit ſolam mulierem, vt hac inteſtina corruptione, & diuturna ad annum fermè quinquageſimum, & vltrà ſecundum Ariſtotilem, aliquando ad malitias, & inſidias, quæ nequam, & fornicariæ in animis portant, veniremus. Ergo non des aquæ tuæ exitum, nec modicum; nec mulieri nequam veniam prodeundi, ſi non ambulauerit ad manum tuam, confundet te in conſpectu inimicorum.

Luxurioſæ mulieres inſidioſæ.

Eccl. 25.

Ariſt.

Eccl. 25.

Et volebat occidere eum. Vt enim mulier bona, ſancta & pudorata eſt miſericors, & in bono vigilantior; ſic contra quæ frontem meretriciam ſibi finxit, omni crudelitate crudelior. Non eſt caput nequius ſuper caput colubri, & non ira ſuper iram mulieris. Ego quidem exiſtimo (ait Chiſoſt. ſerm. de decolloc. Ioan. Bapt.) nullam eſſe in hoc mundo beſtiam comparabilem mulieri malæ. Quid inter quatrupedia leone ſæuius? ſed nihil hac ferocius; quid in ſerpentibus dracone acrius? nec hic quidem cum muliere mala conferri poteſt. Nam leo, & draco in malo inferiores ſunt. Daniel̃ in lacu leonis veriti ſunt. Iuſtum verò illum Naboth, Iezabel interfecit. Cetus Ionam in ventre cuſtodiuit. Dalida Sampſonem circumuentum illecebris raſo etiam capite deformatum alienigenis tradidit. Ioannem Baptiſtam in deſerto viuentem dracones, & aſpides cornutæ ſubdita feritate tremuerunt. Herodias verò eidem caput abſcidit, & tanti viri mortem in præcium ſaltationis accepit; ò malum ſummum, & acutiſſimum diaboli telum mulier! Quare inquit Plutar. de præcep. connub. niſi ſermonũ optim ſemina mulieres ſuſcipiant, & participes eruditionis virorum fiant, abſurda multa prauaque conſilia, atque cogitationes, & affectus malos pariunt. Verum neque hoc malis proficit. Audierat Herodias Ioannem, cuius vox, vt mel apes, vniuerſos trahebat; ipſa verò ſupra petram cor indurauerat, adeo vt nihil auidius appeteret, quàm dilectum Deo, & hominibus, tollere.

Eccl 29.

Chriſ.

Dan. 14.
3 Reg. 21.
Ion. 2.
Iud. 16.

Plutar.

Nec poterat. Ea velocitate, & animi promptitudine, & ſæuitia, qua optabat, quærebat occaſionem ne videretur vindictam facere; expectabat tempus ne ciues perturbaret, volebat negotium fieri, ſed non videbat; committebat familiaribus homicidium, nec erat qui ſpectabilem virũ auderet aggredi. Veneficans conſulebat, quomodo poſſet Ioann. potu venenato, aut cibo tolli de medio, nec erat, qui peſſimum mulieris animum conſolaretur. Fugiebat ſomnus ab oculis eius, continuò Ioannis mortem in animo verſans, nec poterat artem inuenire.

Ah crudele genus, nec fidum fæmina nomen.
Ah pereat, didicit fallere ſi qua virum.

Tibul. eleg lib. 3.

CAPVT XX.

Herodes enim metuebat Ioannem ſciens eum virum iuſtum, & ſanctum, & cuſtodiebat eum, & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat.

DEnique in tantum furorem, ac mentis amentiam inciderat Adultera, vt & adulterum Herodem prouocaret ad necem Ioannis inferendam; nec nocte quieſcere, nec claro die aliquid agere virum ſinebat, quin propoſitũ crudele ei inſinuaret. At ille tametſi malus, mulieris terminos non attigerat, *metuebat enim Ioannem*, quem ab omnibus revereri videbat, & ſciebat eum non vulgarem eſſe hominem, nec à quoque, aut quouis impulſu; ſed à Deo ad hominum ſalutem moueri, & motum abſque acceptione perſonæ prædicare, quid vnicuique expediret, vt verè decet virum iuſtum, qui æquitatem in omnibus quærit, & qui neminem veretur, ſed eum, à quo mittitur. Propterea cuſtodiebat eum, diſſuadens mulieri homicidium, & ſeruis præcipiens nequid in Ioannem molirentur; ſed ſi quid fortè durius ab eo audiſſent, patienter viri Dei increpationem ferrent, neque vllo modo hominem dedigna-

Expoſitio.

dedignarentur, quinimo grato animo vocem cæleſtis nuntij anſcultarent, & eius monita complerent. Nam & ipſe audito eo, quando ad Iordanem cum reliquis acceſſiſſet; multa, quæ ad morum correctionem, & vitam emendatiorem dncendam pertinebant, non grauabatur facere, velut hominis Dei præceptiones. Propter quas libenter eum audiebat, noua ſemper in Angelico doctore obſeruans, quæ de formatum animum expolirent.

Virtuti exhibetur reuerentia.
Prou 8.

Herodes enim metuebat Ioannem. Nam virtus ipſa, & iuſtitia, quæ intra pium animũ latet, metũ malis incutit, & terret eos. Portat enim opes ſupernas, & aromata indica, quas mala beſtia à longe ſeutit, & clamat ſeductor, quid tibi, & mihi? Sicut enim

Marc. 1.
Pſal. 75.

iuſtitia dicitur; Sicut montes Dei, qui ſuperant omnia, ita iuſtus mons Syon, in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo, & eum pariter ſuper omnes colles, & moutes conſtituere, ac cunctis mortaliũ ſuperiorem facere, & domitorem ſpiritualiũ hoſtium, & quaſi Herodes timeane iuſtũ, & quaſi victorẽ capta præda metuãt, qui cõſcij ſuut mali.

Sciens eum virum iuſtum, & ſanctum. Hoc eſt, conſtantem, qui nullis minis deponebat animum. In vita iuſtum, vt omni reprehenſioue careret, & ſauctum in prædicatiouibus, & operationibus ſuis, vt nihil

Baptiſtæ laudes.

videretur ſauctitati eius addi poſſe. Tamen ſi velis charitatẽ ipſam inſpicere (ait Chriſ. hom. 38. in Matth.) rebus ipſis: Veniat tibi

Chryſ.

in mentem meuſa illius, educatio, mentiſq. altitudo, ita enim in terris, quaſi in cęlo verſabatur. Naturæ euim omni neceſſitate ſuperata mirabile quoddã peregit iter. Cuius magnitudini (proſequitur Ambr. ſerm 64.) etiam Saluator teſtimoniũ perhibet dicẽs: Inter natos mulierum maior nou eſt Ioann.

Ambr.

Baptiſt. Præcellit cunctos, eminet vniuerſis, antecedit Prophetas, ſupergreditur Patriarchas, & quiſquis de muliere inferior eſt Ioanne. Aduerſantur his Bulingerus in 11. cap. Matth. Loſſius in dom. 3. aduẽtus & Centuriatores Magdeburgenſes, qui ex ſolo miniſterio quod prædicans Ioanues exercuit, non ex aliquo vitæ ſtudio, & animi plenitudine gratiæ, qua excelleret reliquos, ſanctum admittunt, & iuſtiorem reliquis.

Matth. 11.
Hæret. repr.

At errare toto ore homines inſanos probauimus alibi in Matth. & coufundunt eos vniuerſi catholici, qui vel minimũ de Ioannis pœnitentia, & ſanctitate ſcripſerunt, præſertim Ber ſer. de excell. Ioann. Bapt. & Andr. Hieroſol. oratione de amputatione capitis Ioannis Baptiſtæ.

Et cuſtodiebat eum. Quoniam cor Regis in manu Dñi, vt compellat non ſolum metuere; ſed cuſtodire iuſtum ab eo, qui con-

Prou. 21.
Quanta Deo cura de viris ſanctis.

trarius eſt operibus, & cui omninò diſplicet morũ perfecta diſciplina, ò iuſti dignitas, & incomparabilis honor! habet Deum in refugium, Angeli cuſtodiunt eum in omnibus vijs ſuis. Honorãt eum ſancti, amici,

Pſal. 90.

& inimici ab iniurijs ſeruant: quid? Et beſtiæ agri, volucres cæli, & muta elementa defenduut nonnunquam, vt auctori obſequium præſtant, ac Deo: Illucet euim Deus in omnibus dignis (ſcribit Baſil. hom. de Spiritu ſancto) quemadmodum enim ſolis radiorũ iactus faciunt, vt nubes illuminentur & ſplendeant, auri colorem aſpectum du-

Baſil.

centes: ſic etiam Spiritus ſanctus in hominis corpus ingreſſus dat vitam, dat immortalitatem, dat ſanctificationem, excitat iacẽtem. Illud verò perpetuo motu à Spiritu ſancto commotum animal fit ſanctum. Habet autem homo, vbi ſpiritus inhabitat, dignitatem Prophetæ, Apoſtoli, Angeli Dei, cum antea fuerit terra, & cinis. Et infra dictum eſt euim ad ipſos: Ego dixi vobis Dij eſtis, & filij altiſſimi omnes, & Deus Deorũ videlicet ſanctorum loquutus eſt, & videbitur Deus Deorũ in ſyon, videlicet ſanctorum: ergo ne mirum ab æmulis etiam ſanctum euſtodiri ſcabellum enim eius ſunt.

Cuſtodia iuſti.
Pſal. 81.
Pſal. 49.
Pſal. 83.

Et audito eo multa faciebat. Tùm ꝙ vox verbi eſſet efficaciſſima; tum qnod ſyndereſis, & conſcientia in homine aliquid poſſent propter quæ peſſimis, qui in vitijs cõſtituti, quaſi nullum boni operis foret præmium, inſipienter proferunt; quis oſtendit nobis

Synderefis vis.

bona? reſpondent à cæca paſſione liberi. Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine. Hoc eſt lex naturæ, quæ ſyndereſi, & conſcientia concominantibus bonum dictat amplectendum, & fugiendum malum, vt aduerſum homini rationali: Quia peccatum meum contra me eſt ſemper, velut putredo oſſium, quæ corpus torqnet & Mariæ vultum deformat, & rodit. His itaq. in Herode, Nabucdenoſor, Saule, ac quouis alio impijſſimo remanentibus, quoties audire attentius prædicantem diſpoſuerint, multa facieut, quæ vel ad politiam, vel ad iuſtificationem videntur ſpectare; quoniam verbum non reuertetur ad me vacuum, ait.

Pſal. 4.
Pſal. 50.
Iſai. 55.

Cæterum non ſufficit auſcultanti facere multa; omnia enim neceſſe eſt facere ei, qui ſalutem quærit. Propterea dixit ille: Ad omnia mandata tua dirigebar, omnem viam iniquam odio habui. Nam neque viam quis pergit, niſi faciem totam dirigat quò tendit, dorſum verò vertat quo reſedit. Inde claudi, cæci, manchi arcentur à templo. & agnus abſque macula, & omni ex parte albeſcẽs deputatur ſacrificio.

Pſal. 118.
Deut. 15.

Et libenter eum audiebat. Quid? perſæpè in malis iſta verbi Dei auiditas conſpicitur, nou tàm vt faciãt aliqua, quæ ſunt illis, quaſi nihil, quàm vt in verbis delectentur inſtar eorum, de quibus legimus. Et veniunt ad te, quaſi ſi ingrediatur populus, & ſedent coram te populus meus, & audiunt ſermones tuos, & non faciunt eos,

Mali quandoq. audiunt verbum Dei.
Ezech. 33.

quia in canticum oris ſui vertunt illos, & auaritiam ſuam ſequitur cor eorum. Et es eis quaſi carmen muſicum, quod ſuaui, dulcique ſono canitur, & audiunt verba tua, & non faciunt ea.

CAPVT XXI.

Et cum dies opportunus accidiſſet, Herodes natalis ſui cœnam fecit Principibus, & Tribunis, & primis Galilææ.

Expoſitio.

VIncit denique mala herba, & importuna mulier, & rixoſa ad ſe cogit virum venire, & aſſentiri malitiæ, quàm multo tempore conceperat doloſus animus. Victus itaque Herodes, opportunitatem quærit, quomodo vxori adulteræ placeat. Nec maiorem, nec meliorem excogitat diem opportunam, quàm natalitiam diem, in qua plus ſolito cœnam parat opulentiorem, & plures quàm vnquam conuiuas iubet accerſiri, vt omnem doli ſuſpicionem, ac fraudis in Ioannem auferret. Veniunt enim ad conuiuium eius Principes, quibus nihil horribilius, quàm in tempore pacis ſanguinem fundere. Accedunt Tribuni, qui ſcelus putant innocentem condemnare,
1. Pet. 2. cum in vindictam malefactorum, laudem verò bonorum gladium portent. Denique aſſidunt menſæ Herodis primi Galilææ, quorum proprium eſt iuuare afflictos, & populi pietatem, quam perturbare ſacra, aut ſanctorum neci conſentire, quorum votis plebs delectatur. His igitur ad cœnam vocatis nititur ſacrilega opus alioqui peruerſiſſimum à ſua malitia, & crimine diminuere, & vt occaſioni, non concepto odio, qui audierint, facinus tribuant.

Et cum dies opportunus accidiſſet. Ad malum quidem nulla dies opportuna, quoniam priuat lumine actorem, ac vita; ſi quod tempus videtur malitiæ peragendæ

Peccatores ſemper in tenebris.

conuenire, habetote ò præuaricatores caliginem, & noctem obſcuram, vt temporis qualitate finem operis, & dignum ſupplicium, quod poſt modicum tempus ſequitur, agnoſcaris, iuxta illud: Væ qui profundi
Iſai. 29. eſtis corde, vt à Domino abſcondatis conſilium, quorum ſunt in tenebris opera, & dicunt, quis videt nos, & quis nouit nos?
Prou. 2. Qui ambulant per vias tenebroſas, vt more ſerpentum auiculas perdant innocentes; digni quidem ſunt carere luce, & pati carcerem. Ergo, vt has præcognoſcatis horrendas tenebras, operamini obſcura nocte, in qua pertranſeunt beſtiæ ſyluæ. Diem relinquitè iuſtis, quibus dictum eſt, opera-
Ioann. 4. Pſal. 18. mini dum dies eſt: Quia dies diei eructat verbum; hoc eſt, dies plena Chriſtus iuſto, qui & dies eſt, verbum ſalutis communicat, quod in lumine diei ambulet; quod ſi accidat in nocte peccati cadere, ſupponit Dñs Pſal. 36.
manum ſuam, & nocte tribulationis, & pœnitentiæ, animæ, quæ in culpæ noctem inciderat ſcientiam ſalutis indicat, vt deinceps cautior ſit, neque à die declinet, quia vexa- Iſai. 28.
tio intellectum dat auditui. Itaque omnia Eccl. 3.
tempus habet, bonus diem reputat opportunum ad opus ſuum, & ad operationem Pſal. 103.
ſuam, vſque ad veſperam, malus autem obſeruat caliginem. Quid ergo Herodes diem opportunum expectat? Non eſt dies, quam fecit Dominus, & ſeruus eius quærit; ſed dies, quam Sathan excogitat, hoc eſt tẽpus Iob. 3.
peccati, quod Iob ille optabat perire, nec inter dies, ac menſes anni cõputari; quare diẽ hanc opportunã malis noctẽ potius appel- Ioann. 4.
lo, quando nemo quod bonũ eſt operatur.

Herodes natalis ſui. Scilicet diem celebrat. Fortè vt ſemipaganus moribus, & ſuperſtitionibus gentiliũ imbutus, genthliacus erat, aut certè genthliacæ artis cultor, & amator eorum, qui hanc Aſtrologiam iudiciariam, & diuinandi artem non ex ſolis cauſis naturalibus, ſed ex ſortibus, & excantationibus etiam dies natiuitatis contemplantur, & prognoſticant multa, quod cum ad decipiendũ homines ſit (inquit Aug. lib. 2. de gen. ad lit. c 17.) ſpirituum ſeductorum operatio eſt, quibus quædam vera de temporalibus rebus noſſe permittitur, partim quia ſubtilioris ſẽſus acumine, partim quia Modus quo diuinant dæmones.
ſubtilioribus corporibus vigent, partim experientia callidiore, propter magnam longitudinẽ vitæ, partim ſanctis Angelis, quod ipſi ab omnipotente Deo diſcunt, etiam iuſſu ipſius ſibi reuelantibus, qui merita humana, occultiſſimæ iuſtitiæ ſinceritate diſtribuit. Aliquando etiam ijdem nefandi ſpiritus, etiam quæ ipſis facturi ſunt, veluti diuinando prædicunt, quapropter bono Chriſtiano, ſiuè mathematici, ſiuè quilibet impiè diuinantium maximè dicentes vera cauendi ſunt, ne conſortio dæmoniorũ animam deceptam, pacto quodã ſocietatis irretiant. Præſertim quod ſcriptura Deut. 18. Iſai. 47. Ier. 10. & alijs in locis interdicantur & prohibeantur eorum libri, in Conc. Trid. Conc. Trid.
reg. 9. indicis librorum prohibitorum, punitione cenſeantur digni 26. q. 7. per totum ferè, qui vel credunt, vel introducunt, vel ſequuntur prohibitæ doctrinæ auctores. Sed vt redeamus ad Herodem, qui genethliam, ſeu diem celebrabat, dicere poſſumus, non artis ſtudio, ſed more regum, ac hominum mundi huius, qui natalitia magni faciunt, & tempora, in quibus orti ſunt, celebrant, & genus carnis vndè fluxerunt virtuti profe- runt; ac Ciuitates, & regna, quæ eos genuit priuilegijs donant. In quibus quanto vigilantiores, tanto fiunt ſuæ vanitatis prædicatores, quoniam quid ortus carnis huius, niſi maris ſpuma? quid progenitores noſtri generis,

Digitized by Google

neris,niſi fœnū? & quid pátria, niſi campus
Rom 13. oſſorū? Curā igitur carnis ne feceritis vos,
qui de ſurſum eſtis. Veſtrorū patrū qui vos
in ſpiritu genuerunt ſtudium imitamini,qui
natalitia mundi huius lugubria ducere, &
ſpem in optima morte collocarunt, vnde,
mortem eorum diem natalem dicimus, &
celebramus.

Cœnam fecit. Vt celebrior,ſcilicet red-
deretur feſtiuitas, quod & pijs ab antiquo
Pij vſus cœnarum inter pios fideles. ſolitum legimus,vt Gen.21.fecit Abraham
grande conuiuium in die ablactationis pue-
Gen. 21. ri.Iud.14. & fecit filio ſuo Sampſon co iui-
Iud.14. uium,ſic enim iuuenes facere conſueuerāt.
Tob 7. Tob.7.præcepit Raguel parari conuiuium,
Iob 1. Iob. 1. & ibant filij eius, & faciebant filij
Luc.19. eius conuiuium per domos; ſed & Chri-
Matth.9. ſtus Zacchæi,& Matthæi conuerſionem ce-
lebrauit à quo acceperunt Apoſtoli tradi-
tionem agendi couuiuia in domibus fide-
lium lib.1.conſt.c.28. Per hæc enim ait Pe-
trus in epiſt.1. Clem.ad Iacob.fratrem Do-
mini;præcipuè charitas,comparatur,vt cau-
ſa totius boni in huiuſmodi communione
conſiſtit vbi autem pax, & bonitas, ibi,
& ſalus. Propter quod communes facito
cibos veſtros cum his, qui ſecundū Deum
fratres ſunt, quia per hæc temporalia offi-
cia, panis, & charitatis fructibus gaudia
æterna mereamini.Hic eſt finis cœnæ,pran-
dij, & conuiuij iuſtorum,qui in vnum con-
Prou.23. gregantur. At Herodis, & ſuorum interi-
tus, quoniam vacantes potibus, & dantes
ſymbola conſumentur, veſtieturq. pannis
Iob.21. dormitatio: Siquidem in puncto ad iuferna
Dan.5. deſcendent. Non enim opus Domini reſpi-
Iud 12. ciunt, ſed blaſphemare cum Balthaſar; vel
incaleſcere ad luxum cum Holoferne, vel
ad interitum iuſti conuenire cum Herode
ſtudent.

Principibus,Tribunis,& primis Galilææ.
Ex quibus conuiuij qualitatem deprehen-
dimus ab optimo conuiuio alienā. Adhoc
enim inuitari pauperes ſuadentur diuites,
Exultat Chriſtus a cœnis principum. vt amorem, qui propenſior eſt ad egentem,
declarant; & operis mercedem accipiant
in æternis tabernaculis. Qui verò charita-
Pſal.48. ti clauſerunt viſcera, & nomina ſua in ter-
ris vocare didicerunt,tabernaculaq. in Ci-
uitate vanitatis erigere, neque pauperem,
neque debilem, ſed principes, tribunos, &
primos, qui inter ciues reperiuntur aduo-
cant, inuitant, ſeque ac ſua communicant
ſplendidè. Non quidem ex charitate, cum
conentur mare ipſum alluere, & oleum in
Ægyptum ferre, & dare Aſſyrijs manum;
neq.ducuntur honorato præmio, ſed inho-
neſto ſæpius,& vano; vnde ſicut piſces ca-
piuntur hamo, & ſicut aues laqueo com-
preheuduntur, ſic rapiuntur eiuſmodi ho-
mines in tempore hoc malo, cum eis ex
templo ſuperuenerit ſomnium ſuum,quan-
Pſal 75. do nihil inuenerint in manibus ſuis, neque
qui linguæ æſtum refrigeret, ex cunctis
amicis ſuis aderit,nec ſtantes poterunt pa-
ri par addere. Inſuper nota triplex genus
commenſalium Herodis ſignificare ſuper-
biam, luxuriam, & auaritiam, quæ obſer-
uiunt homini nequam,quibus interiora ſua
offert,& exhibet animam venalem; Quid? Ier. 1.
prætioſa quæq. dat pro cibo ſingulis.

CAPVT XXII.

*Cumque introiſſet filia ipſius Herodiadis,
& ſaltaſſet, & placuiſſet Herodi,
ſimulq.recumbentibus,Rex ait
puellæ: pete à me quod
vis, & dabo tibi.*

HEV, & quid virgo inter epulas, & in Expoſitio.
medio tantorum virorum ſaltatrix?
aut pudicitiam vendit, aut ſanguinem ſal-
tibus emere contendit. Facit quidem
vtrumque perita tàm inſigni magiſtra,quæ
honeſtatem exuerat, & inhiabat ad ſangui-
nem iuſti. Itaque intrat ad conuiuij locum,
qui virorum frequentia replebatur, intrat,
inquam, illa inuerecunda, vultu fucato, &
indecoro ad capiendum intuentium ocu-
los; eſt enim filia Herodiadis, quæ artem
inhoneſtatis ſuperabat. Ex matre igitur
filiam agnoſce. Vt autem intrauit ſola,
hac, illacque per cænaculum diſcurrit ſal-
tando, & geſticulationibus mimis, & can-
tibus illecebris cunctorum auribus cona-
tur applaudere. Tùm maximè Herodi ſa-
tisfacere intendit;vt præmeditatum conci-
lium in Ioannem licentius exequatur. Pla-
cuit itaque Herodi puellæ inſania,& fatui-
tatem veſtontis commendant aſſidentes
Herodi Galileæ principes, dignamque om-
ni honore, & præmio proclamant id quod
ſperabat Herodes fieri, vt indignum in-
culpatus offerret munus. Conuerſus ergo
totus ad diſcipulam meretricis magnæ di-
xit: Pete omni cum libertate à me, ob
gratiam, quam hodiè apud me promerui-
ſti, quod vis vel tibi, vel alij etiam cum ia-
ctura ne dum regni mei,ſed etiam honoris.
Dabo enim tibi libentius, quàm petieris,
quod petendum tibi occurrit. Nam quod
in tantorum conſpectu agreſſa es, cunctis
lætitiam tulit, meum diem omni re alia
ſolemnem reddit, & multis annis prædica-
bit honorabilem. Quare iudicio aſtan-
tium digna es, vt ocyus petitionibus tuis
annuem. Et quidem ipſe idem cenſeo,
nec morabor.

*Cumque introiſſet filia ipſius Herodia- Puellæ non
dis,& ſaltaſſet*. Et intrare puellam ad con- debent pro-
uiuium virorum,& ſaltare,non ſolum apud dire in cho-
fideles reprobatū eſt; verum etiam Ethni- ros ſaltantiū
ci expreſſis legibus id prohibuerunt, volen
tes vllo modo ante annos nubiles, quando

tradendæ erant ſponſis,in virorum conſpe-
ctum venire , arti meretriciæ ſcribentes
Draco Ath. quicquid ſecus fieret; ſic Draco Athænien-
Rodij Lacedem. ſibus indixit , & ſic Rodij , Lacedæmonij ex
legibus obſeruabāt,quare vt honeſtatis prę-
uaricatrices in inſolentes adoleſcentulas ,
Iſai. 3. Iſaias inuehitur : Nos interim , quod iſta
hiſce prælud ijs conceperit agere , contem-
plemur . Quod verò ſaltatricis nomen
prætermittatur, & tradatur Herodias ma-
ter , factum puto , vt eam ex matre agno-
Ezech.6. ſceremus . Quia ſicut mater, ità filia .

*Et placuiſſet Herodi , ſimulq. recumben-
tibus* . Quoniam peſſimi,& indecori in peſ-
ſimis gaudent . Tenent , & ipſi tympanum,
Iob. 21. & cytharam & gaudent ad ſonitum organi.
In honeſta gaudia conuertuntur in Eccleſia. Deus ſeruabit filijs eorum , ac filiabus do-
lorem parentum , & cum reddiderit tunc
ſciet vnuſquiſque eorum : Videbunt oculi
Ibidem. eius (ait Iob) interfectionem ſuam , & de
furore omnipotentis bibet , quid enim ad
eum pertinet de domo ſua poſt ſe ? & ſi nu-
merus menſium eius dimidietur?in placētis
enim ſuis conſumentur,& quæ placita erant
illis, & gaudioſa mærorem inferent , & do-
Prou. 14. lorem inconſolabilem . Horum igitur ex-
Iſai. 24. trema gaudij luctus occupabit . Et ceſſabit
gaudium tympanorum,quieſcet ſonitus læ-
tantium , & conticeſcet dulcedo cytharæ .
Pſal. 72. Velut ſomnium ſurgentium Domine (can-
tat Pſaltes) in Ciuitate tua imaginem
ipſorum ad nihilum rediges . Hæc ſunt er-
go(concludit Baldad. Suhites)tabernacula
Iob. 18. iniqui,& iſte locus eius,qui ignorat Deum.

Rex ait puellæ . Fortaſſis, vt ſolitus erat
adulterijs vitam conſumere , exardeſcere
cæpit , & capi amore puellæ ; ideò ait iu-
cundius ſolito ei, & alloquitur ſummam in
ſe lætitiam præferens , & declarans magni-
ficum animum more riualium, & adultero-
rum , qui neque matribus , neque filiabus
parcunt , more quorumdam brutorum , vt
felis , canis , luporum & aliorum , quæ ad
omnem libidinem effrenatam currunt .
Etenim,qui adulter eſt propter cordis ino-
Prou 6. piam perdit animam ſuam, non ſemel, aut
bis, ſed continuò,cibum omnem putat ſibi
licere . Vnde turpitudinem, & ignominiam
congregat ſibi , & opprobrium illius non
Adulterij infamia, & libido. delebitur . Nam eo notati vitio, Commo-
dus , & Caligula , qui ſorores conſtrupa-
runt; Aruntius, & Cyanippius, qui filiabus
abuſi ſunt , & Thyeſtes , qui Europam fra-
tris vxorem cognouit , nec non filiam , ac
ſimiles adulteri , & inceſtuoſi vſque modo
diffamantur & modis omnibus in eos ani-
maduertunt Scriptores : multo tamen ad-
huc grauiora opprobria inferos in alio ſæ-
culo expectant . Cæterum ſi adulter , qui
Rex ? Rex quidem inter adulteros , vt ille
inter filios ſuperbiæ . Habent enim, & be-
ſtiæ Regem, non quod regat,vel quod plus
ſæuiat , vt leo , intemperantius vtatur , vt
Leuiathan, cuius diadema Herodes iſte tu-
lit, & dicitur Rex intemperantiæ,vt ſcorro
abutens cognata, & vt riualis, & pellex ad
filiam ſaltatricem alloquens .

Pete à me quod vis, & dabo tibi . Vide
mali acceſſionem (ſcribit Simon Metaphr.
in decollatione Ioann Bapt.) Patri placuit
id quod fiebat,propter quod pudebat eum
magis pudore affici,& ſic placuit; ò regiam
munificentiā ! vt polliceretur ei ſe regnum
ſuum eſſe diuiſurum , ad remunerandam
rem tàm publicè vtilem , & magno ſtudio
dignam ; & quod eſt deterius, cum nec illa
petijſſet , ſed ipſe eam ad rogandum inci-
taſſet : quæ res præmeditatum conſilium
ſubindicat præſertim offerens , quod abſq.
Romani Imperatoris licentia transferre in
alium non poterat , manifeſtè ei concedit
quidquid ſibi foret poſſibile, ſuorum, vide-
licet vitam, ac necem . Itaque in arbitrio
puellæ iuſtorum Regni , & iniuſtorum ſan-
guinem poſuit . Hunc enim dare poterat,
quia impius præualet aduerſus iuſtum,Deo
ſic melius pro iuſtis prouidente. Regni to-
tius, neque dimidij dare potuit titulum,ad
Romanos enim poteſtas hæc deuoluta fue-
rat ob peccata , quæ in gente Hebræa mul-
tiplicauerant .

CAPVT XXIII.

*Et iurauit illi, quia quicquid petieris dabo
tibi, licet dimidium regni mei .*

STultus , ne dum malignus, ſtultitiam *Expoſitio.*
ſuam confirmat iuramento, quaſi ſan-
ctum auferret malitiam , & poſſet lux ſor-
dium fætorem depellere . Et quid iurat ?
Iurat ſe daturum in primis generaliter
quicquid voluntati cæcæ occurrit,nihil di-
ſcernens,ſecundo contrahit petitionem ad
munificentiam , ſed tùm impoſſibilem ſibi:
Offert enim dimidium Regni , vt medieta-
tem regni concedens , eam totam , ac ma-
trem poſſideret . Dimidia enim perſæpè
bona coniuges , & qui adulterinis coniu-
gijs vtuntur .

Et iurauit illis . Scilicet per Deum , vt
promiſſio robur acciperet, & ſe viliſſimum
omnium declararet, & ſacrilegū, qui abſq.
iudicio iuraret,& contra omnem iuſtitiam
opus iuramento confirmaret , veritatemq.
quod horrendum eſt, ſacroſancto Dei no- *Iuramenti*
mine perdere ſtuderet ; cum ſanciat lex: Et *circumſtantiæ debitæ.*
iurabis viuit Dominus,in veritate,& in iu-
dicio, & in iuſtitia . His velut ornamentis *Ier. 4.*
induitur verbum noſtrū, & roboratur qua-
ſi tribus fortiſſimis , qui Dauid fidelem in
verbo, & opere imitatur, qui autē homici-
dam & patrem mendacij ſectatur , dum iu-
rat mentitur, & quoniam iuramentum im-
plet, ſacrilegium adoritur, velut hic dete-
ſtandus Herodes .

Quia

Quia quicquid petieris, dabo tibi. Etenim crapulatus vino, & temulentus in potatorũ conuiuo ignorat quid dicat, neſcit quid promittat, quia ſeipſum neſcit, vel in poteſtatem vini redactus, aut illaqueatus multo condito, & ſaltu meretricio, quibus quaſi funiculis, non cymba ſolum, ſed Argos ad

Prou. 31. littora trahitur. Hinc Sapiens: Quid dilecte mi, quid dilecte vteri mei? quid dilecte votorum meorum, ne dederis mulieribus ſubſtantiam tuam, & diuitias tuas ad delendos Reges. Noli Regibus ò Samuel, noli Regibus dare vinum, quod nullum ſecretum eſt, vbi regnat ebrietas, ne fortè bibant, & obliuiſcantur iudiciorum, & mutent cauſam filiorum pauperis.

Licet dimidium Regni mei. Iuxtà petitionem, quam Aſſuerus fecerat Heſter, vt

Heſter 5. vel indè ſolitum Regibus ſic iurare familiaribus, & charis ad animi magnificentiam, & oſtentationem beneficij, & beneuolentiæ, conijciamus. Neminem autem propter hos duos, qui legitimis vxoribus moleſti fuerunt, & iniurij; Aſſuerus enim Vaſti repudiauit, & Herodes ob facti inſolentiam, Aretis Regis Arabum filiam, quam habebat vxorem coegit ad patrem abire, ſimili promiſſione vſum legimus vtrumque inconſiderata, & præcipitata. Etenim inter filias luxuriæ, quæ in hiſce Regibus præualuit, inconſideratio, & præcipitatio locum haud minimum habent, necnon horror Dei, cuius honorem, ac timorem hic potiſſimum exuit, dum luxurijs ſuis complacet, quare luxuria:

Ouid. lib. 4. *Eſt via decliuis funeſta nubila ſaxo.*

CAPVT XXIV.

Quæ cum exiſſet, dixit matri ſuæ: Quid petam? At illa dixit: Caput Ioannis Baptiſtæ.

Expoſitio. QVis crederet tanto, & tàm amplo promiſſo, & collaudantium applauſu non petituram aliquid puellam vanam, niſi de reditu monita fuiſſet, vt videretur facinus non ab Herode, ſed aliunde procedere? Exijt ergo à triclinio, & domo conuiuij, ac cito greſſu ad matris ædes properat lætabunda, & laudans, ac ſi iam diadema Regni portaret, & ſalutaretur Regina; veniens verò ad matrẽ extollit Regis munificentiam, & ſubdit, quid petam ò mater? Tu, quæ ſcis quid expedit filiæ, & ſemper honoratiora mihi procuraſti, conſule, ac mitte in os meum petitionem, qua conuiuas lætificem, ſicut ſalutatione iucundos feci. At inhoneſta illa, quæ infamiam ducebat honorem, & in cruore iuſtorum felicitatem collocabat, dixit funeſtum, quod orbem totum contriſtat, dum eius memoria fit: Dicito, inquit: Da mihi protinus in diſco caput Ioannis Baptiſtæ. Hoc ego modo cunctis præfero opibus, atque regnis, nec tibi filiæ alium conuenire honorem puto, quàm iniuriæ ſatisfacere. Igitur, quia me iſte Ioannes declarauit iniurijs, tu eſto vindex iniuriæ, petens audacter tibi dare caput Ioannis Baptiſtæ: ſic enim maiorem quàm antea honorem, ac laudem conſequeris, quod videaris optimæ filiæ leges ſeruare, & ſtudio matrem proſequi, & obſeruare honorem, ablatumque reſtituere, ac vendicare.

Quæ cum exiſſet, dixit matri ſuæ. Vt ſcilicet eam conſuleret, quid facto opus eſſet, commune eſt, eos quiſque coſiliarios quærit, qualis ipſe eſt. Peſſimus adit peſſimum, & quæ lacte adulturæ adoleuerat, adulteram conſiliatricem adit. Inſipiens ergo ò proceres ad cœnam vocati conſilium expectate, ne dicam interdum cruentum nimis. Nam neque ſimilare poma, ſed ſpinas; neque robur vuas, ſed glandes; neque bubo cantum, ſed gemitum proferet; neque caprimulgus parcet prædæ; neque apiaſtra, api mellifluæ dabit veniam. Itaque nihil vnquam boni; ſed iugiter conſiliari mali, malum portentant; è contra ſapientes bonum annunciant: quoniam cogitationes *Prou. 12.* iuſtorum iudicia, & conſilia impiorũ fraudulenta. Verba impiorum inſidiantur ſanguini; os iuſtorum liberabit eos. Ergo *Eccl. 8.* cum fatuis non ineas conſilium, non enim poterunt diligere, niſi quæ eis placent.

Quid petam? Promiſſum audierat munificentiſſimum, & ſub conſilio ponit quid ſibi petendum foret. Fortè inuoluebat quid dubij, aut mali promiſſio ipſa, vt conſiliarijs oporteret denudari, quod lateret, & explicari malum, quod ex incauta petitione poſſet accidere? Etenim humanum promiſſum à quocumque ſit, etiam à patre, nedum carnis, ſed ſpiritus dubitationem ingenerat, expediatne, ac ferat obuolutã malitiã, ſitq. roſa ſpinis intexta, aut igniens carbo, ſed adurens? Quare quoties, vel à Pontifice cathedram honoris, vel à Rege primatum ſentis offerri, conſule, non adulteros, vt infelix puella, ſed ſapientes, quoniam à ſa- *Prou. 18.* piente non peribit conſilium, quod ſanitatem afferat, & ſalutem; quoniam ſcriptum eſt: Ego ſapientia habito in conſilio, & *Prou. 8.* eruditis interſum cogitationibus. Eruditis igitur dicito quid petam? quid eligam? aut quid vobis ò ſapientes videtur, mihi ex his, quæ proponuntur conducere? ab impijs verò, neque petas, neque velis conſilium, ne fortè elidant te, & ad facinus, quod ſequitur prouocent.

At illa dixit. Tametſi inſipiens mulier, & vna ex inſipientibus præſumit dicere in re, alioqui ardua, & conſulere petenti, ac ſi ſola ſupra principes, tribunos, & primos

Galilææ

Galilææ ſaperet. Temeraria, nedum maligna præſumit dicere, non vt petenti, aut circumſtantibus, ſed ſibi ſoli, ac iræ con-
Eccl. 25. ceptæ ſatisfaceret. Hinc Sapiens: Mulieris ira, & irreuerentia, & confuſio magna, vt enim turbo confundit nauium vela, & ſoſpites ad ſubmerſionẽ tranſmittit, ita mulier, quæ ira fremit, præcipitato conſilio confundit cœtus virorum, & grauitati eorũ infert irreuerentiam, ſi quomodo tentetur impediri à malo propoſito: malæ enim
Chryſoſt. mulieri (inquit Chryſoſt) nihil eſt, maritum ſuum tradere ad mortem. Iuſtum quidem certè Iob eius vxor tradidit ad mortẽ, bla-
Iob 1. ſphemiam dicens: Dic aliquod verbum aduerſus Dominum, & morere; ò improbam naturam! ò impiam voluntatem! Et hanc quoque Herodias, ac multò magis damnoſam profert, quando dicit.

Caput Ioannis Baptiſtæ. Caput eius, quẽ orbis veneratur, caput Ioannis, qui ex vtero matris ſuæ repletus eſt Spiritu ſancto, & caput rurſus Baptiſtæ, qui verbi lauacro, & aquæ parare Domino plebem perfectam venit. Huius caput inſtanter petito, vt conteram, & dilaceram linguam, quæ mihi inſultauit, & vilem reddam eius formam, ac nomen ipſum extinguam, ne vltra ſuper terram nominetur; iamque nullus præ metu de me, quæ in virum magnum potui, malè amplius loquatur, ſed formident omnes, & reuereantur eam, quæ callidè ſeruat malitiam in tempore, eſtque vindex cunctorum, qui iniuriam irrogant, & detrahunt mihi. Hæc eſt via mulieris adulteræ, ò mor-
3. Reg 19. tales, ſic fuit Iezabel aduerſus Eliam; & infi-
Gen. 39. delis illa Ioſeph conatur vitam tollere. Impijſſima ſic conſulens; at crudeliſſimi, qui
Eccl. 27. cõſilio furibundę aſſentiuntur. Verũ facienti nequiſſimum conſilium, ſuper ipſum deuoluetur (deponit oraculum) & non agnoſcet vndè adueniat illi illuſio, & improperium ſuperborum, & vindictam ſicut leo inſidiabitur illi. Cæterum quid omnibus his acciderit poſtea referemus.

CAPVT XXV.

Cumque introiſſet ſtatim cum feſtinatione ad Regem, petijt dicens: Volo vt protinus des mihi in diſco caput Ioannis Baptiſtæ.

Expoſitio. NOn moratur praua progenies obſequi progenitrici, ſed commedant eam filij aquilæ, qui velociores ſunt, vt malefactores perdant, ergo currens præ feſtinatione, & cupiditate placendi ei, quæ ruinæ perpetuæ, atque infamiæ conſilium dederat, intrat ad Regẽ, qui tàm amplis promiſſis eam lætificarat. A quo petiuit clamoſa voce, & inuerecunda cunctis admirantibus; petiuit, inquam, dicens, non per alium, aut ſcripto, ſed per ſeipſam, & cum imperio, volo quidem, quia mihi poteſtatem feciſti, vt protinus abſque mora, & ſine verborum excuſatione des, non dimidium regni, quod tibi volo: ſed aliud mihi multò iucundius, quàm omnia regna mundi; illud autem eſt caput Ioannis Baptiſtæ, quod mox in diſco, quem ideò fero manibus, iubeo imponi, & dari mihi. Nam qui honorem regium læſit, ac reges ipſos, quaſi in prouerbium eſſe fecit in conuiuijs multorum principum, exigit ratio iuſtitiæ, vt conuiuante Rege, & in conuiuio Principum decapitetur, moriaturque in die natalis Regis, qui regem ipſum morte æterna dignum acclamauit, vt qui audierint diſcant Regem honorare, ceſſetque infamia, quam nedum Reges mei, mihi omnium amantiſſimi, ſed & regnum totum hactenus viri huiuſmodi acclamationibus protulit; ſic exorat diſcipula tàm peſtiferæ magiſtræ.

Cumque introiſſet ſtatim cum feſtinatione ad Regem. Non ſic ad bonum aliquod, vel agendum, vel nuntiandum feſtinaſſet, prona eſt enim ad malum natura ab adole- *Gen. 8.*
ſcentia ſua, bonum autem neſcit facere niſi tracta, aut difficilè perſuaſa. Fateor aquilam eſſe, quæ ad boni appetitum curret, & *Similitudo.*
cupiditatem ſcientiæ, at plumbi maſſam portat ligatam in alis ſuis, vt deprimant animum eius, & velocius impellant ad ea, quæ noxia ſunt. Ignorant enim, malè afficiuntur, & vt piſces currunt ad aquas, ita nos miſeri quamdiù mortalem carnem induimus, conuertimur ad curſum noſtrum, *Ier. 8.*
qui eſt aduerſus Deum, & feſtinamus potius ad ea, quæ nobis ferunt noxam, quam ad bona, quæ & illuſtrant animum, & beant. In his torpor, & ſõnus nos opprimit, vt vel tardè, vel difficilè, vel nuſquam quod ædificat animum percurramus.

Petijt dicens. Præter naturam adoleſcentularum, quæ ſignis potius, ac nutibus, quàm verbis explicant animi ſui conceptum, vt honeſtatem, & pudicitiam videantur ſeruare; nam vt docet Apoſtolus de viduis (inquit Auguſt. lib. ad ſacras vir- *Aug.*
gines) caſta iudicari non poteſt ſermone garrula, aut loquacitate verboſa, vel curioſitate ſuperflua, immo proſtituta, & ad luxuriam magis accendi.

Volo. Non ſupplicat, nec humiliter petit, ſed *volo,* inquit, quaſi debitum, & promiſſione Regia, meum. Vide quid eſt ſeruili fœminarum generi poteſtatem facere, aut promittere; iam enim ſe dominam arbitratur, & vult, atque iubet voluntatem *Nequaquam vxoribus poteſtas cõcedenda.*
ſuam expleri. Audite me ergo magnates, *Eccl 33.*
& omnes populi, & rectores Eccleſiæ auribus percipite. Filio, & mulieri, fratri, & amico non des poteſtatem ſuper te in vita tua. Scitis ò mortales quid eſt alicui iſtorum, præſertim mulieri dare poteſtatem ſuper te? eſt vel hæredem conſtituere, vel

com-

committere regimen domus abſolutum, velociter facere copiam liberã accipiendi, dandi, diſtribuendi, petendi, aut quippiam agẽdi aliud in familia, ac bonis. Qui mulierem ſic licentiat, viraginẽ longè aliter, quã prius diceť; quoniam vt illa Semiramis, quę per paucos dies accepta regnandi licentia, non amplius virum agnoſcet; ſed virũ ipſa aget, & regnare in perpetuum, ſi ei concedatur tentabit, dicens vbique volo, non rogo, impero, non ſupplico; Et:

Sic volo, ſic iubeo, ſit pro ratione volũtas.

Vt protinus. Vel hac hora, vt habet Syriaca; quoniam mulier ſcelerata, quæ nullũ ſequitur ſapientum conſiliũ, in omni actione ſua nequam, eſt præceps, & eos, qui iam ſe fœminili imperio ſubijcere velociter, cuncta agere, continnò imperat; nec audit virum, neque vultum eius, aut conſilium, quod maturitatem in agendis poſtulat, reueretur. Iuxtà illud: Mulier ſi primatum habeat contraria eſt viro ſuo. *Eccl. 25.*

Iuuen. ſat. 1. *Tũc grauis illa virô, tũc orba tigride peior.*

Des mibi in diſco caput Ioannis Baptiſtæ. In græco prætermittitur protinus, & additur ἐξαυτῆς ex ipſa, ſic conſtructa oratione: *Volo vt mibi des ex ipſa in diſco caput Ioannis Baptiſtæ*; qua additione incuſatur puellæ temeritas, & audacia: quod ex ſeipſa tàm audacter loqueretur. Nam etſi mater perſuaſiſſet filiæ petere caput Ioannis, fortè, vt vrbanior, & callidior mitioribus verbis petitionem docuerat exponi. At illa cupiditate placendi matri, prorupit in verba imperioſa. Itaque præmiari vult ſaltationem ſuam iuſti morte. Et quid aliud parturiunt muliebres ſaltus, qui more bacchanalium in pleriſque tùm Galliæ, tùm Hiſpaniæ, & Italiæ partibus, tribus diebus ante cineres ab eis cum viris domi, ac publicè fiunt? Omitto iniuriam, quam Chriſto irrogant, & carnis opera, quæ ex tàm ma'o operc conſequuntur, tantũ optarem attentius conſiderari odia, ſeditiones, & mortes, quæ ex ſimilibus ſpectaculis ibidem pręueniũt, vt vel indè ab his aborrerent, & deteſtarẽtur iuxtà canon. 62. ſextæ Synod. Conſtantinopol. Calendas (inquit) quę dicũtur, & vota brumalia, quæ vocãtur, & qui in primo martis die fit, conuentũ ex fideliũ ciuitate omninò tolli volumus. Sed & publicas mulierũ ſaltationes multã noxã, exitiũq. quin etiã eas, quæ nomine eorum, qui falsò apud græcos dij nominati ſunt, vel nomine virorũ, ac mulierũ fiũt ſaltationes, ac myſteria, more antiquo, & à vita Chriſtianorum alieno, emendamus, & expellimns, ſtatuẽtes, vt nullus vir deinceps muliebri veſte induatur, vel mulier veſte viro conueniente. Hæc enim penè omnia in tempore carnis priuium perpetrantur. Ergo (concludit can.) ſi ſint quidem Clerici deponi iubemus, ſi verò laici ſegregari.

Improbãtur hi bacchanales.

Conc. Conſtan. 6.

CAPVT XXVI.

Et contriſtatus eſt Rex, propter iuſiurandum, & propter ſimul diſcumbentes, noluit eam contriſtare.

Acceptimus inſanę ſaltatricis propoſitũ, erectis audiamus mox animis, quid Rex, qui ſe profert ſapientem, cui & ſapientes ex more aſſiſtunt; ſed in menſa opipera, reſpondat. Etenim audita petitione, contriſtatus eſt, vultu in pallorem mutato, & in magnam viſus anxietatem venire propter iuſiurandum, quod tàm inſipienter ediderat, & amplam petendi libertatem, quam iuramento vano firmauerat. Ad hæc auxit triſtitiam, interfuiſſe omnibus diſcumbentes principes Galilææ apud quos, vel vanos in promiſſo, & dicto, vel mendacem oportebat eum haberi: putans ergo minus malum reputari à ſuis vanum, quam mendacem, propter eos, qui diſcumbebant, vt eum veracem agnoſcerent, noluit petitionem iniuſtam fieri irritam, neque ſaltatricem dimitti vacuam conſentit. Hæc Rex iniquus, qui veritatem, & ſacra profanat, ne eius verbum immutetur. *Expoſitio.*

Et contriſtatus eſt Rex. conſueto more Scripturæ (inquit Gloſſ. ord. ex Beda) contriſtatus non re, ſed multorum opinione ſicut, & ipſe Ioſeph ab ipſa quoque Maria dicitur Pater Ieſu; ſic contriſtatus Herodes, quia hoc diſcumbentes putabant. Diſſimulator mentis ſuæ triſtitiam præferebat in facie, lætitiam celabat in mente; ſcelus iuramento excuſabat, vt ſub occaſione pietatis, impius fieret, dicitur contriſtatus non triſtatus, quod non à ſe iuſtitiæ ſimulatio cœperit, ſed ab ijs, qui menſæ aſſidebant. Nam hi percepto poſtulato, conſternati ſunt animis, & vultibus ad ſe mutuò conuerſis, ac ſignis deteſtabantur facinus. Et triſtes quid Rex faceret expectabant: At Rex triſtes aduertens commenſales, contriſtatus eſt, & ipſe, non verè, ſed ſimulatoriè, vt etſi illaudabile, ſaltem excuſabile ijs, qui aderant videretur factum, quo ſe hypocritam fingit, is enim nunquam de malis triſtatur, ſed contriſtatur, vt videatur pœnitens cum pœnitentibus, & cum dolentibus dolens, intus autem continuò malis complacens, quoniam omnis hypocrita eſt nequam, velut pecudes cornuti, iuxtà Columellam lib. 7. cap. 6. ferè pernicioſi ſunt propter petulantiam. Hæc enim in ſimulatorum animis, & hypocritis prænalet, vt ſi pauperem ſe ſimulet, nullus eo diuitijs locuplex; ſi auſterum ſe oſtendat, delitias continuò gerat in pectore; ſi humilitatem præſeferat, animo ardet ambitione, vnde Chryſoſt. (in ſerm. de ieiunio.) Hypocrita,

Glo ordin. ex Beda.

Hypocritæ fallaces.

Columella.

crita, ideſt hyſtrio vocatur is, qui in theatro alienã faciem ſumit, vt ſeruus exiſtens, ſæpènumero Domini, & priuatus Regis, ſic & in hac vita ad ſuos mores orcheſtras theatrum exercent ij, qui alia corde gerentes, alia extrinſecus hominibus præſeferunt. Sed quid, ait agnitor cordium: In- *3.Reg.14.* gredere vxor Ieroboam, cur te aliam eſſe ſimulas? Ingredere vxor diaboli ad veritatem, cur eam ſimulas, cur animus tuus præ- *Iſai.30.* uaricatur? cur proximum labijs ſcandalizat? morietur cum his, qui viam hanc tortuoſam ſequuntur. Ægyptus enim fruſtrà, & vanè auxiliabitur: Ideò clamaui ſuper hoc, ſuperbia tantum eſt; quieſce.

Propter iuſiurandum. In græco eſt *διὰ τοὺς ὅρκους* propter iuramenta. Nam putans iuramentis ſimulare animum, multiplicauerat iuramenta, aut idem iterauerat. Id quod etiam notat, iuſiurandum, quod eſt aliquid confirmari multiplicato iuramento, iuxtà illud: Iuſiurandum, quod iurauit ad Abraham patrem noſtrum daturum ſe *Luc.1.* nobis. Hoc eſt multipliciter. Nam iuramentum Dei eſt pollicitatio ipſa, quam *Ier.22.* per ſemetipſum facit: dixit enim: In memetipſo iuraui, quia ſolus veritas, quæ verificat ſe, ac ſua, & quæ agunt cæteri, vel loquuntur opportunè; quare in alijs à Deo, diſtinguitur promiſſio, & dictio, à iuramen- *Eccl.27.* to; vt imago ceræ impreſſa à ſigillo, ſed quid in Herode iuramenta, & iuſiuranda? quod ſapiens ſtatuit, loquela multum iurans horripilationem capiti ſtatuit, & irreuerentia ipſius obturatio aurium, vt quaſi os fœdum omnes fugiant, & inſequantur *4.Reg.9.* dæmones velut canes Iezabel, cuius ſolam caluariam, conſumptis omnibus, relinquerunt. Siquidem nihil præter ignominiam, neque ex Herode, neque ex alio quouis iu- *Eccl.23.* ramẽtis ſolito derelinquetur. Quia vir multum iurans replebitur iniquitate, & non diſcedet à Domino illius plaga.

Et propter ſimul diſcumbentes. Propter iuramentum dixit, vt ſe fingeret Religioſum, qui ſacra veneratur, & non accipit in vanum diuina; propter diſcumbentes dicitur, vt eum cuncti agnoſcerent vrbanum, & ciuilem, qui ſciat homines reſpicere, & reuereri, ac nihil, quod turpè ſit, ante eos agere; immo verò hoc magis ſtuduit, & ſtudent quidem omnes peſſimi plaudere potius hominibus, quam Deo. Væ autem fi- *Iſai 30.* lij deſertores (dixit Dominus) vt faceritis conſilium, non ex me, & ordiremini telam, & non per ſpiritum meũ, & adderetis peccatum ſuper peccatum, qui ambulatis, vt deſcendatis in Ægyptum. Hoc eſt, vt Ægyptijs, ac vanis hominibus placentes, faciatis, quæ non decent, & impia operemini, quàm à me cõſilio, & præcepto longè ſunt; nam, vt ſectator vmbræ lucem fugit, & ab ea elongatur qui terræ hiatus penetrat; ita qui oculos ad homines, & tantum hominibus applaudit, & propter eos cuncta agit, ſicut cælum à terra, diſtat ab ijs, quæ ordinat Deus; quoniam viæ Domini miſericordia, & veritas. Huius autem impietas, & iniuſtitia. Particeps idolorum Ephraim, dimitte eum. Idola enim ſunt nobis vni- *Oſe.4.* uerſa, propter quæ à Deo recedimus, & quod iniuſtum eſt perpetramus.

Noluit eam contriſtare. Græca lectio habet *οὐκ ἠθέλησεν αὐτὴν ἀθετῆσαι* noluit eam reijcere. Etenim nulla mulieri maior triſtitia poteſt accidere, quàm reijci, vel à contubernio hominum, quos diligit, vel à petitione, quam poſtulat, vel à votis, quæ in animo habet. Iam enim fatua eſt, & clamoſa, faciliuſque poteris barritus elephantis reprimere, quàm mœſtam conſolari mulierem, & à triſtitia liberare, & cohibere clamores, quos excitat fulgur demiſſum. Itaque cum ex coſta ſit formata, tamdiù ſilet, quamdiù repletur his, quæ deſiderat, ſi minimum deſit tecta iugiter perſtillantia, *Prou.19.* fit litigioſa mulier.

CAPVT XVII.

Sed miſſo ſpiculatore præcepit caput eius afferri in diſco.

DEnique præualuit impia, & neq; Deum, *Expoſitio.* neque homines reueretur ſacrilegus, ſed vocatis miniſtris, iubet adeſſe ſpiculatorem, aduocatumque petitioni muliebri annuere, quæ iterum fortè reperit poſtulatum, quod cum ſpiculator audiret, exhorruit, hærebatque animo, loca dubitans iſtafari, quouſque Herodes ipſe inſtaret, & expreſſis verbis eum mitteret ad carcerem, & præciperet, poſtpoſitis omnibus, afferri caput eius, quem cælum, ac terra proclamant magnum, imponique in diſco, ac tradi importunæ mulieri. En iniqui Regis præceptum, homines deuorare, & perdere iuſtos.

Sed miſſo ſpiculatore. In manuſcriptis quorumdam codicibus additur *confeſtim*, & in græco legitur *καὶ εὐθέως ἀποστείλας ὁ βασιλεὺς* Et ſtatim legans Rex ſpiculatorem, vt vel indè agnoſceretur ardentiſſimus illius animus ſuſtollendi Ioannem, ſtatim mittit, quod innocentis ſanguinem ſitiret, vt draco Regij elephantis purpuratum cruorem, quem volatu aggreditur, ſpiculatorem verò legat. & ad opus regium, & regis ſecretum, quo non mitti, ſed legari dicuntur viri præſtantes: quare tyrannorum, qui in ſanctos Dei homines ſæuierunt tempore Antiochi, & poſt Chriſtum in omni penè orbe exemplũ ſe geſsit. Confeſtim enim Nero, Caligula, Domitianus, Diocletianus, ac reliqui virtutis, & Chriſti hoſtes mittebant

lega-

legatos, & ſpiculatores, qui, vt vrſus apes, de ciuitate in ciuitatem Chriſticolas perſequerentur. Atqui omnium horum ſucceſſores effecti ſunt, qui legant contra eum, qui rectè graditur; & Ioannis virturem, vel in clero, vel in populo imitatur. Non eſt enim mortuus Herodes, aut certè viuit in hæredibus. At vos qui Herodem ſuſtinetis
Phil. 1. (ait Apoſt.) in nullo terreamini ab aduerſarijs, quæ illis eſt cauſa perditionis, vobis autem ſalutis, & hoc à Deo; quia vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolum, vt in eum credatis, ſed vt etiam pro illo patiamini.

Præcepit caput eius afferri in diſco. Proh dolor! impius præualet aduerſus iuſtum. Hinc Iob: Caliganit ad indignationem ocu-
Iob 17. lus meus, & membra mea, quaſi in nihilum
Greg. redacta ſunt. Vbi Greg. lib. 17. mor. cap. 13. Ad indignationem oculus caligat, quando ipſi quoque, qui in dominico corpore, ideſt in Eccleſia lumen veritatis habent, dum ſe diutius à prauis deſpici, ac dedignari conſpiciunt, de occulti iudicij admiratione turbantur, & ſecretum Dei penetrare nequeunt; cur præualere peruerſi contra bonorũ innocentiam permittũtur. Quis enim non obſtupeſcat, cum Herodias apud temulentum Regem ſaltatu filiæ obtinet, vt caput amici, ſponſi, prophetæ, & pluſquam prophetæ ante ora conuiuantium in diſco deferatur? Sed cum iuſti ad indignationem caligant, infirmi plerumque vſque ad infidelitatem corruũt. Vndè ſubditur: Et membra mea quaſi in nihilum sũt redacta. Membrorum quippè nomine teneritudo exprimitur infirmorum, qui dum peruerſos proſpiciunt florere, iuſtoſque cruciari, ad hoc nonnunquam perueniunt, vt ſe bona vel inchoaſſe pœniteat, atque ita ad agenda mala citius recedunt, ac ſi eorum vitæ nocuerit bonum, quod inchoauerunt. Hæc ille.

CAPVT XXVIII.

Et decollauit eum in carcere, & attulit caput eius in diſco, & dedit illud puellæ, & puella dedit matri ſuæ.

Expoſitio. HAbet impius pari impietate miniſtros, qui inhiantes pariter ad effuſionem ſanguinia minimè pigritant in exequendis mandatis iniuſtis. Abſque mora igitur ad carcerem properauit ſpiculator, & decollauit virum ſanctum, qui cum nihil mali egiſſet; ſed boni totius prænuntius, detinebatur pro veritate mecharunte in carcere, quaſi vnus ex malefactoribus, quibus peruerſus pepercit inſonte, & innoxio decollato; *caput* autem *eius*, vt ſibi fuerat imperatum *in diſco* collocatum attulit ad Regem, cunctis, qui aderant in conuiuio immaniratem conſpicientibus, & quidem ſilentio ſpectaculum horrendum probantes. Iubente autem Rege, dedit illud puellæ, quæ exultabat in aſpectu cruoris decurrentis, iam iamque feſtina ad matrem conuolat, cui offert caput. Hæc enim ſunt facinora impiorum, & ſacrilegorũ trophæa, quaſi pila in ludo Sanctorũ reliquias per ludibrium hac, atque illac deferre, & tranſmittere ab vno ad alium, vt omni ex parte ignominia afficiãt eos, qui viuentes in manu Dei ſunt, & mortui cum Chriſto regnant in æternum.

Et decollauit eum in carcere. Itaque poſt *Hæreſ. reprobatur.* multas blaſphemias, quas Brentius in cap. 4. Matth. contrà Ioannis innocentiam præmittit, infert, cum Ioannes in vinculis fuit, non dubium eſt, quin in animo ſuo talem quid cogitauerit. Etſi Herodes iniuſtè me affligit, nec meritus ſum talem pœnam in humano iudicio, tamen ò Domine Deus meus, ſi tu velles de me ſecundum iuſtitiã legis tuæ iudicare, non ſufficeret hic carcer, & ſqualor eius, ſed neceſſe haberem conijci in perpetuum carcerem inferni; vult ergo hæreticus homo ex his concludere in Ioannem fuiſſe ſemper peccatum, vt in reliquis, qui propterea grauamur moleſtijs. At neque in aliquo poſt ſacramenti ſuſceptionem dignam, peccatum eſſe, neque ob culpam Ioannem puniri oſtendimus in commentarijs ſuper Matth. Mox in poſteria ſententiam refellam alterius hæretici iaculo. Scribit enim Melancton in 8. cap. ad Rom. in hunc modum. Peculiares afflictiones interdum Sanctis imponuntur, vt Iſaias eſt diſſertus, Ierem. lapidatus, Ioannes decollatus. Hæ afflictiones non ſunt pœnæ pro certis peccatis, ſed ſingularia opera, in quibus vult Deus oſtendere ſuam gloriam, ſicut &
propheta dicit: Etiam innocentes bibent *Iob 6.* calicem. Et huc pertinet diſputatio Iob, qui negat ſe propter peccata affligi. Docet enim pios vtrumque, quod propter afflictiones non ſunt reiecti. Item quod afflictiones imponantur etiam alio conſilio Dei, nec ſemper ſint pœna certorum peccatorum. Hæc ille. Quæ nos recenſuimus, non quod deſint Patres, cum omnes ſimul prædicent Ioannem innocentiſſimum, & afflictum ad maiorẽ ſui gloriam, ſicut, & Chriſtus, & qui ſunt eius; ſed & videat Brentius ſe non ſolum conſilio ſapientum reprobari, ſed apud ſuos, qui vnà inſaniunt minus habere, & infirmari eius ſtultitiam ſuorum dictis, quare (inquit Chryſoſt. hom. 27. in *Chryſoſt.* Matth. opc. imperf.) Ioannes ſpecie homo, *Baptiſtæ cõmendatio.* gratia Angelus; quia nihil carnis erat in eo, niſi viſio ſola, corpore tenebatur in carcere, anima autem in cælo. Et quod Herodes illi faciebat pro pœna, ille ſuſcipiebat

pro

pro beneficio, & ira illius, quaſi miſericordia Dei fruebatur, quia verum gaudium eſt Sanctorum, exire de mundo. Vndè ſi (*Heb.11.*) ſecti ſunt, tentati, lapidati, & in occiſione gladij mortui, vt meliorem repromiſſionem acciperent, læti talia pertulerunt.

Et attulit caput eius in diſco. A corpore ergo ſancto ad diſcum, qnn pollutæ mulieres vtebantur, ad opera nefaria transfertur capnt ſanctiſſimum, vt ſui copiam faciat hoſtibus, quos viuens optabat lucrari, ne excnſationem habeant de peccato, quod lingua à ſuggeſtn correxit, & in diſco proprio crnore teſtatus eſt, deteſtandum, & execrandum forè ni velint dentem pro dente, & oculnm pro oculo, & caput pro capite, & ſanguinem pro ſanguine reddere. Nam qui teſtificanti verum non credit, neqne fidem præſtat legato, qui euidentibus ſignis legationem confirmat, non ſolum qnæ in Regis nuntium agit, ſed multo maiora commeretur. Itaque reliquiæ Sanctorum, quas Deus penes infideles, & malos eſſe conſentit, vt in diſco Herodiadis, tota die prædicant conuerſionem, & damnationem comminantur. (*Pſal.118.*) Sunt enim mirabilia teſtimonia Domini, (*Gen.4.*) quornm ſanguis clamat de terra, (*Matt.2.*) & vox in excelſis auditur, ploratus, & vlulatus multus.

Et dedit puella. Denique cni in omni lege, & gente prohibitum eſt caput eſſe, (*Matt 11.*) accipit capnt viri, quo inter natos mulierum non ſurrexit maior. Et hoc quidem eſt mulieris peſſimæ ad ſe transferre caput, & regimen virorum, & dominari in populo, ac præeſſe in clero, vt inter hæreticos, (Fœminæ nō licet inter Eccleſiaſticos præſidere.) qui hoc infelici æuo debacchantur, cernitur, quibus omnem dedit anſam Lutherus, qui mnnera Pontificia, à mulieribns, ſicut à Papa miniſtrari poſſe prædicanit, & docuit, contra ea, quæ deponunt oracula: (*1.Cor.14.*) Mulieres in Eccleſia taceant, non enim eis permittitur loqui, ſed ſubditas (*1.Cor.21.*) eſſe, quia vir capnt eſt mulieris. Ergo (*1.Tim.2.*) mulier cū ſilentio diſcat cum omni ſubiectione. Adam enim primus formatus eſt, deinde Heua, & Adam non eſt ſeductns, mulier autem ſedncta in præuaricatione fuit. Data eſt ipſa viro in adiutorium, & ſnb viri (*Gen.2.*) poteſtate conſtitnta eſt mulier. Seruile igitur nulla ratione, ac lege dominium ſibi poteſt vendicare; ſed & illud in Eccleſia Dei exercere ſummum piaculum. Quare ſancitur, fœminam iudicem eſſe non poſſe 3. q.7. infamis; neque ordinem ſuſcipere. 27. q. 1. Diaconiſſam; neque accuſare quemquam, niſi incrimine læſæ maieſtatis, hæreſi, & ſimonia. 15. q. 3. certis de cauſis; aliaq. plura in ſacris Concilijs prohibentur mulieribus, quæ ad iuriſdictionem faciunt, & dignitatem, & nuſquam præſumant ſibi viri auctoritatem vendicare.

Et puella dedit matri ſuæ. Vt à qua proceſſerat iniquitas, complementum acciperet; quid autem indè Herodi, puellæ, ac matri acciderit Metaphraſt. audiamus: (*Metaphr.*) venit ſcilicet vxor legitima Herodis ad Aretam ſnnm patrem, qni erat Rex Arabum, vt ante dictum eſt, eique inſolentiam, & alia omnia, vt ſemel dicam, (Exitus puellæ ſaltatricis.) expoſuit, & petijt, vt vlciſceretur rem, quæ mulieri eſt intolerabilis. Ille autem neque enim eius ſolnm, ſed ſuam propriam exiſtimabat contumeliam, bellum commouit aduerſus Herodem. Et cum rem rectè geſſiſſet, & illius exercitum validè cecidiſſet, & alios quidem occidiſſet, alios verò redegiſſet in ſeruitutem, & ſubiectis flammis omnem populatus eſſet regionem reuertitur, & res quidem Herodis, ita ſe habuerunt. Cæterum huins adnlteræ, & illegitimæ vxoris Herodis quomodo ipſa in longiſſimum tempus vitam producit? Cum ſuam autem vidiſſet filiam acerbo fine primum vitam terminaſſe, ſic ipſa quoqne recedet, ijs, quæ illic ſunt omninò ſeruata ſupplicijs, & bibitura totam fecem iuſtiſsimi calicis, qui eſt in manu Domini. (*Pſal 74.*) Filia autem ipſius, quam qnidem diximus perijſſe ante matrem, cum ad quendam locum proficiſceretur, & tempore hyemis oporteret eam flumen traijcere, qnoniam erat glacie concretum id tranſibat pedibns. Cum autem glacies non ſine Dei numine omninò eſſet diſrupta, ipſa quidem vſque ad caput refluxit miſera, tunc quoque velut ſaltans laniationibus non in terra, ſeu in aquis, caput verò, & glacie contractum, & validè ampntatum relinquitur ſuper gelu; admirabile iudiciorum Dei iudicium! ipſnm quoque diuiſum à reliquo corpore, non gladio, ſed glacie: ſed hæc quidem ita ſe habuerunt, & inſame illud, & ſceleratum caput propoſitum erat ſpectaculum omnibus, ea, quæ fecerat, in memoriam reuocans ſpectatoribus. Hæc ſunt mala, quæ tanti criminis conſcins inuaſerunt. Quid verò de capite Ioannis actum ſit proſequitur idem auctor, dicens: illa, ſcilicet, Herodias cum id accepiſſet, quod ardenter ſitiebat profundè, infodit, & apud ſe tutò abſcondit, vt ex ijs, quæ à patribus ſunt tradita, narrationibus, ſcriptiſque licet diſcere, deindè inſerius paulò, inuentione proſequitur, de qua etiam in vita ſanctæ Matronæ fit mentio, & multa his adiecimus in commentarijs ſuper Matth. Colitur autem modo ſumma cnm veneratione Romæ in monialium monaſterio, quod ſancto Silueſtro dicatu m eſt.

CAPVT

CAPVT XXIX.

Quo audito diſcipuli eius venerunt, & tulerunt corpus eius, & poſuerunt illud in monumento.

Expoſitio. IMpietatem hactenus Herodis,& ſuorum perſpeximus, tempus eſt, vt pietatẽ, qua in Ioannem mortuum diſcipuli fuerint vſi, contemplemur, vt vel inde agnoſcamus non *Sap 10.* derelinqui iuſtum in vinculis, neque eorum obliuiſci Deum, quin & mortui, & viui curam apud eum eſſe. Poſtquam igitur audierunt diſcipuli, non ſolum rumore, qui ſtatim percrebuit, ſed certis nuntijs, magiſtrum fuiſſe decapitatum, piè, & ſanctè cogitarunt corpus illius tradere ſepulturæ; quare venientes Mecharunte vbi cadauer iacebat, tulerunt corpus illud ſacratiſſimum ab eo loco,& tranſtulerunt Sebaſten, ibique monumento honoratiſſimo donarunt pignus eius, qui in monumentis ſæculorum ſuam habet æternitatem, & celſitudinem.

Quo audito. Ergone abierant diſcipuli? *Matt.11.* fortaſſis quidam poſt legationem illam à magiſtro ad Chriſtum factam, inter diſcipulos Chriſti annumerati ſequebantur nouos ſodales; alij etiam ad propria remearunt, quoſdam autem apud magiſtrum manſiſſe vſque ad mortem minimè dubito. Audierũt igitur mortẽ, qui abierant; nec non qui aderant; quod clam, & inſperatis eis, ſpiculator miniſterium ſuum geſſerit in Ioannem. Auditur itaque mors Ioannis, non videtur, id *Sap.3.* quod iuſto omni datũ eſt. Quoniã iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & nõ tanget illos tormentum mortis, viſi ſunt oculis inſipientũ mori, propterea euulgant crucifixũ Petrum, Ignatium beſtijs obiectum, Policarpũ igni traditũ, Luciam gladio transfixam, & quemuis alium ſuo martyrio affectum, aut naturali agonia occubuiſſe; vndè audimus, ſed non videmus, neque credimus animam transfigi, vndè eſt vita, & ſcimus eam nihil pati, neque mortis ſtimulo affligi. Eo quidem malos perire, vnàque cum corpore affligi nemo dubitat. At ſicut corpus videmus cruciari, & mori; ita animã morte ſecunda deperire credimus. Quoniam ſcri- *Pſal.48.* ptum eſt: Mors depaſcet eos.

Diſcipuli eius venerunt. Vt funus agerent, & curarent, quæ ſolita eſt ſemper fidelium concio, cum mortuis ſuis agere, non ſolum vt à peccatis ſoluantur, hoc eſt pœnis peccatorum; ſed ũt venerandis reliquijs debitum honorem deferant fideles, qui reſidui ſunt, & profiteantur fidem reſurrectionis futuræ, propter quam ſolliciti fuerunt patres condere corpora, optimo loco cum aromatibus ſepelire, & funebres cãtus mortuis decantare, & vota facere; ſic in lege naturæ Abraham ſepeliuit Saram in ſpelunca *Gen 23.* duplici, ſic Iſaac, & Iſmael cum reliquis fra- *Gen 25.* tribus in eundem locum recondiderunt patrem; ſimilem honorem accepit Iob, & ante omnes in eadem lege progenitor, & Plotoplaſtes primus, & magiſter, apud Hebron, vel, vt alij putant, in monte Caluariæ fideli ritu, & cantu traditus eſt ſepulturæ, quem ritũ aliqua ex parte gentes, quæ ab eo deſcenderunt, tametſi ab eius fide diſcederẽt, tenuerunt. Præſertim qui per Seth vſque ad diluuiũ, & qui per Sem vſque ad Chriſtum, & qui per Iaphet vſq; in finẽ ſæculi propugnantur, ſepulturæ honorem, & retinere, & augere in Eccleſia Dei curarunt. Quare Hæreſ.repr. Vualdenſes, à quibus Lutherus hauſit venenum, quod Centuriatoribus, & Hugnoſticis communicauit, extorres habeantur, qui, & ſepulturæ Eccleſiaſticæ diligentiam, & ritũ inſimulant. Cũ ab Apoſtolis emanaſſe (Dio- *Dionyſ.* nyſ.ſent.lib.de Eccl.Hier. c. 7.) colligatur; ſcribit enim ritũ, qui in ſepeliendis fideli- Cura mortuorum habenda. bus obſeruabatur, haud diſſimilẽ ab eo, quẽ nunc Eccleſia retinet, & eodẽ auctore lib. de diuin.nom. obſeruarũt Apoſtoli in exequijs Mariæ Virginis, & in alijs, quorumcumq; fi- *Cõſt. Apoſt.* delium ordinarunt, conſt.Apoſt.c.30. & lib. 8.c.47. ritum Eccleſiaſticũ cuſtodiri, quibus (inquit Aug.lib.1.de Ciu.Dei c.13.) tanquã *Auguſt.* organis, & vaſis ad omnia bona opera ſanctus vſus eſt ſpiritus, ſi enim paterna veſtis, & annulus, ac ſi quid huiuſmodi, tantò charius eſt poſteris, quantò erga parentes maior extitit affectus, nullo modo ipſa ſpernenda ſunt corpora, quæ vtique multò familiarius, atque coniunctius, quàm quælibet indumenta geſtamus; inde factum, vt Apoſtolicæ traditioni multa ad ornatum ſepulturæ fidelium addiderint, quæ ſparſim in Cõcilijs recitãtur, & habentur in decret.tit de ſepulturis, & 12.13.& 24. In multis quæſtio, & can. miſſis. Igitur ab hæreticis, atq; impijs hominibus regrediamur ad diſcipulos Ioannis, vt ſanctiſsimi corporis, dum ſepelitur, odore, & meritis locupletemur.

Et tulerunt corpus eius. Græcè corpus dicitur σωμα. Sed in lectione Euangelij Duplex lectio. græcè conſcripti habetur πτωμα αὐτοῦ cadauer eius, quod propriè mortuo corpori conuenit. Illuc autem etiam viuo applicatur. Quare duplici lectione, incidimus in cognitionem priuilegij, quo ſanctus, & qui in Domino moritur, illuſtratur, videlicet corpora eorum, & ſi reuera cadauera ſint, & cinerea iam contemplentur, corporis viui excellentiam, & efficaciam retinent in miraculis perpetrandis, & portentis, quæ paſſim experiuntur, qui fide ad ſepulchra eorum accedunt, deuota eorum oſſa tangunt, & oſculantur cineres, quemadmodũ Iotzelinus Morinen in vita S. Suuithuni: Vualdelbertus lib.11. hiſtoriæ Danicæ de S. Kanuto Danorum Rege; atque alij plures in

Sanctorum Chronologia referunt, cæcos vidiſſe, claudos ambulaſſe, elingues eructaſſe verbũ, paralyticos ambulaſſe, & pleroſque diuerſis morbis infeſtos pietate, qua Sãctorum reliquias proſequebantur, ſanitatem conſecutos, aliquando apparente in ſomnis ſanto, aliquando corporis eius partem cõplectendo, & nonnunquam oratione, ac voto religionis ſepulchro illius exhibitis. *Sap. 5.* Viuunt enim nomina eorum in ſæculum ſæculi, & habiti ſunt inter filios Dei, vt nihil ſit eis difficile obtinere deuotis, nec magnũ arbitretur Deus in corporibus, & reliquijs mortuis, eos per miracula honorare; cum & herbæ, & plantæ, piſces, & animalia, quando reputantur emortua, virtute ad diuerſos morbos polleant per artem medicam. At amico Regis, & quem Rex ſtatuit honorare, quis non maiora concedet? vel inuitus
Hæreſ. repr. Nahamam; ſeù vt apertè loquar. Eunomius hæreticus, Ioan. Vuicleff. atque alij, qui ſanctorum reliquijs detrahunt, nec volunt ho-
Venerandæ reliquiæ Sãctorum. norandas fore, compellentur ante eorũ cineres, & corpore genuflectere, ſi Dominus
Exod. 7. magnus voluerit, & ſtatuerit non per virgã
4. Reg. 2. neque per pallium, ſed per oſſa Sanctorum fortem, & zelotem ſe oſtendere, quoniã cu-
Pſal. 33. ſtodit Dominus oſſa eorum, vnum ex his nõ conteretur. Indè ſancitum à Bonifacio Pa-
Bonif. Papa V. pa V. reliquias Sanctorum à ſacris tantum perſonis Presbyteris, & Diaconis contra-
Conc. Bracharen. ctari, & in Concilio Bracharenſi 3. c. 5. ſub Papa Adeodato exportari à Leuitis in proceſſionibus, ſeu ab Epiſcopis pedeſtribus tantum, debereque eſſe in locis, vbi pſallen-
Cõc. Epaunen. di frequẽtia famulentur: Sanxit Epaunenſe c. 25. ſub Gelaſio Primo; & grauiter puniri
Martinus. eum, qui reliquias venundederit. Martinus habito Conc. c. 17. ſtatuit hæc omnia, & alia multa, quæ de reliquijs Sanctorum legimus ordinata. Hæreticos damnant, confirmant verò Catholicos, vt cum diſcipulis Ioannis ad memorias Sanctorũ, vt ad corpora viua accedant, quæ virtute ſæpius accedentes viuificent, & omni cum reuerentia tollant reliquias eorum, cũ illis Deus conceſſerit.

Et poſuerunt illud in monumento. Quod vel nouum, vel præclarum quidem tanto viro, Sebaſtæ, quam alij Samariam dicunt,
Hieronym. compoſuerunt, auctoribus Hieron. in epi-
Theod. taphio Paulæ, Theodoreto lib. 3. hiſt. Eccl. c.
Rufin. Ado. 6. Rufino lib. 2. cap. 28. Adone in Martyrolog. 4. Kalen. Septemb. nec non alijs, ac nefas ſit dubitare, quemadmodum Centuria-
Hæreſ. repr. tores lib. 1. c. 5. primæ centuriæ tentarunt, vt honore Ioannem priuent, quem tantã cum ſollicitudine, & reuerentia diſcipuli Macherunte Samariam vſq; aſportarunt ſepeliendum. Contra fallaces homines proveritate faciunt, quæ in Matth. ſcripſimus.

CAPVT XXX.

Et conuenientes Apoſtoli ad Ieſum, renunciauerunt ei omnia, quæ egerant, & docuerant.

OBiter hactenus pertractauit Euangeliſta Ioannis biſtoriã, redit iam quò diuerterat; videlicet ad Apoſtolos, qui miſſi fuerant, narratq. regreſſum eorum. Conuenientes itaque Apoſtoli ex diuerſis Galilææ partibus, & Iudææ, ad quas, mandante Chriſto, tranſierant, veniũt ad Ieſum, cuius legationẽ expleuerant, & nata dicendi opportunitate, renũciant ei omnia miracula, quæ egerant, & exponunt doctrinam, quam docuerant, nihil reticentes magiſtro, vt ab eo, vel corrigi, vel amplius edoceri mererentur, ſi in aliquo deuiaſſent. Hoc eſt enim diſcipuli optimi regula, quando in ſcientia profectum facere ſtatuit. Expoſitio.

Et conuenientes Apoſtoli ad Ieſum. Vt quos, & ipſi ſua prædicatione, & miraculis aduocarant, ad eundem pariter conuenirẽt, vt ad portum ſalutis, ad ciuitatem refugij, ad ſcalam cæli, ad oſtium Paradiſi, & ad ſecurum, & inexpugnabilem Aſylum omniũ
miſerorum. Ad quem Vates: Tu es Deus *Iſai. 45.*
abſconditus, Deus Iſrael, & Saluator. Ipſe *Dan 6.*
liberator, & ſaluator. Saluator noſter in *Ierem 14.*
tẽpore tribulationis, & liberator meus de *Pſal. 17.*
inimicis meis; ſi tamen ad eum conuenimus per fidem, vt in eũ credamus, quaſi iu auctorem, & conſummatorem; per charitatem, vt maneamus in eius dilectione: per ſpẽ, vt in
eo ſperet omnis cõgregatio populi; per imi- *Pſal. 61.*
tationem omniũ virtutũ, vt Chriſto in car-
ne paſſo eadẽ, & nos cogitatione armemur, *1. Pet. 4.*
& per ſacramentorũ obſeruantiã, vt abluamur, vt ſanctificemur, & vt veſtimentis di-
ſcoloribus, quæ ipſe condidit, nos ipſos in- *3. Reg. 8.*
duamus; ſic enim conuenit vniuerſus popu-
lus ad Salomonem verum, & fideles vnani- *3. Exod. 5.*
mes in atriũ templi cõgregantur, ponuntq. ſibimet caput vnum, quicumque ex ſemine Abraæ per lauacrum regenerationis, & renouationis ortum babent. Verum enimuerò, qui miſſi eſtis Epiſcopi, & prædicatores, vt omnes ad Chriſtum conuocetis, quaſi ad ducem milites, non vos prætereat ſedulitas Apoſtolorum, qui ſic minant greges ad Paſtorem Principem paſtorum, vt ipſi
primo ad eum conueniant: Videlicet, vt
de vita, & Religione ſua, iuxtà Concilij *Conc. Valentini.*
Valentini decretum cap. 15. ſedente Benedicto Tertio, & Imperatore Lothario, tàm
in conuerſatione ſua, quàm etiam in ha-
bitus, & vultus, ac ſermonis grauitate *Officium doctoris.*
talem ſe domi, foriſque, & ſuis, & extraneis exhibere ſe ſtudeant, vt maturitate morum, & repudiatione omnium leuitatum, ac vanitatum, omnibus ſibi adhærentibus,

bus, ſeque intuentibus, formam diſciplinæ, ac verecundiæ, ac modeſtiæ infundant. Placet decretum. Nam doctrina ſine vita arrogantem reddit, ſicut vita ſine doctrina inutilem facit (ait Aquiſgranenſe Concil. tempore Stephani V.) ſacerdotis prædicatio operibus confirmanda eſt, ita vt quod docet verbo, inſtruat exẽplo, vera eſt enim illa doctrina, quam viuendi ſequitur forma: Nam nihil turpius eſt, quàm ſi bonum, quod ſermone quiſque prædicat, explere opere negligat; & infrà. Sicut in numiſmate metallum, figura, & pondus inquiritur, ita in omni doctore Eccleſiaſtico, quid ſequatur, quid doceat, quomodo viuat; per qualitatem igitur metalli doctrina; per figuram ſimilitudo patrum; per pondus humilitas deſignatur; qui ergo ab his tribus diſcrepauerit, non metallum, ſed terra erit, ac præterea non conueniens ad Chriſtum, ſed diſcoueniens, quia quid terra ad cælum, & ad ſpiritum caro?

Cõc. Aquiſgranen.

Tria requiruntur in doctore.

Renuntiauerunt ei omnia. Hinc Baſilius in Regulis Monachorum; Benedictus in ſuis conſtitutionibus; & Seraphicus Doctor in forma nouitiorum docuerunt, nouos in Religione athletas nihil magiſtris abſcondere, ſed pandere omnia, quæ vel animo proponit, vel tractat opere, vt ſi bonum ſit ad perfectum magiſtri arte perueniat; ſi autem à Sathana ſit, prouideatur aſpidis veneno, quod blandè mordet, & ridendo interimit. In arte mæchanica ita à ſtudioſis videmus obſeruari; quorſum ergo in arte ſpirituali, quæ non deliniat tantum, ſed templum, & ciuitatem ædificat; quæ non in monte tabernaculum oſtendit; ſed intra cuiuſque animum intendit erigere, non obſeruatur? Si Baſaleel es, tua ex te ipſo facito cum Paulo, Onuſrio. & ſimilibus, ſi autem vnus ex populo, quod feceris, renuncia Moyſi, & ſacerdoti, qui legem habeat ex ore Dei, qui (vt inquit Gregor. lib. 2. paſtoral. cap. 4.) ſit rector diſcretus in ſilentio, humilis in verbo, ne aut tacenda proferat, aut proferenda reticeſcat; vel qui taliter erga diſciplinam ſubditorum ſe præſtet, vt (ſecundum Iſidor. lib. 3. de ſummo bono, cap. 42.) non ſolum auctoritate; verum etiam humiliter clareſcat, qualis frequenter reperiebatur olim in monaſterijs præfectus, nunc autem rarò, vt qui honorem non onus, & quæ ſua ſunt, non quæ Chriſti quærant. Verum defunctis hiſce patribus, aut deficientibus adeat confeſſorem, aut certè in oratione Chriſtum conueniat, eique omnia renunciet, & exoret cælitus illuſtrari.

Baſilius.
Bened.
Bonau.
Gregor.
Iſidor.
Phil. 2.

Quæ egerant, & docuerant. Quemadmodum Chriſtus cœpit facere, deinde docere; ita diſcipuli primo, quæ egerunt operibus, ſecundo, quæ prædicatione docuerunt, exponunt, ne videantur à magiſtri veſtigijs diſcedere, ſed perfectum egiſſe prædicatorem; & à regula prædicationis optimæ, non declinaſſe. Tunc autem (ſcribit Concil. Aquiſgranen. cap. 20.) prædicatio vtiliter profertur, quando efficaciter adimpletur. Vnuſquiſque doctor, & bonæ actionis, & bonæ prædicationis habere debet ſtudium. Nam alterum ſine altero non facit perfectum; ſed præcedat iuſtus benè agere, vt ſequenter poſſit benè docere, ſic enim ò prædicator vitta coccinea labia tua, & Seraphin volans duabus alis, vt requieſcas in opere tuo.

Act. 1.
Cõc. Aquiſgran.
Cant. 4.

CAPVT. XXXI.

Et ait illis venite ſeorſum in deſertum locum, & requieſcite puſillum. Erant enim qui veniebant, & redibant multi; & nec ſpatium manducandi habebant.

Expoſitio.

ACceptis benè, & præclarè geſtis, quæ Apoſtoli in legatione ſua præſtiterant, alloquitur eos placidè Chriſtus, & iubet eos venire ſecum ad remotum locum, à confluente populo, ſeorſum ab alijs, & deſertum, ne moleſtiam paterentur; ſed pauliſper requieſcerent à labore, quem in itinere ſuſceperant. Nam qui ad Chriſtum eo loci ex omnibus penè partibus regionis veniebant, vt vel agnoſcerent, vel audirent, vel mererentur tangere; haud pauca erant, ſimiliter, & qui abibant votorum compotes. Adeò vt curſus iſte frequens, & decurſus aduentantium, & diſcedentium grauabant Apoſtolos, vt neque cibum ſumendi locum illis concederent. Totus quippè mundus videbatur poſt Chriſtum ire.

Et ait illis. Poſt itineris, & prædicationis difficultates alloquitur eos; non tàm vt curam eorũ habere videatur, quàm vt ijs, qui laborant in Euangelio, miniſterium Chriſti, & mandatum implent, ſolamen ferat, & augeat ſpem audiendi eũ, & poſſidendi bona, quæ præparauit diligẽtibus ſe, vt eſſet acclamatio. Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora, quandoquidẽ aiet cuicumq; miniſtrorũ fidelium: Euge ſerue bone, & fidelis, quia in pauca fuiſti fidelis, ſuprà multa te conſtituã. Nam ſi canem poſt curſũ, & regreſſum à venatione, nec non accipitrem, & ſalconẽ, verbis blandiuntur Domini, quid faciet Chriſtus ijs, qui conditũ ex venatione cibũ, quo libenter veſcitur, ei offerunt, & propinant vinum? De rore cæli (dicet) & de pinguedine terrę ſit benedictio tua, eſto Dominus fratrũ tuorum: Nam qui benè præſunt presbyteri duplici honore digni ſunt, vt ſcilicet bona

Cant. 2.
Mat. 25.
Gen. 27.
1. Tim. 5.

terræ comedant, quaſi fructus agri culti expenſis proprijs, & cæleſtes gratias participent, velut ſtipendium operis; & ſecundo, vt primatum habeant inter homines, qui eos non excantationibus fabuloſis in Deos fictos transformant; ſed reuera per Euangelium Dei, quod prædicant, & poteſtatem, quam acceperũt, faciunt: Vt filij Dei nominemur, & ſimus. Grandis honor (ait Gregor. hom. 20. ſuper Euang.) ſed graue pondus iſtius eſt honoris.

1. Ioan 3. *Greg.*

Venite ſeorſum in deſertum locum. Vel venite vos ipſi priuatim, iuxtà græcum interpretem δεῦτε ὑμεῖς αὐτοὶ κατ' ἰδίαν In deſertum verò locũ eos vocat priuatim, quò alij non accedant. Nam ſicut ſtatus Epiſcoporum eſt priuatus, diſtinctus, & longo interuallo ab alijs ſeparatus; ita moribus ſanctitate, & cunctis ornamentis oportet ſuperiorẽ eſſe; & ſeorſum ab alijs fieri. Excutiatur igitur (ſecundũ Conſt. Apoſt. lib. 2. c. 3.) an in ijs, quæ ad vſus hominum, atq; vitam pertinent, omni vitio vacet, ſcilicet Epiſcopus. Scriptum eſt enim. Inſpicite an ſit macula, & vitium corporis in eo, qui eligitur ad ſacerdotium; ergo ſit etiam non iracundus, ait enim ſapientia. Iracundia etiam prudentes perdit. Sit deinde miſericors, nõ ſumptuoſus; ſit charitatis ſtudioſus; ait enim Dominus: In hoc cognoſcent omnes, quod mei eſtis diſcipuli, ſi diligitis inuicẽ; ſit promptus ad impartiendum; beneuolus viduis; hoſpitalis; promptus ad miniſtrandum; facilis ad ſubeundas vexationes; nihil habeat, in quo erubeſcat, non ignoret, quis tàm dignior ſit ſubleuatione: Denique vt cum Paulo concludam: Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, quia cælum, quo inferior mundi ſtructura regitur, & ſuſtentatur. Et porta Ieruſalem, quæ ea zaphiro, & ſmaragdo ædificatur. Zaphirus, qui colore ceruleo, & ſereno eſt, puritatẽ animi, & cæleſtem interiorem hominem ſignat: Smaragdus, qui imagines repreſentat, vt facilè in eo (vt Nero ſolebat) circumſtantiũ acta, & formas inſpicias, repreſentat virtutũ cumulum, & perfectiones, quarum exemplum introducitur, dum eligitur porta, per quam cæteri intrent ad Eccleſiam, & in eas fructus faciant, quibus ad illam, quæ ſurſũ eſt Ieruſalẽ aſſumantur. *Venite* ergo (ait Chriſtus) ad hæc vos, quibus datũ eſt noſſe myſterium regni Dei, & commiſſum. *Venite*, inquam, *ſeorſum* à communi vita, & victu, quæ in inferioribus reperitur; dico iterum; *venite ſeorſum* non ſolum ſtatui, vt eũ tantum reputemini eminentiorem, & celſiorem præ Regibus terræ; ſed priuatim iuxtà lectionem græcam, hoc eſt, ſingulis de ſtatu, vt quaſi *in deſertum* perfectionis acquirendæ locum tranſmiſſi, curet quiſque in cathedra honoris, quæ perfecti ſunt viri agere. Non enim vocauit nos Deus in immunditiam, ſed in ſanctificationem. Quare (inquit Iſidor. lib. 3. de ſum. bon. cap. 34.) non ſunt promouendi ad regimẽ Eccleſiæ, qui adhuc vitiis ſubiacent: Hinc eſt, quod præceptum eſt Dauid non ædificare viſibile templum, quia ſanguinum vir, belli frequentia eſſet.

Leu 2. *Officium, & virtus Epiſcopi.* *Ioan. 13.* *1. Tim. 3.* *Apoc. 21.* *Matt 13.* *Pſal. 88.* *Theſ 4.* *1. Par. 22.*

Et requieſcite puſillum. Ergo ne ad ſomnum vocat, & otium, qui ſæpius inculcat: Vigilate, quia neſcitis diem, neque horam? & excitat ad laborem, dum dies eſt, quia venit nox, in qua nemo poterit operari? Abſit; nihil cum otio Chriſto, cuius opus ſemper coram eo deteſtabilius, & non diligit ſomnum, qui per ſuos adhortatur, & reprehendit ſomnolentos, qui non poſſunt vna hora ſecum vigilare; eos verò, qui dormitauerunt tota nocte, & dormierunt, à nuptijs, & ſponſalitijs excludit, ac neſcit. Quomodo igitur vocaret ad ea, quæ deteſtatur? Vtcumque compatitur naturæ; eamque vult laſſam requieſcere, vigilijs attenuatam dormire, fractam exercitijs ſubleuari, & vt vires ad maiora aſſumat optimè prouideri, ac refici ſomno, & cibo. Nam & comedit ipſe, & dormiuit, & ſuis dixit: dormite iam, & requieſcite. Habetis hic aliquid, quod manducetis? quare niſi correxiſſet factũ, Ioannes ille, qui nudus abſq; cibo, & potu, ac peruigil vitam Angelicam profiteri ſe velle iactabat, & exercuit non ſine vtriuſque hominis moleſtia per paucos dies, in eum, vt in hæreticum, vel inſanum inueherem; nunc venerabor eius ſimplicitatem, quam ſimplicium amator vidit, & correxit. Verũ non ſimulabo eos, qui inedia ſe conſumant, & vigilia, ne dum faciẽ, ſed mẽtem tranſmutãt. Scio, quidẽ ſcio paucos reperiri ſimiles. Sat ſit offendi aliquos, qui per eum, qui ſe in Angelum lucis transfigurat illuſi, putent perfectionis ſemitam, atque ſummam conſequi, quod exempla legerint quorumdam, veneranda potius, quàm imitanda; vndè & qui diuinitus viam hanc arctiſſimam ſunt ſecuti, vt Franciſcus nocte ſurgit, & cum eſuriente manducat, & præcepit moderatos eſſe. Prætereo Pachomiũ, Hilarionem, atq; alios, qui diſcipulorũ infirmitati, & debilitati naturæ cõpatientes, videbãt eos requieſcerẽ puſillũ, nunc ad cibũ, nunc ad ſomnũ, & quãdoq; ad deambulationẽ, & sãcta corporis exercitia; vndè redibãt ad paleſtrã animatiores, velut equus poſt quietẽ, qui ad bellũ prouocatur Itaq; vt ad Apoſtolos redeã, docet per hæc eadẽ etiã (notat Victor Antiochenus in Marcum) in verbi miniſterio deſudantes, nonnunquam reſpirare, & interquieſcere, ſeſeque, & corpus ſuum ſuo tempore curare, & reficere debere; maximè verò poſt miniſterium abſolutum.

Matt. 25. *Ioan 9.* *Matt. 25.* *Matt. 28.* *Luc. 24.* *Hier in vit. Patrum.* *Victor Antioch.*

Erant qui veniebant, & redibant multi. Qui autem remanerent prætermittitur.

Nam

Nam qui remanent hi ſunt prædeſtinati.
Prędeſtinatorum verò numerus ignotus eſt,
neque prædeſtinatum nemo dignoſcit, niſi
quem Deus reuelationis priuilegio ſtatue-
rit honorare. Ordinariè nemo nouit, qui
Ioan.13. ſunt eius: Ego, inquit, ſcio quos elegerim.
Nam quid ſit bonum in oculis alterius, &
ad quem voluntas inclinetur, nemo nouit,
niſi ſpiritus eius; ita qui prædeſtinantur ſe-
cundum propoſitum voluntatis Dei, is ipſe
ſcit, qui ſeparauit filios Adam iuxtà ter-
Deut.32. minos populorum eius. Quare (inquit Sy-
Synod Trident. nodus Trid. ſeſſ.6.cap.9.) neque illud aſſe-
rendum eſt oportere eos, qui verè iuſtifi-
cati ſunt, abſque vlla dubitatione apud ſe-
metipſos ſtatuere ſe eſſe iuſtificatos, nemi-
nemque à peccatis abſolui, ac iuſtificari,
niſi eum, qui certo credat ſe abſolutum, &
iuſtificatũ eſſe, atq; hac ſola fide abſolutio-
nem, & iuſtificationẽ perfici, quaſi qui hoc
non credit de Dei promiſſis, deque mortis,
Iuſtificationis incertitudo. & reſurrectionis Chriſti efficacia dubitet.
Nam ſicut nemo pius de Dei miſericordia,
de Chriſti merito, deque ſacramentorum
virtute, & efficacia dubitare debet, ſic qui-
libet, dum ſeipſum, ſuamq. propriam infir-
mitatem, ac indiſpoſitionem reſpicit, de ſua
gratia formidare, ac timere poteſt, cum
nullus ſcire valeat certitudinẽ fidei, cui nõ
poteſt ſubeſſe falſum, ſe gratiam conſecu-
Hæreſ.repr. tum. Hæc ſunt contra Lutherum, & alios
quorum vires, & argutias ſæpè retundimus.
Porrò notato ſigna prædeſtinationis, &
certitudinis gratiæ eſſe, venire ad Chri-
ſtum. Hoc eſt perficere vniuerſa, quæ Chri-
ſtus præcepit. Signa autem reprobationis
eſſe, redire à Chriſto, hoc eſt ab vno quoque
mandatorum recedere. Vndè peccatorem,
quem malè agere apprehendimus, repro-
bum vocamus, operanti bonum damus ho-
norem prædeſtinati, & acclamamus ſan-
ctum ex ſignis ſolum. Certò autem cum
veniens poſſit abire, & qui ceciderat reſur-
gere, nemo prædeſtinatum abſolutè præ-
nunciet, neque damnatum. Ignoramus per-
ſeuerantiæ donum, & altitudinem iudicij
Dei incomprehenſibilis.

Et nec ſpatium manducandi habebant.
Quoniã venienti multitudini obſeruiebant,
& ſatisfacere non tàm ægris, qui optabant
Chriſtum tangere, quàm ſanis, qui ſaltem
eum videre properabant. Itaque dum alijs
officiant, ſibi officiunt, vt nequeant quiete
cibum capere; quæ res Apoſtolis laudem
conciliat, qui præ charitate non quærebant
quæ ſua ſunt, ſed aliorum; dumq; alijs pro-
uident, fameſcunt ipſi, velut nubes imbre,
rore, ac pluuia terram irrigant ſitientem, &
lætificant, ſeipſas attenuant, & diſſoluunt.
Iam enim diſcebant penuriam pati, & eſu-
rire, quoniam tales eſſe oportet duces, qui
caſtris Dei præficiuntur, & excubias habẽt
Eccl 34. propè tabernaculum. Nam qui non eſt ten-
tatus quid ſcit? Ergo glorianter dixit ille:
Et eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, & co- *1.Cor.4.*
laphis cedimur, & ſuſtinemus, blaſphema-
mur, & obſecramus. Nam patientia, quæ
opus perfectũ habet, charitati, quæ eſt vir-
tus Epiſcopalis, coniuncta eſt, quare vt gre-
gi prouideat ſolers Epiſcopus, nihilo du-
cit tempus manducandi ſibi deeſſe, neque
fameſcere vile reputat, ſed glorioſum.

CAPVT XXXII.

Et aſcendentes in nauim, abierunt in deſertum locum.

DVm omnem ſollicitudinẽ in Chriſtum *Expoſitio.*
proijciunt, curam, & protectionem
ſentiunt magiſtri, cuius imperio cũ ab im-
portuna multitudine ſe diſtraherent, & offi-
cio anxio miniſtrandi aduentantibus, vnà
cum magiſtro aſcendunt in nauim, abeuntq.
in deſertum Bethſaidæ, vt abundantius, quã
ſperabant prouiderentur ab eo, qui locu-
ples eſt in omnes, qui inuocant illum, & ijs,
qui in miniſterijs ſuis vigilant, opiperè lar-
gitur cibum in tempore.

Et aſcendentes in nauim. Chriſtus, inquã,
cum ſocijs Apoſtolis. Nauim autẽ perſæpè
Patres Eccleſiam interpretantur, quare li-
cebit dicere Eccleſiam, quandoque pro ſo-
lis Epiſcopis cũ ſuo vicario capite, Roma-
no, inquam, Pontifice accipi, vt ibi. Quod ſi *Matt.18.*
non audiuerit eos dic Eccleſiæ, ſi autem Ec-
cleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus,
& publicanus. Eſt enim (ait Franciſcus Tu- *Franc. Turrian. ex Cyprian.*
rianus ex Cyprian. lib. 4. epiſt. 9.) in Epiſco-
po Eccleſia, ſicut Epiſcopus in Eccleſia; im-
mò ſic loqui vulgo ſolemus, vt ſi Regem di-
camus bellum intuliſſe, ſubiectos Regi ſi-
mul intelligimus, quoniam, vt regi ſubiecti,
ſic Epiſcopo, & cœtui Epiſcoporum oues
parent, & paſtores, ſaltem voto ſequuntur,
& fide; minimè autem intra eorũ numerum,
neque de cœtu eorum dicuntur, quando in
Concilium, quod eſt propriè huiuſmodi Ec-
cleſia, & nauis cõgregantur patres, ſed quã-
do Eccleſia congregatio dicitur cunctorum
fidelium, & Arca Noe omnium viuentium,
quemadmodum ſcribit Iulius Primus apud *Iulius Primus.*
Iuonem lib. 1. Eccleſia nomen græcum eſt,
quod in latinis vertitur cõuocatio, propter
quod ad ſe omnes voce, Catholica, ideſt
vniuerſalis, ideò dicitur, quia per vniuerſũ
mundũ eſt conſtituta. Vel quoniã Catholi-
ca, hoc eſt, generalis in eadẽ doctrina eſt ad
inſtructionẽ. De hac omnis iuſtus poteſt di-
cere. Apud te laus mea in Eccleſia magna: *Pſal.21.*
Cõfitebor tibi in Eccleſia magna, in populo *Pſal 34.*
graui laudabo te. Typus huius eſt nauis, ad
quã alij à Chriſto, & Apoſtolis deſcẽderunt.

Abierunt in deſertum locum ſeorſum.
Per hoc (notat Victor Antiochen.) Chriſtus *Victor Antioch.*
Dominus Eccleſiæ Doctores, & paſtores

monet, ne externis turbis perpetuò ſe dedant; ſed priuatim ſæpè, ſecretoque agentes animum colligant, eundemque à publicis negotiis, & occupationibus, quantum res patitur, identidem ſeuocent, quia ſcribit Proſper de vita contempl. lib. 1. cap. 13. *Proſper.* ſiue ſecundum opinionem quorundam, nihil aliud ſit vita contemplatiua, quàm rerum latentium, futurarumque notitia, ſiue vacatio ab omnibus occupationibus mundi, ſiue diuinarum ſtudium litterarum, ſiue (quod his probatur eſſe perfectius) ipſa viſio Dei, **Vita contẽplatiua.** non video quid impedimenti ſanctis ſacerdotibus poſſit afferri, quominus ad hæc quatuor, quæ commemoraui, perueniant. Duo enim, primum, & vltimum, ideſt rerum latentium, futurorumque notitia, & ipſa viſio Dei, incomparabiliter præſtantiora erunt in illa vita beata, quàm in iſta diuerſis erroribus implicata. Duo autem media, vacationem, videlicet, ab omnibus occupationibus mundi, & diuinarum ſtudium litterarum, etiam hic poſſunt habere Pontifices. Sed illi, qui ſe ab omnibus implicamentis negotiorum ſæcularium remouentes, non torpent ocio, ſed inſiſtunt perfectionis ſuæ negotio, & ab ſtultitia ſapientiæ ſæcularis auerſi, verbo Deo infatigabiliter vacant; ſapientes veraciter ſunt, cæleſtia ſapiunt, terrena deſpiciunt, contradicentes ſanæ doctrinæ redarguunt, obedientes inſtruunt, & infrà. Proinde non inflantur, quia hic omnium fidelium catholicorum honorantur, vt capita; ſed lætantur potiuſquã ibi Chriſti, qui eſt ſacerdotum, ac fidelium omnium caput, clariora mẽbra ſunt futuri. Igitur ſacerdos, & Epiſcope abi in deſertum locum, & contemplationi vaca, vt habeas vndè poſtea tribuas abundantius, quàm putaras.

CAPVT XXXIII.

Et viderunt eos abeuntes, & cognouerunt multi, & pedeſtres de omnibus ciuitatibus concurrerunt illuc, & præuenerunt eos.

Expoſitio. Difficile eſt flammas amoris continere, quin ad amatum currant, & properent oppidatim ad magiſtrum, qui fontem ſapientiæ ſitiunt, ardentque deſiderio boni, in quo ſpem ſummam collocarunt. Itaque turbæ, & populi, qui in littore remanſerant ægrè ferentes abſcedere diuinum illud, & ſacrum collegium, diligentiſſimè obſeruabant, quò nauim impellerent, vt viderunt ergò eos abire ad alteram ſtagni ripam, & cognouerunt multi Betzaidam verſus proficiſci, nõ parcentes pedibus, neque totius corporis extenuati inædia, & labori, pedeſtres, vt venerant ex omnibus ciuitatibus circumuicinis, magno impetu illuc currunt velociter, adeò vt nauigantes Apoſtolos cum Magiſtro præuenerint.

Et viderunt eos abeuntes. Quomodo autem abeſt, qui cælum, & terram implet? aut *Ier. 23.* quomodo congregatam deſerit gentem, qui ait ego vobiſcum ſum? Sed neque Apo- *Matt. 28.* ſtolos quis credet abijſſe, cum dati ſint paſtores, qui paſcant ſcientia, & doctrina iugiter, eos, qui conueniunt, ac conſtituti ſuper muros Ieruſalem cuſtodes, vt clament tota die, ac nocte? Corpore quidem, vt ab illis, ita & à nobis abſunt; adſunt tamen ſpiritu, quo & officium explent, noſque in cælis apud Deum iuuant, & orationibus ſalutem noſtram operantur, & noſtra diligentius, quàm dum corpore nobiſcum eſſent, prouident. Nam mortuo Alexio audita eſt vox (ſcribit Simon Metaphraſtes) quærite virum Dei, & orabit pro Roma, & res *Simon Metaphraſt.* proſperè cedet: Vndè Germanus ad Caſſianum ſepultum dixit; quieſce per longum in Chriſto frater tempus, vt autem *Conſt. Presbyter in vita S. Gemiani. lib. 1. c. 8.* diuinæ tubæ cantum, & exoptatis clangoris ſonum, ac ſacræ reſurrectionis gaudia obtinere mereamur, & pro nobis, & pro hac plebe attentius intercede ad Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum; propterea abiens Pater Dominicus è terris ad cælum, ait (auctore fratre Theodorico de Apoldia lib. 5. *Fr Theodoric de Apoldia.* cap. 2.) Nolite flere chariſſimi, nec vos perturbet corporalis hic à vobis diſceſſus; in eo loco, ad quem nunc proficiſcor, vtilior vobis ero, quàm hic fuerim, vitaque functus plus aliquid vobis conferam, quàm hic à me expectare poſſetis. Itaque neque Chriſtus, neque Apoſtoli, neque Sanctorum aliquis è vita mortali diſcedit ad cælos, vt noſtri obliuiſcatur, vt Haggiomachi hæretici, **Hæreſ. confut.** ſectarij, & anteſignanus Lutherus defenderunt, haud ſecus quàm olim Euſtachius, & Vigilantius, qui ideò fruſtrà à nobis exorari Sanctos prædicabant. At (inquit Hieron. aduerſus Vigilantium) ſi Apoſtoli, & Martyres adhuc in corpore conſtituti poſſunt orare pro cæteris, quãdo pro ſe adhuc debent eſſe ſolliciti, quantò magis poſt coronas, victorias, & triumphos? Deo etenim omnes viuunt (ſcribit Greg. Nazianz. *Greg. Nazianz.* oratione de laudibus Athan) qui ſecundum Deum vixerunt, etiam ſi ex hac vita mi- *Ambroſ.* grarunt. Ama ergo (vt cum Amb. lib. de viduis concludamus contrà hæreticos, propinquitatem Petri, affinitatem Andrææ, vt pro te rogent, & recedant cupiditates tuæ verbo Dei pulſæ.

Et cognouerunt multi. Nota, tunc à nobis cognoſci Chriſtũ, & Sãctos abijſſe, quando, vel nobis concupita auferuntur, vel inſerũtur noxia ſenſibus. Tũ enim ſolemus clamare; Vt quid Domine receſſiſti longè, deſpi- *Pſal. 9.* cis in opportunitatibus in tribulatione? Domine non diſcedas à me, non derelin- *Pſal. 54.* quas me Domine Deus meus; quæ tunc

cum

eum fletu dictitanda cenſeo, quando auxi-
lio Dei ad bene agendum deſtitutos ob pec-
cata agnoſcimus, & prædominari nobis
malitiam experimur. Quoniam fit receſſus
à Deo cum irreparabili damno, quouſque
dignetur ad nos redire, & conuertere fa-
ciem ſuam, vt illuminemur, vt illuſtremur,
& vt ad eum iterum reuertamur.

*Et pedeſtres de omnibus Ciuitatibus
concurrerunt illuc*. Non nauigio, non
equis, non curribus, neque veſpilionibus,
aut portatoribus vecti ſunt deuoti homines
ad Chriſtũ; ſed pedeſtres concito greſſu ad
ad locum, vbi Chriſtus venturus erat, con-
currunt. Quorum virili, ac pio facto, in
primis damnantur, ſaltem incuſantur, vel ſi
mauis, reprehenduntur qui non tàm Romæ,
vbi hæc ſcribo, quàm in alijs vrbibus, ac
vicis, & pagis ad ſanctorũ ſtationes. Quid?
etiam, ad ſacrum, ſiuè audiendum, ſiuè fa-
ciendum, niſi curru ſolemni, ac penè trium-
phali verecundantur procedere. Quodque
duco peius, pigritiam, ſeu faullum arto-
gantem, quadam venuſtatis ſpecie, & ho-
neſtatis, necnõ pietate obuelare. Adeò vt &
aliqui obducti velamine, quod ego tantum
in ſexu fœmineo, & oculatis perſonis, non
tamen ad pia loca laudo, non verecunden-
tur curribus vti, quorum pattes, & inſtitu-
tores vix aſinis inſidere audebant. Secun-
Pelagiani reprobantur. do aduerte contra Pelagium quod etſi *pe-
deſtres*, hoc eſt naturali virtute ad locum,
quo Chriſtus venturus erat concurterint,
non tamen ad Chriſtum. Ad hunc enim non
venimus naturalibus noſtris, quæ pedeſtri-
bus notantur, ſed media gratia, quæ offer-
tur facientibus quod in ſe eſt, & datur,
quando Chriſtus ad eos exit, & vt ſol ra-
dijs ſuis illuſtrat, & virtutibus decorat. Hoc
tamen nolunt cognoſcere omnino (ſcribunt
Carthag. Conc. patres ex concilio Carthag. ad Innocen. 1.
ep. 90. apud Aug.) nec apertè quidã oppu-
gnare audent, ſcilicet pelagius, & Cæleſtius
epiſt. 157. ad optatũ apud eundem. Sed quid
aliud agunt cum hominibus animalibus
1. *Cor.* 2. non percipientibus, quæ ſunt ſpiritus Dei,
Neceſſitas gratiæ. perſuadere non ceſſant ad operandum, per-
ficiendamque iuſtitiam, & Dei mandata
complenda, ſolam ſibi humanam ſufficere
poſſe naturam, non attendẽtes quod ſcrip-
Rom. 8. tum eſt: Spiritus adiuuat infirmitatem no-
Rom 9. ſtram. Et non volentis, neque currentis
Rom 12. ſed miſerentis eſt Dei, & quod vnum cor-
pus ſimus in Chriſto Ieſu, ſinguli autem
alter alterius membra, habentes dona di-
uerſa ſecundum gratiam quæ data eſt no-
1. *Cor.* 15. bis, & gratia Dei ſum id, quod ſum, &
gratia eius in me vacua non fuit, ſed plus
omnibus illis laboraui, non ego autem, ſed
Ibidem. gratia Dei mecum. Et gratias Deo, qui
dedit nobis victoriam per Dominum no-
2. *Cor.* 3. ſtrum Ieſum Chriſtum. Et quia idonei non
ſumus aliquid cogitare, quaſi ex nobiſme-
tipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.
Placuit (ergo definit Synod. Affricana tem- *Conc. Affr.*
pore Bonifacij Primi) Vt quicumque di-
xerit, ideò nobis gratiam iuſtificationis da-
ri, vt quod facere per liberum arbitrium
facilius implere poſſimus per gratiam, tan-
quam etiam ſi gratia non daretur, non qui-
dem facilè, ſed tamen poſſimus, etiam ſine
illa implere diuina mandata: Anathema
ſit.

Et praeuenerunt eos. Tanta anxietate
præmebantur, ne aufugeret, aut abiret, aut
præuenirent. Id quod fidei argumentum
extitit, quare Chriſtus petendo ſolitudi- *Gloſſ.*
nem (ait gloſſ. Bedę) fidem turbarum an ſe- *Bed.*
quantur explorat & explorata digna mer-
cede remunerat. Turbæ autem non iumen-
tis, non vehiculis, ſed proprio labore pe-
dum iter deſerti arripiunt, & ſalutis deſi-
derium oſtendunt. Rurſus ipſe excipiendo
fatigatos, docendo inſcios; ſanando ægro-
tos, recreando ieiunos, quantum deuotio-
ne credentium delectetur, inſinuat. Ea au-
tem facit his, qui præueniunt; præuenit
verò, qui deteſtatur peccatum, cui dicitur.
Et ego conuertar: qui obſecrat, ad quem
Dominus: Ecce adſum. Et qui deſiderat, *Hier.* 3.
atq. diligit quod bonũ eſt, cuius aures non *Iſai.* 5.
ſolum percipiunt. Dabo tibi omne bonum, *Gen.* 45.
ſed ad eum veniemus, & manſionem apud *Ioann.* 14.
eum faciemus: quid? intrabo ad eum, & cœ- *Ap.* 3.
nabo cum eo, & ipſe mecum. Igitur mor-
tales, quid ſtatis pigri? Ad me clamat Rex *Iſai.* 21.
Seir: Cuſtos quid de nocte? Cuſtos qui de
nocte? Dixit cuſtos venit mane, & nox, ſi quę-
rite quęrite, conuertimini, venite. Nam hoc
eſt præuenire eum, qui factus eſt fortitudo *Iſai* 25.
pauperi, fortitudo egeno in tribulatione
ſua, ſpes à turbine, vmbraculũ ab eſtu his,
qui ſic eũ præueniunt; ſocordibus verò ait.
Ecce ego cibabo eos abſinthio, & potabo *Hier.* 23.
eos felle, quod vt vacent potibus, & ſenſus
oblectamentis omittunt Dominum leui
curſu præuenire. Amara erit ò homines *Iſai.* 24.
potio bibentibus eam.

CAPVT XXXIV.

Et exiens vidit turbam multam Ieſus, & miſertus eſt ſuper eos, quia erant ſicut oues non habentes paſtorem, & cœpit illos docere multa.

PRæuenerunt itaque locum, minimè au- Expoſitio.
tem ad Chriſtum venerunt, neque vi-
derunt quouſque pater miſericordiarum,
& Deus conſolationis ad eos exiret. Exiẽs
ergo ille, qui latere nequit, cum impleat
omnia, gubernet, & fulciat, vidit oculis ſuæ
pietatis immenſæ turbam non paruam, quæ
multas myrrihades virorum, mulierum, ac
paruulorum efficeret. Tantam ergo colle-
ctam

ctam videns multitudinem Ieſus, & Saluator, copioſiſſimas theſauri ſui miſericordias ſtatuit demonſtrare, vt agnoſceret quiſque, quantum miſertus ſit ſuper eos, quamprimum deuoti animi, ac fidelis affectum in tam præclaro cætu conſpexit. Præſertim miſericordiæ ſuæ pectus pulſauit, conſiderare eos quaſi diſperſas oues, à paſtore alienas, quæ in ſyluis non abſq. vitæ diſcrimine, graſſantibus eo loci lupis, & feris. Quare primam eorum curam egit, profereus ſe eis paſtorem, & quæ optimus, & ſolers paſtor ante omnia agit, meliora, inquam, pabula ouibus atteuuatis præbere. Ea autem cũ ſint animabus, quę per doctrinam accipimus cælicam, cœpit illos docere multa, quæ indigentiam omnem, & egeſtatem depellerent, & abundantius, quã peterent, nec poſſent exprimere, mentes ſingulorum impinguaret, & doctos, qui atteuderent, à ſe dimitteret, qui rudes acceſſerant, & ignari, vt impleretur in Iſrael 1

Iſai. 54. Vniuerſos filios tuos doctos à Domino, & & multitudinem pacis filijs ſuis, ſcilicet dabo.

Et exiens. Latebat cum Apoſtolis in deſerto loco ſeorſum, ideò exit, vt poſt orationis ſecretum, & locum contemplationis ſeorſum ab alijs exire doceat, & curam reaſſumere animarum, eaſque lacte quod ab vberibus vino melioribus ſuxit prædicator, & Epiſcopus tã abundè ſingulos repleat, vt non erubeſcat cum Paulo eructare.

Phil. 4. Non quaſi propter penuriã dico, ego enim didici, iu quibus ſum ſufficiens eſſe, dare, inquam ſingulis, velut terra germinibus, & mare tantæ piſcium multitudini, nec nou

Luc. 12. vt ſeruus fidelis, quem conſtituit Dominus ſuper familiam, vt det illis cibum in tempore; non eum, qui perit, qualem Ioſeph indigenis, & colonis diſtribuit; ſed quem ab ore Moyſi populus mane, & veſpere acceperat. Etiam multò excellentiorem ſermonem communicat, qui exit à Deo ad populum, & à contemplatione profunda exit ad mores hominum informandos, eoſque cæleſtes efficere, quam ille qui iuſſus de monte ad plebem deſcendere, tantum vel ad viudictam animauit, vel tautum bona terræ pro doctrinæ præmio pollicebatur obſeruatoribus. Exit enim modo noſter Apoſtolus portans euangelium æternum, quod nou ſolum prædicat auribus, ſed vt pulmentum ſapidiſſimum deuorandum of-

Deſibodus. fert tantum volumen. Sic Deſibodus Epiſcopus Hibernicus, vt ſcribit S. Hildegardis

S. Hildeg. Abbatiſſa. Abbatiſſa in vita eius, poſtquam in ſede propria pulſus fuit, exire ſolitus fuit ab eremo, ad eos, qui veuiebant. Et ita quoque

Greg. Nyſſ. exiens S. Greg. Thaumaturgus Epiſcopus Neocæſareæ, auctore Greg. Nyſſeno tam plures, & admirabiles fruges tulit. Ergo repleti contemplationis dulcedine, & ſapientia ſpiritus, quam largitur Deus familiaribus, exite, vt gregem Domini largiſſimè doceatis, quando potiſſimum exire compellimini. Nam vt Iſydor. lib. 3. de ſum. bon. cap. 33. intercipit ſathanas fraudibus eos, qui ſenſus, & vitæ vtilitate præſtantes præeſſe, & prodeſſe alijs nolunt. *Iſidrus.* Et dum regimen animarum eis imponitur renuunt conſultius arbitrantes ocioſam vitam degere, quàm lucris animarum inſiſtere; qui tamen decepti ſunt per argumentum diaboli fallentis eos per ſpeciem boni, vt dum illos à paſtorali officio retrahit ueququam proficiant, qui eorum verbis, atque exemplis inſtrui poterant. At vt vera loquar, pauci ſunt, qui exire ad hæc negligant, immò verò omnes currunt, vt video. Vtlnam beuè.

Vidit turbam multã Ieſus. Sequebatur quidè Chriſtũ ingens multitudo, (ait Victor Antioch.) cũ propter alia, tũ maximè propter ſigna, & pdigia, quæ faciebat, inter quos etiam non pauci ita, vt probabile ſit, comparati erant, vt vniuerſis, quæ in bonis habebant, relictis, ipſum quoquo verſum ſequi ex animo deſiderarent; quique iam ad hoc feriò ſe componebant. Atqui ideo *vidit*, hoc eſt, probauit greſſus eorum, & effectus, vt ibi: vidit Deus lucem quod eſſet bona, videte quod ego ſim ſolus, hoc eſt probate. Itaque vidit turbam hanc multam probans dilectionem ſuam, & quod eum quærant in veritate. Iu his enim, vt mater in filijs ſibi complacet, & portat more aquilæ pullos ſuos, & ſuper eos volitat, vt cibet, & ducatum excellentius multò quàm columna nubis Iſraelitis, aut fortis Dauid militibus præbeat. Neque enim de alijs, quàm de ſimili cætu propriè dicantur: Domiuus ſolus dux eius fuit. Dum quidem in miſericordia, quam cum in ſeipſo quiuis iuſtus experiatur, iugiter clamat: Miſericordia Domini adiuuabat me. Itaque ſanè (iuquit Ionas in vita ſancti Columbani) nõ prorſus obdormiet vnquam, qui ſub vmbra alarum ſuarum protegat Iſrael. Sic autem omuia omnibus largiendo, id inſiuuat, vt omnes illum pro eius muneribus collaudent. Inde Conc. Forojulienſe ſub Carolo, & Pipino dixit; quia nos ſua virtute creauit, regit, protegit, & defendit, brachium, vel dexteram habere perhibetur, & his ſimilia, quæ ducem, patrem, prouiſorem, & cunctorum largitorem, & patratorem declarent ijs, qui cognoſcunt, nec errant, ſed veniunt ad eum, & laudem dicuut.

Gen. 1. *Deut. 32.* *Deut. 32.* *Exod. 15.* *Pſal. 93.* *Ionas.* *Cõc. Forojul.*

Et miſertus eſt ſuper eos. Græcè eſt καὶ ἐσπλαγχνίσθη ἐπ᾽ αὐτοῖς & viſceribus commotus eſt ſuper eos, qua lectioue ad ſingularem Chriſti charitatem, cuius iutimus effectus eſt miſericordia, deuenimus. Subinde inſtruimur Dei miſericordiam, &

corum

eorum, qui ex charitate diligunt in penetralibus animi, vt aurum in antro terræ, primam habere ſedem. Vnde Paulus virtutem hanc ſuadere volens Philippenſibus, ait: Si quæ viſcera miſerationis, & Coloſſenſibus: Induite vos ſicut electi Dei, ſancti, & dilecti viſcera miſericordiæ, ac ſi diceret, veram induite miſericordiā, quæ eſt cordis ſanguis, quo homo interior viuificatur, & exterior operatur digna. Nam ſi ad tropos veniemus, miſericordiam ipſe contemplor vitam hyacintinam, quæ totum rationale ſtringit. Eſt autem rationale lex tota, quam in viſceribus dedit nobis Deus: retinet verò penes ſe, qui pollet miſericordia. Namque animā Deo adhærere facit & facit hominem primo vnitum, vt vix in aliquo, ſiue in proſperis, ſiue in aduerſis diſtinguat à ſe. Neque enim (ait Greg. Nazianz. or. 6.) nullus omnino cultus Deo perindè gratus eſt, vt miſericordia (quandoquidem nec aliud quicquam, eſt quod Deo magis conueniat, vtpotè quem miſericordia, & veritas præcedant, & cui miſericordia ante iudicium offerenda ſit) nec vlli alij rei potius, quàm benignitati benignitas ab eo rependitur, qui iuſtè remittitur atque in pondere, & menſura miſericordiā ponit. Quamobrem (dicebat Simeon Abbas in articulo mortis conſtitutus, auctore Leontio Epiſcopo Neapolis Cypri) rogo te fili, & frater Ioānes, omni, ſi fieri poteſt, ſtudio eſto miſericors: Miſericordia enim tunc nos iuuat pluſquam omnes virtutes. Dicit enim: Beatus qui intelligit ſuper egenum, & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Nota *miſertus eſt ſuper eos*, phraſim eſſe hebraicam, vt commota ſunt viſcera eius ſuper fratre ſuo, commota ſunt quippè, viſcera eius ſuper filio ſuo, pro compati ex animo, & ſtudio vehementi prouidendi egeno, & afflicto ſingula, quibus videtur carere, ac multo amplius.

Phil. 2. Coloſſ. 3. Miſericor. dia in egenos. Exod. 28. Greg. Naz. Pſal. 88. Leontius Epiſc. Neap Cypr. Pſal. 40. Gen. 43. Reg. 3.

Quia erant ſicut oues non habentes paſtorem. Tales enim erant illi (ſcribit Victor Anthioc.) eo quod nullum, qui vtilia, animæque ſalubria eos doceret, ad manum haberent. Nam ob hanc ſpiritualis annonæ penuriam Chriſtum Seruatorem præcipuè ſequebantur; ſiquidem vnum illum præ cæteris idoneum cenſebat, qui ad meliora, ſalutique viciniora ipſos adducere vellet, & poſſet; quoniam iſte eſt paſtor, qui reſiſtit vultui irato, reconcilians Deo hominem, & mundum ſibi, ac eos, qui de mundo non ſunt, ſed electi de mundo, ſicut paſtor gregem ſuum paſcit, & defendit vſq. ad mortem, vt in eo Abel paſtorem ouium primum contemplemur, qui frameam non timet, dummodo ab ore leonis animam perditi hominis retrahat. At phariſæi (inquit Theophylactus) cum eſſent peſtilētes, ac rapaces, non paſcebant populum, ſed deuorabant. Propterea relictis illis ad Chriſtum verum paſtorem turbæ congregantur, vnde & ipſe alimoniam eis ſuppeditat, & primum vtiliorem, & honeſtiorem, nempè verbum ſuum; deinde corporalem. Aduerte lector, *ſicut*, aduerbium, quod & ſi de paſtoribus Iſrael, qui gregem deſerunt verificarentur, quæ legimus apud Iſai. Ier. Ezech. ac tres minores prophetas Nahum, Sophoniam, & Zachariam; nunquam Deus ſic olim populum ſuum deſeruit, quin aliquos prædicantes, ac vera docentes haberent; paucos tamen ob peccata, ſicut in vinea poſt vindemiam botros, & ſpicas in agro poſt meſſem, & oliuam, ac pomum collectione frugum facta, licet reperire. Non ergo dicit, erant oues, non habentes paſtorem, ſed *ſicut* quod præ paucitate in tanta multitudine viderentur nulli.

Victor Ant. Verus paſtor Chriſtus. Ier. 49. 1. Cor. 5. Ioann. 15. Iſai. 40. Gen. 4. Zach. 13. Theoph.

Et cœpit illos docere multa. Miſeræ illorum ſortis miſertus (ait Victor Antiochenus) ſtudioque, & diligentia eorundem mirificè oblectatus myſticam cæleſtis doctrinæ menſam, immortaliumque eſcarum apparatum magnificum illis appoſuit, qualem autem non habemus ex Marco; Matthæus tamen proſequitur multis, nec quidem omnia papyrus caperet; veruntamen reduceamus ea ad duo, quibus omnis integratur iuſtitia, videlicet, declinare à malo, & facere bonum. Quorum alterutrum, ſi perſcrutatus fueris, inuenies, ò lector, multa, quæ fugias; vt ſerpentes, & vt theſauros incomparabiles ſequaris, dummodo noueris ſcripturam, & ſcias ea, quæ in ea proponuntur, digerere. Quare ait Clem. lib. 2. conſt. Apoſt. c. 5. meditetur de libris Domini, & ſtudeat eis, ſit multus in lectione vt ſcripturas accuratè interpretetur, Euangelium vt legi, & prophetis conſonet; legem, & prophetas, vt Euangelio, ait enim Dominus: Scrutamini ſcripturas, quia ipſæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me, & iterū: De me enim ſcripſit Moyſ. Ante omnia ſit Epiſcopus bonus diuiſor, qui legem, & deuteroſim diſtinguat, & demonſtret quid ſit lex fidelium, & quid vincula infidelium, ne quis ſub vinculis ruat: Habe igitur curam verbi, Epiſcope, vt poſſis omnia ſecundum verbum interpretari, ac multa doctrina populum tuum copioſè nutrias, & illuſtratione legis illumines, accendite enim vobis (ait Dominus) lumen cognitionis, dum tempus eſt. Hæc ille, quæ dato omni prædicatori.

Victor. Ant. Matth. 9. Clem. Ioann. 5. Ibid. Oſe. 10.

CAPVT

CAPVT XXXV.

Et cum iam hora multa fieret, acceſſerunt diſcipuli eius dicentes, deſertus eſt locus hic, et iam hora præterijt.

Expoſitio.

POſtulabat ratio magiſtri aliquod ſpecimen in diſcipulis reperiri. Quare vt magiſter, ſic diſcipuli miſerentur turbæ. Videntes enim properare ad veſperam, & turbam ieiunam, timuerunt, ne quid mali eis accideret. Subinde accedunt ad Chriſtum, rogantque tùm loci ſolitudini, tùm horæ intempeſtæ rationem habere, antequam maiori grauarentur fame, ne nimium attenuati, ac debiles impedirentur à ſuo itinere, ac reditu ad patriam.

Et cum hora multa fieret. Modus eſt hic peculiaris loquendi horæ Chriſti, ac ſuorũ, quo in horis aliorum repugnat vti: Siquidē hora peſſimorũ, in qua vel abũdant, vel imperãt, non fit, ſed facta tranſit, ſicut torrens, qui raptim tranſit, vt tempus, neq. inſtans inter eſſe, & non eſſe principem mundi huius, aut locupletem, cuius ſtatuam inſenſati adorant, intermediet. Adeò vt Pſaltes decantet: Vidi impium ſuperexaltatum, & eleuatum, ſicut cedros libani, & tranſiui & ecce non erat, quæſiui eum, & non eſt inuentus locus eius. Participant & huius horæ breuitatem vniuerſa corpora; quæ verè ſpiritualia ſunt, ſemper fiunt, vt illa, quæ habent æternitatem; fiat lux, fiat firmamentum, & fiat, ac *fieret hora*, nam menſura, & menſuratum homogenea ſunt, & rationē eamdem induunt, ſic itaque bonorum tempora, & ſpiritualium horæ fiunt, vt quaſi fierent, ſuum eſſe continuent.

Iniqui non habent horas. — *Pſal. 36.* — *Gen. 1.*

Acceſſerunt diſcipuli eius dicentes. Vide autem (notat Theophyl) diſcipulos, quomodo in miſericordia proficiant. Miſericordia enim moti erga turbas accedunt ad Chriſtum, & pro illis orant. Nam & hoc eſt officium diſcipulorum Chriſti, & ſacerdotum orare pro miſeris; vnde legimus: Inter tabernaculum templi, & altare, ſtabant ſacerdotes miniſtri Domini dicentes: Parce Domine, parce populo tuo. Sunt aduocati conſtituti à Rege pupillis, & viduis, atque egenis, vt eorum cauſam apud Iudicem agant; & firmamenti luminaria, vt eleuati per orationem ad cælum, non tàm vita reliquis luceant, quàm foueant patrocinijs apud Deum, à quo datum optimum, donumq perfectum emanat. Sacerdotibus enim (ait Proſper de vita contemplatiua lib. 2. cap. 2.) animarum curandarum ſolitudo commiſſa eſt, qui pondus populi ſibi commiſſi viriliter ſuſtinentes, pro peccatis omnium, velut pro ſuis infatigabiliter ſupplicant Deo; ac velut quidam Aaron incenſum contriti cordis, & humiliati ſpiritus offerentes, quo placatur Deus, auertunt iram futuræ animaduerſionis à populo, qui per Dei gratiã diuinæ voluntatis fiunt indices, Eccleſiarũ Chriſti poſt Apoſtolos fundatores, fidelis populi duces, veritatis aſſertores. Ipſi (proſequitur Conc. Pariſienſe lib. 3. cap. 9.) ſunt decus Eccleſiæ, in quibus amplius fulget Eccleſia; ipſi columnæ firmiſſimæ, quibus in Chriſto fundatis innititur omnis multitudo credentium; ipſi Ianuæ Ciuitatis æternæ, per quas omnes, qui credunt, ingrediuntur ad Chriſtum; ipſi Ianitores, quibus claues datæ ſunt Regni cælorum; ipſi etiam diſpenſatores Regiæ domus, quorum arbitrio in aula Regis æterni diuiduntur gradus, & officia ſingulorum.

Ioel. 1. — Sacerdotũ officium, & dignitas. — *Proſper.* — *Conc. Pariſ.*

Deſertus eſt locus hic. Quo non tàm Apoſtolos, quàm ſui ſequaces eſſe voluit, vt inter malè viuentes (ait Gloſſ. ex Hieronimo) mala non attendant, vt Loth in Sodomis, & Iob in terra Hus, & Abdias in domo Achab: Sed ſint ibi quaſi in deſerto ſeorſum, ſua agentes tantum, ſi quo modo placeant Deo, & benignum, atq. propitium faciant; qui ſic aget, quaſi in ſylua conſtitutus dicet Domino: Suſceptor meus es tu, & refugium meum. Deus meus ſperabo in eum: Quoniam ipſe liberauit me de laqueo venantium, & à verbo aſpero. Nonnumquam mala gentis perpendens vociferabitur: Qui regis Iſrael intẽde, qui deducis velut ouem Ioſeph: Deus quis ſimilis tibi? ne taceas, neque compeſcaris Deus: Quoniã ecce inimici tui ſonuerunt, & qui oderunt te extulerunt caput. Hæc, atque alia perorans, dies ſuos in pace aget alter Abraham inter Cananæos, & Ægyptios degens, & incendium Caldæorum effugiet, cui datum erit in medio flammarum cum filio hominis ambulare, & eſſe cum Chriſto inter peccatores. Quomodo autem fieri poſſit c. 6. ſeu canone 6. Synod. Conſtantinop. qui in 3. tom. conc. poſt acta Ioann. refertur, explicatur. In primis, inquit, Deum diligere ex toto corde, tota anima, tota virtute, denique proximũ, tanquam ſeipſum. Deinde non occidere, non adulterari, non facere furtum, non concupiſcere, non falſum teſtimonium dicere, honorare omnes homines. Et quod ſibi aliquis fieri non vult, alij ne faciat, abnegare ſemetipſum ſibi, vt ſequatur Chriſtum, corpus caſtigare, delitias ſpernere, iuſtitiam amplecti, ieiunium amare, pauperes recreare, nudum veſtire, & ſimilia, quæ ad pietatem ſpectant, ibidem relata. Animaduerte lector, pronomen, *hic*, emphaſim circumferre. *Hic*, ſcilicet, locus, etſi tantorum nunc præſentia videatur populatus, deſertus eſt ab omni alimonia victus, & veſtitus, quo gentem ſignificari arbitramur, quæ deſertum penes ſe coluit, nihil habens præter ſylueſtria,

Gen. 13. — *Iob 1.* — *3. Reg. 18.* — *Pſal. 90.* — *Pſal. 79.* — *Pſal. 82.* — *Synod. Conſtant. 6.*

quæ non rationali homini, ſed feris potius videntur inſeruire. Verum habitantur per Chriſtum, & ædificantur habitationes Regum, ac principum, vt non hic deſertus, ſed integra Ciuitas, & inſignis Iieruſalem polito lapide, & prætioſo compacta cernatur. Nam ipſa eſt Ciuitas, atque templum, quæ tempore Chriſti ædificanda fore, prædixere vates.

Et iam hora præterijt. Nobis quidem præterit hora, qui temporis inſtans nunc non valemus retinere; dicere enim poſſumus, nunc, idem verò nequimus conſeruare, quare nihil in noſtro tempore certius, Iob.7. quàm præterijſſe. Hinc ille: Dies mei velocius tranſierunt, quàm à texente tela ſucciditur, & conſumpti ſunt abſque vlla ſpe. Memento quia ventus eſt vita mea, & non reuertitur oculus meus, vt videat bona. Greg. Electi igitur (infert Greg. lib. 8. mor. cap. 7.) quia præſentis vitæ momenta decurrere ſub feſtinatione conſpiciunt, nequaquam in hoc tantæ nobilitatis itinere, cordis intentionem figunt. Reproborum mens erga dies vitæ præſentis tanto amore conſtringitur, vt ſic ſemper hic appetant viuere; quatenus ſi valeant viuendi curſum nunquam finire. Cogitare quippè ventura deſpiciunt, ſpem totam in rebus tranſeuntibus ponunt, habere nulla, niſi quæ prætereunt, concupiſcunt, pauló poſt iam ad iudicium trahuntur per ſententiam, & tamen adhuc habendis rebus inhærent per curam. Idcircò (ait in ſeq. cap 8.) mens reproba præſentis vitæ curſum æſtimare non ſufficit, quia admiratione illius ex amore ſuccumbit. Sancti verò, qui ad æterna cor eleuant, quàm breue ſit quod fine clauditur, penſant, & eorum ſenſibus viloſcit, quod præterit, quo intellectu radiante interlucet, quod acceptum nunquam recedit, cumque infinitatem perennitatis aſpiciunt, nequaquam iam pro magno deſiderant, quicquid finis anguſtiat.

CAPVT XXXVI.

Dimitte illos, vt euntes in proximas villas, & vicos, emant ſibi cibos, quos manducent.

Expoſitio. IGitur tùm loci ſolitudinem, tùm commeatus tenuitatem conſiderantes Apoſtoli, & multitudinem vtriuſque ſexus, & conditionis, quæ conuenerat, rogant eam dimitti, neque iam prolixiori ſermone detinere, vt euntes properè antequam pernoctaret dies, applicarent ad villas proximiores, ſeù vicos, vbi ſibi annonam emerent ad cibum, & valerent quiete hoſpitari.

Dimitte illos. Græcè legimus *ἀπόλυσον αὐτοὺς absolue eos*. Qua voce vtimur in dimiſſione peccatorum, vt ſub hac dimiſſione, quam Apoſtoli orant turbis fieri, intelligamus excellentiorem, quæ virtute clauium in foro pœnitentiæ confertur ligato; aut illam, quæ per auctoritatem iuriſdictionis ſpiritualem iudex Eccleſiaſticus exercet, abſoluens ab excommunicatione; aut aliam pœnam Eccleſiaſticã & cenſurã remittens. In quibus etſi verus miniſter cenſeatur ſacerdos proprius, & iudex competens 1. quæſt. 1. Sacerdotes. Si qui Epiſcopi. antè abſolutionem orare debet ſummum Hierarcham, vt abſoluat, & dimittat. Non quod à ſolo Chriſto ſit dimiſſio, vt nullo modo à Hæreſis reprobatur. ſacerdote, vt Lutherus dogmatizat perperam: Verè enim abſoluit ſacerdos, ſed vt agnoſcatur auctor plenior, de quo effectus ſit, & gratior videatur miniſter, cui tantum miniſterium commiſſum eſt; demumque abſoluti ſpes, & animus ad eum ſubleuetur, à quo meruit primo beneficium abſolutionis reportare. Inde factum, præmitti ſæpius in forma abſolutionis: Dominus noſter Ieſus Chriſtus; quibus exoratur, vt declaratur conſenſus. Nam tunc (ait Greg. Greg. hom. 20. in Euang.) vera eſt abſolutio præſidentis, cum interni ſequitur arbitrium iudicis, quod benè quatriduani mortui reſuſcitatio illa ſignificat, quæ videlicet demõſtrat, quia prius Dominus mortuum ſuſcitauit, & viuificauit dicens: *Lazare veni foras*, & poſtmodum is, qui viuens fuerat Ioann. 11. egreſſus, à diſcipulis eſt ſolutus, ſicut ſcriptum eſt: Ergo vt Chriſtus antequam Lazarum vocaret, orauit ad patrem, ità qui Chriſti agunt vices, exemplo Apoſtolorum ante abſolutionem, dum incipiunt audire peccata, obſecrent pœnitentes dimitti, hoc eſt infundi eis contritionem, & plenam diſpoſitionem, vt digni ſint abſolutione, quam nulli diſpoſito ſit dubium verè conſequi, quando claue non errante confertur. 11. quæſt. 2 tunc vera eſt. Plerumque.

Vt eũtes in proximas villas, & vicos. Vel, vt habet græca lectio in pergyrum agros, & vicos *εἰς τοὺς κύκλῳ ἀγροὺς καὶ κώμας*. Erant enim per agros diſperſæ villæ indigenum, atque vicus. Sed quod nõ recto tramite, ſed in gyrum eo properarent, ſubindicant nobis, quid accidat miſeris, quos Chriſtus à ſe dimittit, nec vltra ſub vmbra ſua protegit; videlicet, in gyrum, & in inconſtantiã abire, nullumq. iam talibus verum, ac permanens obuenire; quoniam impij in circuitu ambulant, Pſal 11. & velut nauis confracta poſt longam procellam, quæ ad voraginem feſtinans, poſt aliquot circulationes ſubmergitur. Etenim vagus, & profugus abijt primus ille, Gen 4. quem à facie ſua dimiſit Deus, & intentor Iob. 1. malorum, nonne continuo circuit terram? Abſit ergo quod ſic in gyrum dimitti

quemq.

quemquam peroremus, quin ad te Domine,
Pſal.140 Domine oculi mei, in te ſperaui, non au-
Pſal.142. feras animam meam, ſcilicet, à te. Expandi
manus meas ad te; anima mea ſicut terra
Pſal.143. ſine aqua tibi. Ergo qui das ſalutem regi-
bus, qui redemiſti Dauid ſeruum tuum de
gladio maligno eripe me. Hic enim gla-
dius intercipit omnem, qui à Domino
egreſſus, in gyrũ per agros egreditur, com-
moratur in villis delitioſis, & quærit in vi-
cis, & Ciuitatibus vanis vegnum cum Ar-
phaxat, aut ſimili, perenne ſtatuere, quorum
Aquigran. Conc. exempla Aquigranenſe Concilium, lib. 2.
congregat, vt oſtendat cunctis, quàm im-
pium ſit, & horrendum à Deo abſcedere,
aliquid in eum agere, & ſpem in his cadu-
cis totam collocare. Sed de his ſatis.

Vt emant ſibi cibos. Itaque diſcipuli,
quos iuſtus ipſe congregauit, iuſtitiam di-
ſtributiuam, quæ in æqualitate contractus
ſecundum proportionem arithmeticam
conſiſtit, ab his, quos orant dimitti volunt
Num.10. obſeruari, exemplo Moyſis, qui pecuniam
obtulit Moabitis, & Ammonitis pro alimo-
nijs, quæ tranſeundo per eorum confines,
accepiſſent. Immò verò proprium magi-
ſtrum æmulati ſunt, qui ex oblatis pecunijs
cibos non vltrò accipi, cum poſſet, vniuer-
ſorum conſtitutus Dominus; ſed emi ab
his, qui loculos ferebant, voluit. Vt in
primis Regum, & Principum tyrannidem
damnaret, qui memores iuris, quod Samuel
1.Reg.8. de Rege expoſuit populis, putant ſibi abſq.
pecunia, & exercitum ſuſtinere in bello,
& in caſtris alere militem ex ſudoribus in-
digenarum; dumque iter agunt, ſiuè quieſ-
cuant, expenſis pauperũ magnificeutiã Re-
giam extollere, & cõgregare theſauros co-
nantur. Secundo licentia, ſeu abuſus viatorũ
reprehenditur, qui in itinere nullis terræ
frugibus parcunt, ſed quaſi proprijs vtun-
tur. Propria iure gentium diſtincta ſunt.
Pecunia ergo qui abundas eme quod optas,
ne te vel furem, vel tyrannum velis dici,
qui pauper es lege naturæ vtere; caue
tamen ne paupertas, ſiuè coacta, ſiuè vo-
luntaria te licentiorem, vt pleroſque affi-
ciat, dum virtutem, & neceſſitatem in ui-
tium conuertis, & paupertatis retento no-
mine epulari ex alienis, & ex aliorum ſu-
doribus ſplendidè, ſupra ſtatum tuum veſti-
ri non erubeſcis quod vitium, proh dolor!
in innumeros penè ſerpit.

Quod manducent. Habet alia littera
quid manducent non habent: Hoc eſt, nihil
penitus in ipſis eſt, quo egeſtatem ſup-
pleant, ſicut enim græca lectio habet,
τί γὰρ φάγωσιν οὐκ ἔχουσιν. Vnde paupertatem
hominis colligimus, qui cum nihil habeat,
neceſſe eſt omnia mendicare. Agricolæ iu-
ſtis laboribus fruges ab agris mendicant;
mercatores negotiatione ab alijs victitant,
Reges, & Principes tributa mendicare
egent, Clerus autem omnis mendicatum
habet ab omnibus hominibus victum, &
veſtitum; quare ab agricola, vſque ad Re-
gem; & à Clero, vſque ad Hierarcham
dicat omnis, ſi ſe agnoſcit: Ego autem *Pſal.39.*
mendicus ſum, & pauper, Dominus ſolli-
citus eſt mei. Verum quantam noſtri ſoli-
citudinem habeant, ex his, quæ ſequuntur,
agnoſcamus.

CAPVT XXXVII.

Et reſpondens ait illis: Date illis vos
manducare, & dixerunt ei: Euntes
emamus ducentis denarijs pa-
nes, & dabimus illis
manducare.

QVaſi congratulans pietati, & miſeri- *Expoſitio.*
cordiæ, quæ in Apoſtolis lucere ſu-
per turbam cœperat, reſpondet Chriſtus,
& iubet, vt qui miſericordes animo erga
gentem illam ſe declararant, operibus ma-
nifeſtent, quantum egenis compatiantur;
dum inquit, *date illis vos manducare*. Nec
quidem ſemel radicati in charitate deſpon-
derunt animum, immò verò munificentio-
res actibus, quàm fecerant verbis ſe pro-
ferunt: Ergo reſpondent, vt iubes, ocius
properabimus ducentis denarijs, quos pe-
nes nos conſeruamus, panes emere, & em-
ptos in ſingulos diſtribuere, vt quis modi-
cum quid accipiat, recreatuſque, hilarior
ad propria reuertatur.

Et reſpondens ait illis. Vt ſcilicet ad
meliora prouocet ſtudia, non ſemel tan-
tum, ſed pluries reſpondit ſuis Deus, qua-
ſi ludi magiſter dictans, & ſuggerens, quæ
vel meditari, vel loqui, vel agere opor-
teat eum, quem ad ſe decreuit ducere, &
perficere in omni ſcientia, & eruditione, *Dan.1.*
qua nutriti in palatio Regio, ac cibo ſo-
lent præcellere. Non in Babilone, quæ ce-
cidit; ſed in Tabernaculo, quod poſt ca-
ſum erexit. In hoc ergo, qui habitauerit,
accipiet benedictionem à Domino, & mi- *Pſal.84.*
ſericordiam à Deo ſalutari ſuo, & audiet *Pſa.23.*
quid ei loquatur Dominus, & quid reſpon-
deat.

Date illis vos manducare. Quia (inquit
Gloſſ.) veſtrum eſt officium, vt qui diſpen-
ſatores miniſteriorum Dei, per quos inſtar
aquæductus commeatus cæleſtes, & gratiæ
ſpirituales communicantur cœteris. Apud
eos enim theſaurus Eccleſiæ reſeruatur, ac
templi ærarium ipſi habent. Propter quod
honorem ſupra reliquos iure accipiunt:
Nam (vt inquit Greg.) in diuinis eloquijs, *Greg.*
ſacerdotes aliquando Dij, aliquando An- *Exod.2.*
geli vocantur: Nam & per Moyſen de eo,
qui ad iuramentum deducendus eſt, dicitur:
Applica illum ad Deos; videlicet, ad ſa-
cerdotes

cerdotes

cerdotes. Et propheta ait: Labia ſacerdotis *Mal. 2.* cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt. Non ergo (proſequitur Nicolaus Papa epiſt. 1. ſcribens ad Michaelē Imperatorem) quales ſint ſacerdotes Dñi: Sed quid de Domino loquantur eſt vobis maximopere *Prælati non debent eſſe acceptatores perſonarum.* præuidendum. Nota diligenter quomodo non primis, neque vltimis, ſed omnibus iubet cibum dare, vt ſolicitudinem omnium Eccleſiarum gerere diſcerent, & æque omnibus prouidere, prout quiſq. egeret abſq. acceptione perſonarum, quod vitium, quàm alienū eſſe oporteat ab Epiſcopis, & ſacerdotibus animarum, habes apud Clem. lib. 2. conſt. Apoſt. cap. 5. Ne ſit, inquit, Epiſcopus acceptator perſonarum, neque pluſquã par eſt, diuitem reuereatur, aut ei blandiatur, neue pauperem deſpiciat, aut opprimat. Non enim, inquit, Dñs Moyſi, perſonam di- *Deut. 16.* uitis accipies, & pauperis non miſereberis *Exod. 23.* in iudicio: Quoniam Dñi eſt iudicium, & *Deut. 10.* iterum. Quod iuſtum eſt iuſte perſequeris, tàm in cōmutatiua, quàm in diſtributiua iuſtitia, quarum vtraq iuſtum reſpicit, & à iuſto nomen, & dignitatem ſibi vendicant, & miniſtrum extollunt. Itaque verbis his inſinuat Chriſtus diſpenſationis officiū, quod poſtmodum Apoſtolis commiſit, cum æquitate diſpenſandum fore. Quoque Dñs ten- *Theoph.* tans eos (notat Theophyl.) & probans, num ſuam agnoſcerent virtutem, quæ poſſit illos alere, ait: *Date illis vos* vt edant. Etiam prouocat eos ad fractiones panis ſecundū *Gloſſ.* Gloſſ. vt illis ſe non habere teſtantibus, magnitudo ſigni noteſceret. Et inſinuans, quod quotidie per eos ieiuna corda ſunt paſcenda, cum eorum exemplis, vel verbis ad amanda cæleſtia ſuſcitamur.

Et dixerunt ei. Optantes ſatisfacere mandato ſi facultas adeſſet. Mandantis præceptum abſque contradictione implere, nullo dato reſponſo ei, qui præeſt, etſi laudatiſſimum, & excellentius multò, quàm offerre holocauſtum, & victimam facere, non meretur vituperiū dicere ei, ac reſpondere Præſuli, qui ſupra vires, ac facultatem, aut alioqui arduum mandat; dommodo abſit à corde rebellio, & animus non præteruiat, vt ei, *Hier.* qui iuſſit filium in flumen deijci, vt refert Hier. & Abbati, qui Elſtanum monachū indixit, vt manum in lebetem bullientē mitteret. Hi etſi laudentur de prompta obedientia, quod nihil dicentes iuſſa feliciter compleuerint, non eſſent dandi vituperio, ſi *Luc. 1.* dixiſſent ei, qui mandabat, quomodo fiet illud? nam neque honori obedientiſſimæ Virginis huiuſmodi reſponſum aliquid detraxit.

Euntes emamus ducentis denarijs panes. *Gann.* Ducenti denarij (ait Gann.) valent viginti coronatos, ſiuè ſex obulos, denarij autem quatuor faciunt ſiclū, & 25. ſicli libram, 60 verò libræ talentum. Hæc fortè erat ſumma totius pecuniæ, quam in vſus ſuos, & pauperum Apoſtoli in loculis deferebant, adminiſtrata à viris fidelibus, & deuotis fœminis, quo iure vtuntur modo ſucceſſores, eiuſque præuidere tenentur, qui miniſterio *1. Reg. 8.* ſuo ſubſunt: Vt enim Samuel (ait Clem. lib. *Clem.* 2. conſtit. apoſt. cap. 34. in 1. de Regibus libro, de Rege alendo) ſanxit populo; & Moy- *Deut. 10.* ſes de ſacerdotibus in Leuitico; ſic nos vobis de Epiſcopis ſanctiſſimis. Nam ſi illic populus tāti Regis proportione facultatis, ea, quæ dicuntur ſeruitia, præſtabat, an non multo magis debet nunc Epiſcopus accipere à vobis quæ ſunt à Deo conſtitura ad alendum eum, & Cleros eius?

Et dabimus eis manducare. Denique data à fidelibus in ſuſtentationem Epiſcoporum, ac Cleri, quādo fames vrget, pauperes multiplicantur, & non eſt, qui egenis panem frangat, oportet Clericos bona in pauperes diſtribuere, & dare egenis manducare, vt pauperem Chriſtum, cuius miniſterium in ſuis pauperibus plus cœteris videantur honorare, & miniſterium ipſum, quod eſt, nihil ſibi ſuper terram apropriare. Extant de his canones 12. q. 1. nulli Epiſcoporum, res Eccleſiæ videntes, ex his 82. diſt. Epiſcopus 84. peruenit 86. fratrem, & 87. diſt. per totū.

CAPVT XXXVIII.

Et dicit eis, quot panes habetis? ite, & videte, & cum cognouiſſent dicunt: Quinque, & duos piſces.

EXploratis diſcipulorum animis, ſeù potius denudatis, ipſe ad miraculum *Expoſitio.* quod intendebat, ſeipſum diſponit. Iubet enim reuiſere panes, & eorum referre numerum. Id quod cum ſedulo præſtitiſſent, quinque panes ſe reperire, ac duos piſces, reſpondent.

Et dicit eis. Pater ille miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui, & tur- *2. Cor. 1.* bam famelicam propoſuerat nouo modo alere, & diſcipulos inſolita docendi arte erudire, dicendo eis, & interrogando multifariam, multiſque modis, vt proprijs reſponſis inſtruerentur in fide, & confirmarentur. Eadem arte quondam docuit Moy- *Gen. 4.* ſem. Quid habes in manu tua? Ieremiam *Ier. 1.* illuſtrauit; quid vides Ieremia? Atque alios perinde interrogans, dicenſque eis, plenè docuit.

Quot panes habetis? Itaque non pecuniam ſolum, ſed & panes ferebant. Ergo quando eos penè omni auxilio humano deſtitutos miſit, non generalē peregrinandi formã dedit, ſed pro illo tempore; propterea quæ ibidem ſubſcripſimus. Numerum petit panum, tùm quod apud eum omnia numerata

Sap. 11. ſunt, tùm quod in numero, pondere, & menſura, vt artifex ſupremus vniuerſa perficiat: Tùm quoq. vt & Apoſtoli, ac nos, noſtra non confusè, ſed cum numero habere, & temperatè ſingulis vti ſtudeamus, vt frugi homines, ac filij ſanctorum, qui regulam rationis in omnibus ſeruant.

Ite, & videte. Sciebat probè numerum, qui perſcrutatur, ne dum ab omnibus diſcreta; *Pſal. 7.* ſed corda, & renes, nihilominus præcipit numerũ panum diligenter inquiri, vt occupationem peſſimam, quam dedit Deus filijs hominum ob peccatũ, eundi, & videndi omnia, etiãſi poſſent poſſidendi, videretur permittere, neq. damnare curioſitatẽ perſcrutandi etiam inutilia; quæ etſi ignorare conducat, plerumq. ſcire noceat aliquando: Non tamen damnat ſemper curioſum, niſi in eius (qui numeratis bonis voluptuoſis, dixit: Anima mea mea habes multa bona, cõgregata in annos plurimos) ſtultitiã incideret. *Luc. 12.*

Et cum cognouiſſent, dicunt: Quinq. et duos piſces. Multa de his in commentarijs ſuper *Lib. 14 cap. 17.* Matt. deſcripſimus. Hic tantũ gloſsã proferã, quæ panes quinq. legis libros, duos verò piſces conſtituit prophetas, & Pſalmos. Ad hæc dicito per duos piſces ſignari donum pietatis, & ſapientiæ, quæ inter alia ſunt ſapidiora, vt inter virtutes charitas, & iuſtitia reliquis comparemus quinq. panes, vt enim panes, qui hordeacei erãt aſperiores, ita reliqui habitus virtutũ, & donorũ inſipidiores ſunt aliquantulũ, & difficiliores, adiunctis tamen pietate, & ſapientia ſingulis donis, charitate etiam, & iuſtitia in omni virtute præcedentibus, omnem earum actum facilè reddunt ſuauem, & amabilem guſtui.

CAPVT. XXXIX.

Et præcepit illis, vt accumbere facerent omnes ſecundum contubernia ſuper viride fœnum.

Expoſitio. POſtquam innotuit cunctis, neq. pecuniã, neque commeſtibile aliquod ſufficiens, iuxtà hominũ opinionem, adeſſe in caſtris, quo tàm innumera plebs reficeretur. Et cuncti confiterentur humano auxilio deſtitutos penitus, diuinum adeſt. Præcipit igitur denuo Apoſtolis parũ ad huc credulis, vt intermiſſis alijs attenderent multitudini, eamq. ordinatiſſimè cum omni honeſtate, & ſilentio facerent accumbere ſecundum contubernia, & ordines diſcretos, ne ſeipſos confunderent tùm in accipiendis, tùm in miniſtrandis cibis, ſed omnia, vt à Deo ſecundum debitum ordinem fierent.

Et præcepit illis vt accumbere facerent omnes. Nec ceſſarunt ab hoc officio Apoſtoli, quamdiu vixerunt, quin illud retinent ſucceſſores Epiſcopi, & ſacerdotes. Eſt enim accumbere, quieſcere. Atqui animi quietẽ cũ Deo habere, & in omnibus pacificũ eſſe, quis docet niſi diſcipulus Chriſti, & orator? Solicitudo Epiſcoporũ circa ſuas oues Omnia (dicebat ille Apoſtol⁹, & prædicator) autẽ facite ſine murmurationibus, & hæſitationibus, vt ſitis ſine querela, & ſimplices *Philip. 2.* filij Dei, ſine reprehenſione in medio nationis prauæ, & peruerſæ, inter quas lucetis, ſicut luminaria in mundo verbũ vitæ continẽtia. Hoc enim eſt quod velut ſanguis puriſſimus, & integer totum animal ſanũ conſeruat, vt nec diſſenteria, podagra, aut alio morbo inter ſe collidãt membra, ſed pacificentur mutuò, & conſeruationẽ totius quærant iugiter; ita verbũ, quod Deus non in ore Ieremiæ, aut Iſaiæ libris, vel Aaronis *Ier. 1.* eloquentia ponit; ſed in ſtultis ſæpè, quos *Iſai. 6* ad ſuum miniſteriũ elegit in dies cõmittit, *Exod. 4.* facit pacem ijs, qui propè, & his, qui longè. *Iſai. 57.* Huius ergo miniſtri dicuntur annũciatores *Eph. 6.* pacis, & calciati ad Euangelium pacis, quæ ſuperat eam, quæ ex ſenſu eſt in animalibus hominibus; ſiquidem ſpiritualis eſt è cælo deſcendens, & miſſa hominibus bonæ voluntatis, qui ad vocem turturis, hoc eſt, prædicatoris: Quieſcite; quieſcunt; deponite omnem iram, & dolũ, non conſentiunt, ſolẽ *Collo. 3* ſuper iracundias occidere; donate vobis in- *Eph. 4.* uicem, ſtatim orant, & benefaciunt his, qui ſe perſequuntur; ac demũ audientes à ſuo Epiſcopo, ſacerdote, & prædicatore: Accũbite omnes, eſtote humiles, honore inuicẽ præuenientes, nolite ſapere plus, quã oportet ſapere, *Rom. 12.* & diligite inuicem, & cum omni manſuetudine ſuſcipite inſitũ verbũ, illicò *Iacob. 1.* implere ſingula ſtudent. Itaq. præceptũ eſt Apoſtolis ſolicitudinẽ habere, quomodo accumbat omnis populus, & quieſcat in omni ſanctitate, & iuſtitia coram Deo quemadmodũ Hier. ſup. Tit. 1. & in epiſt. ad Oceanũ, *Hier. Clem.* ac diffuſſius multò Clem. in conſt. ap. lib. 2. per multa capita, & in epiſt. 1. quam ad Iacobum fratrem Domini ſcribit.

Secundum contubernia ſuper viride fœnum. Totius clauſulæ lectio iuxtà græcum ſic habet καὶ ἐπέταξεν αὐτοῖς ἀνακλῖναι πάντας Græca lectio συμπόσια. συμπόσια ἐπὶ τῷ χλωρῷ χόρτῳ, *Et adordinauit eis recumbere omnes conuiuia, conuiuia ſuper viridi fœno*, vltimam periodi Syriaca partem ſyriaca verſio transfert: *per ordines ſuper gramina.* Vulgata eſt via; *contubernio* nomine quod eſt verbum Caſtrenſe vt lib. 1. de re milit. Vegetius ſcribit, *Vegetius* ſignificans ſodalitatẽ quorumdam, necnon papilionem, quo obteguntur ſodales, qui & contubernales ab eodem, vel eiſdem contubernijs dictitantur; quare ſecundum contubernia diſcerni erat ſecundũ familias, & cognationes, aut certè amicitiã repartiri, ac ſi ſub vno papilione intrà vnum cõuiuium congregarentur, & ſic interordinari ſimul, vt cætus vnus non impediret alium, neque diſcurrentes inter eos, ſicque facilius ad ſingulos deuenirent partes.

Quid

Quid autem ſit ſuper fœnũ viride ſedere, ſumus in Matth. philoſophati, quibus hæc adde. Nomine fœni eum Aug. in Pſal. 71. gloriam muudi intelligi, nec non Iudęorum, tract. 24. in Ioann. & 83. q. 61. etiam ſecundũ Bern. hom. 1. ſuper Miſſus eſt: populũ ipſum Iudæorum intelligere poſſumus, vt placet Clem. Alex. 2. pædag. 10. *fœnum* ſunt diuites auari; quin etiam auctore Orig. in Pſal. 36. hom. 1. Hæretici, & quiq. peſſimi iuxtà Hilarium ſup. Matth. can. 2. Deniq. prauũ omne, quod vel peccatum mortis infert, vel ipſum veniale ſecundum Ambr. 1. Cor. 3. & Hier. ſup. Pſal. 128. ſuper vnumquodque horum accumbere iubetur turba, quæ diuinã expectat refectionem. Nam non ſolum Iudaiſmo, gentilitati, & hæreſi ſatis eſt valè dicere ei, qui dignè vult communieare, niſi omne peccati pondus abijeiat in confeſſione, & iugiter meditetur, quomodo rationi ac legi cõcupiſeentiã ſubdat. Hoc eſt enim initium viæ bonæ (ait oraeulũ) facere iuſtitiã, accepta eſt autem apud Deum magis, quàm immolare hoſtias. Iuſtitia verò, quæ omnis virtus eſt, malum omne deelinat, & ſtudet bonum facere, vt eum, qui bonus eſt, & Rex Regũ ad ſe, quaſi ad hoſpitiũ præparatũ, ac domũ Regiã, quã Salomon ſapiens fabrieat, iutromittat, intromiſſum oblectet, & ab eo benedictionẽ accipiat, vt alter Iacob. Igitur probet ſeipsũ homo, & ſic de pane illo edat.

Quid per fœnum intelligitur. — *Auguſt.* — *Bern.* — *Clem. Alex.* — *Orig.* — *Hilar.* — *Ambr.* — *Hier.* — *Prou. 16.* — *3. Reg. 7.* — *Reg. 23.* — *1. Cor. 11.*

Fœnũ quoq. interpretatur Arnob. ſup. Pſ. 71. Chriſtum. Hier ſup. Matth. 14. operũ fructum ſugit, & Hilar. ſup. Pſal. 146. Doctrinã ſimplieium. Tumque ſuper iſta accumbere, erit firmiter his hærere, neque vllo modo à nullo eorũ diſcedere. Siquidẽ Chriſtus fundamentũ eſt, ſuper quod ædificamus quæq. bona aurea & argẽtea, ac gẽmifera, quæ meriti rationẽ induũt. Fructus operũ sũt etiã ſuper quæ accumbit fidelis, & ſpem ſalutis ponit iugiter operaus, & nõ cõfidit in vana hæreticorũ fiducia, quoniã nouit quenquã iuxtà opera ad præmium, vel admittendũ, vel repellendũ: Eſt & doctrina ſimplieium, ne dum fœnum, & grameu, quod accumbentem ſuſtinet; ſed & Cathedra, quæ magiſtrũ efficit hominẽ, & digniſſimũ, qui miniſteriorum Dei, & delectabiliũ, quæ manus largiſſima eius diſtribuit, particeps fiat. Ergo fili mi inelina aurẽ tuã, & audi verba ſapientũ, appone eor ad doctrinã meã, ait ſapiẽs, quę pulchra erit tibi, eũ ſeruaueris eã in ventre tuo, & redũdabit iu labijs tuis, vt ſit iu Dño fiducia tua, vnde & oſtendi eam tibi hodie. Tandem nota aliter hoe, atque illud *fœnum* debere *viride* diei; illud cum in malũ accipiatur interpretabitur immaturum, & noxiũ, quod rationali homini faeile morbum generat. Hoc quia in bonũ dieetur iueundũ, quod exhilarat animũ, & eoronat athletas; viridem enim felieitatem, & quæ ad eam ſunt, facilè importat.

Ambr. — *Hier.* — *Hilar.* — *Prou. 22.*

CAPVT XL.

Et diſcubuerunt in partes per centenos, & quinquagenos.

VT Apoſtoli obtemperarunt Chriſto, & per Chriſtum turbæ Apoſtolorũ vocibus auditũ præbuerunt, omnibuſq. iu terrã ſuper fœnũ demiſſis, diſcubuerunt per totã illã deſerti plauitiẽ in partes varias, prout illis fuerat ordinatũ per centenos viros, & quinquagenos cũ vxoribus ſuis, ac paruulis, ac reliqua ſeruorum familia, quæ à Dominis non recedebat; nec enim ſolent hi niſi eum Dominis numerari. *Expoſitio.*

Et diſcubuerunt in partes. Grecæ notat Gann. *ἀνέπεσον πρασιαὶ, ἀνὰ ἑκατὸν καὶ ἀνὰ πεντήκοντα.* Ideſt, diſtribueruut per areolas, ſiuè vtità dicam, areolatim centeni, & quinquageni, ita vt aliæ areolæ eapereut centum, aliæ quinquaginta. *πρασιὰ*, autem ſignificat areolam, ſiuè viridarium. Pagninus vertit; & diſcubuerunt areæ, areæ per centũ, & per quinquaginta, vnde quia nomen areæ, ſiuè areolæ ſignifieari ſolet iuſtorum cumulus, & aceruus virtutum, necnon beatorum collectio. Areolæ aromatum, diuidi ſic in partes quaſi in Areas, ſeù Areolas, inſinuat ſtatus Eeeleſiæ militantis differentias, & ordiues varios triumphantis ſtatus, qui non tàm multitudine perſonarũ, quàm virtutum, & gratiarum pollent. Neque enim virtute vnica ſit homo iuſtus, neque beatus ſimiliter, neque vnus Eeeleſiam facit, ſeù conuentum; vt ergo ordo ſiuè in ſuprema Hierarchia, ſiuè in hae Eeeleſiaſtica Monarchia, multitudinem importat, ita virtutum multitudine, omnis, qui Deo acceptus eſt, conſtat. *Gann.* — *Pagn.*

Per centenos & quinquagenos. Hoc eſt (ſeeundũ Gloſſ. ord.) per quinquaginta Iubilæi dies; quiuquagenarius autem bis ductus centũ faejt, & ideò vtriuſq. quietis perfectionẽ ſignifieat, ſcilicet corporis, & animæ, qui enim quieſcit ab actibus prauis, requiẽ habet eorporis, qui autẽ à cogitationibus etiã peruerſis requiẽ habet mentis. Ideò ſubdit iufrà. *Alij quinquagenij, alij centeni*, quia requieſeitur à malo opere, vt poſt ſit requies etiam in mente. Poſſunt quoq. quinquaginta ſtatum notare viatorũ, qui & numero, ac merito, dũ viuunt, minores ſunt cæleſtibus, quia minor in regno cælorũ, maior eſt illo, ait Chriſtus, & Heliſęus ad Giezi Plures ſunt nobiſeũ, quã cum illis, hoc eſt cæleſtiũ, qui nos cuſtodiunt, plures auxiliãtur nobis, quàm terreſtrium hominum, qui cœterorũ partes valeaut tueri. Centenarios ad perfectiouẽ beatorũ referre poſſumus, ꝙ centuplũ accipiant. Quare ſic diuidi totam multitudinem paſceudam, indieabat tàm cæleſtem, quàm terreſtrem populum, qui eum ſequitur, ab eo paſci. *Luc. 9.* — *4. Reg. 6.*

CAPVT XLI.

Et acceptis quinque panibus, & duobus piſcibus, intuens in cælum, benedixit, & fregit panes, & dedit diſcipulis ſuis, vt ponerent ante eos, & duos piſces diuiſit omnibus.

Expoſitio. DIſpoſitis omnibus aggreditur Chriſtus miraculum. Accipit enim in ſanctas, ac venerabiles manus ſuas panes, ſimiliter piſces, & quaſi offerens Deo patri oblationem dignã ex locis, alioqui horrendis terra inuia, & inaquoſa, mariq. procelloſo gigantum ſede. Aſpicit in cælum patris ſedem, & vt acceptã nouit à Deo. Ipſe quoq. mediator perfectus benedixit benedictione ſpirituali, benedictoſq. integros quinque panes fregit in fruſtulos, quantũ turbis ſufficerẽt, deditq. diſcipulis, qui circumſtabant, vt diſtribuerent diſcumbentibus, & non tàm panes, quàm piſces ponerent ante eos, non vt modicũ quis quid acciperet, quàm vt abundanter, & opulẽter ex his, quæ apponebantur, comederent. Non enim vulgare conuiuium, ſed regum propoſuit Rex regum facere pauperibus, qui relictis omnibus adhærent ei.

Et acceptis quinque panibus, & duobus piſcibus. Vt qui ſuo tactu aquam Iordanis ſanctificauit, & manibus vniuerſa, quæ contractauit, meliora reſtituit, & eleuauit ad altiorẽ gradum, quàm prius, vt oculum ad viſum acutiorem, claudum ad curſum velociorem; leproſum ad nitidiorẽ carnis munditiam, necnon animũ eius, quem tacto ſanauit, multò præſtantiorem dedit, ità accipiens manibus panes, & piſces eiſdem contractans eleuauerat naturã materiæ, & contractam à ſua conditione ad paucos reficiẽdos, multiplicaretur pluribus, velut farina, vnde Helias comederet, & puluis quem Moyſes contractauerat. Itaque in manus accipit commeſtibilia, vt angumententur, & proficiant comedentibus. Sciantque omnes, quia manus ſua hæc fecit, quæ impleant omne animal, coruos ineſcent, & alant vniuerſa, non vigilia hominum, neque ars, aut naturæ ſolicitudo in multiplicatione eſcarum iuxtà diſtinctionem viuentium, quæ regionem elementarem perambulant. Vt ergo dicimus ei, manus tuæ Domine fecerunt me, & plaſmauerunt me; ita quoque confitentes eructamus, in manibus tuis tempora noſtra. nos & ſermones noſtri, & virtus, quem appetit homo.

Intuentes in cælum. Vt cum Lazarum ſuſcitauit, cum ſeipſum in ſacramẽto tranſubſtantiauit, & orauit: Pater clarifica filium tuum, quare opus magni myſterij, quale in cæteris factis obumbratur, præter illud vulgare, quo dicimus inſinuari à patre luminum pendere omnia. Aliud ab iſto contemplor; videlicet, introitum ad cælum facto præſenti inſinuari. Non ſolum quod Euchariſtiam, quam dicimus viaticum ad regnum, hoc conuiuio inſinuetur, verũ etiam quod Apoſtoli, qui electi erant miniſtri ad regnum tanto memores miraculo, fideliores, & feruentiores facti fuerint in miniſterijs exercendis; nec non turbæ appetentiores Regni cælorum, quin & fidelis omnis, quoties miraculum præſens ſpeculatur, ſuſpirat ad eum, qui creauit cælum, & terram, & optat tolli, eſſeque cum Chriſto, qui filios ſuos abſque eſurie eſſe facit, cibatque diuinitus, ſicut & Angelos Dei.

Benedixit. Ergo ne prius maledicti erant panes, ac piſces cum reliquis corporeis, quemadmodum Manichæi ſenſerunt? Abſit. Vidit enim Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona; & benedixit eis. Vnde Paulus: Omnis creatura Dei bona eſt, quæ inquã, in mundo eſt, per quam ad creatorẽ vnicum deuenimus; omnis enim creatura ad ſuum genus ab initio refigurabatur deſeruiens tuis præceptis, hoc eſt legibus, vt nec mare fines prætereat, neque elementa ſe conſumant, neque cælorum motus, & ſplendor aſtrorum ceſſet; ſed ſtatutùm, quod ab opifice acceperunt iugiter ſeruent integrum ſuo creatori. Nulla ergo creatura Dei, quod maledicta ſit, benedicitur; ſed vt noua benedictione nouos operetur effectus, vel contra hoſtem, qui maledictionem introducit, vel ad augmen, tum virium animi, quos adauget aqua, vel quippiam aliud benedictum à Chriſto, & ſuis miniſtris, dum ad intentionem benedicentis hiſce vtamur, quicquid blaſphement herætici.

Et fregit panes. Vt ab eodem principio ſciamus cuncta diſtingui, vt cælum non ſit terra, neque ſpecies æquetur ſpeciei, à quo eſſe habent. Nam qui dixit, fiat lux, diuiſit lucem à tenebris. Produxit enim res in eſſe, ait ſauctus Thom. 1. par. quæſt. 47. art. 1. *S. Thom.* propter bonitatem ſuam communicandam creaturis, & per eas repræſentandam. Et quando per vnam creaturam ſufficienter repræſentari nõ poteſt, produxit multas creaturas, & diuerſas, vt quod deeſt vni ad repræſentandam diuinam bonitatem, ſuppleatur ex alia. Nam bonitas, quæ in Deo eſt *Creatura repræſentat Deum.* ſimpliciter, & vniformiter, in creaturis eſt multipliciter, & diuiſim. Vnde perfectius participat diuinam bonitatem, & repræſentat eam totum vniuerſum, quàm alia quæcunque creatura. Abeat ergo Democritus, *Democr.* qui diſtinctionem à caſu ſtatuit, ceſſet loqui Anaxagoras *Anaxag.* qui materiam ſolã totius diſtinctionis cauſam conſtituit, cum ad alteriorem, vtpotè ad Deum, reduci opporteat omnis diſtinctio, quæ in mate-

rialibus

rialibus, & ſpiritualibus reperitur. Neque prima intelligentia, neque ſecunda, vt finxit Auicennas, diſtinctionem dat rebus, cum neque creator ſit earum. Ergo qui benedixit, fregit; vt ſciamus ab eodem omnia eſſe accipere, & diſtinctionem: Fractio enim diſtinctionem ſignificat, & benedictio creationem. *Auic.*

Et dedit diſcipulis ſuis. Fractos quidem panes, & multiplicatos, quandoquidem (inquit Victor Antiochenus) Deus op. max. manna Iſraelitas per deſertum pauerat, ipſique obijcere, quandoque auſi fuerant; numquid, & panem dare poterit? ſcilicet, ne ea in re Patre inferior videatur, panes hic in deſerto multiplicat. Interim ne Iudæis, qui varias calumniandi occaſiones aduerſus illum venabantur, iuſtam aliquam cauillandi anſam offerat; quaſi Deo ſe ſe exæquet, aut eidem quoque ſe præferat, prius ad cœlum ſpectat, quàm panes multiplicet, totumque quod fiebat, & futurum erat cæleſti Patri tribuit, dat verò diſcipulis, à quibus acceperat panes, vt nemo miraculum phantaſticum quid infamet, cum per tot, ac tales teſtes completum fuerit Porrò diſcipulis dat (proſequitur Theoph.) ne miraculum obliuiſcantur, qui ſuis manibus tenuiſſent panes. *Victor Ant.* *Theoph.*

Vt ponerent ante eos. Nam ideo electi ſunt, vt omnibus prædicent panẽ, qui Chriſtus eſt, vti Origen. hom. 4. in Pſal. 26. Arnob. ſup. Pſal. 164. Tertull. aduerſus Iudæos, atque alij explicant, dicente Chriſto: Ego ſum panis viuus, qui diuinitatem cum humanitate habeat, diſtinctis proprietatibus, vt Patres, Greg. ſcilicet 1. Reg. 2. & 23. mor. cap. 25. Clem. Alex. 1. pedag. 6. Orig. hom. 9. in Iſai. atque explicant Orthodoxi. Ponant quoque ante eos doctrinam ſacræ ſcripturæ, quæ eſt panis de cælo miſſus ſecundum Orig. hom. 13. & 16. in Leuit. hom. 9. in Exod. hom. 4. in Pſal. 36. & hom. 8. in Ier. Hieron. ſup. Iſa. 3. 21. & Ezecch. 16. Iſichium ſup. Leu. 7. 8. & penè omnes ſcripturam, & Euangelium panem, qui à prædicatoribus antè populos poni debeat, conſtitui. *Orig.* *Arnob.* *Tertull.* *Greg.* *Clem. Alex.* *Orig.* *Hieron.* *Iſichius.*

Notandum ſolis Apoſtolis panem impartiendum alijs, tribui, vt munus prædicationis ſacerdotum tantum eſſe aduertamus. Vnde Leo epiſt. 60. ad Maximum Antiochenum ſcripſit: Illud quoque dilectionem tuam conuenit prouocare, vt præter eos, qui ſunt Domini ſacerdotes, nullus ſibi ius docendi, & prædicandi audeat vendicare, ſiuè ſit ille monachus, ſiuè ſit laicus, qui alicuius ſcientiæ nomine glorietur. Quia, etſi optandum eſt, vt omnes Eccleſiæ filij, quæ recta, & ſana ſunt, ſapiant; non tamen permittendum eſt, vt quiſque extrà ſacerdotalem ordinem conſtitutus, gradum ſibi prædicatoris aſſumat, cum in Eccleſia Dei omnia ordinata eſſe conueniat; vt in vno Chriſti corpore, & excellentiora membra ſuum officium impleant, & inferiora, ſuperioribus non reſultent. Subinde nota, quoniam Apoſtolis primo datum eſt panes ſcripturæ proponere, ſenſum, qui ab ipſis, & ſequentibus patribus traditus eſt, attendere oportet, quemadmodum in 5. Synodo Conſtantinopolitana, collatione 8. habetur. Quare Meldenſe Conc. cap. 35. ſtatuit, vt quiſque Epiſcopus talem iuxtà ſe pro viribus habere decertet, qui iuxtà ſynceriſſimum, & puriſſimum ſenſum catholicorum patrum de fide, & obſeruatione mandatorum Dei, ſeù & prædicationis doctrina præsbyteros plebium aſſiduè inſtruat, & informet, ne domus Dei viui, quæ eſt Eccleſia, ſine lucerna verbi diuini remaneat; ſed & idem talis exiſtat, quem amor pecuniæ non vexet, aut reprobi mores, & conuerſatio reprehenſibilis periculosè denaſtet. *Leo.* *Synd. Conſt.* *Conc. Meld*

Et duos piſces diuiſit omnibus. Quid piſces ſignificet incertum eſt apud Doctores. Orig. ſup. Matt. 15. & Hilar. cau. 14. in Matt. affirmant eſſe ſermonem propheticum, & inardentem ſcripturarum locutionem, quæ more obſonij demulcet animos audiẽtium. Ambr. ſup. Luc. 9. de patre, & filio ſermonem facit. Secundum Aug. lib. 83. q. 61. & tract. 29. in Iohan, ſunt prophetæ, & Ioann. ſeu duo teſtamenta, duplexuè dignitas, Regia, & ſacerdotalis, quibus Chriſti ſolium decoratur. Cyrill. lib. 3. ſup. Ioann. 17. Chriſti prædicationem, quæ in Euangelio, & Apoſtolorum doctrina fulget, conſtituit. Ego, pace omnium, duplicem gratiam gratis datam, & iuſtificantẽ dicerem. Nam vtraq. prædicatorem optimũ cõſequitur, & auditorem vtraque illuſtrari contendit ſolers Apoſtolus, & Chriſti prædicator. Quocirca ait Clem. lib. 2. conſt. Ap. cap. 13. ad Epiſcopum, & prædicatorem populi, monet te ſcriptura diuina per ſapientem Salomonem, cum ait: Præpara in exitum tuum opera tua, & para te in agrum, ne quid honeſtæ actionis nobis deficiat; ſicut oleum beneficentiæ quinque Euangelij virginibus propter fatuitatem defecit, quæ propter extinctas lucernas cognitionis Dei, à ſponſo eiectæ ſunt, oleum autem præparationis prædicatorum eſt gratia iuſtificante pollere, & pro gratis data ſollicitum eſſe, vt fructus ferat. Aduerte autem non legi de piſcibus, quod dederit Apoſtolis; ſed quod diuiſerit omnibus. Nam gratiam quæ prædicatori, & auſcultanti dari ſolet, ſolus Chriſtus diuiſit, ſolus Chriſtus quibus vult vnà cum prædicatione communicat; habenti tamen, vel guſtanti panes, hoc eſt credenti in charitate, vel extrà: Nam & peccatores fideles quandoq. gratia gratis data illuſtrat. *Orig.* *Hilar.* *Ambr.* *Aug.* *Cyrill.* *Propria opinio.* *Clem.*

CAPVT XLII.

Et manducauerunt omnes, & ſaturati ſunt.

Expoſitio.

EN primum miracnli effectum, tantam multitudinem ex quinque panibus, & duobus piſcibus, ne dum manducare, ſed & ſaturari, ac ſi ad opulentum, & ſplendidum ſediſſet conuiuium. Et quidem præſens Regum omnium magnificentiam antecellit, conuinium pinguium, conuiuium medullatorum, quod non tàm viuis, quàm poſteris ſufficit, & ſuperabundat.

Et manducauerunt omnes. Quod collecti in vnum, etſi in areolas partiti vnam Eccleſiam, quæ ſub Chriſto eſt, & ab eius miniſtris diligentiſſimè regitur, & paſcitur ſalutari pabulo, figurabant: Quotquot enim in Eccleſia ſunt, & intra eius areolas, priuatos, inquam, ſtatus; niſi obicem ponant, manducant cibos Chriſti ſpirituales, quos per mioiſtros diſtribuit. Nam ſcriptum eſt: Butyrum, & mel manducabit omnis, qui relictus fuerit in medio terræ. Relinquitur autem illæſus à furore Regis Aſſyriorum, & poteſtate diaboli, qui in Eccleſia degit, quia extra Eccleſiam Catholicam, ait Synod. 4. Carthag. cap. 4. nulli eſt ſalus, vt ergo mare piſcibus viuis, terra germini viridi, & aer reſpirantibus alimenta videntur præſtare, & Chriſtus his, qui ſunt eius, cibum largiſſimum communicat, quo manducent optima terræ, & pinguiſſima.

Iſai 7.

Synodus Carthag.

1. Eſdr. 8. 9.

Et ſaturati ſunt. Non additur nimis, vt cũ de ſaturatis per Moyſis preces, dicitur: Manducauerunt, & ſaturati ſunt nimis. Quoniam illis ſaturitas, & commeſtio abundans attulit deſiderium inutile, vt malè loquerentur de Deo, nec non pinguedinem, & dilatationem, & craſſitiem, qua recalcitrar nt, & recederent à Deo ſalutari ſuo. At his nihil horum, ſed congratulationem, & laudem, & gratiarum actionem peperit ſaturitas. Qui enim dignè manducat panem, quem Chriſtus tranſmittit, ſaturatur quidem, quod nihil amplius deſideret; ſed non nimis: Quia tantum ad ſufficientiam recipit quæ ſibi apponuntur. Quia his, qui habitauerint coram Domino, erit negotiatio eius, vt manducent io ſaturitatem, & veſtiantur, vſque ad vetuſtatem. Negociatio Domini eſt prudentia, quæ modum ponit, eſt quæ peculiaris his, qui ſeruiunt Domino; iuxtà quam ſiuè ad materialem, ſiuè ad ſpiritualem accedant, adeò ſunt ſtudioſi, vt neque in conuiuio hominum à temperantia recedant, neque ad menſam Principis noſtri admiſſi, iudicium, vt plerique faciũt, incauti ſibi aſſumant, ſed ſaturantur cæleſti gratia interius, & fauores externos, quaſi veſtimentum vſque ad mortem, facillimè impetrent.

Pſal 77.

Vera ſaturitas.

Iſai. 23.

CAPVT XLIII.

Et ſuſtulerunt reliquias fragmentorũ duodecim cophinos plenos, & de piſcibus.

Expoſitio.

ECce aliud, ac multo excellentius opus, quod panes Chriſti manibus contracti perfecerunt. Poſtquam enim omnes manducarunt, & ſaturati ſunt, tantæ ex panibus, ac piſcibus ſup rfuere reliquiæ, vt implerẽt duodecim cophiuos, quorum fundũ integri panes, neque piſces valebant operire: Mirabilis tameo in cunctis operibus ſuis, vniuerſa ex modico implet.

Et ſuſtulerunt reliquias. Virtutis autem magnitudo indicatur (inquit Theoph.) quod non ſolum illi paſcuneur, ſed & multa relinquuntur reſidua. Moyſes enim quamuis manna dediſſet; tamen pro ſingulorum vſu dabat. Nam quod ſupererat, vermiculis ſcaturiebat. Helias quoq. viduã paſcens, ſuppeditat quantum ſatis erat. Ieſus autem, vt Dñs, etiam reſidua facit. Et hæc quidẽ iuxtà hiſtoriam. Verum inxtà Anagogen quinq. panes ſunt libri Moyſis, qui quinq. sũt, Gen. Exod. Leu. Num. & Deut. Duo autem piſces piſcatorum libri Apoſtolus, & Euangelium. Illis enim paſcũtur quinq. noſtri ſenſus, qui per quinq. millia ſignantur. Verũ non poſſunt omnia edere, ſed multa reſidua relinquunt, quæ Apoſtoli guſtare poſſunt, nam difficiliores ſenſus legis, & Euangeliorum nos quidem quinque ſenſibus ſeruientes non portamus, ſed Apoſtoli optimi.

Theoph.

Ego tamen aliter de reliquijs cenſeo. Et quidem ipſe altius iudicaſſet, ſi ſuper exceſſũ, non ſolũ ſuper dimidiũ, ſed ſupra millenariũ, vt ita loquar, tantiſper aduertiſſet. Id quod ego, tametſi rudis, conſiderans cogor dicere, quinq. paoibus intelligi Chriſtũ, quẽ ſub ſenſibilibus quinq. ſenſuũ obiectis Deus Hebreæ multitudini in deſerto, ac Paleſtina per Moy, & ſenſuos ſapientes, qui ſuper Cathedram eius ſederunt, cõmunicauit. Omnia ſenſibilia, quæ illis ordinabantur, in figuram Chriſti erant. Poſtquã ergo in legalibus profecerunt, & in obſeruãtia Symbolorum Chriſti ſaturati ſunt, & facti ſalui, ſuperſunt reliquiæ, hoc eſt notitiæ, & cognitiones de Chriſto multò in immenſũ plures, quàm ex ſymbolis Iudæa plebs colligebat. Atque ideò multiplicata ſunt, vt non vnus, aut alter propheta, doctor, ſcriba, & ſapiẽs ſufficiat eiuſmodi reliquias vnire, neq. portare, ſed opere prætium ſit aduocari duodecim, quibus tantũ officiũ cõmittatur. Dico duodecim, hoc eſt vniuerſitatẽ Angelorũ, & hominũ, qui Chriſto miniſtrant propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis, vt ſtudeãt tantam fragmentorum cõgeriem colligere, & congregent in animis ſuis, ac libris, portentque ea populo expectanti, quem elegit ſibi Dominus, nouumq. creauit.

Iuuant

Iunant ſententiam, qui relictas ſpicas Leu.19. doctrinam Chriſtianis relictam interpretantur, vt Iſychius ſup. Leuit. 19.23. qui reliquias ſanguinis hoſtiæ,Exod.24.Leuit.4. & alibi ad paſſionem Chriſti, & eius ſanguinem,quem in redemptionem multorum profudit, referunt, vt Rupertus ſupr. Leuit.cap.15. Lyran. ſup. Exod. cap.24. Ac denique Hieron. ſup.Leuit.2.reliquū de ſacrificio datum Aaron, altiorem cognitionem de myſterijs Chriſti, ac Dei datam ſacerdotibus contingit,opinionem commendat,& tacitè aſtruit vniuerſitatem fidelium, qui poſt ſynagogam ſub Chriſto ſunt,& qui genus electum,regale ſacerdotium,genſque ſancta eſſe meruerint,redemptionem abundātiorem ex ſanguine Chriſti habere,quàm priores; fidem dilucidiorem multo, & altiorem de ſingulis Dei,ac Chriſti myſterijs habere,quàm vnquam patres acceperint. Iam enim omnes cognoſcunt Dominum, & laus mea, inquit, vſque ad extremum terræ.

Iſychius. *Rupertus.* *Lyran.* *Hieron.*

Fragmentorū duodecim cophinos plenos. Itaque panes manibus, & fragmenta cophinis contrectantur. Quoniam meritum,quod in operibus manuum conſiſtit,tantum conceditur operanti, at præmium quod eſt vitæ bonæ reliquum largitur tantum capaci per contexturam prius factam,meritis tantum Chriſti,vt paruulo,qui accepto baptiſmo ſtatim decedit; nec non proprijs, vt adulto, qui per gratiam potuit multa operari. Hos ego dico cophinos,qui fragmentis implentur. Hoc eſt cæleſtibus præmijs, quæ non abs re fragmenta panum, laborum, inquam, Chriſti dici debent, quibus vniuerſitas ſalnandorum præmiatur, & impletur gaudio pleno,quod tolli non poteſt.

Et de piſcibus. Piſces quidem in obſonium ſunt potius, quàm cibū neceſſarium. Ergo ſuperflui; ſed quæ ſuperflua niſi vniuerſa temporaria, & corporea, quæ ad veram beatitudinem non faciunt. De his ergo, vt *de piſcibus*, in conuiuio fit aceruus reliquiarum,quoniam,& totius mundi viſibilis machina poſt hanc vitam iuſtis relinquetur,non iam habitandam,vt fingunt Iudæi, ſed vt quid ſuperfluum, nihilo,aut parum habendam ab ijs, qui ſunt ineſcati ſupernis,quæ ſatiant,& transformant.

CAPVT XLIV.

Erant autem,qui manducauerunt quinque millia virorum.

NVmerus quoque conuiuarum magnificat miraculum. Aderant enim manducantes ex quinque panibus quinque millia virorum,præter fœminas, paruulos, & ſeruos, qui inter viros liberos non ſolent in Scriptura recenſeri.

Erant autem, qui manducauerunt. De potu, & bibentibus nulla habetur mentio, nec quidem in conuiuijs ſymbolicis,ſeu(vt clarius loquar) in parabolis, quæ introducunt cœnam, prandium, & nuptias in hiſtoria Euangelica poculum propinari, cuiquā non video,ſed cibum integrum. At in conuiuijs,quæ nobis antiqua Scriptura proponit,legimus ebrietatis potius, quàm cibationis memoriam fieri; quod ego crediderim factum,vt quid inter ſpiritualia,& corporalia conuiuia intereſſet, nobis ex Scripturis conſtaret. Indeq; ad temperantiam, quam Euangelicæ commeſſationes præſeferunt,& ebrietatem, quæ in antiquis regnabat,fugeremus: Quoniam operarius ebrioſus non locupletabitur. Putredo, & vermis hæreditabunt illū; & extolletur in exemplū maius,& tolletur de numero eius;de numero,inquā, eorū, qui ſunt ſcripti in libro viuentiū. Nā qui inter magiſtratus ſæculares, vt infamis,locum non habet;quomodo igitur fiet vnus ex Principibus,& Regibus cæli? Væ qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam, & potandum vſque ad veſperā, vt vino æſtuatis. Propterea dilatauit infernus animam ſuam,& aperuit os ſuum abſq; vllo termino, & deſcendent fortes eius, & populus eius,& ſublimes, glorioſique eius ad eum. Magnum ergo malum (ait Decretum 8. Euſtachij Papæ) vndè omnia vitia pullulāt; Chriſtianis modis omnibus cauere præcipimus; qui autem hoc vitare noluerit,excommunicandum eſſe decernimus, vſque ad congruam emendationem. Præſertim obſeruandum eſt nobis, ſcilicet, ſacerdotibus (ſubditur in Can.10.) vt & vos ab ebrietate abſtineatis, & vt plebes ſubditæ abſtineant,prædicetis. Et neque per tabernas eatis bibendo, aut comedendo, neque domos,aut vicos curioſitate qualibet peragretis; neque cum fœminis, aut cum quibuſlibet perſonis impuris conuiuia exerceatis,niſi fortè pater familias quilibet vos inuitauerit ad domum ſuam, & cum coniuge ſua,& cum plebe velit vobiſcum ſpirituali gaudio lætari, & verborum veſtrorum refectionem accipere,& vobis refectionem carnalem charitatis officio exhibere;oportet enim,vt ſi quando quilibet fidelium carnalibus vos reficit epulis, ſpiritualibus reficiatur à vobis. Etenim ſic mandauerunt, qui præſenti conuiuio interfuerunt.

Eccl 19. Fugienda ebrietas. *Iſai. 5.* *Can.10.*

Quinque millia virorum. Quoniam non vnus,aut alter, ſed millia millium miniſtrant ei, & decies centena millia aſſiſtūt ei. Ideò millia comederunt panem, quem Dominus benedixit, ac fregit. Ergo cur non hic manducauerunt,vel centum millia, vel decies centena millia, ſed quinque millia? Quoniam centenarius numerus beatis hominibus, decies centenus Angelis reſeruatur

uatur, quinq; autẽ de viatoribus interpretatur, quorũ aliqui inter quinq; prudentes virgines, & alij inter ſapientes connumerantur, eorumque bona figurantur quinque talentis, aut minus; decem autem nunquam. Ergo quia viatoribus datum eſt conuiuiũ, ſignans, quod vſque in ſæculũ colonis largitur, quinque millia dicuntur ex eo manducaſſe, non centum millia, aut decem, vel decies centena millia, nam eiuſmodi exercitus in montibus cæli pinguiſſimis ſatiatur. Nota ex Lactantio 4. lib. de vera ſapientia, huius conuiuij Sybillas meminiſſe.

Lactant.

CAPVT XLV.

Et ſtatim coegit diſcipulos ſuos aſcendere nauim, & præcedere eum transfretum ad Bethſaidam, dum ipſe dimitteret populum.

Expoſitio.

QVoniam tanto vulgato miraculo, vt Ioannes ſcribit, venturi erant, vt facerent eum Regem, & Meſſiam deſideratum extollerent. Statim nulla protracta mora coegit reſedere diſcipulos ſuos à loco, & multitudine populi, & aſcendere nauim, abſque ſportis fragmentorum, quæ collegerant, ac ſedulò præcedere cũ nauigio transfretum, quo ipſe venturus ad Bethſaidam verſus, quamprimum ipſe dimiſiſſet conſolatum populum, qui poſt refectionem admirabilem, ſitiebat verbum eius audire, & auſcultare loquentem vitæ ſermonem.

Theoph.

Et ſtatim coegit diſcipulos ſuos aſcendere nauim. Nolebant enim auelli ab eo (ait Theophyl.) ſed vi ſeparabantur, partim propter amorẽ erga illum, partim quod dubitabant, quonã modo ad ipſos rediret, cũ abeſſet nauis. Hoc tamen incredulitatem ſaperet in Apoſtolis, illud verò charitatem in magiſtrum. Et quidem vtranque in eis extitiſſe facilè ex hiſtoria Euangelica colligimus. Neque enim credebant in eum fratres eius, legimus vno in loco, & in alio, Pater meus amat vos, quia vos me amaſtis; vndè dixerunt; Quò ibimus, quia verba vitæ habes.

Et præcedere eum transfretũ ad Bethſaidam. Quæ erat vrbs natalis Andrææ, & Philippi in fine lacus Genezar ſita verſus Septemptrionem, in cuius ſede à Philippo Herodis fratre ædificata eſt Iulias in deſerto Aulonis iuxtà Magdalon, à quo dicta eſt Magdalena. (Hæc Ioannes Benedictus) Eſt nomen Hebræum ביתצידה betzaidach, quod interpretatur domus frugum, vel cibariorum, inſidiantium, ſeu venatorum, verbum enim צוד ſignificat proprius inſidiari, & deſolari, & per tranſlationem ad fruges, & cibaria accommodatur. Ergo quod poſt conuiuium in deſerto adminiſtratum compellantur Apoſtoli ad Bethſaidam, ideſt domum frugum, ire, innuit eos, ac reliquos, qui rectè, & fideliter adminiſtrauerint diſpenſationem ſacramentorum Dei, habere præmium, domum redundantem cunctis frugibus, recipiendoſque transfretum mundi huius, hoc eſt in cælo. Hinc ille: Bonum certamen certaui, curſum conſummaui; de reliquo repoſita eſt mihi corona Iuſtitiæ, quã reddet mihi Dominus in illa Die iuſtus Iudex, non ſolum autem mihi, ſed & his, qui diligunt aduentum eius.

Ioannes Benedict.

Miniſtrorũ Eccleſiæ præmium.

2. ad Tim. 4.

Dum ipſe dimitteret populum. Iam hac oratione ſignificabatur (notat Arias Mont.) ipſum ſequuturum eos eſſe: quod ſi nullæ naues aliæ erant, intelligere oportebat illum per aquas traiecturum; neque hoc difficilius, aut magis mirum videri debuit illis, quàm illud, quod nuperrimè de panibus viderant. Remanet autem ipſe dimittens populum, ædificatum quidem operibus, nec non verbis. Vtrunque enim optimo paſtori neceſſarium eſt, & in ambobus populum excellere. Vt longè altius excellat vita paſtoris (ait Conc. Foroiulienſe cap. 11.) comparata vitæ ſubditi gregis, nam Prælatis ſingulariter boni paſtoris voce dicitur: Vos eſtis lux mundi. Et rurſus; Vos eſtis ſal terræ, & iterum luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum, qui in cælis eſt. Hinc etenim colligi poteſt, in quantum diſtare debet paſtor à grege, dum iſtos homines, & illos pluſquam homines, ideſt lucem hominum; Dominus voluit appellari. Si ergo lux mundi ſumus, lucere vtique abſque, nebuloſa hypocriſis admixtione debemus, & ſi ſal terræ ſumus, condire nihilominus terrenas mentes ſapientiæ ſapore per verbum prædicationis debemus; lucere ergo operum luce, & ſale doctrinæ, iuxtà Patrum doctrinam, neceſſe eſt, & excellere præſulem, vt venientem ad ſe populum, ſeu ſuſceptum mittat ædificatum in Domino.

Arias Montanus.

Præeminere debent virtutum perfectione Prælati.

Conc. Foroiulien.

Matt. 5.

CAPVT XLVI.

Et cum dimiſiſſet eos, abijt in montem orare.

Expoſitio.

ITaque Chriſti noſtri ſtudium erat, nunc populis inſeruire, & nunc Deo vacare. Nunquam ab his ceſſabat, ſed iugiter gentes à ſe lætas tranſmittere curabat, & ad Deũ per orationem leuari. Vndè poſtquam dimiſit eos, qui ex ciuitatibus, & locis circumuicinis ad eum confluerant, abiſt ſolus in montẽ ſolitariũ, qui deſerto erat primus, vt pernoctaret ibi in oratione Dei, cuius opus non vulgare paulò ante perfecerat.

Et cũ dimiſiſſet eos. Corpore tantũ, nõ ſpiritu,

ritu, neque enim ſpiritu dimittit, neq; vult dimitti. Dixit enim: Vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi. Manete in me, & ego in vobis. Manete, inquam, in dilectione mea, ſicut & ego ſum in patre, & maneo in eius dilectione; nam ſicut palmes non poteſt habere vitam in ſemetipſo, niſi manſerit in vite, ita & vos, niſi in me manſeritis. Vnimur autem, & manemus cum Chriſto, quando catenulis aureis rationale, & ſuperhumerale colligantur: quando, inquam, continuis amoris exercitijs Chriſtū, qui rationale noſtrum eſt, quærimus, vt ille continuis nos beneficijs foueat, recreet, ac perficiat, quia charitas Dei eſt, & qui manet in exercitijs charitatis in Deo manet. Charitatem ergo qui habet (ait Conc. Moguntinum cap. 3.) omnia bona habet, quam ideó commemorauimus, quia volumus, vt ab omnibus æquè Catholicis conſeruetur. Auguſt. quoque in ſermone de laude charitatis dicit. Si ergo non vacat omnes paginas perſcrutari, omnium Scripturarum ſecreta penetrare, tene charitatem vbi pendent omnia; ibi tenebis, quod ibi didiciſti. Ille itaque tenet, & quod patet, & quod latet in diuinis ſermonibus, qui charitatem tenet in moribus, quoniam Deum, qui eſt omnia in omnibus, tenet, & firmiter poſſidet, nec dimittit, neque dimittitur.

Christus ſemper præſens ſpiritu Eccleſiæ rectoribus. *Matt. 28.* *Ioan. 15.*

Charitate Deo iungimur.

Conc. Mogunt.

Auguſt.

Abijt in montem orare. Quiete enim, & tranquillitate opus habēt preces (ait Theophyl. & gloſ. Bedæ) orat Dominus non pro ſe, ſed pro me. Nam etſi omnia poſuerit pater in manu filij, filius tamen in forma hominis implorat, & obſecrat patrem pro nobis, qui aduocatus eſt nobis. Vndè: Aduocatū habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum; ſi aduocatus eſt debet pro noſtris intercedere peccatis. Non ergo quaſi infirmus obſecrat, ſed quaſi pius impetrat; omnia, quæ vult, poteſt, qui aduocatus; & iudex noſter eſt; alterū pietatis officium, alterum poteſtatis inſigne. Per hoc (ſubdit Lyra) oſtēdens, quod prædicator Verbi diuini, debet poſt ſermonē ſuū ad Deum in oratione redire, vt quicquid boni ibi fecerit, gloriæ Dei aſcribatur. Etiā docet prædicatorē, & præſulē adiuuare populū precibus, quem verbis erudiuit, & hoſpitalitate recreauit, vt inquit Greg. lib. 1. paſtor. c. 10. Denique orat poſt miraculum, vt qui ſe Deū in opere mirabili oſtenderat, & creatorē; agnoſcatur Deo inferior ſecundum humanitatem, in qua orat, præbeatq. Catholicis arma expugnādi Neſtorios, atque alios hæreticos, qui nec duplicem in Chriſto naturā, neq; operationē admittebant Dei, & hominis. Contra quos ſunt anathematiſmi Cyrilli Alexandrini, Synodi Epheſini, & Chalcedonenſis, ac Lateranen. ſub Martino Primo, in quibus citantur Patrum ſententiæ, quæ veritatem orthodoxam aſtruunt.

Theophyl. *Gloſſ. Bedæ.* Variæ cauſæ orationis Chriſti.

1. Ioan. 2.

Lyra.

Gregor.

CAPVT XLVII.

Et cum ſero eſſet, erat nauis in medio mari, & ipſe ſolus in terra.

AGgreſſus itaque orationis ſtudium, & in eo cum ſero eſſet perſeuerans, atq; pernoctans, nauis, quam cum Apoſtolis præcedere transfretum iuſſerat, quaſi immobilis in medio mari perſtitit, vt neque hac, neque illac diſcurreret, ſed fluctus horrendos ſuſtineret. Et quidem hoc ei accidit, quod videretur gubernator abeſſe. Remanſerat enim *ipſe ſolus in terra*, vt in mari diſcerent ſui laborare, & in laboribus ad eum, qui ſemper in tuto eſt, clamare, & poſtulare inſtanter ſibi auxilium præſtari.

Expoſitio.

Et cum ſero eſſet. Hoc eſt nox obſcura, ad veſperam enim dimiſſis turbis, ad montem aſcenderat, & ita nocte (inquit Theophyl.) ſinit in tempeſtate eſſe. Itaque nocte, & ſero toto orat ipſe dulciter, & dolenter nimis anguſtiantur Apoſtoli. Vno, eodemq. tempore ſolitarius conſolatur, & qui nauigat mare ſentit pericula eius. Ergo ne tempus contraria operatur? abſit, ſed in tempore vno diuerſa diuerſis accidunt propter alia, atque alia ſtudia, quæ homines exercent, haud ſecus, quàm qui intra eandem ſunt nauim, cuius motu, & ſi ad ortum currant, illi nunc ad occaſum, quandoque ad Aquilonem, nonnunquam ad Meridiem, vel ſurſum, atque deorſum, aut in gyrum mouentur. Neque enim homines dum viuunt in eodem ſtatu permanent, neque eandem occupationem habent. Verum licet ſub vno contineantur cælo, cuius prima menſura tempus eſt, dum vnus eſurit, alter comedit, vnus depauperatur alius diteſcit; & vnus tranquillam cum Deo vitam traducit, & alius in anguſtijs plurimis conſtitutus, non habet ſubleuantem ſe. Vnumquodque ergo in tempore vno fit, etſi diuerſa videantur. Quare in venturo ſæculo, quod non admittit tempus, neque contraria, aut appoſita ſtudia, quieſcente Chriſto, quieſcent & membra eius: nec nox, aut ſero, neque labor erit vltra, ſed pax, & tranquillitas vniuerſis.

Theophyl.

Diuerſa hominum ſtudia.

Erat nauis in medio mari. Mare autem interpretari mundum familiare eſt Origen. hom. 4. in Matt. Clem. Alex. 5. ſtromatum Hieron. ſuper Iſai. 18. Auguſt. 13. confeſſ. atque alijs. Quod nauis ergo in medio mari dicatur eſſe, colligimus in medio terræ iuxtà oraculum fundari Eccleſiam, cuius typum nauis gerit. Cæterum cum mundus in orbem ſit conditus, nihil poteſt ei pro medio aſſignari. Hoc enim peculiare eſt orbiculari figuræ, & ſphæricæ idem ſibi eſſe medium, ac principium. Vtcumque fabricans

Origen. *Clem. Alex.* *Hieron.* *Auguſt.* Quomodo dicitur Eccleſia fundata in medio terræ.

Auerroes.

Ariſtot.

cans Chriſtus Eccleſiam,& fundans in muntibus ſanctis Apoſtolorum,& Prophetarum ſuper ſe lapidem angularem, dicitur ſalutẽ in medio terræ operari; ſubinde nos Eccleſiam in medio terræ ſuperſtrui. Quod mediũ ſecundum Auer. 1. phyſic. com. 56. habeat vtrumque extremum in actu, ſed non in vltima perfectione, vt viride habet album, & nigrum, ſic Eccleſia lætis, ac triſtibus ornatur, at neque gaudia viatoribus conceſſa, perfectionem, quæ in cælis reperitur, poſſident, neque item mala ad infernorum duritiem, ſeu grauitatem perueniunt. Eſt quoque medium auctore Ariſt. 6. eth. cap. 1. terminus mediocritatum inter exceſſum, & defectum. Ita Eccleſiæ ornamenta vbicumq; fuerit collecta, inter exceſſum, quod præ excellentia cæleſtibus conceditur, & defectum, quo damnati perpetuo cruciantur, ſunt conſtituta. Habet enim Eccleſia ſua omnia mixta, vt neque exceſſum, neque defectum, qui in eis, qui deceſſerunt è vita, creditur, patiantur. Ergo ſiue in India fuerit Eccleſiæ nauis, ſiue in Auſtro, aut Aquilone, vbicumque in medio mari, & in medio mundi huius dicetur.

Solus Chriſtus per ſe liber à peccato.

Iſai. 63.

Et ipſe ſolus in terra. Quoniam ſolus Saluator ipſe, qui cunctis ſub periculo conſtitutis hominibus, per peccatum Adæ præuaricantibus ſolus perſtitit, qui neque potuit tranſgredi, vt homines, cum per naturam impeccabilis eſſet, neque in prælijs alterius adminiculo eguit, vt Angeli, qui vicerunt in ſanguine agni, ſed torcular calcaui ſolus, & de gentibus (inquit) non eſt vir mecum, calcaui eos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea. Et ſaluauit mihi brachium meum, & indignatio mea ipſa auxiliata eſt mihi. Itaque ſolus eſt in terra, hoc eſt ſolus in tuto, qui neque periclicatur, neque eget cuiuſcumque miniſterio, quo adiuuetur.

CAPVT XLVIII.

Et videns eos laborantes in remigãdo (erat enim ventus contrarius eis) & circa quartam vigiliam noctis venit ad eos ambulans ſuper mare, & volebat præterire eos.

Expoſitio.

QVaſi igitur à ſpecula in ſummis petrarum, ac tutiſſimo loco conſtitutus Saluator cunctorum Chriſtus, contemplatur nauim, quæ in medio mari poſita agitabatur magnis fluctibus. Et videns diligenter quid agerent inuoluti penè fluctibus, & quanta cum anguſtia laborarent in remigando contra ventum, qui ex aduerſo inſufflabat tanto cum impetu, vt vix poſſent Apoſtoli reſiſtere. Quare in extremis poſitos, ſtatuit pius, & miſericors pater circa quartam noctis vigiliam ad eos venire more inſolito, videlicet, vt maris, & omnium domitor ambulans ſuper mare tumidum, ac fluctibus fremens, perinde ac ſi planiciem terræ calcaret, vt modo veniendi ad eos ſecuritatem agnoſcerent. Volebat autem præterire eos, vt non tàm ſe, quàm reliquos per Chriſtum liberandos fore crederemus cũcti, quoniam Dominus vniuerſorũ tu es.

Sancta Eccleſia ſemper laborat.

Et videns eos laborantes in remigando. Erant enim in periculo conſtituti, & naufragium minabatur eis tempeſtas. Ne igitur nauis offendat in ſcopulos, aut fluctibus operiatur, abſumptis remis laborant plus ſolito, vt applicent ad portum, ſed quando ò paſtores, ac remiges Eccleſiæ quieuit nauis vobis commiſſa, aut fuit abſque procella? Erat ſub periculo, quando perſecutiones eam per trecentos ferè annos vexarũt. Dira eſt paſſa graſſãtibus hæreticis, & ſchiſmaticis, & cũ prædicatur modo ei pax, pax, non eſt pax; quoniam abundauit iniquitas, & multorum charitas refriguit, & abundantia ſpinas peperit, & vrticas, inter quas deliteſcunt feræ peſſimæ, vt deuorent Ioſeph: Filij Cham, vt inſidientur iuſtis, filij Agar, vt negociationibus ſuis iniquitates in terra innouent, & multiplicent. Ergo cur non laboratis in remigando? Veſtrum eſt laborare in verbo, remigare in opere, & totis viribus continere bonos, ne curuant, & malis reſiſtere, ne inferant damna animabus. His enim modis Eccleſia vobis commiſſa cuſtoditur ab ingruentibus malis. Sollicitè ergo ſtudeat (ait Turonenſis Synodus 3. ſub Leone Tertio, habita imperante Carolo Magno) vnuſquiſque Epiſcopus gregem ſibi commiſſum ſacra prædicatione, quid agere, quiduè vitare debeat, informare. Et ipſe Epiſcopus vita, habitu forma, & cõuerſatione ſancta, ſuis ſit ſubiectis exemplum, & iuxtà dominicam vocem: Videant opera eius bona, & glorificent patrem Deum, qui in cælis eſt. Ita videlicet (addit Cabilonenſis Synod. 2. ſub eodem Leone, & Carolo habita) vt & verbis, & exemplis populo ad æternam patriam pergenti, ducatum præbeant, vt vita eorum, & doctrina nequaquam diſcordent; ſed quæ dicunt, faciant, & quæ faciunt, docere ſtudeant. Et prædicatione aſſidua plebem admoneant, & falce iuſtitiæ à credentium mentibus vitiorũ ſpinas eradicent, & verbi Dei ſemine ægras mentes eorum ad fœcunditatem perducant; hic eſt enim labor, & remigatio, quæ Præſulis imponitur, vt fluctuantibus animis fidelium, periclitante Eccleſia habeantur digni propoſiti gregũ, quos paſtor paſtorum ſibi commiſit.

Gen. 37.
Gen. 18.
Baruch 3.

Qualiter Prælati debeant Eccleſiæ laboranti ſuccurrere.

Synod. Turonen.

Synod. Cabilon.

Venialia retardant.

Erat enim ventus contrarius eis. Ventum ex aduerſo venientẽ, quo retardatur ab itinere Eccleſia, & qui in ea ſunt, cenſeo

eſſe

eſſe peccata venialia,& occupationes inutiles; quibus perinde ac nauis à latere inſufflata,detinemur ne perfecti euadamus. Ventus validus, qui omninò impedit viam noſtram, aut certè conatur impedire, eſt ſuggeſtio mala,ſecundum Origen. ſuper Iob 1. & Greg. lib.18.mor. cap.11.Eſt tentatio,& tribulatio ſecundum Hieron. in Ierem. 4. Ambr.ſuper Leuit.8.Nec non tentator ipſe, atque diabolus ſecundum Chryſoſt.in gen. hom.2.& 6. atque Aug.2. confeſ.2.& 2. de ſerm.Dom.in monte .

Orig. Gregor. Hieron. Ambr. Chryſoſt. Aug.

Et circa quartam vigiliam noctis. Stationes,& vigiliæ militares(ſcribit gloſſ.Bedæ) horarum ſpatio diuiduntur. Patet ergo eos tota nocte laboraſſe, & diluculo appropinquante auxilium habuiſſe,quia cum præſſuris obſita humana fragilitas paruitatem virtutum conſiderat , in ſe nihil niſi tenebras anguſtiarum, & hoſtium inſurgentium æſtus cernit . Cum verò mentem ad ſuperni præſidij lumen , & ad perpetuæ retributionis bona erigit , quaſi inter vmbras noctis repente ortum Luciferi conſpicit , qui diem proximum , ideſt Chriſtum,nunciet. Lucifer namque cum plurimum tres horas noctis, ideſt totam vigiliam matutinam illuminare perhibetur . Volebat enim perfectos ſtatu,virtute patientiæ, quæ opus perfectum reddit,exerceri.Nam propterea (inquit Theophyl.) non ſtatim illis aſſiſtit,ſed tota nocte ſinit in tĕpeſtate eſſe , vt doceat fortes eſſe,& non in principio tentationum ſperandam requiem .

Gloſſ. Beda.

Qualis ex tentatione prouentus .

Theoph.

Venit ad eos ambulans ſuper mare. Nam Deus ſic adiuuat tribulatos, vt nulla tribulatione tangatur.Qui in carne eſt corruptibili,ſi ex corde compatiatur proximo,oneris partem, & anguſtiæ ſuſcipit . Indè dixit ille : Quis infirmatur in vobis, & ego non infirmor . Vndè qui tangebat mortuum,inter morticinia reputabatur. Mortuum quidem tangit,qui non ſolum peccatori mortuo in peccatis compatitur , ſed & qui anguſtiatum ſubleuat . Hunc enim anguſtia pariter comprimit,& inter afflictos cenſendus eſt , cum pro alterius damno clamet, ventrem meum doleo . Ita mortalis homo currens,vt auxilium alteri præſtet,non ambulat ſuper mare , ſed fluctibus anguſtiæ aliquantiſper humectatur . Chriſtus autem ambulat ſuper mare , & ſic opem fert aliis Deus, vt liber ſit ab his , quæ patitur creatura . Ab hoc facto Cyrill.contra Neſtorium & Athanaſius in dialogo contra Arrium diuinitatem Chriſti perſuadent. Noſtri verò Scholaſtici agilitatem corporis eiuſdem aſtruunt, quam cum reliquis dotibus , quæ carni glorificatæ conceduntur, quaſi cohibitam deferebat , quouſque miraculo hoc per eam facto,patrem glorificaret .

Chriſtus liber à noſtris miſerijs .

2.*Cor.*11.
*Leuit.*15.
Hierem. 4.
Cyrill.
Athan.

Et volebat præterire eos . Non vt Leuita, & Sacerdos, qui percuſſum grauiter videntes præterierunt;nec vt illi, qui prætereuntes blaſphemabãt ſuſpendentem in patibulo ; ſed volebat præterire eos, vt quaſi Dux præcedens exercitum, ſecuriores redderet, & placaret omnia,atque ſubijceret pedibus cuncta, quæ nocumentum poſſent inferre. Et vt ad horam conturbati (proſequitur gloſſ. Bedæ) ſed continuò liberati plus ad liberationis ſuæ miraculum ſtuperent , & ereptori ſuo maiores gratias referrent. Sic ſæpè diuina pietas in tribulatione videtur fideles deſeruiſſe , quaſi laborantes in mari diſcipulos putetur Ieſus voluiſſe præterire. Vndè : Quare me dereliquiſti ? & quare contriſtatus incedo dum affligit me inimicus ? ſed continuò Dominus adeſt, quaſi diceret : Cum tranſieris per aquas tecum ero,& flumina non operient te, cum ambulaueris , & flamma non ardebit in te . Hæc ille .

*Luc.*10.
Matth. 27.
Beda
Quare Deus aliquando differt auxilium afflictis
Pſal. 42.
Iſai. 43.

C A P V T X L I X.

At illi vt viderunt eum ambulantem ſuper mare putauerunt phantaſma eſſe, & exclamauerunt .

Iſtuc tendebat præteritio Chriſti, vt ad clamorĕ inducerentur diſcipuli,& agnoſcerent omnipotentiam, quæ in illo homine latebat . Itaque illi dum laborant in remigando,nec aliud attendunt,quàm mortis periculum euadere , vident vitam , & eum,qui vitæ,ac mortis habet imperium , non ſolum minitantem fluctibus, & vndis, quæ mortem aduocabant , ſed totum mare ſubigentem, & ſuper omne, quod mortale eſt , ac mortis ſtimulum affert , ambulantem,haud ſecus quàm ſuper proſtrata hoſtium cadauera . Putauerunt ergo phantaſma eſſe , quod verè fiebat ab eo , qui nihil habet phantaſticum , ſed vt veritas eſt in ſeipſo, ſic verè omnia operatur, & facit. At qui correpti pauore , ſenſibus turbatis alio trahebantur,nihil horum penetrabant,quare ad exclamationes timidas,& incertas ſe dederunt , & ſi locus ceſſiſſet fugam ocyſſimè inijſſent .

Expoſitio.

At illi : Illi quidem , qui anguſtiabantur, quando oportebat eos omnem ſolicitudinem proijcere in eum,qui eſt auxiliator,refugium,& virtus, ſpem ponunt brachium ſuum , & confidunt labore proprio, atque arte liberari . Quapropter non agnoſcunt diuinum auxilium, ſi fortè adſit . Immò verò illud phantaſticum dicunt, vt olim gentiles , qui curationes , & mirabilia , quæ à Sanctis in præſentia eorum, & quandoque ſupra eorundem corpora fiebant,non recto oculo,ſed toruo, quaſi phantaſtica, aſpiciebant , putantes, ac dicentes eos phantaſticos,qui in nomine Domini talia operabantur .

tur. A quibus non recedunt hæretici, qui tàm quæ fiunt, quàm quæ legunt, facta miracula acclamant phantaſtica.

Vt viderunt eum ambulantem ſuper mare. Hoc viderunt omnes Apoſtoli, & ſimiliter alias intrantem ianuis clauſis; transfiguratum verò tribus tantum conceſſum eſt videre. Quoniam ambulare ſuper mare, & intrare ianuis clauſis, ſymbolum habet gratiæ gratis datæ, tùm maximè ſanitatum, & curationum, quibus ſedantur humores rebelles: etiam gratia ſcientiæ, ſermonis, & linguæ, qua profunda Scripturarum penetrantur. Transfiguratio verò typus extitit hominis ſpiritualis, qui cæleſtem induit Adam. At hunc videre paucorum eſt, ſolum his conceditur, qui tribus ſuis potentijs Chriſto adhærent: gratias verò gratis datas, & vident multi, & vix eſt qui aliquam harum non poſſideat.

Putauerunt phantaſma eſſe. Similiter, & hoc putauerunt Cerdon, & Priſcellianiſtæ, Manichæi, atque alij, qui veram naturam Chriſto humanam denegarunt, ſed ſimulaſſe, geſſiſſeque ſe in terris, vt hominem phantaſticum; cum clament oracula: In terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt: Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Quomodo ergo (ait Cyrill. Alex. de Vnigeniti incarnat. cap. 16.) Fidem habet in Chriſto immaculatam, & rectis omnium ſuffragijs comprobatam, dicat videlicet, quod ipſum ex Deo patre verbum ad exinanitionem deſcenderit, formam ſerui accipiens; proprium autem ſibi faciens corpus, quod eſt natum ex Virgine, factus ſit noſtri ſimilis, & nuncupatus ſit filius hominis. Eſt autem Deus quidem ſecundum ſpiritum, homo autem idem ſecundum carnem. Niſi enim ille natus eſſet ſecundum carnem (ſubdit Amphilochius Iconij Epiſcopus in tom. 2. Actorum Conc. Epheſini cap. 28.) tu non naſcereris ſecundum ſpiritum, niſi ille ſeruilem formam induiſſet; tu adoptionis filiorum gloriam conſequutus non eſſes, propter hoc namque cæleſtis in terram deſcendit, vt tu terrenus in cælum ſubueheréris. Propter hoc rurſum Chriſtus ſemetipſum exininauit, vt nos omnes ex illius plenitudine hauriremus. Sed gratia Dei (ſcribunt quinq; Epiſcopi ad Innocentium Primum) per fidem vnius meditatoris Dei, & hominnm, hominis Ieſu Chriſti, qui & Deus cum eſſet, hominem fecit, & manens Deus homo factus, refecit ipſe quod fecit. Quare non phantaſma, ſed verum in omnibus profiteamur Chriſtum.

Vera humanitas in Chriſto
Baruch 3.
Ioan 1.
Cyrill. Alex.
Amphiloch.
Epiſcopi Orientis.

Et exclamauerunt. Pauidi, ſcilicet, & ſtupidi in ſpectaculo, quod ſecundum falſam opinionem eos in maiorem adducit timorem, quàm maris tempeſtas. Hæc enim mortem corpori poterat inferre, & phantaſticum, quod ex dæmone eſt phanatico ſpiritu, ad animæ interitum properat. Eſt quidem dæmon phantaſma φάντασμα, ſeu potius phanaticus, falſus, vanus, illuſor, & deceptor argutus, qui falſis quoque ſpeciebus phanaticos nos fieri contendit. Quare etſi in omni præſſura oporteat ad Deum clamare: attamen quando phantaſma, & eiuſdem artes phanaticæ, vtpotè ſagittæ, peccatorum carbonibus deſolatorijs pernicioſiores in nos immittuntur, exclamandum eſt, & inuocandus eſt obnixè Deus, & interpellandi Sancti, & pijs omnibus modis aduerſus calliditatem eius vtendum eſt nobis, quouſque phantaſiæ malignæ diſſoluantur. Sic Secundella in fallacem dæmonem, qui in ſpecie Domini apparebat, eſt vſa: ſic Albertus Carmelita, quando vt pulchram mulierem eum vidit; ſic Brigita, quando ſe ei centimanus, & centipes obiecit; ſic denique omnes Sancti diſſoluunt hoſtis phantaſtici fraudes, qui multis, & varijs vtens machinis, vt dicebat S. Arſenius monachis ſuis (auctore Metaphraſte) conatur nos decipere, & boni prætextu in mala nos impellere.

Diabolus varijs illuſionibus perturbat fideles.
Metaphr.

CAPVT L.

Omnes enim viderunt eum, & conturbati ſunt: Et ſtatim locutus eſt cum eis, & dixit eis: Confidite ego ſum; nolite timere.

Expoſitio.

ETſi imaginatione Apoſtolorum videretur phantaſma Chriſtus, cuius aſpectu omnes, qui viderunt eum, conturbarentur; re vera tamen longè erat à phantaſmate, quinimo diſſolutor, & euerſor phantaſmatis. Quare ſtatim, vt vidit in tremore poſitos Apoſtolos, locutus eſt cum eis, vt eum ex ſermone agnoſcerent. Etenim *dixit eis*, quæ eum non hominem ſolum potentem, ſed Deum omnipotentem explicant: *Confidite* inquit, & deponite anxietatem, quoniam *ego ſum*, qui condidi cælum, & terram, & vniuerſa, quæ in ipſis ſunt operor, cuius nomen omnipotens, & cuius opus munificentia, & cuius virtus ſaluatio. Ergo nolite timere, neque in mari vndoſo, neque ex me, qui præſto ſum ſaluare, & liberare, tranquillaque cuncta reddere.

Omnes eum viderunt. Vt omnes teſtes eſſent miraculi, quod antecellebat reliqua, quæ præceſſerant, eoque perſuaderentur, & perſuaderent eum eſſe, qui dominaretur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos Orbis terrarum; qui virgam ſuam ſuper mare poſuit, & ſilent fluctus eius; qui venit occidere cetum, qui in mare eſt, & iuſtitiam dare ſicut gurgites maris; nec non dare impios pro ſepultura, qui ſunt quaſi mare feruens; denique eum eſſe agnoſcerent,

Pſal. 71.
Iſai. 10.
Iſai. 27.
Iſai. 53.

Pſal. 88. rent, qui dominatur poteſtati maris,& mitigat fluctus eius,videlicet,qui dæmonem expugnat, & mitigat, immo verò cunctam impoſtoris malitiam deſtruit; ſtatuens ſcabellum pedum ſuorum gentilitatem, quæ mare magnum præ confuſione Deorum repreſentabat; dimiſſo illo populo, cui mare diuiſerat; docens futuras gentes non iam in medio vndarum, ſcilicet imperfectioñ, ſed ſuper omnes vndas,velut perfectum populum debere ambulare,velut iam dotatum perfectioribus virtutibus. At propterea (ait Clem.ad gentes lib.6.conſt.Apoſt.c.5.) Diabolus, cum Eccleſiæ Dei inuideret ad vos ſe tranſtulit, ſuſcitando afflictiones, perſecutiones, motus ſeditioſos, blaſphemias, ſchiſmata,hæreſes.Cæterum(ait paulò inferius)qui dixit tunc ijs,qui ſummo illi Sacerdoti aſsiſtebant,detrahite illi veſtes ſordidas,& ſubiunxit,en deleui peccata tua; hic dicet,& nunc quod olim nobis in vnum congregatis de nobis aiebat, quod rogauit ne deficeret fides noſtra. Horum itaque omnium, futuri teſtes Apoſtoli viderunt ſymbolum in hac Chriſti perambulatione mirabili.

Clem. Rom.

Zachar. 3.

Et conturbati ſunt. Vt enim Apoſtoli electi myſteriorum Chriſti teſtes veridici viderunt omnes, quæ per Chriſtum in mari agebantur; vt autem homines in medio mari conſtituti, conturbantur,typum gerentes inſularum, quæ ad ruinam Tyri,ac principijs eius,hoc eſt,ad deſolationem idolatriæ, & vaniſsimi cultus, quem vbique terrarum,tum maximè in inſulis,vt teſtantur adhuc reliquiæ, diabolus introduxerat. Nunquid non (ait Ezechiel.ad diabolum ſub figura Tyri) à ſonitu ruinæ tuæ, & gemitu interfectorum tuorum cum occiſi fuerint in medio tui,commouebuntur inſulæ? Etenim calcato dæmone velut mare, vbiq; Idola vim amiſerunt,& quædam reſponſa negarunt poſt paſsionem Chriſti, & alia ceciderunt. Quæ res conturbationem peperit inſulanis: cum verò prædicantem audierunt, quem expectabant, in admirationem venerunt mirabilium Dei,qui capita draconis contriuit in aquis multis.

Iſai. 23.

Ezech. 26.

Pſal. 73.

Et ſtatim locutus eſt. Quia vox Domini ſuper aquas multas:Ideò in mari locutus eſt. Etiam quia eloquium tuum viuificauit me,dicebat penè exanimis. Ergo vt viuificarentur ad vocẽ clamoris,qui ſe mori putabant,loquitur ad eos, qui via eſt,veritas, atque vita. Hinc ille: Lætabor ego ſuper eloquia tua,ſicut qui inuenit ſpolia multa. Ergo vt viuificentur mortui,& conſoleutur mæſti audientes Chriſtum loquentem operepretium eſt, ſermonem Dei in familiari colloquio frequentari, & apud populum Dei verbum diſſeminari ſolicitè. Vnde ſtatutorũ Conc. Maguntiaci vigeſimumquintum habet de officio prædicationis: ſi fortè

Pſal. 27. Pſal. 118.

Pſal. 118.

Prædicandũ frequẽter populis.

Epiſcopus non fuerit in domo ſua,aut infirmus eſt, aut alia aliqua cauſa exigente non valuerit, nunquam tamen deſit diebus dominicis,aut feſtiuitatibus, qui verbum Dei prædicet, iuxtà quod intelligere vulgus poſſit.Eſt enim prædicatio eloquium Chriſti,per quod prædicator os Chriſti efficitur, & loquens Chriſtus ad eos, qui egent.

Et dixit eis. Qui tribulabantur,vt & ipſi alios in tribulatione poſitos diſcerent conſolari, non timorem timori addendo,vt ſolent,qui flagella multiplicãt flentibus pueris, ſed dicendo eis verba lenia, & dulcia, quæ deiectum animum ſubleuant, quia facere miſericordiam,& iudicium magis placet Domino,quàm victimæ.

Leniter agẽdum cum tribulatis.

Prou. 21.

Confidite. Dũ primo apparet Dominus, terrorem incutit, ſed depreſſum animum ſtatim voce confidentiæ ſubleuat.Illud quidem à maieſtate magni Dei prouenit, atq; omnipotentiæ; hoc autem ex miſericordia, qua roboratur,velut auro,thronus eius.Bonorum enim nullum Deus terruit, quem non confidere iuſſerit. Similiter facit,& bonus Angelus Dei, qui verò ſe in Angelum lucis transfigurat, blanditur primo,poſt vt coluber ſerpit.

Ego ſum. Hoc autem nomine ſe Deum declaraſſe Moyſi, habemus apud Exodum, & apud Matth.& alibi de eo retuliſſe memini, ſed quid hoc loco *ego ſum*, & quando reſpondetur malis in horto dicitur:*Ego ſum*? Quoniam idem Dominus omniũ eſt, iuſtos liberans, & perdens peſsimos. Ait bonis, *ego ſum*, qui cum bonis,ex tribulatione;& malis ſimiliter ait *ego ſum*,ſcilicet percutiens inimicos in poſteriora, & opprobriũ ſempiternum dans eis.

Exod. 3. In Matth. lib. 24 c. 5. Ioan. 18.

Pſal. 77.

*Nolite timere.*Quoniã,ſcilicet adeſt Dominus fortis, & potens, quoniam Princeps huius mundi, qui mare conturbat, eijcietur foras,quoniam ego vici mundum, qui in maligno poſitus præſſuras ſuſcitat,& labores.Quoniam denique iam datum eſt calcare ſerpẽtes,ſcorpiones, & inferis dominari. *Nolite* ergo *timere*,niſi eum, qui poſtquam corpus occiderit poteſt vos in gehennam ignis mittere. Ipſe Dominus ſit pauor veſter,vt timor ſanctus vobiſcum permaneat in ſæculum ſæculi. Cæteros autem *nolite timere*,ſed compellite vos, veſtraq. timere Deũ cæli. Eſt enim donum,quod omnipotens ſuis communicat,vt ipſum timeant timore filiali,& conuenientiæ.

Matt. 10.

CAPVT LI.

Et aſcendit ad illos in nauim, & ceſſauit ventus, & plus magis intra ſe ſtupebant.

Conſortatis Apoſtolorũ animis, & placato mari,aſcendit Chriſtus ad Apoſtolos,

Expoſitio.

ſtolos, vt ſecuriores redderet ſua præſentia, quæ terrorem omnem abijcit; intrat igitur in nauim, qui paulò ante ſuper mare ambulabat, vt pariter veheretur nauigio, & ducatum nauigantibus, qui aliter incedere non poterant, præſtaret, & tempus tranquillum. Ceſſauit enim ventus, qui erat contrarius, vt gubernationis habenas ſuſcepit, quæ res auxit admirationem circumſtantium, qui dum ſingula animo penſitant, magis intrà ſe ſtupent, vt vix habeant quid loquantur.

Et aſcendit ad illos in nauim. Vt qui omnipotentiam ambulans ſuper mare demonſtrarat, & potentiam extraordinariam corpori mortali, ordinariam in vſu nauigij declararet, & conditionem corporis aſſumpti in vita mortali. Vt vel inde duplicem ſpiritualem potentiam, ordinariam, & extraordinariā Chriſti in adminiſtrandis ſpiritualibus venaremur. Ordinaria enim medijs ſacramentis velut nauigijs ad portum ſalutis nos ducit. Extraordinaria verò eſt quando per potentiam ſuam, quam non alligauit ſacramentis, ſaluat, quos vult. Ad hæc dicito, vt veniens Chriſtus ad mare non prius aſcendit in nauim, quàm ſuper mare ambulaſſet; ita in mundum de cælo deſcendens, non prius principatum Eccleſiæ accepit, quàm mala omnia ſuperaſſet, & à malis hominem redemiſſet. Id quod in inſtanti conceptionis meruit; ſeipſum pro omnibus offerens: quamobrem illi cecinit vates: Dile-
Pſal. 44. xiſti iuſtitiā, & odiſti iniquitatē, propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus; ac ſi diceret, propterea te Deus caput dedit ſuprà omnem Eccleſiam, vt ſis excelſus præ Regibus terræ.

Et ceſſauit ventus. Eo enim ſtāte, & inundāte mare, ambulabat Chriſtus ſuper illud, vt admirabilior videretur deābulatio; ceſſauit autem ventus, vt aſcendit in nauim. Siquidem idolatria, quamprimum factus eſt princeps pacis, Pater futuri ſæculi, ſeu vt apertius loquar, homo factus eſt, tunc cœpit vbique ceſſare; decreto quidem, ac merito ſuo funditus aboleuit vaniſſimum cultū. Reuera autē deiecit per miniſtros, quos ad varias mūdi partes continuo tranſmiſit. Domino etiā aſcendente in nauim, ſecundū
Gloſſa. gloſ. *ceſſat ventus*, quia in quocumq; corde per gratiam ſui amoris adeſt, mox vniuerſa vitiorum, & aduerſantis mundi, & malignorum ſpirituum bella quieſcunt.

Et plus magis intra ſe ſtupebant. Propriū ſiquidem eſt operum Dei magis, ac magis admirationem ingenerare, & ſtuporē, quantò enim mens perueſtigat, ne dum ſupremā, ſed nec minimam rationem, aut quid in eis voluerit Deus, in ſemetipſo conſiderat. Eſt enim Deus vincens ſcientiam noſtram, & mirabilis in cunctis, quæ operatur.

CAPVT LII.

Non enim intellexerunt de panibus: Erat enim cor eorum obcæcatum.

CVr plus intra ſe ſtuperent Apoſtoli, Expoſitio.
aliqualiter patefecit ex iis, quæ ſequuntur; ſtupebant, inquit, plus ſolito in his, quæ nuper acciderant, quod in eis, quæ præceſſerant contemplandis negligentiores fuiſſent; quo factum eſt, vt miraculum celebre, quod paulò ante ediderat de multiplicatione panum non intelligerent. Siquidem ex diuturno mentis ocio quandam hebetudinem, velut oculus cæcitatem, intellectus eorum contraxerat, ac ſi penè obcæcati eſſent.

Non enim intellexerunt de panibus. Quid inquam tantò miraculo prætenderet Chriſtus, neque virtutem, quæ inauditam panum multiplicationem cauſauerat penetrabant, neque quorſum fragmentorum congeriem ſupereſſe voluiſſet, & per eos cophinis aſportari, aut cur manuum contactu, & non verbo hoc myſterium perfeciſſet. Hæc, & ſimilia, quæ de panibus illis, alias à nobis dignè explicandis, Apoſtoli nō intelligebant, quoniam non dum eis Chriſtus aperuerat ſenſum, neque ſpiritum ipſi receperant, quo in via, qua gradiebantur plenè de omnibus inſtruerentur.

Erat enim cor eorum obcæcatum. Non quidem, vt in Pharaone, & in ſimilibus, qui dicuntur indurati corde, & obcæcati, quod malum, in quo ſunt, non agnoſcant; quinimo bonum dicunt malum, & malum bonum, velut febricitantes, qui corrupto guſtus principio, amarum vertunt in dulcedinem, & quod dulce eſt, in ore ipſorum amareſcit. Horum induratio dicitur lapidea, quod velut Loth vxor in ſtatuam ſalis conuerſa, perpetuam obdurationem in malo retineant; ſintque à peccato immobiles, quaſi lapides à duritia ſua. At Apoſtoli dicuntur corde obcæcati in bono tantum, quod vt rudes in addiſcendis artibus, tardiſſimi in cognitionem boni eſſent, neque vllo modo poſſent mentes ad ea, quæ in Chriſto cernebant, facilitare. Erant enim fortè tardiores natura, & inexercitati; ſi ergo acutiſsima mens abſque exercitio vileſcit, & ineptam ſe dicit in ſpeculatione ſupremi entis, quid faciet inculta, & tarda? Atque ideò obcæcati, quaſi duplici obuoluti velamine, videlicet infirmitate naturæ, & otio, ſeu diſſuetudine.

CAPVT

CAPVT LIII.

Et cum transfretaſſent venerunt in terram Genezaret, & applicuerunt.

Expoſitio. POſtquam ergo Chriſtus aſcendit nauim, cœperunt nauigare, ocyuſq. tranſfretantes, venerunt abſque impedimento ventorum, nec fluctuum quò properabant, in terram, videlicet Genezaret, vbi ſaluis, & incolumibus rebus omnibus applicuerunt.

Et cum transfretaſſent. Quoniam ſtare iam non poterant fixi in medio mari, ſed oportebat eos continuò transfretare. Et quidem vſque hodie transfretat nauis Eccleſiæ, & qui in ea degunt, viam percurrunt feliciſſime, quoniam Deus Dux, & via, in medio noſtri gubernaculum tenens, & clamans: Hæc eſt via ambulate in ea, & non declinetis, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram. Iſai. 30.

Venerunt in terrã Genezaret. γεννησαρέθ. Hebræi dicunt כנרות cenerot, quod à Strabone ſtagnum proprium vocatur ab eo (vt quibuſdam videtur) ſic dictum, quod flantibus ventis, criſpantibus vndis, auram ex ſe generare videatut; de hoc alibi plura diximus, & maiora leget, qui volet apud Egeſippum lib. 3. cap. 26. In hanc igitur terram generatione frugum ameniſſimam, ac totius Paleſtinæ vberiorem, venerunt omnes, qui nauigio cum Chriſto vehebantur. Et quid Genezaret, niſi cæleſtis patria? Eo aſcendit Chriſtus, eũq. cæteri, qui ſtolas ſuas in ſanguine agni dealbauerũt, ſequũtur, & ſequemur nos, ſi intra nauim ſoliciti ſumus nos, prout decet, continere. Lib. 4. in Matt. c. 34. Egeſipp.

Et applicuerunt. Vt ad portum optatiſſimum, & ſecuriſſimum. Quare non in mundo, neque aliquo eorum, quæ in mundo ſunt, poteſt homo applicare. Siquidem nihil eorum, quæ videntur in mundo labili, ſecuritatem, quæ optatiſſima eſt, neque felicitatem, quam deſiderat animus, concedunt. Ergo clamat ille: Nolite diligere mundum, neq; ea, quæ in ipſo ſunt; ſed Dominum Deum diligite, & quærite, quæ ſurſum ſunt, in quibus eſt ſtatus veræ perfectionis, qua homo natus eſt perfici. 1. Ioan. 2.

CAPVT LIV.

Cumque egreſſi eſſent de naui, continuò cognouerunt eum.

Expoſitio. QVamprimũ ergo applicuerunt, volauit fama, & perſonuit Chriſti aduentus in auribus hominum totius regionis, ſiquidẽ in egreſſione è naui, qui aderãt, agnouerunt eum, quẽ videre deſiderabant, & audire ab eo de regno Dei, quid prædicabat cunctis admirantibus.

Cumque egreſſi eſſent de naui. Poſtquam, ſcilicet, applicuiſſent, non ante. Imminebat enim mortis periculum, antequam venirent ad portum, vel è naui deſcenderent. Et quidem certiſſima mors ſequitur eum, qui antequam ad gloriæ portum, quem in extremo vitæ aſſequimur, deſcendit de naui, ſeu Eccleſiam deſerir per infideliratem, Religionem per apoſtaſiam, fidem per hæreſim, & charitatem per peccatum mortale. Quia ſtipendium peccari mors, & mortuus eſt totus, qui in peccatis viuit. Ergo qui cupis dies tuos videre bonos, & in longitudinem dierum viuere, tene quod habes, ſta in teſtamẽto tuo, & in illo vereraſce, neq; terminos, quos poſuerunt patres tui prætergrediaris, quouſque dicatur tibi; egredere de rerra rua, ſurge, propera amica mea, columba mea, & veni, flores apparuerunt in terra noſtra, ficus protulir groſſos ſuos: veni, inquam, ad Eccleſiam triumphantẽ, quæ flores habet lætitiæ ſempiternæ, & fructus fert dulciſſimos guſtui.

Continuò agnouerunt eum. Tum facie, & ſtatura, atque ſermone, in quibus præcellebat. Erat enim gratia diffuſa in labijs ſuis, & vultus inerat ei admirabilior, in quẽ Angeli deſiderant proſpicere. Sed & ſtatura tua aſſimilata eſt palmæ, dicitur ei; non quod longitudine corporis palmam æquaret, nec communem illius temporis hominum menſuram, videlicet octo palmorum, aut nouem excederer, ſed quod torius corporis compoſitio, ac guſtus prouocarent ad Deum, qui ſupra altitudinem palmarũ eſt, atque nubium. His itaque non tàm, huiuſce rerræ indigenæ, quam Pilàtus, & hoſtes cõtinuò, vt viderunt eum, cognouerunt aliquid ſupra hominem in corpore illo deliteſcere. Cant. 7.

CAPVT LV.

Et percurrentes vniuerſam regionẽ illam cœperunt in grabatis eos, qui ſe malè habebant, circumferre, vbi audiebant eum eſſe.

PRofectò digni erant hi, qui agnoſcerent Chriſtum, quandoquidem tàm immenſum, & ſummum theſaurum communicari alijs, & optarunr, & curarunt. Nam percurrenres ſtatim, vel pedeſtres, vel equitibus velocibus aſſumptis, totam regionem eam impleuerunt notitia mirabilium Chriſti. Quare factus eſt oppidanorũ tantus cõuerſus, vt ne dũ ſani, ſed etiã ægri ad Chriſtũ properarent. Quidẽ etiã qui graui morbo retrahebantur cœperunr prece, ac præmio alios cõducere, vt dignarẽtur ſe cũ grabatis vehere ad medicum diuinũ, Expoſitio.

qui ſolo verbo omnia reſtaurat. Cumque in tàm inopinata fama, vt accidit, incertus proferretur locus, in quo degeret, ſalutis cupidi hac, illac curabant ſe circumferre, vbi ex rumore audirent perſiſtere, quouſque quem quærebant, inueniſſent.

Et percurrentes vniuerſam regionem illam. Motu proprio, quem ſpiritus diuinus, illis neſcientibus, efficiebat, velut concurſus, & clamores infantium, & lactentium, ac Ieroſolymorum dicentium: Benedictos qui venit in nomine Domini Hoſanna in excelſis filio Dauid. Itaque ſpiritus vbi vult ſpirat, ac ſæpius laicos homines, ſimpliceſq. mulieres præcurſores veritatis, & prædicatores facit operum Chriſti. Nec eſt enim in hominis poteſtate prohibere ſpiritum, quin curſum, linguam, & opera, quæ agitat in quo ſibi complacuit, retardet, aut cohibeat.

Cœperunt in grabatis eos, qui ſe malè habebant. Propter hos enim venerat, vt ſanarentur à languoribus ſuis; non quidem corporalibus ſolum, ſed ſpiritualibus, quibus tenentur, qui grabatis portantur, qui ſcilicet aliorum orationibus ſuſtinentur, ne pereant. Etenim peccator in tantam deuenit miſeriam, vt nihil ex ſe poſſit, nec habet, quo ad Chriſtum veniat, niſi portetur à fidelibus, qui continuis precibus eos, qui ſe malè habent, curant ad Chriſtum pertrahi, & ſanari.

Et circumferre vbi audiebant eum eſſe. Difficilis eſt inuentu Chriſtus, niſi audiatur in quo ſit. Hinc illa: Indica mihi vbi paſcas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam poſt greges ſodalium meorum. Audiamus autem per prædicantem eum eſſe in operibus miſericordiæ, in ſacramento, & in cælo, & in animo, qui ad eum ſe conuertit. Ergo conuertimini, & venite.

Cant. 1.

CAPVT LVI.

Et quocumque introibat in vicos, vel in villas, aut ciuitates, in plateis ponebant infirmos, & deprecabantur eum, vt vel fimbriam veſtimenti eius tangerent, & quotquot tangebant eum ſalui fiebant.

Expoſitio.

TAntam itaque deuotionem in populis excitarunt, qui regionem percurrerũt, vt quocumque ſe conuerteret Chriſtus, oppidatim ad eum omnes venirent, ſiue intraret in vicos, eos habebat præſentes, ſiue ad villas accederet, ibi eum cũcti expectabant; & ſi quando ad ciuitates ſe recepiſſet, in plateis offendebat infirmos expoſitos à portatoribus, qui vnà cum ægris deprecabantur Chriſtum dolentes, vt dignaretur eos ſanare, qui verò pedibus ſe tenere poterant, atq; incedere, currebant, ſi vel fimbriam, quæ à veſtimentis eius pẽdebat, quoquomodo tangerent. Nam experimento didicerant, ſaluari à morbis ægros, qui veſtimenti oram apprehendiſſent.

Et quocumque introibant. Ergo nõ venerat in regionem illam, vt otioſam ageret vitam, ſed vt opus conſummaret, quod ſibi demandatum fuerat, videlicet, faces Iſrael ſuſcitare, & ſaluare extremos terræ. Atqui eo intrat ad omnes, vt quaſi ſcopis mundet à ſordibus vagantes in regione mortis, & eos, qui ſedent in tenebris, illuminet, & erigat ſoſpites, qui vinculis, & morbis tenentur. Nam annum Iubilæi ipſe prædicat. Ergo & tu qui religionem ſuſcepiſti, noli pigritare, ſed diligenter intrà, & perage opus dum tempus eſt, quod pollicitus es complere.

In vicos, vel in villas, aut ciuitates. Prædicans ſemper verbum ſalutis; voluit enim, qui & Deus zelotes, & optimus redemptor, & prædicator omnes ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis Dei venire. Et quidem omnis ſpiritualis zelus doctoris animum frangit, quia valdè cruciatur (ſcribit Greg. lib. 1. ſuper Ezech. hom. 12.) dum infirmos quoſque æterna deſerere, & rebus temporalibus delectari conſpicit. Nullum quippè Deo omnipotenti tale eſt ſacrificium, quale eſt zelus animarum; ſicut Pſalmiſta ait: Zelus domus tuæ comedit me. Paul. Apoſt. zelo animarum cruciatus dicebat. Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror? ipſum ſuum corpus, quod animarum zelus ſuccenderat, quid aliud quàm quaſi ſartaginem fecerat, in quo amore virtutum contra vitia ardebat? Pauló poſt: Quid eſt, quod Ezechiel Propheta ſartaginem inter ſe, & ciuitatem murum ferreum ponit, niſi quod idem fortis zelus, qui nunc in mente doctoris agitur in die extremi iudicij inter eum, & animã, quam à vitijs zelatur teſtis eſt, vt etſi audire is, qui docetur, noluerit, doctor tamen pro zelo, qui exhibet, de auctoris negligentia reus non ſit? Et infrà; ſcriptum quippè eſt: in ſartagine oleo conſperſa frigetur, offerretque eam calidam in odorem ſuauiſſimum ſacerdos, qui patri iure ſucceſſerit, & tota cremabitur in altari. Tunc ſimilia in altari frigitur, cum munda mens iuſti per zeli ſancti ardorem crematur. Quæ conſpergi oleo præcipitur, ideſt charitatis miſericordia miſceri, quæ in conſpectu omnipotentis Dei ardet, & lucet. Ad hæc igitur Chriſtus hortatur ſuos, quando *in villas, vicos, & ciuitates* intrat repletus zelo, vt pereuntem ſaluet.

Zelus de ſalute animarum
1. Tim. 2.
Gregor.
Pſal. 68.
2. Cor. 11.
Leu. 6.

In plateis ponebant infirmos. Quoniam in illis locis publicis conueniebant populi, vt Chriſtum audirent, qui eo libentius prædicabat, quò facilius, ac crebrius delinquebant mortales. Iacet enim in plateis veri-

veritas,& abundat iniquitas,vſura,& dolus, & qui in eis conueniunt ſimiles pueris in foro ludentibus, nihil aliud intendunt, quàm animam ſnam venalem facere. Ergo optime & infirmi ſtatuuntur in plateis, & Chriſtus ibidem conuenit, vt plagatum à loco percuſſionis ſubleuet, & curet in eodem loco. Non enim aliter Chriſtus procedit ad forum. Inde Cabilonenſe Conc.c. 11. ſtatuit. Vt Epiſcopus ad forum, neque vbi publicè negotia iudiciaria exercentur, non pergat ſuæ cauſæ ſuffragaturus, niſi fortè, vt aut pauperibus oppreſſis ſuccurrat, aut viduis, aut orphanis tuitionem conferat, aut de verbo Dei iudices admoneat, vt iuxtà Domini præceptũ,iuſta iudicent iudicia. Hoc, & de Abbatibus, & de Presbyteris,& Diaconibus, & maximè monachis obſeruandum eſt.De his enim multiplex extat conſtitutio,præſertim in Concilio Moguntiaco c.12.& 14.

Cabilon Synod c.11. — *Ioan.7.* — *Conc. Mogunt.*

Et deprecabantur eum. Compulſi quidem morbis. Nam legimus: Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum poſtea acceſerauerunt. Tunc enim ferociſſimi leones, qui ſe ſpinis transfixos cernunt, ſupplices ad homines veniunt, vt ad medicos, quemadmodum de quibuſdam prodit Plinius.Et hi pariter in die belli conuerſi ſunt, & dum configitur ſpina clamant ad Deum Saluatorem ſuum, & diluculò veniunt afflicti ad eum, quem in delicijs dereliquebant poſt tergũ, neque dediguabantur ſalutare.Nihilominus redeuntes amplectitur, deprecantes audit, & ſperantibus in eum non ſe denegat,neque ſubtrahit auxilium. Ergo (monet Synod. Moguntiaca) ſpes in Deum firmiter Chriſtianis tenenda eſt, vndè Pſalmiſta commemorat: Sperante in eo omnis congregatio populi,& reliqua;& iterum ſpera in Deo,& fac bonitatem.Et iterum: Sperantes in Domino miſericordia circumdabit, & Apoſt. ſpe enim ſalui facti ſumus: Nam ſpes non confundit, ſed deprecantẽ roborat,vt oret, & conſoletur, dum acceptum facit Deo, & dignum beneficio,quod efflagitat.

Pſal.15. — *Synod. Mogunt.c.2.* — *Pſal 62.* — *Pſal 93.* — *Pſal 3.* — *Rom.8.*

Vt vel fimbriam veſtimenti eius tangerent Iudæi enim (notat Lyra) diſtincti erant ab alijs gentibus,non ſolum lege,ſed etiam habitu,quia Num. 15. præcipitur, quod facerent fimbrias in angulis palliorum,& talem habitum portabat Chriſtus,ſicut & legem ſeruauit, & ad tactum huiuſmodi fimbriarum curabantur infirmi. Cupiebat itaque *fimbriam tangere*. Nam miraculum (inquit Theophyl.)quod in muliere operatus fuerat,quæ ſanguinis profluuio laborabat,ad omnium aures peruenerat,fidemque auxerat.Ecquid ſunt fimbriæ niſi humiliores veſtimentorum partes?At cunctis Chriſti humiliari oportet,nedum plebem, ſed maiores quouſque, quoniam ſcriptum eſt: Omne genu curuabitur. Humiliamini ſub potenti manu Dei. Quid? etiam omni humanæ creaturæ propter Deum;omnes enim homines natura æquales genuit (inquit Gregor.lib.1. paſtor. cap.6.) ſed variante meritorum ordinè,àlios alijs culpa poſtponit. Vndè Iſidor.lib.3.de ſum.bon.c.42. qui proficitur ad regimen,taliter erga diſciplinam ſubditorum præſtare ſe debet,vt non ſolum auctoritate,verum etiam humilitate clareſcat. Sed tamen ita erit in eo virtus humilitatis,ne diſſoluatur vita ſubditorum in vitijs, atque ita auctoritas aderit poteſtatis,ne per tumorem cordis ſeueritas exiſtat immoderationis.Hæc ille.

Lyra. — *Num.15.* — *Theoph.* — *Gregor.* — *Iſidor.*

Et quotquot tangebant eum ſalui fiebant. Ex ijs, qui credebãt(aduertit Arias Mont.) illius virtutem diuinam ad beneficium hominum; nam multi non ſolum tangebant, ſed comprimebant eum, quos vtpotè non rectè credentes, illa virtus non ſeruabat. Exemplum certiſſimum huius rei ſuperius videmus in Hæmorrhoiſa fœmina; ſaluac itaque fimbriam tangere. Quoniã vnguentum,quod deſcendit in capite,vſq;ad oram veſtimenti defluxit. Et hoc quale? quod eſt ſuper omnia aromata;in cuius odorem currunt adoleſcentulæ; ſanctum vnguentũ cõpoſitũ opere vnguẽtario,hoc eſt, opere Spiritus ſãncti. Nam gratia,& veritas, quæ per Ieſum Chriſtũ facta eſt,à Spiritu ſancto diffunditur ſuper Chriſtum,& per eum,ac meritum humanitatis eius, quæ veſtimentorũ eſt fimbria,communicatur infectis,& quotquot ſaluat. Hinc ille: Gratia enim ſaluati eſtis per fidem,& hoc non ex vobis, donum Dei eſt,non ex operibus,ne quis glorietur, ſed ex Chriſti merito, qui cum Patre, & Spiritu ſãncto regnat, & qui per eum ſalui facti ſunt corregnant in ſæcula ſæculorum. Amen.

Arias Montan. — *Pſal.132.* — *Cant 4.* — *Ioan.1.* — *Epheſ.2.*

FINIS LIBRI SEXTI.

IN SACROSANCTVM CHRISTI EVANGELIVM SECVNDVM MARCVM

LIBER SEPTIMVS.

IN CAPVT SEPTIMVM

PRAEFATIO.

EIDEM Genezareorum, & deuotionem erga Chriſtum vidimus proximo præcedenti capite; præſenti Phariſæorum malitiam, qua ad ſummũ bonum, quaſi ad facinoroſum conueniunt; & quæ ſunt Chriſti impugnant, percurramus. Phariſæorum itaque, & Scribarum conuentu facto ſtatuunt Apoſtolos, quod illotis manibus manducarent, ad Chriſtum deferre; non tàm zelo traditionum, inter quas crebram lotionem reputabant ſummam, quàm liuore inuidia, qua in Chriſtũ excandeſcebant. Ergo proſiliunt in hæc verba: Quare diſcipuli tui non ambulant ſecundum traditionem ſeniorum, ſed communibus manibus manducant panem? *At ſpeculator cunctorum Chriſtus, hypocriſi eorum detecta, qui extrinſeca curabant tantum, Deo, & quæ Dei ſunt, mandatis omiſſis: Reſpondet, illotis manibus manducare, neque legi aduerſari, neque officere his, quæ ad animi ornamenta ſpectant. Hæc enim non cibus, ſed cogitatio, quæ à corde procedit, & opus deturpant hominem. Quare dato reſponſo, & explicato, tùm turbis, tùm diſcipulis, relictis e loco, verſuſque fines Tyri, & Sidonis proficiſcitur, ac volens in domo latere, non potuit. Nam etſi corporis quies poſtularet latibulum, charitatis flamma non patiebatur aliena relinquere. Vndè etſi Syrophenißam, pro obſeſſa filia deprecantem videretur expellere; demum audiuit, & remiſit lætam: Idem prorſus cum muto, & ſurdo, quem venienti per Sidonem ad mare Galilææ præſentarunt, operatus eſt. Quæ res adeò cunctorum animos allexit, & admirari fecit operum Chriſti, vt vnanimiter exclamarent in eius laudem:* Benè omnia fecit, & ſurdos fecit audire, & mutos loqui. *Reducitur itaque præſens enarratio ad tres partes. Ex quibus prior falſos accuſatores inſimulat; Sequens proponit factum cum Syrophenißa; In tertia obſeſſum à dæmone, qui elinguem, ac ſurdum efficiebat hominem, per Chriſtum tamen liberatum videmus.*

Diuiſio in tres partes.

CAPVT PRIMVM.

Et conueniunt ad eum Phariſæi, & quidam de Scribis venientes ab Ieroſolymis.

Expoſitio.

FAmam tùm doctrinæ, tùm miraculorum Chriſti audientes Ieroſolymitæ diſſecabantur cordibus, neque poterant pati tantam de homine, quam ſpernebant, gloriã enarrari. Quamobrem confuſim conſulũt, quomodo valeant nomen, & auctoritatem, quam apud cæteros Chriſtus habebat, diminuere, & eum in ſuſpicionem populi adducere, de pſeudopropheta, ac erroneo magiſtro, qui diſcipulos à Patrum conſtitutionibus retraheret. Firmum itaque volentes facere concilium, qui præſidebant concioni, legationem Phariſæis, & quibuſdam Scribis committunt. Nam illi à Religione habebantur celebres; hi verò litteris honorem vbique ſibi vendicabant. Ergò vt à ſupremo totius Iudaiſmi ſenatu miſſi conueniunt pompaticè, & graui inceſſu ad Chriſtum; vt qui primatum in omni Religione arbitratu ſuo tenebant: quippequi Phariſæi, hoc eſt, ſeparati ab alijs, vt aurum à Scoria, argentũ à ſorde, & à vili prætioſum, docerent eum de Religione: Aliam verò partẽ, quẽ in optimo Magiſtro, & Propheta deſideratur, videlicet Scripturarum intelligentiam, leges maiorum, atque doctrinam, Scribæ, qui eo pariter conuenerant, Chriſto quaſi ignaro, & irreligioſo proponerent, vt à viris in optimo dicendi, & operandi genere redargutum, vilem redderent his, qui eum tantis acclamationibus proſequebantur. Quid? quod deterrerent, ne mußitare quidẽ amplius auderet, cernens, non à villis, aut vicis; ſed ab Ieroſolymis, & ſupremo Synagogæ conuentu ſe inſimulari. Cæterum ò ſerpentes colligamini, conuenite in vnum agmen elephantes, cogite conci-

enincllium leopardi, & venite, quia non fiet. Sed in vos hæc eudetur faba.

Et conueniunt ad eum Phariſæi. Erant hi Religioſi, qui vt plurimum in communi loco degentes, apud Iudæos erant honori, de quibus ex Ioſepho Antiq. lib. 18. cap. 2. de bello Iud. lib. 2. cap. 7, Epiph. lib. 1 panar. cap. 15. & 16. alibi dictum eſt: Mox quomodo viuendi ritum ex nomine oſtentarent, paucis proſequamur. *Phariſæi* enim vocitabantur. Eſt autem Pherez פרץ diuiſio, à verbo פרץ Pharaz, quod interpretatur, diuidere, rumpere, diruere, deſtruere, & diſpergere. Hoc igitur nomine velut inſcriptione librorum, totam ſectæ ſuæ conſuetudinem indicabant, & mores profeſſorum; eſſe, inquam, viros, qui ſanctis inſtitutis, ab vniuerſis diuidebantur, & diſcreti ab alijs; nihil præter Deum olfacerent, & ſtuderent tantum veritati. Cæterum cum à priorum inſtitutis paulatim declinarent, tantum à vero longè facti ſunt, vt bonum malum, & verum falſum dicerent, more caligantium, qui in vmbris, & radijs ludificantur. Atque adeo inſipiens factum eſt cor eorum, vt illud communirent velut Gigantes armati aduerſus Dominum, & aduerſus Christum eius: Quare nomen pheres, ceu phereſim hoc eſt phariſæorum, quod olim erat honori, in opprobrium verſum eſt. Vt & modo nomen inſtituti, cuius profeſſores obliti ſunt pacti, male ſonat apud aliquos qui tam procaciter inſinuant ſtatum, vt abſque diſcrimine, in eo profeſſum ducant inglorium. Nec quidem abſque damno tàm eius, qui ſcandalizatur, & infert iniuriam; quàm ipſius qui in ſtatu ſacro prophanam agens vitam, ſcandalum præbet. Statuit ergo iam olim Concilium apud palatium Vernis anno Domini, 755. pontificante Stephano 3. & gubernante Galliam Pipino cap. 5. Vt monaſteria tàm virorum, quàm puellarum, ſecundum ordinem regulariter viuant. Et ſi hoc facere contempſerint, Epiſcopus in cuius parrochia eſſe videntur, hoc emendare debeat, quod ſi non potuerit hoc emendare, illi, quem metropolitanum conſtituimus, hæc innoteſcat, & ipſe hoc emendari faciat. Quod ſi hoc nec ipſe emendare potuerit, ad Synodum publicam exinde veniant, & ibidem canonicam ſententiam accipiant. Et ſi publicam Synodum contempſerint, aut excommunicentur ab omnibus Epiſcopis, & talis in eius loco in ipſa Synodo conſtituatur per verbum, & voluntatem Domini Regis, qui ſecundum ordinem ſanctũ, ipſum gregem regit. Huic decreto, propter multorum exceſſus, Synodus Tridentina nuper ædita, ſuperaddidit, vniuerſos Epiſcopos legatos conſtituere, ſuper Religioſos, qui à nomine ſtatus, & Symbolo habitus diſcordent, neque à ſuis maioribus corriguntur. Etenim qui profeſſum ordinem prætergreditur, non hominibus, ſed Deo mentitur, cæli militiam irritat, & iure aduerſum ſe omnes prouocat, vt & phariſæum cum vilipendio acclament, qui conuenit contra Dominum ſemper. Vnde non phares, hoc eſt diuiſus ab alijs; ſed פריץ pharis, hoc eſt, fur et latro, qui rumpit religionis maceriem, qui deſtruit pulchritudinem ſpicarum, & baccarum priorum; qui diſpergit, quæ tantis ſudoribus alij congregauerant, & qui denique rapit, vt torrens vehemens, cunctam aliorum ſubſtantiam; ſed proh dolor, ipſe demum מפרצת mephorezet, ab eodem pharaz emanans; hoc eſt, dirutus & deſtructus. Nam quis reſtitit Deo, & pacem habuit? Ergo ò patres, & fratres videte vocationem veſtram, & nolite cum phariſæis Iudaicæ ſectæ conuenire contra Christum, quia, qui impigerit in lapidem iſtum confringetur. Eritque non pherez; ſed pharíz.

Phariſæorũ peruerſitas.

Quantum offecit malum exemplum religioſorũ.

Concilium in palatio Vernis.

Conc. Trid.

Et quidam de Scribis venientes ab Ieroſolymis. Horum quoque dignitas, & munus ex nomine colligitur. Nam Scriba, qui apud Hebræos ספר ſopher, quo etiam textus Chaldæus vtitur, ſcriptor eſt, qui iuſſu Magiſtratus publica geſta deſcribit; quem Græci γραμματεὺς ceu ἀγγελεὺς, noſtri verò, notarium, appellant. Erat quidem penes Iudæos percelebre officium, ac neceſſarium genti, quæ, vt geneologias tribus ſeruarent integras, cunctorum propagationes ſcriptis mandabant. Ideò autem potiſſimum ſcribarum collegium inſtitutum eſſe, potius quàm ad lites; vt noſtri deſeruiunt, verbum ספר ſaphar, vnde ſopher, ſubindicat. Nam etſi, referre, interpretari valeat, frequentius pro recenſere, ac numerare, accipitur, vt 2. Reg. 24. Percuſſit autem cor Dauid eum poſtquam numeratus eſt populus, vel vt habet Pagninus, poſtquam numerauit populum אחריכן ספר את-העם hachare chen ſapher eth haham. Similiter apud Iſaiam 33. vbi eſt litteratus? vbi legis verba ponderans? vbi doctor paruulorum? pro quo in hebræo איה ספר איה שקל איה ספר את-המגדלים haie ſopher haie ſcochel haſſopher eth hamgidalim. Vbi ſcriba? vbi pōderator? vbi numerans turres? Itaque ex his, alijſq. ſcripturæ locis liquido cōſtat ſopher, qui & ſcriba, apud veteres Iudæos fuiſſe eũ, qui numerandis familijs, atque rebus, quæ ad ornatum Reipublicę, & conſeruationem diſtinctam familiarum ſpectabant. Necnon enim, qui Interpretationi ſcripturarum vacaret, iuxta illud. Super cathedram Moyſi ſederunt ſcribæ, & phariſæi. His enim etſi vt Hier. in Iſai. cap 8. vult, paulo ante aduentum Chriſti, ex ſammai, & Hillel orti, curam ſcripturarum, & legis demandatam ob Religionem, & peritiam, qua plus quàm in cæteris videbantur florere, credendum

Qui dicebátur ſcribæ.

Pagn.

Matth 23.

Hier.

eſt,

eſt, vt & modo inquiſitorum officium, quod eſt Epiſcoporum, in Italia cernimus patribus Dominicani inſtituti, & Frãciſcani, cõmitti; & in Hiſpania, ac Regnis Regi Catholico ſubiectis cenſurant libros, illi quibus ab inquiſitoribus demandatur; ita Scribarum, ac Phariſæorum collegijs, quæ erãt ſacerdotum, credebantur. Cœterum turbatis iam temporalibus non ſolum erraruĩt ipſi in pleriſque, ſed et alios errare fecerũt. Nam Chriſtum non receperunt, quin conuenerunt pariter aduerſus eum. Gannæius autem non abs re Phariſæos, & Scribas ab Ieroſolymis venientes deſcribit, qui cæteris eſſent, vt plurimum, nequiores, ſicut plerumq. contigit maiorum vrbium incolas, cæteris malitia præſtare; licet à qualibet Tribu eiuſmodi Phariſæi, & Scribæ, & à qualibet vrbe Iudæ eſſent, & talem ſectam profiterentur.

Gannæius.

CAPVT SECVNDVM.

Et cum vidiſſent quoſdam ex diſcipulis eius, communibus manibus; ideſt, non lotis, manducare panes, vituperauerunt.

Expoſitio.

QVa permoti occaſione legationem tãtæ auctoritatis viri ſuſceperint, mox detegitur. Etenim pleni æmulatione, vniverſa, quæ ad Chriſtum ſpectabant, curioſius multo perſcrutantes, nihil quod carperent inuenerunt; quare in perquirendis diſcipulorum moribus abduxerunt animũ, ſi forte quid impolitum in hominibus, alioqui ſimplicibus, aduerterent, quod in magiſtrum retorquerent. Cum ergo ſcrutatores errorum vidiſſent, non omnes, ſed quoſdam, qui diuinis occupati, politiam mundi non curabant, manibus comunibus contractare epulas, & illotis manibus accumbere menſis, panem ſumere, & manducare, arbitrati ſunt habere, quod in magiſtro vituperarent.

Malitia Phariſæorum.

Et cum vidiſſent. Non quidem fortuito, aut caſu, ſed data opera intendentes his, quæ vel audiebant, vel videbant de Chriſto, ac diſcipulis, ſi quid reprehenſione, & calumnia dignum occurreret. Tota enim die verba mea execrabantur (ait Chriſtus per vatem) aduerſum me omnes cogitationes in malum, inhabitabunt, & abſcondent: ipſi calcaneum meum obſeruabunt. Hoc eſt, ſtudioſè, velut leporarij canes veſtigia leporis ſubolentes, iniquè ſcrobiculos, & arbuſta, ac rubos, ſi valeant apprehendere inſontem. Pro calcaneo enim habet lectio hebræa עקבי hacebai, hoc eſt veſtigia mea à verba עקב hacab, hoc eſt ſupplantare, doloſè agere, & fraudare, vt Gen. 27. 36. Nam qui callidè inſectatur veſtigia alterius, præſumitur doloſus, & ſupplantator, qui vt ſubuertat à fundamentis plantam, ac veſtigium, quærit ſedulus tenere. Proinde Paraphraſtes Caldæus habet: Ipſi plantas meas obſeruabunt, hoc eſt, vt Genebrardus exponit, mea veſtigia, itinera mea, & perfectiones, per quas iturus ſum, vt in illis ſtatuant laqueos, meos greſſus diligenter notabunt, quid ſuſcipere velim, quid conet; quid iuſtitiam, inſidioſè conſiderabunt. Et quidem hoc idem in membris agitur. Iuſti enim qui ſunt Chriſti ab his, qui ex patre Diabolo propagantur, ſupplãtantur, & omnes apponunt conatus, vt iniquitatem in domo iuſti inueniant, vt eam concutiant quatuor in angulis, & deprimãt ab honore, quo circumſtantes paruuli Dauid perſequuntur. Verumtamen (ſcribit Arnobius in hunc Pſal. 55.) Si tenuerint te Allophyli, & à ſanctis cogitationibus longe fecerint, clama ad Deum dicens: Miſerere mei Domine, quoniam conculcauit me homo, vtique exterior. Per te enim agunt contra te, per ipſum tota die pugnant aduerſum te inimici tui. Sed hi, qui bellant aduerſum te, timebunt, ſi dixeris Deo: Ego Domine in te ſperabo, non timebo, quid ſaciat mihi caro. Inimici mei, verba mea execrantur dicentes, ita iſte caſtitatem docet, ſeminemus ei libidines; hic, qui contemptum mundi prædicat, amorem pecuniæ immittamus ei, ne ergo eueniat (hortatur infra) clama ad Deum, nuncia ei vitam tuam, pone lachrymas tuas in conſpectu eius, & ſicut promiſit, quoniam qui ſperat in me, liberabo eum. Sicut in promiſſione ſua pollicitus eſt, ita conuertat inimicos tuos retro, vt cognoſcas, quia tecum eſt Deus tuus, & incipias in Deo laudes canere, & non timere, quid faciat tibi homo, ſiue caro, ſiue ipſe, qui inimicus homo in Euangelijs Chriſti detegitur tritico ſuperſeuiſſe zizanias: Tunc ergo vota tua reddes Domino, quæ in baptiſmo poſitus promiſiſti: Renuntiare te Diabolo, & omnibus pompis & criminibus eius. Tunc, inquam, cum eripuerit Dominus animam tuam de morte luxuriæ, & oculos tuos de interitu concupiſcentiæ, & pedes tuos à lapſu, tunc placebis in lumine viuentium, faciente Domino Ieſu Chriſto, per quem, & cum quo tibi Deo patri, cum Spiritu ſancto eſt vna diuinitas indiuiſa trinitas ante omnia, & nunc, & in cuncta ſæcula ſæculorum, Amen. Hæc ille. Cui ſubiunge hoc vnum, & alio qui certiſſimum contra obſeruantium inſidias, ſcutum pijs concedi; cum illi, ſcilicet, peruigilant videre digreſſiones, & prolapſus noſtros; nos iugiter in auctorẽ, & conſumatorem oculos figere: Quoniam ſcriptum eſt; Scuto circumdabit te veritas eius. Hoc eſt iuxtà hebræum סחרה ſochera; ſcuto, quod impenetrabile eſt,

Pſal. 55.

Quam obſeruantes doloſi facti alieni.

Genebrard.

Arnob.

Pſal 55.

In malorum inſidijs confugiendum eſt ad Deũ.

eſt , & ſua rotunditate totum hominem tegit, & defendit à ſagitta vulnerante, ſimulq. obleſtat abſque grauamine. Vnde Heſter. 1.6. interpretatur hyacinthus, vel ſecundũ Hier. paris lapis, quem mercatores præ delitijs, manibus geſtant. Nobis autem, qui talentum negociamur, ſcutum offert. Deus noſter refugium, & virtus, vt nunquã à memoria excidat, qui veritas eſt, & ſtat in ſignum populorum, ne quando ſerpentes igniti præualeant.

Protectio Dei ſecura, & ſuauis. Hieron.

Quoſdam ex diſcipulis eius. Non omnes. Erant enim alij alijs vrbaniores, & vigilantiores in obſeruandis, quæ à magiſtro audierant, minus ducentes quæ de cultu corporis tradebant Synagogæ Principes: Nam quorum conuerſatio in cælis eſt, & intenti ſunt aſtrologicis diſciplinis, quæ deorſum ſunt non curant, neque facilè ad agriculturam, aut ſylueſtrem venationem ſe abducunt; ſed ea complectantur ſtudia, quæ ab inferioribus animum auocent, & trahant ad ſupera, ſi quo modo iuſtitiam Abel aſſequantur, & mereantur laudari cum Iacob, & nomen Iſrael obtinere. Quicquid à ſcopo eiuſmodi diuertit animum, graue ducũt, & continuo diffugiunt; ſiuè illud ſit lauare veſtes, vt Hilarion, ſiuè cibos præparare, vt Iuniperus, ſiue alloqui homines, vt Onufrius, ſiue politiam corporis ſectari, vt Epiphanius, atque alij conſimiles, ſpernunt ea, quæ iuxta conditionem vel naturæ, vel ſpiritus vocationem ſibi videntur moleſta, aut certe nulla, ad ea, quæ ambiunt quum plerumque ijſdem alij iuuentur. Nam & in vrbana politia profecit S. Bonauentura, S. Hieronym. iuuit doctrinæ varietas, & Ciciliç nihil nocuit cultus veſtium, quin & in aula Regis, ac menſa laudem permeruit Heſter, Daniel, atque alij. Ergo quoſdam inueniri diſcipulos Chriſti, contemnentes vrbanitatis leges, & conſuetudines hominum; & alios earundem ſtudioſos, nulli admirationem ferat, ſed ex prioribus caſtè iudicet, & piè credat altitudinem diuitiarum Dei infuſam ſanctis, vt non intelligat homo, quid Deus in illis velit, neque in tanta ſtudiorum nedum varietate, ſed contrarietate operetur. Agnitori enim omnium iſta ſeruantur. Quia hæc dicit Dominus ad me. Quieſcam, & conſiderabo in loco meo, ſicut meridiana lux clara eſt, & ſicut nubes roris in die meſſis. Hoc eſt ego, qui vniuerſa contemplor, in tàm varia, & perplexa ſtudiorum varietate, quæ in meis cernitur, ſecuros, & quietos reddam. Vnde ſeptuaginta transferunt. Securitas erit in mea Ciuitate, ſicut lux ardoris in meridie, & ſicut nubes roris diei meſſis erit. Et Chaldæus paraphraſtes. Requieſcere faciam populum meum Iſrael; quieſcere faciam eos, & complacebit mihi in habitaculo ſancto meo, vt benefaciam eis, benedictiones, & conſolationes adducam eis cito, ſicut calor æſtuans ſole, ſicut nubes roris in calore meſſis. Mox Ciuitas Dei ac populus Iſrael, penes quem ſeruatur habitaculum Dei, cultores Chriſti ſunt, qui vocationes ſequuntur, pro vt à Spiritu ſancto agitantur; ijs conſolationes promittit, & confert ei, quem vel ad paupertatem franciſcanam vocauit, & nuditatem, vel ad inſtitutum victu & veſtitu locuples; ſi tamen compleant, quæ vouerunt, & non procraſtinant inſpirationes, quibus continuo ad meliora propulſantur.

Iuſti ſemper intenti ſanctis cogitationibus.

Exterioribus rebus aliquando iuuantur.

Iſai. 18.

Paraphraſt. Chald.

Communibus manibus. Hoc eſt, immundis. In ſcripturis enim [illegible] pro immundo, & immundificari vſurpatur. Vnde Petrus poſt, commune, ſubiecit, immundum. Quia nunquam manducaui omne commune, & immundum [illegible] Et vox quæ ad eum ſecundo facta eſt conſentit: Quæ Deus (inquit) purificauit, tu commune ne dixeris [illegible]. Alludit Angelus ad ſermonem Petri ſecundũ autem morem Iudæorum loquutus eſt Petrus (notat Dionyſ. Carthuſ.) qui cibos lege prohibitos vocabant immundos, itemque communes, qui à gentibus communiter edebantur. Quare (ſcribit Arias Montanus) *commune*, verbum eſt magiſtrale, in traditionibus commune. *Communicare* idem ſignificat, quod prophanum, aut prophanare, diſtinguitur autem iuxta ſubiectam rationem, vt communis cibus, ideſt, impurus; communis dies, ideſt, profectus, ſiue luctuoſus potius; *communes manus*, ideſt, *illotæ*, vt auctor ipſe exponit. Itaque (concludit Gannæius) *communes*, Hebræi immundum vocant, quod multa, quæ à gentibus tractare licebat, Iudæis non licerent: Per quorum tactum & vſum immundi cenſebantur. Iam vel inde inaugurantes, ſibi fore immundam Chriſti legem, ac fidem, & Euangelium, quæ orbi toti communia ſunt. Legem enim, quam inſulæ expectabant, & legiſlatorem, qui erat deſideratus cunctis gentibus, & ab omnibus populis, linguis, & tribubus acceptatus eſt. Tenentes (inquit) legem, neſcierunt; & abiecerunt legem Domini exercitium, nam immunda infelices reputant vniuerſa, quæ ad Chriſtum attinent. Quamobrem tantam in hominibus perfidiam, longe ante videns propheta eorum, exclamat: Quomodo facta eſt meretrix Ciuitas fidelis plena iudicij? Iuſtitia habitauit in ea, nunc autem homicidæ. Argentum tuum verſum eſt in ſcoriam, vinum tuum mixtum eſt aqua. Vinum Iudæis erat fides mediatoris, per quam ſaluabantur, mixta tamen nunc tantis erroribus, vim nullam confert; ſicut neque vinum omni ferè ex parte aqua permixtum exhilarat, neque robur laboranti præſtat. Argentum erat eloquium propheticum; quod

Act. 10.

Arias Montanus. Quæ dicebant Iudæi communia.

Gannæius.

Quare aſpernantur Legẽ Euangelicã.

Iſai. 42.

Iſai. 5.

ijſdem

ijſdem modo eſt Scorium, quum tantum abeſt, vt illuſtrentur, quod in eo potius in die obſcurentur. Quare communia, quæ omnibus ſalutem pollicentur, miſeris, & infelicibus ſunt immunda, & noxia.

Ideſt, non lotis, manducare panes. Non eſt hoc eo ſenſu accipiendum (notat Victor
Victor. Ant. Antiochenus) quaſi diſcipuli manus nullo
An diſcipuli lauerint manus. modo lauerint: Non ita enim res ſe habet, verum quia à Domino edocti erant, vt ea, quæ ad explendam communem corporis commoditatem adminiſtrarent; ſoli autem virtutis ſtudio ex animo incumberent, quo tempore cibus ſumendus erat, de receptis apud Phariſæos lauationibus non magnopere curabant. Hoc autem cum Scribæ, & Phariſæi animaduertiſſent, illos veluti vſitatarum traditionum trangreſſores, apud Chriſtum accuſabant. Sed & *manducare*
Gann. *panes* (ſubiungit Gannæius) hebraiſmus
Theoph. eſt, pro ſolitum prandium, ſiue cœnam ſumere. Diſcipuli itaque Domini (infert Theophyl.) docti ſolam virtutem amplexati, & in alijs non eſſe ſuperſtitioſi, illotis manibus comedebant ſimpliciter, & abſq. curioſitate, qua ſolent delicati homines
Quidã molliculi nimij in lotione manuum. vti, vt dealbent potius, & emolleſcant manus, inſtar mulierum, quam vt lauent, & emundent, aſſumentes aquam odoriferam, aut ſaponem, vel mala punica, & ſuccus compoſitos, quandoque emplaſtris, ſi quo modo obfuſcos carnium colores, tranſmutent in niueos, & fragrantes. Quo in vitio peccare Religioſos aliquos, qui ſe iactant Chriſti diſcipulos, comperi. Quos ergo potius acclamabo inimicos crucis Chriſti, filiam vagam, delitijs diſſolutam, & columbam ſeductam, quæ indiget corde; dum enim lotionem frequentat, ſagitta transfi-
Curioſitas Inimica religionis. gitur. Siquidem curioſitas, quæ vitiat monachatum, immò verò deſtruit Religioſitatem, & temperantiæ ornamentum denigrat, cerpit miſerum. Caueret autem argema, ac morbum hunc oculorũ, ſi ad cuſtodiam oris ſui, & propoſiti conſtantiam, hoc ſem-
Philibert. in vita S. Ber. cap. 9. lib. 1. per in corde frequenterque in ore haberet, id, quod clarauallenſis ille: Bernarde, Bernarde ad quid veniſti?

Vituperauerunt. In græco eſt, ἐμέμψαντο
Pagn. hoc eſt, incuſarunt, vt vertit Pagninus, vel
Gann. vt Gannæius, conqueſti ſunt, & vitio verterunt. Vulgata tranſtulit, *vituperauerunt*, quod non tàm litteram, quàm conceptum malignantium intendat exprimere. Incuſabant non ſegniter quod viderant, ſed vt vitium omnium deteſtabile vituperabãt.
Arias Mõt. Nec ſolum factum (notat Arias Montanus) ſed ipſum Ieſum, tamquam auctorem illius
Gloſſ. exempli. Itaque de non lotis corporis ma-
Mali facile iuſtos accuſant. nibus vituperant (ait gloſſ.) cum in illorum operibus nihil immunditiæ inueniatur; ipſi aqua exterius loti, conſcientiæ liuore intus ſunt polluti: Etenim ad eos loquitur

propheta: Principes tui infideles, ſocij fu- *Iſai. 1.*
rum, omnes diligunt munera ſequuntur retributionem, pupillo non iudicant, & cauſa viduæ non ingreditur ad illos; quid? quod manus eorum ſanguine plenæ ſunt. Habent & hi poſteros, qui grauioribus perciti vitijs, illotas manus, quas in religioſis vident, perhorreſcũt, vituperant, & de eis conqueruntur, trabem autem, quæ totum oculum eorum transfigit, non conſiderant. Ad quem ſiue Epiſcopus fuerit, ſiue præſes alius, aut Rector, ait qui æqua lance ſingula perpendit: Hypocrita, eijce primum trabem de *Luc. 6.*
oculo tuo. Nam in quo alium iudicas teipſum condemnas; quia maius tibi iudicium ſumis.

CAPVT TERTIVM.

Phariſæi enim, & omnes Iudæi, niſi crebro lauerint manus, non manducant, tenentes traditiones ſeniorum.

Reddit rationem Euangeliſta, cur gen- *Expoſitio.*
tes eiuſmodi tanti fecerint illotis manibus cibum ſumere. Quoniam (inquit) Phariſæi, penes quos religionis, & ſanctimoniæ sũma videbatur ſita; quin & omnes Iudæi, qui erant obſeruantiores cæteris gentibus, tantopere munditiam amabant, vt niſi *crebro*, ne dum in principio cœnæ, aut prandij, ſed in medio, atque fine, & interdici *manus* diligenter aqua puriſſima *lauerint*, neque ad menſam accedunt, neq. recumbunt, neque panem, aut pulmentum, ceu ſalſamentum contractant, neque *manducant*. Sunt quippe traditionum, quas
Ezech.
Prou. eorum ſeniores tradiderunt, cultores, atque adeo in ijs adimplendis ſeduli, vt nec minimam prætereant. Legebant enim, qui cuſtodierit præceptum non experietur quicquam mali, quinimo in pace verſabitur. Et iterũ: Qui cuſtodit mandatum cuſtodit animam ſuã, qui aũt negligit viã ſuam mortificabitur. At quantũ hallucinarentur, & aberrarent, traditionẽ, haud ſecus quàm mandatum, cõplectentes, aperiet clauicularius Regni, & ſcripturarum auctor, & interpres.

Phariſæi enim, & omnes Iudæi. Vt erant in Religione cæteris perfectiores, & ſaniores in fidei claritate; ita & in moribus politiores ſemper apud omnes gentes ſunt habiti, & in omnibus, quæ ad cultum vitæ humanæ ſpectant peritiores. Id quod in omni genere fidelium obſeruamus. Namq. fides, quæ hominem illuminat, vt perſpicaciorem in ſupernaturalibus agnoſcendis, reddit, ita viuacem efficit, & acutum in inferioribus, ſi ad ea animum applicuerit. Fit enim fidelis gladius anceps, vtraque ex parte acutus; infidelis contra, hebes, & ſtolidus, vt vix ſuis naturæ commodis perſpicere

ſpicere

Grauior lapſus fidelis quàm infidelis.

ſpicere ſciat. Verum ſi fidelis abutatur lumine, & acutie, horribilius multo, quàm vnquã infidelis declinat, & deterius multo errat, quàm is qui Deum non cognouit; hoc in Iudæis; idem in Hæreticis, necnon in perfidis hominibus, experimur. Qui quàm deformes in optimæ politiæ moribus ſint, quàmque ab optimo viuendi inſtituto, etiã gentilico, quem humanæ reipublicæ apud Romanos, Rhodios, Lacedæmonios, Athenienſes, atque alios, ordinarũt, longè ſiant, quiſque dicit, qui infelicium conſuetudines fuerit perſcrutatus. Hinc ille: Attendi, & auſcultaui: nemo quod bonum eſt loquitur, nullus eſt qui agat pœnitentiam ſuper peccato ſuo, dicens; quid feci? omnes conuerſi ſunt ad curſum ſuum, quaſi equus impetu vadens ad prælium; vel iuxtà paraphraſim Ionathæ omnes multiplicant voluntatem animæ ſuæ, ſicut equus, qui confligit. Is enim efferuens, calce, genu, ſaltu, morſu, crine, cauda, & curſu deformi, alium à priori, ſe oſtendit, & ferociſſimum, vt perſæpe ſeſſori mortem inferat. Ad huiuſmodi inſaniam deuenit præuaricator, & qui perfidus eſt, & ad innumera vitia, & enormia ſe dimittit. Verbum enim Domini proiecerunt, & ſapientia nulla eſt in eis; ſeu vt habet Hier. tranſlatio, quia verbum Domini reprobauerunt, ſapientia quæ eſt in ipſis? quaſi diceret nulla. quoniam ſapientia eſt audire verbum Dei, complecti eius doctrinam, & facere, quæ demandat. Cæterum, quomodo periculum horum Iudæi fecerint paulò inferius contemplabimur. Interim ad litteram redeo.

Ierem. 8. *Paraphr. Ionat.* *Ierem 8.* *Hier.*

Niſi crebro lauerint manus non manducant. Senſus ergo eſt (inquit Gannæius) huius loci, quod phariſæi, quum à foro redeunt, quo paſſim Iudęi permixti gentibus conueniunt: Quoniam neceſſe eſt multa contractare, quæ gentes contingunt, quorum attrectatione immundos ſe putant, numquam cibum ſumunt, niſi ſe abluerint. Id enim ſignificat verbum baptizentur, quod plus ſignificat, quàm abluere βαπτίζω enim ſignificat immergere ſe, & totum corpus abluere, quod per hypocriſim faciebant Phariſæi, ne qua videlicet corporis pars ex contractu rerum gentilium, cum totam mentem ſordidã haberent inficeretur. Spiritualia enim prophetarum verba (ſubdit Beda) carnaliter accipientes, quæ illi de cordis, & operis caſtigatione præcipiebant, dicentes: Lauamini, mundi eſtote, & mundamini qui fertis vaſa Domini; iſti de corpore ſolo lauando ſeruabant. Superſtitioſa eſt ergo hominum conditio ſemel lotos ob manducandum panem crebrius lauare, & à foro niſi baptizentur crebrius lauare. Non enim in lege ſcriptum erat (proſequitur Theophyl.) lauandum cubitaliter, hoc eſt vſque ad cubitum: cubitaliter enim dicitur à cubito, vſque ad extremos digitos; ſed hoc erat à ſenioribus traditum: Laua à malitia cor tuum, dictum eſt ad eos, vt purgati corde, & integri conſcientia, optima proferrent germina, eſſentque arbores frugiferæ, quæ plantantur in domo Domini, atque florent, & ſicut greges tonſarum, quæ aſcenderunt de lauacro, omnes gemelli fœtibus, hoc eſt, vberes internis, & externis exercitiis. Per lauacrum regenerationis mundati animis, & per aſperſionem hyſſopi ſuper niuem dealbati: Necnon per lachrymas oculorum rigati. Hoc eſt, per inuocationem mediatoris, & per pœnitentiam ſpontaneam: Siquidem iis lauatur immundus, perluſtratur obſcurus, & vermiculatus peccatis, ſicut lana inalbeſcit, inter hos, vt innocentes, decantat Pſaltes: Lauabo manus meas, vel vt habet hebræa lectio ארחץ בנקיון כפי hercas benichaiom chaphai, hoc eſt ſecundũ Hier. Lauabo in innocẽtia manus meas. Ea, inquam, quæ apud Deum, qui vera intuetur, & acceptat, ſanctificat. Inde Chaldæus paraphaſtes tranſtulit: Sanctificabo in munditia manus meas. Verbum enim רחץ rachats, cuius ſignificatio primaria eſt lauare, & abluere à ſordibus, exponit Ionathaz Chaldæus, ſatisfacere; quoniam ideo litrones externas in lege præceptas, & ſuaſas à prophetis, nouerat ordinari. Id quod ſequens dictio נקיון nichaion, hoc eſt innocentia, à verbo נקה nacha, quod eſt innocentem, ac mundum eſſe; vnde נקיא & נקי nachi, hoc eſt, innocens; & נקיון nichion, ideſt innocentia. In innocentia vero non lauat aqua maris aut fluminis, quæ plerumque polluitur, ſed gratia, & iuſtitia, quæ nequeunt maculari; nec quidem in innocentia lauatur corpus quod corrumpitur; ſed anima, quæ ſpiritualis continuo permanens lauacro ſpirituali, quale eſt innocentia, vt potè gratia, emundatur, nunc à delicto maximo, quando iuſtificatur; & nonnumquam à puluere imperfectionis; qua concupiſcens caro aduerſus ſpiritum, ipſum reddit procliuem ad malum, aut certè grauem ad opus bonum, quod optat. In hac igitur innocentia, ſe lauit Ioſeph, volens ad fratres egredi: Aaron, vt ſancta indueret, & qui verè mundus fieri volebat, poſt lepram, aut immunditiam, ad tantum lauacrum erigebat animum. Superat tamen præcedentium ſtudium ſacerdos Euangelicus, ſi in ſacrificio mundo, quod aggreditur purificatus ſemel confeſſione ſacramentali, verſum hunc, ac totum pſalmum non ore tantum, ſed ſpiritu ante Chriſtum, qui factus eſt nobis, ac cunctis lauacrum, repetit, & manus abluens aqua, cor habet ad ſanguinem Chriſti, & aquam, quæ de latere eius fluxerunt. Sed miſſis his, ex alia dictione confundamus Phariſæos

Gann. *Beda* *Iſai. 1* *Quæ eſt vera lotio.* *Theoph.* *Cant. 4.* *Pſal. 50.* *Pſal. 25.* *Verſio Hier.* *Ionat. Chal.*

riſæos, qui ex lege prædicabant, tantum lotiones externas. Eſt enim כפי chaphai. hoc eſt, volas meas, ſecundum Pagnini verſionem. Et quidem optimè. Nam כף chaph. ideſt vola, ceu palma manus, eſt à radice כפף caphaph, quod interpretatur curuare, & incuruare, transferturq. ad concaua, velut ad plantam pedis, & ad neruum, in quo femur vertitur. Quare dicens vates

Pſal 25.

Lauabo volas, & non digitorum extremitates, indicabat intimum animi, vt volam concauum, & ſecretum lauandum fore, lotione propria, vtpotè ſpirituali, quam corporalis præſignabat, nedum Iudæis, ſed & & omnibus nobis, qui in ſpiritu, & veritate coram patre noſtro ambulare volumus, eiq; complacere, & continuo proficere, præfigurat omnis lotio, quam vel mane poſt ſomnium, vel meridie ante prandium, & poſt, ac quoties, vel nos, vel noſtra, abluimus à corporea lotione ad ſpiritualem incitamur. Vndè qui ſpiritualis eſt, in lotione externa, quæ Iudæos efficiebat hypocritas, ſeipſum continuò immaculatum Deo reddit, vt iure valeat cum Vate proſequi Pſalmum Circumdabo altare tuum Domine, vt audiam vocem laudis, & enarrem vniuerſa mirabilia tua. Quoniam cordis munditiam hac frequenti lotione conſequutus, Deum audit, videt, & intuetur mirabilia, quorum non eſt numerus. Vtinàm merear ſic lauari, & ablui, vt inter oues, quæ lacte ſunt lotæ, merear numerari. Hoc eſt inter iuſtos,

Cant 4.

quos non aqua, neque nitrum, ſed gratia lauat, & venuſtat, dignoſque ſponſo cæleſti efficit. Lotionem hanc ignorant Phariſæi, nec mox perfidi Iudæi admittunt, tametſi iuxtà traditionem ſeniorum crebro manus lauent, cum menſis accumbunt, & quando ſacrificant. Ecce immundi omnes vos ò Iudæi, quia ſpiritum gratiæ, & miſerationis non accipitis, neque ad aquas, quæ de fonte Iacob, ac de dextero templi latere fluunt properatis, ſed ad eas, quæ Ægyptios ſuffocarũt, & abſorbuerunt populos nefandos,

Iudæi verè immundi.

quare non eſtis loti aqua ad ſalutem, ſed ad perditionem, velut vxor adultera, cuius femur, & fœcunditas, atque robur aquis amariſſimis, & maledictis computruit, ſed de his ſatis. Nota tamen lector. Legi in græco ἐὰν μὴ πυγμῇ νίψωνται, *Si non pugillum lauerint.* Quoniam non continuabant lauacrum, vt nos, quando vel ſurgimus, vel accumbimus; ſed frequentabant quaſi pugillis aquam ſumentes; vndè & nos ad profectum perſuaſæ lotionis deducimur. Ea enim nouis gratiæ gradibus, quaſi pugillis, & illuſtramur, creſcimus, & abimus de virtute in virtutem. Fit enim in gratiam augmentum, vt in peccatis decrementum, quicquid hæretici ſomnient, ac contra verum dogmatizent, quando aſtruunt æquè gratos Deo eſſe, & malos.

Num 5.

Tenentes traditiones Seniorum. Seniores hic vocantur, quibus cura populi per manum impoſitionem committebatur. Fuerũt hi ſeptuaginta à Moyſe inſtituti. Deut. 18. quibus demum Scribæ, & Phariſæi ſucceſſere. Vndè & ordinabant ipſi plura, & à maioribus ordinata, & tradita curabant obſeruari. Antiquarum traditionum auctores facit Sixtus Senenſis lib. 8. ſuæ bibliothecæ, Rab Moyſen, R. Achibam, R. Iudam, & filios Aſamonæi, qui expoſitionibus quatuor legem expoſuerunt, quibus ſucceſſerunt Talmudiſtæ, ante quos fuerunt Scribæ, & Phariſæi, qui traditionibus miſcuerunt dogmata peruerſa, quæ apud Ioſeph. antiq. lib. 18. & Epiphan. lib. 1. Panor. vt diximus, deſcribuntur. Talmudiſtæ verò, qui curam Synagogæ poſt hos ſuſcepere, multo adhuc deteriores fuerunt. In primis enim, vt impunè, ac liberè errare poſſent, duas accepiſſe leges Moyſen, ſcriptam vnam, & alteram vocetenus, perſuaſerunt; vocalem autem commiſſam Senioribus, & per ſucceſſionem ſibi traditam; eamque vocitarunt Cabalam. Cabala enim dicitur id, quod ex narrantis auditu percipitur, crediturque, & firmiter, atque tenaciter retinetur. Hoc enim fundamento falſo cunctis perſuaſo, dogmata, & traditiones nunc contra legem ſcriptam, nunc præter legẽ, vt lubet, populis propoſuũt, ſcienter ſcribentes, quod ineptia, ignorantia, & peruerſitas eorum adinuenit. Hinc Phariſæi temerè docuerunt parentes ob ſacrificia, & vota contemni oportere; quod nulla debiti reſtitutione facta, poterant Iudæi ſolis ſacrificijs ſaluari. Negatiua præcepta, quæ ad proximum ſunt, manum tantum prohibere, non animum; mendacium non eſſe peccatum, niſi periurio comitaretur, niſi inquam iurarent per Deum, Ieruſalem, cælum, & per templum. Neque item peccare odio habentẽ inimicũ, quin licere hoſti dentem pro dente, oculum pro oculo, & omnem talionis legem, quam Deus magiſtratibus dedit, in eum exercere: Tantum ex legis obſeruantia præmium temporale repromitti, ac proinde in terra ſolum theſauros per fas, & nefas congregare, ſibi licere; iuſtitiam ſolum, & opinionem nominis inter homines quæri; Chriſtum non venturum ante Heliam; venientemq. nihil ſpirituale, ſed regnum temporale conceſſurum; eis ſolum, quod peccatum naturæ, hoc eſt originale non haberent. Similes hic, ac prorſus deteriores aniles fabulas Talmudiſtæ inuenerunt, à quibus propter horrorem abſtineo; eas tamen videat, qui volet, apud Sixtum Senenſem, nec non Adrianum Finum, qui lib. 9. ſui flagelli aduerſus Iudæos, eas ſigillatim expugnat.

Deut. 18.

Qui dicebitur Seniores inter Iudæos

Sixtus Senen.

Ioſeph.

Epiphan.

Errores Phariſæorum.

Luc. 24.
Matt. 5.

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

Et à foro, niſi baptizentur, non comedunt, & alia multa ſunt, quæ tradita ſunt illis ſeruare, baptiſmata calicum, & vrceorum, & æramentorum, & lectorum.

Expoſitio.

PRoſequitur rationem exacerbati animi, quo primores Syangogæ in diſcipulos Chriſti, ſe declararunt. Erant enim in lauandis corporibus, ſuperſtitioſi valde. Nam ſi quando ad fori negocia veniſſent pertractanda, immunditiam ſe contraxiſſe illico putabant. Quare *à foro*, & forenſibus redeuntes, illicitum ducebant, quicquam edere, ni prius diligenter ſe totos baptizaſſent aqua limpidiſſima. Nec id ſolum curabant, ſed & pleraque alia, quæ ad plenam corporis munditiam videbantur facere, & à maioribus tradita, haud ſegnes complebant. Baptizabant enim calices, ne bibendo illotis poculis contaminarentur; vrceolos quoque purificabant, ne quod continerent vinum poſſet immundum reputari, neque bibentes ex eo infici. Quid? Æramentum omne, hoc eſt omne opus ex ære fabrefactum, frequenti lotione perluebant, necnon lectos anxij, ac ſolliciti, ſeu potius dubij, ne fortè indecens, quo poſſent eorum corpora pollui, contractatum illis fuiſſet. Tantis igitur dediti ſuperfluis curis, ac vaniſſimis ſuperſtitionibus trepidauerunt timore, vbi non erat timor, neque ſcandalum, ſed acceptum vltro; vt ordiremini (inquit Deus ad eos) telam, & non per ſpiritum meum, vt adderetis peccatum ſuper peccatum, hoc eſt, calumniam, iuxta Heronymum, ſuper malitiam animi. Hæc enim deteſtabantur Chriſtum, & illa Apoſtolos inſimulant.

Iſai 35. *Hier.*

Et à foro. Vetus interpres dicit *à foro venientes* (inquit Gannæius) *A foro* ergo venientes ocyus auſpicabantur apud eos lauacra, quouſque mundatos crederent. Eſt enim forum (ait Arias Montanus) iuxtà iſtorum definitionem, locus communis, & valde profanus ob conſuetudinem purorum, & impurorum, ac gentilium ſimul. Ab his quidem ſe pollui dicebant, vt & modo eorum ſuperſtites à Chriſtianis; non aduertentes, quæ rapax hominum genus aduerſus Deum mendacijs; aduerſus proximum vſuris; & aduerſus ſeipſum maledictionibus, quas ſibi imprecantur, vt deludant cæteros in foro negociationis; & in plateis mercium defraudent precia, & propter lucra vſuræ illicita veritatem ibidem conculcent. Non defecit enim de plateis eius (cantat eorum Propheta) vſura, & dolus. Quid? vt ditentur illicitis, fiunt quaſi ſtercus in medio platearum, ſuſtinentes iniuriam omnem, neque ad quamcumque ignominiam reſpondentes. Vnde admirans alius protulit: Nonne vides, quid iſti faciunt in plateis Ieruſalem? Ieruſalem ipſe cenſeo totam Eccleſiam, in qua ſuſtinentur captiui, & exules, vbi quid perpetret generatio mala & adultera, Ezechiel expreſſit dicens: Feciſti tibi proſtibulum in cunctis plateis. Nam propter auaritiam animam ſimul ac corpus divendit. Atqui horum nihil timet, neque ſcrupulatur, quin ſeipſum iuſtificat Iudæus. Et dixiſti quidem obcæcatus: Abſq. peccato, & innocens ego ſum. At deponit Ieremias idem, in alis tuis inuentus eſt ſanguis animarum pauperum, & innocentum. Quid ergo niteris bonam oſtendere viam tuam, ad quærendam dilectionem, quæ inſuper & malitias tuas docuiſti vias tuas? His quoque inuehitur omnis negotiator, qui forenſes cauſas, & contractus iniuſtè pertractat; nec vnquam à foro, niſi plenus ſanguine reuertitur. Fiet tamen mundus, ſi volet, non baptiſmatibus iudaicis, ſed pœnitentiæ ſacramento, quod conſcientiarum ſordes emundat.

Gann. *Arias Mōt* Quam fallaces & vſurarij Iudæi. *Pſal 54.* *Iſai 5.* *Ier. 7.* *Ezech. 16.* *Ier. 2.*

Niſi baptizentur. Græco verbo interpres latinus vtitur, vt lotionis iudaicæ qualitatem Græco vocabulo amplius exprimat. *Baptizo* enim ex vi verbi ſignificat efficaſſimam, & completam ablutionem; quo factum eſt, vt in forma ſacramenti latina Eccleſia vtatur verbo *baptizo*, & non lauo, neque abluo, vel intingo, neque immergo, aut ſubmergo; quibus etſi latinus miniſter vtens, ſacramentum conferret, peccaret tamen grauiter quod ab Eccleſia, cuius eſt miniſter in re graui diſſentiret, neque pareret præcepto, quo ſacerdotes omnes innodantur de conſ. diſt. 44. Conſtat. 93. diſt. Diaconi, & lib. 3. conſtitut. Apoſt. cap. 2.

Non comedunt. Vrbanum eſt quidem non comedere, quin lotio manuu præcedat, quid vero lex iſta politiæ ſpirituali homini inſinuet paucis aperiam, ſi prius expoſuero, quid myſticè manducare in ſcripturis ſignificet. Gregor. exponens illud cant. 5. comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi, potum ad contemplationem, & ad actionem refert cibum, necnon lib. 1. mor. cap. 21. ſuper illud Iob. 3. Antequam comedam ſuſpiro. Ricardus de S. Victore 4. de Arca myſt. cap. 16. ait eos comedere, qui ex ſcripturis veritatem colligunt; bibunt vero, qui eam reuelationibus accipiunt. Et ſecundum Hier. in illud Ier. 15. inuenti ſunt ſermones tui, & comedi eos; manducare dicit eſſe, libenter Dei eloquia admittere. Ad hæc Arnob. in Pſ. 40. verſu...

Mundare & bibere quid myſticè ſignificent. *Greg.* *Cant. 5.* *Hier 15.* *Arnob.*

Pſal.40. ſum. Etenim homo pacis meæ, in quo ſperaui, qui edebat panes meos. Origenes verò ex illo Pauli teſtimonio. (Alius enim credit ſe manducare omnia) infert, manducare omnia eſſe, omnes ſpirituales ſenſus percipere. Denique vt à myſticis ad veram manducationem tranſeamus, omnes doctores, ac fides credit, eum qui manducat hunc panem (ſcilicet conſecratum) manducare propriè, ac verè Chriſtum. At neque ad hanc, neque ad aliam ſpiritualem manducationem licet illotum accedere. Poſtremæ commeſtionis lotio, eſt probare ſeipſum per integrum pœnitentiæ ſacramentum. Vnde Beda. Neceſſarium eſt eos, qui panem de cælo deſcendentem participare deſiderant, crebrò eleemoſynis, lachrymis, & alijs iuſtitiæ fructibus ſua opera purgare. Neceſſarium etiam eſt, inquinamenta, quæ ex temporalibus negociorum curis quiſquam contraxerit, ſubſequenti bonarum cogitationum, & actuum permundet inſtantia. Quiſquis ergo (conſtituerunt Apoſtoli lib. 7. conſ. Apoc. cap.29.) ad vos venerit, vbi probatus fuerit admittite; intelligentes enim eſtis, & poteſtis dexteram, vel ſiniſtram cognoſcere. Subinde ad hanc menſam accedentibus acclamat Paulus: Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat. Sed quid de lotione ad reliquos cibos ſpirituales? tametſi ſingulæ dari poſſent ſingulis, quum vnaquæque forma, & actus ſuam habeat, & peculiarem diſpoſitionem. Ego vnicam cunctis ſpiritualibus ſumendis proponam, videlicet orationem. Hanc enim quod continuo myſticis à cæleſti patre paſcamur, & opratis, atque honeſtis ditemur, ſæpius, ac ſine intermiſſione facere perſuademur oraculis; non quod reliquis omiſſis perdiu, per noxque animus in oratione vigilet, vt Adelphius, & Alexander Hæretici prædicabant; ſed vt orationi, quarum tempus, & occupatio côceſſerit, inſtemus. Scriptura enim (ſcribit Nilus lib. περὶ ἀκτημοσύνης) ignauiam multorum in arctum nos coegit, quibuſdam præceptis, quæ maiora quàm pro viribus apparerent. Tum vt ſtudium noſtrum orandi, quo ad fieri poſſit, intenderet, tum vt occaſionem elationis ſubtraheret, magiſque ſe is, qui oraret, modeſtè, ac ſubmiſſe gereret, quaſi non pertingeret, quo iubeatur, qui inflaretur, quaſi partem præcepti faceret. Magis metuens ne reprehendatur, quia deficiat, quàm laudem ſperans in eo, quod profeciſſe videatur. Si quidem nullum opus imperfectum audacem confidentiam præbet ei, qui illud facit, quin potius pudore afficit eum, qui non perficit. Quare ne præceptum quis crederet, ſine intermiſſione, & in omnibus, ac pro ſingulis orandum fore; Apoſtoli Chriſti interpretes, orationes certas, ac pro decretis rebus ſtatuerunt; vt ter in die, ad exemplum priſtinorum Chriſtianorum, qui ſaltem ter in die orabant, iuxtà id quod refertur lib.6. conſt. Apo. cap.25. Ad quem morem excitat vſus accidentalis Eccleſiæ, quæ veſpere, manè, & meridie, orationis ſymbolum perſonat: Et lib.8. his, qui ad ordinem cleri admiſſi ſunt, ſex orationum tempora diſcernunt; ac pro diuerſis, ac varijs, quæ fieri contingunt in Eccleſia, orationum formulas conſcripſere, vt inde luce clarius conſtaret, non præcepto, ſed concilio ſaluberrimo, ſine intermiſſione nobis orandum fore; tum maximè in manducationibus, quas præmiſſimus, compellit ratio, oratione, quaſi lotione oportere nos præmuniri. Etenim oratio clarificat nedum mentem, ſed & corpus. Quemadmodum in Hedouiga Poloniæ ducissa, auctor hiſtoriæ apud Surium tomo 5. Viſum eſſe, teſtatur. Luce igitur cæleſti per orationem irradiatus, vitam proſequetur optimæ Magdalenæ, & in ea, quam ſedula Martha delegit, haud aberrabit: ſi inter manus ſcripturam aſſumpſerit, intelligentiam minimè; ſed in lumine lumen videbit. Ideo ſanctus Bonauentura refert, ad fratres dixiſſe patrem Franciſcum, cap.12. ſuæ hiſt. Quid fratres conſulitis, quid laudatis? An quod orationi vacem, an quod prædicando diſcurram? Videtur enim in oratione lucrum, & cumulatio gratiarum; in prædicatione diſtributio quædam bonorum cælitus acceptorum. In oratione etiam purificatio interiorum affectuum, & vnitio ad vnum verum, & ſummum bonum, cum vigoratione virtutis: In prædicatione verò ſpiritualium puluerizatio pedum, diſtractio circa multa, & relaxatio diſciplinæ. Tandem orationi Deum alloquimur, & audimus, & quaſi angelicam vitam agentes inter Angelos conuerſamur: In prædicatione multa oportet condeſcenſione vti ad homines, & humanè inter eos viuendo, humana cogitare, videre, diſcere, & audire. Quare non manducandum vitæ actiuæ panem, neque ad potum contemplationis accedendum, niſi oratione eleuemus animæ manus, mentem inquam, & affectum; quibus perlotis, ſcripturæ panem, ne dum caſtè, & ſalubriter pertractabimus, ſed laudabiliter paruulis, qui petunt in circuitu menſæ, velut nouellæ oliuarum conſtituti frangemus, ac nobis non ſportas, aut cophinos, ſed animas meritorum plenas reportabimus. Ergo qui ſpirituales eſtis, quoties ab vrceolo ad peluim aquam cernitis fluere; eaque vel manus, vel faciem abluitis, incidat in mentem lotio ſpiritualis; & inter fricationes ipſas oret mens veſtra: Laua me Domine, vt actionis meæ cibum dignè perficiam; munda intellectum ab

Marginalia: *Orig.* *Rom. 14.* — Ad Euchariſtiam requiritur mũditia. — *Beda.* — Suadetur orationis frequentia. — Hereſis rep. — Orationis vtilitas. — *S. Franciſc.* — Fructus orationis.

ab errore, vt ſciam teſtimonia tua; affe-ctum emolli, vt lignū ſecus decurſus aquarum iugiter germinet; ac dealba denique totum hominem, vt bonus ſemper in oculis tuis videar, & in cunctis miniſterijs, perfectè me geram. Sed repeto textum.

Et alia multa ſunt, quæ tradita ſunt illis ſeruare. Horum aliqua ſuperius tetigimus; & plura, vt diximus, proſequitur *Adri. Finus* Adrianus Finus. Quorum multa aduerſari legi, legiſlator Chriſtus inter reſpondendum, indicauit. *Epiph.* Quo factum eſt, ſecundum Epiphanium lib. 1. hær. 33. vt Ptolomæitæ, Moyſis libros non reciperent; fingentes multa in eis à ſenioribus Iudæorum, & imperitis hominibus tradi iuxtà mentem Dei medij. Cæterum nihil habere commertij traditiones ſeniorum cum lege, neque aliquid eſſe in Pentatheuco, quod non ſit à Deo vnico, non tàm Orthodoxi, quin & oracula deponunt; Dixit enim Dominus ad Moyſen: *Exod. 17.* Scribe hoc ob monumentum in libro, & trade in auribus Ioſue. *Deut. 31.* Scripſit itaque Moyſes legem hanc, & tradidit eam ſacerdotibus filijs leuī, qui portabant arcam fœderis Domini, & cunctis ſenioribus Iſrael. Forte ne vt adderent, aut demerent, aliquid? abſit, ſed, vt idem Moyſes ſtatuit iubente Deo, accipiens exemplar à ſacerdotibus leuiticæ tribus; *Deut. 17.* & habebit ſecum, legetque illud omnibus diebus vitæ ſuæ, vt diſcat timere Dominum Deum ſuum, & cuſtodire verba, & ceremonias eius, quæ in lege præcepta ſunt. At obijcies, immutatam per Eſdram, cuius exemplo, poſteri pleraque ſubtraxerunt, & adiunxerunt. Neque ſapientum quiſquam ſic dementauit; *Quid præſtiterit Eſdras in libris legis.* ſed amiſſum Pentateuchum, ac reliquos teſtamenti veteris libros in expugnatione babylonica permutatis characteribus, ne cum Samaritis hebræi conuenirent, per Eſdram reſtitutos, deponunt *Athan.* Athanaſius in ſynopſi de diuina ſcriptura, *Euſeb.* Euſebius lib. 5. Eccl. hiſt. & *Niceph.* Nicephorus lib. 4. cap. 15. vnde *Hier.* Hier aduer. Heluidium ſcripſit. Siue Moyſen dicere volueris auctorem Pentateuchi, ſiue Eſdram eiuſdem reſtaurationis operis, non recuſo. Conſentit Auguſt. ſeu quicunque eſt auctor lib. 3. de mirabilibus ſacræ ſcripturæ cap. 33. Ad amuſſim ergo reſtitutam Moyſi ſcripturam. *3. Eſdr.* Dixerunt Eſdræ Pontifici, & lectori, vt afferrent legem Moyſi, quæ tradita eſt à Domino Deo Iſrael. At ille attulit legem coram multitudine virorum, ac mulierum, cunctiſque, qui poterant intelligere in die prima menſis ſeptimi. Et legit in eo apertè in platea, quæ erat ante portam aquarum, de mane vſque ad mediam diem, in conſpectu virorum, ac mulierum, & ſapientum, & aures omnis populi erant erectæ ad librum. Et quidem, vt par erat; probarunt quemadmodum, & tota Eccleſia, tàm quæ præceſſit Chriſti aduentum, quàm quæ ſequitur, canonicam celebrat ſcripturam, & inter canonicas legem præmittit. Vnde in can. 84. Apoſtol. legimus: *Can. Apoſt.* Sint vobis omnibus clericis, & laicis libri venerandi; & ſancti, veteris quidem teſtamenti, Moyſis quinque, Geneſis, Exodus, Leuiticus, Numeri, &c. Quo ordine etiam non ſolum in nuper habito Concilio Tridentino; ſed in *Libri Moyſis canonici.* alijs antiquioribus ab Apoſtolorum temporibus numerantur, & recipiuntur ac ſub Anathemate demandatur recipi, & venerari. Quod haud facerent ſi quid phariſaicum, aut humanum mendacium ſubolfacerent.

Baptiſmata calicum, & vrceorum, & æramentorum, & lectorum. Rationem aliam à ſuperſtitione, Religionis inimica, tam multiplicis lotionis, nequeo aſſignare; niſi ad myſticam intelligentiam me conuertam. Ea enim calix, nobis frequentius ſignificat deſatigationes, quæ plerumque vitæ huius indigenis eueniunt; occurrentem autem tribulationem baptizamus, *Quid ſignificat calix in ſacra ſcript.* quando in charitate eam complemus, & patienter, haud ſecus, quàm manubias ſpicarum agricola, & theſauri campum negociator, quibus etſi difficile ſit granum ex ariſtis, & folliculis excutere; necnon aurum de medio arenarum ſecernere, ſpes laborem vincit; ſed & fructus, qui ex anguſtijs in hunc mundum ſuſceptis conſequitur, omnes diuitias præcellit. Inde cantor cecinit: Calicem ſalutaris accipiam, non mortis. Etenim in laboribus moritur, qui in baptizato calice, amore, inquam, & patientia, laborem potius ſuſtinet, quàm ſuſcipiat. Nam ſi tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatē autem *1. Cor. 13.* non habuero, nihil mihi prodeſt. Hæc ſiquidem calicem reddit ſalutarem, ad gloriæ augmentum, & gratiæ; quin à malis inferni liberat, & redimit à debitis. Ea propter *Interpres Chald.* Paraphaſis Chaldæa transfert: Calicem redemptionis accipiam. Verbum enim ישע iaſchah. Vnde ישועת Ieſchuhoth, hoc eſt Saluatoris, non tàm ſaluare, quàm redimere interpretari poteſt. Igitur lotus calix, hoc eſt oblatus angor, & cruciatus, perpolitus amore, & voluntate, ſaluat, conceſſis bonis, & redimit, ab omni ſeruitute, & debito. Quapropter dicit (inquit *Baſilius.* Baſilius conc. 17. in Pſal 115.) Calicem ſalutaris accipiam. Hoc eſt ſitiens ad perfectionem per martyrium venio, ſupplicia, quæ in certaminibus pro pietate obueniunt, requiem, & refectionem animæ, ac corporis, non dolores ducens. Me igitur ſacrificium offeram; ac oblationem Domino, quoniam omnia minora duco, quàm pro dignitate ipſius benefactoris. Atque has meas promiſ-

 ſiones,

ſiones, paratus ſum, teſte omni populo, facere, ac perſoluere. Vt enim in calice criſtallino ſtudioſè mūdato potator gloriatur ſibi vinum propinari, ac bibere inſpectoribus multis; ita Dauid, ac quiuis alius Deo gratus, ac feruidus in laboribus, quos amor illuſtrat, & patiens animus gaudet, ac ſibi ipſi coram omni populo gloriatur. Sed iſta ſint dicta de calice, de vrceo antē, quid? vrceus enim, ceu vrceolus, quo in vrnam liquidum, ſiuè oleum, vinum, aut aqua diffunditur, ſecundum Hier. in illud Eccl. 2. feci mihi cantores, & cantatrices, & delitias filiorum hominum, ſcyphos, & vrceolos in miniſterio; intelliguntur doctores qui minora continent. Cumque facta comparatione eorum, quæ ignoramus, ad ea, quæ nedum ipſe homuntio, ſed & Salomon ſcire gloriatur; vix quicquam ſciamus, omnis ſcriba doctus iure vrceolus appellabitur, parum, aut nihil planè doctrinæ continens; eamque marcidam, luctoſam ac parum vtilem niſi crebro ſeipſum vrceolū lauerit, hoc eſt, animum diuinis exercitijs excoluerit. Interdum ſcribit Iſidor. lib. 3. de ſummo bono cap. 37. doctoris vitio, etiam ipſa verax doctrina vileſcit, & qui non viuit ſicut docet, ipſam, quam prædicat veritatem, contemptibilem facit. Arcus peruerſus eſt lingua magiſtrorum docentium bene, & viuentium mala. Et ideo quaſi ex peruerſo arco ſagittam emittunt, dum ſuam prauam vitam propriæ linguæ ictu confodiunt. Qui diuina prædicant, & ex eiuſdem prædicationis dignitate viuere minus curant, habentes verbum Dei in ore, & in opere non habentes, multa benè docentes nihil autem operantes, imitantur Balaam ariolum, qui corruens opere, apertos habuit oculos ad contuendam lucem doctrinæ; qui benè docet, & malè viuit, tanquam æs, aut cymbulum ſonum facit alijs, ipſe tamen ſibi manet inſenſibilis; & quidem ſæpius velut vrceolus illotus præ viriditate, & ſpurcitia vitiorum, horribilior cæteris. Ergo creatus in domo Dei vrceolus, vt liquores cæleſtes, ſitientibus plantis impartiaris, exora. Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam: Munda cor meum, & labia mea, qui labia Iſaiæ prophetæ calculo mundaſti ignito, ita me tua gratia dignare, mundare; vt dignè & competenter annuntiem Euangelium tuum. Si fortè mittatur ad te ſeraphim dicentem. Ecce tetigi hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur. Sed quid hoc? calculo ſecundum Hier. vel iuxta græcum ἄνθραξ hoc eſt, carbunculus, vt habet interpres græcum, potius myſterium volens attingere, quàm litterā transferre ἄνθραξ enim carbo, ſeu pruna ignita eſt. Et hoc quoque ſignificat, רצפה riſphah vox hebræa, eo loci poſita; pro qua Pagninus vertit, carbo. Cæterum quo ad myſterium, optimè pro ea transfertur, vel calculus, cum Hieronym. vel carbunculus cum græco interprete. Nam typus erat Chriſti, qui & calculus candidus, atque ignitus; nec non carbunculus gemma igniti carbonis ſimilitudinem referens, nocte lucens, & refulgens radijs, primatum inter lapides prætioſos (vt ait Plinius lib. 37. cap. 7.) habens; Chriſto autem quis dignior, aut lucidior, qui candor eſt lucis æternæ? Hoc ergo cura, ò prædicator mundari, & exemplo, ac verbi eius eſto imitator, vt poſſis vrceolus in Eccleſia haberi, quem non Phariſæus, ſed ſeraph ille, qui emundat conſcientias noſtras, purificat, & emundat, inſuper adimplet, & gratiam omnem facit inhabitare.

Aeramentum. Etiam Iudæus baptizat, & nitorem eius ſedulo quærit ſynagoga; Eccleſia verò noſtra tota in purificandis æramentis, nec non ferramentis poliendis occupatur. Ferramenta dico in peccatis duros, & ferrugine vitiorum denigratos, ac frigidos ſuper ferrum. Quanta autem ſit horum cura, miniſtrorum varietas, & ſacramentorum apparatus deponunt, nec non Dei, ac Chriſti noſtri indulgentia, & beneficia continua, qua erga iniuſtos, vtitur, ac in bonos. Inde Clemens lib. conſtit. Apoc. 2. cap. 15. dixit: Videte filij nobis chariſſimi, quemadmodum miſericors cum iuſtitia Dominus Deus noſter bonus, & ſingulari in homines charitate, reo criminis, at malefico non dat impunitatem; redeuntem in viam rectam recipit, eique vitam tribuit, non relinquens ſuſpicionis locū, ijs, qui durè, & inclementer iudicare volunt & peccantes penitus repellere, & nolunt communicare eum ipſis ſermones exhortationis, qui poſſint ad pœnitentiam reuocare: contra quorum ſententiam Dominus per Iſaiam Epiſcopis ait: Hortamini ad populum meum, loquimini ad cor Hieruſalem. Miſſis tamen ferramentis, de *æramentis* aliquid proferamus.

Ea enim cum Origene homil. 6. 9. & 11. in exodum, ſtatuo fideles, qui in fide conſtantes, & fortes in moribus deprehenduntur. Quibus ſolitum eſt frequentare canticum: Confitebor tibi Domine in toto corde meo in conſilio iuſtorum, & congregatione. Vel vt habet; Paraphaſtis Chaldæa: Laudabo coram Domino in toto corde, in ſecreto rectorum, & congregatione. Nam, vt gregales aues dum inter ſe ad agmen veniunt, ſibi mutuis cantilenis reſpondent, tacitè auctorem laudantes, ſic iuſtorum facies perſonant, non tàm voce, quàm opere laudes Domino, & in chordis, & organo ſe prouocant, vt eum, quem per fidem in corde

Marginalia (left column): Vrceus quid — Hier. — Iſid. — Prædicatoris vita correſpondeat ſermoni. — Pſal. 50. — Iſai. 6. — Hier.

Marginalia (right column): Pagn. Hier. — Plinius. Sap. 7. — Aeramentū quid? — Dei beneficentia erga peccatores. Clem. — Iſai. 40. — Orig. — Paraphr. Chald. — Iuſti inuicē ſe prouocāt ad Dei laudē

de confitentur, externis celebrent; in ſecreto tamen iuſtorum, quoniam qui recti non ſunt, pſalmodiam egreferunt audire; etiam inter rectos frequentant cantica, vt bene ſit eis, vt *aramentum* omne baptizent, hoc eſt, vt ſeipſos continuo puriores reddant, & in omni ſplendore vitæ perfectiores de die in diem fiant. Quoniam ſcriptum eſt, Cum ſancto ſanctus erit. Ergo vt muſicus artem exercens ante peritiorem, aut certè in arte quoquo modo peritum fit in dies celebrior, ſic qui inter bonos ſortem præclaram mittit, ſanctior continuo euadit. Hinc collegia, & conuentus, & vitæ ſanctimonia, atque ſpiritualis pſalmodia; necnon frequens ad bonum exhortatio, ordinata ſunt in Eccleſia à temporibus Apoſtolorum, vt *aramentum* omne, omnis, inquam, bonus, & qui iuſtus eſt, iuſtificaretur adhuc. *Pſal.* 17.

Conſueuit quoque Eccleſia abſque ſuperſtitione lectulos purificare; hoc eſt thorum immaculatum, eos qui matrimonio iunguntur cuſtodire, vt neque fornicatio inter eos nominaretur, ſed vterque coniugens dicat ad alterutrū, lectulus noſter floridus, tigna domorum noſtrarum cedrina, & laquearia noſtra cypreſſina; hoc eſt corpora noſtra fœcunda, mens autem cedrina, ac cypreſſina voluntas, quæ corruptionem alienam non admittit. Huius laudem ſibi pariter vendicat, qui vnam habet vxorem, & quæ vnum poſſidet virum, neque alterum concupiſcit, neque agnoſcit, ſed pudicitiam coniugalem perpetuo retinere proponit, vt etſi vterus ſit velut aceruus tritici, in filijs procreandis; tamen vallatus liliis, hoc eſt honeſtate, manſuetudine, clementia, venuſtate, abſtinentia, ſobrietate, atque alijs ornamentis, quæ animam faciunt continentem, & corpus adaptant, vt ſit ad honorem, & ſatisfactionem, & non in ignominiæ paſſionem, & contumeliæ, quemadmodum in animali homine, qui ad libidinem ſpumat, cernimus fieri. Ergo ne lectis coniugum, neque corporibus, quid fœdum, aut inhoneſtum accidat, aut ſi quid humanum contractum fuerit, purificetur, haud ſecus quam baptiſmata iubet Eccleſia coniugatis, mutuum in primis amorem, & honorē inter ſeipſos obſeruari, & ad Deum multiplicare preces. Quæ maritos habetis (ſtatuunt Apoſtoli lib. 6. conſtitut. Apoſt. cap. 28.) eſtote eis ſubiectæ, eoſque honorate, ac cum timore, & charitate eis ſeruite, vt Sara fœmina ſancta, honorē habebat Abrahæ, quem ne nomine quidem ſuo appellare audebat, ſed Dominum vocabat, cum aiebat: Dominus autem meus ſenex eſt. Similiter qui vxores habetis diligite eas, tanquā membra veſtra, ac tanquā ſocias vitæ, vt ad liberos ſuſcipiēdos adiutrices. Lætare (inquit) ſimul cum vxore ex adoleſcentia tua: cerua amicitiæ, & pullis gratiarum tuarum cōuerſetur tecū, propria vero præeat te, & ſit tecum omni tempore. In huius enim amicitia implicatus, multiplicabilis eris. Amate igitur coniuges, vt membra veſtra, & vt corpora veſtra. Scriptum eſt enim: Dominus teſtatus eſt inter te & vxorem adoleſcentiæ tuæ, & ipſa conſors tua, & non alius fecit, & reliquiæ ſpiritus tui, & cuſtodite in ſpiritu veſtro, & vxorem adoleſcentiæ tuæ ne dimittas. His atque alijs hortamentis, haud ſecus quàm lotionibus, ſolitum eſt in Eccleſia lectulos maritales inuiolatos conſeruari, & quod abſit, ſordidos expurgare. Id quod nos non ſolum, ſed ratio, quæ omnem illuſtrat naturam approbat, atque laudat: Baptiſmata vero, quæ Iudæi circa *calices, vrceolos, æramenta*, atque *lectos* frequentabant, nemo qui hypocriſim exuerit, comprobabit. Igitur hypocritæ illi, qui à foris mundabant ne dum ſe, ſed vtenſilia, intus autem dolo, fallacia, rapina, ac reliquis operibus mortuis, & mortiferis velut ſepulchra dealbata, vermibus replebantur. Quorum conſuetudinem æmulantur, qui externis obſeruantijs inuigilant, animæ vero minorem pauci faciunt, neque multum ducunt perfectionem interioris hominis comparare, *ollas quidem oſtentant*.

Cant. 1.

Status coniugalis diſciplina.

Cant. 7.

Can. Apoſt.

Prou. 5.

Malach. 2.

Amor vxorum ſuadetur.

Hypocriſis deteſtabilis.

Plutarchus libello de auſcultando

CAPVT QVINTVM.

Et interrogabant eum Phariſæi, & Scribæ, quare diſcipuli tui, non ambulant ſecundum traditionem ſeniorum, ſed communibus manibus manducant panem?

Expoſitio.

IAm demum legationem queruloſam, ceu veneficam potius proponunt, qui ab Hieroſolymis miſſi fuerant. Neque enim ordiūtur à querimonia, ſed interrogant fingentes non accuſationis gratia, ſed zeli acceſſiſſe, cupidi occultam ac forte laudabilē rationē ſcire. Erant vtique Phariſæi, qui ab vtero perloqui falſa didicerant, neque à ſchola malignantium ſtylus mendax Scribarum aberrat. Igitur vtrique periti in aſtutijs hominum circumuenientiū, callidè ſimulata accuſatione interrogant, & quærunt facti cauſam. Quare, inquiunt, diſcipuli tui, quorum exemplum ac mores, atque doctrinam ſequuntur cæteri, & tu curam geris ſuper reliquos, ſic à tuis inſtitutis abiere, & obſeruantijs, vt non ambulent, ſicut & tu ſecundum traditionem ſeniorum, quibus omnes honorem deferunt, & ſcimus eorū acta plurimum à te obſeruari, quid igitur cauſæ eſt, quod diſcipuli tui familiariſſimi

nihil horum vereantur; quia licentius, multo, quàm alius quiſquam prætergradiuntur, quæ ſenes docuerunt poſteritatem, vt eam in optimis moribus continerent. Etenim *communibus*, ac pollutis *manibus, manducant panem*. An vero ignorantia, aut incuria, aut certè contemptu, neſcimus. Ideo interrogare te venimus, vt nos capaciores reddas, ſi latet in facto myſterium, vel certè corrigas tuos, ſi quippiam deliquerint, neque ſint amplius cæteris offendiculum, neque tu ſcandalum, quod in erratis diſcipulorum videris præbere.

Et interrogant eum Phariſæi, & Scribæ. Diximus autem apud hos litterarum peritiam viguiſſe, religionem vero ſibi Phariſæos vendicaſſe. Quare litteratos, & Religioſos contra Chriſtum coniuraſſe. Negare non poſſumus, fortè nè quia, *figulus, figulum odit?* aut quia noctua ſolem irradiantem deteſtetur? Et quod eiuſdem artis profeſſores ſeipſos magnificarent; & quod cæci, ac hebetes ſiue in cultu Dei, ſiue in legis peritia eſſent? Nam dicentes ſe eſſe ſapientes ſtulti facti ſunt, non agnoſcentes eū, qui eſt dator ſapientiæ, & ſcientiæ, fons perennis. Num figulum dices tu, qui ignorat lutum? aut coſmographum qui non nouit orbis partitiones, neque ſphæram ſcit, nec mapā mundi diſcernit? Equidem in Chriſto excellentius quàm excogitari poſſit, vniuerſa continentur, & ab eo, vt à fine media Religio omnis petitur. Quare neq. præſentes, neq. qui in apparentibus adhuc gloriantur, Chriſto autē aduerſātur, & quid ab hominibus requirat, vidētur ignorare, Pharaonis aulicos ego acclamo, non Religionis cultores, nec doctores legis; ſed Iudææ ſapiētes, quos perdit Deus. Sicut ſcriptum eſt. Perdam ſapientiam ſapientū, & prudentiā prudentū reprobabo. Quia dereliquerunt legem meam, quam dedi eis, & non audierunt vocem meam, & & non ambulauerunt in ea, & abierunt poſt prauitatem cordis ſui, vel (vt transferunt 70.) poſt deſideria cordis eorum mali, vel (iuxtà paraphaſim Chaldaicam) poſt cogitationem cordis ſui. Nam vt in altis turribus conſtituti, excelſa continuo oculi eorum meditantur, & quo ſe protendunt palpebræ, deſiderant, vt neque renuntiare his, quæ poſſidet inſipiens cor eorum, ſciant, neque ſectari humilia nouerint. Quæ ſummus doctor, velut litterarum elementa, ab omnibus ſuis ſcholaribus præexigit, vocariq. ſuū vult neminē, ſiue Religioſus ſit ille, ſicut legis doctor, ac præſul populi dicatur, qui iſthæc non contempſerit. At, contra Chriſtum agit, qui non eſt Chriſti; qui autem eius non ſunt ſed aduerſarij, iure, quæ Phariſæis, & Scribis inſidiatoribus comminatur, expectent; niſi deſierint eſſe papiliones ſuperbo, ac vano volatu ſeipſos conſumantes, & tineam hypocriſis, quæ abrodit aluearia, & fauos, extinxerint. Hoc autem cuique facilè erit, ſi non iam Chriſtum cum gente hac ſtulta, ſed ſeipſum interrogauerit, quis, qualiſque ſit, vt vnde, quouè velox properet. Quod *eſt noſce teipſum*: Sententia cunctis, apud Græciæ ſapientes, celebratiſſima; non ab Appolline, vt finxit vana antiquitas, ſed à Deo primitus orta quando hominem, quem formauerat, ad ſeipſum conuertit. Attende igitur tibi ipſi (monet Baſil. conc. de dicto hoc) neq. in mortalibus velut perpetuus permaneas, neque perpetua velut prætereuntia negligas.

Rom. 1

Contra vanos ſciolos.

Abdias.
1. Cor. 1.
Ier. 9.

verſio. 70.
Paraphr. Chald.

Qui dicendi Chriſti diſcipuli.

Tinea ex ſtercore papilionis gignitur Col l. 9 de apib. c. 14.

Baſil.

Quare diſcipuli tui, non ambulant ſecundum traditionem ſeniorum? Hoc eſt non obſeruant, quæ ſunt à priſcis patribus, quorum memoria in benedictione eſt, & quæ apud nos conſeruantur ab omnibus. *Non ambulare*, eſt hebraiſmus pro non cuſtodire, vt; Non ambulauerunt ſyncerè coram te, in lege eius noluerunt ambulare. E contra fœdus obſeruans legis, ambulare dicitur, vt cum Deo ambulauit Noe. Ambulauit coram Chriſto meo. In domo Dei ambulauimus cum conſenſu; atque alibi. Nam vt pes in obſequijs Domino præſtandis velociter currit, & ſuauiter ſi amore amicitiæ ſeruiat; ita animi mens, atque affectus, in lege Domini meditatur die, & nocte, ſi ſeruum fidelem ſe gerit, ſecus vero, ſi infidelis fuerit, nequam, piger, & ocioſus, ac malus. Is enim non ambulat, quod Aſiortion, quo genua debilitantur ictus ſit, vtpotè concupiſcentia ſui; & cum lupo, ac feris commoratur, & cum ciconijs elinguem (quo ad Deum clamet, & precetur veniam, atque gratiam) eſſe nihilo ducat, malitque in lapidem conuerti, quàm pennas ſpiritus ad volandum, cum Seraphinis ſumere, & requieſcere. Hæc enim eſt felix ambulatio, & curſus olympico præſtantior, quem cum Apoſtoli tenerent, non ambulabant per ea, quæ homines ſtatuerant. Illud enim Deo placitum eſt, hoc autem perſæpe noxium, & damnoſum; quia ſi hominibus placerem (dixit ille) Chriſti ſeruus non eſſem.

Tob 3
Pſal. 37.
Gen 6.
1 Reg 2.
Pſal. 54.
Galath. 1

Sed communibus manibus manducant panem. Panis nomine more Hebræorum cibū omnem intelligunt. Quoniam futurum erat, vt in vno pane conſecrato, omne delectamentum, quod appetitus ambit, inueniretur. Quod ſimilem panem illotis manducare manibus piaculum ſit, diximus: quod verò nefas ſit, communes habens manus panem tantum contractare, libet paucis proſequi. Communes habet manus, qui peculiarem ſacramenti ordinationem non accepit ab Epiſcopo, cuius eſt ſacros miniſtros conſtituere, qui & conſecrare

Sup. cap. 4.

Solus ſacerdos poteſt conſecrare.

panem

panem hunc valeant contractare, & petentibus paruulis communicare: Non magiſtratibus, neque communitati ſæcularium *Hær. Luth.* datum eſt hoc officiū, vt Lutherus, & Magdeburgenſes ſomniant; neque fœmina ordinis capax eſt, neque laicus conſecrat, ſicut noſter præordinatus Sacerdos, vt iterum dogmatizant. Apoſtolorum enim collegio *1. Cor. 11.* ſolum dictum eſt. Hæc quotieſcumque feceritis in mei memoriam facietis. *Matt. 26. Mar. 6.* Quando in cœna eos Sacerdotes inſtituit. *Luc. 22.* Vnde Lateran. Conc. ſub Innoc. Tertio cap. 1. dixit: *Cōc. Later.* Et hoc vtique ſacramentum nemo poteſt conficere, niſi Sacerdos, qui fuerit ritè ordinatus, ſecundum claues Eccleſiæ, quas ipſe conceſſit Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus, Ieſus Chriſtus. Sacerdos enim (ſubditur in *Conc. Conſtant.* Conc. Conſtan. ſeſſ. 8.) in perſona Chriſti loquens, hoc conficit ſacramentum. Ipſi *Pontian.* quoque (ait Pontian. epiſt. 1.) proprio ore corpus Domini conficiunt, & populis tradunt. Immo neque laico. (dicitur in Conſtit. *Conſtitut. Apoſt.* Apoſt. lib. 3. cap. 10.) permittimus facere aliquod opus ſacerdotale, vt ſacrificium, aut baptiſmum, aut impoſitionem manus, aut benedictionem ſiue paruam, ſiue magnam; nemo enim ſibi ſumit honorem, ſed qui vocatur à Domino; huiuſmodi namque gratiam per impoſitionem manuum Epiſcopi datur; qui verò non eſt ad eam electus, ſed potius ſibi eam rapuit, hic ſupplicio Ozæ efficietur. Quale, & adhuc grauius *2. Reg. 6.* multo, nunc Lutherus patitur, & qui eo deſcendunt ſectatores diris accenſi flammis, compatientur. Et nunc ò miſeri, qui ſuperſtites adhuc eſtis; nolite illudere, ne fortè conſtringantur vincula veſtra; conſummationem enim, & abbreuiationem audiui à *Ier. 2.* Domino Deo exercituum ſuper vniuerſam terram: Nam hæretici, quorum numerus in immenſum creuit, communes habent manus, nulla benedictione ſacras, panem cæleſtem contractant; ſacerdotum plurimi, qui proprias ſortiti ſunt manus, communes videntur vitijs facere; ac cæterorum, qui honeſtis, ac iuſtis manibus ad iuge ſacrificium, & ſacramentum accedat, nouit is, quem ſumimus.

CAPVT SEXTVM.

At ille reſpondens, dixit eis: benè prophetauit Yſaias de vobis hypocritis, ſicut ſcriptum eſt: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.

Expoſitio. NOn eſt conſilium contra Dominum, neque aſtutia callidorum, omnium ſapientiam Chriſtum ſublatuit. Nouit enim quid in prauorum pectore ebulliret malitiæ, & quo animo ventoſi homines acceſſiſſent, quamque fallaci lingua interrogaſſent. Quapropter volens ſapientes in aſtutia ſua comprehendere, non illico ad interrogationem, ſed ad vermicoſum animum reſpondet, aſſumpto Prophetæ teſtimonio, Iſaiæ, inquam, quem ob generis, & vaticinij claritatem celebrabant. *Bene* (inquit) *prophetauit*, præſenſitque, atque prædixit ante tempora hypocriſim, quæ hiſce temporibus vos obſcurat. Sic enim ſcriptum eſt in oraculorum libro, quem vos tanti facitis, vt in amico, qui me vt inimicum deteſtamini, mores, ac ſtudia veſtra conſpiciatis. Ecquid ait? *Populus hic* verſipellis, totus meretricius, & infidelis, *hic*, inquam, Iudaiſmus, qui nunc degit, haud diſſimilis generationi, quæ ſemper reſtitit Deo, & contriſtauit Spiritum ſanctum: *Hic*, etſi videatur fidelem ſe, ac deuotum in ſacrificijs, & hoſtijs, externiſque ceremonijs, ſanctum oſtentare; nec non zelotem honoris mei; attamen tota illius obſeruantia in labijs conſiſtit. Multiplicatione enim Pſalmorum, & Canticorum his, quæ Deus requirit, & iure debentur eidem, putant ſatisfeciſſe, quum ille animum potius, quàm manum, inſpiciat, neque aliquid probet, quod à corde non procedat. At *cor eorum*, in quo ego delector, *longè eſt à me*, & alienum ab his, quæ videntur mihi quotidie offerre. Vacua *Iſai. 19.* eſt enim anima populi huius, & ſicut ſomniat ſitiens, & bibit, & poſtquam fuerit expergefactus, laſſus, adhuc ſitit, & anima eius vacua eſt, ſic erit, & multitudo huiuſmodi gentis, quæ duplici corde diuina pertractat.

At ille reſpondens dixit eis: Reſpondens dixit. Quod reſponſum in animo ſapienter excogitatū, præcedat oris dictionem. Nam legimus: In corde prudentis requieſcit ſapientia, & indoctos quoſque erudiet. *Prou. 15.* Inde cor ſapientis quærit doctrinam, & os ſtultorum paſcitur imperitia. *Prou. 15.* Velut enim indigeſtum cibum euomit ſtultitiam; at ille *Nil temerè reſpōdendū.* penſitat animo, prius quàm loquatur, neque ſermonis pulchritudinem externis cōmittit, quin vt peritus Zeuxis imaginem ſui eloquij exornauerit, & iudicio ſtateris, ac ponderis ſanctuarij, reſponſum quod proferendum eſt, comprobauerit. Quapropter ſcribit Baſilius concio. de dicto: Attende tibi ipſi; *Baſil.* qui corda noſtra ſingulatim finxit, gnarus, quod maxima peccati pars, in impetu propoſiti completur, & perficitur, puritatem, quæ eſt in principali animæ parte, *Cordis cuſtodia.* primā, ac principem nobis conſtituit. Quo enim maximè promptè delinquimus, hoc ipſum maiori cuſtodia, & cura dignatus eſt. Quemadmodum enim medici prouidentiores *Similitudo.* imbecilliora corpora, præſeruantius conſilijs eminus præmuniunt: Sic communis curator, & vetus animarum medicus, quod lubricum in nobis ad peccatum ma-

ximè nouit,idipſum fortioribus munitionibus præoccupauit. Frequenter enim cordis cuſtodiam,ſapientiam, atq; prudentiam nobis proponunt oracula,vt nedum in ſermonibus; ſed neque in motibus,qui facillimè ex corde ſcaturiunt, aberremus. Tùm maximè nos ſapienter geramus, quando æmulis ſatisfacere oportet, & eorum calumnias propulſare, vt videlicet exemplo Chriſti reſpondeutes ſimus primo intra nos ipſos; deinde quod animi conſilio reſponſum eſt, palam dicamus his, qui nos interrogant.

Benè prophetauit Iſaias. Ergone aliquando Iſaias, aut alius quiſpiam Prophetarum malè prophetauit? Si oraculum ipſum attendimus,& auctorem quicquid in Prophetis legimus, bonum eſt: Quippe verbum Domini, & eius nuntius, atque ſeruus per quē Deus,quod cogitauit annuntiat, haud ſecus,quam per tubam,tibicen ſuos conceptus muſicos emittit, & format pſaltatricibus. Inde legimus ad Iſaiam dictum: Et quaſi tuba exalta vocem tuam; tuam, ſcilicet,quod labijs proferas.ſed meam, quod formem in ore tuo. Quapropter pluſquam Propheta reſpondit: Ego vox clamantis. Quia Prophetarum dux,& coriphœus dixit: Verba mea non ſunt mea,ego à meipſo non loquor, ſed qui mecum eſt, loquitur mecū. Ecquis iſte? Pater meus in me manens. Patrem autem dicebat Deum. A Deo autem omne datum optimum, & omne donū perfectum. Ergo Prophetarum oracula, quæ à Deo per ſuos miniſtros innoteſcunt hominibus, bona ſunt, & nihil mali continent. Atqui legimus: Malum ego annuntio. Ponam oculos meos in malum, & non in bonum; Deſcendit malum à Domino: quia malum ego adduco: ac ſimilia? Reſpondeo malum hoc interpretari à Theodoreto in Ierem. ſupplicium, quod cum ſit contra reum iuſtitiæ,cuius eſt actus,tantum à mali natura abeſt, vt laudibus dignum ſit proſequi. Nam vniuerſi ordinem complet,cōmendat auctorem iuſtiſſimum, & qui recti ſunt, pace fruuntur. Rei autem dolent iuſtiſſimè,quod bono deteſtato malitijs adhęſerunt. Itaque benè prophetauit nedum Iſaias,ſed omnis Propheta Domini,neque vnquam malè; nam malum ſiue comminatum, ſiue inflictum, bonum ex ſe cenſetur; quod contra malum ſit,eius oppoſitum admittatur perinde virtus, quam omnis recta ratio bonam deprædicat.

Prophetiæ auctor Deus — *Iſai.58.* — *Matt.3.* — *Ioan.12.* — *Amoſ.9.* — *Ierem.4.* — *Theodor.*

De vobis hypocritis. Hypocrita propriè (ſcribit Arias Montanus) mimum, vel hiſtrionem ſignificat,ex hoc genere alij actione, & geſtu; alij vocibus fabulas agunt, & perſonas ſuſtinent,atque referunt non proprias, ſed alienas, Regum, Ducum, diuorum,Patrum, ſenum, matronarum.Hoc verbum Ieſus ſapientiſſimè vſurpauit, ad eos ſignificandos, qui vel geſtu, & actione, vel oratione, ſpecieteos pietatis cultum, referunt. Hic vtroſque tetigit Phariſæos, & Scribas. Eſt enim ὑπόκρισις ſimulatio, & ὑποκριτὴς ſimulator, omnis,qui ſe alium fingit; applicatur iam communi vocabulo ei, qui ſimulat ſanctitatem,ſeque Dei amicum iactat,& charum,cum hoſtis potius in oculis diuinæ maieſtatis habeatur, atque proditor, quod ſimulationum hæc nefandior ſit,ſceleratior,& cunctis, quæ creatori obſeruiunt, deteſtanda. Vnde apud Hebræos חנף chaneph dicitur à verbo חנף canaph, hoc eſt impiè agere, quoniam nulla impietas horribilior,quàm mentiri, non hominibus ſolum, ſed Deo, vt Petrus dixit Ananiæ. Etenim omnis hypocrita eſt nequam, vafrum genus vulpium, quæ demoliuntur vineas,hoc eſt Sanctorum cœtus,& Eccleſiaſticos ordines, quibus ſe ingerunt, vt ſub camelorum pellibus, hoc eſt patrum moribus,Idola paterna conſeruent,vitia inquam carnis, & luxus, & cupidinis. Hæc enim in hypocritis regnant, & his quaſi triplicato dentium ordine,ſæuiunt debachantur; heu, ſanctum blaſphemant in ſtatu Sanctorum.

Arias Mõtanus. — *Quàm deteſtanda hypocriſis.* — *Iſai 9.*

Quapropter non Iſaias,aut alius Prophetarum quiſpiam,ſed omnes ò hypocritæ de vobis prophetaut, fabricatores mendacij, & cultores peruerſorum dogmatum, vos eſtis (inquit Iob) & Pſaltes exorat: Fiant tanquam puluis ante faciem venti,& Angelus Domini coarctans eos: Fiat via illorum tenebræ, & lubricum, & Angelus Domini perſequens eos. Quia zelus, & furor viri (ſubdit Salomon) non parcet in die vindictæ,nec acquieſcet cuiuſquam precibus,nec ſuſcipiet pro redemptione dona plurima. Dixit enim cum multiplicaueritis orationes veſtras non exaudiam. Quoniam & vos dicitis. Sit fortitudo noſtra lex iniuſtitiæ, quod enim infirmum eſt, inutile inuenitur. Quomodo potuiſti quis me ſubijciet propter facta mea? Arguet te hypocrita malitia tua,& auerſio tua increpabit te.Et quia locuti eſtis vana, & vidiſtis mendacium; ideò ecce ego ad vos dicit Dominus Deus. Aduerſum enim dominatorem cæli eleuatus es, qui hypocriſim ſectaris. Væ eis(ait per Oſeam)quoniam receſſerunt à me; vaſtabuntur, quia præuaricati ſunt in me: & ego redemi eos,& ipſi locuti ſunt contra me mendacia, a, a, a, diei, quia propè eſt dies Domini,& quaſi vaſtitas à potente veniet. Ecce ego ſtridebo ſubter vos, ſicut ſtridet plauſtrum onuſtum fœno. Nunquid non in die illa, dicit Dominus, perdam ſapientes de Idumæa, & prudentiam de monte Eſau? Sed quis Eſau piloſus,ac rufus niſi hypocrita? Decaluare,& tondere ſuper filios delitiarum tuarum: Repletus es ignominia pro gloria. Ecquid ego in referendis malos hæreo, quæ Prophetæ omnes de hypocri-

Iob.15. — *Pſal.34.* — *Prou.6.* — *Sap.2.* — *Eccl.5.* — *Ierem.2.* — *Exod.1.* — *Dan.6.* — *Oſea 8.* — *Amoſ.2.* — *Ioel.1.* — *Amoſ.2.* — *Abdias.* — *Mich.1.* — *Hab.2.*

pócri-

pocritis præcinerunt, cum omnes contra hypocritas excandeſcant? Inoleuit ſanies, & tumor putridus infecit tantas noſtrorum myrrhiades, vt niſi prolixitas deterreret, plura, & apertiora propoſuiſſem, ſi quo modo verborum poſſem leuare, verum qui callum contraxit, neque his credet, qui autem Dei eſt, paucis reſpiciet.

Cæterum cum tot de hypocritis prophetarunt, quare ſolus Iſaias profertur? dictum eſt in litterali expoſitione. Tùm etiam quod eo familiarius vterentur; & quod apertius cæteris de eis, ſicut ſcriptum eſt, in medium profert Scripturam, quæ multo ante ſcripta eſt, eaque præſentes impetit. Sæpè enim

Tertull. Scriptura (ait Tertull. lib. de præſcrip.) quæ nondũ facta ſunt pro factis adnuntiat, quia ſic futura ſint: & quæ omnibus modis fieri habent, non quaſi futura ſint, narrat. Denique cum nondum temporibus Iſaiæ prophetæ, Chriſtus natus fuiſſet; quia puer, aiebat, natus eſt vobis, & cum nondum acceſſum eſſet ad Mariam, & acceſſiſſet ad prophetiſſam, & decebat, & concepit, & peperit filiũ; & cum nomen ſuum pater expoſuiſſet, referebat: Et vocabitur nomen eius magni conſilij Angelus. Et cum nondum fuiſſet paſſus, aiebat. Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, &c. Ita quæ hiſce accidit, ante tempora, quaſi præſentia, & præſentibus ſcripſit. Subinde commonemur antiquorum Scripturis vti, ac ſi nobis ſcripta fuiſſent, & iis, qui aberrant. In

Baſil. his enim (ſcribit Baſil. ep. 1. ad Greg. theolog.) & actionum præcepta inueniuntur, &

Quàm vtile ſtudium ſacræ Scripturæ.

beatorum virorum vitæ litteris traditæ, velut imagines quædam vitæ reipublicæ ad bonorum operum imitationem, &c. & ſi in illis conuerſetur, velut ex communi medicamentaria officina, medicamentum ægritudini commodum reperit. Scripturas igitur ſanctas continuò meditari (hortatur

Clemens. Clemens lib. 1. Conſt. Apoſt. c. 4.) Scriptum eſt enim: In lege eius meditaberis die, ac nocte, deambulans in agro, & domi ſedens, cubans, & experrectus, vt in omnibus ſis intelligens. Sic enim & cum domeſticus hoſtis exurgit, valebimus ei dicere: *Scriptum*

Gen. 4. *eſt*. Sub te erit appetitus tuus: ſi mundus blanditur audiat quoque; *ſcriptum eſt*: No-

1. Ioan. 1. lite diligere mundum; quin Sathanæ obij-

Iacob. 4. ciamus; *ſcriptum eſt*: reſiſtite diabolo; ſed & hæreticum nullo acriori mucrone ſuffi-

Habac. 2. gimus, quàm; *ſcriptum eſt*; Ecce, qui incredulus eſt, non erit recta anima eius in ſemetipſo, iuſtus autem in fide ſua viuet; & os quoque fratris, qui diſcordias ſeminat, & in domo iuſti quærit iniquitatem, nec ceſſat loqui blaſphemias. Obſtruemus di-

Zach. 8. centes; *ſcriptum eſt*: loquimur veritatem vnuſquiſque cum proximo ſuo: veritatem, & iudicium pacis iudicate in portis veſtris. Et vnuſquiſque malum contra amicum ſuum, ne cogitetis in cordibus veſtris, & iuramentum mendax ne diligatis, omnia enim hæc ſunt, quæ odit Deus, dicit Dominus. Eſt itaque Scriptura, vnde ſagittas, quaſi ex pharetra cõtra aduerſantes profetamus; & turris illa Dauid ſuppeditans fortibus omnem armaturam, vt intrepidi ad bellum procedant, & inde victores redeant detractis ſpolijs. Quod verò Chriſtus, qui caput eſt, dicat, *ſcriptum eſt*; præmonentur tùm maximè Epiſcopi ſtudium Scripturæ exercere, vt funda Scripturæ, nedum Goliam, ſed mundi rectores prompti ſint deijcere. Quare ordinat Turonenſis Synod. c. *Synod Turonen.*

2. vt omnes Epiſcopi ſtudioſè operam diuinæ lectioni, ſanctum Euangelium, & epiſtolas Beati Pauli, non ſolum crebro lectitent, ſed etiam quantum poſſint memoriæ ſtudeant commendare, ſanctorumque Patrum opuſcula ſuper eadem expoſita deuotè frequentent. Similiter & de cæteris libris canonicis faciant. Ita ſubdit Synodus 2. Cabilonenſis, cap. 1. vt illas Scripturas no- *Synod Cabilonen.*

tiſſimas habeant, quæ canonicæ appellantur, & earum ſenſus per patrum tractatus inquirant. Canones quoque intelligant, & librum beati Greg. Papæ de cura paſtorali, & ſecundum formam ibidem conſtitutam, & viuant, & prædicent. Ne eos tangat ſermo, quem mox hypocritis Chriſtus obijcit.

Populus hic labijs me honorat, Erant enim (vt Ioſephus meminit) in Pſalmis coram tabernaculo decantandis frequentes; attamen ſolis labijs formare voces propheticas, ac muſicis inſtrumentis decantare laudum cantica ſatagebant; cumque animus abeſſet, neque ſanctitudo vitæ, neque

Cum intentione pſallendum diuinum officium.

fortè ea fidei integritas, quam oracula prolata poſtularent, *labijs ſolis* dicuntur Deum *honorare*. At Deus, qui ſpiritus eſt primam à ſpiritu prærequirit laudem. Quare pſallentium in Eccleſiam (ſtatuit Synodus Aquiſgranenſis cap. 131. regnante *Synodus Aquiſgr.*

Ludouico Primo Imperatore, & ſedente Stephano V. dicto. 4.) Domino, mens concordare debet cum voce, vt impleatur illud Apoſtoli: pſallam ſpiritu, pſallam, & mente: quoniam quamuis vbique Dominum per potentiam diuinitatis nouerimus eſſe, præcipuè tamen cum Domino aſſiſtimus officio, per gratiam nobis credimus adeſſe. De qua re venerabilis Beda presbyter in *Beda.*

expoſitione Euangelij Lucæ, ita dicit: Non latet Angelos crebro electis inuiſibili adeſſe præſentia, vt eos, vel ab hoſtis callidi defendant inſidijs, vel maiori cæleſtis deſiderij gratiam ſuſtollant, Apoſtolo atteſtante, qui ait: Nonne omnes ſunt adminiſtratorij *Hebr. 10.*

ſpiritus in miniſterim miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis? Maximè tamen Angelici nobis ſpiritus adeſſe credendi ſunt, cum diuinis ſpecialiter manci-

pamur

pamur obſequijs, ideſt cum Eccleſiam ingreſſi, vel lectionibus ſacris aurem accommodamus, vel pſalmodiæ operam damus, vel orationi incumbimus, vel etiam miſſarum ſolemnia celebramus. Vndè ait Propheta: In conſpectu Angelorum Pſallam tibi. Nec dubitare licet, vbi corporis, & ſanguinis Chriſti geruntur myſteria, ſupernorum ciuium adeſſe conuentus. Vndè ſtudendum ſolerter eſt, vt cum Eccleſiam, vel ad diuinæ laudis debita ſoluenda, vel ad agenda miſſarum ſolemnia intramus, ſemper angelicæ præſentiæ memores, cum timore, & veneratione competenti cæleſte compleamus officium, ne ſi, quod abſit, id negligenter, aut inhoneſtè, vel tepidè impleuerimus, & ad perficiendum pigri aduenerimus, in ſententiam, qua dicitur: Maledictus homo, qui opus Dei fecerit negligenter, miſerabiliter labamur. Quemadmodum hi, de quibus ſequitur:

Pſal. 137.

Cor autem eorum longè eſt à me. Dupliciter quidem cor longè à Deo fit. Vel tanquam, hoſtis, vel vt negligens. Quomodo longè à Deo dicitur, & ipſe prolongatus, qui non attendit his, quæ pſallit, neque intendit ad ea, quæ offert Deo, diſtractus temporalibus. Id quod iuxtà maiorem, vel minorem diſtractionem maius, minuſuè peccatum, mortale, vel veniale reputatur, vt placet Scholaſticis, præſertim Angelico Thom. 2. 2. quando ergo ſtamus ad orationem (ſcribit Cyprian. de oratione Dominica fratres dilectiſſimi, vigilare, & incumbere ad preces toto corde debemus; cogitatio omnis carnalis, & ſæcularis abſcedat; nec quicquam tunc animus, quàm id ſolum cogitet, quod precatur. Ideò & Sacerdos ante orationem præfatione præmiſſa, parat fratrum mentes dicendo: Surſum corda, vt dum reſpondet plebs: Habemus ad Dominum, admoneatur nihil aliud ſe, quàm Dominum cogitare debere. Quæ autem ſegnities eſt alienari, & rapi ineptis cogitationibus, & prophanis, cum Dominum deprecaris, quaſi ſit aliud, quod magis debeas cogitare, quàm quod cum Deo loquaris? Quomodo te audiri à Deo poſtulas, cũ teipſum non audias? Hoc eſt ab hoſte in totum non cauere, hoc eſt quando oras Deũ, maieſtatem Dei negligentia orationis offendere; hoc eſt, vigilare oculis, & corde dormire, cum debeat Chriſtianus, & cum dormit oculis corde vigilare; ſicut ſcriptum eſt ex perſona Eccleſiæ loquentis in Cantica: Ego dormio, & cor meum vigilat.

Elongatio à Deo duplex.

Abſit ab oratione diſtractio.

S. Thom.

Cyprian.

Orantis recollectio.

Cant. 5.

Cæterum iſta cordis à Deo prolongatio minus damnoſa eſt, quàm prior, hiſce hypocrytis improperata. Siquidem locum habet in hæreticis, & in obſtinatis reperitur, qui non in oratione ſolum, ſed antequam orent, vel per hæreſim, vel per adulteriũ, aut aliud mortis crimen à Deo lõgè facti ſunt. Quoniã iuſtitia à longè ſtetit ab his, qui legem iniuſtitiæ ſibi propoſuerunt, & neſciũt bonũ, cũ didicerint malefacere. De quibus ſcribitur: Longè eſt teſtamentum, à quibuſdã, teſtamentũ, inquã, quod tradidit Dominus obſeruandum, per fidem, & charitatem. Quare peccator omnis, qui exuit charitatem, & hæreticus, ac infidelis, qui fidem abnegat, corde fiunt longè à Deo, vt neque exaudiantur ſi orent, neque proficiant ſi laudent ore, quandoquidem execrabilis eſt eorum conuentus, & oratio magis fit illis in peccatum, quàm in miſericordiam. Cuncti enim liquido nouimus (inquit Gregor. Præfatio in Iob, & paſtor. 1. p. cap. 11.) quia cum his diſplicet, qui ad intercedendum mittitur, irati animus proculdubio ad deteriora prouocatur. Scriptum quippè eſt: Victimæ impiorum abominabiles Deo ſunt, vota iuſtorum placabilia. Neque enim in omnipotentis Dei iudicio, quid, ſed à quo datur, inſpicitur. Hinc enim ſcriptum eſt: Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius; ad Cain autem, & ad munera eius non reſpexit. Dona quippè iniquorum non probat altiſſimus, nec reſpicit in oblationes eorum; nec in multitudine ſacrificiorum propitiabitur peccatis. Longè eſt Dominus ab impijs, & orationes iuſtorum exaudiet. Iuſti ſunt, qui ante orationem ſe præparant, & orationi attendunt; impios propriè hac in parte profero hæreticos, & obſtinatos in vitijs; & aliquo modo impietati orantes approximant, qui negligentes ſunt in perſoluendis ſacris. Siquidem ſibi videntur impij, nullum ex oratione reportantes fructum; quoniam *cor eorum longè eſt à me*, ait Deus.

Hæretici à Deo longinqui.

Eccl. 17.

Malorũ oratio Deo inacceptabilis.

3. q. 7. in grauibus.

Prou. 15.

Gen. 4.

Eccl. 34.

CAPVT SEPTIMVM.

In vanum autem me colunt, docentes doctrinas, & pręcepta hominum.

CÆterum, quod indignè orantes, & ſacrificãtes in peccato, ſint longè à Deo hac vnica ratione innoteſcit. Quod, inquit Deus, *in vanum me colunt*; hoc eſt, abſque fructu, & vtilitate. Quod impoſſibile eſſet, ſi mihi adeſſent. Nam qui cælum, & terram impleo, quomodo valeo ad me accedentẽ, & mihi propinquum, vanum dimittere, & inconſolatum? Ergò conſtat longè abeſſe, quando colentes me, neque agnoſcunt me, neque eorum vota ſunt placabilia, neque miſericordiam miſeri, quam ſperabant, conſequuntur; ſed vacui dimittuntur, & inanes. Atqui huius fruſtrationis ſequentem accipito rationem. Sunt enim *docentes doctrinas, & pracepta hominum*. Nihil ſiquidem norunt, quod ad Deum pertrahat, neque diſciplinam, & bonitatem, quæ ſunt amicorũ

Expoſitio.

Dei,

Dehinquirunt; ſed ea ſolum diſcunt, ac docent doctrinas, quæ humanos fauóres conciliant, & celebre inter mortales nomen largiuntur, nihilque præter curioſitatem ſapiunt, plenæ fallacijs, & ſimulationibus. Talibus edocti ad Deum, vt ad hominem accedebant; qui cum veritas ſit, mendacium deteſtatur, & repellit à ſe mendaces ſpe omni fruſtratos. Non enim doctrinis hominum, ſed his, quæ ſurſum ſunt, Deus quæritur. Proinde vani ſunt ſenſus hominis, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei.

In vanum autem me colunt. Græcè legimus: *μάτην* fruſtrà, quod etſi in vanũ queat interpretari, importat tamen aliquid aliud ſupra vanitatem, videlicet à ſpe, à deſiderio, quo quiſpiam ad opus ſeipſum ſolicitat, vt piſcator ad mittendum rete, venator ad ſagittam, & omnis operator ad laborem ſuum, ſi quo modo votis ſuis impleatur. Quando ergo iuxtà animi intentionem res non ſuccedit, fruſtrà dicitur ſudaſſe, & omninò fruſtratus ab his, quæ ipſe ſibi promittebat. *In vanum*, propriè dicitur illud fieri, cui non reſpondet effectus, ſiue intentus, ſiue non. Quare *in vanum* dicimus omnia, quæ carent ſucceſſu, fruſtrà, quæ fruſtrantur intentione. Quo fit, vt iuxtà Vulgatam, Hebræi, necnon qui eorum corruptis moribus mox inſeruiunt, haud ſecus quàm bruta, ab optatis deſiliunt, vt euaneſcant in omnibus cogitationibus, velut inſenſata, quæ nullum operis finem placidum, ac lætum accipiunt, quod more beſtiarum abſq; conſideratione, porci margaritas, quæ ad cultum faciunt Dei, pertractent indecentiſſimè: Omne enim excrementũ erroris odit, & non erit amabile timentibus eum. Eſt quidem peccatum omne, quo diuinus cultus fœdatur excrementum, quod nedum leges, ſed natura deteſtatur. Siue illud dixeris ſuperſtitionem, diuinationem, idolatriã, aut aliud eorum, quæ Religioni virtuti ſacræ opponuntur, quodcumque dixeris, execratur Deus vbique, Angeli in cælo abhorrent, & qui minimam pietatem olfaciunt indecente cultu conſpecto tabeſcunt præ zelo, & contriſtantur. Quapropter illud græcus interpres appellat *πᾶν βδέλυγμα*. Omnem abominationem. Tùm, quod à tanto ingratitudinis, & ignorantiæ vitio abominationes omnes ſequantur: Quia non ſicut Deum glorificauerunt, ait Paulus: Obſcuratum eſt inſipiens cor eorum, & euanuerunt in cogitationibus ſuis. Tùm etiam quod à cultu Dei honeſto abducens ſe homo, velut apoſtata, & ſeruus malè conſiliatus, cunctis abominabilem ſe facit, & ignominioſum; nec abſque fructu, ſed mulctatum; ideò legimus. Heli, Saulẽ, etiam totum populum Domini. Quoniam vt in libro Iudicum legitur, in diebus illis non erat Rex in Iſrael, ſed quiſque, quod ſibi rectum videbatur, hoc faciebat (à cultu verò ad gentilitios ritus deficiens iuxtà Aquenſis Concilij expoſitionem lib. 2. cap. 4.) Et ideò ob merita ſcelerum ſuorum, earundem gentium dominio ſubiugatum populum, & diuerſis tribulationibus, & anguſtijs afflictum fuiſſe. Id quod etiam in pleriſque Orbis partibus cernimus, nec quidem alia ex cauſa. nunc Oriens ſub Turca gemit, & clamat Occidens tantis hæreſum cladibus impetitus, vt vel inde liquidò conſtet, & nunc, & in poſterum, in vanum coli Deum ab his, qui vanitatem potius, quàm religionem in ſacris Deo faciendis ſectantur.

Vani in ma-lũ laborant.

Eccl. 15.

Rom. 1.

Iudic. 17.

Concil. Aquen.

Docentes doctrinas, & præcepta hominum. Doctrinas hominum docet, qui viam ad vitam facilem prædicat, & delicioſam, inſtar amatorum voluptatum; Deumque nulli amarum, qui vniuerſa, quæ condidit tenerè diligit, & à bonis, quæ effluunt nullatenus abſtinere, ſed ad ſatietatem guſtare, theſaurizare vult, & ſuperabundare in gratiam largitoris. Quid quod prolapſum in crimen maieſtatis, non vult perire, neque mori, neque ſe aliqua affligi mæſtitia; ſed ſolum agnoſcere reatum, & veniam ſperare. Hiſce doctrinis, atque præceptis. Lutherus perdidit, & vaſtauit magnam Orbis partem, & crudelior extitit æruca, & brucho, quin locuſtam, quæ omnia deuorat, ſeipſum geſſit, vt neque primi ſplendoris veſtigium in partibus à ſe peragratis reliquerit. Diabolicam enim regionem, qui hauſit eius venenum, efficit, vt nihil diuinum, ſed carneum ſapiant, qui doctrinam, non iam virorum, ſcilicet Apoſtolorum, & Sanctorum, in bonis conſeruatam ſemper, ſed hominũ, quorum facies, velut piſces maris, hoc eſt affectus animales, & ſenſuales ſunt, ſectantur. Qui nutriti in aquis delitioſis, & voluptate Nili fruentes, quid aliud ſperant, quàm tàm electo ductore, & nouarum rerũ magiſtro in profundum maris, vt grauiſſimi lapides demergi? Audi popule ſtulte, qui non habes cor, qui habentes oculos non videtis, & aures, & non auditis. Sicut decipula plena auibus, ſic domus eorum plenæ dolo. Verbum enim Domini, quod pœnitentiam prædicat, & ſanctitatem proiecerũt, & ſapientia nulla eſt in eis. Nemo quod bonum eſt loquitur, nullus eſt, qui agat pœnitentiam ſuper peccato ſuo, dicens quid feci? Ac ſi, Chriſtus ſapientia Patris, vita, & verbo carnales affectus, & licentioſam viuendi conſuetudinem non apertè damnaſſet; aut aliquem Sanctorum haberent nouitatis lutheranæ doctorem, & magiſtrum; non diabolum, qui lapides in panes tentat conuerti, hoc eſt viam vitæ arctam in delitioſam. Velint nolint alterius doctrinam non profitentur, neque vnquam ſanctum oſtendunt, qui inſolentiſſimæ eorum conſuetudini ſuffragetur. Sed hominem animalem,

Lutheri ſcelerata, & peſtifera doctrina.

Ierem 5.

Digitized by Google

malem, qui neſcit ſacramenta Dei; hominem exeordem, qui ſeipſum ignorat. Quid? Hominē, qui oſculatur manus ſuas,& ſpretis,quæ ſancit diuinitas, & antiquitas iugiter obſeruauit, temerè audet præcepta hominum brutorum fingere; at (inquit

Cyprian.

Cyprianus ep. 40. ad plebem de quinque presbyteris ſchiſmaticis:) qui mandatum Dei reijciunt,& traditionem ſuam ſtatuere conantur,fortiter,& firmiter à vobis reſpuantur. Sufficiat lapſis ruina vna. Nemo volentes ſurgere ſua circumuentione præcipiter.

1. Tim.6.

Inſtruit Apoſtolus dicens: Si quis aliter docet, & non acquieſcit ſanis ſermonibus Domini noſtri Ieſu Chriſti,& doctrinæ eius ſtupore elatus eſt, diſcedendū ab huiuſmodi. Et iterum dicit ipſe: Nemo vos decipiat inanibus verbis. Propterea enim venit ira Dei ſuper filios contumaciæ, nolite ergo eſſe participes eorum. Quia nulla

Martin. I. Synod. Lateran.

communia (ſcribit Martinus I. ex Synod. Lateran.ad vniuerſos fideles)hæreticis exiſtunt cum ſanctis Patribus,ſed quantum diſtat oriens ab occaſu, tantumque diſtant impij hæretici verbo,& mente à Deo inſpiratis viris. Præſertim huiuſce temporis, qui Bacchi ſcholam, non Chriſti introducunt ſuos cætus, & informant præceptis, & doctrinis infamiorum hominum, relicto legiſlatore, qui legem ſuauem condidit his, qui ad amorem vltronei ſunt.

CAPVT OCTAVVM.

Relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditiones hominum, baptiſmata vrceorum,& calicum: & alia ſimilia his facitis multa.

Expoſitio.

SVbdit rationem, cur tentarint tàm inſolenter agere,vt præſumerent, doctrinis hominum,atque præceptis plebem onerare. Quoniam, inquit, reliquiſtis *mandatum Dei*. Immo verò Dei obliti ſtis,& retrorſum abiſtis, quodque horribilius,eum odiſtis. Inde factum eſt,vt totum ſtudium in traditionibus humanis perquirendis,cōuertatis,nec aliud cæca mens veſtra pernox excogitet, atq; perdiù,quā quomodo ablutionibus nouis, & baptiſmatibus oſtentet populo munditiam,ne dicam deceptionem. Nam veſtra baptiſmata,quæ exercetis tàm ſuperſtitioſè,cum vrceolis,qui vobis,ac familiæ obſeruiunt; & cum calicibus, qui vix à veſtris manibus recedunt; atque *alia his ſimilia*, quæ præ multitudine, & varietate prætereo,quid aliud ſunt quàm friuolæ hominum adinuentiones,nihil proficientes,neque conferentes eam munditiam, quam Deus exquirit,& lex?

Relinquentes enim mandatum Dei. Quū multiplex ſit mandatum Dei,non inſimulat Chriſtus de huius, aut alterius mandati tranſgreſſione; ſed mandati tantum deſertores arguuntur. Tùm quod in vnius de-

Qui in vno offendit cætera mandata non cuſtodit.

ſertione, cætera relinquantur,quum prætericus,aut omittens vnicum legis præceptū, cæterorum cuſtodia minimè iuuet, iuxta illud: qui in vno deliquerit factus eſt om-

Iacob.2.

nium reus; hoc eſt,reus in vno, non iuſtificatur aliorum obſeruantia, ſed ſemper reus (quouſq; de illo reatu pœniteat) habendus ſit; tum etiam mandati ſolius fit mentio, quod ad primum, & maximū, dilectionem, inquam,Dei, & charitatem, qua in ſingulis mandatis eſt vnica forma, & modus,referatur. Hoc ergo dicens, videtur ſic obiurga-

Arias Montanus.

re eos (ſecundum Ariam Montanum)præceptum charitatis, quæ omnia æquat, & componit; tenetis traditionem hominum, quæ omnia diuidit,& committit.Illud vnum mandatum eſt omnia complexum vinculo perfectionis,iſtæ multæ, variæque traditiones ſunt,omnia confundentes, & onerantes conſcientiam obſeruantium peccatis;immo aliquando perrumpentes expreſſa Dei præcepta, eademque grauiſſima, & ſubiuncto exemplo patebit. Victor Antiochenus con-

Victor Antioch.

tra Iudæos inuectiuam format in hunc modum. Quemadmodum(inquit)illi,de quibus iſtic ſermo eſt,Deum ſummis tantum labijs colebant (*corde enim longè ab eo aberrant*) adeoque fruſtra,nulloque prorſus fructu reuerentiæ cultum illi deferebant: Rurſum,vt illi ipſi hominum doctrinas maiorumque placita, aſſiduò vrgebant, & inculcabant, eademque diuinis præceptis, & legibus potiora ducebant; ita vos quoque in Dei legem apertè præuaricantes externum tantum hominem excolitis, internum autem horridum, planèque incultum relinquitis. Et cum tales ſitis, nudamque tantum pietatis ſpeciem præ vobis feratis, adhuc eos reprehendere, & in ius vocare non veremini, qui veritatem, & pietatem ex animo conſectantur.

Aduerte,hic lector, Idiotiſmum hebræū, relinquere, non facere, non cuſtodire,non meditari,non complecti, neque obſeruare. Propriè enim relinquimus, quod eſt externum, & alienum à nobis; at mandatorum legem,ait Deus, dabo in viſceribus eorum, & in tabulis cordis eorum ſcribam eam.

Ierem.31.

Eſt enim lex ipſa naturæ mentibus noſtris ſculpta, quinimo vectes transfixæ menſæ, atque arcæ,quibus portetur. Igitur lumen naturæ cum ſit ſignatum,mandatum, quod ego præcipio tibi hodie (dicebat Deus)non

Deut.8.

ſupra te eſt, ſed iuxtà te eſt ſermo valde in ore tuo,in corde tuo,vt facias illum. Quod ſi intra nos,quomodo relinquitur? quomodo abijcitur,præteritur, & conculcatur? In non cuſtodiendo, vt diximus. Sic enim infelix peccator obcæcatur,vt ne ſibi contradicentes,ſiue verbo,ſiue ſcripto,ob peccan-

di li-

di libertatem vellet à ſe repelli; ſed & interiora, & naturæ legem, quæ iugiter ſtimulat, optaret immutari, & ſi poſſet, relinqueret. Vnde dicitur interiora proijcere, & habere animam venalem. Quare haud ſecus quàm externum quippiam, & alienum à natura relinquere videtur malus legem, quandoquidem non obſeruat, ſed ægrefert remorſus conſcientiæ ſentire; & hoſtile reputat quicquid vel à malo reuocat, vel inducit ad bonum. Hæc eſt via peruerſi, & peccatoris, qui in profundum iniquitatis demerſus contemnit.

Tenetis traditiones hominum. Lectio græca habet *κρατεῖτε τὴν παράδοσιν prehenditis traditionem*. Prehendere enim eſt complecti animo; dicere in ſingulari traditionem, vt ſupra mandatum, eſt indicare æquè ab his accipi mandatum, & traditionem; immo pluris fieri apud eos traditionem, quàm mandatum, verbum *prehenditis*, declarat; ſed clarius multo vox græca *παράδοξα*, quàm latinè vertimus, admirabile, inauditum, & quod eſt præter opinionem hominum; hinc Stoicorum paradoxa, de quibus Cicero integro libro. Erat igitur illis traditio, velut admirabile quidpiam, quam præterire piaculum ducebatur, & ſi contra legem. Extat enim adhuc Iudæorum error, non minus perniciosus genti, quàm reliqui illorum errores, quod poſſunt Talmudiſtæ, & hi, qui Synagogis præſunt pro captu ſtatuere, & ordinationem eorum pro lege, tametſi contra Moyſen, haberi. Vide Adrianum Finum lib. 9. flagelli Iudæorum cap. 19. Etenim via ſtulti recta in oculis eius, & ſapientior ſibi videtur ſeptem viris loquentibus ſententias. Hoc eſt vniuerſitati Sanctorum, atque Doctorum, quos ſeptem à ſeptemplici dono ſpiritus appellat Salomon, præfert, & vt Dionyſius tyrannus, qui ſua poemata ſupra Græciæ ſapientes celebrabat, ſic hæreticus, & peruerſus, adinuentiones ſuas, & errores vult antiquitati, & antiquis, nec non veritati, & rationi anteponi. Sed quid de huiuſmodi profert oraculum? Sicut canis, qui reuertitur ad vomitum ſuum, ſic imprudens, qui iterat ſtultitiam ſuam. Vidiſti hominem ſapientem ſibi videri; magis illo ſpem habebit inſipiens.

Perniciosus error Iudæorum.

Adrianus Finus.

Prou. 28.

Eccl.

Prou. 10.

Baptiſmata vrceorum, & calicum. Calicis vino guſtum, manus verò aqua ex vrceolis diffuſa lauabant, quia ergo omne vitium, quod manibus committi ſolet, videlicet rapina, homicidium, ac ſimilia; necnon delicta vniuerſa, in quæ guttur prorumpit, Iudæis inerat, baptiſmatum vrceorum, ac calicum fit mentio, vt immanitatem ſcelerum gentis agnoſcamus, quæ tanta erat, vt non ſolum immundi haberentur ipſi, ſed & ipſa inſtrumenta, quæ mundandis hominibus deſeruiunt; vel eo baptizabant vrceolos, & calices, quod hi inſtrumenta ebrietatis, illa verò curioſitatis media illis eſſent. Quin & vniuerſa, quæ intra elementarem regionem miniſtrant nobis ad malum, ſeu potius nos earum miniſterio abutimur, non Scriba, nec Phariſæus, ſed Princeps Regum terræ in igne baptizabit, dicente Petro: Cæli autem, qui nunc ſunt, hoc eſt ſuprema elementorum Regio, quæ à vicinitate cæli denominatur, & cælum; & terra eodem verbo repoſiti ſunt, igne reſeruati in diem iudicij; & infra. Adueniet autem dies Domini, vt fur, in quo cæli magno impetu tranſient, elementa verò calore ſoluentur, terra autem, & quæ in ipſa ſunt opera, exurentur.

Mundi conflagratio.

Et alia ſimilia his facitis multa. Quæ neque Deus ordinauit, neque Moyſes ſcripſit, neque prophetarum aliquis ſomniauit; ſed humanum placitum ea introduxit, & curioſitas veſtra ad ea potius quàm ad ſacra vos compellit, vt non defatigemini animis veſtris, nec vobis ſit graue tantam inire ſolicitudinem, quam in abluendis corporibus, veſtimentis, ac rebus alijs, quarum vſus eſt vobis frequens, per dies, ac noctes, & per omne ferè tempus abſumitis. Opus autem Domini non reſpicitis, neque ſcitis legem. Quid? neque Deum. Proh dolor! quia plerisque video ſimile contingere; leges Bartoli, ac Baldi, Iuſtiniani inſtituta, necnon quæ vel hi maiores ad conſeruationem interioris hominis ſtatuerũt, pro poſſe obſeruant, & multa faciunt ex terrena, vt in refectorijs ſilentium, in Eccleſia proſtrationes, in concurſibus ſalutationes, ſed et in cibis delectum, in veſtimentis ornatum, & bonam ordinationem in verbis, in factis autem videntur votifragi, in conſcientijs tractandis, ignorare legem, in conſulendis, ac ſubleuandis animabus pietatem exuiſſe. Quid? etiam in ſacramentorum miniſterio, atque ſacris peragendis facilè agnoſcuntur à Deo alieni. Propterea repleti ſunt lumbi mei dolore, anguſtia poſſedit me, ſicut anguſtia parturientis: corrui cum audirem, conturbatus ſum cũ viderem. Probo quidẽ externa omnia, quę Eccleſia, ac Sancti ordinarũt; angor, quod ſub cortice medulla multi non quærant, ac vehementius doleo, quod cæremonijs completis putemus legem impleuiſſe, cui nos primitus deuouimus. Eleua ergo ò Cherub alas tuas, & cogitatus à cæremonijs, ad firmamentũ Chriſtum, qui eſt ſuper caput tuũ; immo verò caput ſuper omnem Eccleſiam, ſi fortè ſaphirum, hoc eſt intelligentiam ſpiritualem, & cæleſtem in cunctis, quæ agis, aſſequaris; neque ſolum coram Ezechiele, hoc eſt homine terreno videaris eleuatus ad ordinem ſacrum, aut ſtatũ Apoſtolicum, ſed coram Deo, & Angelis eius,

Ignorantia in ijs, quæ ſunt animæ.

Iſai. 2.

Ezech. 10.

quibuſcum ſedulò in templo, & templi miniſterijs, verum etiam in foro, & quo pergas decantes excelſo: Sanctus, ſanctus, ſanctus. Eo enim ſunt cæremoniæ, & munia Eccleſiaſtica. Quid? etiam viſibilia omnia, vt ab his ad inuiſibilia, & ad diuinitatem aſcendamus, agnoſcamus, & in omni loco, & negocio extollamus, & in his quoque extollamur; qui ſecus facit, *in ſimilibus his multis*, velut ſuperſtitioſi Phariſæi, reprobabitur.

CAPVT NONVM.

Et dicebat illis; benè irritum feciſtis mandatum Dei, *vt traditionem veſtram ſeruetis.*

Expoſitio. VT eos præuaricatores mandati peculiaris oſtendat Chriſtus, præmittit vniuerſam propoſitionem, illatam ex præmiſſis. Dixit ergo illis non animo improperandi, ſed zelo repletus, & cupidus ſalutis infirmæ gentis, eos iterum conuenit, & eorundem perperam facta tangere facit, ne excuſationem aliquando proferant de præuaricatione ſua, niſi malint ad cor redire. Benè quidem (inquit) vobis complacendo, & veſtris deprauatis iudicijs conſentiendo potius, quàm ſapientum ſanis conſilijs, *irritum feciſtis*, quod pacto, & ſanguine in perpetuum firmatum erat mandatum Dei, quod iureiurando patres veſtri, ac vos eſtis polliciti ſeruare ſub graui cenſura, quam ſuo tempore ſuſtinebitis. Quapropter? fortaſſis, vt nouum veteri excellentius, & repugnans compleretis? Minimè quidem. Nec enim Deus ſibiipſi aduerſatur, neque pugnantia præcipit: Equidem præuaricatores facti eſtis; vt traditionem, non quam Moyſes, & proceres illi Synagogæ, in quibus erat ſapientia, & ſpiritus Dei, relinquere poſteritati, & demandarunt patribus tradere filijs, conſeruarique à generatione, in generationem vſque in ſæculum; non propter hanc, quæ bona eſt; ſed propter veſtram, quæ ab auctoribus non differt, adultera, peruerſa, infidelis, peſtilens, & tota impia. Veſtris ergo allecti placitis, antiqua irritatis iura, ſancta polluitis, iuſta obſcuratis, & denigratis vera, vt ſeruetis inſtitutionem humanam, quæ nedum impios, ſed & ſacrilegos efficit homines, quinimo parricidas, & matricidas.

Et dicebat illis. Tametſi ſceleratis, & fucatis hominibus dicere aliquid non recuſat, ſi quomodo fructum afferat, ſaltem circumſtantibus. Quoniam ſcriptum eſt: Verbum meum non reuertetur ad me vacuum. (*Iſai. 55.*) Siquidem pluuia, quæ ſaxorum montem non fœcundat, declinia, & valles, campoſque inferiores irrigat lætificat, & efficit velut paradiſum voluptatis, ſic etiam verbum Domini circumſtantes, tametſi, ad quos ſermo Dei primo factus videtur, lapidibus duriores nihil proficiant; (Prædicandū etiam induratis.) quamdiu tamen ſpes eſt, oportet vos (ait Clemens Conſtitut. Apoſt. lib. 2. cap. A.) (*Conſtitut. Apoſt.*) ijs opitulari, qui ſunt in ægritudine, in periculo, & in errore, & quoad fieri poſſit, monitis eos ſanare, & à morte liberare: Non enim medico opus habent, qui benè habent, ſed qui malè: quandoquidem non eſt voluntas coram patre, vt pereat vnus ex puſillis: non enim perpendere oportet, quæ ſit duorum hominum voluntas, ſed quæ Dei patris auctoris omnium per Chriſtum Dominum noſtrum, cui eſt gloria in ſæcula ſæculorum.

Benè irritum feciſtis præceptum Dei. Græca lectio habet καλῶς ἀθετεῖτε *pulchrè abrogatis*; quo verbo audaciam hominum, & malitiam plenam extitiſſe conſtat, vt qui non ſolum irritarent mandatum Dei, vel ex ignorantia, vt ſcioli, & ſylueſtres, & rudes homines; ſed abrogarunt quaſi legiſlatores, aut vicarij, quibus conceditur, vel abrogare legem, ſi expediat, aut certè vti epycheia. Ad hanc venerunt inſaniam omnes penè hæretici, præſertim qui à Lutheri papillis ſuggerunt fel draconum, & venenum inſanabile potant. Hi vniuerſum decalogum penè abrogant, præcepta Eccleſiæ ſuggillant, & modis omnibus cæremoniam religionis ablegant; quid dicam? neq; legem naturæ admittunt. (Quàm pernicioſa hæreſis.) Nam vt vnus eorum deponit Schemidelinus, concione 4. in Luc. 21. Nulla ſentitur in illis morum emenda, ſed horrenda, epicurea, & animalis, ſeu ferina eorum vita cernitur. Et quidem omnis hæreſis nimis eſt impia (ſcribit Sixtus Papa II. ad Gratum Epiſcopum) (*Sixtus* II.) & euangelicæ veritatis inimica, quæ non portionem aliquam lædere, ſed ipſa Chriſtianæ religionis conatur fundamenta euellere. Quoſcumque enim rapit ad ſe (ait Felix Papa) (*Felix Papa.*) non ſolum in hoc vitium, ſed in multa alia vitia re verè facit: & ipſo ſuadente antiquo hoſte, non ſolum perſecutores Eccleſiæ, ſed etiam ſacerdotum eius fiunt. Hos quidem inſecutus eſt Arrius, & Lutherus nudos ſpoliauit, etiam ſacerdotio, quod ad fœminas etiam non erubuit transferre, vt allecto ſexu audace, quando deuotionem exuit, complices innumeros aduerſus legem Dei haberet, & nouorum dogmatum ſectatores; immo verò auctores. Tentant enim fœminæ lutheranæ, & caluiniſtæ, ac ſimiles abrogare quæ Deus ſanxit mandata, & noua prædicare; quum nedum prædicare, ſed neque loqui in Eccleſia verbum Dei liceat

liceat illis iuxtà ordinationem Apoſtolicam; quam ſcripſit Clemens lib. 3. Conſt. Apoſt. cap. 6. Atqui mentem (ait Cyrill. Alexand. in expoſitio. anathematiſmornm aduerſus Neſtorium, & factioſos) mentem obtinent mendacio addictã, nonnullorumq. dicaculorũ nugacitati mancipatam, ac vanæ nihilominus ſcientiæ oppido auidam, illorum ſocij merito cenſebuntur, de quibus beatus Paulus ſcriptum reliquit: In quibus Deus huius ſæculi excæcauit mentes infideliũ, vt non fulgeat illis illuminatio Euangelij, gloriæ Chriſti. Sunt enim cæci, & duces cæcorum. Quare & in perditionis quoque foueam corruũt: Nam vt Seruator ipſe alicubi monet. Si cæcus cæco ducatum præſtet ambo in foueam cadunt. Fugite ergo (clamant Apoſtoli lib. 6. Conſt. Apoſt. c. 18.) communionem hæreticorum, & ne ſit vobis pax cum eis. De ipſis enim pronuntiauit Propheta. Non eſt ſaluare impijs dicit Dominus: Hi enim ſunt lupi occulti, canes muti non valentes latrare: qui nunc quidem pauci ſunt, proceſſu verò temporis, & cum propè erit extremum ſæculi huius plures, difficilioreſqne erunt. Ergo in fines ſæculorum deuenimus iuxtà hanc prædictionem, vt qui & difficillimos, & propè innumeros experſamur, legum ſanctarum abrogatores, & violatores mãdati diuini, cuius & nomen abhorrent, vt traditionem libertinã, quam effinxere, cunctis perſuadeant.

Clemens. *Cyrillus Alexand.* *Conſtitut. Apoſt.* *Iſai. 57.*

Animaduerte lector, aduerbium, *benè*, *εἰρωνικῶς* proferri, vt pleraque alia in Scripturis, velut Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt. Etenim, *benè*, non ſumitur in bonum, vt benè tibi erit, & viuet anima tua. Benè ſit Romanis, & genti; ſed in malum, vt; noluit intelligere, vt benè ageret: hoc eſt, malè. Vndè *benè irritum feciſtis*, expoñito; malè, & perperam agentes, irritaſtis legis mandatum. Nam quod non licet facere, malum eſt; iuxtà illud: Vide quam malum, & amarum eſt te dereliquiſſe Dominum Deum tuum. Quia malum eſt, malum eſt, dixit omnis emptor. Vt cumque transgreſſori benè eſt dum in actu peccati eſt, quia vt infirmus corrupto guſtus principio, ponit dulce in amarum, & hoc dulceſcit in ore eius; ita peruerſus iudicio rationis obuoluto pro illo tunc adulteram præfert Deo, & *benè* dicit, ac melius furari, quàm pati penuriam, aut non ſuperabnndare. At dum in hoc, *benè*, ſibi complacet, malum ſerpentis, quæ ſub herba latet, infelici præparatur.

Gen. 3. *Ierem. 38.* Benè aliquãdo ſumitur in malam partem. *Ierem. 2.*

Vt traditionem veſtram ſeruetis. Porrò non hæreticorum ſolum, ſed mundanorum eſt, vt ſeruent traditionem, quæ in mundo prauo inoleuit mandatum Dei relinquant, ſunt antem traditiones mundanæ, abuſus conſuetudine inueteritati, quos neque lex probat, neque ratio admittit, quinimo tùm prædicatores à ſuggeſtu, & confeſſarij inuehunt in obſeruatores einſmodi traditionum; vt in torneatores diebus Dominicis, & feſtiuis; in eos, qui cum tauris, & alijs feris luctantur, vſurarios, caupones, & omnes, qui ſe veſte peregrina induunt, & eligunt potius lambere aquã præcipites more ferarum, quàm proprijs manibus ſibi victum comparare; hoc eſt; malunt luxuriare in vitijs adoleſcentiæ, quàm ſenectam patrum, & ſanctarum legum cuſtodiam venerari, & imitari eos, qui viam mandatorum Dei proſequuntur, & velociores aquilis perambulant ſemitas Dei noſtri, quem quia falſis, ac fabuloſis traditionibus addicti non norunt, neque multum facrunt ignorare, facillimè offendunt, & præeligunt potius defenſores eſſe paternarum traditionum, quas hoſtis ſuperſeminauit, quàm obſeruatores mandatorum, quæ ſanxit cæleſtis legiſlator, & cõpleuit. Audi popule ſtulte, qui non habes cor: qui habentes oculos non videtis, & aures, & non auditis. Me ergo non timebitis, ait Dominus, & à facie mea non dolebitis? Qui poſui arenam terminum mari, præceptum ſempiternum, qnod non preteribit; & commouebuntur, & non poterunt: & intumeſcent fluctus eius, & non tranſibunt illud; populo autem huic, qui mundanis traditionibus potius, quàm diuinis præceptis delectatur, factum eſt cor incredulum, & exaſperans, receſſerunt à mandatis Dei, & abierunt ad concupiſcentiam carnis, & oculorum, ac vitæ ſuperbiam complexi ſunt, qui nedum iumentis, quæ cognoſcunt tempus ſuum, inferiores ſe oſtendunt, ſed inſenſatis, quæ malunt potius deſinere, quàm creatoris ſtatum præterire. Ergo filij hominum vſquequo graui corde? An non præſtat imperatorias ſequi leges, & Pontificias ſanctiones, quas ſummus Pontifex probauit, quàm reprobas traditiones, quæ plebis carnalis ſunt, non virorum? Si nec minima (vt cum Cypriano epiſt. 63. ad Cæcilium peroremus) de mandatis Domininis licet ſoluere: quanto magis tàm magna, tàm grandia, tàm ad ipſum Dominicæ paſſionis, & noſtræ redemptionis ſacramentum pertinentia, fas non eſt infringere, aut in aliud, quàm qnod diuinitus inſtitutum ſit, humana traditione mutare?

Contra vanas traditiones, & obſeruationes. *Ierem. 5.* *Pſal. 4.* *Cyprian.*

CAPVT DECIMVM.

Moyſes enim dixit: Honora patrem tuum, & matrem tuam: & qui maledixerit patri, vel matri morte moriatur.

Expoſitio.

AD peculiarem transgreſſionem præcepti deſcendit, vt videant plagam, quæ in miſeris malè olet, *Moyſes*, inquit, quem vos paſſim allegatis, & gloriamini talem præceptorem ſortitos eſſe; ille quidem *dixit* in lege, quam accepit per manum mediatoris, & ore ſuo patribus veſtris promulgauit, voſque perſtringere confitemini. Ecquid dixit? *Honora patrem tuum*, qui te genuit, & eſto ſolicitus eidem officioſè cuncta miniſtrare, vt videaris par pari rependere; necnon *matrem tuam*, quæ te portauit, aluit, & diligentiſſimè non abſque corporis cruciatibus, & anxietate ſpiritus fouit; ſimili reuerentia habeto; nec vllum his ſalubre miniſterium denega, neque honore neutrum defraudes. *Nam qui* conuitijs, ac ſolis verbis inhoneſtis *maledixerit patri*, à quo habuit cæli, & terræ hæredem poſſe fieri; *vel* etiam irrogauerit iniuriam *matri*, per quam aſſecutus eſt, ad imaginem Dei eſſe; *morte moriatur*, quamprimum de crimine conuictus fuerit. Hæc eſt lex, tranſgreſſionem poſtmodum ſtatuit.

Moyſes enim dixit. Allegat Chriſtus Moyſem, vt qui legiſlator Iudæorum eſſet, & fidem ei ſupra omnes ſcriptores præſtarent; quemadmodum Philo Iudæus in vita Moyſi longo ſermone proſequitur, necnon Ioſephus antiquitatum lib. 2. Ex noſtris Gregor. Nazianzen. lib. peculiari, Moyſi laudes, & vitam, veluti formulam viuendi Chriſtianis proponit: Et Aug. vel qui eſt auctor, lib. 1. de mirabil. ſacræ Scripturæ c. 35. atque alijs in locis. Maiorem tamen illi conciliant laudem, quæ in Deuter. cap. vlt. & Eccleſiaſtico cap. 45. legimus. Super omnes Chriſtus commendat Moyſen, & eius Scripturam, eam citans, & nominans auctorem, vt magnum, quem ſapientum ſchola credat, & abſque exceptione tota Synagoga illius ſententias recipiat. Hinc poſſumus agere contra eos, qui Teſtamentum vetus non à medio Deo, vt Ptolomæitæ aſſerebant; ſed à ma o numine confectum perſuadebant, vt Simoniani, Baſilidiani, Marcionitæ apud Irenæum lib. 1. cap. 10. 22. 29. & apud Epiphanium hær. 66. Manichæi, bagomiles apud Euthymium Panopliæ par. 2. tit. 23. cap. 1. Idem ſenſiſſe Albigenſes refert Antoninus par. 4. tit. 11. cap. 7. Verum confundit inſipientes homines Chriſtus; qui non tàm hic, quàm alibi citat teſtimonium Moyſi; quin omnem Scripturam illius, & antiquorum verbis, quæ Luc. vl. ſcribuntur, comprobauit. Neceſſe eſt (inquit) impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi, & Prophetis, & Pſalmis de me. Adde his, quæ ſupra contra Ptolomæitas ſcripſimus.

Philo. Ioſephus. Nazianz. Auctor lib. de mirabil. S. Scripturæ. Auctoritas Moyſis in ſacra Scriptura. Epiphan. Euthym. Antonin. Luc vlt. Supra c. 4.

Honora patrem tuum, & matrem tuam. Fertur præceptio iſta, Exod. 20. & Deuter. 5. Qua ſecundum Sanctum Thomam. 1. 2. q. 100. art. 11. & 2. 2. q. 32. art. 5. quæſt. 33. art. 2. & quæſt. 122. art. 5. omne beneficium impenſum proximo debetur parentibus, & quicquid ad redditionem debiti cuiuſdam pertinet. Nam dixit alibi oraculum. Qui timet Dominum, honorat parentes, & quaſi dominis ſeruiet ijs, qui ſe genuerunt. In opere, & ſermone, & omni patientia honora patrem tuum, vt ſuperueniat tibi benedictio à Deo, & benedictio illius in nouiſſimo maneat. Inde Paulus: Filij obedite parentibus per omnia, hoc enim placitum eſt in Domino. Per omnia, inquam, quæ ſunt materia obedientiæ (exponit Dyoniſius Carthuſian.) ideſt in cunctis bonis, ac licitis, & maius bonum non impedientibus. Piorum autem parentum liberis verba faciens (ait Theophylactus) dixit per omnia. Nam impijs parentibus non eſt per omnia obtemperandum, non enim quando ad impietatem cogunt eis eſt obediendum. Ad hæc Bernardus (ſermone vltimo ſuper Salue Regina) honoris nomine non ſolum ſubiectionis reuerentia, ſed etiam ſubſidij obſequium accipitur. Proindè filij debent honorare parentes, & in bonis obediendo, & temporalia, ſi opus habuerint, ſubſidia miniſtrando. Putare enim quiſque debet (ait Plato 4. dialog. de leg.) omnia, quæ poſſidet eorum eſſe, qui genuerunt, ita vt etiam hæc omnia eis pro virili miniſtrare debeat. Nam & externa bona, & corporis bona, & cætera omnia ab illis accepit quodam modo, & ideò hæc tanquam mutuo data rependere debet filius, & reddere debet, ſi indigentia premantur. Subinde Demetrius Phalerius dixit: In ſolitudine teipſum, in via obuios, & domi parentes diligenter reuerere. Et Iſocrates, Talem te erga parentes tuos præbe, quales in te eſſe liberos tuos optares. Ita fieri debere hortatur Ambroſ. lib. 5. exameron. cap. 10. exemplo ciconiæ, quæ parentes ſenio confectos mirum immodum fouet, adeò vt exutos plumis, operiat proprijs vi extractis, & medelas proprio ore, ac cibum tranſmittat ad intima parentum. Idem docet Baſilius homil. 9. in hexameron. Et Hieronym. in tractatu de honorandis parentibus. tom, 4. Vincentius ſpecul. natural. lib. 30. cap. 41. Morali.

S. Thom. Honor parentum. Dyoniſ. Carthuſ. Thophyl. Quomodo parentibus obtemperandum. Bernard. Plato. Demetrius. Iſocrates. Baſil. Hieron. Vincentius.

tali lib. 3. par. 10. diſtinct. 25. & Doctrinali homil. 1. cap. 41. Atque alij quamplures tàm ex ſacris, quàm prophanis, obediẽntiam hanc, obſequium, & honorem debitum parentibus multis argumentis demonſtrarunt.
Xenophon. Siquidem vt Xenophon lib. 4. de dictis, & factis Socratis, ait: Lex in primis apud omnes homines vna eſt, vt Deũ colas, & vt parentes item honores vbique iubet lex.
Luc. 2. Vnde Chriſtus ab his; quæ æterni Dei erant, deſcendens ſubditus erat parentibus. Et Dauid nõ ſat duxit iuxtà cor Dei eſſe, niſi parentes etiam à periculis eripe-ret. Sed quid in re aperta immoror?
Eccl 3. Filij ſapientiæ Eccleſia iuſtorum, & natio illorum obedientia. Hæc quidem innata eſt naturæ, vt agnoſcat originẽ, inſita germini, vt radicem magnificet; eſt cum feris progignita, vt leunculi in parentes nõ inſurgant, elephantem grandeuũ progeniti ſubleuent, & delphinum, qui ducatũ præbet, cæteri comiter ſequantur. Quare nulli mirũ videri debet, quod apud ethnicos tanti fieret obſeruantia filiorum in patres; cum lex naturæ omnes ſignauerit, & compellat ius ſuum cuiq; dare; ſeque totum, ac opera in patris obſequiũ expendere. Eſt enim aliquid patris, aic
1. Ethic 4. Philoſophus: ac proinde non alienũ, ſed acceptum reſtituit. Sicut ergo (concludit
Cyprian. Cyprian. ep. 111.) in ſenibus ſobrietas, & morũ perfectio requiritur; ita & in adoleſcentibus obſequiũ, ſubiectio, & obedientia deſideratur; ſub hoc præcepto cõprehendi volunt Patres, honorẽ, quo ſubditi ſiue in ſæculari, ſiue in Eccleſiaſtico ordine conſtituti, maiores debent proſequi. Cæterum quia vel vi, vel metu, vel gratia honorem ab inferioribus ſibi deferri ſatis ſunt ſoliciti præſules, & qui poteſtatẽ habẽt; prætoribo narrationem huius obſequij, & reuerentiæ, quã neq; Chriſtus hoc loco, ſed alibi cõmendauit, quando dixit: Reddite, quæ ſunt Cæſaris
Luc. 20. *Matt. 23* Cæſari; & ſuper cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi, quæcumq; dixerint vobis ſeruate, & facite.

Qui maledixerit patri, vel matri morte moriatur. Quid etiam rebellis parentibus, à
Deut 21. quibus correctus ſi noluerit emendari? Ait enim lex; lapidibus eũ obruet populus ciuitatis, & moriatur, vt auferatis malum de
Pœnæ rebellis filij ex lege. medio veſtri, & vniuerſus Iſrael audiens pertimeſcat. Neque enim natura gaudet in membris difformitatem oriri, neq; ars patitur totũ parte dehoneſtari, neq; reſpublica permanet, quæ inordinationis ſemina nõ præſcindit. At quid patentius ad ſubuerſionem pacis, ordinis, & totius frugalitatis humanæ, quã filios in patres permittere iniurias? Monſtrum eſt videre pedem imaginis excedere capitis magnitudinem, atq; corporis. Abhorret quidẽ lex, quæ nobiſcũ creuit, effectus à cauſis diſſentire, & quemquã patri, vel matri dicere: quid me genuiſti? ſẽtire non poteſt. Cum verò qui principiũ vnde proceſſit impetit; iã clamat perdi, abſorberi terra, vt ſocietur Dathan; ſubmergi cũ Ægyptio, inflammari cũ Gomorrhita, & cũ omni ſceleſto omnẽ pœnã luere. Eam tamẽ Deus, cuius thronus miſericordia roboratur, mitigat dum diſcolum filium non igne, non præcipitio, non gladio, aut alio ſæuiſ-
ſimo mortis genere, ſed lapidibus obrui *Quare obruebatur lapidibus inobedientes filij.*
vult. Eo enim mortis ſupplicio tùm populus, qui illud infligit, tùm reus, qui illud ſuſcipit meliores ſatis euadere poſſunt. Ille quidem diuturnitate pœnæ, ac varietate facilius ad ſeipſum redit, & precatur veniam; hic verò ſe carnificem inobedientis extitiſſe proſpiciens, conſiderat pœnam, quam cũ pro ſecretis rebellionibus, & obſecrationibus, quibus maieſtatem supremã offendit, certoq; expectat. Quandoquidem legit: Et armabit Deus omnem creaturam in vl- *Sap. 5.*
tionem inimicorum. Tantam vltionem conſiderẽt noſtri fideles, qui etſi à Moſayca liberi ad eam referuantur. Neque enim filij parentibus oneroſi abſque pœna dimittentur. Tunc lapide obruebantur, nũc igni tradentur; tunc populus terræ in eos animaduertebat, dimittentur nunc impijs dæmonibus, & partes vulpium erunt; tunc Seniores ciuitatis in ius vocabant eos, atque damnabant: nunc continuò expectant vniuerſorum iudicem, qui cũ Senioribus, ac militibus ſuis iudicet dignos horrido carcere, & ſupplicio, quod omnem hominis menſuram excedat. Quid? tunc ſæpius lapis durus tàm percuſſo, quàm percutienti frugifer erat; Modo verò, ſi veſtram cauſam expectatis, ò ingrati, dicere coram iudice, qui appropinquat, iudicium ſine miſericordia vobiſcum fiet. Et quidem viuentes in carne crudeliori tortura, quã lapide olim parentibus inobe-
dientes videmus tractari. Quidã enim ſiunt *Seuerior pœna filij inobedientis.*
obſeſſi, vt Niconas, quẽ ſanctus Parthemius liberauit: Alij in miſeriam vix inextricabilem dimittuntur, vt Capadox adoleſcentula, quæ aduerſante patre ſeruo nupſit mago, quam poſt diuturnas preces S. Baſilius exhilarauit; atq; alij alijs tùm corporis, tùm animi infortunijs plectũtur, vt planè cõpellamur quandoq; dicere Seuerius mox; quàm olim inobedientes filios puniri, & caſtigari.

Nota lector in græco pro *morte moriatur*, legi, θανάτω τελευτάτω, hoc eſt, *morte finiatur*, ſiue conſummetur, quo loquendi modo docemur grauitatem, tùm criminis, quod maledicus filius perpetrat contra patrem, tùm acerbitatem ſupplicij eſſe maximam, vt qui non *moriatur* ſolum vt homines reliqui, ſed *finiatur*, vt beſtia. Hæc enim eſt, quæ *finitur* morte; homo verò peccator moriens *moritur*, hoc eſt, corpore deſit, & anima ſpiritualem ſentit mortem, quæ exuit gratiam, & omnem pœnam induit, adeò vt optet infelix non eſſe,

atque finire. Quamuis igitur ſit homo in inferno, morte dicitur finiri; tùm quod læta omnia finem in morte eius acceperint; tum quod deſiderio finiatur, qui morte moritur, hoc eſt morte duplici à mundo diſcedit. Comparatur autem diſceſſus ſimilis exitio beſtiæ, quod quaſi beſtia moribunda ferociter tractetur, quodque velut beſtia moriens ſpem ad priorem luxuriandi licentiam funditus amittat: In quem modum loqui Salomonem, cum ait: Vnus eſt interitus hominum, & iumentorum, nemo inficiat.

CAPVT XI.

Vos autem dicitis: Si dixerit homo patri, & matri, Corban (quod eſt donum) quodcumque ex me tibi profuerit.

Expoſitio. EN præcepti præuaricationem, ſub pietate impietatem conſulere, & irreligioſos penitus facere, in opere apparenter religioſo. Etenim *vos*, qui pietatem, & religionem ſupramodum extollitis; quin potius præter, ac contra modum, dicitis populis, & contenditis veſtris colloquijs ad impietatem homines pertrahere; ſiquidem cum iactura nedum inimici, aut proximi, ſed parentum exitio, vota fieri conſulitis; Nam ſi quis ad vos veniat indiſcretè deuouens, templo, ac miniſtris, ſeu cultui ſacro, quæ ſunt neceſſaria familiæ, quibuſque ſoleant patres ali, tantum abeſt, quod deterreatis ab opere illicito, vt calcaria addatis iuueni, laudantes opus, & animum generoſum, alioqui infamem extollentes, & docẽtes eũ quomodo valeat facinus colorare. *Dicitis* enim ò bonæ indolis iuuenis, & præclare Deo eſto gratus, quod tuis velit honorari denarijs; propter quæ quis dubitat cumulatioribus te, tuamque progeniem, & familiam, remuneratum iri? Quare bono eſto animo, nec te contriſtet indigentia, aut penuria, quæ ſacratis his Deo peruadet familiam; ſed cõquerenti patre, ac penè exanimi matre præ inedia dicito, ò patres patienter ferte mala corporis, nec non mortem, quæ ob vota mea vos inuadit. Nam *Corban*, ac donum, quod ego qualecumque Deo obtuli frugem plurimam vobis allaturam ſcitote; augebit enim Deus ſubſtantiam, quando minus ſperabimus, & fortes ad omnem penuriam ſuſtinendam efficiet; quod ſi hoc non decreuerit, maiora, & præclariora vobis poſt mortem præparata confidite. Moriendum eſt enim, quid autem glorioſius, quàm mori propter Deum? Et quidem Deus eſt, qui acceptis bonis ex voto vos ad meliora vocat. Ergo nolite conqueri, neque egrè ferre, ſed gaudentes ſuſtinete egeſtatem, & ſi moriendũ ſit, læti proficiſcimini ad ea, quæ gratiſſimus Deus pijs præparauit. Hæc illi.

Vos autem dicitis. Poſtquam abundè ſatis perſuaſionibus pios animos ad oblationes, hoſtias, & ſacrificia perſoluenda Deo excitaſtis, ne lapidem relinquere immotum videamini, qui veſtram auaritiam impediat, & retrahat ſimplicium promptitudinem à votis, *dicitis*, hoc eſt, conſulitis piaculum, & nefas; vnde volentes cupiditem obumbrare, vos oſtenditis crudeles. Velut ſimia, quæ ſi alunm operit, faciem horrendam exponit intuendam. Proh dolor! quoties, & hoc cernimus, nedum in hæreticis, qui dum malum ſanctis Scripturis colorant, in maiores tenebras prolabuntur; ſed etiam noſtris, qui nonnunquam inflammati auaritia perſuadent eleemoſynas ſacris locis fieri, & perſonis, ſed cupiditatem operiunt, non verò, quia verum non patrocinatur falſo, ſed confictis mendacijs, nunc ſummæ indigentiæ cum ſuperabundent; nunc auſteritate victus, cum magis ventri indulgeant, & epulis, quàm pleriq. mundanorum, & quandoq. ſanctitatem vnius, qui inter eos degit obijciunt, vt reliqui in ſancti oblationibus victitent opulenter eſuriente vidua, à cuius ore panem hac arte ſubtrahũt. Quid? etiam diuite, eius, quod ab eo exquiritur fuco, inopiam patiente. Itaque axioma dicito, falſum falſo innititur, & qui amarum dulce dixit, amaro neceſſe eſt confirmari. Nam & abyſſus abyſſum inuocat, tabes tabem, & morbus, qui ſemel cœpit oſſa emedullare, quandoq; medicamentis deterioratur, nec quouſque ad mortem deſcenderit, recedit. Ideò ad hunc fertur ſermo. Tu autem vaſtata, quid facies? cum veſtieris te coccino, cum ornata fueris monili aureo, & pinxeris ſtibio oculos tuos, fruſtrà componeris, contempſerunt te amatores tui, animam tuam quærent. Amatores falſiloqui, & hypocritæ, ſunt dæmones, qui fictis operibus, quaſi coccino, qui circumductis aliorum actis, quaſi monili aureo, & ſermonibus pietate commixtis, quaſi ſtibio colorare viſcera crudelia docent, & falſam doctrinam, vt maiori pondere animas miſerorum rapiant, fruſtenturque omni ſpe, eos, qui mendacijs innitebantur. Quemadmodum accidiſſe præſentibus nuntijs, & complicibus nemo dubitat. Quamobrem, quia *vos dicitis*, poſt vnum falſum, aliud peius; poſt vnum malum aliud pernicioſius, & iugiter dicitis, quod deterius eſt, & non tàm vobis, quàm cæteris maiorem perniciem affert.

Quidam ſpecie boni malum contegunt.

Ierem. 4.

Si dixerit homo patri, aut matri. Exacuebant temeritatem adoleſcentulorum, dum & verbis, & factis in patres agere docebant contra præcepta, quæ veri ſapientes tradiderunt iuuenibus, tùm maximè Eccleſiaſticus apud eos celebris; ſed non admiſſus ab illis.

illis, vtcumque illum audite ò iuuenes, audi (inquit) tacens, & pro reuerentia accedet tibi bona gratia, adoleſcens loquere in tua cauſa vix. Si bis interrogatus fueris, habeat caput tuum reſponſum. In multis eſto quaſi inſcius, & audi tacens ſimul, & quærens. In medio magnatorum non præſumas, & vbi ſunt ſenes ne multum loquaris. Ergo ne ò omniũ ſceleratiſſimi licebit filijs, audacter ad patrem loqui, & indecorè ad matrem? Vah, qui eſtis magiſtri erroris.

Ecclesiast. 32. Reuerentia filiorum in parẽt.

Dicit quidem homo cordatus patri cum interrogatur, quid vis pater mi? Dicit & matri cum tranſmittitur aliquo, præſto ſum? aliter non dicit, ſed ſilet ſubditus illis; ſed operatur, ſenectam patrum ſuſtentans; quinimo abſtinet, vt ſenes abundent panibus, qui aliter dicit patri, non homo ſed tygris, neque patre aut matre dignus eſt, qui ſtipem ſuam non ſubleuat, & qui ſua principia non magnificat. Enim vero (ſubdit Victor Antiochenus) cum nefarium iuuenum auſum, inſignemque temeritatem, & in parentes impietatem increpare debuiſſetis; necnon eiuſmodi ſacrificium tanquam horrendum quandam abominationem repudiare; neque enim Deus eo honore, aut munere delectatur, quod in parentum iniuriam, & calamitatem redundat; adeo illud non facitis, vt vltro quoq. inſtigetis, tantamque iniuſtitiam palam iuſtificetis. Quomodo autem, aperiet contextus.

Vict. Ant.

Corban (quod eſt donum) quodcumque ex me tibi profuerit. Eſt Corban, hebræa vox קרבן & קרבן Carbban, & Corbban dicta, à verbo קרב Carab, quod ſignificat etiam offerre, vt Leuit. 8. Sacerdos, qui offert holocauſti victimam, habebit pellem eius. Vbi pro offerre, in textu hebræo ponitur verbum Carab. Itaque *Corban*, non ſignificat donum generaliter acceptum (notat Lyra) ſed *donum* Deo oblatum, vel offerendum, frequentiſſimè vſurpatum vocabulum in traditionibus (ſcribit Arias Montanus) eſtque iurandi forma, aut deuouendi, ac ſi dicatur: Per donum ſacrum iuro me eſſe damnatum, & deuotum, ſi quicquam ex me iuueris: vel ſit donum, alterique deuotum, quidquid tu ex me iuuare poſſis, atque ita deuotum non poterit ad tuos vſus transferri, cum, inquam, qui ita pronuntiauerit, non dimittitis quicquam facere patri ſuo, aut matri. Hoc non ſolum maledicere, ſed execrari patrem, & ab omni debito officio, atque ab honore abalienare eſt. Profuſius hoc genus vouendi cum iuramento oblationem in cap. 15. Matth. ex libris Talmudicis Iudæorum proſequitur. Nobis ſatis eſt noſſe eos deuouere Deo bona ſua iurando nullum dein ex oblatis iuuaturos. Vnde cum apud eos iuramentũ diſſolui non liceret, ſic patribus perſuadebant patientiam, etſi forte impatientes ſe oſtenderent, maledictis, & conuitijs lacerabant; putantes iuxta Phariſæorum documenta ſe obſequium Deo præſtare. Quare poteſt littera affirmatiuè vel interrogatiuè legi. Quomodo hunc ſenſum efficit, donum à me deuotum Deo, quomodo poteſt ò patres amplius in veſtros vſus cõuerti? affirmatiuè autem ſic. Donum quod ex me vltro Deo obtuli, etſi idem tibi ò pater, & mater prodeſſe nequeat; iuuabit vos doni emolumentum, quod Deus rependet. Conſentit expoſitioni poſtremæ lectio Græca ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς *Quod ſi ex me iuuaberis*. Hoc eſt ſi ex me proceſſit oblatio prompto animo, & pio, vt ſpero, abſq. dubio tu pater, vel mater, in ipſo mortis articulo iuuaberis. Phariſæi itaque volentes deuorare ea, quæ erant plebeiorum (ait Theophy.) docebant pueros, ſi quid haberent velut peculium, & quærerent parentes, dicerent: Iam conſecraui hoc Deo, ne vltra quærant iam oblatum Domino. Igitur ſic decipiebant pueros, & ſimul perſuadebant eis, vt conſecrarent Domino quæ haberent: quo parentes faciebant contemni, ipſi autem deuorabant Deo ſacrata. Erat enim votum incautum; quod non obligat, neque ſeruandum eſt 22. quæſt. 4. per totum, & impediebat maius bonum, ac perinde nullum 7. quæſt. 1. qualiter.

Lyra. *Arias Mõt.* *Theoph.*

CAPVT XII.

Et vltra non dimittitis eum quicquam facere patri ſuo, aut matri?

Expoſitio.

SIc itaque perſuaſi iuuenes ablegant pietatem, nec *vltra* morem gerunt voluntati parentum, quodque horribilius ante oculos ſinunt fame parentes deficere, & inedia laborare. Et quidem vos eſtis, qui *non dimittitis*, neque conſentitis filium benignum eſſe in patrem, eumque ſcrupulis conſcientiæ alligatis, vt potius malit patrẽ interimi, quàm quicquam emolumenti conferre pereunti. Quid? neque patiatur aliquem ex bonis oblatis à ſe, *facere patri*, qui ea theſaurizarat, neque *matri*, quæ ſolicitè conſeruauerat omnia bona, & vel minimum recreentur, ac ſubleuentur.

Et vltra non dimittitis eum. Semel veſtris ſermonibus irretitum, *non dimittitis vltra* à vobis exire, ſemper monetis votum impleat, quocũq. vadat continuo, aliqui vel vos, vel veſtri ſtudioſi iuuenẽ vecordẽ ſequũtur, ne fortè aliquid ex rapina excidat; ſed totum hamus trahat, & ſagena, impleanturque domus veſtræ ære alieno, & incraſſemini, Dominis proprijs pereuntibus. Quamobrem his paucis verbis Chriſtus nobis expreſſit auari naturam, & cupidi hominis, qui vt canis leporem ſemel captam, non

Auaritia inſatiabilis.

non dimittit hominem quouſque pauperculum exoſſauerit, vſurarius Iudæus, & qui ei in colligendis pecunijs ſimilis efficitur.

Eccl. 14. At inquit oraculum. Qui aceruat ex animo ſuo iniuſtè, alijs congregat, & in bonis illius alij luxuriabuntur. *Pſal. 48.* Quia cum interierit non ſumet omnia; neque quadrantem. *Pſal. 75.* Dormierunt enim ſomnium ſuum, & nihil inuenerunt viri diuitiarum in manibus ſuis. *Gen. 25.* Tunc dicent: En morior quid mihi proderunt primogenita, quid ſolicitudo pecuniæ, & dominij? quid anxietas continua ne dimitterem hominem, cuius ſanguinem velut ſanguiſuga ſugebam? edulium optaui ruffum, & aurum deuorare, ille vero, quem miſi nudum, & ſpoliaui, mihi primogenita vera ſurripiat. Ego verò neque falſa retinui, quia hic fame pereo, & diuerſus color, ac puſtula lepræ me totum obuoluit, vt ne dum Aaron, ſed neque Euangelicus antiſtes valeat eam mundare, quia in inferno nulla eſt redemptio. Plangite, ò auari, qui veſtros inhoneſtos theſauros adaugere volentes potentem nunquam à latere dimittitis, quouſque omnibus denudetis; nam & vos ſpoliabimini, & cunctis amatoribus veſtris patebit ignominia, quæ mox celat: Quodque tamen abilius multo, non dimittemini vnquam à beſtijs, quæ rodunt, & non conſumunt, & cruciant ſine fine.

Quicquam facere patri ſuo, aut matri. Inde liquido patet quintum decalogi præceptum de honorandis parentibus, non honorem propriè dictum (qui eſt reuerentia alteri ob excellentiam debita) ſed diligens officium miniſtrandi ſingula, quæ vel ad ſtatum, ſi poteſt, vel ad victum ſaltem faciunt, præcipere. Facto enim quæ per *facere* ſubindicatur, vltra animi præparationem ſubueniendi parentibus, dicit opus externum quod parentibus loco, & tempore concurrentibus debetur. Eſt enim præceptum affirmatiuum, quod tunc ligat, quando ſe offert occaſio.

Quomodo intelligendũ quintum decalogi præceptum.

CAPVT XIII.

Reſcindentes verbum Dei per traditionem veſtram, quam tradidiſtis, & ſimilia huiuſmodi multa facitis.

Expoſitio.

DEnique infert grauitatem delicti ſimulatorũ hominũ, qui vulpino circumitu ſimplicium bona deprædabantur, & peccata, quæ vix poterant expiari, ſuperinductis traditionibus falſis introducebant. Equidem dum mandatum Dei irritum facitis ò peſtiferi, *reſcindentes* eſtis, non hominum placitum, quod parum refert aliquando præterire; ſed *verbum Dei*, quod in æternum manet impermutabile, neque Angeli in cælo præſumunt quicquam contra agere; vos autem homuncij, & terrigenæ, per traditionem veſtram, quæ ne dum bona, ſed pernicioſa eſt toti reipublicæ, eamque ac ſi ſapientiores legiſlatore eſſetis, tradere cunctis obſeruandam non eſtis veriti. Et quidem ſimilia mala huiuſmodi ex veſtra prodeunt officina; nec certè ea pauca ſunt; ſed multa, & varia, quibus diuerſimodè illuditis imparatos, & facitis veſtro exemplo, & doctrina, vt cæteri maligna ſtudia proſequantur, verbo Dei, ac lege omiſſa. Nec eſt qui agnitor ſceleris exclamet. *2. Reg 24.* Peccaui valde in hoc facto; ſed precor Domine, vt transferas iniquitatem ſerui tui, quia ſtultè egi nimis, vt adamantem enim facies veſtras poſuiſtis.

Reſcindentes enim verbum Dei. Prius dixerat ἐντολὴν τοῦ θεοῦ *mandatum Dei*; mox vero λόγον τοῦ θεοῦ *verbum Dei*; ne forte calumniarentur *mandatum*, dicentes facilè poſſe irritari, atque abrogari ab ijs, qui reipublicæ curam gererent, quum non Dei proprium, ſed Moyſi eſſet, qui vt Romanus Pontifex ſucceſſorem non poteſt ligare, quia *par in parem non habet poteſtatem*, ita poſſunt illi pro rerum, & negociorum varietate in præceptis decalogi diſpenſare. Nec obſtaret dici à Deo eſſe, quum ipſo dictante ab eo manarint, & tantum imperante quouſque grauius occurreret. In hanc inſaniam, & fatuitatem, vt ſupra vidimus, inciderunt Talmudiſtæ. Hos tamen, atque errorem quodammodo deſtruit, vocans mandatum, *verbum Dei*; ac ſi diceret: Vos præuaricatores non ſolum reſcinditis mandatum vnum ex his, quæ in lege continentur, ſed etiam *verbum Dei*. Nam quicquid in lege Dei eſt, & omnis ſcriptura diuinitus inſpirata; tametſi Moyſen, Iſaiam, Paulum, Ioannem, aut quempiam alium habuerit ſcriptorem, *verbum eſt Dei*, non hominis vox, quæ deſijt, quàm primum profertur, & eam facilè alius inualidat; in æternum Domine permanet verbum tuum, *Pſal. 118.* exclamat veſter Propheta. Ecquid *verbum*? omne *verbum* ſapientiæ, & intellectus. Sapientiam aut quis inueſtigauit, aut eneruauit? Excelſior cælo eſt, quia fons ſapientiæ verbum Domini in excelſis. Potius ergo cælum, & terra tranſibunt, & generatio veſtra, ò Iudæi, deſinet, quam *verbum*, quod ſemel locutus eſt Dominus. Vtcumque veſtris operibus atque eloquijs reſcindere illud conamini: Factũ eſt enim vobis verbum Domini in opprobrium; & mandatum eius graue, vt confringere iugiter laboretis. Sed miſſis iudæis, aduerte lector, mandatum, ac *verbum* reſcindi non cum ſcripturam rumpimus; ſed cum excutimus è memoria, nec ducimus ſentire, neque volumus opere ea complere. Fit autem dupliciter omnis ſciſſura verbi, & mandati, videlicet omiſſione, & tranſgreſſione.

Quomodo verbum Dei reſcindimus

Dupplex violatio Legis.

Digitized by Google

ſione. Hac enim negatiua præcepta confringimus; illa vero, quæ ſub affirmatione proponuntur, in partes reſcindimus.

Per traditionem veſtram. Vt Chriſtus Iudæos verè, ita Hæretici nos falsè cauſantur, & inſimulant, quod mandatum Dei, nec non *verbum Dei propter traditionem* à noſtris inuentam relinquamus. Nam ceremonijs Eccleſiæ cultum Dei purum, quem Chriſtus redintegrauit abolitis Phariſaicis, & Moſaycis, affirmant perturbari, & nedum vtilem, ſed pernicioſum, Idolatriæque proximum fieri. Sed & *verbum Dei*, hoc eſt ſcripturam ſacram labefactari traditionibus, & ſtatutis Eccleſiaſticis impudenter aſtruit Lutherus, & diffusè Magdeburgenſes perſuadent. At neque legis mandatis, neque ſacris Oraculis, quicquam detrahere traditiones, quas ab Apoſtolis hæreditauimus, neque damnum inferre eiſdem ſtatuta, quæ, pro vt expedit, in Eccleſia ordinantur & hoſtes ipſi agnoſcerent, ſi attenderent; Nam Salomon (ſcribit Epiph. hær. 75. contra Ærium) dicit. Audi fili ſermonem patris tui, & ne repudies ſtatuta matris tuæ; Oſtendens per hoc, quod, & in ſcripturis, & ſine ſcripto docuit pater, hoc eſt Deus, & vnigenitus, & Spiritus ſanctus. Mater autem noſtra Eccleſia, habet ſtatuta in ſe poſita, indiſſolubilia, quæ diſſolui non poſſunt, cum itaque ordinata ſint in Eccleſia ſtatuta, & benè ſe habeant, & omnia mirabiliter fiant, confutatus eſt rurſus, etiã hic ſeductor. Ad nos vero (ait Apoſtolus) laudo vos fratres, quod per omnia mei memores eſtis, & ſicut tradidi vobis præcepta mea tenetis. Traditiones, inquam, quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam. Nam ſcriptum eſt: Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus. Quare, quod nos admonet Cyprianus (inquit Aug. lib. 5. conſt. donat. cap. 26.) vt ad fontem recurramus, ideſt, ad Apoſtolicarum traditiones, & ſcripturæ ſanctæ, & ſanctiones doctrinæ, & vndequaque veritas Dei munita eſt. Pro eo maximè (ſubdit Vmbertus Epiſcopus legatus Leonis 9. ad Conſtantinopol.) quia antiquas conſuetudines, & traditiones maiorum, quæ non ſunt contra fidem, leges Apoſtolicas arbitramur. Nihil autem contra fidem, neque mandatum Dei, ac verbum, in Eccleſia obſeruari, Paulus inſinuat eam 1. Tim. 3. vocans columnam, & firmamentum veritatis. Nam vt Irenæus lib. 3. cap. 4. ait, Eccleſia eſt depoſitorium rerum diuinarum, vel ſecundum Clem. in præfat. lib. 1. Apoſt. conſtit. Eſt arbor à Deo lata, & vinea eius electa. Quam neque pater mendacij fallacijs; neque filij alieni figmentis valent adulterare; ſed eam credimus Catholicam, & Apoſtolicam, & in cunctis veram. Cæterum quid contra ferant aduerſarij, & hoſtes traditionum Eccleſiaſticarum, eos qui ex propoſito hæreticos refellunt, conſulito, vt Tertulianum de præſcriptionibus, & Irenæ. lib. 3. cap. 2. contra Valentinianos, & Marcioniſtas, Aug. lib. de vnitate Eccleſiæ cap. 19. aduerſus donatiſtas, ac demum Petrum Caniſium in cathechiſmo, & Robertum Bellarminum tom. 2. controuerſiarum lib. 9. controuerſia prima, Medinam, Dridonem, & alios, qui paſſim aduerſus impiam hæreticorum audaciam libros edunt.

Hæreticorũ inſania. — Epiph. — Inconcuſſa Eccleſiæ doctrina. — 1. Cor. 11 — Matth. 18. — Cypr. Aug. — Vmbert. — 1. Tim. 3. — Iren. Clem. — Tertul. Iren. Aug. Caniſ. Bellar. Med. Drid.

Quam tradidiſtis. Hoc verbo ſolo poſſumus nos omnes Eccleſiaſticas traditiones à calumnijs hæreticorum defendere, & demonſtrare eas à phariſaicis in immenſum diſtare. Namque illæ præter ſuperſtitionem, & falſitatem, quam continebant, auctores habebant Phariſæos; dicente Chriſto *quam tradidiſtis*. At noſtrarum nulla habet auctorem niſi Chriſtum, vel Apoſtolos, & quæ primos illos patres qui inſpiritati locuti ſunt ſancti, non habuerit conſeruatores, immò vero totam Eccleſiam vſque ad præſens; adeo, vt nullus hæreticorum potuerit obiicere Eccleſiaſticis doctoribus, vos tradidiſtis traditionem; quandoquidem ante tempora illa traditio, de qua erat controuerſia extabat, & obſeruabatur, neque alius agnoſcebatur auctor, & doctor, quàm ipſa conſuetudo. Vnde quod ſic conſueuit Eccleſia conſeruare, ab Apoſtolis emanaſſe credendum eſt, inquit Aug. lib. 4. cõtra Donatiſtas cap. 24. Veniat igitur Caluinus ieiunij quadrageſimalis acerrimus hoſtis, & quo auſu traditionem ablegat, prodat vnum ex noſtris auctorem? Relatores quidem antiquiſſimos inueniret, auctorem vero nullum. Nam etſi Clem. lib. 5. conſt. Apoſt. cap. 13. & can. 69. Apoſt. Ignatius in epiſt. ad Philip. Teleſphorus Papa in epiſt. decretali, & pene innumeri traditionem deſcribant, nemo auctorem, ſed conſuetudinem tradit laudabilem. Idem de reliquis noſtratũ traditionibus dicendum; ſecus vero de his, quas & mundus, & Hæreticus homo proponit. His enim obijcere poſſumus; *quam tradidiſtis*. Vnde eorum traditio, quæcunque illa ſit, aboletur conſuetudine, & ſeipſam deſtruit. Quoniam habet auctorem mendacem; noſtra vero, quæ veritati innititur, & ſupra fundamenta Apoſtolorum, & Prophetarum fundatur, tantum abeſt quod diuturnitate conſumetur, vt eam potius roboretur antiquitate, vt Tertulianus lib. 5. aduerſus Marchionem deponit.

Inſtitutio & auctoritas traditionum Eccleſio. — Aug. — Clem. Ignat. Teleſph. — Tertul.

Et ſimilia multa. Diximus ſuperius alia multa perperam à Iudæis tradita, eſſe quatuor expoſitiones Rabinorum, quos ex Epiphanio in hæreſi Ptolomæi, & Hier. in cap. 8. Iſai. & 3. epiſt. ad Tit. & in ad Algaſiam, cap. 10. Sixtus Senenſis retulit. Ego vero adhuc crediderim hæc alia *multa*, referri ad ea, quæ paſſim ordinabant præter

Qui auctores falſarum traditionum apud Iudæos fuerunt. — Matth. 23.

legem

legem. De quibus Chriſtus alibi: Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi, quæcumque dixerint vobis ſeruate, & facite. Quoniam legi non aduerſabantur, erant tamen friuola inſtituta, & oneroſa, propter tamen obedientiam vtilia ſubditis. Qualia ſæpe ordinari, & demandari à nonnullis, qui videri potius præſules, & ſuperiores, quàm eſſe gaudent, non dubito. Hortor tamen ſubditos obſeruare, & hæc alia multa inter ea, quę vouerũt Domino, vt magnam ex obedientia remunerationem reportent. Nam & Chriſtus, vt agnus manſuetus factus eſt obediens, vſque ad mortem, propter quod & Deus exaltauit illum, & te, lignum humile ſi fueris, non repugnans præcipienti duriſſima, quæ legi non aduerſentur, ac voto, pariter ſublimabit, teque pauperem de terra eriget, vt cum principibus populi ſui collocet. Ergo cum præpoſiti *ſimilia multa* demandant, tu porrò vnum neceſſarium conſidera, hoc eſt, Deum, & Chriſtum, & nihilo duces multa illa, etſi grauia, adimplere.

CAPVT XIV.

Et aduocans iterum turbam dicebat illis: Audite me omnes, & intelligite.

Expoſitio.

REprobatis Phariſæis, & Scribis; necnon querimonijs eorumdem aduerſus Apoſtolos confutatis, & manifeſtato errore, in quo verſabantur miſeri, & alios inuoluebant; orationem conuertit ad turbas, quæ omnem diſputationem audierant. Aduocat ergo iterum, & attentionem poſtulat, ab vniuerſis turbis. Iubetque audire omnes, quaſi quid omnibus commune tractandum foret; & intelligere diligenter ad ſingula, quæ ſingulis neceſſaria eſſent, & accomoda his, quæ ab eo, & per eum quærebant; fieri, inquam, diſcipulos eius, & ſuæ doctrinæ obſeruatores integerrimos, ac demum participes Regni, quod proponebat.

Et aduocans iterum turbam dicebat illis. Non expectat inuitari, ſed ad ſe inuitat, & vocat turbam, vt impartiatur eis aliquid gratiæ ſpiritualis, immò vero vt gratiarum fluenta, quæ influunt impetu de libano, communicet his, qui in terra arida, inuia, & inaquoſa manent, & ſedent non in ſolitudine Betzabeæ, quæ multos habet puteos, ſed deſerta Ægypti colunt, quæ aut ſicca ſunt, aut amaram procreant humiditatem; hoc eſt, peccatoribus, & his dicit, qui errant. Hos enim aduocat clamans: Si quis ſitit veniat ad me, accedat, & dabo ei bibere, de fonte ſapientiæ, & edere de ligno, quod eſt in paradiſo. Hoc exemplo prouocati ne dum Apoſtoli, ſed quotquot Euãgelici ſtatus homines, turbam aduocarunt ſæpe ad concionem. Nec contenti cymbalo, quod apud noſtros eſt ſignum futuræ cõcionis, ſed ipſi vocibus proprijs, ac perſuaſionibus plebem, & pueros conuocabant ad Eccleſiam, vt ſalutare verbum illis proponerent. Sed quid eſt iterum? quantum ad litteram notat primo, antequam ad eum accederent Phariſæi, prædicaſſe turbis; facto vale Phariſæis, iterum concionem apud eos habuit. Quantum ad myſterium inſinuat prædicationem per Patriarchas, Prophetas, & Angelos ab eo factam orbi: Quo cum in carne veniſſet, iterum per ſe ipſum aggreſſus eſt officium, quod ſibi Pater demandauerat. Hinc ille: Multiphariam, multiſque modis loquens Deus olim patribus in Prophetis, nouiſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in filio.

Deus ſe offert peccatoribus, vt reſipiſcant.

Ioann 7.
Apoc. 2.
Heb. 1

Audite me omnes, & intelligite. Propoſiturus verbum ſuum, duo ab auſcultantibus exigit. Auditum, & intellectum. Nam fides, quam Dei verbum generat, per auditum transfunditur. Charitatis vero opus, & amor, quo ignitum eloquium inflammat animos credentium, non eſt abſq; intellectu. Siquidem cognitio amorem generat.

CAPVT XV.

Nihil eſt extra hominem introiens in eum, quod poſſit eum coinquinare, ſed, quæ de homine procedunt illa ſunt, quæ communicant hominem.

Expoſitio.

IGitur, qui acceſſiſtis, & aurem, & mentem mihi præbetis, eſtote vigiles, neque vos Phariſaica concio deludat, neque obſenret doctrina, quæ nihil præter externam mũditiã proponit, ne fortè internus, animus polluatur externis. Etenim nihil eorũ quæ ſibi ſenſus vendicat, diuaganturque extra hominem, quod ad eum introiens ſiue in alimentum, vt cibus, ſiue in decrementum vt venenum, ſiue ad optimam valetudinem, vt medicamentum, ſiue ad quippiam aliud officium corporis humani; quod poſſit virtute inſita, aut mutuata, animum, quem Deus bonum condidit, aliquo inquinamento vitiare. Siquidem vt illi liberum eſt benè eſſe, ita & malè; quare non quæ ad hominẽ, ſed quæ de homine ſunt, & ab intima eius libertate procedunt ad mentem, quod malè dictet, neque coerceat cum poſſit; ad voluntatem, quod conſentiat, & ex certa ſcientia complectatur illicitum; quæ à corde ad os, & inde ad opus tranſmittuntur, vt illicita colloquia, atque opera: Hæc ſunt, quæ cunctis oportet cauere, & euitare; Nam *communicant hominem*, deponunt à ſtatu ſancto, immundum efficiunt, & di-

& dignum, qui ſeparetur non ab hominibus ſolũ; ſed ab angelis ſanctis, & à Deo, cuius imaginem hiſce immunditijs infelix homo deformauit. In his igitur præcauendis eſtote ò auditores ſoliciti.

Nihil eſt extra hominem. Quæ extra hominem numerantur, quæcunque non ſunt ipſe homo ſingularis, videlicet ens omne, ſiue increatum, ſiue creatum, ſpirituale, atque corporeum, cæleſte, & elementare, ſimplex, ac mixtum, nec non rationis compos, & incompos. Aliter tamen, atque aliter Ego *extra hominem* dixerim. Namque Deus, qui eſt omnia in omnibus, & in quocunque per eſſentiam, præſentiam, & potentiam habitat, eſt *extra hominem* tamen ſecundum formam. Quod etſi cuncta, quæ ſunt hominis immediatè omnipotens operetur, non tamen vt forma hominis, ſed vt vniuerſale agens & ſupremum cuius eſt ſingula in ſingulis perficere. In illo enim viuimus, mouemur, & ſumus.

Quomodo Deus extra vel intra ho minem ſit.

Quare ſecundum formam, Deus extra hominem eſt, quia Deus ſibi ſoli eſt forma; ſecundum efficiens principium non *extra*, ſed intra hominem eſt, quæ ſunt in honorem operanda, & operans, & cooperans; excepto peccato, quod nihil eſt, neque operis nomen, ſed defectus abominandi ſortitur. Abſit ergo aſſentiri quemquã noſtrum ijs, qui Deum non tàm materialis, quàm peccati formalis dixerunt poſſe cauſam eſſe. Hos enim bonitas Dei, ob quam Deus cuncta agit, redarguit; peccati autem finis ſemper malus, vt & ipſum peccatum.

Luth. in reſolut. 36. Calu. lib. 1. inſtit. 18.

Eadem ratione in Hæreticos Lutheri complices, qui Deum per ſe peccati effectorem conſtringunt agamus viriliter. Tum maximè quod dicat. Ego Deus, & non mutor; non ſolum à boni natura, quàm ex me habeo; ſed neque à ſemel ſtatuto. Sed hoc quale? Perditio tua ex te Iſrael; auxilium autem ex me.

Ioel. 13.

Tantum ergo abeſt vt peccatum efficiat, quod auxilietur iugiter peccatori, & deteſtetur culpam; & eam euitet, qui liber eſt, & à peccato immunis. Hæc enim dicit formans, & faciens te ò homo, quicunque ſis, ab vtero auxiliator tuus. Neque enim pictor imaginem, quam accepit imperfectam relinquit; quid? neque terra germen ſuſceptum extinguit, neque à perfectione priuat, ſi habeat vnde ſatis prouideat.

Deus omnibus ſubuenit

Ergo & quos manu ſua, & imperio Deus condidit, non dereliquit, ſed portat, adiuuat, præbetque auxilia eis, vt iuſti amplius iuſtificentur; cæteri vero ne grauioribus implicentur ſceleribus, dum bonis, quæ ab eis ſubſtrauntur indignè abutuntur, aut velut beſtiæ ſe ad enormia vitia dant præcipites. Itaque Dominus bonus propitiabitur cunctis, nullis autem venenum culpæ propinabit. Quare hac ex parte non intra hominem eſt, ſed *extra*, vt reliqua entia, quæ non ſunt homo ipſe ſingularis, de quibus poſſintne hominem coinquinare, mox dicere incipiemus.

Introiens in eum. Ad hominem intrat duplex genus entium, ſpirituale, & corporeum, & vtrunque dupliciter, vel reali modo, vel ſpirituali. Spirituali quidem cum intelligitur, ſiue Deus, ſiue creatura, quoniam intellectus fit ipſum intelligibile, vt ſpeculum ſecundum imaginem, quam repreſentat, videtur obiectum ipſum eſſe. Tametſi hoc in ſpeculandis æternis minus proſpiciatur; cum ſummum ens & intelligibile Deus, nihil commune abeat cum ſenſu. Vnde intellectus ſolet abſtraere, & in ſeipſo intellectiones, & notitias, atque ſpecies intelligibiles formare, ne dum hominis, quem cernit; ſed Angeli inuiſibilis.

Diuerſi modi quibus res in hominẽ introeũt.

Communicat enim cum homine in rationabilitate, & finitatẽ entis vnam cum creatis alijs habet. Ex quibus mens ad ea, quæ sũt Angeli manuducitur, & in ſeipſa format Angeli ideam. Etiã ex viſis intromittit ad ſe homo intelligens, quæ non vidit, neque audiuit, vt Paulum loquentem audiens, prædicatorem; & Petrum ſedentem, dum Pontificem proſpicit. Denique hoc ſpirituali modo omnia ad hominem intrant, à creatura mundi vſque ad inuiſibilia Dei, vt Pauli vtar teſtimonio.

Rom. 1

Reali modo intrat Deus ipſe, & integer homo, quando ſacramentum altaris aſſumitur, intrant & dæmones plerumque ad obſeſſos; intrant & corporea multa diuerſimodè. Namque vi quædam ſubintrant, vt fulgur, ſagitta, & ſimilia; alia gratis intromittuntur, vt quæ placent pabula, atque potus. Ex quibus nihil homini nocere, neque aliquam inquinationem adferre ſpiritualem, niſi ſeipſum primo interius deordinauerit, veritas tradit.

Nihil quod intrat in hominem inquinat niſi præceſſit deordinatio.

Omnia enim munda ſunt mundis, & qui continens eſt iuſtitiæ non læditur, neque ſubintrante Dæmone, neque alio quouis, quod vel ad cor, vel ad corpus aſcendat. Perturbare quidem poſſunt hominem; vt lapis demiſſus ad gurgitem, animam autem à ſuo ſtatu ſancto dimouere nequaquam valent, donec ipſa velit, vt inquit Salomon.

Cant. 2. 3. & 8.

Quod poſſit eum coinquinare. Quoniam ſumma, & poteſtas totius inquinamenti penes eum ſita eſt. Deus enim ab initio conſtituit hominem & reliquit illum in manu conſilij ſui. Adiecit mandata, & præcepta ſua: Si volueris mandata ſeruare, conſeruabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere.

Eccl. 15.

Appoſui tibi aquam, & ignem, ad quodcunq. volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita, & mors; bonum, & malum, quod placuerit, dabitur illi: Teſtatur oraculum. Habens ergo homo ventilabrum ſuæ libertatis, vt purget aream ſuam, mundamq. ſeruet animam, vel ſordidam, quis poteſt eum inquinare ſi nolit? Cadent à

latere

latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis, ad te autem non aproximabunt, ò homo, ſi fundam libertatis, quam tenuit Dauid aduerſus Goliam, & incircumciſum populum, non reliqueris, & ſi in baculo bonæ voluntatis contenderis Iordanem vitæ huius tranſire; tantum ab omni inquinamento aberis, vt nouam benedictionem accipias, atque nomen. Quoniam ſcriptum

Apc. 2

eſt: Vincenti dabo manna abſconditum; calculum candidum, & in calculo nomen nouum ſcriptum, quod nemo ſcit, niſi qui accipit. Potuit enim tranſgredi, & non eſt trangreſſus, facere mala, & non fecit. Cre-

Fulg.

dendum eſt enim (ait Fulgentius Ruſpenſis Epiſcopus lib. de incarnatione, & gratia Domini Noſti Ieſu Chriſti) non ſolum bonæ voluntatis donum, quin etiam ad habendam, cuſtodiendamq. iuſtitiam, integrum, ſanumq. creaſſe libertatis arbitrium, vt facultas, atque motus inditæ libertatis, ſi iuuantem ſe gratiam Dei non desereret, præmium vitæ tribueret Dei bonitas homini: Si autem iuſtitiam diuinam contemnens, à gratia excidiſſet, ſupplicia retribueret iuſtitia peccatori.

Integram & ſanam volũtatem creauit primo Deus in homine.

Aug.

Cæterum peccato Adæ (ait Aug. lib. 2. contra duas epiſt. pelagia. cap. 5.) arbitrium liberum de hominum natura perijſſe non dicimus, ſed ad peccandum valere in hominibus ſubditis Diabolo: Ad benè autem, pièque viuendum non valere, niſi ipſa voluntas hominis Dei gratia fuerit liberata, & ad omne bonum actionis, ſermonis, cogitationis adiuta. Itaque ne vltra decurrat oratio, tàm in primo parente, quàm in nobis poſt peccatum originale libertas manet integra, vt poſſimus ex nobis malè agere, ac benè; ſed gratia Dei præuenti.

Neceſsitas gratiæ ad reſiſtendum peccato.

Quare errant Hæretici Magdeburgenſes, qui dicunt nos peccare neceſſario, nullumque libertatis arbitrium ineſſe homini; errant quoque Pelagiani, qui in aliud extremum declinarunt, videlicet, libertatem adeo in homine conualeſcere, vt qua prolabitur facilitate reſurgere, & abſque gratia ſe ſolam iuſta operari, & promereri vitam æternam. Illi quidem naturam hominis tollunt; hi verò extollunt ſupra conditionem.

Gratia præuenit.

Duo extremi errores.

Innoc.

Quare eos (inquit Innocentius Papa 1. epiſt. 26. ad Mileuitanum concilium) eccleſiaſtica communione priuari, Apoſtolici vigoris auctoritate cenſemus, donec reſipiſcant à quo captiui tenentur ſecundum ipſius voluntatem; coſque interim Dominico ouili non recipi; quoad ipſi peruerſæ viæ, quem ſecuti ſunt tramitem deſerere voluerint. Abſcindendi ſunt enim, qui nos conturbant, & volunt conuertere Euangelium Chriſti. Hæc ille.

Sed quæ de homine procedunt. Duplex eſt quoque genus eorum, quæ de homine procedunt, videlicet, actus, & habitus. Habituum autem alij ſunt Mæchanici, quibus vel ſenſus oblectatur. vt muſica, & Hiſtrica, vel conſeruatur, vt Agricultura, pecuniaria, venatoria, piſcatoria, Aucupia, & Herbaria; vel delitiatur, vt molitoria, piſtoria, coquinaria, lanifica, ſalſamentaria, ſotoria; vel delitijs diſſolutus releuatur, vt pharmaca, ſub qua medicina; vel pulchreſcit, vt fucatoria, tonſoria, & balneatoria.

Genera artium.

Ac denique omnis ars quæ naturam contendit imitari, vt pictoria, ſculptoria, celatoria, ſtatuaria, fuſoria, figulina, & huiuſmodi; vel defendere, vt architectica, textoria, coriaria, fullonia, ſartoria, & lignaria, aut certè promouere hominem contendunt, vt typographia, notaria, nautica, mercatoria, bellica, & aliæ pene innumeræ artes, quarum inuentores diuerſi diuerſos ſtatuunt, nos ab hominibus proceſiſſe recto ſcimus: Nec non facultates quæ ad animum ſpectant, vt Mathematicæ ſub quibus multiplex ſciẽtia collocatur; & philoſophia, quæ ne dum humanã peritiam, ſed theologiam comprehendit, & omnem ſapientiam: Cuius etſi inuentorem primum dixerimus ſapientem, de quo legimus: Ipſe adinuenit viam diſciplinæ; vt qui fons ſit, & origo fluminum, per quem non ſolum reges regnant, ſed cuncta operantur; nihil prohibet, quo minus affirmemus ſcientiam omnem, atque artem ab homine procedere, & quoad habitum, & quoad exercitium actus; velut ab inſtrumentis non mutis, ſed liberis, ceu potius miniſtris, qui naturæ principia, & aptitudinem diligentia excolentes, theologiam, vt ab altiori ordiamur, comparamus, aſtrologiam inueſtigamus, muſicam ordinamus, & in vnaquaque arte peritiores, vel imperiti iuxtà ſtudium euadimus, & in organicis quoque ſacultatibus, vt rethorica, dialethica, & linguarum pronuntiatione proficimus, necnon ætica, quæ mores hominum iuxta varium eius ſtatum politicum æconomicum, & monaſticum comprehendit: In his itaque laudem, vel vituperium, vitium, ceu virtutem ſitam, & omnem hominis cohinquinationem magiſter ſummus, & doctor atteſtatur.

Baruch. 3.

Qualis autem, & quanta corruptio ab exercitio horum habituum, artifici, & ſcienti poſſit prouenire, non eſt noſtrum hoc loco oſtendere; ſed admonere Dei miniſtrum, vt occaſione accepta huis fœcundiſſimæ ſcientiæ, quam Chriſtus protulit, vitia, quæ norit committi ab hominibus regionis, & artificibus, necnon magiſtratibus diligenter aduertat, arguat, corrigat, & reprehendat, pro vt varietas auditorum poſtulauerit. Nam quoſdam increpatio dura (Aquiſgranenſe concilium, ſub Ludouico Pio Imper p. ex Iſidoro lib. 3. de ſum. bono cap. 43.) Quoſdam vero exhortatio corrigit blanda, ſicut periti medici,

Con. Aquiſ.

Prudentia prędicatoris in adminiſtrando Dei verbo.

ad varios corporis morbos diuerſo medicamine ſeruiunt, ita vt iuxtà vulnerum varietates medicina diuerſa ſit. Sic & doctor Eccleſiæ, ſingulis quibuſque hominibus congruum doctrinæ remedium adhibebit, & quod cuique oporteat pro ætate, pro ſexu, ac profeſſione annuntiabit. Non omnibus ea, quæ ſunt clauſa, aperienda ſunt. Multi enim ſunt, qui capere non poſſunt, quibus ſi indiſcretè manifeſtentur, ſtatim aut detrahunt, aut negligunt. Prima quippe prudentiæ virtus eſt, quam docere oportet, exiſtimare perſonam. Præſertim in vitijs corripiendis, iſthæc obſeruanda ſunt præcepta, & prudentem ſe habere oportet prædicatorem, ne dum quæ ab homine procedunt, carpitur lauatur in verbo, & dignus animaduerſione cenſeatur.

Illa ſunt. Emphaſim dicunt iſta. *Illa*, inquam, quæ vix licent nominari, præ malitia, inhoneſtate, & damno, quæ ſuis auctoribus afferunt, & dolorem, quem ſuis amatoribus conſiliant. Siquidem de vniuerſis, quæ emanant ab homine dicitur. [Eccl. 7] Deus fecit hominem rectum, ipſe autem infinitis ſe immiſcuit quæſtionibus; quibus vt Aranea ſuis alis ſæpe interit, & ſuo rete piſcator, ita homo inuentis ſuis [Claud lib. 1 in Eutrop.] artibus, atque ſcientijs nonnunquam animo, & corpore periclitatur.

Sic opifex Tauri, tormentorumque repertor
Qui funeſta nouo fabricauerat æra dolori
Primus in expertum Siculo cogente Tyranno
Senſit opus, docuitque ſuum mugire iuuencum.

Inuentor huius Tauri ænei fuit Perillus, Tyrannus, qui in eodem inuentorum mul[Crudelitas Phalaris.]ctauit, fertur Phalaris Agrigentinus. Atq. huic dæmonem ego comparo, à quo curioſitas omnis; quæ tàm aures, quàm ſcientias vitiat; & ab eodem eſt pœna, quæ curioſos omnes malè afficit. Quare quoties inuenta occurrent humana, ſiue ad animum, ſiue ad corpus faciant, recordare quia illa ſunt, quæ non potuerunt proficere his, qui ſe coluerunt, quinimo occupationem peſſimam attulerunt, dum viuerent, & poſtmodum morte turpiſſima Achan donarunt cum his, qui interfecti ſunt gladio, quorum non es memor amplius. Propterea Iob antequam comederet panem, ſuſpirabat; Dauid lachrymis ſtratum rigabat, & Iſaias nudus, & diſcalciatus inter homines ambulauit, hic quidem, vt diſceremus ab humanis omnino quaſi ab igne cauere, iuxta magiſtri documentum. Niſi quis renuntiauerit omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus; illi verò cautè, & cum tremore, ne dum ſuperfluis inuentis, ſed conſuetudine neceſſarijs, videlicet pane, & ſtrato vti oportere monſtrarunt. Nam ſi illa ſunt, quæ auctores euerterunt, quid obſtat quominus nos deglutiant incautos? Auctores dico artium, & facultatum, quos gentilitas fingit, necnon quos humana curioſitas rerum noxarum paſſim in omni penè ſcientia & arte adinuenit. Sed de his ſatis, ſi ſcimus illa, quæ moleſtiam ferunt, & animæ periculum deuitare, quærere autem ſolerter, quæ pater luminum inuenit, reuelat, inſpirat, vult, & quandoque præcipit obſeruari.

Quæ communicant hominem. Habet alia lectio, *quæ contaminant hominem*, præſens vero eſt Græcæ vicinior, quæ ſic habet ἐκεῖνά ἐστι τὰ κοινοῦντα τὸν ἄνθρωπον, illa ſunt communicantia hominem. *Communico* idem eſt, quod commune reddere, apud hebræos autem commune dicebatur coinquinatum, & immundum, quod neque tangere Iudæis liceret. Itaque ab homine profluens *communicat*, & coinquinat, [Diuerſimodi quibus homo ſe inquinat.] quando, inquam, peruerſo fine, intentione praua, animo nocendi, & concupiſcentiæ appetitu inhoneſto, producit homo actum, acquirit habitum, docet, & exercet artes, quas vel à magiſtro accepit, vel ingenium adinuenit. Eſt enim in homine, electiuus appetitus, quem Ariſtot. lib. 3. de [Ariſt. lib. 1.] moral. vocat. ὄρεξις βουλευτική Hoc eſt appetitum deliberantem, quo nunc ad hoc, mox ad illud, alio, atque alio fine, & intentione perpenditur; id quod iuxtà bonum, vel malum dicemus iuxta finem. Nam cuius finis bonus eſt, ipſum quoque bonum eſt, & cuius finis malus eſt, ipſum quoque malum eſt. *Communicat* quoque opus, & inhoneſtat plus, vel minus agens, ipſum deliberatum, vel indeliberatum; quanto enim actio eſt magis voluntaria, & deliberata tanto eam inhoneſtiorem proclamamus: Aut certè laudamus. Propter circumſtantias etiam operis minus illud facimus, aut commendamus; ſed de his, qui volet, legat ſanctum Thom. 1. 2. quæſt. 1. quæſt. 6. quæſt. 7. per omnes pene articulos. Quorum lectio eſt vtiliſſima propoſito, & neceſſaria his, qui ſeipſos in medijs fluctibus, & inter negociationes humanas, & inuentiones totam animam conſeruare deſiderant, & ad portum dirigere. [S. Thom.]

CAPVT XVI.

Si quis habet aures audiendi audiat.

Expoſitio. QVoniam in his tota vitæ humanæ tranquillitas verſabatur, & ſecuritas conſcientiæ, atque mundicies, vel omnimoda pernicies hominum, exclamat ad omnes: *Si quis* (inquit) veſtrum, qui ſe illibatum velit ab omni immundo cuſtodire; quoniam habes à conditore *aures*, quibus quæ diximus valet percipere; & mente penetrare; quantum expediat hanc doctrinam noſce; *audiat*, neque negligat quod ne dum corpori, ſed animo vtiliſſimum eſt, & hominem à noxijs, & immunditijs liberat, atque ſanum, & integrum, ne marceſcat, aut vilis fiat valde.

S*i quis*. Conditionalis præponitur relatiuo ſingulari, vt pauciſſimos inter tantos fore ſciamus, qui vel aduertant, vel obſeruent hanc regulam, quæ in cordis firmitate, & ſtabilitate conſiſtit, vt neque in emittendis ſuis intrinſecis, neque in extrinſecis admittendis, vllo modo deordinentur, ſed ſint ſemper ſui compotes & modum in omnibus ſeruent. Paucorum eſt donum, vtpotè ſapientum, quorum numerus pauciſſimus eſt, & rarior carbunculo; vtcunque præmonetur quiſque noſtrum: *Prou. 4.* Omni cuſtodia ſerua cor tuum; ingrediatur ad doctrinam cor tuum, vt inde quaſi ab ærario Regis cæleſtis, à quo datum optimum, & donum perfectum eſt, depromamus diuitias, quæ cordis egeſtatem depellant, vt valeat ſatisfacere menti, quando varia, & multiplicia proponit peragenda, conſilio cum prouocatur ad opus, & appetitui, quando compellit deſiderare, quod ignorat expedire; ſciatque, atque valeat occurrere amicis, & hoſtibus, *Eccl. 37.* qui extra veniunt per ſenſus noſtros. Hoc opus, hic labor eſt. Ac propterea, qui poteſt, eſt ſapiens animæ ſuæ ſapiens, non mundo, qui delectatur intemperantibus; & fructus illius laudabilis. Laudant enim eum in portis opera eius.

Habet aures. Aures quidem carnis natura dat, mentis vero Deus, iuxta illud. *Pſal. 39.* Aures autem perfeciſti mihi: Has autem *Auris interior & exterior* dico intellectum, quem petenti largitur; intellectum, inquit, tibi dabo, & inſtruam *Pſal. 31.* te in via hac, qua gradieris; dico, ſpiritum promptum ad operandum, quem pariter bonum, dat Dominus petentibus ſe, dico fidem quæ identidem donum Dei eſt; dico humilitatem, & obedientiam, quæ filijs conceduntur, qui ſub potenti manu Dei eſſe gloriantur. Similibus præditus auribus, quærit doctrinam, verba dijudicat, aque probat, vt eſcas guſtus, bona *Prou. 8.* audit cum omni concupiſcentia, necnon *Iob. 12* increpationes. Quoniam ſcriptum eſt: *Iob 3.* Auris, quæ audit increpationes vitæ, in *Prou 15.* medio ſapientum commorabitur. Qui abijcit diſciplinam, deſpicit animam ſuam; qui autem acquieſcit increpationibus, poſſeſſor eſt cordis. Cæterum & hanc aurem audientem, & oculum videntem Dominus facit vtrunque. Ergo ſi Dominus eſt, qui aperuit mihi aurem, ac perforat, ornatque murenulis aureis, hoc eſt, cæleſtibus ſplendoribus, & animi ornamentis, vt nedum ſeruus ſim ei, ſed miniſtrum inſtar ſponſæ, quorſum clamat: *qui habet aures audiendi audiat*? An neſcit eos, quibus ſua communicauerit? vel fortè præter communicationem ſpiritualem aliud exquiritur? vtique velle noſtrum. Hoc enim, & antequam huiuſmodi aures concedat, & poſtquam conceſſerit, à nobis poſtulat. Quare hiſce verbis eos, qui non habent excitat vt velint, deſiderent, & poſtulent aures, & auditum; cæteros vero, qui habent, hortantur, & compellunt operari, ac ſolertius multo exercere habitus. Eſt itaque vox ſimilis illi: Exite obuiam ei, quæ inſipientes ad quærendum mouit, ſapientes verò ad ſponſum ornatis lampadibus proficiſci.

Audiendi. Ergo ne *aures*, ſunt ad non audiendum? ſane; *aures* enim habent, & *Pſal. 113.* non audient, qui eas graues habent vt aſini; qui obſcuras deferunt, vt aſcenſor camelli, & dromedarij; qui ſpinis eas ſepiunt, vt hericij; qui ſurditate replentur *Aures habere & non audire.* vt veſpæ, qui continent eas, & eleuant vt equi; & qui denique eas ferunt incircumciſas. Hos vt à poſtremis ordiar, dico voluptatum omnium amatores, qui ambulant effrænati iuxta vias ſuas, vt Nero, & Caligula. Alios facit ſuperbos, qui non patiuntur increpationem, neque moneri volunt, ſed laudari; ſurdeſcunt auari præ clamore maris eorum, quod ſtridat iugiter: Affer, affer ſpineſcunt negociatores mundi huius nequã; qui dũ paſcuis intendunt, & ra- *Qui non audiunt.* pinis, quid clamet de nocte cuſtos non percipiunt; obturant aurem, qui in vitijs occalluerunt, & palam dicunt Deo, recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus; graueſcit denique aure, qui luxuriam ſectatur animi, ſiue corporis. Hoc enim carnalitate fit graue ad ea, quæ ſunt ſpiritus: Quia animalis homo non percipit, quæ *1. Cor. 2.* Dei ſunt; ſed & animus, qui ſpirituali luxu, hoc eſt, amore ſui inordinato deformatur, ſibique nimium complacet, grauior eſt omni ſaxo ad audiendum ea, quæ ſunt præter animi ſui ſententiam. Atqui hunc ego dicerem hypocritam, qui cum neque auricalcum habeat, arbitratur auro, ac

omni

omui theſauro abuudare, ad quem hunc Chriſti ſermonem ſpectare, Ego non dubito.

Audiat. Officium itaque aurium eſt audire; & quid, aut quem? Deum quidem, qui iugiter ad omnes proclamat: Audite vniuerſæ procul terræ: Audite, qui longè eſtis, ſurdi audite, & cœci intuemini ad viuendum: Audite me, qui ſequimini, quod iuſtum eſt. Eſt enim ſolus ipſe magiſter, qui docet; dux, qui dirigit; pater, qui prouidet; & Deus, qui diligit, omnia quæ ſunt, & nihil odit eorum, quæ fecit, ſed vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Ergo auditor Dei dixit. Loquere Domine, quia audit ſeruus tuus: Audiam enim quid loquatur in me Dominus Deus meus; quoniam loquetur pacem in plebem ſuam, & in eos, qui conuertuntur ad cor. Sed quid hoc? verbum ſuum. Hoc audire eſt aurium, vt faciant illud; quoniam: Beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud. Hoc audire noſtrum eſt, qui ad beatitudinem nati ſumus; & qui ad Deum vnde, eximus, properamus, nihil dulcius, neque amænius, quàm Dei verbum, quod Deus per ſuos miniſtros annuutiat, debemus habere: Tum maximè vos, qui continetis multitudinem, aurem præbete, vt erudiri in iuſtitia, exhortari ad pietatem, & ad miniſterium perfectum valeatis tali lectione aſſidua promoueri.

Iſai. 2. *1. Tim. 2.* *Pſal. 84.*

CAPVT XVII.

Et cum introiſſent in domum à turba, interrogabant eum diſcipuli eius parabolam?

Expoſitio. NEque auribus nos præditos, neque clamorem fabricatoris aurium ſufficere ad optimum auditum, hinc perſpicimus. Nam etſi vtriſque auribus Apoſtoli dotarentur, & audiſſent Chriſti clamorem, non perſpiciunt, quid ſibi velit, neque, quid verbum propoſitum ſignificat. Quamobrem cum poſt concertationem Phariſæorum introiſſent ſimul cum Chriſto, qui erant ſoliti eum ſequi, & in domum quieturi à turba, quæ auida verborum Chriſti, vix quieti locum dabat, ſed affatim audire, & videre Chriſtum deſiderabat, veniſſent. Benignitate magiſtri confici, & familiaritate, qua cum eo vti ſolebant, interrogabant eum diſcipuli, animo diſcendi ſententiam, quam ipſi parabolam credebant, & enigma quid obſcurum inuoluens.

Et cum introiſſent in domum à turba. Non quidem propriam; nam etſi vulpes foueas habeant, & aues cæli nidos, filius hominis non habet vbi caput ſuum reclinet. Quid ergo nonne pater omnia dedit ei in manus? Et hoc mirabilius, qui cum ſit vniuerſorum Dominus, & omnia ſubiecerit ei pater, oues, & boues, vniuerſa inſuper & pecora campi, ab omnibus ſe abſtinet; non quidem vt timeat in agone athleta inuincibilis, poſſe quandoque vinci; neque quod repugnet agere ſpiritualia, & temporarijs dominari; ſed vt perſuadeat quod difficile ſit ſectatoribus ſuis poſſidere aurum, argentum, & domum propriam habere in terris, & ſtudioſè futuram inquirere; multoque difficilius veſtitum terrenis luctari cum nudo dæmone, qui animam affectat. Nihilominus intrat in domum alienam recepturus ſua propter adminiſtrationem ſpiritus Qua ratione quoque Apoſtolus ſubſidia vitæ huius ſibi deberi proteſtatur, vt vinitori vinum ex vinea, quam plantauit, & agricolæ fructus ex ſatis, quæ tanto cum ſudore elaborauit. Nemo enim militat ſuis ſtipendijs, ſed dignus eſt operarius mercede ſua. Ergo ne mercedem ſuam accipit prædicator, qui poſt adminiſtrationem officij intrat in domum Principis, nedum alimentum, ſed argentum, & aurum multum reportat? Habet quidem mercedem. Ergo inter hypocritas cenſebitur, quibus dicitur: Amen dico vobis receperunt mercedem ſuam? Abſit. Nam etſi hominibus prædicet, ſed propter Deum, à quo filij mercedem in futuro ſæculo percipiet ampliorem, quanto & finis ampliſſimus eſt; ſed & præter illam, quam ſibi repoſitam prædicator gentium gloriatur, ab hominibus iuſtè accipit temporariam, vt ſuſtentetur perſona, quæ laborat, & qui ab eo pendent debitè & honeſtè prouideantur. Eſt enim populis prædicator Euangelij, am cus magis neceſſarius, vt dici ſolet, quàm ignis, & aqua. Conſiderandum eſt itaque (ait Gregorius homil. 17. in Euangelio) quod vni noſtro operi duæ mercedes debentur; vna in via, altera in patria; vna quæ nos in labore ſuſtentat, alia, quæ nos in reſurrectione remunerat. Merces itaque, quæ in præſenti accipitur, hoc in nobis debet agere, vt ad ſequentem mercedem robuſtius tendatur. Verus ergo prædicator non ideo prædicare debet, vt in hoc tempore mercedem accipiat; ſed ideo mercedem recipere, vt prædicare ſubſiſtat. Quiſque namque ideo prædicat, vt hic vel laudis, vel muneris mercedem recipiat, æterna proculdubio mercede ſe priuat. Hic enim Phariſæorum præmium hæreditat, ille Apoſtolorum, qui poſt prædicationem intrant in domum, temporalia accipiunt, & ſperant æterna.

Matth 8. *Ioann. 13* *Pſal. 8* Paupertas Chriſti. *1. Cor. 9.* Prædicator ſuſtẽtationẽ iuſte accipit *Greg.*

Interrogabant eum diſcipuli eius parabolam.

bolam. Eſt παραβολὴ ἀπὸ τοῦ παραβάλλειν. Hoc eſt comparare; comparatio verò, qua pandimus obſcurum, & latens, nonnunquam difficultatem parit, niſi notior ſit comparato; etſi notior, quando per eam ſpirituale aperimus, & diuinum, quod facultatem noſtram tranſcendit, adhuc difficultate obuoluit audientium mentes. Tum maxime, quando à ſapiente, cuius verba

Eccl. 12.

ſunt ſtimuli, & theſaurus abſconditus profertur; quo factum eſt, vt audientes Apoſtoli Chriſtum, qui ſolitus erat ſub communibus verbis, & factis regnum Dei aperire; putarent ſermonem habitum eſſe parabolam; eamque interrogauerunt edoceri. In quo laude ſunt digni, in alio vero neſcientiam oſtentarunt, ſed & pro hac merentur veniam, vt qui altis ſermonibus non eſſent aſſueti. Interrogare verò eos, docilem eorum animum declarat, qui nihil eorum, quæ magiſter proferret, volebant ignorare; ſed ſtudioſè cuncta diſcere. Non interrogant alterutrum; ſed Chriſtum, qui nobis eſt Pontifex, & ſacerdos, vt difficile, & ambiguum à ſacerdote ſupremo, qui eius locum tenet, percontaremur.

In dubijs fidei ad Ponficem recurrendum.

Quia Beatus Petrus (inquit Petrus Chryſologus) qui in propria ſede viuit, & præſidet, præſtat quærentibus fidei veritatem.

Petrus Chryſ. Agatho.

Quod Apoſtolicos Pontifices (ſubdit Agatho Papa in epiſt. ad Conſtantin. Imperat. quam ſexta Synodus act. 8. probauit) meæ exiguitatis prædeceſſores confidenter feciſſe ſemper, cunctis eſt agnitum. Quare oportet (proſequitur

Bern.

Bernar. in epiſt. 190. ad Innocentium) ad veſtrum referri Apoſtolatum pericula quæque, & ſcandala Regni Dei, ea præſertim, quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror, ibi potiſſimum reſarciri damna fidei, vbi non poſſet fides ſentire defectum. Cui enim alteri ſedi dictum eſt aliquando: Ego pro te rogaui, vt non deficiat fides tua? Ergo vt Apoſtoli Chriſtum, ita nos Vicarium eius interrogemus, quando vel dicti, vel facti Eccleſiaſtici dubitatio inter nos oritur.

CAPVT XVIII.

Et ait illis: Sic & vos imprudentes eſtis? non intelligitis, quia omne extrinſecus introiens in hominem, non poteſt eum communicare?

Expoſitio.

TAmetſi indigna tanto collegio videretur interrogatio, eam non ſpernit ſapiens magiſter, ſed volens prodeſſe diſcipulis, difficultatem, quam conceperant, eliminat. *Sic* (inquit) quaſi noui homines, & agreſtes, *vos* qui mecum ſemper eſtis, & me iugiter auditis, nunc *imprudentes* oſtenditis in negocio, alioqui notiſſimo, & ſententia, quæ nullius explicationis eget, cum ſit luce clarior? Ecquid *non intelligitis*, ex tam diuturna experientia, commeſſandi, edendi, & bibendi; *quia omne* vobis *extrinſecus* poſitum, & præparatum ad eſcam, & edulium, ſi in hominem introierit, ac totum hominis corpus alat, reficiat, ſuſtentet, & repleat nullatenus valeat cum animo communicare, neque eius ſpiritum maculare, quandoquidem neque ad illum accedat, neque tangat, neque lues corporalis in anima, quæ ſpiritualis eſt, valeat ſubiectari? omnia enim habent ſubiecta propria in quibus hæreant, ſpiritus ſpiritum, & corpus, corporeum.

Et ait illis. Vtpotè diſcipulis, quos erudire volens non ſpernit; ſed quantumuis rudes, & ignaros, ſpiritu intelligentiæ replet, & mittit ad eos imbrem ſapientiæ ſuæ; tanto ampliorem, quanto tabernaculum in animis hominum ſua prædicatione erigendum, excedebat illud, quod Beſeleel repletus ſapientia Dei fabricandum ordinauit.

Sic & vos imprudentes eſtis. Ac reliqui homines, qui humana tantum meditantur præcepta. Hæc enim ſæpe à ratione prudentiæ cum deficiant, obſeruatores, legiſlatores, auditores, imprudentes faciunt. Vnde & errant, & ſtulta loquuntur. Iuxta illud: Qui minoratur corde cogitat inania, & vir imprudens, & errans cogitat ſtulta. Minoratus eſt corde, qui operum, quæ à corde profluunt, gubernaculum, hoc eſt, prudentia, quæ recta ratio agibilium diffinitur, à ſe pellit; quo fit vt inſtar nauis abſque clauo inaniter fluctuet cogitatu, ſit imprudens ſermone, & errans in ſtultitijs ſuis. Adeo vt arenam, & ſalem, & maſſam ferri, ſit facilius ferre, quàm hominem imprudentem, & fatuum, & impium. Habet enim locum inter ſapientes Pharaonis, & magos Babilonis, quorum illi ſerpentes confingunt; hi ſomnia venerantur. Namque luce prudentiæ deſtitutus imprudens obſcurà meditatur, & operatur, ac loquitur ſerpentina. Qua in re peccare omnes, qui ſolis hominum regulis, atque præceptis, quæ nihil habent diuini, reguntur, certum eſt. Attamen optimus magiſter volens diſcipulos ab horum ſtudijs alienare, *imprudentes* vocat, ſicut & eos qui errant, vt audito nomine, infamiam nominis caueant diffugere, & fieri prudentes, iuxta illud: Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. Tales enim vult ſuos ſed

Eccl. 16.

Matth 10.

Plures Tribolas pauc... eſt cernere vates.

Non

Non intelligitis quia omne extrinſecus, introiens in hominem. Denique extrinſeca ſunt, quæ ad hominem intrant, alunt, ſuſtentant, delectant, & recreant. Quis ita deuorabit, & delitijs affluit vt ego? dixit qui cunctos hiſce extrinſecus excelliſt;

Eccl. 2

ſubdit autem, ſed & hoc vanitas eſt, & caſſa ſolicitudo mentis. At vanum ego dico id, quod extrinſecum nihil ad ſubſtantiam faciens, vt capillus in homine; nihil ad ornatum, vt onus in mulo; nihil ad leuamen, vt compedes in ſeruo; & nihil ad virtutem, vt folia in arbore. Quapropter

Inconſtantia temporaliũ.

tàm qui extrinſecis ſenſibilibus delectatur, quàm ipſa extrinſeca, vt folia ante faciem venti, ac ſtipula feruntur rapi, & diſſolui in fauillam, ne quis, vt ſimia in purpura, glorietur, vel potius ne fiat nauis onuſta conuitijs, qualem ſe præbuit, qui in an-

Luc 12
Luc. 16.

nos plurimos multa bona congregarat; & qui quotidie epulabatur ſplendide; ac omnis qui dicit: Fruamur creatura tanquam in iuuentute celeriter. Intrinſeca enim ſunt, quæ veritatem continent, & permanent. Hæc autem quæ? omne quod procedit de ore Dei. An non & illud eſt panis, & quod diximus extrinſecum? Mini-

Aliter in materialibus, aliter in ſpiritualibus operatur Deus.
Ioann. 14.

me gentium. Materiale enim, & corporeum fabricauerunt manus ſuæ, & cum aperit Deus manum ſuam implet omne animal benedictione: At ſpiritualia ſpiritu oris ſui format, & facit in animam viuentem; tum maximè eum qui eſt via veritas, & vita, ſinè quo nihil poſſumus; per quem, & in quo ſunt omnia, quæ deſiderat oculus, & animus ambit, illum quidem non manus, quæ extrinſecum ſignat, ſed os Domini nominauit, & eructauit ver-

Generatio verbi diuini

bum bonum, quod ab vtero, vt ab intrinſeco, & profundo diuini intellectus Pater genuit, miſit ad nos vt ſanaret, dedit vt redimeret, & vt nos perpetuos ſicut à principio efficeret, nobiſcum eſſe voluit. Ergo vt intrinſecis quiſque lætatur, ſic nos in Chriſto, eumque quæramus, & petamus.

Coloſſ. 2.

Eſt enim omne verbum, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei. Cætera nec nomen verbi retinent; deſinunt enim; verbum autem Domini manet in æternum. Manet quidem & ille, qui ſuſcipit inſitum verbum; qui autem negligit non permanet in vita, quam meditabatur perpetuare. Neque enim deſcendet cum eo gloria eius; quin in carne viuens inter extrinſeca, plus Aloes, quam mellis feret. Scriptum eſt enim: Homini bono in conſpectu ſuo dedit Deus, ſapientiam, & ſcientiam, & lætitiam: Peccatori autem dedit afflictionem, & curam ſuperfluam. Quid enim magis ſuperfluum, & afflictiuum quàm cura extrinſeci, & vani.

Non poteſt eum communicare. Antiqua lectio habet *coinquinare*. Sed vt diximus Græcè, habetur, *communicare*. Cæterum cur communicationem dicat coinquinationem, non eſt ſilentio prætereundum. Ego præter litteralem ſuperius traditam, fero myſticam, videlicet, inquinationem dici communicationem, quod

Inquinatio dicitur communicatio.

ſæpius in communicatione extrinſecorum, & corporalium contingat hominem coinquinari, & cum aqua fauces ſtrangulare. Cæterum ne in eo, quod pueris notum eſt, immoremur, precor diligenter communicationem omnem contemplari, & adnotari diſcrimen, quod inter eam, quæ cum intrinſecis, & ſpiritualibus eſt, & aliam, quam paſſim cum extrinſecis habemus, quiſque colliget. Etenim cum hominibus, etiam domeſticis *communicare*, vel mortem generat, aut moleſtiam;

Multiplex eſt.

cum diuitijs, & epulis, denigrationem; denique *communicare* cum hoc mundo ſenſibili ſemper vt *Africa aliquod noui, & moſtruoſum parit*. At *communicare* cum

Nunc mala nunc bona.

Deo nihil honeſtius, *communicare* cum Angelis, & ſpiritualibus theſauris nihil felicius. Quare noſtra conuerſatio in cæ- *Phil. 3.*
lis eſt, dicebat Apoſtolus, & tu addito: *Pſal. 72.*
Cor meum & caro mea exultauerunt in *Pſal. 83.*
Deum. Quid enim mihi aliud eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram?

CAPVT XIX.

Quia non intrat in cor eius, ſed in ventrem vadit, & in ſeceſſum exit, purgans omnes eſcas?

ADhibet rationem prædictorum, cur nemo extrinſecis inquinetur. Quia (inquit) inquinatio cordis eſt, ac nihil eorum, quæ extrinſecus aſſumuntur, intrat ad cor hominis, neque tangit animum, qui ſolus immunditiam ſuſcipit, vel reſpuit. Intrant quidem commeſta ad hominem, ſed ad corpus ventriculoſum vadunt, vnde facta ciborum decoctione, & digeſtione, expulſiua ventris virtus foras mittit eſcarum molem, quæ per aluum, & naturæ ſeceſſum exiens, videtur omnium eſcarum facere purgationem, quinimo totum corpus vacuum relinquere, ac ſi nihil ad illud intraſſet, neque remaneret.

Quia non intrat ad cor eius. Intrat quidem ad cor corporeum, quod eſt in animali, ſecundum Philoſophum, primum viuens, & vltimum moriens; non tamen intrat, quod ſenſibile eſt ad cor ſpiritnale, de quo magiſter loquitur, iuxta ſcripturæ phraſim, quæ animam, & eius potentias cordis nomine perſæpe explicat; vti: Mihi eſt cor ſicut, & vobis, *Iob. 12*
hoc eſt anima; Concaluit cor meum, hoc *Pſal. 38.*

Iſai.6. *Prou 6* *Prou.3.*

eſt voluntas: Excæca cor populi huius; hoc eſt mentem: Non concupiſcat pulchritudinem eius cor tuum, hoc eſt affectus: Præcepta mea cor tuum cuſtodiant; hoc eſt memoria. Itaque cordis nomine, quæ ſunt ſpiritus hominis, intelliguntur. Nam vt in corpore animali cor eſt nobilius, ita in homine omnis nobilitas in anima, & eius potentijs ſpiritualibus ſita eſt, nec non ignobilitas. Nam quæ corpus ornant, vel dehoneſtant offenſiúculas dicito potius, vel papillas, quàm momentaneum aliquid. Vnde data in omnia corporea Iob poteſtate

Iob.1.

dixit Deus ad Sathan: Veruntamen animam eius ſerua. Hanc, vt ſponſam, & fructum electiſſimæ arboris ſibi Deus condidit, neminemque ad eam patitur accedere, tametſi velit putari externa tribulatione, & anguſtia; & cuncta, præter carnem ſacerdoti reſeruatam, ardere. Ecquis ſacerdos niſi Chriſtus, qui iureiurando ſacerdotium accepit ſempiternum? Ad hunc quidem pertinet caro hoſtiæ pinguis, hoc eſt, anima hominis. Inde dixit: Cibum habeo

Ioann.4.

manducare, quem vos neſcitis. Itaque animam, vt optimum in homine, cor vocant oracula; eamque ſibi ſeruat Deus, & in cibum Chriſto, quamdiù homo eſſe cum Deo ſuo delectetur.

Sed in ventrem vadit. Eſt quidem venter ciborum receptaculum, ſiue ſthomacus, in quo decoquuntur, & transmutantur in alimentum animalis, & totius corporis conſeruationem. Neceſſarium autem ſit eo cibum capere aliquem, & ventrem reficere, ita vt ſine cibo, vt cicadæ, & camaleo, nequeat homo viuere, facilè, perſuaderi poteſt; tùm ex ſuppoſitione præſenti; tùm ex ijs, quæ de cibo ſumendo præcepit Deus primis parentibus; & videtur in Noe, ac filijs renuaſſe. Diuinitus

Neceſsitas alimenti.

quidem diù ieiunos permanſiſſe quoſdam, præter exempla ſcripturæ; Vrſpergenſis Abbas in chronico tẽpore Lotharij Imperatoris 5. narrat puellam poſt communionem abſtinuiſſe penitus ab alimento omni, per tres annos integros. Dolore quoque detentam per decem annos ieiunaſſe Margaritam quandam, teſtatur Gerardus Bucolidianus. Conditis arte peculiari cibis contineri hominem diù abſque inedia, ſcribit Xipilinus ex Dione in Seuero, quales in Britannia ait præparari. Quorum fortè, aut aliorum hauſtu, Antonius picentus heremita, vt meminit Iouian. Pont. lib. 2. de ferm. cap. 16. per quadraginta dies, & noctes ieiunans, in Italia, Francia, Hiſpania, & magna orbis parte ſanctitatis nomen ſibi comparauit; hypocritæ tamen ne dum Hæretici pœnas poſtmodum luiſſe vermibus abſumptum prædicti referunt. Itaque abſque cibo animal viuere non poteſt, diu autem perdurare poteſt, nam &

Vrſpergen.

Rara exempla viuenciũ ſine cibo.

Gerar.

Ripil.

Iouian Pont

Camaleon (inquit Plinius lib. 11. cap. 16.) rore viuit, ſimiliter cicada, iuxta Virgilij ſententiam 3. Ecgloga.

Plinius *Virgil.*

Dumque thymo paſcentur apes, dum rore cicadæ.

Niſi velis humore, qui in corpore cicadæ & camaleonum eſt, ſuſtentari, ſicut animalia quæ toto hyeme ſunt abſque cibo, & potu, dormientes perpetuo, & pecudes, quæ, auctore Claudio Cœleſtino, quarto die bibunt, & animalia pontica, quæ per diem viuunt, quamdiù humor in eis durat, velut exciſæ ſalicis, quæ durante humore germinare perſpiciuntur. Atqui hunc conſeruari, & augeri odore pomorum, & carnium, apud gentes, quas eo victitare Strabo. lib. 15. tradit & Plinius lib. 7. cap. 2. non dubito. Neceſſe eſt ergo extrinſecum quid in ventrem mittere, aut retinere, dum viuit corpus. Rationem autem primam qui condidit ſcit, tum maximè quod hominem ſub hac lege eſſe voluerit ſolus ipſe nouit. Poſſumus, & nos dicere eo factum, vt ab his cibis terrenis ad cæleſtes raparemur, eſſemuſquè ſoliciti dum venter pabulis impletur, orare, & deprecari, in ventrem animæ ſuos tranſmitti, & infundi cibos, fidem, charitatem, ac reliquos animæ habitus, quibus eam Deus ſtatuit viuere, & in optimo ſtatu permanere. Hoc enim depoſcit adhortatio: Venite commedite panem meum, & bibite vinum, quod miſcui vobis. Comede fili mi mel, quia bonum eſt. Immo verò optimum. Nam qui conditos cibos arte coquinaria deglutiunt, fructum non capient ex eis, ſed laſſitudinem, aut fortè morbum; qui ventrem mellifluis cibis replent; ſimiles fiunt Angelis Dei, qui diuinis pabulis continuo oblectantur, abſq. grauamine, quale defert alimentum corporeum; vnde.

Cland. Cal.

Strab. *Plin.*

Pro.9. *Prou 24.*

Et in ſeceſſum exit. Quid ſuper iſta in Matth. dixerim, videto; interim annotato prouidentiam conditoris, qui vt ore, ita & alueo, ac pleriſque alijs meatibus hominem prouidit, vnde cibi deuorati exirent. Qua in re libet altius ſpeculari ſapientis architecti artificium. Nam ſolum os aditum ad cibum, & potum formauit in hominem; ad exitum verò, ne dum os, nares, aures, oculos, & inferiores corporis meatus dedit, ſed totum pene corpus conſtituit ſeceſſum hominis. A capite enim vſque ad pedes planitiem, totus homo repletur poris, & meatibus, per quos tranſmittit ſuperfluos ſanguines, ſudores, & alia excrementa. Quæ nonnunquam adeò ſuperabundant præ crapula, ebrietate, cibique intemperantia, atque veneris, vt igne, ſagitta, atque emplaſtris compellantur medici corpus multis in locis incidere, vt vel his agnoſcamus, quantum

Corpus humanum totũ poroſum

tum detrimenti naturæ attulerit furtiuus cibus: nam ſi Adam non peccaſſet,ad ornatum potius , quàm ad neceſſitatem humani corporis aperturæ fuiſſent . Inde pariter diſcamus humiliari cum eo,qui dixit: Quid eſt homo,quia viſitas eum? Quid eſt homo, quia magnificas eum ? Nedum enim vanitati ſimilis factus eſt, & in magine pertranſit , ſed vt ſtercus in via non tàm miſerijs repletur , ſed horrendis ſcaturiginibus, & fœtore , vt nec cunctis Indiæ aromatibus, neque ſuffitis Arabiæ valeat horribilitatem continuæ ſuæ corruptionis tantiſper reprimere. Quapropter (ait Origen.in Paulum lib.7.) in tantum nulla creatura eſt,quæ de doloribus, & gemitibus vacet, vt etiã noſipſi,qui ſumma à Spiritu ſancto , & electa dona percepimus,tantum expectantes adoptionem filiorum , ideſt, perfectionem eorum, quos docere,& inſtituere miſſi ſumus, donec videamus eos in tantũ proficere, vt adoptari mereantur in filios, neceſſario dolemus, & gemimus, &c. Si quidem nihil eſt in vnoquoque noſtrum corporale,quod dolorem nõ inferat,ſi ea,quæ amiſit in Adam, & per Chriſtum ſperat diligentius attenderit. Quid enim maiorem dolorem, & ignominiã afferre poteſt; quàm ſe totum ſeceſſum cernere ?

Pſal.8.
Pſal 141.
Pſal.38.
Hominis miſeria.
Origen. Rom.2.
Miſeria hominum.

Purgans omnes eſcas . Intelligito corporales . Nam hæ , & ante , & poſt ſumptionem purgatione egent . Omitto purgationem ; quam coquus facit , & eam, quæ fit corporis vegetatione ; aliam ego magis opportunam in omni cibo faciendam diſcerno;per benedictionem , qua Chriſtus, & ante cibum, & poſt cibum vſus eſt . Ea enim purgatur maledictio,quam ob peccatum corruptibilia videntur contraxiſſe; quandoquidem non ferunt homini ſolatium illud, quod ante lapſum promittebãt. Ad cibum ergo dicant (inquit Clemens lib.7. Conſt. Apoſt. cap. 50.) Benedictus es Domine , qui paſcis me ab adoleſcentia mea , & das eſcam omni carni, imple gaudio, & lætitia corda noſtra, vt ſemper omnem ſufficientiam habentes, abundemus in omne opus bonum in Chriſto Ieſu Domino noſtro , per quem tibi gloria, honor, & imperium in ſæcula ſæculorum , amen. Hac breniores inſtituit Eccleſia , quas indecens eſt præteriri , vel non vti ſimilibus, quibus Dei benedictionem petere videamur,& eidem gratias per alimonia abundante referre.Nam & ijs contingit aliquando venenum commixtum detegi , etiam deuoratum vomi abſque nocumento. Purgat quidem omnia , quæ debitè fit ; & reuerenter exhibita etiam deprecantem ſanctificat.

Benedicẽdũ eſt,quod ſumendum appouitur priuſquam ſumatur.
Clemens.
Fructus benedictionis.

C A P V T X X.

Dicebat autem , quoniam , quæ de homine exeunt illa communicant hominem .

Itaque *dicebat* Chriſtus Apoſtolis,non, quæ ad ventrem intrant polluunt hominem ; hæc enim cor non tangunt, vndè ſumitur pollutio totius hominis . *Quæ de homine exeunt* verba contra Deum , & facta quæ legem præuaricant , illa ſunt , quæ hominem communem , vulgarem , deſpectum, ignominioſum efficiunt, & infamem, vt neque ipſe ad alios accedere dignus ſit, neque cæteri audeant quicquam cum eo participare. Trabem enim baiulat .

Expoſitio.

Dicebat autem . Inculcans ſententiam animaduerſione dignam , ne nos quoque prætereat , ſed cunctis ſit, vt anulus digito medio , vt armilla brachio , & vt philacteria in fronte, ceu potius liber in manu, in quo vitæ ſtatum legamus, aut mortis . Cor enim hominis diſponit viam ſuã, ſi ſit velox ad exitus ſuos , occidit animam, ſeque totum dabit in præceps , ſi autem prudenter agat , erudiet os eius , & labijs eius addet gratiam . Ergo ò homo , inclina cor tuum ad cognoſcendam prudentiam . Eſt enim œconomua ſolers , & fidelis bonorum animæ , atque corporis , qui ſe iugiter ſupremo rectori conformat , & ſiue loquendum ſit , ſiue agendum,dicit conſilio: Quare oro te hodie ſermonem Domini , ne temerè quid loquaris, neue quicquam imprudenter agas,reſpice finem , & quid Dominus requirat à te diligenter penſita ; adeò ego difficilem reputo lectionem præſentem,quod etſi paſſim lectitetur,vix quis obſeruantiam integram conſequetur. Nam quis dicere poteſt: Mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato?

Præcipitãtię damnum.
Prou.16.
Fructus prudentiæ.
3.Reg.22.
Prou.20.

Quoniam quæ de homine exeunt . Ea autem omnia ad duplex genus actorum , immanentium , & tranſeuntium reducimus . Immanentes hominis actus dicimus,qui intra hominem manent , vt cognitio , & volitio; tranſeuntes, qui ab homine tranſeunt ad externa,vt vox, & omnis ſenſatio,atque praxis , quæ ab imperio animæ proficiſcitur . Dicuntur autem tàm interni, quàm externi actus exire , quod vnicum hominis liberum arbitrium eos pariat , & in animo, & extra animum eoſdem producat bonos, vel vitioſos ; de quibus magna concertatio inter morales,& Theologos eſſe ſolet.Miſſis tamen difficultatibus hoc certum ſtatuamus , totam hominis excellentiam , vel humiliationem in exercitio horum actuum conſiſtere . Vnde Saluator dixit .

Actus hominis, vel immanẽtes,vel tranſeuntes.

Illa communicant hominem . Itaque intra

tra

tra ſeipſum defert homo hoſtem, quo interimitur; auxilium autem, & benefactorem extra. Deus enim auxiliator tuus, ò homo; perditio autem tua, non ex te tantum, ſed in te. Quid ergo gloriaris? Corruere potes, & communicare teipſum, lauare autem ſordes ex caſu contractas nequaquam vales. *Pſal. 50.* Peccatum tuum contra te eſt ſemper, quouſque Deus emundet cor tuum. Ergo *Iob 9.* (dixit ille) Si iuſtificare me voluero, os meum condemnabit me. Quid? os quia mentitur paſſim, & occidit animam; aut certè labijs ceditur, & obumbrat ſplendorem, vt ſciat nemo vtrum odio, vel amore dignus ſit. Quare attende tibi, ò homo, hor- *Baſilius.* tatur Baſilius Magnus homil. ſuper eodem dicto.

CAPVT XXI.

Abintus enim de corde, malæ cogitationes procedunt, adulteria, fornicationes, homicidia.

Expoſitio. Connumerat Chriſtus malè acta, quæ dehoneſtant hominem, atque maculant. *Abintus*, inquit, animæ, ac de corde profundo pullulant vniuerſa hominis nocumenta. Namque inde *malæ cogitationes*, quibus nihil noxius, neque obſcurius, procedunt, quinimo & ibidem ſedem habent, peſtilentem *adulteria*, quæ matrimonij fœdera diſrumpunt; *fornicationes*, quæ corpus eneruant; *homicidia*, quæ imaginem hominis propriam trucidant.

Abintus enim de corde. Etſi cor in medio animalium ſitum dicatur, præmittit magiſter *abintus*, vt oſtendat ſecretiorem, quam valeat homo excogitare, plagam ani- *Ierem. 17.* mi exiſtere. Iuxtà illud: Prauum eſt cor hominis, & inſcrutabile, & quis cognoſcet il- *Pſal 7.* lud? Ego Dominus ſcrutans corda, & renes. Nuda autem ſunt omnia, & aperta oculis eius; nobis autem abſconſa nedum *Prou. 16.* aliena, ſed & noſtra. Vnde legimus. Eſt via, quæ videtur homini recta, & nouiſſima eius ducunt ad mortem.

Malæ cogitationes procedunt. Malitiam *Quare cogitatio dicitur mala?* cogitationibus tribuit, quod dictamen ad bonum, vel malum, necnon conſilium, atque iudicium à ratione, & intellectu practico emanet, & is ſit, qui conſentiat deliberationi voluntatis, neque contradicat, cum poſſit, propoſitis malis, & periculis, quæ ex praua deliberatione voluntatis, in *In intellectu, etiam eſt peccatũ.* qua vis peccati conſiſtit, manifeſtè nouit ſequi. Quare vt voluntatem, ita intellectum ſubiectum, ſimul, & cauſam intrinſe- *Auguſt.* cam peccati conſtituamus cum Auguſt. lib. de duab. anima. cap. 10. & 11. retracta. 1. c. 9. & lib. 3. de liber. arb. cap. 17. Immediata *S. Thom.* quidem cauſa humani actus (ait S. Thom. 1. 2. q. 75. art. 2.) eſt ratio, & voluntas, ſecundum quam homo eſt liber arbitrio; cauſa autẽ remota eſt apprehenſio ſenſitiuæ partis, & etiam appetitus ſenſitiuus. Sicut enim ex iudicio rationis voluntas mouetur ad aliquid ſecundũ rationem, ita etiam ex apprehenſione ſenſus, appetitus ſenſitiuus in aliquid inclinatur, quæ quidem inclinatio interdum trahit voluntatem, ſicut infra patebit (videlicet, q. 71. art. 1.) ſic igitur duplex cauſa peccati interior poteſt aſſignari, vna proxima ex parte rationis, & *Cauſa interior peccati duplex.* voluntatis: alia verò remota ex parte imaginationis, vel appetitus ſenſitiui. Quare ſubdit in reſp. ad p. Potentia voluntatis eſt cauſa peccati in potentia, ſed reducitur in actum per motus præcedentes, & ſenſitiuæ partis primo, & rationis conſequenter.

Adulteria. Eſt adulterium ſpecies luxuriæ, qua alienus thorus violatur. Largè ſumitur etiam pro inceſtu, ſtupro, ſacrilegio, & violatione carnis, quæ lege alia, & vinculo, ſupranaturale ligat, & prohibetur à corruptione. In quem modum vſurpari præ- *Quid nomine adulterij comprehendatur.* ſenti in loco crediderim, vt à grauioribus ſceleribus inchoari catalogum vitiorum dicamus, iuxtà diſciplinæ ordinem, cuius ſtudioſum fuiſſe Chriſtum, facilè eſt diſcernere. Bonorum enim narratione, admirationem auditoris intendimus, & perſuaſionem; ideò à minoribus ordimur in genere demonſtratiuo, aut deliberatiuo; ſecus fit in recenſendis malis, quibus terrorem, odium, & horrorem optamus generare, vt vel iudicent auditores deteſtandũ malum, vel deliberent nullo modo aſſentiendum, quod non facilè inducerentur facere, ſi à minimis ordiremur. Cæterum his miſſis, non inconuenit iuxtà litteram dicere; *adulteria* hic propriè præmitti. Tùm quod cernebat omniſciens multiplicanda nimis licentia illa, quam inuenerant Iudæi dimittendi vxores quacumque ex cauſa cuius enormitatem legiſlator repreſſit. Tùm quod adulterijs cerneret præiudicium fieri, ne dum legibus matrimonialibus, ſed optimum reipublicæ ſtatum perturbari, & *Eius nocumenta.* defraudari parẽtes, ac filios infamari. Ideò dictum eſt (ait Clem. Conſt. Apoſt. lib. 7. c. 3.) Non adulterabis: Diuidis enim vnam carnem in duo, ait namque Scriptura: erunt duo in carne vna, ſunt enim maritus, & vxor vnum natura conſpiratione, vnione, affectione, vita, more; diſtincti verò ſunt figura corporis, & numero. Quare iniuriam alijs faciunt, cum aliena matrimonia violant, & quod à Deo factum eſt vnum, in duo diuidunt, ac liberos faciunt ſuſpectos, & legitimum maritũ inſidijs exponunt. Et quid in omnibus peccatis (ait Petrus in epiſt. 1. *Petrus apud Clem lib. 1. 26.* Clem. ad Iacob. fratrem Dom.) adulterio grauius? Secundum namque in pœnis obtinet locum, quoniam quidem primum

illi

Digitized by Google

illi habent, qui aberrant à Deo, etiam ſi
ſobriè vixerint. Propter quod vos ò pre-
sbyteri, Eccleſiam excolite, & ordinate
ſponſam Chriſti ad pudicitiam. Sponſam
autem dico omnem Eccleſiæ congregatio-
nem, quæ ſi pudica inuenta fuerit à ſponſo
ſuo, ingentibus ab eo donis, & muneribus
honorabitur. Et vos velut miniſtri ſponſæ, &
amici ſponſi, ingenti gaudio, & lætitia per-
fruemini.

Fornicationes. Fornicatio etiam, quæ
eſt ſoluti cum ſoluta ſpecies eſt luxuriæ,
ſæpius in lege prohibita, non mœchaberis,
non fornicaberis; & ſimilibus verbis nega-
tiuis, vt eam licere vnquam neque aliquo
in tempore, neque ſub valetudinis præte-
xtu, aut prolis aliquando permitti, omnes
aduerterent. Præſertim hæretici, qui eam
probant, quum dicat Apoſtolus: Fornicarij
regnum Dei non poſſidebunt. Vnde Auguſt.
de conflictu vitiorum, & virtutum cap. 24.
Fornicatio nulli impunè cōceditur. Præſer-
tim, qui eã probaret, vt Bigardi, & Bagui-
Clem ad noſtrum. næ, quos Clem. Ad noſtrum de hæret. dam-
nat. Id quod etiam, ait gloſſ ibidem, repro-
22. q. 1. batur. 22. q. 1. prædicandum. 32. q. 4. mere-
32. q. 4. trices. Hoc probat Apoſtolus ad Galat. 5.
Galat. 5. vbi præmiſſa fornicatione, & alijs vitijs
ſubmittit, Qui talia agunt regnum Dei
non poſſidebunt. Solum autem mortale
excludit à regno Dei, ergo, &c. ad idem
Tob. 4. Tob. 4 ibi, Attende tibi ab omni fornica-
tione, & propter vxorem tuam non patia-
ris crimen ſcire, ſed crimen importat mor-
81. d. c. 1. tale. 81. d. c. 1. ad idem de pœnit. & remiſſ.
De pœnit. & remiſſ. Deus qui. Item eſt præceptum decalogi
Non mœchaberis, Ad idem Deut. 23. ibi.
Exod. 20. Non erit meretrix, &c. & 1. ad Cor. 6. Fugi-
32 q. 6. te fornicationem. Hoc idem ratione con-
Deut. 23. cluditur, quam plenè Thom. proſequitur,
1. Cor 6. 2. 2. q. 154. Hæc gloſſ. Quibus hæreſis di-
S. Thom. lucidè expugnatur, & conuincitur eſſe mor-
tale, Et quidem maximum. 32. q. 4. in eo, &
q. 7. Non ſolum; propter violationem tem-
pli Dei, quod quiſque fidelium gerit. Tam-
etſi ob maius peccatum vitandum, horten-
tur prædicatores non eſſe in cauſa nimium
32. q. 2. acerbos. 32. q. 2. ancillam. Poteſt & nomen
fornicationis hoc loco, vt in reliquis diui-
nis litteris extendi ad fornicationem ſpiri-
tualem, hoc eſt idolatriam. 28. q. 1. Idolatria;
23. q. 7. & conſenſum mentis ad fornicandum. 23. q.
7. Non ſolum. Etiam fornicationis nomi-
ne, omnem immundam pollutionem poſſu-
mus intelligere. Ibidem per totum. Præſer-
tim eam in Euangelio, quo plena mundi-
cies comparatur, prohiberi decebat, vt ad
Deum perſpiciendum clariores; & ad Re-
gnum cælorum puriores eſſemus.

Homicidia. Hæc ab ira procedunt, ad-
uerſantur iuſtitiæ commutatiuæ, & negati-
uorum primo præcepto prohibentur, quod
ſit cunctis negatiuis grauius; quo quis ſe,
vel alium priuata auctoritate, volens, vel
tacitè, vel expreſsè, ſiue per ſe, ſiue per in-
termedium perimit. In quem leges pro
grauitate criminis animaduertunt. Nam
qui clericum, vel religioſum occidit gra-
uioribus ſubijcitur, quàm qui laicum. 17. q. *17. q. 4.*
4. qui occiderit: & acerbius ſuſtinebit iu-
dicium, qui patrem, vel matrem, quàm ex-
traneos. 33. q. 2. latronem. Similiter qui *33. q. 2.*
vxorem perimit maiori ſe notat infamia,
quàm qui aliam mulierem, ibidem, Interfe-
ctores, & duobus ſequentibus. Contra om-
nes homicidas lex Eccleſiaſtica multa ſta-
tuit, etiam poſt pœnitentiam. Eſt enim
omnium deteſtandum, quod Deum de cælo
ad vindictam videatur aduocare, & prouo-
care Orbem, vt arma aduerſus malefacto-
res ſumat. Homicidam non dicimus eum,
qui iuxtà leges publica auctoritate alium
interficit. Quemadmodum Vualdenſes, & Error Vualdenſium.
Nicolaus Galius affirmarunt, dicentes: nul-
lum licitè occidi, etiam à iudice, At in-
quit, Paulus non ſine cauſa gladium por-
tant, ad vindictam malefactorum, laudem *Rom. 13.*
verò bonorum. At vindictæ verò per gla-
dium mortem intendit. Ac ne cauſetur hæ-
reticus dicens gentiles ibi miniſtros intro-
duci, ait Paulus ſunt enim miniſtri Dei. Vn-
de Auguſt. lib. 1. de Ciuit. cap. 26 Miles obe- *Auguſt.*
diens poteſtati, ſub qua legitimè conſtitu-
tus eſt, hominem occidit, nulla ciuitatis
ſuæ lege reus eſt homicidij, immo niſi fece-
rit, reus eſt Imperij deſerti, atq; contempti.
Et Cyprianus in q. genere abuſionis. Rex *Cyprian.*
debet furta prohibere, adulteros punire,
impios de terra perdere, parricidas, & pe-
ierantes viuere non ſinere. Nam ſecundum
Hieron. ſuper Ieremiam. lib. 4. cap. 22. Ho- *Hieron.*
micidas, & ſacrilegos, & venenarios punire,
non eſt effuſio ſanguinis; ſed legum mini- Non eſt homicida, qui
ſterium. Fertur hæc ſententia. 13. q. 5, ho- ex lege animaduertit.
micid[illegible], Vbi gloſſ. Hic habes, quod homi-
cidæ, & ſacrilegi, & venefici, capite puniun- *13. q. 5.*
tur de homicidis patet. vt de pœni. d. 1. Si
quis cum telo; de veneficis ſimiliter patet,
vt ff. ad leg. Cornel. de ſicarijs lib. 3. de pœ- *ff ad legem*
na ſacrilego. habes 17. q. 4. per totum, ff. ad *Cornel.*
leg. Iuliam pecul, ſacrilegij. Res enim hu-
manæ (ait Leo epiſt. 29. ad Pulcheriam Au- *Leo.*
guſtam) aliter tutæ eſſe non poſſunt. Inde
Pelagius Papa, Narſæ patritio, & Duci in *Pelagij Papa.*
Italia, atque Ioanni, perſuaſit vti ſua au-
ctoritate contra rebelles, quouſque, vel
pareant, vel perimantur. Id quod paſſim à
noſtris Pontificibus videmus fieri; nam &
his in Petro dictum; qui habet duas tuni- *Luc. 22.*
cas vendat vnam, & emat gladium. Habe-
tis igitur gladium, eo vtitur cum per Re-
gem, aut miniſtrum alium, vt Bernard. pro- *Bernard.*
ſequitur in de conſider. ad Eugenium, cum
vel bellum inferri hæreticis iubet, vel ſchiſ-
maticos coarctari. & omninò tolli eos,
qui malè agunt. Ergo concludamus cum

Hay-

Haymo.

Haymone, ſuper ep. ad Rom. cap. 13. Aduerſus hæreticos, nõ ſine canſa gladiũ portant, qui talia ſcelera dijudicant. Sunt enim maximè conſtituti propter latrones, homicidas, raptores, vt & illos damnent, & alios ſuo timore cõpeſcant. Tũ maximè propter vos, ò hæretici (qui deiecta vlciſcendi poteſtate vos arbitramini tntè poſſe in gregem Domini graſſari) à Domino Deo eſt poteſtas hæc. 23.q.4. non inuenitur. Sicut excellentia. Nimium, & pleriſqne alijs locis, quæ non patitur narratio afferri. Notabo tamen, non dici homicidium, ſed homicidia, vt duplex homicidij genus diligenter conſideremus; vnum ſpirituale, qno qnis animam, vel ſuam ſpontè peccans, vel alienam dato ſcandalo, perimit, de quo multa proſequitur Origenes in illud Ioannis, ille homicida erat ab initio: Alterum corporale, quod poteſtas hnmana poteſt inferre; neque timendum à iuſtis hortatur Saluator. Eſt & in vnoquoque genere homicidiorum ſpecies multiplex, iuxtà qualitatem peccatorum; eam tamen prædicator, & confeſſarius, prout in ſingulari expedire viderint, dijudicabunt; nec non dubia, quæ non pauca ſeſe in hac materia offerunt apud Theologos, Canonum Doctores, & legum, penetrabit, ne quid eum lateat, quando contra eiuſmodi homines agere oporteat.

23.q.4.

Origen.

CAPVT XXII.

Furta, auaritiæ, nequitiæ, dolus, impudicitię, oculus malus, blaſphemia, ſuperbia, ſtultitia.

Expoſitio.

PRoſequitur mala, quæ à corde ſunt, enumerare. *Furta*, quæ præuaricatorem faciunt hominem legis diuinæ; *Auaritiæ*, quæ omnes etiam domeſticos ignorant; *Nequitiæ*, quæ nulli ius ſeruant; *Dolus*, qui iuſtitiæ æquitatem deteſtatur; *Impudicitiæ*, quæ licentioſum ad omnia vitia generant ſui amatorem; *Oculus malus*, qui ſemper eſt ad mala, neque veterano parcit, neque Virgini; *Blaſphemia*, quæ in Deum, & Sanctos excandeſcit; *Superbia*, quæ altitudinem omnem, & extollentiam vſurpat; demumque incultum cor parit *ſtultitiam*, quæ imprudentiſſimum virorum, & ignominioſum procreat hominem. Vt cumque coruos inuenies luſcinijs honoratiores.

Furta. Eſt autem furtnm rei alienæ vſurpatio, inuito Domino, auaritiæ filia; & hoſtis iuſtitiæ commutatiuæ; conſequenterq. aduerſatrix principij practici: Quod tibi non vis fieri, alteri ne facias. Vnde Auguſt. lib. 9. Exo. q. 71. Pœnale eſt occultè auferre; multo maioris pœnæ eſt viſibiliter eripere. Auferre ergo nolenti, ſiue occultè, ſiue palàm, habet præceptum ſuum. *Furti* enim nomine benè intelligitur omnis illicita vſurpatio rei alienæ. Non enim rapinam permiſit, qui *furtum* prohibuit: ſed vtique *furti* nomine in lege veteris Teſtamenti, & rapinam intelligi voluit. A parte enim totum ſignificauit, quidquid illicitè rerum proximi aufertur. Eſt autem ſecundum S. Thom. 2.2.q. 66. art. 9. & alijs in locis, rapina furto grauior dupliciter; primo, quia inuoluntarium per vim, eſt maius, quàm per ignorantiam auferre; ſecundo, quia rapina eſt in re, & in perſona; *furtum* autem eſt tantum in re. Attamen iudicis auctoritate, ſiue occultè, ſiue manifeſtè rem alienam accipiens, tùm maximè ſuam, non committit furtum, neque rapinam; neque qui conſtrictus neceſſitate vitæ, quandoquidem eo tempore omnia ſunt communia. de conſe. d. 5. diſcipulos. Neque etiam qui alienis præcipiente Dnmino, vt filij Iſrael, ditaretur. Quod autem Saluator non *furtum*, ſed *furta* dicat, duplex etiam genus retinendi, & accipiendi aliena denotat, vnum ſpiritnale, alterum corporale. Illud committit, non ſolum qui voluntate proponit externum aliquid ab eo accipere, honorem, diuitias, & vitam; ſed etiam qui occupat dona, & dignitates, quibus alij melius vterentur, & videntur digniores, quod genus furti, ceu talis furti fures arenæ nnmerum excedunt, mareque latius eſt. Quo & Seraphicus Franciſcus, tàm ſe, quàm ſuos arguebat nonnunquam; & quis eſt, qui in eo non offendat? Corporale verò furtum non omnes tangit; qui tamen illnd admittunt, ſecundum leges Ciuiles, arbitrio iudicis puniuntur; non tamen ad mortem. C. de ſeruo fugit. Aut, ſed nouo inre; niſi præſumatnr inuaſor. l. Capitalium, §. Graſſatores. §. Famoſos. ff. de pœnis, & cenſentur infames. q. 5. Qua nota olim Perſæ, vt inquit Alexan. ab Alexand. lib. 6. cap. 10. necnon Argini (vndè proceſſit adagium. *Argiui fures.*) Et antiquorum plures leges, vt Ægyptiorum, Germanornm, etiam Lacedemoniorum, abſoluebant fures; tametſi Licurgus cum illis ſolum ita fieri permitteret, qni furtum poſſent abſcondere, ne videretur. Vnde ſcribit Hurodotus lib. 2. pnernm (qui vulpem raptam abſcondere ſub pallio volens paſſus fuerat morſus) reſpondiſſe alijs pueris: Multo ſatius eſt mori, quàm in furto deprehendi. Sed de furto ſatis.

Auguſt.

Quid furti nomen cõprehendit.

S. Thom.

Iudicis auctoritate rẽ alienam auferens non eſt fur.

De conſec. d. 5.

Frãciſci humilitas.

Pœna furti.

Auaritia. Anaritia eſt amor immoderatus habendi: qui, ſi ſit circa poſſeſſiones exteriores, eſt ſpeciale, & capitale peccatum mortale, vel veniale iuxtà perfectionem, vel imperfectionem actus. Cuius filiæ ſnnt ſeptem; proditio, fraus, fallacia, periurium, inquietndo, violentia, & obduratio; totidemque ſpecies parcitas, tenacitas, ciminilitas, turpe lucrum, vſura, latrociniũ, & Alea; ſic capta auaritia propriè eſt radix

Filiæ auaritiæ.

omnium

Digitized by Google

Radix eſt vitiorum.

omnium peccatorum, hoc eſt, quæ facilè hominem ad vitia impellat: inde dicta idolorum ſeruitus, & peccatum maximum, ſed ſecundum quid ait S. Thom. 2. 2. q. 118. ſed ratione auerſionis ſimpliciter minimum. Vtcumque prodigalitate grauius, cum liberalitati magis aduerſetur, ſicque auarus prodigo inutilior, & inſanabilior. Quapropter legimus: Auaro nihil eſt ſceleſtius. Nam, vt more columbæ alienum deuoret granum, animam ſuam venalem habet; & gratius intuetur aurum, quàm ſolem 49. diſt. ſicut, & 37. diſt. Nonne; more veſpertilionum, qui Ignem circumuolitant, radios autem lucis cæleſtis limpidiſſimos pati nequeunt, neque ad influxus diuinos conuerti volunt, onucentauri, & bubuli homines.

S. Thom.

Proſper.

O facinus inauditum (ait Proſper lib. 2. de vita contéplat. c. 15.) Suaui Chriſti iugo cõtẽpto, ferreũ, cupiditatis imperiũ voluntaria mentiũ inclinatioue ſuſcipimus, & Domini noſtri leui onere, quod ſubiectos non onerat, ſed ſubleuat, poſthabito, plũbeũ põdus noſtris ceruicibus aggerimus.

Iſidorus.

Tales quippe hominos (ſubdit Iſiuor, lib. 3. de ſum. bo. c. 41.) infernum, ideſt, diabolum rapere ad perditionẽ, idẽ Propheta. ſcilicet Iſai. c. 5. annuntiat dicens: propterea dilatauit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum abſque vllo termino, & deſcendent fortes eius, & ſublimes, glorioſique eius ad eum. Nec mirum, quod morientes inferni Ignibus deputentur, qui viuentes flammam cupiditatis ſuæ minimè extinxerunt. Hæc de auaritia propriè dicta, & auaro. Cæterum quia Saluator non ſingulari, ſed plurali numero vtitur, aliam auaritiam meditemur generalem, quæ eſt ſecundum S. Thom. 2. 2. q. 118. inordinata cupiditas, habendi quodcumque bonum creatum; ſiue illud ſpirituale ſit, vt quod appetije Angelus, atque Eua; ſiue corporale, quale in Nabuchodonoſor, & ſimilibus cernimus, qui terrarum, & gentium dominia, atque titulos dignitatum ſtudioſè multiplicant, abſque vllo termino, velut dæmones, qui numina, & Deorum, atque Dearum nomina, paſſim excogitabant ſibi, vnde & ab his ortum habuit ſic largè dicta auaritia: & eorumdem ſtudio in hominibus creſcit, & ſæuius rubiginat ſtatum Eccleſiæ, & eius perſonas occulatas, quàm prior.

S Thom

Auaritia generaliter dicta.

Hæc deterior.

Eſt enim grauiſſima, & cunctis deterior; tametſi vtraque monſtrum efficiat eccleſiaſticum hominem. Qui cum ſit ad oſtendendas diuitias cæteris, quos verbo illuminat, vt videant, currant, & ditentur, ille ſe vltro cæcat, & non micis, ſed oſſibus nudis, quæ cadent de menſis dominorum, hoc eſt, infimis, quæ iuſti ſpernunt, ardenter paſcitur. Oportet tamen nullũ auaritiæ genus ſequi eum, qui ſacra gerit. 33. diſt. His igitur. 1. q. 1. eũ omnis. 8. q. 1. Sunt in Eccleſia, & in Eccleſiaſt. conſtitut. & Cõcilijs paſſim.

33 diſt.
1. q. 1.
8 q. 1.

Nequitia. Nequitia eſt improbitas, malitia omnis, & vitiũ ex cæteris cumulatũ, ceu omne vitium comprehendens. Vt enim frugi à fruge, ideſt, à fructu, per quandam animorum fœcunditatem; ita (inquit Calepinus) *nequitia* à ſterilitate, hoc eſt à nihil nominata eſt; quod nihil boni habeat nequam; ſed totus peruerſus ſit, nec in minimo, quin in ſummo gradu, quodcumque peccatum penes ſe retineat, ita vt cum didicerit malum, nequeat bonum facere, nec vt pardus varietates ſuas mutare valeat, malitiam ſtudiorum ſuorum. Etſi omnis peccator ad *nequitiam*, & *nequitias* faciendas demum perueniat nimia peccandi conſuetudine; hoc proprium eſſe dicitur hypocrytæ, quia omnis hypocrita eſt & nequam. Non enim ſolum nugas agit, in vanum operans, ſed in cælum iaculatur, ac mittit os ſuum, quod eſt piaculorum ſummum,

Nequitia omnis boni abſentia.

Dolus. Eſt fallacia, & deceptio in verbis, vt fraus in factis. Veteres (ait Calepinus) in bonam partem accipiebant, pro ſolertia, & calliditate, vnde dolum malum dixerũt diſcriminis cauſa, quod & bonus quidam dolus diceretur. Terentius in Eunucho. Iam tum erat ſuſpicio dolo malo fieri omnia. At, inquit, S. Thom. 2. 2. q. 55. propriè *dolus* tantum in malo accipitur, abuſiuè in bono; vt cum quis ſimulat, ne dum patiatur leg. 1. ff. de dolo. Abraham enim Saræ, & Iſaac Rebeccæ cum eſſet vir, ſe fratrem ſimulauit, necnon Dauid furioſum apud Philiſtæos, & ad Achimalech veniens, ſe à Rege miſſum finxit. Cæterum de *dolo* hoc, ceu aſtutia, & calliditate nihil ad præſens; priorem, & propriam, quæ mala eſt, & pernicioſa, damnat Chriſtus, Vt quæ ſit nouacula acuta, innocentem lędens; multæ ſunt enim inſidiæ doloſo; quas meditatur in corde, aggreditur in verbis; & in ſtateris doloſis complet. Propterea orat vates, ab homine iniquo, & doloſo erue me. Niſi enim Deus iuuet; quis poterit doloſitatem peruerſi aufugere? Non eſt mortuus Triphon, neque Ioab. Beatus tamen vir, qui non egit dolum in lingua ſua, neque iurauit in dolo proximo ſuo, nec eſt in ſpiritu eius dolus, ſed pax, & veritas.

Calepinus,

S. *Thom.*

Dolus propriè in malum accipit.

Pſal 44.

Pſal. 14.

Impudicitia. Pudicitia, quæ ſigna abhorret venerea, eſt annexa caſtitati ſubiectiuæ parti temperantiæ; vnde *impudicitia* oppoſita erit vitium intemperantiæ; quod ſignis occupatur venereis, vt oſculis, amplexibus, contractatione manuũ, nutibus oculorum, ac alijs geſtibus corporis, vocibus, & ſcriptis, ex quibus animus impudicus eluceſcit alterius. Denique *impudicitia*, ſunt lingua luxuriantium, & eorum, qui dixere: Vbique relinquamus ſigna lætitiæ noſtræ; quoniam hæc eſt pars noſtra, & hæc eſt ſors. Neque enim ſe valet continere equus, quin hinniat, aſinus rudiat, barriat elephantus,

Sap. 2.

& to-

Meretricum corpora mortua.

& optat garrulus ſingulare, anates trerriniunt, & corui crocitant, quouſque ad carnes deſcenderint mortuas. Et quidem mortua ſunt corpora meretricum, lenonum, pellicum, & riualium, qui velis extenſis, & ſignis militiæ Veneris, atque Bacchi expanſis ad ſingulare certamen properant, iamiamque delitijs carnis diſſolui cupiunt, in omni loco, via, atque angulis platearum, lupanaria, & proſtibula, vt verbis vtar Prophetæ, nedum quærunt, ſed faciunt. Vbi enim theſaurus, ibi cor. Equidem adeò nonnunquam inſaniunt ſignis ſuis, vt niſi timor humanus retineret, Maſſagetarum (qui vt ſcribit Herodotus ſpectante populo inſtar canum conueniebant) morem ſequerentur.

Claud. de 4 Honorij conſu.

Procliuior vſus.

In peiora datur, ſuadetq; licentia luxum.

Quem qui ſectabitur, non ditabitur, ſed pauper, & nudus fiet; nec perſeuerabit cum eo ſubſtantia eius, miſer, & miſerabilis reditus; nec mittet in terra ſuauiter viuentium radices ſuas; ſed in ruinoſis cum hæricijs, gryphis, & gigantibus ethnę commorabitur. Aduerte quoque numerum pluralem, quo hic magiſter vtitur; nam non ſolum *impudicitia* reperitur in luxurioſis, ſed in omni penè vitio, quo demum homo fit inuerecundus, abſque freno, & timore peccans; vnde procax in vitio, impudicus dicitur, hoſtis pudoris iuxtà illud Ciceronis ad Herennium: Qui verecundiæ ſemel fines tráſierit ſuæ, verè, & grauiter eũ oportet eſſe impudentem. Et Plautus in pſeud.

Luxus ſubſtantiá prodigit.

Libidinis inuerecundia.

Periere mores, ius, decus, pietas, fides.

Et qui redire neſcit cum perit pudor.

Impudicitiam enim hanc totius intemperantiæ comitẽ eſſe, teſtatur Libel. de virtutibus Ariſtot. lib. 1. magno. moral. cap. 30. At oraculum Ier. 3. frontem meretriciam, & abominationem, dicit: Quod quia (inquit) neſcierunt erubeſcere. Habent enim penes ſe ſtatuam deſolationis, & abominationis ſtantem in loco ſancto; hoc eſt, anima, quam Deo exutam, & bonis, idolo Moloch emancipant, neque alium, quàm Baal colunt. De quibus oraculum: Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis ſeruientes, & omnis, qui amat, & facit mendacium. Delectatur morſu aſpidis ſimile hominum genus, proijci ergo extra caſtra, quid mirum? *Ne terra quidem inuit.*

Ariſtot. Ierem. 3.

Neſciũt erubeſcere meretrices.

Apoc. 2.

Oculus malus. Is ſemper ad malum, vt baſiliſci, qui viſu tranſmittit venenum; neque ceſſat nutibus oculorum, & palpebris omnem tranſeuntem interrogare, vt deludat; blandiri eidem, vt perdat, & vt deuoret nedum ſubſtantiam, ſed vitam, & trucidet rectos corde. Inſaniuit enim ſuper eos concupiſcentia oculorum ſuorum: Quibus in omnibus fornicantur, impiè agunt aduerſus pauperes, quos ſpoliant; laſciuiunt viſa omni carne, excellentiam ſi intueantur, inuident; & neque claudunt oculum, quouſque ſatientur cunctis, quæ inſipiens cor eorum affectat. Sed conteram, ait Deus, cor eorum fornicans, & recedens à me, & oculos eorum fornicantes poſt Idola ſua. Hæc ſunt inhoneſta, & illicita, quæ malus oculus appetit, adhæretque eis, vt leno meretrici; conterit autem Deus oculos, & cor, quando & anima inter horribiles pœnas anguſtiat; & ſpoliat iis, in quibus lætabatur. *Oculus* igitur *malus* eſt ſecundum Gregor. 14. mor. cap. 27. obſtinatus in malo, & peruicax in ſceleribus; vel cum dicito, qui eſt omni beſtia crudelior in proximum, blaſphemus in Deum, & in ſeipſum inhumanior, quàm valeat excogitari; quem eo Saluator ab vno oculo malo, qui ab innata lucis claritate deficit, totum vocitat tenebroſum; vt qui ſemper cogitet mala, appetat deteriora, & depoſito hominis honore, qui in externorum optimo ordine, tùm maximè internorum regimine conſiſtit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Talem ego dicerem hereſiarcham, præſertim dogmatum, quæ mox infeſtant Eccleſiam; nam vt in Magdeburgenſium centurijs videre eſt; Scripturam, quæ lucidior ſole eſt, obnubilant; leges nedum Eccleſiæ, ſed naturæ increpant; mores hominum peruertunt; traditionibus detrahunt, & denegant obſequium verò Sacerdoti. Quid? aduerſus Deum, & Sanctos oblatrant, ſolam obſeruant caligine, & circumlinire ſtibio oculos quærunt, vt paucis dicam, complacere carni, & delitijs adoleſcentiæ indulgere. Itaque à fronte præcipitium hæreſis, & à tergo lupum deferunt, vt plaga inimici percutiantur, & non videant ſolem, qui & iuſtitiæ lucem, oculo malo, & nequam, non tàm apud ſe, quàm apud alios, conati ſunt obſcurare.

Oculus malus obſtinatus in malo.

Gregor.

Magdebur. infamia.

Blaſphemia. Eſt autem *blaſphemia*, Deo, & Sanctis tribuere, quod diſconuenit, & quod conuenit denegare. Quorum primum grauius eſt, inquit S. Thom. ſectio. 2. 1. Cor. 15. Vtrumque tamen mortale, quando deliberato animo aſſeritur, ſecus eſt veniale, quando lapſu linguæ profertur, quæ eſt cum animi intentione, ponitur ſpecies infidelitatis, ex ſuperbia, & ira proficiſcens; ſed vtraque grauior etiam homicidio, & perjurio ſecundum ſanctum Thom. 2. 2. q. 13. art. 3. Eſt enim contra primum, & ſecundum præceptum decalogi, ſiue ſit finalis impœnitentia, ſiue peccatum ex malitia, deſperatio, præſumptio, obſtinatio, impugnatio veritatis agnitæ, ſiue inuidia fraternæ gratiæ. Hæ quidem ſunt ſpecies blaſphemiæ, & quæ dicitantur peccata in Spiritum ſanctum, quod amorem, & bonitatem, quæ Spiritui ſancto appropriatur, videantur expugnare; qua ratione, vt alibi diximus, irremiſſibilia feruntur. Amori enim & bonitati per

S. Thom.

Blaſphemia ſpecies eſt infidelitatis. S. Thom.

Species blaſphemiæ.

Quare dicitur in Spiritum ſanctũ.

Digitized by Google

ti, per quani fit remiſſio, aduerſantur. Siquidem propter nimiam charitatē redemptionē miſit Dominus populo ſuo, & ſuper omnem carnem ſpiritū ſuum diffundit, qui bonus eſt, & in bonitate, & docet, & operatur iuſtificationes ſuas. Ergo vt Deitatis hoſtis, & iniurius proprijs Dei, vnde omnia; qui

Leuit. 24.

blaſphemauerit nomen Domini morte moriatur. Addit enim ſuper peccata ſua blaſphemiam; velut qui nō ſatis ducit aggredi gregem, ac populū, niſi paſtorem, & Regem percuſſerit. In quem, quàm grauiter humanę leges, necnon diuinæ ſæuiant, notum eſt cunctis; quæ autē blaſphemis parantur, iudex, qui offenditur, perſpicit. Poteſt tamen ſapiens ex ſupplicijs, quæ pro minoribus peccatis data legit in Scripturis, colligere aliqualiter mala, quæ infelicem blaſphemum expectant. Tùm maximè futurum immane iudicium contra homines agnoſcere, iuuaſſet videre, aut ſi prolapſus eſſet pœnam experiri, quam C. ſtatuimus, de malè. Publicis

Memorabilis blaſphemiæ pœna.

blaſphemis, publicè iubet imponi. Quæ etſi dura videatur, maiorē ſuſtinuit Olympius Epiſcopus Arrianus, qui ex Sigiberti chron. dum ſanctiſſimā Trinitatem blaſphemaret, punctis tribus ignitis, quæ coniuncta erant, percuſſus, exarſit totus, & abſumptus perijt. Quid quod ethnici in blaſphemos, & religionis contemptores ſæuierūt, ferocius multò quàm noſtri; eſt enim piaculum horrendum naturæ; minus tamen proh dolor cautum in multis, à quibus nunquam recedet plaga, & dente Theonino, quo rodent, rodentur. Porrò aduerte dici *blaſphemias*, non blaſphemiam; nam præter dictam, blaſphemia eſt omnis maledictio in proximū, ſiue occultè, ſiue publicè ei maledicamus,

S. Thom.

ſecundum S. Thom. lect. 1. ſuper tit. 3.

Superbia. Vnum ex capitalibus vitijs, eſt appetitus inordinatus propriè excellentiæ, qui exterius per arrogantiā demonſtratur;

S. Bernard.

Duodecim gradus ſuperbiæ.

cuius 12. gradus ponuntur à S. Bernard. videlicet; curioſitas, mentis leuitas, inepta lætitia, iactantia, ſingularitas, arrogantia, præſumptio, defenſio peccatorum, ſimulata confeſſio, rebellio, libertas, & peccandi con-

Gerſon.

ſuetudo. Omnes tamen ſecundum Gerſonem, lib. de 7. vitijs reducuntur ad quatuor

Gregor.

ſuperbiæ ſpecies, quas Gregor. 23. mor. c. 7. enumerat, quando, ſcilicet quis bonum eſſe exiſtimat à ſe habere; vel ſuis meritis da-

Reducuntur ad quatuor ſpecies.

tum cælitus, vel quando iactant ſibi ineſſe, quod abeſt, vel quarto, cum deſpectis alijs, ſe ſuaque optant videri, & curant. Dicitur grauiſſimum omnium peccatorum ex parte auerſionis, ſicut concupiſcentia ex parte

S. Thom.

conuerſionis, ait S. Thom. 1. 2. q. 84. art. 2.

Radix peccatorū ſuperbia.

Vtraque enim initium ſiue radix cunctorum malorum acclamatur, aptitudine tamen, non actu. Deſtruit humilitatem, vt contrarium, & per abuſum totius virtutis habitum, quo fit, vt in omni peccato reperiatur *ſuperbia*; omnis enim peccator refugit ſubijci regulæ debitæ, etſi non intendat contemptum Dei, quod eſt propriè ſuperbia. Huius igitur affectus non eſt in omni peccato, benè autem effectus. Id quidem proprium eſt *ſuperbia* à perfectione inchoari; cæterorum verò ab imperfectione. Vnde affectu ad ſuum obiectum diſtinguntur *ſuperbia*, & reliqua vitia; ad quæ Deus permittit ſuperbum ruere, & humiliari ignominijs concupiſcentiæ oculorum, qui in ſuperbia vitæ gloriabatur. Superbum enim ſequitur humilitas, & ruina domum, quæ nimium ſubleuatur. Cecidit cecidit Babylon, ſed & Moab, Tyrus, atque Aſſur, & Seir, qui in multitudine virtutis, roboris, & excellentiæ gloriabantur, à faſtu depoſiti ſunt, ſubmerſi aquis, & deſolati; vt quid multitudini ſuperborum, qui velut locuſtæ, omnem penè regionem, & ſtatum adimplent, diligentius apertis oculis perniciē, quæ nos manet talibus, ac tantis propoſitis ſpeculis contemplemur? Si quomodo deſuper auxiliati humilitatem, quæ ſuperbiam relegat aſſequamur; & poſsideamus mitem, & humilem, qui ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam, ac ſedes Ducum ſuperborum deſtruit, & ſedere facit mites pro eis; quia in humilibus gloriatur, & honoratur; eſt enim *digna cedro humilitas, ſuperbia autem anguillas captat.*

Stultitia. Hanc plerique imprudentiam dicunt; cæterum eam diſtingui alijs videtur, cum inter luxuriæ filias annumeretur *ſtultitia*, imprudentia verò aduerſatur virtuti prudentiæ; nihil tamen obſtat, vtrumque de *ſtultitia* enunciari. Eſt autem immerſio animi in terrenis, & corruptibilibus, quæ ad veritatem faciunt, prætermiſsis. Nam auctore S. Thom. 2. 2. q. 46. præceptis de contemplatione veritatis opponitur; ſiquidem ſapientiam, atque doctrinam ſtulti deſpiciunt, & compedes in pedibus doctrina ſtulto, & cum dormiente loquitur, qui narrat ſtulto ſapientiam; in tenebris enim ambulat; propterea non videt eam; neque audit, neque penetrat Nabal, quæ Dauid mandat ad eum. Vtcunque vidi ſtultum firma radice, & rudentem aſinum auſcultari; philomenam autem modulantem contemni. Non auditur pauper, & ſapiens; ſtulti autem principes Thaneos ſublimantur. Sed proh dolor, ſtultorum infinitus eſt numerus; & plures ſunt, qui oculos ſuos ſtatuant declinare ad terram, & more pecudum terrena ſapere; quam arreptis veri, alis inſtar auium ad ea, quæ ſurſum ſunt, volare; pauci Cherubin, qui alas contemplationis extendant; ſcio, & animalia, quæ terrigenant, quandoque alari, ſed iuncta currui. His comparo fideles mundi curæ occupatos, ſed Chriſto hærentes, quibus ſæpè alæ contemplationis dan-

S. Thom.

Eccl. 21.

Eccl. 22.

Iſai. 19.

tur, vt Cherubinis, qui in clero iuxtà ſanctuarium habitant; verum vtrique pauci, ſi ad reliquam multitudinem, quæ replet latitudinem terræ tuæ ò Emanuel, conferre volueris. At melior eſt vnus ſapiens, quàm mille ſtulti. Hi victitant fuco ſuo, & ponunt ſpem brachium ſuum; ille verò lignum vitæ edit, & portat Dominum à dextris ne commoueatur. Inſuper nota *ſtultitiam* aliquando ex defectu naturæ prouenire, quam amentes abſque culpa patiuntur. Quæ ex ira, luxuria, auaritia, & cura iugi mundi huius procedit, & ignorantia voluntaria culpabilis eſt, & vt indignam rationabili homine reprehendunt oracula, & ab ea quemque noſtrum conantur retrahere.

CAPVT XXIII.

Omnia hæc mala ab intus procedunt, & communicant hominem.

Expoſitio, ENumeratis, quæ à corde peſſimo exiliunt, malis, concludit iterum coinquinationem hominis fieri ab his, quæ ab intimis procedunt, & nullo modo ab externis, niſi eis interiora ſocientur. *Omnia* (inquit) *hæc*, quæ recenſuimus, *mala*, & pernicioſa, nedum homini, ſed toti naturæ, non veniunt foris, ſed *ab intus*, ex penetralibus animi ortum habent; incrementum, & complementum, totamque malitiam à corde abdito trahunt. Cumque nemo niſi ab his, quæ mala ſunt coinquinetur, conſequens eſt, & iſta tantum communicare hominem, & immundum reddere participatione vitiorum animi, quam commendatione ciborum corporis, aliouè externo opere.

Omnia hæc. Quæ, inquam, præmiſſa ſunt, poteſt autem p onomen *hæc*, locum indiuidui demonſtratiui agere; aut certè includere emphaſim, vt non ſolum demonſtret relata mala; ſed omnia, quæ vt ex dictis conſtat, ad præmiſſa reducuntur. Quæ autem ſint iſta omnia non eſt facilè dicernere: ſed neque numerare. Nam etſi oppoſita virtutum tranſgreſſiones habeant negatiui præcepti diuini, & Eccleſiaſtici; necnon ommiſſiones affirmatiui, poſſemus facilè tranſcribere, & vnum ex omnibus cathalogum haud ſecus, quàm Moyſes, conficere, proponereque finem benedictionis, & maledictionis; attamen difficillimum foret, in tàm breui compendio diffinire quid ſit malum, quod mortem afferat animæ, & quid in vnoquoque genere actionis lætale crimen debeat æſtimari. Opus eſt enim adeò arduum, vt neque qui hactenus ſcripti ſunt libri, adamuſſim id perficiant.

Mala. Titulo infami notat actiones, quæ ſuo genere coinquinant, & maculant. Quoniam *malum* ſemper eſt malum, vt ſordidum ſemper ſordeſcit, & quod peſtiferum eſt, continuò acclamandum noxium, vt caueant audito nomine, qui ſimpliciter gradiuntur, neque intrent infectum peſte locum, perlecto titulo; *malum* eſt. Eò quidem Saluator pernicioſa opera, & primum, & mox *mala* vocitat, vt cum vel inſtigatione Sathanæ, vel praua inclinatione naturæ ad opus, alioqui malum, impellimur, lecta increpatione *malum* eſt, fugiamus quaſi à facie colubri peccatum. Neque enim à longè ſentiens leonem equus, tametſi calcaribus actus, fræno, & chamo agitatus, & percuſſus virga, poteſt ad curſum cogi, neque beſtia induci ad potum, vel cibum lætalem vix poteſt; ſed inſitum videtur animali noxia declinare præſentita; quid hominem facere oporteret, qui ratione altius diſcurrit, & nouit plagam, quæ ex actione mala ſequitur? Ergo qui vides calathum ficuum, attende ne mali ſint; agnoſces enim ex amaritudine, quam ante ſenſum præſenties, & antequam amareſcat cor tuum, & venter doleat, ſcies diſcurrens, ſi voles; quàm malum, & amarum ſit reliquiſſe Dominum Deum tuum; manus effundere ſanguinem, inſidiari pauperibus, dolis, & rapinis domum implere, & reliqua mala peragere. Vt enim aromatarijs titulis, abhorres capſulas, quæ mortifera continent; ſic facias, precor, in quibus legis malum eſt, *mala* ſunt, & peccata. Quiduis patiar fili, etiam tuam mortem dicebat Blancha Regina Galliæ Quinto Ludouico, quam malum te committere.

Ab intus procedunt. Ergo ſi *ab intus*, nihil ab extra habent mala; nam opus externum nihil ad bonitatem, vel malitiam interni operis facit, ſicut nec veſtimentum ad hominem, aut certè ad picturæ imaginem circumſtans ſylua, & deſcripta planities. Scio tàm Philoſophos, quàm Theologos, multa circa hæc philoſophare, nec incommodè, cum digna ſint ſpeculatione, & ſcitu digniſſima; præſertim Chriſtianis, qui in ſpiritu ambulare docemur, mundam cuſtodire animam, lauare à malitia cor, & mundum ſe quemque ab hoc ſæculo cuſtodire; vt neque concupiſcentes ſimus malorum; ſcientes non manum ſolum, vt falsò perfidi Iudæi credunt; ſed animum prohiberi, qui opus bonum facit, vel malum, non manus, quæ tantum miniſtrat; non lingua, quæ nauclero regitur; non oculus, qui conducitur, vt candela; neque pes, quem hæres ad curſum ſtimulat.

Et com-

An errores error.

Qua ratione omnes vnũ ſunt.

Et communicant hominem. Et cur nõ homines? fortè ne vnus eſt, qui communicatur, aut vnũ cor ineſt cũctis, & omnes (vt quidã inſipienter philoſopharunt) vnica anima informantur rationali; aut certè, vt alij minus doctè affirmarunt, anima mundi vnica, cunctos animari? Abſit à nobis talia fari. Habet quiuis ſuũ vitæ ſpiraculũ, quod Deus creat ſimul, atq; infundit corpori organizato; cæterũ quoniã omnes homines ſunt vnus homo, vt inquit Philoſophus, genere, & ſpecie; vel vt altius theologizant noſtri; fine vno, quem omnes appetunt; agente, à quo procedunt, & pendent, & participatione donorũ eorundem, quæ bonis, & malis, iuſtis, & impijs pater vnicus pollicetur, offert, & largitur. Propter quę tametſi diſcreti carnali cognatione ſeparati patria, & linguas, ac ſexus varios induamus, vnum ſumus. Adeò vt etſi per gratiam Dei quis ſit à peccato liber, ſciens turcam inquinatũ; audiens ad hoſtes defeciſſe hæreticum, rebellaſſe ſchiſmaticũ, & peccaſſe contra Deũ, qui chriſtianus eſt, ac ſi peccaſſet ille dolet, ſumit inconſolabilem planctum, & vt gallus ouante gallina mœſtitiam, non tàm voce, quàm animo geſtat, iuxtà illud: Quis infirmatur, & ego non

2. Cor. 11.

infirmor? Fili mi Abſalon, Abſalon fili mi, quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te,

2. Reg. 19.

Abſalon fili mi, fili mi Abſalon? Adde ideò dici hominem coinquinari, non homines; quod per vnum peccatum, quod in omnes pertranſit, à quo omnis malitia interior ortum habet, inficimur: Namque peccatũ originis, quod eſt in omnibus, & ab vno hæreditatum, tametſi purgatũ gratia fomitem relinquit, & concupiſcentiam, quaſi ſordes derelictæ in olla, carnibus, ac iure euacuatis, vnde fœtor, & malitia cordis in ſingulis hominibus procreatur; conſentientibus tamen, nã cõtradicentibus concupiſcentiæ, & paſſioni, quæ inſurgit aduerſus ſpiritum, tantum abeſt, quod noceant, vt potius iuuent, atque perficiant. Non enim concupiſcentia (vt hæreticus ſomniat) eſt peccatum; ſed fex ex peccato relicta, quæ ad peccatũ mouet, ſed ſuperatur ab eo, qui reſiſtit fortiter cæleſti benedictione præuentus. Itaque concupiſcentia, & paſſio ab vno peccato originis in omnibus relicta, omnes peccare inducit, & inficere omnia; ac propterea hominem, non homines dixit magiſter coinquinari.

CAPVT XXIV.

Et inde ſurgens abijt in finibus Tyri, & Sidonis, & ingreſſus domum, neminem voluit ſcire, & non potuit latere.

Expoſitio.

Cernens itaque animos eorum, qui externis munditijs ſtudebant, infici cunctis vitijs, quæ retulerat, inſuper affectata malitia excæcari non tàm peſtiferam gentem, quàm regionem deſerit; & ad gentes ſe transfert conſolandas; *& inde* (ait Euangeliſta) *ſurgens*, poſtquam officium diligenter apud Iudæos adminiſtraſſet, & conatus fuiſſet reducere eos ad integram fidei veritatem, neque cum ſtultis quicquam profeciſſet; *abijt* in aliam prouinciam, conſeditque *in finibus* ciuitatum gentilium, quæ *Tyrus*, & *Sidon* dictitantur. Cæterum ne videretur contra ſeipſum agere, qui prohibuerat verbum ſalutis offerri gentibus; *ingreſſus* ſecreto *domum* pij hominis, quem ſibi hoſpitem delegerat; *neminem* regionis, ac ciuitatis, *voluit ſcire* eum adeſſe, hoc eſt, vt licet ex externis colligere, oſtendit voluiſſe latere, *& non potuit latere* ob ſigna declarata; maiora enim fieri oportebat, ea inquam, quæ voluntatem beneplacitam, & efficacem declarant, & complent. Iuxtà quam cantatur: Quæcumque voluit Domi- *Pſal. 113.*
nus fecit in cælo, & in terra, & benè omnia *Marc. 7.*
fecit, ſurdos fecit audire, & mutos loqui.

Et inde ſurgens. A loco, inquam, propter indigenas, vt Abraham à Chaldæis; Iſaac ab Ægyptijs, Iacob à Meſopotamia, & Tobias à Niniue. Percutitur enim locus nonnunquam ob malitiam habitantium, inter quos ſi adſunt iuſti comprimuntur, vt in diluuio communi, & ſodomitico incendio accidiſſe probabile eſt quandoquidem generis Loth exitus concedebatur, & inter anguſtias inundationum aquarum, quoſdam pœnituiſſe, prædicatio Ionæ, & aliorum nos perſuadet. Nam ſi comminatio prophetica reducere potuit gentem ad pœnitentiam, quid bellum? quid fames? quid cernere ad oculum cunctorum perniciem? verum etſi iuſtificentur multi in die belli, & in tempore famis conuertantur; & ſanctificentur dum tribulantur in aquis vehementibus, quouſq; conſummentur, non ceſſat flagellum indictum loco: Inde ergo ſurrexit Loth prius, & inde alij, quos Angelus Domini præmonet, vt Chriſtiani ab Hieroſolymis, antequam obſideretur ciuitas; inde quoque & nos ſurgamus cum Chriſto, quando propter malitiam inhabitantium dubitamus terram fore percutiendam. Etiam ne operibus eorum videamur conſentire, vel potius ne morbi infeſtio nos pariter tangat.

Abijt in finibus Tyri, & Sidonis. Vidit incredulos Iudæos (inquit Theophylactus) *Theophyl.*
tranſit in gentilium fines. Nam cum increduli eſſent Iudæi, ſalus futura erat gentium.
Iuxtà illud: Et applicabunt, vt gentes multæ *Zachar. 2.*
ad Dominũ in die illa, & erunt mihi in populum. In die illa radix Ieſſe, qui ſtat in ſi- *Iſai. 11.*
gnum populorum, ipſum gentes deprecabuntur. Quando, inquam, dixit Hebræis. Vos

non populuũ,& eam,quæ erat abſque miſericordia,congregauit. Hoc autẽ cæpit modo, cum ſurgens à Iudæa abijt ad gentes. Quod autem *in finibus* dicatur manere,nõ autẽ in ipſis ciuitatibus ſubolfacit myſteriũ. *Deut. 32.* *Fines* enim ſunt termini: Terminos autem populorum ſtatuit Dominus iuxtà numerum filiorum Iſrael, hoc eſt, ſalutem electorum intra duodenarium numerũ, qui eſt perfectiſſimus,voluit cõprehendi, velut intra duodecim ſedes iudicantium Apoſtolorum omnes Apoſtolicos. Ergo ne cauſentur Iudæi Chriſtum, quod aliundè,quàm ab eis electos quærat, *in finibus*, hoc eſt, terminis gentilium abijt, vt recordarentur oraculi, *Ibidem.* quando diuidebat altiſſimus gẽtes, quando ſeparabat filios Adam;quo tempore etſi peculiari priuilegio Iſrael populum ſuũ conſignauerit,non ſpreuit gentes, ſed intra numerum eorum, ac terminos decreuit comprehendi,ſaluari,ac demum vocitari Iſrael. Ergo Hebræi,qui adhuc errorem paternum imbibitis, audientes Dominum *in finibus* conſediſſe, hoc eſt, terminis, mementote oraculi, & nolite neque vobis ſolis ſperare ſalutem, neque ſoli nomine Iſrael gloriari. Præſertim modo, quando ſpoliatis vobis;& Iſraelis nomen, & ſalus ad gentes tranſijt. Quoniam in finibus noſtris,ac terminis cõſedit Saluator,& Deus,quem nos ſoli videmus per fidem, & in charitate perpetua adoramus. Vos antem mox adoratis, quod neſcitis, & ſperaris in nihilo. Porrò prædicaturus gentibus,*in finibus* ſedit, vt prædicatores inſtrueret, quando ad ciuitatem, & locum accederent, diligenter meditarentur fines gentium,leges,conſuetudines,cultum, & mores,vt ſi oporteret,ab his prædicationem ordirentur, quemadmodum Acta referunt Paulum Athenis feciſſe. *Act. 17.* Nam fines, hoc eſt,leges, & mores peſſimi oſtium aperiunt Euangeliſtæ prædicandi Euangelium his,qui nõ credunt;vt paſſim contingit prædicatoribus noſtris, qui in India Dei verbũ ſeminant. Et quidem noſtris Iam credentibus, quid prodeſt alta de fidei myſterijs prædicare, & fines dictos ſilere, neque magnifacere? ò prædicatores ſequimini ducẽ, qui in finibus ſedet, & à finibus orditur,pœnitentiam agite,& nolite apud voſmetipſos prudentes eſſe, docentes, quæ non expediunt,neque plagam curant, ſed ſubſanant. De Tyro, & Sidone commentarios in Matthæum conſulito.

Et ingreſſus domum. Quæ eum cum diſcipulis recepit hoſpitio. Etſi diuinus, quin Deus, humana non recuſat ſubſidia, & humanitati,quam portat,morem gerit. Et docet inde ſuos corporibus fractis ieiunio cõſulere, cum defatigantur longo itinere intrare domum,neque velle continuò ſub dio manere; *Conſulendũ naturæ.* corpore potiſſimum debili, & infirmo. Scio pleroſque in vitis Sanctorum nimia hac auſteritate celebrari, & alios quoque ob prouidentiam ſalubrem commẽdari perſpexi. Priorum geſta rara ſunt; poſteriorũ verò prouidentia pluribus vtilior, & ordini magis conſona, & fractæ naturę. Verum ſpiritus vbi vult ſpirat, & confortat hominem quando vult, vt nedum ſub dio, ſed intra ſtagna, & fœtidas aquas multo degat tempore, quemadmodũ de S. Gregorio Armeno ſcribitur. Interim qui debiles ſumus, intremus domum cum Chriſto, quando offert, & quæ nobis ibidem ad vitæ neceſſitatem offeruntur, cum omni gratiarum actione ſumamus. Hoc enim acceptum eſt apud Deum, & gratum.

Neminem voluit ſcire. Vt inde theologizandi argumentũ petamus, libet inter hæc, & ſequentia verba diſtinguere; quod hic loquatur Chriſtus de ſcire propriè; in ſequentibus verbis de latere ſecundum corpus. Etenim ſcire Chriſtum quid ſit ſecundum diuinitatem, nemo ſcit niſi Deus ipſe. Patrem, inquit, nemo nouit niſi filius, & filiũ quis nouit niſi pater. *Matt. 11.* Exigit quidem infinitum obiectum infinitam potentiam; intellectus autem infinitus ſolius eſt Dei, qui eſt infinitus. Ergo generationẽ eius quis enarrabit? *Iſai. 53.* Et ſi ad humanitatem deſcendimus contemplandam, etiam opportunè dictum, neminem voluit latere, affirmabimus. Nam ſpeculatione ſublimis, ad quẽ Domini verbũ erat factum, dixit: Non ſum dignus ſoluere corrigiam calceamenti eius. *Matt. 3.* Hoc eſt, vnionẽ Dei & hominis, quæ in Chriſto eſt, neque dignus, neque capax ſum penetrare. Eſt enim myſterium Regis abſconditum ſeculis, adeo vt neque humanitatis, quæ eſt alterum vnitorum, perfectiones valeat aliquis noſtrum recenſere, nec plenè intelligere, ſed aliquibus à longè perſpectis decantare: Quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra, & reliqua, quæ in laudem Chriſti toto Pſalmo enarrantur. *Pſal. 14.* Itaque neminem voluit ſcire, diſtinctè, ſcilicet, & clarè, ac euidenter, quis ipſe eſſet, nec quod in eo eſt dilucidè cognoſci. In hunc modum exponendo litteram per *neminem*, neceſſe eſt intelligi, tàm Angelum, quàm hominem, nulli enim patet diuinitas. Humanitatis Chriſti perfectionem penetrare, ſolus mortalis homo dum viuit, incapax cenſetur. Sed de hiſ ſatis.

Et non potuit latere. Quia lucerna poſita ſuper candelabrum, & ſuper montem caliginoſum ciuitas ſolis, quæ non eget lumine, ſed ipſa eſt lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum. *Ioan. 1.* Quapropter etſi domi incluſus eſſet Chriſtus, illuminans Galilæos, qui ad ſe veniebãt, non potuit latere, neque abſcondi claritas ſuæ doctrinæ, & miraculorum ſplendor tegi vllatenus non potuit. Itaque huius litteræ difficilis hunc ſenſum accipito. *Neminem*

voluit

voluit ſcire, ſe eſſe Chriſtum perſpicuè, & diſtinctè, ne fidei meritum tolleretur; voluit enim omnes credere; non ſcire; & ita factũ eſt ob miracula, & doctrinæ excellentiam, i. vt non potuerit quemquam latere, quin ex viſis miraculis, & auditis ſermonibus crederet Chriſtum eſſe. Quare verbo, *potuit*, relato ad *neminem*, vt cum eodem accuſatiuo duo verba, *ſcire* & *potuit*, conſtruantur; hac interpretatione Catholica in primis, litteræ accommoda, & veritati, facilè ad Iulianum apoſtatam, ad Porphirium, & alios, qui potentiam Chriſti ex hoc loco eneruabant, poſſet, inquam facilè reſponderi. Nec non communi interpretatione, quàm in litterali expoſitione tetigimus, ſic ſatis peruerſorum calumnijs, quod, ſcilicet, *non potuit latere*, vt ait Dionyſ. ſecundum naturalem curſum, & ordinem, propter celebrem, famam ipſius. Nam & honor ſequitur fugiẽtem, & non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem. Loquendo autẽ de abſoluta Chriſti potentia, certum eſt, quod *latere potuit*; immo ſe inuiſibilem reddere, etiam ſtando inter alios. Diſcrimen inter hanc, & priorem expoſitionem conſiſtit in verbo *potuit*: Hæc enim refert illud ad Chriſtum; illa ad homines, quod, ſcilicet, nullum hominem *potuit latere* ex factis, quin crederent ſi vellent. Atque hanc ego, ſaluo aliorum iudicio, magis probo.

Dionyſ.

CAPVT XXV.

Mulier enim ſtatim, vt audiuit de eo, cuius filia habebat ſpiritum immundum, intrauit, & procidit ad pedes eius.

Expoſitio.

NOn ſolum, non potuit Chriſtus latere Galilæos, qui iam per Prophetas multa de Chriſto acceperant; ſed neq; alienos, & à ritu fidelium extraneos, quin ad eũ accederent; & in eũ crederent inter alios tamẽ *mulier* pia, & deuota, ſed afflicta nimis ſe Chriſto obtulit, & vt ſitiens ad fontẽ accurrit; ad eum, quàmprimũ famam, quæ de eo ferebatur, audiuit. Habebat enim filiam ſibi omni alio theſauro terreno chariorem, ſed immundo ſpiritu obſeſſam. Quæ res cõpulit eam celerius multo, & deuotius, quàm alios aduentare. Igitur feruẽs animo, vt ad domũ, in qua deſideratus cũctis gentibus latebat, peruenit; non requiſiuit ſcientiam, neq; expectauit aduocari, aut certè, vt alij gentiliũ interpoſuit Apoſtolos, vt ſibi aditus ad Chriſtum pateret; ſed quaſi notiſſima ob fidẽ, & deuotionẽ, quam in pectore geſtebat intrat domũ, adit Chriſtum, & procidit ſpiritu ſimul, & corpore, ad pedes eius, quum credebat omni dignum honore, & adoratione; quandoq; poſſet omnia, & vellet miſeris compati.

Mulier enim ſtatim. Ac propterea, quia *mulier*, quæ miſerijs corporis ſuperabũdat, & ſubiecta eſt maioribus, quàm vir periculis, ac vitæ huius ærumnis, *ſtatim*, vt intellexit liberatorẽ aduentaſſe, præcurrit. Id quod tàm frequens eſt in noſtris cernere; vt nihil cõmunius, quàm mulieres ad Eccleſias properare, denouere ſanctis, orationibus inſiſtere, pios adire homines, & ad ſpectaculum ſanctum cunctos virorum cœtus præuenire. Tũ maximè Romæ vbi hæc ſcribuntur. Fundamẽta enim æterna in corde mulieris ſanctæ, quibus velocior eſt dalphinis, ad muſicam ſpiritus, & ea, quæ animũ ædificant, & præbent leuamen contra miſerias, quæ ſexũ obuoluunt; ceu potius animam ſitientem alunt, & ſatiant. Siquidẽ mulier, quæ ſortita eſt animã bonã, æſtuans clamat: Nuntiate dilecto, quia amore langueo, tantoque efferuent eius præcordia, vt currat, quouſq; inuenerit, quem diligit. Nec eam retinet ſolicitudo Marthæ, & increpatio, quin ad pedes Domini ſedeat, & audiat loquentem, cum orat, & dum ſanctis exercitijs intendit, ſibi arridentem proſpiciat. Denique vt piæ mulieris deſcribã ſtudium, vix humana curat, vt paſcatur cæleſtibus, à quibus non recedit, tametſi debilis, & percuſſa. Cæterum exempla veterum, & noſtrarum abundè ſatis, quę de ſancta muliere protulimus perſuadent, uoſq. viros perſæpè redarguunt, qui à ſexu fragili, in his, quæ ad Deum ſunt, præuenimur contra naturam capitis, quod in corpore myſtico gerimus.

Mulierum deuotio.

Cant. 2.

Vt audiuit de eo: In græco exprimitur oratio per participium, *audiens enim mulier de eo ἀκούσασα γὰρ γυνὴ περὶ αὐτοῦ*. Et quidem quoad myſterium pulchrè eſt; ſiquidem ad Chriſtum non ſemper venit, qui audiuit, alioqui Iudaiſmus omnis, & Orbis totus crederet. Nã quis eſt, qui non audiuerit eũ per prædicantẽ, aut certo de eo aliquid audiat? is ſolus currit ad Chriſtũ, qui nõ tantũ audiuit, ſed eſt audiens iugiter, qui auditum mẽtis ad ea, quæ accepit ſancta, ſemper habet; vt ſolent loquaces aues, quæ audita ab alijs, ſolæ nocte obſcura, & interdiu inter ſe verſãtur. Sic qui eſt Dei, audit verbũ, illudq. mente pertractat, quaſi ſemper audiens, & intra ſe dicens: En dilectus meus loquitur mihi, ſurge, propera amica mea. Atque ideo ſurgit, properat, conuertitur, & currit ad Chriſtum, quod ſit audiens intra ſe vocem clamantis; & ſibilus auræ tenuis penetret cor eius. Ergo: Audite audientes me, dicit loquens ſermones Dei, hoc eſt, audite corporis auribus, cũ exterius verbũ vobis proponitur; eſtote quoq; audiẽtes animo, vt retinentes continuò audita, quod iuſtũ eſt, ſequamini, & apprehenditis diſciplinam, nec non eum, quem quæritis, teneatis.

Cuius filia habebat ſpiritum immundũ. Græcus codex habet filiola *θυγάτριον*, vt eam puerulam nondum fortè nubilem fuiſſe, & vt ætatem, quæ ſpiritibus immundis

obſeruit;& immundicijs, colligamus infantiam eſſe. Iuxta illud:
Prou.1.
V.ſquequo paruuli diligitis infantiam, & ſtulti ea, quæ ſibi ſunt noxia cupient? Etenim adoleſcentia, & voluptas vana ſunt,& qui eius vitia ſectat,delitijs diſſoluetur, & nedum corporis,ſed & animi pulchritudinem perdet. Scriptum eſt
Iſai.65.
enim: Maledictus puer centum annorum.

Intrauit, & procidit ad pedes eius: His duobus oſtenditur orantis, & deprecantis forma;intrare enim eſt miſſis omnibus ſe Deo præſentem exhibere,à longè enim poſitum non audit,neque auſcultat Deus,procidere eſt adorare, & cognoſcere excellentiam eius, quem vel optamus placare, vel inducere,vt nobis concedat,quæ leuamen ferunt,aut honorem,& honeſtum.

CAPVT XXVI.

Erat enim mulier gentilis Syrophenissa genere: Et rogabat eum, vt dæmonium eijceret de filia eius.

Expoſitio.

EXplicatur genus mulieris,quondam ob infidelitatem exoſum,vt fides mulieris extollatur, necnon donantis largitas, & æquitas,vt qui non generis notam,ſed perſonæ virtutem aſpiciat. *Erat*,inquit Euangeliſta,quæ acceſſit,*mulier*,nõ Hebræa,quæ nomine ipſo honore videtur digna, ſed *gentilis*, quã lex execratur;*Syrophenissa* quidẽ erat *genere*,quod Idolis ſeruit,& adorat ſculptile,nõ Iudæa,quę vnicũ Deũ colit,& religionẽ,quæ ſãcta eſt,& immaculata ſectatur. Nihilominus tametſi mulier ex talibus initijs procederet, longe ſuperior, & ſuis, ac noſtrorum pleriſque extitit. Siquidem facto vale penatibus,& contempta vana Idolorum doctrina, ad Chriſtum venit, vt ad aſylum, & refugium cunctorum,poſtrata humi,*rogabat eum* inſtanter,vt dignaretur, qui dominator eſſet cæli,& terræ,dominari infeſtiſſimo dæmoni, ac ſordido, qui filiam inuaſerat, penituſque ſuo imperio eijcere malignum de filia eius, vt pertimeſceret ad eam vltra accedere; ſed neque auderet contingere; plenam enim libertatem filiæ deprecabatur.

Erat enim mulier gentilis. Non accipitur hic gentilis pro pulchra, & ſpecie digna,ac famoſa. Neque enim formoſitatem curabat materfamilias grandæua, neque ad hiſtoriæ narrationem,ceu myſterij facit accedentem,vel pulchram,vel deformem cor-
Pſal.44.
pore eſſe. Omnis enim gloria filiæ Regis abintus, exterior forma vana eſt, & fallax. Igitur *Gentilem* vocat, ac nos paganam, quæ gentium ritum ſequeretur,ceu quæ inter idolatras adoleuiſſet, & à parentum gentilium obſeruantia non diſceſſiſſet. Sic *gentilem* exprimere, cuius fidei hiſtoria egregia enarranda ſuſcipit, multum tribuit facto, & magnificat, quæ de ea conſequenter proponuntur. Quod,ſcilicet *gentilis* cæremonijs;tantam veritatem verbis,& factis fidem, quam gentilitas ignorabat, palam profiteretur. Vt enim ſeptingentos ſibi reliquit Deus, ne inter hæreticos hæreticarent, curuantes genua ante Baal; ita inter gentiles, & paganos, ſibi olim ſeruabat Deus, qui eum agnoſcerent, & in eum crederent.

Syrophenissa genere. Ex genere inquam Phœnicum(notat Arias Montanus)in Syria Arias Montanus.
habitantium. Nam alij ex phœnicibus habitauere in Africa,Libyophœnices dicti. Eſt Syria (inquit Lyra) nomen generale Pro- Lyra.
uinciæ: Phœnix autem nomen cuiuſdam ſpecialis contratæ in illa Prouincia. Et inde componitur *Syrophenissa*, ideſt, de tali contratæ oriunda. Diximus ſuper Matth. plura his conſona. Genus hoc habebatur prophanum;vtcumque proponitur, ne quis putet genere peſsimo perſonam infici, ſed quemquam à ſeipſo lædi,ac deturpari;quinimo nonnunquam accidere, vt roſam inter ſpinas, & lilium conuallium inter perhorrendas aquas, & clamoſas ranas, eleuari pulcherrimum,& ſuauiter olere.

Et rogabat eum. Rogare eſt inſtanter petere,nec ceſſare à prece quantumuis videatur,vel non exaudiri,vel pelli; hanc orationis inſtantiam Chriſtus ſuadet, dicens: Pe- Matt.7.
tite, & accipietis,pulſate, & aperietur vobis. Nam qui omni patre pientiſsimus eſt, & omni iudice clementior, vt pater filium ocyius clamantem audit; & iudex viduam importunam conſolatur; nec ſe denegat amicus amico in noctis medio exoranti; non expellet conſtanter orantem, neque Inſtanter orãdum.
confidenter poſtulantem dimittet vacuum. Tu ergo qui oras percute nedum bis ſilicem, ſed millies, & infinities,ſi potes, & fluent largiſsimæ aquæ.

Vt dæmonium eijceret de filia eius. Multa quidem patiebatur puella, illa autem non connumerat mater, ſed cauſam malorum poſtulat tantum præſcindi. Ea autem erat dæmon, & quidem is ipſe eſt, qui in cælo ſuperbiam omnem excogitauit;in Paradiſo terreſtri gulam introduxit, & qui orbem tãtis repleuit malis,quis eſt niſi dæmõ? Ergo precandũ cõtinuò nobis eſt procul fieri.

CAPVT XXVII.

Qui dixit illi, ſine prius ſaturari filios: Non eſt enim bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus.

Expoſitio.

ROgationem deuotæ, & ſedulæ mulieris vidimus, quid ad eam loquatur Salua-

Saluator contemplemur. Audiuit quidem interpellantem attentius, quàm illa rogarat, ac vehementiori ſtudio optabat deprecantem conſolari, quàm illa parata eſſet beneficium recipere; ac propterea vt paratiorem redderet, non illico precibus eius acquieuit, quinimo viſus eſt obuiare. Nam poſtquam eam audiſſet humiliter orantem; dixit illi, ac ſi parum duceret eam: *Sine* (inquit) ac teipſam tempera, neque velis alienum vſurpare, ceu præuenire eos, quibus beneficia, & dona videntur parata. Etenim prius reliquis omnibus, ſaturari filios domus patris familias æquitas poſtulat, quàm aduenas, & peregrinos, qui caſu aduentant. *Non eſt bonum*, immo vero apud omnes videretur ſcandalum & mea æquitate indignum, *ſumere panem*, quem tuli filijs, & multo acquiſitū ſudore gnatis, qui mecum ſunt; illumque *mittere* & dare *canibus*, quibus eiuſmodi cibum dare inhoneſtum eſt, & prophanum. Etenim his, inter quos tu ob genus vnde oriris indecorum, oſſa debentur, & lapides; panes autem, ac dona, quæ à cælis ſunt, filijs qui vnius patris, ac Dei fidem integram ſeruant, debentur.

Qui dixit illi. Non vt repelleret, neque vt ambigeret donandum, ne eſſet petitum, cum bonus ſit, cui nihil charius, quàm communicare theſauros ſuos; noſcetque probè mulierem fortem procul eſſe à finibus, ac vitijs gentium, ex quibus ſecundum carnem proceſſerat; ſed *dixit*, vt nemo ſtatu maiorem deſiderij flammam accenderet, amorem, & fidem; cunctiſque admirabilem redderet. Sic dixit Deus Moyſi, ſic Prophetis, alijs, atque viris, vt reliqui ſcirent, probos, fideles, & dignos Deo fuiſſe. Et ſic paſſim nobis petentibus dicit; prolongans poſtulatum, vt per patientiam, & ſuſtinentiam apud eum maiorem gratiam recipiamus, & inſpectoribus conſtet, id probatæ virtutis eſſe; vt non opus ſit fari,
Pſal. 25. Proba me Deus, & ſcito cor meum, interroga me, & cognoſce ſemitas meas; ſed
Pſal. 138. cantare: Domine probaſti me, & cognouiſti me, tu cognouiſti ſeſſionem meam, & reſurrectionem meam. Hoc eſt, quia probaſti, alijs me oſtendiſti dignum qui ſuſcitatus, tecum in gloria ſederem. Siquidem artifex gemmam probatam, non dubitat coronæ intexere.

Sine prius ſaturari filios. Hos dicit Iudæos, qui per gratiam, & fidem in adoptionem filiorum Dei recepti erant, vt acciperent hæreditatem immarceſcibilem, & incontaminatam in cælis, à patre luminum, apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio; ſed ſempiternum & perpetuum bonum, quod in cor hominis
Gloria cæleſtis. non aſcendit, nec audiuit auris, quale diſpoſuerit diligentibus filijs communicare.

Cæterum ex verbo *ſaturari*, ſubindicat immenſam fore cælicolis participationem, etenim ſaturari eū dicimus, cui nihil deeſt; immo verò ſuperabundat. At filij mei
(inquit Deus) ſaturabuntur, non eſurient, *Apoc. 7.*
neque ſitient amplius, neque cadet ſuper illos ſol, neque vllus æſtus. Et quidem habentes Deum, in carne ſaturantur. Vna igitur placida, & fida tranquillitas (ſcribit
Cyprianus ad Donatum epiſt. 1.) vna ſoli- *Cypr.*
da, & firma, & perpetua ſecuritas, ſi quis ab his inquietantis ſæculi turbinibus extractus, ſalutaris portus ſtatione fundatus ad cælum oculos tollat à terris, & ad Domini munus admiſſus, ac Deo ſuo mente iam proximus; quicquid apud exteros in rebus humanis ſublime, ac magnum videtur, intra iacere conſcientiam glorietur. Nihil appetere, nihil deſiderare de ſæculo poteſt, qui ſæculo maior eſt. Quod ait, *prius*, ſubindicat, ad ſalutem quoque gen-
tium venire; ſed *prius* ad Iudæos. Quoniam *Chriſtus propter Iudæos primò venit.*
prius ſe illis in carne oſtendit, verbum ſalutis propoſuit primos ex Iudæis elegit, & electos prius ad Iudæos, quàm ad gentes deſtinauerit. Quod ergo prioritatis ſigna Iudæi acceperint, ait oportere eos *prius ſaturari*. Et ſaturati ſunt prius in Apoſtolis, qui ex ipſis erant; necnon in Chriſto ante omnes beatificati ſunt. Is enim ante omnes in cunctis bonis præordinatus eſt, & conſtitutus Princeps Regum terræ, & primogenitus omnis creaturæ; Ergo ſi Iudæi, qui & filij in Chriſto, & Apoſtolis ſaturati erant, quorſum ait, *ſine prius*? quoniam omnes Iudæos, voluntate ſigni volebat cæleſtibus irrorari, & perfici.

Non eſt bonum ſumere panem filiorum. Nam patres, qui theſaurizare debent filijs, quæ ab auis, atauis, proauis ſunt conſignata, & legata teſtamento, iniuſtè agunt illa abſumentes, aut certè diſtribuentes alijs. Ergo qui pater ſum Iudæorum,
quo iure poſſum egentibus filijs, quæ pro- *Ordo charitatis.*
ceres, & ſanctorum antiquitas, precibus, pœnitentia, & multifariam poſteritati Hebreæ promeruerunt, & obtinuerunt per me illis adminiſtrari, & elargiri, nunc tollere? charitas ordinata à ſeipſo incipit, & in omni diſtributionum genere, à ciuibus, qui magis ad rempublicam ſpectant, vel ſunt principi proximiores, orditur. At Iudæi ſunt viciniores Deo, ac mihi per cognitionem
fidei, & cultum: Quia notus in Iudæa Deus, *Pſal. 75.*
& in Iſrael magnum nomen eius. Et rempublicam Eccleſiæ, inter cuius ciues donorum cæleſtium fit partitio, qui formant, & tenent niſi Iudæi? Ergo *non eſt bonum*, proprijs ciuibus relictis, exteros ditare; neque iuſtum probabitur vnquam ſumere panem diuinorum, ab his, qui Deo proximiores ſecundum cultum, & legem videntur, & dare alijs, quorum mores, ne dum

Deo,

Deo, ſed neque naturæ placent. Itaque filijs filiationem retinentibus, & facientibus opera filiorum, non ducit bonum Deus, *ſumere panem*: Neque tu pater terrenus exhæreditare debes filium, quamdiù nihil filio indecens operatur, neque manus in te

Peccata ob quæ exhæredari poteſt filius.

inijcit, graui iniuria afficit, criminaliter accuſauit; neque cum maleficis conuerſatur, aut maleficium exercet; neque vitæ tuæ inſidiatur, vxorique tuæ non immiſcet; neque aliquid eorum, quæ in Auten. vt cum de Apo. co. §. cauſas referunt, commiſerit.

Auten. vt cũ de Apo cor. §. cau.

In quibus cum reus cõuictus fuerit demum Iudæus, libellum repudij accepit, & exhæredatus eſt. Quamdiù in bono ſtetit, fideliſque permanſit vniuerſa bona ſibi integra remanſerunt; eorumque cuſtodem Deum ſemper habuit, qui vniuerſis in gentilitate exiſtentibus diceret: *Non eſt bonum ſumere panem filiorum*.

Et mittere canibus. Vt enim canis ad omnes epulas, quæ hominibus præparantur ſunt auidi, & eis comedentibus aſtant, ſæpiuſque latrant, & iugiter agitant caudã præ deſiderio cibi humani, & delectabilis eſcæ; ita gentes tametſi profanis deditæ ritibus, & cultores Diaboli eſſent potius, quàm Dei, non ceſſabant aſſiduis precibus gratias, & dona miraculoſa petere à Deo; propter quod & ſacrificabant, & immolabant etiam filios, offerebant dona, & tem-

Per canes intelligũtur gentes.

pla erigebant Dijs, atque flammines bonis ſuis prouidebant, vt ijs quaſi latrantibus, & cauda agitationis perſuaderent numina; at cum canes eſſent, hoc eſt, irrationalium more degerent; neque veram tenerent agnitionem; nec vera agerent, repellebantur vt canes. Tantumque illis temporalium quæ ſunt, velut oſſa, fiebat copia, ſpiritualia autem, in quibus hæreditas filiorum Dei repoſita eſt, hebrææ genti, & fideli conſer-

Ioann. 1.

uabantur. Et mox conſeruantur filio, qui credit in nomine eius, qui non ex ſanguinibus animal oritur; neque ex voluntate viri, Tyrannus; neque ex voluntate carnis, auarus & excors, ſed ex Deo, qui ſpiritus eſt, totus proſilit ſpiritus. Nam Deus tales quærit, & conſeruat in cælis hæreditatem immarceſcibilem, his, qui non faciunt

Exod. 20.

ſibi Deos alienos, adhærentes animo creaturis pluſquam Creatori; qui non faciunt ſibi ſculptile, aut ſimilitudinem, gloriantes, pluſquam oportet, in acceptis. Neque Dei nomen in vanum aſſumunt, abutentes ſacris. Sed Deum iugiter colunt, & ſabbatum; proximo vero omnem æquitatem ſeruant. Namque hi non ſunt *canes*, ſed filij; quibus tantum abeſt, vt ſumat Deus, vt ſemper addat. *Canibus* autem, & infidelibus, atque ingratis quæ videbantur habe-

Iob. 15

re, auferentur. Scriptum eſt enim: Antequam dies eius impleantur peribit, & manus eius areſcent. Lædetur quaſi vinea in primo flore botrus eius, & quaſi oliua proijciens florem ſuum. In quem locum Greg. conſule.

CAPVT XXVIII.

At illa reſpondens dixit illi, vtique Domine: Nam & catelli comedunt ſub menſa de micis puerorum.

Expoſitio.

REpulſam quidem audire humilis animus poteſt, minimè autem ſentiet; ſed quanto ſe repudiari, ac preces differri agnouerit, tanto animum exacuet, & vt leo confidet, ſperabitque non in delicto, aut verbo ſuperbo; ſed ſpiritu humili, & deſpecto corde, ac prece, demum voti fore compotem. Quare illa, quæ iure ſe cani comparari intellexit, non ægretulit; ſed reſpondens omni cum humilitate, qua nouerat Deum vinci: Dixitque vero corde, &

Humilitatis comes eſt cõfeſſio.

admiſit illi apprimè canem dici: *Vtique*, inquit, *Domine*, quod & tibi euidens, & notum orbi, conſcientia mea non negat, neque celat os; immo verò palam me ipſam de canino crimine accuſo; cæterum & hoc ipſum adauget confidentiam, & audaciorem reddit, iterum, atque iterum ſupplicandi, quouſque poſtulatum exorem. Nam etſi canis ſim, probè ſcio *catellos* admitti intra domũ, atrium, & cœnaculũ hærorum, ac principum; quinimo de licentia dominorum *comedunt ſub menſa* hominum; quorum etſi oſculenta, poculenta, & prætioſa cibaria haud contingant, neque ad patinos manus ſordidas non mittant; in loco humili reſidentes, *edunt* auidè *de micis*, quæ ſuperabundant pueris: Tantum abeſt, quod detrimentum afferant, etſi ea tollantur his, & dentur canibus. Ergo etſi ego indigna ſim, qui menſæ tuæ aſſideam, & velut vna ex ancillis; ſeruis ac filijs dilectis theſauris tuis ditari non debeam, neque petam; quorſum mihi denegabitur, quod nulli aufertur, neque deficit cum ſuperabundans ſit, & redundans? abſit quod velim, ne dum filios, ſed neque aliquem ſpoliari; peto quod abſque cuiuſque iniuria, nec diminutione theſauri defluit, & poteſt largiri: Omnipotens enim es, & immenſum quodcunque habes. At immenſum, tantum abeſt, quod communicatione diminuatur, aut deficiat alteri; quod potius fulgeat, & illuſtretur.

At illa reſpondit. Nullo modo fracto animo propter ea, quæ audierat; quinimo doctior facta, & ſapientior, velut nauis ad curſum velocior ſuperueniente vento. Nam

Prou. 1.

correptio dat paruulo aſtutiam, & adoleſcenti ſcientiam, & intellectum. Vt quem hæbetem cernebas, haud ſecus quàm enſis, quem mola limauit, audias in reſponſis acutiorem, & in factis prope admirabilem.

Etenim

Digitized by Google

Timor vtilis Etenim cornuta facies Moyſi, timorem
circumſtantibus, populo, inquam, Dei inge-
nerauit: Timor autem quid? Sapientiam,
quæ agnitionem perficit; doctrinam, quæ
linguam erudit; diſciplinam, quæ opera
componit, & procreat; denique bonitatem,
quæ hominem totum ſanctificat. Sed quod
horum exordium cornutam faciem ducis
intueri, correptionem, inquam, & repre-
henſionem, quam Dei miniſter infert, pa-
tienter ferre, ſedulo meditari, & acceptare
humiliter, ſeque adhuc durioribus dignum
confiteri.

Et dixit illi. Confidenter, neque vllo
modo deſperans dixit, quid opus haberet,
quidue poſtularet, illi explicauit. Etenim
qui ſemel confidentiam induerit, non ceſ-
ſabit à prece, neque diſcedet repulſus: Sed
verba multiplicabit, quouſque exaudiatur.
Hinc ille: In Domino confido, quomodo
Pſal. 10. dicitis animæ meæ transmigra in montem
Tuelm. ſicut paſſer. Eſt enim, Titelmano interpre-
te, confidentis hominis, & optimè ſtabiliti,
in Dei fiducia eſt hæc omnino, ſecundum
modum aliquem ſimilis illi, quam alio lo-
Pſal. 26. co dicit: Dominus illuminatio mea, & ſa-
lus mea; quem timebo? ſicut enim hic in-
telligitur nullum timebo, quia Dominus
ſalus mea eſt; ita in præſenti ſermone in-
dicatur, quod nequaquam ſit euolatura
Multum operatur confidentia. anima, aut emigratura à Domino, in quo
ſemel per plenam confidentiam, veluti ni-
dum conſtituit. Reſpondet etiam huic ſen-
tentiæ, quod Pſal. 61. Similiter affectus er-
Pſal. 61. ga Dominum, idem Pſalmiſta ait: verum-
tamen Deo ſubiecta eſto anima mea, quo-
niam ab ipſo patientia mea, quia ipſe Deus
meus, & ſaluator meus, adiutor meus non
emigrabo. Et paulo ante: Ipſe Deus meus,
& ſalutaris meus ſuſceptor meus non mo-
uebor amplius. Igitur quæ ſemel ad Chri-
ſtum fuerat intromiſſa, ad loquendum, non
ceſſat, vſquequo exaudiatur.

Vtique Domine. Præ humilitate, quia
ſummum humilitatis gradum ex lectione
ſaluatoris aſſecuta, repulſæ, & contumeliæ
ſpeciem admittit, neque ſe excuſat, ſed di-
gnam tali nota reputat. Humilitatis enim
Bernard. (inquit Bern. in tract. de gradib. humil.)
talis poteſt eſſe definitio: Humilitas eſt
Definitio humilitatis. virtus, qua homo veriſſima ſui agnitione
ſibi ipſi viteſcit. Hæc autem conuenit his
qui aſcenſionibus in corde ſuo diſpoſitis, de
virtute in virtutem, ideſt, de gradu in gra-
dum proficiunt, donec ad culmen humili-
tatis proueniant; in quo velut in Sion,
ideſt, in ſpeculatione poſiti, veritatem
proſpiciant. Vnde (ait idem in epiſt. 42. ad
Henr. Senonenſem Archiep.) meditatione
Rom. 12. reuoluunt: Non alta ſapientes, ſed humili-
bus conſentientes. Et illud: Non ambu-
Pſal. 130. laui in magnis, neque in mirabilibus ſuper
me. Si non humiliter ſentiebam, ſed exal-
tauit animam. Et iterum: Qui ſe exiſtimat Gal. 6.
aliquid eſſe, cum nihil ſit, ipſe ſe ſeducit;
ſed & illius verſiculi recordatur: Verum-
tamen vani filij hominum, mendaces filij Pſal. 61.
hominum in ſtateris, vt decipiant ipſi de
vanitate in idipſum, &c. Itaque humilis ſiue
in bonis, ſiue in malis, quæ audit, ſemper
armatus incedit; ne elationi ſuccumbat,
cum laudatur, neque cum vituperatur, de-
ſperet.

Nam & catelli comedunt ſub menſa.
Menſa, ſuper quam ſedent principes, &
in qua filij reuelata facie, panem mandu-
cant integrum, ſtatus eſt beatorum; etiam
fidelium perfectorum, qui ad communio-
nem Sacramenti Euchariſtiæ admittuntur,
quibus licet dicere: Paraſti in conſpectu Pſal. 22.
meo menſam aduerſus omnes, qui tribulant
nos. Sub menſa ſunt Catechumini, qui
neque ad myſteria, & orationes miniſtro-
rum, neque ad communionem admittuntur,
iuxta patrum decreta. Nam vt Chriſ. hom. Chryſoſt.
24. in Ioann. ait, Catechumenum alienum
eſſe à fideli, & nihil habere commune cum
eo, non ciuitatem, non menſam; ſiquidem
Catechumenos eſſe apud Chriſtianos, id,
quod erant incircumciſi apud Iudæos; qui
propterea non poterant veſci agno paſcha-
li, vt Cyrillus docet lib. 12. in Ioann. cap. 50. Cyrill.
Eſſe tamen veſtibulo pietatis, nec adhuc
poſſe vocari fidelem, niſi intus ingrediatur
baptiſmum, affirmat Greg. Nazianz. oratio- Nazianz.
ne in ſanctum lauacrum. Eſt enim baptiſ-
mus ianua, & ad Eccleſiæ myſteria, ſacraq;
omnia. Vnde legimus: Qui ergo recepe- Act. 2.
runt verbum, baptizati ſunt, & appoſitæ
ſunt in die illa animæ circiter tria millia.
Hoc eſt ad Eccleſiam intromiſſæ per bap-
tiſmi ſuſceptionem. Igitur qui loti non-
dum ſunt fonte ſacro, extra menſam dici-
to, hoc eſt, extra Eccleſiam; ſub menſa
tamen eos admittimus, hoc eſt, ſub prote-
ctione Eccleſiæ, quæ eos velut mater fœtus
(ſecundum Aug. lib. de ſymb.) portat; &
ſub doctrina, in qua catechizantur, & pro-
mouentur ad deſiderium Sacramentorum,
in quorum voto, ſi mors eos accidat, ſal-
uantur.

De micis puerorum. Quaſi dicat (notat
Victor Antioch.) magni beneficij loco du- Vict. Ant.
co, vel in canum ordine haberi; dummodo
abs te, velut aliena non excludar; ſed de
menſa Dominica cibum capiam; ſi non pa-
nem, certe micas temere de menſa caden-
tes. Tantæ enim menſæ dominicæ ſunt opes,
vt abundè mihi ſat ſit, ſi iuſtorum tuorum
micis frui liceat. Iudæi enim panem ha-
bent (ſubdit Theophyl.) hoc eſt, te totum, Theoph.
qui è cælis deſcendiſti, & beneficia tua; at
ego micas peto, hoc eſt, beneficium parti-
culare. Vel ſecundum Ambr. ſup. Luc. 16. Ambr.
dogmata fidei, ceu initia doctrinæ Chri-
ſtianæ, quibus velut lacte nutritur Catechu-
menus,

menus, quouſque ſolidi cibi ſit capax, & ſacramendo idoneus. Quare (inquit Petrus ad Clementem in epiſt. 1. Clem. ad Iacob.) qui catechizant, ideſt, qui verbo inſtruunt incipientes, primo oportet, vt ipſi inſtructi ſint: De anima enim agitur hominum. Et oportet eum, qui docet, & inſtruit animas rudes, eſſe talem, vt pro ingenio diſcentium ſemetipſum poſſit aptare, & verbi ordinem pro audientis capacitate dirigere. Debet ergo ipſe præcipue apprimè eſſe eruditus, & doctus, irreprehenſibilis, maturus, impauidus, ſicut ipſi probabitis fore Clementem hunc poſt me, &c. Erât enim Pontifices olim, qui catechixabant; vt etiam catecheſes Cyrilli Hieroſolymitani, & aliorum teſtantur: Nonnunquam laicis peritis committebatur. Modo (inquit Paulus lib. conſt. Apoſt. cap. 32.) ſit peritus in verbo, & honeſtis moribus doceat: Erunt enim (inquit) omnes docibiles Dei, vt poſſint doctrinã callere laici, ſicut & reliqui; nõ tamen docere in Eccleſia, quemadmodum Hæretici; inde probant miniſterium verbi laicis, vt Epiſcopis, vbique, & in Eccleſia competere. Si enim totum corpus oculus eſt; vbi auditus? Neque enim omnes Doctores. Apoſtolis tantum dictum eſt, & diſcipulis: Docete omnes gentes: Prædicate Euangelium omni creaturæ; & vos eritis mihi teſtes. Cæterorum eſt teſtimonium auſcultare in Eccleſia, & quãdo, & vbi per teſtes expedire indicabitur, hoc eſt, per Epiſcopos, & Rectores animarum, quos Spiritus ſanctus poſuit Dei Eccleſiam regere. Sunt enim hi pueri, ad quos pertinet micas diſtribuere, nec non panem, hoc eſt, initia fidei, & ſolidam veritatem, his, qui ſub menſa ſunt, vtpotè Catechumenis; non tam per ſe, quàm per laicos doctos; his verò, qui ſedent in menſis, & ſunt de Eccleſia, vel per ſe, vel per miniſtros ſacro ordine inſignes, tum maximè in templo Dei.

Clem epiſt. 1. ad Iacobũ

Qualis debet eſſe doctor.

Conſtitut. Apoſt.

Matth. 28. Act. 1

CAPVT XXIX.

Et ait illi: Propter hunc ſermonem vade, exijt Dæmonium à filia tua.

Expoſitio.

PEnetrauit cælum, & Dominum traxit oratio humilis, vt non ſe denegaret ei, quam vſquequaque conſpexit humiliari; neque donum, quod efflagitabat vltra differret, ſed deprecantem mitteret conſolatam, & ſanam ocyus redderet, quæ aberat. Igitur allectus ſummopere humili, & acuto reſponſo Chriſtus ſaluator, ait illi: *Propter hunc ſermonem* tãto ſale conditum, ſapientia plenum, & intextum humilitate profunda; quæ mihi arrident, nolo vltra animum ſuſpendere, neque differe ſpem; ſed ſtatuo quàmprimum te conſolare, & quanti ſit meriti, & virtutis, ſapiens, fidelis, & humilis deprecatio facto mirabili propalare. Velociter enim, & abſque mora exire dæmonem iubeo, & filiam reſtitui libertati maiori, & meliori quàm prius, vt nedum vexationem à dæmone ſentiat, ſed neque virulentis fraudibus eam Sathan illaqueat. Et vt iuſſi ò pia mulier ſic factum ſcias. Exiit enim properè dæmonium immundum à filia tua, hac deniq. hora, & momento perfectam ſalutem obtinuit.

Et ait illi. Vt non repulſorem, aut aduerſarium, ſed patronum, & propitium ſe oſtendat humili ſpiritu, & contrito, vt viuificet ſpiritum humilium, & viuificet cor contritorum, erigatque demiſſos animos ſibilo aure tenuis, quos velut germina imber, & pluuia, atque nix, tribulatio, & anguſtia deprimit. Humilium enim, & manſuetorum corda alloquitur Deus, vt roborentur; ait ad aures eorum, quod conſolationem afferat, vt illi, qui humiliter ſe gerit, & ſapienter, multiplicat colloquia, vt verè agnoſcat: Quia Deus noſter refugium, & virtus, adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis. *Pſal. 45.*

Propter hunc ſermonem vade. Matthæus (ait Victor Antioch) ſanationis cauſam fidei; Marcus ſermonis virtuti aſcribit; ſed in idem redit: Efficax enim ſermo, ex efficaci fide prodibat. Siquidem ſermo fidelis actus eſt exterior fidei, quo internam credulitatem fidelis proteſtatur, & verbis, & ſignis. Quæ cum in hac muliere viſa fuerint, ſermo, quem auctor comendat, tàm opera, & ſigna, quàm verba prolata ſubindicat. Nam & ſermo, ac verbum in ſcripturis non dictionem ſolum, ſed & operationem, atque opus ipſum ſignificat, vt non fuit ſermo, qui regem poſſet latere; cras faciet Dominus verbum iſtud. Videamus hoc verbũ, quod factum eſt quod fecit Dñs, & oſtendit nobis; & alibi ſæpe, ſermo & verbum, quæ ſunt oris ſonus, & vox, trahuntur ad opus. Vt doceamus ſic verbis, haud ſecus, quàm operibus inſiſtendum, ne quid in illis deforme, aut inhoneſtum appareat; ſed vt opus in publico ſtatuendum ſpectaculo, & à ſtatutis iudicibus dijudicandum, curemus ſermonẽ bene ſonantem emittere, & eloquia ſapientiæ plena proferre, & ædificationis. Inde dictum: Ante omnia opera verbum verax præcedat te; & ante omnem actum conſilium ſtabile. Hoc enim eſt interioris prudentiæ cubulia, quam excoli oportet, veluti horologij rotas, ſi debitum oris ſermonem optamus emittere. Propterea qui ſermone cunctos præcellit, ante omnia ſedium aſſiſtricem ſapientiam, & prudentiam inuocauit.

Vict. Ant.

Verbum pro opere aliquando ſumitur.

3. Reg 10. Exod 9. Luc. 2.

Exijt Dæmonium à filia tua. Vide autem Dominum (notat Theophilactus) quomodo *Theoph.*

non

non dixerit : Virtus mea ſaluauit te , ſed quid dixit? propter ſermonem hunc, hoc eſt, propter fidem tuam, vade, mundata eſt enim filia tua ; diſce igitur, & tu hoc loco vtilem doctrinam. Etenim vnuſquiſque noſtrum, quando peccat mulier eſt, hoc eſt infirma anima. Phænissa autem tanquam rubrum & ſanguinarium, ac cruentum peccatum habens. Filiam autem habet talis mulier, malum opus, quod habet dæmonium : Mala enim opera dæmonum ſunt. Peccatores itaque cum ſimus, canes nominamur, immunditia pleni, propter quod & indigni ſumus, qui accipiamus panem Dei, hoc eſt, communicemus immaculatis myſterijs. Quod ſi per humilitatem noſmetipſos agnouerimus, & confeſſi fuerimus nos eſſe canes, enarrauerimus vſque peccata noſtra, tunc ſanabitur filia noſtra, hoc eſt opus diabolicum. Aliter allegorizat Hier. *[Hier.]* Rogat (inquit) pro filia, quæ eſt mater noſtra, Romana Eccleſia, & nata dæmoniaca barbarica eſt occidentalis natio : Cuius *[Allegoricus ſenſus.]* fides fecit de cane ouem : Micas ſpiritualis intellectus, non panem fractum litteræ ſumere cupit. Fidelis, prudens, & humilis, meretur quod poſcit. Porrò quo ad litteram præſentem attinet : Singula eius verba, ò lector penſitato ; ſunt enim Chriſti, & energiæ plena. Namque *exijt*, quod eſt præteriti, notat voluntatem Chriſti operatricem. Vt enim voluit dæmonem profligari, factum eſt, tamque à celeriter, vt verbum ſequens immediatè viſionem non per præſens exit, ſed per præteritum oportuerit proferri. Poteſtas enim, & imperium Chriſti in voluntate eius poſita erant, non in verbo tantum, quo ſuperbi ſe omnipotentificant ; non in manibus ſolum id quod tyrannis, & auaris frequens eſt; neque item in imaginatione potentiam tulit, vt qui dicũt ſe eſſe ſapientes, & ſtulti facti ſunt, *[Rom. 1]* Addit *dæmonium*, non vt illud honoretur, vt ſolet patrem, ac iuſtos cum eos proprio ore denominat ; neque vt ori noſtro velit frequens eſſe ; ſed vt cauſam totius morbi muliebris depulſam oſtendat. Fuit autem ſcientia, quam ſerpens callidè promiſit mulieri, & illa inſipienter appetijt. At [illegible] Græce, Latine interpretatur, ſciens. Hinc Eudemon, ideſt bonum ſciens, & cacodemon ideſt malum ſciens, quo modo *dæmonium*, hoc loco accipi, verbum, *exijt*, deſignat. Nam de eo dicitur : Diabolus ſtetit ante pedes eius, hoc eſt, fugit, & exijt, non valens oſtenſi Domini præſentiam ſuſtinere : Vnde exibant dæmonia clamantia, & *[Luc. 4.]* dicentia: Quid tibi & nobis filij Dei, vt quid veniſti ante tempus torquere nos. Etenim Eudæmonis, qui & boni Angeli, ſiue ſtent ante Dñm, ſiue miniſtrent, nunquam exeũt, ſed ſemper vident faciem Dei patris, qui in cælis eſt. *Exijt* igitur *dæmonium*, hoc eſt, totius peccati origo, videlicet, ſcientia vana ; quæ cæpit mulierem obſidere, & immunditijs, atque erroribus totam eius poſteritatem replere, quando voluit, & ordinauit Deus : Quando, inquam, ſcientiam veram in terris declarauit. Tunc *exijt* idolatria, & veri Dei agnitio omnes occupauit ; Veritas de terra orta eſt, & finem accepit præuaricatio.

Denique ait, *filia tua*. Quo nomine appellatam à Chriſto prius non legimus ; ſed à matre. Atqui myſterium inde vult nos perſcrutari ; quod ego non inferius priori duco. Geſſit enim mater ſymbolum Eccleſiæ. Quæ nata per orbem dilatari, pro *[Phenissa typum Eccleſiæ geſſit.]* omnibus orat, Hæreticis, Schiſmaticis, Paganis, Iudæis, & omnibus infidelibus, haud ſecus quàm pro filijs, licet non ita ſedulo, neque ardenter. Verum etſi ipſa affectu videatur cunctos, vt filios diligere, & congregare, ſicut gallina pullos, nullum neque filium, neque filiam propriè habet, niſi quem Dominus elegerit, voluerit, nominauerit, & à finibus terræ congregauerit. Tunc enim in filijs gloriatur ſicut oliua in nouellis, quando Dominus eos vocat filios *[Pſal. 127]* tuos, ceu filias tuas. Quos inquam gratia Dei, ac nouo partu lachrymis, & doloribus genuiſti viro.

CAPVT XXX.

Et cum abijſſet domum ſuam inuenit puellam iacentem ſuper lectum, & Dæmonium exijſſe.

TAm felici nuncio cæpit lætari mulier, *[Expoſitio.]* & credere ſic actum, vt audierat ſibi dici. Quare petita ſaluatoris benedictione, iter velox aggreditur, & iucunda nimis. Cumque demum abijſſet, & intraſſet domũ ſuam luctuoſam olim, & mæſtam ob filiæ grauamen, quod pariter domeſticos diuexabat ; cunctos gaudio perfuſos pro myraculo quod repentè acciderat, inuenit, & accepit obuiam, qui boni nuntios ad eam præcurrerant, vt & ipſa luctum in hilaritatem commutaret. At illa cunctis qui occurrerant iucundior, ad filiam properauit ſeruis & ancillis ſequẽtibus. Inuenit autem puellam liberam, totamque admiratione repletam ſuper inopinata ſui mutatione, cæterum laſſata non nihil ex infeſtationibus dæmonis, ſedebat in lecto. Eamque ſic quieſcentem, & exijſſe dæmonem vidit mater oculis proprijs, ſicut & abſens crediderat.

Et cum abijſſet domum ſuam. Vt videret, ſcilicet factum, congratularetur filiæ, & ſupramodũ afferret domino gloriam, & honorem, gloriam nomini eius. Ideo enim nobis redire domum (quam alias relinquere præci-

præcipimur) licet, vt quod in ea laude dignum reperimus, magnificemus, & pro eo demus largitori gratias. Id quod iugiter facit homo Dei, qui rediens domum mundi cernit ſe in ea ex nihilo diuinitus formatum ad imaginem Dei, natum ex honeſtis parentibus, & nouo partu in Eccleſiam per lauacrum regenerationis æditum; tum maximè confitetur toto corde Deum, quando ad domum Religionis intrat, & videt abundantius quàm poſſit æſtimari, cuncta, quæ ad animam ſpectant, & corpus, ſibi præparari; & ſi inde ad domum proprij corporis (vt par eſt) introierit, non dabit requiem die, ac nocte, nec ad minimum tempus à laude ceſſabit. Inueniet enim duplicia de manu Domini recepiſſe, & tàm corpus, quàm animum talentis, quibus negotietur, & creſcat in mille millia, ornatum inueniet. Ergo vir Dei præcurre ſic in domum tuam, & duplicabitur tibi corona, quam de manu Domini accipies.

Agnitio beneficiorum.

Inuenit puellam iacentem ſuper lectum. Fortè ægram, & male affectam, vt paralyticus, qui iacebat ſuper lectum ſuum, & ille, quem portarunt ad Chriſtum in lecto decumbentem? Minimè, in ſignum plenæ ſanitatis iſta *ſuper lectum* iacet, illis verò lectus morbum ſignabat, quinimo tormentum inferebat; hæc autem *ſuper lectum* conſolatur, & requieſcit. Antea enim neque in lecto, neque foris permittebat eam ſpiritus immundus requieſcere. Illi ergo durante morbo ſuper lectum ſunt: Hæc verò poſt curationem morbi. Quorſum autem? perſcrutare tu lector, qui altè ſapis, & peruadis vadum Iacob, & per eiuſdem ſcalam aſcendis. Ego autem terrigenus quid referam? Nihil minus qui nondum propoſui, tentabo illud diſſoluere. Liberata à dæmone ſedit *ſuper lectum*, vt perfectam quietem tunc nos poſſidere ſciamus, quando Sathan non erit, neque qui aduerſetur hoſtis. Id autem continget abſoluto vitæ cenſu; interim diabolus circuit quærens, quem deuoret, nulli parcens; ſedent in lecto morbidi, qui delectantur in malis, & fortitudinem ponunt iniuſtitiæ legem. Lætantur cum malefecerint, bonum dicunt malum, & malum bonum, ac dulce in amaritudinē ponunt, & amarum dulce dicunt. Hi ergo, qui vt vermes in fæcibus nutriuntur, & requiem ſtatuunt, ſunt paralytici & morboſi, qui dum ægrotant, ſedent, & dum laſſi ſunt, dicuntur requieſcere. Tu maiora excogitato.

Et dæmonem exiiſſe. Hoc non vidit mulier cum ſpiritus ſit inuiſibilis; ſed credidit, tum propter Chriſti verba, tum propter ſigna, quæ in filia cernebat. Ea autem erant quies corporis, ſermo opportunus, ſenſuum integritas, & morum honeſtas, ac pudor, quæ in virgine, quam Rex virginum liberauerat, quaſi ſtellæ fulgentes depulſa obſcuritate, ſtatim cœperunt illucere. Etenim his agnoſcitur omnis homo, an ab eo exierit dæmon; retineatue eum. Præſertim virginalem animum hiſce ſignis, plene ab immundo ſpiritu alienum, omnino liberum agnoſcimus. Et quidem aliunde non dignoſcitur bonus, vel malus, iuxta illud: Ex fructibus eorum cognoſcetis eos.

CAPVT XXXI.

Et iterum exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ inter medios fines Decapoleos.

Expoſitio.

AEdito inter gentiles ſolemni miraculo, ſtatuit ad ſuos redire ne moram apud exteros trahens, malè affectis Iudæis ſuſpicionem ingeneraret, quod ad eos vellet ſe, doctrinamque ſuam transferre; vt tolleret ergo peſſimis obmurmurandi licentiam, properè iterum relictis gentibus, exiens *de finibus Tyri*, in quibus aliquantulum conſederat, docuerat, & mira exercuerat; *venit* incidentaliter quaſi *per Sidonem* ciuitatem, quæ *ad mare Galilææ* adiacet *inter medios fines* Regionis *Decapoleos*. Vt perluſtraret ſortem, ac terræ funiculum, qui ei contigerat, vberrimo verbo fœcundaret, & omnis caro, quæ in hominibus Regionis decapoleos deſignatur, videret ſalutare Dei, quod omnes gentes expectabāt, & deprecantur exordijs rationalis naturæ, quæ ſunt ratio recta, & appetitus rectus.

Et iterum exiens de finibus Tyri. Iterum, ait, vel quod primo egredi cœpiſſet detentus tamen, *iterum* opus aggreditur, & proſequitur iter. Ergo ne gentem, quam primo reliquit ob Idolatriam, & cultum ſuperſtitioſum, *iterum* relinquet ob alia ſcelera? Equidem ſi non totam omnino, ſaltem maiorem partem ob fidei paruitatem, *iterum* in fine ſæculi derelinquet. An putas dicebat inueniat fidem filius hominis cum venerit? propter enim peccata hominum poteſtatem accipiet Antichriſtus ſuper gentes, vt vix ſe quiſquam Chriſti profitebitur; eruntque velut paucæ oliuæ excuſſa arbore, & velut botri remanentes poſt vindemiam, qui confitebuntur Dominum; adeo vt exiiſſe ab orbis, & gentium finibus videatur *iterum*, vt prius, quando ſolum in minima tribu Iſrael agnoſcebatur, & inter Iudæos, ſpretis cæteris, dicebatur tantum habitare. Ideo fit mentio nominis *Tyri*, quod interpretatur anguſtia: Nam vt primitus ob anguſtiam cultus vaniſſimi ſpreuit orbem, ſic quoque facturus eſt poſtmodum ob infidelitatem aliam, & iugiter facit, quoties animum hominis peccati anguſtijs, & amaritudine nouit premi. Ergo ne exeat: Lo-

Luc. 18.

Quomodo Deus homines ob peccata deſerit.

quimini

Digitized by Google

quimini veritatem vnuſquiſque cum proximo ſuo; veritatem & iudicium pacis iudicate in portis veſtris. Et vnuſquiſq; malum contra amicum ſuum, ne cogiteris in cordibus veſtris, & iuramentum mendax ne diligatis. Omnia hæc ſunt, quæ odit Deus, & vt apem à fæcibus alienant à nobis, & contra nos prouocant, vt dicat: Non paſcam vos, quod moritur moriatur, & quod ſuccinditur ſuccindatur, & reliqui denorent vnuſquiſque carnem proximi ſui. Etenim *exiens* à nobis permittit bella, fa-

Pœna peccatorum.

mes, peſtem, ſeditiones, & ſcandala, quæ velut locuſtæ in ſolitudinem reddunt.

Venit per Sidonem ad mare Galilææ ציד Zidon, ceu, *Sidon*, vrbs eſt Phæniciæ, ad mare ſita, in termino Iuda, à *Sidon*, filio

Ioſ. 11

Chanahan condita Ioſu. 11. quæ ſorte ducta tribui Aſer obuenit. Ioſephus tamen à Sichem filio Chanaam conditam tradit; ſicque ſernato vocabulo, ab Hebræis ſichem appellari. Euſtatius à Sidabeli filia fingit conditam; alij à phænicibus, mediterranea incolantibus, qui cum terremotibus perpetuis vexarentur, proprijs relictis ſedibus nouam vrbem ad mare condiderunt, quam à piſcium vbertate ſua lingua *Sidon* appellarunt. Namque צד Zauad, ſiue ſauad vnde, *Sidon*, venari interpretatur, & *Sidon* venatio. Optimè ergo qui venari venerat homines, *per Sidonem venit*, hoc eſt, per venationem ad locum venationis, nec quemquam venatur è mari mundi huius, quin primo ad venationem ſecretam venerit, & ibi aucupium, ſiue piſcationem, quam intendit, occeperit. Ea autem Chriſto extitit vnitio animæ cum corpore, quando in verbo præuidens paſſiones ſe malis omnibus obtulit, vt cunctos lucrifaceret. Quos ergo tunc dignatus eſt merito ſuo, ab aquis vehementibus eripere, poſt elegit, vocauit, iuſtificauit, magnificauit, & gl rificauit. Denique vt tropicis vtar verbis, de mari mundi huius per ſe, ac per alios expiſcauit quos *per Sidonem* tranſiens, hoc eſt, meritum, quod clauſus vtero compleuit, dignos ſe inuenit. Iam inde docens piſcatores multo, & venatores, quos ad capturam piſcium tranſmittit, *per Sidonem* tranſire, hoc eſt, orationem, lachrymas, pœnitentiam ſecretã, deprecationem, & obſecrationem pro Regibus, præſulis, ac vulgo intentent antequam ad prædicationem deſcendant, mittantque rete verbi Dei in altum mare, coniuncti populi, vt fructum afferant manentem. Alioquin periclitantur per totam noctem laborare, & nihil capere.

Inter medios fines decapoleos. Eſt Regio Syriæ Iudææ proxima; ſic à numero adiacentium vrbium appellata; quæ ſunt Damaſcus, Opoton, Philadelphia, Rhaphana, Scythopolis, Nyca prius dicta, Tad-

Nomina decẽ vrbium.

dara, Hippon, Dion, Pella, Canathaæ. A decem igitur vrbibus decapolitana regio nomen accepit, etiam apud Plinium lib. 5. cap. 18. Græca enim vox δεκάπολιν, componitur à δέκα, quod eſt decem, & πόλις Ciuitas, ſiue oppidum. In ea ſignari orbem totum, & vniuerſitatem gentium facile ex nomine perſuademur, nam numeri perfecti, vtpotè centenarij initium, ac milenarij denarius eſt, decem enim multiplicatis ad centenarium, & inde ad millena peruenit. Eſt & decapoleos mundus, & cætus cunctorum, quod decem præceptis diuinis illuſtretur.

CAPVT XXXII.

Et adducunt ei ſurdum, & mutum, & & deprecabantur, vt imponat illi manum.

Expoſitio.

TAmetſi Tyri, Sidoniſque fines reliquiſſet, & curaret decapolitanam Regionem pertranſire, neque latere hic potuit; quin rumore aduentus ſui ad omnes volante, ad eum venirent, ferrentque ægros. Inter multos, cognati, amici, & familiares infirmorum *adducunt ei ſurdum*, qui nihil prorſus audiebant, *& mutum* pariter, vt neque verbum reſponderet, neque ſeipſum ſignis valebat declarare, neque aliorum acta comprehendere. Hunc ergo eum cernerent, qui ad eum ſpectabant, morborum omnium ſuſtinere difficilimum, quem neque medicamentum iuuaret, nec humana ars remitteret, ſtatuunt ante Chriſtum, & deprecantur ſummis precibus, vt dignetur ad male habentem extendere manum, imponere ſuper eum palmam, ac digitis, qui diuinitatem redolebant aures ad auditum aperire, & ſoluere linguæ vinculum, vt rectè loqueretur.

Et adducunt ei ſurdum, & mutum. Quem ſic Diabolus effecerat, vt qui ſurdus ſit ad omne bonum, neque Deum à ſui exordio audire voluerit, neque à bonis Angelis in illo ſpirituali bello perſuaderi paſſus fuerit, ſtatueritque à ſuo caſu aures ad omnem auditum Domini claudere, necnon ori ſilentium ponere, neque loqui quæ Deum commendarent, & in gratiarum actionem creatori cederent: Sed tantum blaſphemias, mendacium, & fraudem

Dæmonis ſtudium.

omnem proloqui. Is ergo qui ſic vltro & certa malitia ſeipſum deformem voluit fieri; ſtuduit quomodo plures ne dum Angelos, quorum tertiam partem traxit; ſed homines cogeret eodem morbo labo-

rare; vt Deo in primis, quem odit, laudem tolleret; hominem ſuorum malorum participem redderet; demumque ſibi quod Deo iure omni conuenit, tribueret; videlicet, gloriam, honorem, diuinitatem, & cultum, factus mutorum Princeps, & Coriphæus ſurdorum. Siquidem, tàm capiti, quàm congregationi Sathanicæ decantatur:

Pſal 113

Aures habent, & non audient; os habent & non loquentur. Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis. Cæterum miſſo tenebrarum Principe, cuius obſtinationem, & malitiam, quæ in ſurditate, & mutitate deſignantur, omnes ſcimus; ad eos quos decepit, veniamus. *Surdus* non habens auditum Dei eſt, qui non vult audire bonum,

Quis dicendus ſi ſurdus

ſepit aures ſpinis, & negociorum multitudine, ne audiat legem; & grandi lapide vanitatis mundanæ intellectum operit; vt neque irradietur lumine cæli, & voce tubæ excitetur à ſomno vitiorum; neque vnquam ad agrum, aut vineas egrediatur, vt colligat lilia puritatis, & pœnitentiæ myrrham, quam Sancti ſeminarunt; neque ſubula perforari aurem patiatur, nulli obediens veritati; ſed ventri, & gulæ deditus; carni, ad luxuriam ſpumans, auro ſtudens, auaritiæ, & vanitati, quam iugiter interrogat, auſcultat, & ſequitur. De muto autem quid proferam? Elinguis eſt homo iuxta auditus ſurditatem: Vnde ſicut fraude dæmonis ſurdus aures animæ, quæ ſunt mens, & affectus, ad omne bonum claudit; ſic qui linguæ ſpiritualis vſum, factus primo ſurdus, amittit, eloquium pulchrum neſcit; confiteri, ſcilicet eum, qui ſe fecit, neque ſcit, neque vult; cantica eius ſi proferat, labijs tantum maſticat, non corde; bonum ſuadere non nouit, ſed malum; loquacitatem inutilium diligit; & in his, quæ maculant proximi honorem, & famam, à mane, vſque ad veſperam ſe occupat. Quid? tantopere peſtiferis delectatur, vt ne dum ore geſtare, & colludere; vt ſolent venefici ſerpentibus; ſed ea in ventre retinere, & noua continuo intromittere elaborat. Semper enim peccata peccatis adijcit; neque euomere auriculari confeſſione vult. Quare facti ſunt tales omnino perditi, auditu, & lingua ſpirituali quamdiu priuantur. Sed vſquequo? quamdiù tardant adduci ad Chriſtum? Is eſt, qui ſoluit linguam mutorum, & aures ſurdorum aperit, vt verum audiant, & quod bonum eſt, loquantur. At quomodo trahentur, ſi recuſant? Trahit quidem Adamas ille cæleſtis, ſi vos ò paſtores commiſeremini gregis diſperſi, & vagantis abſque aure, & lingua; ſi vos ò Religioſi facitis planctum amarum pro his, quorum ſe ducem præſtitit Beelzebub; & ſi vos fideles, qui proximi nomine gloriamini, oratis; & obſecratis, dignetur loqui Dominus ad ſurdum, vt audiat, & ad elinguem mittere carbunculum de cæleſti fornace, vt bene loquatur. In hunc modum, ò fratres, compellit *Mutum*, & *Surdum* adducere ad Chriſtum. Ergo iubet Apoſtolus omnes orare, obſecrare pro regibus, atque alijs, vt omnes auditu ſpirituali, & lingua donentur.

Et deprecabantur eum, vt imponat illi manum. Quis crederet non commiſereri Chriſtum vexato? Pius eſt enim, & miſericors. Vt quid ergo expectat ſe deprecari? Quoniam ſtatuerat Deus per orationem aliorum vexatum releuare; & vt orantes proficiant, & opus tanta cum difficultate factum, ad gratiarum actionem ſedulo excitet eos, qui fauorem receperunt; ac denique, vt circumſtantes, aliorum quoque precibus excitentur, & in auctorem afficiantur; factum admirentur, inſimul extollant, congratulenturque, tàm ſano, quàm interceſſoribus, & animentur quoque ad ſperandum in eo, qui deprecantes audit, & conſolatur laborantes.

Cur voluit Chriſtus deprecari.

Hæc ſunt, quæ vt plurimum contra hæreticos, qui preces negant Deo, & Sanctis faciendas, patres vtuntur, propter, quas Deus ſciens omnia, & volens miſeris opitulari, nihilominus ſtatuit orationes, poſtulationes, & obſecrationes multiplicari. De quibus cum ſæpe egerimus, & paſſim libri ſcripſerunt, nihil præter ea, quæ præmiſi referre ſtatui. Tantum annotabo ad curationem vexati, non quæri verbum, vt in ſeruo Centurionis; non ſputum, vt in cœco nato; non imperium, vt in paralytico; neque reditum, vt in Lazaro; ſed manuum impoſitionem. Manum enim cum hoſte conferimus, quando gladius non ſufficit, & quando nihil, prodeſt iuſſio, manum extendit ad ſeruum rebellem, & filium contumacem manu pater deprimit; ſed & manum ad opus mittit artifex, quando nouitius operarius in pictura imaginis, aut factura calcei, alteriuſue operis errat ab arte. O Deus bone, & quanta mihi ex his dicenda ſuppetunt, & proferrem niſi moderni breuitatis ſtudioſi redarguerent, neque antiqui, ſolius litteræ amatores, deterrerent. Cupiens ergo cunctis ſatisfacere, ſic breuitati dabo operã, vt non difficultatem preteream, neque ſileam veritatem. Quamobrem

Quid ſignificat mutus & ſurdus.

ſcitote infirmum hic poſitum ſignare maledictionem totius generis noſtri quæ à protoplaſtis ad omnes manauit, alijs morbis infectos ſignare peccatores, qui ſe voluntarijs criminibus maculant. Vt ſuperbum dicerem Lazarum; cœcum, auarum; paralyticũ, luxurioſum; Centurionis ſeruũ, guloſum; quem vt à poſtremo ordiar, curat

verbum

Varij modi liberandi à peccato.

verbum quod procedit, & prædicatio ſalutaris abſtinentem facit; luxurioſum curat imperium, hoc eſt, flagellum; auarum liberat oris Chriſti ſputum, hoc eſt, cæleſtium,& ſpiritualium meditatio; ſuperbum denique teditus, & preſentia Chriſti humilis, & deſpecti: At nihil horum à maledicto nos redimit, niſi is, qui verbo ſuo ſanat appetitum, flagello domat luxurioſum, largitione ſpiritualium auarum ſatiat, & ſua præſentia ſuperbum ſuſcitat humilem, mittat manum ſuam ad lignum, & configatur, fiatque maledictum apud Iudæos, & Græcos, vt maledictum à nobis tollat, & deleat chytographum maledicti, vt iam iam benedicat nos Deus Deus noſter, benedicat nos,& metuant eum omnes terræ; noſque decantemus: Benedixiſti Domine terram tuam, auertiſti captiuitatem Iacob: Remiſiſti iniquitatem plebis tuæ: operuiſti omnia peccata eorum: Mitigaſti omnem iram tuam. Quanto dilatari valeat hoc breue compendium, lector dijudica, & curre ſi equus patitur. Interim propoſitum proſequar.

Pſal. 66. *Pſal. 84.*

CAPVT XXXIII.

Et apprehendens eum de turba ſeorſum, miſit digitos ſuos in auriculas eius; & expuens tetigit linguam eius.

Expoſitio.

ITaque deuotè precantes non deſpexit, neque miſericordiam patienti denegat; quia benignus eſt, & præſtans ſuper miſericordia. Vnde vix orare finierant, qui pro infirmo deprecabantur, & ipſe proprijs manibus *apprehendens*, quem ægre multitudo portauerat, apprehenſumque *de turba ſeorſum*, ſeparat, & ne videretur auxilium ab alijs mendicare, neque fauorem *ſeorſum* poſitum curare aggreditur. *Digitos* enim *ſuos*, qui omni potentiam ſtillabant *in auriculas*, quæ tamdiù ſorduerant, *miſit*, vt digito Dei, & potentia Diaboli digitum expelleret; ſed & manum applicat. Namque *expuens* ſuper manum propriam, & digitis ſaliua oris ſui madefactis, *tetigit linguam*, & liniuit, vt fugata duritia hoſtis, quæ decerent, diſertè loqueretur.

Et apprehendens eum de turba ſeorſum. Tum (inquit Victor Antiochenus) ne ad oſtentationem diuina ſigna perficere videatur, tum maxime, quo nos hoc facto admoneat, vti animi candorem, laudatamq; ab omni faſtu vacuitatem ſtudioſè ſemper conſectemur. Maioris enim facit illos, qui animi modeſtiam, motumque grauitatem impigrè conſectantur, quàm qui virtutes, & ſigna operantur. Nam illi ſeipſos vincunt, & cæleſtia ſigna in ſeipſis exercent,

Vict. Ant.

ſeque clariores reddunt, & efficiunt ſtellas lucentes in perpetuas æternitates, & in imaginem claritatis filij cæleſtis transformant: Hi verò ſi ſolis externis ſignis clareſcunt, ea tantum alijs præſtant, cum ſui iactura, velut faces, quæ lucendo conſumuntur. In Chriſto enim Ieſu, neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed noua creatura. Hæc autem quæ? charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, & caſtitas. Etenim his fit homo candelabrum aureum totum, cuius lampas eſt ſuper caput eius: Quia lux mundi, quæ lucens alijs, tantum abeſt quod detrimentum patiatur, vt lucidior iugiter fulgeat. Hoc audi fili mi, & eſto ſapiens, & dirige in via animum tuum. Per eam Chriſtus omnes nos vocat, miracula autem credit quibus placet.

Gal. 5. *Ibidem* *Zach. 4.* *Prou. 23.*

Miſit digitos ſuos in auriculas eius. Vnum quidem dextræ manus in dextram aurem (ait Euthym.) vnumque ſiniſtræ in ſiniſtrã propter anguſtiam, ac profunditatem auditus, vt hunc acuat. Poterat quoque alio modo & hunc curare; ita curauit, vt ſciremus omnem partem ſancti corporis diuina plenam eſſe virtute. Itaque (ſubdit Vict. Antioch.) infert digitos in aures eius, cum ſolò verbo miraculũ patrare valuerit, quo corpus modo, qui verbis exprimit nequit, ipſi vnicum, animaque intelligenti,& rationali informatum, diuinæ virtutis vim, & energiam obtinere commonſtret. Verbum enim diuinum toti, ac parti humanitatis Chriſti vnitum erat, quemadmodum fides docet; quia verbum caro factum eſt,& homo. *Digitos* etiam *in auriculas mittit*, ait gloſſ. Bedæ, cum per dona Spiritus ſancti aures cordis ad intelligenda,& ſuſcipienda verba ſalutis aperit. Sunt & digiti opera, iuxta illud: Digitos meos ad bellum. Digiti eorum pleni iniquitate; & alibi. Quare digitis aures tangere, eſt operum ſuorum meritum applicare ſurdo, vt mereatur liberari à Deo. Is eſt enim, qui cuncta magnificè operatur, ſed per meritum Chriſti; inde Eccleſiam orationem concludit per Chriſtum. Igitur *Digitos mittit*, hoc eſt, merito ſuo dignum facit, quem diſponit ſanare. Sed cur non digitum tantum? Quoniam duplex meritum communicatur ægro ſpirituali; ſufficiens, & efficax. Illud quidem omnibus paratum eſt prodeſſe; hoc autem tantum operatur apud diſpoſitos, quos Dei gratia preuenit. Incipit autem ab auriculis curatio huius, quod vim totam Satan in eis poſuerat, & robur fortitudinis ſuæ, in ſurditate hominis collocarat. Quamdiù enim homo audire reſpuit Dei verbum, eſt ſub dæmone: Quia qui ex Deo eſt, verbum Dei audit; propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis. Dicebat

Euthym. *Vict. Ant.* *Ioann. 1.* *Beda.* *Pſal. 143.* *Iſai. 59.* Meritum duplex. *Ioann. 8.*

bat Chriſtus. *Auriculas* dicit, non *auriculam*, tum quod corporis, & animi auditum aperire oporteat Deo; tum quod non tàm litteram verbi, quàm ſpiritum neceſſe ſit intelligere eum, qui vul rectè *2. Cor 3.* ſapere. Quia littera occidit, ſpiritus autem viuificat. *Digitis* autem potius, quàm manibus aures aperiuntur; quod durioribus Chriſti operibus, videlicet, pœnitentia, & anguſtijs, necnon moleſtijs, quæ impœnitentē obuoluent, melius à vitijs homo retrahatur, quā præmijs, & mollioribus, quæ in carnoſitate manuū deſignantur. *Digiti* enim propter oſſa aſperiores ſunt. Ergo non graueris homo ſi Michæas tibi loquatur dura; neque qui anguſtijs premeris animum deſpondeàs, mittit enim Deus, & noſter Chriſtus *digitos ſuos* in aures tuas, vt audias quod bonum eſt, & facias.

Et expuens, tetigit linguam eius. Eiuſ- *Vict.* modi quiddam (notat Victor Antiochenus) in homine à natiuitate cæco obſeruatum eſt quoque. Etenim cum per Adami præuaricationem, multa incommoda, multæque peſtes, & membrorum ægritudines humanæ naturæ acciderent (quæ quidem corporis incommoda, atque vitia, præter alia, oſtendunt in quantam miſeriam, & infirmitatem eadem illa mortalium natura per peccatum prolapſa ſit) Chriſtus Dominus in mundum hunc ingreſſus, naturam illam læſam, & quaſſatam admirabili modo ſibi adiunxit; ipſamque adiunctam, ac quaſi de integro in ſeipſo reformatam, partium ſibi conſubſtantialium ægritudines, & morbos curauit, & in integrum reſtituit. Ob hoc ergo digitis in illas inſertis, muti, & ſurdi aures aperuit, ſandique facultatem per ſaliuam linguæ impertiuit. Ecce enim (proſequitur *Euthym.* Euthymius) ſputum etiam immaculati oris ſui, quo linguam tetigit impeditam, diuinam quoque participabat virtutem, ac omnino excrementa diuini corporis omnia ſancta erant, vt potè talis corporis: Solum autem operabantur dum vellet. Spu- *Gloſſ ordin.* tum namque Domini (ait gloſſa ordin.) *Prou 8* ſapor ſapientiæ, quæ dicit: Ego ex ore altiſſimi prodiuj primogenita. Vnde ſputo eius terræ commixto cæcus illuminatur. Spurum enim quod ex capite Domini deſcendit, diuinam eius naturā exprimit, quæ ex Deo eſt. Porrio terræ, cui ſputum immixtum eſt, humanam ſignificat naturam. Sic ergo ex ſputo, ac terra compoſito medicamento, oculos cæci nati aperuit, quia genus humanum per confeſſionem vtriuſq. ſuæ naturæ, ab ingenitis errorum tenebris eruit. *Expuens* ergo *linguam* muti, vt loqui valeat, *tangit*, cum ora diù muta, ad verba ſapientiæ proferenda contactu ſuæ pietatis informat. Curat ſolum mutum, & cæcum ſputo, quod & ignorans animo per errorem; & ſe ipſum perdens per linguæ defectum, verbo eurentur. Hoc erudit eos, & intellectum dat paruulis. Eſt enim lucidum illuminans oculos, inſtar lucernæ, quæ pedes inoffenſos cuſtodit. Sputo linguam tangit, quoniam Deus eſt, qui ponit verbum in os noſtrum; & is ipſe Chriſtus, qui dat os, & ſapientiam, vt inter perfectos loquamur, & in conſpectu Regum, nec confundamur. Eſt ſputum immixtum quod reddit linguæ eloquium, quoniam non in humanæ ſapientiæ verbis, conſiſtit verbum, quod aperit labia, vt annuntient laudem, & in conſpectu Principum admirabiles fiant.

CAPVT XXXIV.

Et ſuſpiciens in cælum, ingemuit, & ait illi, Ephphtha; quod eſt adaperire.

EXternis; quæ vidimus addit nonnulla, *Expoſitio.* quæ ad plenam eurationem videntur facere. Nam neque ſolo digitorum contactu aures ſurdæ audiunt, neque lingua eloquitur ſaliuam ſuſtinens. Igitur poſtquam illa effecit, oculis erectis ſuſpicit in cælum, ad cælum cæli, & cælorum cælum, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum ſtillat, mentem firmat. Cumque ibi quaſi in ſpeculo morbum portentoſum contemplaretur, & licentiam Diaboli, atque artem in auertendis hominibus à gradu, quem acceperant; *ingemuit*, commiſerans humano generi; ac dolens quod cum poſſit imaginem Dei pulchram conſeruare, velit dæmoni deformandam tradi, nolens reſiſtere, ſed mutum ſe, ac ſurdum, immo vero mancum membris omnibus aliquando patiatur fieri. Verum etſi homo ſeipſum negligat, cum conditor, ac redemptor non ſpernit; ſed maiori difficultati occurrit. Vnde illi qui penè inſenſibilis ſtabat, ait cum imperio, *ephphetha quod eſt adaperire*, ſcilicet lingua, & auris. Procul facite vinculum, & fugiat qui vincit, neque ſit iam, qui præſumat claudere aurem, aut linguam ligare; vt adaperto interioris membranæ, & organi ſenſibilis medio, ad ſenſationem conuenientem tàm auris, quàm lingua apertæ ſint, etiam ad ea, quæ ſunt intellectus capeſſenda euigilent.

Et ſuſpiciens in cælum. Minimè quidem vt ex inſpectione aſtrorum, vt ſolent Aſtrologi iudiciarij, infirmi ſtatum, ac morbi difficultatem, & periculum venetur. Neque vt aſpiciens cæli motum, & curſum ſcientiam experimentalem inferiorum ſibi comparet perſpicuam, vt Durandus arbitratur; ſed vt oſtenderet ad Deum

oportere

oportere cuncta referri. Nam bonum ipſe agit; malum autem occulto iudicio permittit, vt peſſimos multiplicari, & numero, ac dignitate ſeculi præcellere probis; dæmonem innumeram ſibi gentem congregare; Eccleſiam varijs, ac multiplicibus hæreſibus agitari, rebelliones in populo Chriſtiano fieri, & ſtrages; cadere iuſtum à ſtatu, & apoſtatare religioſum, ac ſimilia, quæ mala cum ſint ante oculos diuinæ maieſtatis perpetrantur, & cum poſſit omnipotens ea prohibere, liberè permittit fieri,& euenire hominibus æquè, ac bona. Cur autem? quis inueſtigabitur, aut quis conſiliarius eius fuit, vt quod in hiſce conſilium habeat Deus, penetretur? Magnus eſt,& incomprehenſibilis cogitatu. Igitur qui hiſce mundum repleri cernis, *ſuſpiciens in cælum* noli dicere: Quomodo ſcit Deus, aut ſi eſt ſcientia in excelſo? Neque: Ecce nationem filiorum tuorum reprobaui; ſed, verè tu es Deus abſconditus; vſquequo Deus improperabit inimicus, irritat aduerſarius nomen tuum in finem? vt quid auertis manum tuam, & dexteram tuam, de medio ſinu tuo in finem? Reſpice in teſtamentum tuum: Ne auertatur humilis factus confuſus. Sic enim orandum ſuſpicientibus in cælum, quando quæ in terra fiunt admiramur. Cælum itaque reſpicit (ait Victor Antiochenus) partim quidem ea, quæ faciebat, ad cæleſtem Patrem, tanquam ad primarium auctorem referens; partim vero humanę naturæ cauſam dolore,& commiſeratione proſequens. Expendebat enim in quantam calamitatem,& miſeriã omnis bonæ, honeſtæq. actionis hoſtis Diabolus, primorumque parentum iniuria, & lapſus, illam deiecisſet. Fortaſſis etiam (addit Theophylactus) orans patrem, quo miſericordia dignaretur hominem; & nos docens, quando facturi ſumus miraculum, inde petendam miraculorum virtutem.

Pſal. 72. *Pſal 73.* *Victor Ant.* *Theoph.*

Ingemuit. Ex præcordijs quidem, vt qui penetraret ipſe Dei iudiciũ,& furorem in omnes homines, qui cõſentiunt aduerſario; & nouerat impotentiam hominis perditi, qui ſemel in manus, & laqueum Diaboli prolapſus, non poteſt ſe vltra, proprijs fretus, liberare. Hæc enim duo ſi quiſque noſtrum ſedulo meditaretur, non ſolum gemitum; ſed exitum aquarum educeret pro peccatoribus derelinquentibus legem Dei; & ad intuitum cuiuſcunque peccatoris dolorem inconſolabilem ſumeret. Ecce videntes clamabunt foris, dicebat ille, Angeli pacis amare flebunt. Et tabeſcet omnis militia cælorum, & complicabuntur ſicut liber cæli. Solum ne videntes Deum multitudini adiratum? Etiam, quum vel Regem audiet tyrannum, vel pontificem conſpiciet laſciuum, & religioſum viderit retrorſum abire; matremque familias fœdus thori ſacri contemnere, & tumultuare iuuenes contra ſenes, neque parentibus honorem deferre, agique crimen lætale: Tunc qui ſunt Dei, & charitate ardent, poſt gemitum lachrymas, & poſt has clamores mittent ad Deum ne iraſcatur furor eius; ad præuaricatores pariter clamabunt nolite facere, conuertimini ad cor, & pœnitemini. Atqui non vnus, aut alter, ſed omnis militia cælorum, hoc eſt cuncti Religioſi, & deuoti fideles, vt qui membra ſana, pro infirmis pœnitentiam agent, vt placent Deum, & placabilem malis reddant. Hoc enim eſt complicari ſicut cæli, videlicet, nubibus pœnitentiæ ſeipſos pro ſalute pereuntium obſcurare, dolere, plangere, & lachrymari cum Samuele pro Saule, & pro Iſraele cum Abraham orare.

Iſai 33. & 34.

Et ait illi. Alloquitur mutum, & cum qui ſe fingebat ſurdum audire verba ſua compellit, vt formam curandi eiuſmodi obſeſſionem præſeferret, & ad meliorem frugem reſtituerentur, qui obſtinatè à ſacris auditum auerterent, & ſilere à bonis ſtatuerent: Quales ego reputo Iudæos, nolentes audire legem Dei; etiam Hæreticos qui pariter declinauerunt ne audirent legem Domini; demumque omnes in malo obſtinatos, qui auerſione contentioſa à Deo recedunt; hos curare docet magiſter, continua prædicatione, etiam importuna, vt compellantur, qui ſubiecti ſunt fidelibus Dominis, conuenire ad auditionem verbi, vt velut infirmi, etſi coactè medicinam ſuſcipiant. Id quod cum Hæreticis, & Iudæis ſæpius obſeruatum eſt, & nonnunquam cum omni fidelium turba, nec abſque fructu, vt videre eſt Romæ, vbi Iudæi ſabbatis ad Euangelij prædicationem compelluntur congregari; ſimiliter in terris Hæreticorum, vbi per Dominos fideles ad fidei veritatem percipiendam vocantur Hæretici. Quorum multi grano ſynapis deguſtato, ſponte falſitatem abiurant & fiunt ſanæ mentis. Nunquam enim verbum Dei vacuum reuertitur. Cæterum propter Euangelij prædicationem bellum inferre his, qui nunquam ſub Chriſtianorum fuerunt domino, vt Indi, non omnes æquè ſentiunt. Ego interim ſilebo in re dubia.

Ephpheta, quod eſt adaperire: Vide (inquit Gagnæius) quid ſibi vult quod in curatione ſurdi miſerit digitos in auriculas, & expuerit, & quid nobis innuat ille, quem ſurdum, & mutum Marcus appellat, qui non planè mutus fuit, ſed tardè,& egrè loquẽs, ac linguæ impeditæ: Quod ſignificat verbũ Græcum μογιλάλος, ſimiliter ephetha, ꝙ alij proferunt ephphetha, alij ephphatha, imperatiuus paſſiuus primæ coniugationis Chaldæorum, quod ſignificat idem quod

Gagn.

 apertus

apertus eſto, ſiue àdaperire, ſicut interpres notat. Quid autem ſibi iſta velint, Zacharias Chryſopolit.lib. 2.cap.86. declarat his
Zachar.
verbis: Surdus,& mutus eſt,qui nec aures, nec os aperit ad audienda verba Dei,& pronuntianda. Prima ſalutis ianua eſt infirmum à turba ſeduci, quod fit cum apprehendens Dominus mentem peccatis languidam euocat eam à conſuetis moribus,& prouocat ad ſua præcepta. Mittit digitos in auriculas, cum per dona ſancti Spiritus aures cordis aperit ad intelligentiam. Expuens Dominus linguam tangit ægroti, cum ad confeſſionem fidei ora catechizantium inſtruit. Sputum namque ſapor eſt ſapientiæ. Vnde illud: Ego ex ore altiſſimi prodij: Suſpexit Dominus in cælum; vt inde mutis loquelam, ſurdis auditum, cunctis infirmis medelam doceret eſſe quærendam. *Ingemuit*, vt daret nobis exemplum gemendi, & pro nobis, & proximis. *Ephphetha* proprie pertinet ad aures. Vnde & ſubditur, *& ſtatim apertæ ſunt aures eius.* Hic notat vtraque redemptoris natura. Cælum ſuſpicit vt homo, curat vt Deus.

Interpretatio myſtica.

Pſal.50.
Qui ſic curatur benè poteſt dicere: Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam. Aliter genus humanum tanquam vnus homo varia peſte abſumptus in protoplaſto, cæcatur dum videt; ſurdus fit, dum audit; dum odorat, emungitur; obmuteſcit, dum loquitur; mancus fit,dum manum erigit; incuruatur, dum erigitur; hydropicus fit, dum concupiſcit; claudus, dum progreditur; lepra ſuffunditur, dum nudatur; dæmone impletur, dum diuinitatem appetit; moritur morte, dum audacter excuſat. Patriarchæ autem,& Prophetæ incarnationem deſiderantes, miſericordiæ manum precantur imponi. Semper à turbulentis cogitationibus, & actis inordinatis, ſermonibuſque incompoſitis, quaſi de turba educitur; qui ſanari meretur. Digiti, qui in aures mittuntur,ſunt verba Spiritus ſancti, de quo
Exod.8. *Pſal 8*
dicitur, digitus Dei eſt hic; & opera digitorum tuorum ſunt cæli. Sputum ex capite deſcendens eſt ſapientia ex parte, quæ ſoluit labia humani generis, vt dicat: Credo in Deum patrem, &c. *ſuſpiciens in cælum ingemuit*. Ideſt gemere nos docuit, & in cælum theſaurum noſtri cordis erigere; quod poſt compunctionem à friuola
Pſal 37.
lætitia carnis purgatur, vt dicitur: Rugiebam à gemitu cordis mei. Aperiuntur autem ad Hymnos & Cantica, & Pſalmos. Soluitur lingua, vt eructet verbum bonum, quod non poſſunt minæ, nec verbera
2.Tim.2
cohibere. Vnde Paulus: Ego vinctus ſum, ſed verbum Dei non eſt alligatum. Hæc ille. Quibuſlibet Ianſenij verba annectere in cap. 62. ſuæ concordiæ, vt per eum corrigantur nonnulla, quæ à præmiſſis auctoribus ſcribuntur. Sciendum (inquit) imperatiuum hunc non eſſe Hæbraicum, ſed Chaldaicum, aut Syriacum. Nam Hebraicè dicendũ erat,vel in Niphal הפתח, hoc eſt hippatheah, vel in Hithpael התפתח, hitpattheah. Quorum neutrum ſimilitudinem habet cum eo, quod habent Græca ἐφφαθά, & Latina exemplaria ephetha. Chaldaice vero in imperatiuo paſſiuo dicitur אפתח Eppethah, quod Græce illi dictioni ſimillimum eſt, niſi quod non videtur aſpiratio Heth in fine, quod eam non admittat Græce ſcribendi ratio. Hic tamen imperatiuus Chaldaicus non eſt integer. Dicendum enim Chriſto integrè fuiſſet אתפתח Ethpethah, ſed ratio linguæ Chaldaicæ habet, vt primum, ת, qui daghes initiali litteræ incluſum abſorbeatur. Hinc patet erraſſe quoſdam, qui putauerunt imperatiuum eſſe Hebraicum ex verbis tertij ordinis. Sic enim dicendum erat Hiphthah, vel Hiphtheah, nec eſſet paſſiuus, ſed actiuus. Errant ſimiliter qui putant hanc dictionem latinè ſic eſſe ſcribendum Hephethah, quomodo nunc inuenitur in libris noſtro ſæculo impreſſis. Nam, vt patet ex dictis, non debet ſcribi in principio cum aſpiratione. Vnde Græce eſt ſpiritus lenis ἐφφαθά, pro quo Latinus non male vertit epheta, vel ephata, Nam φ Græcum, Latinis eſt f. Quare autem Euangeliſta Chaldaicam vocem hic poſuerit, dictum eſt ſupra circa illud, Talitha cumi, nimirum, non quod putauit *Vide lib. 5. cap 42.*
chaldaicæ voci aliquam ineſſe maiorem virtutem, quàm cuiuſuis alterius linguæ voci, ſed ad admirationem virtutis Chriſti fecit, qui vna vocula communi, & per ſe nullius momenti tantum effecerit, vt duo ſimul mala auferret. Hæc enim dictio, quæ aperire ſignificat, non ad aures tantum referri debet, de quibus mox ſubditur: *Et ſtatim apertæ ſunt aures eius*; ſed etiam ad linguam, quæ Hebraica phraſi dicitur aperiri, cum ad loquendum ſoluto eius vinculo, ſit apta, iuxta illud: Aperta erit lingua mutorum. Et dicitur de Zacharia: Apertum eſt illico os eius,& lingua eius. Hebraica enim phraſi, quod ſublato vinculo ſoluitur, aperiri dicitur; vnde Iſai.52 vbi nos habemus, ſolue vincula colli; pro ſolue eſt Hebræis verbum, quo hic vſus eſt Dominus. His Ianſenij verbis,non ſolum Gagnæius, & Zacharias in aliquibus corriguntur; ſed etiam Arias Montanus, & typographi, qui abuſi tota ſcriptura huius nominis differunt: Etiam carpuntur nedum Iudæi, ſed plerique linguæ ſanctæ ſtudioſi, qui verbis hebraicis, & chaldaicis ineſſe virtutem credunt. Scio opinionem ſuam quemque probare, at qui veritatem inquiram, cedam opinionibus, ſufficiat annotaſſe.

Modus loquendi Hebraicus. *Luc. 1* *Iſai.35.* *Iſai.52.*

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT XXXV.

Et ſtatim apertæ ſunt aures eius, & ſolutum eſt vinculum linguę eius, & loquebatur rectè.

Expoſitio. SEquitur præſtitæ medicinæ, atq; effectus Imperij Chriſti narratio; tã enim efficax eſt vox eius, vt non poſſit illi contradici. *Et ſtatim* (inquit Euangeliſta) vt perfecit loqui, & imperare dæmoni, qui membra officioſa corporis occupabat *apertæ ſunt aures eius*, qui tamdiù abſque auditu fuerant; ſed & os loquendi diſertè officium accepit. Nam *ſolutum eſt* pariter *vinculum*, quod linguam retardabat, ne ad loquelam ſeipſam cieret. Tantamque ad imperium Chriſti libertatem, & ſolubilitatem in proferendis verbis, & animi notionibus exprimendis protinus obtinuit, vt loqueretur rectè quæcumque voluiſſet, & interrogatus ſatisfaceret cunctis, qui aderant, neque valeret quiſquam ex verborum dexteritate, & ſententiarum grauitate, quibus reſpondebat, agnoſcere, nec vix credere, niſi oculis conſpexiſſet eum aliquando fuiſſe mutum, & ſurdum.

Et ſtatim apertæ ſunt aures eius. Quoniam dæmon, qui eas poſſederat, & obturabat, ne audiret bonũ, profligatus abijt cõfuſus, quamprimũ audiuit ephata, *quod eſt aperire.* Non quod poteſtate aliqua dæmon clauderet, vel aperiret (ſolius enim Chriſti, qui habet clauem Dauid, & miniſtri eius, cui ligandi, & ſoluendi claues committuntur, tantum officium, & præeminens dignitas;) ſed quod potens malitia cum ſit, dolum, omnem fraudem, aſtutiam, & malas artes inuenit, quæ atque, quibus hominem indignum Deo, ac verbo eius reddat, & dignum, qui excludatur à Regno, non admittatur ad ouile Sanctorum, ſed vt exul, & profugus à Deo ſit continuo. At ceſſante hoſtis impoſtura, aperitur Regnum ei, qui ad infernum properabat; aperitur theſaurus gratiarum pauperi, quem latrones ſpoliarunt; & intromittitur ad templum mundatus, qui lepra ſubruſa ſcatebat. Quid? ad ſedem Regni ſubleuatur, quem in modum coronæ, ne diffugeret mortem ſatellitia manus exactoris circumuallabat. Itaque aperit dæmon, dum ab introitu ad bonum excluditur, & euaneſcunt fraudes, quæ infelicem, velut compedes, & manicæ ab inceſſu, & ingreſſu ad bonum ſtatum arcebant. Propriè & per ſe Deus ipſe eſt, qui aperit labia, vt laudem annuntient; ianuas cæli, vt aſcendant tribus Iſrael; portas iuſtitiæ, vt introeat gens iuſta; theſaurum ſuum, vt ditet diligentes ſe; oculos cæcorum, vt videant ſalutare ſuum, & Dominus eſt, qui aperuit mihi aurem, vt audiam quid loquatur in me Dominus meus, & intelligam bonum, quod requirit à me.

Et ſolutum eſt vinculum linguæ eius. Non dicitur vinculum diaboli ſolui, ſed linguæ eius. Nam & ipſe homo ob primorum culpam habet linguam peſſimo vinculo ligatam, quod niſi liberator, & ſaluator omnium Deus ſoluat per gratiam ſuam, donumque cæleſtè, nequit homo rectè loqui. Siquidem mendaces filij hominum in ſtateris ſuis, acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentes, & vterque ſiue mas ſit, ſiue fœmina, ſiue ſchita, ſiue græcus, ſiue fidelis, iuxtà proprietatem linguæ ſuæ, concinnat dolos, ſermonibus odij circumdant nedum amicum patris ſui, ſed Deum cunctorum patrem. Denique ab infectis orti initijs, docuerunt omnes linguam ſuam loqui mendacium, niſi diuinitus linguam eruditam acceperit. Is autem quis? cuius aurem Dominus primo aperuit, cuius, inquam, mentem cæleſtibus repleuit donis, & cuius animum docuit veritatem. Hæc enim eſt, quæ mendacij vinculum ſoluit, & facit linguam balborum velocem, vt annuntiet mirabilia Dei, & loquatur abſconſa à conſtitutione mundi; quæ Arioli Babylonici ignorant, nec ſapientes Ægyptij penetrant; quia digitus Dei eſt hic, quem noſce, filijs tantum non hoſtibus conceditur. Qui autem apud Deum filij habeantur, ſcimus. Ergo tales effici vigilemus, vt facti docibiles Deo, procul abſit vinculum mendacij, veritas autem iugiter in ore omnium reſonet.

Homo ſibi relictus ignorantiæ, & peccato obnoxius.

Exod 8.

Et loquebatur rectè. Trium miraculorum, quæ cum homine iſto facta ſunt, hoc ego reputo maximum, excellentiſſimum, vt finem cæterorũ; quod quantũ ſit, & quàm pretioſum loqui rectè ſemper, ac nunquam in verbo deficere, quis ignorat? Cæterum, vt vniuerſorum nobiliſſimum, ita difficillimum. Inde dictum: Beatus vir, qui non eſt lapſus verbo, ex ore ſuo, & non eſt ſtimulatus in triſtitia delicti. Eſt enim donum ſapientum, iuſtorum, & eorum, qui ſemper oculos habent ad dominum, neque facilè linguam omni verbo credunt, neque loqui ſinunt, quin ſale condiant, & ponderent in ſtateris oris ſui ſingula verba, & labiorum motiones, priuſquam animi ſui notiones explicent. Et quidem tanta requirit locutio recta, vt ex noſtris ea pauciſſimos crediderim inſigniri.

Eccl. 14.

CAPVT

CAPVT XXXVI.

Et pręcepit eis ne cui dicerent: Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prędicabant.

Expoſitio. HIſce perpetratis, excellentius multo ſuperaddit miraculum, videlicet, contemptorem ſe exhibere honoris, ac laudis humanæ; ſeque humilem declarare, cum vniuerſis imperaret. *Præcepit* enim *eis*, qui miraculo intererant, viderantque rei geſtæ modum, *ne cui dicerent*, quæ oculis proproprijs conſpexerant; ſed penes ſe omnia retinerent abſconſa. At quanto ſe humilem Chriſtus voluit exhibere, tanto meruit extolli, & laudari. Quare etſi præciperet eis celare factum, tanto magis, & facti; & laudis præcones illi ſe proferebant. Neque enim poterant aliter facere. Nam Deus mentes hominum compellebat, & linguam, agnoſcere opus mirabile, & efferre laudibus; vt quod ſuum erat acciperet humilis, facerent verò, qui humilem laudarent.

Et præcepit eis, ne cui dicerent. Vt teſtes ex hoc præcepto fierent contra calumniatores, qui dicerent: Tu teſtimonium quæris de teipſo, teſtimonium tuum non eſt verum; probarentque reiectionem calumniæ. Ego gloriam meam non quæro; vt ſcirent non eligi teſtes præordinatos à Deo, qui Chriſtum in Ieruſalem, & in omni Iudæa, Samaria, & vſque ad vltimum terræ annuntiarent. Etiam (inquit Victor Antiochenus) hic denuo modeſtiam, & humilitatem nos docet. Si quidem ijs, qui ſanitatis beneficium conſecuti fuerant, vt rem tacitam apud ſe contineat, grauiter iniungit. Fecit hoc quoque ea de cauſa, ne Iudæorum animos in cædem accenſos, ante tempus contra ſe inflammaret, & concitaret; etiam ſi certò ſciret, eos opus vſque adeò admirabile, & inuſitatum minimè taciturus; ſed paſſim diuulgaturos.

(Ioan.5. — Act.1. — Victor Antioch.)

Quanto autem eis præcipiebat. Non enim leuiter, aut ſemel præcepit facti ſilentium obſeruari; ſed iterum, atque iterum, ac vehementi comminatione indixit taciturnitatem. Id quidem notant verba textus; quibus & nos inſtruit non ſegniter velle latere, & occultari facta noſtra, ſed ex animo, & maxima cum diligentia opus abſcondere, ne nos vanæ gloriæ exponamus, qui ad eam proni ſumus. Etenim ſacramentum Regis abſcondere bonum eſt.

(Iob 6.)

Tanto magis plus prædicabant. Quia tanto magis Deus è cælis, qui humilia reſpicit in cælo, & in terra, ipſoſque exaltat; ratio à ſupremo animæ, quæ illucet in obſcuro theſauros demonſtrat, & lex, quæ æquitatem obſeruat, & omne argumentum, quod fidem facit, ſummopere vrgebant homines prædicare, quæ receperant, & benefactorem laudare. Ergo ne licet contra Chriſtum præceptum agere? aut impotentem dicimus Chriſtum, qui ora laudantium non valuerit ſuo imperio continere? Abſit alterutrum affirmare. Potuit quidem ora cunctorum reprimere, qui furioſis ſatellitibus ſilentium indixit, & loquelam quoad voluit abſtulit; præcepit tamen ne dicerent, vt teſtes Euangelici, quorum officium ad alios deuoluendum erat, vtpotè Apoſtolos. Ergo *præcepit ne cui dicerent*, niſi ijs, quos præordinarat Deus tanti miraculi auditores fore.

(Luc.1.)

CAPVT XXXVII.

Et eo amplius admirabantur, dicentes, benè omnia fecit, & ſurdos fecit audire, & mutos loqui.

QVàm multo præclarius fuerit Chriſtum humiliari, quàm omni miraculo excellentius, etiam turbæ agnouerunt. Nam & ideò, quod videbant velle abſcondi, & nullatenus clarè geſta eius inuulgari, amplius multo quàm ex miraculis, quæ inſpexerant vnanimiter omnes admirabantur. Quamobrem quotquot affuerant ſpectaculo, conformiter dicentes acclamarunt Chriſto: *benè omnia fecit*; tùm opere; tùm ſermone declarauit hominibus. *Nam ſurdos*, quibus nulla ſpes remanebat *fecit* patenter *audire, & mutos*, qui omninò elingues erant, *loqui* diſertè effecit, ac probè. Expoſitio.

Et eo amplius admirabantur. Dupliciter poterat admiratio his contingere, vel propter humilitatem Chriſti, vel operis nouitatem. Ego vtrinque eos crediderim admirari; me autem in maiorem rapit admirationem humilitas; quod velit Deus abſcondi, creator celari, redemptor latere, & ſub modio lux Orbi recondi. Sed & cauſam dum contemplor, & ſtupeo; nec ego ſolus, ſed qui dixit. Exinaniuit ſemetipſum in ſimilitudinem hominem factus, vt adoptionem filiorum reciperemus. Itaque ſol nube tegitur, vt lucem hebetes apprehendamus; & abſcondit Moyſes faciem ſuam, vt ſimus ſpeculatores gloriæ maieſtatis Dei. Nos, inquam, inimici, quos reconcilianit in dilecto filio ſuo. Huiuſmodi abſconſionem, & humilitatem Saluatoris noſtri Dei, liberè pronuntio, amplius eſſe omni miraculo, quam non ſolum homines, ſed, & Angeli admirantur. Poterant & amplius admirari ex opere. Quod quanto illius celſitudinem ſpecularentur, tanto eorum animus ſtuperet, & admiraretur. Etenim cunctorum Dei operum hoc eſt proprium,

(Philip.2. — Mirãda Dei opera.)

prium, admirationem multo maiorem ingenerare his, qui ea attentius conſiderant; quoniam ſemper è riuis ad ampliora Oceani nauigant, quantoq; extenſis velis tranſcurrunt; tanto in immenſum Pelagus incidunt.

Dicentes. Hoc efficit non curioſa, ſed ſtudioſa admiratio, vt poſt diuturnam operum Dei admirationem, & contemplationem, compellantur admirantes dicere, hoc eſt, confiteri creatorem, qui condidit; magnanimũ, qui donauit; magnificentiſſimum, qui diſtribuit; & prouidentiſſimum, qui nulli deficit. Quod ſi ad opera, quæ ſunt ordinis gratiæ ſe mentes ſubleuauerint, intonabunt altius: Confitemini Domino, quo-

Pſal. 135. niam bonus, quoniam in æternum miſericordia eius. Qui facit mirabilia magna ſolus, quoniam in æternum miſericordia eius.

Pſal. 103. Benedic anima mea Domino; Domine Deus meus, magnificatus es vehemẽter. Benedic

Pſal. 102. anima mea Domino, & noli obliuiſci omnes retributiones eius. Miſerator, & miſericors Dominus, longanimis, & multum miſericors.

Benè omnia fecit. Quia Deus, qui bonus per eſſentiam cum ſit, perfecta ſemper operatur. Vnde vidit cuncta, quæ fecerat, &

Gen. 1. erant valde bona. Etiam quia homo impeccabilis quid mali fecit? *benè* ergo *om-*

Errores hæret. *nia*. Ergo errat Lutherus, quod peccatum à Deo fieri, & eſſe affirmat. Huius enim formale eſt malum, quod ab opere Dei dilongatur. Errat item Manichæus, qui Dei opera corporea prædicat mala. Qui enim bonus eſt cuncta bona fecit in tempore.

Et ſurdos fecit audire, & mutos loqui.

Licet (inquit Lyra) non exprimat hic, niſi *Lyra.* vnum ſurdum, & mutum eſſe curatum, tamen plures fuerunt cæci, & claudi, & muti curati, vt habetur Matth. 15. Sed inter il- *Matth. 15.* los fuit vnus, cuius cura fuit mirabilior inter cæteros: quia in ipſo tria miracula concurrerunt, ſecundum quod dicit Hiero- *Hieron.* nym. quia auditus fuit ei redditus, & affatus, & à Dæmone fuit liberatus, & hic ſolus exprimitur à Marco, quem ſingulari modo Chriſtus ſanauit; non tàm vt oſtenderet difficultatem curandi eos, qui ſpirituali auditu, & ſermone deſtituuntur; quàm vt ſcirent non ſemper fidem in infirmo requiri, ad conſequendam ſalutem, quando inquam, quæ deſunt ægro ſupplet is, qui ſanus eſt, videlicet, Chriſtus ingemiſcens, patiens, atque orans, & agens officium Sacerdotis integri. Quemadmodum in baptiſmo paruulorum contemplamur. Hi enim etſi per ſeipſos non credunt, ſed per patrinos, ſaluantur merito paſſionis, quod eis dum baptizantur, applicatur. Ac propterea ſacramentalia, quæ præcedunt baptiſmum his, quæ hic Chriſtus geſſit, cognata ſunt. Immo verè ab his ortum habent, velint nolint Vualdenſes, & alij, vt optimè Thomas Vualdenſis contra huiuſmodi Hæreticos diſſerit. Atque hæc dicta ſint ad Dei gloriam, & complementum totius libri, & capitis; ſi non plenè, vt quiſque optaret, ſaltem æquo animo, & integro, vt temporis breuitas, & penuria librorum conceſsit.

FINIS LIBRI SEPTIMI.

IN SA-

IN SACROSANCTVM CHRISTI EVANGELIVM SECVNDVM MARCVM

LIBER OCTAVVS.

IN CAPVT OCTAVVM

PRAEFATIO.

PARVM vni, aut alteri ſatiſfacere Chriſtus ducebat, niſi omnes, qui ad Deum piè accederent, ſolatos remitteret. Quapropter, poſt ſalutem vni ægroto datam, narrat Euangeliſta multorum ſatietatem; quam vnus, & idem munificentiſſimus ad ſe venientibus præſtitit. Enimuerò turbis conſideratis ſequentibus, quod nullam ad mandueandum ferrent alimoniam, neque eam facilè ab alijs comparare valerent, tùm quod diſtarent caſtella; tùm quod multitudinem magnam facilè nequiſſent vicinu loca ſatiare; miſertus eſt ſuper turbas, eaſque ſeptem panibus multiplicatis aluit, & recreauit piſcibus, quos vnus ex turba ferebat. Inde transfretauit Dalmanutha, quo, & conuenerunt maiores Iudæorum, vt ab eo ſignum de cælo acciperent, vel potius, vt tentarent eum, & deluderent. At eum dolos hominum veritas agnoſceret, neque petitioni, neque eſſe eum eis acquieuit. Statim enim aſcendit iterum in nauim, & appulit transfretum. Vbi diſcipulis ægrè ferentibus, quod vnicum panem detuliſſent, ſalubrem occaſione obliuionis doctrinam impertitur; videlicet non à panibus, & ijs, quæ corpus fouent omnino abſtinendum, neque multum pro eis ſolicitandum; ſed ab hypocriſi Phariſæorum, quæ animum deformat, & omnia opera inualidat, oportere longè fieri. Hac igitur doctrina regionem peragrantes, Bethſaidam veniunt, vbi cæco viſum reſtituit Chriſtus, & paululum progreſſus verſus caſtella Ceſareæ Philippi, interrogat diſcipulos qualem ſe reputarent cæteri, necnon ipſi quis de eo ſentirent. Cum per Petrum vera protuliſſe audiſſet, mortis ſuæ, & reſurrectionis futuræ certiores facit, & ad ſua veſtigia ſequenda hortatur, & confeſſionem, ſi velint in ſtatu gloriæ laudem, & honorem, ac confeſſionem optatiſſimam coram Angelis Dei accipere. Hæc eſt totius capitis ſumma, quam in tres partes libet partire. Prima continet miraculum, quod in deſerto ex modicis panibus, atque piſcibus Chriſtus edidit. Secunda aperit Iudæorum calliditatem, necnon Chriſti ſapientiam in deludendis hoſtibus, & inſtruendis familiaribus, non tàm verbo, quàm ſigno, quod in eorundem præſentia perpetrauit. Poſtrema opiniones tùm falſas, tùm veram de Chriſto proponit, necnon finem; vt qui illum appetunt non ægre ferant veſtigia Chriſti ſequi. Diuiſio in tres partes.

CAPVT PRIMVM.

In diebus illis iterum cum turba multa eſſet, nec haberent, quod manducarent: Conuocatis diſcipulis, ait illis.

PArtim doctrina, partim miraculis vniuerſam penè gentem ad ſe trahebat Chriſtus, adeoque ſui oblitam dummodo, vel audire eum poſſent, vel recipere quippiam ab eo, vt neque cibum curarent, neque ad propria regredi. His igitur occurrentibus in diebus illis, in quibus vitæ ſemina cæleſtis ſator diſſeminabat, vt alias, & mox iterum cum turba multa, quæ ſequebatur, proponit facere; tùm maximè, quod non haberent penes ſe, quid in illo vaſto ſolitudinis loco campeſtri manducarent, nec vnde facilè ſibi comparare valerent. Quare conuocatis in vnum diſcipulis, qui ei familiariores erant; ait illis, & exponit, quàm patiantur extremam neceſſitatem turbæ præſentes, vt pariter ipſi compaterentur animo, & pro egentibus ſolicitarentur, & conarentur ſaltem precibus apud omnium largitorem penuriam præuenire. Expoſitio.

In diebus illis. Quando, ſcilicet ex Tyro, & Sidone, & regione Decapolitana ad Galilæos prædicans, & operans mirabilia rediſſet. Sed quid *in diebus illis* cum non multis diebus turbæ fuerint cum Ieſu, & vna tantum die, ſequentem hanc turbam pauerit? oportunè *in diebus illis*, factum dici-

Digitized by Google

dicitur, quod vno die completum eſt, ceu paucis: Quoniam conſenſio turbarum cum Ieſu Eccleſiæ ſtatum ſignificat, refectio verò prouiſionem ſedulam, quam ab origine mundi accepit, & ſi fas eſt dicere, à diebus æternitatis. Iam enim *in diebus illis*, qui ſicut ſunt abſque principio, ita finem neſciunt, fuit Chriſto cura Eccleſiæ. Iuxtà illud: Quando præparabat cælos aderam, & quando æthera firmabat ſurſum, cum eo, inquit, eram cuncta componens, & delectabar per ſingulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in Orbe terrarum, & delitiæ meæ eſſe cum filijs hominum. Eorum, inquam, quos elegit ante mundi conſtitutionem, vt eſſent ſancti, & immaculati; & fideles haberentur in teſtamento eius. Etenim ipſe principium, qui & loquor vobis, & verbum, per quod facta ſunt omnia, & luxerunt in diebus æternitatis, antequam quicquam fieret à principio temporis; ſubinde Paulus intulit: Chriſtus heri, & hodie, & ipſe in ſæcula. Ad quem concentor alludit, decantans: Tu es Sacerdos in æternum. Nam & ab æterno per eum Eccleſia ordinata eſt, & prælecti fideles, & in diebus illis, in quibus cæpit mundo oriri Eccleſiaſticus ordo; ego, inquit, quoque parturiebam, & feci. Et vt portaui portabo; ſi quidem non tàm vt Deus vniuerſa condidit, & operatur, verum etiam, vt homo præuiſus Angelos ſeruauit à caſu; parentes generationis noſtræ eduxit à delicto ſuo, & quotquot ſalui facti ſunt, per eum redemptionem promeruerunt. Eſt enim Agnus, qui occiſus ab origine mundi, Michaelem, & eius ſodales victores fecit; & Abelem iuſtum, Enos cultorem Dei, & tranſtulit Enoch, & Eliam ad meliorem ſtatum; ac reliquos pauit in innocentia cordis ſui, & docuit bonitatem, diſciplinam, atque iuſtitiam, omnem hominem venientem in hunc mundũ, vt ad Deũ redirent, qui ſunt eius. Hinc Iacobus apud Clementem (lib. 3. Conſtitut. Apoſt. c. 12.) exorat: Tu Deus æternè, cuncta per eum feciſti; & per eum etiam vis cuncta prouidentia conuenienti procurari. Per quem enim eſſe voluiſti, per eundem, vt in bono ſtatu eſſent, conceſſiſti. Videlicet Cherubin, Seraphin, mundum, Eden, Adam, & omnes Patriarchas, & Sanctos, vt longa seriè proſequitur oratio. Ipſe ſiquidem (concludit Cyrillus Alexandrinus ex Iſai. teſtimonio. Omnes, qui credunt in illum non confundentur) eſt ſumma, & caput ſalutis omnium; oſtiumque & fidei via, eiuſdem eſt confeſſio. Quare *in diebus illis*, ex quo nedum homines, ſed etiam Angeli eſſe cæperunt, turbæ eccleſiaſticæ ad eum conuenerunt, iſque eas ſedulo pauit. Cæterum quod in diebus illis inuiſibiliter, & per ſymbola factum eſt; in hac die ſua vniuerſis manifeſtauit.

Prouidentia Dei deſignatur.

Prou. 8.

Eph. 1.

Ioan. 8.

Heb. 13.

Pſal. 103.

Chriſtus pręſeruauit Angelos.

Clement.

Cyrill. lib. 3. de recta in Chriſtum fide, ex ep. ad Rom qui ſit Deus.

Iterum cum turba multa eſſet. Plerique Latinorum, addunt litteræ, *cum Ieſu*. Id quod argumentũ facit ſolicitudinis Chriſti in prouidendis turbis. Nam qui cum Ieſu ſunt, vnum ſpiritum cum eodem fiunt, ac membra de membro; necnon Deo Patri cui eſt cura de omnibus charis, iuxtà illud: Pater meus amat vos, quia vos me amatis; rurſus: Si manſeritis in me, & verba mea in vobis manſerint, quodcumque volueritis petetis, & fiet vobis à Patre meo. Ergo concludit: Manete in dilectione mea. Hæc enim eſt, qua inhæremus Chriſto, & compaginat turbas cum Ieſu; vt ab eo ornatum, & vitam, velut poma, & fœtus, qui matricibus hærent, accipiant, & donentur altiori benedictione, quàm vnquam Iſaac, Iacob, aut alicui priorum per Patres obuenerit. Quoniam, vt ſpiritu nos ſanctificat (ait Cyrillus ibidem, quod fides tendat in Chriſtum, ex prima ep. Ioan.) Ita ſanguine nos expiat, & aqua munda nos abluit. Quin continuò è cælis mandat chariſmata ſemper meliora, quouſque mereamur conſedere ei, & conregnare. Habemus enim eum aduocatum apud Patrem. Cum enim (vt exponit Synod. Francfordiæ ad Moenum habita ſub Adriano Primo) naturam noſtram, quam in ſe aſſumpſit, in dextera Patris collocatum oſtendendo Patri inceſſabiliter manifeſtat, propitium cum nobis aduocatus noſter, quaſi interpellando efficit, & benignũ. Si tamen cum eo fuerimus, in eum credentes, & vt oportet dilexerimus. Pro his enim ſolum (diffinit Concilium Valentinum tempore Lotharij habitum, ſub Benedicto Tertio, cap. 4.) ſanguinem ſuum fudit, nedum ſanguinem, ſed preces iugiter ad Patrem habet, vt ſeruentur, & repromiſſionem accipiant filij Dei. Secus autem fit pro ijs, qui cum eo non ſunt. Neque enim ſunt filij Dei, vt loco citato Cyrillus diſcurrit; neque de ijs, quæ iuſtis impartiuntur, accipiunt; ſed quæ diabolo, ac reliquis, qui à magiſtro nequam non abeunt. Facti enim ſunt fœnum agri, & gramen paſcuæ, & herba tectorum, quæ exaruit antequam matureſceret; vt verè quilibet eorum exclamet: Dixi, non videbo Dominum Deum in terra viuentium, non aſpiciam hominem vltra, & habitatorem quietis. Igitur hortatur Ioannes: Et nunc filioli manete in eo, ideſt Chriſto, vt cum apparuerit, habeamus fiduciam, & non confundamur ab eo in aduentu eius. Nolo te prætereat lectio græca, ò lector, vt aliud inde myſterium vendices. Eſt enim lectio πάμπολλου ὄχλου. *Omninò multa turba*; vel vt habet Theophylactus: *Turba admodum multa*. Quo loquendi modo ſi Scripturæ phraſim attendamus, innumerabilis penè multitudo deſignatur, non ea, quæ ad certum, ac minimum, etiam millenariorum numerum fertur. Vnde in Apocaly-

Ioan. 16.

Idem 15.

Cyrill.

Synod Frãcfor.

Conc. Val.

Iſai. 3.

Iſai 38.

1. Ioan. 2.

Theophyl.

calypſi, poſt duodena millenaria, quæ cer-
tam continebant multitudinem, adijcitur
de innumeris exercitibus Dei: Poſt hæc
Apoc.4. vidi turbam magnam. Quare præſenti lo-
cutione ſubindicari totam Eccleſiã, quæ ab
Abel initiatur, & terminatur in vltimo iu-
ſto, non incongruè dicemus. Eſt enim om-
ninò, & admodum multa non ſolum in filijs
quæ numerum arenæ maris excedunt; ſed
& in patribus, qui neque vt ſtellæ cæli va-
lent numerari; quid ſi omninò multa ob
priuilegia, quæ in vnoquoque tantæ multi-
tudinis inſpiciuntur, Eccleſiam prædicemus,
nedum innumerabilem, ſed penè infinitam
profitebimur. Vt enim ſtella differt à ſtel-
la claritate, & influxu, ac motu, ſic iuſtorum
quiuis ſpirituali dono, iuſtificatione, atque
opera, ab alio diſtinguitur; ac propterea
non tàm Eccleſiæ, quàm cuilibet de Eccle-
Pſal 44. ſia membro ſancto decantatur: Aſtitit Re-
gina à dextris tuis in veſtitu deaurato cir-
cundata varietate. Auro enim charitatis,
& varietate donorum, & exercitiorum, qui-
bus quemquam Deus vocat, ornat, omnipo-
tentia, & ſapientia largitoris in cælis com-
mendatur, & ſublimatur perpetuis laudi-
bus.

Nec haberent, quod manducarent. Ab ore
enim Chriſti pendebant, & ſtupebant in mi-
raculis, vt vitæ obliuiſcerentur, ne curarent
cibum quotidianum. Quorum facto in pri-
mis inſtruimur, quàm dulcis, & ſuauis eſt
Dominus his, qui eũ ſequuntur, vt inediam
non ſentiant ineſcati potiori obiecto; ne-
que defatigentur animis ſi annona præſen-
tis vitæ deficiant ſortiti meliorem; denique
monemur id quod communius eſt aduer-
tere, videlicet ſectatoribus Chriſti plerum-
que deeſſe, quæ ſunt neceſſaria vitæ, ac ſæ-
pius ad extremam redigi pauperiẽ, & ſum-
mam rerum ſæculi penuriam ſuſtinere iu-
ſtos homines, qui nihil cogitant præter iu-
ſtum; & eos, qui pietatem ſectantur, im-
pietatem, atque impios habere aduerſus
communiſſimum eſt. Sed lætetur (inquit
Clemens. Clemens lib.5. Apoſt. Conſtitut. c.5.) quod
magiſtrum imitatur. Siquidem iuſſum eſt,
vt ſit vnuſquiſque perfectus, ſicut magiſter
ſuus, ac magiſter propter nos verberatus
eſt, colaphis, & alapis cæſus, & poſt verbe-
ra cruci affixus, aceto, & felle potatus, &
conſummatis omnibus, quæ ſcripta erant,
Luc.23. dixit Deo, & Patri: In manus tuas com-
mendo ſpiritum meum. Quamobrem, qui
optat eſſe illius diſcipulus, æmuletur illius
certamina, imitetur illius patientiam, vt
qui ſciat, & ſi igne ab hominibus torreatur,
nihil ſe tamen incommodi paſſurum, ſicut
Ratio efficax ad patientiam. illi tres pueri; aut ſi quid patiatur, merce-
dem, & immortalem requiem à Deo acce-
pturum, cui credit vni, & ſoli vero Deo, &
pati per Chriſtum magnum Pontificem, &
redemptorem animarum, & certaminum

remuneratorem. Itaque omnes (ſcribit
Zepherinus Papa epi.2. ad Epiſcopos Ægy- *Zepherin.*
pti.) qui in Chriſto volunt piè viuere, ne-
ceſſe eſt, vt ab impijs, & diſſimillibus pa-
tiantur opprobria, & deſpiciantur tanquam
ſtulti, vt meliores, & purgatiores effician-
tur, qui bona temporalia pereunt, vt per-
cipiant æterna. Eorum verò deſpectio, &
irriſio in ipſos retorquebitur, qui eos af-
fligunt, & contumelijs afficiunt, quum &
abundantia eorum in ægeſtatem, & ſuper-
bia tranſierint in confuſionem. Ergo cum
Apoſtolo nedum in infirmitatibus, ſed & in *1.Pet.1.*
penuria gloriemur, & cum panem ad man-
ducandum non habemus, omnem ſolicitu-
dinem in eum proijciamus, qui curam no-
ſtri habet, qui iuſtum non dereliquit, & dat *Pſal 135.*
eſcam omni carni, pullis coruorum inuo- *Pſal.146.*
cantibus eum, ſuppeditat; & liberat ab an-
guſtijs, qui patienter aduerſa ſuſtinet.

Conuocatis diſcipulis. Hos conuocat, non
vt conſiliarios, quandoquidem omne con-
ſilium habet; neque vt prouideant multitu-
dini, quum & in eadem penuria ſint, nec ſi-
biipſis ſufficiant, niſi iuuentur, quanto mi-
nus alijs; ſed eos accerſit, & ad conſilium
vocat, vt nemo in primis quantumuis ma- Sine conſilio nihil faciendum.
gnus, & ſapiens conſilium deſpiciat, ſed il-
lud quaſi lucernam in obſcura nocte dili-
genter inquirat. Quoniam ſcriptum eſt:
Vir conſilij non diſperdet intelligentiam, *Eccl.32.*
alienus, & ſuperbus non pertimeſcet ti-
morem. Fili ſine conſilio nihil facias, &
poſt factum, non pœnitebis. Inde Plato in *Plato.*
Theage ad Demodicum, vulgo dicitur con-
ſilium res ſacra eſt. Propter quod, vt Ale- *Alex.*
xander ſcribit lib.4. cap. 11. Senatores, qui
conſiliarij haberentur ſenatuſconſulto, co-
gi ad aliquid non poterant; quin neque
maledici præcepit Veſpaſianus. Sed & lex
noſtra, vt patres, conſiliarios iubet hono-
rari, & ſequi quaſi oracula eorum ſenten-
tias, qui quod verum eſt, conſulunt; nam-
que veritas à Spiritu ſancto eſt. Vnde
Moyſes conſilium Ietro ſecutus eſt, & Pe-
trus (vt auctor eſt Clemens lib.2. recog. ad *Clemen.*
Iacobum) pugnaturus aduerſus Simonem
magum, Nicætam, & Aquilam conſiliarios
habuit. Quare & his ſummum inſtrui Pon-
tificem non abs re meditabimur, vt qui ho-
mo ſit tametſi Pontifex. Cæterum de Con- Pontifex in fide nequit errare.
cilio Romani Pontificis, ſiue cum Cardina-
libus in Conſiſtorijs priuatis, ſiue in œcu-
menicis congregationibus cum Epiſcopis
Orbis habendis, ſit nobis certum, in his,
quæ ad fidem ſpectant, errare non poſſe.
Quia ſpecialis cura Petri à Domino ſuſcipi-
tur, ait Leo Papa ſer.3. aſſumpſ. ſua ad Pon- *Leo.*
tificatum, & pro fide Petri propriè ſupplica-
tur, tamquam aliorũ ſtatus certior ſit futu-
rus. Cui enim (ſcribit Bernar. epiſt. 190. ad *Bernar.*
Innocent.) dictum eſt aliquando; ego pro
pro te rogaui, vt non deficiat fides tua?

Con-

Digitized by Google

Conuocat verò Chriſtus Apoſtolos, vt ad ſolum Romanum Pontificem, qui Chriſti Vicarius eſt, ſciamus pertinere Concilium Generale congregare; vt ait Synodus Alexandrina ex decreto Nicæni Concilij primi in epiſt. ad Felicem Papam; & Iulius in epiſt. ad Epiſcopos Orientales; quem canonem Marcellus Papa in epiſt. ad Epiſcopos Antiochenæ primus Apoſtolicum facit. Abeant ergo hæreticorum dogmata; Caluini in primis, qui conſtanter dogmatizauit errare poſſe Roma. Pontificem; necnon Nilus, & Magdeburgenſes, ac reliqui hæretici noſtri temporis, qui poteſtatem congregandi Concilium ad Imperatorem deferunt. Eſt omnium perniciofiſſima hæreſis, aduerſus quam plures Eccleſiæ Patres inſurrexere; ad quorum ſcripta lectorem remitto. Interim audiamus Chriſtum.

Synodus Alex. *Iulius.* *Marcellus.* Confut. hær.

Ait illis. Hoc eſt proponit pio illo, & clementiſſimo animo, quo, vt omnium peccata portauit, ſupplere cunctorum miſerias, & egeſtates appetebat. Talem enim decebat nos habere Pontificem; & tales eſſe oportet, quos ſpiritus poſuit Epiſcopos Dei Eccleſiam regere, vt compatiantur infirmis, & ex corde ſtudeant vniuerſorum indigentijs opem ferre; nec ſine lachrymis, aut certè affectuosè de illis, qui eſuriunt ſubditis, loquantur, & ſedulo prouideant, ne quicquam de manu eorum pereat. Hæc eſt enim optimi paſtoris prima regula, quam deſeruerunt præ auaritia, quotquot ante Chriſtum fuerunt; de ijs autem, qui ſequuntur legimus. Hic iam quæritur inter diſpenſateres, vt fidelis quis inueniatur.

1. Cor. 4.

CAPVT SECVNDVM.

Miſereor ſuper turbam; quia ecce iam triduo ſuſtinent me, nec habent, quod manducent.

EN propoſitionem Concilij; qualem Orbis ab opifice expectabat. *Miſereor*, inquit, plenus charitate cum ſim, & ipſiſſima charitas, *ſuper turbam* egenam, & pauperẽ diffundunt ſe miſericordiæ meæ viſcera; quibus iamiam cunctos releuare propero. *Ecce* nec abſq; myſterio *iam triduo* abſq; alimẽto perdurant, *& ſuſtinent me* ſermocinantem; commeati verò, ac victus nihil curant; *nec* quidem *habent* penès ſe, *quod manducent* ad ſatietatem, neq; quo tantam multitudinem ab inedia queant ſubleuare, niſi aliundè eis prouideatur.

Miſereor ſuper turbam. Quia verus homo (notat gloſſ. ordin.) miſeretur, & compatitur affectu humanæ fragilitatis. Noſtri igitur cauſa (ait Euthychianus Papa, epiſt. 1. ad Ioan. & ad omnes Epiſcopos Prouinciæ Beticæ) hæc omnia Ieſus Chriſtus gerens, & corporis noſtri homo natus, ſecundum conſuetudinem naturæ noſtræ loquutus eſt; non tamen omittens naturæ ſuæ eſſe, quod Deus eſt; ſubſtantialiter namque manens (proſequitur Theodotus Ancyrorum Epiſcopus oratione de natiuitate Saluatoris, quæ habetur appendice, ſcilicet ad tomum ſextum Concilij Epheſini contra Neſtorium, Arrium, Photinum, Appollinarem, ac reliquos, qui de Chriſti humanitate, ac diuinitate perperam ſenſerunt) quod fuit, ſuſcepit paſſiones, ſemetipſum vniens naturæ paſſibili. Subiectus factus eſt, regnum non deponens; factus eſt homo, quod erat manens. Et Deus verbum incorruptibile exiſtens, natura impermutabilis, factus eſt caro. Quomodo, & quemadmodum? Non ſicut tu cogitare potes, ſed ſicut ille miracula facere poſsibilis eſt. Quando enim miraculum tibi dico, deſere rationes: ſignà enim, & prodigia Dei fide roborantur, & non rationibus aduertuntur. Non enim aliquid miraculorum noſtra ratione conſiſtit, & tamen ſingula facta ſunt, licet ratio non permittat. Quare etſi ratio affectum miſerationis in omnipotente non admittat, in Chriſto credat per fidem, quæ illum prædicat Deum, atque hominem. Huius enim eſt internas ſenſationes ad modũ paſsionum ſuſtinere, Dei autem ab effectibus his alienum eſſe. Sed quid *ſuper turbam*, & non *ſuper turbas*? Quoniam Eccleſiam, cui propriè Chriſtus miſertus eſt vſque ad ſanguinis proprij diſperſionem, tametſi multiplicata, vnica eſt, cuius vnitatem, inquit Cyprianus in tracta. de ſimplicitate Prælatorum, etiam in Cantico Canticorum Spiritus ſanctus ex perſona Domini deſignat, & dicit: Vna eſt columba mea, perfecta mea, vna eſt matri ſuæ, electa Genitrici ſuæ. Hanc Eccleſiæ vnitatem & Beatus Paulus Apoſtolus docet, & Sacramentum vnitatis oſtendit dicens: Vnum corpus, & vnus ſpiritus, vna fides, vnum baptiſma, vnus Deus. Eius enim Eccleſiæ membra (ſubdit Auguſt. de catechiſ. rudi. cap. 19.) erant etiam illi Sancti, quamuis in hac vita fuerint, antequã ſecundum carnem Chriſtus Dominus naſceretur. Ipſe enim vnigenitus Dei filius, verbum Patris, æquale, & coæternum Patri, per quem facta ſunt omnia, homo propter nos factus eſt, vt totius Eccleſiæ, tanquam totius corporis caput eſſet. Sed ſicut totus homo, dũ naſcitur, etiam ſi in naſcendo manum præmittat, tamen vniuerſo corpori ſub capite coniuncta, & compacta eſt. Quemadmodum etiam nonnulli ex ipſis Patriarchis, ad huius ipſius rei ſignum præmiſſa manu nati ſunt, tamen vniuerſo corpori; cuius ille caput, ſub capite cohæſerunt. Quapropter Iuſtinus Martyr, oratione ad Anto-

Gloſſ. ord. *Eutychian.* *Theodotus.* *Cyprian.* Eccleſ. vnitas probatur *Epheſ. 4.* *Auguſt.* *Iuſtinus.*

ninum, hac ratione μεταλόγον Chriſtianos appellari vult fideles, qui Chriſtum præceſſerunt. Et quidem ego non dubitarem ab vno Chriſto ciues cæleſtes vocitare Chriſtianos. Siquidem in lib. 3. Concilij
Conc. Nic. Nicæni lego: Vna eſt Eccleſia in cælo, & in terra, & in hac requieſcit Spiritus
Hæreſ. ſanctus, Hæreſes autem, quæ extra hanc ſunt, quas habent homines, non ſunt doctrinæ Saluatoris noſtri, neque Apoſtolorum; ſed Sathanæ, & patris eius diaboli, Quæ autem ſunt hæreſes Iudæorum, & gentium, alio docent modo, vt veram viam hominibus auferant. Sed quomodo vna, ſi multiplicata legitur? Quomodo (in-
Cyprian. quit Cyprianus ibidem) ſolis multi radij ſunt, ſed lumen vnum; & rami arboris multi ſunt, ſed robur vnum tenaci fundatum radice; & quomodo de fonte riui plurimi defluunt, numeroſitas licet diffuſa videatur exundantis copiæ largitate, vnitas tamen ſeruatur in origine. Miſeretur igitur Chriſtus ſuper turbam, hoc eſt, vnitatem Eccleſiæ; ſuper ſchiſmaticos minimè; neque ſuper eos, qui diſcordias amant, & à charitatis nexu ſe ſeparant bellis, inimicitijs, ac mutuis odijs; ſed perfecto odio deteſtatur. Qui ergo volunt Chriſtum ſibi miſericordem fore, pacem, & charitatem diligant, & curent de turba Chriſti eſſe, eiuſque vnitatem complecti. Perpende etiam lector ſtylum locutionis. Non enim ait *miſereor* turbæ, ſed, *ſuper turbam*; quod quibus miſereatur Chriſtus, non terrena, ſed cæleſtia, quæ ſupra ſunt, & è ſuperis veniunt, velit, expetat, exoret, atque concedat. Quapropter dicuntur miſerti congregari miſerationibus magnis, & diligi in charitate perpetua, vt qui non corruptibilibus auro, & argento, ſed cæleſtibus, quæ diuturna ſunt locupletentur. Hæc enim eſt magna miſericordia, quam Pſaltes poſtulat, & pro qua nos Chriſtus ſolicitos fore hortatur. Hanc annotationem non tàm præpoſitio, *ſuper*, quam textus græcus mihi ſuppeditat; legit enim σπλαγχνίζομαι ἐπὶ τὸν ὄχλον *viſceribus commoueor ſuper turbam*. Viſcera autem miſerantis nunquam dicuntur commoueri, niſi quando ſupremo dono, & completiſſimo patientis egeſtatem nedum ſupplere, ſed ſuperabundare egenum optamus. At terrenis quis vnquam ſuperabundat, vt vel ſatietatem ex eis capiat, aut ceſſet clamare affer, affer? Ergo quæ miſericordiæ Dei viſcera, & Chriſti noſtri penetralia cordis nobis impartiuntur altioris ſunt ordinis, vtpotè diuini, quibus nihil eorum, quæ ſub ſenſum cadunt, valet comparari; aurum æſtimatur, vt lutum; & opes Crœſi arenam exiguam dixeris, ſi quæ de ſurſum ſunt animi bona contemplaueris.

Quia ecce iam triduo ſuſtinent me. Sed quare (percontatur Beda) ſuſtinent triduò *Beda.*
de longè venientes? Matthæus (inquit) plenius dicit ſic: Et aſcendens in montem ſedebat, & acceſſerunt ad eum turbæ multæ, habẽtes multos infirmos, & proiecerũt eos ad pedes eius, & curauit eos. Itaque occupatio pia, & exercitium ſalutare eos diuertit à ſolicitudine cibi, eiſque nedum ſuaue, ſed vtiliſſimum reddidit Chriſti ſpectaculum. Subinde Patres Religioſis, & ijs, qui ſe Chriſto deuouerunt, continuò occupationem ſanctam ſuadent, vt valeant in Chriſti præſentia proficere, neque vnquam à cœpto deſiſtant, aut in opere, quod auſpicati ſunt in ſacro ordine, & profeſſione, defatigentur. *Nunquam vacandam à pia occupatione.* Quemadmodum igitur (ait Baſilius ad q. 37. fuſiùs explicatam) neceſſa- *Baſilius.*
rium eſt vnicuiq; quotidianum alimentum; ſic neceſſarium eſt, & pro viribus opus. Non enim fruſtra Salomõ in laude ſcripſit: Cibos *Prou. 31.*
Segenes non comedit. Et rurſus de ſeipſo Apoſtolus. Neq; gratis panem comedimus ab aliquo, ſed in labore, & ærumna nocte, *2. Theſ. 3.*
ac die operantes quamquam habens poteſtatem (quum Euangelium annuntiem) ex Euangelio viuendi, ſed & Dominus ſegniciẽ malitiæ conuinxit, dum ait: Serue male, & *Matt. 25.*
piger. (Paulò poſt) Quandoquidem verò, quidam orationum, ac pſalmodiæ prætextu recuſant opera, noſſe oportet, quod in alijs quidem quibuſdam, vniuſcuiuſq; tempus proprium eſt, iuxtà Eccleſiaſten, qui dixit: Tempus omnis negocij eſt: orationis *Eccl. 3.*
autem, & pſalmodiæ, vel vt etiam aliarum plurium rerum omne tempus eſt, itaut interim commodè manus ad opera moueamus, & aliquando etiam linguam, vbi hoc poſſibile, immo potius vtile fuerit ad fidei ædificationem. De hac quoque operum occupatione, & exercitio exteriori plura Hieron. Auguſt. atque alij ſcripſerunt. Nos verò deberi operi, & occupationi ſanctæ iugiter inſiſtere, præter oracula, quæ clamant: Exibit homo ad opus ſuum, & ad *Pſal. 103.*
operationem ſuam vſque ad veſperam: Ne oderis laborioſa opera: Iudicia mea cuſto- *Eccl. 7.*
diatis, & operemini: qui operatur terram *Ezech. 36.*
ſuam inaltabit aceruum frugum: In opere bono erit abundantia; atque alijs. Etiam ratio perſtringit ſapientis animum, ſeipſum nunc exercere ad pietatem, quæ magnam habet remunerationem, quandoque ſectari hoſpitalitatem, quæ eſt vinculum perfectionis; nonnunquam egenis, viduis, pupillis, & ijs, qui poſiti ſunt in tribulatione, ſolamen aliquod afferre, vt diuinam ipſi conſolationem promereantur, ac denique ſi res poſtulat, opera manuum proſequi, & artem honeſtam, non ad victum ſolum, ſed vt relegata ocioſitate, quæ ęruginem, rubiginem, ac malum omne aduocat, ſpiritus conſeruetur, vt ignis inter cineres, & altius volet, vt grues de-

miſſo

miſſo lapide; ac ſeruus fracta ceruice & argutie ob opus currat pariter ad Deum cum hero, ſi fortè, & ipſe dignetur proſpicere, & deguſtare, quæ cum ſpirituali animo, haud ſecus, quàm cum Helia agitur, alter Heliſæus effectus. Inde opifex ſummus, nec orbes voluit quieſcere, vt qui viciſſitudinem hanc contemplamur, ad operationem excitemur, tùm maximè quod prius hominibus inditum ſit operari inter excubias cuſtodiæ Eden. Cuſtoditur quidem Eden, qui & Deus contemplatione; aſsidua oratione, & prece, quæ oculos ad cælos, ad Dominum, & ea quæ ſurſum ſubleuat; at qui debilibus vtimur oculis, neceſſe habemus demiſsis palpebris, vt Aquila volitare ad opera quaſi ad prædam; ſic enim bonum depoſitum cuſtodimus; talentum multiplicamus; lampades accendimus; demumque laudantur, qui ſic alternatim agunt de fidelitate, & prudentia; quodq; glorioſus eſt, inter commenſales Regni, velut operatores optimi, & cuſtodes vigiles commiſsi theſauri, & vineæ, commemorantur. Qui autem exercitia negligunt, & occupationem, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, negligentiores apparent in reddendis promiſsis, demumque vel apoſtatant à ſtatu, & fide; vel certè nomen retinentes, quod viuant, ipſi mortui ſunt. At numerum horum quis nouit? Neque Ezechieli minima pars innotuit. Etenim puſillos, & magnos legimus mortuos; & quidem in ocio viuentes, tàm qui præſunt, & in magnis ſe occupant abſque fructu; quàm qui obſequuntur, & in puſillis, quæ nullius ſunt momenti, vitam degunt animalem, mortuos ego clamito. Viuunt tantum hi, qui vt Deum penes ſe cuſtodiant, ſpiritualibus vacant, & operantur corporales exercitationes, vt iugiter ſtent coram Chriſto ſuo, & miniſtrent infatigati cum Samuele. Huiuſmodi nedum triduo, ſed centum, ac mille annos, quinimo perpetuo, ſi eos ſic in corpore eſſe Deus ipſe iuberet, Chriſtum ſuſtinebunt. Atque hac de cauſa gentes hæ triduo, nulla cibi habita ratione Chriſtum ſecutæ fuerint: quod occupationi nedum ſpirituali, Chriſtum contemplantes; verumetiam corporali in iuuandis infirmis ſe totas dederint. Porrò quod triduo præponatur aduerbium, *ecce*, mihi negocium faceſsit. Namque myſterij eſſe notam cunctis ex oraculis eo prænotatis eſt manifeſtum. Quid autem hoc in loco prognoſticet, difficilè apparet, niſi ad myſticos ſenſus recurramus. Iuxtà enim hunc, ipſe genus humanum expectans Chriſtum hoc triduo vitæ, quæ in natura cœpit, in lege creuit, & ſenuit in Euangelio, dicerem præſignari. Ad particulares verò homines

Interpretatio myſtica.

deſcendendo, ille triduo Chriſtum ſuſtinet, qui vitam totam conſecrat Trinitati, eiuſque fidem legem, atque miniſtros obſeruat. In clero autem ille triduo Chriſtum ſuſtinet, qui animæ puritatem amat, exercet corpus diſciplina ſalutari; & proximis ſe irreprehenſibilem exhibet, atque vtilem. At in ſtatu religioſo ſuſtinet Chriſtum triduo, qui tria monaſtica vota integrè complet.

Nec habent, quod manducent. Niſi veritas teſtaretur, quis crederet totam hanc multitudinem tàm adeò imprudentem, & negligentem extitiſſe, vt commeatum ad deſertum locum properantem non ferret? quod vnus, aut alter ſui obliuiſcatur, facilè eſt; non omnes ab annona abſtinuiſſe, cui perſuaderemus, niſi Chriſtus diceret: *Non habent, quod manducent?* Etenim prouidentiſsimus Deus, vt homini dat occupationem hanc peſsimam requirendi, & aſſeruandi non ſolum neceſſaria vitæ, ſed etiam ſuperflua theſaurizandi, quæ ſæpius, neque ſibi, neque alijs proſunt; ita quandoque obliuionem eiſdem ingerit cunctorum, vt non recordentur Chriſtiani neque hodierni diei: indeque ad prouidentiam Dei, vel inquirendam, vt Hebræi in deſerto, vel agnoſcendam, vt hi in ſimili loco, ſubleuentur. Itaque memoriam, & obliuionem perſæpè inducit opifex hominibus, vt magnificum ſe declaret. Id quod poſt factum agnouit Maria, quando requiſitum Ieſum in medio Doctorum ſedentem inuenit, nec non Dauid, qui oblitus panes accipere, compulſus fame ſanctos panes manducauit, in quibus Chriſtum denotaſſe, & eius fortitudinem roboratum ſe eſſe in exceſſu mentis poſitus agnouit, vt cantaret: Poſuiſti in conſpectu meo menſam aduerſus omnes, qui tribulant nos.

Luc. 2.
1. Reg. 21.
Pſal. 22.

CAPVT TERTIVM.

Et ſi dimiſero eos ieiunos in domum ſuam, deficient in via: quidam enim ex eis de longè venerunt.

INdignum ſuæ maieſtate reputat homines vacuos ſtomacho, & gratijs dimittere, qui tantam in eum fidem oſtenderant, vt facto viderentur proteſtari eius potentiam non ſolum in ægros, quos ſanauit; ſed etiam inualidos, quos abſque cibo ſuſtentauit triduo, adeò ſatiatos, vt non eſſet, qui fame premeretur: alioqui exclamaſſent pro fame, ſicut pro ægrotis. Siquidem nulla maior ægritudo, quàm fames

Expoſitio.

ipſa, quæ morbos parit immedicabiles, & aërem inficit, atque animantia perdit. Ergo, inquit, etſi ego qui cuncta poſſum, *dimiſero* à me *eos*, qui tam affectuosè ad me venerunt, & permanſerunt mecum; *dimiſero*, inquam, *ieiunos* nullo percepto alimento, quo relementur antequam in domum ſuam reuertantur; præ fame, & neceſſitate naturæ *deficient*, & cadent *in via*, ac terra deſerta, & inaquoſa. Siquidem plurimi ex eis, qui conuenerant in deſertum locum, de longè, ac remotiſſimis terræ locis venerant, ad quæ neque facilis, neque promptus erat regreſſus.

Et ſi dimiſero eos ieiunos in domum ſuam. Conſidera autem & hoc (ſcribit Theophylactus) quod Chriſtus nullum vult dimittere ieiunum. Omnes enim vult deliciis donorum ſuorum ali, & maximè eos, qui triduo apud ſe manent, hoc eſt, baptizatos. Illuminatio enim dicitur baptiſma; quia autem baptiſmus in tribus manſionibus fit, ita & triduo manent, qui per baptiſmum illuminantur. Hinc fortè inoleuit mos apud Græcos, lauacro initiatos communicatos dimittere; & olim conſueuiſſe mel in ora baptizatorum dimittere, in ſignum largitatis Chriſti, ad quem vt ad medicum, & doctorem, qui baptizantur, properant. Horum enim nullum, qui ritè accedat, dimittit ieiunum. Siquidem per Spiritum ſanctum, qui datur baptizatis, vel vt definit Synodus Tridentina, per infuſionem virtutum, demandantur mundi ab originali culpa, & actuali, quam voluntariè committunt, vt inquit Carthaginenſe quartum, cap. 1. Quoniam baptiſmus, ait Clemens lib. 3. Conſtitut. Apoſt. cap. 17. datur in mortem filij Dei; quæ vniuerſa crimina expiat, & nouum hominem efficit. Siquidem quotquot in Chriſto baptizati eſtis Chriſtum induiſtis. Ergone mittet ieiunos, quos ſeipſo replet, & induit? Abſit à nobis piaculum, quod olim apud Armenos ſerpſit, mox verò lutheraniſmum facit horridum, videlicet, baptizatos abſque gratiam dimitti. Id quod etiam In omni ſacramento Eccleſiæ euenire impudenter nimis ſchola tota Magdeburgenſium affirmat. At qui factor eſt gratiæ, & dator, ſteriles homines, & peſtilentes condemnat dicens: qui venit ad me fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam; ecquis fons iſte, niſi gratia, quæ eſt vita æterna? Doceant igitur (ſtatuunt Patres Moguntinæ Synodus cap. 11.) etiam paſtores noſtri, ſeptem eſſe Eccleſiæ ſacramenta, diuinitus inſtituta, per quæ velut apta remedia, atque inſtrumenta, & peccatis noſtris mederi, & ſuæ gratiæ munera nobis impartiri Deus voluerit. Eaque non eſſe ritus ſimplices, quod quidam impunè confingunt; ſed ſacroſancta ſignacula, & efficacia ſigna, quæ ritè ea ſuſcipientes, gratiam eis conferendo ſanctificent. Gratiam verò ſacramentorum non ex ipſa externarum rerum virtute, nec ex merito miniſtri, ſed ex interna, & diuinæ operationis virtute æſtimandam eſſe. Proinde Synodus Tridentina, ſeſſion. 7. decreto de Sacramentis, tredecim anathematiſmis hæreticos, qui contra ſentiunt, condamnat. Itaque accedentem ad ſe, ſiue per baptiſmum, aut aliud ſacramentum, ſiue per orationem, & imitationem vitæ, ac ſalutares inuentiones neminem patitur abire ieiunum; ſed roboratum gratia, & virtute. Ergo accedite ad eum, & illuminabimini, melius, quàm Ionathas melle, neque collyrio debilis, & facies veſtræ non confundentur, quinimo ſi Aſſueri promiſſum ad ſpiritualia trahamus, dimidiam Regni partem conſequemini: Nam dimidium facti, qui benè cœpit habet. Verum enimuero ſtudioſè qualitatem huiuſce dimiſſionis ex textu græco perpendito. Habet enim καὶ ἐὰν ἀπολύσω αὐτούς, *& ſi abſoluero eos*. Siquidem ad Chriſtum nemo venit in carne mortali, niſi grauatus, vel culpis, vel aliis vitæ ærumnis, & periculis, quibus natus de muliere homo repletur. Sed abſoluitur peccatorum onere per gratiam, quam recipit in Sacramentis, & per nouos, ac continuos fauores, quos dum orat, & operatur Chriſto conſona, aſſumit pennas ſicut Aquila, volatque abſque grauamine ad domum ſuam, neque ſentit diras moleſtias domeſticorum, neque timet poſſe aliquando grauari, dicens: Omnia poſſum in eo, qui me confortat. Non timebo, quid faciat mihi homo, quia charitas, omnia poteſt, omnia ſuſtinet, omnia ſuffert, & quidem abſque moleſtia; immo verò cum gaudio gaudet in Domino, qui illum induit veſtimentis ſalutis, & ſicut adipe, & pinguedine repleuit eum ſpiritu principali. Itaque abſoluit à culpa, & miſeria dignum ſe.

Deficerent in via. In græco legimus ἐκλυθήσονται ἐν τῇ ὁδῷ. Hoc eſt, *exoluentur in via*. Exoluo enim quod eſt propriè à ligaminibus liberari, & ſolui, transfertur ad mortem ſignificandam, in qua debitum naturæ ſoluimus, & ab ergaſtulis, & laqueis carnis huius ſoluimur. Vnde verbo exoluentur aliquid amplius, quàm deficerent ſubindicatur. Nam deficere dicitur, qui debilitatem aliquam corporis patitur, atque animi; exoluitur autem, qui exanimis redditur. At exanimatio, & exolutio à deficientia incipit; paulatim enim deficiens viribus animam exalat. Itaque deficere qui incipit à Deo, à lege, à profeſſione, neque curat aliquid à Chriſto accipere demum exoluitur,

Margin notes (left column): Theophyl. — Synod. Trident. — Conc. Carthag. 4. — Clemens. — Hæret. error. — Ioan. 4. — Synod. Mogunt.

Margin notes (right column): Synod. Trident. — Pſal. 53. — 1. Reg. 14. — Heſter. 5. — Iob 14. — Iſai. 40. — Philip. 4. — 1. Cor. 17. — Pſal. 50.

uitur, & funditus corruit mortuus. Cæte- *Ambroſ.* rum bonus quidem Dominus (ait Ambroſ. ſuper Lucam) ſtudia exigit, vires miniſtrat, non vult ieiunos dimittere, ne deficiant in via. Hoc eſt, vel in iſtius curſu vitæ, vel antequam ad caput viæ perueniant; ſcilicet, ad patrem, & intelligant, quod ex patre Chriſtus eſt: ne fortè eum acceperint, quod natus ex Virgine eſt, incipiant non Dei virtutem, ſed hominis æſtimare. Ad hęc *Beda.* Gloſ. Bedæ deſignatur, quod viam præſentis ſæculi, aliter incolumes tranſire nequimus, niſi alimẽto verbi ſui Chriſtus nos reficiat. *Ioan. 15.* Dixit enim: Sine me nihil poteſtis facere. Ac *Ioan. 6.* proinde Petrus intonauit: Quo ibimus, quia verba vitæ habes? vt enim perijt ſuffocatus, quando aërem non attrahit pulmo; ſic homo à vita ſpiritus corruit, quando ſpiritus oris noſtri Chriſti non inſufflat hominem, nec eſt, qui eloquium eius ignitum, & viuificum ad interiora animi tranſmittat. Dum enim ſpiritus prædicationis ſilet, nihil præter oſſa licet cernere, vt in hæreticis, & paganis contemplamur; quando autem egreditur ſpiritus verbi Dei, oſſa ad oſſa conueniunt, caro, nerui, demumque pellis exoritur, & qui mortui erant, reuiuiſcunt. Verbo enim Domini charitas fraternitatis operatur, & coniungit deſcidentes; fides augetur, & in Deum pietas rutilat, omnemq. ornatum ſuſcipit fidelis auditor, & fulcimentũ, vt tantũ abeſt, quod deficiat, vt currat viam mandatorum, & ad omnia mandata infractus dirigatur. Quapropter ſtatuit Syno- *Synod. Mogunt.* dus Moguntina c. 52. ne Parrochi, ac Concionatores ſedulitatis, ac laboris ſui fructum amittant, ſi plebs ſacras eorum conciones audire refugiat. Præfectis noſtris per loca ditionibus noſtris ſubiecta iniungimus, vt tempore concionum, & diuinorum officiorum, otioſiam turbam è tabernis, è foro, & plateis abigant, & concionibus, & diuinis officijs intereſſe, niſi legitimis cauſis impeditos, debitis pœnis cõpellant. Quod ſi obſeruaretur vbiq; fortè non deficerent in via, tot, tantiq. fideles ex omni ſexu, & ſtatu, qui dum negligunt prædicationem verbi Dei, multis erroribus inuoluuntur, & indureſcunt in malo; quod ſemel imbiberunt.

Quidam enim ex eis de longè venerunt. Sed quis ad Chriſtum de prope venit? Angelus ſolus, qui miniſtrat, & aſſiſtit iugiter eidem, de prope venit, hoc eſt ſanctus ad eum accedit; Virgo mater, quæ tota pulchra eſt, & abſque macula, hæc quoque proprior Chriſto, quàm Angelus extitit, maiori, inquam, ſanctitate ad Chriſtum accedit. Cæterorum neque infans vnius diei, cui eſt vita ſuper terram, ad Chriſtum venit niſi de longe, hoc eſt, de peccato, & ſtatu infecto, qui à Chriſto longè eſt. Subin- *Beda.* de Beda dixit: Qui poſt carnis flagitia, poſt furta, violentias, & homicidia ad pœnitentiam redeunt, ad Dominum de longinquo veniunt. Quanto enim quiſque plus in prauo opere errauit, tanto ab omnipotente Deo longius receſſit. Credentes de gentibus de longè venerunt ad Chriſtum, Iudæi verò de prope, qui legis, & Prophetarum erant litteris edocti ex illo. Iuxtà illud: Filij tui de longe venient, & filiæ tuæ *Iſai. 60.* de latere ſurgent. Filiæ Sion ipſi ſunt Hebræi, qui per fidem iuſtificati à peccato ſurgunt ad occurſum Chriſti, vt vitam abundantius habeant, latus enim Chriſti iuſtitia eſt; ſicut & longè iniquitas, ex qua filij Eccleſiæ gentiles ad Chriſtum ducente ſtella prædicationis peruenerunt. Quod autem eorum, qui de longe venerant, mentionem faciat Euangeliſta, minimè verò eorum, qui de latere, ceu propè, vt notat plures è longinquo quibus Chriſtus potius compaſſus eſt; ita Eccleſiam deſignat ex multitudine gentium coaugumentandam potius, quàm ex Hebræis. Iuxtà illud: Lauda ſterilis, quæ *Iſai. 54.* non paris, decanta laudem, & hymni, quæ non pariebas, quoniam multi filij deſertæ magis, quàm eius, quæ habet virum, dicit Dominus; Sed & ſolicitudo, quam de longinquis Chriſtus habuit ne deficerent, indicabat ampliores fauores, quibus Chriſtus gentes ad ſe venientes proſequi deberet, vt inquit Iſaias: Dabo eis in domo mea, & in *Iſai. 56.* muris meis locum, & nomen melius à filijs, & filiabus: nomen ſempiternum dabo eis, quod non peribit. Porrò non abigere longinquos, ſed admittere, & curam eorum agere, notat pœnitentes, qui à longè veniunt, recipi oportere, & foueri. Ego enim dicebat Matthæus apud Clementem (lib. 2. *Clemens. 3* Conſt. Apoſt. cap. 39.) vnus ſum ex numero duodecim; qui vobis in hac doctrina loquuntur, idemque fui prius quidem publicanus, nunc verò per fidem miſericordiam adeptus, & ad pœnitentiam anteactæ vitæ adductus, dignuſque habitus, vt Apoſtolus, & præco verbi Dei ſim; & Zachæus, quem Dominus in pœnitentiam deprecantem recepit, ipſe item fuit publicanus: iam verò milites, & turba publicanorum, cum acceſſerunt ad audiendum verbum Domini de pœnitentia illud à Ioanne Propheta poſt baptiſmum audierunt: Nihil præter conſtitutum facite. Ergo ſubdit Apoſtolica Conſtitutio ibidem cap. 41. *Can. Apoſt.* Si quis conuerſus pœnitentiæ fructus ediderit, tunc ad orationem admittite, vt illum filium, qui perierat. Et infra. Quod enim Deus non ſolum recipit pœnitentes, ſed in priorem gradum dignitatis reſtituit, teſtis eſt ſanctus Dauid, qui poſt peccatum in Vriam admiſſum precabatur Deũ dicens: Redde mihi lætitiam ſalutaris *Pſal. 50.* tui, &c. Si quis ergo dixerit (ait Synod. Trid. *Cõc. Trid.* ſeſſ. 6. decreto de iuſtificatione cano. 29.)

eum, qui poſt baptiſmũ lapſus eſt, non poſſe per Dei gratiam reſurgere, aut poſſe quidẽ, ſed ſola fide admiſſam iuſtitiã recuperare ſine ſacramento pœnitentiæ, prout ſancta Romana, & vniuerſalis Eccleſia, à Chriſto Domino, & eius Apoſtolis edocta, huc uſque profeſſa eſt, ſeruauit, & edocuit, anathema ſit. Quare anathema Montanus, qui ſecundum Hieron. lib. 2. aduerſus Iouinianum neganit pœnitentiam lapſis prodeſſe: anathema Nouatus, cuius ſectatores Cathari, hoc eſt mundi appellabantur, quod baptiſmi innocentiam ſemper retinendam eſſe docnit, nec ſperandum in pœnitentia poſt lapſum, quum nihil prodeſſet; contra quem vt ſcribit Euſebius lib. 6. hiſt. Eccl. c. 34. Cornelius Pontifex Romæ Concilium congregauit. Ac demum anathema Lutherus, qui etſi lapſis ſpem ſalutis concedat, negat tamen per pœnitentiam contingere, ſed per fiduciam, quod peccata ſibi in Chriſto remittantur. Huius peſtilentis hæreſis patronum Lutherum, quotidie nouis ſcriptis viri celebres retundunt; ſecuti Roffenſem, qui primus arma aduerſus hominem ſumpſit. Alios verò Cypriaùs oratione de lapſis habita; & Chryſoſt. lib. de reparatione lapſi. Ambroſius lib. de pœnitentia, atque alij.

Neceſsitas pœnitentiæ, & fructus. — *Hieron.* — *Euſebius.* — *Cyprian. Ambroſ. Chryſoſt.*

CAPVT QVARTVM.

Et reſponderunt ei diſcipuli ſui. Vnde illos quis poterit hic ſaturare panibus in ſolitudine?

Expoſitio.

AVdita Chriſti propoſitione Apoſtoli, tantum abeſt, vt in eandem accenderentur pietatem, quam in diſcipulis magiſter deſiderabat, quod potius euaſionem quærerent ne prouidẽdis turbis inſiſterent. Etenim reſponderunt ex propria quidem ſententia; & ſi diſcipuli ſui edocti iam ſatis in diuinis, nihil tamen quod ſaperent diuinum dixere, ſed more hominum, & puſillorum locuti ſunt dicentes: *Vnde* tanta alimoniæ abundantia poterit nunc in breui comparari, vt illos in tanto augmentatos numero, quis nedum noſtrum, ſed neque mox aduentantium cum omni ſuppellectile, & annona poterit hic in deſerto vaſto, inaquoſo, & inuio ſaturare non ſolum obſouijs, ac delicijs, vt diuturna inedia, & triduana fames poſtularet; ſed neque panibus, qui in vrbibus prompti ſunt, & locis populoſis? At in ſolitudine vnde? Hoc eſt hominum reſponſum, nuſquam in ſchola magiſtri eorum, neque lectum, neque propoſitum, quinimo quod opponitur iſti, inculcatum ſæpius, videlicet ſolicitudinem omnem in eum proijcere, qui lilia veſtit aues paſcit, & rerum vniuerſitati diffuſiſſimè prouidet. Verum vt ſcirent gentes, quia homines ſunt, interrogationi magiſtri reſponſionem humanam proponunt.

Et reſponderunt ei diſcipuli ſui. Non ſolum refert reſponſum minus aptè prolatum; ſed cui ſit datum, videlicet Chriſto; & à quibus, vtpotè diſcipulis, nec quidem à communibus, ſed à ſuis, qui ſecum familiarius tractabant, nempè Apoſtolis. Vt vel inde perpendamus humanæ mentis, etiam aſſuetæ diuinis, imbecillitatem, & pauperiem; quæ neſciat Deo reſpondere. Inde Iob: Si repentè interroget, quis reſpondebit ei? Scimus enim ait Apoſtolus, quod omnis creatura ingemiſcit, & parturit vſq; adhuc. Non ſolum autem illa, ſed & nosipſi primitias ſpiritus habentes; ſed ſpiritus adiuuat infirmitatem noſtram. Nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus. Quamdiu enim in carne viuimus, quaſi modo geniti infantes, & paruuli, qui potius ſignis, quàm claro ſermone parenti animum aperimus. Quare ſubdit Apoſtolus: qui ſcrutatur corda ſcit, quid deſideret ſpiritus; & quid opus ſit, datque bona petentibus ſe, quæ expediunt, non quæ poſtulantur. Nam filio pater terrenus, qui plerumque malus eſt, non porrigit lapidem, neq; ſerpentem, dicebat Chriſtus, etiam petenti, & lachrymanti, ſed panem, aut piſcem, quodque ætati conducit, & iuuet infantem. Quid is faciet, qui totus eſt bonus, & diligit ſuos in charitate perpetua, & meliora ſemper quærit? etenim manus illius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis. Vt enim tornatile diſcurrit facilè, ſic Deus in operando promptiſſimus eſt, & liberaliſſimus in dando; quæque præſtat non ferrea, ſed aurea ſunt, hoc eſt, electa, & ſpecioſiſſima, vt nihil ſupra; ſunt enim plenæ hyacinthis, cæleſtibus inquam donis, adeò vt ad imaginem cæleſtis transferant eum, cui datum eſt frui diuino opere, & datis Dei impleri. Ex quibus tanto commendatur auctor, quanto præ ruditate, & ignorantia humana minus ſciamus petere, quid expediat; neque interrogati reſpondere, quid vel nobis, vel alijs vtile videatur.

Iob 9. — *Rom 8.* — *Ibidem.* — *Luc. 11.* — *Cant 5.* — Ignorantia humana.

Vnde illos, quis poterit hic ſaturare panibus in ſolitudine? Fuerit ne eadem deſerti ſolitudo, cum ea in qua iuxtà Matth. quinque millium hominum multitudinem ſatiauit, non ſatis conſtat: Illi enim videntur paſti vltra mare hi verò cis; quandoquidem naui conſcenſa, Dominum legimus in partes Magedan, & Dalmanutha transfmeaſſe; niſi dixerimus Chriſtum in oppoſitum maris litus non nauigaſſe, ſed ripam littoris eiuſdem circumlegiſſe. Ego duas fuiſſe ſolitudines diſtinctas crederem, vt ex his quoque factum myſterium, tàm in ſolitudine gentium, quæ idolatrijs, quaſi ſpinis deſerti abundabat, quàm in ſolitudine hebræorum, quæ vitijs, vt tribulis re-

pleta

pleta erat. Pro Rege enim habebant Tyrannum alienigenam; pro Sacerdote perpetuo venalem, vt ſcribit Ioſephus; & pro lege traditiones humanas, innumeris erroribus permixtas à Phariſæis, Saduceis, Eſſenis, & Herodianis, vt Hier. cum Epiphanio ex Ioſepho annotat. Solitudinem autem gentium ſcimus omnes, & in quantum vitiorum baratrum deuenerint totius orbis nationes, antequam exiret qui ſeminat, & veniret ſator cæleſtis in Bethlem vniuerſos ſatiaturus panibus. Miraculum autem quod in vtraque geſſit ſolitudine, iugiter confitemur hebræi, & gentiles. Nam ad eos dicitur. Gaudete, & laudate ſimul deſerta Ieruſalem, quia conſolatus eſt Dominus populum ſuum, redemit Ieruſalem; conſolabitur Dominus Sion, & conſolabitur omnes ruinas eius, & ponet deſertum eius quaſi delitias, & ſolitudines eius quaſi hortum Domini. De miraculo autem, quod nobiſcum gentilibus noſtra in ſolitudine actum eſt, habet oraculum: Lætabitur deſerta, & in via, & exultabit ſolitudo, & florebit quaſi lilium. Germinans germinabit, & exultabit lætabunda & laudans: Gloria Libani data eſt ei, decor Carmeli, & Saron; ipſi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei noſtri. Videlicet Chriſtum, qui legem vt viam dedit, & quaſi lilium gratijs florere fecit, germinare ſanctorum innumeram multitudinem. Nam diſſoluti idolatrijs confortati ſunt ad martyrium; debiles præ cura carnis roborati ſunt ad pœnitentiam: puſillanimes abſque timore loquuti ſunt ſapientiam inter perfectos; errantes in varijs ſectis, viderunt lumen verum; claudi vitijs ſalierunt ad virtutẽ, per aquas baptiſmi ſacri reſtituti. Adeo vt in orbis Domina Roma, quæ Dæmoniorum erat receptaculum, viror calami aromatici, vnde orbis ſalutem conſequitur, iugiter oriatur; ſiquidem hic ſedet Vicarius Chriſti, qui eſt ſemita, & via his, qui gloriam Regni cæleſtis ambiunt. Hic non leo hæreticus, neque mala beſtia à fide deuiant, vt inquit Greg. Nazianz. in carmine de vita ſua, Cyprianus lib. 1. epiſt. 3. atque alij, ſed Petri ſucceſſor ſedet, qui rectam teneat fidem, & confirmet, cæteros, vt rectè ambulent liberati, perditi conuerſantur; demumque omnes ad cæleſtem gloriam transferamur. Hæc & innumera, quæ hiſce obuoluuntur deſerto gentilitatis conceſſit: Quibus quaſi panibus nos omnes ſatiat, necnon Iudæos: quos à ſeruitute legis redemit, & eorum ruinoſa, vtpotè ſubintroductos errores illuſtrauit, donauit iugo ſuaui, & poſuit vt hortum Domini, ſeipſum vſque in ſæculum dans, & illis & nobis; idem eſt enim Dominus omnium, qui vtriſque miraculum incomparabile, ſub typis his contentum præſtat. Igitur duas ſolitudines iuxta præſens myſterium, ò lector, perpendito, vt poſſis reſponſum Petri longe altius quàm videatur, emerſum interpretari, & non humanum, ſed diuinitus inſpiratum proclamare. Namque ſaturitatem, & abundantiam, qua dignatus eſt miſericors Deus, tam hebræ, quàm gentis ſolitudinem adimplere, quis Angelus, nedum homo conferre poterat? Etenim neque homo purus, neque Angelus iuxta Thomæ ſententiam in 3. par. atque alios, tantum poterant humano generi benedictionem conſiliari, opus quidem fuit Dei, & hominis. Quare Petri ſententiam ſic exponito. Vnde ne creaturæ puræ tanta facultas inerit, vt hic poſitos homines in extrema egeſtate, & damno, valeat redimere ab iniuria, quam eorum natura ſuſtinet, & panibus, ac gratijs cæleſtibus, quibus, repleri exoptat, ſatiare? Etenim famelici ſumus omnes; ſed neque Angelus de cælo, qui ad conſpectum faciei cæleſtis patris ſatiatur, ſuperabundat, vt egeſtatem ne dicam tantorum, ſed neque vnius noſtrum valeat reparare. Tu ſolus qui deges ſub noſtra humanitate latitans id potes. Ergo accingere gladium tuæ potentiæ, & te potentiſſimum in noſtris extremis declarato, aperi manum tuam, & ſuper caput perituri veniat benedictio tua. Equidem perimus quotquot in ſolitudine degimus, niſi manum tuam ad clamorem pauperum extenderis. Tam excellens reſponſum ſub cortice litteræ incluſum penetrauit inſpector vniuerſorum, nec diſtulit petitionem implere. Ac propterea, vt ſequitur, interrogat.

Ioſephus.
Hier. in Iſai. cap 8 Epiph lib. 1 41. art. c. 16
Iſai. 12.
Iſai. 51.
Iſai 35.
Dona quæ Chriſtus in gentes contulit.
Greg. Naz. Cypr.
Thom.

CAPVT QVINTVM.

Et interrogauit eos, quot panes habetis? qui dixerunt ei, ſeptem.

PErſpectis itaque diſcipulorum animis, ſeu potius turbæ præſenti declaratis, ad ea, quæ ipſe multo ante tempora propoſuerat, accedit. Et vt plus in operando potentia fulgeat, interrogauit denuo eos, *quot panes habetis*, vnde liceat ſi non omnes, ſaltem iuxta veſtrum reſponſum, & potentiam naturalem aliquos reficere? At illi quaſi impoſſibile putantes ſufficere poſſe panes, qui vel penes ſe, vel in multitudine aſſeruabantur: *Dixerunt ei ſeptem* inueniuntur panes apud nos; ecquid ſeptem ad innumeram virorum, mulierum, & infantium multitudinem? hoc enim reſponſio ecclyptica *ſeptem* ſubindicat.

Expoſitio.

Et iterrogauit eos. Nec innuitur (notat Gagn.) quod Chriſtus interrogauit quaſi ignorans; ſed vt euidentius monſtraret, quid eſſet facturus. Diſcipuli verò tanquã ſolis

Gagnaius.

ſolis aſſueti naturalibus, quæ naturalia ſũt, cogitant, nec poſſunt diuinæ virtutis gratiã conſiderare. Ideo ſimile reſpondent, quod prius, cum de quinque panibus quæſtio fieret. Interrogat autem eos, non eorum potentiam, neque opera ſi eiuſmodi eſſent, quibus vel tota, vel pars multitudinis ſatiaretur. Sciebat enim opera, atque potentiã inutilia eſſe, & riſu digna ad iſta perpetranda; interrogat igitur eos, hoc eſt, pulſat animos eorum quaſi martello, vt vel compellat reſonare miſericordiam, & deſiderium ſubueniendi egenis demonſtrare; vel certè ex proprijs dictis quandoque arguantur, vt qui Domino interrogante, quod decebat, neſciunt reſpondere. Poſt receptum enim Spiritum ſanctum, tam interrogationes Chriſti ad eos, quàm eorundem ad Chriſtum reſponſa, necnon facta Chriſti, quæ eorum mens non penetrabat, fuerunt Apoſtolis documenta ſalutifera, & argumentum diuinitatis Chriſti, & pietatis, ad quàm ſermone, & facto eos omnes dirigebat, noſque iiſdem continuo inſtituit. Qui (vt ſcribit Cyrillus ad Theodoſium Imperatorem lib. de recta in Chriſtum fide) vnus proinde poſitus eſt, tanquam radix, & initium quiddam cunctorum, qui in ſpiritu ad vitæ nouitatem, corporiſque immortalitatem inſtaurantur; quique eam, quæ ex diuinitate proficiſcitur ſecuritatem, & firmitatem, ſecundum quandam gratiæ communionem in vniuerſum hominum genus tranſmittit.

Ratio interrogationis.

Quot panes habetis? Sciebat vtique, & panes, & numerum panum; vult tamen ab Apoſtolis numerari, vt qui futuri paſtores gregis Dominici noſſent ſingulis annonam numerare, & miniſtrare, iuxtà ordinem gradiuum, & miniſteriorum, prout quiſq; exigeret, & quæ penes ſe haberent temporalia communicare in numero, pondere, & menſura. Quia quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt. Inde canon. 37. Apoſtolorum effluxit. Omnium rerum Eccleſiaſticarum Epiſcopus curam gerat, & eas adminiſtret tanquam Deo intuente: Ne liceat autem eis aliquid ſibi vendicare, vel proprijs cognatis, quæ Dei ſunt, largiri. Si autem ſunt pauperes, vt pauperibus ſuppeditet: Sed non eorum prætextu vendet, quæ ſunt Eccleſiæ. Quod iſta obſeruatione obſeruabitur (ſiue temporale ſit, ſiue ſpirituale quod diſtribuitur ait Fabianus Papa, epiſt. 2. ad orientales Epiſcopos) ſi nihil poteſtati, ſed totum æquitati tribuitur. Vnde conſulit Epiſcopos locorum ſingulorum; omnium, qui ſub eorum degunt moderamine, curam habere, ſolicitam, & cauſas vtilitateſque eorum cum Dei timore diſponere.

Can. Ap.

Fab. Papa

Qui dixerunt ei ſeptem. Hunc enim numerum, & ſcire, & tenere diligenter eos oportebat, vt qui *ſeptem* lucernæ ante Dominum lucentes, & *ſeptem* candelabra aurea, in quorum medio filius hominis ambulat, omnes Apoſtolici viri, ac ſinguli futuri eſſent quaſi ſpectaculum iis, qui dati ſunt operum inſpectores, vtpotè Angelis, & hominibus. Exemplum enim ſunt omnium fidelium, & eorum qui foris ſunt, lux, vt illi habeant quem imitentur ad propoſitum certamen, & viam vitæ percurrendam; hi verò non inueniant, quid detrahant de nobis tanquam de malefactoribus. Hanc autem gratiam largitur ſeptenarius ille ſpiritus, quorum primitias Apoſtoli habuere; dona autem poſſident ſpirituales homines, qui à virtute in virtutem per ſchalam Iacob aſcendunt, & gradatim ad Salomonem, qui ſedet in electo ſolio, quale in vniuerſis regnis non reperitur, concedunt properare, vt cum eo ſedeant, & regnent, iuxta illud: Qui vicerit faciam illum ſedere in throno meo, ſicut & ego vici, & ſedeo in throno patris mei; at quem oportet vincere? Leones, qui è lateribus graduum minantur aſcenſori; hi ſunt principes, & poteſtatas tenebrarum; hi opera carnis, & hi mundus, & quæ in ipſo ſunt mendoſa, & vana. Reportat autem ab his omnibus victoriam qui ſeptenarium numerum ſacramentorum fideliter credit, & exercet, ac ſuſcipit, quando oportet; qui virtutum laudabilem coronam gemmis ſeptem ornatam penes ſe cuſtodit, & qui iugiter inuocat ſeptem ſpiritus, qui ad nos miſſi ſunt, vt renouent omnem carnem, & iuuentutem, atque eleuent demum non inter cælum, & terram, ſed ad cælum cæli ad orientem, vt oriens ex alto nos admittat, & intromittat, ne iam creaturis luminaria ſimus, ſed coram Deo perpetuis fulgoribus, vt clariſſimæ lampades, & ingeniti ponderis candelabra luceamus, Amen. Igitur vt Apoſtoli dixerunt mox *ſeptem*, & nos continuo repetamus *ſeptem*, *ſeptem*, & iterum *ſeptem*, ſi quo modo tanti ſeptenarij præmium aſſequamur.

3. Reg. 10

Apoc. 3.

CAPVT SEXTVM.

Et præcepit turbæ diſcumbere ſuper terram, & accipiens ſeptem panes, gratias agens fregit, & dabat diſcipulis, vt apponerent, & appoſuerunt turbæ.

Patefacta itaque cunctis impoſſibilitate remedij iuxta naturæ curſum prouidendi tantæ multitudini, tempus erat vt omnipotentiam ſimul, ac magnificentiam magnificentiſſimus demonſtraret orbi toto. Quare præcepit Apoſtolis, vt turbæ ordina-

Expoſitio

ordinarent diſcumbere ſeorſum per familias, cognationes, ac domus, vt *ſuper terram* ſedentes ordinatè facilius reciperent cibos, qui eis adminiſtrarentur. Dum ergo Apoſtoli ſuo funguntur munere, & Chriſtus *accipiens* proprijs manibus *panes ſeptem*; oculis in cælum erectis gratias Deo, & patri agens *fregit* minutatim in fragmēta multigena panes acceptos; *& dabat*, iiſdem ſacris digitis fragmenta *diſcipulis, vt apponerent* turbæ, quam ordinarant; id quod non abſque ſtupore, tàm miniſtrantium, quàm accumbentium factum eſt diligentor, piè atque deuotè, vt neque ſtrepitus in tanta multitudine cerneretur: Sed cum ſilentio, & admiratione facti, quiſque portionem ſuam commanducaret.

Et præcepit turbæ diſcumbere ſuper terram. Præcepit turbæ accumbere, ſed per Apoſtolos, quibus concedendum erat per orbem totum diſtribuere ſedes, in quibus ſederent Epiſcopi, Rectores Eccleſiarum, necnon gradus Eccleſiaſticos diſtribuere, & ordinem, qui tàm inter laicos, quàm religioſos viros deberet obſeruari. Id quod quiſque Apoſtolorum in ſua ſorte fecit, & remanſit tanta auctoritas in orbem totum penes Romanum Pontificem. Iſta enim

Nicol.

priuilegia (ſcribit in epiſt. 1. Nicolaus primus ad Michaelem Imperatorem) huic ſanctæ Eccleſiæ à Chriſto ſunt donata; à ſynodis non donata, ſed celebrata, & honorata. Quod & Dominus piiſſimus Imperator, & frater meus Euſebius eiuſdem Ciuitatis Epiſcopus aſſiduè profitentur, ait Greg.

Greg.

Anacl.

lib. 7. epiſt. 63. ad Ioannem Siracuſanum. Cæteri Apoſtoli (dixit Anacl. epiſt. 2.) cū eo pari conſortio honorem, & poteſtatem acceperunt, ipſumque principem ſuum eſſe voluerunt. Vt S. Dominicus ordinarat; vnde in epiſt. 3. ſubdit ſacroſancta Romana Eccleſia, non ab Apoſtolis, ſed ab ipſo Domino, & Saluatore noſtro primatum obtinuit, ſicut beato Petro, ait: Tu es Petrus.

Ber.

Ergo (infert Bernard. lib. 2. de conſidera. ad Euge.) iuxta Canones tuos alij in partem ſolicitudinis, tu in plenitudinem poteſtatis vocatus es: Aliorum poteſtas certis arctatur limitibus; tua extenditur & in ipſos, qui poteſtatem ſuper alios acceperunt. Quapropter Iulius primus Athanaſium re-

Primatus Romani Pontif.

ſtituit, & depoſuit Dioſcorum Gelaſius, paſſimque & ordinaſſe, in aliorum Eccleſijs, legibuſque, & ſtatutis continuo Romanus Pontifex vniuerſos ſtatus componit, vt qui de primatu, & poteſtate huius ſedis ſcripſere, multipliciter probant. Nobis hic ſufficiat ſcire vniuerſorum, qui ſederent ſuper terram, ac in locis determinatis totius orbis poteſtatē, duodecim Apoſtolis ex æquo commiſſam ſub capite, & principe Petro, in cuius ſucceſſore plenitudo poteſtatis vniuerſa ordinandi remanſit; aliorum verò nullus reliquit ſucceſſorem, qui tàm ampla poteſtate vteretur. Itaque iuſſit per Apoſtolos turbam recumbere ſuper terram, in ſignum auctoritatis accipiendæ. Quam-

Hæret.

uis Caluinus, Lutherus, atque alij multa contra iſta fabulentur, portæ inferi non præualebunt aduerſus eam; nec poterunt vnquam catholicos ab hac recta fide retrahere. Vt enim ſcribit Iræneus lib. 3. cap 3.

Iræneus.

ad Romanam Eccleſiam, propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem conuenire Eccleſiam, hoc eſt omnes, qui ſunt vndique fideles. Ab eo namque accipimus omnes, quomodo quiſq. in accubitu ſuo, hoc eſt, religione, & ordine, necnon ſtatu, & conditione ſedere debeat, hoc eſt, viuere, & firmus eſſe. Inſuper nota, inquit

Beda

Beda, quod ſupra in refectione quinque panum, turbæ ſuper fænum viride diſcumbebant, hic autem ſuper terram; quia per ſcripturam legis deſideria carnis comprimere iubentur. In nouo autem teſtamento ipſam quoque terrā, ac facultates temporales relinquere præcipimur. Nam quæ participatio lucis ad tenebras? Terra autem obſcura eſt, & opaca, inanis, & vacua; at lex noua lucerna, & lux. Hanc ergo amplecti volens, neceſſe habet, terram ſcabellum pedum ſuorum ſtatuere; & vt quid abiectum, & viliſſimum ſtercus animalis ſacrificati affectum terrenorum penitus abigere.

Et accipiens ſeptem panes, vt tactu ſuæ mundiſſimæ carnis eos ſanctificaret: Siquidem digiti eius pleni ſunt myrra probatiſſima; & manus illius victrix, vt veritas malitiam omnem, quam adiuncto peccato Beelzebub ille, & horridus Leuiathan, non tam hominem perdidit; ſed quæ ſunt hominis videtur infeciſſe: Quandoquidem poſt lapſum cūcta probat homo amariora aquis deſerti, ni fortè ligno tangantur, ceu potius inter manus Chriſti, qui pependit in ligno, ſumantur. Hinc fluxit benedictio panis,

Ritus benedicendi vtenſilia.

fructuum, veſtimentorum, nouæ domus, nauis, vtenſilium, necnon commeſtibilium, quæ ab Apoſtolis ortum habet, quicquid Hæretici garriant. Etenim benedici iſta in Eccleſia, nihil eſt aliud, quàm virtutem manus Chriſti, hoc eſt, paſſionis, rebus ipſis imprecari, & vt in lege ſolebat fieri, manipulos frugum ſacerdotis manibus efferre. Siquidem ſacerdos verus, qui ſanctificat omnia, Chriſtus eſt, & qui accipiens panes quantumuis laicales, & immundos purificat, vt qui ex eis comederit, non grauetur, neque in morbum incidat, dummodo non indigeſtus accedat. Porrò animaduerte curioſitatem Euangeliſtæ, quàm ſolicitus ſit numerum repetere ſeptenarium, ne dum in Apoſtolis, ſed & in Chriſto; vt Chriſtum quoque eiuſmodi numero gaudere ſubiudicet. In ſeptenario enim eſt felicitatis

licitatis gaudiū, & requies perennis beatitudinis. At quem oportuit magis in hiſce lætari, quàm ipſiſſimam requiem, & paradiſum delitiarum Chriſtum? Is eſt in quo Deus poſt ſex dies requieuit in opere ſuo; & in quem pater ſibi complacuit; cuius vultum deſiderant Angeli proſpicere, & in quem vniuerſa creatura aſpicit, vt in auctorem, & conſumatorem, non Dei ſolum, ſed totius boni poſſeſſionem; hinc Clemens conſt. Apoſt. lib. 5. cap. 6. *Clem.* Qui enim corpus ſibi fabricauit in virgine, idem eſt & cæterorum hominum auctor, & qui ſe à mortuis ſuſcitauit, idem mortuos omnes ſuſcitauit, qui facit vt frumentum ex vno grano è terra fuſum, & arbor exciſa renaſcatur in ſurculum, & facit, vt virga Aaron iam ſicca reuireſceret, hic nos ſuſcitabit in gloriam. Qui paralytico ſalutem, & incolumitatem reſtituit, & eum, cuius manus exſiccata erat, ſanauit, & qui nato cæco oculos ex terra, ac ſaliua reddidit, idem quoque nobis vitam reſtituet. Qui panibus quinque, & duobus piſcibus quinque millia ſatiauit, & fecit vt duodecim cophini ſuperarent, & qui aquam in vinum vertit, & ex ore piſcis ſtaterem per Petrum miſit ijs, qui cenſum exigebant, hic idem mortuos quoquè excitabit. Ecquid nonne & ipſe eſt faciens omnia, qui & in ſe omnia condidit, reſtaurat, & beat? Eſt enim ſolus Emanuel (inquit Cyrillus ad monachos *Cyrill.* Ægypti, & in Anathematiſmis aduerſus Neſtorium, & reſponſionibus ad Theodoreti obiecta) Emanuel, inquam, qui interpretatur nobiſcū Deus, qui ſanctificat omnia, quia ſanctus ipſe, qui lætificat omnes, quia oleo lætitiæ vnctus, & qui accipiens ſiue panes, ſiue edaces panum trahit ad ſeipſum, ſuis participes facit, vt multiplicentur in benedictionibus ſuis, & in requie opulenta perpetuo ſedeant. Tenet igitur ipſe *ſeptem*, & in ſeptenario delectatur. Quoniam ſeptenarius eſt & ſabbatum, in quo vniuerſa finem habent illuſtrem.

Gratias agens. Quaſi cæterorum hominum more (ſcribit Victor Antiochenus) *Vict. Ant.* virtutem, & enargiam circa id, quod propoſitum erat à Deo, accipiat, *gratias* illi *agit*; cum omne eiuſmodi vim non aliunde, vt ſancti viri ſolent, ſed à ſeipſo peteret. Itaque (ſubdit Cyrillus Alexandrinus, in *Cyrill.* refutatione ſeptima aduerſus Theodoret.) ipſe vnus, & ſolus Chriſtus Ieſus, quaſi per organum ſui corporis operatus eſt diuina ſigna; & non operandi virtutem habuiſſe eum dicimus ſecundum ſimilitudinem ſanctorum. Et in defenſione ſeptima ad obiectionem orientalium: Veruntamen cum vnus erat filius, & Deus, & Dominus operabatur ſigna per virtutem pluſquam humanam, ſufficientibus argumentis docens, quod quamuis factus ſit caro, nihilominus tamen ſit etiam ſic Deus verus, & virtus patris. Non enim deſtitit eſſe quod erat, factus homo; faciebat igitur inſolita, tumque dæmonia increpabat, & Sathanam conterebat, tumque cæcis lumen præſtabat, mortuos reſuſcitabat, mare procelloſum vno verbo ſedabat; non ſic hominem quendam, & alterum exiſtentem ſeorſum Chriſtum glorificari faciens, quemadmodum ſcilicet & vnum ex ſanctis Prophetis, & Apoſtolis, ſed ſibi gloriam procurans, vt ab omnibus crederetur Deus exiſtens natura, tametſi factus eſſet homo. Hæc ille, contra Neſtorium, qui Deum ab homine in Chriſto ſeparabat; Cherinthū, & Carpocratem, qui ſolam humanitatem in Chriſto agnoſcebant, quod paſſiones humanas ſentiret, & in perpetrandis miraculis nunc oraret, quandoque gratias agens, & alijs vt cæteri ſanctorum ſignis vteretur. His quoque refellitur Neotericorum impoſtura, qui extinctas tenebras reuocāt, vt Ochini, qui ex miraculis probare nititur, Chriſtum non natura, ſed participatione Deum; Franciſci Dauid qui ex eiſdem atque alijs perſuadet filium Dei naturalem minimè eſſe. Qui *Conc. Aquil.* omnes Arrianum videntur ſuſcitare. At lectum eſt (inquiunt patres Aquileiæ ad Concilium congregati tempore Damaſi Papæ in epiſt. ad Gratianum, Valentinianum, & Theodoſium Imperatorem) ſempiterna virtus Dei, atque diuinitas, Dei virtus Chriſtus eſt. Si igitur ſempiterna Dei vir- *Euſeb.* tus eſt, ſempiternus vtique Chriſtus eſt; quia Chriſtus eſt Dei virtus. Euſebius Epiſcopus dixit: Hæc fides noſtra eſt. Hæc intelligentia catholica. Qui hæc non dixerit Anathema. Omnes Epiſcopi dixerunt Anathema. Itaque *gratias agit*, non quod purus homo ſit, ſed vt ſe hominem oſtendens, in aſſumpta natura homines excitet ad *Baſil.* gratiarum actionem, & ab ea ordiri opera omnia, tum maximè orationem, vt Baſilius magnus conſtitutionum monaſticarum cap. 2. hortatur: Duplex eſt (inquit) orandi modus; quorum alter in glorificatione adhibita animi ſubmiſſione cernitur: alter in petitione, qui quidem priori ſubijcitur. Cum oras igitur nolito confeſtim ad petitionem accedere: Quod ſi hoc non facis, *Instructio ad orandum* indicio es ipſe de voluntate tua, te ſcilicet, quod neceſſitate vrgearis, Deo preces adhibere. Quapropter quandocunque inſtituis orare, coniugem, liberos, teque adeo ipſum relinquito, à terraque procul abſcedito, cælumque ſuperato; & naturas omnes, tàm quæ cerni, quàm quæ cerni non poſſunt relinquito; & ab eius glorificatione exorditor, qui omnia condidit. Cumq. ſatis in eo fueris commoratus non mente vaga, neque huc illucuè temerè deerrante, neque, vt Græcorum mos eſt, fabulas garriens, ſed de ſacris litteris carpens, quæ di-

cas, dic: Gratias ago tibi Domine propter
incredibilem clementiam, & in ferendis
hominum culpis facilitatem tuam, qui pec-
cantem me quotidie, &c. ſubinde Eccleſia in
Epiphania, quando adorationẽ, & orationẽ
Regum recolit, auſpicatur pſalmodiam no-
cturnam à ſpalmo gratifico, intonans:
Pſal. 28. Afferte Domino gloriam & honorem. Hæc
autem in gratiarum actione potiſſimum, ac
primo exhibentur. Quapropter apud Re-
ligioſos Hiſpaniæ communis ac prima
ſalutatio, eſt, Deo gratias. Quæ mihi
Cõſuetudo Religioſorũ in Hiſpania. adeo arridet vt cunctos eam circumferre
optarem, non quod Hiſpanus eam imbibi-
tus, ſed quod Chriſtianus, qui continuo
beneficijs cæleſtibus cumulor, ac mecum
omnes diuina participant. Quid enim ha-
1. *Cor.* 4. bes quod non accepiſti.

Fregit. Hoc eſt, ſacramenta aperuit (ex-
Beda. ponit gloſa interlinearis, ex Beda) quoniã
eſt oſtiarius, qui clauem habet Dauid, vt
aperiat, & claudat cui, & quando ſtatuerit,
vt ſcilicet intelligant ſcripturas, & enarrẽt
mirabilia abſcondita à conſtitutione mun-
di. Id autem promeruit quando fregit pa-
nem corporis ſui, neque obtulit fractioni-
bus, & paſſionibus carnis, quæ à planta pe-
dis vſque ad verticem conſciderunt, & pla-
garunt totum aſſumptum hominem, non
abſque admiratione, ne dum hominum, ſed
Iſai. 63. Angelorum, qui ad eum exclamarunt.
Quare rubrum eſt veſtimentum tuum? quid
ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum?
Zach. 13 At ille: His plagatus ſum in medio eorum,
Cyrill. qui me diligebant. Quemadmodum enim
Thomæ (ait Cyrillus Alexandri. Exageſi in
capro Emiſſario ad Acacium Epiſcopum)
non abſque Dei ſingulari diſpenſatione hæ-
ſitanti; poſt ſuam ex mortuis reſurrectio-
nem manus, & in manibus figuras clauo-
rum oſtendit, iuſſitque etiam lateris vulnus
palpare; ita & in cælis conſtitutus, ſanctis
Angelis planum fecit, iure meritoque ex
ipſorum amicitia prolapſum, eiectumque
eſſe delectum Iſraelẽ. Vnde, & veſtimentum
ſanguine rubricatum, & plagas in manibus
oſtendit, non quod illas abijcere non queat
(ex mortuis enim excitatus corruptionem
cæteraque omnia, quæ ex illa erant peni-
tus exuit) ſed ideo characteres illos, cica-
tricesſque retinuit, quo multiformis ſapiẽ-
tia Dei, quam in Chriſto ſecundum propo-
ſitum æternum demonſtrauit, diſpenſatorie
per Eccleſiam principibus, & poteſtatibus
in cæleſtibus pateficeret. Quo factum eſt, vt
ſicut Thomas inſpectis Chriſti fractionibus
Ioan. 20. ad tantam repente doctrinam eleuatus ex-
Pſal 23. clamaret: Dominus meus & Deus meus;
Iſai. 63. ita in cælis Angeli contreperent, Domi-
nus fortis & potens; iſte formatus in ſtola
ſua, qui propugnator eſt ad ſaluandum.
Itaque fragmen mali punici, & ſaccus con-
ſciſus, quem in cælo, ac terra omnis creatu-
ra contemplatur, aperit ſacramenta Dei,
etiam dæmonibus, qui propterea confiten-
tur, quod Dominus Ieſus in gloria eſt Dei
patris.

Et dabat diſcipulis ſuis. Videlicet pa-
num fragmenta; integros poſtquam ad eum
venerant nulli tradit. Quoniam vniuerſa
myſteria, etiam quæ Deus nouit ſi credi-
mus Scoto, ſolum, ad Chriſtum hominem *Scotus*
ſpectat agnoſcere, tametſi illa ſit ſolius
Dei comprehendere. Cæteris autem à
Chriſto fragmenta tantum cõmittuntur, vt
vnus ſic, & alius ſic, vel habeat ex gratijs
datis, vel alia, atque alia penetret, atque
idem diuerſimodè ab eiuſdem ſcholæ Chri-
ſti diſcipulis intelligatur. Diuidit enim ſpi-
ritus per meritum Chriſti, ſingulis prout *1. Cor.* 12
vult. Quod autẽ immediatè dentur à Chri-
ſto fragmenta diſcipulis; non ſolum eſt ami-
citiæ ſignum vt dicebat: Iam non dicã vos *Ioann.* 15.
ſeruos, ſed amicos quia quæcumq. accepi à
Patre meo nota feci vobis; ſed etiam vt eos
principes ſuper omnẽ terra, in quibus cre-
ditur menſura tritici diſtribuẽda inter do-
meſticos futuros deſignaret: Tum quoque
vt nihil ſiue ad diſcipulos, ſiue ad eos, qui
ſubſunt diſcipulis, vtpotè plebi, quæ Epiſ-
copo paret, & panem ab oratore confra-
ctum auidè accipit, niſi per eum dimanare *1. Cor.* 1.
oſtenderet. Per ipſum enim, & cum ipſo, &
in ipſo ſunt omnia, & ipſe ſuper omnes pro-
curator dominici gregis conſtitutus, ac
princeps paſtorum ab eo, qui iureiurando
ad illum dixit: Tu es ſacerdos in æternum *Pſal.* 109
ſecundum ordinem Melchiſedech. Ea prop- *Conc. Nic.*
ter ad philoſophum Concilij Nicæni primi
Patres, lib. 2. exclamant propter ipſum
Prophetæ, propter ipſum Apoſtoli, propter
ipſum Martyres; Prophetæ propter eum,
qui à Prophetis prædictus eſt Apoſtoli
propter eum, qui diſpenſatoriè miſſus, &
Apoſtolus factus eſt. Martyres propter *Act.* 17.
eumdem protomartyrem. An non & om-
nes propter eum, & ſunt, & viuunt? In ip-
ſo viuimus, mouemur & ſumus. Ille enim
eſt qui dat panem ad manducandũ, ne dum
terrenum, ſed conſubſtantialem, vt non li-
ceat vltra plangere: Paruuli petierunt pa- *Tren* 4.
nem, & non erat qui frangeret eis. Fregit
quidem, & dabat diſcipulis. Ad quid autem,
ſubditur.

Vt apponerent. Vt alibi ſemper (inquit *Victor.*
Victor Antiochenus) ita hic quoque Domi-
nus decorum ſeruat. Vtitur namque di-
ſcipulorum opera ad miniſterium: Quan-
doquidem alijs miniſtrare, ſecundum diſci-
pulatus rationem Apoſtolis ex inſtituto in-
cumbebat. At Apoſtolis Epiſcopi ſucce-
dunt ſecundum Anacletum epiſt. 1. de ord. *Anacl.*
Archiepiſcoporum. Vos ergo Epiſcopi *Clem.*
(ait Clemens lib. 2. conſt. Apoſt. cap. 25.)
eſtis hodie populo veſtro ſacerdotes, leui-
tæ, qui miniſtratis in ſacroſancto taber-
naculo

naculo catholicæ Eccleſiæ; & ad aram Domini Dei noſtri aſſiſtitis, eidemq. hoſtias rationales, & incruentas per Chriſtum Pontificem magnnm offertis. Vos eſtis veſtris laicis Prophetæ, Principes, Duces, Reges, mediatotes Dei, & fidelium eius, receptacula verbi Dei, & præcones eius, cognitores ſcripturarũ, & Deiſoni, ac teſtificatores volũtatis eius: Qui delicta omniũ portatis, & de omnibus rationem reddituri eſtis, quibus vt audiſtis grauiter ſcriptura minatur; ſi clanem ſcientiæ hominibus celaueritis; quibus periculũ impendet mortiferũ, ſi volnntatem Dei populis, quibus præeſtis, non denũtiaueritis: Quibus rurſus ſi bene, & vt decet, tabernaculo ſancto miniſtraneritis, certa merces, & gloria maior, quàm vt dici poteſt, propoſita eſt. Quapropter Apoſtoli vt viam Epiſcopis ſternerent, non ſibi retinuerunt fragmenta, ſed ſedulo appoſuerunt turbæ. Vnde ſequitur.

Et appoſuerunt turba. Hæc enim expectabat, & quæ apponebãtur credens Apoſtolis miniſtrantibus auide abſque delectu recipiebat. Nam ignara plebs, vt alio trahamus ſermonem, nihil diſcernit, putans eloquium pulchrum, ſanamque doctrinam, & ſalubrem poculum ſibi propinari à miniſtris Eccleſiæ. Quare examinari prædica- *Conc. Trid. & mog.* tores vtrbi Dei in Tridentina Synodo, atqne alijs ſancitum eſt; & in Moguntina non ſolum magiſtros pernicioſæ doctrinæ eijci ab Eccleſiæ mandatur cap. 50. 51. ſed iniungiter libros parrochorum, & concionatorũ à viſitatoribus inſpici, & inquiri, quoſnã potiſſimum libros legant, & in concionibus imitentur. Contagioſos autem (verba ſunt ſynodus) & de hæreſi ſuſpectos libros ab eis auferant, & ad lectionem veternm orthodoxorum, aut etiam recentiorum, qni ſuſpecti non ſunt, eos exhortentur. Habent iſta ortum à conſtitutione Apoſtolica, qnæ *Conc. Ap.* ait lib. 1. conſt. Apoſt. cap. 6. Abſtine ab omnibus libris gentilium: Quid enim tibi eum alienis ſermonibus, aut falſis prophetis, quæ quidem homines leues à fide recta detorquent. Nam quid in lege Dei defideras, vt ad illa gentilium ſcripta animum velis appellere? Siue enim hiſtorias legere cupis, habes libros de Regibus; ſiue ſophiſtica, ideſt, quæ argutè ad ſapientiam referuntur, & poetica, habes prophetas, Iob, prouerbia; in quibus plus acuminis, quàm in omni poeſi, & ſapientia ſophiſtarum reperies, qui ſolus ſapiens eſt, illa effatus *Euſeb.* eſt. Etenim vt ſcribit Euſebius lib. 3. de preparatio. euang. Generoſa Græcorum, & Ægyptiorum theologia ad ſublimiora nos perdncere fabularum allegorijs pollicita, ad corpora rurſus reducit. Et ſi quid veri *Clem.* in illis cernitur, vt inquit Clem. lib. 1. ſtromat. ab hæbraicis prophetis acceperunt. Lege Franciſcum Turrianum in explanat. conſtitutionis Apoſtolicæ citatæ. Interim laudarem tàm vtilem ne dum turbis, & populis, ſed prædicatoribus ipſis honeſtiſſimam ordinationem in Eccleſia renouari, ſaltem obſeruari in Religioſis domibus optarem, vt omnes idem ſaperent, idemq. docerent, & Chriſtũ non aliter, quàm Apoſtoli prædicarunt, crucifixum annnntiarent, & relictis gentilium fabulis veritatem ſynceram proponerent populo, qui præ fame deuorans quæ ſibi apponuntur, ſæpius ventum deglutit pro pane; & qnandoque ſcorpionem pro piſce, ſitque hæreticus tàm qui anſcultat, quàm qui prædicat, ob incautam lectionem librorum. Ergo qui præeſtis cœnobitis renouate ſtatutũ Apoſtolicum, ne ex vobis prodeat, qui ſtatum denigret, & inflamet orbem.

CAPVT SEPTIMVM.

Et habebant piſciculos paucos: Et ipſos benedixit, & iuſſit apponi.

Expoſitio. NOn panem arctum, ſed abundantem apponit, neque ſolum, ſed dulci obſonio comitatum vult turbam recreari. *Et habebant* ſiue Apoſtoli, ſiue alij ex turba, *piſciculos paucos*, quos fortè tunc expiſcarant. Hos enim apprehenſos pariter manibus proprijs *benedixit* cæleſti ſua, & efficaci benedictione, qna omnia proſperantur. Benedictos vero, & in fruſtra partitos *iuſſit* ſimilter *apponi* turbæ, ac populis. Quorum òculi ad dominum intendebant, ac diligentius multo, quid ageret, quiduè mandaret eis perſpiciebant, vt cunctorum teſtes oculatiſſimi, & veraces fierent.

Et habebant piſciculos paucos. Piſciculi *Hier.* ait Hier. & Orig. Benedicti libri ſunt noui teſtamenti, quoniam piſcis aſſi partem Dominus reſurgens poſtulat: Et piſcem ſuperpoſitum prunis, diſcipulis in captura piſcium porrigit; vel *piſciculos* (proſequitur *Gloſſ. ord.* gloſſ. ordin.) ſanctos temporis, per quos eadem condita eſt ſcriptura; fidem, vitam, & paſſiones continet, qui de fluctibus ſæculi erepti, & diuina benedictione conſecrati refectionem nobis, ne in huiuſmodi excurſn deficiamus, vitæ ſuæ, & mortis *Beda* exemplo præbuere. Adhæc Beda alludit dum ſuper 1. Gen. piſces imaginatur doctores, qui pinnis è profundo ad ſuperiora aſcendunt, & ſquamis proteguntur, hoc eſt, litteratum ſactarum ſtudio, & ſcriptione cæleſtia iugiter inquirunt, exercitio autem ſalutari adeo euadunt ſtrenui, vt vitijs non ſuccumbant, neque in eis Sathan dominetur. Habent hos, qui vel imitantur viuendi eorum conſuetudinem, vel talium doctrinã imbibere, & vt inquit Sapiens, virorum nominatorũ narrationẽ conuerſantur:

tur: Vt oracula, quæ ab eis exponuntur, plenius intelligant; & vt lex Dei, cum legitur (ait Clemens Roman. epiſt. 4. de ordinat. Archiepiſcop.) non ſecundum propriam ingenij intelligentiam legatur, vel doceatur. Sunt enim multa verba in ſcripturis diuinis, quæ poſſunt tradi ad eum ſenſum, quem ſibi vnuſquiſque ſponte præſumpſit, ſed fieri non oportet. Et ideo (ſubdit paulo poſt) oportet ab eo intelligentiam diſcere ſcripturarum, qui eam à maioribus, ſecundum veritatem ſibi traditam, ſeruauit, vt ipſe poſſit ea, quæ rectè ſuſcipit, competenter aſſerere. Germanus enim diuinæ ſcripturæ ſenſus (ait Cyrillus Alexandrinus oratione de incarnatione verbi, quæ fertur in tomo 6. Concilij Epheſin. cap. 1.) ſanctorum mentibus inſidens, illorum animos mirè exornat: Eiuſmodi enim Spiritus ſanctus inexhauſtum illud ſcientiæ in Chriſti pelagus (per quæ vniuerſorum dominus glorificatur) inducere ſolet. Theſauros proinde abſconditos, & inaſpectabiles, vt eſt in ſacris tibi recludam. Theſauros autem appello, qui rectam ſcientiam limpidè inoffenſeque perſpiciunt. Hanc quum habeant doctores ſancti, qui inſpirati locuti ſunt ſancta, & litteris mandarunt, vtiliſſimum eſt eorum monumenta reuoluere, & circumlegere, vt & ipſi veritatem ſcripturarum retineamus.

Clem.

Scriptura ex ſenſu patrū interpretanda non vero proprio.

Cyrill.

Et ipſos benedixit. An non in primæua rerum conditione benedicta fuere omnia, & manducandi omnium conceſſa licentia poſt diluuium? Quid ergo oportuit mox piſces benedici, antequam traderentur commenſalibus? Aut ſi decuit, vt abundantius multo commeſtoribus proficerent; cur non & carnes benedixit Chriſtus? An quia non licet veſci carnibus, ſed ſolis piſcibus? abſit, & carnibus, & piſcibus vti cum tempus, & ratio poſtulat, neque ſtatum Eccleſiæ prohibet, vti licet. Carnes enim, ac piſces comedit Chriſtus, ac vinum bibit, vt debilibus compateretur ſuo exemplo; piſcium autem edulio frequentius vſum legimus, vt monaſticam vitam (quæ ſuo inſtituto à temporibus Marci noſtri abſtinet à carnibus, piſces autem monachis permittit) videretur probare, & donare ſingulari benedictione, ac merito. Quo non priuatur qui carnibus temperatè, ac, vt decet, ſpiritualem hominem, vtitur. Inde Aquiſgranenſe concilium ſub Ludouico Pio imperante dixit cap. 115. Quamquam canonibus (quia in ſacris canonibus illis prohibitum non legitur) liceat linum induere, carnibus veſci, dare, & accipere, proprias res, & Eccleſiæ cum humilitate, & iuſtitia habere, quod monachis, qu ſecundum regularem inſtitutionem arctiorem ducunt vitam, penitus inhibitum eſt; tamen in cauendis vitijs, & amplectendis virtutibus, eorum, & monachorum diſtare non debet vita. Vnuſquiſquè enim (habet infra Synodus) vt ait Apoſtolus, proprium donum habet à Deo.

Conc. Aqui.

Eſus carniū ab antiquo monachis prohibitus

Et iuſſit apponi. Vt vnà cum panibus piſcium dulcedinem deguſtarent. Neque vult in ſolo nos pane viuere, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Hoc eſt piſcis, vel, vt apertius loquar, ſpiritualis intelligentia oraculorum: Nam, vt ait Apoſtolus, littera occidit, ſpiritus autem viuificat. Occidit quidem imperitos, qui cortice hærent, neque aliunde interpretationem venantur, quàm ex proprijs, & falſis opinionibus; vt hæreticus, ſecundum Cyrillum epiſt. ad Ioannem Antiochenum; ſanctitas tua inquit non miretur, cum facile intelligat; cuiuſuis hæreſeos ſectatores ex diuina ſcriptura ſui erroris cauſas colligere, eaque, quæ à Spiritu ſancto, rectè expoſita ſunt, prauis ſuis opinionibus peruertere, ac ita demum inextinguibilem ignem capitibus ſuis accerſere ſolere. qualem nuper accendit Lutherus, Caluinus, & nouatores, qui iugiter hoc infelici tempore Aquilonem inflammant. Hos itaque occidit littera ſcripturæ, quod velint cultello, qui datus eſt humanis vſibus, ſeipſos exanimare: At ſpiritus viuificat, hoc eſt intelligentia, quam ſpiritus reuelator oraculi intendit, & ex contextibus ſcripturarum, & factis aperit his, qui ſunt mentis ſanæ. Eamque ducit ad contemplanda ſpiritualia, quæ ſubſunt litteræ. Et ideo (enumeratis ex vtroque inſtrumento exemplis, infert Origen. hom. 7. in Leuit.) ſiue in lege, ſiue in Euangelijs, quæ dicuntur ſpiritualiter ſuſcipe: Quia ſpiritualis dijudicat omnia, ipſe vero à nemine dijudicatur. Itaque iubet Dominus apponi panes, necnon piſces, hoc eſt, ſcripturas, & myſteria oraculorum auditoribus proponere, vnà cum piſcibus, videlicet ſpirituali intelligentia, quæ dulceſcit, & ædificat auditorum animos, vt perfectiores in dies fiant, repleanturque rore cæli, & pinguedine terræ, quouſque ditati cæleſtibus ſint, & ipſi ſpirituales, ac docibiles domino. Sic ò Epiſcopis (hortatur Leo decimus in Concilio Lateranen. ſeſſio. decima) diſtribuite fragmenta Apoſtolicæ doctrinæ in domibus eius, ſcilicet in Eccleſijs illius, in quibus tanquam turres dati eſtis cum propugnaculis contra hoſtes fidei, vt enarretis in progenie altera, quæ ad iugum fidei catholicæ, & Apoſtolicæ ventura eſt.

2. Cor. 3.

Cyrill.

Hær.

Orig.

Quid ſunt panes & piſces.

Leo

C A P V T   O C T A V V M.

Et manducauerunt, & ſaturati ſunt: Et ſuſtulerunt quod ſuperauerat de fragmentis, ſeptem ſportas.

Expoſitio.

TAm ſolemni conuiuio quod anteacta inter homines excedit, vniuerſi naturæ exigentiã suppleuere, vt neque fameſcerẽt, neque anxij eſſent, quid vſquequo domum redirent denti darent, ac ventri. Et quidem manducauerunt opulentiſſimè, nullo impediente; & ſaturati ſunt vſque ad os, vt ſtomachus non poſſet vltra cibum capere, nec amplius deſiderarent ex ijs, quæ tantæ multitudini ſupererant. Vnde qui miniſtrarant Apoſtoli ſuſtulerunt totum reſiduum, quod manducantibus ſuperauerat. Tantaque fragmentorum panis reperta eſt, & collecta multitudo, vt ſeptem ſportas non abſque admiratione vniuerſorum, qui aderant, facillimè complerent.

Et manducauerunt. Namque ideo appoſita erant cibaria, vt famelici commanducarent. Sed & quæ quotidie nobis apponuntur, ô fideles, quorſum niſi vt manducemus? Manducat autem qui mente ſingula maſticat, & meditatur. Eo cælum oculis, eo ſenſile ſenſibus, eo ſcriptura doctis, eo ſimplicibus exercitatio, & eo vniuerſa ſingulis data ſunt, vt enucleent cibum animæ, & manducent, quid ſub cortice delitefcit. Hinc pſaltes. Teſtimonia tua meditatio mea eſt. Teſtimonia autem Dei quæ, niſi quæ facta ſunt? In vniuerſis enim ſignaculum pictoris, & ſupremi artificis reperitur ſculptum, quia ſicut in monte monſtratum eſt rerum omnium artificium, & Angeli in verbo contemplantur. Ita factum eſt, quod terrigenis demonſtratur. Ergo vt illi qui in cælis degunt, omne delectamentum ſumunt viſo cælo in Deo, ac reliquorum inſpectione incraſſantur: Tu qui in terris es fidelis, tametſi minore perfuſus lumine perſpice ſingula, quæ Deus condidit, tibique iuſſit ſecundum ſtatum tuum apponi, ſedulo mente pertracta, & manduca in cælis qui in orbem mouentur obedientiam; in terra quæ cunctis ſubijcitur humilitatem; in animalibus, quæ tempus obſeruant prudentiam; in plantis quæ frugifera ſunt, diligentiam; in liquidis, quæ ſe diffundunt charitatem; in duris quæ egre cedunt conſtantiam; in ſtellis quæ lucent indefeſsè, & in medijs tenebris ſcintillant, ſanctitatem; demumque in omnibus operibus tuis, quæ finem habent; nouiſſima tua conſidera, vt manduces in eis, quæ te in æuum conſeruet: Inſthuc enim tendit eiuſmodi manducatio, vt ſicut adipe, & pinguedine repleatur anima manducantis, repleatur quidem non ſenſilibus & externis ſed ſpiritualibus, & mandragoris, quæ acuta mente, & ſpirituali diffodiuntur in omnibus, & ex omnibus. Pectuſculum quod oblatum eſt, & armum, qui ſeparatus eſt, edetis in loco mundiſſimo, ait Deus Sacerdotibus leuitici generis, quod ſcilicet, ſubditur pertineant ad te, & ad filios tuos lege perpetua, ſicut præcepit Dominus. Ad vos quidem qui per Chriſtum conſtituti eſtis genus electum, & regale ſacerdotium, ac omnino ſpirituales ſacerdotes, lege perpetua pertinet manducare pectuſculum, & armum, hoc eſt ſecretam, & myſterioſam rerum intelligentiam. Eſt enim hæc ſeparata ab ijs, quæ ſenſibus patent, quam non percipit animalis homo, ſed ſpiritualis, qui in loco mundiſſimo, hoc eſt, in exercitio ſancto continuo verſatur. Iſtis enim, ac ſimilibus lege perpetua à legiſlatore dictum eſt. Vobis datum eſt noſſe myſterium Regni Dei. Ad hæc Origenes hom. 7. in Leuitic. pertractans locum: Si autem potuero ſentire de Deo, quæ magna, quæ ſancta, quæ vera ſunt, & ſecreta, tunc manducabo pectuſculum ſegregationis, cum id, quod ab omni creatura eminet, & ſegregatur agno vero. Primus ergo pectuſculum iſtud verus Pontifex meus comedit. Sed & nos comedemus pro modulo noſtro, ſi applicuerimus dentem contemplationis ad ea, quæ nobis opponuntur.

Pſal. 118.

Ex creaturis profuere meditando earum qualitates.

Leu. 10.

Orig.

Et ſaturati ſunt. At quomodo *ſaturati* ſi nemo ait ſufficit, ſed quiſque clamat affer, affer? Et hoc, & illud reputo veriſſimum: omnis enim creatura parturit, & ingemiſcit vſque adhuc, & ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus: Spiritus qui ex Deo eſt, iugiter clamat: Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei: Renuit conſolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus ſum.. Quis mihi te det ſuggentem vbera matris meæ, vt inueniam te ſolum foris. Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt, habitaui cum habitantibus cedar, multum incola fuit anima mea. Ac ſimilibus acclamationibus, querimonijs, & poſtulatis dum in carne eſt, nunquam ſe ſatiatum ſentit ſpiritualis honoris ſpiritus, tametſi lætus degat. Id quod ſpiritui carnis non accidit. Semper enim triſtis eſt, & defatigatus incedit ambiens vſque ad terminum loci, & velut mare feruens ſemper ſpumat nunc ad libidinem, nunc ad auaritiam,

Prou 30.
Rom. 8.
Pſal. 46.
Pſal 41
Cant. 8.
Pſal. 119
Iob. 40

ritiam, & deglutire cum duce ſuo Iordanem ſperat, nec vnquam dicit ſufficit in omni abundantia ſua, neque pacem nouit in impietate, quam ſedulo operatur. Ergo vt concludam, neque Eſau cum ſua manducatione ruffa, neque Iacob cum benedictione, & patris oſculo, dum viuũt ſaturitatem norunt omnes, etſi differenter peregrinamur: Namque ille feras inſequitur, hoc eſt vitia: Hic verò ad Lyam, & Rachel properat, & viam inter actionem, & contemplationem ducit, quouſque ad patrem Iſaac & ad illam, quæ ſurſum eſt patriam redeat, & fruatur gaudio, quod nemo tollet. Tunc ſatiabor, inquit, cum apparuerit gloria tua. Apparet autem poſt mortem his, qui bonum certamen certant, & ſedent ad menſam, quam Dominus præparauit, de eius bonis appoſitis guſtant, & manducant panem in regno Dei. Cuius ſtatum feliciſſimum quandoquidem præſens conuiuium repreſentat, optimè dicuntur ſaturati, qui ex eo manducarunt. Quibus interlinearis gloſſa accommodat canticum. Edent pauperes & ſaturabuntur, & laudabunt Dominum, qui requirunt eum. Quod enim manducans populus ſatiatur. (ſubdit Zacharias Chryſopolitanus lib. 2. in vnum ex quatuor, cap. 49.) ſignificat famem in perpetuum ab electis repellendam, quando non eſuriet, qui accipiet cibum Chriſti.

Pſal. 15

Gloſſ.
Pſal. 21.

Zach.

Et ſuſtulerunt quod ſuperauerat de fragmentis. Fragmenta quæ turbis ſuperſunt, neque ea valent manducare, ſunt profunda fidei, & ſcripturæ myſteria, necnon heroica mandatorum obſeruantia, ac vitæ ſpiritualis ſemita perfecta, quã neque à laico Deus exigit, neque eam turba popularis, quæ in multa negociatione occupatur, poteſt obſeruare. Eſt enim ſolicitus vxoris, ſi & quomodo placeat vxori, ſimiliter & vxor ſolicita eſt, quomodo placeat viro, & qui in mundo eſt, & de mundo, diligit mundum, & quæ in ipſo ſunt. Adeo vt ſæpe non cogitent quæ Domini ſunt, nec quomodo placeant Deo anxiantur: Siquidem nemo poteſt duobus Dominis ſeruire adamuſſim vtriſque, quin in alterutra ſeruitute non claudicet, ac ſæpius poſt tergum cadat confractus, vt ille Heli ceruicibus. Quare his non datur fragmenta colligere: Sed quod turbis ſaturatis ſuperat (ait Beda) Apoſtoli tollunt; quia altiora perfectionis præcepta, quæ turba nequit attingere, ad illos pertinent, qui generalem populi Dei conuerſationem tranſcendunt; quibus aliquando dictum eſt: Vos eſtis lux mundi, vos eſtis ſal terræ, eſtote perfecti ſicut & pater veſter cæleſtis perfectus eſt. Nam his, tum maxime præſuli, conuenit quod apud Clementem legimus lib. 2. conſtit. Apoſtol. cap. 26. Hic eſt miniſter verbi, ſcientiæ cuſtos, mediator Dei, & veſtrum in his, quæ ad Deum colendum pertinent; hic eſt magiſter pietatis, ac Religionis; hic eſt ſecundum Deum pater veſter, qui vos per aquam, & Spiritum ſanctum in adoptionem regenerauit; hic princeps, & Dux veſter; hic veſter Rex, & præfectus; hic poſt Deum terrenus Deus, qui honore veſtro frui debet: De his enim, & ſimilibus aiebat Deus: Ego dixi Dij eſtis, & filij altiſſimi omnes, & Dijs populi tui non detrahes. Poſt Epiſcopos, vt Dionyſius Ariopagita, in epiſt. ad Demophilum enumerat præsbyteros, miniſtros, poſt miniſtros Eccleſiæ, monachos, qui neque clerici, neque laici ſunt ſed ſimpliciter monachi, & poſt hos laicos; ita in operatione virtutum referuntur. Hi enim vt minimi ſecundum Hieronymum, & Chryſoſtomum, in locum Pauli, contemptibiles qui ſunt in Eccleſia; minimis præceptis perſtringuntur: Etſi enim (proſequitur Beda) ſua relinquere nequeant, neque explere quod de virginibus dicitur, tamen audiendo mandata legis Dei, ad vitam perueniunt æternam. Alios vero, qui ſtatu præeminent, in altum ducere oportet rete, & inuigilare, quomodo vniuerſa fragmenta, atque myſteria colligant, & maiora præcepta obſeruent.

*1.Cor.*7.

*1.Reg*4.

Beda.

*Matth.*5

Clem.

*Pſal.*81.

Dion.

Hier. & Chriſ.

Beda

Septem ſportas. Sporta (ait Gagnæius) genus quoddam vaſis ex fiſcella contextum, idem quod apud Matthæum cophinum. Contra Ianſenius cap. 63. ſuæ concordiæ. Non idem (inquit) ſignificat ſporta, & cophinus, vt ſatis patet ex eo, quod cap. ſequenti diſtinctè quæritur, quot cophinos tulerint in priori multiplicatione, quot vero ſportas in ſecunda. Cophinus autem græca dictio, dicta putatur à leuitate, quaſi κοῦφος ſignificatque quod latinis dicitur corbis, à quo deriuata videtur vox germanica, Corf, quam certum eſt ſignificare vas paruæ magnitudinis, & capacitatis. Nomine autem ſportæ, pro qua græce dicitur σπυρὶς ſignificari maius vas, vel illud ſatis arguit, quod per ſportam Paulus ſe dimiſſum dicit per murum. Vnde fieri poteſt reliquias ſeptem ſportarum, vel æquaſſe, vel etiam ſuperaſſe reliquias duodecim cophinorum. Hæc ille. Verum quoad menſuram vix, neque inter ſportas, neque inter cophinos, neque inter alterutra vaſa poteſt æqualitas obſeruari; nam ſportarum, quæ ab ſparta herba, vel palma dicitur, multiplex genus reperit ur ſecundũ terrarũ conſuetudinem, ſimiliter cophinorũ, qui ex vimenibus fiunt, aut arundinibus diſtinctis in longum. Ni fortè dixerimus tam cophinos, quam

Gagn.
Ianſ.

ſportas fuiſſe Hebræis quoddam menſuræ ſolidorum genus, plus minuſue capiens. Iam quid ſupra hoc ſeptenario philoſophentur alij videamus. Per *ſeptem ſportas* (ait Lyra) ex Bernardo ſermo. 4. in feſto omnium ſanctorum, remanentes ſignantur ſeptem dotes, quæ reſeruantur dandæ poſt hanc vitam, quæ ſunt clara Dei viſio, fruitio, tentio quantum ad animam; impaſſibilitas, ſubtilitas, agilitas, & claritas, quantum ad corpus in reſurrectione. At ſecundum Gloſſam ordinariam ſunt *ſeptem ſportæ* Spiritus ſancti gratia ſeptiformi repleti. Fiunt enim ſportæ de vincis, & palmarum folijs; vincus naſcitur ſuper aquas, palma victorem coronat. Sancti quoque ne ab honore æternitatis areſcant, in ipſo vitæ fonte ſe collocant, & æternæ reſtitutionis palmam expectant. Palma (ſubdit Zachaeias Chryſopolitanus lib. 2. cap. 29.) victricem ornat manum, & electi mundi victores memoriam æternæ retributionis in corde retinent. Cur autem (proſequitur ex Ambroſio) quinque millibus hominum plus redundat, quatuor millibus minus? Quia quatuor millia triduo cum Chriſto fuerunt, & ideo amplius cæleſtis pabuli receperunt. Verum (addit Theophylactus) ſicut in illo quinque panum miraculo, duodecim cophini ſunt, & plures reliquiæ, erant enim quinque millia, hoc eſt quinque ſenſibus ſeruiebant, & propterea non potuerunt multa edere. Sed paucis contenti fuerunt, & ideo plures ſunt reliquiæ; ita hic ſeptem ſunt ſportæ, & pauciora reſidua, eo quod quatuor millia fuerunt, hoc eſt quatuor virtutibus exercitati; & propterea vt ſint potentiores plura comederunt, & pauciora reliquerunt, illa enim ſola non potuerunt comedere, quæ fuerunt magis ſpiritualia, & profundiora, vnde & per *ſeptem ſportas*, deſignantur. Hieronymus *ſeptem ſportas* fingit ſeptem primas Eccleſias. Ego verò quid inter tantos proferam? *ſeptem ſportas* non abſque re erit confingere, vel ſeptem Diaconos qui iubentur aſſiſtere Pontifici prædicanti, vt teſtes ſint prædicationis, & conuiuij ſpiritualis, quod per Epiſcopum Chriſtus populis impartitur. Vel ſi ad altiora cupimus aſcendere, ſeptem Angelos, qui in conſpectu throni ſunt Dei proferamus, ſiquidem hi merita, & orationes, quæ videntur ſupereſſe, & ex abundantia ſpiritus, & gratiarum redundare, colligunt, & offerunt Deo, vt auctor eſt Raphael. In priori miraculo panis multiplicati, duodecim cophini feruntur, hoc eſt Apoſtoli, quibus pariter conuenit, vt Iudices, & principes terræ omnium facta præclara in vnum penes ſe congregare, & ſcire, vt mox in cælis Deum lætificent offerendo ea auctori, & gratias agendo pro ijs quæ ſuis ouibus dignatur elargiri; poſt conſumato ſæculo perennem concilient laudem gregi ſancto; qui tàm ſtrenuè decertauit, & extitit negociator ſedulus, vt non duo, aut quinque: Sed cum duodecim cophinis exceſſerit, hoc eſt, duodecim fructibus ſpiritus. Denique quod ex tantis reliquijs nihil ſecum aſportauerint, in primis honeſtas turbarum cômendatur, præterea monemur, inquit Victor Antiochenus, exemplo hoc percommodè rerum vſum ex neceſſitate ſpectandum, & metiendum eſſe; nihil autem vnquam grauiori neceſſitate ſecluſa, propter habendi ſtudium ſubducendum. Ne forte auidus audiat: Populus hic non cognouit, quod ego dedi eis frumentum, & vinum, & oleum, & argentum multiplicaui ei. Idcirco conuertar, & ſummam frumentum meum in tempore ſuo, & vinum meum in tempore ſuo. Siquidem videns altiſſimus cupidinem hominum, & ingratitudinem, ait per Aggæum: Vocaui ſiccitatem ſuper terram, & ſuper montes, & ſuper triticum, & ſuper vinum, & ſuper oleum, & quæcunque profert humus. Quoniam his, quæ apponuntur, perſæpe abutimur, nec ſolum naturæ curâmus ſubuenire, verum & in annos plurimos non ſine pauperum, & orphanorum ac viduarum iactura, aſſeruamus.

Lyra. Bern. Gloſſ. ord. Zach. Ambr. Theoph. Hier. Sententia propria. Thob. 12 Vict. Oſe. 2.

CAPVT NONVM.

Erant autem, qui manducauerant, quaſi quatuor millia, & dimiſit eos.

Expoſitio.

MIraculi magnitudinem ex numero manducantium, nunc demum aperit Euangeliſta. *Erant*, inquit, qui ex tàm modico panum numero manducauerant ſplendidè, & ſaturati fuerant, *quaſi* ac circumcirca *quatuor millia* virorum, qui eo conuenerant excepta infantium multiplicitate, & fœminarum. Poſtquam autem conuiuium expleuiſſent, nemo ingratus apparuit, ſed pro modulo quiſque gratulabatur largitori. Qui cernens abire ædificatos, dimiſit eos, vt ad propria repedarent.

Erant autem, qui manducauerant. Tametſi omnes, vt habet præcedens littera, ſaturati eſſent, non fit hic mentio de ſaturitate, ſed tantum de manducatione, vt liceat inde duplex manducantium genus in conuiuio Domini deſignare. Eorum qui ſaturan-

Diuerſitas manducantium. ſaturantur, & qui tantum manducant inſaturati. Hos diceremus qui manducant ſacramentum ſacramentaliter tantum, qui iudicium ſibi manducant, & à cibo ſubſtantialiſſimo propter ſtomachi, & animi indiſpoſitionem prouenit miſeris infirmitas, vſque ad mortem: Illos imaginato lector, qui ad menſam dominicam accedentes, vt comedant cum Principe, cul- *Prov. 23.* trum ponunt in gutture ſuo, & timore repleti preparant ſe, & ornant veſte nup- *Matth. 22.* *1 Cor. 11.* tiali, & ſic de pane illo edunt, & de calice bibunt; tales manducauerunt, & ſaturari *Leu. 26.* ſunt; iuxta proximum comeditis panem veſtrum in ſaturitate, hoc eſt, com guſtu, & perfectu animæ.

Quaſi quatuor millia. Qui numerus *Zach.* (ait Zacharia Chryſopolit. lib. 2. cap. 89.) ſemper in laude ponitur. Et quadrangulus lapis non eſt inſtabilis, & in eo numero Euangeliſtæ ſunt. Numerus itaque refectorum docet, eos paſtos Euangelicis cibarijs, ſimulque inſinuat innumerabilium multitudinem de quatuor orbis partibus ad cæleſtis cibi donum concurſuram. Hoc igitur typice inter hanc, & illam refectionem diſtat, quod ibi littera verus *Quatuor fidelium virtutes.* plena eſſe ſignata eſt gratia ſpirituali, hic gratia noui teſtamenti monſtrata eſt miniſtranda fidelibus quatuor ornatis virtutibus. Quarum prima eſt cognito rerum appetendarum, & vitandarum. Secunda, refrenatio cupiditatis ab his, quæ temporaliter delectant. Tertia, firmitas contra moleſtias ſæculi. Quarta, quæ per omnes diffunditur, dilectio Dei, & proximi. Et hic, & ibi mulieres, atque paruuli excepti ſunt; quia tàm in vereri, quàm in nouo teſtamento non admittuntur ad numerum, qui non perdurant occurrere in virum perfectum, vel infirmitate virium, vel leuitate mentis. Vtraque refectio cælebrata eſt in mònte, quia vtrunque teſtamentum altitudinem mandatorum Dei, & illius montis altitudinem, qui eſt mons domus Domini in vertice montium conſona voce nobis prædicat. Fit itaque miracu- *Vict.* lum manifeſtum, concludit Victor Antiochenus. Primo quidem ex eorum ſaturitate, qui epulati fuerant, mox verò ex eſcarum copia, quæ ſuperfuerant; poſtremo autem ex eorum multitudine, qui ad ſaturitatem vſque manducauerant. Ex hac vltima ratione, quæ nobis communior eſt, quiſque ſi aduerteret, in continuam omnipotentis admirationem, & laudem trahi deberet, vt qui non quatuor millia ex ſeptem panibus, ſed millia millium quorum non eſt numerus nobis ex ſolo Dei verbo, & nutu credit, videt, & confitetur ſatiari. At quia communiſſimum eſt, ad miraculum nemo reſpicit, neque ex eo qui operatorem collaudet.

Et dimiſit eos. Votis compotes vt benedictione ſpirituali repletos, quod ad ſe acceſſiſſent deuoti. Itaque non ocioſis (air Zachartas Chryſopolitanus) Non in ciui- *Zach.* tate Synagogæ, vel ſecularis dignitatis reſidentibus, ſed inter deſerta Chriſtum quærentibus, cæleſtis gratiæ alimonia impartitur. Qui enim non faſtidiunt, à Chriſto ſuſcipiuntur: Et ſpiritualiter, & corporaliter etiam, ſi indigent, curantur. Ergo quærite Dominum dum inueneri po- *Iſai. 55.* teſt, inuocate eum dum prope eſt, & dimittet vos ab oratione lætos, à petitione repletos, à ſtudio virtutis ſanctos, & ab imitatione vitæ laborioſæ diuites. Quoniam bonorum laborum glorioſus eſt *Sap. 3.* fructus.

CAPVT DECIMVM.

Et ſtatim aſcendens nauim cum diſcipulis ſuis. Venit in partes Dalmanutha.

Tametſi à ſe turbam dimiſiſſet, nihilo *Expoſitio.* ducens laudes eius, quas præſens largitori efferebar; alio etiam ſe contulit, vt applauſum hominũ ab eo ne dum appeti, ſed deteſtari nobis indicarer. Quia ſciebat, quid eſſet in homine, & non oportebat vt quis ei teſtimonium perhiberet. Igitur *ſtatim*, vt abiſſe turbas vidit, *aſcendens* denuo *nauim*, quæ circa litus aderat, vt ad eam *cum diſcipulis ſuis*, qui eum pro more, vt magiſtrum quocumque pergerat, ſequebantur admiſſis, *venit* trans fretans *in partes* & confinia *Dalmanutha*, quæ eſt Magedon, vt Zacharias Chryſopolitanus tradit, vel ſecundum Hier. parum à Magedon diſtans circa garezans trans mare Galilææ.

Et ſtatim. Abſque temporis dilatione exemplo omnipotentiæ, & maieſtatis ſupremæ, adiecir alterum humiliraris, videlicet fugam ſaturitari rantorum in primis, vt vtranque naturam exemplis confirmaret: Deum inquã, eſſe omnipotentem operantè mirabilia, quorum non eſt numerus; & hominem humilitatem affectantẽ. Deus enim humiliari non poteſt, qui ait gloriam *Iſai 48.* meam alteri non dabo, omne genu curuabitur. Neque fugam inire eſt Dei, qui di- *Act 7.* cit: Cælum & terram ego impleo. Cælum *Iſai 66* mihi ſedes eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum. Homo eſt qui humiliatur, & abiectionis ſigna in fuga, paſſione, & alijs oſtendit. Verum quia Deus in homine, per communicarionem Idiomatum, & ipſe quoque exinaniri, & humiliari verè dicitur in carne, & natura aſſumpta, vt Cyrillus ac reliqui patres, qui ad Epheſinum concilium congregati erant,

Digitized by Google

Neſtorio perſuadere conati ſunt; præterea *ſtatim* parat fugam, vt nos minus noſtræ hnmilitatis anxios reddat, quàm ſalutis eorum. Nam quid prodeſt homini [*Matth. 6.*] ſi vniuerſum mundum lucretur animæ vero ſuæ detrimentum patiatur. Quid orbem conuertiſſe, & ſuperbire cum mago? quid domaſſe Amalechitas, & gentes, mandatum autem Dei, & obedientiam non curare? & quid pauperes ex proprijs cum Nicholao diacono ſuſtentaſſe, & poſt dementicare? Hæc incurrit mala, qui *ſtatim* poſt factum egregium non eſt ſolicitus ſuæ hnmilitatis, vel non diuertens alienas laudes, quando ſe promptum ad eas ſuſcipiendas agnoſcit; vel non ſeipſum ad Deum eleuans, qui eſt omnium factor, cuius eſt gloria, noſtra autem confuſio. Hinc [*Pſal. 48.*] ille: Humiliata eſt in puluere anima mea, conglutinatus eſt in terra venter meus; ſic enim ſe paruulæ aues ab accipitre, herodius ab aquila, & lepus à canibus præripiunt; ſed & Moyſes ſolnens calciamen- [*Exod. 3.*] tum alienum, & terram calcans pedibus mortem euadit. Is eſt, qui quæ Dei ſunt glorioſa, & honorifica, ſibi non vendicat, & oblata ad auctorem difert; pes autem eius atque affectus eſt humiliari potius cũ mitibus, quàm diuidere ſpolia cum ſuperbis. Prouocatur verò ad humilitatis ſtudium, dum ſe puluerem agnoſcit, & credit in puluerem redeundum, nihilque in ſeipſo videt, niſi quod ex terra conglutinatum [*Iob. 10.*] eſt, iuxta illud: Memento quæſo, quod ſicut lutum feceris me, & in puluerem reduces me. Nonne paucitas dierum meorum finietur breui? Ad hæc vt ad aſylum meditanda, & his ſimilia *ſtatim* confugit, quem leo deuorans ſuperbos conatur præripere. Tuncque Deus in humilitate noſtra memor eſt noſtri, & ſubleuat lignum humile, conſeruatque ne in opere arduo corruat; immo vero iuuat, vt inter hominum laudes humilior fiat corde, & apud ſemetipſum deſpectus, dum honoratur, & ad cathedram ſeniorum exaltatur. Optime [*Ambr.*] ergo Ambroſ. In ſermo. de humilit. protulit: Quiſquis cupit diuinitatis tenere [*Greg.*] faſtigia, humilitatis ima ſectetur. Et Gregorius lib. 18. mor. tanto quiſque pretioſior Deo, quanto proppter eum vilior ſibi. Igitur ſtatim fuge dilecte mihi ad cauernam humilitatis, quandocunque præſentis ventum vanitatis, & laudis ſufflaris.

Aſcendens nauim. Hæc illi extitit mediatrix ad fugam; non pes, quo, vt alias, fluctus poterat calcare, neque euanitio, vt cum diſparuit in medio Nazareorum. Pes quidem erat proprius, abire è medio inuiſum pariter proprium, vt qui inuiſibilis Deus, & dote inuiſibilitatis donatus ſecundum corpus tametſi eam reprimeret; naue vti alterius alienum, cum dicat mea sũt enim omnia. Ergo alienis vti nos docet, non proprijs quotieſcumq. ſuperbiam declinare optamus, & humilitatem ſectari. Noſtra ſunt confidentia virtutis propriæ, conſideratio excellentiæ, ſiue animæ, ſiue operis facti, & conditionis ſtatus, quem profitemur in Eccleſia, vel in ſæculo, & ſimilia. His non eſt datum creaturæ fugam parare, ſed delabi, quanto animum ad iſta quis appulerit. Alienis vtendum continuo ſi euadere vitium volumus, & tutos in virtute permanere. Aliena eſt nauis Eccleſiæ, quæ è cælo deſcendit, à Deo parata, tanquam ſponſa viro ſuo; aliena ſunt data & dona bona, quæ pater luminum diligentibus ſe largitur. Aliena ſunt auxilia, quæ apud Deum ſancti nobis impetrant. Siquidem neque propter nos, ſed propter Chriſtum, qui nobis meruit reconciliari Deo, eius gratia perfundi, & ſanctos habere auxiliatores. Ergo vt Chriſtus *nauim*, quæ erat ei aliena, aſcendit, & vt diffugeret turbam, quæ eum cogitabat Regem conſtituere; tu aſcende ad Eccleſiam, teneque eius ſacramenta; quando te Diabolus ad pinnaculum tentat eleuare; inſtanter ora perfundi gratia cum turba vitiorum te molitur inſequi; & eleua oculos tuos ad montes ſanctorum, qui ſuper cælos ſunt, quoties tecnas perditionis tibi præparari animaduertes; in tuis vero neque viribus, neque virtutibus, neque carne, ac ſapientia vnquam confidito. Solus Chriſtus eſt; qui ſe ſuis liberat; vt autem te alienis vti doceat, mox alienam nauim aſcendit.

Cum diſcipulis ſuis. Etenim ***non omnibus datum eſt adire Corinthum***, neque nauim aſcendere, & ad aliena, quæ præmiſimus confugere, perque ea liberari niſi *diſcipulis*, qui tam ſalubrem à magiſtro doctrinam imbibere. Hi ſunt imitatores Chriſti, qui ab eius veſtigijs non abeunt, dilectionem aſſumunt, fidem exercent, & pietatem, vt theſaurum complectuntur. Nam qui pronus eſt ad miſericordiam, benedicetur. Qui diligit cordis munditiam [*Prou. 22.*] propter gratiam labiorum ſuorum habebit amicum Regem. Qui autem ſeminat iniquitatem, metet mala, & virga iræ ſuæ conſumabitur. Hunc ego ex patre Diabolo effero, illum autem acclamo diſcipulum Chriſti, qui candor eſt lucis æternæ, & miſericors atque præſtabilis ſuper miſericordia, ad quam vnicè ſuos hortatur, [*Luc. 6*] eſtote miſericordes, inquit, ſicut & pater veſter cæleſtis miſericors eſt. His eſt facilis aſcenſus ad nauim, ad gratiam, ad auxilium, & fauores cæleſtes faciliimè recipiunt, vt ab omni periculo eximantur. Quoniam complacuit patri talibus Regnum dare.

Venit

Digitized by Google

Venit in partes Dalmanutha. De hac ciuitate dictum eſt. Cur ad eam venerit, rationem aliam ex Victore Antiocheno accipiamus, videlicet, vt ex labore in iuuandis infirmis, & alendis turbis, quæ ad ſe confugerant in deſerto, fatigatos diſcipulos data paululum quiete recrearet. Diſcimus hinc (ait Victor) non ſemper tentationes, non ſemper pugnas adducere, verum ante tentatos, pugniſque defatigatos, ſuo quoque tempore ab eiuſmodi miſerijs, & laboribus recreare, & refocillare. Vt enim ſua abſentia laborem, & moleſtiam; ita ſua præſentia à moleſtijs, & laboribus, quietem indulgere ſolet. Adhuc alteram excogita cauſam tùm ſeceſſus è deſerto, tùm aduentus Dalmanutham. Inde receſsit cum diſcipulis, vt aliquando vitæ huius ſolitudinem doceret finiendam, & ad ciuitatem habitationis transferendos; qui ſecum in laboribus multis, in ærumnis, & vigilijs multis in paupertate, & nuditate; atque alijs exercitiorum generibus, quæ olent lucernam, & ſunt ad omnia, quæ cor ſanum deſiderat, diù multumque inſudaſſent vſque in finem. Quia qui perſeuerauerit vſque in finem hic ſaluus erit, venit autem nauigio *Dalmanutham*, vt nulli niſi per Eccleſiam Catholicam, & Apoſtolicam, quam à primaria Sede Romanam vocitamus ad gloriam ſicere aditum, inſinuaret. Cum nulli dubium ſit (ait Gregor. diſt. 12. præceptis) quod non ſolum Pontificalis accuſatio, ſed omnis ſanctæ Religionis relatio, ad Sedem Apoſtolicam, ſcilicet Romanam, quaſi ad caput Eccleſiarum debeat referri, & inde normam ſumere, vnde ſumpſit exordium, ne caput inſtitutionis videatur omittere, cuius auctoritatis ſanctionē omnes teneant ſacerdotes, qui nolint ab Apoſtolica ſuper quam Chriſtus vniuerſalem fundauit Eccleſiam ſoliditate diuelli. Nam nulli dubiū eſt (proſequitur Calixtus diſt. 12. cap. non decet) quod Apoſtolica (ſcilicet Romana) mater ſit omnium Eccleſiarum, à cuius vos regulis nullatenus conuenit deuiare: & ſicut Dei filius venit facere voluntatem patris ſui, ſic & vos implete voluntatem veſtræ matris, quæ eſt Eccleſia. Prima ergo ſedes (infert Anacletus epiſ. 3. de ordin. Archiep.) eſt cæleſti beneficio Romanæ Eccleſiæ, quā vt memoratum eſt, Beatiſsimi Petrus, & Paulus ſuo martyrio conſecrarunt. Sic Roma, quæ prius erat Cacodæmonis artificio omnium errorum mater, & altrix, excuſsis tenebris, & vanis ſuperſtitionum ritibus abie[illegible], filiorum Dei, exorto ſole iuſtitiæ, facta eſt copioſa propagatrix. Quid ad hæc Caluine, & Luthere, Magdeburgenſeſque Centuriatores, qui Babel conſtruxiſtis, vt hāc turrim Dauid expugnetis? Etenim non admittunt hi, quæ diximus, ſed Eccleſiam Catholicam eſſe cœtum, quem erroribus implent, vt verè Babyloniam efferant, qui vel eos conueniunt, vel libros eorundem conſpiciunt, & expugnant errores. Quorum numerum cum excreuerit, facilè eſt cuique libros Catholicos inuenire, vnde & fidem, quam profitemur pluribus confirmet, deijciat verò aduerſarios, qui mendacium ſequuntur. Ego interim inſtitutum proſequar.

Victor. | Gregor. | Calixtus. | Anacletus. | Hæret.

CAPVT XI.

Et exierunt Phariſæi, & cœperunt conquirere cum eo quærentes ab illo ſignum de cælo tentantes eum.

Expoſitio

E Vulgatum miraculum, vt ſtudioſos ad virtutem excitauit, & laudem Chriſti; ita æmulos, & inuidos, quorum exors numerus, vt apes aduerſus Dominum, & Chriſtum exarcebāt, ad æmulationem, & liuorem inuidiæ maiorem, quam ante hac adduxit, vt ora continere non poſſent, quin apertè detraherent bono, alioqui manifeſtiſsimo, quod nulla tergiuerſatione impugnari valebat, neque celari, neque ab eius laude auctor excuſari. Exierunt igitur non tàm à Hieroſolymis, ac locis ſuis; quàm à naturæ legibus, & principijs, qui ſe legum omnium obſeruatores gloriabantur Phariſæi. Et cœperunt dicere bonum malum, & dulce in amarum ponere, nihil eſſe miraculū multiplicati panis, ſed commentum, & illuſionem, vt eo deluſus populus trahatur ad nefarium in Deum, ac Regem, cuius auctoritatem patrator nouitatis auſpicijs popularibus ſibi videtur velle tribuere; ſic igitur ſuſurrando ad Chriſtum accedunt, ac loco debitæ reuerentiæ querelam proponunt, & cum eo conqueruntur, quod hiſce improprijs ſignis turbas ſolicitaret, & ad defectionem à poteſtatibus ordinarijs videretur inducere, ſaltē ex facto ſuſpicionē ingeneraret his, qui ſcirent ad eū in deſerto, quo ſolēt cōiurationes fieri, quandoq; quinque millia, & nuper quatuor millia congregaſſet. Etenim ſi es, quē te prædicas, & proclamāt turbæ (aiunt) deſine ſigna iſta facere, quæ nullius ſunt efficaciæ; quæ nos petimus alia, & fortaſsis tuum finem conſequeris. Non enim turbæ popularis, ſed noſtrum eſt perſonarum dignoſcere ſtatum, & quæ ſint vera ſigna dijudicare. Igitur effice ſignum, quod in cælo ſancti homines, & Ioſue, & Iſaias, atque alij perpetrarunt, vel ſi non idem, ſimile, vt conſtet te de cælo ad nos miſſum, eſſeque cæleſtem illum, quem vates prædixere; at vafri, & callidi homines non quærebant ſignum de cælo, vt in cæleſtem Adamum crederent, ſed ſi poſſent manus injjcerent. Tentantes enim eum venerant,

vt, ſi

vt ſi occaſionem damnificandi perſonam, ceu inhoneſtandi, vel in opere, vel in ſermone inueniſſent, omnem lapidem contra Chriſtum mouerent, quouſque de medio tollerent.

Et exierunt Phariſæi. Et cum eis iuxtà Matth. Sadducæi quoque venerunt; tametſi enim ſectis diſcordarent, & opinionibus, in Chriſtum concorditer conſpirabant, vt in *Hæret.* hæreticis licet contemplari circa Eccleſiæ Catholicæ negotia, quæ cum eis ſint exoſa, nec Pontificem, nec Clerum patiantur, neque ſinceram Sacramentorum, ac legis veritatem, neque Scripturæ veritatem obſeruent, quoties aliquid contra iſta, vel agendum, vel dicendum occurrat; tametſi diſcordiſſimi circa peculiares errores, quos profitentur, ſtatim conueniunt, & oppidatim exeunt quaſi ad epulas, ſeu potius ad communem hoſtem, cum reuera amica ſint omnia, etiam malis, quamdiù velint, quæ ſunt in Eccleſia. Vt enim caput Chriſtus *Matt.26.* proditori dixit: Amice ad quid veniſti? ita & corpus eius, quod eſt Eccleſia amicum vocat inſidiatorem, quem parata eſt reſ-*Cant.5.* pere: eſt enim venter eius eburneus diſtinctus ſaphiris, hoc eſt, clara tota, & nitens, vt ebur his, qui accedunt; diſtincta quoque ſaphiris dicitur, quod in cunctis, quæ offert redeuntibus, aut de nouo accedentibus ſpem ſalutis proponat; hanc ſacramenta, hanc lex, hanc miniſterium, & quicquid in Eccleſia eſt ad fiduciam excitat volentem conformari ſuis ſtatutis, & eam habere matrem. Saphirus autem, qui natura coloris eſt viridis, ſpem, ſiue ſperantem deſignat. At cum hæretici ſpem poſuerint brachium ſuum, & confidant in nihilo, omnem Eccleſiæ confidentiam expugnant, & facto impetu exeunt contra Eccleſiaſtica omnia, quaſi ad hoſtilia. Siquidem filij alieni, qui à patre degenerant, & filij concubinæ, qui legitimis inſidiantur. *Auguſt.* Nam ſecundum Auguſt. lib. 4. de Symbolo ad Catechumenos c. 10.) quæcumque congregatio cuiuſlibet hæreſis in angulis ſedet, concubina eſt, non matrona; at cum reſpe-*Gen.21.* xerit ille ſponſus, eijcieris tu vt ancilla cum filijs tuis, quoniam non erunt hæredes filij ancillæ, cum filijs liberæ.

Et cœperunt conqirere cum eo. Pro con-*Gagnaius.* quirere (notat Gagnæius) Græci habent συζητεῖν. quod ſignificat altercari, quemadmodum ſophiſtæ, & increduli ſolent finge-*Arias Montanus.* re (inquit Arias Montanus) multa argumenta ſophiſtica, & vana, quibus illius auctoritatem, vel oppugnare, vel apud vulgus eleuare tentabant. Eſt quidem genus ho-*Ioſeph.* minum (ſcribit Ioſeph lib. 17. c. 3.) aſtutum, arrogans, & interdum Regibus quoque infeſtum, vt eos etiam apertè impugnare non vereantur. Et lib. 13. C. c. 18. de eiſdem addit. Tanta eſt eorum auctoritas apud populum, vt etiam ſi Regi obloquerentur, aut Pontifici; fidem tamen eis vulgus haberet. Ea propter dictitantur Reges terræ, qui cõgregantur, & conueniunt aduerſus ſanctum *Pſal 2.* Domini, & vt tauri pingues circumdede- *Pſal.21.* runt inſontem, interrogantes, quæ neſciret Chriſtus, videlicet malum animum, fraudem, dolum, tyrannidem, magiam, & omnem impoſturam, quæ repugnabant Chriſto, in cuius ore neque dolus poterat inueniri, vt qui natura bonus eſſet, & impeccabilis. Quare omnia, quæ loquitur populus iſte coniuratio eſt; congregatio Tauro- *Pſal.67.* rum in vaccis populorum; ſed conquaſſabit Dominus capita nedum multorum, ſed omnium, qui ſuper lapidem angularẽ prætioſum in fundamento fundatũ ciciderint. Hi ſunt, qui cum membris quoque Chriſti conqueruntur, & eorum bona opera auerſantur præ inuidia, nec pati meliorem ſe poſſunt, nec doctiorem. At quia contra il- *Eccl.45.* lum ſteterunt alieni, & propter inuidiam circumdederũt illum. Vidit Dominus Deus, & non placuit illi, & conſumpti ſunt in impetu iracundiæ.

Quærentes ab illo ſignum de cœlo. Vtpotè quod ſolem ſiſtat, & lunam (ait Theophyla- *Theophyl.* ctus) fulmina deducat, aërem immutet (contra inquit Arias Montanus) nouum ſi- *Arias Montanus.* gnum illorum arbitrio edendum, non ex ijs, quæ expectanda, & obſeruanda indicebantur in ſacris libris; quaſi ea, quæ viderant non fuiſſent ſigna, dicit gloſ. Arbitra- *Gloſſa.* bantur enim (proſequitur Theophylactus) eum non poſſe facere ſignum de cœlo: in Beelzebub facere ſolum ſigna in terra. Ad de cæleſte ſignum ab eis in primis, vt ſe cæleſtes prædicarent non terrenos, quemadmodum, & eorum ſtudium indicabat. Quidam enim ipſorum ſecundum Epiphan. lib. *Epiphan.* 1. panar. cap. 6. cum ſe exercebant præſcribebant decennium, aut octennium, aut quadrennium virginitatis, & continentiæ: & frequentius orantes, crebrius certamen hoc aggrediebantur, vt ne videlicet corporale quid eis accideret, aut clandeſtinæ per ſomnia triſtis corporis defluxio contingeret. Et alia huius generis factitabant quaſi nihil commune cum terra haberent, ſed cæleſtè. Igitur qui de terra eſt de terra loquitur, qui autem cæleſtis, de cæleſtibus conuerſatur, non terrenum, ſed cælicum quærunt ſignum. Porrò vt multa ſupra vulgus, ac reliquum hominũ genus ſe efferrent doctos, & in Scripturis verſatos, quæ ad Meſſiæ aduentum multa cælis euentura promittebant; vt: Aperiet Dominus theſau- *Deut.28.* rum ſuum optimum, cælum. Aduocauit cæ- *Pſal.49.* lum de ſurſum. Super hoc cælum turbabo. Complicabuntur ſicut liber cæli. Induam *Iſai.13.* cælos tenebris. Etenim cæli diſtillauerunt *Pſal.67.* à facie Dei Iſrael. In his itaque atque alijs oraculis, quæ tùm ad primum, tùm ad ſe-

cundum

eundum Chriſti aduentũ referuntur,optantes periculoſos haberi ſignũ de cælo quærunt. Vel,vt paucis dicam, quod cenſeo factum, arrogantiam, & ſuperbiam oſtendebant. Quorum imitatores prorſus ſunt oratores verbi Dei,qui altiſſima populis ignaris proponunt, texentes in concionibus quæſtiones de Trinitate, inde ad hierarchiarum ordines volantes, & quærentes longa verborum ſeriē Angelorũ numerum, & ſtellarum,qui & quot inter prædeſtinatos numerari debeant; etiam perſæpè à ſuggeſtu tentantes inquirere, & denudare myſterium,cuius corrigiam ſoluere, dixit Ioannes ille: Non ſum dignus. Quorſum autem? fortène vt proſint populis? Minimè gentiũ: ſed vt cum dicunt ſe eſſe ſapiētes ſtulti habeantur, & loquaces ne dicam pernicioſos Reipublicæ Chriſtianæ. Nam *graci ſunt multi, & ſiculant*. Ideò talium magiſtrorum oblatam copiam ſibi acceruant, vtinam ne cicadā imitentur. Genus docendi in populo,ait Synod. Mediolan. 4. cap. de verbi prædicatione; eſt vt Beati Pauli Apoſtoli exemplo, prædicator ſigillatim cuiuſcunq; ſtatus homines vterq; inſtruat; ac præcipua virtutum officia demonſtret; modo filios, modo parentes,nunc ſeruos,nunc dominos, nunc viros, nunc vxores, nunc ſenes,nunc iuuenes erudiens, ac diligenter, quæ cuiq; propria ſunt præſcribens,&c. Et infra. Quod ſanè officium, ſi graui oratione, & ab omni, vel artificij, vel hominis ſua ſpectantis ſuſpicione aliena, tractabitur,maiorem inde fructum, iuuante Domino, forè ſperandum eſt,&c. Id quod(ſubditur)olim ſanctiſſimos Epiſcopos, Ambroſium, Auguſtinum, & Chryſoſtomum feciſſe cōſtat. Tantorum tamen relicto ſtudio, quinimo ab Apoſtoli regula diſcedentes, malunt pleriq; noſtrorum alienorum fieri imitatores,& quærere, ſeu proponere ſigna de cælo, quã animam, quæ in terris eſt,ſacris moribus ædificare; ſed & ipſi repulſam patientur.

Superbia Phariſæorũ.

Prædicatorũ quorundam taxatur vanitas.

Luc. 2.

Rom. 1.

Synodus Med.

Officium Prędicatoris deſcribitur.

Tentantes eum. Rectè tentantes dixit (aduertit Antiochenus)neque enim vt crederent ſignum quærebant, etſi quidem eiuſmodi, ſi ſignum faceret, præſeferrent; verum ſolo tentandi, fallendique animo quæſtionem illam mouebant. Tantum enim quid eo in genere poſſet,vel non poſſet,explorare volebant. Fidei autem nullam prorſus rationem habebant. Errant inſuper *eum tentantes*, quod pondere propoſitionum, nec non verborum, & querelarum importunitatem contendebant prouocare ad iram, velut immitem quendam; & ad verbum, ſeu factum, vt impatientem, quo eum carperent, & inſimularent de blaſphemia, aut crimine alio, quod in legem, Prophetas, & proceres Synagogæ videretur perperam ſonare. Tentare propriè eſt de eo, quod neſcimus, ſed præſumimus experimentum ſumere. Sic diabolus tentauit Chriſtum,ſi filius Dei eſſet; & hi tentabant Chriſtum ſi homo perfectus eſſet, an vt cæteri hominum, qui prouocati verbis inſipientium vix ſe valent continere.

Victor.

CAPVT XII.

Et ingemiſcens ſpiritu ait, quid generatio iſta ſignum quærit? Amen dico vobis, ſi dabitur generationi iſti ſignum.

NOn verba ſolum, ſed animum, quo accedebāt ſerpentinũ intuetur,cumq; aggerem cogitationum peſſimarum in ipſis cerneret, *ingemiſcens ſpiritu*, ac dolens tantam in hominibus perniciem, & imaginibus Dei deformitatem, ait ad Circumſtantes,vt & ipſi deplorarent tantam iacturam; ait quidem: *quid generatio iſta* omninò à bonis excuſſa, & degenerans à parentibus, *quid*, aut quale *ſignum quærit?* Non agnoſcit ſignum ſalutis, quod ſignum inueſtigabitur? reſpuit ſignum miſericordiæ, quid quærit niſi ſignum iuſtitiæ? nihil eos iuuat ſignum pacis, & redemptionis plenæ, quale ſignum quæret, quod infelices non damnet, & in æternum perdat? Hoc quidem ſibi vult interrogatio.

Expoſitio.

Et ingemiſcens ſpiritu. Lazarum ſuſcitare volens infremuit ſpiritu, nec non cum in medio triumphi oraret. Pater venit hora, clarifica filium tuum;quando dæmoniacum à ſurditate,& vinculo linguæ curare diſpoſuit, *ingemuit*,& mox:Quoniam ibi inflammabatur amore, cuius imperum amabili propoſito refrenare perſæpè oportet his, qui ſunt debiles: Hic autem obiectum odij retrahens ſpiritum vitalem ab officio ſuo compellit *ingemiſcere*,ſibi repręſentabatur. Nec quidem in hos actus ſenſilium paſſionum prorupit, quod eos non valeret reprimere; ſed vt doceret quid in obiecto amoris, & odij nobis agendum foret; videlicet vt infrænarenius flammam amoris, quando res poſtulat, etiam præſente obiecto;cum autem odibile occurreret,vt peccatum in peccatore, damnum in homine; ac ſimile, retracto ſpiritu à cæteris,gemitum pro miſeris, & compaſſionem oſtenderemus. Sunt quidem proximi, quibus compatiendum, quando eos ſub onere deteſtabili videmus comprimi, & luto, ac latere defatigari.

Ioan. 11.
Ioan. 12.
Mar. 7.

Signa amoris,vel indignationis in Chriſto,non paſſiones fuerunt.

Ait. Non certè ad quærentes,ſed ſtantes diſcipulos, qui præhabita ſigna conſpexerant, & per ea crediderant,conceperantque dicere; quia tu es Chriſtus filius Dei viui. Ad hos ſermonem diuertit,primum,vt paucis diebus plus ſecum, eos profeciſſe doceat, quàm diſcipuli Moyſi in multis annis. Quandoquidem Phariſæi, & Scribæ tàm diutur-

Digitized by Google

diutnrno ſtudio ad verum ſignum nondum venerant; Apoſtoli antem viderant, & crediderant; mox alloquitur diſcipulos relictis alijs, vt oſtenderet eos, qui recta ſaperent, dignos fore tantum colloqnio Chriſti, minimè verò ſtultos, inuidos, & malignos. Demum inſtruimur non ſolum non acquieſcere ſtultis, ſed neque reſpondere interrogati, quando fatua eſt propoſitio, neque reſponſio iuuare poteſt in malis eruditum.

Quid generatio iſta. Videlicet contemptibilis valde, praua, & peruerſa, auulſa à ſtirpe, ea præſumit, quæ optimi patres fecerunt? Petijt ſignum Moyſes, ſed ſeruus *Exod. 4.* Dei; petierunt ſigna proceres Iudæorum in Ægypto, ſed accepti Deo; petijt ſignum Aaron; ſed miniſter Domini dilectiſſimus; *Iud. 6.* Gedeon ſignum petiit, ſed liberator populi; ſimiliter & alij, ſed filij Abrahæ, ſigna petierunt, & acceperunt; at generatio iſta, quæ tota eſt in peccatis, aliena à Deo, odibilis mundo, & deſtructrix bonorum omnium, quæ Patres eorum ſancti, & Prophetæ congregarunt, quid quærit, ac quorſum, & qua fronte? Frons vtique meretricis facta eſt ei. Laua à malitia cor tuum meretrix, & caſta generatio effecta claritatem enigmatis accipies, & ſolutionem propoſiti, alioquin ſemper audies.

Signum quærit. Quaſi dixerit nullum quærit, neque quid quærat, ſcit, vt ille, qui videns hominem, quæreret hominis ſignũ, & qui ab Heliſæo Heliſæũ, quine ab Athanaſio Athanaſium. Etenim ſignum quærendum Chriſtus erat, non ignis Heliæ, non tonitrunm Samuelis, non retrogradatio ſolis, neque deſcenſus manna; neq; aliud quippiam, quod vel in cælo apparere, vel in terra poſſet fieri. Hoc eſt ſignum, quod leuatur in nationibus, vt ſaluentur. Quod in ſi- *Iſai. 5.* gnum, & teſtimonium Domini exercituum in terra ſubleuatur, vt videat omnis caro ſalutare Dei; quod leuatur in Sion, vt omnes terræ profugos congreget in vnum populum. Hoc eſt ſignum, quod poſuit Dominus quaſi ad ſagittam, vt qui ſagitta vulnerante gloriamini Phariſæi contradicentes; vos verò ò fideles, qui ſagitta amoris vtimini, ſequimini eum, & imitemini. Eſt enim vobis luminare maius, & omnia luminaria, ad horam, menſem, annos, & tempora. Eſt ſerpẽs æneus pro ſigno vitæ; quid vltra optas ò fidelis? eſt quaſi ſi- *Num. 21.* gnum in manu tua, vt die, ac nocte ſolum Chriſtum mediteris, neque gradiens, neque *Cant. 8.* ſedens, aut recumbens clamites: Pone me, vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum, quia fortis eſt, vt mors dilectio, & dura ſicut infernus æmulatio.

Amen dico vobis*. *Vobis, inquam, qui ſcitis, quod iuſtum eſt, & quæritis Dominum, & in me creditis, *vobis* quidem *amen dico*; hoc eſt iuro, & polliceor, non illis, qui à ſæculo confregerunt iugum, & diſſipauerunt fœdus ſempiternum. Eſt quidem, vt ſæpè alias diximus, amen iuramenti nota. Iurauit autem Dominus nunquam in fidelibus, ſed fidelibus, Abrahæ, & Dauid. Iurauit enim Dominus Dauid veritatem, & *Pſal. 131.* non fruſtrabitur eum. Et iuſiurandum, quod iurauit ad Abraham patrem noſtrum. Hinc habemus nunquam periuris iurandum, aut mendoſis, neque ab eis iuramenti fidem accipi oportere.

Si dabitur generationi iſti ſignum. Ideſt, quia non dabitur, exponit Lyra. Quia acci- *Lyra.* pitur *ſi*, pro non. Sic in Pſal. 94. Quibus *Pſal. 94.* iuraui in ira mea, ſi introibunt in requiem meam. Vnde Victor Antiochenus, ſic litte- *Victor.* ram totam exponit: Quæ dicuntur (inquit) hoc loco, huc tendunt, quodnam ſignum improbæ generationi huic, quæ temerè à Deo recedit, dabitur aliud, quàm quod is viciſſim recedet ab illa? Cuius quidem rei argumentum extitit, receſſio illa, qua eos mox deſeruit, alioque abijt. Meritò proinde Chriſtus Dominus diuortium hoc animo pertractans, ſpiritu ingemuit. Negat quoque ſignum cæleſtè; quoniam aliud eſt tempus ſignorum de cælo (ait Theophyla- *Theophyl.* ctus) nempè ſecundi aduentus tempus, quando virtutes cælorũ commouebuntur, *Luc. 21.* & luna non dabit ſplendorem ſuum. Primi autem aduentus tempus nihil tale habet, ſed omnia manſuetudine plena ſunt, & ideò non dabitur generationi huic ſignum tale, hoc eſt de cælo. Vel non dabitur ſignum de cælo (ſubdit Gloſſ. ex Beda) quod *Beda.* tentantes quærunt: quibus tamen multa ſigna dabat in terra. Generationi autem quærentium Dominũ ſignum de cælo oſtendit, quando cernentibus Apoſtolis in cæ- *Mar. vlt.* *Act. 1.* lum aſcendit, ſpiritum miſit: ad impoſitionem manuum Apoſtolorum gratiam ſancti Spiritus de cælo plurimis credentibus infudit. Age dum, nonne ſignum de cælo erat vox de cælo à Patre ad Chriſtum facta; clarificaui, & iterum clarificabo? Nonne *Ioan. 2.* quando cælo aperto Spiritus ſanctus in columbæ ſpecie ad Chriſtum deſcendit, & ad eum loquutus eſt Pater: Hic eſt filius meus *Matt. 3.* dilectus, in quo mihi benè complacui, de cælo allatum ſignum efficaciſsimum? Et quidem vtrobique Iudæi aderant, qui vocem de cælo demiſſam ſenſerunt. Negare non poſſumus de cælo ſigna eſſe data Iudæis, quibus videntes clarè, agnoſcerent Chriſtum eſſe Meſsiam deſideratũ, ac multo certius ex eis colligerent, quàm ex terreſtribus, Chriſtum nedum hominem à Deo *Luc. 2.* miſſum; ſed Dei filiũ naturalem credi oportere. Vnde Ioannes digito eum demonſtrans protulit: Ecce Agnus Dei, ecce, qui tollit peccata mundi. Id quod Dei eſſe opus Phariſæi confeſsi ſunt, quando Magdalenam

à pec-

Digitized by Google

à peccatis liberam dimiſit; Denm tamen non admiſerunt, tametſi argumento Chriſti vrgerentur. Erant enim cæci; indeque factum, vt neque terræ ſigna, neq; cæli agnoſcerent; quæ autem ipſi optabant non acciperent, ſed quæ perditionem eornm portendebant. Hæc qnidem tametſi egrè retinent, Cætera autem ingiter adhuc pttunt, minimè accipiunt.

CAPVT XIII.

Et dimittens eos, aſcendit iterum nauim, & abijt transfretum.

IGitur beneficio omni indignos *dimittens eos*, qui tàm ſuperbè, & arroganter ad ſe venerant, remittenſqne vacuos; *aſcendit iterum* cum diſcipulis ſuis *nauim*, qua illuc appulerant, & feſtinanter *abijt* vento proſpero *transfretum*.

Et dimittens eos. Hoc eſt, relinquens, ſeu relictis illis, vt habet Matth. Etenim relinquere maiorem fore indicat perniciem *Hilarius.* Iudæorum, quàm dimitri. Vnde Hilarius in Matth. annotauit: Non ſicut alijs locis legitur, dimiſſis tnrbis *abijt*, ſed quia infidelitatis error, inſolentium animos obtinebat, non dimiſiſſe eos dicitur; ſed reliqniſſe. Et quidem *dimiſit* ſecundum Marcnm, & ſecundum Matthæum *reliquit*: Quoniam duo mala Iudæis obuenerunt. Primum fuit bona, quæ habebant, perdere, atque regnũ cum ſacerdotio, lege, ephot, ſacrificio, atq; alijs, in quibus gloriabantur. Propter quæ, & cantabant: Notus in Iudæa Deus, & in *Pſal. 75.* Iſrael magnum nomen eius. Secundum fuit in ſeruitutem animæ, & corporis, hnſtibus tradi. In domum enim ſcopis mundatam *Matt. 12.* introiuit ſpiritus nequam, cũ alijs ſeptem, quando Chriſtũ negarunt, & in perpetuam corporis ſeruitutem redacti ſunt, quum di*Ioan. 19.*xerunt: Non habemus Regem niſi Cæſarem. Sanguis eius ſit ſuper nos, & ſuper filios noſtros. Primam Indæorum plagam nntat verbnm *reliquit*; ſiquidem abeunte *Iſai. 1.* Chriſto relicti ſunt quaſi tugurium in cucumerario, priuati bonis omnibns, quæ vera, & honeſta dici valent; quando dimiſit à ſe diſtinctos, & omninò diſcordes *dimiſſi* ſunt ſnb manibus crudelinm, qui non parcunr, neque parcent. *Dimiſit* itaque ceu *reliquit* Phariſæos Dominns ſecnndum *Theophyl.* Theophylactum, vt incorrigibiles. Vbi enim ſpes eſt correctionis, ibi morandum. Vbi autem illa defuerit inde tranſeundnm. Scri*Eccl. 32.*ptnm eſt: vbi non eſt auditus non effundas ſermonem.

Aſcendit iterum nauim. Nam etſi vna nauis Eccleſiæ ſemper à primo Abel perdurauerit, neque alia vſque ad finem ſæculi expectanda ſit, capitis verò Chriſti ad eam alius, atque alius fuit aſcenſns. A principio tantum *aſcendit* præuiſus mori, & tribulari; poſtquam Iudæi abnegarunt Chriſtum, & dixerunt non eſt ipſe; iterum *aſcendit nauim*; hoc eſt, factus eſt Princeps, & caput Eccleſiæ per proprium ſanguinem, & mortem ſui corporis. Inde dixit Apoſtolus: Et cum iterum introduxit primogenitum in Orbem terrarum, dixit, & adorent *Heb. 1.* eum omnes Angeli eius. Nam propter mortis triumphum datum eſt illi nomen ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genuflectatur cæleſtium, terreſtrium, & inſernorum, & omnis lingua confiteatnr, quia Dominus Ieſus in gloria eſt Dei Patris.

Et abijt transfretum. Hoc eſt, vt proſequar intelligentiã, ad gentes, quæ vt tranſfretum Iudæis oppnnebantur, hi enim cultores vnius, & veri Dei; illi nnmina in dies multiplicabant; moribus deniqne, ac legibus oppoſiti, vt verum falſo continuo pugnabant. Poſtquam autem receſſerunt à Deo ſalutari ſui; *abijt* Chriſtus ad alienos, populumque nouum inde ſibi formauit, legibus inſtitnit, & cuncta in eo innouauit, ditauitque ex his, quæ Iſraeli promiſſa *Philo.* erant.

CAPVT XIV.

Et obliti ſunt panes ſumere, & niſi vnum panem non habebant ſecum in naui.

NIhil ſub cælo ſine cauſa, nec abſque *Expoſitio.* myſterio Apoſtolis obliuio præſens accidit; quale antem explicabitur. Interim vide, & perpende ſedulo, quomodo obliti ſunt in medio tantæ abundantiæ, quæ poſt conuiuium ſupererat, panes aliquot ſumere ſi non in craſtinum, & aliquot dies, ſaltem eos, qui diei præſenti ſufficerent. Etenim penès ſe non cuſtodiebant niſi vnum panem, nec alium habebant ſecnm in naui: vnde numerus ille duodenarius, ſi contingeret ventis contrarijs in mari detineri, potuiſſet ali, & refocillari?

Et obliti ſunt. Quod cæterorum obliuiſcerentur, ac omnium Chriſti præſentia tantum abeſt à vitio negligentiæ, & imprudentiæ, vt omnem ſuperet diligentiam, & ſolicitudinem hominum in congregandis theſauris, & aceruandis diuitijs, in immenſum penè excedat; indeque non vituperium, ſed commendatio prouenit Apoſtolis: qui *Obſeruantia Apoſtolorũ commendatur.* quod ſemel profeſſi fuerant, quando relictis omnibus ſecuti ſunt Dominum, inuiobiliter obſeruarent; nihil præter Chriſtum retinentes penes ſe, neque alium, neque aliud in memoria admitterent. Et quidem omnis, qui ſe ſemel deuouit, niſi ſolius Chriſti memoriam impleuerit, quæ promiſit,

miſit,& vouit,difficilè, aut nuſquam obſeruauit ſingula,vt oportet. Nam ſi deuouens *Pſal. 15.* dixit: Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei: qui poterit deinceps aliud,neque alium in partem animi ſui admittere? Breue eſt palliũ, vtrunq; non poteſt cooperire, neque duobus dominis ſeruire quis plenè poterit? Neque Ionathas amicitiam patris, atque Dauid valebit ex æquo conſeruare. O fratres, ac monachi, atque patres videte vocationem veſtram, amabo facite, vt omnis æſtimatio ſiclo ſanctuarij æſtimetur. Hoe eſt agite, vt opus veſtrum nihil præter Chriſtum ſapiat, & omnium propter eum obliuiſcimini,

Chriſto, & mundo nequit ſimul, & ex æquo ſeruiri.
Iſai 28.
1. Reg. 20.
Leu. 27.

Panes ſumere. Hoc quidem ſingulari diſpoſitione fit (notat Theophylactus) vt diſcipuli obliuiſcantur panum, quo meliores euadant obiurgati, & intelligant Domini virtutem. Fortè (ſubdit Gagnæius) fidentes miraculis quinque panum, & ſeptem panum. Quantum ad litteram dico, panes tradidiſſe obliuioni, quod nauigatio eis acciderit repentina, & præter ſpem,cum paulò ante applicuiſſent Dalmanutha;quantum ad ſpiritum indicatur ſecundum Zachariam Chryſopolytanum ex Beda,quam modicam curam haberent in reliquis, qui nec viaticum ſumpſerunt intentione Dominici comitatus. Ceu proprius, obliti ſunt panes ſumere facti obſeruatores præcepti: Nolite ſoliciti eſſe quid manducetis: nolite cogitare in chraſtinum: ſufficit diei malitia ſua. Tùm maximè,quod perſæpè audiſſent: Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo,quod procedit de ore Dei.

Theophyl.
Gagnæius.
Zachar.
Beda.
Matt. 6.
Deut. 8.
Matt. 4.

Et niſi vnum panem non habebant. Hoc eſt Chriſtum (ait Gloſſa interlinearis) panem vitæ, cuius qui reficiuntur amore,minus curant de terreno amore. Hi ſunt iuſti, quorum eſt vox frequens: Pars mea Dominus dixit anima mea, pars mea Deus in æternum. Et iterum: Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, ſiue conſubſtantialem, vt Ambroſ. & Hieron. legunt. Conſubſtantialis autem panis, Deus eſt, qui & vita,& ſubſtantia noſtra cenſetur.

Gloſſ.
Tren. 3.
Pſal 72.
Matt. 6.

Secum in naui. Et quidem *in naui* Eccleſiæ alius ab vno pane eſſe non poteſt,neque nautæ, & nauigantes, qui naui deferuntur, ſecum panem alium habent. Quoniam nauis facta inſtitori de longè tantum dicitur panem portare,non panes. Et vnus panis,& vnum corpus multi ſumus. Ecquis panis eiuſmodi? Ego ſum ait (Chriſtus) panis viuus,qui de cælo deſcendi,qui manducat hunc panem viuet in æternum. Non panem, ſed panes amat,qui dicunt: Fruamur bonis, quæ ſunt.

Prou. 31.
1. Cor. 10.
Ioan. 6.
Sap. 2.

CAPVT XV.

Et præcipiebat eis dicens: Videte, & cauete à fermento Phariſæorum, & fermento Herodis.

Expoſitio.

Poſtquam transfretum veniſſent, anxios Apoſtolos pro obliuione panum docere Chriſtus pergit, occaſione tùm ex obliuione Apoſtolica, tùm ex ſimulatione eorum, qui ſignum de cælo venerant quærere, accepta. *Et præcipiebat*, inquit, magna emphaſi verborum, vt ſtuperent in præceptis Apoſtoli; *præcipiebat* quidem eis,quos volebat perfectos fieri,& eſſe animo ſimplices,conſcientia claros, ſine dolo, & abſque fallacia, prudentes tamen; ideò *dicens*,quæ diù conceperat, mox protulit; *videte* ſedulo,neque vos,vnquam prætereat,quæ audituri eſtis, quandoquidem inde veſtri ſtatus, ad quem eſtis aſſumpti, excellentia pendet. Et cauete ne aliquando regulam deſeratis, neque præceptum, quod nunc vobis iniungo. Eſt enim veſtra ſalus,& fulcimentum omnium, quæ ex me accepiſtis. Illud autem eſt *fermentum*, & hypocriſis Phariſæorum, quod omnem animi pulchritudinem deſtruit, & infirmat vniuerſa, quæ agi poſſunt,quantumuis bona,& heroica videantur. Interim dico: *Cauete à fermento Herodis*. Tyrannidè, inquam, & malitia, quæ hominibus inuiſum, Deo autem exoſum reddunt hominem; tametſi inter homines alios ſublimem, & potentem. Æquitatem enim diligit Deus, & dilectionem; quæ aduerſantur his odit anima eius, perfectoque odio deteſtatur.

Et præcipiebat eis. Equidem præceptum in his non videtur. Si ſimplicem litteræ ſonum,& verborum vim conſideramus; attamen ſi dicentis animum perpendimus, & auctoritatem,non tàm hæc, quàm reliqua, quæ dixit Chriſtus, & fecit, præcepta ſunt. Namque deliberatè in ſingulis non Apoſtolos ſolum, ſed vniuerſos propoſuit inſtruere. Vnde fluxit axioma: Omnis Chriſti actio noſtra eſt inſtructio. Non enim aliundè, ex nouis dico Scripturis, habemus legem dediſſe nouam, niſi quod ore ſuo retulit decalogum; neque ſacramentum matrimonij aliter probamus ſanctum, niſi quod nuptijs interfuerit Chriſtus, & quæ olim de eo ſcripta erant, repetijt. Ac reliqua omnia, quæ vel dixit, vel fecit, aliquando maioribus, nonnunquã minoribus,& perſæpè omnibus præcepta ſunt. Quoniam verbum Regis,quod vrget, & patris vltimum teſtamentum, quod nedum inualidari, ſed neque aliqua ex parte omitti poteſt. Quandoquidem illud diſpoſuit pater Chriſto, Chriſtus verò ſtatuit nobis: Ergo fidelis ſta in Teſtamento

Chriſtus inſtruit non verbis modo, ſed etiã exemplis.

Pſal. 88.
Bar. 2.

mento tuo, & in illo colloquere, & in opere mandatorum tuorum veteraſce: Tua ſunt enim mandata, ſi vis perfectus eſſe, quæcumque vel audis, vel vides in Chriſto, quem tibi Deus non ſolum dedit propitiationem, & redemptionem, ſed exemplum vnicum, quod ſequaris, imiteris, & aſpicias.

Dicens. Optimè *dicens* præcipit, vt & faciens; duobus enim hiſce modis Chri-

Præcepit nunc dictis, nunc factis. *Matt.* 5.

ſtum præcepiſſe legimus. *Dicens* quidem: Audiſtis quia dictum eſt antiquis diliges, &c. Ego autem dico vobis diligite inimicos veſtros: Non occides; quicumque dimiſerit vxorem niſi ex cauſa fornicationis mœchatur. Et ſæpè alias *dicens* præcepit; faciens autem: vt accedens ad baptiſmum, orationem frequentans, ſtaterem ſoluens; præcepit tacitè tributum pendi, orare, & baptizari, & factis alijs, quæ voluit à ſuis obſeruari. Vſus eſt autem hoc duplici imperandi genere, vt in dictis ſe Deum inſinuaret, & in factis reuererentur hominem. Verbi enim eſt dicere; facere autem æternum agentis, quod factum eſt. Siquidem creaturis factis in primæua earundem conſtitutione commiſſum eſt opera-

Gen. 1.

ri, & facere vnumquodque: Iuxtà genus ſuum.

Videte. Hoc eſt, animo attendite, & attentius conſiderate. Viſum enim animæ, & oculorum mentis vult Chriſtus continuò vigilare, ſemperque videre, neque vnquam claudi inſtar piſcium, & ſpeculatorum, qui tota die, & nocte ad ſpecula contemplantur, quæ abeunt, quæue aduentant, vt clament, ſi viderint hoſtem, et ſi auxiliares copiam gaudium fe-

Hominis pericula.

rant obſeſſis. Circundamur vndique, & conuallamur agminibus Philiſtinorum, & gentium, quæ ſunt in circuitu noſtro; vt potè ſenſuum, mundialium, & dæmoniorum copiis, quorum infeſtatio tanta eſt, & tàm aſſidua, vt niſi continuò viderimus, non erit, qui manus hoſtium effugiat. Er-

Pſal. 44. *Ierem.* 1. Commendatur vigilantia. *Iſai.* 6.

go audi filia, & vide. Vide virgam vigilantem, & ollam ſuccenſam, quæ tibi comminentur interitum ſi dormieris; vide Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, qui te vigilantem inuitat ad ſolium; vide verbum Domini, quod vrget opus bonum; vide ſtultitiam, & iniquitatem, quæ depauperant; vide Regem in decore ſuo, quia laborauit; vide gigantem ſub aquis gementem, quia ambiuit: vide vias tuas in conſpectu, quia animam poſuit Deus in manu conſilij tui; vide quàm malum, & amarum eſt derelinquere Dominum Deum tuum, qui te fecit; vide quàm melius eſt facere benè, & lætari hominem in opere ſuo. Denique vide cuncta diligenter opera hominum, quia in omnibus reperies vanitatem, quam fugias; in his autem, quæ Deus tibi præcepit, & operatur noſter Chriſtus veritatem. Quia Deus verax; omnis autem homo mendax.

Et cauete. Cautio eſt mali, inter partes integrales prudentiæ conſtituta, prudentiæ, inquam, præceptiuæ, quæ malum omne, & pernicioſum diffugit, vt abſque impedimento bonum, quod priores prudentiæ partes proponunt (videlicet intel-

Partes prudentiæ.

ligentia, memoria, docilitas, & conciliatiua vis, quæ dicuntur prudentiæ cognoſcitiuæ) faciliùs, & tutius proſequatur, iuxtà illud: Propterea ad omnia mandata

Pſal. 118.

tua dirigebar, omnem viam iniquam odio habui; ac ſi diceret: offendicula ſaxorum, ſpinarum, & tribulorum tuli è medio; propterea latum mandatum tuum nimis, & facillimus curſus ad obſeruantiam mandatorum omnium. Quamdiù enim Iſrael ſecum paſſus eſt alienigenas commorari, & miſcere connubia cum infidelibus, clandicauit, retroceſsit, & corruit. Nihil infidelius malo, nihil noxius peccato. Quid dicam? nihil pernicioſius corpore, quod ego ſpiritui alienum facio. Quandiù ergo non cauemus huius inſultus, & non diffugimus complices callidos, qui ei adhærent, perimus. Ideò vitæ magiſter præueniens interitum, quod imprudentibus accidit, ait: *Cauete*, à quo, potiſsimum ſubditur.

A fermento Phariſæorum. *Fermentum* vocat ſecundum Gagnæium, improbos mores, peruerſamque doctrinam Phari-

Gagnæius.

ſæorum, cum quibus cum Sadducæi, & Herodiani ſocietatem inierant ad perdendum Chriſtum: vel ſecundum Lyram, ex

Lyra Bed.

Beda, & Zachar. Chryſopolit. doctrinam, qua præponebant traditiones ſuas diuinis præceptis. Theophylactus malitiam in-

Theophyl.

terpretatur *fermentum*. Quicunque enim (inqit) malitia inueteratus eſt, & nihil ſpirituale poteſt dicere, quod auditoris faucibus ſit dulce, ille *fermentum* habet, ac mordacem veteris malitiæ doctrinam, quæ illi obedientem ad pœnitudinem tandem ducat. Ad hæc dicerem proprius appellari hypocriſim ſolam, quæ in huiuſmodi gente primatum habuit: Nam in cæteris vitijs plures, ne dicam omnes, aut certè magnam orbis partem ſibi aſſociant Phariſæi; hypocriſis verò conditionem ple-

Quid ſit hypocriſis.

nam ſolis tribuo, & his, qui ſpiritualia tractant, niſi cauerint. Nam ſi deſcribitur ſimulata ſanctitas, inter eos ſolum, qui ſanctitatem, vel docere, vel operari profitentur, neceſſe eſt reperiri, velut tineam inter purpureos pannos, eruginem, & rubiginem inter metalla, & vnumquodq; vitium in propria materia. Hypocriſis autem materia circa quam ſæpè contingit, virtutis ſtudio eſt, & ſanctimoniæ, quod rarò cum fit, atq; adeò prætioſum facillimè in indiſcreto ſubie-

ęto denigratur, & quidem funditus corruit propter hypocriſim. *Prou. 14.* Videtur quidem homini via recta, vt Phariſæo; nouiſſima tamen ad inferna deducunt. Quaſi ſterquilinium in finem perdetur, & qui eum viderant, dicent: vbi eſt? *Iob 20.* velut ſomnium euolans non inuenietur, tranſiet ſicut viſio nocturna. Caue igitur (ait Cyrillus Hieroſolymita. Catche. 1.) *Cyrillus.* ſimulatam mentem habere, ò homo, propter illum, qui ſcrutatur corda, & renes. Quemadmodum qui milites ſunt conſcripturi, & ætatem, & corpora deligendorum ad pugnam diligenter excutiunt: Sic & Dominus delictum faciens animarum, voluntates illarum ſcrutatur, ac ſi quam hypocriſim deprehenderit occultatam, reijcit hominem, tanquam ad veram illius malitiam non idoneum; ſi verò dignum inuenerit, huic libenter confert gratiam.

Et fermento Herodis. Veriſſimè fit (notat Victor Antiochenus) *Victor.* Marcum ad narrationis expletionem, Herodianos, quos Matthæus prætermiſerat cæteris adijeciſſe. Erat autem *Herodis fermentum* (ſcribit Arias Montanus) *Arias Montanus.* doctrina omnis mundana, quæ humanæ prudentiæ rationibus innitebatur, tantumque Religionis res curabat, quantum ad Regni potentiæ, ac politicæ, vt dicitur, vitæ adminiſtrationem facere intelligebat, in vtraque parte veræ pietatis virtus deſiderabatur. Ad hæc Zacharias Chryſopolitanus: *Zachar.* *Fermentum Phariſæorum* eſt Dominum tentare, nec doctrinæ, aut operibus eius credere. *Fermentum Herodis* eſt, adulterium, homicidium, temeritas iurandi, ſimulatio Religionis. De hoc fermento ait Apoſtolus: *1. Cor 5.* Modicum fermentum totam maſſam corrumpit. Sicut vis parui fermenti mixtum farinæ creſcere facit, & ad ſaporem ſuum trahit: Ita modica ſcintilla doctrinæ hæreticorum, ſi in tuum pectus iniecta fuit, cito ingens flamma ſuccreſcet, & te totum ad ſe trahet. His calculum ipſe addam: dico quoque per *fermentum Herodis* intelligi tyrannidem, qua non ſolum alienum Regnum inuaſerat: ſed regebat in virga ferrea primores Iudæorum paſſim perdens etiam domeſticos, vt timorem cunctis incutiens nemo in eum rebellaret. Tyrannidi adijecit ſchiſma, ceu hæreſim, volens cunctis perſuadere ſe Chriſtum eſſe, vt inquit Theophylactus, *Theophyl.* qui, deſficiente legitimo Rege, expectabatur: Hincque ſecta Herodianorum. *Herodianorum ſecta.* Quare cum Principatus Apoſtolorum eſſet à Deo, qui veritatem diligit, & ſuauite cuncta diſponit, cauere iubet Dominus Apoſtolos, & in eis omnes fideles, tùm maximè præſules, à *fermento Herodis*, hoc eſt, à tyrannide, ne ſibi ſumant honorem, ſed vocari expectent tanquam Aaron, & aſſumpti in virga directionis gregem Domini regant; neque item ſchiſma introducant propter primatum, vt accidit olim ſuper eo, qui dicendus eſſet vniuerſalis Epiſcopus; & repullulat aliquando, quoties ſuper præſidentia importunè litigatur; denique nunquam ſibi perſuadeant, neque tribuant, quæ ſunt aliorum, agnoſcant Chriſtum, & ſciant poteſtatem, ſacerdotium regale, & adminiſtrationem, quam ſortiti ſunt in Eccleſia ab eo eſſe, & pendere, nec non vltimum iudiciorum examen ad eundem deuolui oportere, nec Herodem in aliquo imitentur, & moribus Phariſæorum auerſentur, Scribarum argutias, & impoſturas omninò deteſtentur, præſertim errores Sadducæorum, & hæreſes abominentur. Hæc ſunt fermenta, quæ veritas noſtra prohibet; felix, qui liber euadit.

CAPVT XVI.

Et cogitabant ad alterutrum, dicentes, quia panes non habemus.

ADhuc Tyrones cum eſſent in diſciplinis capeſſendis, pleraque excidebant Apoſtolis, nec intelligebant multoties, quid ſibi magiſter vellet, aut quæ dictorum intelligentia eſſet. *Expoſitio.* Vnde magiſtro audito, *cogitabant ad alterutrum*, quæ paulò ante Chriſtus protuliſſet, neque dictorum ſenſum percipiebant, aut qua occaſione de fermento ſermo fieret; & quorſum Herodes memoraretur, minus capiebant. Anxi; quaſi in ſolutione ænigmatis dixerunt; fortaſſis fermenti meminit magiſter, quod negligentes extiterimus in prouidendis cibis, qui ſaltem vna die nos alerent. Nouit quidem ipſe, nos non habere panes, qui nec cunctis, aut vni ad vnam corporis refectionem ſufficiant.

Et cogitabant ad alterutrum. Hoc eſt conſultabant mutuo, quid doctor intenderet. Sic facere ſemper conuenit, quoties ad oraculum difficilè incidimus, neque Scripturæ ſententiam aſſequimur. Scriptum eſt: Ego ſapientia habito in conſilio, & eruditis interſum cogitationibus: *Prou. 8.* vt ignis promptus eſt inflammare ligna ſicca, quæ in vnum conueniunt. Vnde poſt Concilium, & tractationem ſuper dubio legalium habitam intonauit Apoſtolus: Viſum eſt Spiritu ſancto, & nobis: *Act 15.* Ac ſi diceret, nos qui ad alterutrum propoſitum dubium cogitauimus, & in vnum collecti diligenti ſtudio veritatem diſpoſuimus inquirere, quos dignatus eſt Spiritus ſanctus illuſtrare cælitus, vt veram, & ſinceram propoſiti intelligentiam aſſequeremur. Adeſt quidem Spiritus congregatis, qui bona mente conueniunt,

Digitized by Google

ueniunt, adeòque promptus eſt, vt non expectat niſi audiri. Expande pallium tuum ſuper famulam tuam, quia propinquus es. Immitte intelligentiæ tuæ radios, & claritatem veſtimentorum tuorum, quia tu Deus propinquus, qui nos formaſti, & vniuerſa viuificas, illuminas omnia mirabiliter, & fœcundas, vt nemo ſterileſcat tuo lumine illuſtratus, neq; ignoret, aut dubitet, quem tua virtus obumbrauerit. Hæc cogitantes ad alterutrum, ac mutuo conſulentes, qui protulerint confidenter, ſpiritu intelligentiæ replendos fore, haud dubito. Ruth. 3.

Dicentes, quia panes non habemus. Nolo hic excuſare Apoſtolos, vt eorum exemplo erudiamur. Fateor fermentum ad panem habere ſimilitudinem, ſicq. per locum à ſimili, & coniugatis à fermento ad panis memoriam facillimum erat trahi; reprehenſionem verò excogitare, aut colligere minimè poterant, tùm quod ſolicitudinem omnem ablegaſſet Chriſtus, neque craſtini curam habere volebat. Tùm quoque quod paulò ante miraculoſum in prouidendis turbis eum vidiſſent, quare dicere, quod panes non detulimus, reprehendimur, abſit ab Apoſtolis. Eſt enim cogitatio hominis animalis, qui à quocumque ſimili eleuatur ſemper ad ea, quæ ſunt ſenſus, vt ſi audit cibum nominare, ſtatim currit ad patinas, ſi vocem audit muliebrem continuò meditatur luxum; ſi ſit mentio nummi, theſauros appetit, & omnem præſulatùm, atque dominium quoties, vel ſerui, vel Domini nomen ad aures eius peruenit. At qui ſpiritualis eſt vocem fermenti audiens, corruptionem vitiorum excogitat, & abominatur, & ſi ſenſibile aliud, vel proſpiciat, vel perſpiciat ſeipſum ad altiorem intelligentiam, quæ ædificet, ſpiritum eleuat; & veteres pannos ſub cubito manuum ſuarum ponit, volis verò, ac palmis fruges nouas apprehendere nititur, hoc eſt ſenſibilibus ſuppreſſis ad ſpiritualia currit, quia menſis ei eſt nouarum frugum, quem nouus Adam innouauit, omnia noua faciens illi, qui depoſito vetere hominem nouum indueret. Renoua igitur me ò innouator, vt apprehendens nouam, & ſpiritualem, ac veram rerum intelligentiam, paueant iam omnes ad Dominum, qui cuncta operatur, & ad bonum eius in nouiſſimo, quem dignaberis eligere.

CAPVT XVII.

Quo cognito, ait illis Ieſus: quid cogitatis, quia panes non habetis? Nondum cognoſcitis, nec intelligitis? adhuc cæcatum habetis cor veſtrum?

TAntum igitur à reprehenſione in Apoſtolos aberat Chriſti ſententia, vt reprehenſionem meruerint, qui inde reprehenſionem colligebant. Equidem cognito ab eo, qui ſcrutatur corda, & renes, cogitatu Apoſtolorum, multum à verò diſtante, ait Ieſus illis, eoſq. redarguit dicens: Quid vobis in mentem venit, vt ex verbis meis cogitaretis me in vos excandeſcere, & inſimulare negligentes, quod panes, neque commeatum vobiſcum in via tuleritis? Fortène deſit mihi potentia, qua vt cæteros, ſic vos abundè prouideam? Quid me præſente nunquam vobis defuit? aut quid in veſtris miniſterijs deſideraſtis, quod abundantiſſimè non fuerit vobis prouiſum? vbi mens? vbi ratio, aut intellectus? nondum cognoſcitis potentiam meam, cuius tàm aperta ſigna vidiſtis? Ecquid non intelligitis facillimum mihi eſſe, etiam ſine panibus vos ſuſtentare ſanos, & lætos? Qui certè tàm innumeram ex modicis panibus multitudinem paui, vos paucos, atque pauciſſimos quid obſtat per immenſam potentiam meam iam iam poſſe cibari, & ali? Quid dicam vltra? *Adhuc cæcatum habetis cor veſtrum.* Expoſitio. Excuſantur Apoſtoli.

Quo cognito. Penes ſe tantũ Apoſtoli tractarant negocij difficultatē, eum tamen nō latere oſtendit, vt diuinitatē ſuam aperiat illis: Huius enim eſt cordis abſcōdita rimari, iuxtà illud: Prauũ eſt cor hominis, & inſcrutabile, & quis cognoſcet illud? Ego Deus ſcrutans corda, & renes. Inde plenus oculis intus, & foris in Symbolo dicitur apud Ezechielem, quod non tàm quæ foris patent inſpectrici creaturæ, ſed quæ latent, omninò plenè agnoſcat. Ierem. 17.

Ait illis Ieſus. Hoc eſt Saluator; ſit opportunè nominis huius mentio præſenti in loco, quod de his, quæ ad ſalutem animæ faciunt ſermo habeatur. Nam ſcire quid ſit fermentum vitandum, illudque deuitare eſt altera inſtitiæ pars integralis, quæ iuſtum efficit hominem, & ad ſanctitatis culmen conducit, adiecta reliqua, qua in proſecutione boni conſiſtit. Iuxtà illud: Declina à malo, & fac bonum. Scire etiam Deum inſpectorem eſſe cordium, ac noſſe diſtinctè quid cogitemus, timorem generat, & circumſpectionem. His autem quid ſalubrius? Timor initium eſt ſapientiæ, corona gloriæ, & gloriatio; circumſpectio

autem prudentiam docet, eamque facit amicam vocare. Ac demum noſſe vnde cordis obcæcatio proueniat, videlicet ex defectu cognitionis optimæ, & negligentia non intelligendi, quæ oportet, ſapientem efficit hominem. At gloriam ſapientes poſſidebunt. Quoniam congregant in meſſe, & penès ſe abſcondunt ſcientiam illam, quæ iuſtificat impios, obſtetricandi peritiam tribuit, hoc eſt, diſcernendi verum à falſo, purum ab impuro, & quæ reddit ſcientem pſallere, hoc eſt, dignè, & laudabiliter apud Deum operari. At qui hæc, & multo plura, hoc breni colloquio inſinuantur. Optimè ergo collocutor introducitur Ieſus, ideſt, Saluator, vt qui hiſce paucis ſalutifera proponat. Quem imitatur, qui ſemper loquitur, quaſi ſermones Dei. Tùm maximè his, qui errant, repetit ſcientiam à principio, vndè videlicet ſint, & quorſum, quiſue eorum factor.

Exod. 1. *1. Reg. 16.* *Iob 35.*

Quid cogitatis. Inuehit cogitatum malum, non is, qui bonus: Quoniam diem feſtum agit Deo, eique confitetur, quando vel in omnibus vijs cogitat illum, vt vnicum amoris obiectum, & ſponſum animæ; vel viuens cogitat, quod futurum eſt, vt fortius teneat, quem ſpes promittit; aut certè cogitat dies antiquos, & annos æternos in mente habet, vt guſtet, & videat quàm ſuauis eſt Dominus iuxtà pedes Chriſti ſedens. Huiuſmodi cogitatum non reprehendit Chriſtus, cum inde cogitans ornamentum accipiat gratiæ, eidemque continuo lumen indeficiens oriatur. In malum itaque cogitatum tantum inuehit, nec non eum, qui ocioſus eſt, & à propoſito deuiat, ſic cogitantibus dicitur: *Quid cogitatis*, quæ ad rem non pertinent, qui profeſſi eſtis vera meditari, & ſectari? ceu *quid cogitatis* mortalia inutilia, nec deſiſtitis à cogitationibus veſtris friuolis, qui conditi eſtis, vt diſcatis honeſta, & quæ ditant in ſæculum? Aut *quid cogitatis* iniuſta, & peſſima, qui nati eſtis ad bonum? Sic Dominus cogitationes noſtras ſcrutatur, & interrogat, atque intra conſcientiam noſtram continuò inuehit, vt ſeruilibus derelictis cogitationibus, quæ ſunt digna principe, quem Dominus conſtituit ſuper opera manuum ſuarum, cogitemus ſedulo.

Eccl 31. *Ezech 38.*

Quia panes non habetis. Certè cogitare de panibus Apoſtolos, vitium erat dignum reprehenſione. Cæterum, qui in diem paſſim incidimus, quid commeremur? Identidem argui, & incuſari, vt qui ad cæleſtem annonam vocati, continuò cogitamus de panibus, atque epulis, quæ non profuerunt comedentibus ex illis. Sumus in Eccleſia coram Domino, & totus animus ad prandium inhiat, neque plenè euigilati ſumus, & quaſi infantes ientaculum meditamur. Quid? Omnem cogitatum plerumque replemus panibus. Nam auarus lucrum ſectatur, vt deuoret; ambitioſus à præſulatu, ad præſulatum currit, vt menſam epulentiorem habeat. Dicamne ò mortales, quænam in mundo frequentior cogitatio, quàm cogitare, *quia panes non habetis*? Panes dico abundantiam rerum omniũ temporalium, quæ ad victum pertinent, & veſtitum. Etſi non fuerunt ſaturati murmurabunt. Scio commine eſſe vitium, ſed quorundam; qui tamen eo vincitur audiat. Sicut canis, qui reuertitur ad vomitum, ſic imprudens, qui iterat ſtultitiam ſuam. *Prou 26.*

Non dum cognoſcitis, neque intelligitis? Differt cognoſcere ab intelligere, quod illud eſt notiſſimi, & manifeſti habere claram ſcientiæ notitiam; hoc autem eſt penetrare abſcondita, & rimari difficillia. Siquidem intellectus, qui eſt habitus principiorum, ad ea, quæ ægrè capiuntur ſe extendit. Eſt enim principium omne tàm in operando, quàm in intelligendo difficilè. Ergo quod Apoſtoli manifeſta neſcirent, & abſcondita non penetrarent, dicuntur non cognoſcere. Hoc eſt non habere ſcientiam concluſionum, quæ cum pateant ob oculos ſæpè facillimè poſſunt cognoſci, ſi eas attendamus: *Neque intelligere*, hoc eſt, non habere intellectum, qui vt dixi eſt principiorum, quæ tametſi intellectu difficillia, non tamen ijs debebant eſſe ardua, qui intelligentiam ipſam Chriſtum frequenter diſſerentem de eis audiebant. Quapropter iure de ijs reprehenduntur, vt qui paſtores vniuerſorum futuri nihil ignorare deberẽt, quod vel ad myſteria pertineret intelligenda; vel ad conſuetudines, & mores cognoſcendos ſpectaret. Hos enim oportet paſtorem diligenter cognoſcere; illa autem intelligere. Nam quis ferat (ſcribit Cæleſtinus Papa ad Neſtorium) Epiſcopum doceri, quomodo oporteat ipſum eſſe Chriſtianum? Excutiatur igitur (ſtatuunt Apoſtoli apud Clementem lib. 2. Conſt. Apoſt. c. 3.) an in ijs, quæ ad vſum hominum, atque vitam pertinent, omninò vitio vacet; (ſcriptum eſt enim) inſpicite, an ſit macula, & vitium corporis in eo, qui eligitur ad ſacerdotium. Item in Exodo (ſubdit Cyprian. lib. 2. epiſt. 77. ad Stephanum Papam.) Hæc eadem præcipit. Et Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum Deum, ſanctificentur, ne fortè derelinquat illos. Et cum accedunt ad altare miniſtrare, ſancti non adducent in ſe delictum, ne moriantur. Quod autem maius poteſt eſſe delictum, aut quæ macula deformior, quàm aduerſus Chriſtum ſtetiſſe? quàm Eccleſiam eius, quam ille ſanguine ſuo parauit, & condidit diſſipaſſe? Ad hæc plerunq; deuenit Epiſcopus, qui non cognoſcit operanda, neque credenda intelligit. Ac propterea optimè in Apoſto-

Cognoſcere, & intelligere ſignificant diuerſa.

Cæleſtinus Papa. *Clemens.* *Leu. 22.* *Cyprian.*

Munditia Sacerdotum.

lis

lis præſenti ſententia reprehenduntur Epiſcopi.

Adhuc cæcatum habetis cor veſtrum? Ideſt poſt tot miracula, quæ ob oculos veſtros facta ſunt, & manibus ipſis contractaſtis; & poſt tàm aſſiduam prædicationem myſteriorum Regni Dei, quæ illuminat, & intellectum dat paruulis, qui in turbis viſi ſunt, & ex gentilibus ad auditum verbi acceſſerunt, vt voſipſi comprobaſtis; ac poſt familiaria colloquia, quæ vobiſcum habui priuatim, videmini nihil profeciſſe; ſed eandem retinere hebetudinem mentis, & ruſticitatem animi, quam cum ad me veniſtis ſicut à principio mens veſtra ignorat, & excæcatur cor veſtrum, vt vix diſcernat inter bonum, & malum, neque quod optimum eſt, apprehendat. Cæcatum cor in Apoſtolis nemo conferat cum eo, quod in Pharaonē, Iudæis excæcatum, & induratum legimus. Etenim horum excæcatio malitiam importat pro efficiente cauſa, & pro finali æternam damnationem. At Apoſtolis Regnum dare pater ſtatuerat, quod paruuli abſque malitia eſſent. Vnde Chriſtus: Confiteor tibi, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Itaque excæcatum, ſiue *cæcatum cor* Apoſtolorum intellige non illuſtratum, ſeu clauſum, non intelligens, neque quæ oportet ſciens, aut aduertens cum poſſit. Vt nos dicimus cæcum eum, qui quod præſens eſt,non conſiderat. In hanc cæcitatem maior hominum pars deuenit. Quoniam vix eſt, qui plenè cuncta quæ ad ſe, & officium ſuſceptum attinent, dignoſcat. Inde vates: Speculatores eius cæci omnes; Errauerunt cæci in plateis. Cæci intuemini ad videndum: Dominus illuminat cæcos. Hoc eſt ignorantes erudit, & educit in viam ſcientiæ, vt ſciant, quæ vera ſunt, nec vita errent.

Pſal.118. *Matt.11.* *Qualis fuit Apoſtolorũ cæcitas.* *Iſai.56.* *Thren 4.* *Iſai.42.* *Pſal.145.*

CAPVT XVIII.

Oculos habentes non videtis? & aures habentes non auditis? nec recordamini.

Expoſitio. EXplicat Chriſtus cæcitatem Apoſtolorum, non eſſe, inquam, omninò damnabilem, ſed tantum quodammodo reprehenſione dignam, cuius origo non malitia, ſed negligentia aliqualis ſit. *Oculos*, inquit apertos ad videndum cum habeatis, & videamini appetere omnia ſcire, & videre ſingula, *non* tamen *videtis*, neque addiſcere vos video, iuxtà laborem, & ſtudium veſtrum? Cumque aſſiduè, quæ à me dicuntur audiatis, tametſi aures habeatis erectas, non auditis, nec percipitis, quæ proferuntur. Nam nec recordamini, vt tandem poſt longam meditationem ad veri agnitionem deducamini. Habentes igitur oculos, atque aures, videmini hiſce membris deſtituti; quandoquidem ab actis, & officijs eorundem ceſſatis.

Oculos habentes non videtis. Oculos per metaphoram vocat intellectum, rationem, & mentem; ſunt enim hæc oculi animæ; intellectu enim intelligit vera, & falſa, mente retinet, ratione circa eadem diſcurrit, & ratiocinatur, quid videlicet ſit præſtantius, quid ſincerius, quidue ſtudioſius proſequendum, tractandum, docendum, ſcribendum, aut credendum firmius. Sunt hi eiuſdem potentiæ intellectiuæ actus differentes; tamen, vt eiuſdem ignis aliæ, atque aliæ flammæ ſuccenſæ in altum eleuatæ, ac diuerſæ vnius ſtellæ ſcintillationes, & eiuſdem miniſtri multigena officia, quibus deſtitutus dicitur, vel eſſe ſine intellectu, quando non penetrat intelligenda; vel abſque mente degere, quando non retinet, quæ mentem perficiunt, & occupant; vel abſque ratione, quando non diſcurrit circa obiecta, quæ occurrunt, faciuntque ad optimam vitæ humanæ rationem. Quo in negotio, quantum quiſque noſtrum deficiat, non opus eſt pertractare. Etenim oculos ſimiles habemus omnes, & non videmus. Fugerunt quidem, & non viderunt bonum oculi noſtri. Et quo? viderunt vana, ideò prophetant mendacium; ergo exorat Pſaltes: Auerte oculos meos ne videāt vanitatem, in via tua viuifica me. Eſt quidem vanitas ipſa vmbra, & tela, quæ organa ipſa obumbrat ne videat quod rectum eſt, quam nemo tollet niſi medicus illuſtrator, ac redditor luminum operetur. Quare & hunc iterum aduocato. Illumina oculos meos ne vnquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus præualui aduerſus eum. Nam cæcum quis non deturbat, ac deijcit? & paruulus quidem in eum præualet. *Pſal.118.* *Pſal.12.*

Et aures habentes non auditis? Auribus prænotatur animi promptitudo ad obſequendum iuſtis, per Synderesim, & conſcientiam; quarum prior inſtigat opus, poſterior verò remordet, cum retardatur, aut impeditur. Harum eſt poſſeſſor omnis homo, quandoquidē ſunt officia innata potentiæ rationali, & radij legis naturæ, ceu principia, ſi ſic appellari fas eſt, ad exercitium, & operationem exequendam, ceu vrgendam, quam lex naturales, ac lumen naturæ cunctis impreſſum dictat, imperat, & promulgat: Inde ijs, qui ſe excuſabant ab opere bono, & iuſta operatione, quod neſcirent quid bonum, quidue pulchrum eſſet, dicitur. Signatum eſt ſuper *Synderesis.*

nos

nos lumen vultus tui Domine. Ac ſi diceret opus iuſtum,ac dignum homine,& creatura tua,quis ignorat, cum tuæ voluntatis, ac legis iuſtiſſimæ, quam ſtatuis obſeruandam,cuicunque noſtrum normam, ac copiã ſcriptam contuleris, & reconderis intra ærarium,& theſaurum animæ eius ne valeat vnquam excidere? Quapropter nunc memoriale, nunc ſcriptura cordis, & nonnunquam anulus in digito poſitus dicitur lex naturæ, cuius miniſtros diximus ſynderesim, & conſcientiam, vt compellant ſeruiles potentias ad obedientiam, & obſeruantiam mandatorum Dei. Vnde quando rebellant,neque obſequuntur miniſtris internis,quos per externos Deus multifariam, multiſque modis excitat,dicuntur *aures habere,non* tamen *audire.* Audiunt enim quid ſyndereſis,& conſcientia velint,quid & externi miniſtri prædicatores, & vates proponant, non tamen faciunt; Sed & in his, quis non peccat? Vocaui, & non erat, qui reſponderet. Etenim relinquens ducem pubertatis ſuæ, & adulterum ſequitur; virum autem, ſi poſt tergum clamitet, non audit,neque reuertitur, ſed diffugit. Vnde primus ille,qui viam rebellioni,& præuaricationi ſternit,audita voce, Adam,Adam, abſcondit ſe, ne audiret. Et nos miſeri,qui offendimus omnes,quando vocantem ſponſum audimus, vel nos abſcondimus,ad peioraq. vitia nos damus præcipites: vel certe,qua oporteret diligentia, non reſpondemus vocanti, neque vocitationi: Neque ſecundum auditum aurium audimus, neque obtemperamus, vt iure de nobis omnibus conqueratur: Locutus ſum, & non audierunt, quoniam nemo eſt, quem vel in toto, vel in parte ſegnicies non detineat.

Variæ legis naturæ denominationes.

Negligentia in ſequenda vocatione. *Iſai. 66. Prou. 1.*

Gen. 3.

Nec recordamini. Hæc eſt ferè tantorum malorum, quæ præmiſimus cauſa, & origo, videlicet non recordari; nec memorem eſſe cunctorum, quæ oporteret, vt Dei, qui nos condidit, & ad quem tandem deuoluemur, vt cæli, quod appetimus, vt inferni, quod deteſtamur, vt finis, qui corporea noſtra tandem abſumet; vt diaboli, cui in vitijs obtemperamus; vt Sanctorum, quorum veſtigijs in virtute hæremus; vt legis, quæ nos rectificat; ac denique cunctorum, quæ ad ſtatum cuiuſque ſpectant, non recordari facit nos, nõ videre habentes oculos, & non audire, etſi aures habeamus. Scriptum eſt enim: Viri mẽdaces non erunt illius memores, & viri veraces inuenientur in illa, & ſucceſſum habebunt vſque ad inſpectionem Dei. Quoniam hi memores ſunt diei, qua redemit eos Dominus, & recordantur nominis eius; illi verò nihil horum, quæ ad ſalutem conducant, recordantur.

Obliuio periculoſa.

CAPVT XIX.

Quando quinque panes fregi in quinque millia: quot copbinos fragmentorum plenos ſuſtuliſtis? dicunt ei: duodecim.

Explicat obliuionem, qua adeò tenebantur Apoſtoli, vt non audirent, neq; viderent; nec memoriam haberent miraculorum, quæ proximis diebus facta erant. *Non recordamini* (inquit) quando præter ſpem veſtram, neq; cogitante aliquo, quinque panes; qui in deſerto ſunt inuenti apud puerum, multiplicaui, & auxi, vt quinque millia hominum, exceptis fœminarum, & infantium turbis, abundè reficerentur. Qui enim tanti miraculi teſtes oculatiores dari poſſunt vobiſipſis? Nam per contubernia ſua vos turbam ordinaſtis ſuper fœnum; vos ad eos detuliſtis cibaria, & quæ ſuperfuere quis collegit niſi vos? Ergo dicite iam, vt proprio ore confundamini, *quot cophinos fragmentorum* poſt tantam largitionem ſuſtuliſtis *plenos*, vſque ad ſummum? Reſpondent illi, ac dicunt: *Duodecim* collegimus ſtupidi, & repleti admiratione, præ nouitate facti, & magnanimitate.

Expoſitio

Quando quinque panes fregi in quinque millia. Quinque in quinque frangit, quando quinque ſpirituales ſenſus diſtribuit in omnes mortales, qui ſenſibus quinque corporis reguntur, aut certè vtuntur. Iuxtà illud: Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem. Vt non iam in carne ſeminent, ne metant corruptionem, & ſpinas; ſed in ſpiritu, vt vitam æternam habeant, quæ ſpiritualibus ſeruatur, & præparatur, minimè his, qui carnalia ſectantur. Ergo emitte ſpiritum tuum (orat Regni cæleſtis auidus) & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Siquidem abſque diuiſione ſpiritus, & communicatione tota aruit, nec germen, aut viror inuenitur apud eum, qui deſtitutus eſt ſpiritu. Cui verò ſuperinfunditur, renouatus, & innouatus, vt viror calami, rutilat, & abundat fructibus ſuis, qui ſemper manent, & ſiue noua, ſiue vetera fuerint poma, hoc eſt, actiua, ſiue contemplatiua ferantur geſta, non alteri, quàm ſponſo, ac Regi ſæculorum immortali, & inuiſibili reſeruantur.

Ioel. 2.

Pſal. 103.

Cant. 4.

Quot cophinos plenos fragmentorum ſuſtuliſtis? Eos ſic facti reſtes vult fieri, vt indè paulatim ad memoriam aliorum, quæ tùm, & alias frequenter accidere, reuocentur; habitaque multorum præcedentium mirabilium memoria, docti à Domino, ac docibiles Deo, ac pleni ſcientia, quæ faciat eos videre, necnon doctrina,

quæ

quæ auditum eis aperiat, inueniantur in reliquis. Nam vt rete totum ſequitur eum, qui vnum ex filijs eius apprehenderit, ſic in memoriam veniet cunctorum Dei memorabilium, & quod amplius eſt, ac multo excellenrius, poſſidebit mirabilia Dei, qui diligenter cœperit vnum, vel alterum factorum eius medirari. Trahitur enim rotum ratione velut carenulis ſuis: Ita vt ſi opus creationis aſſiduè contemplatus fueris, habeas creatorem; ſi factum iuſtificationis, & redemptionis humanæ mẽte iugiter pertractaueris, ad te veniat redemptor; ſi prouidentiam rerum omnium præ oculis continuò habueris, à dextris tuis Deum ipſum feras, ne vnquam deficias, neque commouearis: Ac demum ſi quartam catenulam circumligaueris tibi, hoc eſt, ſi iudicij, & remunerationis omnium perpetuo conſideraueris diem, abſque dubio regem, ac judicem tibi deuinces, & conciliabis amicum, vt tecum ſir, tecum conuiuat, atque liberum ad præmium ferat. Hanc ſapientiam, quam neſciuit Plaro, meditatur iuſtus ſedens in domo ſua, neque talium memoriam præterit, vt ampliſſima illa poſſideat.

Fructuoſæ meditationes.

Et dicunt ei duodecim. Reſponſũ interrogatione dignum. Quod qui interrogatus verè reſpondet, fidelis, ac prudens eſt, & ſeruus, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam. Etenim omnes de omnibus quæ adminiſtrant homines, & quæ ſunt illis credita, ſiue ea ſpiritualia ſint, ſiuè temporalia dixeris, cuncti interrogantur, *quot copbinos ſuſtuliſtis?* Quot merita lucrati eſtis? Quot iuſtificationes vobis comparaſtis? Quot amicos vobis conciliaſtis? aut quot ſpirituales diuitias ex eis collegiſtis? Qui fideliter depoſitum obſeruauit, reſpondet duodecim gradus humilitatis commerui, vt coroner duodecim ſtellis; duodecim fructus ſpiritus comparaui, vt ad duodecimum thronum perducar; duodecim Apoſtolos in meam curaui recipi amicitiam, vt me ad æterna tabernacula recipiant; ac deniquè duodecim millium ſignatorum iuſtificationes, & gratias ſum aſſecutus, vt inter eos conſigner, & connumerer. Felix qui huiuſmodi reſponſũ proferre poterit, quãdo rationem villicationis paterfamilias exiget.

Petenda adminiſtrationis ratio.

CAPVT XX.

Quando & ſeptem panes in quatuor millia: quot ſportas fragmentorum tuliſtis? Et dicunt ei, ſeptem.

Expoſitio.

REducit, & aliud miraculum in memoriam, vt non ſolum deijciant cæcitatem, ac ſurditatem, verum etiam vt acutiores ſenſus accipiant, & fiant omni gladio ancipite limatiores eorum potentiæ, ad capeſſendum quæ ſunt ſpiritus Dei, & denudanda quæquè abſconſa ex frequenti præteritorum memoria. *Quando* (inquit) *& ſeptem panes* vobis inſpectoribus fregi, in ſuas partes æquales, iuxtà numerum eorum, qui accumbebant; voſque ipſi veſtris manibus diſtribuiſtis ſingulatim in quatuor illa millia virorum, qui conuenerant; dicite *quot ſportas fragmentorum* ea modicis panibus *tuliſtis*, poſtquam vniuerſi manducaſſent, & fuiſſent ſaturati? Agite, referte ſportarum numerum, vt ex ore veſtro, vos de neſcientia iudicem, & non aliunde, quàm ex veſtris dictis, ad cognitionem eorum, quæ deſiderantur in vobis, pertingaris. *Et dicunt ei* vnanimiter omnes, *ſeptem* congregauimus ſportas ex reſiduis ſeptem panum, quos te imperante adminiſtrauimus.

Quando & ſeptem panes in quatuor millia. Septem in quatuor millia partiri præter ea, quæ ſuis in locis de eiſdem annotauimus, mihi videntur ſignare ſeptem Sacramentorum diſtributionem in quatuor mundi partes, quibus gentium vniuerſitas inſinuatur, quæ diſtributio ad euangelicum ſtatum pertinet. Nam ſacramentorum numerum hunc non habuerunt priores, nec vllum ſacramentum gratiam ex opere operato conferens, vt Synodus Tridentinæ verbis vtar, dici poſſet, vt placet doctorum communiori placito. Quæ facta eſt ex quinque panibus in quinque millia, non incommodè ad eos, qui præceſſerunt Euangelium extenditur. Complent enim & illi millenarium vnum; nos verò, qui Chriſtum ſequimur, ad quatuor vſque millia aſcendimus, non ſolum, quod numero multipliciter ſuperemus anteceſſores noſtros; ſed quod ſtabilem perfectionis ſtatum, qui in quaternario numero, atque figura quadrata deſcribirur, nos Euangelici poſſideamus: Panes autem quinque, qui in antiquos, & nos repartiti ſunr, ſunt libri legales, hiſtoriales, prophetales, ſapientiales, & hymnodici. Hoc enim quintuplex genus librorum eſt hordeaceum totum, ariſtis, & difficultatibus inuolutum; ex eo tamen tàm qui præceſſerunt, quàm qui ſequimur, manducamus ſacra myſteria, & reficimur vſque ad ſatietatem ex ijs, quæ inde emedullantur.

Interpretatio myſtica.

Quot ſportas fragmentorum tuliſtis? Non ab eis quærit benedictionem, quam ſuper panes dedit, neque fractionem, quæ à ſe ſolo eſt facta, licet ſenſibiliter, modo tamen ſpirituali, & potentia ſupranaturali quo non valebant pertingere craſſi homines; ſed collectionem fragmentorum interrogat ſenſilem, & ſportarum numerum, vt à notis ad ignota, & à ſenſibilibus, ad

Ratio interrogationis Chriſti

ſpiritua-

Optimus docendi modus.

Gen. 2.

ſpiritualia ſubleuentur diſcipuli. Hic enim eſt optimum, & dicendi, & docendi genus ab æuo cum hominibus obſeruatum. Nam adducit Deus cuncta corporea ad Adam, vt videret quid vocaret ea, & ex nominum, ac rerum proprietate, quæ in mundo cernebat, ad Archetypum aſcenderet contemplandum. Senſibilem fabticam faciendam Deus præcepit Moyſi, vt inde mentes fidelium paulatim erudirentur, & in aliqualem deuenirent cognitionem tabernaculi, non manu facti, & eorum quæ in nouo, ac meliori teſtamento fieri oporterent: Ita & Chriſtus ſenſibilia, quæ manifeſta erant, quærit, vt quaſi pictura, ad hominis veritatem deueniant, & agnoſcant, & credant quia magnus Dominus, & laudabilis nimis, in cunctiſque mirabilis: ſed quod ſpirituale ſacramentum ex hac peculiari interrogatione addiſcant Apoſtoli, inueſtigemus ex eorum reſponſione.

Et dicunt ei: Septem. Confitentur ex reſponſo miraculum. Nam ſi ſeptem ſportæ, quarum quælibet centum, & amplius panes capit, ex ſeptem panibus colliguntur, profecto virtus, quæ hoc fecit, humanã ſuperat, nec alia eſſe poteſt, quàm diuina, quæ dixit & facta ſunt, mandauit, & creata ſunt. Ergo ex reſponſo intelligite, quàm vanè de panibus cogitaſtis. Cæterum quod reſpondeant *ſeptem*, interrogati de *ſeptem* panibus, myſterium tangit; videlicet quod quæſiti de *ſeptem* dierum obſeruatione, nos potiſſimum qui intra monaſterij clauſtra degimus, & in numerum clericorum aſſiſcimur reſpondeamus *ſeptem*. Hoc eſt *ſeptem* feſtiuitates obſeruauimus, Deum ſeptimpliciter coluimus, & *ſeptem* eleuationes mentis attigimus; ad reſurrectionem aſcendimus die Dominico; feria ſecunda opus creationis ſumus ſpeculati; feria tertia ſeculi viſibilis miſeriam deplorauimus; feria quarta, ad mortis memoriam, & deſpectum vitæ præſentis deuenimus; feria quinta iuſtificationem animarum, per ſpiritum, & incrementum vitæ ſpiritualis, per Euchariſtiæ donum, complexi ſumus; feria ſexta victoriam ab hoſtibus partam per crucifixum, diligenter commemorauimus; ſabbato autem aſcendimus ad cor altum, & gloriam, quæ in cælo eſt, non ceſſauimus tota die ſpeculari, ambire, poſtulare; quoque reſponde *ſeptem* dans cuicunque dierũ exercitium ſuæ virtutis, necnon ſpiritus, Exigetur ſimilis reſponſio potius à clericis, quam laicis. Quoniam vt habitu, & tonſura à laicis diſcerni debent, ſecundum Anacletum Papam epiſt. ad Epiſcopos Galliæ: Ita virtutibus cunctos præcellere, vt ad eoſdem gallos Epiſcopos Cæleſtinus Papa epiſt. 2. tradit, ac docet Theleſphorus epiſtola ſua decretali ad omnes tranſmiſſa. Ac proprerea non vno aut altero die, ſed tota hebdomada feriandum eſt eis, vt nil aliud agant, quàm Deum colere, & exercitijs peculiaribus ſeipſos occupare toto integro ſeptenario. Ideo enim nobis ò clerici, non lunæ, aut martis dies dicitur, ſed feria, vt qui curis alijs ſpoliati, Domino tantũ ferias, & ſolemnes dies celebremus, à mane vſque ad veſperam, quia glorioſè magnificatus eſt, & nobis præ alijs magna fecit.

Pſal. 147

Meditationes per ſingulos dies hebdomadæ diſtributæ

Anacl. Celeſt. Theleſph.

CAPVT XXI.

Et dicebat eis, quomodo nondum intelligitis?

Expoſitio.

TAmetſi ſubtilem lectionem à magiſtro audiſſent, oretenus ſolum ad eam reſponderant, nondum optimum argumentandi genus aſſecuti. Quare perſpecta diſcipulorũ in intelligẽdo difficultate, rurſus Chriſtus dicebat eis, vt acuerent mentem, vt non hærerent corticibus, ſed ſingula enuclearent, reuocarentque mentem, ad theſauros, qui ſub geſtis illis laterent. At cum tamen hæſitarent inexperti, adiecit: *quomodo* ſic ſtatis neſcij, vt quæ tàm clara ſunt, & aperta expoſitione propoſita *nondum intelligatis*? Vſquequo ergo oculum, & auditum retinebitis clauſum? aut quando veſtra ignorantia finem accipiet, & illuſtrabitur mens vt manifeſtè intelligatis, quæ vobis propono, necnon meipſum, ne vltra de panibus cogitetis, neque rei alterius ſolicitudo vos torqueat?

Et dicebat eis. Vt deſideſiderium quo tenebatur erudiẽdi diſcipulos demõſtraret. Neque publicè, neque priuatim deſtitit Chriſtus dicere Apoſtolis, vt ea, quæ à patre acceperat, illis nota faceret. Quæ res poſtmodum egregium prædicatorem gentium Paulum mouit, vt non ceſſaret die, ac nocte monere quenquã ſuorum; & omnium Eccleſiarum ſolicitudinem gerere; inſuper oraret magnum aperiri oſtium in cunctis gentibus ad Euangelium, vt plus omnibus in docendis rudibus, & illuſtrandis errantibus laboraret: Idem quoquè ſtudium fuit in cæteris Apoſtolis: Qui zelo animarum repleti, ſucceſſores ſuos ad illud excitarunt: Tum maximè Petrus in epiſtola prima Clement. ad Iacobum fratrem Domini: Siquidem, vt ſæpe alias diximus, & patrum ſcripta paſſim inculcant, officiũ proprium Epiſcoporũ eſt docere, & prædicare verbum Dei, vt inquit Paulus, opportune, importune, hoc eſt, ſuo tempore cum ad Eccleſiam conueniunt, & extra tempus, & locum, quando ſe offert occaſio aliquid ad ædificationem audientium dicendi, & erudiendi eos, qui neſciunt. Ideo Chriſtus iterum, & ſæpe dicebat eis...

Act 20.

2. Cor. 11

Zelus Apoſtolorum

Clem.

Officium Epiſcoporum.

2. Tim. 4

Quomodo

Quomodo nondum intelligitis? Quaſi condolens ruſticitati Apoſtolorum, & ęgre ferens, quod in proficiendo difficiles adeo eſſent, vt neceſſe foret ſæpius eadem illis repetere. Cæterum ab Apoſtolis ad nos veniamus, qui poſt vniuerſa Chriſti miracula; poſt mortem eius, & triumphum in cælis; poſtquam illuxerunt corruſcationes orbi terræ, & ſermone ac ſpiritu Apoſtolorum, necnon ſcientia Domini repleta eſt terra; poſtquam millia millium, & centena millia myrriadum, athletarum, & martyrum ſanguine proprio veritatem omnes profeſſi ſunt, & conteſtati; virgines ſpectaculum factæ ſunt cunctis; confeſſores verbo, ſcripto, & opere ad iuſtitiam multos erudierę; ſed & matronarum, procerum, & omnis ſexus, atque ætatis innumera multitudo fidem optimam tenuit; *nondum vos*, ò hæretici, *intelligitis*, quæ ſit via recta, vt ambuletis per eam? *Nondum vos*, ò fideles, *intelligitis*, quam miſericordiam, & iuſtitiam requirat à vobis Deus, vt eam vtique faciatis? *Nondum vos*, ò clerici, *intelligitis*, ad quem ſanctitudinis gradũ vos Deus elegerit, vt ad illum de virtute in virtutem aſcendatis? Et vos Religioſi, *nondum intelligitis* ad quam vſque abnegationem rerum, ac veſtri, vos Chriſtus vocauerit, vt diſcipuli eius perfecti ſitis? Denique in pleroſque noſtrorum, & in omnes eorum qui foris ſunt, Hæreticos, Schiſmaticos, & Paganos hac redargutione vti poſſumus, ſiquidem ex noſtris multi claudicant; ex alienis ab Eccleſia omnes ignorant, & errant.

CAPVT XXII.

Et veniunt Bethſaidam: Et adducunt ei cæcum, & rogabant eum, vt illum tangeret.

Expoſitio. OCcupati ergo in tam ſublimibus, & opportunis colloquijs, faciliorem trahunt viam: Et abſque itineris moleſtia, diſcurrit concio illa illuſtriſſima, Chriſto docente, & diſcipulis audientibus, quouſq. veniunt Bethſaidam ciuitatem. Quo cùm aduentaſſent, oppidani ad noui Regis aduentum cœperunt tripudiare, & lætari; pręſertim qui ſe male habebant, ſpem optinendi ſalutem ſibi promiſerunt. Quum ergo ad medicum ægri turmatim confugerent, primores, ac nobiliores qui in ciuitate viuebant, *adducunt ei* cognatum *cæcum*, qui nunquam viderat. Cumque ad Chriſtum veniſſent, rogabant humiliter eum, ac ſummis precibus interpellabant, vt dignaretur illum ſuis ſacratiſſimis manibus tangere.

Et veniunt Bethſaidam. Ad lacum Tiberiadis ſitam, Petri, & Andreæ patriam, necnon Philippi. Hebræum nomen ביתצידא Bethſaida, & interpretatur domus frugum. Veniunt autem eo, Chriſto erudiente reliquis vero audientibus, vt veræ doctrinæ, ac optimæ diſciplinæ fines colligeremus eſſe, domum animæ noſtræ frugibus optimis repleri, ſcriptum eſt enim: Doctrina bona dabit gratiam. *Prou. 13.* Hæc autem eſt vita æterna, qua quid fœcundius? Eſt gramen agri, quod ſuperficiem terræ replet; eſt cedrus, qui in altum ramificat; eſt palmes, quæ dulciſſimum fructum profert; & eſt paradiſus voluptatis, quæque optima germinans. Inde enim ſeptenarius celebratus numerus virtutum, & donorum fluit, ab ea oriuntur beatitudines octo, & fructus duodecim ſpiritus, quæ arbor parturit niſi gratia? Ergo cuius fructus talis eſt, ipſum quale erit? Nihil igitur præcioſius doctrinæ Chriſti ſtudio. Propterea fili à iuuentute tua excipe doctrinam, & vſque ad canos inuenies ſapientiam; *Eccleſ. 6.* quaſi is, qui arat, & qui ſeminat accede ad eam, & ſuſtine bonos fructus eius. *Ioelis* Replebuntur enim areæ tuæ frumento roboris, ad ardua quæque, & torcularia vino ſuperni amoris, vt incaleſcas plus ſatis quàm natura ſenſerit. Replebitur gaudio os tuum in canticis & hymnis ſpiritualibus confitens Domino. Quid plura? de bonis domus Domini replebis domum tuam, vt aſcendas ad montem Domini, & inhabites in domo eius in longitudinem dierum, & vſque in ſęculum magnam gloriam domus illius nouiſſime fruaris. Venies quidem *Bethſaidã* domum, ſcilicet frugum, & fructuum, qui non pereunt ſed manent in vitam æternam.

Et adducunt ei cæcum. Quid hoc, deſinit mox increpare cæcatos, *& cæcum ei adducunt?* Diuinitus actum eſt, vt argueretur ignorantia Apoſtolorum (ſecundum Lyram) facto, per hoc quod ipſis præſentibus illuminauit cæcum. *Lyra* Ad hæc dicito, poſt reprehenſionem factam habentibus cor cæcatum, luminibus corporis deſtitutum ad Chriſtum deferri, vt tàm corporis, quàm animæ claritatem per Chriſtum reſtituendam fore agnoſceremus. Nam ſcientiam ſanctorum, quæ illuminat animum ipſe concedit, in puluerem redactos oculos quis reſtituet, niſi Chriſtus? Ille eſt reſurrectio tota, quæ animam reſtaurat, & corpus. Hinc ille: Dominus illuminatio mea, & ſalus mea quem timebo? *Pſal. 26.* Illuminat cæcos, vt videant gloriam Dei, & decorem Dei noſtri; & erigit eliſos, ac mortuos corpore, vt clarificentur in omnibus membris, quando Regnum Deo, ac patri tradiderit.

Et rogabant eum. Scilicet pro viſus recuperatione, tum quod difficilis videretur curatio, quia à ſæculo non erat auditum: Tum quod optatiſſima, quia in regione vmbræ mortis videtur, qui cæcitatem patitur,

titur, conuerſari. Quod ſi propterea rogationes multiplicantur, quanto auidius, & frequentius exorandus eſſet ſaluator, & illuſtrator veri luminis, pro animæ cæcitate? Iſta eſt quæ deflorat totum hominem, contriſtat in æuum, & collocat inter mortuos ſempiternos. Ergo qui cæcitatem animè ſæpe propter ſtercus hyrundinum, hoc eſt fæces malorum, incurrimus, exclamemur, inſtanter rogemus eum, qui ſplendor eſt patris, & lux illuminans venientem in hunc mundum; & inter crebras rogationes repetamus: Faciem tuam illumina ſuper ſeruum tuum, & doce me iuſtificationes tuas. Inſuper animaduerte non cæcum, ſed ductores rogare. Nobis autem tales ſunt ſancti, qui non ceſſant rogare pro nobis; & Domino noſtras neceſſitates exponere, ac ſolicitè tàm in terris, quàm in cælis conſtituti obſecrant nos miſeros ſubleuari. Et in corpore nos viuentes cuſtodiunt (ait Maximus Taurinenſis in natali ſanctorum martyrū Taurinenſium, Octaui, Aduentitij, & Saluatoris) & de corpore recedentes excipiunt. Vnde Leo primus, in natali Apoſtolorum Petri, & Pauli, dixit: Sicut nos experti ſumus, & noſtri probauere maiores, credimus, atque confidimus, inter omnes labores iſtius vitæ ad obtinendam miſericordiam Dei, ſemper nos ſpecialium patronorum orationibus adiuuandos, vt quantum proprijs peccatis deprimimur, tantum Apoſtolicis meritis irrigamur, Hæc (inquit Euſebius Pamphili Cęſarienſis. lib. 13. de præparatione euang. cap. 7.) nos quotidie factitamus, qui veræ pietatis milites, vt Dei amicos honorantes, ad monumenta quoque illorum accedimus: Votaq. ipſis facimus, tanquam viris ſanctis, quorum interceſſione ad Deum non paruum iuuari profitemur. His Vigilantium impetimus, necnon eius ſectatores, Lutherum, Caluinum, & turbam ineptam, & ſacrilegam centuriatorum, qui & verbis, & ſcriptis à ſanctorum reuerentia, & oratione ad eos exhibenda, contendunt fideles reuocare. Verum in ſceleſtos animaduertit Synodus Tridentina ſeſſ. 25. decreto de veneratione ſanctorum: Vbi hac fide ſtatuta, quod ſancti nos orationibus iuuent, concludit: Si quis autem his decretis contraria docuerit, aut ſenſerit Anathema ſit. Vide Conc. Tolet ſup. cap. 1. Gerundenſe cap. 3. Aurelianenſe cap. 23. & ſacros ſcriptores, qui adhuc hæreſi graſſante totis viribus ei ſe opponunt, qui verbis, & qui libris, vt cuique datum eſt, decertarunt.

[Margin: *Tob. 2* · *Pſal. 118* · Interceſſio ſanctorum. · *Max. Tau.* · *Leo* · *Euſeb.* · *Her.* · *Conc. Trid.* · *Tolet. Gerund. Aurel.*]

Vt illum tangeret. Oculi nolunt tangi, quin tactu facilimè obtenebreſcunt. Quorſum ergo tangi petunt cæcum, vt viſum recipiat? Nouerant ex ſcripturis tactu manus venturi, reſtauranda omnia, ſicut & per tactum manus anteceſſoris deperdita fuerant. Manum enim erigens primus Adam ad fructum vetitum, animæ cæcitatem, ac reliqua damna incurrit; ab his nos redemit ſecundus Adam lignum crucis manu contingens. Quia cornua fortitudinis in manibus eius exteutis ad tactum, vt curent quem tetigerint; tangitur autem, cui meritū mortis ſuæ per ſacramenta applicatur. Præterea cæcum orant per tactum curari; quod reuera his qui aberrant, & cæcantur mente, nulla ſalubrior medicina eſt tactu tribulationis, & anguſtiæ. Nam dixit ille: Conuerſus ſum in die belli. Siquidem in medijs tenebris lucet carbunculus, ſi cum ſoli expoſueris videtur lumen retrahere, & obſcurari. Salubres ergo ſunt tenebræ tribulationis, vt in Iſrael lux ſit.

[Margin: *Pſal. 72.*]

CAPVT XXIII.

Et apprehenſa manu cæci, eduxit eum extra vicum, & expuens in oculis eius expoſitis manibus ſuis interrogauit eum, ſi quid videret.

[Margin: Expoſitio]

ACquieuit benigniſſimus Chriſtus petitioni rogantium. Quare extendens palmas ſuas, apprehendit, ac tenuit manum cæci, quæ ſolebat ad parietem palpare, & retracto ad ſe infirmo, ſecum *eduxit eum foras extra vicum*, & ciuitatem ipſam Bethſaidam; cumque penes ſe retineret firmum expuit ſputum oris ſui ſaluberrimum omnis morbi, illudque oculis eius repoſuit & expanſis ſuper eum manibus, interrogat, videret ne, annon; cumque faſſus eſſet ſibi quodammodo reſtitutum viſum, *ſi quid videret*, iterum quærit.

Et apprehenſa manu cæci. Ne ſcilicet ambulans offenderet lapidem, vel impinguens in parietem maiorem iacturam faceret. Quo facto excitamur ad opera miſericordiæ corporalis, & ſpiritualis, ad quarum obſeruantiam hortatur exemplo Iob dicens: Oculus fui cæco, pes claudo, pater eram pauperum. Et ad eum Eliphaz Themanites: Ecce docuiſti multos; manus laſſas roboraſti; vacillantem confirmauerunt ſermones tui; & genua trementia confortaſti: Numquā vero ab eis recedere præſens Chriſti factum compellit, necnon ſententia, quam in iudicandos propter cuſtodiam, ceu in obſeruantiam eiuſmodi operū profert. Apprehendit quoque manum cæci, vt ſciamus ducem, ac ductorem noſtrum eſſe, ne in tantis mundi huius malis, & offendiculis periclitemur. Eſt quidem dux in domo Domini ſuper omnem virum, vt imperet, regat, & ad nutum cuncta diſponat; etiam vt apprehenſa cuiuſque manu ducat

[Margin: *Iob. 29* · *Iob. 4.* · Chriſtus hominum ductor.]

per

Manus interpretatur opus. per ſemitas æquitatis. Manus autem noſtra eſt opus, & principium operis, mens atque voluntas. Principia operum ducit præueniendo, opus autem cooperando ſuo Gratia operans diuino merito: Per quod operans illa gratia confertur animo, quando auxilijs peculiaribus inducitur, vt velit bonum, & conſentiat vero: Perque illud idem, cum ad opus pergit, cooperatur vt complementum accipiat. Nam qui dat velle, dat & perficere pro bona voluntate.

Eduxit eam extra vicum. Quoniam (inquit Victor Antiochenus) Vict. Non ſana, neque integra offerentium fides erat: Quare qui miraculi ſpectatores fierent, indigni habiti ſunt. Apparet (proſequitur Theo- Teoph. phylactus) Bethſaidam incredulitate multa laboraſſe, ideo & miſeram dixit Chriſtus, Matth 11 ſicut Matth. inquit: Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro, & Sidone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, pridem reſipuiſſent. At ſi rationem miraculi inſpicimus, quæ eſt propter infideles fieri, non extra vicum, ſed intra oportebat cæcum illuſtrari, præſentibus his, qui obtulerant eum: Verum enimuero quandoquidem meliores, ob multa prius facta miracula non euaderant, ſe ab eis ſubtrahit, atque cæcum illuſtrandum; quemad- Matth. 10 modum, & prædicatio Regni, ouibus quæ perierant domus Iſrael frequens concedi- tur; cum tamen non meliorantur, aufertur Matth. 21 ab eis Regnum, & prædicatio regni, & datur genti fructus optimos facienti. *Extra vicum* autem *educi cæcum*, notat curandum à cauſis, ceu morbi occaſionibus ſeparari oportere. At cæcitatem animæ quid generat niſi concurſus hominum, & negotiorum, qui in vrbibus abundant? ſtatuit vero eundem non alibi, quàm in ſolitudine ſubdio, vt illuſtrationi mentis conducere ſolitudinem animaduerteremus. Non curat ſolitudo, ne glorietur monachus diſſolutus, ſed conducit, quando reliqua adſunt.

Et expuens in oculos eius. Quoniã ſputum ab ore, eſt verbi prædicatio, & ſanctum eloquium in ſputo ſignatur. Quare expuẽs Pſal. 118 in oculos cæci factum eſt (inquit Theophylactus) vt diſcamus, quod ſermo Domini Teopg. efficax ſit, dicente vate: Declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulus. Sicut ergo verbo Domini Pſal. 32 cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris ſui omnis virtus eorum: Ita verbo & prædicatione eiuſdem illuminat cæcos, vt intueantur ad videndum.

Impoſitis manibus ſuis. Per hoc oſten- Vict. dens (inquit Victor Antiochenus) verbum diuinum, actionemque verbo adiunctam, opera, quæ admirabilia habebantur, & erãt, abſoluere. Manus enim operationis eſt ſymbolum & organum: Verbi autem quod de ore procedit, vis, opus ipſum perficit. Ideo Chriſtus dixit: Quinimo beati, qui au- Luc. 11 diunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud. Auditus enim, & tactus ſenſus ſunt, qui rationalem demonſtrant hominem: Nam ille eſt ſenſus diſciplinabilis; tactus autem animalis. At diſciplinarum capax ſolus homo eſt, qui & animal ex tactu ſaltem deprehenditur: Vnde cum in ſpiritualibus, verbum ſit per auditum, operatio per tactum, ex his duobus hominem, ne dum fidelem, vt cæteros, ſed beatitudini proximum, & beatum in ſpe profitemur. Siquidem de animalibus quæ volant legimus: Et manus hominis ſub pennis eorum. Pennæ ſignant prædicationem ſecundum Greg. manus autem Greg. opus. His ergo ditatus, ac decoratus, animal eſt electum, vt volet in requiem ſuam, fiatque beatum. Hæc quoque manuum impoſitio poteſt ad pœnitentiam referri, & ordinationem; quæ per manuum impoſitionem celebratur. Nam Spiritus ſanctus, qui corda illuſtrat, & depellit mentis cæcitatem, per manuum impoſitionem confertur. Manus non manum imponit. Quoniam nullius curatio impletur, quin duo concurrant principia, & potentiæ, Chriſti hominis vna, & altera Dei. Deus enim agens principale gratiam dat, & gloriam; per Chriſtum tamen, vt inſtrumentum, quod ad idem genus cauſæ efficientis reducitur. Inde dixit: Pater meus vſque modo operatur, & Ioann. 5 ego operor. Ille vt auctor, hic vt mediator. Quia mediator Dei & hominum, ho- 1. Tim. 2 mo Chriſtus Ieſus. Denuo aduerte non ſupponi, ſed imponi manus, vt auxilium deſuper hominibus ægris prouenirẽ intelligamus: Quapropter intonauit cantor? Le- Pſal. 20 uaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi, auxilium meum à Domino, qui fecit cælum, & terram.

Interrogauit eum ſi quid videret. Non ignorans ſtatum hominis, qui nouit ea, quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt. Sed interrogat, vt fidem ægri accendat. Quia neque cæcus ille, ſecundum Theophyl. perfectam habebat fidem. Atqui hanc interrogatione ſolet Chriſtus adaugere, vt in parentibus, qui lunaticum habebant filium; & in Matth. 16. Samaritana, quæ adultera ſeipſam tradi- Ioann. 4. derat; & in Centurione, qui aduentum Luc. 7 Chriſti inſtabat, quaſi nihil abſens potuiſſet, atque in alijs, dum eos interrogat, & loquitur paulatim illuſtrat, ac roborat in fide. Ea propter *interrogat ſi quid videret*. Quia fidei eſt videre; ſed quaſi per ſpeculum in ænigmate. Vtitur autem conditionali *Si*: Tum quod fides augmentum habeat, atque gradus, vt cæterarum virtus habitus ſiue infuſos dicas, ſiue acquiſitos actibus, quos naturæ ratio inſtigat, atque promouet exercitatio aſſidua: Tum etiã quod minimus fidei gradus dum integer ſit, hoc eſt, credibile omne reſpiciat, poſſit homi-

nem

nem perficere, & ſalnare. Nam etſi minima ſit fides, tamen vt granum ſynapis paulatim in arborem creſcit, qua delitantur aues, quæ in cælo ludunt.

CAPVT XXIV.

Et aſpiciens, ait: Video homines velut arbores ambulantes.

Expoſitio. INterrogatus itaque cæcus reſpondet, apertis tamen prius oculis, cumqne eleuatis palpebris, & in girum pupillis oculorum circnmductis, hac, illacque aſpiceret ait ad Chriſtum. *Video* in primis *homines*, quod ſummopere optabam, ſed non plenè eorum ſtatum, neqne ſtaturã intueor; namque in aliena eos circumſpicio forma, quàm in cæcitate poſitus opinabar; *velut* enim *arbores* elatos ſe mihi offerunt; nec quidem ſtantes; ſed quod animo admirationem generat, *ambulantes* & diſcurrentes circumquaque contemplor.

Et aſpiciens ait. In primis aduerte cæcum aſpicere poſt interrogationem: Deinde aliud excogita myſterium, quod non antequam aſpiciat loqui incipiat. Namque tunc loqui fas eſt in Eccleſia, & coram Domino eructare abſcondita, quando datum

Pſal. 115 eſt credere. Credidi (inquit ille) propter

Scientia prædicationem præcedat. qnod locutus ſum. Siquidem ſciens loquitur, & philoſophalia quis, niſi in facultate peritus, eructabit? Qui autem credit, ſcit, & qui fidem habet, videt viſiones Dei, Dominumque excelſum, & eleuatum, ac militiam, eius contemplatur, & exercitus. Quapropter videnti Iſaiæ datum eſt loqni, & vt fœcundius prædicaret, mundatur calculo. Sed & Apoſtoli quando ſolemnem ſunt exorſi prædicationem? quando induti

Act. 2. fuere virtute ex alto, & viſiones viderunt

Ioel. 2. iuxta oraculum: Iuuenes veſtri viſiones videbunt. Tunc audacter in medium prorumpentes ſynagogæ, dixere, non poſſumus quæ vidimus non loqui. Quare & Thomas poſtquam vidit Dominum, affatus eſt dicens:

Ioann. 21 Dominns meus, & Deus mens. Itaque viſio fidei linguam erudit, pronuntiationem format, loqnendi materiam ampliſſimam præſtat, & ſubtiliter differendi in vnaquaque occaſione oblata, campum latè patentem concedit: Nam longitudinem, latitudinem,

Epheſ 3. & profunditatem virtutis Dei, vt Pauli vtar verbis, apprehendit. Cæterum quod poſt interrogationem aſpiciat, vt primo annotauimns, non minorem ingenerat admirationem. Deponit tamen eruditus, qui ſcit poſt longam catechizationem cõferri baptiſmum fidei ſacramentum, ac poſt multos & varios exorciſſimos lauacrum regenerationis adminiſtrari. Vel, vt paucis complectar, qui audit magiſtrum dicere: Euntes *Matth.* 28.

prædicate Euangelium omni creaturæ, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, &c. quod eſt dicere, poſt longas interrogationes doctrinæ, ſi Deum & trinitatem credant, & ſimilia admittant in animo ſuo, ab eoqne Sathanam expellant; tunc agite vt videant per baptiſmum: Nam fidei donum tunc infunditnr. Ad hæc dicito, qnod non ſolum interrogatio Dei, ſed & noſtra facit nos aſpicere. Vt enim Adam interrogatus vidit ſe eſſe nudum; & Dauid *Gen.* 3

peccatorem, qnæſitus à Nathan, ſic & nos *1. Reg.* 12

quales ſimus aperte videbimus ſi interrogamus opera noſtra. Neque enim in diſciplinis fit profectus, niſi qnandiù magiſter diſcipulum interrogat. Ergo cupidus profecti ſpiritnalis exorat: Proba me Deus, & *Pſal.* 138

ſcito cor meum, interroga me, & cognoſce ſemitas meas. Et quidem ſpiritu interrogat Dominus iuſtum, & impium, vt proficiant; qui autem diligit iniqnitatem, no- *Pſal.* 10

lens bonitatem, & diſciplinam interrogatns, ac ſtimulatus addiſcere, odit animam ſuam, factus Acchitophe ſocius, & Caim.

Video homines. Mirabile dictu; extra vicum, & homines educitur, nihil tamen primo quàm homines videt. Etenim natura in ſimile prorrupit: Tum maxime homo, qui ad ſocietatem eſt homiminum, non beſtiarum; harum enim Dominus conſtituitur, hominum vero ſocius, ne vnquam homo homini in malum dominetur, ſed vt fratri ſocietur. Quia omnes vos fratres eſtis, *Matth.* 23.

ait communis & integer pater. Dicamne? parcite auditores, *video homines*, ac malorum omnium, quæ me occnparunt originẽ. Facti ſunt quidẽ perditi, & peſtilẽtes reguli, qui parcunt domeſticis. Cauete igitur ab hominibus clamat veritas: Nam quærentes *Matth.* 10.

quod ſuum eſt, non quod alterius, vt canes pro oſſe ſe lacerant; & vt dracones ſe interimunt pro ſanguine elephantis, hoc eſt, iuſti, in quem conſpirant. Inſtus autem de terra ſublatus eſt odijs, & maleficijs peſſimorum, & nemo conſiderat, niſi quando vindicat Dominns ſanguinem ſanctorum ſuorum, peſtilentia, fame, ac bello, plagis inimicis. Adde his, primo homines videri, quod Deus recipiens peccatores ad pœnitentiã, læta ante omnia proponat, videlicet Regnum, quod natura expetit. Ex his autem quæ læta ſunt, & lætificant mortales, iuxtà leges naturæ nihil homine amico, & charo dulcius. Sed quorſum homines, non hominem tantum video? Quoniam amicitia non eſt ad ſe; neque in vno tantum conſeruatur charitas, neceſſe eſt amorem ad alterum eſſe, & conſequenter plures eſſe, atque videri, non ſolnm vt ſit Eccleſia, ſed vt genus ipſum propagetnr, & conſeruetur: Propterea conditor à principio dixit. Non *Gen.* 2.

eſt bonum hominem eſſe ſolum,

Velut

Velut arbores. Non vt gramen agri, aut herbas, quas terrigignant, ſed arbores quæ è terra ſubleuantur: Nam etſi cantetur: cælum cæli Domino, terram autem dedit filijs hominum; quoque legimus: Illuc aſcenderunt tribus tribus Domini teſtimonium Iſrael. Siquidem ad ſe condidit Deus hominem, quem ſua imagine inſigniuit, ac propterea, vt arbores in altum ramificant, florent, & fructificant: Ita oculi noſtri ſemper ad Dominum, donec miſereatur noſtri; mittat manum ſuam de alto, & liberet de aquis multis, & de manu filiorũ alienorum; donec mittat auxiliũ de ſancto, & de Sion tuetur nos ab hoſte maligno: Donec teneat dexteram noſtram, & in voluntate ſua deducat nos, & in virum perfectum quemque noſtrum faciat, vt aſcendere poſſimus ad palmam: Immo vero ad cælum cæli, & apprehendere fructum eius, necnon plantari, ac fieri arbores frugiferæ in Domo Domini, & in atrijs Domus Dei noſtri. Ergo qui conſtituendus erat arbor Regia, homines, velut arbores videt. Non vt gramen, & herba. Quoniam qui terrena ſapiunt digni haud ſunt, non ſolum qui ſubleuentur ad cælum; ſed neque qui videantur à iuſtis. Fructus enim ſemper, quæ ſurſum ſunt quærit, & in his, quæ à terrenis animum ad cæleſtia extollunt, delectatur.

Pſal. 113. Pſal. 121 Pſal 122 Pſal 143 Pſal 19 Pſal 72 Cant. 7 Pſal 91

Ambulantes. Arboris natura eſt, vel plãtari, vel proſtrari, quomodo ergo ambulãtes apparent in hominibus? Si ambulare perfectionem vt in conualeſcentibus, & ægris, inducit. Non abſre erit dicere in hominibus, qui ambulant coram Domino cum Abraham, & in latitudine circa obſeruantiã mandatorum arbores perfectionem acquirere. Cum in homine, qui omnium eſt microcoſmus, vniuerſa perficiantur. Sic tamen non arbores ſolum, ſed & cuncta, quæ in homine, vt in ſimili vegetante relucent, perfici dicemus in reſurrectione ſecunda. Aliter ergo dicamus, *velut ambulantes arbores*, contemplari homines; videlicet vt ſciamus non ſufficere homini ad Deũ naſci, & propter eum cunctis, quæ habet donatum, niſi ſtudeat ambulare, & progredi de virtute in virtutem: Non vias difficiles peccatorum, quæ ad interitum impellunt, neque extento collo ne corruat cum lucifero, neque in tenebris, ne in perpetuum denigretur; ſed in lumine Dei quod nubes diſſoluit, in via Domini, atque ſemitis, quæ pertrahunt hominem ad puteum viuentis, & videntis Deum, inquam, qui videt omnia, & viuit in æternum, & in ſæculum ſæculi.

Gen 17. Pſal. 118 Sap 5. Iſai 3 Iob. 15 Iſai 26

CAPVT XXV.

Deinde iterum impoſuit manus ſuper oculos eius: & cœpit videre, & reſtitutus eſt, ita vt clarè videret omnia.

CÆterum perfectus cum ſit, omniaque bene faciat, & perfecta, proſequitur viſum cæci perficere, & ex toto ſanare infirmum. Dimidiatum quidem opus ab optimo artifice abſurdum eſt egredi; neque poteſt imperfectũ & incompletum quicquam agere, qui eſt omnium artifex, & omnium, ac omnem virtutem habeat. Ergo *deinde* poſtquam interrogatus reſpondiſſet parumper videre; *iterum* omnino illuſtretur, qui fuerat cæcus, *imponit* volas manuũ ſuarum Chriſtus illuſtrator vniuerſorum, *ſuper oculos* infirmi, vt plenius videret. Id quod ad momentum accidit. Namque tactus denuo *cœpit* ſubito *uidere* diſtinctè, vnumquodq. ſecundum genus ſuum homines, vt homines, & arbores vt arbores. Ita enim *reſtitutus eſt* ad integram valitudinem, vt abſq. impedimento, quæcunque ante oculos proponerentur, intueretur perſpicuè, & omnia diſertè videret, & agnoſceret. Expoſitio

Deinde iterum. Vt ſanet ſcilicet, manus ſuper ægrum ponit. Ec quid non ſufficiebat ſemel manibus tetigiſſe? Poterat quidem ac ſolo verbo miraculum perpetrare, vt tamen curare vel non curare, remittere ex toto morbum, ac retinere ei liberũ fuiſſe crederemus, nunc præmiſſis interrogationibus, quandoque geſtis, & aliquando precibus: Et nonnunquam imperio curare ſolitus erat Chriſtus, etiam eum, qui de ſe dicebat: Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & iterum ſumendi eam; & vt ſciatis autẽ quia filius hominis habet poteſtatem remittendi peccata; nullum potentiæ genus ſibi deeſſe, ac modum operandi naturalem & liberum, diuinum & humanum, tàm in animas hominum, quàm in corpora, vt qui omnia innouare veniſſet. Chriſtus varijs modis curabat. Ioann. 10 Matth. 9

Impoſuit manus. Iteratio huius impoſitionis manuum ſi ad pœnitentiam alludat, confert, vt perſuadeamus aduerſarijs, quos alibi expugnauimus, videlicet Nouationis, licere iterũ imponere manus pœnitentibus & eos reconciliare Eccleſiæ. Quoniam Dñs Deus (aie Clem. lib. 2. apoſt. c. 12.) iureiurãdo promiſit dare veniam erratis pœnitentium: Ait enim apud Ezechielem: Dixi eis, viuo ego Dñs Adonai. Si voluero mortem peccatoris, ac non potius, vt redeat impius à via ſua praua, & viuat, Reuertite igitur, ex itineribus veſtris malis, & cur perit domus Iſrael? Si vero nos (proſequitur Cipr. L. 4 ep. 2. ad Antonianũ) aliquis pœnitentiæ ſimulatione deluſerit, Deus, qui nõ deridetur Clem. Ezech. 33. Cypr.

 & qui

& qui cor hominis intuetur, de his, quæ nos minus perſpeximus, iudicet, & ſeruorum ſententiam Dominus emendet, dum tamen meminiſſe nos fratres debeamus, ſcriptum eſſe: Frater fratrem adiuuãs exaltabitur, & Apoſtolum quoque dixiſſe: In contemplatione habentes vnuſquiſque, ne & vos tentemini, alterutrum onera ſuſtinete, & ſic adimplebitis legem Chriſti.

Super oculos eius. Vterque excutiebat, vtrumq. ergo tangit vt ambos illuſtret: Vnus enim oculus viſionẽ imperfectã emittit, neq. ſtabilem, & tremulam, ac continuo dubiam; hæc autem non decet in viſione, ac viſu, quem ſplendor ipſe reſtituit, reperiri. At ſi in corpore diſſoluendo, id non patitur omnipotens, quomodo id factum, neque ab eo in animo fieri aliquando admittemus? Quoties ergo animam cæcam ſuſcipit curandam Chriſtus ſuper vtroſque oculos impouit manus. Super intellectum inquam, & rationalem appetitum, vtrique potentiæ ſuos habitus, quaſi luminaria eis conſona elargitur. Voluntatem ornat charitate, & ſpe, necnon cardinali virtute. Intellectum verò fide ſtabilit, & intellectuali habitu. Nam fides ſola, vt Hæretici,

Lutherani, Lutherani obganniunt, nihil eſt abſque charitate; fides, quæ per dilectionem operatur, opus, ab vtroque oculo animæ eleuato habitibus ſupernis fluxum, ipſa eſt quæ laudem meretur, iuſtificat hominem, & repromiſſiones conſequitur. Nullum eſt

Aug. iſto dono excellentius (ait Aug. lib. 18. de trin, cap. 18.) ſolum eſt, quod diuidit inter filios Regni, & perditionis æternæ: Dantur & alia per Spiritum ſactum numera; ſed ſine charitate, nihil proſunt.

Et cœpit videre. Perfectè ſcilicet, atque perſpicuè. Iam enim ſuperius incõfusè cernebat homines, velut arbores; mox tamen diſtinctè ſingula proſpicit. Verbum ergo cœpit in oraculis, non tãm initium, quã complementum operis dicit, vt incipiens à nouiſſimis, incipiet, liberare Iſrael, atque alios. Nam neque præmiũ in iudicio dabitur vni poſt alterum, ſed ſimul, neque liberatio hominis ab imperfecto ad perfectũ proceſſit: Sed incipiens liberari perfectiſſimè liberatus eſt apud liberatorem tamen. Siquidem in diuinis idem eſt eſſe, & poſſe, ac voluiſſe. At dicens in Deo admittimus, non tamen in creatura. Quare cum dicitur *cœpit videre*, non plenè & perfectè vidiſſe interpretari ob exempla inducta debet. Scio modũ

Proceſsus naturæ & Dei diuerſus. operandi Dei haud competere creaturæ; cæterum quando agendi principia, & operandi miraculosè reſtituuntur ei, vt oculus cæco, vita mortuo, paralytico motus, datur ſupra modum naturæ plenum & perfectum, vt non iam ab imperfecto ad perfectũ procedat; ſed in inſtanti temporis ſui plenè

Dei opus in inſtanti fit. operetur, vt ſpiritus animationem, oculus viſionem, & corpus motum. Quo agnoſcatur auctor, qui ſolet inſtantiſſimè operari, & credant inſpectores, non naturæ, ſed Dei opus eſſe. Ergo cur non hunc ſic curauit? Quoad agentẽ ſpectat, dictũ eſt ſupra; quod vero iſte primo confusè, poſt clarè viderit,

Gratia nõ deſtruit naturam quaſi ſanaretur medicina corporea, & agente naturali: In primis factum crediderim, vt ſcirent, non deſtrui naturã à gratia, ſed perfici; & iuſtificatum, gratia etiam principiãte aliquando minus perfectè, & nonnunquã perfectiſſime operari. Præterea vt moneremur non gloriari in opere; quantumuis perfecto. Quandoquidem tunc incipimus operari, cum perfectè agimus, & opus alioqui completiſſimum exercemus, vt iugiter dicendum ſit nobis: Nunc cœpi. At quis vn- *Pſal 76.*
quam ſapientum in initio operis gloriatur?

Et reſtitutus eſt. Quoniam aliunde ſibi remediũ non parabatur: Neque hi, qui errant, qui cæcutiunt, qui peccant, & ſe vltra demembrant, alium habent reſtauratorem quàm Chriſtum. Per quem (dicebat ille) *Rom. 1*
accepimus gratiam & apoſtolatũ; gratiam quàm vt à morbis mundaremur: Miniſterium verò apoſtolatus, & ſacri Regiminis, quod apoſtolatum dicimus cælitus miſſum, vt in optimum vitæ ſtatum intra vnã Eccleſiam conſeruemur. Vniuerſa enim ſpiritualia, quæ morbos animæ curant gratia ſunt Chriſti, eiuſdem verò apoſtolus eſt miniſterium omne, quod ad curam vniuerſalis Eccleſiæ ſpectat, & regimen animarum. Quibus reſtitui lapſos, illuſtrari cæcos, & vetera Adami innouari, quid opus eſt proſequi?

Ita vt clarè videret omnia. Dum inconfusè cerneret, tantum videt homines velut arbores, claritate oculorum potitus omnia intuetur. Vt inde duplicem reparati hominis, & reſtitui ſtatum colligeremus, crede- *Cor. 13.*
remuſque dicenti: Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem: Nunc cognoſco ex parte: Tunc autem cognoſcam, ſicut & cognitus ſum. Hoc eſt tunc omnia, faciem eius contemplans in quo, per quem, & cum quo ſunt omnia, plenè cognoſcam. Nunc autem ex parte. Hoc eſt, aliqua; illaque in ænigmate, & confusè, per quaſdam potius ſimilitudines, & ſymbola, vt is, qui videt homines velut arbores. Eſt iſta fidei viſio, quam in carne mortali degentes per ſacramenta recipimus; illa verò ad lumen gloriæ ſpectat; quod ſolis beatis conceditur, prior præcedit in omnibus etiam Angelis, excepto Chri- *Chriſtus ab inſtanti conceptionis beatus*
ſto, cum quo cognitio fidei pugnat, vt qui ab inſtanti conceptionis beatus extiterit, & viderit omnia, quæ in ſpeculo bonitatis diuinæ lucent. Hic ergo cæcus, & reſtitutio viſus confuſi, & clari, ſymbolum maniſeſtiſſimum eſt ſtatus fidei, & gloriæ, quem per Chriſtum, quibus datum eſt, poſſident.

CAPVT

CAPVT XXVI.

Et miſit illum in domum ſuam dicens: Vade in domum tuam, & ſi in vicum introieris, nemini dixeris.

Expoſitio. DEnique plené curarum miſit à ſe, illumq. remittit ſolum nullo ductore, vt venerat; & mandat in domũ ſuam, vnde exierat, reuerti, vt qui triſtes tenebat domeſticos, tam felici reditu lætificaret. Nolens autem eum diuagari, neque citro, vltroq. diſcurrere, iubet recto tramite in domum propriam ire; quod ſi ad eam, inquit, intrare ſecreto nõ vales, quin peragres Ciuitates, caueto nemini declarare, quæ tecũ acta ſunt; tibi ſoli reſeruato ſecretum.

Et miſit illum. Non retinuit penes ſe, ſicut neque Dæmoniacum, qui delectabatur ſepulchris. Tum quod teſtes factorũ Chriſti eſſe non poterant alijs. Tum quod nihil exigat, neque velit, ab hominibus, quos dirat, implens in ſe primo legem amoris. Mutuum dantes, & nihil inde ſperantes: Et cũ
Luc. 14. facis conuiuiũ voca pauperes, debiles, claudos, & cœcos, & beatus eris, quia non habent retribuere tibi. At Chriſto quis retri-
Ioann. 13. buet, cui pater omnia dedit in manus? Et à quo ſperabit, quando nemo haud poſſit, nec cogitare niſi per eum? tantum vult conſeruari depoſitum, & nobis augmentare, vt ex ſuo locupletemur, magnificemuſq. largito-
Ioan. 8 rem. Inde dixit: Ego gloriã meã non quæro:
Luc. 19. Ego glorifico patrem meũ. Propter quod & dicit, talentis datis: Negociamini dum venio; & mox illuſtratũ remiſit, vt acceptis contendamus confiteri Dño, quoniã bonus, quoniam in ſeculũ miſericordia eius, quandoquidem cum inimici eſſemus, reconciliauit in dilecto filio, & per eum omnia nobis donauit, quæ nedum illuſtrarent, ſed ditarent in ęuum omnes, qui pigritiam exucrent. Quoque miſit illum, vtporè liberum. Nam gratia libertatem non tollit, quin ab errore reuocatus, nequeat vomitum repe-
Eccl. 15. tere; reliquit enim Deus hominem in manu conſilij ſui, vt quaſi pilam geſtans, dicat:
Pſal. 118. Anima mea, in manibus meis ſemper, & in mea libertate ſitum, vel ad Ægyptum tranſ-
Ier. 42 mittere, vel iuxta Ieremiæ ſalubre conſiliũ in terra optima retinere, & in bonis conſer-
Hær. uare. Facit hoc contra Lutherum, & factioſos, qui libertatem homini adimunt. Quid tamen dicant neſciunt, ignorant enim ne dũ legem, ſed naturam, quæ velint, nolint, clamat in omnibus liberi ſumus arbitrij, vt
Clem. inquit Clem. Rom. ep. 3. de officio ſacerdo-
Hier. tum & clericorum. Et Hier. lib. 2. aduer. Iouinianum lib. 2. liberi arbitrij: Nos condidit Deus, nec ad virtutes, nec ad vitia neceſſitate trahimur, alioquin vbi neceſſitas eſt, nec damnatio, nec coronatio eſt. Et hoc agnouit Philoſophus, qui dixit, in his, quæ natura ſunt, non laudamur, neque vituperamur.

In domum ſuam. Et hoc admirationem mihi ingenerat, vt perfecta donandos ſanitate, & integra valetudine, atque perfectione cæleſti illuſtrandos iubeat domum relinquere, & domeſticos; reſtitutum vero claritati priſtinæ, mittat *in domum ſuam*. Cæterum qui ordinatione Dei, & prouidentia credit cuncta ſapientiſſimè regi, admirationem deponet, ſciens certò, & quem remittit in domum ſuam, hoc eſt, ad priorem ſtatum, quem in mundo tenebat, & quẽ auocat è mundo diligenter ab alto cuſtodiri, & dotari, vt mulier fidelis iuxta Pau-
li ſententiã, manens cum infideli viro, non *1. Cor. 7.*
ſolum ſe tutam cuſtodiat ſed virũ conuertat, & efficiat prolẽ ſanctã. Et qui reuocatus domo, ſiſtitur in monaſterio, vt gradum perfectionis contingat. Eſt enim Deus omnia in omnibus, nunquam deficiens in neceſſarijs, immo vero ſuperabundat pluſquã petimus.

Dicens. Quidem tàm ad eum, quam in domum mittit, quàm ad eum quem auocat domo: Hoc eſt regulans, ac legem præſcribens quomodo viuat quiſque in ſua vocatione. Quando nos Religioſos domum iu-
ber deſerere, eſt *dicens*: Vade relinque om- *Math. 19.*
nia, quæ habes & da pauperibus, veni & ſequere me, per imitationem naturæ poſſibilem. At quando laicum remittit domũ, eſt
dicens: Tollite iugum meum ſuper vos, & *Math. 11.*
diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde: Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Quod eſt decalogi ſimplex obſeruatio, quam iuuant ſacramenta, & obedientia maioribus, ac miniſtris Eccleſiæ debita: Verum enim vero, tàm his, quàm illis eſt *dicens*, vigilate.

Vade in domum tuam. Et quæ domus no-
ſtra, ò mortales, niſi corpus? Illud quidem *2. Cor. 5.*
Paulus ſic nominat, ſed diſſoluendã domum.
At quomodo Chriſtus iam ſanatũ vult ad — Domus noſtra corpus noſtrum.
eam redire, vt ibi iuxta Sapiẽtis documentum præcurrentes agamus cõceptiones no-
ſtras, hoc eſt intra noſipſos conſideremus *Eccl. 32.*
noſipſos, quid recepimus de manu Domini quomodo proficimus, & quo properamus.

Et ſi in vicum introieris nemini dixeris.
Græci codices (inquit Gagn.) hic variant; *Gagn.*
quidam habent μηδὲ εἰς τὴν κώμην εἰσέλθῃς μηδὲ εἴπῃς τινὶ ἐν τῇ κώμῃ. Ideſt neq; in vicum ingrediaris, neque vnquam in vico dixeris. Noſter autem interpres legit καὶ ἐὰν εἰς τὴν κώμην εἰσέλθῃς μηδενὶ εἴπῃς μηδὲ ἐν τῇ κώμῃ. Ideſt, etſi vicum ingreſſus fueris, nemini dixeris, ne in vico quidẽ. Priorẽ tranſlationẽ ſequitur Pagn. & ante eum Theoph. & Euthim. Cæterũ quod ſanationem ſilere iubeat (ait Gloſſ. Beda)

exemplum eſt ſuis, ne, ſi miranda faciant,
fauorem quærant, ſed diuinis aſpectibus
ſint placere contenti. Prohibet autem nè
ingrediantur in pagum ſuum (notat Theo-
Theoph. phyl.) eo quod, ſicut dixi, increduli erant
homines, & animæ eius nocuiſſent. Sed
neque Chriſtus hoc de ſe diù dici vult, vt
ne in incredulitate ſua perſeuerantes illi in
grauius inciderent iudicium. Ad hæc
Hier. Hieron. Si in vicum introieris, nemini dixe-
ris, ideſt vicinis cæcitatem ſemper enarra,
non virtutem, vt ait Paulus, qui fui blaſphe-
1.Cor.15 mus, & perſecutus ſum Eccleſiam Dei.
Adde cæco præcipi duo, & prohiberi, non
intrare vicum, neque factum alicui oppi-
danorum euulgari; alijs verò vicis, aut
cæterararum vrbium ciuibus non prohibet
publicari miraculum. Namque mirabilia
Dei prædicari poſſunt, ac debent cunctis,
quamdiù ignoramus damnationis ſenten-
tiam diffinitiuam. Ea comperta, vt Samuel
1.Reg.16. ab oratione, ſic nos à prædicatione ceſſe-
mus; oportet. Quoniam eſt margaritas
Matth.7. ante porcos ponere. Quare cum Bethſay-
dæ damnationis comminationem accepiſ-
ſent (vè tibi Corazaln, væ tibi Bethſaida)
indigni erant Dei mirabilia percipere, ad
eamq. homines diuinitus illuſtratos acce-
dere indecentiſſimũ. Nam quæ participatio
1.Cor.6. lucis ad tenbras? Igitur ſeruatus es (ſcribit
Vict. Victor Antiochenus) è Sodomis egreſſus es
in monte Eccleſiæ. Hæc enim eſt domus
tua. Serua teipſum. Bethſaida autem ve-
natorum vicum, vel domum ſonat; cuius
incolæ fuere indigni, qui admirabile illud
opus viderent, vel audirent. Obſerua
itaque quod dico, ne ſorte captiuus in illo-
rum voluntatem abripiare.

CAPVT XXVII.

Et egreſſus eſt Ieſus, & diſcipuli eius in Caſtella Cæſarȩæ Philippi, & in via interrogabat diſcipulos ſuos, dicens eis: Quem me dicunt eſſe homines.

Expoſitio. QVod valetudinario prohibuerat, ne
quidem ipſe attigit, nec quiſquã ſuo-
rum; ſed diuertens, alio properat. *Et egreſ-
ſus* (inquit Euangeliſta) cum omnibus diſci-
pulis, verſus *Caſtella Cæſareæ Philippi* iter
aggreditur. Interim dum eò pergit, alloqui-
tur diſcipulos, & interrogat dicens: Vos,
qui cum cæteris conuerſatis, & opiniones
multorum, ac omnium auditis, quæ de me
proferuntur, agite iam, ac dicite. Quem me
faciunt dictis ſuis homines, qui liberè alie-
na iudicant, facileſq. cenſores omniũ fiunt?

Et egreſſus eſt Ieſus, & diſcipuli eius.
Optimè diſcipuli cum magiſtro egrediun-
tur; aliunde tamen magiſter, & alio diſcipuli
egreſſum occipiunt. Ieſus qui ſalus, & ſal-
uator ipſe, è ſinu patris egreſſus eſt, à die-
bus æternitatis; diſcipuli verò ex carne in
temporis principio egreſſum inchoarunt.
Quo ſit vt hi facile corruptionẽ admittant
niſi diligenter cauerint: At ille ſemper ſan- *Hebr.1.*
ctus, impollutus, & cœlis excelſior, atque cla-
rior & perſpicacior exiſtat, tametſi homo
factus ſit in plenitudine temporis. Sed quo-
modo dicitur, *egreſſus eſt Ieſus et Diſcipuli?*
Quoniam (vt myſterij allegoriã proſequar
& anagogẽ proſequar) verbũ quod factum *Ioann.1.*
eſt caro in tempore, & ante tempora ex ore, *Prou.8*
ac vtero altiſſimi prodijt in ſeipſo omnia
continet, quia quod factum eſt in ipſo vita
erat. Quare & cum egreſſus eſt à patre, & ex
Maria virgine prodijt; Diſcipuli quoque
eius egreſſi sũt, vt qui in eo, vt in principio,
& ſpeculo, ac modo eminentiſſimo contine-
rentur. Et ſi in hunc quoque modũ, cuncta
cum eo, exire profiteamur, ea propriè exie-
runt, quæ potiora ex ipſo, per ipſum, & cum
ipſo participant, vt rationalis natura, tum
maximè ea, quæ diuinis illuſtratur donis, vt
ſancti, qui meliotibus chariſmatibus ador-
nantur, quia per adoptionem gratiæ filij, &
ſydera, quæ ſolem circundant, & ſequuntur:
Attamen quo proficiſcantur, videamus.

In caſtella Cæſareæ Philippi. Eſt & alia
Cæſaræa Paleſtinæ, in qua Centurio habita-
bat. Ideo *Philippi* illa appellatur, à Philip- *Cæſareæ diuerſæ.*
po Tetrarcha Herodis fratre reædificata, &
dicta Cæſaræa in honorem Cæſaris, cum an-
te Lachis, & Dan nomen haberet. Ad hæc
igitur *Caſtella* properat Chriſtus cum diſci
pulis, non vt arces expugnet, neque diruat
propugnacula; ſed mala, quæ in loci regna-
bant, depellat. Propter hæc enim vincens,
vt vinceret; & propugnator contra ſerpen-
tina veneficia, quæ ceruus ille emiſſus
Nephtalim ſpiritus oris ſui interficit, & oc- *Gen 49*
cidit cetum, qui in mari eſt. Hoc eſt mun- *Tho.2*
di principem, quem eiecit foras; ac mun-
dum totum quem vicit, vt diceret: Da mlhi *Iai.27.*
animas cætera tolle tibi. Nam reliqua quæ *Gen.14.*
ſuper ſunt, ſaluatis electis, nihil ſunt, & ni-
hil erunt in perpetuum. Hoc eſt quaſi non
ſint, plena miniſterijs & tenebrarum habi-
tantia locum horridum. Eo igitur fine
egreditur Chriſtus ad Caſtella, vt prædam
eripiat proſtratis latronibus, qui latitant
in Caſtellis, & tutiſſimis locis vitiorum,
quæ in mundo regnant.

Et in uia interrogabat Diſcipulos ſuos:
Interrogat quidem quod norat, quia ipſe
ſciebat, quid eſſet in homine. Nihilomi-
nus interrogat, vt ex reſponſione (inquit
Victor Antioch.) quam daturi erant, ali-
quod opere præcolligere inſtituebat. In-
ter cætera mihi interrogatione illa effectũ
voluit, vt diſcipuli rectius de ipſo ſentirent
& loquerentur, quàm cæteri opinatores.

Dicens

Dicens eis. Dicens interrogat,& nonnunquam factis. His interrogat bonos, & malos, iuſtos,& impios; quibus acta Chriſti ſunt interrogationes, quid de illo ſentiant, quid imitandum; quid agendum, & quid credendum ſit. *Dicens* interrogat bonos ſolum, qui ſub ferula eius ſunt, & diſciplinam didicere. Namque his ſeipſum communicat, liberè eos alloquitur, & ſalutat, atque reuelat abſcondita, quæ alijs celãtur

Quem me dicunt eſſe homines? opinionem quærit veritas. Quorſum? Vt deſtruat mendacium, & repleat terram ſcientia Domini, opinabili deſtructo. Etenim opinio eſt, quicquid homines ex ſeipſis proferunt, nihil firmum, nihil ſtabile, nihil quod verũ ſit, & ſcientificum docent. Siquidem mẽdaces filij hominum: Ergo ne mendaces interrogat? aut quid de veritate mendaces ſentiãt, diſponit inueſtigare? vtique, vt qui exuerunt veterem Adam, qui in mendacijs delectatur, veritatẽ pronuntient edocti cælitus. Namque de cælo venit iam veritas, & orta eſt de terra, vt hominibus bonæ voluntatis ſeipſam prodat gemma vnica. Sed cur in ipſo ſtatim orationis exordio (quærit Victor Antiochenus) quod ipſi de illo ſentirẽt non percuntatur, ſed primo omnium vulgi ſententiam de ſe exquirit? Vt aliorum de ipſo iudicia depromentes, poſteaquã quid ipſimet de Chriſto ſtatuerent, interrogati per interrogationes modũ, in ſublimiorem ſenſum aſſurgerent, apud ſe decernentes; par non eſſe, vt ipſi æque abiectè, & humiliter de illo iudicarent, atque cæteri mortalium. Propter hoc ipſum quoq. non in ipſo mox prædicationis initio, ſententiam illorum exquirit, ſed poſt multa demum miracula, & ſigna perfecta, multaque de rebus ſublimibus, ſuaque diuinitate vltro, vtroq cum illis agitata, & diſputata. Per homines non intelligit Phariſæos, Sadducæos, neque Herodianos, quorum fermentum, & doctrinam cauere iuſſerat, ſed vulgum, ac plebem quæ nondum malè affecta erat. Et pulchrè (notat Gloſſa ex Hier. & Zacharia Chryſopol.) qui hominũ more diuerſam de Dño ſententiam ferunt homines, dicũtur. Nam qui veritatẽ potentiæ eius pia mente cognoſcũt, non homines, ſed Dij appellari merentur.

Pſal. 61. *Pſal. 14.* *Luc. 2* *Vict.* *Gloſſ.*

CAPVT XXVIII.

Qui reſponderunt illi, dicentes: Ioannem *Baptiſtam, alij Eliam, alij verò quaſi vnum de Prophetis.*

Expoſitio

REferunt Apoſtoli diuerſitatem opinionum, quæ de Chriſto apud Iudæos populares, & qui melius ſentiebant ferebãtur. Ergo percepta magiſtri quæſtione, reſpõderunt quæ in diuerſis hominum collocutionibus audierant diſcipuli dicẽtes, quæ inter homines de te magiſter bonæ ſentẽtiæ agitantur, & placita; tametſi varia, ac diſſona nedũ abſurda, ad tria videntur reduci. Nam *Ioannem Baptiſtam*, qui è mortuis reſurrexit affirmant quidã, alij *Eliam*, qui promittitur in oraculis venturus: Cæteri vero vltro citroque prolatis iudicijs, quaſi *vnum de prophetis*, qui ſolebant antiquitus mitti, te eſſe concludunt.

Qui reſponderunt illi: Vt diſcipuli ſcilicet, ac fideles amici, qui non abſcondunt, neque celant, quæ ad amici honorem faciũt, vel damnum. Quid? etiam vſque ad ſanguinem tuentur, quæ ſunt dilecti. Amicus enim fidelis, protectio fortis, qui autem inuenit illum, inuenit theſaurum. Amico fideli nulla eſt comparatio, & non eſt digna ponderatio auri, & argenti contra bonitatem fidei illius. Amicus fidelis, medicamentum vitæ, & immortalitatis, & qui metuunt Dñm inuenient illũ; ſiquidẽ fidelis Dñs, fideles ſuos fidelibus ſociatur, vt habeant ſubleuantem in mundi preſſuris, quibus circundantur. *Eccl. 6*

Dicentes Vniuerſa, & ſingula, quæ preceperant, vt fideles legati, qui non tàm ad docendum populos, quàm ad referendũ omnia, quæ in eis cernebant, tàm ad fidẽ, quàm ad mores ſpectantia, fuerant pridem tranſmiſſi. Sicut enim frigus in die meſſis, ita legatus fidelis ei, qui miſit eum, animam ipſius requieſcere facit. *Prou. 25.*

Ioannem Baptiſtam. Alij Eliam, alij verò quaſi vnũ de prophetis. Quare autẽ ſic opinarentur, ait Zacharias Chryſ. lib. 3. c. 9. alieni erroris, noſtrum non eſt reddere rationẽ. Vtcunque audiamus Hier. in cap. 8. Iſai. ſic ſcribentem: Omnes autem ſuperſtitionibus cum pertinacia inhærentes (loquitur de ſectis Iudæorum) obdurantes ſe contra veritatem, vt eſt euangelicus ſermo cæci facti ſunt & duces cæcorũ. Erant horũ hæc dogmata à veritate deuia. Fato cuncta tribuebant. Animarum iudicia ſub terra fieri affirmabant. Tranſanimationem pythagoreã hoc temperamento aſtruebant, vt ſolas bonorum tranſire in alia corpora, malorũ autẽ animas interminato ſupplicio cruciandas aſſererent. Hæc de illis gentilis ipſorum, & ipſe phariſæus ſecta Ioſephus. Suppetunt & de ijs ex Euãgelio teſtimonia dum in Chriſtum quidã ipſorum putantes tranſmeaſſe animã Eliæ, alij Hieremiæ, alij Ioannis Baptiſtæ, dicebant illũ eſſe Eliã, vel Hieremiam, vel Ioannem Baptiſtã, ſiue aliũ quempiã ex prophetis. Hæc ille. Et Victor Antioch. Sane quæ in omniũ oculos incurrebant, ea, vt hominẽ eſſe arbitrarentur, cõpellebant; verũ illuſtria illius opera, vt Ioannẽ, aut Hieremiam, aut vnum è prophetis ex mortuis reſurrexiſſe opinarentur, efficiebant. Itaque ex conficto à maioribus errore plebs Chriſtum credidit ſanctũ hominẽ eſſe, nõ Deum.

Zach. *Hier.* Iudæorum errores. *Vict.*

CAPVT XXIX.

Tunc dicit illis: Vos verò, quem me eſſe dicitis? Reſpondens Petrus, ait ei: Tu es Chriſtus.

Expoſitio. DEtectis aliorum ſententijs, quæ à vero aberant, veram inquirit Chriſtus à diſcipulis. Tunc ſcilicet poſtquam audiſſet alios per Apoſtolos, dicit illis eiſdem Ieſus Saluator. Vos, inquit, verò, qui aliorum placita recenſuiſtis, quem me exiſtimatis, & quam de me opinionem affirmatis? Placet ne aliqua enumeratarum ſententia, aut certè meliorem excogitaſtis? Proferte iam qui ſim apud vos. Reſpondens igitur vnus, cæterorum gerens vices, videlicet Petrus, qui erga Chriſtum propenſior, & ardentior videbatur; dixit: *Tu* quidem non noſtro ſolum, ſed omnium, qui vnquam de veritate benè ſenſere, *es* ille *Chriſtus*, quem promittunt oracula, patres deſiderarunt, & expectat orbis, vt ſalutem accipiat.

Tunc dicit illis Ieſus. Poſtquā errores cæterorum in medium protuliſſent, veritatem à veracibus quærit. Id quod formam celebrandi concilium, ſiue œcumenicum, ſiue prouinciale, ac ſynodale, dat cunctis, qui eo aduocantur, vt videlicet ante omnia hæreſes deſtruentur, & profligantur, poſt, fidei veritas pluribus teſtimonijs roboretur, & mores, qui fidei conſonent, deſcribantur. Quemadmodū etiam in celebrandis ſynodis obſeruatum legimus, vt hac ratione turbæ (ſcribunt Theodoſius, & Valentinianus Imperatores ad Cyrillum tom. 2. Concil. Epheſ. cap. 25.) quæ ex multis diſſidijs, & concertationibus hinc inde enatæ ſunt, ritè ſecundum Eccleſiaſticos canones conſopiantur, & illa præterea, quæ parum decenter hactenus admiſſa ſunt, corrigantur; & pietatis denique, quæ in Deum eſt publicæque vtilitatis firmitati conſulatur. Quare (ait Iſidorus, de celebrando concilio) Epiſcopus concilium alloquatur per exhortationem ita dicens: Ecce ſanctiſſimi ſacerdotes præmiſſis Deo precibus, fraternitatem veſtram cum pia exhortatione conuenio, & per diuinum nomen obteſtor, vt ea, quæ à nobis de Deo, & de ſacris ordinibus, vel ſanctis moribus vobis fuerint dicta, cum omni pietate ſuſcipiatis, & cum ſumma reuerentia perficere intendatis.

(Ritus conciliorum. — *Theod & Valent Imp.* — *Iſidor.*)

Vos autem quem me eſſe dicitis. Et inde aliud accipe documentū, videlicet in concilijs generalibus Epiſcoporum, ſolum vota diffinitiua exquiri, non ab alijs, neque imperitioribus. Nam ſolis Epiſcopis dicitur: Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei: Iuxtà illud. Dabo vobis paſtores iuxtà cor meū; qui paſcent vos ſcientia, & doctrina. Inde Theod. ad ſynod. Epheſ. tom. 1. c. 32. Illicitum eſt eum, qui nō ſit in ordine ſanctiſſimorū Epiſcoporū Eccleſiaſticis immiſceri tractatibus. De his lege Hilar. lib. de ſynod. Ambr. ep. 32. Athan. in ep. ad ſolitariam vitam agentes, & Turrecrem. lib. 3, ſecundū Eccl. c. 12. atque alios recentiores, vt ſi occurrat agere cum hæreticis Melanctone, Molinæo. & alijs (qui aſſirmant omnes ad concilium conuocandos, habereque vota in Concilijs quoſque laicos) arma tibi ſuppetant.

(*Act 20* — *Hier. 3.* — *Theod.* — *Hilar.* — *Amb.* — *Athan.* — *Turrecrem* — *Hær.*)

Reſpondens Petrus ait ei. Petrus loquitur, primo, non quod ſenior, ſed quod in rebus Chriſti tractandis ſolertior, præſagiens ſolicitudinem, quæ ſibi, ac poſteris Rumanis Pontificibus iniungenda erat, in diſſoluēdis cunctis erroribus. Memor enim ſum (ſcribit Sixtus 2. ad Gratum Epiſc. ep. 1.) me ſub illius nomine Eccleſiæ præſidere, cuius à Dño noſtro Ieſu Chriſto eſt glorificata confeſſio, & cuius fides nullū vnquā fallit, ſed omnes quidē hæreſes deſtruit. Habet enim (ſubdit Iulius Papa ep. decretali, pro Athan. contra Orientales) poteſtatē ſingulari priuilegio ſibi conceſſam, aperire, & claudere ianuas Regni cæleſtis, quibus voluerit. Ad aperiendum fidelibus (quidem exponit Damas. Papa ep. 3. ad Stephanum) & beniuolis hominibus in eundē Dūm noſtrum; & claudendum infidelibus, & maliuolis, atque ſuis ſacerdotibus, & ſanctæ Eccleſiæ, ſuo pretioſo ſanguine redemptæ, & impugnatoribus, ſiue nocentibus.

(*Sixt. 2.* — *Iulius Papa* — *Dam.*)

Tu es Chriſtus. Hac affirmatiua, negat & deſtruit reliquorum falſa dogmata. Confitetur enim eum eſſe illum (ait Theophyl.) qui à Prophetis prædictus eſt. Hunc locum Matthæus (notat Victor Antioch.) præſenti Euangeliſta accuratius exponit. Marcus namque ne quid in Petri magiſtri ſui gratiā dicere videatur, compendio contentus exactiorem hiſtoriæ explanationē prætermittit. Quamuis breuis iſta confeſſio, omnia, quæ de Chriſto Deo, & homine credimus complectatur. Sed argumentabitur fortè hic quiſpiam (ait Cyrillus ep. ad Ægypti Monachos quæ fertur tom. 1. Conc. Epheſin. cap. 1.) ac dicet: Nomen hoc Chriſtus, non in ipſum ſolum Emanuelem conuenit; ſed alijs quoque interdum tributum comperitur: Deus namq. de electis, & per Spiritum ſanctificatis alicubi cauet: Nolite tangere Chriſtos meos, & in prophetis meis nolite malignari, &c. paulo poſt. Deriuata namq. eſt vox hæc ab ipſa re. Ab eo ſiquidē quod inuncti ſumus, Chriſti appellamur. Et infra Nihil ne ergo inter Chriſtum Emanuelem, & cæteros Chriſtos intereſt? Immo verò ingenti interuallo, & diſcrimine pene immēſo nos à Chriſti gloria, & excellentia ſeiungimur. Etenim nos famuli ſumus: Ille verò

(*Matth. 16.* — *Theohp.* — *Vict.* — *Cyril.* Vide concilia ædita iuſſu Sixti V. — *Pſal. 114*)

etſi

Differentia inter Chriſti & aliorũ vnctionem. eſſi-ſecreta quadã diſpenſatione nobiſcum
in humanis verſatus ſit, ſecundum naturam
Deus, & Dominus erat. Et paucis interije-
ctis: cæteri itaque omnes propter vnctio-
nis beneficium, & ſint, & appellentur Chri-
ſtus, & iure iſtuc appellentur. Solus autem
Emanuel. Ita eſt Chriſtus, vt verus quo-
que ſit Deus. Id quod tribus libris ad Au-
guſtos Imperatores, & Auguſtas, innumeris
Cyrill. penè Scripturæ ſententijs Cyrillus idem
demonſtrat, atque alij contra Neſtorium,
Hær. & factioſos, qui Chriſtum non natum ex
Virgine Maria Deum volebant; ſed purum
hominem, indeque Mariam non θεοτόκον, ſed
χριστοτόκον dici debere. Damnati ſunt tamen
in eadem Synodo Epheſina.

CAPVT XXX.

Et comminatus eſt eis, ne cui dicerent de illo.

Expoſitio. FIdem itaque veram cum pronuntiaſſent
Apoſtoli, & veritatem de magiſtro di-
ſcipuli aperuiſſent, eam iubet Chriſtus cu-
ſtodiri ſecreto. Et comminatus eſt magno
verborum pondere, ne quam profeſſi tunc
fuerant fidem, vlli vulgarent, neq; cuiquam
populorum dicerent de illo, quod eſſet ille
Chriſtus, quem vniuerſi expectant,

Et comminatus eſt eis. Hoc eſt interdi-
xit, atque prohibuit; non ſub pœna aliqua,
vt nobis eſt ſolitum frequenter facere,
tùm maximè Eccleſiaſticis viris, qui nihil
niſi ſub excommunicationis pœna, & graui
cenſura valent ſubditis prohibere, neque
præcipere, aut comminari, illis ſimiles
quibus dicitur; cum potentia imperaba-
tis. At Præſul euangelicus (ait Clemens
Clemens. lib. Conſtitut. Apoſtol. cap. 20.) tan-
quam filios diligat laicos, proſequens eos
ſtudio charitatis, & fouens tanquam oua
ad acquirendum pullos, aut tanquam pul-
los, ſinu eos complectens, ad acquirendum
gallinas: omnes monens, omnes increpans
acerbè, quicunque increpatione acerba in-
digent, ſed non feriens; præmens, vt reue-
reantur, non vt euertantur. Namque pec-
Hereſum. cata ſubditorum eis imputantur. 1. q. 1.
quicquid. 9. q. 3. Epiſcopo.

Ne cui dicerent de illo. Videlicet inter
Gagnæius. gentes talem eſſe, notat Gagnæius, donec
tempus congruum adueniret prædicare, vt
poſt ſancti Spiritus miſsionem ad hoc ipſos
mitteret, & vt doceret humilitatẽ, & mun-
di principem falleret. Volebat enim (addit
Theophil. Theophyl.) adumbrari gloriam ſuam, ne
poſtea multum in ſe ſcandalizarentur, &
propterea ob incredulitatem ſuam maiori
ſupplicio fierent obnoxij. Etiam propter
honorem eorundem Apoſtolorum, ne præ-
dicantes Chriſtum Dei filium, & in lege
promiſſum Saluatorem, ab eo poſtmodum
recedendo in morte, & eundem negando,
infames, & inhoneſti haberentur. Præuidit
igitur eis bonum nomen; quale exigi in
optimo prædicatore certum eſt. Demigrat
autem ab eo, quando ſemel prædicatum
abiurat.

CAPVT XXXI.

Et cœpit docere eos, quoniam oportet filium hominis pati multa, & reprobari à Senioribus, & à ſummis Sacerdotibus, & Scribis, & occidi, & poſt tres dies reſurgere.

OPtimè confeſsioni ſubiungit proba- Expoſitio.
tionem, videlicet ſui corporis paſsio-
nem; vt ea nedum viſa, ſed audita, Apoſto-
lorum animos concutiens, probaret, quales
in firma confeſsione poſtmodum in die illa
mortis Chriſti forent; *& cœpit docere eos,*
& aperire ſecretum abſconditum, in quo
ſalus vniuerſorum ſita erat. Illud autem
erat depoſitio corporis ſui, & ſeparatio
animæ. Quoniam iuxtà decretum Dei; *opor-*
tet, inquit, *filium hominis,* in carne, quæ
cernitur, *pati multa,* & varia tormentorum
genera, & horrenda, qualia ne vllus à ſuis
ſuſcepit. Nam à Senioribus, in quibus ſum-
mum ius, & fidelitas creditur regnare, inin-
ſtiſsimè, & infideliſsimè reprobabitur, & vt
immundum quid, & noxium extra Synago-
gam eorum fiet, vt ne quidem vnus inter
tantos cauſam meam ſuſcipiat defenden-
dam. Immo verò, qui primum omnium in
me excandeſcent, inuenientur Sacerdotes;
quorum eſt ius legis defendere; poſt hos
malignabuntur, qui ſecundum locum inter
Seniores, & Synagogæ proceres tenent; vt-
potè Scribæ, qui Scripturæ æquitatem, &
intelligentiam tenere gloriantur. Quare
ſimul conueniens Synagoga malignantium,
omnem mouebit lapidem contra me, & oc-
cidet demum. Cæterum ne glorientur ſu-
per me, poſt tres dies reſurgam ad gloriam
Patris.

Et cœpit docere eos. Alia quidem, & præ-
clariora his, quæ hactenus didicerant, vide-
licet, humilia, anguſta, & laborioſa, ſine qui-
bus non conceditur ad Regnum aditus. Si- *Math.* 11.
quidem violenti rapiunt illud, & qui pro-
bati ſunt in procellis, ac ſtrenui ad eius
portũ appellunt, & cantant: Glorioſè enim *Exod.* 15.
magnificatus eſt, equum, & aſcenſorem
deiecit in mare. Ergo dum in carne ſumus,
nulla maior doctrina, neque ſcientia vti-
lior, quàm ſcire, & prædicare Chriſtum, &
hunc crucifixum, in carne propria circum-
ferre, vt dicamus cum Paulo: Gloriabor in 2. *Cor.* 12.
infirmitatibus meis, vt inhabitet in me vir-
tus Chriſti. Virtus quidem, & vis ſuæ paſ-
ſionis. Huius enim merito ſubleuamur à
miſerijs,

miſerijs, & ad omnem virtutem exaltamur, & gloriam. Illius mors (ait Amphilochius *[Amphilochius.]* in tom. 2. Conc. Epheſ. cap. 18.) Tua facta eſt immortalitas: Domini perpeſsio, ſerui facta eſt exaltatio. Quæ igitur ô fideles præſtantior doctrina, quæ ſic ſuos exaltat?

Quoniam oportet filium hominis pati multa. Non ait filium Dei; ſiquidem eo immortali, & impaſsibili exiſtente, patiebatur natura humana, quam aſſumpſerat. Vt crucem igitur ſecundum carnem ſuſtinet (ait *[Cyrillus.]* Cyrill. de ſacerdotio Chriſti tomo p. Concil. Epheſ.) meritò infirmus prædicatur: Vt autem Deus eſt, quauis infirmitate rectè ſu- *[Matth. 26.]* perior aſſeritur: Scriptum eſt enim: Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma. *[Hebr. 2.]* Decebat enim, inquit Paulus, eum, propter quem omnia, & per quē omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem ſalutis eorum per paſsionem conſummari, vt per mortem deſtrueret eum, qui mortis habebat Imperium, & vt idem dixit: Omne *[Ioan. 6.]* quod dedit mihi pater non perdam, ſed reſuſcitem illud in nouiſsimo die.

[Ioan. 9.] *Et reprobari à Senioribus.* Quando dixerunt. Hunc neſcimus vnde ſit: Non ha- *[Matth. 27.]* bemus Regem niſi Cæſarem; noli ſcribere *[Marc. 15.]* Rex Iudæorum, ſed quia ipſe dixit Rex ſum *[Luc. 23.]* Iudæorum. Tolle, tolle, & dimitte nobis Barabam. His dictis apertè reprobarunt *[Ioan. 18.]* Chriſtum Iudæi, atque alijs innumeris factis; quando detecto Herodi loco ſui ortus, Regem natum non quæſierunt; in templo docentem non tenuerunt, ſed parentibus dimiſerunt; efficaciſsimè ſeipſum Chriſtum indicantē, nunc ſignis, nunc verbis ſeipſum prodentem non crediderunt; ſed oderunt, inquit me, & patrem meum; quando denique præcipitare, & lapidare volebant eum, *[Ioan 10.]* & dixere blaſphemum, quod interrogatus *[Ioel. 1.]* de Chriſto, reſpondiſſet, ego ſum. His atque alijs virum pubertatis, ac ducem virginitatis ſuę reprobauit Seniorũ Synagoga.

Et à ſummis Sacerdotibus, & Scribis. Conuenerat tota Hebræorum Synagoga aduerſus Chriſtum, auctores tamen, & incentores malorum Scribæ erant, & Sacerdotes. Hi enim timebant regnante Chriſto paupere, & zelatore ſacri cultus, depauperari; illi, qui gloriabantur in legis, & oraculorum peritia ægrè ferebant Chriſtum ſapientia apud Deum, & homines longè *[Gen. 49.]* fieri, eorum verò opinionem in dies obſcurari. Quapropter vaſa iniquitatis bellantia facta ſunt aduerſus Dominum, quem & ſequi, & colere eos oportebat. Excæcauit tamen eos malitia, quæ ex auaritia in Sacerdotibus, & in Scribis ex inuidia proceſſit.

Et occidi. In ligno tamen. Vt qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur per Chriſtum Dominum noſtrum. Sed quid *[Deut. 21.]* maledictus omnis, qui pendet in ligno? qui inquam hæret peccato, quod in ligno cœpit, nec non diabolo, qui inſtar ſerpentis, lignum, quod fuit lapſus occaſio inuoluit. At aſcendens Chriſtus ad lignum fugauit *[Coloſſ. 2.]* ſerpentem, & tulit chirographum decreti, quod erat aduerſum nos. Quare occiſus in Cruce factus eſt pro nobis maledictum, & peccatum, vt iſta nobis auferret. Non enim ipſummet maledictum, vel peccatum factum eſt (ait Cyrillus defenſione, ac reſpon- *[Cyrillus.]* ſione ad obiectionem Orientalium, contra v. anathematiſmum) ſed cum iniquis reputatus eſt, iuſtus exiſtens, vt aboleat peccatum; at appellatus eſt maledictus, qui benedicit creaturam, vt ſoluat noſtrum maledictũ, & liberet à pœna credentes in ipſũ.

Et poſt tres dies reſurgere. Vt clarificaretur, & nos clarificaret. Quare licet immortalis eſſet (ait Atticus Conſtantinopolitanus Epiſcopus tom. 2. Conc. Epheſ. cap. 29.) quo mortem aboleret mortem ſubijt: Pari modo vt noſtram reſurrectionem conſtitueret, ex mortuis ſurrexit. Horum autem omnium non per diuinitatis naturam, ſed per carnis aſſumptionem capax extitit. Et quidam illa in propriæ impatibilitatis aſylo immotus conſiſtens; hac verò nihil non patiens, ac ſufferens, ſpiritualis vitæ rationem, quam optimam nobis inſtituit.

CAPVT XXXII.

Et palam Verbum loquebatur: Et apprehendens eum Petrus, cœpit increpare eum.

SYmbolis plerumque mortem ſui corporis inſinuarat; mox verò, quod tem- *[Expoſitio]* pus inſtaret, & diuinitatis ſuæ notitiam haberent diſcipuli, *palam* ac nudis verbis, loquebatur verbum bonum ſuæ mortis, & paſſionis, quod hactenus abſconditum erat. Cæterum cum nihil grauius, quàm à Chriſto ſeiungi, haberent diſcipuli amantiſsimi, vnus eorum *Petrus*, ad Chriſtum accedens cœpit diſſuadere mortem, tali verborum copia, vt videretur non diſſuaſio, ſed increpatio.

Et palam verbum loquebatur. Verbum dicit ſuæ paſsionis narrationem. Eſt autem *[Quid ſit verbum.]* verbum expreſſa concepti mentis notitia, quæ primo explicatur intra intelligentem, per verbum mentis; poſt extra per oris verbum, vel Scripturæ. Iuxtà hæc paſsio Chriſti, ac geſta potiuſquàm aliorum verbum dicitur: Non ſolum, quod menti diuinæ primo occurrerit filij ſui incarnatio, & in carne geſta; quam Chriſtus, qui ab inſtanti conceptionis omnem habuit ſcientiam, primo inſtanti rerum ſuarum clariorem acceperit notitiam; tùm maximè mortis, & reſurrectionis, quod fines

ſui

fui aduentus eſſent. Mortuus enim eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram. Hæc autem duo tantum per Chriſtum futura per verbum oris Prophetarum, & Scripturarum ab initio oſtenſum eſt Orbi: Adeò vt omnia, quæ in Eccleſia præceſſere; quæne profequuntur verbum, ſcilicet paſſionis, & reſurrectionis, ac rerum Chriſti dici valent. Erat tamen olim vt granum ſub paleis, & medulla oſſibus incluſa, abſconditum, & obuelatum, vt vix niſi à maioribus Eccleſiæ, & quidem pauciſſimis intelligeretur; ideòq. dicitur myſterium abſconditum à conſtitutione mundi. At poſtquam in terris viſus eſt auctor mundi, palam factum eſt verbum hoc; tùm quod oracula innotuerint; tùm quod manifeſtè Chriſtus ipſe arcanum denudauerit, non tàm Apoſtolis, quàm Angelis, quando in cælum aſcendit. Dicens occurrentibus: Torcular calcaui ſolus.

Rom. 4. *Coloſſ. 1.* *Iſai. 63.*

Et apprehendens eum Petrus. Inhoneſtum factum, vel ſi maius indiſcretum, quod *Petrus* moliretur, participio *apprehendens* inſinuatur. Apprehendimus enim quem vel præ amicitia, putamus ad noſtram voluntatem, quam facillimè trahi, vt apprehendit vir fratrem ſuum, ſic & *Petrus* Chriſtum, vel iuxtà potentiæ magnitudinem poſſumus, aut volumus noſtro ſubeſſe Imperio. Vt Herodes, qui appoſuit, vt apprehenderet, & Petrum; imitantur Herodem tyranni omnes; Petrum autem qui audacter nimis ad Deum orant, & loquuntur.

Act. 12.

Cœpit increpare eum. Hoc eſt (interpretatur Victor Antiochenus) de eo, quod quæſtionem habebat audenter inquirit. Siquidem ex zelo Chriſti (ſubdit Lyra) volebat impedire eius paſſionem. Potuiſſet enim non pati, inquit Theophylactus; quod intellige non ſtante ordinatione Dei, quæ per Scripturas innotuit. Quare (inquit S. Thomas 3. p. q. 66. art. 1.) non fuit neceſſarium neceſsitate coactionis pati Chriſtum, neq; ex parte Dei, qui Chriſtum definiuit pati; neque etiam ex parte ipſius Chriſti, qui voluntariè paſſus eſt. Fuit autem neceſſarium neceſſitate finis, qui quidem poteſt tripliciter intelligi. Primo quidem ex parte noſtra, qui per eius paſsionem liberati ſumus, ſecundū illud Ioan. 3. Oportet exaltari filium hominis, vt omnis, qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam. Secundò ex parte ipſius Chriſti, qui per humilitatem ſuæ paſsionis meruit gloriam, & exaltationem. Et ad hoc pertinet, quod dicitur Luc. vlt. Nonne oportuit Chriſtum pati, & ſic intrare in gloriam ſuam? Tertio ex parte Dei, cuius definitionem circa paſſionem Chriſti prænuntiatam in Scripturis, & præfiguratam in obſeruantia veteris Teſtamenti oportebat impleri: Et hoc eſt, quod dicitur Luc. 22. Filius hominis ſecundum, quod definitum eſt, vadit. Et Luc. vlt. Hæc ſunt verba, quæ locutus ſum ad vos, cum adhuc eſſem vobiſcum, quoniam neceſſe eſt impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege, Prophetis, & Pſalmis de me, quoniam ſic ſcriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis. Hæc ille.

Victor. *Lyra.* *Theophyl.* *Thomas.* Quæ neceſſitate mortuus eſt Chriſtus.

CAPVT XXXIII.

Qui conuerſus, & videns diſcipulos ſuos, comminatus eſt Petro, dicens: Vade retrò me Satana quoniam non ſapis, quæ Dei ſunt, ſed quæ ſunt hominum.

AD ea, quæ Petrus protulit, neque aurem, neque animum præbuit Chriſtus, quinimo zelo integro, atque verò repletus ad omnes diſcipulos, qui poſt ſe ſequebantur conuerſus, diſcipulos aſpectu terribili intuitus, Petrum durè alloquitur, & comminatur Petro damnum niſi deſinat à temeritate. *Vade*, inquit, à teipſo, & noli tuum diuino iudicio præferre, neque poſtponere vniuerſorū gaudium falſæ tuæ, ac momentaneæ lætitiæ, quam me tecum in carne viuente capis; ſed meliora ſectans, & potiora *retro me*, ac poſt me veni, non ad vitam ſolum, ſed etiam ad mortem; ac deſine videri *Satana*, & aduerſarius his, quæ pater præordinauit. *Quoniam* ſecus agens, *non ſapis*, neque attingis, quæ ſunt beneplaciti Dei, inſtar eorum, qui de mundo ſunt; qui nihil niſi læta, gaudioſa, & vana, quæ ſunt mundanorum hominum, ſciunt. Expoſitio.

Qui conuerſus. Scilicet ad eos, qui ſequebantur. Ad hos quidem perſæpè conuertitur illuminans mirabiliter, vt viuificentur, velut plantæ, & ſata ad ſolis conuerſionem; aliquando à malefactis increpans ne pereant inter Ægyptios; & nonnunquam conuertitur ad eos caſtigans inductis plagis crudelibus, vt reuertantur ad Dominum Deum ſuum ſerui emptitij.

Et videns diſcipulos ſuos. Videlicet ſequentes, propter quos pati diſpoſuerat, vt efficerentur participes ſuæ gloriæ. Obiectū ergo ſuæ paſsionis inſpiciens dignum dilecto, ad eum, qui ſua temeritate, aut inſcitia priuare eum volebat iratus zelo conuertitur; quaſi qui patrem à negotio vnde filij poſſent ditari, & honorari, ac verè beatificarentur, retraheret. Proſpectis igitur filijs, inuehit in eū, qui hoſtis potius, quàm amicus cenſeretur falſa pietate deceptus: ac ſi videns diſcipulos diceret: O diſcipuli cur obmuteſcitis ad vocem Petri? an non videtis damnum veſtrum quæri? Ego enim mori volo, vt vitam abundantiorem vobis impertiar, & aſſumam vos ad meipſum in gloria Patris mei; ille autem perſuaſione inutili vos tantis bonis ſpoliat? Et tu Pe-

tre, qui ignorans loqueris, putaſne me tàm mei immemorem, ac meorum, quos vides cunctis propter me valefeciſſe, & paratos ad omnia, quæ ego mandauero eis, poſſim vnquam à me ſeparare, relinquere orphanos, & extorres facere à Regno Dei? At tu, qui tàm audacter mortem mihi diſſuades, *Ioan. 12.* iſta verbis tuis inculcas. Nam niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit ipſum ſolum manet, ſi autem mortuum fuerit; multum fructum affert. Ergone vis Petre fratres tuos, ac teipſum à fructu, qui ſemper maneat, priuare? Et ſi tu ac cæteri vellent, ſicut annunciaui nomẽ Dei his fratribus meis; ita per mortem Deum ipſum, ac Regnum diſpono, vt edant, & bibant in Regno meo.

Comminatus eſt Petro dicens. Comminatio inducit pœnam, quæ autem ſequeretur ex Petri ſententia, nota eſt. Et quidem notiſſimum eandem conſequi eum, qui diſſentit à Chriſto, vt hæreticus omnis, & qui mortem Chriſti ægre audit, vt voluptuoſus. His comminatur quoque interitus, & æterna damnatio niſi ab opere deſiſtant. Semper enim comminatio eſt conditionalis.

Vade retro me Satana. Satanam nomi- *Theoph.* nat Petrum (ait Theophylact.) tanquã idem cum Satana ſentientem, nolentemq. ſe pati, ſed magis ſe opponentem. Satanas enim idem eſt, quod aduerſarius. *Vade* autem *poſt me* (inquit) hoc eſt ſequere voluntatem meam, & non obluctetis, neque ex aduerſo mihi ſtes, ſed poſt me ſequaris. Ad *Victor.* Satanam autem (notat Victor Antiochen.) cum Ieſum in deſerto tentaret, dictum non eſt, *vade retro me Satana*, ſed dictum eſt vade Satana: Scriptum eſt enim Dominum Deum tuum adorabis, &c. Ad Petrum verò, qui peccatis adhuc obſtrictus erat, adeòq. poſt Ieſum non ibat, dicitur: *Vade poſt me Satana*, ſcandalum enim es mihi. Quapropter Sancti, qui Ieſum ſequuntur, conſequens fit, illos Ieſum poſt terga reijcere, qui ab illo diſcedunt, eiuſdemque ſermones
Zachar. non audiunt. Ad hæc Zachar. Chryſopolit.
Chriſ. lib. 3. cap. 90. & Gloſſ. ordin. Multi putant,
Gloſſ. ord. quod non ſit Petrus correctus, ſed malignus ſpiritus, hæc dicere ſuggerens ei. Sed aliquibus nunquam videbitur incautiuum diaboli, error de pietatis affectu veniens. His tamen contrarius videtur Apoſtolus.
1. Ioan. 4. Probate an omnis ſpiritus ex Deo ſit. Enim-
2. Cor. 11. uero ſpiritus malus ſe transfigurat in Angelum lucis, pietatemque perſuadet, vt impietatem venetur. Neque obſtabat aliquid in Petro, quominus diaboli fraude seduceretur ſub ſpecie pietatis.

Quoniam non ſapis, quæ Dei ſunt. Quidem hæc magna, & inſcrutabilia, quorum non eſt numerus, nec eorum valet homo rationem inueſtigare; vt poſſit dicere cur ita fecit? Magnus eſt, & incomprehenſibilis cogitatu vincens ſcientiam noſtram. Sapere autem, quæ Dei ſunt, eſt in rebus ſpiritualem intelligentiam inquirere, & degu- ſtare, quod eſt officium ſapientiæ. Doctrix *Sap. 8.* enim eſt diſciplinæ Dei, & electrix operum illius. Hoc eſt docet diſciplinam, quæ nos Deo docibiles reddat, & quæ diſcernere, & eligere faciat inter opera Dei, quod nobis vtilius eſt, & magis honeſtum conditioni noſtræ ſequi. Quare ſi diuitiæ appetuntur, quid ſapientia locupletius, quæ operatur omnia? labores huius magnas habent virtutes: Sobrietatem enim, & prudentiam docet, & iuſtitiam, & virtutem, quibus vtilius nihil eſt in vita hominibus.

Sed quæ ſunt hominum. Humana dicebat ſapere Petrum (notat Theophylact.) eo *Theoph.* quod humilia quædam, & carnalia ſapiebat, volens mollius agere, & non crucifigi, nec in tentationes incidere Dominum propter mundi ſalutem. Et quidnam hoc eſt (interrogat Victor Antiochen.) illene, qui diuina *Victor.* reuelatione paulò ante ditatus, felixque à Chriſto Domino prædicatus fuerat, tàm citò prolabitur, & impingitur? Verum hoc mirum non eſt, ſiquidem nullam ille de Chriſti paſſione, & Cruce notitiam è cælo acceperat. Ergo ſcit, quæ hominum, quod neſciat Crucem. Crux enim eſt, quæ nos *Crucis ſapientia.* mundo crucifigit, & facit omnia arbitrari, *Phil. 3.* vt ſtercora, vt crucifixum Chriſtum lucremur. Inde Paulus exclamat: Mihi autem abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri *Gal. 6.* Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. Et quicumque hanc regulam ſecuti fuerint, pax ſuper illos, & miſericordia ſuper Iſrael Dei: hoc eſt, ſuper eos, qui vident per fidem Deum, & credunt in eum, qui de cælis nos tranſtulit in admirabile lumen ſuum, & diſpoſuit ſaluos facere credentes per humilitatem Crucis. Hæc ergo eſt nobis ſapientia, quam ſolum ſcit, qui eſt Dei, & qui eſt mundi ignorat, tantum quæ ſunt hominum appetens ſcire.

CAPVT XXXIV.

Et conuocata turba cum diſcipulis ſuis, dixit eis: Si quis vult me ſequi, deneget ſemetipſum; & tollat Crucem ſuam, & ſequatur me.

IGitur ne Petrus, aut alius diſcipulus, *Expoſitio.* ſed neque vllus ſequacium, atque fideliũ prolaberetur in ſimilem temeritatem, & inſcitiam, vniuerſos docet ſcientiam, quæ ad diuina pertrahat, & auocet animum ab his, quæ ſunt hominum. Quare turbam, quæ à longè ſequebatur conuocat ad ſe, & iubet propinquius accedere cum diſcipulis ſuis, vt audiant nouam artem addiſcendi breui com-

compendio vniuerſa, quæ ſcitu digna ſunt. Itaque cunctis ad concionem vocatis, & ab ore concionatoris pendentibus, dixit magnus ille Eccleſiaſtes: Vt video magno ſtudio, & beneuolentia me proſequimini, quomodo autem hoc veſtrũ ſtudiũ fiat ſalutare minus conſideratis. Quare ne oleũ perdatis, & operam, normam certam, & regulam breuiſſimam accipitote. *Si quis vult* ex animo cum ſui magno profectu *me ſequi*, duabus incumbat lectionibus, quibus perſcitis, qualis optat, euadit. Prior ſit inuigilare ſedulo, quomodo *deneget ſemetipſum*, & abneget nedum externa, ſed interna omnia, quæ ex prauo affectu, vel intellectu inutili obumbrare queunt ſpiritus dignitatem, ac remorari ab exercitio ſuorũ actuũ, qui in bonum, verumque feruntur; altera eſt *tollere*, & penes ſe libenter ſuſcipere *Crucem*, cunctoſque labores, quos ſtatus cuiuſque vocatio fert. Ac ne deficiat intueatur me in omnibus præeuntem quaſi ductorem, & magiſtrum, ſicque in auctorem aſpiciens *me ſequatur*.

Et conuocata turba cum diſcipulis ſuis. Nam omnes vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, & cunctis eandem diſciplinam tradi; tametſi turbæ, quæ in mundo ſunt minus eam, quàm par ſit, capeſſant; ſed benè turbæ, quæ cum diſcipulis conuocantur, hoc eſt fideles laici, qui Religioſos ſanctos, & peritos miniſtros Dei tractant, & cum illis familiarius de ſtudio vitæ ſpiritualis, & aliorum, quæ animum ædificant, narrationem texunt. Neque enim diſcipuli Chriſti alio aduocantur ad monaſteria, aut ad miniſteria aſſumuntur, quam vt ad meliorem vitam prouocent laicos. Qui ſi eo ad prædictos acceſſerint, non tàm vt auditores perfectæ vitæ fient, quàm imitatores, & fortè peritiores magiſtris, cũ quibus vel Eccleſiam communem, vel ad priuatum oratorium conuocantur.

Dixit eis. Hoc eſt explicauit verbis, quod multis retro factis ob oculos propoſuerat.
Act. 1. Quoniam Dominus Ieſus primo cœpit facere, & poſtea docere. Nec aliud quidem, quàm abnegare ſeipſum, ſi quid in obſequentiſſimo abnegandum reſtaret, & tollere crucem ſuam, quam in mundum veniens ſpontè ſuſceperat. Tunc ſiquidem: Ait dixi:
Pſal. 39. Ecce venio. In capite libri ſcriptũ eſt de me, vt faciam voluntatẽ tuã Deus meus volui. Voluntariè ſacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo, quoniam bonum eſt. Inde rurſus in oratione poſitus dixit: Fiat volun-
Luc. 22. tas tua; non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Itaque ab initio denegationem ſui exercitam multis, ac innumeris præclarè actis, mox dixit, & prædicauit alijs, vt qui militiam profitentur, ductorem ſequantur.

Si quis vult me ſequi. Siue ad viã, quam cunctis patefici; ſiue ad ſemitam, ad quam vocaui diſcipulos, liberum ei ſit venire; inuoluntarium nõ admitto, ſed voluntarium, & vltroneum quæro, & admitto venientem. Ideò, volendi verbo vtitur, & conditionali, *Si*, adiuncta ſingulari relatiuo, vt paucitatem ſequentium ſe verò, & integro corde ſubindicet: diſcurrit ſuper hæc Chryſoſt. *Chryſoſt.*
hom. 56, in Matt. tom. 2.

Deneget ſemetipſum. Non alia, quæ foris ſunt, ſed quæ intus latent, ac ſe totum *Quid ſit abnegatio?*
denegare vult Chriſtus eum, qui diſponit ſui imitatorem fieri. Ac ſi dicat (inquit
Bernard. ſer. 2. de S. Andræa) qui me deſiderat ſe deſpiciat; qui vult facere voluntatem meam, diſcat frangere ſuam. Vel ſemet- *Bernar.*
ipſum abnegat ſecundum Gregor. lib. in *Gregor.*
Ezech. hom. 10, qui mutatur ad meliora, & incipit eſſe, quod non erat, & deſinet eſſe,
quod erat. Vnde Hieron. lib. 3. in Matth. 26. *Hieron.*
tom. 9. Qui deponit veterem hominem cum concupiſcentijs ſuis denegat ſemetipſum, dicens: Viuo autem iam non ego, viuit ve-
rò in me Chriſtus. Et Origen. hom. 2. in 16. *Origen.*
Matt. Denegat ſemetipſum, qui vitam ſuam malam bona conuerſione relinquit: In no-
bis igitur (infert Laurentius Iuſtinianus *Lau. Iuſtin.*
lib. de interio. conflic. c. 8.) & omninò contra nos pugnare nos docet; ſi cælorũ æterna cupimus habere promiſſa. Non alienus quærendus eſt, qui feriatur, non bellandi extrinſecus eſt quærenda materia: intra nos armatus eſt hoſtis ad remittendum vtique ſemper accenſus. Non dixit autem
ille (notat Victor Antiochenus) in nimium *Victor.*
ſibi indulgeat, aut ne carni ſuæ nimium parcat. Sed vehementius inſurgens, *abneget*, vel abiuret *ſemetipſum* inquit, hoc eſt, nihil cum ſeipſo, vel cum ſua carne commercij habeat, verum ita ſe gerat, ac ſi non ipſe, ſed alius quiſpiam Crucem tolleret.
(ſubinde Theophylact.) quid ſit abnegare *Theophyl*
ſeipſum, diſcemus, ſi didicerimus, quid ſit abnegare alium. Qui enim abnegat alium, fratrem fortaſſis, vel familiarem, vel patrem etiam ſi flagellari illum viderit, & occidi, non aduertit, non dolet, non compatitur ſemel ab eo alienatur: ſic quoque & nos vult corpus noſtrum deſpicere, & ſiue flagella, ſiue aliud quid patiatur, nec illi parcamus.
Itaque denegare ſemetipſum eſt virtutum *Diſcordia carnis, & ſpiritus.*
omnium pulchrè exercitiũ, ſed tantò difficilè, quanto arduum ſumere. Siquidem caro aduerſus ſpiritum iugiter pugnat. Vt ſi fide ſurſum tendat ſpiritus, caro deorſum deprimat, ſi charitate inflammetur, deludit concupiſcentia ſenſuali, ac quoties virtutem aggreditur interior homo, corpus circumſtans ei inſidias vitiorum præparat. Vnde quia militia hæc perdurat vſque ad mortem non aſſignatur denegationi terminus; ſemper enim inter has pugnas nobis dum viuimus verſandum eſt. Et nunquam
cum Bigardis, & Boginis hæreticis imagi- *Hæret.*
nandum

nandum eſt nobis ſtatum vitæ ſpiritualis nos conſecutos, vt in omnibus, ac ſemper propter quæ Dei ſunt abſque pugna valeamus ſequi, & ſtare velut omninò ſpirituales.

Et tollat Crucem ſuam. Non ait Crucem meam, ſed *ſuam*; Cuicumque enim ſuos labores ferre imperat, & ſuſtinere grauia vitæ incommoda, quæ ſingulis occurrunt. Iob 5. Siquidem homo naſcitur ad laborem, vt auis ad volatum. Laborem ergo ſuum quiſ- Luc. 21. que patienter ferat: quia In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. Hæc eſt enim ſapientia veſtra, & intellectus in paucis vexari, & in multis benè diſponi, ſeque Sap. 3. ipſum appendere in ſtatera iuſta, & æqua, hoc eſt, in ſuſtinentia humili, & labore, quo Iob 31. Deus vult aurum, hoc eſt electos ponderari; antequam dicatur ei, appenſus es in ſtatera Dani. 5. iudicij, & damnationis, quam poſt lætum conuiuium, & profanum opus Balthaſar Iſai. 40. paſſus eſt. Liberauit enim Deus in pondere montes, & colles in ſtatera; hoc eſt ſingula quæ ab hominibus, & Angelis fiunt, perpendit æqua lance; qui in laboribus multis ſeipſum exercuerit, & non laborauerit, neque defecerit quando impetu ſpiritus ad anguſtias venerit, vt qui ſeipſum dijudicauerit, & circumtulerit in corpore ſuo mortificationem Chriſti; viuit vita beata, quæ Crucem clarificat, & labores in dulcedinem conuertit. Secus autem erit his, qui ſtateram hanc abigerint, vt poſſint de- Iob 21. litijs vacare. In puncto enim ad inferna Bernar. deſcendent. Ergo (ait Bernar. ſerm. 2. de Beato Andræa.) Imitemur arma Regis noſtri, vt tollamus, & nos Crucem noſtram, in qua de inimicis omnibus triumphemus. Et in apolog. ad Guilelmum: Væ portantibus Crucem, ſed non ſicut Saluator ſuam: ſed ſicut ille Cyrenæus alienam: væ cytharizantibus, non vt illi de Apocalypſi in cytharis ſuis, ſed verè vt hypocritæ in alienis. Væ ſemel, & væ iterum pauperibus ſuperbis; væ, inquam, ſemel, & iterum portãtibus Crucem Chriſti, & non ſequentibus Chriſtum, qui nimirum eius paſſionibus participantur, & humilitatem ſectari negligunt. Duplici quidem contritione conterentur, qui huiuſmodi ſunt, quando & hic pro temporali gloria ſe affligunt, & in futuro pro interna ſuperbia, ad æterna ſupplicia perducuntur; laborant cum Chriſto, ſed cum Chriſto non regnant.

Et ſequatur me. Hoc eſt ad veram, & integram virtutum imitationem, poſtquam ſequetur, & retributio abnegationis, & Crucis; hoc eſt, laboris vltro ſuſcepti, & eius quem externus hoſtis intulit: Mihi enim proprius ſignificat abnegatio ſpontaneam corporis exercitationem; Crux verò patientiam in illatis anguſtijs; ſequi verò Chriſtum, pro ſcopo eius perfectionem in cunctis operationibus, & ſtudijs proſpicere; vel, vt inquit Victor Antiochenus, Victor. pati propter Chriſtum.

CAPVT XXXV.

Qui enim voluerit animam ſuam ſaluam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam ſuam propter me, & Euangelium, ſaluam faciet eam.

Explicat longiori ratione priorem ſen- Expoſitio. tentiam, ab oppoſitis ſumpto exordio, vt illam iterum ob præmium perſuadeat: Qui (inquit) ſui abnegationem, & Crucem propriam ferre neglexerit, volens potius inſeruire deſiderijs ſuæ animæ ſenſualis, & indulgere, vt vitam prolongiorem, & ſuauiorem traducat in terris, profectò *perdet eam*, & præcipitabit ad ſummam inferorum miſeriam: At qui melius ſenſerit, curaueritque tùm abnegatione, tùm Cruce animam ſenſualem ſic opprimere in vita, & debellare, vt quaſi perditam penes ſe habeat; idque non alicuius intuitu, aut rei temporalis gratia, ſed *propter me* fecerit, & veritatem proculdubio *ſaluam faciet*, nedum rationale animam, ſed corpus ipſum, & totam hominum lucrabitur, quando ad meliorem vitam poſt præſentis incommoda venerit.

Qui enim voluerit animam ſuam ſaluam facere. Animam ſuam vocat ſenſum; & corpus animale. Ad quod ille: Anima mea ha- Luc. 12. bes multa bona congregata in annos plurimos ſurge, comede. Etenim anima carnis in ſanguine eſt. Hoc eſt, & ſita, & enutrita, in vitijs inquam adoleſcentiæ, quæ nihil præter poculenta ſapiunt; edamus inquiunt, & bibamus, quia cras moriemur. Ergo dum tempus vitæ eſt fruamur creatura tanquam in iuuentute celeriter. Sic enim putant ſaluam facere carnis animam à breuiori vita, & laborioſa. Cæterum poſtquam ſectator horum dixit: Vadam, & affluam delitijs, & fruar bonis; adiecit: Et Eccl. 2. vidi, quod hoc quoque eſſet vanitas. Riſum reputaui errorem, & gaudio dixi, quid fruſtra deciperis? Propterea ſequitur.

Perdet eam. Nam qui puero plus ſatis indulget (ait Victor Antiochen.) per- Victor. dit eum, qui autem peccanti non parcit ſeruat eum. Et Chryſoſt. hom. 9. quod ne- Chryſoſt. mo læditur niſi à ſeipſo. Hi, qui in delitijs, & luxuria vitam ducunt, reſoluta quidem Luxus incommoda. corpora, & omni cera meliora circumferunt, atque agmine quodam infirmitatum repleta, quibuſque ad cumulum malorum, podagræ tremor, & immatura ſenectus ſuccedit, & eſt eis vita ſemper cum medicis, & medicamentis ſenſus autem ipſis tardi, gra-

graues obtuſi, & quodam modo iam ſepulti: Proſequitur, & hanc corporis perditionem voluptuoſi hominis oſtendere multis argumentis, hom. 45. in Matth. & 54. ad popul. Antiochenum. Verum Chriſtus loco præſenti non tàm ad perditionem corporis, quàm animæ alludit. Hæc enim eſt infelicitas ſumma, & deformatio, quam ex vitijs carnalibus homo contrahit; ſeque grauat quouſque animam ſuam areſaciat à virore gratiæ, peccet in ſeipſam transfigens ſe morte culpæ; & vlulet ſibi ad inferni tortores dimiſſa.

Qui autem perdiderit animam ſuam propter me, & Euangelium. En duplex ſalutis obiectum, & martyrij cauſas, veritatem, & Chriſtum. Ille propter Chriſtum *perdit animam ſuam*, qui teſtimonio fidei probatur vſque ad ſanguinem, nec parcit vitæ dummodo operibus fidem, quam profeſſus eſt vnicè, tàm hoſtibus, quàm amicis demonſtret: *Propter Euangelium* verò animam perdit, qui vt iuſtitiæ veritatem ſeruet incorruptam, diſcrimina etiam mortis ſubijt. Verum quia veritas, & opus virtutis ex ſe cauſa martyrij eſſe non poteſt, niſi ad Chriſtum ordinetur, primo dicitur *propter me*, deinde, *Euangelium*, quo veritatis, ac virtutis opus intelligitur. Conſonat his S.

S. Thom.

Thom. 2. 2. q. 124. art. 5. dicens: Martyres dicuntur quaſi teſtes, quia ſcilicet corporalibus ſuis paſſionibus, vſque ad mortem teſtimonium perhibent veritati, non cuicumque, ſed veritati, quæ ſecundum pietatem eſt, quæ per Chriſtum nobis innotuit. Vnde & Martyres Chriſti dicuntur, quaſi teſtes ipſius. Huiuſmodi autem eſt veritas fidei, & ideò cuiuſlibet martyrij cauſa eſt fidei veritas; ſed ad fidei veritatem non ſolum pertinet ipſa credulitas cordis, ſed etiam exterior proteſtatio, quæ quidem fit non ſolum per verba, quibus aliquis confitetur fidem; ſed etiam per facta, quibus aliquis fidem ſe habere oſtendit, ſecundum illud

Iacob. 2.

Iacob. 2. Ego oſtendam tibi ex operibus fidem meam. Vnde & de quibuſdam dicitur

Tit. 1.

Omniũ virtutum opera poſſunt eſſe cauſa martyrij.

ad Titum primo. Confitentur verbis ſe noſſe Deum, factis autem negant. Et ideò omnium virtutum opera, ſecundum quod referuntur in Deum, ſunt quædam proteſtationes fidei, per quam nobis innoteſcit, quod Deus huiuſmodi opera à nobis requirit, & nos pro eis remunerat, & ſecundum hoc poſſunt eſſe martyrij cauſa. Vnde & Beati Ioannis martyrium in Eccleſia celebratur, qui non pro neganda fide, ſed pro reprehenſione adulterij mortem ſuſtinuit. Hæc ille.

Saluam faciet eam. Quia ſcilicet *propter me*, hoc eſt ex charitate, & amore mei accenſus, non abhorruit eam deponere per paſſionem, & mortem. Martyrium enim

Thomas.

ſubdit idem S. Thom. art. 3. inter omnes actus virtuoſos maximè demonſtrat perfectionem charitatis, quia tanto magis oſtenditur aliquis, aliquam rem amare, quanto pro ea rem magis amatam contemnit, & rem magis odioſam eligit. Maiorem enim charitatem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Charitas igitur eſt, quæ martyrium perficit, & propter quam Martyr *ſaluam facit animam ſuam*. *Ioan. 15.*

CAPVT XXXVI.

Quid enim proderit homini, ſi lucretur mundum totum, & detrimentum animæ ſuæ faciat?

Expoſitio.

DIſſuadet priorem partem ſententiæ proximæ. Si, inquit, complacens appetitibus ſenſus, ſeipſum in æternum perdit; quomodo proderit miſero diligentia, & ſolicitudo continua in aſſeruandis bonis, & in craſſando corpore ſi omnibus iuxtà votum ſuum completis, nihilque comparandum reſtet, cum habeat totum mundum ſi ei ſit poſſibile; *anima* verò, quæ illi eſt totum continens, & contentum, *patiatur detrimentum* irreparabile, & damnum abſque fine, ad inferos præcipitatus?

Quid enim proderit homini. Non ait animæ; ſed homini, qui eſt totum compoſitum, vt errorem inſinuet, quo voluptuoſus, & in vitijs enutritus peccat, videlicet ex certa ſcientia, & animi deliberatione, putans pro illo nunc melius eſſe, nedum ſenſibus, ſed animæ, ac toti compoſito deglutire cibum, vt melius ſe habeat; aurũ cumulare, vt plurimum poſsit; honorem ambire, & præripere, vt ſui memoriam perpetuet. Itaque delinquens peccator, non ſolum carni, ſed ſpiritui, ac toti homini ſe prodeſſe, exiſtimat. *Error peccatoris.*

Eccl. 2.

Dixi ergo in corde meo (ait is) vadam, & affluam delicijs, & fruar bonis. Frui propriè eſt animæ, delitiari corporis; quare putans homini interiori, & exteriori conſultum iri, & plenè prodeſſe, facinus aggreditur.

Si *vniuerſum mundum lucretur*. Auaro dat vniuerſi lucrum, non quod illud valeat ſibi comparare; ſed quod appetat, ſi fieri poſſet. Eſt enim eius appetitus infinitus ſecundum Ariſt. Quoniam vt infernus nunquam dicit, ſufficit, immo verò iugiter clamat, affer, affer. *Ariſt.*

Anima verò ſua detrimentum patiatur? Ac ſi apertè veritas dicat (inquit Gregor. 3. pa. paſtor. admo. 22.) Quid prodeſt homini, ſi totum, quod extra ſe eſt, congregat, ipſum ſolum, quod ipſe eſt damnat? plerunque autem citius raptorum auaritia corrigitur. Si in verbis admonentis, quam fugitiua ſit præſens vita monſtre- *Gregor.*

tur, ſi eorum ad medium memoria deducatur, qui & ditari in hoc mundo diù conati ſunt, & tamē in adeptis diuitijs diù manere nequiuerūt, quibus feſtina mors repentè, & ſimul abſtulit, quicquid eorum nequitia, nec ſimul, nec repentè congregauit: qui non ſolum hic rapta reliquerunt, ſecum ad iudicium cauſas rapinæ detulerunt, &c. Quale autem detrimentum patiatur anima, quæ in peccato ſuo auaritiæ, aut alterius moritur, non eſt facilè deſcribere, ſi à malis, quæ adhuc in carne degentem incipimus, & inde ad eum, quæ eundem in inferno expectant. Ibi enim adeſt pœna damni, quæ miſerum Deo priuat, ne videat gloriam Dei: adeſt & pœna ſenſus omnium, quæ corpora in mundo patiuntur, acerbiſſima; ſed & in mundo, qui impiè viuit, & voluptuosè experitur moleſtias non paucas, quia non recogitat dicens: Cui laboro, & fraudo animam meam bonis?

Duplex pœna.

Eccl 4.

CAPVT XXXVII.

Aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua?

Expoſitio.

ETenim quæ ſubſequentur damna, nemo aduertit in terris viuens, niſi quando ſe obuolutū tormentis cernet; at tūc *quam* infelix homo, dare optabit *commutationem pro anima*, vt eam à tantis malis liberet? Nullam quidem, quia in inferno nulla eſt redemptio; eſt enim ibi tempus belli, hic autem tempus pacis, hominibus bonæ voluntatis.

Eccl 3.

Aut quam dabit homo commutationem. Non fit commutationis mentio, quod inferni pœna æterna valeat in temporalem commutari, aut certè finiri, vt Origeniſtæ ſomniabant, ſed vt ſciant mortales omnem commutationem, ac liberationem deeſſe damnatis. Erit quidem commutatio iuxtà eorum deſiderium, ſed pernicioſiſſima, vtpotè non eſſe, ſed fugiet mors ab eis.

Pro anima ſua. Hæc enim in ſe pœnam damni ſuſtinebit, quam in aliam commutare non hominis eſt, ſed Dei, ſi ita fieri decreuerit, vt cum Traiano Gregorij precibus factum volunt. Quod verò ſenſualem pœnam à corpore exuta ſentiat, miraculum Dei operatur. Non enim corporis eſt in ſpiritum ſeparatum agere.

CAPVT XXXVIII.

Qui enim me confuſus fuerit, & verba mea in generatione iſta adultera, & peccatrice, & filius hominis confundetur eum, cum venerit in gloria patris ſui, cum Angelis ſanctis.

Expoſitio.

ERgo qui ſui immemor, & mirabilium, quæ per me recepit oblitus, *me* ipſum ſua viuendi libertate *confuſus fuerit*, nec non verba, & facta mea propter inſolentem eius vitam ludibrio expoſuerit his, qui *in generatione adultera* hæreticorum victitant, & in *peccatrice* infidelium, & paganorum commorantur, dignam ſui delicti pœnam, & confuſionem reportabit. Namque in extremo iudicio ego ipſe filius hominis confundam eos, & veniens *in gloria Patris* mei comitantibus *Angelis ſanctis*, non gloria, ſed tenebris, obſcuritate, & ignominia replebo eos.

Qui enim me confuſus fuerit. Græci legunt (inquit Gagnæius) ὃς γὰρ ἂν ἐπαισχυνθῇ με. Ideſt, *qui enim confuſus fuerit in me*, ſiue *quem mei puduerit*, ſicut plerique legunt. Nec enim credere ſufficit, ſed & palam Chriſtum, eiuſque fidem in neceſſitate confiteri, etiam vſque ad mortem, & palam prædicare, non obſtante periculo mortis. Eſt enim mors de ratione martyrij. Nam ſi ad martyrium pertinet (inquit S.Thom.2.2. q.124. art.4.) vt homo teſtificetur fidem, ſe opere oſtendens omnia præſentia contemnere, vt ad futura, & inuiſibilia perueniat. Quamdiù enim huiuſmodi manet vita corporalis, nondum ſe opere oſtendit corporalia cuncta deſpicere. Conſueuerunt enim homines, & conſanguineos, & omnia poſſeſſa contemnere, & etiam dolores corporis pati, vt vitam conſeruent; vnde & Satan contra Iob induxit: Pellem pro pelle, & cuncta, quæ habet homo, dabit pro anima ſua, ideſt, pro vita ſua corporali. Et ideò ad perfectam rationem martyrij requiritur, quod aliquis mortem ſuſtineat propter Chriſtum. Si tamen non vult in agone poſitus Chriſtū confundere, velut Baſilides, qui dignum martyrij corona dicebat eū, qui ante iudicem, & tormentis expoſitus ore negaret Chriſtum, dum tamen corde in illum crederet. At is tantum abeſt à præmio, vt ſuppliciū omne commereatur. Quoniam Chriſtum confundit. Negat enim eum, qui eum fecit, & redemit. In prouerbium, & fabulam apud hoſtes infideles ducit eum, qui eſt ſumma veritas, honor, & gloria; conſequenter confundit omnes, qui in eum credunt. Se autem quid? perdit, & occidit proprio gladio.

Thomas.

Iob 2.

Hæret.

Sap. 1. dio. Quia os, quod mentitur occidit animam ſuam. *Prou. 11.* Qui deſpicit amicum ſuum indigens corde eſt. At quis amicus niſi Chriſtus, qui dedit ſemetipſum pro nobis, & reconciliauit nos Deo cum inimici eſſemus, *1. Pet. 1.* nec quidem corruptibilibus auro, & argento, ſed proprio ſanguine, vt nos faceret populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum, & intromitteret ad ſancta, æterna redemptione inuenta? *Oſe. 7.* Ergo minoratus eſt corde, quin columba ſeducta non habens cor, qui deſpicit in tormentis confeſſionem eius; ac putans interna credulitate viuere, cum nulla ſit abuegato exterius Chriſto *Prou. 15.* funditus perijt, amittit pallium in die frigoris. Ne igitur ſimile martyribus incluſis *Tertull.* accideret, Tertullianus librum ad Martyres ſcribit, & alterum ad Fabium de Fuga in perſecutione. Ne ſcilicet à confeſſione deficiant, ſed teneant, & conuerſationem, & ſpei ſuæ confeſſionem vſque ad mortem. *Cyprian.* Quā neceſſario requiri, Cyprianus ad Cornelium ſcribens, deponit. Quoniam dixit il- *Matt. 10.* le: Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego illum coram Patre meo. Ergo ille ſolus Martyr, & dignus martyrij honore, qui nō cōfundit negatione Chriſtū; ſed conſtanter vſque ad mortem confitetur. *Anterus.* Propterea Anterus Papa gēſta martyrum diligenter à notarijs exquiſiuit: Et eius ſucceſſor Fabianus regiones diuiſit Diaconibus, & fecit ſeptem Subdiacones, qui ſeptē notarijs imminerent, vt geſta martyrium in integrum colligerent: vt ex confeſſionibus ſcirent, qui in cathalogo Martyrum ſcribi deberent, & inter Martyres honorari. Vnde *Conc. Carthag.* & in Concil. Carthaginen. 5. ſub Anaſtaſio, vel Innocentio cap. 14. præceptum eſt Martyris memoriam nullibi agi, cuius origo paſsionis non conſtet. Id quod renouauit *Affricanū.* Affricanum tempore Bonifacij Primi c. 50. Nec quidem aliam ob cauſam, quam vt cunctis innoteſceret Martyrem ſolū effici eum, qui non timens corporum inuaſores, fidem Chriſti, quā ſemel profeſſus eſt, non deſerit.

Et verba mea. Confundit in verbis Chriſtū, vel qui contraria his, quæ Chriſtus præcepit agit; vel quæ Chriſtus locutus eſt deprauat, vt falſa confirmet. Ille præuaricator dicitur, & tranſgreſſor legis; hic verò hæreticus. Quandoquidem omnes hæretici *Auguſt.* ex eiſdem Scripturis (inquit Auguſt. lib. 1. de Trinit. cap. 1) falſas, atque fallaces opiniones ſuas conantur defendere. Transfigurant enim ſe in Angelum lucis, vel ut Paulus ait, in Apoſtolos Chriſti. Hoc eſt ſe- *Vincentius.* cundum Vincentium Lyren. aduer. prophanas hæreſeon nouationes. Proferebant Apoſtoli Pſalmorum auctoritates, proferebant, *Hieron.* & illi omnes denique hæreſes (ait Hieron. *Ezech. 13.* in cap. 1. ad Galat.) ſecundum Ezechiel. inde ſibi conſuunt ceruicalia, quæ ponunt ſub cubito vniuerſæ ætatis. Vt peruertant tamen homines; & confundant verum, quod in Scripturis continetur, abſconditum tamen maleuolis, & imperitis. Equidem (vt Cyrilli ad Acacium vtar teſtimonio) qui *Cyrillus.* eam nacti ſunt facultatem, vt veritatis efficaciam poſsint contemplari, illis venuſtas eius, perinde ac coruſcum quoddam lumen ſeſe offert, mentemque de Chriſti myſterio informat. Qui verò non rectè, ſed puerorum more adhuc claudicantes incedunt, talibus ſanè etiam illuſtres Scripturarum ſpeculatores, nonnunqnam obſcuræ videntur.

In generatione iſta adultera, & peccatrice. Peccatricem generationem dico paganiſmum, cui omne genus peccati imputatur facilè; adulteram verò, quæ à viro recedit Synagogam Iudæorum, & Hæreticorum conuentum. Quicumque ergo oraculis abutitur, & negat Chriſtum inter hos compu- *Victor.* tari debet. Subinde Victor Antiochenus dixit: Anima, quæ Deum legitimum ſponſum ſuum deſerit, eiuſdemque præcepta non cuſtodit, adultera vocatur: atque peccatrix exiſtit. Qui ergo coram id genus hominibus dominatum meum negauerit, aut doctrinam euangelicam palam confeſſus non fuerit, is dignus, olim impietatis ſuæ pœnas paſſurus eſt: Siquidem in ſecundo, tremendoque illo aduentu auditurus eſt: Amen dico vobis neſcio vos. *Matt. 25.* Ea propter ſi quid boni hic feceris, neque iuſtam tamen in hoc ſæculo mercedem receperis, ne turberis.

Et filius hominis confundetur eum. Quoniam armabit Deus omnem creatu- *Sap. 5.* ram in vltionem inimicorum; ſol obtenebrabitur, luna non dabit ſplendorem ſuum, *Matt. 24.* ſtellæ cadent de cælo, & omne oculis delectabile erit in planctum, & abſynthium. Vt ſciat omnis caro, quia ego Dominus *Ezech. 21.* eduxi gladium meum irreuocabilem.

Cum venerit in gloria Patris ſui cum Angelis ſanctis. Quando, ſcilicet venerit iudicare terram, & percutere in virga oris ſui in æquitate præ manſuetis terræ. Hos enim in gloria Patris veniens lætificabit ſuo aſpectu, quo miſeri in planctum vnigeniti prorumpent. Noli ergo timere (ait Za- *Zachar.* charias Chryſopol.) quia triſtibus læta ſuccedunt, quaſi dicat: Times mortem? audi gloriam triumphantis. Vereris Crucem? Auſculta Angelorum miniſteria. Et horum ſodalitate gaudere, & illius gloria frui poſſe aliquando quemquam inſtigare deberet ad vniuerſa, quæ Chriſtus mandat diligentiſsimè perquirenda, & obſeruanda.

CAPVT XXXIX.

Et dicebat illis: Amen dico vobis, quia ſunt quidam de hic ſtantibus, qui non guſtabunt mortem, donec videant regnum Dei veniens in virtute.

Expoſitio.

QVàm ergo ſtultè agunt, qui cōfundunt Chriſtum nolentes neque ſeipſos abnegare, neq; crucem tollere ob mortis periculum, manifeſtat dilucidius. Et ideò poſtquam adhortationem præmiſit, & modum ſequēdi ſe tradidit; dicebat illis adhuc multo profundiora, vt turpedine animi, & ſegnicie depoſita vehementiores ad verā, quam indicauerat, diſciplinam fierent ijs, quibus complacuit patri, regnum dare. *Vobis* ergo Apoſtolis, & diſcipulis meis, inquit, *amen dico*, ac per me metipſum conteſtor abſque dubio, quæ mox eructare pergo euentura. In primis fore aliquos eorum, qui ſunt hic mecum, non facilè ab hac vita migraturos, neque, vt reliqui putant, communi morte: deinde etſi decedere eos oporteat, non guſtabunt mortem eam, quæ tot, tantiſq. agonijs, & anxietatibus ſolet obuolui; namque inde non tranſmigrabunt, donec cælitus concedatur eis videre regnum Dei, bonorum operum fructum glorioſum, venire ad eos in virtute, & apparatu inenarrabili, quo & ipſi Deo regnum fiant in perpetuum, & in ſæculum ſæculi, atque Reges regni, pro eo, quod anima eorum laborauit.

Et dicebat illis. Hæc & ſequēs littera, quæ præſenti capite explicāda ſuſcipitur, in aliquibus Biblijs ſequenti coniungitur, nos eā cum recētioribus, & purgatioribus Vulgatis finē huius capitis conſtituimus. Memor Petrus eorum, quæ de regno præceſſeraut, quando Chriſtum vidit transfiguratum, exclamauit: Domine bonum eſt nos hic eſſe. Itaque ſermones de regno audire excitat deſideriū; amorem verò ardentem generat aliqualē eius ſpeciem contemplari in extaſi, atque raptu. Inde Chryſoſt. prædicit, vt dociles circa huiuſmodi contemplationem fiant.

Matt. 13.
Mar 4.
Luc. 8.

Amen dico vobis. Vtpotè diſcipulis, & amicis, quibus datum eſt myſterium regni Dei noſſe, *dico*, ac prædico quæ ventura ſunt, eaq. certò, vt nefas ſit de eis dubitare, haud ſecus, quàm de his, qui in memetipſo iuraui. *Amen*, vt alibi, & hic eſt iuramenti nota.

Iſai 62. Dicere aliquādo ſignificat prædicere.

Verbum, *dico*, pro prædico accipitur iuxta Scripturæ phraſim, vt dicite filiæ Sion ecce Rex tuus venit. Dicite iuſto, quoniam benè. Dic Regi, & dominatrici. Hoc eſt prædic, quod inſtat futurum. Tùm maximè in Chriſto, qui altius longè omni Propheta cōtemplatur, dicere, ſemper eſt prædicere. Nam non tàm præſentibus, quibus ad os loquebatur, dicit, ſeu dixit, aut dicebat; ſed & nobis, qui poſt multa tempora ſucceſſimus, ac reliquis venturis. Quia quod vni dico, ait, omnibus dico. Inde nos inſtruit, cum dicimus, mentem eleuare ad altiora, quàm dictio præſens præſeferat vtpotè ad ſpiritualia; & ſic dicere, atque loqui ſapienter, nedum præſentibus, ſed & abſentibus, atque futuris poſſimus prodeſſe. Quia eruditus in verbo reperiet bona. *Prou. 16.*

Quia ſunt quidam de hic ſtantibus. De *ſtantibus* loquitur, non de recumbentibus, aut ambulantibus viam ſuam. Hos dixerim peccatores omnes, quorum quiſque viam ſuam iuxtà cor ſuum perquirit, complantatam lapidibus, deſertam, & infamē: Recumbentes contemplor Iudæos, qui lege ſua atque ſtatu moſayco contenti, in eo recumbunt, quieſcunt, & conſeneſcunt. Nulli horum de Regno fit mentio, ſed de inferno, ad quē properant: ſolos aſtantes loquitur ſermonem de regno introducturus. Stantes ſunt, qui perſeuerant in gratia. His quoniā nihil dulcius, quàm aliud de Regno audire, quandoquidē de Deo ſunt; annuntiat Chriſtus regnum. Porrò quod dicat, *quidam*, non omnes, neque vnum, aduertere nos monet, non omnibus *ſtantibus* æquè regnū aduenturum. Quoniam in domo patris mei manſiones multæ ſunt, hoc eſt, variæ, & differentes, vt ſyderum alia, atque alia loca, & lumina; & tametſi omnes prætioſi lapides, alius ſe gerit carbunculum, alius topazion, & alius inſtar rationalis gemmæ fulgorem habet differentem.

Eccl. 21.
Leuit. 26.
Qui ſtantes
Ioan. 14.

Qui non guſtabunt mortem. Mortem guſtare cum amara ſit eius memoria, ſitque omnium terribilium, quis poterit? Non quidem homo, qui habet pacem in ſubſtantia ſua: ſed qui adhæret Deo, & vnus ſpiritus fit cum eo. Is dicet cupio diſſolui. Quis me liberabit à corpore mortis huius? Similes non guſtant mortem, quod mortis extrema pericula haud timeant, vtpotè infernum, & perditionem. Quia iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentū mortis, viſi ſunt oculis inſipientiū mori, illi autem ſunt in pace; hinc laus iuſti. In me ſunt Deus vota tua, quæ reddam laudationes tibi? Quoniam eripuiſti animam meam de morte, & pedes meos de lapſu, vt placeam coram Deo de lumine viuentium. Quoque non guſtare mortem dico, non experiri dolores, anxietates, & anguſtias, quæ in corporis diſſolutione eſt ſolita natura mortalis pati in omnibus, niſi peculiari priuilegio donentur. Id quod pleriſque ſanctis Martyribns donatum legimus, vt nihil ſentirent: quando cruciarentur, & cum membratim cederentur, gaudere potius, quàm triſtari viderentur.

Eccl. 41.
Mors amara.
Rom. 7.
Sap. 3.
Pſal. 55.
Pſal 55.
Non guſtare mortē quid?
Aliquibus mors non fuit amara.

Donec

Donec videant regnum Dei, veniens in virtute. Alias venientis, vel viuentis legit Gloſſ. interlin. Quid hac ſententia intelligatur, Doctores variant. Horum tamen opiniones quatuor hiſce complectitur Gagnæius: Matthæus (inquit) dicit, donec videant filium hominis venientem in Regno ſuo, quorum prope eadem eſt ſententia, quæ ibi explicata eſt: tamen propter ea, quæ ibi dicta ſunt, quidam hunc locum intelligunt, regnum Dei veniens in virtute, quidam intelligunt ipſam Chriſti reſurrectionem, per quam verè regnare cœpit, deuicta morte, ac diabolo, iam non vltra moriturus. Sed reſtat ſcrupulus cur diceret, *quidam*, cum nulli ante mortui ſint. Quare, vel de extremo iudicio, vel de Ioanne Euangeliſta intelligendus eſt hic locus, vel de vniuerſali Euangelij publicatione, quæ facta eſt circiter vigeſimum annum à paſsione Chriſti: quam quidam ex Apoſtolis, & diſcipulis Chriſti viderunt, quidam non, vtpotè Iacobus Zebedæi, Stephanus, atque alij multi. Alij ipſam intelligunt transfigurationem, qua tres illorum viderunt Dei gloriam, in qua venturus eſt ad iudicium.

Gagnæius.

Variæ ſententiæ.

Theophyl.

Adhæret poſtremæ ſententiæ Theophylactus; ſic enim locum interpretans dicit; quod ſunt *quidam de hic ſtantibus*, nempè Petrus, Iacobus, Ioannes, qui non morientur, donec oſtẽdero eis in transfiguratione, quanta cum gloria venturus ſim: Nam ipſe ſicut tũc fulgebat, ita & Sãcti eius. Beda his addit ſextam: Regnum (inquit) Dei præſens Eccleſia vocatur. Aliqui autẽ ex diſcipulis vſque adeò in corpore erant victuri, vt Eccleſiam conſtructam conſpicerent; & contra mundi gloriam erectam; ac proinde Ioannes eructauit: Vidi Ciuitatem ſanctam Hieruſalem nouam deſcedentem de cælo à Deo, paratam ſicut ſponſam ornatam viro ſuo. Præterea ſubiungere his duas alias non incongruè poſſumus. Nam iuxtà quorundam ſententiam Ioannes Euangeliſta ſeruatur in paradiſo viuus, vſque ad diem iudicij, neque moriturum credunt, quouſq; Chriſtus venerit orbem iudicare. Cæterum ad omnes iuſtos, qui ſtant in iuſtitia referre ſermonem hunc poſſumus. Siquidem horum nullus eſt, qui è vita diſceſſurus, non videat regnum Dei venire ad ſe in virtute, hoc eſt, qui non credat habitare Chriſtum in corde ſuo, quique gratiam non habeat, & regnum Dei intra ſe, in virtute tanta, vt transferatur ad Regnum Patris. Prior harum opinionum differt à tertia, quam Gagnæius refert. Quod illius opiniones auctores dixerint Ioannem non guſtaturum mortem, ſed transferendum cum corpore ad cælum, ſecus alij, cum ſtatutum ſit omnibus hominibus ſemel mori. Ex omnibus nulla, neque iucundior, neque delectabilior ſecunda, quam ipſe propoſui, præſertim auditori, qui expectat regnum Dei, & exorat iugiter: Adueniat regnum tuũ. Cæteræ nihil habent certi præter difficultates, quas pariunt. Quare prædicatori tertiam à nobis propoſitam ſuadeo dilatare, vt audientes ſtare curent in bono, & inter ſtantes perſeuerare vſque ad mortem, ne tanto præmio defraudentur. Quod perdidit Iudas Apoſtolus, Nicolaus diſcipulus, & alij ex turba, qui in propoſito non ſteterunt. Quamobrem dixit Chriſtus: *Sunt quidam*, quod aliquibus tantum, vtpotè *ſtantibus* vſque ad finem præclara ſors danda foret.

Beda.

Apoc. 21.

Vide Amb. Catherinũ ſuper. Gen. 2.

Opinio de vita Ioannis Euang.

Gagnæius.

Hebr. 9.

FINIS LIBRI OCTAVI.

IN SACROSANCTVM CHRISTI EVANGELIVM SECVNDVM MARCVM

LIBER NONVS.

IN CAPVT NONVM

PRAEFATIO.

QVONIAM de glorioſo aduentu Chriſti, & de Regno Dei mentio præceſſit, appoſitè Euangeliſta introducit exemplū feliciſſimi illius ſtatus, quem in ſeipſo Chriſtus transfiguratus oſtendit diſcipulis certis, tametſi illud celari vſque ad reſurrectionem ſuam præceperit. Cæterum, vt confirmarentur in his, quæ viderant, qui cum eo ad transfigurationem venerant, ac etiā reliqui obſeſſum curat, formamque tradit tum maximè diſcipulis, quomodo valeant ad principatum regni, & regni poſſeſſionem aſcendere, videlicet, vt humilitatem ſectentur, & ſtudeant cunctos ædificare, ac pacem cum omnibus cuſtodire. Pax enim eſt ſal, quo condimenta redduntur ſapida. Ad hanc breuem ſummam re tacito litteram, cuius prior miraculum, quo Regi Regum adhærent inſpectores, proponit, altera aſpirandi ad regnum viam exponit, humilitatem inquam, & charitatem, cuius eſt pacem efficere.

CAPVT PRIMVM.

Eſt poſt dies ſex aſſumit Ieſus, Petrum, Iacobum, & Ioannem: & ducit illos in montem excelſum ſeorſum ſolos, & transfiguratus eſt coram ipſis.

Expoſitio. VEnit ad Regni promiſſi ſpeciem declarandam præordinatis teſtibus, nec eo verborum multiplicitate, atque ornatu vtitur, quippe, nec auris audiuit, nec licet lingua effari, quæ præparauit Deus diligentibus ſe; ſed facto factorum omniū deſideratiſſimū exponit, ſeu potius delineat, vt ex vnguibus cognoſcas auem. Itaq; *poſt dies ſex*, à priori colloquio, quo ad crucem, & confeſſionem excitati ſunt omnes, *aſſumit Ieſus* ad ſe certos aliquos, vt teſtes oculatos futurorum. Aſſumptos verò *ducit* ſecum illos ſolum *in montem* à campeſtribus diſtantem, & differentem à reliquis montibus, vtpotè *excelſum* ſupra eos, qui circunſtabant. Cumque ad montis ſecretum *ſeorſum* illos *ſolos* duxiſſet, *transfiguratus eſt* in alium penè habitum, corporis ſpeciem dilucidiorem, & formoſiorem, quàm cor hominis excogitaret; neque id clanculum fieri voluit, ſed palam *coram ipſis*, vt inſpectores maieſtatis eius, non tàm teſtes loculentiſsimi eſſent cæteris, quàm ſtudioſi eorum, quæ ad tantam gloriam præparant, ſedulò fierent.

Et poſt dies ſex. Lucas dixit ferè dies octo, cur autem, ibidem inuenies. Quibus adde; Lucam inſinuare nobis tempus transfigurationis deſideratæ, videlicet futurum in octaua, pro qua multi ſcribuntur Pſalmi, ac poſt finem illum cuncta in melius commutanda. Marcum verò ſubindicare medium, per quod liceat tantum præmium commereri vtpotè opus, quod ſex dierum ſpatio, hoc eſt ſex hominis ætatibus conſummatur. Subinde Zacharias Chryſopolitanus ex Beda dixit: *Zachar. Chryſopol.* Octaua die Dominus futuram beatitudinis gloriam diſcipulis manifeſtat, quia octauo die gaudium reſurrectionis venturum erat. Nos etiam poſt *Reſurrectionis tempus.* ſex huius ſæculi ætates, & ſeptimam quietis animarum poſt mortem, quaſi octaua ætate reſurgemus. Secundum Matth. ex Marc. poſt ſex ætates quieſcendum eſt Sanctis. De reſurrectione ſextus Pſalmus in- *Pſ 6. & 37.* ſcribitur: per ſex ætates, quibus operari licet precibus eſt inſtandum, ne in octauo retributionis tempore corripiamur ab irato Iudice. Vnde Pſalmus ita incipit: Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Cæterum quid eſt, quod Moyſes viam trium dierum cum ſuis ſe profecturum dicat ad ſacrificandum Domino: Dominus autem *poſt dies ſex*, ac fortè itinere ſex dierum pergat finem totius ſacrificij oſtendere? Nam maiori honore filium dicemus grauari ipſo ſeruo? Ecquis dubitat propter nimiam charitatem filium *Sacrificium Chriſti ab origine mūdi, & vſque in finem efficax.* exinaniſſe ſeipſum, & anguſtijs maioribus ſe ſubdidiſſe? Diuturnior multò fuit labor Chriſti, vt qui *per ſex dies*, ac mundi ætates defatigatur, & occiditur Agnus ab origine

gine mundi, ſed præuiſus, & continuatur vſque in finem ſæculi eius ſacrificium, ſed incruento modo. Tum enim peractis ſex diebus videbimus eum ſicuti eſt. Moyſes *Exod 3.* trium dierum percurrit ſpatium, quod eius ſacrificium, neque in eo quod legis naturæ homines cœpiſſet, finem haberet; neque in legali, ſed in tertio quod Chriſtus inſtituit. Huius enim typum geſſerunt cuncta. Inſuper viam triam dierum percurrens, vtpote pœnitentiæ tres patres, necnon triũ actus complens, fidei, inquam, charitatis, & ſpei ſeipſum in ſacrificium valet Deo offerre; at Chriſtum transfigurari tantum *poſt ſex dies* ſalubriter obtinebit, videlicet conſtitutus in ſacerdotio ſex alijs ordinibus præcedentibus. Etenim tranſubſtantiatio, quæ virtute conſacrationis fit, quædam eſt transfiguratio Chriſti, quandoquidem ſub figuris vini, & panis ſit præſens aſtantibus.

Aſſumpſit Petrum, & Iacobum, & Ioannem. Hi tres tanquam Coriphæi (inquit *Vict. Ant.* Victor Antioch.) primas inter Apoſtolos *Ephrē Syr.* obtinebant. Tum etiam (ſubdit Ephræm Syrus oratione de transfiguratione Domini) quod viri, quos dixerat Dominus non eſſe guſtaturos mortem, donec vidiſſent locum perfectionis eius, ſunt hi tres Apoſtoli. Petrum quidem aſſumpſit (proſequitur *Theoph.* Theophil.) tanquã eum, qui confeſſus erat, & diligebat; Ioannem, vt eum, qui diligebatur: Iacobum, vt & ipſum Theologum vocaliſſimum, nam ita moleſtus erat Iudæis, vt etiam Herodes Iudæis placere volens, ipſum occiderit. Etiam vt plenum verita- *Math. 18.* ti teſtimonium redderent. Quia in ore *Ioann. 1.* duorum vel trium ſtat omne verbum: Teſtes ergo ipſos ſuper hoc audiamus (infert Thomas Villanoua) Vidimus (inquit vnus eorum) gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à patre plenum gratiæ, & veritatis. *1. Ioann. 1.* Et rurſus quod audiuimus, quod manus noſtræ contractauerunt, quod vidimus oculis noſtris de verbo vitæ, teſtamur, & annuntiamus vobis q. d. non fabulas, non ſomnia, non figmenta narramus, ſed rem *2. Petr. 1.* apertam, & notam. Petrus in epiſtola, inquit: Non indoctas fabulas ſecuti, notam facimus vobis Domini Noſtri Ieſu Chriſti virtutem, & præſcientiam, ſed ſpeculatores facti illius magnitudinis, &c. in tanto igitur talium virorum teſtimonio, quis ambiguitatis locus, etiam duriſſimo cordi relinquitur? Adhuc dicito hos tres aſſumi ad *Alia ratio cur aſſumpti* tantum ſpectaculum, quod iam peculiari priuilegio eorum animos adornaſſet, vt Petrum conſtantia, Ioannem luce, Iacobum patientia, atque alijs, quibus præcellerent; haberentque digniores ad maiores honores, quàm cæteri. Huc enim ſunat verbum, *Fauor ſpecialis.* *aſſumpſit*, quod eſt ad ſe ſumere, atque trahere; quod autem ſoli, & igni accedit propinquiùs, illuſtratur abbundantius. Inde Concentor: Beatus quem elegiſti, & aſſum- *Pſal. 64* pſiſti, ſiquidem vt Rex aulicum, cui familiarius accedit, & ad ſecretiora profecturus, ſecum aſſumit, donis amplioribus donat. Neque enim ſat duxit Salomon thronũ ex ebore fieri, niſi veſtiret auro puriſſimo. Et quis thronus tuus ô Deus in ſæculum ſæculi, quem elegiſti ante mundi conſtitutionē, & aſſumpſiſti ad interiora velamina, vt gloriam tuam ſpeculetur? Hic quidem ebur eſt puritate, ſed fulget charitate, & regiis veſtitur, vt dignus verè prædicetur, & ſit honore, & munere ſingulari ad quod aſſumitur.

Et ducit illos. Alioqui ire nequirent niſi ducerentur per Chriſtum, quem Pater dedit ducem, & præceptorem, vt duceret omnes per ſemitas æquitatis, eſſetque ſtella naufragis, bellantibus ſignifer, & ſignum dierum, ac menſium agricolis, & cunctos terræ colonos, ac cæli indigenas ſub vexillo ſuo teneret, ac duceret ad deſiderabilem portum: Ideò Albertus Magnus ſuper Luc. *Albertus Magnus* 9. ſcripſit. Ducit diſcipulos declarans noſtram ſpiritualem aſcenſionem per manum ſuam eſſe futuram, iuxta illud pſalmi: Domini eſt aſſumptio noſtra, & ſancti Iſrael regis noſtri. Omnis enim humana poten- *Pſal. 88.* tia (proſequitur Palatius in Matth.) & induſtria non aſſurgit, vt conſcendat in cælum, niſi Deus ipſe perducat. Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo, &c. *Neceſsitas gratiæ Chriſti adſtruitur.* niſi illa magnarum alarum aquila ſuas expandat pennas, & nos illuc ducat, niſi ille benignus, & miſericors pater in humeris ſuis nos portet, illuc aſcendere miſellus agniculus, & imbecillis ouicula non valebit. Quare Pelagij error, qui ex naturali- *Error Pelagij damnatus* bus gratiam, gloriamque nos poſſe conſequi affirmabat, apertè hiſce conuincitur. Quinimo concilio apud Carthaginem ha- *Conc. Cart.* bito 217. Epiſcoporũ (ait Proſper in Chronico) ad Pontificem Zoſimum ſynodalia decreta perlata, quibus probatis per totum mundum hæreſis pelagiana damnata eſt. Nam ſubdit Poſſidius Calmenſis Epiſcopus *Poſſidius in vita S. Aug.* in vita ſancti Auguſtini cap. 17. Innocentius & Zoſimus Apoſtolicæ ſedis Antiſtites, ſuis diuerſis temporibus, pelagianiſtas notantes, atque à membris Eccleſiæ præcidentes, datis litteris ad Affricanos, orientis, & occidentis Eccleſias, eos Anathematizandos, & deuitandos ab omnibus Catholicis cenſuerunt, & hoc tale de illis. Eccleſiæ Dei Catholicæ prolatum iudicium, etiam piiſſimus Imperator Honorius audiens, ac ſequens ſuis eos legibus damnatos inter hæreticos haberi debere conſtituit. Epiſtola ſynodalis Carthaginenſis Concilij eſt 90. inter Auguſt. ep. Reſcriptum vero Innocentij ad patres, tum Carthaginenſis Concilij, tum Meleuitani, in quo etiam hæreſis damnatur

natur

natur fertur 25. & 26. inter epiſtolas Innocentij, tom. 1. Conciliorum.

In montem excelſum. Neque enim per planiciē ducit illos, ſed per colles, & montes *in montem excelſum*, hoc eſt per labores, & anguſtias ad ſumma vitæ diſcrimina, vt quod de ſe capite cantatur, membro aptetur. De torrente in via bibit propterea exaltauit caput. Picris enim, & Theſius, quæ quidem amariſſimæ herbæ ſunt, lenamen morbis inducunt, & iacentem ad optimam valetudinem erigunt, inquit Plinius lib. 22. cap. 22. At qui multo his ſalubriora ego reputo ad veram animæ ſanitatem; & exaltationem labores, & qui eorundem preſſuram patienter ferunt, germinabunt ſicut ſalices iuxtà præterfluentes aquas; & accipient nomen latitudo, ambulabunt enim in latitudine, hoc eſt, perfectione mandatorum Dei, & ad latitudinem, hoc eſt, felicitatem æternæ vitæ ſecuri ab omnibus periculis adducentur. In tribulatione vtique (ſcribit Laurentius Iuſtinianus lib. dè triumph. Chriſti agone cap. 27.) comitatur inſtos, vt illos in præſentiarum eripiat, & glorificet in ſnturo. Comitatur, inquam, ipſos in negotijs ne delinquãt, in periculis ne cadant; in proſperitatibus, ne ſe extollant; in laboribus ue deficiant, in dubijs ue errent, & in huius vitæ itineribus, ne æternæ vitæ cõſolationem admittant: Hæc enim ſunt colles, & montes per quos ducit ſuos *in montem excelſum*, hoc eſt, ſummum laborem, poſt quem, & in quo conſolationẽ impartitur. Quia ſicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra. Eſt & mons excelſus gloriæ ſtatus in vertice montium, ſuper omnes colles, & moutes, hoc eſt delitias, quæ valent excogitari. Eſt & Eccleſia mons Dei, mons pinguis, mons in quo beneplacitũ eſt Deo habitare. Eſt & Chriſtus mons magnus coram Zorobabel excelſus præ Regibus terræ. Eſt & perfectionis culmũ mons ſanctificationis, ad quem Saluatores, hoc eſt, Præſules iuxtà conditionem ordinis ſui aſcendunt, ſed ductore Chriſto is eſt, qui parat aſcenſiones, quæ ad prædictos montes ſubleuant, & exaltant.

Vocat ad laborē Apoſtolos Chriſtus

Pſal. 109

Plinius

Iſai. 44

Gen 26

Laur. Iuſt.

Pſal. 67

Zach 4.

Iſai. 56.

Seorſum. Poteſt tàm ad montem, quàm ad diſcipulos referri, quod ſcilicet aſſumptos Apoſtolos *ſeorſum* ad locum ſecretum adduxerit, indicans facto quæ acciderant, (inquit Victor Antioch.) per id tempus in vulgari noluiſſe; vel ſecundum Zachariam Chriſopol. quia multi ſunt vocati, pauci vero electi. *Seorſum* alludit ad montem, notat montem hunc Thabor, de quo apud Matth. eſſe ſolitariũ ab omni alio diſſectum & ſemotum, vt Ioſeph, de bello Iudaic. lib. 4. cap 2. & Hier. de locis hebraicis deponunt. Vnde, & ex loco remotiſſimo, quo cum alius mons non participat ad gloriæ conditionem, & habitationem triumphantium poſt victorias eleuamur; eſſe inquam, ab omni inferiorum commertio alienam; adeo vt etſi inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciantur, nunquam extra æqua ſimilitudo reperitur, quæ plenè nobis proponat aliquid eorum, quæ ſurſum ſunt. Hinc Pſaltes cecinit. Hieruſalem, quæ ædificatur, vt ciuitas, cuius participatio eius in idipſum, vel iuxta hebræum, שח ברה-לח יחדו ſcechuberah lai iacdau, hoc eſt, citius participatio ſimul, vt transfert Hier. vel ſecundum Pagninũ, quæ eſt iuncta ſibi ſimul; quoniam eſt habitatio æterna, quæ ſimul poſſidet omnia, ac ſibi ea iuncta retinet, vt quæ tempori ſubiecta ſunt, non communicentur, niſi his, qui aſcenderunt, & aſcendunt tribus tribus Domini, & temporalium vitam cum æterna commntant: Quare dum carnem colimus, poſſumus clamare: Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? Quis aſcendit ad montem Domini? Scire autem ſuper eminentia, quæ in loco *ſeorſum* beatis preparantur, nequaquã valemus. Soror enim noſtra, quæ carnem vegetat, paruula eſt, quamdiu ſenſu vtitur, ſolos ſcilicet tres, vt non tàm tres ſtatus ſolos ſaluandorum, qui in his deſignantur, quàm tres beandas facultates hominis indicaret, memoriam, quæ tenet; intellectum, qui comprehendit; & voluntatem, quæ fruitur. Status autem beandorum ſunt tres ſoli, ſecundum Zachariam Chriſopol. per Petrum præpoſiti (inquit) ſiue coniugati; per Iacobum pœnitentes, ſiue actiui, per Ioannem Virgines, vel Theorici intelliguntur. Solos quoque dicit, vt non putet filius peſſimus, ſe fore cum patre ſancto ſaluandum, neque vir infidelis exiſtimet cõuiuere cum fideli vxore in cælis. Soli qui ſaluandi ſunt, tantum animas ſuas liberabunt, vt dicitur de Iob, Daniele, & Samuele. Ac proinde quærentibus intempeſtiuè oleũ, reſponſum eſt: Ne forte non ſufficiat nobis, & vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis; dum autem ireut emere, venit ſponſus, & quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo, & clauſa eſt ianua, dictumque inſipientibus neſcio vos. Ergo ſapiens inter homines degens, bibe aquam de ciſterna tua, & fluenta putei tui, hoc eſt Chriſti gratiam tibi compara, & obſerua Eccleſiæ ſacramenta. Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide; hoc eſt, exemplum eſto cunctis, & tàm magnis, quàm paruis tua communicato. Habeto eas ſolus, nec ſint alieni participes, hoc eſt, ſolus præmium bonorum conſequeris, neque alij, qui tecum non laborarunt in bono, participes erunt coronæ, ac præmij, quod benefacienti repromittitnr.

Vict. Ant.

Zach. Chr.

Ioſeph. de bello Iudaic

Rom. 1

Pſal. 121

Hier.

Pagn.

Pſal. 14.

Cant. 8.

Quiſque pro ſe ſalutem operetur.

Matth. 25.

Prou 5

Prou 5

Et transfiguratus eſt. Per transformationem intellige (ait Theophil.) non characteris,

ſteris, & ſineamentorum immutarionem, ſed manente charactere, qualis prius erat, ineffabilis lucis, factum eſſe argumentum. *Zach. Chr.* Quia (ſubdit Zacharias Chryſop. ex Hier.) talis apparuit Apoſtolis, qualis futurus eſt iu indicio, vbi omnes boni, & mali viſuri ſunt ipſum iudicem, vnuſquiſque ad ſuam retributionem. Nemo putet eum amiſiſſe corporis veritatem, & aſſumpſiſſe corpus ſpirituale, vel aerum. Tantum delirium protulere Manichæi, & Preſcillianus. *Error Manichæi & Preſcilliani.* Quorum impietatem damnant paſſim oracula. *Phil. 2.* Tum maximè Paulus dicens: Qui cum in forma Dei eſſet non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formã ſerui accipiens, in ſimilitudinẽ hominum factus, habitu inuentus, vt homo. Natus ex muliere, factus ſub lege. *Paulus Emiſ.* Enimverò (ſubdit Paulus Emiſſenus hom. de Chriſti natiuit. quæ habetur tom. 6. act. conc. epheſ. cap. 13.) natura noſtra perfectè aſſumpta, humanæque naturæ conditionibus ex prima conceptione, ex ſe veluti proprijs tranſlatis; ac noſtro tandem corpore ſibi in templum coaptato, ex Deipara Virgine Deus perfectus, & homo itidem perfectus prodijt, Nam duarum naturarum, humanæ nimirum, & diuinæ coitio, vnum nobis conſtituit filium, vnum Chriſtum, vnum Dominum. *Caius Papa* Alioqui, qua ratione veritatem mediatoris impleret (infert Caius Papa epi. decretali ad Felicem Epiſcopum) niſi, qui in forma Dei æqualis eſt Patri, in forma ſerui particeps eſſet, & noſtri? Itaque Deus *Conc. Cart.* verus ex patre, homo verus ex matre (ait Concil. Carthag. 4. cap. 1.) carnem ex matris viſceribus habens, & animam rationalem, ſimul in eo ambæ naturæ, ideſt Deus, & homo, vna perſona, vnus filius, vnus Chriſtus, vnus Dominus creator omnium, quæ ſunt, & auctor, & Dominus, & Rector cum Patre, & Spiritu ſancto omnium creaturarum, qui paſſus ſit vera carnis paſſione, & mortuus vera corporis ſui morte; reſurrexit vera carnis ſuæ reſurrectione, & vera animi reſumptione, in qua veniet iudicare viuos, & mortuos. Transfiguratio ergo Chriſti non eſt argumentum, vt hæretici fingebant, corpus aereum, aut celeſte geſſiſſe, cum ex prædictis, & innumeris alijs conſtet noſtri ſimillimum extitiſſe; ſed vt futuræ beatitudinis ſpecimen Apoſtolis daret, noſque ad ſtatum facillimum excitaret, & induceret ad ſpiritualem transfigurationẽ, per quam ad realem magna illa die veniremus. Qui enim ſe mortificat, & paſſiones *Greg.* ſuas, atque ſenſus, is dicitur transfigurari. (inquit Greg. lib. 5. mor. cap. 3.) & quamuis mortuus appareat, viuit tamen in Domino *Col. 3.* iuxtà illud Coloſſ. 3. mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt in Chriſto. Proſequitur fuſius transfigurationem hanc perſuadere hom 23. ſuper Euangelia. Necnon *Andræas Hieroſ. Ep.* Andræas Hieroſolymitanus Epiſcopus Cretenſis oratione de transfiguratione Domini; quam Simon Methaphraſtes tranſcripſit.

Coram ipſis. Ne ſi aliquantulum abſens viderentur ludificari, ac decipi, id quod minimè eſſe potuit, cum *coram ipſis* miraculum fuerit factum. *Præmium gloriæ facilitat labores* Etiam, vt qui ad crucem vocabantur, perpeſſionis præclarum finem inſpicerent. Oportet autem (ſcribit S. Thom. 3. p. q. 45. ar. 1.) ad hoc, quod *S. Thom.* aliquis directè procedat in via, quod finem aliqualiter præcognoſcat, ſicut ſagittator, non rectè iaciet ſagittam, niſi prius ſignum proſpexerit, id quod iaciendum eſt. Vnde & Thomas dixit Ioann. 14. *Ioann. 14* Domine neſcimus, quo vadis, & quomodo poſſumus viam ſcire. Et hoc præcipuè neceſſarium eſt, quando via eſt difficilis, & aſpera, & iter laborioſum, finis vero iocundus. Chriſtus autem per ſuam paſſionem ad hoc peruenit, vt gloriam obtineret non ſolum animæ, ſed etiam corporis ſecundum Luc. vlt. *Luc. vlt.* Hæc oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam, ad quam etiam perducit eos, qui veſtigia ſuæ paſſionis ſequuntur, ſecundum illud Act. 14. *Act. 14.* Per multas tribulationes oporter nos intrare in Regnum cælorum. Er ideò conueniens fuit, vt diſcipulis ſuis gloriam ſuæ claritatis oſtenderet, quod eſt ipſum transfigurari, cui ſuos configurabit, ſecundum illud Phil. 3. *Phil 3.* Reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ. Vndè Beda *Beda* dicit ſuper Matth. Pia prouiſione factum eſt, vt contemplatione ſemper manentis gaudij ad breue tempus delibata, fortius aduerſa tolerarent. Quoque coram ipſis transfiguratus eſt, vt in quo vera felicitas conſiſteret planum fieret, videlicet in faciali viſione Chriſti glorificati, vt in obiecto omnia continente, & ſpeculo immaculato, in quo vniuerſa, & ſingula lucent. Vnde dixit: *Ioann. 17.* Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Sed transfiguratum, ſuſcitatum, & exaltatum ab humilitate mortalitatis ad dexteram immortalis, & inuiſibilis Dei. Quapropter Pſaltes cecinit. *Pſal 16.* Tunc ſatiabor cum apparuerit gloria tua aut iuxtà paraphraſim Chaldæam. Satiabor in tempore, quo euigilauerit gloria vultus tui. At gloria vultus Dei, Chriſtus eſt, in quo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. In hoc agitur, ſed euigilatus, ſed ſuſcitatus, ac transfiguratus, ſatiatur, & beatur iuſtus iuxta illud: Notas mihi feciſti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua vſque in finem; vel iuxta hebraicam veritatem Hier. *Hier.* Oſtendiſti mihi ſemitam vitæ plenitudinem delitiarum ante vultum tuum, decores in dextera tua æternos.

æternos. Sed quando? Quando & iuſtus è ſomno mortis vigilauerit, tunc corpore ſimul, & animo beatificabitur. Vnde vertit Hier. priorem locum: Implebor cum vigilauero, ſimilitudine tua. Hoc eſt tunc nihil appetendum reſtabit; cum reſurrexero Chriſte ſimilis tui ad eandem claritatem, vt non videam ſolum, aut credam, ſed in me ipſo transfiguratum contempler.

Hier.

Hilar.

In hoc capite tria reſtant ſeorſum animaduertenda: Primum eſt Hilarij ſententia, ſuper Matth. can. 17, dicentis. Cum poſt ſex dies gloriæ dominicæ habitus oſtēditur; ſex millium ſcilicet annorum temporibus euolutis Regni cæleſtis honor præfiguratur. Eandem apud Matth. annotauimus, & patres aliquos, qui illius fauēnt ſententiæ. Quam ab Hebræis emanaſſe teſtis eſt Georgius in ſua Harmonia, necnon Genebrardus in initio deſcriptionis temporum. Ait enim mundum ſex mille annis duraturū, non eſt Eliæ Teſbitis prophetæ vaticinatio, ſed cuiuſdam Eliæ Rabbini Iudæorum Cabbalici commentum in Talmud, tractatu Sanedrim. Heleſt. & in tractatu de idolatria cap. ligne. & in tractatu de ſabbato. Cuius coniecturas affert Rabb. Iſaac in cap. 1. Geneſ. Præcipuè ſunt hæ: Primus verſus geneſis, qui cōtinet ſummam operum Domini ſexies littera א exprimit. Aleph autem mille ſignificat. Deinde Deus ſex diebus abſoluit mundum ſeptimo quieuit, ac ſabbatum conſecrauit. Iam mille anni ſunt apud Deum, ſicut dies heſterna, quæ præterijt. Poſtremò ſex primi parentes. Adam, Seth, Enos, Cainan, Malalel, Iared mortui ſunt. Septimus Enoch viuus in cælum tranſlatus eſt. Hæc ille apud Gentiles ſimiliter viguiſſe ex Lactantio habemus. Eam tamen friuolam facit Chriſti oraculum. Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ pater poſuit in ſua poteſtate.

Greg. Venet. Genebr.

Error hebr.

Rabi Iſaac

Fundamenta erroris

Ant. Flor.

Secundo nota apud Antonium Florentinum 1. p. hiſt. tit. 5. cap. 5. ſ. 3. legi bis Chriſtum ſeipſum transfiguraſſe, in monte ſemel, & cum ſe peregrinum finxit. Poſtremam tamen nemo transfigurationem vocitat. Quod ſi quis contendat, admittere cogetur, quando ſuper vndas ambulauit; inuiſus Nazaræos euaſit, & quoties ianuis clauſis intrauit, & exiuit, transfiguratum fuiſſe. Namque dotem aliquam corporis glorioſi in corpore mortali exercuit, nunc ad agilitatem, nunc ad ſubtilitatē, & quandoque ad impaſſibilitatem, vt modo ad claritatem ſeipſum transfigurans, operans ſuper homines (vt inquit Dionyſ. ep. 4. ad Caium circa medium) ea quæ ſunt hominis glorioſi.

Impugnant Ant.

Dion.

Zach. Chry.

Aduerte tertio cum Zacharia Chryſop. lib. 3. in vnum ex quatuor cap. 91. quod Matth. hic dicit Iacobum fratrem Ioannis, quia quidam falsò commentati ſunt, alterum interfuiſſe Iacobum, qui primus Hieroſolymorum Epiſcopus ordinatus eſt ab Apoſtolis. Fortaſſis duas & ipſi transfigurationes in monte eodem factas imaginabantur. Repugnat tamen veritati hiſtoriæ, quam patres ſunt ſecuti. Etenim vt rerum grauium, quæ bis factæ ſunt, vt ſaturare bis turbas, & irreligioſos è templo eijcere facto funiculo, apertè meminerunt Euangeliſtæ; ita duplicem transfigurationem, ſi accidiſſent, poſteris ſcripſiſſent.

CAPVT SECVNDVM.

Et veſtimenta eius facta ſunt ſplendentia, & candida nimis velut nix, qualia fullo non poteſt ſuper terram candida facere.

Expoſitio

ETiam quid transfigurationem ſequantur contemplemur. Primum *veſtimenta*, quæ induebat, coloris cinerei, vt Illerdæ inniſuntur, & obſcuri, facta ſunt, & immutata in colorem ſplendidum; atque adeò candida, vt niuis candorem præcellerent; quem ars non poteſt imaginare. Etenim fullo, qui colores permutat, non poteſt omni ſtudio, ac diligentia talem facere candorem, poterit quidem ars imitari naturam, minimè autem cum naturæ auctore competere, neque imitari opificem, qui ſupra naturam operatur.

Color veſtiū Chriſti

Et veſtimenta eius. Itaque veſtibus vſus eſt, qui parentes primos induit pelliceis. De qualitate autem veſtimentorum nihil certi habemus ex auctoribus præter traditionem, qua credimus Chriſti fuiſſe veſtimenta rudia illa, & cilicina prope, quæ Illerdæ ciuitate Hiſpaniæ demonſtrantur, & tunicam detuliſſe inconſutilem, cuius pariter, ruditatem deſcribit Iſidorus Peluſiota ad Cratonem lib. 1. epiſt. 74. his verbis. Erat autem tunica eius deſuper contextu per totum. Quis autem veſtis illius vilitatem ignorat?. Vt qua Galilæorum pauperes vtātur; apud eos etiam maxime huiuſmodi veſtis genus fieri ſolet arte quadam, vt pectoralia, retractim conſuetum. Hiſce igitur pauperrimis indutus ad transfigurationem pergit. Nam qui mollibus veſtiuntur in domibus Regum ſunt à transfiguratione alieni. Quod animum ſæpius veſtimentorum molliciei commodent, ſeque molles, & ad omnia vitia faciles reddant. An neſcitis (inquit Apoſtolus) quia iniqui Regnū Dei non poſſidebunt? Nolite errare, neque fornicarij, neque Idolis ſeruientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt. Et quidem

Iſid. Peloſ.

Luc. 7

1. *Cor. 6.*

hi

hi ſunt vt plurimum aulici Regum, quique ſericis, deauratis, & mollibus delectantur, & gloriantur. Quum potius ſi gloriandum Chriſtiano in veſte eſſet, pauperem, ac vilem oporteret exigere, non ſolū quod eam in Ioanne Chriſtus magnificauerit, & ea indutum Eliam Deus ad Paradiſum tranſtulerit; Moyſem clarum reddiderit, ſed quod Chriſtus ſeipſum in paupere veſtimento transfigurauerit. Verum enim vero in veſtitu ſiue regio, ſiue paupere ne glorieris; ſed noſſe & ſcire dominum, ſit gloria tua ô fidelis. Quod autem veſtimentis indutus transfiguretur Chriſtus, & non nudus qualis reſurrexit, aſcendit ad cælos, & inde deſcendit, myſterium. ſuboler differentius multo à veſtitu materiali ac forte excellentius, quā tenuiſſima mens noſtra valeat excogitare. Vtcunque dicam per veſtimenta intelligi meritoria opera, atque ſtudia, & virtutes, quæ dignum reddunt hominem transfiguratione. Iuxta illud myrrha, & gutta, & caſſia à veſtimentis tuis à domibus eburneis ex quibus delectauerunt te; vel vt habet paraph. Chaldæus inde lætificabunt te, vtpote myrrha immortalitatis, quæ profluit ex meritis, gutta ſeu ſtacte, vt habet hebræa Hier. ſeu lignum aloes vt transfert Paraphraſtes, hoc eſt, poſſeſſio diuinorum; & caſſia, hoc eſt fruitio, ac plenum gaudium; dantur enim iſta ob meritoria opera, & ſtudia virtutum, quæ nos in præſenti induimus, à domibus tamen eburneis accepta; à cælis inquam, vnde transfert Paraphraſis. Perficiuntur omnia indumenta tua à palatijs, quæ ſternuntur dente elephantino. Eiuſmodi autem palatia, quæ niſi ſanctorū habitationes perpulchræ, atque perpetuæ, quæ dente hoc eſt ſpiritu oris Dei mirum immodum illuſtrantur? Ab his, & horum precibus ſunt indumenta virtutum, à virtutum autem exercitio myrrha optimæ incorruptibilitatis, & cætera, quæ completā faciunt transfigurationem ad exemplar, quod caput noſtrum Chriſtus proponit. Igitur qui cupis transfigurari, induere veſtimentis his, quæ Aaron noſter, ac filij eius, hoc eſt Chriſtus, & ſancti veſtierūt, quæ Reginam Eccleſiam circundant varietate, & à dextris Regis ſtatuunt; & indutū quemquā hiſce acceptum Deo efficiunt, & conſortem regni. Vide ſuper his Bernard. ſerm. 2. in cap. ieiunij. Origen. ſup. Rom. 13. induamur arma lucis; ſimiliter Ambroſ. & Caſſian. lib. cap. 21.

Fugienda in veſtibus mollicies. — *In quo gloriandum.* — *Pſal. 44.* — *Bern. Orig. Ambr. Caſſ.*

Facta ſunt ſplendentia. Ex ſplendore tamen, quem corpus ab anima glorioſa, & vnita diuinitate acceptum diffundebat. Aliter tamen quàm in corpore glorificato (ait S.Thom. 3. p. q. 45. art. 2.) Nam ad corpus glorificatum redundat claritas ab anima, ſicut qualitas quædam permanens, corpus afficiens, vnde fulgere corporaliter non eſt miraculoſum in corpore glorioſo, ſed ad corpus Chriſti in transfiguratione deriuata eſt claritas à diuinitate, & anima eius non per modum qualitatis immanentis, ſed magis per modum paſſionis tranſeuntis, ſicut cum aer illuminatur à ſole, vnde ille fulgor, tunc in corpore Chriſti apparens miraculoſus fuit, ſicut, & hoc ipſum, quod ambulauit ſuper maris maris miraculoſus quidē, quantū ad corpus, vt notat Caiet. naturalis verò quantum ad animam, quæ beata cum eſſet naturaliter in corpus fulgebat pro illo tunc, quando, vt ita loquar, aperuit feneſtram, vnde ſplendor corporis illuſtraret, & illud ſua potentia oſtenderet clarum exiſtens mortale, vt inquit Beda ſuper Matth. 17. Quia corpus Chriſti (ait S. Thom ad p.) non dum erat immortale. Sicut enim diſpenſatiuè factum eſt, vt in Chriſto gloria animæ non redundaret ad corpus, ita fieri potuit diſpenſatiuè, vt redundaret quātum ad dotem claritatis, & non quantum ad dotem impaſſibilitatis. Percontor tamen cur primo de ſplendore veſtium, quàm corporis, mentio fiat, quum à corpore veſtimenta ſplenderent? Etenim vt ſol primo videtur occidentem, quo tendit, illuſtrare, quàm orientem, vndè egreditur, & expectatur primo, ita Chriſtus qui ſol iuſtitiæ eſt amandatus, vt orbem ſanctoſque omnes mirabiliter limpido lumine illuſtret, & clarificet, tametſi pimo ſit in ſeipſo luminoſus, ac lumen, & lux, corpuſque circunſtans colluſtret, vult haberi magis ſolicitus, aliorum, quā ſui, vt qui claritas ſit, ac minotare venit ſeipſum, vt alios exaltet. Ac propterea veſtes dicuntur ſplendere primo, nulla interim de corporis claritate facta mentione; hoc eſt, vt perſtringam intentionem, gloriam ſanctorum primo exponit conſiderādam, quàm ſuam, vt inde traducamur ad conſiderationem originis totius gloriæ, & transfigurationis omnium, quam primogenitus omnis creaturæ Dei Chriſtus portat, & habet in ſeipſo. Veſtimenta enim ſunt ſancti (inquit Gloſſ.) vt Apoſtolus ait (proſequitur Zacharias Chryſopol.) quotquot in Chriſto baptizati eſtis Chriſtum induiſtis. Qui veſtitus in terra deſpectus, in monte refulget; Quia non dū apparet quid erimus, ſed cum ipſe apparuerit, ſimiles ei erimus. Et S.Thomas ad 3. Sicut claritas corporis Chriſti repreſentabat futuram claritatem corporis eius, ita claritas veſtimentorum eius deſignabat futuram claritatem ſanctorum, quæ ſuperabitur à claritate Chriſti, ſicut candor niuis ſuperatur à ſplendore ſolis. Vnde Greg. dicit 13. moral. cap. 5. quod veſtimenta Chriſti facta ſunt ſplendentia, quia in ſupernæ claritatis culmine ſancti omnes, ei luce iuſtitiæ fulgentes adhærebunt, veſtium enim nomine iuſtos, quos ſibi adiunget, ſignificat, ſecun-

S.Thom. — *Quæ cauſa claritatis in Chriſti corpore.* — *Caiet.* — *Beda S.Thom.* — *Gloſſ. Zacr. Chr.* — *S.Thom.* — *Greg.*

dum

Digitized by Google

dum illud Iſai. 49. His omnibus velut ornamento veſtieris.

Pſal. 138

Et candida nimis. Hoc eſt valde: Quoniã & nimis honorati ſunt amici tui Deus; & nimis confortatus eſt principatus eorũ; Tàm enim principatum, quàm honorem, quem in ſanctis confitemur, candor lucis æternæ in eis procreat; vt in aſtris ſol, quæ propterea & lucent plus, vel minus, ac influunt. Ita in ſanctis conſiderato, & candorem nimium, quem vel in Apoſtolo prædicas, excogitas in ſtola candida Martyris, & confiteris in virginitatis lilio, quo & doctorem laureas, & extollis ſanctũ omnem, dicito Chriſti, vt pratioſa quæ iu Heſter legis Aſſueri; & ſpleudorem, qui omnium oculis admirabilem effecit Iudith, Domini confiteris. Eſt quippe ſolus lumen, quo Hieruſalem omnis illuſtratur. Quamobrem habitator cecinit: Dominus illuminatio mea. Alioqui non eſſet candor nimis, neque maieſtas, aut auctoritas, quæ in ſanctis extollitur, æſtimanda foret. Siquidem peritura cum ea, quæ in Nabuchodonoſor fulſit, & in Agrippa. Splenduerunt quidem & ipſi, ſed non nimis, ſed miuimum, quia non à candore, qui in æternum lucet.

Splendor ſanctorum.

Pſal. 26.

Velut nix. Iuter candida, quæ videntur primatum habet, ita ſcilicet candor perpetuæ illiua transfigurationis inter ſpiritualia candida, quæ mens poteſt excogitare, præminet. Etenim ſimilitudo corporea, quæ de ſupernis traditur in ſcripturis, proportionalitatem tantum dicit; non æqualitatem; vt ſicut ſe habet viſus ad viſibile, quod proponitur, ita intellectua ad intelligibile, quod per ſimile indicatur. Quare nemo hallucinetur audiens paſſim, & legens in oraculis ſenſibilia; neque tu Iudæe non ſperes illa, quum ſentis propoui fidelibus. Tantum ſunt, vt manuducaris ad ſpiritualia, & inſenſibilia, quæ oculus non vidit, nec auris audiuit. Præterea ſimilitudo à niue, quæ ſurſum cadit, animam trahit ad ſupremam totius felicitatis originem contemplandam, videlicet Deum. Quia omne datum perfectum de ſurſum eſt, deſcendens à patre luminum. Eſt enim habitaculum eius ſurſum. Vnde optima impartitur; tametſi cælum, & terram impleat, cuncta vbique perficiens, & immediatè per ſeipſum operans. Ergo quæ ſurſum ſunt, quærite qui eſtis Dei.

1. Cor. 2.

Iacob 1.

Coloſſ. 3.

Qualia fullo non poteſt ſuper terram candida facere. Fullo artifex eſt, qui veſtes lauat, & mundificat aqua calida, atque alijs nitere eas facit, & ſplendere. Quo omnes vitæ huius ſæculi prudentes, dum viuunt in omni ſtudio, quod profitentur, aguut fullonem, ſtudentes ſe, ſuaque videri ſplendida, & candidiora alijs, quæ reliqui operantur. In ſcientijs vult doctus Pythagoram præcellere, Rex in imperio retromittere Alexandrum; diues laborat ſuperare Creſſum, nemo ſi poſſet parem admitteret. Inſudent tamen, & laborent quantum volent, ſeu potius inuideant, nullus hominum ſuper terram, ſuis terrenis induſtrijs ad candorem, quo iuſti anima illuſtratur, neque ad dignitatem, qua donatur trãsfiguratus, peruenit. Etenim vana ſpes, & mendacium viro inſenſato, & ſomnia extollunt imprudentem, quaſi qui apprehẽdit vmbram, & perſequitur ventum; ſic & qui attendit ad viſa mendacia: Hoc ſecundum hoc viſio ſomniorũ, ante faciem hominis ſimilitudo alterius hominis, qui nihil perfecit in ſcientia vana, totus perijt in negociatione auri, & argenti, & in ignominiam incidit, dum quærit dominari; nihil minus etſi talia exempla paſſim antè nos propouantur iu rete vanitatum, & laborum deuenimus, tantumque abeſt, vt ſuper terram candorem dignum nobis comparemus, vt fuligine repleamur, & niſi ad ea, quæ vera ſunt, animum applicuerimus, ad fumoſum, & horridum carcerem detrudemur. Ideo obſecro (hortatur poſt multa Chriſ. hom. 9. in ep. ad hæbr. 6.) hanc claritatem quæramus, hanc inſequamur, vt eam aſſequamur, vera namque claritas iſta eſt. Deſiſtamus iam ab iſtis ſecularibus, vt inueniamus gratiam, & miſericordiam in Domino noſtro Ieſu Chriſto.

Vanitas mũdanorum.

Eccl. 34.

Chriſoſt.

CAPVT TERTIVM.

Et apparuit illis Elias cum Moyſe, & erant loquentes cum Ieſu.

Expoſitio

POſt claritatis miraculum in quo Apoſtoli ſtupebant, aliud non minus miraculoſum circunſpicitur ab Apoſtolis. Etenim dum oculis attonitis contemplantur candorem Chriſti veſtium, ac totius corporis ſplendorem, apparuit ex improuiſo illis Elias ille Teſbites, quem nunquã viderant, credebãtq. in vltimis terræ finibus tranſlatum; cum quo etiam vident adeſſe Moyſen legislatorem inſtituti Iudaici. Quodque eos magis terret eſt cernere Moyſen, & Eliã longum, profundum, atque ſecretum cum Chriſto ſermonem protrahere.

Et apparuit illis. Scilicet qui Euangeliũ prædicaturi erant per orbẽ vt illud confirmarent legalibus Moyſi, & oraculis Prophetarum in quibus Euangelium, vt granũ in ſpica, theſaurus ſub agro, mannæ vrna intra arcam, & ſol in medio lucidæ nebulæ, quam Deus ante omuia condidit, quando dixit. Fiat lux, & facta eſt lux; quæ & luminare maius quarta die formatur. Sic & Euangelium in plenitudine temporis, quod in quarto, ſeu quadrato figurarum firmiſſima, & perfecta notatur, monſtratum eſt: Quando, inquam, miſit Deus filiũ ſuum, & ſpiri-

Euangelium in lege delebatur.

ſpiritũ filij ſui in quo clamemus Abba pater, vt ſpiritu Dei agantur qui Euangelium prædicant omni creaturæ, hoc eſt veritatem purius, & nitidius, atque perfectius quàm lex, neque Propheta annuntiaret.

Theod.

Nam vt inquit Theodotus in 7. cap. ad Roman. Non eadem in nouo teſtamento mandata, quæ veteribus legis tempore iniungebantur: Verùm communia noua præcepta, ſapientiámque maiorem complexa Chriſtus nobis dedit. Perinde ac dicat, vt inſeruiamus à ſpiritu profectis mandatis. Nam veteribus iniunctum erat, non occidere, nobis ne iraſci quidem; illis porrò non mœchari, nobis autem ne viſu quidem curioſos eſſe præceptum. Non enim lex porro, ſed ſpiritus nobis imperat. Nihilominus per legem, & Prophetas, quaſi per cineres ignem decet Euangelium fouere, nutrire, & ſpiritualem Euangeliſtam conſeruare. Ideò *apparuit illis*, vt quæ ſcripſerunt Priſci, ſedulò perlegas, & videas quid ſub eorum tùm factis, tùm verbis myſticis prædixere de Euangelio.

Elias cum Moyſe. Ne ſcilicet Apoſtoli crederent blaſphemis, qui Chriſtum pugnare cum Moyſe, & Prophetis immeritò latrabant, ac legem ſoluere eius, qui vt amicus accedit teſtis; ſiquidem Moyſes idem legiſlator ſimul

Clem.

(ait Clemens lib. 6. conſtit. Apoſt. cap. 19.) Princeps ſacerdotũ, & Propheta, ac Rex, & Elias ille Prophetarum Zelotes interfuerunt transfigurationi Domini in monte teſtes humanitatis Chriſti; & paſſionum eius, tanquam amici Chriſti, & familiares, non autem inimici, & alieni.

Variæ rationes cur hi apparuerint

Quæ quidem ſatis demonſtrant legem eſſe bonam, & ſanctam, & item Prophetas. Primo ergo hoc facto (infert Victor Antiochenus) illorum opinio refutabatur, qui Chriſtum Eliam, aut Ieremiam, aut vnum ex Prophetis eſſe exiſtimabant)

Vict. Ant.

Etiam futuram in illo, ſcilicet, Chriſto (ait gloſſ. ord.) omnium ſanctorum gloriam ſignificant, qui tempore iudicij, vel viui in carne reperientur, vel mortui.

Gloſſ.

Adde ſecundum Zachar. Chryſopolit. ex Hieron. vt Apoſtolorum augeat fidem, dat ſignum de cælo, Elia nẽpe de Paradiſo deſcendente quo conſcenderat, & Moyſe ab inferis reſurgente.

Zachar. Chryſ.

Quod & Achaz per Iſaiam præcipitur, vt peteret ſibi ſignum de excelſo, aut de inferno. Ideo antè viuus, & mortuus apparent, vt ſignificent Chriſtũ moriturum, & iterum ſurrecturũ vt nos viui ſimus Deo, mortui mundo. Moyſes legiſlator, & Elias Prophetarum eximius apparent, vt oſtendant ipſum eſſe, quem legis, & Prophetarum ſcripta promiſerunt. Apparent autem non in infimis, ſed in monte: Quia illi ſoli digni ſunt Dei maieſtate, qui ſcripturam petunt ſublimi mente. Denique Elias cum Moyſe apparent Apoſtolis, vt ex Prophetis, & Apoſtolis fundari Eccleſiã, cuius Chriſtus caput eſt in cælis, ac in terris; credamus, iuxta illud: Fratres iam non eſtis hoſpites,

Eph. 2.

& aduenæ, ſed eſtis Ciues ſanctorum, & domeſtici Dei fundati ſupra fundamenta Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu, in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum Domini. Ac tandem, qui iam cæleſtes habebantur Moyſes, & Elias apparent Apoſtolis terrenis; vt non diſſimilem, ſed vnam, & eandem prædicemus Eccleſiam, quæ in cælis triumphat cum ea, quæ in terris militat, iuxtà Niceni Concilij decretum lib. 3.

Conc. Nic.

Vna eſt (inquit) Eccleſia in cælo, & in terra & in hac requieſcit Spiritus ſanctus. Hæreſes autem, quæ extra hanc ſunt, quas habẽt homines, non ſunt doctrinæ Saluatoris noſtri, neque Apoſtolorum, ſed Satanæ, & patris eius Diaboli. Apud Matth. rationes alias perlegito.

Et erant loquentes cum Ieſu. Quid autẽ loquerentur alius expreſsit Euangeliſta, videlicet, de exceſſu, hoc eſt morte, vt diximus apud Matth. vel tranſpoſitione, & innouatione rerum omnium, quam Chriſtus venerat facere, vtpotè, nouã legem, nouum ſacerdotium, nouum populum, ac nouum hominem creare.

De qua re loquebantur

Quodcunq. horum exceſſum mentis generat inſpectoribus, qui non aſſequuntur myſterium Dei. Tum maximè Iudæos ab omni iure alienat, & quidẽ alienos prorſus efficit à Deo, & à ſeipſis, dum his animum adijciunt. Neque enim poſſunt ſibi perſuadere legem moſaycam ceſſaſſe, & nouam datam, iuxtà illud: Et ſtatuam illis teſtamentum alterum ſempiternum, vt ſim illis in Deum.

Iſai. 55.

Feriam vobiſcũ pactum ſempiternum, fœdus nouum, non ſecundum pactum, quod pepigi cum patribus veſtris; multòq. minus admittit tranſlatum ſacerdotium, & ſacrificia in meliora, tametſi apertè Malathias clamet: Non eſt mihi voluntas in vobis dicit Dominus exercituũ, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra; ab ortu enim ſolis vſque ad occaſum magnũ eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.

Mal. 1.

Quùm verò audit: Ecce ego facio noua, & nunc orientur; populum iſtum formaui mihi, laudem meam narrabit. Non me inuocaſti Iacob; ſtatim commenta meditatur; & blaſphemias. Quia non intelligit quæ legit, ſeque ſempiternum cùm legalibus arbitratur.

Iſai. 46.

Iudæorum cæcitas

Atque hinc exceſſus Rabbinorum in peruertendis ſcripturis, & exceſſam obdurationem, quam patitur tota Iudæorum natio, quid generat, niſi falſa antiquitatis perſuaſio, & æternitatis quam legit in oraculis, ſed non penetrat? Exceſſum quoque patitur nedùm Iudæus Nicodemus, ſed & fermè omnis Chriſtianus

quando audit veterem hominem ſpoliandum, & induendum nouum, & in dies renouandum vſque ad imaginem ſpiritualis, *Cor.* & cæleſtis. Etenim animalis homo non percipit quæ Dei ſunt.

Propert. *Sambucam citius caloni aptaueris alto.*

Quàm valeas, quæ ſpiritus ſunt docere carnalem. Ac propterea nihil de huiuſmodi *exceſſu* cum Apoſtolis, qui adhuc ſapiebant terrena ſermo texitur, ſed cũ Ieſu, qui *exceſſu* charitatis in melius cuncta immutare diſpoſuerat. Etiam loquuntur cum Ieſu, *Albert. Mag.* inquit Albertus Magnus in Luc. 9. quia lex, & Prophetæ cum eo concordant, inde dixit. Scrutamini ſcripturas, quia illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me, vt legationes quæ Regem denuntiant, & teſtamenta, quæ pronuntiant hæredem. Demum loquuntur cum Ieſu Moyſes, & Elias priori retenta forma, vt reſurrectionem eiuſdem numero hominis futuram perſuaderemur. Vnde Tertullianus lib. de reſurrectione *Tertull.* cap. 55. Sic ipſi Moyſes, & Elias alter in imagine carnis nondum receptæ, alter in veritate nondum defunctæ, eandem tamen habitudinem corporis, etiam in gloria perſeuerare docuerunt. De quo exem- *Phil 3* plo inſtructus & Paulus. Qui transfigurabit (inquit) corpus humilitatis noſtræ, conforme fieri corpori claritatis ſuæ. Tandem conclude eo ad Chriſtum Elia cum Moyſe Ieſum conueniſſe, & alloquutum fuiſſe, præſentibus Apoſtolis, & audientibus, vt tàm eos, qui præceſſerant, quàm qui expectabantur ad Ieſum venturos, & cum eo de ſalute, quam conſequuti ſunt per eum, vel conſequenda loqui oportere. *S. Thom.* Vnde (inquit) S. Thomas 3. p. q. 63. art. 3. ad paſſionem properante, tàm turbæ, quæ ſequebantur, quàm quæ præcedebant ei *Matth. 11* clamabant Hoſanna, vt dicitur Matth. 11. quaſi ſalutem ab eo petentes, & ideò conueniens fuit, vt de præcedentibus ipſum teſtes adeſſent, ſcilicet Moyſes, & Elias, & *Matth. 18.* de ſequentibus ipſum ſcilicet, Petrus, & *2 Cor. 13* Iacobus, & Ioannes, vt in ore duorum, vel trium teſtium ſtaret hoc verbum.

CAPVT QVARTVM.

Et reſpondens Petrus, ait Ieſu, Rabbi bonum eſt nos hic eſſe: Et faciamus tria tabernacula, tibi vnum, & Moyſi vnum, & Eliæ vnum.

Expoſitio. Tantis itaque mirabilibus allectus Petrus, & quaſi in exceſſum mentis transformatus, reſpondit ad ſermones mortis exceſſiuæ, quam paucis ab hinc diebus audiebat fore in Hieruſalem, & *ait Ieſu*, vt eum non verbis, vt prius, ſed facto à paſſione ſubeunda reuocet. *Rabbi*, & Magiſter vnice (inquit) quid vltra vexamur Hieroſolymam redire, quando iam ad feliciſſimum hunc ſtatum deuenimus? *Bonum eſt* quidem, & omni ex parte optimum *nos* cæterorum obliuiſci, quæ moleſtiam inferunt, & *hic* iam perpetuo *eſſe*, ac frui præſenti tranquillitate, & gloria. Igitur ſit hæc requies noſtra in ſæculum ſæculi, *& faciamus*, te imperante, *tria tabernacula*, quæ nos omnes contineant. *Tibi* qui Princeps es Regum terræ, *vnum* erigito, quod præcellat. *Et Moyſi*, qui ad familiaritatem diuini conſortij præ cæteris ſublevatus eſt, *vnum* fabricato, quod ſecundum teneat locum; ſed *& Eliæ vnum* componito, quale in vniuerſis terræ regnis reperiatur intra quod, vel aliud quo tu ordinaueris nos pariter recipiamur, vt mox, & ſemper conſortes, & comparticipes tuæ gloriæ eſſe mereamur.

Et reſpondens Petrus. Præ timore mortis, ſcilicet, de qua haberi colloquium audiebat, reſpondit nemine interrogante, vt canis obſcura nocte non prouocatus latrat. Eſt quidem proprium timoris huius, *Timor humanus* quem humanum, ac mundanum vocitamus, inopportunè loqui, & ad ea, quæ dehoneſtant hominem prouocare. Proinde Plato in *Plato.* Crat. dixit: Timiditas, quæ [illegible] dicitur, validum animæ vinculum ſignificat. Siquidem mentem à diſcurſu retardat, voluntatem immutat, & inſtar putei, ad quem ſaxum proijcimus, turbatur totus, ſicque Piſandro timidior, vmbram ſuam timens, tametſi in tuto eſſe videatur, & ſub tutore integerrimo, vt in Petro eſt cernere. Et in reliquis, qui paſſioni non reſiſtunt.

Ait Ieſu. Non alloquitur Moyſen, neque Eliam, ſed Ieſum, quem à mortis periculo conabatur deterrere, vnde ob timorem inordinatum factus eſt Petrus inurbanus, reſpondens non interrogatus, & aliorum colloquium interrumpens; ſecundo viſus eſt audax, Ieſũ doctorẽ vniuerſorũ præſumens docere, quomodo poſſit felicitatẽ perpetrare, ſibique & præſentibus conſulere: Ne ergo ad hæc, & perniciosa alia incideremus hortabatur Chriſtus ſuos timorem eiuſmodi deponere.

Rabbi. Nomen eſt Hebræum à verbo רבב rabab, quod eſt multiplicare, augere, & iaculari. Vnde nomen Toar רב rab idest magiſter, multus, magnus, maior, inclytus, & honorabilis. His enim, qui magiſter eſt veræ, & optimæ doctrinæ, ornatur titulis. Ea propter lib. 7. conſtitut. *Conſt. Ap.* Apoſtol. cap. 10. Honorabis (inquit conſtitutio) eum, qui ſermonem Dei loquitur tibi, memor eris eius die, ac nocte; honorem autem habebis, non tanquam ortus tui auctori, ſed tanquam effe-

ctori

ctori tui boni ſiatus, vbi enim eſt doctrina de Deo, ibi adeſt Deus, exquires quotidie ſanctorum facies, vt eorum ſermonibus acquieſcas.

Bonum eſt nos hic eſſe. Quoniã præſentẽ ſtatum non futuro, ſed præterito metitur, atque præſenti. Etenim quæ quiſque mox poſſidet miſerrima ſunt, & vaniſſima; ſcriptum eſt enim:

Pſal. 38.

Verumtamen vniuerſa vanitas omnis homo viuens. Quid enim ſunt humanæ res? quærit Chriſoſt. hom. 9. ad Hebr. 6.

Deſcriptio hominis.

Cinis vtique, & puluis ante faciem venti, & vmbra, & ſolia cadentia, & ſomnũ, & narratio, & fabula, ventus, & aer multis tenebris corruptus, penna mobilis, vnda decurrens, & ſiquid eſt iſtis inferius. Nam ſi ad Principem cunctorũ, quæ in mundo ſunt, dicitur. Recordare quia puluis es, & in puluerem reuerteris.

Gen. 3

Quæ ſubſunt homini, quam induent quæſo naturam? Terra ſpinas, & tribulos producit, tenebræ ſunt ſuper faciem abyſſi, ſpiritus procellæ ventos agitat, & ignis ardet vſque ad inferni nouiſſima. Quatuor ergo hiſce plagis percuſſus mundus, & quæ in mundo ſunt, quid dicemus totum? Totus eſt mundus in maligno poſitus. Ergo ne in maligno beatitudo, aut *bonum eſt hic eſſe*, & conuiuere mundanis? Sapientes illi (ſcribit Ioann. Baptiſt. Folingius in Pſal. 1.)

Ioann Fol.

qui in huius mundi ſapientia turgent, & ſe extollunt, beatitudinem vitæ commodis metiri ſolent. Ex ipſis doctiores, virtute ipſa quidem, ſed proprio ingenio acquiſita. Nos verò beatitudinem eſſe dicimus, Deum timere, humana deſpicere, cæleſtia quærere, in Dei lege die, ac nocte verſari, ſpretis interim omnibus, quæ afferre ſolet calix aureus Babylonis.

Beatitudo chriſtiana.

Hæc ſumma eſt beatitudinis Chriſtianæ, quam nos affabre docuit Dei filius in terris, quando illos ipſos beatos appellauit, quibus pauperies, luctus, manſuetudo, miſericordia, benignitas cordi eſſent. In his ergo ò Petre dum viuimus, *bonum eſt nos hic eſſe*, non ſæculi commodis, neque in dulcedine ſpiritus, aut raptu nimium oblectari nos oportet, qui ad æterna gaudia, quæ iacturam non patiuntur, vocamus. Inter illa bonum, & optimum eſt commorari, ibi fateor à cunctis acclamari: Domine *bonum eſt nos hic eſſe*.

Ariſt.

Nam bonum (inquit Ariſtot. primo æthic. cap. 7. in vnoquoque eſt id, cuius gratia cætera agunt, & in primo Rethor. cap. 15. quod ſui cauſa eligendum eſt, & cuius cauſa alind eligimus, & quod expetunt omnia, aut omnia ſenſum habentia, aut mentem, aut ſi mentem haberent, & quæ mens vnicuique dictauerit. At mentis proprium, eſt veritatis indagatio (ſubdit Marſilius Ficinus de voluntate cap. 14.)

Maſil Fic.

Veritas autem quæ, niſi quæ & ſummum bonum. Hæc autem ſolum eum credimus, qui dixit: Nemo bonus niſi ſolus Deus. Ego ſum via veritas, & vita.

Matth. 19
Mar. 10
Ioann. 14.

Propter hunc, & ad eum cor, & caro exultant, vnguentarijque omnes ſua thymiamata conficiunt, vt adolere ei poſsint non in excelſis mundi huius, & in proſperitatibus, quæ in vita conceduntur, quieſcant, & ſe totos affectus offerant, ſed in altari thymiamatis, & incenſorum deſideria cuncta reponant, & finem; hoc autem altare vbi? In ſancta ſanctorum intra velum, hoc eſt, in cælis. Ibi igitur ante Chriſtum conſtituti, adhærenſque ei plenè nos totos concedente Patre luminum concremabimur in odorem ſuauiſsimum, & perennem, & ſic ſemper cum Domino erimus, iugiter clamantes *bonum eſt nos hic eſſe*. Ante hunc ſtatum ſic dicere eſt Turrim Babel ædificare latere, & bithumine; ac ſtatuam auream nedum erigere, ſed adorare, vt ſtulti faciunt, & inſipientes.

Et faciamus tria tabernacula. Singula perpende vt cernas quantum à ſeipſo Petrus diſceſsiſſet. In primis ait *faciamus*, acſi auctor, & ipſe eſſet glorioſi ſtatus; addit tria quaſi tres cũ ſodalibus ſalute digni haberentur; ſubdit, *tabernacula*, dubitans gloriam Dei, & ſtatum felicem velut florem imbre, grandine, aut in-tempore aeris poſſe marcidam fieri, ac deperire. Contra quæ ſcriptum eſt: Gratiam, & gloriam dabit Dominus.

Pſal 83.
1. Tim. 2
Act. 10.

Omnes vult ſaluos fieri diues in omnes. qui inuocant illum. Non eſt acceptator perſonarum Deus, nec delectatur in perditione cuiuſquam. Quos autem ſaluare diſponit, transfert in Regnum filij ſui. At hoc quale? Regnum eius regnum æternum, & poteſtas, quæ non auferetur. Non erit ibi leo, & mala beſtia non aſendet per eam, nec inuenietur ibi, & ambulabunt, qui liberati fuerint, abſque vllo pauore hoſtis, neque formidabunt incommoda. Quia nullum coinquinatum intrabit in illud, aut abominationem faciens, quo lędi poſsit beatus, aut à requie opulenta, & ſecura deturbari, neque altitudinem ſtatus perdere. Quare non egent felices tabernaculis; quibus protegantur, & defendantur. Terreni regni eſt proprium hiſce vti, & propugnaculis, vt ſe tueantur regnicoli, & ſuſtentent ſuam tyrannidem, damnumque fugiant, Pharaones, Nabuchodonoſori, Alexandri, ac reliqui terræ indigenæ. Qui intrant in requiem Domini ſub dio eſſe volunt, nec alio tegi tabernaculo, quàm Deo ipſo, qui eſt omnis protectio, felicitas, & ſecuritas.

Securitas regni cæleſtis.

Quid ergo Petre fieri optas *tabernacula*? ſi te putas glorificatum, noli trbernacula quærere, neque tabulis ligneis frondibus arborum, aut pellibus, aut cortinis ſubijci, iſta relinquito terrigenis;

Nn 2 quod

quod ſi abſque tabernaculo eſſe non vis, intra in illud, quod ab æterno electis eſt conditum, & non quæras nouũ apud Deum qui non mouetur. Etſi omnino nouum tibi arridet, & ſentis abſque eo nihil in ſtatu illo permanere, noli dicere, *faciamus*: Hoc enim eſt opus Dei, non hominis tabernaculum condere, & erigere in quo recipiantur Beati. Atque hunc amabo Chriſtum agnoſcito, iam factum, ſed nondum erectum. Erigetur poſtquam ceciderit. Ergo permitte, iam illum cadere, vt ſuſcitatus iterum, te recipiat ad ſeipſum, ac reliquos, atque plenè felicitet, facta etiam copia intrandi ad tria tabernacula, quæ non ſiunt à creatura mundi, ſed creant ipſa omnia, atque perficiunt.

Tibi vnum, Moyſi vnum, & Elia vnum. Vnum in ſcripturis, idem eſt, quod primũ, vt factum eſt veſpere, & mane, dies vnus. Primum autem; tùm quod ſit cauſa aliorum, quæ ſub illo ſunt genere, ſecundum

S. Thom.

S. Thom. 2. cæli lect. 10. Tum quod in vnoquoque ordine, ſecundum Proclum in Alc.

Proclum.

primum, ſuperioris ordinis formam præferat, perfectiſſimum eſt. Quare Petrus *vnum* Chriſto, ac reliquis optans tabernaculum, non vulgare, ſed electiſſimum fieri volebat: Vt nihil deſiderari in aliquo poſſet; alludens ad manſiones beatorum, quæ etſi variæ, atque diſtinctæ, tamen perfectiſſimæ, vt nihil amplius appetat, qui ad vnam admittitur. Eſt enim beatitudo rerum expectandarum culmen

Greg. Naz.

(inquit Greg. Nazianzenus orat. 21. in laudem Heronis Phil.) ad quod omnis viri agitatio tendit, vel (vt addit in eandem orationẽ Elias Cretenſis)

Elias Cret.

rerum omnium, quæ ſecundum id quod bonum eſt cogitantur comprehenſio; quemadmodum contra, miſeria, vexatio ea, quæ in rebus moleſtis, minimeq. voluntarijs quiſpiam afficitur. Quare etſi Chriſtus *vnum*, & perfectiſſimum habeat *tabernaculum*; perfectiſſimũ, & vnicũ cenſeto illud, intro quod Moyſes recipitur, vt non inuideant alterutrum, neque qui inter Angelos eſt, appetat ad Seraphim aſcẽdere, ſed vt vaſa, inter quoſcũq. numeraueris beatos, repleantur, redundent, & affluant delitijs. Habet enim quilibet eorum *vnum*, & perfectiſſimũ Deum; per *vnũ* & omnipotentem patrem euadit potentiſſimus; in *vno* & ſapientiſſimo filio, fit ſapientiſſimus; & cum *vno*, & dilectiſſimo Spiritu ſancto, qui beatum ducit, fruitur ſempiternis. Porro & in petente Petro conſiderato imperfectionem, quæ in plerisq. amicorum paſſim experitur. Qui ad tempus tantum ſunt amici, vt canes, dum autem illi benè fuerit non recordantur Ioſeph; neque Petrus Andrææ.

Prou. 25.

Sicut auis tranſmigrans de nido ſuo, ſic vir qui derelinquit locum ſuum, aſſumptus enim ad feliciorem ſtatum, quem ei natalis locus, ac genus conceſſit, obliuiſcitur nedum amicorum, & fratrum, ſed & Dei. Etenim Sanl priuatus, vt patri morem gereret, aſinas non horruit

1 Reg. 9.

quæſitare; in regem vnctus Samnelem deſpexit, & prouocauit eum, qui ſe Regem fecerat, neque erubuit inſequi eum, qui ſibi victoriam de hoſtibus reportare obtinuerat. Ergo quomodo nix in æſtate, & pluuia

Prou. 26.

in meſſe; ſic indecens eſt ſtulto gloria.

CAPVT QVINTVM.

Non enim ſciebat, quid diceret: Erant enim timore exterriti.

Expoſitio.

QValem apud Petrum haberet ſenſum præcedens ſententia, vt pote nullum, quo Petrus comendaretur, hiſce exprimitur. *Non enim ſciebat quid diceret*, tum allectus præſentibus, quæ videbat; tum territus his, quæ paulo ante de nece, & cruce audierat. Nec quidem erant cæteri collegæ alieni ab his paſſionibus: Immo verò exanimes pene iacebant *timore exterriti*, vt loqui formidarent, niſi per Petrum.

Non enim ſciebat. Quod extremis, quæ obliuionem inducunt, & tollunt addiſcendi facultatem, videlicet gaudio nimio præſentium, & triſtitia futurorum agitaretur. Qui ergo quod honeſtum eſt ſcire deſiderat, neque obliuiſci vnquam verorũ commutet vices, triſtetur præſentibus, & de futuris gaudeat. Futura, quæ aliquando ſperamus poſſidere, & comprehendere, ſunt æterna. In his qui continuo lætatur, totum gaudiũ

De futuris lætandum.

ponit, neque demendicat ſeipſum, neque ignorat, quæ ad ſapientem ſpectant, dicens ad vniuerſorum auctorem: Memoratus ſum

Eccl. 51.

miſericordiæ tuæ Domine, & cooperationis tuæ, quæ à ſeculo ſunt, hoc eſt ſempiternorum, quæ miſericorditer Deus præparaſti diligẽtibus te, necnon auxilij, quæ à ſæculo cunctos iuuiſti, vt regni æterni ſedem conſequerentur. Qusropter ſubdit inferius: Multam inueni in me ipſo ſapientiam, & multũ profeci in ea. Siquidẽ finis, ad quẽ quiſq. properat, cognitio, & inſpectio illuſtrat animum, vt media, quę conducunt, proſpiciat, & diuertat noxia. Ergo lætetur cor quærentium Dñm, & lætentur in Domino, qui nondũ poſſeſſus ſapiẽtes efficit ſola ſpe: At hi pariter triſtantur, ſed de præſentibus, quæ ad ſenſũ ſunt, quod vel retardent, vel impediant, quæ ſpiritus ambit. Atqui ſpe falſæ gloriæ homines deiecit Diabolus iiſdem irritamentis prouocare non ceſſat, (inquit Baſilius concione de humilitate)

Baſil.

& ad hoc infinita machinamenta excogitare. Magnum quid eſſe indicans ipſi pecuniarum cultum, ac poſſeſſionem, quo in

Pecuniæ ſtudium periculoſum.

hoc ſe magnificiat, & circa hoc ſtudium ſuũ collocet. Quodquidẽ nihil eſt, ad gloriã,

magnum

magnum verò ad periculum, iſtud idem, & alijs circa ſenſilia, & vana perſuaderi à dæmone hominibus proſequitur multis, vt gaudentes in præſentibus vitæ commodis, & triſtantes in futuris, ſpolientur bonis, quę beatificant hominẽ, & interim vt ſtulti neſciant, nec quid agant, nec quid loquantur.

Quid diceret. Denique Apoſtolus, & Princeps Apoſtolorum neſcit quid dicat, dum nimium indulget ſibi, & onus refugit. Quid ergo ſperandũ ab ijs, qui gaudent ſedibus, & ducunt in bonis dies ſuos, nihilq. attendũt,
Prou. 10. quàm faſtũ, gloriam, & honorem? Ex ſtudijs ſuis intelligitur puer, ſi munda, & recta ſint opera eius, velut habent 70. In ſtudijs ſuis impedietur adoleſcens. Adoleſcens ac puer eſt qui adoleſcentiæ vitijs delectatur, ludere, fornicari, laſciuire, vaneſcere, extolli, inebriari, epulare, & gloria mundi huius ſectari, vt columba plumarum nitorem, & earumdem eleuationem pauo, vtque Abſalon gloriari in comis, & capillis. Hæc ſunt præludia puerorum, ex quibus luſor agnoſcitur quid agatur, ac loquatur, videlicet, inſulſum nedum ſtultum, & fatuum; & ſæpius perniciosum. Quoniam anima impij deſiderat malum, non miſerebitur proximo ſuo. Nec curabit verbis noxijs, & factis eũ, qui ſubſe eſt, aut ſociatur eidem, deludere, & ſcandalũ, quo pereat, obijcere. Impeditur enim à bono, quum malum ſectetur, nec ſcit quid loquatur ad ædificationem proximi; quoniã ſtultitia colligata eſt in corde eius. Et animo (ait Baſil. Magnus concion. de homil.)
Baſil. Mag. ſtudijs, & exercitijs ſimilis euadit, & ad ea quæ facit, efformatur, & figuratur.

Erant enim timore exterriti. Videlicet
Theoph. Petrus, ac ſocij territi facti ſunt, ait Theo-
Arias Mõt. phyl. ob ineffabilem lucem, & gloriam. Excellit (ſubdit Arias Montanus) humani ſenſus facultatem Ieſu Chriſti gloria. Etiam meo iudicio intellectum quouſq. maiori, & meliori luce, quàm natura conceſſit, vtpote gloriæ ſubleuetur. Quoniam apud te eſt fons vitę, & in lumine tuo videbimus lumẽ, cecinit Vates; hoc eſt, maieſtatem gloriæ, in lumine quod beatis communicatur, quia
Arnob. lux de lumine eſt (exponit Arnobius) in ipſius lumine videbimus lumen. Quemadmodum & in luce ſolis, ſolem ipſum luminare maius intuemur; ita adducet Deus (ait Ba-
Baruch. 5. ruch de Beandis) Iſrael cum iucunditate in lumine maieſtatis ſuæ, cum miſericordia, & iuſtitia, quæ eſt ex ipſa. Quia ſplendor eius lux, erit; hoc eſt, lumen, quo ad contuitum immenſiſſimi Dei, eleuabuntur electi, erit, vt lux quæ non ab inſpectore ſed à luminoſo eſt, quod circunſtantes perfundit luce, & il-
Lumen gloriæ à Deo eſt luſtrat, vt poſſit intueri. Ideo dicitur non tàm lux, & ſplendor, quàm lumen maieſtatis ſuæ, quod ad initium maieſtatis Dei eleuet, & magnifaciat facie ad faciem contemplantem gloriæ Dominum. Adducentur enim cum iucunditate, non cum terrore, neque tremore. His concutitur, qui in mortali corpore conſtitutus gloriã Dei ſpeculatur; ſiue enim ſit Paulus, qui rapitur, *Timor ad viſiones etiã in ſanctis excitatur* ſiue Moyſes qui transformatur, ſiue Dauid, qui mentis exceſſum patitur, dum cæleſtes illuminationes recipit, ſemper vel corruit præ terrore penæ exanimis, vel præ timore non audet accedere ad viſionem magnam, *Pſal. 54.* vel certè territus, ac timidus clamat; Timor, ac tremor venerunt ſuper me, & contexerunt me tenebræ, quouſque cõfortentur baſes eius, & ſtatuatur ſuper pedes ſuos, ab eo qui cælitus dignatur ei apparere, & aperire ſecretiora, quæ non licet homini loqui.

CAPVT SEXTVM.

Et facta eſt nubes obumbrans eos: Et venit vox de nube, dicens: Hic eſt filius meus chariſſimus: Audite illum.

AD hæc acceſſit cunctis excellentius teſtimonium gloriæ Chriſti, & dignitatis, vtpotè diuinum. *Expoſitio* Etenim dum Vates, ac ſimul Apoſtoli loquerentur cum Ieſu, illi de exceſſu, hi de ſtatione, *facta eſt* diuino imperio, *nubes lucida*, ſole ipſo clarior, quæ omnes obumbrauit, & obuoluit. Denique nube venit, & exijt non minus prioribus admirabile ſacramentũ; vtpotè vox formata quaſi à loquente Angelo, vel homine, dicẽs, & clamans ad eos, qui aderant: *Hic*, quẽ alloquimini, & cernitis glorioſum, *eſt filius*, non ſolũ quem mulier peperit abſque ſemine; *ſed meus*, quem in ſplendoribus ſanctorũ ex vtero ante Luciferum ego hodie, & ab æterno genui; ac proinde *chariſſimus*, & dilectus, vt qui ex mea ſubſtantia Deus de Deo, & lumen de lumine procedat, vnicam mecũ eſſentiã, & ſubſtantiã numero eandem retinens: Ergo nolitè ab eo recedere, ſi mihi & vos optatis chariſſimi fieri: Immò vero attentè, & ſedulo *audite illũ*, quæcunq. vobis annũtiauerit. Nõ enim loquetur à ſemetipſo, ſed quæ de meo accepit, & quæ mãdauero ei, hæc proferet, & annunciabit vobis.

Et facta eſt nubes. Non dicitur formata eſt, vt eam de nouo creatã intelligamus. Nam creationẽ per factũ eſt, ſeu fiat, & faciẽs explicare ſolẽt oracula, vt fiat lux, fiat firmamentũ. Quum n. creatio ſit productio de nihilo, facere vero cõprehendat omnẽ actionẽ, qua factum extat, congruentius per facere, aut fieri; quàm per formare, creatio ipſa inſinuatur. Equidem formare ſupponit ſubiectũ, in quo forma recipitur, & ma- *Factio ſupponit ſubiectum.* teriam ex qua hoc, aut illud formatur. Iuxta illud formauit Deus hominem de limo terræ. Vnde apud Iob, animæ creationẽ legimus exprimi per facere; & per formare

compoſitionem corporis ex ſanguinibus. *Iob. 31* Nunquid (inquit) non in vtero fecit me, qui & illum operatus eſt, & formauit me in vulua, vnus? (Nubes illa tunc creata eſt.) Itaque facta eſt, videlicet, creata nubes, non formata ex fumis terræ, vt cæteræ, quæ frequentes ſunt nobis; neque ex formitis naturæ artificio ad hunc locum inducta; ſed omnium artifex, & omnipotens ſuo imperio nouum delineare volens myſterium, nouam, & altiorem reliquis nubem introduxit, qua non ab Ægypto Iſraelem educeret, ſed orbem totum à ſeruitute peccati liberaret. Et in qua non iam Moyſi loqueretur, ſed Sancto ſanctorum, & ſanctis omnibus verbum bonum eructaret: Ac per quam non ſolum protegetur Sacerdotium Aaron. Verum enim verò cuncti, qui ei ſubeſſent, fierent gens ſancta, regale ſacerdotium, & populus acquiſitionis perfectæ. (Nubes quid ſignificet. *Orig.*) Etenim nubes iſta, quam alius Euangeliſta lucidam introducit, Spiritum ſanctum ſignificat. Inde Origenes hom. 5. in Exod. quod Iudæi tranſitum maris putant, Paulus baptiſmum vocat; quam illi exiſtimant nubem, Paulus Spiritum ſanctum ponit. Viſus eſt enim in baptiſmo, ſed in ſpecie columbæ, cur autem, Thom. 3. p. q. 65. art. 2. expreſſit dicens: (*S. Thom.*) Quia ſicut in baptiſmo dat innocentiam, quæ per ſimplicitatem columbæ deſignatur, ita in reſurrectione dabit electis ſuis claritatem gloriæ, & refrigerium ab omni malo, quæ deſignantur in nube lucida.

Obumbrans eos. Ergo ne vmbram introducit ſpiritus, cuius vehementi impetu datum eſt, nubes, vt Aquilo diſſipare? Abſit quod obumbret tenebras per errores, obnubilans per vanitates ſæculi huius; neque vmbrā mortis per læthalia crimina introducat; qui ſpiritus viuificans eſt, & illuminans oculos, ne obdormiant in morte; (*Pſal. 12*) & orbē illuſtrans mirabiliter, vt videat omnis caro ſalutare Dei. Obumbrat itaque in malum ſpiritus ille nequam, de quo legimus: (*Pſal. 106*) Dixit, & ſtetit ſpiritus procellæ: Et exaltati ſunt fluctus eius. Aſcendunt vſque ad cælus, & deſcendunt vſque ad abyſſos: (Spiritus nequam obnubilat.) Anima eorum in malis tabeſcebat. Turbati ſunt, & moti ſunt ſicut ebrius, & omnis ſapientia eorum deuorata eſt. Etenim ſpiritus ille peſſimus, qui inter Abimalech, & viros Sichem diſcordias poſuit, qui mendaces fecit Baalitas, qui Zelotipia concitat virum cōtra vxorem, qui Ægyptum replet vertigine, & ad vindictā creatus videtur, non tàm populis, quàm priuato eam procellam intentat, quam vt in typo nautæ experiuntur; obnubilat tenebris mentem, deſiderijs extollit impium, adeò vt ſuperbiens dicat: Aſcendam in cælum; dùm tamen ad excelſa ſuggeſta, & opinionem apud vulgum eleuauit, ignominioſè deprimit vſque ad abyſſum miſeriarum, ſi quomodo in malis tabeſcat, & includeſcat deſperatio. Dùm tamen de ea conſultat apud ſemetipſum turbatur, & vt ebrius ad varia pellitur, demumq. ſapiētia omni deſtitutus, & luce, inferni voraginibus abſorbetur miſer, qui ſe ſemel ab eiuſmodi ſpiritu obumbrari patietur, ſeu potius obfuſcari, & obnubilari. (Spiritus ſanctus illuminat.) At quem Spiritus ſanctus velut nube lucida obumbrauerit, non tàm à malis tutus, quàm felix in cunctis bonis erit. Eſt enim ſpiritus intelligentiæ, qui errores eliminat, ſanctus, qui iuſtificat homines; & multiplex, qui implet deſideriū iuſti, quod eſt omne bonum. Ergo obumbrare hic, non eſt vmbram inducere, ſed repellere; vel ſi malis eſt, reliqua lumina, quaſi obumbrando extinguere, vt ſol aſtra, (Obumbrare cōparatiue dicitur.) & eam inducere vmbram, quæ ſitim omnem refrigeret. Quare (inquit Zacharias Chyſopolitanus lib. 3. cap. 91.) (*Zach. Chr.*) Qui materiale tabernaculum quæſiuit, nubis accepit obumbraculum, vt diceret in reſurrectione ſanctos non eſſe protegendos tegmine domorum, ſed Spiritus ſancti gloria. Hinc Pſalmiſta: (*Pſal 35.*) Filij autem hominum in tegmine alarum tuarum ſperabunt, & Ioan. apoc. (*Apoc. 21.*) Templū nō vidi in ea, Dominus enim omnipotens, templum illius eſt, & agnus.

Et venit vox de nube. Repetitur *nubes*, vt non ſolum Spiritum ſanctum credamus *nubem*, ſed & alium, per quem, vel operatur ſancta, vel loquitur vera. (Nubes etiā pro ſpiritu bono ſumitur.) Veritas enim à quocunque eſt, à Spiritu ſancto eſt, per quem, & ſancti omnes operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones, quas vt nubes aquam, imbrem, ac rorem dicuntur, & continere, ſibi, & alijs communicare. Vnde cantor cecinit: Magnificentia eius, & virtus eius in nubibus. Hoc eſt in ſanctis. Splendor itaque Dei (ait Ioannes Baptiſta Fulingius ſuper hunc locum) (*Ioan. Felin*) maieſtas, gloria, virtus, potentia, non tantum vſque ad nubes illas viſibiles, cæloſque ipſos ordinatiſſima, pulcherrimaque factos ratione, & decore pertingere viſa eſt, verum etiam ad aliud quoque nubium genus pertinere credimus, de quibus illa eſt Dei viſio in Eſaia: (*Iſai. 5*) Mandabo nubibus meis vt pluant ſuper eam imbrem, quam rem in ſequentibus aperit ſpiritus dicens: Mirabilis Deus in ſanctis ſuis. Ecce de quibus loquebatur nubibus aſſeueratiu, de ſanctis, ſcilicet, animis, pureque in Chriſto degentibus, & qui cum ſe aliquid eſſe non ignorent: Attamen id totum Deo, eiuſque virtuti ferre acceptum, minimè dubitant.

Dicens. Hoc additur participium, quoniam eſt vox duplex, vna *dicens*, altera non *dicens*, quæ etiamſi de nube veniat non tamen eſt *dicens*, hoc eſt, ſeipſam foris exprimens, (Duplex vox vna dicens altera non dicens.) vt accidit in ſenſibili nube, quæ intra ſe quandoque ſonat quum fulmen exire contendit, quum autem

viam

uiam aggreditur, corruſcat, fulgurat, & intonat exterius. Priori voci operationem, qua ſe quiſque conatur perficere, comparo, poſteriori verò prædicationem, & ſcriptionem, qua iuxtà gratiam ſpiritus iuuat proximum doctor, & præco. Iuxtà illud: Multitudo ſonitus aquarum, vocem dederunt nubes. Nubes Apoſtoli, & Prædicatores (ſcribit Auguſt. in Pſal. 96.) Miſit Chriſtus Apoſtolos ſuos, Prædicatores ſuos, velut nubes. Videbantur homines, & contemnebantur ſicut nubes contemnuntur antequam de eis exiliat, quod mireris. Erant enim illi primum homines carnem portantes, infirmi deinde, idiotæ, indocti, ignobiles; ſed erat in illis quid fulguraret, quod corruſcaret. Accedebat Petrus homo piſcator, orabat, & ſurgebat mortuus. Forma humana nubes erat, ſplendor miraculi corruſcatio erat. Sic in verbis, ſic in factis cum miranda dicunt, & miranda faciunt, apparuerunt fulgura eorum Orbi terræ.

Pſal 76.
Auguſt.
Apoſtoli ſūt nubes.
Pulchra aſsimilatio.

Hic eſt filius meus chariſsimus. Breuis eſt ſententia, ſed intelligentiam eius (velut cum vate loquar) ſeu generationem eius quis enarrabit? En verbum abbreuiatum, quod fecit Dominus, & oſtendit nobis in carne mortali; magnitudinem autē, & profunditatem myſterij nemo hactenus comprehendit, neque ſciet niſi Pater, qui eſt in cælo, qui vt eructat ſolus hoc verbum, ita ſolus nouit. Quia filium quis nouit niſi Pater? Veruntamen quid de eo fides proponat, & oporteat à nobis credi ex hac diuina ſententia enucleamus paucis. *Hic eſt*, conditionem ſubſtantiæ, & eſſentiæ, cuius eſt eſſe per ſe, & à ſe, à nullius ſubſtantia pendens, ſed omnibus communicans eſſe, quod habent, iſinuat. Sic enim, & Moyſi dictum eſt: Ego ſum, qui ſum. Vnde ſubiecit, qui eſt miſit me ad vos: *Eſt*, itaque diuinam eſſentiam importat, maximèque nomen proprium Dei, vt inquit Sanctus Thomas 1. p. q. 13. art. 11. primo quidem propter ſui ſignificationem. Non enim ſignificat formam aliquam, ſed ipſum eſſe. Vnde cum eſſe Dei ſit ipſa eius eſſentia, & hoc nulli alij conueniat, vt ſupra oſtenſum eſt, manifeſtum eſt, quod inter alia nomina, hoc maximè proprium nominat Deum. Vnumquodque enim demoninatur à ſua forma. Secundo propter eius vniuerſalitatem, &c. Vnde & Damaſ. lib. 1. ortho. fid. c. 12. dicit, quod principalius omnibus, quæ de Deo dicuntur nominibus eſt, *qui eſt*, totum enim in ſeipſo comprehendens, velut quoddam Pelagus ſubſtantiæ infinitum, & indeterminatum, &c. Tertio verò ex eius ſignificatione; ſignificat enim eſſe in præſenti, & hoc maximè propriè de Deo dicitur, cuius eſſe non nouit præteritum, vel futurū, vt dicit Aug. in 5. de Trinit. c. 2. Hæc Thom.

Iſai 53.
Exod. 3.
S. Thom. Significatio verbi ſubſtātiui.
Damaſus.
Auguſt.

Hic. Pronomen demonſtrat indiuiduitatem ſubſtantiæ, & eſſentiæ, quam Chriſtus communem habet cum Patre, & Spiritu ſancto. Hæc eſt (inquit Gregor. Nazianzen. oratione 49.) in vnitate cōſiſtens, quam ſcilicet vnius ſubſtantiæ profitemur. Vnitas enim (ſcribit Nicephorus Epiſcopus Conſtantinopolitanus ad Leonem Papam, tom. 5. Epheſ. Conc. cap. 22.) & cognitio Deitatis in Trinitate conſiderata nequaquam diſtrahitur, aut in partes ſecatur, vt fit in rebus creatis, dum ſuppoſita multiplicantur. Procul enim inſana, & furioſa Arrij opinio, & rabies à nobis faceſſat. Eſt enim Trinitas ſecundum gloriam, & æternitatem modis omnibus indiuiſa, nullaque ex parte, abs ſeſe alienata. Neque ob id tamen diuinę perſonę ſe mutuò permeant, hoc eſt, in ſe inuicem tranſmutantur, ſed harum quælibet immutabilis manet, & inconfuſa, & æterna; longè igitur amandetur, pellaturque inſani, ſtolidique Sabellij deceptoria confuſio. Annota hic lector duos errores, qui indiuiduitatem hanc, tùm tollere, tum confundere tentarunt. Arrius enim diuidebat ſubſtantiam, quum Chriſtum Patre minorem, & creaturam efficeret; Sabellius verò confundebat perſonas, dum vnam in Deo perſonam finxit, nunc Patrem, nunc Filium, & Spiritum ſanctum dici eandem.

Greg. Nazianz.
Nicephor.
Errores Arrij, & Sabellij,

Filius. Hoc nomine admodum deducimur, quo Chrictus, vt Deus, à Patre procedit, videlicet naturaliter, quia per intellectum. Pater dignum ſeipſo (dicunt Epiſcopi Concilij Nicæni ad Philoſophū) & æqualem genuit filium eo modo, quem nouit ipſe, qui eum genuit Deus, & Pater, & qui ex ipſo genitus eſt, filius ò Philoſophe. Quod quia genitus eſt, erat (proſequitur Baſilius Magnus contra Eunomium lib. 2. qui ex eo, quod genitus probabat creaturam eſſe) non ingenitum habens ipſum eſſe, verum exiſtens ſemper, & coexiſtens patri. Quando igitur ad eſſe productus eſt à Patre? ex quo eſt Pater. At ab æterno, inquit, eſt Pater; ab eterno itaque eſt etiam filius genito modo ingenitæ Patris naturæ coniunctus. Quod verò non noſtra eſt hæc oratio, ipſas ſancti Spiritus voces ipſis exhibebimus. Et ex Euangelio quidem accipiamus. In principio erat Verbum. Ex Pſalmo verò velut à perſona Patris dictum hoc: Ex vtero ante Luciferum, ego hodie genui te. Et compoſitis vtriſque dicamus, quod & erat, & genitus eſt, Filij itaque nomen connotat generationem, per quam æternis temporibus à Patre procedit in eadem ſubſtantia Deitatis. Vnde concludit Cyrillus Alexandrin. aduerſus Neſtorium lib. de recta in Chriſtum fide ad Theodoſium Impera) Quicumque verbum, qui ex Deo natum, eſt ſubſtantia ſpoliant (ſcilicet Deitatis) illi mendacium longè pudentiſſimum effutiunt, ſtolidiſſimarumq. mentium ſordes euomunt.

Generatio Chriſti.
Patres Cōc. Nican.
Baſil. Magnus.
Ioan. 1.
Pſal. 109.
Cyrillus Alex.

Ad Moy-

Ad Moyſen enim ait, ego ſum, qui ſum; quod autem verè per ſe eſt, quomodo id propria ſubſtantia deſtitutũ confingi quandoque poteſt? Ergo *filius* genitus, non factus, vt Arrius, & Eunomius ſomniabant; & genitus quidem de Deo patre, ex eadem, & in eadem eſſentia diuinitatis, Deus verus, non Deifer; vt Neſtorius oblatrabat. Ex modo hoc procedendi filij per generationem Scholaſtici concludunt, Spiritum ſanctum, qui à Patre, & Filio procedit, non poſſe Filium appellari.

Meus. Vtpote naturalis, non adoptiuus, vt illi, qui ſunt in gratia. Abuſiuè namque, & non eſſentialiter adoptiuus eſt filius dictus (diffinit Synodus Francſordiæ ſub Adriano Papa I.) ſicut Moyſes in filium adoptatus eſt filiæ Pharaonis, alienus ab ea, & generatione, & ſanguinis affinitate. Hoc ideò poſuimus, vt patenter daretur intelligi, eum dici adoptatum, qui nondum prius fuerat proprius filius adoptantis. Vnde in Dei filium non cadit nomen adoptionis, quia ſemper verus *filius*, ſemper Dominus; ac per hoc, & poſt aſſumptũ hominem veri fiij vocabulum non amiſit, qui nunquam verus deſijt eſſe *filius*. Siquidem (ſubdit Achatius Meliteñſis Epiſcopus hom. Epheſi. in patrum conſenſu habita tom. 6. Conc. Epheſ. cap. 11.) vnus eſt nobis Dominus Ieſus Chriſtus, vnigenitus Dei *Filius*, Deus Verbum, idem ante omnia ſæcula ex ſolo Patre: idem rurſus in nouiſſimis diebus ſeruilem formam iàm indutus. Solus ex ſolo ſupernè, ſolus rurſum ex ſola infernè, vtrumque autem diuinè. Itaque *meus* hic eſt naturalis filius ſemper mihi conſubſtantialis, in quo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, hoc eſt, ſub corpore inſpicitur, contra Neſtoriũ. Et *meus*, hoc eſt, ex me genitus, nõ adoptiuus, aliunde procedens, contra Elipandum Epiſcopũ Toletan.

Quid ſit adoptio?

Achatius.

Chriſtus ſupernè eſt ex ſolo patre, infernè ex ſola matre.

Charisſimus, ſiue *dilectus*, vt habet alius Euangeliſta, nobis perſuadens vterque voce alterutra audita, filium ſic per generationem eſſe, & intellectus actum, vt enim voluntas, cuius eſt dilectum, & charisſimum producere, concomitetur. Vnde ſcribit S. Thom. 1. p. q. 41. art. 2. aliquid eſſe, vel fieri voluntate, dupliciter poteſt intelligi. Vno modo, vt ablatiuus deſignet concomitantiam tantum, ſicut poſſum dicere, quod ego ſum homo mea voluntate, quia ſcilicet volo me eſſe hominem. Et hoc modo poteſt dici, quod Pater genuit filium voluntate, ſicut eſt voluntate Deus, quia vult ſe eſſe Deum, & vult ſe generare filium. Alio modo ſic, quod ablatiuus importet habitudinem principij. Sicut dicitur, quod artifex operatur voluntate, quia voluntas eſt principium operis. Et ſecundum hunc modum dicendum eſt, quod Deus Pater non genuit filium voluntate; ſed voluntate produxit creaturam. Vnde in lib. de Synodis (qui eſt inter Hilarij opera) dicitur, quod ſi quis voluntate Dei tanquam vnum aliquid de creaturis, filium factum dicat, anathema ſit. Ad hæc dicito etiam Spiritum ſanctum produci voluntate, aliter tamẽ, quàm creaturas. Harum enim voluntas diuina eſt principium merè liberum, quod poſſit producere, & non producere. At Spiritus ſancti eſt principium naturale, & neceſſarium, quod nequeat non producere. Namq; Spiritus ſanctus, ait Sanctus Thomas ad 3. procedit, vt amor, in quantum Deus amat ſeipſum. Vnde naturaliter procedit, quamuis per modum voluntatis procedat. Itaque *charisſimus eſt filius*, & dilectus, quod velit pater ipſum eſſe, vt ſummum bonum, beatitudinem, gloriam, imaginem ſui, & ſplendorem ſibi ſecundum ſubſtantiam vnicum, hypoſtaſi tamen alium.

Matt. 7.

S. Thom.

Filius genitus volũtate cõſequẽte ex Thoma. Antecedentem admittit Scotus, ſed tantum cõplacentem non principiãtẽ. 1. d. 6. q. 1.

Voluntas aliter principiũ Spiritus ſancti, aliter creaturarũ.

Audite illum. Non Moyſen, quoniam cedit veritati figura: non Prophetam, quoniam venit deſideratus; non Aaron, quia hic eſt Sacerdos in æternum; non Leui, quia huius miniſteriũ mihi iã ſolũ acceptum eſt. Illum enim conſtitui ducem vnicũ, ac præceptorem gentibus omnibus, legiſque latorem ſuper eos. Ecce Rex veſter iuſtus, & Saluator, ipſe admirabilis, conſiliarius, Princeps pacis. Verè Deus abſconditus, Deus Iſrael Saluator. *Audite* ergo quid loquatur vobis Dominus Deus veſter, quoniam loquetur pacem in plebem ſuam. Hanc lex quam in tabulis cordis veſtri ſcribet, conferet. Quoniam pax multa diligentibus legem ſuam; eandem augebunt ſacramenta, quæ ordinabit. Siquidem recipienti do ei pacem fœderis mei; etſi quid aliud ab eo profectum fuerit, per modum Concilij, ſeu præcepti dabit pacem hominibus bonæ voluntatis. Quoniam ſemitæ eius pacificæ. Siquidẽ & ipſe pacificus, ac Princeps pacis. Ergo *audite illũ*, & ſalui eritis, quia iã Prophetæ nihil poſſunt; *audite illũ*, & recipiam vos in adoptionẽ filiorũ; *audite illum*, & eritis ſicut Angeli mei, qui ſtant corã me ſemper; *audite* denique *illum*, & obſeruate: Ego autem diligam vos, ad voſque veniam, & manſionem intra voſipſos faciam, & accipiam vos ad meipſum, *illum* dico, & quem mittet ipſe Præſulem, miniſtrum, Apoſtolum, & Doctorem, quoniam per os eorum loquetur, iudicium proferet, & voluntatem meam declarabit. *Illum* autem, qui ſe in eum transformabit dicens: Quia ego ſum Chriſtus; fructibus verò atque operibus, necnon doctrina alius eſt, & diſformis à Chriſto, nolite audire, neque exire ad illum. Siquidem Antichriſtus eſt, qui venit furari, vel pſeudopropheta hæreticus, qui latrocinatur. *Illum* denique ſolum *audite*, vt qui loquatur mea; & ſtatuat, quæ mandaui ei; necnon *illum audite*, quem mittet ipſe in

Pſal. 109.

Iſai. 9.

Idem 45.

Pſal. 45.

Pſal. 108.

Audire Chriſtum.

Ioan. 14.

omnem

omnem ciuitatem, & locum,vt qui ſit alter ipſe amicus,& legatus fidelis,quem conſtituit ſuper familiam ſuam, vt det vobis triticũ,quo ſicut adipe, & pinguedine repleamini. *Audite*, iterum dico, non iam in circumciſis auribus,vt gens duræ ceruicis,quæ clamat: Non loquatur nobis Dominus , neque auribus ſeptis ſpinarum macerie, vt rebelles, qui dicunt; non faciemus ; nec denique aure carnis,vt molles, qui in carmen muſicum ſermonem ſacrum vertunt; ſed ſedulò *audite* mente eleuata ad eum , qui ab alto loquitur alta, & ſublimia, quæ lignum quantumuis humile exaltant; aure aperta‿ ad obediendum vniuerſis, quæ vobis narrabit , aureque libera ad currendum,quo ſpiritus oris eius vos impulerit. Qui ſic audit eſt verè ille auditor ſermonum Dei,quem‿
Luc.11. magiſter laudat : Beati,qui audiunt verbum Dei,& cuſtodiunt illud .

CAPVT SEPTIMVM.

Et ſtatim circunſpicientes , neminem amplius viderunt , niſi Ieſum tantum ſecum‿.

VIſis , & auditis , quæ in hac transfiguratione acciderant,exanimes penè
Matt.7. ceciderunt Apoſtoli iuxtà alterius Euangeliſtæ hiſtoriam , vt autem tactu Chriſti vires receperunt, *ſtatim* animum applicant ad vniuerſa, quæ præceſſerant . Quare eleuati è terra vndequaque circunſpiciunt ſi rurſus videant Moyſen,aut Eliam,ſeu tabernaculum magnificum intra quod recipi valerent,vt optabant. At nedum tabernaculum, ſed *neminem* eorum , qui ad ſpectaculum‿ venerant videre potuerunt; quin veſtigium prioris gloriæ vſque apparuit: Neque vltra albicantem, & fulgurantem præ gloria‿ Chriſtum,niſi vt antea *Ieſum* humilem *ſecum* perſpexerunt .

Et ſtatim circunſpicientes. Quoniam‿ eorum,quæ inſpexerant,memoriam retinebant . At cæleſtium memoria non ſolum‿ *ſtatim*, vt poſſunt , ſed continuò reddit ſpirituales mentes ad vniuerſa, quæ ſe offerũt, *circunſpicientes*, vt apes ad omnem florem; ſi fortè mellis dulcedinem, quam ſemel deguſtarunt, illuſtrati cælitus introſpiciant.
Pſal 144. *Memoria cæleſtium ſuauis.* Hinc Vates: Memoriam abundantiæ ſuauitatis tuæ eructabunt, & iuſtitia tua exultabunt. Hoc eſt impulſi memoria efficaci cæleſtium,quæ abundant verè, & replent omni ſuauitate , velut mero pleni eructabunt, & proferent mira præ gaudio,& exultatione,nec animo ſolum, ſed & corpore toto in Deum viuum auctorem cunctorum exultabunt. Fructat enim mens talium iugiter, dum viſa, ſeu credita ſedulo contemplatur; conſonat menti voluntas, dum dicit : Quid enim mihi aliud eſt in cælo, aut quid volui *Pſal.72.*
ſuper terram ? Eructat, & caro,quando exclamat os : Iuuenes ſenes , & virgines laudent nomen Domini ; quando & auris attendit,& oculus circunſpicit ad vniuerſa‿, & ſingula , quæ proponuntur ei , ſi quomodo inter amaritudines aquam viuam, vnde‿ ſatietur,inueniat . Quia,inquit, anima mea *Pſal.142.*
ſicut terra ſine aqua tibi .

Adde quoque eò poſt transfigurationem circunſpicere Apoſtolos , quod reuelatio cæleſtium,& auditio vocis paternæ prudendentem generet . Eſt enim circunſpectio pars vna integralium partium prudentiæ . Igitur audi fili mi diſciplinam patris tui, & *Prou.1.*
ne dimittas legem matris tuæ , vt addatur gratia capiti tuo,& torques collo tuo.Gratia,qua,vt corona,illuſtratur caput,& pariter totum corpus,eſt prudentia, quæ actiones cunctas moderatur ; torques autem‿, quæ collum circundat,eſt circunſtantia,ſiue finis,ſiue medij, aut alterius,quam prudens in omni opere circunſpicit . Parit autem‿ bona hæc cæleſtis colluſtratio;& ſedulò audire patrẽ,& eum,qui in nomine Patris nos omnes alloquitur . Quia Dominus dat ſapientiam, & ex ore eius ſcientia, & prudentia,vel,vt habet græca lectio ϗ ἀπὸ προσώπου αὐτοῦ γνῶσις ϗ σύνεσις . Et ex facie eius cognitio,& intellectus , hoc eſt Dei contemplatione , cognitio inferiorum , & intellectus ſupernorum comparatur , quibus homo plenè euadit prudens .

Neminem amplius viderunt . Videlicet in monte Tabor;nam in monte illo æternitatis , quem mox incolunt, vident non ſolum Moyſen , qui mortuus eſt, licet illum‿ Hebræi falsò putent in carne viuere, ſed & Eliam , qui ſuperſtes eſt , atque omnes , & omnia, quæ in ſpeculo illo abſque macula‿ eis monſtrantur . Circa illum , qui beatur *Eccl.50.*
in cælis corona fratrum , & ipſe quaſi ignis effulgens, & thus ardens in igne , quaſi vas auri ſolidum ornatum omni lapide prætio‿ſo . Si quis igitur (infert Ambroſ. lib. de‿ *Ambroſ.*
Iſaac,& anima,cap. vlt.) purum illud, & incorporeum ſummum videre meruerit,quid habet aliud , quod deſideret ? Denique Petrus gloriam reſurrectionis Chriſti vidit, & nolebat deſcendere dicens: Domine bonum eſt nos hic eſſe. Et quanto incomparabilior *Matt.17.*
eſt illa diuinitas , gloria, & lux inacceſſibilis, quam ſi quis viderit, quid aliud concupiſcet? Non regna,non facultates,honores, gloriam , poteſtatem . Illis enim vti nihil beatitudinis eſt,hoc vti beatum eſt,vt illa‿ deſpiciens ad hoc conuerſus maneat.

Niſi Ieſum tantum ſecum. In antiquioribus Biblijs,vt apud Lyram legitur. *Ieſum* *Lyra.*
ſtantem tantum ſecum , quo non ſolum‿ transfigorationẽ Chriſti, videlicet eo ſtante non ſedente factam , ſicut & depingi ſolet, credamus; verum etiam agnoſcamus Chriſtum

ſtum omni tempore nobis ſtare, quod verò tantum in monte Ieſum ſecum videant, docemur nihil niſi Chriſtum nobiſcum velle debere, nec alium ab eo quærere, ſed illum ſolum intueri, atque videre, ſecumque habere, & ad eius exemplar vitam noſtram componere, ac per eundem cuncta noſtra ſtudia regulare. Quod ſi dixeris vires non

Prou. 24.

ſuppetunt, qui inſpector eſt cordis, ipſe intelligit, & ſeruatorem animæ tuæ nihil fallit, reddetque homini iuxtà opera ſua. Solus itaque Ieſus circunſpicitur. Quia ſi Moyſes,

Zacharias Chryſopol.

& Elias (ait Zachar. Chryſopolit. lib. 3. cap. 91.) videretur incertum, cui vox patris dediſſet teſtimonium. Benè vident iſtos euanuiſſe: quia poſtquam vmbra legis, & Prophetarum diſceſſit, quæ quaſi nube Apoſtolos texerat, Euangelium remanſit. Ieſum ſolum dictum eſt, quia cum manifeſtauerit ſe electis, erit Deus omnia in omnibus, immo ipſe cum ſuis vnus per omnia Chriſtus, ideſt caput cum corpore ſplendebit, propter quam vnitatem alibi dicit: Et nemo

Epheſ. 4.

aſcendit in cælum, niſi qui de cælo deſcendit filius hominis, qui eſt in cælo.

CAPVT OCTAVVM.

Et deſcendentibus de monte, præcepit illis, ne cuiquam, quæ vidiſſent, narrarent; niſi cum filius hominis à mortuis reſurrexerit.

Expoſitio.

ITaque abſolutis, quæ in monte Tabor peragenda erant, ad eos, qui ſubtus expectabant, reuertitur Chriſtus cum diſcipulis tribus, quos ſecũ ad montem aſſumpſerat, at *deſcendentibus* diſcipulis illis, de monte illo excelſo *præcepit* graui imperio, & inhibuit, quæ viderant oculis proprijs, & audierant auribus, narrare alicui, quamdiù in humanis ipſe ageret, niſi cum reſurrexiſſet ad gloriam Patris.

Et deſcendentibus illis de monte. Quando aſcenderunt Ieſus aſſumpſit eos, modo cum deſcendunt nihil tale. Nam etſi, qui aſcendat ipſe ſit, & qui deſcendat, idemque ſubleuet, & humiliet. Verum enimuero, quia deſcenſus nonnunquam malum inaugurat, aſcenſio autem, vt plurimum bonum dicit,

Pſal 88.

in ea ſolum Ieſus exprimitur. Quia Domini eſt aſſumptio noſtra, quæ ad virtutem ſpirat, & virtutis præmium; deſcenſus autem, quo relinquit homo culmen boni operis, ad quod properabat, à ſeipſo eſt. Vnde qui ſic infeliciter deſcendunt, aiunt: In ma-

Sap. 5.

lignitate noſtra conſumpti ſumus. Ergo deſcendunt de monte, quantumuis excelſo; & euaneſcit ab oculis eorum gloria, quam tanto cum gaudio conſpexerant, vt vel inde nobis perſuadeamus nullũ eſſe alioqui eminentem, & glorioſum vitæ huius ſtatum, à quo non poſſit homo cadere, & ab illo deſcendere ad humilitatem infimam. Hinc il-

In hac vita ſemper timendus eſt lapſus.

le, qui ad tertium vſque cælum aſcenderat: Qui ſtat videat, ne cadat. Et alius, qui plus

1. Cor. 10.

cæteris abundauit gloria, diuitijs, & ſapientia, pariter monet: Ne glorieris in craſti-

Prou. 29.

nũ ignorans quid ſuperuentura pariat dies. Cæterum vir in multis expertus (addit Ec-

Eccl. 34.

cleſiaſticus) cogitabit multa, & qui multa didicit enarrabit intellectum.

Præcepit illis, ne cuiquam quæ vidiſſent narrarent. Quoniam omnia tempus habent, tempus loquendi, & tempus tacendi. Hoc eſt, quamdiù nihil poteſt ſermo proficere, ſed potius officere. Verum qui inconſideratus eſt ad loquendum ſentiet mala. Qui autem moderatur ſermones ſuos, doctus, & prudens eſt, & prætioſi ſpiritus vir eruditus. Talem autem volens magiſter quemcunq; Apoſtolorum eſſe, præcepit moderari ſermones interdum. Nam quo Apo-

Victor.

ſtoli plura (ait Victor Antiochenus) maioraque de illo ſparſiſſent, eo res apud turbas incredibilior viſa fuiſſet, ſcandalumque quod ex Cruce poſtea ortum eſt, latius ſe diffudiſſet, ob id ergo, quæ viderant, ſilentio tegere mandat.

Niſi cum filius hominis à mortuis reſurrexerit. Pater de nube loquens, ac Deus, eum vocat filium meum; mox ipſe hominis filium ſe nominat; nunquid duo eſt Chriſtus, & alius in eo filius Dei, & filius homi-

Cyrillus.

nis? Qui ita ſubſiſtentias diuidunt (ait Cyrillus declaratione ad Anathematiſmum 3. contra Neſtorium) ſingulaſque, hoc eſt, Deum, & hominem ſeparatim ponunt, talemq. illorum copulam confingunt, quæ ſecundum ſolam dignitatem contingit, illi duos omninò filios conſtituunt, cum diuina Scriptura, vnum tantum filiũ, & Dominum eſſe affirmet. Quemadmodum exempli cauſa (ſcribit idem ad Theodoſium Imperatorem lib. de recta in Chriſtum fide) in hominis quoque compoſitione accidere animaduertimus. Is etenim ex anima, & corpore, partibus vtique ſecundum naturam diſſimilibus, conſtituitur; attamen quod ex vtroque concreuit, vnus homo reputatur. Et quemadmodum à ſola carne totum interdum animal denominatur, & anima rurſum nominata, id, quod ex vtroque conflatum eſt, non infrequenter intelligitur; ad eundem planè modum, quæ de Chriſto quoque dicuntur, accipienda ſunt. Vnus eſt ergo Dominus, vnus Filius Ieſus Chriſtus, & ante carnem, & poſtquam ſuſcepta carne homo apparuit. Eſt autem perfectus Deus

Iulius Papa

in carne (proſequitur Iulius Papa ad Proſodocium) & homo perfectus in ſpiritu; non duo filij, ſed vnus germanus filius, qui ſuſcepit hominem, hoc eſt, humanã naturam. Neque enim hominem ſuſcepit Dei Filius

Felix Papa.

(ſubdit Felix Papa ad Maximum, & Clerum

Alexan-

Alexandrinum) vt alius ab ipſo exiſtat, ſed cum perfectus Deus eſſet, factus eſt ſimul homo perfectus ex Virgine natus. Quare Scholaſticorum opinio, quæ eadem relatione filiationis vult Chriſtum ad Patrem referri, & matrem, veriſimilior ex his, quæ contra Neſtorium Patres afferunt. Præterea quod ob vitandum ſcandalum reſurrectionem iuſſerit expectari, antequam euulgaretur myſterium, cum eo maiora vtpotè Trinitatis proceſſionis ſuæ à Patre, necnon ſpiritus ab vtroque regni gloriam, & ſui imperiũ expoſuerit, non probo funditus; ſed meliori ſaluo iudicio dicerem, euſque differri transfigurationis publicationẽ, quando extaret exemplum perpetuum, & notum extraneis, vtpotè cuſtodibus ſepulchri, qui viderant ſuſcitatum Chriſtum. Etiam alijs multis, qui apparuerunt cum Chriſto ſuſcitati. Etenim admirabili argumento veriſimili, aut vero facillimè perſuadetur.

CAPVT NONVM.

Et verbum continuerunt apud ſe conquirentes quid eſſet, cum à mortuis reſurrexerit.

Expoſitio.

ABſorpti fortè maieſtate, quam paulò ante in Chriſto conſpexerant, quæ de morte, & reſurrectione à magiſtro audierant diſcipuli non valebant penetrare. Quare verbum illud, quod eis Chriſtus de huiuſmodi eructarat, continuerunt, & conſeruarunt intra ſe conquirentes apud ſemetipſos, ac mutuò quid eſſet intelligendum ſuper prolata à magiſtro; & quid ſibi vellet iuſſio de tacenda transfiguratione, donec à mortuis reſurrexerit: Quid enim deſpectus; & ignominia ad gloriæ maieſtatem, aut quid opus eſt reſurgere eum, qui reſurgentium dotes in ſeipſo continet? Hæc, & ſimilia in animo verſantes in maiorem difficultatem incidebant.

Et verbum continuerunt apud ſe. Hoc eſt continuerunt intra, vt eis fuerat imperatum, ne ab eius gratia, & amicitia caderent. Hæc enim eſt potiſſima cauſa, quæ pleroſque Sanctorum à publicandis diuinitus acceptis ſecretis cohibuit, quouſque expreſsè reuelare ſecretum demandarentur. Vnde Pſaltes: In corde meo abſcondi eloquia tua, vt non peccem tibi. Siquidem qui eſt Regi à ſecretis, & conſilijs in iram Regis incidit propalans abſque licentia, quæ à Principe audiuit. Quapropter Samuel formidabat nunciare Heli, quæ ab oraculo de eo acceperat, tametſi prodeſſe, & conducere præſumeret. Et quidem omnis, ad quẽ fit reuelatio, trepidat quicquam niſi iuſſus euulgare, aut certè manifeſtè præſumat eo ſibi reuelatu, vt publicatione alij

Pſal. 118.

Secretum ſeruandum.

ædificentur, meliores fiant, & euadant pericula innocentes, iuxtà illud: Vt liberentur dilecti tui.

Conquirentes quid eſſet. Hoc eſt diſputantes ſuper intelligentia verborum Chriſti; in eandem diſputationem erant ſoliti incidere, vt cum nihil, quod per os intraret hominem conquinare dixit, & alias ſæpè. Id quod tùm ab imperitia naturæ, tùm ab opinione magna, in qua magiſtrum, & eius dicta, & facta penes ſe habebant, proueniebat; tùm quoque ab humilitate, quæ humilem ſic obſtringit, vt nihil ſe putet ſcire vnquam coram ſapiente conſtitutus; ſemper enim dubitat, capeſcatne benè ſapientis mentem, intelligat magiſtri præclaras ſententias. Quare audire rurſus vellet potius, quàm ſuam ſuper dictis, & auditis ſententiam proferre, neque ſolum per quinquennium, vt diſcipuli Pithagoræ ſilere coram magiſtro vellent, ſed perpetuò cum Moyſe balbutire coram Domino, & clamare: Loquere Domine, quia audit ſeruus tuus. Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decorã. Rurſus nota diſputantes Apoſtolos inſtruere Eccleſiæ Præſules, quomodo debeant, & ipſi diſputare, ac diligenti examine conſultare ſuper oraculis, & eorum germana intelligentia, ne contingat eos decipi cum hæreticis, qui ignorantes veritatem, Scripturas peruertunt, & abſque delectu in perniciem ſuam peruicaces homines oracula Dei pertractant, quum illis abutuntur, vt Pygmaleon eburnea fœmina omnium venuſtiſſima, quam ars confingeret.

Matt. 15.
Mar. 12.

Humilis interrogare nõ præſumit.

Cant. 2.

Præmittẽda ante definitionẽ inquiſitio, & diſputatio.

Pygmaleon.

Cum à mortuis reſurrexerit. Non enim dubitabant, vt Feſtus, qui audita reſurrectione exclamauit, inſanis Paule multæ litteræ ad inſaniam te adducunt. Neque vt Athenienſium quidam irridebant Paulum audita reſurrectione, neque vt Saducæi inſimulabant Chriſtum propeer reſurrectionem mortuorum; erant quidem conſtantes in fide, & firmius multo quàm cæteri confitebantur. Scio quia reſurget homo in nouiſsimo die. Cæterum quod Chriſtus fieret primogenitus mortuorum, & Princeps Regum terræ per mortem, & reſurrectionem, non penetrabant, quodque in eo omnes morerentur, & viuificarentur, qui cum eo conſepulti in morte eſſent, ſcire non poterant. Neque qui ad eum mortis framea accederet ſibi facilè perſuadere, tametſi legerent apud Zachariam: Framea ſuſcitare ſuper paſtorem meum, & ſuper virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum. Percute paſtorem, & diſpergentur oues gregis, & conuertam manum meam ad paruulos. Necnon apud Iſaiam: Pro eo, laborauit anima eius, videbit, & ſaturabitur: in ſcientia ſua iuſtificabit ipſe iuſtus, ſeruus meus multos, & iniquitates eorum

Act. 26.
Act. 17.
Matt 22.
Mar. 12.
Luc. 20

Dubitatio Apoſtolorũ.

Zach. 13.

Iſai. 53.

ipſe portabit. Ideò diſpertiam ei plurimos; & fortium diuidet ſpolia, pro eo quod tradidit in mortem animam ſuam. Tametſi enim apertè eſſent oracula iſta, quæ mortem Chriſti, & exaltationem pronuntiarent, ad aliam fortaſſis ſententiam penſatis alijs Scripturis trahebantur, vt neque mori, neque à morte reſurgere eum oporteret. Recordabantur enim, quæ de eo alibi ſcripta erant, vt: Ecce ſeruus meus ſuſcipiam eum; electus meus complacuit ſibi in illo anima mea. Ecce ego obducam eis cicatricem, & ſanitatem, & curabo eos; & reuelabo illis deprecationem pacis, & veritatis. *Ierem 30.* Et ſimilia perlegerant de Chriſto, quæ videbantur eum à morte eximere. Dum ergo animus dubius eſt, neque de intelligentia Scripturarum audent ſententiam ferre, magiſtrum conueniunt, vt infra.

CAPVT DECIMVM.

Et interrogabant eum, dicentes: Quid ergo dicunt Phariſæi, & Scribæ, quia Eliam oportet venire primum?

Expoſitio. ERgo *nodum*, quem ipſi *in ſeipſo quærebant*, ac fecerant potius, neſcientes ſoluere, vt qui docibiles Dei eſſent, excogitant interrogationem proponere magiſtro, vt ex ſolutione noui interrogati pateat dubium. Poſtquam ergo proprius ad eum acceſſiſſent *interrogabant* humiliter, & reuerenter *eum*, qui dignus eſt accipere gloriam, honorem, & diuinitatem, & habet clauem Dauid, vt aperiat, & claudat myſteria abſcondita à conſtitutione mundi; *Apoc. 5.* *dicentes* itaque ſolita vrbanitate, hæc protulerunt. *Quid ergo* ſi mori te oportet, & reſurgere, *dicunt* publicè *Phariſæi* religioſi, & docti *Scribæ* docent, *quia Eliam* Prophetam *oportet* iuxtà oracula vatum, *venire primum*, quam fiat reſurrectio? An non te glorificato, ſiue poſt mortem, ſiue abſque morte, vt nuper, finem mundus accipiet? Quod ſi te exaltato redempti à Domino exaltandi ſunt tecum, quorſum Elias veniet? Etenim pugnant, te mori, & reſurgere oportere, ac primum *Eliam* venturum; at pugnantiam per te dilui exoramus.

Et interrogabant eum. Quandoquidem reſpondere ad obiecta, quæ eorum mens fabricabat, ob occurrentia vtrinque Scripturæ loca, non poterant. Id quod ſi cæteri Iudæi feciſſent, quando in idem prolapſi dubium dixere: Quid ergo ait Scriptura: Quia Chriſtus manet in æternum? nunquam Dominum gloriæ crucifixeſſent. *1. Cor. 2.* Neque poſteri expectarent nouum Meſſiam, qui liberet eos; neque nouam ciuitatem, templum, ac Regnum, in quo regnent perpetuis ſæculis cum venturo Rege, quem iugiter venire deprecantur, ſed vanè; vt quod olim praua progenies vatibus exprobraret. Manda remanda, expecta reexpecta, modicũ ibi, modicum ibi; idem miſeris, quaſi fabulam, decantemus. *Iſai. 28.* Siquidem venit moriturus, & mortuus eſt, & reſurrexit, mundumq. moriens redemit, & erexit nouam fabricam Templi, & Regnum, quod non diſſoluetur. Cæterum, quia os Domini non interrogarunt; factum eſt eis verbum abſconditum, palam autem Apoſtolis, qui interrogare non erubuerunt, quæ neſciebant. Ergo imitemur Apoſtolos, quum in varias tentationes difficultatum, tùm Scripturæ, tùm operum incidimus, & interrogemus patrem per orationem, & preces aliorum, vt Conſtantinus per Antonium, & Theodoſius per Simeonem, & alij pij per Dei ſeruos, vt dignetur nobis annuntiare quid tenendum, quando diſceptatur de fide; quid agendum, quando de moribus agitur; & quomodo ſentiendum, quando quæſtio de Scripturarum interpretatione verſatur, ne quod Arrio temerario, & Neſtorio tumido, atque alijs infeliciter accidit, experiamur.

Orandũ pro Scripturarũ vera interpretatione acquirenda.

Dicentes. Erant enim ſoliti Chriſtum non dicendo interrogare, vt cum audita ſeminatoris parabola, volebant eum interrogare, non tamen audebant: At proprius Chriſto accedentes, & ſolito attentius inſpicientes, haud ſecus, quàm geſtibus canes, petebant ſibi panis myſteria frangi. Quare duos ab Apoſtolis modos interrogãdi Deũ, & interpellandi Chriſtum accipiamus. Primus ſit perfectorum, qui oratione mentali ſe Deo præſentant, & animi affectibus ad Deum ſe transformant, conuincuntq. aperire myſterium, quod Daniel reddebat ſolicitum; & dare veniam, pro qua Moyſes ad montem conſcendit. Secundus eſt reliquorum, qui vocali ſono clamitant: Parce Domine, parce populo tuo. Domine ſaluum me fac; & pſalmos noſtros cantabimus cunctis diebus vitæ noſtræ in domo Domini. *Pſal. 117.* Pater noſter, qui es in cælis, ſanctificetur nomen tuum, *Matt. 6.* ac ſimilibus vocibus orant, petunt, poſtulant, obſecrantur, & gratias agunt. Vtraque oratio, ſi orans debitè clamet, accepta eſt Deo, atque vtilis. Quicquid oblatret hæreticus Lutherus, & Centuriatores, qui vt ſimulent animalem eorum victum, in ſpiritu ſolum orare docent, vocalem autem precem deteſtantur. Quum reuera, neque mente, neque ore nouerint deprecari; & ſit omnis illorum oratio execrabilis, indigna exaudiri.

Duo modi interrogãdi Chriſtum.

Hæreſis Lutheri.

Quid ergo dicunt Phariſæi, & Scribæ. Qui, & quales hi eſſent, & haberentur in populo dictum eſt, ac propterea vafrorum hominum, & falſorum, in omni penè ſtudio fidei, ac morum, dicta, & ſententias opponere Chriſto, qui eſt tota veritas, in quem

non

non cadit falſum, neq; mendacium poteſt ab eo exire, certè indignum erat, & ab Apoſtolorum munère alienum. Simile accidit in nonnullis concilijs, & eueniret nobis ſi Hæreticorum dicta, tametſi vera, in publicum contra veritatem minus perceptam ferremus, vel certè Paganos, quaſi deeſſent Catholici, & Patres Orthodoxi, nec non veri Doctores, & vates, qui maiori cum laude eadem protuliſſent. Quid? neque pro veritate, niſi quando contra Paganos, & hæreticos ſermonem teximus, aut conſcribimus, citandi ſunt vnquam infecti paganiſmo, aut hæreſi; Tunc enim proprijs infidelium gladijs, vt Iſraelitæ, infideles transfigimus, vt fecit Paulus Cretenſes, & contra Apionem Grammaticum Ioſephus, & factitant ſæpè qui huiuſmodi homines conantur ſcriptis, & diſputationibus ad veritatem pertrahere.

Quinam citandi in afferenda veritate

Quia Eliam oportet venire primum. Hoc erat argumentum Iudæorum, & Procerum ſynagogæ, apud quos Phariſæorum, & Scribarum ſententia prævalebat, vt Ieſum ſuggillarent, neque in eum crederent; quandoquidem Elias, quem Malachias deponit venturum ante reſurrectionem communem, & aduentum Meſſiæ, nondum eis innoteſcebat: Ecce ego mittam vobis Eliam, (ait vates) prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis. Atqui modo Iudæi eodem vtuntur teſtimonio, vt peruicaciam ſuam confirment, perſuadeantq; haud veniſſe Chriſtum; tum maximè quod ibidem vates dicat: Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparabit viam ante faciam meam, & ſtatim veniet ad templum ſanctum ſuum dominator, quem vos quæritis. Cæterum quantum hallucinentur Orthodoxus dignoſcit; & facile ad obiecta reſpondet diſtinguens inter diem Domini horribilem, & exultationis gaudij, necnon inter aduentum Chriſti manſuetum, & terribilem, ſeu primum, & ſecundum: diſcernens quoque quid interſit, & quantum inter Angelum, qui præparet viam, & Angelum teſtamenti, qui eſt Dominator deſideratus, & expectatio Iſrael, videlicet quod ille ſit Ioannes, vt habet veritas; is verò noſter Chriſtus, qui venit hoc primo tempore præcurſore Ioanne, vt alleuiaret terram Zabulon, & penderet peccati tributum factus pro nobis peccatum, hoc eſt in ſimilitudinem peccatorum humilis, manſuetus, ac nouiſſimus Virorum; ſeruans gloriæ maieſtatem, atque potentiam ad ſecundam diem, & aduentum præcedente Elia, vt vates egregiè tam hoc, quàm illud deponit. Sunt tamen facti cæci, quia Domino peccauerunt.

Error Iudæorum.
Mal. 4.
Luc 7.
Matt. 11.
Mar. 1.
Duplex Chriſti aduentus.
Ioannes Baptiſta Angelus.
Sop. 1.

* * *

CAPVT XI.

Qui reſpondens ait illis: Elias cum venerit primo, reſtituet omnia? Et quomodo ſcriptum eſt, in filium hominis, vt multa patiatur, & contemnatur.

Expoſitio.

ACutiſſimo reſponſo, & inſolubili argumento omnem dubitationem ſoluit Chriſtus, ſic reſpondens. Eliam primò venturum ante ſecundum aduentum ad iudicium, & reſurrectionem communem admitto; attamen, vt ad fidem conuertat errantes Iudæos & infirmos roboret? Minime tamen, vt *reſtituat omnia*, quæ per peccatum ceciderant, & regnum, atque felicitatem, quam in vno Adam perdidere, reſtituat. Id quod neceſſe eſt dare ei, ſi Præcurſor ante me nunc expectatur. At ſi tanto munere Elias fungitur, *quomodo* in oraculis *ſcriptum* legimus tot, tantaſque anguſtias ſupra *filium hominis* euenturas, ac multa debere eum pati, contemni, ac mori, vt redimat totum hominem, ſaluet, atque beet? Ergo vnum è duobus inferri oportet; vel oracula non implenda, vel Eliam haud venturum mox ante ſecundum aduentum. Illud autem eſt impoſſibile, ergo poſtremum admittatur; Elia non modo, ſed extremis temporibus venturum, quando reſtitutis omnibus per mortem meam, annuntiabit electis ſecundum aduentum, & conuertet ad Dominum Deum ſuum Iudæos, qui couſque pertinaces erunt, & abſq; viro. In hunc propemodum Theophilactus præſentem argumentationem format.

Theophyl.

Quia reſpondens ait illis: nulla neque de Phariſæis, aut Scribis facta mentio, neque ob teſtium infamiam obiurgans Apoſtolos, ſed ſilentio præteriens dignam reprehenſione citationem, ad reſponſionem properat. Quæ res modeſtiam Chriſti exaltat, atque prudentiam, qui ſimplicitatem Apoſtolorum aduertens, prudenter diſſimulat imprudenter factum. Inſtruens eos, qui præſunt multa prætérire, nec omnia corrigere, quæ potiſſimum non ex malitia, ſed animi ſimplicitate, vel dici, vel fieri à ſubditis cernũt. Nam benè conſurgit diluculo, qui quærit bona, & meliora ſemper in ſubditis: qui autẽ inueſtigator eſt malorum omnium & ſingula quærit vel emendare, vel caſtigare, opprimetur ab eis, permiſſione Dei, qui cũ permittet cadere, quod fratri non cõpatiatur.

Non omnia corrigenda.
Pro. 11.

Elias enim cum venerit. Admittit itaq; Eliam venturum iuxtà tamen oraculum, quod Malachias pronuntiauit, videlicet, ante iudicium. Præmittetur autem tum Elias, vt zelo, feruore, aſperitate victus, & veſtitus, & audacia loquẽdi, operãdiq; mira virtute, qualitatem futuri Iudicis, nec non diei ma-

Mat 17.
Mal 4.

magnæ terrorem deſignet. Sic enim ſolitum
eſt Prophetas mitti iuxtà negocia, ad quæ
deſtinantur, necnon perſonas, vt legationem
in ſeipſis deſcriptam ferant.

Primo reſtituet omnia? Ego hic interro-
Matt. 17. gationem facio, vt aptius concludã, diſiun-
ctiuam, quam ſuperius collegi. Interrogatio
autem ſenſum reddit negatiuum, vt *primo
reſtituet omnia?* ac ſi diceret non reſtituet.
Epi. ad Tit. c. 2. Hoc enim eius opus, qui redemit nos ab
omni iniquitate, & populũ Deo acceptabilẽ
reddidit, ianuam cæli aperuit, & pacificauit
per ſanguinem Crucis eius, ſiue quæ in cæ-
lis, ſiue quæ in terris omnia ad ſeipſum tra-
Duplex lectio. hens in Cruce exaltatus. Qui affirmatiuè le-
gũt *prima reſtituet omnia*; Eliæ hoc munus
cõcedunt, tamen reſtituere omnia interpre-
Quidã dicũt Eliam omnia reſtituturũ. tantur tantum reliquias Iudæorũ, quæ præ-
dicatore Elia ad Chriſti fidem conuerten-
tur; & quærent Dominũ Deum ſuũ, qui à fi-
de exorbitauerant metu Antichriſti, ſic in-
Theophyl. telligit Theophylactus ſcribens: Elias reſti-
turus eſt omnia, & non erit vltra incredulus
Iudæus, ſed omnes credent prædicationi,
quot, quot Eliam audierint. Mihi tamen ne-
mo perſuadebit hoc eſſe reſtituere omnia;
Impugnatio huius ſententiæ. tùm quod propriè reſtituere in Scripturis
Deo tribuatur; tùm quod omnia dici non
poſſunt paruæ Iudæorum reliquiæ, tùm quo-
que quod omnes, qui ad fidem per quoſcun-
que conuertantur, meritò paſſionis Chriſti
reſtituantur ad ſtatum, à quo per vnius de-
lictum ceciderant. Solum enim granum fru-
Reſtitutio ſoli attribuẽda Chriſto. menti moriens fructum multũ affert, & ſo-
lus Chriſtus, cum exaltatus fuit, traxit om-
Ioan. 12. nia, ac meruit, vt qui ſaluandi ſunt conuer-
tantur, & ſaluentur. Alioquin, & Apoſtoli di-
cerentur reſtitutores omnium, vtpotè gen-
tilitatis; at ſicut neque admittimus Salua-
torem alium à Chriſto, ita neque reſtituto-
rem omnium admittam, niſi ſolũ Chriſtum;
cæteros tantũ dicam miniſtros Chriſti, qui-
bus vtitur, vt vel partẽ, vel totum reſtituat,
Epheſ. 1. & aſſumat ad ſeipſum eos, quos elegit ante
mũdi conſtitutionẽ, ſibiq. pater dedit, vt fo-
ueat, conſeruet, & pleno gaudio adimpleat.

Et quomodo ſcriptum eſt. Scripturam al-
legat Chriſtus, non vt inferiorẽ proprijs di-
ctis, cũ ſit auctor omniũ oraculorum, ac re-
gula totius veritatis, & fons vnde ſcaturiũt
flumina Scripturarum omniũ, & veritatum,
quæ in cælis habent ſedẽ, in terris peregri-
nantur, & ſubens genu curuant Deo excelſo,
etſi quartum genus veritatum reliqua entia
dicimus, earũ quoq; originem neceſſe eſt cõ-
ſtituere. Quoniam in ipſo, & per ipſum, & cũ
Ioan. 14. ipſo ſunt omnia, & ipſe ante omnes, via, ve-
ritas, & vita. Quare aliunde teſtimonium ſe
ſuperius petere nequit. Hoc enim eſt noſtrũ
ſcripturis canonicis vti in confirmationem
veritatis, quã proponimus, vt ſi nobis men-
dacibus fides negetur, adhibeatur his, quæ
ab ore Dei, qui nec fallit, nec fallitur, pro-
ceſſere. Allegat nihilominus Chriſtus, quod Cur allegat Chriſtus Scripturas?
ſcriptũ eſt; imprimis, vt nouum robur, & di-
gnitatis gradũ eminentiorẽ, quã ante apud
cæteros habeant: ſecundo, vt fidẽ his faciat,
qui eũ nondum plenè norunt, quod is ſit, qui
ſaluare mortales venit. Et tertio, vt hiſce
ſtudijs noſipſos occupemus, quæ ſcripturis
ſint conſona, valeantq. ſacris oraculis adiu-
uari, foueri, & ad meliora promoueri. Siqui-
dem Scriptura diuinitùs inſpirata vtilis eſt
ad omnia, quę Dei hominẽ efficiũt perfectũ.

In filium hominis. Duplicem ſenſum red-
dunt verba iſta, vel contra filium hominis;
vel erga filium hominis honorandũ, & exal-
tandũ; vtrumq; enim præpoſitio, *in*, ſubindi-
cat; necnon quæ paſſus eſt Chriſtus contra
eum dici poſſunt, ſi animus carnificũ inſpi-
ciatur, vt qui dicerent: Contumelia, & tor- *Sap. 2.*
mento interrogemus eum, vt ſciamus reue-
rentiam eius, vt probemus patientiã illius.
Morte turpiſsima condemnemus eũ. Ad ani-
mum verò patientis cuncta referendo; nihil
dulcius, nihil glorioſius, nec honorificẽtius
Chriſto vnquam eſt ab hominibus oblatum
in terris, quàm paſsio, & mors, quæ illũ ex-
celſiorem principatibus, & poteſtatibus, ſu-
perioremq. creatis omnibus fecit, & princi- *Philip. 2.*
pem Regum terræ, cui omne genu curuatur.
Quapropter quæſitus de plagis reſpondit:
His plagatus ſum in domo eorũ, qui me dili- *Zachar. 13*
gebant; à dilectis autem nec expectatur, nec
confertur, niſi quæ glorificant, & coronant;
ſubinde ſponſa Chriſti opprobria coronam,
qua illũ mater coronauit in die deſponſa-
tionis ſuæ, appellauit. Itaq; animus patiens,
gloriam facit ignominiã. Ergo dixit ſecta-
tor Chriſti: Gloriabor in infirmitatibus *2. Cor. 12.*
meis, quodq. ter virgis cæſus ſim, ter nau- *2. Cor. 11.*
fragium fecerim pro Chriſti nomine. Sic &
reliquos facere magiſter iuſsit. Væ autem
ijs, qui iuſtũ contriſtant, & armantur aduer-
ſus eum, qui iuſtus eſt. Dũ enim contra eum
arma ſumunt ſeipſos dilaniant, dumque co-
nantur ſagitta transfigere innocentem, ca-
dunt nocentes exanimes, iuſtus autem in re-
frigerio erit.

Vt multa patiatur, & contemnatur. Pro-
pterea Iudæi, quum legerent in Scripturis,
quæ Chriſtus paſſurus eſſet, necnon glorio-
ſa, quæ ibidem promittuntur de Chriſto in-
telligi; duos finxere Meſsias vnum Ioſeph
filium, alterum Dauid illum in bello Og, &
Magog interficiendũ cenſent. Hunc autem
perpetuo victurũ, & regnaturum, poſtquam
priorẽ Meſsiam ſuſcitauerit, & debellaue-
rit gentẽ omnem, ſunt iſta Talmudiſtarum
commenta. Veritas, & fidei, & Scripturæ
Chriſtum vnum confitetur, qui iam paſſus
eſt, & ſuſcitatus, expectatur tamen ſecundò
glorioſus, vt ſuſcitet nos omnes, atque iu-
dicet. Vide Adrianum Finum lib. 5. cap. 15.
flagelli Iudæorum.

CAPVT

CAPVT XII.

Sed dico vobis, quia & Elias venit, & fecerunt illi quæcumque voluerunt, ſicut ſcriptum eſt de eo.

Expoſitio.

NOn ſolum venturum, ſed etiam veniſſe iam Eliam demonſtrat Chriſtus, vt omnem cauillandi occaſionem adimat aduerſarijs, & eos oſtendat apertè ignorare, quod triuiale eſt de Elia, videlicet, duplicem eius aduentum, de quorum poſtremo hactenus, nunc primum enarrat. Sed rurſus (inquit) dico quod Phariſæi, & Scribæ præ ſtoliditate mentis non aduertunt, illudque indico vobis, qui ſcitis, quod iuſtum eſt, & quæritis veritatem, quia *& Elias*, quem expectãt ante me Iudęi, iam *venit*, meque diù præceſſit. Et venit quidem placidus, & benignus, atque pacificus his, qui pacẽ oderant. Quapropter tantum abeſt, quod eum, vt oportebat, reciperent, quod potius omnem iniuriam, & malitiam, ac quicquid voluerunt exercere aduerſus eum, tentarunt. Cæterum, & hoc, quod Elias paſſus eſt, *ſcriptum eſt*, ſicut & id, quod in filium hominis aggrediuntur, & tentant exercere.

Sed dico vobis, quia & Elias venit. Allegarant Apoſtoli Phariſæos, & Scribas, quod dicerent, quia Elias venturus eſt; at Chriſtus iſti propoſitioni oppoſitam proponit, videlicet, dico, quod *Elias venit*, docens nos omninò ab hæreticis diſcrepare, & contrarijs propoſitionibus aduerſus eos vti. Quod & obſeruant Patres, dum in Concilijs pugnatur pro fide, & ſcriptis aduerſus hæreticos agunt. Vnde cum diceret Arrius, Chriſtus minor eſt Patre; opponerẽt Patres; Chriſtus non eſt minor Patre, ſed ęqualis in diuinitate. Quãdo Ioãnes Vuicleffi eſtutiret, prędicatio libera eſt, vt à ſuperiori impediri nequeat; Patres cõtradicerent; prædicatio non eſt libera, vt à ſuperiori impediri non poſſit; ac quoties auditur dogma vigens, videlicet, id ſolum recipi oportere, quod Scriptura tantum probatur; reſpondetur, non ſolùm quod Scriptura probatur recipi debet, ſed etiam quod non eſt probatũ Scriptura, ſed traditũ ab Apoſtolis, ordinatum à maioribus, & obſeruatum continuò in Eccleſia. Idem de reliquis habetur iudicium, vt nec verbis conſentiamus cum Hæreticis. Nam vt ſacratiſſimus Paulus dixit (ait Cyrillus ad Theodoſium ſcribẽs) colloquia praua bonos mores corrumpunt, guttaque diſtillans, ſecundum ſapientis dictum, ſaxa excauet, fieri nequit, ſi noxij illi ſermones inhumanam mentem inſtar diſtillantis guttæ ſubinde incidant, vt graue aliquod damnum illi non afferant, vel omninò quoque eandem corrumpant.

Cyrillus ad Theodoſiũ.

Eſt quidem (vt paulò ante dicit) hæreſis, peſtifera quædam lues, quæ orbem depaſta eſt vniuerſum, baſim quidem habens mendacium, patrem verò Satanam. Ergo veritas oppoſitum hæreſi aſtruit, *dico vobis, quia Elias venit*; vt magiſtri nedum facta, ſed formulas quoque loquendi veras complectamur reiectis omninò falſis, quibus Hæretici, edocti à Patre mendacij, vtuntur. Erant quidem Scribæ, & Phariſæi in multis Hęretici, tùm maximè intelligentia prolatę ſententiæ, quia Elias venturus eſt, videlicet ante primum aduentum; at Chriſtus *Elias iam venit* ante primum aduentum.

Cõtagio hęreſis.

Et fecerunt illi quæcunque voluerunt. Theophylactus ſequens Chryſoſtomum, atque alij Eliam, qui venit, Ioannem interpretantur, tùm quod Chriſtus moribus Eliam dixerit; tùm quod multa perpeſſus fuerit ob veritatem, demumque mulctatus, vt Elias, qui in prædicatione occumbet. Verum de vero Elia ſermonem hic texi fidem facit, tùm quod Phariſæorum, & Scribarum ſententiam expugnet Chriſtus, velut hæreticam, ea intentione prolatam; at hæreſis non diſſoluitur amphibologica locutione, ſed vera, & oppoſita. Tùm quod reuera in Eliam quando venit impijſſimæ Iezabel ſatellites *fecerunt quæcumque voluerunt*, quoad finem, & intentionem, quæ erat tollere Eliam, ne vnquam appareret ante conſpectum eorum, neque in cultum eorum vanum inſectaretur. Atqui hoc factum eſſe, rapto eo ſatis conſtat. Vnde tametſi mortem, ac damna reliqua eius corpori non intulerint, voluerunt tamen, atque ideò fecerunt. Siquidem voluntas pro facto reputatur.

Theophyl. Chryſoſt.

Litteralis ſẽſus conuincendis hęreticis idoneus.

3. Reg. 19.

Sicut ſcriptum eſt de eo. Hoc ſcriptum non intelligitur prædictio, quæ mala Eliæ futura prædiceret, velut ea, quæ in filium hominis acta ſunt, niſi implicitè inter tribulationes iuſtorum, quæ ab initio cunctis prædicuntur, ea recenſeri arbitremur, aut in verbis Angeli, magna tibi reſtat via, ideſt ardua, & difficilis; aut alijs. Propriè hoc, *ſcriptum eſt*, hiſtoria eius, quæ mala, & anguſtias, atque inſidias, quas ei pararunt æmuli, deſcribit, & continet. Vult autem Deus, iſta non de Elia tantum, ſed de omni penè Sancto, ſcriptum eorum, quæ paſſus eſt, aliqua ex parte conſtare, vt meditantes quanta Sancti paſſi ſunt tormenta, vt acciperent palmam, curramus, & nos velut elephantes alieno ſanguine excitati, ſed propoſitum nobis certamen, ac tenẽtes gladios ancipites fidei, & veritatis ſuper fęmora noſtra, & animos reſiſtamus diabolo, qui vt Golias cõtinuò prouocat ad ſingulare certamen, & ſuadet peſſimis aſſentiri; conſtantes ſimus lorica induti iuſtitiæ aduerſus domeſticos homines, qui latenter inſidiantur calcaneis, quando vnũ marſupiũ

eſſe commune ſibi, ac nobis volunt, aperto autem marte nos aggrediuntur, dum vel perſequuntur, quia non conſentimus operibus eorum malis, vt Caim Abel; vel bonũ impediunt, vt Holofernes aquã Betulijs. At quomodo vniuerſis prauorum incurſibus reſiſtamus, quod ſcriptum eſt de Sanctis nos docet; eorumque acta ad id, quod arduum eſt, excitant. Cum præſertim natura

Marcus Marulus. comparatum ſit, ait Marulus Spalatenſis in præfatione de vita religioſè inſtituenda, per exempla, vt humanus animus ad duriora ſubeũda negocia magis moueatur exemplo, quàm inſtitutione, atque præceptis: quiſque enim ei operi libentius, confidentiuſque ſeſe accingit, quod ab altero factitatum, quàm quod ſuaſum agnoſcit.

CAPVT XIII.

Et veniens ad diſcipulos ſuos, vidit turbam magnam circa eos, & Scribas conquirentes cum illis.

Expoſitio. POſtquam tribus ſatisfecit diſcipulis, ad alios, qui deorſum expectabant deſcendit. *Et veniens* auidus inuiſere ſuos illos diſcipulos, quos tenerè diligebat, & aliquid gratiæ ſpiritalis impartiri eiſdem, vt cæteria, appetens; vidit à longè turbam vſquequaque collectam ad eos, & magna in multitudine, ad modum coronæ, circundantem eos, quaſi in circo, & ad paleſtram conſtitutos. Etenim Scribæ veritatis æmuli, & detractores bonorum, *conquirebant cum illis*, & diſputabant, opponentes eis falſa, & friuola, vt non tàm diſcipulos, quàm magiſtrum ſuggillarent.

Et veniens ad diſcipulos ſuos. Scilicet de monte, in quo transfigurationem declararat tribus, aliorum ſemper retenta memoria. Quapropter expleto myſterio redijt ad eos, vt præſignaret facto, quod verbis pollicebatur:

Ioan. 14. Ego vado, & venio ad vos. Et ſi abiero, & præparauero vobis locum; iterum venio, & accipio vos ad meipſum, vt vbi ego ſum, & vos ſitis. Quæ res credentium animis, qui peregrinantur à Domino, ac Dominum in regionem longinquam profectum credunt, non paruam lætitiam ingenerat, quando mente recolunt promiſſum, & ſperant certò Dominum venturum, vt ſimiles ei appareamus, ſimuſque cum eo in ſæculum. Tunc

Iſai 36. enim redempti à Domino conuertentur, & venièt in Syon cum laude; & lætitia ſempiterna ſuper caput eorum, gaudium, & lætitiam obtinebunt; & fugiet dolor, & gemitus, quaſi miſericordiam conſecuti à pœnis, quæ mox obruunt nos; & congregati in miſerationibus magnis, quaſi ſponſæ, quæ ad

Matt 25. ſponſum intrarunt. Ergo venientem expectemus peruigiles iugiter in bono, à malo autem alieni. Qui eiuſmodi ſe præbuerit, erit vas in honorem ſanctificatum, & vtile Domino ad omne opus bonum paratum. Iuuenilia ergo deſideria fuge, ait Paulus Timoth. ſectare verò iuſtitiam, fidem, cha- *2. Tim. 2.* ritatem, & pacem cum his, qui inuocànt Dominum de corde puro, ſic enim venientem læti recipiemus, quem ambimus.

Vidit turbam magnam. Nolo præterire myſterium, quod occurrit, tametſi oratio curſum poſtulet, ſeu potius lector breuiorem exquirat ſermonem; vtcunque breuiſſimum erit quicquid proloquar operanti, & ei, quem Dominus oculo ſuæ pietatis viderit, & transfigerit, inter turbas, quas vel aſcendens ad montem, vel inde deſcendens, aut certè ſtans, videt, & intuetur. Hoc eſt autem, quod offertur myſterium paucis digerendum. *Vidit* itaque *turbam magnam* de monte in humillimis campeſtribus, aut vallibus, ſeu collibus humilioribus, in infimis verò conſtitutus neminem *Humiles reſpicit Deus.* conſtitutum in monte, ſeu perambulantem inſpicit, quod humilia tàm in cælo, quàm in terra reſpiciat; à ſuperbis verò oculos auertit, demumque ſedes Ducum ſuperbo- *Canticũ B. M. V.* rum deſtruit, deponitque potentes, humiles autem exaltat, & pro elatis facit mites ſedere. Quod ſtans in monte, vt cum prædicationem Beatorum exorſus eſt, viderit turbam, ſtatum felicitatis æternæ delineare voluit. Namque ibi videt, & videtur facie ad faciem, ſtatque perpetuo loquens, & communicans, quæ beatificant; & qui audiunt ſacrum eloquium, immobiles permanent, fruunturque ſine fine ijs, quæ vident, & audiunt, quia hæreditate, ait quiſque, *Pſal. 92.* acquiſiui teſtimonia tua; quæ mihi olim credibilia erant nimis, & quæ magnis anguſtijs in Meſopotamia conquirebam; aſſecutus videre Iſaac, & eius dulciſſimi patris complexus perfrui abſque timore, ne uices mutentur, poſsidebo. Quod verò aſcendens ad montem videat turbam conuerſus, & commiſereatur, memoriam, quam *Miſericordia Chriſti.* poſt aſcenſum ad cælos noſtri ſemper retinet, ſubindicat; ſiquidem abiens dixit: Vado *Ioan. 14.* parare vobis locum, ego rogabo patrem, & aliũ Paraclytum dabit vobis. Vnde & ſaluare in perpetuũ poteſt (ait Apoſtolus) ac- *Heb. 7.* cedens perſemetipſum ad Deũ: ſemper viuens ad interpellandum pro nobis. Deniq; quod deſcendens de monte videat *turbam magnam* demonſtrat propoſitũ, quo à regalibus ſedibus ad infima noſtra, & abiecta venerit; videlicet, vt videret multitudinem pereuntiũ, erranteſq; oues reduceret, cófractos ſolidaret, captiuos liberaret, & oppreſſos quoq; ſaluaret. Quia cũ redẽptionẽ miſit Dominus populo ſuo, & mãdauit in æternũ teſtamentũ ſuum, & legẽ in cordibus hominum ſcribi, vt mittat id, quod ſaluatum fuerit de domo Iuda, ideſt Eccleſia, & quod

reli-

reliquum eſt, radicem deorſum, & faciat fructum ſurſum: Igitur in connertendo Do- *Pſal 125.* minus captiuitatem Sion, facti ſumus ſicut conſolati.

Circa eos. Vt diſsidentes andirent; quidne aduerſarij fidei, & miraculorum Chriſti detractores opponerent, quidque Catholici obiurgationibus reſponderent. Hoc enim periucundum eſt vulgo audire, quod iure in turba damnandum in prauas trahi ſententias ob garrulitatem, ac deceptiones falſorum hominum, qui orthodoxos hiſce aggrediuntur non veris. Quare vtiliſsimum *Caſtro lib. 1.* iudicat Caſtro lib. 1. de iuſta hæreticorum punitione cap. 19. Qnoties cum hæreticis incidit de fide altercatio laicos auertere; diſputare autem eos omninò vetat Alexander Qnartus in ſexto lib. 5. tit. 2. de hæreticis cap. 2. Inhibemus (inquit) quoque, ne cuiquam laicæ perſonæ liceat publicè, vel priuatim de fide Catholica diſputare. Qui verò contra fecerit, excommunicationis laqueo innodetur, ſiquidem hoc ad Epiſcopū ſpectat, & profitetur doctrinam fidei, vt miles armorum exercitium, vt ſcilicet ſit potens exhortari in ſana doctrina, & eos qui contradicunt arguere.

Et Scribas conquirentes cum illis. Hoc eſt diſputantes, & altercantes, vt ſonat verbum *συζητοῦντας.* Freti enim abſentia Ieſu *Theophyl.* (ait Theophylactus) moleſti erant diſcipu- *Victor Antiochen.* lis; eos dolo (ſubdit Victor Antiochenus) ſe capere, & circumuenire poſſe arbitrabātur. Quorum auſu, & temeritate comprobantur, quæ dixerat de hæreticis aliquando *Matt 24.* futuris poſt diſceſſum ad patrem. Surgent *Mar. 13.* (inquit) pſeudochriſti, & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna, & prodigia, ita vt in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi. Tunc enim accurrunt lupi, cum vel abiſſe paſtorem, vel canes dormire præſentiunt; ac vulpes paruulæ demoliuntur vineas, quando vigilem diuagare cernunt. Propterea attendere paſtores iuſsit Chriſtus, & peruigilare Epiſcopos vnlt, quibus Eccleſiam, quam ſuo redemit ſanguine, commiſit, nec quicquam pereat de manu ſua, alioqni duplum reddet, & ſanguinem perditi requiret Dominus. *Conquirentes cum illis*, non cum turba. Siquidem Sanctos deturbare, & auertere electos ſemper hæretici conantur, & ad ſe traherè maiores, qui in Eccleſia principatum tenent, vt Epiſcopos, religioſos, & fama præcellentes: namque captis primoribus, Regibuſq. ſummitatis manuum, ac pedum hoc eſt veritate fidei, & operis, depopulentur liberè regionem.

CAPVT XIV.

Et confeſtim omnis populus videns Ieſum, ſtupefactus eſt, & expauerunt; & accurrentes ſalutabant eum.

PRopius ergo cum accederet Chriſtus, *Expoſitio.* confeſtim omnis populus, qni ex varijs locis, & ciuitatibus eo conuenerat, *videns Ieſum*, quem expectabat, in ſtuporē incidit, quod inopinatè adeſſet, opportunè tamen. Quapropter expauerunt, qui ad ſpectaculū conuenerant, conſiderantes penes ſe prouidentiam magiſtri, & ſolertiam, qui ſuis in neceſsitate non deficit, ſed properè iuuat, & ſiue diſputantes contra rebelles lumini, ſiue laborantes in proprijs erumnis ſulcitur præſentia ſua, atque auxilio. Qui verò perturbare omnia moliebantur, ſimulare cœperunt fraudem. *Accurrentes* enim præ alijs, & vt viderentur gaudere aſpectu venientis, ſalutabant eum tùm verbis, tùm geſtis, quæ amicitiam, & beneuolentiam inſinuare ſolent, & animos captare.

Et confeſtim omnis populus videns Ieſum. Vidit Ieſum populus omnis, quod eum Dominus præuidiſſet; neqne enim quiſquam, ſe ad Ieſum conuertit, quin ſe ad eū Deus ipſe conuerteret primò. Quoniam Deus tu con- *Pſal. 84.* uerſus viuificabis nos, & plebs tua lætabitur in te. Vt herba, quæ onuſta aquis, & imbribus, vel præ ariditate terræ penè marcida prouoluit ſolia, atque germina; ſole aute oriente, aut certè irrigata ſeipſam erigit, ſeque ad ſolem videtur conuerti; ita quem peccata obruunt, ſi contingat cælitus illuſtrari, vires recipit, & confeſtim per fidem, per amorem, per pœnitentiam, atque preces ſe totum conuertit ad Deum, & Saluatorem, à quo receſſerat; non qui vitulum coram Domino, ſed ſe loco vituli offert Sacerdoti optimo, vt ſanguinem totum ei adimat, hoc eſt, peccata abſolnat, & liberet eum à ſanguinibus, & vitijs, qui datus eſt liberator, & ſaluator, doceatque pellem detrahere, priorem inquam vitam inſtar animalis deponere, vt nouam induat; artus in fruſtra concidere, hoc eſt *Leu 1.* robur corporis ieiunijs, & afflictionibus *Cōuerſio integra.* comprimere, vt ſeruiat ſpiritui; ac qui demum ſe totum inflammare cæleſti igne valeat, caput, videlicet, hoc eſt animam, & cuncta, quæ adhærent iecori, hoc eſt internos ſenſus; tandemq; qui poſsit inteſtinas omnes, ac pedes aqua lotos portare, hoc eſt, actiones, quę ſunt interius, & factiones, quæ exterius fiunt: omne inquam opus tàm animi, quàm corporis purum, mundum, & niue candidius conſernet, ne iterum la- *Perſeuerantia.* batur, ſed iugiter quem videre ſemel cœ-

pit, Saluatorē Ieſum reſpiciat, & videat ſemper ſalutē maiorē largientem. Horū tamen initium eſt primo videri, hoc eſt, vt diximus auxiliari cælitus.

Initium boni operis ex gratia.

Quid? etiam proſecutionem, & complementum largitur dilectus, reſpiciens continuò per cancellos, & proſpiciens per feneſtras, hoc eſt, Angelorum, & Sanctorum meritis, atque precibus nos, qui in terra ſumus, fouens, & illuſtrans vſque in finem. Alioqui nemo in vocatione, quam orditur, permaneret; quicquid perſuadeat Celeſtinus, & Pelagius.

Conc. Meluitan.

Qui dicunt (vt ſcribie Concilium Meliuitanum ad Innocentium Papam, eſtque inter epiſt. Aug. 92.) poſſe hominem in hac vita, præceptis Dei cognitis, ad tantam perfectionem iuſtitiæ ſuæ, ſine adiutorio gratiæ Saluatoris, per ſolum liberæ voluntatis arbitrium peruenire, vt etiam non ſit neceſſarium dicere:

Matt 6.
Luc. 11.

Dimitte nobis debita noſtra. Illud verò quod ſequitur: Ne nos inferas in tentationem, non ita intelligendum, tanquam diuinum adiutorium poſcere debeamus, ne in peccatum tentati decidamus: ſed hoc in noſtra poſitum eſt poteſtate, & ad hoc implendū ſolam ſufficere hominis voluntatem, tanquam fruſtrà Apoſtolus dixerit:

Rom 9.
1. *Cor.* 10.
Luc. 22.
Matt. 26.

Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. Et fidelis Deus, qui vos non permittit tentari ſuper id, quod poteſtis, ſed faciet cū tentatione etiam exitum, vt poſſitis ſuſtinere: Fruſtra enim Dominus dixerit Apoſtolo Petro: Rogaui pro te ne deficiat fides tua. Quare Innocentius reſcriptis ſuis huiuſmodi hæreticos damnat.

Stupefactus eſt. Stupor, & agonia ſpecies triſtitiæ recenſentur. At ego triſtitiam in populo, qui Chriſtum auide expectabat, non video, ni forte eos inopinato euentu triſtatos dicamus, quod eum, vt par erat, non valebant dignè recipere, & occurrere illi. Etenim inopinatus tùm maximè Regis aduentus velox ciuibus timorem, ſtuporem, agoniam, & anxietatem generat, qualia patientur, qui more inſipientium virginum, Dominum expectabunt.

Et expauerunt. Quidem alij præ timore, ne obiurgarentur, quum eſſent nocentes, & conſcij proprij criminis.

Victor Antiochen.

Erant enim (ait Victor Antiochenus) qui Ieſum contemplarentur indigni. Atque hi, vt venefica conſpecto ſole, latebras petunt, & terrentur impij ad iudicis aſpectum, ita Chriſto præter eorum ſpeciem aduentante expauerunt; tuncque impletum:

Pſal. 103.

Ortus eſt ſol, & congregati ſunt, & in cubilibus ſuis collocabuntur.

Et accurrentes ſalutabant eum.

Theophyl.

Quidam dicunt (ſcribit Theophylactus) quod facies eius facta à luce transfigurationis formoſior, ad ſalutationem populum inuitarit.

Victor Antiochen.

Nam cum hi (proſequitur Victor Antiochenus) ab omni praua affectione eſſent alieni, perpetuò cum illo agere geſtiebant; cæterum ipſe idem æmulis dare, & eorum malitiæ accurſum, & ſalutationem, vt qui Princepes, hiſce vrbanitatibus plus aſſueti, quàm turbæ.

Fallacia.

Etiam quia callidi, & aſtuti hypocriſim omnem, & ſimulationem prætexebant, vt viderentur eſſe, quod nō erant. Vnde eum Rabbi, & magiſtrum erant ſoliti nominare, non vt eius doctrinæ ſtuderent, ſed inſidiarentur, & ſub amicis geſtibus, atque verbis dolos pararent. Atqui hæc ſub his vrbanitatis ſpeciebus paſſim inter noſtros contingunt. De quibus tantum proferam: Meliora ſunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oſcula odientis.

Prou. 27.

CAPVT XV.

Et interrogauit eos, quid inter vos conquiritis?

Expoſitio.
Theophyl.

FOrtaſſis iuxtà opinionem, quam Theophylactus citauit, præ ſtupore, & pauore ob ſplendorem vultus eius nemo audebat Chriſtum alloqui, tametſi propius acceſſiſſent, & ſalutaſſent eum. Ergo vt eorum animos conſternatos erigeret, interrogat eos, non ignorans aliquid horum, quæ tractauerant, ſed dum quærit, *quid inter vos conquiritis*, quæſtionem omnem diſſoluat, & quæſtio ſatisfaciat occaſione ab eiſdem petita. Sic enim ſolitum eſt magiſtro diſcipulum inſtruere.

Et interrogauit eos. Sic quoque deſcendens de altiſſimis cælis, vt iudicet Orbem terrarum, omnium facta exquiret, tùm maximè præſidum.

Sap. 5.

Quoniam (inquit Sapiens) data eſt à Domino poteſtas vobis, & virtus ab Altiſsimo. Qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur.

Inquiſitio in Superiores.

Quoniam cum eſſetis miniſtri regni illius, non rectè iudicaſtis, nec cuſtodiſtis legem iuſtitiæ, neque ſecundum voluntatem Dei ambulaſtis. Horrendè, & citò apparebit vobis; quoniam iudicium duriſsimum, in his, qui præſunt, fiet. Quale paſſus eſt Villicus, qui decem millia talenta debebat;

Matt. 18.

non propter debitum ſolum, ſed ingratitudinem, & impietatem, qua in conſeruum vſus eſt, & vt plurimum, qui malè præſunt vtuntur, abſque miſericordia eum, qui menſæ decimam non reddit, percutiendo, & eum, qui veniam pro iniuria poſtulat, acrius, quàm æquum ſit, puniendo. Iudicium enim ſine miſericordia fiet ei, qui miſericordiam non fecerit.

Quid inter vos conquiritis? Litigabant enim. Volens ergo pacificare omnes, liteſq; diſſoluere, quærit qua in re diſſiderent. Nec quidem ob aliud venit, quàm vt difficultates omnes, lites, & quæſtiones, quæ Orbem inundant tollere. Non enim vult ſeruum litiga-

Non eſt litigandum. litigare, neque quæſtiones ſequi eum, quem inter diſcipulos ſuos admittit. Subinde Paulus hortatur Timoth. ſtultas autem, & 2 *Tim.* 2 ſine diſciplina queſtiones deuita, ſciens quia generant lites. Seruum autem Domini non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes, docibilem, patientem, cum modeſtia corripientem eos, qui reſiſtunt veritati, ne quando Deus det illis pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem & recipiſcentiam á Diaboli laqueis, á quo captiui tenentur ad ipſius voluntatem. Porro quærit quid interſe conquirant. Quoniam ſolutio omnis dubij, ad eum, qui caput eſt ſupra omnem Eccleſiam pertinet, pariterque ad eum, qui Vicarium agit capitis, ad Romanum, inquam, Pontificem. Scribens enim Epiſcopis per Dardaniam conſtitutis, ſan- *Nic. Papa.* ctus Gelaſius (inquit Nicolaus Papa epiſt. ad Epiſcopos Galliæ) inter cætera, nec planè ait tacemus, quod cuncta per mundum nouit Eccleſia: Quam quorumlibet ſententijs ligatorum Pontificum, ſedes Petri Apoſtoli ius habeat, vtpotè quæ de omni Eccleſia ius habeat iudicandi. Cuius vetuſta ſolicitudo eſt (proſequitur Concilium Affri- *Conc. Afr* canum ad Theodorum Papam) tám mala damnare, quàm probare laudanda. Anti- Auctoritas Romanæ ſedis. quis enim regulis ſancitum eſt, vt quicquid quamuis in remotis, vel in longinquo poſitis ageretur prouincijs, non prius tractandum, vel accipiendum ſit, niſi ad notitiam almæ ſedis veſtræ fuiſſet deductum, vt huius auctoritate, iuxtá quæ fuiſſet pronuntiatio firmaretur, indeque ſumerent cæteræ Eccleſiæ, velut de natali ſuo fonte, prædicationis exordium, & per diuerſas totius mundi regiones, puritatis incorruptæ maneant fidei ſacramenta ſalutis. Quare (ait Nicolaus *Nic. prim.* Primus ad Michaelem Imperatorem) ſi nos non audieritis, reſtat vt ſitis apud nos neceſſario quales Dominus noſter Ieſus Chriſtus hos haberi præcipit qui Eccleſiam Dei audire cótempſerint; præſertim cum Eccleſiæ Romanæ priuilegia Chriſti ore in beato Petro firmata, in Eccleſia ipſa diſpoſita, antiquitus obſeruata, & á ſanctis vniuerſalibus ſynodis celebrata, atque á cuncta Eccleſia iugiter venerata, nullatenus poſſint minui, nullatenus infringi, nullatenus commutari. Pereant igitur Calninus Lutherus, Centuriatores, atq. alij, qui deturbare hanc poteſtatem conantur, vt liberius abſque freno conqueri inter ſe valeant, diſputationeſq. in fidei præiudicium texere, & orbem bellis implere, & ſeditionibus.

CAPVT XVI.

Et reſpondens vnus de turba dixit: Magiſter attuli filium meum ad te habentem ſpiritum mutum.

Qvum magiſtro præſente tacerent diſcipuli ob reuerentiam; æmuli autem Expoſitio. præ ſtupore, atque timore nihil effutirent; qui diſputationis occaſio extiterat, ad Chriſtum ſe conuertit. *Et reſpondens* quaſi ad interrogationem eius, licet *vnus* ex infimis *de turba* dixit audacter ad eum, reliquis ſilentibus: *Magiſter*, qui vera doces, & operaris præclara, horum fama exitatus, nec abſque labore *filium meum ad te attuli vt ſpiritũ mutum*, quo grauatur dignareris ab eo pellere, & reſtituere libertati, accipienſque per te linguæ vſum, laudaret eum, qui ſe fecit, meque patrem, ac reliquos lætificaret.

Et reſpondens vnus de turba. Nam reliqui, qui reuera ſapientiores erant, vt diſcipuli; necnon qui dicebãt ſe eſſe ſapiẽtes, & lex Dei nobiſcum eſt, vt Scribæ, haud præſumpſerunt reſpondere: Siquidem vt ſol lucentes ignes, & aſtra ſtintillãtia videtur radijs ſnis extinguere, ne fulgeant eo illuſtrãte Orizontem noſtrum; ita Chriſtus, Sapientia mundi preſente Chriſto ſilet. qui eſt lux vera, & ſol ſplendidior cunctis ſplendoribus, ſua præſentia ſtultam facit ſapientiam huius mũdi, perditque prudẽtiam; quin & eos, qui vera ab eo participarunt tanto ſplendore perfuſos compellit agnoſcere, & nihil ſcire, vt interrogati queant ſapienter reſpondere. Quare hi præ humilitate ante Dominum ſilent; illi autem coſuſi erubuerunt loqui. At qui ſimplex erat animo cunctos præuenit; etſi vnus fortè ex infimioribus, reſpondet. Quia *Prou.* 19. melior eſt apud Deum pauper, qui ambulat in ſimplicitate ſua, quàm diues torquens labia ſua, & inſipiens.

Dixit. Compulſus ſcilicet neceſſitate, & oppreſſione filij; ſed non prius, quàm Chriſtus interrogaſſet. Nam qui prius re- *Prou.* 19. ſpondet, quàm audiat, ſtultum ſe eſſe demonſtrat, & confuſione dignum; vt is, qui hero non petenti galerum imponeret, aut qui non requiſitus ad certamen, velut Goliat, deſcẽderet quo ne dùm confuſus abijt, ſed obtruncatus remanſit, & ignominioſus. Ergo ſapientes abſcondunt ſcientiam vſque ad tempus loquendi, os autem ſtulti con- *Prou.* 10. fuſioni proximum eſt.

Magiſter attuli filium meum ad te. Vtinam parentes ſeduli eſſent cunctos filios ſuos ad Chriſtum adducere; & vt in finem, propter quem nati ſumus, & vt parentem vnicum, qui fecit nos & creauit nos, atque redemit; & vt ad bonum, quod eſt vnicè appeten-

appetendum; & vt denique ad magiſtrum, qui potens eſt opere, & ſermone, quem imitari oportet, & inuocare aſſiduè, vt adoptionem filiornm Dei recipiamus, filijque Dei nominemur, & ſimus. Etenim ò Patres carnis huius, à Deo, qui eſt vniuerſorum parens, vobis filij conceduntur.

Eccl. 15. Non enim concupiſcit multitudinem filiorum infidelium, & inutilium; ſed eos qui

Filiorum recta inſtructio. ſeuſati in verbis, quæ ab optimis parentibus didicere, & ipſi ſapienter egerunt, intellexerunt veritatem, & iuſtitiam, & implorauerunt prouerbia, & iudicia; hoc eſt, non perfunctorie tantum intellexerunt altiſſimi myſteria, ſed ſtudioſè inueſtigarunt, & penetrarunt, quæ ſub ænigmatibus arcana proponuntur, ac norunt iudicia, quæ in vita, & poſt mortem cum hominibus Iudex ille ſupremus operetur. Huiuſmodi enim filios habere delectatur, & in hiſce à parentibus inſtrui vult, vt dignam honore coronam, tàm patres, quàm filij fideles conſequantur. Quamobrem aiunt Apoſtoli ad parentes lib. conſt. Apoſt. 4, cap. 10. ne vereamini increpare eos, & aſperè caſtigare; non enim interficietis eos caſtigando, immo ſeruabitis, ſicut Salomon ait in ſapientia, caſtiga filium tuum, & dabit tibi requiem. Sic enim faciet tibi bonam tui expectationem.

Eccl. 30. Nam tu eum quidem virga cædes, animam verò eius à morte eripies, & rurſus idem, qui parcit bacillo ſuo filium ſuum odit; & in eandem ſententiam, tunde latera eius dum puer eſt, nequando obdureſcens, non obediat tibi. Qui ergo filium ſuum monere ab infantia ad litteras, & caſtigare deſinit, idem filium ſuum odit. Docete itaque filios veſtros verbum Domini, & verberibus, ac fuſtibus comprimite, & facite, vt ſint ſubiecti. Docete eos à pueritia litteras ſacras, & veſtras, & diuinas, omnemque diuinam ſcripturam eis tradite.

Spiritum mutum. O myſterium! ad eum qui totus eſt ſermo, & verbum, ſpiritus mutus affertur. Oppoſitum ad oppoſitum, vt contrarium curetur contrario, & qui habet *ſpiritum mutum* per eum, qui eructat & ipſe non ſegniter, neque ocitanter verbum bonum, loquatur & ipſe bonum, ac verum quæcunque Dominus præcepit. Neque enim eſt alius, qui labia aperit Dauid, qui os Iſaiæ expurget, qui puerũ Ieremiam faciat eloquentem, neque qui ſapientiam præſtet paruulis, vt ſapientiam inter perfectos affabrè pronuncient. Sed qui muti? aut qui in ſpiritu muto delectantur? Canes non va-

Qui muti. lentes latrare; mercenarij ad quos nihil pertinet de ouibus, ſed fugiunt eum, venientem lupum vident, & peccatores nimis, qui tota die blaſphemant ſanctum Iſrael, ſeù la-

Rom. 10. bijs pollutis teſtamentum Dei aſſumunt; ſed illi occurrentes in ſpiritu muto ad Chriſtum ſunt, qui optant, & precantur ſiue per ſe, ſiue per alios ſapientiam, rectum, & benè ſonantem ſermonem ſibi concedi, nec fruſtrantur. Siquidem clara eſt, & inuenitur *Sap.* 6.
ab his, qui diligunt illam, & inuenitur ab his, qui quærunt illam. Præoccupat qui ſe concupiſcunt, vt illis ſe prior oſtendat, inſtar corporis luminoſi, cuius radij præueniunt viſum.

CAPVT XVII.

Qui vbicunque eum apprehenderit, allidit illum, & ſpumat, & ſtridet dentibus, & areſcit, & dixi diſcipulis tuis, vt eijcerent illum, & non potuerunt.

DEſcribit muti ſpiritus peruicaciam, & malitiam, quæ, inquit, tanta eſt, quod Expoſitio
nec loci, nec temporis, nec ætatis habita ratione, *vbicunque eum apprehenderit*, torquet, perturbat, & penè exanimem reddit. Namque *allidit illum* ad petras, & fit quaſi exanguis, & per eundẽ *ſpumat* quaſi agentem in extremis animam; nonnunquam *ſtridet dentibus* in omnes, qui ei appropinquant, vt compellantur fugere, & relinquere ſolum patientem, quaſi in agonia conſtitutum. Et aliquando ſic *areſcit* abſque ſenſu, & motu corporis, vt qui eum viderint putent ſpiritum efflaſſe. Igitur tàm acerbè videns agitari filium, nec adeſſe, in quem ſpem meam collocaui, rogaui toto conatu diſcipulos tuos, mihi ac filio compaterentur, & eijcerent ſpiritum, qui tàm impiè exagitat corpus filij. Verum etſi omnem lapidem mouerint, vt ſanitati priſtinæ natum reſtituerent, *non potuerunt*, neque aliquid prorſus hactenus per eos eſt effectum, fortè quia tibi opus reſeruatum eſt.

Qui vbicunque eum apprehenderit. At quando non *apprehendit*, cum illum habeat, & iugiter habeat? Erat ſpiritus lunaticus, qui etſi ab obſeſſo non recedat, non ſemper torquet, motum enim lunæ ſequitur, vt qui ignorant ſacramenta Dei, neque hoſtis ſciunt artes, lunæ detrahant; aſtra culpent demumque cum Manichæis corporum, ſiue cæleſtium, ſiue elementarium auctorem malum acclament: Aduerſus tamen hæreticum, ſic carmine quarto de mundo ſcrip- *Greg. Naz.*
ſit Gregorius Nazianzenus.

Praua quæ ab inſano caligo inducta manente,
Non luci aduerſas, ſedes æterna tenebras
Supremæ. Nam ſi Deus es caligine prorſus
Ergo cares: Sin tu contra caligo, Deũ ne
Dicere iure queam? Nec enim cum numine par eſt

Decer-

Decertare malum. Iam cum caligine luci
Non pax eſſe poteſt, non vllum fœdus amoris.

Nullo ergo modo, vt ex Gregorij argumẽtatione colligit Scholaſtes NicetaCyrus, Deus malus dari poteſt, neque creatura mala reputari; ſiquidem vidit Deus cuncta, *Gen.2.* quæ fecerat, & erant valde bona.

Allidit illum. Quod eſt corpus ad corpus impingere, vt ad ſaxum, aut durum aliquid, ſi quo modo comminuatur: Apud Hebræos hoc verbum, quod eſt רטש ratas ſignificat proijcere interficiendi cauſa, & *Iſai.13.* occidendi, vt Iſai.13. Infantes eorum allidentur in oculis eorum; hoc eſt occidenter, namque eo Perſi, & Medi Babilonios expugnarunt, de quibus eſt ſermo. Illud quoque *Oſe.10.* Oſe.10. Mater ſuper filios alliſa, Targum interpretatur occiſa. Hoc itaque ſignificato aperitut Spiritus mali potiſſimã intentionẽ eſſe occidendi hominem, quem *allidit*. Quia ipſe homicida eſt ab initio, & circuit non quaſi ouis, vt blandiatur, ſed vt leo vorax, vt in interitum peccati nos pertrahat; tanquam hoſtis (inquit *Cypr.* Cyprianus lib. de Zelo, & liuore) clauſos obſidens muros, explorat, & tentat an ſit pars aliqua membrorũ minus ſtabilis, & minus fida, cuius aditu ad interiora penetretur: offert oculis for- *Dæmonis inſidiæ.* mas illicitas, & faciles voluptates, vt iuſſu deſtruat caſtitatem; aures per canoram muſicam tentat, vt ſoni dulcioris auditu ſoluat, & molliat chriſtianum vigorem; linguam conuicio prouocat; manum iniurijs laceſſentibus ad petulantiã cædis illigat; vt fraudatorem faciat, lucra opponit iniuſta; vt animam pecunia capiat, ingerit perniciosa compendia; honores terrenos promittit, vt cæleſtes adimat; oſtentat falſa, vt vera ſubripiat, & eum latenter non poteſt fallere exertè, atque apertè minatur; terrorem turbidæ perſecutionis intentans ad debellandos Dei ſeruos inquietus ſemper, & ſemper infeſtus, in pace ſub dolus, in perſecutione violentus. Vt modis omnibus nos allidat, vt & ipſe miſer alliſus eſt, ſeque ipſum peremit, nos quoque morti varijs alliſionibus tradit.

Et ſpumat. Vt ſcilicet horridum faciat: Spuma autem ſpiritualis, quæ circunſtantes retrahit, & infamat, ſunt inhoneſti ſermo- *Quid deſignet ſpiritualiter ſpuma.* nes, atque blaſphemiæ. Quibus Dæmon conſueuit lactare, & enutrire catulos ſuos, & declarare, ex patre Diabolo eſſe, qui ſemper aduerſus Deum blaſphemias loquitur, *Oſe.15.* & mendacium inter homines, vt docti loquantur & ipſi mendacium, & blaſphement tota die nomen Domini, neque impunè, Idcirco enim erunt quaſi nubes matutina. & ſicut ros matutinus prætereſens, ſicut puluis turbine raptus ex area, & ſicut fumus de fumario, qui eiuſmodi ſpumas eructabit.

Poteſt & ſpuma ſignare libidinem, quam à Dæmone excitari Iob inſinuat, dicens: Halitus eius prunas ardere facit, & flamma *Iob.41* de ore eius egreditur; vt concupiſcentiam ſcilicet carnis tàm in viro, quàm in fœmina accendat. Quia virtus eius in lumbis, & *Iob 40* fortitudo illius in vmbilico ventris eius. Nec dubium (ſcribit Origen. hom. 6. in *Orig.* Ezechielem) Nam principium malorũ omnium in lumbo verſatur. Et ideò adhuc in lumbo patris conſtitutus, qui naſciturus erat, refertur, quia in lumbis ſemina humana collecta ſunt. Fortitudo ergo contraria vbicunque ſunt ſemina, ibi inſidiarum ſuarum vim conatur oſtendere. Aduerſum maſculos virtus eius in lumbis eſt, aduerſus fœminas, virtus eius in vmbilico ventris eſt. *Iob 38* Ergo, paulo inferius, vt in viro præputium circunciditur, ſic in fœmina vmbilicus amputatur.

Et ſtridet dentibus. Dentium ſtridor inuidis datur, qui conſtituti in malis, vel à melioribus priuati bonis, aut abundantioribus alios cum videant repleri, indignantur, & egreferunt, demumque in eos ſtrident, velut canes rabidi, qui appetentes mordere, & aliorum veſci carnibus, nec va- *Simbolum inuidiæ.* leant, ligati cum ſint *ſtrident dentibus*, latrant, & vlulant. Ergo ſtridore nunc dæmon ſe prodit inuidum, & inuidiæ hominum auctorem, conſequenterque malorum omnium, quæ à lue peſtifera profluunt. Vnde *Sap.2.* Sapiens: Inuidia autem Diaboli mors introiuit in orbem terrarũ; imitantur autem illum, qui ſunt ex parte illius. Hoc eſt peccator omnis, quia omnis peccator inuidus. Siquidem boni priuatio, quæ eſt origo in- *Gen 30.* uidiæ, ineſt ei. Eo enim Rachel inuidit Liæ quod infœcunda eſſet; Paleſtini inuidebant, quod ditiorem eum cernerent; quod etiam Ioſeph plus cæteris à patre diligeretur, fratrum inuidiam expertus eſt. Quid? nonne omne labores hominũ patere inuidiæ proximi continuo cernimus, quod vel veris, vel apparentibus vnus plus altero abundet? quanto ergo quis priuationem rerum in ſeipſo agnoſcit, tanto excandeſcit inuidia, vt peccator; qui enim Deum habet, in quo ſunt omnia, nihil inuidet, ſed bonum ſuum, quod communicatione non minuitur, immo verò augetur, deſiderat, & precatur cunctis. Hic non *ſtridet*, neque alteri indignatur, nec agit perperã, ſed operatur bonum ad omnes. Ex Deo enim natus eſt, vt inuidus ex Diabolo, qui priuatus bonis præſtantioribus plus cæteris *ſtridet*, indigna- *Ambr.* tur, & inuidet homini dicens (inquit Ambroſ. lib. de Paradiſo cap.12.) Iſte de terris migrabit ad cælum, cum ego de cælo lapſus ſim? Multas vias habeo quibus hominem decipere poſſum. De limo factus eſt, terra ei mater eſt, corruptibilibus inuolutus eſt. Etſi anima ſuperioris naturæ, tamen & ipſa

lapſus

lapſui poteſt eſſe obnoxia in corporis carcere conſtituta, quando ego lapſum vitare non potui. Eſt igitur via prima, vt decipiatur, dum conditione ſua maiora deſiderat. Itaque inuidus inuidiam exufflat.

Et areſcit. Hoc eſt auaritiæ opus; quod ignis ſit continuo ardens, & omnem tam animi, quàm corporis pulchritudinẽ abſumens, quia auaro nihil eſt ſceleſtius. Quum n. cor, & oculos ad auaritiã habeat, theſaurum, ſummumque bonum ſtatuit permutabile, & vanum, quod in imagine pertranſit; quo factum eſt, vt non videat bonum, quod eſt pulchrum; non deſideret ſummum, quod conſolatur; non audiat loquentem quæ recta ſunt; non auſcultet increpantem, qui perniciosa diſſuadet. Non intelligit, quæ honorem præferunt; nec vult quæ beatificant hominem, ſed terram, quæ areſacit, vult comedere cunctis diebus vitæ ſuæ; paſcit ventum, & ſequitur æſtum, quæ deſiccant hominem; denique ignem cupiditatis, vt materialis Salamandria, exclamat: Hæc requies mea in ſæculum ſæculi, hic habitabo quoniam elegi eam. Sed perperam miſere, nec abſque magno malo, quod auarum ſequitur. Etenim radix omnium malorum eſt cupiditas, quæ in primis hoc malum habet (inquit Vrbanus Papa in epiſt. decr.) quod dùm ingerit tranſitoria, abſcondit æterna. Et dum à foris poſita conſpicit, intrà ſe latentia non introſpicit, & dum aliena quærit, ſectatori autem ſuo ſemetipſum alienum facit. Quid autem in eo, qui à Deo longe factus eſt, & omnino alienus à ſummo bono? Et orientur in domibus eius ſpinæ, & vrticæ & paliurus in munitionibus eius: Et erit cubile draconum, & paſcua ſtrutionum. Et occurrent Dæmonia onocentaurus, & piloſus clamabit alter ad alterum, ibi cubauit Lamia, & inuenit ſibi requiem. Ibi habuit foueam ericius, & enutriuit catulos, & circumfodit, & fouit in vmbra eius. En mala auari, qui dereliquit Deum, & receſſit à Deo ſalutari ſuo, quorũ breuem accipito dilucidationem. Spinę ſunt ſolicitudines, & curæ, quæ non ſinunt eum dormire, vrticæ ſunt cogitationes peſſimæ contra proximũ; paliurus arbor ſpinoſa eſt in Deum nequitia, vt periurium, blaſphemiæ, quibus in negociationibus ſuis vtitur; cubile draconum, qui ſitiunt ſemper, dicitur, quod ambitionis genus omne contineat. Eſt paſcua ſtructionum, quæ voracitate, & ſtoliditate pollent, quod abſque delectu deglutiat cuncta, & guloſitate erumpat. Denique occurrunt ei Dæmonia, quia ſit Idolorum ſeruitus; onocentaurus, quo ſuperbia, & piloſus vrſus quo luxuria deſignatur, clamant in eo, quod delectentur his vitijs, quaſi in opportunis locis. Lamia, quæ à ſuperiori parte mulieri, ab inferiori equo ſimilatur, & auida humanæ carnis, crudelitate hominis inſignem prætexit, in viduam, pupillum, pauperes. Ericius qui aculeis accedentes ferit eſt inhumanitas, qua nedum cum extraneis, verum etiam cum domeſticis vtitur: Catulos enutrire ericium ibi, & fouere eſt actum animæ, & corporis ſenſationem docere, inhumaniter agere, vt viſu toruo, duro eloquio, greſſu diſſimili, facie altera, mente inuerſa, & peruerſa voluntate agere cõtinuo. Quid autem poſt mortem obueniat infelici, diſcito ex his, quæ Auarum Euangelij oppreſſerunt. Itaque, vt paucis concludam, ſpiritus mali acta *ſpumat* præ ſuperbia, *ſtridet* inuidus, & *areſcit* dum inflammat ſuarum. Ergo omne quod eſt in mundo ſuperbia, auaritia, luxuria, inuidia, & reliqua peccata à ſpiritu muto fluxerunt, vt mutos Deus eos faciat, qui non grauantur eum complecti.

Et dixi diſcipulis tuis. Hoc eſt nouem, qui deorſum remanſerant. Hos conuenit pater, vt filio opem ferrent. Vnde & nobis exemplum reliquit ſanctos Dei homines adire, & interpellare, vt meritis, ac precibus dignentur auxilium præſtare. Ergo cum timore Dei omnia agamus (aiũt Patres Conc. Nic. 2. act. 6.) poſtulantes interceſſiones incontaminatæ deiparæ, & sẽper Virginis Dñę noſtræ Mariæ, item ſanctorum Angelorum, omniumq. ſanctorum, ſalutantes, & venerãdas eorũ reliquias, vt nos ſanctitudinis eorũ ſiamus participes. Sic enim reddemur perfecti in omne opus bonum in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Omne enim donum bonum (ſubdit Damaſc. lib. 4. ortho. fid. cap. 16.) à patre luminum per eos ijs, qui in hæſitabili fide petunt, deſcendit. Quantum ſanè laborares, vt inuenires adiutorem, qui ad mortalem Regem te adduceret, & pro te ad ipſum ſermones faceret? adiutores ergo totius generis, Deo pro nobis ſupplicationes porrigentes non honorandi ſunt? certè honorandi. Honor enim (ſcribunt Orientales Epiſcopi ad Tharaſium Archiepiſcopum Conſtantinopolitanum; habetur in 2. Synodo Nicæn. action. 3.) qui à conſeruis idem ſentientibus inuicem exhibetur, inditium eſt beneuolentiæ erga Dominum. Sunt enim promptuaria Dei, & pura Chriſti habitacula, Spirituſque ſancti immaculata ſpecula. Ergo concludit Gangenſe Concilium can. 20 Si quis arrogantia vtens, & martyrum congregationes abhorrens, & ſacra, quæ in eis celebrantur, & eorum memorias accuſet, ſit Anathema. Igitur Anathema Lutherus, Oecolampadius, ac reliqui qui contraria ſentiunt: hos verò leuemus oculos ad montes, hoc eſt ſanctos, vnde nobis auxilium veniet, quandiu conducet.

Vt eijcerent illum: Iam enim poteſtatem acceperant in Dæmones, & pleroſque ab obſeſſis eiecerant; iuxta illud: Quia Dæmonia ſubijciuntur nobis, non quidem

exorciſmis

Margin notes: Signum Auaritiæ. — *Pſal.* 131. — 1. *Tim* 6 — Radix malorum. — *Vrb Papa* — *Iſai.* 34. — Pœna auari. — Accomoda interpretatio. — *Conc. Nic.* — *Damaſc.* — Cultus ſanctorum. — Epiſcopi Oriẽtales. — *Gan. Conc.* — *Pſal.* 100 — *Luc.* 10

exorciſmis Salomonis, quibus, Ioſepho auctore, docuit pellere Dæmones; ſed in nomine Chriſti. Tàm enim his, quàm reliquis fidelibus ſub hoc nomine poteſtatem ſimilem conceſſit. Signa (inquit) eis, qui crediderint, hæc ſequentur. In nomine meo Dæmonia eijcient, &c. Hoc primum conceditur, & iſtud idem primum omnium poſtulandum eſt nobis à ſanctis, vt precè, imperio, & virtute eijciant à nobis Dæmonem; vt qui continuo calcaneis noſtris inſidietur, & contendat cauda ſerpentina inuoluere tibias; vt deijciat. Ergo quoniam contra Satanam eſt iugis colluctatio, ſit & oratio ad ſanctos, vt eijciant illum.

Marc. 16.

Et non potuerunt. Cur autem inferius exprimitur; verum quare ſancti non ſemper exaudiantur accipiamus ex Baſilio in quæſtionibus compendio explicatis quæſt. 261. Primum (inquit) noſſe oportet, quod non omne, quod volumus petere nobis præceptum eſt. Neque verò quod nobis conducit petere omnino nouimus. Nam quid oramus, pro vt oportet, neſcimus. Quare cum multa conſideratione ſecundum voluntatem Dei, petitiones facere oportet. Si verò non audimur, noſſe oportet quod aut perſeuerantia opus eſt, aut etiam firma intentione iuxtà Domini parabolã ad hoc, quod oportet nos ſemper orare, & non defatigari. Et iuxtà hoc, quod alio loco ab eo dictum eſt, Quod propter impudentiã ipſius excitatus dabit ipſi quantum opus habet; aut etiam correctione & cura, iuxta id, quod per prophetam à Deo ad alios dictum eſt; Dùm extenderitis manus veſtras ad me, auertam faciem meam à vobis, & ſi preces multiplicaueritis, non exaudiam vos: Manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt. Hæ tamen cauſæ ad ſuperſtites, qui in multis deficimus, potius quàm ad ſanctos, qui regnant cum Chriſto, referuntur. Igitur cur non ſemper beati exaudiantur à nobis prouocati inquiramus aliunde. Non exorant ſæpe quod poſtulant beati, vel quod tempus in quo Deus illud conferre decreuit nondũ aduenerit, vt redemptionis Iſraeli pro qua Hieremias multum precabatur, vel quod perſonæ, per quas fieri oportet poſtulatum, & impleri adhuc deſiderentur, vt Moyſes, & Aaron per quos populum à ſeruitute dura Ægypti eduxit, pro qua Patriarchæ in limbis, & ſuperſtites Patres deprecabantur Dominum; vel quod non expediat, vt populum Hebræum manere captiuum in Babylone, quemadmodum Angelus qui præerat Perſis, efflagitabat, vt indigenæ, & idolatræ hebræorum conſuetudine veritatem complecterentur. Quamdiù ergo iſta non innoteſcunt beati orant, cum verò ſibi manifeſtantur à Deo, eius ſe conformant voluntati, deſinuntque precari, aut orationem prolongant, quando id Deo gratum norunt, & fore per orationem concedendum, quando tempus, in quo fieri decretum eſt, complebitur, vt Verbum incarnari, quod tàm qui in cælis, & in terris erant aſſiduè, & ab initio poſtularunt, nec illud ſunt aſſecuti, quouſq. venit plenitudo temporis, hoc eſt, decretum tempus, in quo ſtatuerat Deus redimere hominem, quem formarat, & reſtaurare omnia, quæ vnius iactura ceciderant & à perfectione, quam eis conditor indiderat, diſceſſerant.

Baſil.

Non ſemper exaudiri ſanctos.

Iſai. 1.

Cur aliquando non audiantur ſancti?

Hier. 7. 11. Tre. 3

CAPVT XVIII.

Qui reſpondens eis, dixit, ò generatio incredula, quandiù apud vos ero? quandiù vos patiar? afferte illum ad me.

RESpondebat Pater non interrogatus præcisè; Chriſtus verò non ad patrem, ſed ad omnes, qui aderant, ſermonem conuertit. *Reſpondens* ergo auditis, quæ mæſtus Pater prætulerat, *dixit* circumſtantibus populis, eoſque potiſſimum alloquitur, qui ſuper miraculo conquerebant: *ò generatio* (inquit) quæ ad Deum non direxit cor ſuũ, nec ſperauit plenè in Deo ſalutari ſuo, ſed *incredula* manens iugiter, indignam omni beneficio apud Patrem magnanimum, & multum miſericordem, ſeipſam conſtituit; *quandiù apud vos ero*, docens, miniſtrans, & quod melius eſt; cunctis proponens, atque offerens? Et *quamdiù vos* mente ſtolidos, & animo duros *patiar*, qui non ſolum incapaciores continuo euaditis gratiarum Dei, verum etiam reſiſtitis Spiritui ſancto, ac mihi, qui vim facio, vt illuſtremini, & impleamini cæleſtibus, ne vltra quæ ſuper terrã ſunt, ſed quæ ſursũ quæratis? quicquid ſit, ne me indignari arbitremini, & velle vos derelinquere Orphanos, deſtitutos iam omni adiutorio; hoc quoque perpetrabo miraculum, ſi quomodo aperiantur oculi veſtri, & quod bonum eſt, & dulce agnoſcatis, & diligatis. *Afferte* igitur ſedulo *illum*, qui vexatur; afferte iterum dico *ad me*, vt agnoſcatis qui ſim, quid poſſim, & quid optem in vnoquoque veſtrum operari.

Expoſitio

Qui reſpondens eis. Patri ſcilicet pueri, ac diſcipulis (ait Arias Montanus) vtraque enim pars incredulitatis vitio laborabat. Verum (ſcribit Victor Antiochenus) Dominus defectus huius cauſa maiorem partem in illum tranſlata, Apoſtolos ab hac accuſatione coram omnibus abſoluit; ergo ſecundum hunc non ſunt de incredulitate Apoſtoli incuſandi, tum maximè, quod ſecretò interrogatus Chriſtus de cauſa, quod Dæmonem non expulerint, minimè incredulitatis defectu, ſed orationis, & ieiunij

Arias Mõt.

Vict. Ant.

id acci-

id accidiſſe eis perhibet. At neque patrem
Gagn. increpari Gagnæius deponit dicens: Du-
bium non eſt quin de hac impotentia
præcipuè altercarentur Scribæ cum di-
ſcipulis. Et ideò non ad patrem lunatici,
non ad diſcipulos, ſed ad pertinaces Scribas
ſermonem vertit Dominus. An verò ſic
melius cenſeatur, pauló inferius contem-
plabimur. Interdum reſpondentis Chriſti
animum perpende, vt qui tàm magnanimus
ſit, quod antequam vnius corpus liberet,
plurium atque omnium animos, qui cir-
cunſtabant, ſacro eloquio, & reſponſo graui
illuſtrare contendit, & eliminare errores,
incredulitates; atque tenebras mentium,
Finis miraculorum. quibus tenebantur miſeri; vt vel inde finem
miraculorum eſſe, ſi fideles fieri fideliores, in-
fideles autem credulos; & cultores fidei
Nic. auctoris progigni. Subinde Nicetas in
orationem (ſic Gregorius Nazianz. ſcrip-
Greg. Naz. ſit) præſtantiſſima quæque miracula incre-
dulitatem ſemper quodammodo comitem
habent. Et plerumque miraculum nos ad-
Cyrillus ducit in fidem, ait Cyrillus cap. 14. appen-
In impreſſione Veneta dice tertia, quæ habetur tom. 4. act. Conc.
Ephesini. Vnde Thomas poſt miraculum
Sixti V. exclamauit Dominus meus, & Deus meus.
Ioann. 20 Ergo data poteſtate mira operandi Moyſi,
Deus ipſe ſubiicit: Vt credant (inquit) quod
Exod. 3. apparuit tibi Dominus Deus patrum tuo-
rum, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus
Iacob. Et ad Iudæos incredulos Chriſtus
ipſe dicere ſolitus erat: Operibus credite,
quod ad fidem faciendam perpetrarentur.
Hoc itaque animo reſpondens eis.

Dixit. Non à Ioanne mutuatus ſermo-
nem, ſed à ſeipſo; tametſi Præcurſoris vi-
deretur ſententia ſequens, qui ex ore altiſ-
ſimi prodiit primogenitus, à creatura non
didicit, quæ locutus eſt, ſed à Deo ſolo.
Hunc ſolum habuit Magiſtrũ, non hominem.
Ioann 3 Iuxta illud: Vnde tanta ſapientia, cum non
Mar 13 didicerit eam, ſcilicet ab homine, ſed benè
Matth. 22 à patre dicente eo: Doctrina mea non eſt
Luc 6. mea, ſed eius qui miſit me. Quare quando
Gen 2 dixit: Diliges Dominum Deum tuum; di-
Marc. 10. liges proximum tuum. Diligite inimicos
veſtros. Erunt duo in carne vna, & ſimilia,
non retulit Moſayca, ſed propria locutus
eſt, & dixit, quæ legati ſui ab ore ſuo acce-
perant. Execremur ergo Iudæos, qui Chri-
ſtum in Ægypto Magiam, & à ſuis Rabbi-
nis legem, & opera didiciſſe fabulantur:
Neque enim ab homine accepit, qui eſt ſu-
Chriſtus nō eſt ab homine inſtructus pra omnes homines Doctor conſtitutus.
Neque in ſchola nugas didicit, neque ma-
leficia, in cuius ore neque peccatum inuen-
tum eſt: Immo verò butyrum & mel come-
Eſai 7 dit, vt ſciret reprobare malum, & eligere
bonum, non aliunde, quàm à ſeipſo. Quare,
& dixit, & operatus eſt à ſe, neque ab ho-
mine aliquid accepit, præter noſtra mala,
Eſai. 3 quæ tulit in proprio corpore, Quia di-
ſciplina pacis noſtræ ſuper eum.

O generatio incredula. Quando hoc no-
men generationis affectum appellatione
infami, vt generatio praua, & exaſperans:
Generatio tua de terra Chanaan: Genera- *Pſal.* 77.
tio mala, & adultera: Generatio infidelis, *Eſai.* 16.
& peruerſa, & ſimilibus ſemper ferri ad *Matth.* 12.
vniuerſitatem Iudæorum intelligamus, tum *Luc.* 9.
maxime maiorum, qui in omni præuarica-
tione manum primo poſuerunt, & neſcie-
runt ipſi legem; neque pactum ſeruauerunt,
inſuper ſic in primores inuexiſſe, facillimè
mihi perſuadeo, hiſce verbis potiſſimum
increpaſſe Scribas, qui aderant, & ſodales
Phariſæos, ac reliquam multitudinem Iu-
dæorum, qui increduli erant dictis Chriſti,
& factis; neque, vt oportebat, credebant
Deo ſuo, nec ſcripturis, quæ Chriſto, & eius
potentiæ, ac miniſterio, quod tum exerce-
bat teſtimonium dilucidum perhibebant.
Conſentit quodammodo Theophylactus di- *Theoph.*
cens: Verum hoc non illi ſoli dicit, ſed ge-
neralem ad omnes ſermonem vertit, & Iu-
dæos omnes ſimul ob incredulitatem obiur-
gat. Omnes quidem fermè tàm infauſto
vitio ab initio laborarunt, qui plus, qui
minus. At increpationem diram pro tanto
vitio ſoli maiores acceperunt, cum tene-
rentur ſcire omnia, & in pluribus errarent;
operari adamuſſim cuncta, & in minimis
offendebant, & omnibus ſanctiores fore,
erantque deteriores. Quare etſi patri deeſ-
ſet gradus fidei requiſitus, quem Chriſtus
adauxit, incredulus non erat, quum credens
adduxiſſet filium; neque Apoſtoli increduli
ſunt dicendi, quod fide, qua pollebant, Dæ- Increpatio
monem exagitare deſudarint. Solos ergo hæc ad ſcribas eſt referenda.
incredulos animaduerſione dignos ſtatuo
Scribas, & ſimiles, qui nullo modo in Chri-
ſtum credebant. Erant enim infideles, quum
negarent aliquid Chriſtum poſſe; & cum
eum præuaricatorem legis euulgarent. Cæ-
teri autem nihil horum, ſed qualicunque
luce fidei ad Chriſtum properabant, & ab
eo tùm verba, tùm facta libenter accepta-
bant. At hos quis vnquam incredulos, aut
infideles dicet? Quod ſi occurrat: Neque *Ioann.* 7.
enim fratres eius credebant in eum; exco-
gita interpretationem, videlicet intelligi
tanta fidei luce, quanta oporteret ineſſe
fratribus, qui eum continuo ſequebantur,
ſe ei deuouerant, & ſub eius ferula ſe con-
ſtituerant. Hæc enim maiorem, & diluci-
diorem fidem generant. At imperfectio
naturæ vſque ad Spiritus ſancti aduentum
eos tenuit. Non tamen eos incredulos, aut
infideles dixero, ſed non credentes, hoc eſt,
parum credentes, facta comparatione ad
fidei argumentum, in quo paulatim pro-
fecerunt.

Quamdiù apud vos ero. Et hoc perſua-
det nō incuſari de incredulitate Apoſtolos,
apud quos tanquā qui miniſtrat eſſe voluit,
& vſque

& vſque ad conſumationem ſæculi, ac nedùm ipſe, ſed pater eos diligeret, & quæ à patre acceperat, vt amicis communicaſſet, promiſiſſetque ad eoſdem reuerſurum, adfuturum in medio illorum, & gandio plenè donaturũ. Igitur de æmulis hic ſermo tautum eſt, qui cum peiores euaderent, merebantur deſtitui, & andire: Ego vado, & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini; quo ego vado, vos non poteſtis venire, quia vos de hoc mundo eſtis, ego non ſum de hoc mundo, vos de deorſum eſtis, Ego de ſupernis ſum. Ecce relinquetur domus veſtra deſerta. Eſſe igitur, & conuiuere genti huic peſſimæ, tàm graue duxit Chriſtus, vt exclamaret ſedulo: Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt; habitaui cum habitantibus cedar, multum incola fuit anima mea; cum his qui oderanr pacem eram pacificus, cum loquebar illis impugnabanr me gratis. Hinc collige iucundum fore Deo, & noſtro Chriſto amabile eſſe eum iuſtis conuerſari, ſecus autem cum malis, quos perfecto odio deteſtatut, à quibus auertit oculos, & auxilium, vt plaga inimici, & crudeli demum percutiantur, & trausfigantur ſagittis deſolatorijs. Vt euim ſuper Leuiathan ſerpeutem vectem, & ſuper Leuiathan ſerpentem tortuoſum viſitabit Dominus in gladio ſuo: Hoc eſt Luciferum, qui vectis extitit, & fulcimentum omuium peccatorum, ſuperbiam introducens, & Beelaebub, qui ſordida vitia adinuenit, ita percutiet virga oris ſui cætum extollentium ſe, & ſynagogam immundorum. Hinc væ coronæ ſuperbiæ. Væ Ariel, ſeu væ filij deſertores, qui contra Deum eleuantur, ac væ qui deſcendunt iu Ægyptum, vt eius ſcilicet voluptatibus perfruantur. Maledictio itaque omnis obuoluet eos, quos Dominus deſeret, & cum quibus eſſe moleſtè fert, ſi ita loqui permittitur cum re vera gemitus, & dolor abſceſſetit. Si tamen adeſſent iſta Chriſto, dicite ò mortales ad quos non eructarer quamdiù ero vobiſcum? quamdiù iu Sacramento altaris permanebo in regno, quod ſcatet hæreſibus; in prouincia, quæ vitijs adoleſcentiæ inſoleſcit; in ciuitate cuius Principes infideles, & ſocij furum; in familia, quæ rapinis implerur; in monaſterio, quod colorem optimum mittat; in Pontifice, qui quærit quæ ſua ſunt; in clero qui delitijs affluit; in religioſo, qui debaccatur; iu Rege, qui exercet Tyrannidem, & in laico, qui ſeipſum amat? Iſta quidem videt in pleriſque noſtrum, non tamen contriſtatur in cælis, ſed inde conſiderat nouiſſima, & niſi conuerſi fuerimus gladium ſuum vibrabit, ac nobis relictis ad Indos tranſibit, & populum nouum ſibi formabit, ſuſcitabitque filios de lapidibus Iſrael.

Ioann. 13 — *Pſal. 119.* — Chriſtus cum iuſtis libenter conuerſatur non ita cum iniuſtis. — *Iſai. 27.28. 29.30.31* — Tolerantia Chriſti.

Quamdiù vos patiar. Vos inquam incredulos ab his quidem propriè, ac ſolum pati dicitur, tametſi à cunctis offendatur peccatoribus, quod incredulitatis, & infidelitatis vitium ſit cunctis abominabilius; Deique maieſtatem pernicioſiſſimè dilaceret; tùm maximè qui Chriſtum negat, vt non ſit hominibus odio, qui magis animam ſuam, quàm Deum amarit, in cuius alioqui manu (ait Clemens conſtit. Apoſtol. lib. 5. cap. 4.) eius reſpiratio eſt, hic miſerabilis, & miſer eſt, vtpotè impurus, & deteſtandus, qui amicus quidem hominum eſſe voluit, inimicus verò Dei, qui non iam partem cum ſanctis tulerit, ſed cum ſortitis maledictionem; qui pro regno eorum, qui benedictionem tulerunt, expiriuit ignem ſempiternum, Diabolo, & Angelis eius præparatum, non iam hominibus inuiſus, ſed à Deo repulſus, & à facie eius proiectus. De hoc enim dixit Dominus, qui negauerit me coram hominibus, & erubuerit nomen meum, & ego negabo eum, & erubeſcam coram parte meo, qui iu cælis eſt. Eſt grauis infidelitas poſitiua, ſed minus; ſicut grauius (inquir S. Thomas 2. 2. quæſt. 10. art. 6.) peccat qui non implet, quod promiſit, quàm ſi non impleat quod nunquam promiſit. Cæterum ait paulò inferius, quum in pluribus erreut gentiles quàm Iudæi, & Iudæi, quàm Hæretici, granior eſt infidelitas gentilium, quàm Iudæorum, & Iudæorum quàm Hæreticorum; niſi fortè quorumdam puta Mauichæorom, qui etiam circa credibilia plus errant, quàm gentiles; iuſuper nota non ſolum in cruce, ſed ab inſtanti conceptionis Chriſtum paſſionem ſeuſiſſe, quum enim ſibi inferenda ante oculos mentis iugiter deferret, ideoque dixit *quamdiù vos patiar*, quod diù pateretur. Iuſinuat quoque (ſecundum Victor. Antiochen.) mortis decretum à ſe transferri omnino non poſſe, tum moleſtius quodammodo ſibi eſſe, diutius cum eis verſari, quàm in cruce agi. Verumtamen ad apertam increparionem non proceſſit, ſed dixir.

Clem. — *S. Thom.* — Alij grauius offendunt alijs. — *Vict. Ant.*

Afferte illum ad me. Quia non obliuiſcitur miſereri Deus, ſed cum iratus fuerir miſericordiæ recordatur, vt ſi ſpina correptionis pungat, odore, & pulchritudine ſuæ roſæ, hoc eſt, operationis delectet, quos arguit, ſi tamen patiantur ſe corrigi, & emendentur. Quapropter dixit: Ego flos campi, & lilium conuallium, vel vt legunt Hebræi roſam, quæ deſuper ſuauis eſt tota & amæna; inferius verò aſpera, & hiſpida. Et Chriſtus ijs qui deorſum ſunt, terribilis eſt, ſi tamen fiant ſurſum, demum poſt labores, & anguſtias, ſuauem ſe præbet, mitem, & vtilem. Quin etiam vt roſa pendens tota ad terram verſus, peſſimis adhuc iu malo pertinaci-

Miſericordia Chriſti.

bus demonſtrat dulcorem ſuum, operatur, & communicat quæ deſiderant, vt vel miſerationibus magnis trahantur, aut certè coronans coronet eos tribulationibus, hoc eſt, duplici pœna, & grauiſſima afflictione ingrati percutiantur. Igitur poſt reprehenſionem adiecit,

Afferte eum ad me. Vt ſcilicet miraculo fiant dociles, deſinant conqueri, & altercari, necnon incredulitatem deponant. Iubet autem eos afferre ægrotum, vt cum tetigerint lunaticum, & poſt viderint ſanæ mentis, ſeipſos vel arguant, quod non crediderint, vel in Chriſtum accendantur, vt qui curauerit minimo negocio, quem tanta cum repugnantia ad eum tulerant. Etiam vt nos omnes excitaret ad pietatem, conaremurque ad eum per orationem ferre ægrotum omnem, præſertim eum, qui obmuteſcit, & ſilet à bonis; lunaticum, qui inconſtans eſt in profeſſione, quam vouit; ſpumantem, qui blaſphemat viuentem; ſtridentem, qui iraſcitur fratri; & areſcentem in obſtinatione. Hunc afferre iubet Dominus, & pro eo ſolicitè ad Deum precari, ſi quomodo conuertat eum Dominus ab impietate ſua. Permiſit autem Dominus (ait Victor Antiochenus) inter accedendum, vt Diabolus illum conturbaret, vel, vt Lucas habet, *eliderei*, & diſſiparet, non ad oſtentationem, ſed ob ægri pueri parentem, nempe vt animaduerſo Diabulu, Diabolum ex eo ſolo conturbari, quod illum accerſebat, ad futuri miraculi fidem excitetur.

Vict. Ant.

CAPVT XIX.

Et attulerunt eum. Et cum vidiſſet eum, ſtatim ſpiritus conturbauit illum: & eliſus in terram volutabatur ſpumans.

Expoſitio

NOn recuſant miniſterium qui aderant. Etſi vim faceret ſpiritus, & retrocederet, neque vellet ſequi trahentes, demum ceſſit tractoribus, qui defatigati *attulerunt eum*, qui ſpiritu illo nequam agitabatur: Verum cum appropinquaſſet ad Ieſum, *& vidiſſet eum*, qui vitæ, & mortis imperium, & clauem abyſſi habet, in quem Satan demergetur; ſtatim ſpiritus ille, ac ſe ad hoſtem acerrimum, & inexorabilem ſiſtendus eſſet, *conturbauit illum*, quem vt vinctum tenebat. Et *eliſus* multis confractionibus *in terram*, vt ſanguis vndequaque proflueret, volutabatur more ſerpentis, & ſpumabat, ac in agonia conſtitutus, qui vltimum vale expectat.

Et attulerunt eum. Non pater ſolus, neque qui cum patre venerant, ſed fortaſſis etiam, qui cum Apoſtolis conquirebant & de incredulitate dignam reportarant reprehenſionem. Nam infidelitas non tollit humanitatem, quin eam ſæpe diligentius infideles exercent, quàm fideles, vt his, quæ Valerius Maximus, & Sabellius collegerunt exempla, & Volateranus, & alij ſatis combrobatur; pleroſque amicorum in amicos, filius in parentes, & è contra; vxores in viros, ac vice verſa: etiam in peregrinos, quid? etiam hoſtes iura beneuolentiæ, & beneficentiæ officia exercuiſſe. Sed miſſis gentilium exemplis, & antiquorum, parem apud Ethnicos, Turcas, & Sarracenos, nec non Hæreticos multi ex noſtris repererunt humanitatem. Quare horum exempla in medium proferri vtiliſſimum eſt, vt ſi illi, qui errant (iuxta Clement. ſententiam epiſt. 3. de officio clerico.) homicidium non faciunt, nos ne iraſcamur quidem. Et ſi illi adulterium non committunt, nos nec concupiſcamus quidem alienam mulierem. Si illi amant proximos ſuos nos, etiam diligamus inimicos noſtros. Si illi mutuo dant his, qui habent vnde reddant: Nos etiam his demus, à quibus recipere non ſperamus. Et per omnia nos, qui æterni ſæculi hæreditatem ſperamus, debemus præcedere eos, qui præſens tantum ſæculum nouerunt, ſcientes, quia ſi opera illorum nullris operibus collata, in die iudicij ſimilia inuentârur, ac paria, confuſio nobis erit, quod æquales inueniamur in operibus, his, qui propter ignorantiam condemnantur, & nullam ſpem futuri ſæculi habuerunt. Ergo vt illi corpore corpus afflictum, nos ſpiritu ſpiritũ, quem in peccatis iacere nouimus, ad Chriſtũ feramus. Nec ſolum humanitate in egenos ducamur, ſed charitate, quæ magnam habet repromiſſionem.

Humanitatis officia exercent infideles.

Captanda ex hijs exempla.

Clem

Matth 5

Deut. 5.

Luc. 6

Et cum vidiſſet eum. Ergo ne licet Diabolo Chriſtum videre? quod ſi fas eſt, & permittitur ſpiritui malo, quomodo de bonis dicitur, in quem deſiderant Angeli proſpicere? Et deſiderant hi, & vident, & delitijs affluunt quando eum intuentur, in quo eſt ratio totius felicitatis, quique omne bonum oſtendit ijs, qui diligunt illum, & ſalutis miniſterium adminiſtrant. Cæteris verò aut ſe denegat, ne videât gloriam Dei; aut ſua oſtenſione tormentum incutit. Iuxtà illud: Domine exaltetur manus tua, & non videant; videant, & confundantur zelantes populi; & ignis hoſtes tuos deuoret. Quæ maior exaltatio Dei, quod vbique exiſtens, & in inferia cuncta operetur, non videatur à ſpiritu nequam, niſi quando conſentit; nec permittat niſi, vt cruciet, cum alias & natura ſua delectet? Populos zelantes dico Dæmones, & eorum miniſtros per quos

Iſai. 26.

veneficia

Zelus Dæmonum. beneficia ſua exercent: Zelant enim gloriam, quam perdidere, & honorem diuinum, quem ab hominibus expetunt, inuidentes nedum hominibus, ſed Deo. Quapropter, vt latrones, & homicidæ ad iudicis præſentiam contremiſcunt, & vt inquit oraculum: Dolent, ſicut in morte primogeniti, ſeu vnigeniti. (Zach 9.) Accedat ergo fluctus mutus, mox enim ad viſum auræ tenuis intumeſcet mare eius exaſperata tempeſtate.

Statim ſpiritus conturbauit illum. Non ſolum quod virtutem eius ſentiret, quaſi aquam ignem, cuius contrarietatem patiens ebullit, & ſcaturigines tranſmittit turbata; verum etiam quod cum agnoueric, qui ſe à lapidibus ignis ad prærupta, & tridentes deiecerat, & operuerat vermibus, quando ſuper aſtra cæli exaltare ſolium diſponebat factioſus ille, & potens venator coram Domino, ſeu potius Tyrannus allutus, & debellator ſodalium, quos pariter in inferni pœnas detraxit: Etenim virtutem Chriſti ab initio caſus ſui experti ſunt; at triumphatorem ſui, cum viderūt in carne, agnouerunt. (Chriſti in Dæmones virtus.) Et quidem tunc factus propugnator ad ſaluandum expoliauit principatus, & poteſtates, & de eis triumphauit palam, qui hactenus ſecreto imperio, & virtute præuiſa, vt in hoſtes ſemper egit. Siquidem Chriſtus eſt Dei virtus & ſapientia (aiunt Epiſcopi ad Philoſophum per Euſebium Pamphili in Concilio Nicæno congregati) (Conc. Nic.) iuxtà modum ſuæ ineffabilis deitatis, ex Deo verus Deus, verbum, quod operatur omnia, & conturbat fluctus maris, hoc eſt impij Dæmonis auſum, vnde tantis naufragium ſucceſſit, ſed à Chriſto reparatum calcato abyſſo, & fluctibus per felix lignum, cui tutum eſt multo quàm arcæ Noeticæ nos ipſos credere, & feliciſſimum; infelix qui difugit, & ad conſpectum Crucifixi conturbatur.

Et eliſus in terram volutabatur ſpumans. Primo conturbauit, ſeu diſcerpſit, vt ſonat σπαράξας poſt elidit in terram, ſeu proijcit. πεσὼν enim cadens propriè interpretatur, mox *volutabatur*, ac demum ſpumat. Quatuor his finebat eum Chriſtus tanta pati, vt pater eius (ait Gagnæius) (Gagn.) poſtquam videret liberatum filium, agnoſceret à quantis calamitatibus euaſiſſet. (Cur tantapermiſit dæmoni Chriſtus in ſua præſentia.) Quoque vt increduli conſternati animis horrendo, & formidoloſo ſpectaculo, necnon mirabili, crederent in eum, cuius virtus, & præſentia tàm acriter ſpiritum expugnaret. Immo verò propter nos iſta permiſit Dæmoni, ne vltra ſeruiamus peccato, neque Ægypto, qui paret Diabolo, manus demus; alioqui nedum corpore, ſi conceſſerit, ſed animo quod luctum mortis aſſert, ſimilia patiemur. Nam peccati ſeruum Dæmon ante omnia conturbat, vt non ſit ſui ſenſus, ei factus inſipiens, & obſcura facie, ſeu viſu, & dum ei ſe credit qui caliginem induit, & colit perpetuas tenebras, ſpiritu vertiginis repletur, qui miſerum conturbat, & mouet, vt ebrium ſemper ad ea, quæ nocent: (Tyrannis Dæmonis in peccatores.) Porrò in terram elidit, hoc eſt ab omni memoria cæleſtium diſtrahit, nihilque conſiderare, neque tractare conſentit præter terram ſuper quam, ſerpens ille graditur, & negociatur victum. Tertio volutatur eliſus, hoc eſt, in proprijs peccatis, ac in cubili dulciſſimo voluptatem, & lætitiam quærit, ne vnquam pœniteat quandoquidem delectatur cum malefecerit, & exultat in rebus peſſimis. Tandem *ſpumat*, & mittit os in cælum, quando dicit: Maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear; vel dicit impius, non eſt Deus; vel cæcus exclamat: Non eſt ipſe, aut in profundum iniquitatis detruſus, reſpondet: Nequaquam faciam; non reuertar. Hæc ſunt ò mortales, quæ magiſter erroris, & pater mendacij ſuos docet, & in ſignum, ſeu characterem ſui dominij, his, qui ſequuntur noxia, exprimit.

His tu præce
Medere fuſis lacbrymis ieiunio
Medela morbis, hac enim certa eſt meis. (Greg. Naz. Tetroſt. 42.)

CAPVT XX.

Et interrogauit patrem eius, quantum temporis eſt, ex quo ei hoc accidit? At ille ait: Ab infantia.

Expoſitio. Interim Pater agonizabat, patiente filio, at qui filium liberare diſpoſuerat, patrem non negligit, immo verò, vt ſolet eloquio, & promoueat ad fidei luciditatem, quæ deſiderabatur in eo, interrogat dicens: *Quantum temporis eſt, ex quo* temerarius ſpiritus præſumpſit inuadere pecus alienum, ac ſenſit filius tuus ſe malè habere, cœpitque iſta tàm horrenda pati? At pater, qui ob oculos natum ferebat, & cuncta nati proſpera, & aduerſa ſedulo meditabatur, ait ad Ieſum omnium inſpectorem, qui tamen velit abſcondi, & acclamari Deus abſconditus. Ad hunc ergo ait vt iuſſis pareat: *Ab infantia* quando primum vitalia cœpit exercere, tunc funeſta, & mortifera iſta ei acciderunt, vt vix natus multis miſerijs, & triſtiſſimis calamitatibus viſus ſit repleri, ad luctum potius noſtrum, quàm ad gaudium, quod ad eius ortum ſperabamus.

Et interrogauit patrem eius. Qui fortè infortunij occaſionē præſtiterat,dū vel moribus diſpar eſt, & diſcolus actibus, libidinemq. potius, & voluptatem in congreſſu vxorio quærit potius,quàm filium intendat procreare. Inde enim accidit monſtrum gigni, demembratum fœtum oriri,claudum apparere, atque diſſimilem, necnon lunaticum ſæpe, & dirè affligi. Quare percuſſis filijs iniquitatem patrum commemorat Deus per Ieremiam. Quid (inquit) inuenerunt in me patres veſtri iniquitatis, quia elongauerunt ſe à me,& ambulauerunt poſt vanitatem, & vani facti ſunt? Et non dixerunt vbi eſt Dominus. Nec quidem pleriq. noſtrorum hoc dicunt,dum vxorem adeunt, ſed vbi eſt caro?ac genito filio,vbi eſt idolum? Propterea genuit ille filium, qui in ſumma egeſtate erit; hic verò nec filium, nec fratrem, nec amicum poſt ſe hæredem, relinquit. Filij (inquit Hieronym. in cap. 1. Ierem.) habentes patrum ſimilitudinem, ſuo, & parentum ſcelere puniuntur, idque ad tertiam & quartam generationem, quia expoſuit idem in Ezecchiel.18.patrum extiterunt æmulatores,& oderunt Deum hæreditario malo, & impietate in ramos quoq. de radice creſcente. Igitur patrem interrogat,vt ex reſponſo concludat eidem filiū non vexari ob culpā propriā,ſed vel parentū,à quib' proceſſit,vel occulto Dei iudicio, qui ſic voluit gloriā ſuā manifeſtari & multos in vnius curatione liberare,& cōſolari.

Ex peccato parentum filiorum pœnæ.

Ier. 2.

Hier.

Quantum temporis eſt,ex quo eo accidit. Non interrogat,nec quærit tempus,vt probet eorū ſententiam,qui temporū conſtellationibus, & aſtris, quæ certis anni temporibus, menſis, atque diei creduntur ab Aſtrologis non ſolum corporibus dominari,ſed animabus. His enim libertas cuiuſq. præficitur, non Orion, neque Lucifer, nec quoduis aſtrum aliud:Poſuit enim Deus hominem omnem in manu conſilij ſui,vt vertat ſe quo velit,non concluſit vt oſtijs mare, quin mente aſcendere in cælum poſſit,& deſcendere ad inferuum; nec concluſit in manibus inimici, qui eum obſtringat malè agere; eum ad imaginem,& ſimilitudinem ſuam fecit, qua perſtringatur ad bonum; ſed ſtatuiſti, vt cecinit Vates, in loco ſpatioſo pedes meos, vt liber ſit ad bonum, & malum. Quare in ſimilium Aſtrologorum dementiam non tàm Gregorius Nazianzenus orat, 3, aduerſus Iulianum & 34. de Theologia. Auguſtinus multis in locis, atque alij inuehunt, quàm Pontifices multa contra eos ſanxerunt; omnes enim tales cauere iubet Pius Papa I. epiſt.decretali ad vniuerſos Chriſti fideles, ne vos, inquit, decipiant per aliquam Aſtrologiam,vel Philoſophiam, & inanem fallaciam. Nam & ipſi Geuethliaci (ait Auguſtinus lib. 2. de doctrina Chriſtiana cap.19.& ſequentibus) quamuis veram ſtellarum poſitionem, cum quiſque naſcitur,conſectentur, & aliquando etiam perueſtigent: Tamen quod inde conantur, vel actiones noſtras, vel actionum euenta prædicere nimis errant,& vendunt imperitis hominibus miſerabilem ſeruitutem. Intelligitur tamen Auguſt. de iis, qui inſpectioni aſtrorum addunt cum Dæmone pactum, vt ſeipſum exponit cap. 23. dicens huiuſmodi artes ex pacto Dæmonum, & hominum proficiſci. Ergo non quærit Chriſtus tempus, vt ab inſpectione aſtrorum malum venetur, ſed vt miſeram corporum conditionem proferat, eſſe inquam tempori calamitoſo, & eiuſdem perturbationibus ſubiectam,& calamitatibus, quibus præter ſpem nonnunquam inuoluuntur. Quia neſcit homo finem ſuum, ſed ſicut piſces capiuntur hamo, & ſicut aues laqueo comprehenduntur, ſic capiuntur homines in tempore malo, cum eis ex templo ſupernenerit.

Eccl. 15.

Contra diuinantes aſtrologos.

Greg Naz.

Auguſt.

Pius Papa 1

Aug.

Aug.

Eccl. 9

At ille ait, ab infantia. Quia iam tunc natura filius iræ in peccato conceptus, & totus in peccato natus, ſecum proferens aculeum, vt apis, & ab vtero hiſpidus, & piloſus, nihil habens lenitatis, aut ornamenti, quo mereatur laudari, & ſtare à dextris regis in veſtitu deaurato, & candido, qualem Candor ille lucis æternæ, & Rex Regum in ſuis prærequirit. Igitur erubeſcat Iulianus (ait Zacharias Chryſopolitanus lib. 3. cap.92.) qui dicere audet omnes homines abſque vlla peccati contagione naſci. Quid enim habuit iſte puer, vt ab infantia à Dæmonio vexaretur,ſi nullo peccato tenebatur originali, quem conſtat nullum adhùc potuiſſe habere proprium peccatum? Etiam *ab infantia* inuaſit eum ſpiritus malus ob patris impietatem, quæ olim multos dehoneſtabat idolis offerendo filios, & traducendo per ignem, aut inuocando ſuper eos nomina Dæmonum, quod adhuc veneficæ mulieres factitant; dum hæc ergo pater fortè in filium agit, malum ei meditatur. Denique *ab infantia* eſt arreptitius qui à pueritia deprauatur,& moribus imbuitur inhoneſtis, à quibus non recedit factus grandæuus,iuxtà illud. Adoleſcens iuxtà viam ſuam, cum ſenuerit, non recedet ab ea, vel vt Horatius cecinit.

Zach Chr. Pelagianiſ.

Prou. 22.

Horat.

Quo ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorem
Teſta diu.

Ergo à pueritia inſtrue filium tuum, & refrigerabit te,& dabit delicias animæ tuæ, ſi autem dimittitur voluntati ſuæ, pudefaciet matrem ſuam, & patrem pauentem faciet, vt Adonias, & Abſalon Dauid, & hunc fortè indulgentia patrum Dæmoni ſubiecit.

CAPVT

CAPVT XXI.

Et frequenter eum in ignem, & in aquas miſit, vt eum perderet. Sed ſi quid potes, adiuua nos miſertus noſtri.

Expoſitio. DEſcribit calamitates pueri, necnon parentum, vt ad compaſſionem excitet Chriſtum, qui etſi maiori pietate, quàm quiſquam alius laborantē proſequeretur, vult rogari, & ægri neceſſitates patefieri. Qnare inquit pater: *Frequenter*. & quando minus dubitamus, *eum in ignem* ardentem, *proÿcit*, vnde non facile extrahatur, nec citra aduſtionem nedùm veſtium, ſed carniū, membris perſæpè concrematis. Nonnunquam ab igne eum ad *aquas* mittit, non quidem, vt refrigeret, ſed perdat ſuffocatum aqnarum gurgitibus. Ergo vnico timentes nato, & volentes ſuccurrere, ante pedes tuos ſiſtimus, & rogamus, *ſi quid* in eum *potes*, non recuſes agere; ſed *nos* afflictos parentes *adiuua miſertus noſtri*, qui alium non habemus filium, nec ſperamus.

Et frequenter eum in ignem, & in aquas miſit. Vt ſic conetur Sathan perſuadere libertatis conditionem poſt caſum retinuiſſe, & adhuc poſſe ad contraria fieri bonum, & malum, bonum, & non bonum, malum, & non malum, ſeu minus bonum, & minus malum. Etenim his duobus elementis liberum arbitrium, quod homini Deus impreſſit, notari ſolet in ſcripturis cum dicitur homini: Appoſuit tibi aquam, & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam. Id quod multo excellentius dandum eſt Angelis, quod poſſint hoc, vel illud eligere. Quoniam quod habet intellectum poteſt agere iudicio libero, ait S. Thomas 1. par. quæſt. 54. art. 3. in quantum cognoſcit vniuerſalem rationem boni, ex qua poteſt iudicare hoc, vel illud eſſe bonum. Intellectu autem excellere Angelum certum eſt; ergo & libertate hominem ſuperant. Angelus enim (notat Nicetus ſuper oratio. 24. Gregorij Niſſen.) ſine vllo impedimento ea vtitur, vt qui nec repugnantiam vllam à corporibus habeat, nec aliquid, quod in eum impetum faciat. At in hominibus habitus ante conatum, & aggreſſionem naturaliter prius cogitatur. Quamuis enim homo libero arbitrio præditus ſit, illudque naturale habeat, tamen ob Diaboli impetum, & impreſſionem, atque ob corporis grauitatem, aggreſſio habitu poſterior eſt. Hanc tamen libertatis excellentiam, quam in Angelis ſupra homines ſtatuit, neque ipſe in malis Angelis agnoſcit. Quemadmodum (inquit ſuper oratione 42. eiuſdem Gregorij) qui lucem fugit, in tenebris verſatur, ita Dæmones poſteaquam à bono receſſerunt, in malo relicti ſunt. Vel vt Gregorij verbis vtar de Lucyfero agentis. propter ſuperbiam, caligo effectus eſt, & nominatur; & rebelles Angeli ei ſubiecti, vitij per boni fugam Architecti, eiuſdemque nobis auctores. Quod autem vitij Architecti, & relicti in malo aſtruantur, nemo aſſentiatur Manichæo, qui Dæmones natura malos finxit, vt qui à malo Deo: Neque cum Porphirio, qui ſecundum Auguſt. lib. 10. de Ciuit. Dei cap. 11. Dæmones quoſdam introducit natura fallaces, vt vulpem, quod animalia ſenſilia affirmaret. Nam auctore Thom. ibi quæſt 63. art. 4. cuius natura ordinatur in aliquod bonum, ſecundum communem boni rationem, hoc ſecundum ſuam naturam non poteſt tendere in aliquod malum. Manifeſtum eſt autem, quod quęlibet natura intellectualis habet ordinem in bonum vniuerſale, quod poteſt apprehendere, & quod eſt obiectum voluntatis. Vnde cum Dæmones ſint ſubſtantiæ intellectuales, nullo modo poſſunt habere inclinationem naturalem in aliquod quodcunq. malum. Et ideo non poſſunt eſſe naturaliter mali. Dona enim naturalia ſecundum Dionyſium lib. de diu. nom. cap. 4. p. 4. integra in eis remanſerunt, vt cognitio veritatis, & boni appetitio, quæ ſunt ſecundum naturam, non vt à ſuperiuſuſis donis procedunt in bonis. His ablatis, naturalia retinuerunt. Quia Thomæ iudicio ibi quæſt. 54. art. 1. propter ſimplicitatem ſuæ ſubſtantiæ à natura eius aliquid ſubtrahi non poteſt, vt ſic per ſubtractionem naturalium puniatur, ſicut homo punitur, per ſubtractionem manus, aut pedis. Quare natura boni, ſed vitio, quod elegerunt, & ſeminant indefeſſi, obſtinatione mali, caligo, & peruerſitas dicuntur. Quia ſuperbia eorum, qui te oderunt aſcendit ſemper, cecinit Concentor. Nam conſueuit dici, ait S. Thomas ibi art. 2. quod liberum arbitrium hominis flexile eſt ad oppoſitum, & ante electionem, & poſt, liberum autem arbitrium Angeli eſt flexile ad vtrumque ante electionem, ſed non poſt. Sic & boni Angeli ſemper adherentes iuſtitiæ ſunt in illa confirmati, mali verò peccantes ſunt in peccato obſtinati. Quare etſi ob naturæ conditionē liberi ſint ad bonū, quod in vniuerſum natura appetit, ſicut & intellectus cognoſcit ob obſtinationem in malo in particulari nihil volunt niſi malū, & quod deterius eſt, plerumq. eligunt, ſemperque quaſi ſues in luto, piſces in aqua, & ſalamandra in igne, volutantur in malo, nunquam bonum honeſtum in particulari appetentes, id, quod homini dum viuit, quantumuis obſtinato, non negat libertas. Quo fit, vt Dæmonem ſuperare profeſſamus, & præſtantioris libertatis, tùm, maximè iuſtum, qui gratuitis ornatur, eſſe

Marginal notes: *Eccl. 15.* Libertas — *S. Thom.* — *Nic. Greg. Niſſ.* — Qua ratione liberior Angelus quam homo. — *Aug.* — *S. Thom.* — *Dion.* — *S. Thom.* — *S. Thom.* — Diuerſitas inter hominem & Angelum poſt peccatum — Dæmonia non volunt bonum.

credimus. Verum vt iſte ad ignem, & aquas, ſic homo omnis ad oppoſita, & contradictoriu poteſt flecti, & pulchrè vulpem fallere, quæ fallere, & indurare quenquam tentat.

Vt eum perderet. Eſt Dæmon nonnunquam homini perditionis cauſa, ſed extrinſeca, ob id enim (ſcribit Athanaſius in vita beati Antonii) familiares nobis ſpecies aſ- *Athan.* ſumunt, vt affinitate virtutum nocentes, facilius virus interſerant, & innocentes quoq; per ſpeciem honeſtatis elidant. At qui eo *Eorum fallacia.* horrendas figuras proponunt, & clamores emittunt, vt ſcribit Paladius Capadociæ Epiſcopus in vita duplicis Macharij. Dicebat inquit S. Macar. de ſupradicto horta *Palladius* ſeptuaginta Dæmones ad aduentum ipſius proſiluiſſe clamantes, & circa oculos eius, ac vultum coruorum more volantes, dicenteſque quid vis Macari? quid vis teſtator Monache? quid ad loca noſtra veniſti in quibus manere non poteris? His enim tum lætis, tùm mæſtis exterius ad vomitum prouocat, & ruinam minatur prouecto. Arbitratur enim ferrum, vt paleas, & orbem *Iob. 41* terrarum, vt nidum, inquit, manu mea au- *Iſai. 10.* feram; nihil tamen poteſt reſiſtentibus nobis. Hamo enim crucis, ait ibidem Athanaſius, vt draco aduncatus à Domino eſt, *Athan.* & capeſtro ligatus, vt iumentum, & quaſi mancipiũ fugitiuum vinctus circulo, & armilla labia perforatus, nullum omnino fidelium deuorare permittitur, dum nolit. Quare non perdit Satan, ſed voluntas propria, & concupiſcentia parit peccatum; peccatum verò, cum conſumatum fuerit generat mortem. Ergo poſt concipiſcentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere; ſi præ- *Eccl. 18.* ſtes animæ tuæ concupiſcentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis.

Sed ſi quid potes. In dubium videtur Chriſti potentiam reuocare, quod fidei eius infirmitatem oſtendit, necnon, vt no- *Vict. Ant.* tat Victor Antiochenus, quod Chriſtus dixit: O *generatio incredula*, ſi poteſtis credere, & deprecatio eiuſdem *adiuua Domine incredulitatem meam*, & quod idem Chriſto reſpondit: *Rogaui diſcipulos tuos*. *Zach. Chr.* Siquidem tunc latenter (inquit Zacharias Chryſopolitanus) accuſat Apoſtolos. Verum, vt ſupradictum eſt, etſi infirmus in fide cenſeatur; non tamen incredulus, vt Scriba, alioquin non diceret, *ſiquid potes*. Nam conditionalis, *ſi*, admittit aliquid poſſe, an verò totum, dubitat. At Scriba, & qui incredulus eſt, & infidelis poſſe totum negat. Vnde dixerunt: Tu quis es? quem *Ioann. 10* te ipſum facis? non tàm potentiam, quàm potentem, & auctorem inſimulantes, ac ſi nihil prorſus poſſet id, quod factis monſtrarent, quando audientes à Chriſto; Ego pincipium, qui & loquor vobis, ſuſtulerunt lapides, vt in eum iacerent.

Adiuua nos. Communem facit ſibi filij infirmitatem, haud ſecus quàm quæ poſt diſcipulos clamabat: Ieſu fili Dauid miſerere mei. Quod ſi amor naturæ id præſtat in pa- *Luc. 18.* rentibus, vt tàm proſpera, quàm infauſta filiorum reputent propria; quanto charitas, quæ cæleſtis eſt ignis, & pruna de altari non manufacto petita, poſſet excellentius in cunctis fidelibus, ſi lampades tanti ignis atque flammarum venerarentur, & colerent? Charitas enim patiens eſt in ſuſti- *1. Cor. 13.* nendis aliorum infirmitatibus, & iniurijs, benigna cum omni egeno; non æmulatur in malignantibus, non agit perperam aduer- *Effectus charitatis.* ſus proximum, non inflatur honorata; & ſublimata; non eſt ambitioſa quærens homini in malum dominari; non quærit quæ ſua ſunt, ſed alij proſpicit, & impartitur, nedùm bona fortunæ, immo verò animam ſuam; non irritatur ab ingratis prouocata; non cogitat malum pro malo reddere, ſed malum in bono vincere; non gaudet ſuper iniquitate fratris lapſi, ſed ventrem dolet; & clamat, quis dabit me veprem, & ſpinam? quis det mihi mori pro te; aut Anathema fieri? congaudet autem veritati, quam errans amplectitur, & conſeruat ſtudioſus, omnia ſuffert, vt lucretur fratrem, Deumq. in æuum teneat; omnia credit, quæ Eccleſia proponit, ac fides dictat; omnia ſperat ab omnipotēte conſequi, & omnia ſuſtinet laborioſa, vt omnibus omnia fiat, nec vnquā excidat. Hæc ſunt candelabra aurea, atque lampades, inter quas filius hominis contemplatur, & flammæ, quæ ab eius oculis profluunt, & inflammant cæleſtes ſpiritus, & verè credentes, ac conſtitutos ſub vno Deo & Patre, vt ſit eis cor vnum, & anima vna. Tum maxime his, qui intra eiuſdem Cænobij ſepta ſe vltro continent. Quia nulla vita (inquit Hier. cap. 1. de regula Monachorum) pro certo deterior, quàm ſimul degere corpore, & non mente. Et verè in- *Hier.* felices ſunt, quibus non ineſt vna, ſed diuerſa voluntas. Sit itaque vobis ſemper vnus affectus, vna voluntas, vna fraternitas, vna *Concordia in clauſtro ſeruanda.* proportio morum, vna iucunditas, vna triſtitia, non quod alteræ placeat, alteræ diſpliceat: Quo gaudet altera, triſtetur & altera. Et ſic habere poteritis Religionis propoſitum, ſi vnanimes in domo Dei habitetis. Hæc vera vita Dei non Diaboli; verè monaſteriũ, non infernus; verè vita religioſa, nō diabolica. Ergo infirmāte fratre, qui fratres nominamur, clamemus: *Adiuua nos*; & congratulemur ei, qui amore dilecti languet.

Miſertus noſtri. Quoniam in parentes redundāt beneficia corporea, quæ filijs conferuntur, opinione tamen, non veritate, ſiquidē corona, quæ filio imponitur, non tegit patrem; ſecus de ſpirituali miſericordia, & largitate loquendum cenſeo. Namque gratia quæ diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis; non

ſolum

ſolum habenti, & recipienti augmentum, proficit; ſed ei qui parum habet in cætu, vt fiat feruentior in exercitio ſpirituali, minuſque in eum poſſit hoſtis fraterno calore, & adiutorio fretus; & qui iam cecidit à ſtatu, vt facilius erigatur ob fratris gratiam, atque meritum conſequitur: Vt ergo cibus, quem os deglutit non ventrem, in quo recipitur, impinguat ſolum, ſed fulcimentum reliquis membris communicat, & manum demum ab apoſtemate iuuat liberari, ità gratia, miſericordiaq; omnis, quam pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis elargitur electis, alijs, qui minoris ſunt gradus in Eccleſia opem, ferunt. Sicut vnguentum quod deſcendit in in capite, inde fluit ad barbam, hæc diſtillat ſuper veſtimenta, & à veſtimentis demum ora liniuntur, nec non terra odorat ab vnguento; Nam & impios, qui terra ſunt, patitur Deus viuere propter electos, quibus nedùm cæleſtia dona, ſed auctorem vt poté filium proprium concedit. Quare quoties exorat pluribus benefacit, & quando impius delirat in Eccleſia nocumentum corpori infert, dum illud ſua gratia priuat, & adiutorio, quòd & ornabat, & fouebat plurimos. Vndè rogans pro eo, non miſerere mei, ſed *miſertus noſtri adiuua nos* proclamet ad omnipotentem, qui poteſt, & vult cunctis miſereri.

Communio gratiæ, & meritorum in electis.

Pſal. 132.

CAPVT XXII.

Ieſus autem ait illi, ſi potes credere, omnia poſſibilia ſunt credenti.

Expoſitio

QVoniam non tàm filio quàm ſibi miſericordiam poſtularat pater, Chriſtus pius, & miſericors occaſionem quærit, vt à fidei infirmitate leuetur. Ergo *Ieſus*, qui Saluator eſt animarum, magiſquam corporũ, *ait*, & loquitur patri, haud ſecus quàm medicus, vt morbum compellatur detegere inter loquendum; *Si potes*, inquit, & conaris non ocitantèr ſed toto conatu, & corde *credere*, quod non ſolum liberare filium tuum poſſim, ſed medelam omni ægrotanti ferre; & cuncta, prout voluero, perficere, facillimũ erit, quod efflagitas, conſequi. Etenim *omnia*, quæ ratio recta meditatur, & regulatus animus valet poſtulare, *credenti* in integrum quæ oportet credere, *poſſibilia ſunt*, & abſque difficultate ab eo, qui poteſt, in quem credit, communicantur.

Ieſus autem ait illi. Vt fidelis plené efficiatur, & ſanus animo ſalutem corporis filio promereatur. Id circò miraculum differt; ſermones nouos, & interrogationes proponit, & vt ſolent inflationes vultus ſaliua ieiuna mitigari, & tolli, ſic eloquio ſuo caſto, probato, & ignito, mentem patris craſſam, rudem, & turgidam curet, atque illuſtret. Hoc eſt proprium ſacri eloquij, & verbi Chriſti perficere auſcultantem. Quia ſunt, inquit, iuſti ſermones mei, non eſt in eis prauum quid, neque peruerſum, recti ſunt intelligentibus, & æqui inuenientibus ſcientiam.

Prou. 8.

Si potes credere. Ecquis ò Chriſte poteſt credere? An non fides donum Dei, & tu dicis: Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus, qui miſit me traxerit eum? At nauis, quæ funibus, & nautarum impulſu, & vi non parua trahitur, nequit ex ſeipſa ad portum intrare. Nec quidem ſi potuiſſet ſponſa, acclamaſſet: Trahe me, poſt te curremus, nec tu ò Deus te tractorem obtuliſſes periclitantibus dicens: In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis. Negare non poſſumus impotentiam noſtram ad fidem; nec quenquam credere niſi Deus det; nihilominus quia volenti donum confert, ait, *ſi potes*, hoc eſt ſi vis credere. Namque in noſtra voluntate ſitum eſt, ſecundum Aug. lib. 1. de liber. arbitr. cap. 12. vt vel fruamur, vel careamus tanto, & tàm verò bono, quandoquidem nihil tàm in voluntate, quàm ipſa voluntas ſita eſt. Eandem ſententiam repetit lib. 1. retract. cap. 9. Subinde S. Thom. t. 2. queſt. 10. art. 1. dixit: Per voluntatem non appetimus ſolum ea, quæ pertinent ad potentiam voluntatis; ſed ſed etiam ea, quæ pertinent ad ſingulas potentias, & ad totum hominem. Vnde naturaliter homo vult, non ſolum oblectum voluntatis, ſed etiam alia, quæ conueniunt alijs potentijs, vt cognitionem veri, quæ conuenit intellectui, & eſſe, & viuere, & huiuſmodi alia, quæ reſpiciunt conſiſtentiam naturalem, quæ omnia comprehenduntur ſub obiecto voluntatis, vt quædam particularia bona. Cæterum volitiones, quæ ſupernaturalis ſunt ordinis, operatur Deus, iuxtà illud: Adiutor meus eſto, ne derelinquas me, neque deſpicias me Deus ſalutaris meus, quæ incaſſum dixerit (ait Innocentius Papa primus in reſcripto ad Mileuitanum Concilium) ſi tantum in eius poſitum erat voluntate, quòd à Domino flebili ſermone poſcebat. Quæ cum ita ſint, cumque in omnibus diuinis paginis, voluntati liberæ non niſi adiutoriũ Dei legamus eſſe nectendũ, eamq. nihil poſſe cæleſtibus præſidijs deſtitutam: Quonãmodo huic ſoli poſſibilitatẽ hanc pertinaciter, vt aſſeritis defendẽtes ſibimet, immo quòd eſt dignius dolore cõmuni, plurimis Pelagius, Cæleſtiuſq. perſuadẽt? Ex quibus omnibus cõcludimus voluntatem ex ſua natura poſſe velle, quæ ad naturalem hominis faciunt ornatum, vt Sanctus Thomas cum Aug. ferunt; quæ ad ſupernaturale velle non mouetur, niſi adiuta cælitus, & non ex ſe, vt Pelagius dogmatizabat, cuius partes viſus eſt quondam

Ioan. 6.

Credentem Deus trahit. *Can.* 1.

Oſei. 11.

Aug.

S. Thom.

Virtus naturalis voluntatis

Pſal. 26.

Innoc. Papa I.

S. Thom.
Aug.

tueri

Auguſt.

tueri Aug. lib. expoſitio. expoſ. 60. 61. 62. putans nos non alio egere præueniente auxilio ad fidem, quam quia credere, niſi præcedat prædicator, non poſſimus, conſequenterque fidem à nobis eſſe habito præcone;

Retractatio Auguſtini.

ſed retractauit errorem lib. 1. retract. cap. 23. & lib. de prædeſtinat. c. 2. & 3. affirmans cogitationem omnem, & propoſitum ad fidem à Deo eſſe.

Fides à Deo eſt.

Adhuc tamen obſtat Chriſti interrogatio *ſi potes credere*; credere enim ſupernaturale eſt, nihilominus de eo quærit *ſi potes*, quaſi in naturali poteſtate ſitum ſit, habere ſupernaturale. Reſpondeo, quum credere ſit veri, cuius cognitio, & appetitus, & naturalis, & ſupernaturalis ineſſe poſſit, hæc cum peculiari auxilio, illa ſecus; quærit Chriſtus, *ſi potes credere*, ac ſi diceret, ſi vis vero aſſentiri; & illud paratus es complecti: Nam velle verum naturale, & in eo complacere, via eſt ad ſupernaturale; Quod, vt detur, & ad illud influat, poſtulat naturale, hoc eſt, homines bonæ voluntatis, vt bonos efficiat fideles. Itaque *potes*, hoc loco ſumitur pro velle vſurpato, *credere*; pro cognoſcere, verum in genere non contractum ad ſupernaturale, quod eſt propriè obiectum fidei, ad quam nemo poteſt, niſi præuentus à Deo auxilijs particularibus; capaciorem tamen ſe reddit, qui vult, & quærit verum in genere; quod homo naturaliter appetit, vt & bonum.

Omnia poſſibilia ſunt credenti. Credenti, quidem propriè, ac vera, & integra fide ornato. Huic enim datum eſt primo filium Dei fieri; cum lucem participet filij, & imaginem claritatis eius, ad quem dictum eſt: Filius meus es tu; & audierunt diſcipuli,

Matt. 17.

noſq. legimus: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui ipſum audite, vt per ſplendorem ſuæ doctrinæ adoptionem

Cur primogenitus dictus eſt Chriſtus.
Cyrillus Alex.

filiorum reciperemus. Eò enim primogenitus dictus eſt Chriſtus (Scribit Cyrillus Alexandr. ad Theodoſium lib. de recta in Chriſtum fide) quatenus ſecundum œconomicam vnionem internos, & inter multos fratres homo verſatus eſt, quo & nos quoque in ipſo, & per ipſum ſecundum naturam, & gratiam filij Dei efficeremur: ſecundum naturam quidem, vel naturales, tanquam membra ipſius Eccleſiæ participatione verò, & ſecundum gratiam per ipſum in ſpiritu. In ſpiritu quidem, qui diuidit dona ſingulis, prout vult per meritum Chriſti; filijs autem fidem, ſpem, & charitatem, vt verè iuſtificentur impertitur. Hæc enim tria manent in vnoquoque eorum, qui pignus hæreditatis filiorum penes ſe habet; nam nec fides ſola, vt olim Manichæus; nec ſpes, ſeu fiducia, vt Caluinus, & Lutherus ſomniant, iuſtificat, neque filium regni generat abſque ſpe, & charitate habitibus in-

Cõc. Trid.

fuſis, vt iuxtà decretum Synod. Trid. ſuper

Vega.

quam vide Patrem de Vega lib. de iuſtificat. necnon patrem Medinam de recta in Deum fide, & Gaſparem Caſalium Luſitanum de quadripartita iuſtitia, atque alios, ſi prolixiorem de hiſce ſermonem exoptas facere.

Medina.
Caſalius.

Cætera quæ *poſſibilia ſunt credenti* facillimum eſt diſcurrure; nam ſi credens Dei filius efficitur; & hæres regni, ac naturalis filij poſſeſſor iugis in ſacramento altaris, quod participat, quomodo non omnia nobis donabitur? vt cum Apoſtolo concludam: Nihil ſunt miracula habenti auctorem miraculorum; honores vileſcunt ei, qui Regem in decore ſuo, non tàm videt, quàm vt diadema regni in manu tenet; reliqua omnia, vt ſtercora arbitratur factus cælum cæli ad Orientem, dum regni Dei intra eum eſt, ſedes ſapientiæ ſit, & thronus maieſtatis Dei, atque templum.

CAPVT XXIII.

Et continuò exclamans pater pueri, cum lachrymis aiebat, credo Domine adiuua incredulitatem meam.

Expoſitio.

IGitur diuinis ſermonibus illuſtratus, qui videbatur ante obſcureſcere, & in fide debiliſſimus, *continuò*, vt ceſſauit Chriſtus loqui, *exclamans* toto animo *pater* ille, qui *pueri* ſanitatem anxius quærebat; addenſque clamori lachrymarum fontes ſupplex, & humilis ad Chriſtum aiebat. *Credo*, & opto Domine aſſentiri, & adhærere ei, quod mihi fuerit propoſitum, ſi tamen auctor, & conſummator fidei, iam iam optatum donum largiatur. Ergo tu, qui & potes omnia, vt Deus, & vt homo mereris apud Deum cuncta impetrare; *adiuua imbecillitatem meam*, & fac vt incredulitatem omnem deponam, ſimque verè credulus, verè fidelis, vt non tàm filio libertatẽ, quàm mihi omnia, quæ cupit animus illuſtratus tuo ſplendore, ſint poſsibilia, atque impetrem, te promerente, & effectore, cui nihil eſſe impoſsibile vel nunc agnoui.

Et continuò. Hoc eſt repentè, præter ſpem circunſtantium, immò verò ante nihil ſe talia opinante. Etenim conuerſio eum non humanum, ſed diuinum ſit opus, non tem-

Cõuerſio fit repente.

pore diuturno, neque à multorum requiſitis ſuffragijs perficitur, ſed in inſtanti, vt quæ ab omnipotẽte, cui nulla craſsities materiæ obſiſtit, nec potentia proficiſcatur, abſoluatque ſapientia æterna, quæ non admittit conſiliarium, neq; frangitur, aut immutatur eius decretum ſapientia hominũ, ſeu aſtutia. Emittit (inquit oraculum) ſapientiam, quaſi lucem. At lux materialis ſolis in inſtanti diaphanum illuminat, ergo quanto magis is, qui lucem habitat inacceſſibilem, repentè venientem in hunc mundum

Eccl. 25.

Gen.15. dum ſui appetitorem illuſtrabit? Inter diuiſiones illas lampas ignis tranſibat ſecundum Symbolum, iuxtà autem veritatem, Deus tuus ò homo, qui ignis conſumens, dum diuiſiones in animo inſpiciat tuo, & aliquantiſper à complacentia falſi, & mali ſeparatum cernat, vt ignis promptus mentem clarificat, & vt lampas voluntatem accendat, tamque repentè, vt cum venerit nõ intelligas, neq; ſcias quando cœperit tranſire; ſed exclamare compellet: Nunc cœpi:
Pſal 30. Hæc mutatio dexteræ excelſi. Ferant confeſtim confuſionem ſuam, qui dicunt mihi euge, euge. Abijt enim diabolus confuſus in ſubita peccatoris conuerſione; conuerſus autem in dextera excelſi, & opere gloriatur.

Eclamans pater pueri In ſignum, videlicet operis, & concepti ſpiritus ſalutis à facie Domini, & efficacia verborum eius, quæ omni gladio ancipiti penetrant animas auſcultantium, & replent ſpiritu vitali, qui compellat conceptam ſalutem, vt mulier habitu, clamoribus explicare, & interpellatione aſſidua, dicens: Clamaui in toto cor-
Pſal 118 de meo exaudi me Domine. De profundis
Pſal. 129. clamaui ad te Domine, & ſimilia. Quibus, vt ex tonitruo ignem continuiſſe bombardam, ſic & hominem cæleſti percuſſum igne deprehendimus. Neque enim Dauid clamauit antequam per Natham cœpit reſipiſcere, agnoſcere, quæ egiſſet; neque ſponſa
Cant.5. aperuit ſponſo, niſi poſtquam manum ſuam miſit per foramen ad peſulum oſtij. Sed quæ manus Domini niſi auxilium, quo nos ad
Auxiliũ excitans. Deum conuertit, & commouit interiora ad pœnitentiam, & immutat propoſitum in melius? vel per Natham, hoc eſt prædicatorem, aut per ſolam inſpirationem ſecretam? Quamprimum mittitur manus iſta per foramen, hoc eſt mentem, cum illuſtratur, & per voluntatem, cum inflammatur, & pungitur, fit curſus, fit acclamatio, & orandi aſsiduitas.

Cum lachrymis. Clamori adduntur lachrymæ, quæ ſunt veræ compunctionis ſigna, & vehementis deſiderij eius, quod pe-
Pſal 41. titur. Hinc ille: Fuerunt mihi lachrymæ, panes die, ac nocte, dum dicitur mihi quotidie vbi eſt Deus tuus; hæc recordatus ſum, & effudi in me animam meam. Deſiderabat Deum, quo nihil appetibilius, idcirco appetitum lachrymis manifeſtat; & hic deſiderium fidei; nos autem propter remiſsionem peccatorum lachrymemus, quod ſi fontes
Ierem.9. exſiccati ſunt clamemus: Quis dabit capi-
Pſal 103. ti meo aquam, & oculis meis fontes lachry-
Pſal 60. marum? tu qui emittis fontes in conuallibus, & de petra flumina educis, cor mundum
Deſiderium lachrymarũ, crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis, qui diluuium inhabitare faciat, dieque ac nocte plorare valeam, & abſtergere lachrymis, quæ deliqui. His ego ſermonibus miſericordiam captat (vt *Greg Nazianz.*
cum Greg. Nazianz. oratione 15. pro grandine loquar) quod holocauſtis etiam, ac ſacrificijs iram ipſius placare liceret, ne his quidem pepercisſem. Vos verò ipſi quoque timidum ſacerdotem imitemini. Ite facite dilecti filij, ita inquã vos facite, quos diuinæ increpationis, & benignitatis ſocios, & conſortes habeo. In lachrymis animas veſtras poſsidete, diuinam iram reprimite, veſtra vitę ſtudia, & inſtituta in melius commutantes. Sanctificate ieiunium, proclamate curationem, quemadmodum vos mecum beatus Iohel cohortatur.

Aiebat credo Domine. At ſi credebat, vt ſe credere, aiebat, qua ratione, *adiuua Domine incredulitatem meam* dicit? Non vnius *Victor Antiochen.*
rationis eſt fides (reſpondet Victor Antiochenus) eſt enim fides inchoata, eſt rurſum conſummata. Exorſus igitur credere, vt Dominus virtute ſua, quod deerat, opus habebat. Sic diſcipuli quoque ad Seruatorem *Luc.7.*
aiebant. Adauge nobis fidem. Inchoatam *Duplex fides*
autem fidem poſſumus dicere humanam, quum homo non credit, niſi quia ſibi proponitur credibile à viris, quos veraces reputat, vt cum credimus dari montes aureos, flammigeros, mare glaciale, Onocentauros, & ſimilia, quæ narrant Scriptores celebres. Perfectam autem fidem ſtatuito, quæ per infuſionem ſpiritus eſt, cum intra nosipſos loquentem audimus iuxtà illud: An experimentum quæritis eius, qui in me *2.Cor.13.*
loquitur Chriſtus? Vtramque in Samaritanis contemplamur, qui audito Chriſto dixerunt mulieri ſe iam non credere propter eius loquelam, ſed quia ipſi audiuimus. Inchoatam quoque ad iuſtitiam aſtruimus fidem, quæ deſtruitur charitate, qualem in peccatore fideli admittimus. Qui fidem *Fides informis in peccatore.*
retinens ſpoliatam forma ſua, quæ eſt charitas, eam inchoatam non perfectam, & abſolutam iure dicitur habere. Eſt tamen perfecta quantum ad naturam fidei habitus; non tamen ſecundum rationem habitus iuſtificantis, ac veræ virtutis, vt inquit S. Thom. 2. 2.

Adiuua incredulitatem meam. Propoſitio iſta duplicem patitur ſenſum; vel quod adaugeat Chriſtus incredulitatem, vel tollat id, quod intendit exorans, ac ſi diceret, *adiuua*, & fac, tolli *incredulitatem meam*, per fidem, quam noſcis mihi deeſſe. Fit autem deprecatio ad Chriſtum, quod auctor fidei, & conſummator ſit Deus, ad quem accedere nemo poteſt, quin credat primo, & homo per quem fiduciam habemus eundi ad patrem. Inde Paulus. Fundamentum *1.Cor.3.*
aliud nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. Quare habeo gloriam in Chriſto Ieſu ad Deum; non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Chriſtus. Etenim

Chri-

Digitized by Google

Chriſtus eſt, qui vt Deus efficit fidem omnem, & quæque fidelia procreat; vt homo autem cuncta promeretur, & in quem anchoram noſtram proijcimus. Vnde infert Cyrillus contra Neſtorium lib. de recta in Chriſtum fide ad Imperatricem Pulcheriã. Si Chriſto perinde, ac fundamẽto cuipiã innitimur,& per fidẽ ſuper eũ conſtruimur,& ipſe omnium eſt ſalus, quomodo fieri poteſt, vt verus Deus non ſit? Maximè verò cũ conſiſtant omnia, fideſque noſtra de ipſo ſit non ſicut de homine quopiam noſtri ſimili. Siquidem creaturam non adoramus, ſed eum,qui virtute, & natura Deus eſt. Ac talem videtur pater ſubolere,dum adiutorium ſuum implorat,quia ſcriptum eſt: Adiutorium meum à Domino. Præſertim adiutorium fidei ſolus largitur Deus,iuxtà illud: Gratia eſtis ſaluati per fidem, & non hoc ex vobis,Dei enim donum eſt. Itaque oratione Chriſtum confitetur Deum, & hominem propitiatorem per ſanguinem Crucis, in quo redemptionem habemus,& fidem. Porrò nota dicere *meam incredulitatem*, non filij,tùm quod Patris bonitas filio quandoque profuit. Priorem propoſitionis ſenſum ſequuntur, qui in malo ſibi complacentes, orare,obſecrare,ſacrificare, & reliqua munia hominis chriſtiani, & ſacri intrepidè exercent,& abſque timore Dei miniſtrare præſumunt. Nam quanto audacter ad Deum accedunt,tanto ſibi maiorem damnationem aſciſcuntur,duriores fiunt,& increduliores. Quia,inquit Vates,labijs ſuis glorificat me, cor autem eius longè eſt à me,& timuerunt me mandato hominum, & doctrinis. Non timore ſancto, qui ſanctificat habentem, & externum ædificat in vniuerſis, quæ agit, cunctos verò corde ad certamen,& pugnam contra hoſtes, exhortans, quum eis coronã iuſtitiæ oppetet: ſed timore mundano, qui tantum agit, vt complacet, delectat, & laudat. Optimè ergo de his, qui ſic in concionibus ſuis,& miniſterijs ſua peragunt, dici poſſet: Non eſt clamor adhortantium ad pugnam,neque vociferatio compellentium ad fugam, ſed vocẽ cantantium ego audio. Cantantes enim auribus applaudunt, & externis tantum complacent, qui in peccati complacentia Deo quicquam offerunt, tacitè dicentes: *adiuua incredulitatem*, hoc eſt obdurationem, & cæcitatem adauge. Ergo beatus homo, cui donatum eſt habere timorem Dei, qui tenet illum, cui aſſimilabitur?

Cyrill. — *Chriſtus Deus.* — *Pſal. 123.* — *Epheſ. 2.* — *Complacẽtes in peccato.* — *Iſai. 29.* — *Timor humanus malus.* — *Exod. 32.* — *Eccl. 25.*

CAPVT XXIV.

Et cum videret Ieſus concurrentem turbam, comminatus eſt ſpiritui immundo; dicens illi: Surde, & mute ſpiritus ego præcipio tibi exi ab eo: Et amplius ne introeas in eum.

POſtquam patris incredulitatem adauxit,totius fidei principiũ, & finis Chriſtus Saluator, filio ferre opem ſe parat. At *Ieſus* hoſtis inſolentiam videns,& præ compaſſione *concurrentem turbam*, quæ item euentum miraculi expectabat, *comminatus eſt* ſub graui cenſura,quæ rebelli infligitur, *ſpiritui ſuo immundo*,qui vt corpus,ſic animum fœdare conabatur,dixitque ei: *Surde*, qui alterius occludis aures; *& mute ſpiritus*, qui linguam vincis, ne officio perfungantur naturali. *Ego*, qui naturam omnem condidi bonam, & ſtatui iuxtà genus ſuum vnamquamque ſine impedimento operari *præcipio tibi*, non iam per exorciſtam, aut virum Dei,ſed per meipſum,vt non tibi ſuperſit diffugium, quominus protinus euadas. *Exi* ergo citò *ab eo*, quem nefandiſſime hactenus poſſediſti. *Et* ſic eneruare ò furcifer, vt *amplius* poteſtatem non habeas impetendi eum, nec vllo modo introeas ad eum, ſed ſis continuo longè ab eo, exul, & relegatus in deſertum locum, quo vltra accedere,ad eum non valeas.

Et cum videret Ieſus concurrentem turbam. Quam docere volebat (notat Arias Montanus) quantum poſſet viua fides impetrare à Deo. Nam quo hominibus (ait Victor Antiochenus) pro cuiuſque conditione,& neceſsitate ſeipsũ patefaceret, Chriſtus ſeruator in hunc mundum venerat iuxtà illud: Primus ad Sion dicet: Ecce adſum, & Ieruſalem Euangeliſtam dabo, hoc eſt doctum à Domino in omni bonitate, & diſciplina,in omni ſcientia, & fide, ac plena cognitione, vt non doceat vltra vir proximum ſuum, & vir fratrem ſuum dicens: Cognoſce Dominum, omnes enim cognoſcent me à minimo eorum vſque ad maximum. Nam quis irradiantem ſolem deſuper Orizontem ignorat? aut cui mannæ diluuium abſconſum fuit in deſerto, ne quis ad ſatietatem caperet? Et hoc dulcius, atque lucidius, & communius extitit Chriſti verbum, quo non vnum, aut alterum, ſed omnem turbam concurrentem informauit, & erudiuit cunctos,qui pio animo acceſsiſſent; eoſque Euangeliſtas fecit non ſermone ſolum, ſed opere, & veritate,quæ efficacius,ac multo breuius, quàm prolatus ſermo docet.

Comminatus eſt ſpiritui immundo. Increpauit ſpiritum immundum (ait Theophylactus)

Expoſitio. — *Arias Montanus.* — *Victor Antiochenus.* — *Iſai. 41.* — *Ierem. 31.*

lactus)quia nolebat coram turba ſanare, & oſtentare ſe,vt arrogantem. Quinimo *comminatus eſt ſpiritui*, vt Dominum ſe cunctis declararet, vt qui poſſet non corpori ſolum, ſed ſpiritui, qui præeſt corpori, imperare, & ſub interminio pœnæ comminitari. Quoniam Dominus vniuerſorum tu es. Dominus inquam nominatus, quem os illud diuinum denominauit vnicum, cui pareant omnia, & omne genufle&tatur, etiam infernorum. A dominio enim agnoſcendus erat Meſſias, & Redemptor expectatus, iuxtà illud: In diebus illis ſaluabitur Iuda, & Iſrael habitabit confidenter: Et hoc eſt nomen, quod vocabunt eum, Dominus iuſtus noſter. Dominus quidem propter Imperium, quo compeſcuit tyrannidem hoſtis; iuſtus in ſanguine ſuo, quem, vt mundaret nos ab omni iniquitate, & ſanctificaret, liberè effudit; ac noſter, quod nihil omiſerit, quo nos diuites efficeret, atque diuinos, ſubactis hoſtibus, & omni impedimento ablegato. Præterea, quod *ſpiritui immundo comminatur*, formam tradit, qua in vitijs immundis propulſandis vtendum eſt nobis, circa quuſcunque, qui carnalibus fœdantur, videlicet comminationis pœna, & virga. Nam qui ijs quondam tenebatur dixit: Virga tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt; vt enim pannus puluerem percuſſus extramittit, ac nitet, ſic quem correptio ferit, melior euadit. Etſi enim in duodecim iugis bouum arantibus vnus erat Eliſæus, pallio Eliæ tactus, ſtatim relictis bobus cucurrit poſt Eliam. Arat vnus in duodecim iugis bouum, qui plenè terrena ſectatur, nec præterit pratum, quod non luxuria eius pertranſeat; tangitur verò pallio Eliæ quando corrigitur, flagellatur, & zelo furoris Domini percutitur, & plagatur à planta pedis vſque ad verticem, vt Iob, aut mitius percutitur, quouſq; relictis vitijs ad Deum reuertatur. Ergo qui mũdari cupimus comminemur *ſpiritui immundo*, qui nos inficit, & caſtigationibus vermes ſordidiſſimos, qui nos rodunt, mortificemus, demuſq; ſalem, & acetum corpori, quod panis ſuauis incraſſat, & impinguat plus iuſto.

Ierem. 23. — *Pſal. 22.* — *3. Reg. 19.* — Caſtigatio ad ſalutem.

Dicens illi. Comminationi imperioſæ addit verbum, vt doceat eos, qui ſedent pro tribunali, & animaduertunt in reos; non ſolum ferre ſententiam, & pœnam contra reũ, ſed verbis in eum agere, vt non ſolum reus, qui vt plurimum ſe iuſtificat; ſed inſpectores inſtam infligi pœnam agnoſcant. Tunc enim impletur, quod de iudice optimo ſcribitur: Iudicium determinat cauſas; & qui imponit ſtulto ſilentium, iras mitigat. Reus, qui ſtultus eſt, auditis criminationibus ſilet, circunſtantes, qui ignorabant acta, mitigantur perſpecta maturitate iudicis in determinandis cauſis, quæ contra hominem proferuntur.

Prou. 26.

Surde, & mute ſpiritus. Ad ſpiritum refert vitia, quæ fallax, & mendacij pater ad lunam, aſtra, & corporis conditionem perſuadebat debere imputari, dum acrius ad lunæ motum hiſce torqueret obſeſſum. Etſi conſtaret maleficia Dæmonis eſſe, vult nihilominus euulgari, & in publicum prodire, vt ſententiam paulò poſt proferendam, omnes probarent. Quem modum obſeruari in damnatis hæreticis ab Inquiſitoribus videmus, & ſapientiſſimè, vt tradit, ac docet Eymericus 3. p. directorij Inquiſitorum, traditis modis tredecim, quibus proceſſus in cauſa fidei ſit terminandus, & publicandus antequam ſententia pronuntietur. Nam vel reperitur abſoluendus, & ab hæreſi totaliter immunis; vel reperitur diffamatus de hæreſi ſolum generaliter; vel reperitur quæſtionibus, & tormentis ſupponendus aliqualiter; vel reperitur ſuſpectus de hæreſi leuiter; vel reperitur ſuſpectus de hæreſi vehementer; vel reperitur diffamatus de hæreſi, & ſuſpectus inſimul, & communiter; vel reperitur confeſſus hæreſim, & pœnitens, & non relapſus probabiliter; vel reperitur confeſſus hæreſim, & pœnitens, ſed relapſus veraciter; vel reperitur confeſſus hæreſim, & impœnitens, ſed non relapſus realiter; vel reperitur confeſſus hæreſim, & impœnitens, atque relapſus certitudinaliter; vel reperitur non confeſſus, ſed conuictus de hæreſi legitimis teſtibus, & alias iudicialiter; vel reperitur conuictus de hæreſi, ſed fugitiuus, vel abſens contumaciter, vide apud eundem, & Schol. 49. Doctoris Pegnæ ſuper modos prædictos.

Eymericus. — Tredecim modi quibus proceſſus in fidei cauſa terminatur. — *Pegna.*

Exi ab eo. En ſententiam, qua reum de crimine conuictũ, & publicatum ferit, quaſi anathemate, vt ſit ſeparatus ab eo, quem hactenus poſſederat, & in quo quaſi in domo ſcopis mundata quieuerat, & hæreditatem perpetuam ſibi præpararat. Sed furtiuè latrocinium, & tyrannidem exercens, nullum verò ius habens in homine quàmprimum in auctorem, ac Regem arma duxit, & bellum fecit in cælo aduerſus Deum procedens erecto collo. Cuius facinus hæretici æmulantur, ac propterea exire ab hæreditate omni, quam poſſiderant, ac à domo, in qua victitabant iubentur (cum ſecundum leges de hæreticis. l. quiſquis, §. filij verò, C. ad l. pul. Maieſt. vnde ſumitur à minori argumentum; præcipitur enim ibi offenſorem Regiæ maieſtatis bonis ſpoliari. Quanto magis (infert Innocentius Tertius) qui aberrantes in fide, verum Dei filium Ieſum Chriſtum offendunt, à capite noſtro, quod eſt Chriſtus, Eccleſiaſtica debent diſtrictione præſcindi, & omnibus bonis temporalibus ſpoliari: cum longè ſit grauius æternam, quàm temporalem lædere maieſtatem. Proſequitur iſta Alphonſus Caſtro, lib. 2. de iuſta hæret punit. cap. 11. & Ioan.

Hæreticorũ pœna. — *Innocentius Tertius.* — *Alphonſus Caſtro.* — *Ioan. Roian.*

Lucius Clarus

Roian. in ſingul. fidei ſingul. t 02. Lucius Clarus lib. 5. ſent. 5. hæreſis, verſ. & ſcias.

Simancus.

Et amplius ne introeas ad eum. Hinc poſſet Simancus perſuadere ſuam opinionem, quam in annotationibus ad Zanchinum cap. 14. defendit, hæreticum iure ipſo bonis priuatum non poſſe ad ea reſtitui per Inquiſitores, aut Epiſcopum; contra multorum iudicium, vtpotè Zanchinum de hæret. cap. 25. num. 3. Ioan. Monachum, & Archidiaconum, cap. accuſatus, 5. porrò de hæret. lib. 6. Tabienſem in ſum. ver. hæreticus. ver. 4. tertia pœna, & alios, quos ſequuntur Inquiſitores in Italia, tametſi in Hiſpania ad priorem declinent ſententiam. Verum tàm hos, quàm illos reprobat Lutherus, & complices, qui liberi eſſe volunt ad omne facinus, allegantes Euangelij libertatem, ac fidei. Quam & nos admittimus, ſed ante profeſſionem baptiſmi; poſt ſuſceptum baptiſma coerceri debere hominem ad obſeruantiam eorum, quæ promiſit baptizatus, & tranſgreſſorem iure puniri affirmamus. Sed de hæreticis ſatis, quos vt alij idolis, alij ſerpentibus, & veneficis, atque feris comparant, nos ſpiritui immundo, qui ſurdus eſt, & mutus, aſſimilauimus, quod neque audiat bonum, neque loquatur, qui hæreſim profitetur.

Ioan. Monach Archidiacon.

CAPVT XXV.

Et exclamans, & multum diſcerpens eum, exijt ab eo, & factus eſt ſicut mortuus, ita vt multi dicerent: quia mortuus eſt.

Expoſitio.

DVrum eſt contra ſtimulum calcitrare, vincit Regis verbum, & proſtratur, qui gloriabatur in potentia regni, ſeu tyrannidis. Etenim vt facta eſt vox Domini in virtute, virtutē perdidit furcifer. Quamobrem exclamans, quod à male parta ſede pelleretur, *& multū diſcerpens eum* ſi fortè vltimo vale perderet, quem ante hac adinuentis innumeris artibus nequiuerat, *exijt* confuſus, & ignominioſus *ab eo*, quem tamdiù confuſum ſenſibus tenuerat. Verum tàm atrociter in egreſſu agitauit puerum, vt factus ſit penè exanimis, & *ſicut mortuus* iacebat in terra. Adeò *vt multi* eorum, qui ad ſpectaculū concurrerant non ſine lachrymis *dicerent, quia mortuus eſt*, vnicus filius, quem pariter omnes victurum ſperabamus, meliuſque ſe habiturum propulſato ſpiritu malo quiſque credebat, fefellit tamen ſpes, quia *mortuus eſt*.

Et exclamans. En impletū, tange montes, & fumigabūt, ſe fingebat mutū, qui ſemper blaſphemias loquitur, & auditum ſimulabat, qui aures habet apertas ad omne nefas: vt verò tangitur voce Chriſti, quæ confringit cedros, cælum, terramque commouet, omnem fraudem diſſoluit, & exclamare compellitur, ſeque ipſum perdere, qui in hypocriſi latebat. Vis ergo hypocritam, & callidum noſcere, vide an exclamet tactus, an percuſſus, & reprehenſus conqueratur. Etenim æs eſt non aurum, quod leni pulſatione echo format, ſtipulam dicito non cedrum, qui citò ad iram accenditur, & qui valenter clamat pro defenſione honoris ſtatuæ, quæ oculos habet, & non videt, aures ei ſunt, & non audit, neque loquitur ore, quo ornatur, neque pedibus ambulat, hoc eſt pro tutela ſimulatæ ſanctitatis, & hypocriſis: hunc non Danielem Ananiam, aut Aariam dicito, ſed præconem Luciferi, defenſorem Satanæ, & diſcipulum ſpiritus immundi, qui ſimulat loquelam, & auditum, & à ſenſibus alienum ſe fingit, vt reputetur cuſtos hominis interni, & habeatur ſpiritualis, ſed dum probatur, neſcit ſpiritum, ſed animalem hominem ſe prodit, & feram, quæ neque ludentibus pueris parcat, hoc eſt ijs, qui ſimplici animo in eum aliquid protulere. Huic ex templo veniet perditio ſua, & ſubito conteretur, nec habebit vltra medicinam, ſed vt canis, qui in furorem conuerſus eſt, ac leo ille, qui didicit facere prædam, & deuorare homines, extremum ſentiet exterminium dicens: Cur deteſtatus ſum diſciplinam, & increpationibus non acquieuit cor meum, nec audiui vocem docentium me, & magiſtris non inclinaui aurem meam? Reſpicit enim Dominus vias hominis, & omnes greſſus eius conſiderat. Ergo noli quæſo eſſe hypocrita coram Domino, neque tactus exclames, ſed patienter fer, immo non tactus eructa: Proba me Deus, & ſcito cor meum; interroga me, & cognoſce ſemitas meas.

Probatio hypocrytæ.

Hypocrita.

Prou. 6.

Prou. 5.

Pſal. 136.

Et multum diſcerpens eum. Diſcerpere propriè eſt in partes ſcindere; iuxtà illud Varronis: duobuſque ad motis quadrigis alligatum corpus, equis in diuerſum iter concitatis diſcerpſere. In hunc modum agere optabat nunc dæmon, & ſeparare animam à corpore pueri, non tamen potuit altiori detentus virtute; deſiderium, vtcunque ſignis expreſſit, dum ſic contorquet membra, & inuoluit, vt videretur diſcerptus. Quo peccati naturam venamur, læthalem adeò, vt etſi naturam non deſtruat, ſic labefactatam relinquit, vulneratam, & conturbatam, vt vix dixeris integram, ſed diſcerptam, ſi contuleris cum ſtatu, quem ante lapſum acceperat. Quoniam dicebat ille: Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, quaſi qui in lacum profundum limo plenum, & ranis, atque ſerpentibus inſidiſſet, totus operiebatur deformitatibus, fœtoribus, & maleficis; vnde ſanxit lex de peccatore. Quoniam aduerſus Dominum rebellis fuit, peribit de populo ſuo, vt qui

Peccati vulnus.

Pſal. 37.

Num. 15.

ſit San-

ſit Sanctus,& abundans;peccator autem miſer,miſerabilis,pauper,nudus,cæcus; necnõ infamis apud Deum,& horribilis. Proinde ſeparatus à Deo,& cæleſtibus,& datus corruptoribus. Effectus enim omnis peccati mortalis ſcribit Alexander de Ales 2.p.q. 111.memb.5. eſt corrumpere bonum naturale in ſubiecto: & in illo effectu non differt peccatum ſiue primo adueniat, ſiue ſecundo, ſiue tertio.

Alexand. de Ales.

Exijt ab eo. Sed compulſus ab eo,qui poteſtatem, & imperium in manu geſtat,alioqui ab homine peccatum nõ exit. Ego ſum, ego ſum(inquit) qui deleo iniquitates tuas propter me. Eſt quidem vitis illa laudatiſſima,non quam Plinius commendat lib.23. prohem. quæ refrigerat, aſtringit, vulneribus inſpergitur, ſtomacho illinitur, vtilis vrinæ, iecineri, capitis doloribus, dyſentericis,cæliacis,colericis, cõtra faſtidia obolo ex aceto pota, ſiccat manantis capitis eruptiones, efficaciſſima ad vitia, quæ ſunt in humidis; atque alijs, vt idem proſequitur;ſed illa vitis vera,quæ ſuo muſto,& ſanguine ſanat hæc omnia,quæ corpori poſſunt accedere, & purgat animam ab omni iniquitate,& vitio,quot poteſt, qualibuſcunq; morbis externis præſignari,dum languẽtes ſanguinem vuæ huius bibant meraciſſimũ, hoc eſt paſſionem ſibi curent per ſacramenta applicari,& toto ore ad plagas, & fontes Saluatoris ſitiant,& deprecentur.Siquidem Ieſus ait Gabriel, quoniam ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum. Vnde infert Cyrillus contra Neſtorium lib.de recta in Chriſtum fide. Atqui Dei ſunt vniuerſa, ipſiuſque ſolius eſt peccatorum laqueis irretitos expedire. Is igitur qui ex ſacra Virgine natus eſt, Deus eſt,cuius nos peculiaris populus ſumus,quique è peccatorum vinculis pro ſua poteſtate nos eximit, ac liberat.

Plinius.

Vitis Chriſtus.

Luc 1.

Cyrillus.

Et factus eſt ſicut mortuus. Puerum quaſi mortuũ reddidit (ait Gagnæius)vt magis admirandũ redderetur miraculum, quo non ſolum lunaticum curat, ſed & ipſum ſuſcitare creditur. Ad hæc, ſicut mortuus relinquitur,quod mors deſuper cum ſtetiſſet,vtpotè diabolus,quem mors,& infernus denominatur à Scriptura ab inuentis. Ergo, vt impreſsio derelicta ex ſigillo dicitur ſicut aquila,aut columna, quæ in ſigno erat;ita hunc ſicut mortuum dicamus,quod propulſata morte veſtigium eius retinuerit. Nam etſi peccatũ, & cum eo diabolũ abigamus, ſicut mortui remanemus,hoc eſt,tantis paſſionum ſtimulis, & cõcupiſcentia acri moleſtamur, vt etſi non mortui peccato ſimus pro moleſtia ſagittarum, quæ militant in membris noſtris, aduerſus animam,ſicut mortui reputamur,tùm maximè,quod nihil ex nobis ipſis poſsimus etiam vita gratiæ recepta,niſi cõtinuò adiuuemur. Sicut oculus (inquit Aug. in de natur. & gratia cap. 26.)corporis pleniſsimè ſanus,niſi candore lucis adiutus non poteſt cernere,ſic nec homo,tametſi iuſtificatus, niſi auxilietur deſuper poterit operari, quæ meritũ,vitamq. augeant, nec conſeruent habitam. Inde lux cæleſtis,qui omnem hominem illuminat dixit;Sine me nihil poteſtis facere. Quod & confitetur Apoſtolus dicens,non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, tanquã ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. In manu enim illius,& nos, & ſermones noſtri,& omnes ſapientiæ, & operum ſcientiæ, & diſciplinæ.

Gagnæius.

Auguſt.

Sufficientia noſtra ex Chriſto eſt.

2.Cor.3.

Ita vt multi dicerent: quia mortuus eſt. Sanatis(inquit Zacharias Chryſopolitanus, & Gloſſa ex Iſid. & Rab.) dicitur: Mortui enim eſtis,& vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Vnde, & infirmitas Chriſtianorum non eſt mors,ſed mortis ſimilitudo. At neque hanc ſe geſtare admittit liberatus per Chriſtum; quinimo dum alij mortificationẽ Chriſti in corpore ſuo, vel conſiderant,& compatiuntur,vel improperant, & irrident, audacter exclamant: Ecce viuimus, anima mea in manibus meis ſemper; viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Chriſtus,ac pariter meliori vita,quã prius, quippe antea vermis bombex, & totus animalis,mox volucris,& totus ſpiritualis.Dicant ergo alij, qui neſciunt, quæ Dei ſunt, quia mortuus eſt; ego ſemper dicam,quia viuit Deo, qui mundo mortuus eſt. Nam quid eſt proprium generati ex ſpiritu? vt fiat illud (reſpondet Baſilius in ſummis moral.ſum.8.cap.22.) pro data menſura, quod eſt id, ex quo natus eſt, velut ſcriptum eſt. Quod natum eſt ex carne caro eſt, & quod natum eſt ex ſpiritu ſpiritus eſt. Quid eſt proprium ex ſupernis naſci? Exuere veterem hominem cum actibus ſuis, ac concupiſcentijs; & induere nouum, qui renouatur ad agnitionem ſecundum imaginem eius, qui creauit ipſum, iuxtà id,quod dictum eſt; quicunque in Chriſtum baptizati eſtis,Chriſtum induiſtis. Quid eſt proprium Chriſtiani? purum eſſe ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus in ſanguine Chriſti: perficere autem ſanctiacationem in timore Dei, & dilectione Chriſti, & non habere maculam, aut rugam, aut quid huiuſmodi, ſed eſſe ſanctum, & immaculatum, & ſic edere Corpus Chriſti, & bibere ſanguinem. Atqui hæc nemo dicat mortui eſſe,ſed viuentis,qui vita Dei viuit, & paſcitur diuino pabulo, vt ſanctus ſit, atque perfectus, ſicut, & Pater eius cæleſtis.

Zacharias Chryſopol.

Galat.2.

Pſal.118.

Baſilius.

Naſci ex ſpiritu.

CAPVT XXVI.

Ieſus autem tenens manum eius eleuauit eum, & ſurrexit.

Expoſitio. ETſi vulgus mortuum lugeret, Chriſtus vita vera viuentem & cernit puerum, & conſolatur, atque conſolidat diſcerptiones, quas ſpiritus immundus abiens reliquerat. Eſt enim Ieſus, qui & Saluator cunctorum; quare brachio virtutis ſuæ prætenſo, tenuit manum eius, qui iacebat, viribus inualidus, & communicans viuificatricem potentiam ſuo tactu *leuauit eum*, ac ſtatuit illæſum ſuper pedes ſuos; & ille quidem factus particeps auxilij omnipotentis *ſurrexit* multo robuſtior, agilior, atque præclarior, quàm eum natura intra gremium matris formaſſet, quia vas mirabile opus excelſi.

Ieſus autem tenens manum eius. Non caput, vnde motus, & ſenſus; non cor, quod eſt primum viuens, & vltimum moriens, ſed *manum* membrorum omnium citius vita, ac motu expertem, & quæ plus cæteris mortalitatem hominis mortui deſignat, neque iuuat, vt caput, & cor ad exanimem penè excitandum; vt nulla iacentis virtute, ſed tenentis reparatum omnes crederent, quia etſi ſcintilla vitæ in corde, & cerebro remanſiſſet, ſic tamen diſcruciata, & attenuata erat, vt viuificare membra nequiret, niſi auxiliantis manus adfuiſſet. Vitæ quoque ſpiritualis ſcintillam in peccatis mortuo remanere credimus, iuxtà illud: Signatum eſt ſuper nos vultus tui Domine; hoc eſt, lex naturalis Synderesis, conſcientia, & quæ ab his ſunt principia practica; non tamen viuificant, quouſque, ait Pſaltes: Fiat manus tua, vt ſaluet me; in cuius manu omnis anima viuit. Ac propterea quando Dominus auxiliatus eſt mihi, præcinxit me virtute, & poſuit immaculatam viam meã, perfecit pedes meos tanquam ceruorum, & ſuper excelſa ſtatuit me: docuit manus meas ad prælium, & poſuit, vt arcum æreum brachia mea; quia, inquit, dextera tua ſuſcepit me: Dilataſti greſſus meos ſubtus me, & non ſunt infirmata veſtigia mea; vt prius ne poſſim ad omnia vitæ opera perficere; mox verò ſuffultus auxilio, omnia poſſum in eo, qui me confortat. At Cæleſtinus, & Pelagius aſſerunt (ſcribit Conc. Carthag. ad Innocentium Pap.) ſicut à fratribus, qui eorum libros legerunt cognouimus in eo gratiam Dei deputandam, quod talem hominis inſtituit, creauitque naturam, quæ per propriam voluntatem legem Dei poſſit implere, ſiue naturaliter in corde conſcriptam, ſiue in litteris datam. Eandem quoque legem ad gratiam pertinere, quod illam Deus in adiutorium hominis dedit. Illam verò gratiam, qua vt dictum eſt, Chriſtiani ſumus, non agnoſcunt, propterea damnantur. Præter enim legem naturæ gratia, quæ per Chriſtum facta eſt, egemus.

[In peccatore manet aliqua vitę ſpiritualis ſcintilla. — Pſal. 4. — Pſal. 15. — Pſal. 143. — Hæreſis. — Conc. Carthag.]

Eleuauit eum, & ſurrexit. Videtur alterutrum ſuperfluere; nam ſi eleuatur, ſurgit, & contra; vtrumque tamen ſapienter apponi fidelis admittet, ſi conuerſionis peccatoris ſymbolum in homine iſto contemplatur; nam etſi Deus eleuet reum ad cognitionem miſerabilis ſtatus, deteſtationem peccati, & fidem in Deum; nihilominus ab homine exigit voluntatem, quod velit, quod quantum eſt in ſe præſtet, ne in vacuum gratiam Dei recipiat, ſed ſit ſolers ſurgere ad opus, quod illi faciendum imponitur, credere, pœnitere, diligere, & operari inſtanter, quodcunque manus eius poſſit. Deus itaque eleuat cum offert gratiam, operatur, & cooperatur conuerſioni peccatoris. Homo verò ſurgit, cum non accepit in vanũ animam ſuam, ſed miſſa pigritia diligenter exercet agrum ſuum. Idcircò nobis prouidendum eſt (ſcribit Alexander Primus epiſt. 3. ad vniuerſos ſacerdotes) & oppido decretandum, ne in ea vacui inueniamur, ſed (eadem nobis cooperante gratia) fructum Domino plurimum reportemus. Quod aliter fieri non poteſt, niſi ſapientiam ſectando, eiuſque præcepta lectionibus, & hymnis meditando, atque eo adminiculante implendo, orando, vigilando voluntatem eius (in quantum ipſe largitus fuerit) implere ſtudeamus. Nec enim negligendam gratiam Dominus dedit, ſed fideliter exercendam tribuit.

[In ſanato vi get Symbolum peccatoris conuerſi. — Alexand.]

CAPVT XXVII.

Et cum introiſſet in domum, diſcipuli eius ſecretò interrogabant eum: Quare nos non potuimus eycere eum?

Expoſitio. DImiſsis itaque omnibus Patre cum filio, ac turba, cœpit Chriſtus cum ſuis iter agere Galilæam verſus, quouſque peruenissent Capharnaum; cum intraſſet autem in domum, quæ eum ſolita erat recipere, & requieſceret; diſcipuli ad eum proprius accedentes *ſecreto*, ne alij audirent loquentes interrogarunt affectuosè, cupidi ſecreti, quod magnum in facto excogitabant. *Quare* inquiunt *nos*, qui in nomine tuo virtutes magnas fecimus, ſubiecimuſque dæmonia *non potuimus* quaſi omni virtute deſtituti *eycere eum* ſpiritum, qui tantas excitabat tragedias, propter quem

quem, & nos coram hoſtibus Scribis fermè compulſi fuimus erubeſcere,& ſilere?

Et cum introiſſet in domum. Eo ſe poſt miraculum recipit,non ſolum, vt finem vltimum miraculorum indicet,eſſe dirigi homines ad domum æternitatis ſuæ, domum Dei Iacob, hoc eſt Eccleſiam militantem,& triumphantem, ſed vt prouocet omnem, qui ſanitatem ab eo accepit,ſe ſequi, poſt eius abire veſtigia, quouſque precibus multis,& factis requirat habitare in domo Domini omnibus diebus vitæ ſuæ, quamdiù in carne eſt,& depoſito mortalitatis pondere, in longitudinem oierum. Hoc enim concedit triumphanti, illud autem militans fideliter aſſequitur. Qui inquam ingreditur ſine macula, & operatur iuſtitiam, qui loquitur veritatem in corde ſuo, qui non egit dolum in lingua ſua, nec iurauit in dolo proximo ſuo, vel vt Chriſti verbis vtar: Qui abnegat ſemetipſum, & ſequitur Chriſtum, qui præceſſit, & iam introiuit in domum. Eo non intrat ſpiritus immundus, neque obſeſſus, quouſque liberetur.

Pſal. 22.

Pſal. 14.

Diſcipuli eius ſecreto interrogabant eum. Fortè, quod timerent reprehendi, & in publico redargui; vel quod alios ſcire nollent myſterium, Chriſti verborum memores: Nolite Sanctum dare canibus, neque margaritas ponere ante porcos; tùm quoque, vt nos aliquando ſecreto interrogare Chriſtum doceret, hoc eſt in oratione clauſo oſtio orare in abſcondito Patrem noſtrum, hoc eſt, mente, ſpiritu, ratione, ac ſecretiſſimo penitus colloquio. Vtrumque enim (ait Tertullianus lib. de oratione) Ieſus Chriſtus Dominus noſter, nouis diſcipulis noui Teſtamenti nouam orationis formam determinauit, oportebat eum in hac quoque ſpecie nouum vinum nouis vtribus recondi, & nouam plagam nouo aſſui Teſtamento.

Tertullian.

Quare nos non potuimus eijcere eum? Ac ſi dicerent, quid peccauimus, vt priuaremur potentia in dæmones? aut qualis, & quantus eſt ſpiritus ille, quod eum nequiuerimus eijcere? nobis quidem videtur alterutrum dici oportere, videlicet imminutam potentiam, aut potentiorem dæmonem incidiſſe; id quod ducimus probabilius. Nam delictum, quo mereremur conceſſa potentia ſpoliari, haud conſcij ſumus commiſiſſe, quod ſi & hoc proſpector cunctorum in nobis dignoſcis, edicito, vt poſſimus, quæ negligenter egimus, aut inſipienter omiſimus, corrigere, & emendare. Ac ſi fortiorem offendimus dæmonem, prouide, ac muni nos excelſiori facultate, ne iterum coram eo confundamur, vileſcatque coram hoſtibus diſcipulatus tuus, vt magiſterium, in cuius virtute opus omne aggredimur. Cæterum tu melius, & planè omnifariam, ſcis, ac noſtri ſcientiam habes. Quare ergo nos inualidi hac in parte fuerimus amabo aperi. Sic enim conueniendus eſt Chriſtus, & interpellandus Deus, quando, vel Attila inſurgit, & cadit coram eo poteſtas Chriſtiana, vel Arrianus falſiloquus è puluere ſuſcitatur, quē Catholicus non poſſit conuertere, quin ei ſuccumbat; aut denique quando impius aduerſus iuſtum præualet; tunc & totius Eccleſiæ Conuentus, vt Baſilius Magnus contra Iulianum apoſtatam fecit Cæſareæ, & quiuis de numero fidelium, vt in Africa factitabant Catholici contra Genſericum, & factioſos eleuatis oculis, iiſque imbre lachrymarum perfuſis dicere debet Deo: *Quare nos non potuimus eijcere eum?* Quare nos, qui fideles in teſtamento tuo ſumus, Turcam ſpurciſsimum non potuimus expugnare, neque ſoldanum Mahometanum deuincere, quinimo victi compellimur mutare ſedem Imperij, & ſeruire tyranno? Quare, & Lutherum hoſtem Sanctorum, & diſsipatorem veri theſauri nemo valuit proſternere, & ignem eius extinguere, quin ingiter regionem tuam ò Deus deuorat, & non miſeretur redemptis tuo ſanguine? Quare denique facti ſunt hoſtes in capite, & inimici tui ſunt iudices noſtri, nec valet Iacob reſiſtere, Eſau, niſi fuga, vt ille, qui elongauit fugiens, & manſit in ſolitudine? His atque alijs formulis apud Deum agere, quando ab infidelibus, & à peſsimis vinci videmur, nos præſenti in loco Apoſtoli docent.

Quomodo orandū contra hoſtes.

Baſilius.

CAPVT XXVIII.

Et dixit illis: Hoc genus in nullo poteſt exire, niſi in oratione, & ieiunio.

SEcretum poſtulatum, & profundum diſſoluit reſponſo item ſecretiſsimo, & admirabili, quale niſi ſcriba doctus, qui profert de theſauro ſuo noua, & vetera, nemo excogitaſſet. Et igitur poſtquam propoſitionem expoſuiſſent diſcipuli, *dixit illis* Magiſter, quos diſcendi cupidos nouerat. Hoc, inquit, dæmonium, quod tàm pertinaciter vobis reſtitit, quin & genus omne dæmoniorum, quod ſimilem plagam inuehit, & vexat hominem lunatico morbo, atque vertigine; in nullo communi exorciſmo adiuratione, aut imperio poteſt ab obſeſſo exire; niſi qui contra eum agit, in oratione ſe primum exercuerit, & caſtigauerit ieiunio corpus. His enim eneruatur inſolens, & pertinax obſtringitur obſequi, abireque in ſuum locum, relicto, quem violenter occuparat.

Expoſitio.

Et dixit illis. Annuens petitioni iuſtæ, & aperiens arcanum, quod conducebat eos ſcire, & oportebat. Quoties enim ſimile petitur, ab his tamen, quibus incumbit, vt maioribus, & ſanctioribus, non ceſſat Deus illis dicere, & reuelare ſecretum ſuum, vel Moyſi, Ioſue, ac Synagogæ proceris, vel Iſaiæ, Ieremiæ, aut alteri, in quem ſibi complacet. Sicut non deficit nix de petra agri; neque ros ceſſat ad Hermon cadere, & irrorare Sion; ita nec verbum Domini, quo illuſtretur tota Eccleſia, & difficultates ortæ ſoluantur, deerit, nec dicere quieſcet Deus, nunc Petro, & Vicario Chriſti adminiſtranti cœtum, nunc eidem cœtui, eo ſub capite congregato, & quandoque priuato ſancto homini, per quem, & Mauritius Chalcedon. & Theodoſius Iunior Conſtantinopolitanam voluit quodammodo auctorizari, ac calculo ſancti viri, & dicto roborari: tametſi robur omne ab his, quæ Romanus Pontifex dicit, petatur. Eſt enim caput, cui vel palam, vt Petro dubitanti de commercio gentilium, vel per influxum internum Deus dicit, vt Leoni quid, & contra tyrannum, & hæreticum oporteat agere, ne prædominetur populo Dei, nec in clero graſſetur, vt ſic ſuſcipiant montes pacem populo, & colles iuſtitiam, & vt ſaluos faciat filios pauperum, & humiliet calumniatorem. Quia bonus Iſrael Deus his, qui recto ſunt corde.

Mauritius Chalcedon. Theodoſius Iunior.

Pſa. 71.

Hoc genus. Scilicet dæmoniorum, qui ab vno Deo deficientes, mala infinita complexi ſunt, & malitiam ſtudiorum, non vna, aut altera, ſed innumeris penè inuentionibus oſtentant, à quibus, et ab occidentibus fermè inſeparabilibus ratione ſtatus, non naturæ, quæ in ſingulis manſit integra in ſpecies varias, ac genera multiplicia diſtribuuntur. Eſt autem, & legio dæmonum (ſcribit Palladius in vita Macariorum) quæ flammea nominatur. Sicut enim inter homines, ita & inter illos multa eſt diſtantia non naturalis ſubſtantiæ, ſed diuerſæ, ac diſſonæ voluntatis. Etenim ſubdit Simeon Metaphraſtes in vita, & perſona ſancti Auxentij Abbatis. Dæmones hominibus inuidentes, o fratres dilecti, perperuò machinantur nobis eſſe impedimento in bonis operibus, & maximè in temperantia, & continentia, humilitateque, & beneficentia, orationeque, & ſilentio, lenitateque & patientia, paceque & tollerantia, & charitate in proximum, qua nihil eſt maius. Sed vnde Dæmoni (quærit Tertullianus lib. 2. aduerſus Marcionem) malitia mendacij, & fallaciæ in homines, & infamiæ in Deum? A Deo vtique non, qui & Angelum ex forma bonorum operum inſtituit bonum. Denique ſapientiſſimus omnium æditur antequam diabolus, niſi malum eſt ſapientia. Et poſt Ezechielis teſtimonium de natura, & caſu eius ſubdit à bono conditore inſtuperabilium conditionum, & excultus omni gloria Angelica, & apud Deum conſtitutus, quam bonus apud bonum: poſtea verò à ſemetipſo tranſlatos in malum. His atque alijs contra Marcionem agit, qui diabolum malè agere dicebat, quod natura malus proceſſiſſet à Deo malo, quem inſipienter finxit.

Palladius.

Simeon Metaphraſt.

Tertull.

In nullo poteſt exire. Si hoc genus dæmoniorum peculiari arte expellitur, vt nulla alia proſit, contra alios ſpiritus, alia neceſſe eſt arma præberi, vtpotè verbis Chriſti. Vade retrò Satana. Horum enim verborum dicebat Antonius Monachis, vt auctor eſt Athanaſius, etiam nobis licentia eſt tributa, quia idcirco loquutus eſt talia, vt ſimilitudo tentamentorum auctoris noſtri frangatur eloquijs. Etiam inuocatione Trinitatis, cum enim effatus eſſet Chryſoſtomus (inquit Simon Metaphraſtes in eius vita) malignum dæmonem iubet egredi. Protinus autem licuit videre factum conſequi orationem, & hominem momento temporis fuiſſe liberatum à tam graui afflictione. Signo quoque Crucis Hilarion abigit dæmones, & Baſilius dicto Kyrie eleiſon, ac repetito proſternit Satanam; atque alij alijs, quæ prolixum eſſet referre.

Varij modi expellẽdi dæmones.

Chryſoſt.

Niſi in oratione, & ieiunio. Quapropter de oratione ſcribit Iſidorus lib. 3. de ſummo bono cap. 7. Hoc eſt remedium eius, qui vitiorum tentamentis exæſtuat, vt quoties quolibet tangitur vitio, toties ad orationem ſubdat, quia frequens oratio vitiorum impugnationem extinguit. Nam (inquit Cyprianus de oratione Dominica) cito orationes ad Deum aſcendunt, quas ad Deum merita noſtri operis imponunt. Sic & Raphael Angelus Tobiæ oranti ſemper, & ſemper operanti teſtis fuit dicens, opera Dei reuelare, & confiteri honorificum eſt. Nam quando orabas tu, & Sara, ego obtuli memoriam orationis veſtræ in conſpectum claritatis Dei. Et de ieiunio Theophylus Alexandrinus lib. 3. Paſchali ad totius Ægypti Epiſcopos, ſic infert: Itaque gratia Domini triumphus nobis de ſceleratiſsimis dæmonibus pollicetur, ieiunia ritè celebremus, vt ſolemnitatis quoque participes ſimus. Nequaquam diebus quadrageſimæ, ſicut luxurioſi diuites ſolent, vini poculum ſuſpiremus; neque in procinctu, & prælio, vbi labor, & ſudor eſt neceſſarius, carnium edulo delectemur. Qui autem legum præcepta cuſtodiunt, ignorant vinum in ieiunijs, carnium eſum repudiant, & inſatiabilem auaritiam Dei timore compeſcunt. Quia & hoc (ait Leo Papa ſermone ſecundo de Pentecoſt.) inter maxima ſancti Spiritus dona numerandum eſt, quod nobis ad-

Cyprian.

Tob. 12.

Theophyl.

Leo Papa.

uerſum

Digitized by Google

uerſum illecebras carnis, & inſidias diaboli ieiuniorum ſunt collata præſidia, quibus omnes tentationes Deo adiuuante vincamus. Verũ, quomodo ſimul pergant, docet

Auguſt.

Auguſt. ſerm. 230. de tempore dicens: Oratio refectio eſt ieiuniorum, aduocat gratiam Spiritus ſancti, oratio duritiam cordis mollit, auſteritatem temperat, ieiunium

Effectus orationis.

dulcificat. Sicut enim ſine potu non eſt plena refectio, ſic & ieiunium ſine oratione non poteſt animam perfectè nutrire. Bona eſt ergo oratio cum ieiunio, & eleemoſyna, ad omnia, quæ pius animus deſiderat. Contra verò lunaticum ſpiritum ſolum poteſt oratio, & ieiunium Magiſtri ſententia; quod ſpiritus is in humidis, quibus dominatur luna, delectetur, & ſtoliditatem animi diligat, & mentis craſſitiem. Huic verò oratio, quæ mentem ad lucem inacceſsibilem eleuat, opponitur; delitiarum autem, & humidorum apparatum deſiccat ieiunium. Verum ægroto ne, an circunſtanti iſta dicantur? ſecundum Ambroſium ſerm. 25. circunſtanti, qui energumenum conatur liberare, ſecundum Theophylactum, magis illius, qui dæmonium patitur, eſt ſermo. Quem enim, ſubdit Victor Antiochenus, gulæ dæmonium ſauciauit, illum ieiunij, & abſtinentiæ pharmacum ſanare oportet. Præmittit tamen idem dicens: Per duo hæc, aſſerit Dominus, omne dæmoniorum genus profligari poteſt. Neque mihi hic nunquam paucorum quorumdam, qui citra ieiunium dæmoninm eiecerunt, exemplum opponas, vt plurimum qui hiſce ſignis claruerunt cultores ieiunij, & precum fateor extitiſſe, non tamẽ peculiare ieiuniũ exercuiſſe contra dæmones, ſed vel cruce, vel imperio, vel Euangelio, aut Scripturæ ſententia pleroſq; expulſos legimus in vitis Sanctorum.

Ambroſ.

Theophyl.

Victor Antiochen.

CAPVT XXIX.

Et inde profecti prætergrediebantur Galilæam, nec volebat quemquam ſcire.

Expoſitio.

DImiſſa rurſus domo, quæ eo loci eum collegerat, proficiſcitur Metropolim regionis verſus; quare profecti inſcijs omnibus *prætergrediebantur* cũ ſilentio Prouinciam ipſam Galilææ ad nullum Caſtellũ, quæ in via occurrebant diuertẽtes. Eo enim abſque ſtrepitu, & quaſi in occulto incedebat, quod vellet occultari, & nollet aliquem ſcire ſe adeſſe, nec præterire, donec ad regiam perueniſſet, ad quam feſtinabat.

Et inde profecti prætergrediebantur Galilæam. Domo egreſſus *Galilæam* prætergredi vult cum ſuis. Nam etſi relinquens domum, & hæreditatem ſuam in mundum venerit, quem Galilæa, ideſt volubilis obſignat, non tamen de hoc mundo eſſe voluit, nec quenquam ſuorum; ſed ſic in mundo eſſe, vt potius illum videamur præterire, quã in eo viuere, nec quippiam eius complecti. Tùm quod prætereat mundi huius figura;

Fuga mundi

tùm quod dies eius mali ſint, & opera tenebroſa, habitatores autem regionis peſsimi ſunt, & facta eorum mala; proinde exclamat ille: Nolite diligere mundum, neque

1. Ioan. 2.

ea, quæ in ipſo ſunt. Nam vt vites quædam ſunt triferæ, quas ob id inſanas vocant ſecundum Plinium lib. 16. cap. 27. Ita trifariam germinare opus mundi reſpicies, vt

Plinius.

idem Apoſtolus proſequitur, videlicet, ſuperbiam, auaritiam, luxuriam, quibus vt triplicato dentium ordine ſæuit beſtia in omne hominum genus, & Sanctos debellare aggreditur, niſi prætereant, ad archetipum, & ea, quæ vera ſunt ambiant. Hinc quæſitus Baſilius Magnus ab Eubulio Philoſopho, quid eſt mundus, reſpondit: Qui eſt

Baſilius.

mundo ſuperior. Nam tametſi ſuaues ſint mundi ſermones, attamen amarus valde mundus illi, qui eum vitioſè complectitur. Alia eſt enim corporis voluptas, & alia ſubſtantiæ incorporeæ; nec quiſpiam ſimul vtraque poteſt frui. Nemo enim poteſt duobus dominis ſeruire.

Neque volebant quenquam ſcire. Et quis ſciuit plenè, neq; ingreſſum, neque progreſſum, nec finem Chriſti prætereuntis per mũdum? Dum medium ſilentium tenerent om-

Sap 8.

nia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens ſermo Dei à regalibus ſedibus venit. Vt nemo viderit Sanſonem illum fores vrbis exportare, & piaculum omne tollere, dum mulier virum circundederit; ſed & progreſſum, & reliqua Chriſti ſciuit nemo; vnde ſapientiſsimus eructauit.

Prou. 30.

Tria ſunt difficilia mihi, & quartum penitùs ignoro. Viam aquilæ in cælo, viam colubri ſuper petram; viam nauis in medio mari, & viam viri in adoleſcentia, vel vt legunt alij codices manuſcripti, in adoleſcentula; hoc eſt, vt exponit Galatinus ex Rabbinis, in

Difficile erat Chriſtũ cognoſcere.

Galatinus.

Virginis vtero conſtitutus Chriſtus ab omnibus, qui in mundo erant ignoratus, excepta Virgine, quæ de eo oraculum acceperat; ſed & natum (tametſi nauis pomis cæleſtibus onuſta, atq; panibus, in mundo conuerſaretur) difficilè, niſi per reuelationem, vt Petrus, homines potuerunt agnoſcere; tametſi illucerent corruſcatione miraculorum orbi terræ. Reſuſcitatũ verò illæſo ſepulchro, ac ſi coluber tantum ſediſſet ſuper petram, nedum æmuli, ſed neque diſcipulus credebat; vt aquilam verò aſcendentem in cælum, etiam Angeli non agnoſcebant, quum dicerent, quis iſte Rex gloriæ,

Pſal. 23.

aut quis iſte, qui venit de Edom? Credidere autem iſta de Chriſto fideles, ſcire verò nemo potuit. Quare ſicut nec voluit, ita nemo eum ſciuit, neque præ-

tereuntem, neque qbid eſſet. Quia filium, ſcientia, quæ comprehendit ſcibile, nemo nouit, niſi Pater. Adhuc dicito eos, qui ſociantur Chriſto, & diſciplinam eius ſequuntur nõ ſciri, dum mundum prætereunt. Nouit tantum mundanorum cœtus eos, qui ſunt de hoc mundo, peregrinum à Domino ignorant, ac propterea dicebat illis veritas; mundus odit vos, Nec enim illis dignus eſt mundus.

CAPVT XXX.

Docebat autem diſcipulos ſuos, & dicebat illis: Quoniam filius hominis tradetur in manus hominum, & occident eum, & occiſus tertia die reſurget.

Expoſitio. DVm igitur pergunt inuicem, magiſter colloquium ſibi alioqui dulciſſimum, ſed amarulentũ diſcipulis, auſpicetur. *Docebat* enim maiori, quàm ante hac efficacia, atque emphaſi *diſcipulos ſuos*, qui eius ſermonibus attendebant, *& dicebat illis*, non quomodo ſpiritus immundus pelleretur, ſed quomodo totus mundus à ſeruitute peccati Ægyptiaca, & Babylonica grauiori redimeretur. *Quoniam*, inquit, *filius hominis*, qui venit ſaluum facere, quod perierat, *tradetur* voluntariè *in manus hominum* crudelium, qui poſt multa tormentorum genera *occident eum* crucis ignominioſo affectum ſupplicio. Verumenimuerò, etſi occiſus videatur cunctis, ac verè mortem corporis ſpectante orbe patiatur, *tertia die* ab exitu animæ *reſurget* corpus ſpiritale, & clarum, ac omni ſole ſplendidius, & agilius, quàm par ſit mortalibus citra miraculum inſpicere.

Docebat autem diſcipulos ſuos. Non narrat, non loquitur, aut fatur, vt quippiam geſtum à vulgari, ſed docet ſcientiam, quæ complectitur vniuerſa, & eſt vniuerſorum, qui aliquid ſcire cupiunt, & verè docti, atque ſcientes appellari. Docet enim paſſionem ſuam, quæ conſiliat ima ſummis; quæ pacificat, & quæ in cælis, & quæ in terris; quæ triumphat de omni hoſte; quæ ianuam cæli aperit, & theſauros abſcondit, diabolum autem fugat, & vt nubem peccatum omne diſſoluit. Hæc doctum à Domino, & docibilem reddit paruulum, iuuenem, atque ſenem viſionibus donat cæleſtibus, & inter Principes populi Dei collocat; hæc mortuos ſuſcitat, & ſuſcitatos felici vita perpetuat; hæc eum, qui ſiniſtram ſuam ignorat, docet Deum, & efficit hæredem regni. Fruſtrà ergo ſunt ſenſus hominis, quibus hæc ſcientia Dei non eſt. Siquidem ſola eſt, quæ honeſtum tradit, quæ honores veros confert, & donat diuitiis, quæ optimam appetibilis rationem continent. Inde doctor gentium: Nihil aliud ſcire volo, præter Chriſtum Ieſum, & hunc crucifixum, quia ante eum, qui plus cæteris, ſymbola paſſionis huius addidit in mactandis animalibus, erigendo templum abſque rumore, atque aliis eructauit: Labores (inquit) huius magnas habet virtutes; ſobrietatem enim, & prudentiam docet, & iuſtitiam, & virtutem, quibus vtilius nihil eſt in vita hominibus. Nam ſubdit. cap. 10. Hæc illum, qui primus formatus eſt à Deo Pater orbis terrarum, cum ſolus eſſet creatus cuſtodiuit, & eduxit illum à delicto ſuo, & dedit illi virtutem continendi omnia. At per paſſionem Adam liberatum, & ſaluum, ac quoſque alios per felix ſignum quis ignorat? Quapropter concludit Magiſter ipſe: Quum exaltatus fuero à terra omnia traham ad meipſum, vt ex tracto omnia communicaret, & repleret pleno gaudio, gloria, & honore. Hanc igitur ſcientiam docebat diſcipulos, & qui veri forent diſcipuli eam amarent à iuuentute, & prædicarent, tametſi gentibus ſtultitia, Iudæis ſcandalum eſſet; non fabulas, neque aniles ſcientias, hac relicta oſtentarent, vt proh dolor, plerique factitant. Itaque tractaturus paſſionem ſuam, docendi verbo vtitur, vt eius cognitionem, & vſum veram generare ſcientiam, & plenè litteratum efficere hominem ſciret diſcipulus, nec aliud in ſchola Eccleſiæ ſcibile quæreret fidelis.

Scientia Dei homini cõuenit.

1.Cor.2.

Sap.8.

Et dicebat illis. Solum, ſcilicet, tùm quod digni haberentur ſcire myſterium à conſtitutione mundi abſconditum; tùm maximè, quod ſuo exemplo pro gloria Dei, & manifeſtatione Euangelij ad mortem quoque ſubeundam excitarentur, vt dixit vnus eorum: Eamus & nos, & moriamur cum illo. Belli enim ſtratagemmata confert Dux cum militibus, vt ad aciem præcedentem ſequantur. Exeamus igitur ad eum extra Caſtra, improperium eius portantes.

Ioan. 11.

Heb 13.

Quoniam filius hominis tradetur in manus hominum. Non ſecundum diuinitatem, ſed vt homo hominibus traditur, Is eſt enim, qui ſuſtinuit aduerſus ſemetipſum contradictionem, qui tradidit animam ſuam in redemptionem pro multis, qui vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, & attritus propter ſcelera noſtra; diuinitas, vt paſſer auolans, & caper emiſſarius ſocio mactato, & velut Iſaac, oblato ariete, liber euadit ab omni paſſione, & morte: Deus enim, vt immortalis, & inuiſibilis ſubiacere non poteſt pœnalitati; dicitur tamen ob concomitantiam Deus, & paſſus, & mortuus in Chriſto homine, qui voluntariè ſic patri ſacrificauit, & paſſiones ſuſtinuit; liberè enim ea in ſe

tran-

Digitized by Google

Theod. Cõc. Epheſ.

tranſtulit (perorat Theodotus Ancyræ Epiſcopus, in natali Seruatoris, & fertur tom. 6. Epheſ. conc. cap. 10.) & id quidem ad modum appoſitè, poſteaquam hominem ſaluare ſemel conſtitutum, deliberatumque habebat; ſed cur inquis, humanæ naturæ paſſiones, veluti proprias in ſe tranſtulit? Quia paſſiones per paſſionem emolliri, morteq. mortem abolere, ac ſimilia tandem ſimilibus voluit debellare. In ſe ſuſcepit crucem pertulit colaphos, permiſit ſe colligari vt huiuſmodi perpaſſiones Dei propriæ affectæ victoriam aduerſus paſſiones nobis obtinerent. Neque enim diuina natura aliquam per iſthæc incommoda, & probra iniuriam patitur. Quandoquidem nihil harum omnium paſſionũ per ſui mutationem in ſe ſuſcepit, verum vim illis diuinam contra eiuſmodi paſſiones tribuit. Mors namque veluti ipſius Dei facta molitur. Nam qui moriebatur ſimul Deus, & homo erat. Neque enim Iudæi purum tantum hominem crucifixerunt, nec eam ſolum naturam, quæ forinſecus cernebatur clauis confixerunt, ſed in ipſum Deum, qui in ipſa latitabat, vnitæque naturæ perpaſſiones appropriabat, impij, temerarijque extiterunt. Vt autem, & hoc ipſum magis perſpicuum euadat ad exemplum rurſum in exordio propoſitum orationem detorqueamus. Fingamus itaque Regem quendam eiuſmodi ſermonem depromere; qui libertatis, vel aliorum regalium munerum quibus oportet impertiendorum, decretum chartæ, quam ſacram vocant, inſertum, litteris, quæ expreſſum ad hanc, vel illam ciuitatem amandare. Sacram hanc porrò latine appellatam, aliquis perfidus, aut rebellis, aut ciuitatis alioqui, aut Regis inimicus intercipiat, interceptamque dilaceret. Iam dic mihi, quid hic dilaceratum eſt, chartane ſola, an etiam decretum regium? Vnde paulò poſt infert: Atqui imperiale verbum ſecundum ſe impatibile, taleque eſt, quod ſua ipſius natura neque manibus cõtrectari, neque diſcindi poteſt, & tamen hoc non obſtante, & ipſum quoq. diſciſſum dicitur. Quid ita? quia chartæ, & litterarum paſſionem tanquam propriam in ſe transfert. His non ſolum Neſtorium confoditur, qui nullo modo Deum naſci, aut pati admittebat, ſed purum hominem; verum etiam Brentius eliditur, vt qui diuinitatem verè in Chriſto paſſam affirmat. At contra veritas dicit, *filius hominis tradetur* hominibus, minimè verò Deus, niſi concomitanter, quod humanitas tradita Dei filio conſociaretur.

Qua ratione paſsio Chriſti ad diuinitatem pertinere dicitur.

Et occident eum. Ergone potuerunt homines infimi, excelſum præ regibus terræ perimere? quid ergo dixit data eſt mihi omnis poteſtas, poteſtatem habeo ponendi animam meam, & iterum ſumendi eam. Quod dedit mihi Pater, nemo tollet à manu mea? Vtrumque veriſſimum. Neque enim orbis terrarum, neque vniuerſa Angelorum poteſtas ſufficiebat animam à Chriſti corpore diſſoluere, niſi voluiſſet, oblatus eſt enim, quia ipſe voluit, & voluit, quia (inquit) in capite libri ſcriptum eſt de me vt faciam voluntatem tuam Deus. Ergo, quia pater voluit, & is quoque occiſus eſt. Imputatur nihilominus hominibus mors ipſa; quod implacabili odio deteſtarentur iuſtum, tum quoque quod tàm inhumaniter animaduerterunt in eum, tantiſque affecerunt plagis, quæ ſufficerent homini validiſſimo animam tollere. Tormento enim lætali interrogarunt, quem obaudire placidè oportebat.

Matth. 28

Iſai 56.

Pſal 39.

Et orriſus. Verè quidem, non opinione, vt ex recentioribus hæreticis quidam cenſuere, vt Islebius, Andræas Muſculus, atque alij; & olim Baſilides, qui loco Chriſti Simonem Cirenæum dicebat crucifixũ. Quibus non ſolum oraculis, quæ hac in parte ſuperabundant; ſed fidei profeſſio, quam ab Apoſtolis facere didicimus, quãdo Symbolum proferimus Apoſtolicum, & decantamus Nicænum; in his enim Symbolis clarè Chriſtum paſſum, & mortuum profitemur. Porrò quod præmiſerit, *& occident eum*, addatque, *& occiſus* inſinuat non ignominiam, ſed gloriam, ſibi mortem conciliaſſe. Nam in hoc Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit (inquit Paulus) vt & viuorum, & mortuorum dominetur. Ergo victoria non ſupplicium occiſio extitit Chriſto, per quam factus eſt vitæ, & mortis clauiger. Quomodo igitur ſecundum ſcripturas inter mortuos liber extitit? Reſpondet Cyrillus Alexandr. lib. de recta in Chriſtum fide ad Theodoſium. Sine (inquit) licet Verbum per ſe mori nequaquam valeat, attamen carne illius inter moriente, ipſumque mortem perpeſſum rectè perhibetur. Igitur qui ſecundum carnis legem, humanamque naturam mortuus eſt, & reſurrexit, idem ille non abſque carne imperij gloriã obtinuit, planumque fecit, mortem quidem naturæ humanæ affectionem eſſe, à mortuis autem ſe denuò excitare, diuinæ virtutis opus eſt; quo factum eſt, vt per vtrumque agnoſcatur, & nobis ſimilis, vt homo, & nobis rurſum ſuperior, vt Deus, vniuerſorumq. Dominus, qui etiam ante aſſumptam carnem etiam cum patre ſuo regnabat.

Rom. 14.

Cyril Alex.

Tertia die reſurget. Non quarta, quinta, aut ſexta, ſed tertia, iuxtà vatum prædictiones, quibus ratio triplex adhibetur, cur tertia die reſurrexerit. Primo vt Auctor reſurrectionis, qui trinitas eſt, deſignaretur. Secundo vt reſurrectionis generalis, quæ in tertij temporis calce fiet, typum, & exemplar gereret: Et tertio vt tria quæ in operibus Dei lucent, omnipotentiã,

Quid tertia miſterij habet.

ſapien-

pluſquam ſeptem ſapientes, veritatem annuntiat.

CAPVT XXXII.

Et venerunt Capharnaum, qui cum domi eſſet interrogabat eos: Quid in via tractabatis?

Expoſitio. DEmum peragrata regionis parte, venerunt ad Metropolim Prouinciæ, quæ Capharnaum appellatur, vbi honeſtè accepti ſunt. Congregatis ergo in vnum diſcipulis, & aliquantum à reliquis ſemotis, *cum domi eſſet* Chriſtus, *interrogabat eos* ſolicite, *quid* tàm anxie *in via* vobiſcum *tractabatis*, mutuis colloquis, & diſceptationibus, quaſi ſolutionem dubij nullus veſtrum poſſet afferre; cui reliqui acquieſcerent?

Et venerunt Capharnaum. Poſtquam mortis narrationem præmiſiſſet, vt eius finem hoc euentu prognoſticaremus. Eſt *Capharnaum* iuxtà ſaniorem eius Ethimologiam ager pœnitentiæ. Vt autem ad pœnitudinem inducerentur mortales, Chriſtus mortuus eſt. Quia ſi proprio filio non pepercit Deus, quomodo nos liberos relin-
Luc. 13. quet? Et vt dicebat ille: Si in ligno viridi hic fit, in arido quid erit? Hoc eſt, ſi innocens, & gratiſſimus tantam ſubit pœnitentiæ molem pro vnius delicto, vt ab eo, & poſteros educat; nos pro filijs, & grauioribus multo, quanto maiora debemus laborum certamina ſubire? vel ſi innocens pro nocentibus flagellatur, & caſtigatur in matutinis, flagelliſq. ceditur tota die, quomodo trãſgreſſoribus indulgẽdũ eſt, vt non
Matth. 3. 4. 10. Marc. 1. Act. 2. Rom. 2. pœnitcant? Pœnitentiam igitur agite, intonat ipſe, & appropinquabit Regnum cælorum; ac diſcipulus: Pœnitemini, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum. Et vos baptizati recogitate, quam ſanctus, impollutus, & ſegregatus à peccatoribus talem aduerſus ſemetipſum ſuſtinuit contradictionem, vt non defatigemini animis veſtris, peccata plangere, & iugiter pœnitere, ne alius accipiat coronam veſtram, quam vincenti, & pœnitenti repromiſit. Quod etiam *Capharnaum* interpretetur villa conſolatio-
Hier. nis, congruit (inquit Gloſſ. Hieron.) prædictæ ſententiæ, occiſus die tertia reſurget. Granum frumenti moritur, vt multiplicius colligatur: Si non moritur ſolum manet.

Qui cum domi eſſet interrogabat eos. Vt metum deponerent, & proprijs reſponſis inſtruerentur, domi autem non foris interrogat, quod non vulgare quid, aut commune; ſed ſecretum, & diuinum ſapientibus tantum innoteſcendum, qui domi, & intra Eccleſiam verſarentur, tractari oporteret, ſoliſque fidelibus communicari; abſcondi vero ijs, qui foris ſunt, qui diſcumbunt in agro infidelitatis, & in terra deſerta, ac in via hæreſum diuagantur. Hinc Præſules Eccleſiæ, atque maiores opus charitatis, quam profitentur addiſcant; videlicet interrogare ignorantes, vt ab eiſdem inſtruantur, affabiles ſe præbere pauperibus, vt confidentius ad eleemoſynam accedant; occurrere timidis, & meticuloſis ad virtutis ſtudia, vt animentur, ac denique eos, qui infirmi ſunt, interrogare Domi ſecretè, cur errent, cur delinquant, & à via veritatis declinent? ac ſimilibus quæſitis, quouſque inſtruantur, et ſi fieri poteſt, meliores recedant. Quomodo præſules erga ſubditos ſe gerant.

Quid in via tractabatis? Tractatus quidem ſingulorum noncrat, quærit nihil minus ab eis; vt ſimul Deum, & hominem ſe eis prodat vnico quæſito, Deum quippe ſe prodidit agnoſcens Apoſtolos quid arduũ inter ſe tractaſſe: Hominem vero dum explicari tractationes poſtulat, quaſi vt homo ignoraret. Perſæpe enim hoc agit Chriſtus, vt in vno duas contemplemur naturas Dei, & hominis: & cum infirma de eo proponuntur ad ſuperiora applicemus animum ne vacillet fides; ſed credat de eodem iſta annuntiari citra iniuriam alterutrum. Arbitror enim, dicebat Cyrillus ad Theodo- Cyrill.
ſium, Dei verbum poſt aſſumptam ſemel carnem ab humanæ naturæ conditionibus neutiquam excludendum eſſe, neque humanitati rurſum, ſicut in Chriſto eſt, conſideretur, gloriam, quæ Deum decet, denegandam eſſe.

CAPVT XXXIII.

At illi tacebant, ſiquidem in via inter ſe diſputauerant, qui eorum maior eſſet.

ETſi amice interrogati eſſent, illi con- Expoſitio.
ſcij indebitæ tractationis tacebant. Siquidem quod in via dum pergerent poſt magiſtrum tractarant, indignum videbatur ſtatu Apoſtoli, ac multo minus, quod Chriſto ab eis exponeretur: Diſputauerãt enim inter ſe propoſitis vtrinque argumentis, & coniecturis, quis eorum poſt mortem præceptoris videretur dignior, vt maior eſſet ſuper cæteros, teneretque principatum in Eccleſia.

At illi tacebant. Nec ea commendatio-
ne digni, quum nihil noxius quàm interro- Confeſſio facienda
gati de ſtatu conſcientiæ, vel non confiteri verum, vel illud celare taciturnitate; vtiliſſimum autem reſpondere, & propalare ſacerdoti, quæ nos conſcientia accuſat, & quæ latent apoſtemata chirurgo oſtendere: Alioqui tacere mala acta, ratio ipſa
ſuadet. Eſt ergo tacens non habens ſenſum Eccl. 20

loquelæ;

Digitized by Google

loquelæ; & eſt tacens ſciens tempus apti ſermonis. Homo ſapiens tacebit vſque ad tempus: Laſciuus autem,& imprudens non ſeruabunt tempus.

Siquidem in via interſe diſputauerant. Quod non decebat Apoſtolos, qui calciati ad Euangelium pacis, & pacem ferendam ijs,qui ignorabant, deſtinati erant, non ad lites, & contentiones; multoque minus id licebat eis in via diſputationibus altercari: Nam qui prohibiti erãt nemiuem per viam ſalutare,vt contemplationi melius vacarẽt, & ſcopum prædicationis diligentius animo ruminarent (vtpote pacem, & ſalutem animarum)quomodo eis licuiſſet in via publica diſputationes texere? Hinc ſeraphicus pater noſter Franciſcus admonet in regula fratres, vt in via non litigent, neque contendant, ſed ſint mites,pacifici, honeſti, & humiles.

Luc. 10.

Quis eorum maior eſſet. Hæc ſecundum Lucam tantum omnino conceperant. Quia tamen conceptum mutuo explicarunt Marcus addit, diſputatione tractata ſecundum Mattheum, antequam interrogentur,quæſtionem de primatu ipſi proponũt Chriſto. Fortè poſtquam interrogati agnouerunt ſecreta ſua non latuiſſe Chriſtum.Inde autem videtur orta diſputatio de primatu (ait Zachar. Chryſopol. lib.3. cap.94.) quia viderant Petrum, & Iacobum,& Ioannem inductos in montem ſeorſum ad aliquid ſecretum eis credendum. Sed & Petro audierant claues regni cælorũ promiſſas, Eccleſiamq. ſupra petrã fidei,à qua ipſe nomen acceperat, ædificandam, atque tributum pariter pro Petro & Domino redditum. Putabant ergo vel illos tres cæteris, vel omnibus Petrum eſſe Prelatum. Quod intelligens Dominus vult deſiderium gloriæ ſanare humilitatis contentione. Verum etſi potuerit medicina infirmos Apoſtolos curare,minimè verò ſucceſſores,qui non anthidotum Chriſti conſiderantes,ſed morbum Apoſtolorum,eo vt regia plaga gloriantur. Atque hinc ſæpe hæreſes. Nam eſt quidem propoſitum hominibus improbis (ſcribit Alexander Alexandrinus Epiſcopus, ad Alexandrum Epiſcopum Conſtantinopolitanum) in quorum animis inexplebilis honoris,& pecuniæ cupiditas inſita eſt, vt Eccleſijs,quæ videntur plus habere dignitatis, ex occulto inſidientur, qui per varias, ac multiplices vias ſinceram Eccleſiæ veritatem oppugnare non ceſſant. Nam impulſu Diaboli, qui vim ſuam in eorum animis exercet, & in furorem acti ad voluptates, quæ fortè ſe offerunt, feruntur præcipites: Atque ab omni pietate refugientes,timorẽ diuini iudicij proterũt.In exemplũ adducit Arrium, nos vero habemus Lutherum, qui quãtũ ob ambitionẽ errauerit,omnes norũt necnon iacturã,quã in populo Dei fecerit.

Zach. Chr.

Alex.

CAPVT XXXIV.

Et reſidens vocauit duodecim & ait illis: Si quis vult primus eſſe, erit omnium nouiſſimus, & omnium miniſter.

Expoſitio.

IGitur vt tacentibus Apoſtolis, vel poſt taciturnitatem,vt Matth. vult interrogantibus;Chriſtus firmato greſſu ſedens, & reſidens in ſeipſo, vocauit proprius ad ſe duodecim, quos Apoſtolos nominarat, & conſtituerat Principes ſuper orbem terrarum. Poſtquam ergo acceſſiſſent ait illis pater, & Magiſter bonus,qui ſingulorum augumentum oppetebat: *Siquis* inquit *veſtrum*, vult ne dùm in mundo, ſed in cælo maior eſſe, ac primus; *erit*, ſi rectè ſapit, *omnium*, qui inueniri poſſint in cætu, *nouiſſimus*, atque humilis in oculis ſuis,quaſi vir vnius anni: Immo verò erit omnium infirmorum, & egenorum miniſter ſedulus.

Et reſidens. Reſidere eſt firmius,ac profundius ſedere,tametſi græca lectio habeat ſimpliciter ſedere *καθίσας*.Vulgata nobis per verbum *reſidere* indicat geſtum peculiarem,quo vſus eſt ad doctrinam ſequentem, voleus & ideo oſtendere in quanto verſentur periculo, qui vel aſpirant ad honores, vel iam in Cathedris ſedent, niſi reſideant, hoc eſt niſi humiliter ſedeat & firmare ſeipſos curẽt, ne cadãt per elationẽ dùm delectantur ſedibus, vt columba, quæ aſſidens arboris ramo gloriatur in plumis, interim verò ſagittatur,& cadit; ac ne etiam ſeipſos perdant, quando non contenti ſede priori, ad aliam curant transferri. Solet quidem vtrunque vitium plures in perditionem mittere. Qui ſtat ergo in Cathedra honoris, reſideat ad exemplum Chriſti, ne cadat, nec audiat: Quomodo cecidiſti Lucifer, qui mane oriebaris. Quanto maius es humilia teipſum, ne ſuccumbas, & operimentum tuum ſiut vermes. Et quando ſedere cœperis, ſis tua ſorte contentus, & noli amplius quærere, ne id, quod videbaris habere auferatur tibi, & vadas nudus, ſpoliatus,atque inglorius.

Iſai. 14.

Vocauit duodecim. Quod ambitio quæhorum ſtatum inflammat ſit omnium maxima, & pernicioſiſſima. Nam etſi regni ſceptrum appetere, ac per nefas poſſidere malum ſit, & bellis perſæpe orbem repleat, eſt (ſi ſic licet) quæſtio de lana caprina, vt qui tantum in corpore vel ſubiectionem, vel ruinam vergat. At controuerſia, quæ de primatu Epiſcopatus oritur, ſchiſma generat, quale Mediolanenſis Eccleſia, & Rauenatenſis per multos annos ſuſtinuit & nonnunquam hæreſes parit, vt modo Græcia reperitur, quæ præſumens primatũ

Schiſma Mediolanenſiũ contra Romanos Pontifices.

totius

totins orbis,negauit obedientiam legitimo capiti Rom.Pontif.negauit & in pleriſq.quę ad fidem faciunt communem, vt Purgatorium, proceſſionem Spiritus ſancti à Patre, & filio, & alia,ſine quibus non poteſt homo ſaluari. Quæ igitur animabns perditionem affert, ac totius gregis diſſipationem,deterior omni ambitione cenſenda eſt. Ergo vt attendant noſtri Præſules, & videant diligenter,qui dominantnr in Clero,damnum quod ex eorum ambitione imminet redemptis ſanguine Chriſti aduocantur duodecim Apoſtoli, qui regimen ſpirituale appetebant; non Reges, neque Principes ſæculi, qui corporibus dominantur, & aurum quærunt, & fauſtum, non meritum, neque animas curant, Propterea Gregorins Naxianzenus ad alterum Gregoriũ Nyſſenum ſcribens dixit ſurtiuam in deterius prolapſionem, ac Dæmonem peſſimam,vt Euripides ait, ambitionem, hoc eſt Dæmonum ſceleratiſſimam cupiditatem interpretatur ſcholion Niceti. Et quidem eam Satan inuexit, & conatus eſt introducere in collegio apoſtolico, niſi oratio Chriſti obſtitiſſet. Quare ſcribens idem Endoxio Rectori de damnis,quæ ſuo tempore tulit ambitio clericorum, & præſulum. Eccleſiæ res præſide,& paſtore carent (inquit) Pereunt bona, nuda,& aperta sũt mala,nauigatio in nocte fax nuſquam,Chriſtus dormit.Quid faciam? vna mihi malorũ depulſio mors eſt. Ac res etiam alterius vitæ mihi formidoloſæ ſunt ex huius vitæ rebus coniecturam ducenti.

Greg. Naz.

Eurip.ep.42

Ambitionis improbitas.

Ait illis. Et quidem per modum imperij: Nam tantum malum vix curatur lenitate,niſi ei vel diſiunctiua proponatur, aut hoc, aut nihil, vel virga caſtigentur, qui tranſcendere ad gradns ſiue immeritos,ſiue repugnantes feſtinant. Hinc Zoſimus Papa ad Heſychium Epiſcopum Salonitanum dixit: Laudamus conſtantiam propoſiti tui frater chariſſime,nec alind de Pontificij tui veteri cenſura auctoritatis genus expectandum fuit, quàm vt talibus ambitionibus pro præceptis Patrum, in procinctu fidei conſtitutus occurreres. Igitur ſi quid auctoritati tuæ, quod nos non opinamur,æſtimas defuiſſe,ſupplemus. Obſiſtite talibus ordinationibus, obſiſtite ſuperbiæ,& arrogantiæ venienti. Tecum faciunt præcepta patrum,tecum Apoſtolicæ ſedis auctoritas, ex qua præſenti anno 1589.præceſſit S.D.N. Sixti quinti conſtitutio accommoda neceſſitati temporis, & conſona bis, quæ contra ambitioſos ſacri ordinis Zoſimus ſcribit.

Zoſim.

Sixtus quint.

Si quis vult primus eſſe. Hoc eſt ambitioſi ſcopus, cunctos ſi poſſet excellere: Hæc enim fuit vox prima, quam ambitio eructauit:Super altra cæli exaltabo ſolium meum, ve Aquila in arduis ponit nidum ſuum, ſic cupidus bonoris indebiti, ramos vſque ad cælum vult protendi, vt non tàm beſtiæ agri, ſed volncres cæli ſub vmbra illius, atque dominatu ſiſtant: Si poſſet, & laicum ſtatum, & clerum vellet turgidus, & ſuperbus, qui Eccleſiaſticas dignitates inordinatè affectat,ſuppeditare ſibi. Cæterum,vt dominetnr alijs prius ſeruit (inquit Ambroſ. lib.4. in Luc.cap.5.)curuatur obſequio, vt honore donetur,vt dùm eſſe ſublimior quærit,fit remiſſior, cum in ipſa poteſtate, quod præcellit, alienum fit, legibus enim imperat, ſibi ſeruit. Dicie fortaſſe aliquis; quia ſolus, qui malum fecerit, timet: Tamen qui mare nauigat plns timet; è contra immobili terrarum ſtatione, non ſolet timere naufragium, at ſi mobile conſcendat elementum freqnentioribus obnoxius ſit periculis. Tum maximè quando vigil clamat: Succidite arborem,qnia cum interierit non ſumet omnia, neque deſcendet cum cum eo goloria eius in profundum inferni; qui ambitioſum expectat, & ad eins occurſum, vt lacus aduenienteè ſublimibus ſaxo conturbatur.

Ambr.

Dan 4.

Pſal.48.

Erit omnium nouiſſimus. Hoc eſt humilis. Talem enim ſcriptura nouiſſimum nominat, vt ego *nouiſſimus* euigilaui. Nouiſſimum virorum, virum dolorum pauebant ad Dominum, & ad domum eius in *nouiſſimo*. Cognatio mea *nouiſſima*. Hoc eſt humilis. Proprie *nouiſſimum* ſignat poſtremum. At qui humilis eſt, cunctos præfert ſibi, tantum in inſipientia ait, plus ego,vt phænix, qua tametſi nobilitate præcellat aues reliquas,qnaſi omnium inferior vix apparet. Hinc Rachel, quæ pulchritudine excellebat, & Ioſeph, qui gratia apud patrẽ fratres omnes ſuperabat,*nouiſſimum* locum,& poſtremum tenuerunt poſt vadum Iordanis, qnamprimũ terrã natiuitatis parentũ ſuorũ intrare occipiunt.Eſt autẽ hæc nobis mundus, in quo aduenæ, & peregrini ſumus, ſicut & Patres noſtri, ab vtero ab ortn,& à vado Iordanis,ac brachijs maternis, paternoque ſinu. Vnde qui pnlcher in donis, & maior in imperio eſſe deſiderat, poſtremum incipiat locum tenere,& ſectari humilitatem. Quia vbi humilitas, ibi ſapientia, hæc autem præcedit omnia. Ac propterea exaltauit Deus humiles ex ipſis, vt ſederent pro ducibus ſuperbis; vt regnaret pro Saul, Dauid, qui vilior erat in oculis eius, & vt Cathedram honoris acciperet Eliacim filius Helciæ pro Sobna, qni vt finem vitæ ſuperbæ conformaret, ſepulchrum excelſum memoriale ſibi in petra exciderat. Superbis enim Deus reſiſtit, humilibus autem dat gratiam,vt velut terræ hiatus aurum, gemmas, præcioſumque metallum, quæ regum capita coronant, & colla reginarũ adornent, concipiant, atque pariant, non populum ramoſum, aut herbam, quæ facile excidit, & inſeruit animali; ita qui bumilitati ſtudent cæleſtibus in primis

Eccl.33.

Eſai.53.

1.Reg.9.

Iſai 22.

Humiles.

primis abundant, quibus Deus honoratur: Inſuper ſi expediat, ne dùm in cælo, ſed in terra ſublimantur, etiam inter hoſtes, vt Ioſeph inter Ægyptios, Daniel inter Caldæos, & inter Romanos poſtremus Ioſeph, qui antiquitates iudaicas conſcripſit, ſtatuam meruit: An verò propter humilitatem tantum, prætereo. Affirmo autem oculos ſublimes, & excelſos corde deteſtari, diligi autem humiles ſpiritu, & reſpici in cælo, & in terra, protegi, & eleuari in tempore ſuo. Ergo concludamus cum *Chryſoſt.* Chriſoſt. hom. 35. in Matth. op. imperf. Nec vnuſquiſque eorum feſtinet, quomodo alijs maior appareat, quomodo omnibus inferior videatur. Quoniam non qui maior fuerit in honore ille eſt iuſtior, ſed qui fuerit iuſtior ille maior. *Greg.* Propterea Gregorius cum eſſet Summus Pontifex, titulum vniuerſalis abhorruit, & vt vera humilitate maior, ac iuſtior appareret, ſeruum ſeruorum nedum dici voluit, ſed opere demonſtrare. Quia ego (inquit ad Eulogium Patriar. Alex. lib. 7. epiſt. 30.) non verbis quæro proſperari, ſed moribus, nec honorem eſſe deputo, in quo fratres meos honorem ſuum perdere cognoſco. Enim ſuperbus inhonorat fratres: Humilis autem, & ſe, ac ſuos, qui ea parent, honorat, & illuſtrat. Eſto igitur ò fidelis, & ipſe *nouiſſimus*, ſi vis maior eſſe.

Et omnium miniſter. Quoniam conſtitutus eſt fidelis ille ſeruus & prudens, quem *Matth. 24.* conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt det illis in tempore tritici menſuram, ne pereant vrgente inedia, quæ integro ſeptennio donat, quandiu mundi huius tardabit conſumatio. Diſpenſator ergo miniſteriorum Dei cum ſit Præſul, oportet, vt venter membris, & fons, qui diuiditur in quatuor flumina terræ naſcẽtibus, ſic inſeruiat, & miniſtret ſubditis; frangat panem eſurienti, pes ſit claudo; & manus cæco, nudum veſtiat, hoſpitetur peregrinum, & impleat denique, vt paſtor vigilans, cui redditio dupla iniungitur, quæ Paulus de Epiſcopo ſcribit. Placuit ergo definit. Synod. 3 *Synod. Car.* Carthag. cap. 3. vt ordinandis Epiſcopis vel Clericis, prius ab ordinatoribus ſuis decreta Conciliorum, auribus eorum inculcentur; ne ſe aliquid contra ſtatuta Concilij feciſſe pœniteat. Fortè ſi Canon obſeruaretur non compelleremur dicere rurſus cum *Chryſoſt.* Chryſoſtom. hom. 43. op. imperf. in Matth. Multi ſacerdotes, & pauci ſacerdotes: Multi nomine, pauci opere. Videte ergo, quomodo ſedetis ſuper Cathedrã, quia non Cathedra facit ſacerdotem, ſed ſacerdos Cathedram; non locus ſanctificat hominem, ſed omnis Sanctus ſacerdos, qui verè miniſter eſt Chriſti, & fideliter, tàm quæ ad corpus, quàm quæ ad animam faciunt, adminiſtrat.

CAPVT XXXV.

Et accipiens puerum, ſtatuit eum in medio eorum, quem cum complexus eſſet, ait illis.

Expoſitio PRoponit exemplum, quo dicta confirmet, & doceat humilitatis genus quod ſuis deſiderat. Et iterum vt tenacius doctrina inhæreret animis diſcipulorum, *accipiens* ad ſe *puerum*, moribus innocentem, & ſimplicem conuerſatione, qualem aſpectus, & ætas deſignabat; *ſtatuit* eum per ſeipſum *in medio eorum*, qui primatum quærebant, *quem cum* ſuauiter *complexus* brachijs ſuis *eſſet*, & oſculatus, ad Apoſtolos conuerſus *ait illis*.

Et accipiens puerum. Videlicet Ignatium, qui poſt Petrum, & Euodium ſedit Antiochiæ. Huic diuino Ignatio (ſcribit *Sim. Met.* Simon Metaphraſtes) cum eſſet adhuc planè puer, aiunt Chriſtum adhuc verſantem in mundo, ei intemeratas manus impoſuiſſe, & ad populum intuentem dixiſſe: Niſi quis ſeipſum humiliauerit, vt hic puellus non intrabit in regnũ cælorum. Accepit autem Chriſtus *puerum* potius, quàm grandæuũ, in quo humilitatis ſtudia reperirentur, vt in multis, non ſolum vt arrogantiam diſcipulorũ comprimeret, ad inferius exemplum remittens eos, non ad ſuperius, cui arrogantes facilius ſubduntur; verũ etiam vt ad ſeipſum cunctorum animos conuerteret, quod potens in ætate perfecta virilitatis, quam à principio ſuæ creationis *Eſai 9* dederat Adæ, noluerit niſi accipere *puerum*, naſci puer, & videri. Quia puer natus eſt nobis. *Chriſtus natus puer, nõ grandæuus ſicut Adam.* Indeque altius ad myſterium quod latebat, reuocarentur, videlicet primum Adam ob altitudinem cecidiſſe; ſecundum autem ab humilitate redemptionem inchoaſſe, & deiectum vſque ad infernum, reduxiſſe ad cælum. Quam viam oportebat eum ſequi, qui ſecundi Adæ cæleſtem habitum, & finem excelſum optaret. Ergo pueri omnes, quia Chriſtus accepit *puerũ*, non grandæuũ, redemptionem in pueritia, fecit, nondum ſciens vocare patrem, & matrem, adhucque ab vbere pendens, manum ſuam miſit in foramen reguli, & eduxit colubrum, qui genus mortalium infecerat. Quid? & ſimulacra Ægypti eo puer abiens proſtrauit, fugauitque Diabolum ante pedes eius, necnon ſapientiam omnem mundi huius ſtultam puer declarauit Ægyptijs, Hebræis verò, qui de veritate ſapientiæ gloriabantur, aperto libro, in primis pueritiæ annis, doctorem vnicum ſe prodidit. Quapropter etſi virum circundiderit mulier, & altiſſimus homo natus ſit in ea, & conceptus, non virum, non hominem, quæ vox pro-

uectorum

uectorum eſt, ſed *puerum* vocat Pater: Puer meus, quem elegi, quia puer Iſrael, & dilexi eum: Vnde, & Prophetæ dixere, Da imperium tuum puero tuo. Quin, & eo nomine donarunt ſanctos, vt iam tunc pueritiam, quam Chriſtus, & facto, & verbo docuit, imitarentur. Siquidem vt ille cecidit à complexu grandæui, ſic oportuit ſemper reſurgere à ſtudio pueri, nec aliquis ſancturum patrum, valuit vnquam apud Deum, quin *puerum* acciperet, hoc eſt pueri humilitatem, & ſimplicitatem ſectaretur, eius inquam, qui gigas cum eſſet, & factus eſt puer.

Statuit eum in medio eorum. Vt palam cunctis fieret, & intueretur ſpeculum, quo omnes volebat reſpicere animi ſui conditionem, & emendare, ac mutare in melius. Quomodo autem eum pater introduxerit puerum, *in medio* Angelurum, dicens eis: Pſal. 96. Et adorent eum omnes Angeli eius, dictum eſt alibi. Mox quid ſtatio præſens nobis ſubminiſtret myſteriũ exquiramus. Imprimis mihi videtur ad ſeipſum alludere. Nam medius ipſe eſt, ſecundum Ioannem, & in medio veſtri ſum, idem de ſeipſo dixit. Statuit verò continuo ſeipſum *in medio* noſtri, puerum humilem, ac neſcientem vocare Patrem, & Matrem, quãdo intra Sacrarium ſub ſpeciebus conſecratis reponitur; quando verò ſumitur *in medio* cordis noſtri, ſeipſum ſtatuit, vt animum ſuis radijs illuſtret, & cœrceat legem membrorum, quæ corpori noſtro dominatur, denique vt dij ſimus, & filij excelſi, ſi digni, & probati inueniamur. Quinimo indignos, qui oppidatim ad templa intrant quum poſſet vt Patientia Chriſti. Dagon in puerum redigere, quaſi puer ſimulat, nec vlciſcitur iniurias. Quas tùm à clero, tùm à populo in domo ſanctitudinis recipit. Immo verò, ſi fas eſt dicere, locupletatur, impinguat, & bonis, quæ deſiderant, ſatiat. Quodque admirabilius cibum ſe præbent ſpurciſſimo peccatori, nihil nocet, cum ſit aquis amariſſimis efficacior ad omnem iniuriam vlciſcendum: Itaque puer ſe modo cunctis ſe ſtatuit, verum autem, & vltorem agnoſcent poſtmodum qui eius pueritiam offenderint, & abiecerint; niſi veſtigia eius puerilia quidem, ſed excellentiſſima ſequamur, omnia enim vt dicam Cypr. cum Cypriano lib. 3. epiſt. 9. ab eo ideò facta ſunt humiliter, atque patienter, vt nos humilitatis, & patientiæ haberemus exemplum.

Quem cum complexus eſſet. Vt actione attentos faceret Apoſtolos, & inſtrueret, quomodo poſſent paruulorum innocentiam ſimplicitatẽ, & puritatem animi imitari; videlicet complectendo; non legendo ſolum quæ de hiſce in libris, & ſacris codicibus ſcribuntur; neque gratè videndo pueros ſanctitate, & humilitate, nec conuerſatione iucunda ſanctorum humilium vtendo, quod pleriſque placet eorum, qui imperarunt, & imperant, atque pontificant; ſed complectendo, hoc eſt, toto conatu, nunc humilitatem in verbis; in facti patientiam, in geſtis modeſtiam, in cibis parcitatem, in iniurijs veniam, & quandoque magnificentiam in detractores. Nam non ſolum penna apparuit in Cherubin, ſed manus hominis; per pennam enim faciem interpretatur Gregorius, ſeu notitiam; quæ tametſi, vt Greg. viſus ad greſſum conducat nihil eſt abſque manu, quæ opus ſignificat. Hinc ille, oportet: Operari dum dies eſt, quia venit nox, in Ioann. 9. qua nemo poterit operari. Hoc eſt, vt alibi dixit: Dum lucem habetis credite in lucem. Credere enim in aliquem eſt, agnoſcendo diligere, dilectionis autem eſt opus, quo Chriſtum humilem, in quẽ credimus, Imitatio imitamur, vt ſimus Cherubin, & filij Patris Chriſti. noſtri perfecti, qui in cælis eſt, & fratres primogeniti, quem pater dixit, audire. Quæ ergo à nobis fabricata fuerunt manu artificis, hoc eſt, ſedulitate omni operata nos ſanctos efficient, & qui hiſce vt prunis manum impleuerit prima, tum qui in perfecta charitate, & humili conſiſtit, obtinebit, & laudabiliter exequetur, dum nihil ſecundum Gregorium lib. 2. epiſt. 54. ad Greg. Ioannem Epiſcopum Rauennatem in Epiſcopali ceruice ſplendidins fulget, quàm humilitas. Denique *puerum* complectens ſignificat Chriſtus, ſecundum Gloſſam, humiles dignus eſſe ſuo complexu, qui iure poſſunt gloriari, & dicere: Leua eius ſub capi- Cant. 2. te meo, & dextera illius amplexabitur me.

Ait illis. Solum, qui cæterorum forma eſſe debebant non quod cæteros eximeret, ſed quod hos, & ſucceſſores, qui ſpirituale regimen adminiſtrant, vel ſtatum Apoſtolicum profitentur attentiores, & feruentiores in ſectandis humilibus actibus vellet. Quare in omnibus, quæ à nobis rectè fiunt, ait Baſilius Magnus, in Conſtitutionibus Baſil. exercitatorijs cap. 16. anima rectè faciendi cauſas ad Dominum referat nihil omnino rectè facere ex propria potentia putans. Talis enim effectus humilitatem nobis inducere ſolet. Humilitas autem virtutum theſaurophilacium eſt. Hæc tibi de nobis, Humilitas virtutum gazophilacium. vt ita dixerim ſemina ſunt ſermonum, ac tractationis de virtute. Tu vero his hinc acceptis multiplicem nobis fructum profer, & illum ſapientiæ ſermonem exple, qui dare iubet ſapientibus occaſionem, vt ſapientiores fiant.

CAPVT XXXI.

Quiſquis vnum ex huiuſmodi pueris receperit in nomine meo, me recipit, & quicunque me ſuſceperit non me ſuſcipit, ſed eum, qui miſit me.

Expoſitio. AMplexato puero, dignitatem eius aperit, vt vel inde auidiores fiant, & propenſiores ad ſectandos mores, qui in conditione pueri deſignantur. Quare (inquit) etſi ſtatura videatur abiectus, quem vobis propoſui, ſcitote honore alioqui digniſſimum; adeò vt libeat affirmare, quod *quiſquis*, ſiue gentilis, ſiue Iudæus fuerit, qui *vnum* apud ſe *ex huiuſmodi*, ac ſimilibus conſuetudine optima *pueris receperit*, & apud quē *in nomine meo* hoſpitatus fuerit; non quē videt, ſed *me*, qui videor abeſſe, ad ſe introducit, & delectat propijs bonis. Et qui hoc meruit ſciat magnificū adhuc multo ſibi eótigiſſe. Nam *quicunq.* pius, & miſericors exiſtens, *me* hominē beneficum, & magiſtrū ſtudioſum ſalutis ſuſceperit in puero illo, qui ad eum in nomine meo venerit, *non me* ſolum hominē, vt vnū ex reliquis, *ſuſcipit, ſed eum* qui altior eſt, quàm mens eorū valeat excogitare, videlicet Deum Patrem, *qui me miſit*, ac genuit, quia ego, & pater vnum ſumus, dumq. putat videre hominē purum, & conſiliari Deum, qui aſpectibus mortalium non patet, ad hoſpitium ſuum introducit, & ei vt homini adminiſtrat.

Quiſquis vnum ex huiuſmodi pueris receperit in nomine meo. Ac ſi diceret propoſito puero. Non ſolum, qui pueri innocentiam, & humilitatē ſectatur, maiora, quæ optat conſequitur; verum etiam, qui recipit, dignam mercedem acquiret, ac talem, quæ primatum omnem excedat, vtpote Deum. *Quiſquis* ait, quod puerum talem non tàm quis fidelium, quàm quis infidelium magnifaciāt recipere. Delectat enim humilitas, & animi ſimplicitas, nedum noſtros, ſed extraneos, vnde, & Martinum Turonensē Iulianus
Humiles receperunt honorem à tyrannis. Apoſtata, & beatum Franciſcum Soldanus Ægypti venerati ſunt, Vterque enim de humilitate commendatur. Huiuſmodi pueros dicit non corpore, neque ſenſu; ſed eos, qui ad ſpiritum accomodant, quæ in puero natura operatur, qui facilis eſt ad veniā, & ad obſequium cuiuis præſtandum, nec difficilis eſt in apprehēdēdis quæ videt, & audit, neq. obliuioſus perceptis ſemel elementis litterarum. Quæ ſanctis viris ſunt præcepta Decalogi, & fidei ſymbolum; munia paſtoris Epiſcopo, religioſo autē excrutatio ſpiritualis, & omni fideli obſeruantia ſacri cultus. Ab his enim huiuſmodi puer nunquā recedit, ſed meditatur ea die, ac nocte, & vt arma militiæ nunquā à latere deponit, ne relictis principijs ſcientiā ſanctorū obliuiſcatur. Et prodens eloquia pulchritudinis: Fiat Balaā cuius obſcurati ſunt oculi: Hoc *Num.* 22
eſt pro perfecto fiat imperfectus, & apoſtata, vt pleriſq. contingit, vt illi, cui dicitur: Memorello vnde excideris; age pœnitentiā, *Apoc.* 2
& prima opera fac, ſin autem venio tibi, & mouebo candelabrū tuum de loco ſuo, niſi pœnitentiam egeris. Dicens, *receperit*, inſinuat humilium pauperiē, quæ tanta fuit in Paupertas diſcipulorum.
primis Euangelicis pueris, vt nihil poſſiderent venditis omnibus, quæ habebant, & inter pauperes diſtributis ſingulariter in ſpe Dei, & miniſtrorum eius, vt aues, quæ non ſerunt, neque nent, victitabant, cum tamen nihil haberent, omnia poſſidebāt, victu & veſtitu contenti, ſed pleni Deo, quem facilius, quàm argentum & aurum, quod pro Deo reliquerant ægrotis communicabant, vt in Petro, & Ioanne eſt videre, qui cum aſcenderent ad horā orationis nonam paralyticum *Act.* 3
in nomine Domini curarunt. Vbi ergo receptores ibi, & pauperes, qui recipiantur iuxta illud: Pauperes autem ſemper habebitis vobiſcum, me autem non ſemper habebitis. *Matth.* 26
Quod dicitur *in nomine meo* additur ad differentiam eorum, qui cum diuites ſint, propter fauorem, quem ab eis ſperant, recipiuntur, non quidem in nomine Chriſti, ſed denarij, aut potentiæ, quam oſtentat *vt manus manum fricat:* Verum etſi manus ad manum fuerit, diues ad diuitē, & ad potentem potens, non erit innocens, vt mereatur tantum præmium, immo verò nullum, quin ſæpius damnum animæ reportant, qui ſunt diuitis receptores, & conuiuas ſimiles admittunt. Vel *in nomine meo* dicit ad diſtinctionē infideliū, & Paganorū, qui ſuis pauperibus, vt Iulianus Apoſtata Synodochia & hoſpitalia, atq. alij, erigebāt: Quin proprias domos pauperū receptacula faciebant, ſed in nomine Saturni, Iouis, aut Mahometi & ſimilium. His nulla merces debetur, quia quod *Rom.* 14.
non eſt ex fide peccatū eſt; ita inutile, & infructuoſū, ac ſi peccatū commiſſum fuiſſet.

Me recipit. Quoniam ſunt Chriſti agricultura, ſuæ vitis palmites; eum induunt; & vita eorum abſcondita eſt in Chriſto, per *Coloſſ.* 3.
quos, vt per os loquitur, & ædificat.

Et quicunq. me ſuſceperit: Repetit ſuſceptionē ſuam, vt in ea meritū omne quod ex eleemoſyna ſperatur, repoſitū ſciant. Hinc Concilium Gangrenſe cap. vlt. beatificat, *Cōc. Gang.*
quæ in nomine Domini fiunt, ac propterea Chriſtus conſulit non diuites, ſed pauperes, qui in nomine eius petunt, vel recipiuntur, inuitari, vt mercedem inuenirent, & amicos de mammona iniquitatis facerent, qui reciperent eos ad æterna tabernacula.

Non me ſuſcipit. Scilicet hominem ſolum, neque primo, quia nomen, in quo pauper ſuſcipitur, ſiue ſit Chriſtus, ſiue Ieſus, ſiue Dñs Magiſter, Doctor, Redemptor, & ſimilia quæ ei conueniunt, & dantur à Prophetis

per

per excellentiam, primo diuinitatem ſignificant, & de ea annuntiantur, quàm de humanitate; cui ſolum per vnctionem ſpiritus donantur, at Deo per naturam quadrāt, & à ſe habet Ieſum, ideſt Saluatorem, Redemptorem, Dominum & Magiſtrum eſſe.
Eſai. 6 Vnde & de eo dicitur: Vocabitur tibi nomen nouum, quod os Dñi nominauit. Hoc eſt verbum vnitum communicauit; os enim
Os Domini quid ſignificet. Domini, quod ſub oris appellatione ſponſa iam iam humanitati noſtræ poſtulabat vniri, dicens; oſculetur me oſculo oris ſui.
Cant. 1. Quod autē os nominat, primo in ore, quam alibi contemplatur. Ergo & nomen honorificum, & excellens Deo propriū, per communicationem autem idiomatum annuntiatum de Chriſto, vt Analogum potiori ſignificato diuinitati primo tribuitur, poſt humanitati; ſemper tamen vni Chriſto ratione perſonæ, quæ in eo eſt vnica. Quod ſi quis objiciat nomen Chriſti nunquam verbo niſi in carne conueniſſe, vt Cyrillus contra Neſtorium argumentatur, quia inquit Dei verbum non vngitur Spiritu ſancto? Reſpondeo non iniungi Spiritu ſancto, hoc eſt effectu, qui tribuitur tertiæ perſonæ, ſed ſeipſo qui eſt Spiritus ſanctus. Pater enim ſpiritus eſt, ſimiliter filius, & Spiritus ſanctus eſſentialiter ſpiritus ſunt, & dicuntur. Itaque excellens nomen datum Chriſto proprius diuinitati conuenit. Ac propterea qui in altero horum nominum pauperem euangelicum ſuſcipit, *non me*, inquit Chriſtus, *ſuſcipit*, ſed Deum, ob cuius nomen beneficium petitur.

Cyrillus de recta in Chriſtū fide ad Pulpher.

Sed eum qui me miſit. Vt enim Chriſtus, ita & pauperes Apoſtoli, de quibus ſermo eſt, & Euangeliſtæ, Deum prædicare, manifeſtare, & gloriam eius quærere ſtuduerunt; poſt illum in carne humana apparuiſſe demonſtrabant. Vnde & miſſi à Deo, & eius legati dicebantur, poſt ſerui eius hominis, in quo viſus erat, vtpotè Chriſti. Nunquam enim ab homine Chriſto, nec humanitatis acta exorſi ſunt ſermonem, ſed à Deo. Sic enim Paulus Euangelium Athenienſibus an-
Act. 17. nuntiat. Quod ignorantes (inquit) colitis, hoc ego annūtio vobis. Deus qui fecit mundum, & omnia, quæ in eo ſunt. Petrus verò, qui Iudæis, quibus erat recens Chriſti Dei, & hominis notitia, & certa ex oraculis, &
Act. 2. ſignis à Ieſu Nazareno orditur. Viri Iſraelitæ (ait) audite verba hæc, Ieſum Nazarenū virum approbatū à Deo in vobis, &c. Attamen tàm Petrum, quàm cæteri ſodales, edocti à magiſtro, gloriā Dei ante omnia manifeſtare, & eius opera prætenderunt; tum maxime redemptionē per Chriſtum hominē factam, vt Iudæi agnoſcentes Chriſtum glorificarent Deum, quā plebem ſuam viſitaſ-
Prædicatores recipiés Deum recipit. ſet, gētes autē Dei vnitate agnita Deorum cultum abominarētur, Regi autem ſæculorum immortali, & inuiſibili gloriam darēt, & honorem. Quare qui recipiebant Apoſtolos, & audiunt prædicatores Dei, Deum ipſum, qui eos primo mittit, & cuius gloriā ſuper omnia quærunt, recipiunt, ſecundario autem hominem, in quo Deus apparuit hominibus, & per quem operatus eſt vniuerſa, quæ ad ſalutem hominum faciunt.

CAPVT XXXVII.

Reſpondit illi Ioannes dicens: Magiſter vidimus quendam in nomine tuo ejicientem Dæmonia, qui non ſequitur nos, & prohibuimus eum.

Dignitatem pauperum Euangelicorum, quum animaduertiſſent Apoſtoli, indignum putarunt alios ab eis dari, qui ſignis, & prodigijs hunc honorē ſibi vendicarent. Quare finito Chriſti colloquio *reſpōdit illi Ioānes*, appoſitè ad ea, quæ narrarat, ac *dicēs* quadam æmulatione accēſus, ait: *Magiſter* qui affabre cūcta loqueris, cui & credimus, cæterum quæ *vidimus* præterire non licet. Etenim *quendā* oculis noſtris proſpeximus, qui in nomine tuo armatus, & confiſus, ejiciebat à corporibus hominū Dæmonia, quē etſi apud nos detractauerimus, vt impoſtorē, & falſariū, qui aliorū munia ſibi vſurparet. Siquidē non ſequitur nos, quibus ſimile officiū credidiſti. Quamobrē deteſtātes hominis impudentiā, & timētes plebi, ne in deceptionē veniret, prohibuimus eū huiuſmodi miracula facere, & allegare nomen, quo indignus eſt ſicut, & te, poſtquē non venit. Expoſitio

Reſpondit illi Ioannes, dicens. Non quæſitus reſpondet more ſcripturæ, quæ dicta noſtra plerumq. vocat reſponſa. Quod ſint quædam dicta ad interrogata, quæ Deus iugiter ad cor facit; vt lex ſolis ad oculum dormientem, vt videat; ſonus harmonicus ad aurem, vt audiat; menſa opiſera ad guſtum, vt comedat; theſaurorum magnificentia ad manum, vt tangat, & regis vultus hilaris ad circunſtantes, vt petant, & loquantur. Et quidem omni hilaritate hilarior, cælum, & terram implet Deus, mentes omniū, & affectus penetrat, offert bona omnia, & pulſat, atque ſuadet, manū extendere, os aperire, aurē præbere, & appetitū implere: Quare qui intelligit verū reſpondet veritati, quæ ſe ei propoſuit; qui bonum apprehendit, reſpondet ei qui ſolus eſt bonus, à quo interrogabatur, & qui loquitur iuſtā, & æqua operatur, ſatisfacit quærenti, qui eſt Dñs iuſtus noſter, qui ſecus agit reſpondet Diabolo; qui circuiens quem deuoret, interrogat continuo, & ſolicitat malum operari. Diſcrimen autem inter alterutra reſponſa, ſcito eſſe, quod bonus reſpondet, dicens, hoc eſt faciens. Siquidem dicere eſt facere in oraculis: Malus autem reſpondet Dicere idem quod facere

tacens, quod malum operans nihil prorſus agat, ſed deficiat quouſq. in nihilum redactus ſit. Dicet autem neſciui, quando tempus fugiet.

Magiſter. Sic enim voluit appellari, nec alium præter eum, vt vnicum magiſterium fore in tota Eccleſia demonſtraret, quod ab eo traditum eſſet. Quare ſi Moyſi magiſteriũ, quod Deus tantis prodigijs, ſanctis, regibus, & prophetis cõfirmauit, ceſſaſſe iã affirmamus, quomodo audet Lutherus incentor malorum, nouum tradere magiſterium, vel Caluinus nouam diſciplinam & ſcholam introducere? O inſenſati Aquilonares, & quis vos faſcinauit non obedire veritati? Nunquid pro vobis crucifixus eſt Lutherus, vt ſuo ſanguine teſtamentum impium, quod vobis reliquit, confirmaret? Vos potius ò infelices confixit Diabolo, qui ſe ac reliquis magiſtris, tum maxime Magdeburgenſibus centuriatoribus vſus eſt, vt traheremini ad impietaté, cuius magiſterium ipſe habet, vos auté diſcipulatum, nec proh dolor agnoſcitis. Quia ſtultus illudit peccatum, at inter iuſtos morabitur gratia, quã fecit Chriſtus, & donat ei, qui ſe ſolũ agnoſcit magiſtrum, & veneratur magiſterium.

Vidimus quendam in nomine tuo eijcientem Dæmonia. Vel enim in principio (ait Theophyl.) prædicationis, quidã vanæ gloriæ ſtudio capti, voluerunt & ipſi ſigna facere. Videntes autem nomen Ieſu multum valere ſuper infirmos, hoc dicebãt, ſignaque faciebant, alioqui gratia diuina indigni.

Theoph.

Nihil ergo mirum (infert Gagn.) ſi nunc etiã ab exorciſtis ſacerdotibus indignãChriſtiano vitam degẽtibus in Chriſti nomine Dæmones adiurentur, & exire compellantur.

Gagn.

De hoc autem quærit Victor Antioch. quis eſſet? & ait breuiter reſpondere hic, licet multos in Chriſtum alioquin non credentes apud Iudæos extitiſſe, qui iſtius modi gratias, & prærogatiuas acceperant. Qualis erat is, de quo hoc loco ſermo eſt: Hic enim Dæmonia eijciebat, neque tamen cũ Chriſto viuebat. Talis quoque erat Iudas Iſcariothes, nam etſi ille nequam eſſet, ſoloque corpore Chriſtũ ſequeretur, miraculorũ tamen gratia ornatus erat (quod ait Victor) non credens, adde in Chriſtum: Credebant enim vim nomini ineſſe, alioqui nihil effeciſſent. Namque miraculum gratia vna eſt ex iis, quæ à fide pendent, ſiue formata, ſiue informi. Quod autem Dæmonia potius eijci, quàm virtutes alias in nomine ſuo fieri à non credentibus in eum permiſerit, ruinam totius Idolatriæ futuram indicauit. Hanc enim non ſolum gentes, quæ in eum crediderunt, verum Mahometani, & Hæretici, ac Iudæi, qui in eum non credunt, abhominantur. Tantum beneficium conceſſit Deus non credentibus, vt non æſtimarent auro, argento, ac ligno Deum poſſe efformari, neque hominem, ſeu Diabolum, vt priſci, qui ignorabant Deum, adorarent, non propter bonum, quod eiuſmodi genti inſit; ſed propter aſſiſtentiam, & continuam præſentiam Dei in carne noſtra concomitantiam Chriſti in ſacramento altaris. Nam vt præſente rege nemo audet alium ſalutare regem, ita propoſito Chriſto, cui omne genu curuatur, vt regi regum, non eſt qui Diabolum ſalutet Deum in terris. Rex iam omnis terræ Deus. Hunc vnum agnoſcit Paganus, & in eum ſolum Chriſtianus credit.

Vict. Ant.

Virtus miraculorum aliquando in reprobo.

Vict. Ant.

Idolatriæ deſtructio.

Qui non ſequitur nos. Hoc eſt argumentum efficaciſſimum, ne dùm dubitandi, ſed reprobandi, quæcunq. vel dicuntur ab Hæreticis, vel fiunt, quod non ſequantur veritatis ſectatores, non eant poſt traditiones Apoſtolorum, nihilo ducant patrum Eccleſiæ iudicium in interpretandis ſcripturis; cultum, quem veri ſacerdotes docuerũt, non amplectantur; legem, quam obſeruarunt maiores, infringant, & ſtatuta Pontificum, qui ſedent in Chriſti Cathedra illudant; ſolumque ſequantur ſpiritum ſuum, ambulent per vias tenebroſas, & auaritiam ſequatur cor eorum. De his loquitur Chriſtus ex fructibus eorum cognoſcetis eos. Nolite poſt eum ire. Quia draco iſte, quem formaſti ad illudendum ei.

Peruerſitas hæreticorũ.

Et prohibuimus eum. Putauit (inquit Gloſſ.) eum excludendum à beneficio, qui non vtitur officio. Non inuidia quidem (ſubdit Victor Antiochenus) non parua aliqua æmulatione percitus tonitrui filius hæc aiebat, verum omnes, qui Chriſti nomen inuocabant, Chriſtum itidem ſequi, vnaque cum Chriſti diſcipulis ætatem agere debere perſuaſum habebat: Nonnulli inuidia motum volunt, quod videretur Ioanni, & alijs pauperũ, ac puerorũ, de quibus Chriſtus locutus fuerat officiũ, & dignitatẽ vſurpare; cum diſſimilis eſſet moribus potuiſſe aliquando factum hominis peſſimis, denigrare famam Apoſtolorum, vt non bene reciperẽtur ab his, ad quos diuertiſſent. In hunc modum Ioannis amicum interpretari conducit, vt his quæ Chriſtus præmiſit Ioannis reſponſionem facilius colligemus.

Vict.

CAPVT XXXVIII.

Ieſus autem ait: Nolite prohibere eum: Nemo eſt enim, qui faciat virtutem in nomine meo, & poſſit cito male loqui de me.

Etenim *Ieſus*, qui omnifariam exaltari nomen ſuum volebat, & eo orbem impleri, factum Apoſtolorum non arguit, vt qui excuſabiles eſſent, ſed ait illis, vt in poſterum ſi quid occurrat, conſultius agant nec velint prohibere eum, qui ad inuocationem nominis ſublimis talia operetur. Nam

Expoſitio.

nemo

Digitized by Google

nemo eſt (inquit) eorum qui facere aggrediatur *virtutem*,ſiue ſuper energumenos,ſiue ſuper ægros *in nomine meo* inuocato,qui perſpecta clare eius efficacia *poſsit citò* dùm frequens eſt mirabili memoria,mihi detrahere, neque *malè loqui de me* ac meis, quæ operor,& annuntio. Ac multo minus quicquã in me agere poterit malè, neque aſſentiri iis,qui tota die aduersũ me conſiliãtur.

Ieſus autẽ ait. Vt ſcilicet erudiat, non tã ſuos,quàm nos,quomodo in indifferẽtibus nos ipſos habere debeamus. Tum maximè, quando potius ſpeciem boni præſeferunt, neque continent malum apertum; opus eſt enim in his diſcretione,neque temerè iudicandum,neque facilè admittendum,ac nullo modo damnandum eſt indifferentiam habens boni, & mali. Indifferentes actus lex bona permittit ſecundum Iſidorum, & qui ſapiens eſt, non loquitur quid temere, neq.cor eius eſt velox ad profundũ ſermonẽ corã Deo,neque alienũ ſeruũ facile iudicat. Eccl. 5 Iſid.

Nolite prohibere eum. Nam etſi ille,vt fax, ſeipsũ conſumaret,illuſtrabat alios,& Chriſti nomen formidoloſũ Dæmonibus reddebat,amabile autem ijs,qui eius virtutẽ experiebantur.Quare cum multo amplius inde reſultaret bonum, quàm malũ,quin malum erat priuatum,bonum autem commune,ſed & malum per accidens,ex indiſpoſitione voluntaria agentis ſequebatur;at bonum ex natura ſua,& ſimpliciter eueniebat. Prohibitio autem eius eſt,quod vel eſt malum ex genere,vt occidere innocentem; vel malũ cõmunitatẽ deſtruens,& perturbãs,vt cũ vxore alterius rẽ habere, & latrocinari.

Nemo eſt enim, qui faciat virtutem in nomine meo. An hoc nomen eſſet Ieſus, an Chriſtus(vtroq.enim appellari ſolitus erat) nou eſt certũ ex contextu;perſuademur tamen eſſe Ieſus ex Paulo qui ei virtutẽ omnem,quæ Chriſto licebat, tribuit, illudque facit ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu (inquit)omne genu flectatur cæleſtiũ,terreſtrium,& infernorũ. Si nomen Antonij Abbatis erat Dæmonibus terribile,eoſque fugaret inuocatum ab Ægyptijs, quid nomen Ieſu,propter quod virtus omnis eſt,faceret? Mementote quoniam excelſum eſt nomen eius. Ergo Chriſte tantummodo inuocetur nomen tuũ,ſuper nos,& ſalui erimus ab his, qui appropinquant nobis, vt ſagittent in obſcuro,& trucident rectos corde, neque miſerentur pupillo, ac viduæ, neque veterano, qni diu te colit,parcunt. Philip. 2. Pſal. 10.

Et poſsit cito loqui malè de me. Perpende lector ſententiam, ac vide ſtudiũ,quo Chriſtus gloriam ſuam quærit, vt qui Deus, & Princeps Regum terræ,ac Iudex vniuerſorũ, quem non ſolum inhonorant male facta,ſed verba peſſima, detractiones, ſuſurrationes & ſecretæ maledictiones. Inde cautũ regi ne detrahas, & Principi populi tui non maledices. Ecquis Rex ant Princeps, cui gloria,& imperium,& omnis militia cæli,& inferorum ſeruitutẽ debet,niſi Chriſtus?Ergo noli aduerſus eum loqui iniquitatẽ, neque ſtultum ſermonem de eo proferas ò homo, qui es in terra:In cælo eſt,& tua conſiderat, reſpicit per feneſtras, & conſiderat nouiſſima tua,vt ex ore tuo te condemnet. Malè autem loquitur de Chriſto;vel qui non ſentit benè de fide,vt hæreticus; vel qui fidem abiurat, vt apoſtata; vel in vanum nomen eius ſumit,vt blaſphemus,periurans,qui officioſè iurat,& mendacijs os ſuum aſſueſcit. Cur autem? quoniam nullus horum virtutem nominis Chriſti agnoſcit,nec quid tanto nomine,& eius fide importetur. Quibus enim eſt notum,& admirabile, nihil moleſtius, quàm ſic loquentem Rapſacem audire,è contra nihil dulcius,quàm eius laudem in ore geſtare, etiam à pueritia. Quoniam ſcriptum eſt: Ex ore infantiũ,& lactentium perfeciſti laudem propter inimicos meos, vt deſtruas inimicum, & vltorem. Itaque docemur hoc facto (inquit) Gagnæius neminem eſſe prohibendum, qui Chriſti gloriam ac fidem promoueat,quantumcunque perperam ille viuat. Quod & nos docuit Paulus ad Philipenſes 1. dicens: Quidam propter inuidiam,& contentionem,quidam autem,& propter bonã voluntatẽ Chriſtum prædicãt:Deinde ſubdit,quid enim omnino, ſiue per occaſionẽ,ſiue per veritatẽ Chriſtus annũtietur,& in hoc,gaudeo,ſed & gaudebo.Addit autem hoc quod vltimo dictũ eſt (inquit Victor) ob eos fortaſſis, qui poſtea in profanas hæreſes prolapſi ſunt. E quorũ numero erat Simon Magus,Menander,item & Cerinthus,pluresq. illius farinæ alij. At ego non crederẽ de hæreticis hic Chriſtum loqui,quemadmodũ & ipſi putant,præſertim Lutherani, Caluiniſtæ,Anabaptiſtæ,& alij, qui cõtra hæreticæ prauitatis Inquiſitores, Epiſcopos, & quoſuis alios, qui eos prohibent loqui blaſphemias, ſtatim obijciunt Chriſti ſeutẽtiam: *Nolite prohibere eum*; quum reuera nedum prohibere,ſed flagellis cedi oportere indicauit,quod domum Dei, ſpeluncam latronum contendant ſuis negociationibus, & hæreſibus fieri. Qui male loquũtur de Chriſto. Pſal. 8 Gagn. Phil. 1.

CAPVT XXXIX.

Qui enim non eſt aduerſum vos, pro vobis eſt.

Qvorſum prohiberi eiuſmodi homines non debeant ſingulari ſententia explicat. Nam *qui* inquit virtutem operatur in nomine meo, non eſt aliquid agens *aduerſum vos*, quod vel vitæ veſtræ præiudicet, aut doctrinæ,immo verò *pro vobis,eſt* quandoquidẽ nomen quod prædicatis,extollunt, & atteſtantur quodammodo virtutes, quas & vos in nomine meo perficitis. Expoſitio.

Qui enim non eſt aduerſum vos. Hinc collige tria hominum genera conſideranda diligenter eſſe ab Apoſtolicis viris, qui Euangelium pacis, ad quod aſſumuntur, tute, & laudabiliter proſequi deſiderant. Videlicet eos qui ex aduerſo opponuntur, vt Hæreticos, Apoſtatas, & Paganos: Secundo eos, qui non ſunt aduerſum, non ſunt tamen de eorum ſequacibus, vtpote curioſos in prædicanda veritate Euangelij, Symoniacos, in adminiſtrandis ſacramentis, & in exequendis pijs operibus hypocritas; & tertio eos, qui ſequentur doctrinam, prædicationem, & ſinceritatem vitæ Euangelicæ, & Chriſtianæ, quam ipſi in opere, tum in ſermone profitentur. Vt in his autem profectum faciant optimi Præſules, & integri prædicatores cauere debent ſæpe, nihil agere, neque dicere contra eos, qui non ſunt aduerſum eos, neque prohibere. Nam ſi quid contra Epiſcopum Symoniacum agis, & priuabit prædicatione, & fructu multorum; ſi confeſſores, qui pecunias extorquent à pœnitentibus priuas, forte deerunt, qui populi multitudini ſatisfaciant: Et ſi inuehis in prædicatores loquaces, & vanos, tragedias excitabũt à quibus non te facile excitabis. Quare cum his cautius quàm cum omni alio tibi agendum eſt, ſi optas fructus vberes in Eccleſia facere. Primum hominum genus aperto marte expugna: Tertium autẽ vt filios tracta.

Quomodo tractare debet prædicator cum diuerſis.

Pro vobis eſt. Non ait pro me, ſed *pro vobis*. Quod etſi prædicatores, & Præſules dicantur animas Chriſto lucrari, meritum, & coronam ipſi reportant, iuxta illud: Bonum certamen certaui, curſum conſumaui, in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex, non ſolum autem mihi, ſed his, qui diligunt aduentum eius.

2. *Tim*. 4

CAPVT XXXX.

Quiſquis enim potum dederis vobis calicem aquæ in nomine meo, quia Chriſti eſtis: Amen dico vobis non perdet mercedem ſuam.

Expoſitio

QVid nomine paruuli, quem ſuperius in medio ſtatuerat, velit intelligi, mox declarat, videlicet, Apoſtolicum virũ, quem tanti facit, vt minimo benefactori, non qualem qualem mercedem promittat, ſed eam quam animus cuiuſpiam appetit, & putat ſuam. *Quiſquis* (inquit) permotus pietate bene ſe vobiſcum habuerit, *potumq*. obtulerit ſitientibus, ac minimum *aquæ frigidæ calicem dederit* ab itinere fatigatis, idque non permotus ſolum naturali impulſu aut reſpectu humano; ſed *in nomine meo* quod audiuit, & in veſtris operibus contemplatus acceſſus, & cõmotus, vobis ne dum magna, immò minima miniſtrauerit: *Amen* ac certiſſime *dico*, & prædico *vobis non perdet* laborem, quem in haurienda aqua & exportanda longius non ſumpſit: Nam *mercedem ſuam*, quam ſuus amicus ambit, nec adhuc in cor eius aſcendet, nullius potentia, & malitia perdet, quamdiù voluerit ipſe, & ſtuduerit ſibi conſeruari, datus pietati, quæ eſt ad omnia, vt excellentior via.

Quiſquis potum dederit vobis. Ergo ſitibundos fore Apoſtolos Chriſtus inſinuat, quidem ſitienti potum offerri lex præcipit, & aqua frigida animæ ſitienti. Et quidem ſitiſſe Apoſtolos, qui vt nubes volabant petituri ab Oceano aquarum gurgites, & vt leones pre ſiti, & fame rugitibus orbem impleuere nemo dubitat. Sitiebant enim ad Deum fontem viuum, vt ſuperiori irriguo, & aquis gratiarum, quæ ſuper cælos ſunt, alluti, & pleni, pluuiam ſalutarem diffunderent ſuper æſtuantem orbem. Ad cuius indigenas aquilis velociores volitabant, ſi quo modo animas ad ſe traherent, vt Dracones ventum præ ſiti ſalutis vniuerſorum. Hac duplici ſiti ſitit sẽper qui Apoſtolicus eſt, ad Deum enim, vt habeat irriguum ſuperius, & ad proximum, vt irriguo inferiori donatus, integram hæreditatem, ſeu cumulatiſſimam mercedem habeat apud eum, qui miſit illum; poſuit Epiſcopum regere Eccleſiam Dei; elegit Præſidem de medio cleri, vt ducat foras ad paſcua, & reducat ad caulas, & fecit Principem populi ſui, vt populum ſuum cuſtodiat, agitatus ſemper hac duplici ſiti. Quam nomine vigiliæ, & orationis Princeps paſtorum expreſſit. Oratio enim quæ plus cæteris in optimo Præſule deſideratur, ſitim cæleſtium generat, vigilia vero æſtuare in proximum, & proximo facit. Cæterum quia perditio proximi, & vigilia ad orationem excitat, Chriſtus à vigilia iuſſit ordiri. Vigilate (inquit) & orate. Orantem Deus ſatiat; vigilantem vero quiſquis potum ei dederit, quiſquis bonam voluntatem ei oſtenderit, quiſquis ad eius prædicationem, & regimen, reſpuerit maritum, quem habet adulterum, & non tàm ſe, quàm totam familiam vt Raab, quin populum ſuum, vt Samaritana pertraxerit ad verum. Ergo Apoſtolici muneris vir, eſto amabo, ſicut viator ſitiens, qui ad fontem os aperiet, & ab omni aqua proxima bibet, & contra omnem palum ſedebit, & contra omnem ſagittam aperiet pharetram, donec & tu deficias, & occumbas, ad fontem perennem os aperi, & cor tuum trade ad vigilandum diluculo, & omnem hominem, qui tibi occurrerit boni cupidum complectere, vt aquam ſitiens, etſi duriorem, vt palum offendas, ſede cum eo, & prædica ei verbum, inſta opportune, importune. Quod

Sitis Apoſtolorum.

Oratio & vigilia in præſule ſunt neceſſaria.

Mar. 14

Eccl. 10.

Viri Apoſtolici munus.

ſi vt

ſi vt ſagitta in te hæreticus, ſeu maleuolus inſurgat, aperi pharetram oraculorum, & conclude aduerſus eum, ne præualeat homo apoſtata, nec quiſquam tollat de manu tua, animam proximi, quam Deus dedit in manu tua, & per os tuum præordinauit ſaluari.

Calicem aquæ. Non *calicem* vini. Nam ſobrios vult prædicatores, non vinolentos; hos enim neque ad tabernaculum manufactum vult accedere, neque incenſum materiale miniſtrare in altari Thymiamatis, nec ſãguine cornua altaris intingere; quomodo ergo admittet eos, qui ebrietatem amant, æternũ tabernaculũ, & diuinum contractare, aut in templi parte interiori, quæ eſt animus hominis aliquid agere? Non ſunt ebrij dixit Petrus de ijs, quos ad eiuſmodi miniſteria elegerat Spiritus ſanctus, & repleuerat. Nam operarius ebrioſus non locupletabitur. At quem miſit paterfamilias ad vineam niſi operarium? Ergo ſi vis operator eſſe, & locupletari, fructumque facere, qui maneat, abſtine à vino, aut vtere modico propter neceſſitatem ſtomachi. Etenim vinum, & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes, & arguent ſenſatos. Sit igitur Epiſcopus, & omnis clerus (ſtatuunt Apoſtoli apud Clementem lib. Conſt. Apoſt. c. 2.) Sobrius, pudicus, modeſtus, conſtans, ſedatus, non violentus, non percuſſor, ſed æquus. A ſobrietate incipiunt, quod ebrietas oppoſita, ſit nutrix omnium vitiorum, vt inquit Ambroſ. lib. de Elia, & ieiunio cap. 4. & 5. & Proſper de vita contempl. lib. 2. cap. 22. luxuriam facit, & nutrit vini perceptio nimia, atque alia, quæ prætereo, propterque deponitur. Item omnis clericus in canone peculiari ab Apoſtolis, necnon laicus à cõmunione, qui ebrietati deſeruit. *Calicem* igitur *aquæ*, & offerri, & peti à ſuis vult Chriſtum in ſignum ſobrietatis ſeruandæ. Vnde in pleriſque Religionibus docentur nouitij aquam ſolam petere, & maiores, qui forma deberent eſſe virtutis, non calicem vini; ſed amphoras vitreas vini multi iubent ante ſe apponi, vt flauo colore capiantur etiam qui à longe ſedent, illi verò guſtu cadant antequam ſurgant, aut certè loquacitate denigrent ſtatum, quem repreſentat.

Act. 2. *Eccl. 19.* *Clem.* *Ambroſ.* *Proſper.*

In nomine meo. Minimum omnium, quod poteſt offerri, *calicem aquæ* ego cenſeo, quum flumina, fontes, putei, lacus, torrentes, & pluuiæ ſæpius occurrant, non eſt enim elementũ communius aqua? Hanc ergo peti in nomine Chriſti, & dari, perſuadet mihi cuncta quantumuis minutiſſima debere fieri *in nomine* Chriſti, & habere repromiſſionem certiſſimam. Id quod Apoſtolus omnia ad gloriam Dei iubens facere, & cum actione gratiarum vniuerſis, quando expedit vti ſatis claro indicat fore vtiliſſimum, ac præmij incomparabilia. Nam epiſtolam prolixitas ſermonis, aut breuitas non dignificat, ſed inſcriptio Regia, & ſigillum. Sed quæ inſcriptio, aut ſigillum noſtrorum operum, cogitationum, & appetituum, niſi nomen Domini, niſi intentio propter Deum, placendique Chriſto? non enim domos Hebræorum defendit magnificentia, aut ſatellitiſa manus, ſed ſanguis agni diſperſus in poſtibus, neque gigantea ſtatura, aut nobilitas ciuis ſeruauit, ſed Thau. Neq; opus noſtrum ſeruat integrum, quantitas, neq; dignificat qualitas, ſed Chriſti nomen, & ſanguis, propter quem omnia operamur quando oportet, & cum oportet. Hæc ſemper addito propter hæreticos, qui intentione abutuntur, quum reuera nulla ſit apud eos intentio, quæ laudem mereatur, vt arbor deſtituta viriditate, conſequenterque depopulata folijs ædificationis apud proximũ, & fructibus veritatis apud Deum. Non enim circumſtantias habet, quæ intentio, de qua ſupra, exquirit, & nos in optimo operante ſiue puſilla, ſiue magna deſideramus; vt valeat iugiter exclamare: Deus in nomine tuo ſaluum me fac, & in virtute tua libera me.

Cuncta in nomine Chriſti facienda. *Exod. 12.* *Ezech. 9.* *Virtus nominis Ieſu.* *Pſal. 53.*

Quia Chriſti eſtis. Quid ergo? quia Chriſti non eſt Maomethanus; quinimo aduerſus Chriſtum eſt hæreticus, perdet mercedem, qui Chriſti eſt; qui illi calicem aquæ frigidæ dant, aut aliam confert eleemoſynam? Abſit; ſcriptum eſt enim diligite inimicos veſtros, orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos, & benè facite his, qui oderũt vos; at eleemoſyna opus eſt charitatis; & à beneficentia oritur, tùm maximè ſpiritualis vtpotè oratio, quæ corporali omni præfertur. Ergo etſi inimicus Saracenus ſitierit, potum da illi; ſi hæreticum vides nudum, carnem tuam ne deſpexeris, etſi apoſtata tibi occurrerit ei offer omnem eleemoſynam eo animo ſi fortè fratrem tuum lucraberis. Eſt quidem omnis homo ob naturæ ſimilitudinem frater, & proximus, cui opem ferre debemus propter conditorem à quo eſt, & propter charitatem, quæ Chriſtianum plus cæteris impellit ad beneficentiam. Poteſt & dici infidelis Chriſti non actu, ſed potentia remota; quoniam Pater omnia ſubiecit Chriſto, & dedit omnem gentem in hæreditatem ſuam. Itaque eleemoſyna facta exteris à fide, meritum conſiliat Chriſtiano propter Deum, impulſuque charitatis largienti, & quia infidelis ſit potentia Chriſti, quem nemo ſcit an in bonam oliuam Deus aliquando inſerat. Verum quia fidelis ob fidem, & bonus propter dilectionem eſt magis Chriſti, ab his potiſſimum debet eleemoſyna initium ducere. Nam modus, qui pertinet (inquit S. Thom. 2. 2. q. 44. art. 8.) ad rationem virtuoſi actus, cadit ſub præcepto, quod datur de

Luc. 6. *Eleemoſyna etiam infidelibus facienda.* *S. Thom.*

actu virtutis, ordo autem charitatis pertinet ad orationem virtutis, eum accipiatur ſecundum proportionem dilectionis ad diligibile.

Amen dico vobis. Apponit notam iuramenti ſolitam, vt facilius perſuadeantur auditores, & credant magnificentiam eleemoſynæ excellere omnem liberalitatem, quam vnquam aliquis ſiue Rex fuerit, ſiue ditiſſimus quiſpiam in amicum potuerit vti: Siquidem hæc reſiſtit peccatis, vt nauis onuſta fructibus, redimit ab eiſdem, vt aquilo à nube obſcura, & caliginoſa; à morte liberat, vt frumentum à podagra ſecundum Plinium; omnia mundat, vt ignis aurum; argentum, & omne metallum. Quid? Angelum innitat, ad hoſpitium, & lautiſsima menſa colonum. Deo acceptum reddit Cornelium, vt munus gratiſsimum ambientem. Denique ad cælum tranſmittit Abrham hoſpitalem, & Loth, ſicut thuribulum boni odoris incenſum, & ſuffitum diffundit ad ſuprema aëris loca. Ergo eleemoſynam facere, ne deſpicias, eam conclude in ſinu pauperis. Nam tantis ornamentis locupletem enarrauit omnis Eccleſia Sanctorum, qui in terris, & qui in cælis ſunt. Eſt enim (auctore Simone Metaphraſte in vita Ioan. Chiſ.) omnium virtutum maximè regia. Ideò dicebat Ioan. Eleemoſyn. Archiepiſcopus Alex. apud Leontium Epiſcopum Neapol. in vita illius, quod ſi quis ab his delicatis, & diuitibus maximè ijs, qui ſunt immiſericordes, poſſet arte aliqua, & ratione ad ipſas vſque auferre tunicas, vt benefaceret indigentibus, ab eo, quod decet, minimè aberraret. Arte, inquit, non violentia, ratione non fraude, hoc enim haud licet, niſi extremo patienti curaret opem ferre.

Eleemoſynæ fructus.

Plinius.

Metaphr.

Ioan. Eleemoſyn.

Non perdet mercedem ſuam. Eam autem non expreſsit, vt alibi, qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet, & recipit iuſtum in nomine iuſti, mercedem iuſti accipiet. Huius autem merces eſt hæreditas Domini filij merces. Verũ quia præter ſpiritualia eleemoſynarijs nonnunquam augentur temporalia, vt in vita ſancti Bertulphi ſcribitur; opes dum erogantur, augmentantur, ac ſi granum vnde colligitur centuplum ſeminaſſes; ideò Chriſtus mox non exponit mercedis qualitatem, ſed ait *ſuam*, ac ſi diceret eam mercedem, quam dantis animus appetet ab eo, propter quem largus eſt, accipiet. Si ad ſpiritualem reſpexerit ſecurus fiet eius poſſeſſor; etſi voluerit abundare, vt habeat vnde neceſsitatẽ egenti tribuat, augentur quoque incrementa frugum iuſtitiæ eius; haud ſecus quam Thob. & aliorum, quorum pietatem in pauperes Scriptura celebrat. Hinc auctore Metaphraſte: Sanctus Ephrem Syrus, cum linguæ ſapientia, & intelligentia multis diuitum, & manum, & viſcera, & hortea aperuiſſet, copioſè per ea ſuppeditabat egentibus, vt mercedem cumulatam reportarent, quam cum in ſomnis aliquando vidiſſet Telonarius olim auariſsimus poſt liberaliſsimus in pauperes vſque ad pretium ſui corporis, quod diſtributis omnibus iuſſerat propter egenos venundari, dicere ſolitus erat, vt retulit Ioannes Eleemoſynarius; Papè, quanta eſt virtus eleemoſynæ? Si enim vnus panis, iſque per iram pauperi proiectus; tantum potuit, à quã multis malis ſe poterit liberare, qui hilariter bonis ſuis impertitur pauperes? Fuerat enim homini prima eleemoſyna panis, quem in pauperem importunum proijcerat, per quem & vidit nocte ſe ab agminibus dæmonum tueri, & adiungi candidatis. Ergo da diues, vt locuples fias, tuque prædicator præcipe diuitibus, vt hilariter manum extendant ad pauperem, quia hilarem datorem diligit Deus.

Matt. 4.

Merces eleemoſynæ.

Mirabilis conuerſio.

Cor. 9.

CAPVT XLI.

Et quiſquis ſcandalizauerit vnum ex his puſillis credentibus in me: bonum eſt ei magis ſi circundaretur mola aſinaria collo eius, & in mare mitteretur.

A Mercede quam paruulis dat Deus ſubuenientibus, dignitatem illorum aperuit, mox à pœna, quæ eos conſequitur, qui ſcandalizant puſillos, vt & amore præmij, vel timore pœnæ compellantur omnes pauperes revereri, ſaltem non offendere. Et q*uiſquis*, inquit, inter multos tàm inſolens inuentus fuerit, qui non obiter, ſed ex propoſito *ſcandalizauerit*, ſiue verbo inordinato, ſiue opere indecente *vnum*, aut alterum *ex his puſillis*, ac iuſtis hominibus, qui in me credunt, aut quoquo modo offenderit, ac malè affecerit, cum oporteat eos revereri, & honorari, tanti fit reus ſupplicij, vt, *bonum eſt ei*, ac multo melius *ſi* omni cum dolore, & ignominia *circundaretur mola aſinaria*, quam aſini ſolent in pistrini circunducere, *collo eius*, tametſi delicato, & teneri, & ita *mitteretur in mare* ſpectante omni populo. Namque hoc eſſet temporale ſupplicium ſumere, quod nihil in animum agit, nec durat poſt mortem; quod verò ſcandalizatorem expectat, æternum eſt, & ſpirituale.

Expoſitio.

Et quiſquis ſcandalizauerit σκάνδαλον eſt græca vox, quam nos propriè impactionem, ſeu offendiculum appellamus. Quod propriè hiſce paruulis, de quibus Chriſtus eſt, cum ab Euangelij prædicatione impediuntur; vel minis, terroribus, ac falſis perſuaſionibus ab incepto virtutis ſtudio, & profeſsione deterrentur, neque permittuntur

Quid ſcandalum?

Quinā ſcandali ſunt. tur ſacra agere. Præbet autem huiuſmodi ſcandalum *quiſquis*; hoc eſt fidelis, & infidelis, Iudæus, & Græcus, Latinus, ac Barbarus, qui vi, & armis vſque ad ſanguinem præcipienres præcipiunt, non loqui in nomine Domini, nec Chriſtum confiteri, nec colere eos vnicum Deum volunt. Vel pietate falſa non conſentiunt eos adamuſſim complere, quæ profeſſi ſunt in baptiſmo, ac voto peculiari ſe obſtrinxerunt, ea obſeruare. Etiam ſcandalizat eos, qui docem ſe gregis offerens, non paſtor eſt, ſed idolum. Quod os habet, & non loquitur vtilia; aurem, & non attendit ad pauperem; oculos, & non videt bonum; nares, & non odorat Malus paſtor cæleſtia; pedes, & non ambulat per viam rectam; manus, & non palpat animarum ſalutem, ſed ventrem ſuum, mundum, & quæ in ipſo ſunt tota die contractat. Hic ſcandalizat aliquo pacto plus cæteris, & maiora offendicula parat puſillis, quàm Nero ſæuiens, Traianus impatiens, aut Arrius, vel Lutherus pſeudopropheta. Nam hos faciliè, qui ſunt Dei agnoſcunt lamia crudeliores, & fugiunt; diſcolum autem Præſidem perſæpè iuſti neque unt diffugere; quin vel in toto, vel in parte, vel verbo, vel facto eorum malis operibus puluinar ſupponant. Clemens. Vnde Clemens (lib. 8. Conſt. Apoſt. cap. 2.) ſicut ij, qui præſtigias ludorum, ridendi cauſa oſtentant, eos etiam, qui ipſos attendunt, perdunt, omnium ergo (concludit lib. 2. cap. 18.) Epiſcopus curam habeat, & eorum, qui non peccarunt, vt non peccent, & eorum, qui in peccatis ſunt, vt peccaſſe pœniteat; ait enim Dominus: Videte ne contemnatis vnum ex puſillis iſtis.

Puſillorum duo genera. *Vnus ex puſillis credentibus in me.* Verbum *credentes in me*, diſtinguit puſillos à puſillis. Quorum alij ſunt credentes alij, non credentes. Hos dixerim eos, qui foris 1. Cor. 4. ſunt, à quibus vult Paulus nos quoque bonum habere teſtimonium, ſic rationi, & legi conſona operando, vt nihil de nobis conquerantur, quandoquidem facti ſumus ſpectaculum Angelis, & hominibus, vt in die reuelationis excuſationem non habeant de peccato ſuo, quum & lucernam pedibus, & oculis ducem, & præceptorem ſequi deſierint; ac talem, quem os eorum probauerit, & laudauerit, vt Seneca, Paulum; Tiberius Grauius eſt Chriſtianum ſcandalizare quam gentilem. Chriſtianos omnes, necnon Iunior Plinius in epiſtola ad Traianum, Ioſephus, ac Philo, qui peculiari tractatu eos commendauit. Hos itaque ſcandalizare, quibus bonum exemplum debemus, nefas eſt; non tamen ſic arduum, & damnorum, vt illos, qui in Chriſtum credunt. Nam, vt ab agnita veritate & ſuſcepta retrocedere grauius eſt, quàm non agnitam contemnere; ita ſcandalo aliquem ad vomitum ducere, nequius multo eſt, quàm infidelem in peruicacia antiqua retinere. Vtrumque malum, ſed primum eſt impijſſimum facinus. Et præſertim (inquit Baſil. Mag. in quæſtio. compendio Baſilius. explicatis q. 64. in fine reſponſionis, vbi is, qui ſcandalum præbet, ſcientiam ampliorem habere videatur, aut in gradu ſacerdotali conſtitutus fuerit, qui velut regula, & forma alijs propoſitus eſſe debens, ſi vel paruum quiddam ex his, quæ ſcripta ſunt neglexerit, aut id, quod prohibitum eſt, fecerit, aut quod præceptum eſt reliquerit, aut omninò ob tale quid continuerit etiam in hoc ſolo tantum iudicium habet, vt ſanguis eius, qui peccauit, inquit, ex manibus ipſius requiretur.

Bonum eſt ei magis. Senſus eſt (inquit Zacharias Chryſopolitanus lib. 3. cap. 94.) Zach. Chryſopol. multo melius eſt, pro culpa breuem pœnam accipere, quàm æternis ſeruari cruciatibus. Non enim iudicabit Deus bis in idipſum, vel ita expedit, id eſt, multo vtilius eſt innoxium pœna atrociſſima temporali tantum finire vitam corpoream, quàm lædendo fratrem, mortem animæ promereri perpetuam. Si tamen de veritate ſcandalum ponitur vtilius permittitur ſcandalum Scandalum acceptū non datum. naſci, quàm veritas relinquatur (At ſimile ſcandalum dicimus acceptum, minimè autem datum, quia non verè, nec propriè ſcandalū, inquit Origen. homil. 35. in num. Baſilius. & Baſilius vbi ſupra, &c. niſi ob ignoran- Origen. tiam alterius, vel malitiam, quibus perſiti Iudæi ſcandalizabantur nonnunquam de his, quæ audiebant, & videbant in Chriſto, quinimo hoc ſcandalum in Apoſtolis Matt. 18. præualuit, iuxtà oraculum, omnes vos ſcandalum patiemini in me nocte iſta. Quapropter dicere erat ſolitus: Beatus, qui non Luc. 7. fuerit ſcandalizatus in me. Nam qui ſic in Chriſtum ſcandalizatur, vel in alium iuſtum hominem, vel apertè malus, & ignorans, vt Hieron. Iudæus, vel vt inquit Hieronymus, eſt re, & nomine puſillus, ac parui animi, & iudicij, qui neſcit diſcernere. Itaque bonum vocat Chriſtus pœnam ſubire voluntariam, & eligere cruciatus potius, quàm in læthale crimen, quod non tàm in proximum committitur, quàm in Deum, in cuius manus durū, eſt incidere. Verum ſi bonum eſt pœnitere, & pati, ne peccemus, poſt peccatum nouos ſubire cruciatus laude dignum erit. Ergo Nouatianus, & qui eum ab in- Hæreſ. Nouati. feris viſus eſt reuocare Lutherus, exterminentur. Ait enim ille poſt lapſum nihil prodeſſe pœnitentiam, neque purgari delictum vllis ſpontaneis ſupplicijs; is verò audacter dicit, malum eſt pœnitere prorſus traditio phariſaica, potius quàm Apoſtolica doctrina caſtigare corpus, & ſupplicijs afficere. At in ſynagoga peccantium exardebit ignis, & in gente incredibili exardeſcet Eccl 16. ira; quæ ardebit vſque ad inferni nouiſſima.

Si circundaretur mola aſinaria collo eius.

Secun-

Digitized by Google

Gagnæius.

Secundum ritum Prouinciæ loquitur (notat Gagnæius) de *mola aſinaria*, quo maiorum criminum iſta apud veteres Iudæos pœna fuit, vt in profundum ligato ſaxo ad collum rei demergerentur. Neque verò ſupplicium illud (proſequitur Victor Antiochenus) ex ſe, vel ex ipſa rei natura definit, ſed ex rebus terribilibus, quæ apud nos in vſu poſitæ ſunt; quo hac nimirum ratione illius magnitudinem efficacius exprimat, clariuſque ob oculos ponat. Cum enim Dominus acrius quempiam perſtringere, vel altius aliquid pectoribus vult imprimere, exempla plerumque ab ijs petita, quæ ſub ſenſum cadunt, in medium adducit. Per *molam* autem *aſinariam* (ait Zacharias ibidem) ſæcularis vitæ circuitus, ac labor exprimitur, & per profundum maris, extrema damnatio ſignatur. Qui ergo ad ſanctitatis ſpeciem deductus, verbo, ſiue exemplo, cæteros deſtruit, melius eſſet ei, vt terrena acta conſtringerent eum ſub exteriori habitu ad mortem, quia ſi ſolus caderet, tollerabilius in inferno cruciaretur. Aliter molæ opus eſt labor cæcitatis. Nam clauſis iumentorum oculis aguntur in gyrũ. Sub aſini quidem nomine gentilis populus frequenter in Scripturis nuncupatur. Hic alligatus ad *molam*, hoc eſt ad lapideos Deos, circa quos cæcis oculis erroris ſui gyro pertrahitur, & ſic cum ſua ſacrilega mola demergitur fluctibus iudicandi ſæculi. Senſus ergo eſt, melius eſſet Chriſtiano, per cuius ſcandalum fratres ſui, vel ſubditi ſibi pereunt, ſi Paganus eſſet, quia tantam pœnam patiuntur in inferno, quantam Chriſtiani falſi. Iſta ſunt ex Hilario can. 8. in Matt. Ambroſ. 8. Auguſt. 1. q. in Euang. 24. Gregor. lib. 6. moral. cap. 26.

Victor Antiochen.

Zachar.

Per Aſinum myſticè populus gentilis deſignatur.

Hilarius. *Ambroſ.* *Auguſt.* Gregor.

Et in mare mitteretur. Ergone licet quenquam ſeipſum interimere, & præcipitare, quàm potius ſcandalum dare? Vtique ea morte, quam ſuis Chriſtus conſuluit. Nã qui ſic odit animam ſuam in vitam æternam cuſtodit eam. Quare per *mare*, & eius profundum intelligito pœnitentiæ Euangelicæ apicem, cuius typum Ionas in maris gurgites demiſſus geſſit, & Paulus, qui tribus diebus, & noctibus in profundo maris fuit; quin & veritatem in mortificatione corporis ſui oſtendit, ne alijs prædicans ipſe reprobus efficeretur. Eò autem ſe præcipitat omnis, qui cæteris non vult ſcandalum præbere. *Mola*, quam is collo circundat eſt, vel diuinum iudicium, quo Hieronymus ad pœnitentiæ arctitudinem trahebatur; vel eſt Scriptura ſacra, quæ ſapientiam præſtat, vt ritè cuncta fiant; vel eſt ipſe Chriſtus, cuius exemplum adamantina frangit corda; hunc collo circumligamur, quum iugiter memoria retinemus, & conamur funibus amoris, frequenti oratione, & iaculis ſuſpiriorum, cum continuò nobis appropinquari. Id autem non dicitur bonum, hoc eſt multo melius, ſed ſimpliciter, mihi adhærere Deo bonum eſt, & neceſſarium ei, qui vitam ſtatuit perfectam ducere, nullum ſcandalizare, ſed omnes ædificare. His conſonat Melchiades Papa, ad omnes Hiſpaniæ Epiſcopos, dum ſcandali occaſiones abſcindi his ſuadet: Vnde vos rogamus, & obſecramus, vt nullus alteri noceat, neque infectus, aut nocens exiſtat, ſed iuxtà Apoſtolum, alter alterius onera portet, vt legem Chriſti adimpleat. Et nolite iudicare inuicem, ſed iuxtà eundem Apoſtolum hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel ſcandalum. Hoc tamen ſtudiũ præſtat ſincerè Chriſtum imitari, penetrare Scripturam, & iudicij, ac nouiſſimorum, quę tùm accident recordari. Nam legimus: In omnibus operibus tuis memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.

Pœnitentiæ typus.

Melchiades

Eccl. 7.

CAPVT XLII.

Et ſi ſcandalizauerit te manus tua, abſcinde illam: bonum eſt tibi debilem introire in vitam, quàm duas manus habentem ire in gehennam in ignem inextinguibilem.

Expoſitio.

NOn ſolum toti, ſed & partibus, quibus nonnunquam dari ſcandalũ contingit, pœnam infligendam ſuadet potius, quam ſcandalum præbere. *Etſi*, inquit, acciderit ſcandalum à manu tua in aliquem puſillorum proficiſci, vel quidem ſcandalizauerit teipſum manus tua, & amicus, ac opus, quod agis, offendiculum damnationis tibi præparat, trahitque ad peccatum; ceſſa ab eo, & *abſcinde* manum, ſi aliter nequis periculum præuenire. Etenim *bonum eſt*, multoque tibi vtilius, ac omninò præſtantius *debilem*, & demembratum introire lætum in vitam æternam, quam integro corpore *duas manus habentem* ſuis affixas locis, ire mœſtum, & funeſtum *in ignem* inferni *inextinguibilem*, qui te perpetuò cruciet.

Etſi ſcandalizauerit te manus tua. Hactenus animaduertit in eos, qui puſillis, & fidelibus ſunt offendiculum peccandi, mox aduertit puſillos diffugere eum, qui rationem ſcandali præbet, & à ſe præſcindere omnem occaſionem, & conſuetudinẽ, quantumuis rebus humanibus neceſſariam, quæ vel à ſimplicitate Chriſtiana abducunt, vt amicos, ſocios menſæ, vel profeſsionis obſeruantiam impediunt, vt negotiationes ſæculares; vel profectum ſpiritualem tollunt, vt curas ſuperfluas, & ſtudia curioſa; ij autem monentur (inquit Arias Montanus) vt propter nullius, vel chariſsimæ rei detrimentum,

Arias Mõtanus.

mentum, vel iacturam, inſtitutum rectè, ac ſimpliciter viuendi deſerat iter; immò ipſi vltro ijs rebus renuncient, quas alias vtiles, vel iucundas duxerint, & tamen intellexerint ſibi impedimento fore ad vitam obtinendam. Per *manus*, quæ extrinſecæ operationis eſt inſtrumentum Scriptura amicos intelligit; & *Orig.* Origenes hom. 7. ſuper Ioſue, & ſuper Matt. hom. 5. per manum dexteram, quæ præbet ſcandalum, Presbyteros, & Doctores, qui moribus corrumpunt cæteros, & eloquio peruertunt; per manum *Hieron.* *Auguſt.* ſiniſtram Hieron. in 18 Matth. necnon Aug. 1. ſerm. Dom. in monte, interpretantur amicos, qui ſæcularibus actionibus nos miserè illaqueant: *Manus* quoque propriæ operationes ſunt, quas caro excitat, de quibus Paulus diffuſè. A quibus, vt ab amicis eccleſiaſticis, & ſæcularibus tunc ſcandalizamur, quando hiſce ductoribus in aliquo Deum offendimus, proximum, & noſipſos deſtruimus.

Abſcinde illam. Hoc eſt viam facito tibiipſi, vt non eas cum eis, quando aduocaris, vt vnum marſupium ſit tibi, & illis commune; ſeparare à domeſticis, quando inſidiari animæ tuæ noueris eam, quæ dormit in ſinu tuo; denique pellem pro pelle, & cun- *Iob 2.* cta, quæ habes dilecta, ſiue filius fuerit, ſiue vxor, & parens, qui te genuit, da pro anima tua, neque patiaris in nullo pulchritudinem tui animi violari; ab omnibus te abſtine, cunctis renuntia, immo vero odio habe patrem, matrem, filium, vxorem, fratrem, agrum, domum, & omnem huius mundi ſubſtantiam, quando ijs minorari diuitias ſpiritus intellexeris, & deperdi. Tempus enim putationis aduenit. Si tamen cantare arbitraris: Vineæ florentes dederunt odorem ſuum.

Bonum eſt tibi debilem intrare in vitam. Et hoc non minorem requirit intelligentiam, quandoquidem ad vitam cæleſtem debilis non intrat, ſed athleta fortis. Quia Regnum cælorum vim patitur; & violenti *Matt. 11.* rapiunt illud: Verum quoniam fortis ani- *Pſal. 18.* mo, & gigas ad curreudam viam Domini, eſt debilis diuitijs, quum paupertatem diligat; debilis amicis huius mundi, qui iuſtum deteſtantur; debilis potentia ſæculari, quũ ſubijci is potius gaudeat, quàm præeſſe, ac denique debilis in omnibus, quæ potentes à ſæculo magnificant, & ſublimant. Hinc Chriſtus debilem dicit intrare in vitam æternam; id quod bonum eſt, non melius, quàm illud; nam primum, videlicet manum retinere ſcandalizantem, nequam eſt; & ſimpliciter malum, hoc autem abſolutè & ſimpliciter bonum, ac neceſſarium. Nam vt camelus retenta naturali craſſitie per foramen acus non intrat; ita nec incraſſatus diuitijs, nec impinguatus epulis, nec dilatatus honoribus, nec inflatus ſcientia, nec turgidus nobilitate, aut affluens alijs qui- *Gen. 17.* buſuis inhoneſtis, admittetur ad Regnum; *Gen 21.* quouſque circumcidatur ab omnibus, & per *Gen. 24.* omnipotentem Deum gracilis fiat, & qui *Exod. 4.* in Ægypto ortus, ac matre Ægyptia lactatus eſt manum non illius Patriarchæ terreni, ſed cæleſtis Chriſti ſuper ſe ſuſcipiat, atque meritum; tunc factus debilis, vt alter *Leu. 12.* Zacheus, qui ſe diuitijs ſpoliauit, & vt Paulus, qui non acquieuit carni, & ſanguini, vt Magdalena, quæ ſeipſam deiecit, & vt Dauid, qui viliorem ſe coram Domino declarauit vitam æternam accipiet veſtitus duplicibus, & potioribus, quã promittit mundus ijs, qui debilitatem noſtram deteſtantur, dilatationes verò terrenas complectuntur. Nam earum amatori dicitur: Veniet *Prou. 16.* tibi quaſi Viator egeſtas, & pauperies, quaſi vir armatus. Noſtro autem gracili, ac debili. Quid? veniet vt fons meſſis tua, & egeſtas longè fugiet à te.

Quam duas manus habentem mitti in gehennam. Quid gehenna, & vnde, alias dictum eſt, mox quis duabus præditus manibus in gehennam mittatur contemplemur. Hunc ego dicerem, qui habens ſacerdotiũ, Pontificatum, aut aliud in clericatu munus ſpirituale; ſimul temporalem auctoritatem, & exercet, & qui electus eſt theſaurarius bonorum cæli, & animarum; quærit autem apud Reges, & Principes ſæculi fieri mũdialium adminiſtrator, cumque vocatus ſit ad ſortem Domini incumbit negotijs ſæcularibus amicorum, & parentum. Ad quos olim Chriſtus. Nemo poteſt duobus domi- *Mat. 6.* nis ſeruire; aliud eſt enim aurificem eſſe, & aliud cloacas mundare; hoc eſt manus ſiniſtræ officium, & munus eorum, qui terrenis vacant; noſtrum autem, qui vocati ſumus cum Moyſe, & Apoſtolo ad montem, eſt manum agere dexteram, & aurũ ex ophir quærere, atq; agere, vt locupletes ſimus meritò, & fructum in animabus noſtris feramus, qui maneat. Vti vtraq; manu pro dextera, & ambidextrum eſſe monſtrum dicimus cum Philoſopho. At monſtro gehenna, quæ monſtrorum eſt, iure debetur.

In ignem inextinguibilem. Ad differentiam huius, qui à nobis paſſim accenditur, dictus eſt *ignis inextinguibilis*, quo damnati perpetuo in inferno cruciabũntur, corpore ſimul, & anima poſt iudicium. Hinc Gregor. Nazianzen. de ſubſtantijs mente præditis Carm. 6.

Poſtea, quin etiã pœnas dabit ille perennes
Tum cum materies tandem accendeur, eritque
Flamma vltrix ſcelerum, grauiter cruciatus eorum
Ante oculos habuit, quos ad ſua iuſſa miniſtros
Namque ea pœna decet culpa, ſceleriſq. parentem:

CAPVT XLIII.

Vbi vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur.

Expoſitio. Eſt exaggeratio ſupplicij, quod decretum eſt iis, qui vltro volunt ſcandaliſari, & penes ſe offendicula lapſus retinere. Vbi, inquit, in inferni gehennam fuerint demerſi, *vermis* vnius, *eorum* animis hærens, & carnibus affixus, *non morietur*, ſed crudeliter perpetuò rodet eos, qui ſibi crudeles extitere, ſed & ignis, qui ad viſcera vſq; deuorat, *non extinguetur* tempore, neque deficiente materia, erit enim ardens continuò, & flammigerans.

Vbi vermis eorum non moritur. Huius pœnæ fit pluries mentio in Scripturis; ſolet autem à nonnullis interpretari pro conſcientia, quæ inſtar vermis interiora malefactoris rodit, nec finit eum dormire, nec pacificum eſſe, quouſque vel deponat onus peccati, & lauetur Hyſopo illo, qui aſpergie populum non ſanguine vituli, ſed corporis ſui, vt reconciliaretur Deo, & acceptabilem ſe faceret; vel certè in deſperationem ſui veniat, non ferens inter nos cruciatus, quibus animus obduratus, tùm maximè in morte pungitur. Nec tùm angor finem habet: quinimo tunc veri dolores parturientis, cui non eſt virtus pariendi, inchoantur; ſitque accuſans conſcientia multò acerbior, quam adauget vermis fortè corporeus, qui inceſſanter carnes, quæ in delitijs fuere corrodit; omni enim ſupplicio granius eſt (inquit Victor) immortalem illum vermem perpetuo citra vllam prorſus intermiſſionem auidè vorantem, dirèque corrodentem circumferre. [Vermis conſcientiæ.] [Victor.]

Et ignis non extinguetur. Non ait eorum, vt prius. Quoniam ignis paratus videtur Angelis apoſtaticis, iuxtà illud: Ite in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis ſuis: Communicatur tamen hominibus, qui ex patre diabolo eſſe voluerunt, vt communicatione grauius puniantur. Dic enim quæſo (ait Chryſoſt. hom. 48. de ira ad Pop. Antioch.) ſi quis damnatus ignibus, filium quoque vna intueatur, nidoremque ex ipſius carne aſcendentem hauriat naribus, nonne morietur? Nā ſi hi quoque, qui ſani ſunt, dum hæc fieri vident penè reſoluuntur: multò magis id paſſuri ſunt qui ea clade vexantur. Et ad paſſionem pronum humanum genus, aliorumque calamitatibus facilè commouemur; quo pacto pater filium in eadem damnatione poſitum videns ſolatium capiat? Contra pœna illi ex ea ſocietate auctior. Eadem ratione, ſi vir vxorem, frater fratrem, & alium videat. Hinc epulo: Rogo te Pater Abraham, vt mittas ad fratres meos, ne in hunc tormentorum locum veniant. [Matt. 25.] [Chryſoſt.]

CAPVT XLIV.

Et ſi pes tuus ſcandalizat te, amputa illum; Bonum eſt tibi claudum introire in vitam æternam: Quàm duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis.

Expoſitio. Proſequitur homines ab omnibus vltroneis offendiculis detrahere; *& ſi* (inquit) *pes tuus*, & negotiatio, ac conuerſatio ſiue loci, ſiue perſonæ *ſcandalizat te*, te que atque animam offendit, noli diutius commorari, nec vltra cum illis conuerſari; ſed *amputa* ſedulò *illum* locum, quem frequentabas, & vale facito ei, cum quo ſolebas ambulare. *Bonum eſt*; & omnium vtiliſſimum *tibi* videatur *claudum*, ac priuatum funditus prioribus ſolatijs *introire* ſecurus *in vitam æternam*, & loco, & perſonis alioqui ſuauiſſimis frui, & beatiſſimis; *quàm* lætum, & iucundum *duos pedes habentem* potirique ſimul aula, & aulicis, poſt modum verò *in gehennam* obſcuram *mitti*, & *ignis inextinguibilis* cruciatus ſuſtinere, & ignitorum conſuetudinem habere perpetuam.

Et ſi pes tuus ſcandalizat te. Ricardus de ſancto Victore de ſtatu interioris hominis cap. 2. exponens illud Iſai. 1. à planta pedis vſque ad verticem non eſt in eo ſanitas; pedem fregit carnalem affectum, quo ſcandalizari hominem nihil certius: Nam opera canis ad interitum ducunt, quibus lapidatur, qui colligit ligna in die feſto, & rapit de anathemate; is enim, qui conſecratum Deo, & eius pauperibus in proprios vſus abſumit, haud ſecus, quàm vaccæ pingues, in quas Propheta inuehit; ille verò, qui conſecratus Deo ei non vacat, ſed ſub omni ligno frondoſo, hoc eſt voluptuoſis delitiatur. Origenes in illud Exod. Solue calceamenta de pedibus tuis, animæ potentias, imaginatur pedes; quem & hoc in loco ſequi poſſet lector, quum reuera animæ inſint, vt pedes corpori, ad currendum, & diſcurrendum ſpiritualiter de loco ad locum, ab vno intelligibili ad aliud, & proſequendum vna ex parte bonum, & malum ex altera fugiendum: Ego verò, quod pedis officium, quantum ad materiale carnem dari his, qui ad illicita negocia currunt, & conuerſationem inhoneſtam ſequuntur, quantum verò ad ſpirituale, prædicatoribus conuenire perſpiciam, per pedem interpretarer præſenti in loco prædicatores vaniloquios, qui currunt non miſſi, & quorum conuerſatio auribus multorum placet, non abſque audien- [Ricard. de S. Vict.] [Num. 15. Ioſue 7.] [Orig. Exod. 3.]

Digitized by Google

audientium iactura. Etiam hominem omnem, qui ſimpliciter non ambulat, neque virtutem ſequitur pes eorum; ſed mendacium, & quæ falſo ſunt proxima, quibus ad
Prov.16. mortem ducit amicum, iuxtà illud: Vir iniquus lactat amicum ſuum, & ducit eum per viam non bonam. At abominabiles Regi, qui agunt impiè.

Amputa illum. Vt hoſtem, ſcilicet, & putridum membrum ſeca, ac diffuge locum ne conuenias cum eo, perſonam ne deroget honoti tuo, & commodis animæ, & negocium, quod vnà eras ſolitus tractare, peni-
Pſal.17. tus diſſolue: Quia cum ſancto ſanctus eris, & cum peruerſo peruerteris, ſcriptum eſt
Prov.13. enim: Qui cum ſapientibus graditur, ſapiens erit: amicus ſtultorum ſimilis efficietur. Inde clamor Sapientis: Fili ne ambules cum eis.

Bonum eſt tibi claudum introire in vitam æternam. Claudum, inquam, ſecundum
Pſal.143. opinionem vulgi: Qui beatum dixerunt populum, cui hæc ſunt: vtpotè negociatorum turbam, qui domum eius frequentent; ambulationes aſſiduæ, quæ oblectent eum, cantorum, & cantatricum, quæ eius aures demulceant, fucis, & loquacitatibus, & loca amena, quæ excelſum reddant, ſeu potius ſi vera loqui oportet, quæ vt filium viduæ multitudo extra ciuitatem, & vt canes morticinium, quod ad ſterquiliniū deportatur, ad inferos comitentur, ſepelianturque ſimul ſepultura aſini, qui ſuſpendium vnum cum ſuo Principe Naamam ſunt ſortiti.
Pſal 14. Quapropter non is, ſed beatus populus, cuius Dominus Deus eius, qui etſi videatur claudus, ac deſtitutus his, quibus ſupetbus, & arrogans abundat, neque ea habeat ſolatia, quæ in tabernaculis prædonum reperiuntur, ſed vel ſolus in ſterquilinio iaceat
Iob.2. cum Iob, vel ſolis canibus circundetur, vt
Luc.16. Lazarus, demum dicet plures ſunt nobiſcū, quàm cum illis. Ergo time Dominum fili
Prov.25. mi, & regem, & cum detractoribus ne commiſceatis, quoniam repentè conſurget perditio eorum, & ruinam vtriuſque quis nouit?

Quàm duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis. Duobus pedibus itur ad infernum, quando fulcimentum omne, quod deſiderat oculus, vel ad honotem ſuſtentandum, vel diuitias conſecrandas, aut quippiam aliquid obtinendum iniuſtè quæritur, appetitur, & retinetur. Vndè ab his eſt ſolitum dici: Flagellum inun-
Iſai.28. dans cum tranſierit, non veniet ſuper nos: quia poſuimus mendacium ſpem noſtram, & mendacio protecti ſumus. At, inquit
Dan 2. Vates: Flagellum inundas cum tranſictit, eritis ei in conculcationem; nam ſtatuam iam amplius fulcire non valent pedes, quos lapis ab alto demiſſus percuſſerit.

CAPVT XLV.

Vbi vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur,

Repetit eandem Iſaiæ ſententiam, qua certam fore iis, de quibus ſupra, damnationem demonſtrat. Vbi inquit, & quando in gehennam illam fuerint detruſi, *vermis*, qui ad vindictam malefactorum eſt, operiet eos, & vulnerabit atrociter abſque fine, quia *non morietur* vnquam. Inſuper æſtus vexabit eos citra refrigerium; ſiquidem ignis, qui obluet eos, continuò ardebit, nec vſquam extinguetur flamma eius deuorans. Expoſitio.

Vbi vermis eorum non morietur. Eſt vermis ex fæce, ac limo enaſcens; quare per *vermem, qui non moritur* damnatis; intelligere non inconuenit peccati complacentiam, quæ in inferis permanet. Quia Pſal.73. ſuperbia eorum, qui te oderunt, aſcendit Complacēt ſemper. Similiter auaritia cupidorum ait damnati in ſemper, affer, affer, volnptas carnaliū dicit: peccato. Coronemus nos roſis; & omnis denique in quo moritur peccato, ibi eſt, ſicut lignum, quod vel ad Auſtrum, vel ad Aquilonem ceciderit.

Et ignis non extinguetur. Quoniam culpa manente indelebili, & cōtinuata, pœnam quoque continuari oportet. Vnde paterfamilias iubet ſeruum nequam in tenebras exteriores mitti, quouſque reddat vniuerſum debitum; at hoc nunquam ſoluet, quia non eum facti pœnitebit, nec pœnæ ſupplicium finem in infernis accipiet.

CAPVT XLVI.

Quod ſi oculus tuus ſcandalizat te, eiyce eum: bonum eſt tibi luſcum introire in regnum Dei, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.

Proponit, & aliud genus offendiculorum, prioribus nequius, vt omnem ſcandali radicem à ſuis aruncet, & abſcindat penitus, vt poſſint in latitudine ambulare per vias vinearum, hoc eſt mandata amoris, quæ ad cæleſtia gaudia perducunt. Quod ſi ergo, quid aliud præter ea, quæ dicta ſunt, noxiū ſe offert, vtpotè oculus tuus, ac deſideriū inutile, & pernicioſum dominādi, vt nihil præter extollentiā in omni negotio excogites, tibi vſurpare; adeò vt ſcandalizet te ſimilis præſumptio, animamque multiformiter dilaniet. Eiyce quàm primum Expoſitio.

 cogi-

cogitatum, qui tàm enormem ignominiam tibi præparat. Nam *bonum eſt*, & modis omnibus conducit *tibi luſcum*, & priuatum oculo, & ambitione nefanda *introire in regnum* Dei, quod humiliter de ſe ſentientibus repromittitur, quàm ſi pompaticè incedens, & turgidus præeminentiam in ſcientia, & in dignitatibus primatum adeptus, quaſi *duos oculos habentem*, mittaris infeliciter *in gehennam ignis*, & inferni barathrum nudus, ſpoliatus, confuſus, & ignominioſus.

Quod ſi oculus tuus ſcandalizat te. Solet oculus à noſtris, & ſacris Doctoribus, videlicet Gregor. lib. 10. mor. cap. 23. Auguſt. ſerm. 1. Dom. in montem, atque alijs, dici intentio, qua opus, vt gubernaculo nauim, vel ad portum, vel ad ſcholium impellimus, vnde ſubmerſio Ægyptijs, Iſraelitis autem via plena prouenit: Verumtamen hoc in loco per oculum ſcandalizantem, ambitionem rerum ſpiritualium, vt honoris, quæ proſtrauit Angelum; & ſcientiæ, quæ ruinam humani generis inchoauit, oportunius interpretarer. Tùm quod arte Satanæ hoc vitium ſerperet in Apoſtolis, quos potiſſimum hiſce inſtruit, tùm quod omnium, quæ ſcandalizant hominem, & deformant ſtatum Apoſtolicum, eiuſmodi ambitio, vt baſiliſcus inter venefica, aſpis inter ſerpentes, leo inter feras, orca inter crudelia, & vt ignis inter voracia, primatum habeat. Diabolicus enim morbus eſt (inquit Baſilius exercitationum lib. c. 9.) ambitionis crimen, quod ſupernæ diaboli malitiæ ſignum eſt. Nam, & ille ab hoc vitio in conſpicuam malitiam delatus eſt: & qui ab hoc vitio ægrotat, æqualiter cum illo tenetur. Deinde verò, & inuidos, & contentioſos, & accuſatores, & impudentes, & calumniatores, & adulatores, & varia molientes, & præter decorum humiles, & ſeruiles, & arrogantes, & infinitis turbis plenos facit hoc vitium, eo correptos. Scandalizatur ergo, qui hoc ſublimi oculo intuetur, & proſpicit, nec in vno, aut altero offendit, ſed plerunque fit in omnibus reus. Quandoquidem aſſequens regimen animarum, quod ambit, vt Neſtorius, Photius, Paulus Samoſatenus, & Theodorus, atque alij inthronizaati per huiuſmodi Magiam, ſi eam ſic licet dicere, gregem Dominicum perdunt, nec minorem quandoque iacturam facit, qui ignorans dexteram ſuam, & quid interſit inter ſanctum, & pollutum, Doctorem agit, & præſumit Sanctorum ſcientiam habere, & intelligentiam oraculorum ex ſeipſo proferre ad populum, vt Arrius Alexandriæ, Saxoniæ Lutherus, Nouatianus Carthagine, & alij alibi; qui vel doctrina adulterina, vel regimine lupino, non tàm ſe, quàm reliquos vitijs innumeris repleuere. Neque enim, quod habendum erat, directo ſenſu diſtribuit ambitioſus ſimiliter, & quod non erat habendum.

Greg. Auguſt.

Ambitio malum periculoſum.

Baſil.

Ambitioſi malum.

Eijce eum. Non ait abſcinde, neque amputa, vt ſupra, quum de materialibus vitijs ſermonem faceret, ſed *eijce*, quod ad animum potius, quàm ad corpus transfertur: libertatis enim eſt, tàm quæ interius latent, quàm quæ patent exterius eijcere. Vim ergo maximam notat Chriſtus faciendam ab eo, qui tàm læthale vitium optat exuere. Non enim ſufficit abſcindere, vt manum, hoc eſt ab ambitioſis ſeparari; neque ſat eſt amputare, vt pedem, hoc eſt iniunctum munus renuntiare, vel ſcientiæ huius, aut alterius curioſitatem omittere; ſed neceſſe eſt *eijcere* eum, qui latet ſpiritum ambitioſum, qui in omni ſtatu, & conditione hominem ſequitur, ac ſæpè in minimis prædominatur ei, quem in maximis non valuit deijcere. Quapropter ſenex, qui Ioannis Damaſceni honore ſæculi, & ſcientia præcellentis curam ſuſceperat, vt ſcribit Ioannis Patriarcha Hieroſolymitanus in hiſtoria ſua conuenientem morbo regulam tradidit. Ne quid (inquit) propria voluntate faceret. Vt ſudores laborum, perſeuerantiam precum, & oculorum lachrymas Deo offerat. Ne imaginetur humana phantaſmata; ne ſibi rerum indecentium figuras præpingat; vt mentem ab animi vana inflammatione præſeruet. Ne ſcientiarum magnitudine extollatur, vt perſuadeat ſibi ea, quæ didicit ex toto apprehendiſſe. Ne admittat deſiderium viſionum aliquarum, abſconditarumuè reuelationem; Caueat ne vnquam ſibi perſuadeat menti ſuæ poſſe confidere. Nullam ſecuram putet ſcientiam, vſque dum ſeparetur mens à corpore liquido, & diligenter agnoſcat cogitationes ſuas, in periculis captet conſilia. Ne permittat cogitationes ſuas diuagare. Incumbat autem in hoc, vt quam diligentiſſimè coaduniat, quo mens à Deo illuſtretur, purificetur anima, ſanctificetur corpus. Addit, & alia, quæ facilè, ac præmiſſa aſſequetur, qui poſtremò inuigilauerit, & victor vincens euadet appetitionum internarum, quæ omnem hominem aggrediuntur. Vtinam, qui humiliatus eſt vſquequaque deſideratiſſimam artem artium in me diffundat.

Ioan. Patr. Hieroſol.

Remedia contra vanagloriam.

Bonum eſt tibi, luſcum intrare in Regnũ Dei. Luſcum dicit, qui vno priuatus oculo, altero inſpicit. Hoc eſt, qui ſcientiarum curioſitate denudatus ſponte; necnon honorũ ſublimitate, & graduum contemptor factus, fidei ſimplicitate vtitur ad omnia, quæ occurrunt appetitui. Si ſcientiã deſiderat, auctorem, & conſummatorẽ fidei contemplatur, adeoque in contemplatione quieſcit, & repletur intelligentia, vt Epiphanius Magos Perſiæ vincat, & Antonius Ægypti

Philo-

Philoſophos obmuteſcere faciat, & ſi quando inſurgat honoris ſtudium; originem cunctorum Deum ſibi proponat, & exclamet, vt Hilarion; *Pſal. 72.* quid mihi aliud eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram? & concludat cum Pachomio: *Pſal. 72.* Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, & ponere in Domino Deo ſpem meam. Eſt enim fides oculus vnicus, quo intrepidè omnia videmus, proſequimur, & aſſequimur; ac demum in regnum Dei recipimur. *Heb. 11.* Sine fide enim impoſſibile eſt placere Deo.

Quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis. Duobus fulcitis oculis ad inferni rudentis mittitur, qui magnus ſcientia, ſeu inflatus, & ſublimis cathedra, ducit in bonis dies ſuos, & proſequitur pompaticè viam, quæ ſibi videtur recta; in puncto autem ad infernum deſcendit: *Eccl. 5.* Quid ergo prodeſt ei, quod laborauit in ventum?

CAPVT XLVII.

Vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.

Expoſitio. INculcat eandem ſententiam, vt rimorem incutiat his, qui deluſi præmiſſis facti ſunt, vt nihil timeant; *vbi* inquit peruenerint ad lacum, & inferni profundum, luent pœnas atroces. Etenim *vermis* viliſſimus *eorum* faſtum, & ſpecioſitatem, quam oſtentabant, deuorabit, nec deſinet aliquando ab infeſtatione; ſiquidem *non moritur* vnquam, ſed integer conſeruatur ſimul, & corpus, quod ſalit adhuc, *& ignis* non parcet eorundem pulchritudinem denigrare in æternum, neque enim ipſe *extinguetur*, nec ceſſabit vnquam perditos homines, qui in ſe confidebant inflammare.

Vbi vermis eorum non moritur. Per vermem, qui omnium viliſſimus eſt abiectionem ſtatus damnati, tùm maximè, cuius excelſi ſunt oculi intelligito. Nam, & vilitatem caſus Luciferi Scriptura per vermes expreſſit. Quanta autem ſit vilitas, infamia, & ignominia eius, qui ab altitudine cathedræ, & regiminis ad infeliciſsimum locum præcipitatur, quis valet exprimere? Qualem tamen excogitare mens noſtra hic poteſt eleganter Iſaias deſcripſit, in parabola, quam ſumit contra Regem Babylonis: Necnon Ezechiel, dum ignominia, quam Oolla, & Olibama paſſæ ſunt, explicat. Etenim glorioſos terræ humiliat, & potat calice iræ ſuæ vſque ad ſecem, & eos, qui ſe exaltant proſternit, quaſi diſcoopertis natibus ad ignominiam Ægypti.

Et ignis non extinguitur. Eo autem formidabilior, & horribilior eſt hic ignis (ſcribit Niceta in orat. 40. *Greg. Naz.* Gregor. Nazianzen.) quod cum verme coniunctus ſit, ac duplicem pœnam habeat. Ignis enim, & in ſempiternum cremabit (ſcribit Cyprianus ad *Cyprian.* Demetrium) addictos ardens ſemper gehenna, & viuacibus flammis vorax pœna; nec erit vnde tormenta, vel requiem, vel aliquando finem habere poſſint, ſeruabuntur cum corporibus ſuis animæ infinitis cruciatibus ad dolorem. Cæterum cur eandem ſententiam ter Chriſtus inculcauerit mecum, ò lector, perpendito. Nihil fruſtra, aut nugaciter in oraculis repetitur. Quod ergo tripliciter hic eadem pœna per numen oraculorum, mihi in primis videtur factum, ne verme, & igne cruciatos eadem prorſus pœna puniri, vt Lutherus ſomniauit, ſed aliam, atque diuerſam pati damnatos, Sicut inquit Gregor. 4. dialogorum, *Greg.* in hoc mundo ſub vno ſole multi conſiſtunt, nec tamen eiuſdem ſolis ardorem æqualiter ſentiunt, quia alius plus æſtuat, & alius minus, ita illic in vno igne, non vnus eſt modus incendij; quia quod hic diuerſitas corporum, hoc illic agit diuerſitas peccatorum, vt ignem non diſsimilem habeant, & tamen eoſdem diſsimiliter exurat. *Variè ignis infernalis cremat.* Ordo quidem erit (ait Auguſt. lib. meditationum) *Auguſt.* in quantitate pœnarum, quia in qua menſura menſi fuerint remitietur eis: vt qui grauius peccauerunt, grauius puniantur, & potens potenter tormenta patietur. Sed ordo non erit in qualitate rerum, quia de aquis nimium frigidis, deſcendent ad calorem nimium, vt ſubita contrariorum mutatio grauiorem inferat cruciatum: Secundo tripliciter referri pœnam damnatorum cenſeo ob tria vitia, quæ hiſce Chriſtus redarguit, auaritiam in manibus, in pedibus abſcondendis luxuriam, & ſuperbiam in oculo eiiciendo. Quibus opponit triplex ſupplicium genere idem, ſed diuerſum ſpecie, atq; aliud, & aliud, quando peccatori in inferis applicatur, vt recipiat vnuſquiſque, prout geſsit in corpore, & alligentur faſciculi vnius generis peccatorum ad comburendum, ſuperbi cum ſuperbis, auari cum auaris, luxurioſi cum luxurioſis, & Ægypti cum Ægyptijs ſubmergantur eodem in mari, & eodem in ſtagno horrendiſsimo Sodomitæ, licet vnus altero profundius, ac celerius iuxtà armorum, ſeu potius vitiorũ põdus, quo infelix grauatur.

CAPVT XLVIII.

Omnis enim igne ſalietur: & omnis victima ſale ſalietur.

Expoſitio. ERgo, qui vult nullius mortem, neque in pœnis delectatur, breui ſententia complectitur, & profert vniuerſorum malorum antidotum, quo & culpas curemus, & euitemus pœnam ignis inferni, & vermis. Om-

nis inquit, qui alterius, ac nobilioris, & excellentiſſimæ dignitatis igne ſalietur, vtpotè cæleſti, & charitatem induerit, ſequè gratia Spiritus ſancti munierit proculdubiò ignem, qui in æternum torquet, vitabit. *Et omnis*, qui peccatorum plagas, velut *victima*, oblata in altari, *ſale ſalietur*, videlicet ſapientia aſperſerit, & curauerit ſapienter emendare, corrigere, & caſtigare, quæ inſipienter deliquit. Profectò à ſcandalo liber erit, & pœnam vermis non experietur, neque ſuſtinebit ignis intolerabiles cruciatus.

Omnis enim igne ſalitur. Huius porrò *Greg. Naz.* ignis vis eſt (inquit Gregor. Nazianz. orat. 40.) vt craſſiorem materiam, vitioſamque animi conſtitutionem abſumat; eumque proinde celerrimè accendi vult. Cupit enim nos quam primum beneficio affici: vtpotè, qui nobis quoque ignis carbones auxilij cauſa porrigat. Eſt alter ignis non purgans, ſed ſcelerum vindex; de quo & in præſenti loco Chriſtus loquitur, ſi ignem conflagrationis interpretamur, cum *Victor.* Victore Antiocheno, qui ait: Cognatum eſt huic illud Paulinum, vniuſcuiuſque opus, ait ille, ignis probabit. Si cuius opus manſerit, quod ſuperædificauit, mercedem accipiet, ſi cuius opus arſerit detrimentum patietur, ipſe tamen ſaluus erit: ſic tamen quaſi per ignem. Ex quibus, atque alijs Scripturæ locis, *Malach. Ambroſ. Hilar. Baſil. Hieron. Lactan. Firmianus.* Pſalm. 16. Malach. 3. Ambroſ. ſequens Originem in Pſal. 36. Hilarius in Pſalm. 118. Baſilius in 4 Iſai. cap. Expurgabit Hieruſalem in ſpiritu iudicij Hieronym. in Amos. 3. & ante hos Lactantius Firmianus lib. 7. diuin. inſtitut. cap. 21. videntur velle omnes igne illo conflagrationis, & gehennæ examinandos, & vt inquit hic textus ſaliendos. *Auguſt.* His tamen ſe opponit Auguſt. lib. 20. de Ciuit. cap. 8. Scholaſticorum omnium opinio; necnon pietas, quæ audire refugit Mariam, Apoſtolos, & eos, qui iam fruuntur Deo, iterum ignis cruciatibus ardoribus, ſeu purgationibus oportere ſubijci. Ergo per ignem præſenti in loco, quo omnis, qui vult mala, quæ præmittuntur euadere ſalitur, charitas eſt, vt ex Gregor. *Greg.* ante diximus, velut Gloſſ. interlinearis ad- *Gloſ. interl.* dit tribulatio. Nam & ea purgatur homo, cuſtoditur, & curatur.

Et omnis victima ſale ſalietur. Victima eſt omnis homo, qui ſe Deo voluntariè ſacrificat, offert holocauſtum, & incenſum dignum in odorem ſuauitatis, vt nihil velit, nec faciat, niſi quæ ei beneplacita ſunt ſemper, & quaſi qui portatur ad victimam agnus, non contradicit his, quæ illi demandantur; attamen ſale conditur, quando ſapienter peragit ſingula, iuxtà illud rationabile ſit obſequium veſtrum; rationabilitatem vocat Chriſtus ſal. Nam hoc *Theophyl.* ex Leuitico dixit (inquit Theophylactus) vbi Deus ait omne donum victimæ veſtræ ſalietur. Quod enim ſal ſalitur ſecundum Gloſſam ordin. vermis putredinem arcet. *Gloſ. ord.* Quod verò igne, ideſt in igne aſperſo ſale carnem quoque conſumit. Sal ergo (concludit Zacharias Chryſopolitanus lib. 3. *Zach. Chryſopol.* cap. 94.) dulcedinem ſapientiæ: ignis Spiritus ſancti gratiam deſignat. Et ita omnis igne ſalietur: quia electi per amorem ſancti Spiritus Deo victima digna conſecrantur. Et quia ſale ſapientiæ ſe à vitijs emundant, benè addidit, *& omnis victima ſale ſalietur*. Itaque *victima* talis non ſolum *ſale* aſpergitur, ſed & igne conſumitur: quia non peccati tantum contagio pellitur, ſed ab electorum mente ipſa etiam vitæ præſentis, quæ in carne eſt delectatio, tollitur. Vnde Apoſtolus: Noſtra autem con- *Phil. 3.* uerſatio in cælis eſt. Obſeruamus, & hoc præceptum ſecundum legem ſpiritus, ſi omni dono ſacrificij noſtri (ait Victor An- *Victor Antioch.* tiochenus) quod plurimum per orationem exhibetur, aliud donum, quod in vſum proximi cedit, hoc eſt eleemoſynam adiunxerimus, quo hac nimirum ratione gratiam in conſpectu Domini inueniamur. Dicimur rurſum ſacrificij noſtri munera ſale condire ſi iuxtà diuinarum litterarum præſcriptum Deo illa litauerimus, & obtulerimus. Quare per ſalem iuxtà Patrum conſenſum intelligito, vel ſcripturam, quæ operibus ornamentum confert; vel ſapientiam; quæ magnificat acta; vel in proximum pietatem, quæ omnes ædificat, & ſi vis eoſdem Eccleſiæ patres intellige, vt qui dati ſint orbi, ac orphanis, vt ducantur ab eis, & eorum opera, eum exemplo ædificentur, ac propterea ſequitur.

CAPVT XLIX.

Bonum eſt ſal, quod ſi ſal inſulſum fuerit, in quo illud condietis? Habete in vobis ſal, & pacem habete inter vos.

Expoſitio. Concludit denique neceſsitatem prædictæ regulæ, citra quam fieri non poteſt, vt mala imminentia euadat quiſpiam, nec vermem, aut ignem inextinguibilem fugere. Quare (inquit) *bonum eſt*, ac ſimpliciter neceſſarium *ſal* cunctis victimis noſtris, & operibus apponere, immò verò eum oportet ipſum ſal fieri, vt infatuatis feratur auxilium opportunum. Quod ſi, proh dolor, qui ſal datus eſt cæteris inſulſus, & infatuatus fuerit; *in quo*, dicito qui adeſtis iam ſal terræ conſtituti illud, quod vobis demandatum eſt ſaliri, *condietis*, vt fiat dignum

edulium,

Digitized by Google

eduliũm, quo pater veſter libenter veſcitur, & ego hic habeo illud manducare? Ergone in vobis hæc cudatur faba, inſipidique hominis, cuius cura vobis concreditur rationem compellatis dare, & ſoluere illius fatuitates ob veſtram commiſſas. *Habete* omni ſtudio, & cuſtodite ſedulo *in vobis ſal*, vt ſinguli, quæ oportent ſapienter prouideatis. Inſuper, & *pacem*, quæ exuperat omnem ſenſum *habete*, & quærite diligenter *inter vos* ſeruare, vt non ſint vltra lites, & diſſentiones in veſtro collegio, ſed conformitas, & conſenſus vnanimis voluntatum, & ſtudiorum, & vno ore glorificantes Deum, eos, qui commiſſi ſunt vobis, compellatis ad ea, quæ ſapientis ſunt hominis, & liberos tàm vos, quàm illos ab omni pœna vermis, & ignis cuſtodiatis.

Bonum eſt ſal. Hoc eſt ſapientia, & prudentia. Nam ve auctore Plinio, ſaſe materiali carere non poteſt homo, cui ad vina condenda alicubi deſeruit, & cibos omnes; nonnunquam domos, ac turres exinde ædificat, illique colorum diuerſitate oblectamentum affert, & vtilitatem maximam his, qui ſalis montes, fontes, & ſtagna poſſident, vel arte conficiunt. Vnde concludit ſale, & ſole nihil vtilius; ita Deo, ſapientia, nihil appetibilius, nec commodius homini omni; his enim carere nequit rationalis ſpiritus. Nam fortitudinem quæ in nobis eſt vinum ad perfectum ducit; necnon opus, quod cibus eſt animæ, & Chriſti; æternam nobis erigit domum in cælis, & nos eleuat Turrim Dauid, in qua mille clypei pendent, & omnis armatura fortium, hoc eſt inuictiſſimos, vt poſſimus ſtare aduerſus Principes, & Poteſtates tenebrarum, & aduerſus huius mundi rectores, omni virtute plenos. His verò, quibus conceditur eſſe montes eiuſmodi ſalis, hoc eſt præminentes in contemplatione ſapientiæ, & fontes, hoc eſt, optimi eius prædicatores; vel ſtagna, hoc eſt pleni, & integri obſeruatores à pueritia; vel certè arte quis, & animi induſtria per pœnitentiam, & nonis ſtudijs ſpiritualibus ſal ſapientiæ fieri quærit, vt non tàm conditus ipſe ſit, ſed condiendis alijs vtilis reperiatur. Profectò huiuſmodi hominibus eas parturit diuitias, quas quinque ſapientiales libri deſcribunt. Quid? nonne diadema regni, & regnum ipſum, ac Deum ipſum in manu tradit? Ergo fili mi ſi ſuſceperis ſermones meos, & mandata mea abſconderis penes te, vt audiat ſapientiam auris tua, inclina cor tuum ad cognoſcendam prudentiam; tunc intelliges iuſtitiam, & iudicium, & æquitatem, & omnem ſemitam bonam. Itaque *bonum eſt ſal*, & neceſſarium.

Plinius.

Sal ſapiẽtiæ, & prudentiæ

Prou. 1.

Quod ſi ſal inſulſum fuerit. Transfert locutionem ad eos, qui venditores, diſpenſatores; & largitores ſunt ſalis ſapientiæ, quos à rei communicatione ſal nominat, ſed inſulſum, quod doctrinam, quam prædicant inſulſis erroribus miſceant, vt hæretici, quorum ſtylus mendax eſt, vel quod puritatem Euangelij nugis gentilium, & curioſitatis vitio repleant, vt vaniloqui oratores; vel quod moribus diſſonent ab his, quæ docent populum, vt tranſgreſſores, & præuaricatores; vel certè, quod ignorantes cum ſint ſtatus, & doctrinæ condire alios, & erudire non erubeſcunt, & Præſulem apud eos agere.

In quo illud condietis? Ac ſi diceret difficile eſt, & apud homines impoſſibile perſuadere errantem, qui ſe putat ſcire; vix autem raro contingit hæreſiarcham reſipiſcere, & complecti lumen, quod ſponte in ſeipſo extinxit. Vnde dixit oraculum: Vidiſti hominem ſapientem ſibi videri? magis illo ſpem habebit inſipiens. Hoc eſt facilius, qui nunquam veritatem agnouit conuertetur, quàm apoſtota, & hæreticus, & vltro malus. Frigida enim aqua facilius inflammatur, quàm quæ receptum calorem intepidauit, & remiſit. Quare ſicut canis, qui reuertitur ad vomitum ſuum, ſic imprudens, qui iterat ſtultitiam ſuam. Nam, vt peſtis, quæ reuiuiſcit, fit crudelior, & peſtifer totus, vt ſanari non poſſit effectus Babylon mater fornicationum. Inde Sapiens: Quis miſerebitur incantatori à ſerpente percuſſo, & omnibus, qui appropriant beſtijs?

Prou. 26.

Eccl. 12.

Habetis in vobis ſal. Ad Apoſtolos iam conuertit ſermonem, & hortatur habere ſal. Habere ſapientiam, & in omnibus prudenter ſe gerere; quoniam vos eſtis ſal terræ, vt germina eius areſcant, & vitia, vt arbores, quæ plantantur veſtro ſale ſpirituali, vt materiali quaſdam Plinius refert ali, & vt corruptioni hominum cæleſtè condimentum adferatis. Ne iam terrena ſapiant, ſed quæ ſurſum ſunt quærant; nec infatuentur vltra vitijs, ſed virtutibus ſaliantur. Neque ſerpens, qui inſulſa paſcitur terra, ad eos poſſit accedere, aut virus iacere; ſed ſint ſemper eius, qui illos condidit bonos; & recondidit Sanctos, iuſtos, & ſpiritu ſapientiæ repleuit. Eo quidem iubet Chriſtus Apoſtolos habere ſal, hi verò, & canonibus, & conſtitutionibus, clerum omnem, tum maximè Epiſcopum, & Sacerdotem, ornatum omni perfectione voluerunt. Quorum hærentes veſtigijs, iidem Romani Pontifices decretalibus epiſtolis; concio Patrum innumeris penè Concilijs curarunt; nec Sanctorum Scriptorum defuit, qui modis omnibus non perſuaderet habere hoc ſal, ſed quam magnus, qui inuenit ſapientiam, & ſcientiam, ſed non eſt ſuper timentem Dominum. Et quidem hic non ſolum habet

 ſal,

Eccl 35. ſal, ſed eſt ipſe ſal: Beatus ergo homo, cui donatum eſt habere timorem Dei, qui tenet illum, cui aſſimilabitur?

Et pacem habete inter vos. Hoc enim primum ſal ſapientiæ, ſcientiæ, & timoris Dei præſtat. Nam qui conſtringitur *Theophyl.* charitate (inquit Theophyl.) erga proximum, hic ſalem habet, & pacificus eſt cum fratre ſuo, pacem autem expreſsis verbis indicit, quod Principes Eccleſiæ conſtituri, neque ea conſeruare, neque augere poſſent odijs mutuis diuiſi, quia concordia res paruæ creſcunt, diſcordia res maximè dilabuntur, & inſurgit monſtrum Babel, quale patitur Græcia ob maiorum diſcordias, quæ tàm in clero inter Patriarchas, & Diocœſanos cœpit oriri; quàm in ſæculo ſuper ſucceſsione, & ſubſtitutione imperij, quæ vt olim liberis ciuitatibus ſeruitutem Romani Imperij portentauit; ita nuper, & ſub Turca, & infidelem Principem clariſſima orientis Regna eſſe fecit. Ergo ò Populi, & Eccleſiæ, ac ſæculi præſides pacem, & veritatem diligite, ait Dominus omnipotens, qui viuit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

FINIS LIBRI NONI.

IN SACROSANCTVM CHRISTI EVANGELIVM SECVNDVM MARCVM

LIBER DECIMVS.

IN CAPVT DECIMVM PRAEFATIO.

QVONIAM ad pacem hortatus fuerat Apoſtolos, & ſal prudentiæ, & diſcretionis habere; præſenti capite idem perſuadet exemplis, nam Phariſæos indiſcretos in tractãdis Moſaicis, tùm maximè ijs, quæ ad libellum repudij ſpectabant, enucleata legis veritate redarguit, erudit, & docet, nulla ex cauſa, excepta fornicatione, vxorem poſſe vnquam dimitti, Paruulos, qui ſunt natura pacifici, complectitur. Eum, qui vitæ æternæ pacem affectabat, viam rectam præceptorum tenere iubet; eorumdemque obſeruantiæ addere cunctorum ſpoliationem, ſi perfectus in vijs ſuis eſſe velit. Diuitibus enim, & poſſeſſionarijs ad regnum introitus eſt admodum difficilis, nedum impoſſibilis, niſi cui nihil eſt arduum, faciliter locupletis aditum. Quibus autem cælitus donatum eſt centuplam, & amplam nimis promittit mercedem, & pacificorum omnium conuictum. Cæterum quid eo opus ſit inſinuat proponens denuo ſuæ paſſionis memoriam, & eiuſdem calicem offerens his, qui dexteram, vel ſiniſtram in regno illo pacifico optant poſſidere. Nam qui in auctorem, & conſummatorem fidei Ieſum crucifixum, vt vnicum ſcopum intuetur, & illius ſit ſedulus imitator, habet ſal, & pacem, quam nemo tollet. Denique miraculo cæci reſtituti, quaſi ſigillo confirmat omnia, vt auditores tùm Apoſtoli, tùm reliqui in complectendis talibus, ac tantis Diuiſio. *documentis fiant promptiores. Libet igitur caput in tres partes diſtribuere, priori diſcretiſſimè legem interpretat indiſcretis, ſequenti directam viam ad ea, quæ pacis ſunt, exponit cupidis; poſteriori, modum tradit, quo, & viam proſequi, & eiuſdem finem optatiſſimum aſſequi valeamus.*

CAPVT

CAPVT PRIMVM.

Et inde exurgens venit in fines Iudææ vltra Iordanem, & conueniunt iterum turbæ ad eum, & ſicut conſueuerat, iterum docebat illos.

Expoſitio.

ERuditis affabre Galilæis, & ædificatis omnitariam, inde exurgens cum Apoſtolis ſuis, ac recedens ab earum Ciuitatibus, & Oppidanis venit properè in fines, & conterminos *Iudææ*, qui vltra Iordanem conſpiciuntur, vt Iudæos incolas, haud ſecus, quam Galilæos miraculis, & verbis ad veram traheret fidem, ac ſui ſectatores efficeret, Quare aduentu eius promulgato fit vniuerſorum conuentus ad eum. Et maximè conuenerunt *iterum turbæ* eius deuotiſſimæ, & ad eum ardentiſſimæ properarũt. At ille lætus concurſu ſtudioſiſſimi Populi, *ſicut conſueuerat* feruenter, & altiſſimè *docebat illos*, qui acceſſerant, ne fruſtrarentur concupitis, nec oblatam exercendi miniſterium videretur ipſe occaſionem prætertire.

Et inde exurgens. Vt etiam Matth. 19. Luc. 9. & Ioann. 7. tradunt. Erat enim in proximo dies feſtus Iudæorum Scenophagia, ad quem præmiſſis diſcipulis, ipſe poſtmodum, quaſi in occulto aſcendit. Quare hæc profectio à Galilæa, vltima cenſetur, quam ob metum Iudæorum acceperat, ob feſtiuitatem tamen propinquam inde exurgit, quaſi timorem deponens, & nihilo ducens pericula, quæ coniurati minitabantur propter feſti celebritatem. *Exemplum* relinquens ſucceſſoribus, atque filijs cuncta poſtponere feſtiuitati diei ſanctæ; *Inde* enim *exurgit*, etſi ſciret quod vellent eum interficere, vt celebritati intereſſet; nos contra nullo perſequente à ſanctorum dierum feſtiuitate longè ſumus. Si enim in negotijs eſt, & nundinis mercator, *inde* non *exurgit*, vt celebret puro animo feſtiuitates Eccleſiæ, ſi in vitijs enutrit adoleſcentiam ſuam *inde* non *exurgit*, vt lotus, ac mundus ſabbatum Domini colat. Etſi ſacrilegijs, ac ſimoniacis fœdauit ſeipſum *inde* non *exurgit*, vt dignus ad ſacrum accedat. Propterea, & ijs dicitur: Calendas veſtras, & ſolemnitates veſtras odiuit anima mea. Siquidẽ ad eas veniunt Sycomori, non florentes vineæ; neque agri odore pleni ad patrem accedunt; ſed lumbi impleti illuſionibus; hoc eſt vitijs, & concupiſcentijs, quæ illudunt homini, quem decipiunt, & proximo, cui ſe hypocritas oſtendunt, dum cultores feſti ſe eſſe exterius declarant, intus autem pleni ſunt dolo, & fallacia, abominabileſque Deo, quem videntur venerari. Ergo lauamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum, ab oculis meis ait Deus. Nam ſi rationabile, & quodammodo religioſum videtur per diem feſtum (ait Leo I. ſerm. 3. de quadrag.) in veſtitu nitidiore prodere, & habitu corporis hilaritatem mentis oſtendere, ſi ipſam quoque orationis domum propenſione tunc cura, & ampliori cultu, quantum poſſumus adornamus: Nonne dignum eſt, vt anima Chriſtiana, quæ verum, viuumque Dei templum eſt, ſpeciem ſuam prudenter exornet, & redemptionis ſuæ celebratura ſacramentum, omni circunſpectione præcaueat, ne vlla eam macula iniquitatis obfuſcet, aut duplicis cordis ruga dedecoret? Nam quid prodeſt honeſtatis formam præferens cultus exterior, ſi interiora hominis aliquorũ ſordeant contaminationem vitiorum? Etenim oſſa ſunt arida, quæ etſi campum Eccleſiæ, ac templi in diebus feſtiuis repleant, non tamen lætitiam magnificant, Chriſto quouſque ſpiritu mundentur, & formentur gratia, quæ viuificat. Id quod præſtat, quando inde exurgit cum Chriſto.

Feſta celebranda.

Iſai. 1

Abuſus in eorum obſeruantia.

Leo I.

Venit in fines Iudææ vltra Iordanem. Poſtquam ſcilicet Hieroſolymis in die illo feſto peregiſſet, quæ Ioann. cap. 7. refert propter quæ, cum æmuli aduerſus eum coniuraſſent, & ſtatuiſſent perdere poſt feſtum Encœniorum, *venit trans Iordanem*, inquit Matthæus, Marcus verò *vltra Iordanem*. Sic Ianſenius contra Germanum cenſet hiſtoriam ordinandam. Victor tamen Antiochenus ante regreſſum vult iſta contigiſſe, quæ Marcus hoc capite narrat. Interim, inquit, non aſcendit Hieroſolymã, ſed intra regionis terminos ſeſe continet. Siue ante, ſiue poſt iſthæc acta fuerint, relinquamus opinanti. Nos ſub hoc aduentu *in fines Iudææ vltra Iordanem*, defodiamus myſterium. Quod iuxtà priorem ſententiam contemplor voluiſſe Chriſtum inſinuare ob malitiam Iudæorum ſuam mortem ijs primum profuturam, qui *vltra Iordanem* eſſent, hoc eſt, gentibus, quæ *Iordanem* non tranſierant, ſed in morte eius conſepulti ſunt per baptiſma; ac propterea circa *fines Iudææ*, quod eſt confeſſio, quia, & gentes confitemur eum, qui ſaluauit nos, & redemit; vel ſi nauis de Iudæis ſecundum carnem interpretari, dicito notari hoc aduentu, & fuga, paucitatem Iudæorum, qui per mortem Chriſti ſaluandi erant; videlicet, qui *trans Iordanem*, qui inquam malitiæ Hieroſolymorum, & complicum non conſentirent; hi autem velut oliuæ pauciſſimæ, quæ excuſſis ramis remanent, extitere. Etiam, & hoc fuga, non tàm Apoſtolos, qui non recepti in vna Ciuitate præcepti ſunt ad aliam tranſmigrare; quàm nos omnes inſtruimur humanæ cedere malitiæ; vt horologiũ, & ſpheram,

Ianſenius
Vict. Ant.

non

Anaximander Mileſius ſphæræ inuentor. non quam Anaximander Mileſius inuenit; ſed quam Deus ordinauit charitatem, & Chriſtus præcepit, conſeruemus integram, *Exod.1.* nec aliquid ex ea perdamus, quando rex nouus inſurgit, qui ignoret Ioſeph; hoc eſt homo nequam, qui nec Deum timet, nec homines reueretur, ſed multifarie iuſtum quærit contriſtari, niſi aufugiat. Iſta ex priori ſententia excogitato; poſterior vero, quæ ſequuntur arcana ſubindicat. In primis operaturus Chriſtus ſalutem in Iudæa à finibus orditur, vt generale, non priuatum deſiderium ſalutis hominum ſibi ineſſe oſtenderet; tùm maxime iis opem ferre, qui *vltra Iordanem*, & longè à ſalute viderentur enormibus obuoluti peccatis; *Matth 9* Quia inquit non veni vocare iuſtos ad pœnitentiam, ſed peccatores. Etiam & nos inſtruit, vt cum è Galilæa Hieroſolymam verſus pergimus *in finibus Iudaæ*, qui ſunt *vltra Iordanem* aliquantiſper commoremur; hoc eſt antequam fidei ſacramenta ſumamus, ſacramentalia exercere, quæ ſunt vltra Eccleſiam, quia non de neceſſitate Sacramentalibus ante ſacramenta vtendum. ſacramenti, ſed præcepti Eccleſiaſtici. Et qui ad ſtatū religioſum ex Galilæa & mundo properat, veniat quoque prius ad *fines Iudæa vltra Iordanem*, hoc eſt, ad ceremonias Patrum, & inſtituta, quæ externum hominem componunt. Nam etſi *vltra* Obſeruandæ ceremoniæ. *Iordanem* ſint, & ſanctitatis perfectionem, quæ ab intus petitur, & medulla amoris interni faciunt; vt flores ad conſeruationem vrbis, & vt campus floribus, & multi colore varius, imaginem, quæ ſub tela inſpicitur, illuſtrat.

Et conueniunt iterum turbæ ad eum. Ergo alias conuenerant? Vtique, neque enim is eſt, ad quem natura non inuitet, non ſemel, & *iterum*, ſed iugiter conueni- *Pſal.44.* re, ſpecioſum forma præ filijs hominum *Cant.5.* cuius labia diffundunt gratias, & myrrham primam diſtillant, quæ omnem arces putredinem, & olfactum oblectat. Quia odor eius, tàm qui à veſtimentis ſuæ humanitatis procedit, quàm qui intra, vt in vineis Engaddi latet balſamus, ſicut odor agri ple- *Eccl.33.* ni, cui benedixit Dominus. Ergo (inquit), reſpicite, quia non mihi ſoli laboraui, ſed omnibus exquirentibus diſciplinam. Audite me Magnates, & omnes populi, & rectores Eccleſiæ auribus percipite. Omnes qui ad eum conueniunt paratus eſt docere, & ſicut cynamomum, & balſamum, odore ſuæ ſcientiæ, & viuacis eloquij replere. Vnde ſequitur.

Et ſicut conſueuerat, iterum docebat illos. Non ex triſtitia, aut neceſſitate; ſed lætus, quia hilarem datorem diligit Deus, neque vt Phariſæi, aut Scribæ, ſed quaſi poteſtatem habens: Nec vnum aut alterum docet clanculum; ſed palam annuntiat omnibus de Patre ſuo; & venientem omnem ad ſe illuminat radijs ſuæ doctrinæ, nec eſt, qui ſe abſcondat à calore, & luce, quæ diffundit lux ipſe mundi, niſi qui abſcondit faciem ſuam, ne videat bonum, obturat aurem, ne capiatur harmonia tympani, & organi cæleſtis muſici; ac niſi retrorſum fugiant, ne buccinæ clangor ad timorem compellat, & honorem Dei, qui enim accedit illuminatur. Etſi ex turba ſit vili, ac vilior omni turba, & omni peccatore abiectior, dummodo conueniat, recedit iuſtificatus, doctus à Domino, & plenus gratia, & veritate, quibus nihil in vita vtilius, quum vitam, quæ neſcit occaſum, aut animi perturbationem, conferant. Is eſt totius doctrinæ Finis doctrinæ Chriſti. Chriſti finis; quid autem doctrina iſta contineret non iam exprimitur, vt eam omnigenam fuiſſe iuxtà conditionem auſcultantium nemo inficiat; nec in ſuo miniſtro quis reprehendat, quod nunc Præſules ad vigilantiam hortetur, & reſidentiam: Mox ad obſequium ſubditorum ſe conuertat, & obedientiam perſuadeat; poſtremo qualitatem tùm præmij, tùm ſupplicij ſeueri doceat illos, qui concioni interſunt. Similitudo. Vt enim varietate tonorum cantus optimus conſlatur; ita orationem prædicatoris Euangelici iucundam, & vtiliſſimam reddunt documenta multiplicia, quæ timorem audacibus ingenerent, & amorem trillibus; iis verò, qui piè agunt ſint currus igneus, quo velo eius aduolent. Secundum Matthæum non ſolum docebat illos Chriſtus, *Vict. Ant.* ſed curabat, vt conferret (inquit Victor Antiochenus) geminam ſanitatem, corporis vnam, animæ alteram. Hanc quidem per doctrinam, illam verò per diuinam virtutem. Cæterum corporalium infirmitatum profligatio, non iis modo, qui ſanabantur in diuinæ cognitionis materiam cedebant, ſed alijs quoque. At non ita Phariſæis; illi enim per hoc ipſum magis incendebantur, multoque efferaciores efficiebantur.

CAPVT SECVNDVM.

Et accedentes Phariſæi interrogabant eum ſi licet viro vxorem dimittere? tentantes eum.

Docebat Chriſtus omnem veritatem, Expoſitio. & eam apprehendebant turbæ, vt poterant, ſecus autem maiores, qui eam gratis impugnabant & renuebant ſcire. Vnde, *accedentes* ex eis, quidam *Phariſæi* doloſi fraudulenter *interrogabant eum*, quaſi magiſtrum quum illius magiſterium deteſtarentur: *Si licet*, inquiunt, *viro*, qui primatum in matrimonio tenet, vt caput mulieris, *vxorem*, quam vel virginem duxerit, vel viduam, quando ſibi placuerit, quacunque ex cauſa *dimittere*? Id autem dixerunt tentan-

tentantes eum, ſi quid fortaſſis impium in legem proferret; aut certè inhumanus in ſexum muliebrem ſe oſtenderet, durumque viris, vt ſic vtriſque exoſum redderent.

Et accedentes Phariſæi. Sed malignè ad Dominum; quo etiam modo accedunt, qui in corde, & corde loquuti ſunt, labijſque honorant Deum, cor autem eorum longè eſt ab eo, vt arbores, quæ ramos oſtentant, radicem autem quantum poſſunt ab aſpectu intuentium dilongant. Propterea ficus non florebit, nec erit germen in vineis, hoc eſt ſteriles omnino erunt, qui hac ex parte ficum, & vitem æmulabâtur. Ergo ne acceſſeris ad Deum duplici corde, ne fortè cadas, & adducas animæ tuæ inhonorationem, & reuelet Deus abſconſa tua, & in medio Synagogæ elidat te, quoniam acceſſiſti malignè ad Dominum, & cor tuum plenum eſt dolo, & fallacia.

Pſal. 11. — *Habac. 3* — *Eccl 1*

Interrogabant eum. Non Scribæ, ſed Phariſæi, cum alias ſæpe ſolerent ſimul Chriſtum doloſè interrogare. Nam qui mores profitebantur, potius quàm Doctrinam, quæ Scribarum erat propria, quæſitum quod multorum conſuetudinem, & conuictum vel pacificat, vel perturbat ſibi vſurpant; ſunt enim hi nonnunquam, vt fatui faciles pedem mittere in domum proximi, & velut hirundines domos alienas circuire, dumque ſe cunctis præferunt, reliquorum aures ſuis implere ſermonibus. Quid? etiā iuxtà mores ſuos alios meriti, & dijndicare; ac ſi dati eſſent arundo aurea, iuxtà quàm templum, & ciuitas ædificari iubentur: Quum reuera funiculus vanitatis potius ſit; qui ignorans erat; & colorati moribus, ſanctitatem prætendit, & effici ducem aliorum: Huius enim perſæpè & iudicium reperitur falſum; & interrogatio aut ſtulta, aut ſubdola, & correctio liuore plena, & indignatione, ſed & verba aliquando inſana, & ſuperba. Quæ omnia longe ſunt à Scribis, & litteratis, etiam æquè malis. Namq. doctrina, vt arte, tum iudicia, tum acta moderantur, nec ſe facile ad omnem ventum efferunt, vt ſolet Phariſæorum genus. Vnde hoc introducitur Chriſtum interrogans, de his, quæ ad coniugationum ſtatum à ſe alienum pertinebant, non Scriba, qui etſi mendax ſtylo, callidus tamen, & aſtutus.

Ezech. 40.

Si licet viro vxorem dimittere? Apud Mat. additur *quacunque ex cauſa*. De vxore vero an liceat virum dimittere non quæritur. Nam ſimilis diſceſſus omni ex parte ac iure prohibitus. Quapropter iure Ioſeph. Antiquit. Herodem magnum inſimulat, qui ſororem à marito priori diſcedere conſenſerit. Et Ioannes Sanctiſsimus arguebat Herodem Antipam, qui Herodiadis facinori aſſentiebatur retinens apud ſe, quæ Philippum maritum repudiarat. Et iuſtiſſimè tota Græcia in Troiam exarſit, vſque ad internitionem, propter diſceſſum vnius Helenæ à viro ſuo. Namque ſimilis diſceſſus non vni, aut alteri, ſed toti reipublicæ damnum inferret, tum quod frequentior ob leuitatem mulieris, & libidinem, diſcordias inter cognationes generaret frequentes, tum quod proli damnum inferret, & infamiam. Vnde in 9. lib. Cod. de Adult. & ſtup. tit. 9. ad legem Iuliam de adult. & ſup. lib. 2. Seuerus, & Antonius in app. inhibent mulieribus viros de adulterio accuſare, aut ea dimittere. Vtcunque Chriſtiana Religio, ait Innocentius Papa epiſt. 3. ad Exuperium Epiſ. cap. 4. Adulterium in vtroque ſexu pari ratione condemnat. Sed viros ſuos mulieres non facile de adulterio accuſant, & non habent latentia peccata vindictam. Viri autem liberius vxores adulteras apud ſacerdotes deferre conſueuerūt, & ideò mulieribus prodito earum crimine communio denegatur: Virorum autem latente commiſſo non facile quiſquam ex ſuſpicionibus mouetur, qui vtique ſubmouebitur, ſi eius flagitium detegatur.

Ioſeph. — *Quare diuortium prohibitum.* — *Seuerus & Ant. Imper.* — *Innoc.*

Tentantes eum. Etſi ſæpius eorum tentatiua interrogata diſſoluta fuiſſent, tentandi finem non faciunt, vſque adeo ſæuum & indomitum malum eſt, malitia, & inuidia (inquit Victor Antiochenus) Rogabant enim quæſtionem (ſubdit Theophylactus) quæ vtrinque præcipitia habebat. An liceat homini vxorem dimittere? Nam ſi diceret, quod liceret abſoluere, obieciſſent ei quod dixiſſet extra cauſam fornicationis non licere abſoluere. Si autem diceret, quod non liceret taxaret eum, vt aduerſarium doctrinis Moyſi. Itaque abſconderunt impij laqueum mihi, aut veritas; ſed qui reddit mala pro bonis non recedet malum de domo eius. Quare non eſt bonum damnum inferre iuſto nec percutere Principem, q ui recta iudicat. At Princeps quis niſi Chriſtus, quem ledunt, & lingua percutiunt Phariſæi tentantes eum?

Vict. — *Theoph.* — *Prou. 7*

CAPVT TERTIVM.

At ille reſpondens, dixit eis: Quid vobis præcepit Moyſes?

Qui conſiderat nouiſſima, & antiqua, nuda ſunt oculis eius, quæ ſibi præſentia erant fraudulenta conſilia penetrabat in animis falſorum: Diſſimulat tamen, quouſque ad maius præcipitium reſponſis proprijs inducantur. Quare tentatiua impoſterum audita, ille omniſciens, & omnipotens, *reſpondens* dulci eloquio, & ſapienter *dixit eis*, qui turgide rogarant. Agite inquit, qui curioſos oſtenditis vos in his, quæ minus ad veſtram opinionem, & ſtatum decent, *quid* ſuper quæſito inutili, & doloſo,

Expoſitio

doloſo, *vobis* rudibus *præcepit Moyſes*, quo Magiſtro gloriamini, & legiſlatore? Etenim Magiſtrum interpellant diſcipuli. Ergo qui ſolius Moyſi complectimini magiſterium, quid ab eo præceptum eſt vobis, quærendum erat. Verum non diffugio reſponſum dummodo poſtulato ſatisfaciatis.

At ille reſpondens. Ne ſtulti ſibi videantur ſapientes, & conſilium impiorum præualeat; neque lateat ſapientia in angulo, quando os peſſimorum ebullit ſtultitiam. His quoque, qui ſapiens eſt & zelator inducitur reſpondere infami, hæretico, & relicto ſilentio, ac ſecreto vaſtæ ſolitudinis, & verbis, & ſcriptis reſpondere eorum malitiæ, vt olim feciſſe legimus Ioannem Damaſcenum contra deſtructores imaginum, & mox plerique Carthuſiani inſtituti tentatiuis Lutheri acriter, & ſubtiliter reſponderunt, vt liceat eis dicere: Videte quoniam non ſoli mihi laboraui, ſed omnibus exquirentibus veritatem.

Reſpondendum aliquādo hæretico

Dixit eis. Non accenſus ira, neque turbulentus, vt merebatur temeritas hominū, ſed placidus animo, ac verbis compoſitus. Quia fauus mellis compoſita verba, dulcedo animæ ſanitas oſſium. Neque igitur ſemper tacet (inquit Victor Antiochenus) ne machinationum, & conſiliorum ignarus videatur, neque ſemper rurſus eos reprehendit, quo per hoc miti, patientique animo quædam perferenda eſſe nos doceat.

Prou 16.
Vict. Ant.

Quid vobis præcepit Moyſes. Non ait nobis, vt qui conſtitutus eſſet legiſlator ſuper eos, qui aderant, & præceſſerant. Quare nihil ad eum Moyſes, qui famulus Dei erat, non Deus vt ipſe: Adimpleuit tamen legem, non Moyſi, ſed ſuam, quam in Moyſe per manum mediatoris condiderat: *Vobis* igitur ait, *præcepit Moyſes*, qui ex lege ob peccatum circuncisi vniuerſæ legis debitores facti eſtis, nihil tamen facitis ex lege. Remittuntur itaque ad præcepta Moſayea, vt eos tum ignaros, tùm tranſgreſſores legis prodat, ac iure inſimulet reos in omnibus legis præceptis: Iuxta illud, qui in vno deliquit, factus eſt omnium reus. Vnde interrogans Chriſtus: *Quid vobis præcepit Moyſes?* Ac ſi diceret vos vnum in lege contentum perquiritis; ego *quid* vobis in tota lege *præcepit Moyſes* inquiro, quandoquidem ignoratis, quæ præcepta ſunt vobis, à quibus veſtra interrogatio ordiri oportebat, & non ab his, quæ non præcepit. Siquidem vxorem dimittere, non præceptum, ſed permiſſio eſt.

Iacob. 2

Congrua interrogatio.

CAPVT QVARTVM.

Qui dixerunt Moyſes permiſit libellum repudij ſcribere, & dimittere.

CVnctanter ad nouum, & inopinatum quæſitum reſpondent Phariſæi, & dixerunt, alia tamen mente, quàm erant poſtulati; *Moyſes* inquiunt ille legislator omnium alioqui ſupremus, *permiſit* ſapienter, ac nutu Dei *libellum repudij* contra vxorem ſcribere, & dato eidem libello, dimittere à ſuo conſortio, & conuictu, liberam expellere domo.

Expoſitio

Qui dixerunt. Simpliciter quaſi nihil mali prætenderent, cum lingua eorum viperina eſſet dolo, & fallacia: Nam verba bilinguis, quaſi ſimplicia, & ipſa perueniunt vſque ad interiora ventris. Fiant ergo (precatur Vates) ſicut fænum tectorum, quod priuſquàm euellatur, exaruit, de quo non implebit manum ſuam, qui metit, & ſinum ſuum, qui manipulos ſpiritus, qui ad vindictas creati ſunt, vt manipulos, & faſciculos zizaniorum in ignem comburendos mittant, metunt verò ſata optima Apoſtoli, Angeli, & Sancti Dei homines. Qui manum ab improbitate, & improbis cauēt; ſed & hos peſſimi Dæmones ſibi nollent ſociari, torquentur enim amplius ſocietate, vt ſtrues lignorum, quanto maior, tanto acriori flamma accenditur.

Prou. 18.
Pſal. 128.

Moyſes permiſit libellum repudij ſcribere. De huius libelli ſcriptura habes apud Matthæum. Mox ſcito (vt habet additio ad 3. par. S Thom. quæſt. 67. art. 1.) quod matrimonium ex intentione naturæ ordinatur ad educationē prolis, non ſolum ad aliquod tempus, ſed per totam vitam prolis, vndè de lege naturæ eſt, quod parentes filijs theſaurizent, & filij parentum hæredes ſint. Vnde cum proles ſit commune donum viri, & vxoris, oportet eorum ſocietatem perpetuo permanere indiuiſam, ſecundum legis naturæ dictamen, & ſic inſeparabilitas matrimonij eſt de lege naturæ: Comparem enim ſuum (ait Ambroſ. in Hexameron. lib. 5. cap. 7.) & bos requirit, & equus diligit: Et ſi mutetur alius trahere iugum, neſcit compar alterius, & ſe non tutum putat. Quare (ſubdit Hieron. ad Oceanum de morte Fabiolæ) apud nos, quod non licet fœminis, æquè non licet viris, & eadem ſeruitus pari conditione cenſetur.

Additio ad 3. p. S. Thō.

De lege naturæ parentes filijs theſaurizant.

Ambr.

Hier.

Et dimittere. Vt habetur Deutor. 24. dimiſſionis autem cauſam potiſſimā faciunt Doctores vxoricidium, quod ex odio concepto ob deformitates vel corporis, vel animæ, quas in ſocia contemplebantur, facilè poterat perpetrari ab eis, qui nec

Deo

Gloſſ. Aug.

Deo parcebant, nec à filiorum ſanguine abſtinebant; gens praua, atque peruerſa, ac duræ ceruicis. Vide Gloſſ. citati loci, & Auguſt. de ſerm. Domini in monte ſer. 25.

CAPVT QVINTVM.

Quibus reſpondens Ieſus, ait: Ad duritiam cordis veſtri ſcripſit vobis præceptum iſtud.

Expoſitio.

PRocedit ab eorum dicto ad ſolutionem quæſiti, ſeu potius reprehenſionem. Nam *reſpondens* eis *Ieſus* prudenter, ſed excandeſcens ait: *Ad duritiam potius cordis veſtri* peſſimi, quod vt beſtia in innocentes fremet, quanto magis aliqualiter nocentes, & diſplicentes, manifeſtandam cunctis permiſit vxorem dimittere, & *ſcripſit vobis*, hanc legem, quam vt præceptum aliquod peculiare vos imperiti arbitramini; & eam habere vim, ac alia creditis.

Iſai. 29.

Quibus reſpondens Ieſus, ait. Interpretans legem, quam non intelligebant, ſeu nolebant potius diſquirere vim contenti in lege. At Ieſus, qui & ſaluator, propter hoc dabit legem delinquentibus in via, & interpretationem veteris, vt non ſit iam cæcus, qui erret, nec claudus, qui non ambulet in latitudine, & viam mandatorum cucurrat; ſcriptum eſt enim: Et audient in die illa ſurdi verba libri, & de tenebris, & caligine oculi cæcorum videbunt. Et addent mites in Domino lætitiam, & pauperes homines in ſancto Iſrael exultabunt. Quoniam defecit ignorans qui præualebat; conſumatus eſt illuſor, qui eum dolo interrogabat; & ſuccisi ſunt omnes malignè agentes Phariſæi, Scribæ, Herodiani, & optimates, qui vigilabant ſuper iniquitatem, nouis traditionibus; qui peccare faciebant homines in verbo, quod ex proprio captu contra veritatem legis proferebant, & arguentem in porta ſupplantabant, ſiue Propheta is eſſet, ſiue Iudex, quem Deus ad eos deſtinaſſet. Et declinauerunt fruſtra à iuſto, qui venerat eos iuſtificare; quia iuſtus Dominus Deus noſter.

Indurati Phariſæi.

Spōtanea malitia.

Ad duritiam cordis veſtri. Tanta enim erat eorum duritia, vt ſemper Spiritui ſancto reſiſterent, & Deum tentarent in cordibus ſuis, & de eodem loquerentur malum, & nequitiam in excelſum eructarent. Inde fronte meretricio habiti ſunt, & indurati facie ſuper adamantem, gens abſq. conſilio, & ſine prudentia. Cordi autem duritia tribuitur potius quàm manibus, & auribus etſi iſta duriora ſint natura, quod voluntarie peruicaces, & obſtinati eſſent, & ſponte malū ſequerētur, ſpontanea enim malitia ferinam ſuperat, & vincit duritiem totius naturæ. Nam ſi lex frangitur martello: Adamas cedit draconis ſanguini, & medetur veneficis vel herba, vel ars & quandoque veneni auctor eſt, fit etiam eiuſdem medicina, vt ſcorpio. Sed & feram quis iam efferet inuictam? Superantur omnia præter cor malum, quod ſemel induratum, nemo vincet. Quod ergo natura leuiſſimum eſt, vt cor, redditur aſperum, & difficile à Deo per malitiam ſtudiorum, vt emolliri nequeat, niſi omnipotens omnipotenter agat. Quis eſt in vobis, ô mortales, qui audiat hoc, attendat, & auſcultet futura.

Peruerſi cordis duritia.

Iſai. 42.

Permiſſionis & præcepti differentia.

Scripſit vobis præceptum iſtud. Si præceptum quomodo permiſſio, vt dictum eſt ſupra? Permiſſio enim libera eſt, præceptum verò iniungit coactionem; permiſſio datur de minori malo, præceptum verò, ſi affirmatiuum, de bono ſimpliciter; ſi negatiuum, quod ſimpliciter malum eſt prohibet: Permiſſio niſi ex diſpenſatione auctoris naturæ fiat, peccatum importat, præcepti verò obſeruatio meritum adauget. Quid ergo permiſſum, an vero præceptum fuiſſe libellum repudij dicemus? Aut verò permiſſum abſque peccato, quia ex diſpenſatione; aut ita præceptum, quod tantum ligaret occurrente maiori damno, vtpotè vxoricidio? Diuiſæ hac in parte ſententiæ, Quidam dicunt (habet additio ſuper 3. par. S. Thom. quæſt. 67. art. 3.) quod illi qui ſub lege vxorem dato libello repudij dimittebant, non excuſabantur à peccato, quamuis excuſarentur à pœna ſecundum legem infligenda, & propter hoc dicitur Moyſen libellum repudij permiſiſſe; & ſic ponunt quatuor modos permiſſionis. Vnum per priuationem præceptionis, vt quando maius bonum non præcipitur, minus permitti dicitur; ſicut Apoſtolus non præcipiendo. Virginitatem matrimoniū permiſit 1. Cor. 7. Secundum per priuationem prohibitionis, ſicut venialia dicuntur permiſſa, quia non ſunt prohibita. Tertium per priuationem cohibitionis; & ſic peccata omnia dicuntur permitti à Deo, in quantum non impedit, quum impedire poſſit. Quartum per priuationem punitionis, & ſic libellus repudij in lege permiſſus fuit, non quidem propter aliquod maius bonum conſequendum, ſicut diſpenſatio de pluribus vxoribus habendis, ſed propter maius malum cohibendum, ſcilicet vxoricidium, ad quod Iudæi proni erant, propter corruptionem iraſcibilis, ſicut & permiſſum eſt eis extranei fænerari propter corruptionē aliquam in concupiſcibili, ne ſcilicet fratribus ſuis fænerarentur, & ſicut etiam ob corruptionem ſuſpicionis in rationali fuit permiſſum ſacrificium zelotipiæ, ne ſola ſuſpicio apud eos iudicium corrumperet. Sed quia lex vetus quamuis gratiam non conferret, tamen ad hoc data erat, vt peccatum oſtenderet, vt communiter ſancti dicunt: Ideò aliis videtur, quod ſi repudiendo vxorem

Addit. 3 p. S. Thom.

Permiſſum repudiū non conceſſum quidam opinantur.

Quatuor modi permiſſionis. 1. Cor. 7.

Quomodo permiſſum repudium & quare.

Cur data eſt lex vetus.

peccan-

Iſai. 58. peccaſſent, hoc ſaltem eis per legem, aut Prophetas indicari debuiſſet Iſai. 58. Annuntia populo meo ſcelera eorum: Alias viderentur nimis eſſe neglecti, ſi ea, quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem, quæ non cognoſcebant, nunquam eis nunciata fuiſſent, quod non poteſt dici, quum iuſtitia legis tempore ſuo obſeruata, vitā mereretur æternam. Et propter hoc dicunt, quod quamuis repudiare vxorem, ptr ſe ſit malum, tamen ex permiſſione diuina licitum fiebat, & hoc confirmatur auctoritate Chryſoſt. hom. 32. in Matth. op. imp. qui dicit, quod à peccato abſtulit culpam legiſlator, quoniam permiſit repudium. Et quamuis hoc probabiliter dicatur, tamen primum communius ſuſtinetur. Videlicet à S. Thom. in 4. S. Bonau. Mag. & Altiſſiodorenſe; necnon Lyrano in 24. exod. Aliam ſententiam probant Scotus, Durandus, & Abulenſis in Matth. qui etiam ad Gentiles licentiā extendit, quum nullo inquit iure prohiberentur. Qua in re decipi hominem certum eſt, quum iure naturæ matrimoniū ratione contractus etiam indiſſolubilitatem importet. Cayetanus inter has opiniones mediat volens, etſi permiſſum, non tamen ſub lęthali crimine illicitum, ſed veniali; quod permiſſio per modum legis daretur. Vnde Malachias dixit: Si odio habueris vxorem, dimitte. Si hebræos conſulimus profecto nullum in libello repudij peccatum admittemus, vt expreſſe Ioſeph. lib. 4. antiqu. cap. 6. deponit, & licite in vita ſua, quam deſcribit, ſe feciſſe cum vna, aut altera vxore teſtatur. Ac de iis ſatis.

Auctor operis imperfecti apud Chriſoſt. *S. Thom.* *S. Bonau.* *Mag.* *Altiſiodor.* *Lyran.* *Scot. Durand. Abul.* *Caiet.* *Ioſeph.*

CAPVT SEXTVM

Ab initio autem creaturæ, maſculum, & fœminam fecit eos Deus.

Expoſitio. Explicat primum Matrimonij ſtatum, à quo diceſſerant ex permiſſione dnri hominis. *Ab initio*, inquit, quando eſſe creaturæ cœperunt, vniuerſorum conditor, nec plures maſculos, quibus vna fœmina poſſet coniungi, neque plures fœminas, quæ vni viro nuberent, ſed *maſculum* vnum, & vnam *fœminam fecit Deus eos*, qui matrimonio coniungendi erant, vt nec vna plures appeteret maritos, nec vnus ſemel ſociatus ſociam repudiatet, contentus quiſq; ſua ſorte.

Ambr. lib. de paradiſo cap. 10

Iacob. 1. *Ab initio autem creaturæ*. Non dicit initium creaturæ quod Iacobus vocauit; vt ſimus initium aliquod creaturæ eius; neque principium omnis creaturæ, ſed temporis initium quando creatura cœpit creari, dicente Deo; fiat, & factum eſt. Verum quandoquidem non incepit ab homine, cur dicitur fecit *ab initio creaturæ*? Tum quod ad hominem creatura corporea ordinaretur, tùm quoque quod homo quadam ſimilitudine, & participatione omnem creaturam contineret: Ideò *ab initio creaturæ* factus dicitur. Vnde quando dixit Deus, fiat lux, & homo, qui lux vera mundi ſpiritualis futurus erat, conditus eſt, vt veritas in typo, & ita in reliquis operibus dierum, hominem dicimus effigiatum, etiam *maſculum, & fœminam* quum germinibus, ac viuentibus productionem indiderit auctor.

Homo finis creaturæ.

Maſculum, & fœminam fecit eos Deus. Illum in campo Damaſceno de limo terræ plaſmauit, miniſterio Angelorum, vt volunt Hebræi, id quod aliqui eorum putant, interpretantes plaſmauit, ideſt creauit, quod cum ſit de nihilo, ſolus eſt Dei, qui nihil in agendo præſupponit, non ita agens à natura, & arte. In Adami tamen formatione præextitiſſe materiam ex Geneſi conſtat, eamque rubram tradunt Hebræi, vt nomen Adam, quod eſt apud hebræos rubeſcere, idipſum indicat; reperitur enim plerumque gleba rubea; tum maximè in Syria, & Armenia. Ex coſta Adæ in Paradiſum terreſtrem, qui Edem ab Hebræis dicitur *fœminam fecit Deus*. Ergo qui in Scythia primo effectos homines dixere, errarunt, contra quos Iuſtinus hiſtor lib. 2. Fabulas quoque texuere, qui vt ſcribit Theodoretus lib. 5. Græcarum affectionum, putarunt homines in Attica primo exortos fuiſſe, & qui in Arcadia, & qui in Ægypto quaſi naturaliter ex limo terræ, & ſolis virtute, idque per multa millia annorum, quàm à nobis valeant recenſeri, grauius multo delirant; tum quod æternum fabulentur mundum; cum maximè quod primorum hominum generationem, ab inſectis animalibus non diſtinguant, ſed idem initium quod muribus, & muſcis tribuant dominatori orbis: Verum cur *Maſculum* primo, & extra Paradiſum, ac de limo terræ; fœminam verò in Paradiſo, & de coſta viri Deus fecerit primos parentes, & cur non *maſculum* ſolum, nec fœminam ſolam, vt inter piſces creditur factum, & animalia alia, ſi credimus Plinio? quæret diligentius, qui curioſus eſſe in friuolis voluerit, nobis ſatis eſt factum nouiſſe, & illud credere.

Opinio hebræorum. *Fabula.* *Iuſtinus.* *Theodor.*

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT SEPTIMVM.

Propter hoc relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit ad vxorem ſuam.

Expoſitio. QVæ Adam vxore orta vaticinans dixit, tanquam propria Chriſtus refert, vt in Adam iam tum locutum credamus numen oraculorũ. Propter hoc (inquit) quod factus eſt vnus primorum parentum maſculus, & alter fœmina; relinquet homo maſculus, ne dùm alterius mulieris contubernium, ſed ſi occaſio tulerit, *patrem ſuum*, à quo genitus eſt, & *matrem*, quæ illum peperit, omnino deſeret, & cunctanter *adhærebit* non tàm corpore, quàm animo *ad vxorem* Geng. 2. *ſuam*, quæ ſibi in adiutorium eſt procreata.

Propter hoc relinquet homo patrẽ ſuum, & matrem. Namque eſſe *Patrem*, & *matrem* eſt conſequens ad primũ; vt ergo primum, quod à poſteriori non pendet, abſque eo eſſe poteſt, ita ſine eo eſſe debet, quando Arias Mõt. impeditur. Eſt quidem (inquit Arias Mont.) naturalis coniunctio inter *patrẽ, & matrem* & filium, tanquam coniunctio, ſiue vnio partis minoris ad totum. Et huius obſeruatio ſancta eſt ex natura ipſa, & Dei commendatione. Sed viri, & vxoris coniunctio dignior eſt, vt quæ conſtet ex duobus integris, & iiſdem in vnum coniunctis. Eſt autem ſecundum naturam maior, & dignior coniunctio dimidij ad dimidium, quàm partis minoris ad totum. Ergo illa coniunctio admiranda omnino eſt, & obſeruanda, quæ vnũ integrum vni integro, ea ratione, qua dimidium dimidio coniungitur, in vnum integrum etiam accedit ſingularis, myſterijſq. plena Dei inſtitutio, quæ communem naturæ modum ſuperat. Quando ergo alterutrum vel parens, vel vxor relinquenda eſt, potius parentis cura omittenda eſt, quã vxoris. Quum verò vtriſque poteſt ſatiſfacere, lege naturæ, & Dei obſtringitur, & diligenter nauare operam tenetur, ne parenti, nec coniugi aliquid deficiat diſt. 30. Si qui filij 86. in ſingulis.

Et adhærebit vxori ſuæ. Non vt illi ſeipſum ſubijciat; quia ſcriptum eſt: Ne dede- Eccl. 9 ris mulieri poteſtatem animæ tuę. Siquidem monſtrũ natura, quæ cæca eſt, diffugit, quanto is, qui videt? An non monſtrũ caput pedẽ fieri? Etenim vir caput eſt mulieris. Eſt er- Aug. go ordo naturalis (inquit Aug. lib. 9. gen. 9. 153.) in hominibus, vt ſeruiant fœminæ viris, filij parentibus, quia nulla iuſtitia eſt, vt maior ſeruiat minori. Vnde quæcunq. vxor Hier. (proſequitur Hier. in 2. cap. ep. ad Tit.) non ſubijcitur viro ſuo, hoc eſt capiti ſuo eiuſdẽ criminis rea eſt, cuius & vir ſi non ſubijciatur Chriſto capiti ſuo. Itaque non adhærebit, vt ſubijciatur, ſed vt vno amore, & vna voluntate inſeparabili ei, quam Deus ſibi ſociauit, conglutinetur. Ideò (inquit Ambroſ. lib. de Paradiſo cap. 10.) non dico Ambr. à principio facti vir, & mulier, neque duo viri, neque duæ mulieres; ſed primum vir, deinde ex eo mulier. Vnam enim naturam volens hominum conſtituere Deus ab vno principio creaturæ eius incipiens, multarum, & diſparium naturarum eripuit facultatem. Quare (infert Auguſt. de ſerm. Dom. Aug. in mon. lib. 1. cap. 32.) Si vxorem quis habeat ſterilem, vel deformem corpore, ſiue debilem membris, vel cæcam, vel ſurdam, vel claudam, vel ſi quid aliud, ſiue morbis, & doloribus, languoribuſque confectam, & quidquid (excepta fornicatione) cogitari poteſt vehementer horribile; pro fide, & ſocietate ſuſtineat.

CAPVT OCTAVVM.

Et erunt duo in carne vna, itaque iam non ſunt duo, ſed vna caro.

NOn ſolum animorum vinculum inter Expoſitio. coniugatos eſſe vult matrimonij inſtitutor; ſed etiam corporum. *Et erunt*, inquit, non tàm in animo adhærentes mutuo, verum quoq. *duo in vna carne* coniungentur, vt bonũ prolis aſſequantur, & fugiant aliorum concubitus, & eos qui à tàm digno fine abhorrent. Itaque liquet ex his, quod qui matrimonio coniungũtur, iam non ſunt, duo inter ſe liberi, qui ſui corporis facultatẽ habeant cõmunicandi cui voluerint, aut ſeparandi à coniuge renitente: Etenim nullo modo duo, ſed vna ſunt caro indiuiſa, & inſeparabilis per fœdus contractum, & firmatum deſuper.

Et erunt duo in carne vna. Adhærentię, vnitas, quã præmiſit, conſensũ notat animorum, & voluntatũ, ſe mutuo tradendi inſeparabili vinculo, in quo ratio matrimonij Ratio matrimoni. tota cõſiſtit, vt ex coniugio vero inter Mariam, & Ioſeph in confeſſo eſt apud Catholicos. Hæc carnis vnitas innuit conſensũ in carnalem copulã, aliquando inter coniuges fore: Fit huius mentio poſterius, quod prior cõſenſus primò, & per ſe matrimoniũ faciat. Exprimitur autẽ ſolum adhæſio viri, quod ea ſe habeat, vt forma ad coniugium, vnde quæritur mulier ante, velit ne nubere illi viro, poſt cuius cõſensũ, vir quæſitus exprimit ſuũ, quo ratificatur datio; ſcio cuiuſcũq. fuerit cõſenſus, poſtremus haberi ab aliquibus Doctoribus pro forma: Atqui eo vltimo requiri viri volũtatẽ debere, ratio poſtulat, vt qui futurus eſt caput, ſed completor matrimonialis cõtractor. In carne itaq. vna dicuntur eſſe, quod vir ſui poteſtatẽ non habeat, ſed mulier, neq. mulier ſui corporis poteſtatẽ habeat, ſed vir; velut iugale animal, quod ſub iugo conſtitutũ neceſſe eſt alterũ

ſiue aratrum,ſiue currum trahentem ſequi, & ci conformem in omnibus pene fieri, quamdiù ſubiungantur ambo eidem iugo. Ita vir, & mulier ſibi conſentientes ſint, & beneplacitum eſt Deo. Quod ſi dicat vir (ait Auguſt. in Pſal. 149.) continere iam volo, nolo autem vxor non poteſt, quod enim tu vis non vult illa. Nunquid per continentiam tuam debes illam facere fornicariam? Nam ſi tu abſtines ſine vxoris voluntate (ait Chryſoſtomus hom. 1. Pſal. 50.) tribuis ei fornicandi licentiam, & peccatum illius tuæ imputabitur abſtinentiæ. Nec viro licet (addit Ambroſius lib. 1. de Patriar. cap. 4.) quod mulieri non licet. Ad tempus continere, vt orationi vacent, vtrique ſuadet Paulus, necnon patres certis anni temporibus 33. quæſt. 4. cap. 1. Quotieſcunque ſi cauſa; poſtquam conceperit vxor diſt. 5. ad eius vero concubitum, nec ante purificationem puerperę ibidem, &c.

Aug. — *Chriſ.* — *Ambr.*

Itaque iam non ſunt duo. Hoc videtur priori ſententiæ opponi; *& erunt duo*; minime, *ſunt* reuera, *duo*, & *non ſunt duo*. Duo eſſe deſinunt in his quæ ad leges matrimonij ſpectant, videlicet, vt ſint vnius conſenſus in contrahendo, & poſt contractum matrimonium, niſi ex conſenſu non ſeparent thorum, ſiue ad tempus, ſiue in perpetuum, altero ad Religionem intrante, vel vtroque caſtitatē vouente. *Sunt autem duo* etiam poſt contractum, quo ad ea, quæ fœderi coniugali non derogant; vt in priuatis exercitijs animæ, diſtribuendis bonis, firmandis contractibus, & alijs actionibus liberis, quæ iure tam vxori, quàm viro leges tàm humanæ, quàm diuinæ concedunt.

Sed vna caro. Quod etſi triplex bonum fidei Sacramenti, & prolis matrimonio ſtatuatur; proles potiſſimum, quæ vnica eſt parentibus caro attendatur ſecundum primæuam matrimonij inſtitutionem, quando dictum eſt coniugatis: Creſcite, & multiplicamini, & replete terram. Vnde ſemel coniuncti, coniunctionem corporum continuare rite non poſſunt niſi prolem intendāt. Debent ergo (ait Auguſtinus de bono coniugali cap. 6.) non ſolum ipſius ſexus commiſcendi fidem liberorum procreandorum cauſa (quæ prima eſt humani generis in iſta mortalitate ſocietas) verùm etiam infirmitatis inuicem excipiendæ ad illicitos concubitus euitandos mutuam quodammodo ſeruitutem, vt ſi alteri eorum perpetua continentia placeat, niſi ex alterius conſenſu non poſſit. Hoc tamen poſtremum Apoſtolus conceſſit ex indulgentia, quia non reputatur mortale peccatum ad vitandam fornicationem coniungi. Sapiens vir iudicio debet amare coniugem, non affectu. Rege impetus voluntatis nec præceps feratur in coitu. Nihil eſt fœdius quàm vxorem amare, quaſi adulteram. Certè qui dicunt ſe cauſa reipublicæ, & generis humani vxoribus iungi, & filios procreare, imitentur ſaltem pecudes; & poſtquam venter vxoris intumuerit, non perdant filios; nec amatores ſe vxoribus exhibeant, ſed maritos. Salomon quippe (ait Gregor. lib. 12. moral. cap. 12.) immoderato vſu, atque aſſiduitate mulierum ad hoc vſque perductus eſt, vt templum Idolis fabricaret: Et qui prius Deo templum conſtruxerat, aſsiduitate libidinis, etiam perfidiæ ſubſtractus, Idolis conſtrueuere templa non timuit. Itaque vna ſunt caro, quod vnicam prolis carnem debeant in congreſsibus potiſsimum intendere; nec aliter coniugi, niſi ad vitandum in vtroque periculum, idque modeſtè, non in contumeliam, & paſſionem ignominiæ, ſicut gentes, quæ ignorant Deum.

Gen. — *Aug.* — *Greg.*

CAPVT NONVM.

Quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet.

INfert illationem, qua diſſoluitur iniquorum machinatio, & commendatur mirificè matrimonium. *Quod ergo*, inquit, non mortalium quiſpiam, neque aliquis ſempiternorum ſpirituum, ſed *Deus*, quo nihil dignius, nec excellentius, *coniunxit*; *Homo*; qui nihil eſt Deo comparatus, *non ſeparet* ſua auctoritate, nec præſumat repellere coniugium, nec alterius probare diuortium, repulſam ad ſe introducens.

Expoſitio.

Quod ergo Deus coniunxit. Quod ſcillicet matrimonium Deus coniunxit inter maſculum vnum, vnamque fœminam ſolam, non plures. Hoc enim ex diſpenſatione licuit patribus, non lege, ac iure matrimonialis coniunctionis. Quinimo pluralitas vxorum dicitur (inquit additio ad 3. par. S. Thom. q. 65. art. 2.) eſſe contra legem naturæ, non quantum ad prima præcepta eius, ſed quantum ad ſecunda, quæ quaſi concluſiones à primis præceptis deriuatur. Quare nec vlli vnquam licuit (proſequitur Innocentius Tertius ad Tiberiadenſem Epiſcopum) inſimul plures vxores habere; niſi cui fuit diuina reuelatione conceſſum, qui mos quandoque interdum etiam fas cenſetur per quam ſicut Iacob à mendacio, Iſraelitæ à furto, & Sanſon ab homicidio, ſic & Patriarchæ, & alij viri iuſti, qui plures leguntur inſimul habuiſſe vxores ab adulterio excuſantur. Inde lector procedat in primis aduerſus Iuſtinianum Imperatorem, qui vt poſſet cum vxore retinere concupinam, legem tulit, licere cuique ciuium duas vxores ducere; deinde inſurgat aduerſus Lutheranos; qui de licentia magiſtratuum duobus coniungi quemlibet

Addit. 3 p. S. Thom.

Innoc III.

Pluritas vxorum ex diuina reuelatione licuit.

Iuſtinianus videtur primus adſertor Poligamię, inter Chriſtianos.

queunlibet poſſe impudicè affirmant. Poſtremo Hetzeum, Bernardinum Ochinum, ac reliquos, qui Mahumetanorum more vxorum numerum admittunt, probant, & laudant, anathematizet eum patribus Tridenti ad generale Concilium vocatis ſeſſ. 24. can. 2. Si quis dixerit licere Chriſtianis plures ſimul habere vxores, anathema ſit. Porro vxorati quando audiunt, quod Deus coniunxit, lætentur, & cognoſcant, vt inquit Ambr. lib. de Patriar. cap. 4. velut præſulem, cuſtodemque coniugis eſſe Deum, qui non patiatur alienum thorum pollui: Etſi quis fecerit eum peccare in Deum, cuius legem violet, & gratiam ſoluat. Et ideò quia in Deum peccat ſacramenti cæleſtis amittit conſortium. Quum vtique (ait Innocent. I. ep. 2. ad Victorem Rothomagenſem Epiſcopum ex legis præcepto ducatur, in tantum, vt & in Paradiſo, quum parentes humani generis coniungerentur ab ipſo Domino ſint benedicti, & Salomon dicat: à Deo præparabitur vxor viro.

Trid. *Ambr.* *Innoc. I.*

Homo non ſeparet. Separat homo, qui agnitam eijcit, & indueit aliam, & qui poſt matrimonium ratum, licet non conſummatum cuiuſcunque fultus auctoritate cum altera matrimonium contrahit, priori manente in ſæculo. Nam prius ad religionem conuolante, non homo, ſed Deus ſolueret. Vndè Synodus Tridentina ſeſſ. 24. cap. 4. Siquis dixerit matrimonium ratum non conſummatū per ſolemnem religionis profeſſionem, alterius coniugum non dirimi Anathema ſit. Inter namque traditiones Apoſtolicas hæc vna potiſſima creditur. Non ſeparat etiam, qui poſt conſummatum ex alterius conſenſu, monaſticam ſuſcipit vitam. Ad quam non vult Gregor. lib. 5. epiſt. 49. ad Vrbicum Abbatem, nec Nicolaus Papa ad Carolum, & ad Lotharium Regem, recipi, niſi eandem vitam alter eligat. Quin adhuc præcipit Eugenius Papa II. in Synod. Rom. Epiſcopi conſenſum requiri. Qui propter impedimentum dirimens ſeparantur, quia nunquam fuerunt à Deo coniuncti, quum nullum eſſet matrimonium; non dicuntur ab homine ſeparari, ſed declarari ſemper à primo conſenſu ſeparatos extitiſſe.

Trid. Soluitur matrimonium ingreſſu religionis. *Greg.* *Nicol.* *Eug. ſin. Rō.*

CAPVT DECIMVM.

Et in domo iterum diſcipuli eius de eodem interrogarunt eum.

Expoſitio

VIdebatur Apoſtolis nouum aliquid audiuiſſe, & quidem arduum, ac difficile malè aſſuetis. Quare ſeorsū *in domo*, ad quā dimiſſis turbis ſe iā ſerò receperāt *iterū diſcipuli eius* familiares, *de eodē* propoſito quęſito *interrogauerunt eū* ſedulo, ſi fortè myſteriū in dictis lateret, dignaretur patefacere

Et in domo iterum. Optime interrogāt, quod etſi in campis, & ſyluis lex matrimonij promulgata eſſet, nnſquā perfectius nec expoſita, nec intellecta, nec obſeruata, quàm cum domi ventum eſſet, quando inquam conditor coniugum, & legiſlator fæderis indiſſolubilis, homo natus eſt in ea, & ipſe fundauit eam altiſſimus, ſacramentis, & legibus, atque alijs ornamentis, quæ nouam Hieruſalem ſicut ſponſam ornatam viro ſuo; donum magnæ gloriæ pluſquam primæ; ac ſolium, quale in vniuerſis Regnis non reperitur, compellamur Eccleſiam vnicam acclamare. Tunc *in domo* hac matrimonium, quod hactenus in contractum erat, exeuſans peccatum, inſtitutum eſt à Chriſto noſtro ſacramentum gratiam conferens, velit nolit fax hæreſum Lutherus, qui poſt tot ſæcula, quæ eius ab inſtitutione præceſſerunt, non erubuit dicere. Matrimonium non eſt Sacramentum. Quamobrem in eum ſæuit Patrum concio in Concil. Trid. ſeſſ. 24. ſtatuens cap. 1. Si quis dixerit Matrimonium non eſſe verè, & propriè vnum ex ſeptem legis Euangelicæ Sacramentis à Chriſto Domino inſtitutum, ſed ab hominibus in Eccleſia inuectum, neq. gratiam conferri, Anathema ſit.

Matrimoniū eſſe Sacramentum.

Diſcipuli eius. Interrogant *diſcipuli* iterum legē matrimonij, quod illorū ſit coniugatos de his omnibus inſtruere; quemadmodum, & factū apud Clem. legimus lib. 1. conſt. Apoſt. c. 8. lib. 6. c. 28 & alibi ſæpe, id quod ſucceſſores obſeruarūt multa in Concilijs, & priuatis decretis, ac ſcriptis ſuper hæc ſtatuentes, & tradentes minoribus ſacerdotibus, vt ea in confeſſionibus, & concionibus omni cum verborū honeſtate docerent coniugatos; quo, videlicet, in coniuctu, amore; & quanta circunſpectione in congreſſu; & quibus temporibus continentia illis vtendum eſſet, & quanta diligentia in erudiendis filijs: Quibus concilia ſacros canones, & patrū libros talibus documentis reperio plenos: Sacerdotes autem compellor aliquos ac in parte, aut ignaros, aut ſciolos, aut mutos dicere: Nam vix vnum, aut alterum coniugū mihi occurrit, qui non ſe penitus horum inſciū proferret, cum tamen doceat præter procreationē filiorum, quod naturale eſt, multa ſcite alia coniugatos, ſi non damnationem, ſed meritum ex maritali commertio optant reportare. Non item interrogant *diſcipuli*, vt fortaſſis dicet Græcus Sacerdos, quod oporteat eos inire connubia neceſſario antequam ſacrum ordinem ſumant; vel vt Hæretici Lutherani, Sectarij, atque alij, quod perſtringantur, cuiuſcunq. gradus fuerint, homines, etiam Sacerdotes, & Monachi vxoribus vacare. Hoc enim nefas eſt, & damnatū inter Catholicos. Illud autem abſque fundamento, quod probari poſſit, & ſtabiliri, potius

Clem. Conſt. *Hæres*

Cœlibatus ſacrorum virorum.

imperitia, ne dicam libidine inter orientales introductum. Quare etſi facillimum eſſet, & horum hæreſim, & illorum delictum impugnare, & probare cælibatum tàm Monachis, quàm ſacerdotibus conuenire, & interdictum connubium poſt ſacerdotium, & indignum eſſe ante ſacrum ordinem conſtringi ad matrimonium; tamen quia plures de iјs ſcripſere, & parum huic loco accõmoda tractatio, ſatis mihi videtur attigiſſe iſta.

De eodem interrogauerunt. De eodem quidem matrimonio, quod Chriſtus tractauerat; non de eo, quod Phariſæi rogarant, quale inter Iudæos, & Gentiles ſolitum erat celebrari, ſolam habens rationẽ contractus. Namq. hoc diſſoluitur per fidem, & baptiſma, quod alteri confertur, ita quod liberum ſit fideli conuerſo à gentilitate, & Iudaiſmo, manere, vel ſeparari à coniuge, hac diſtinctione. Quia ſi infidelis non vult cohabitare ſine contumelia creatoris (ait Additio ad 3 p. 5. Thom. q. 59. ar. 5. iuxta mentẽ ſup. Doct. in 4. d. 29. q. 5. art. 2. id eſt ſine hoc, ꝙ ad infidelitatẽ inducat, poteſt fidelis liberè diſcedere, ſed diſcedẽs non poteſt alteri nubere: Si autem infidelis non vult cohabitare ſine contumelia creatoris in verba blaſphemiæ prorumpens, & nomen Chriſti audire nolẽs, tunc ſi ad infidelitatem pererahere nitatur vir fidelis poteſt alteri per matrimonium copulari. Idem ferme verbis Innocent. 3. in epiſt ad Tiberiadenſem Epiſcopũ deponit. Ratio autem horum eſt, quod per Baptiſmum homo priori vitæ conmoritur. Quæ cum ceſſit in hæreticis, altero coniugum in hæreſim conuerſo non diſſoluitur matrimonium, quod is, qui relinquitur viuente altero (ait idem Innocentius tertius ad Feriarienſem Epiſcopum) poſſit ad ſecundas nuptias conuolare, licet in hoc caſu maior appareat contumelia creatoris (ſubdit) quia Sacramentum fidei, quod ſemel eſt admiſſum nunquam amittitur, vel ipſum in coniugibus illo durante perdurat. Itaque de eodem matrimonio, quod eſt à Chriſto inſtitutum ſacramentum, Apoſtoli interrogant; non de alio quod diſſolui poteſt, quia de his quæ foris ſunt, quid ad nos?

S. Thom.

Matrimoniũ infidelium aliquando ſolubile.

Innoc 3.

CAPVT XI.

Et ait illis, quicunque dimiſerit vxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam.

Expoſitio.

NOn grauatur Magiſter doctrinam nedùm communem, ſed neceſſariam diſcipulis repetere. Ergo iterum quæſitus à domeſticis, *ait illis* domeſticè, & familiariter, quid ſuper quæſito tenendum ſit. *Quicunque*; inquit, ſiue Rex fuerit, & diues, ſiue pauper, *dimiſerit*, etiam propter fornicationem *vxorem ſuam*, quam ſibi legitimè compularat, *& aliam* pro libito *duxerit*, non coniugium celebrat, ſed *adulterium committit*, quoties *ſuper eam* actum nefarium aggreditur.

Et ait illis. Hoc eſt promulgat legem matrimonij nouam, quam per orbem oporteret eos deferre, vt ceſſaret digamia à Lamech introducta; non vltra daretur locus diſpenſationi, qua vſi ſunt Patres, ſed nouum miraculum quod in Chriſto factum eſt, nouo matrimonij Sacramento celebraretur vbique gentium. Quoniam auctore Paulo: Sacramentum hoc magnum eſt: Ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia. In Chriſto quidem, cuius ineffabilem vnionem Dei cum natura humana ſignificat per carnis vnitatem; & in Eccleſia, cuius ſubiectionem, quam defert capiti, & capitis ſolicitudinem ad illam repreſentat mulier viro ſubdita, & vir vxori adhærens. Hoc ergo nouum, *ait illis*, vt per eos mundo innoteſcat.

Epheſ. 5.

Quicunque dimiſerit vxorem ſuam. Ait *quicunque*, neminem excipiens, præuenire volens Henrici Regis Angliæ factum, qui Catherina dimiſſa poſt multos annos, ac filios habitos, pellicem potius, quàm vxorem introduxit, vnde Ieſabel prodijt Aquilonis incendium, & opprobriũ, quod etiam factori exprobat, ſed mox exprobrabitur. Ante hunc nonnulli etiam potẽtes à ſeculo, & Reges tentarunt; quàm malè tamen eis ceſſerint omnia hiſtoriæ referunt; & ipſe teſtis oculatus de vnius Comitis familia dicerẽ, cuius abundans proles breui interiit, & ſucceſſio, quod ratum matrimonium ſolnerit, obiectis friuolis, vt aſſentiretur domeſticis, niſi ignotum facinus his, qui adhuc ſuperſunt notis videtur publicare. Quæ ſemel vxor eſt, nec à Rege ſub cuiuſuis prætextu dimitti poteſt, quaſi non vxor fuerit, aut facto deſinat vxor eſſe.

Henr. oct. lapſus.

Et aliam duxerit. Hic non exprimitur, vt alibi, cauſa fornicationis, videlicet, vt occurreret quorundam Græcorum errori, qui ob fornicationem dimittenti vxorem conſulunt ſecundas contrahere nuptias licere tàm dimittenti, quàm dimiſſæ. At nulla ex cauſa concedi alteri coniugũ, inſinuat Magiſter hic omni occaſione tacita; expreſſit autem fornicationẽ alibi, vt cauſam diuortij ſufficientem; dimiſſionis verò, & ſolutionis matrimonij, nec fornicatio, nec hæreſis, nec veneficiũ, nec lepra, nec aliquid aliud poteſt aſsignari, niſi mors. Manet (inquit Aug. lib. 1. de nup. & concup. c. 10.) inter viuentes quoddam vinculũ coniugale, quod nec ſeparatio, nec cũ altero copulatio poſſit auferre: Manet autem ad noxã criminis, non ad vinculum fœderis, ſicut apoſtata anima velut de coniugio Chriſti recedens, etiam fide perdita Sacramentum fidei non amittit,

Fornicatio non dirimit matrimoniũ

Aug.

amittit, q lauacro regenerationis accēpit. Redderetur enim procul dubio redeunti, ſi amiſiſſet abſcedēs. Habet autē hoc qui receſſit ad cumulū ſupplicij, nō ad meritū pręmij.

Adulterium committit ſuper eam. Adulterium videtur Chriſtus imputare ei, qui dimiſſa legitima vxore, aliam ſibi copulat; non autem ei, quæ vxoris loco introducitur: Non quod *Adulterium* non committat, ſed quod plerumq. inſcia facti credens parētibus decepta coniungitur viro, quem exiſtimabat ſolum. Etenim vt illa, quæ putans probabiliter maritū interijſſe, alteri nubit, excuſatur ab *Adulterio*, quandiù iuſtè ignorat; ita, & hæc quæ ſimili ignorantia homini perfido coniūgitur. Perfidus ergo (ait Chriſtus) quoties ad eam, quā decipit, tentat accedere *adulteriū committit*, à quo ingrata fraudis excuſatur, ſecus ſi dolū noſcet. Hinc factum eſt, vt Synodus Trident. multa ſuper nubendis ſtatuerit, & clandeſtina matrimonia illegitimauerit ob frequentes deceptiones, quibus hac in parte ſcelerati homines fæminina ſimplicitati illudebant, ſeque potius perderent, vix irrecuperabile damnum tàm relictæ, quàm aſſumptæ, necnon ſucceſſioni hæreditatis, & honeſtati filiorum inducentes, quale multis certus ſum accidiſſe, atque vtinam labes ceſſaret.

CAPVT XII.

Etſi vxor dimiſerit virum ſuum, & alij nupſerit, mæchatur.

Expoſitio.

AEque in fæminis, ac in viris iudicium haberi, vult Chriſtus, quum de matrimoniali fœdere agitur, & ſolutione vinculi coniugalis. Igitur etſi cogitauerit mulier leuitate muliebri perſuaſa, & libidine, nouas celebrare nuptias, ſeu potius congreſſus illicitus: Eoque temerariè dimiſerit à ſe virū, quem proprio conſenſu ſuū fecit. Et in maiorē prorumpens inſaniā alij vel ditiori, vel potentiori, aut certè dilectiori, qui oculis eius occurrit, & multis ſuſurrationibus aures eius impleuit, proh nefas, nupſerit impudenter, non iam viro coniungitur, ſed męchatur cum riuali & pellicem non vxorem ſe facit, limitibus, verecundiæ pretermiſit.

Etſi vxor. Dicit vxorem non mulierem, ne ex nomine in eam videatur agere. Etenim mulier à mollitiæ nomen contrahit. Vnde, & mollities libidinis, quæ in ea, & in equa Ariſtot. auct. lib. 7. de hiſtor. animal. c. 4. pluſquā in cæteris animalibus reperitur, tùm maxime ſi à prima iuuētute concubuerit, efficit, vt inſatiabilis ſit, nec contēta vno virò, quin alium ſuperinducat, ac contra conſuetudinē meretricum, prætio amatores, vt illa Fauſtina, comparet: Nequitia enim mulieris immutat faciem eius, vt non tā ex verbis inhoneſtis, nutibus oculorum, & greſſibus pedum, ac veſtitu indecoro, agnoſcas ex rugis frontis compoſitione faciei, & colore, quid mali in virum conceperit, & quàm ardenter in procacē feratur. Talis eſt via mulieris adulteræ. Non autem eius, quæ viro conſentit. Sed gratia ſuper gratiam, mulier ſancta, & pudorata.

Ariſt.

Eccl. 26.

Dimiſerit virum ſuum. Et hic quoque parcet Chriſtus peſſimæ mulieri dicens, *dimiſerit*, non occiderit, quod familiarius eſt illi. Vt enim omittam noua tempora, ac noſtram ætatem, in qua veneno ſublatos viros arte vxoris paſſim videmus; videat quid Valerius Max. de Laodice Antiochi Regis Syriæ; quid Cælius de Semirami Nini Regis Babylonis, quid Sabellius de Circe Regis Sarmatarum vxore, atque alij prodat, vt poſſit eum Salomone concludere: Inueni amariorem morte mulierem.

Val. Max

Cælius Sabellius

Et alij nupſerit. Optimè contractus vxoris cum viro dicuntur nuptiæ, & illa *nubere* dicitur, quando viro adhæret, quod velut nube obleuetur eius impudicitia, vt ſit deinceps pudica eius libertas, vt alteri pareat, & eiuſdem mores effrænati, vt mutentur in melius: Nec illud otioſum eſt (inquit Ambroſ. lib. 1. de Patriarchis c. 9.) quod cum veniret Rebecca, vidit Iſaac ambulantē, & cū interrogaſſet quis eſſet, cognitu, quod ipſe eſſet, cui duceretur vxor, deſcendit, & caput ſuum obnubere cœpit: docens verecundiam nuptijs præire debere. Inde enim, & nuptiæ dictæ, quod pudoris gratia ſe puellæ obnuberent. Et Iſidor. lib. 2. de offic. c. 19. Fæminæ dum maritantur, ideò velantur, vt nouerint ſe ſemper maritis ſuis ſubditas eſſe, & humiles. Item quod nubentes poſt benedictionem, vita inuicem quaſi vno vinculo copulantur, ideò ſit, ne compagem coniugatis vnitatis dirumpat. At verò eadem vita candido, purpureoque colore permiſcetur; candor quippe ad munditiam vitæ, purpura ad ſanguinis poſteritatem adhibetur, vt hoc ſigno, & continentiæ lex ab vtriſque ad tempus admoneatur, & poſt hæc reddendum debitum non negetur. Item quod in primis negotijs annulus à ſponſo ſponſæ detur: Fit hoc nimirum vel propter mutuæ fidei ſignum, vel propter id magis, vt eodem pignore eorum corda iniungantur. Vnde, & quarto digito annulus idem inſeritur, quod in eo vena quædam, vt fertur, ſanguinis ad cor vſque perueniat. An vero ſignatis nubentes reſpondeant, video.

Ambr.

Iſid.

Mæchatur. Etſi idem mæchari, quod adulterari interpretatur; & mæchus ſit idē quod adulter; quid inhoneſtius, ac deformius notat *mæchari* potius quàm adulterari. Propriè enim *mæchari* ſignificat alteri inoneſtè ſe ſubijci, & infame: Quod quam verum ſit, expreſſit alias oraculum dicens: Mulier adultera, quaſi ſtercus in via.

Quos cum videret Ieſus. Videlicet paruulos accedentes, & diſcipulos obſtantes; relatiuum enim, *quos*, ad vtroſque refertur necnon viſio ad omnes pariter ſe extendebat, vt, ſcilicet iuuarentur puſilli; alij ab eodem autem coercerentur. Nam puſillum, & magnum ipſe videt; ſic factus eſt Dominus refugium pauperi, adiutor in opportunitatibus in tribulatione; inſidiatorem autem vides, ait Propheta, vt tradas in manus tuas, hoc eſt, vt punias. Etenim qui iuſto pondere vti vult, & aurum, quod in dextera bilancæ eſt, intuetur, & ferrum, quod in ſiniſtra ſtatuitur. Is eſt reus; qui iuſtum proſequitur, dexteram autem, qui propter iuſtitiam inſequitur, tenet; oculi ergo Domini contemplantur bonos, & malos, vt iuſtum ferat iudicium, & ferat opem debili, fortiori autem potentiam adimat: Audite ergo iudices, qui iuſtificatis impium pro muneribus, pauperem autem affligitis multo amplius. Quare? quod non æquè omnes videatis. Reſpicere ſolum pauperem in iudicio, malum, & deterius multo ſolos magnos attendere. Enimverò illud facit quandoque iudicem nimis iuſtum, hoc verò nimis crudelem. Æquitas eſt, diligenter vtroſque conſiderare; & videre eos, qui bonum impediunt; & alios, qui à bono, & honeſto remouentur. *Pſal. 9.*

Indignè tulit. Quod paruuli officio ſuos paruulos non agnoſcerent. Nec mox, proh dolor, agnoſcunt. Nam quidam, qui munia ſuſcepere Apoſtolorum, adeò ſe efferunt, vt agnoſcant vix eum, qui in minoribus eſt; & verecundatur ſæpius paruulos ſtatu intueri. Sed dixi iniquis (ait Deus amplius multo indignatus) Nolite iniquè agere, & delinquentibus nolite exaltare cornu. Quia omnia cornua peccatorum confringam, & exaltabuntur cornua iuſti; hæc erunt in die indignationis ſuæ, & furoris. Terra, terra audi ſermonem Domini. Hæc dicit Dominus: Scribe virum iuſtum ſterilem, virum, qui in diebus ſuis non proſperabitur. Elatus enim officio Domini non agnoſcit filios Domini ſui, ſed hoſtes fouet, veneretur, ad menſam vocat, & bona ſibi credita diſpenſat inter eos; & quandoque liberator in canes, & feras reperitur, quàm in paruulos pauperes. Quos dixit, ſemper habebitis vobiſcum. *Pſal 74.* *Ierem. 22.*

Et ait illis. Præcauens, & præmonens, ne in poſterum ſimile illis contingat. Nec quidem accidit, vt qui docibiles Dei, & qui Chriſtum diligerent. Ergo qui nec Chriſti verbis, & Prophetarum, ſed neque exemplo tantorum Patrum, Martyrum, Confeſſorum, & Virginum corrigimur, nec ſuperbiam in munere, nec elationem in ſuggeſtu, nec contemptum in ſcientia, nec contentionem in miniſterio contra minus potentes deponimus, apertè conuincimur docibilitate carere, & ſcientia Dei, & non iam Chriſtum, ſed noſipſos amare. Et hoc ſpiritus manifeſtè dicit, vt Pauli vtar oraculo.

Sinite paruulos venire ad me. Per hoc datur locus paruulis, vt liberè accedant. Tunc autem ſinunt Apoſtolici inſtituti viri, ad Chriſtum properare minores, quando exemplis ad ſequelam virtutis prouocant, & factis oſtendunt doctrinam Chriſti, quam prædicant, ac veram Scripturæ intelligentiam, quam proponunt operibus comprobant; vt valeat quiſque dicere: Qui audit me non confundetur, & qui operantur in me non peccabunt. Nam ouis, quæ paſtorem ſolum intuetur præeuntem, & ab eius manu pendere panem, non declinat ad herbas, ſed propinquius accedens paſtori ſecurè præcedit cæteras. Et quis eſt iſte paſtor ô Deus? Vos patres, & paſtores Iſrael, qui præeſtis populis. Quos tamdiù à peccato ſeruatis, & ſinitis pergere ad Principem paſtorũ, quamdiù veſtris manibus panẽ tenetis, qui eſt panis vitæ, hoc eſt Chriſtum in vita veſtra circunducitis; nam de rotis dicitur: Cum euntibus ibant, & cum ſtantibus ſtabant; & cum eleuatis à terra pariter eleuebantur, & rotæ ſequentes, ea ſcilicet animalia. Hæc autem animalia vos eſtis ô Principes Eccleſiæ: Rotas autem volubiles, qui niſi populi commiſſi? Ibunt abſque dubio hi, ſi præceditis opere; ſi autem ſtatis, ſtabunt, in vitijs adoleſcentiæ, vt nunquam ad Chriſtum veniant. Ergo ſinite amabo venire paruulos, vt hauriant aquas cum gaudio de fontibus Saluatoris. *Eccl. 24.* Bonum exẽplum doctrinæ annectere. *Ezech. 1.* *Iſai. 12.*

Et ne prohibueritis eos. Non prohibere eſt nullum penitus offendiculum vitæ, morum, verborum, ac cuiuſuis generis dare gentibus, quæ volunt ad Chriſtum venire. Nam qui piſcem manducant non ſolum eius carnem proſpiciunt, ſeu medullam, ſed diligenter minimam quanque ſpinam perſcrutantur, quod ſi caſu inter edendum in vnam offendant, ſæpius totum euomunt cibum. Contingit, & ſimile in ſpiritualibus manducandis, ac penitus religionem deſerere nouitium, qui inter multas virtutes, vitij ſpeciem offendunt, & qui ad fidem properant retrocedunt vnius inſpecto ſcandalo, & qui prædicatorem auſcultat facilè in magnis deſerit, quod minima ſpina, & inhoneſtate denigretur. Quare non ſufficit Apoſtolico, & fideli, cuius eſt alios ad bonum trahere, *ſinere paruulos venire*, hoc eſt vitæ ſanctimoniam imitari, niſi etiam ſtudeat non prohibere; hoc eſt omnem mali ſpeciem præcauere, ne puſillus offendatur. Etiam vt dicebat Apoſtolus carnem non comedere, ſi eſus carnium impedimentum eſſet proximo. Similitudo.

Talium enim eſt regnum cælorum. Hoc enim permiſſum eſt pauperibus, & ijs, qui perſecutionem patiuntur; pœnitentibus autem appropinquari; vt inde deducamus in-

tegram

tegram ſubiecti naturam, cui datum eſt in Regno cælorum regnare, videlicet eius regniculum fore, qui per pœnitentiam facilis ſit ad lachrymas; per paupertatem ad miſericordiam exerceatur; & per labores patientiam, quæ opus perfectum habet, aſſequatur; denique per humilitatem, quæ paruulorũ eſt conformis fiat imagini eius, cuius gloriam participare, & cum eo ſperat regnare. *Victor Antioch.* Sed nota (inquit Victor Antiochenus) non dixit Dominus *τούτων horum eſt regnum cælorum*, verum vt accuratior lectio habet dixit *τοιούτων, talium*: ſiquidem pueri pro naturæ ſuæ conditione, rationis iudicio deſtituuntur: ab hoc autem rationis defectu, Apoſtolus alicubi nos dehortatur; *1. Cor. 14.* ait enim: Nolite effici pueri ſenſibus, ſed malitia paruuli eſtote, ſenſibus autem perfecti eſtote. *Theophyl.* Subinde Theophylactus annotauit, vnde non dixit: Horum *eſt Regnum cælorum*, ſed *talium*, hoc eſt, eorum, qui per præparationem innocentiam acquirũt, quam puelli à natura habent. Puer enim neque inuidet, neque vindictam medicatur, neque ſi flagellatur à matre recedit: ſed & veſtem nouam ſuam regiæ purpuræ præfert. Sic & qui virtutibus vacat matri ſuæ Eccleſiæ dico, neque voluptatem, quæ multis imperat, neque quippiam præfert.

CAPVT XV.

Amen dico vobis: quiſquis non receperit regnum Dei, velut paruulus, non intrabit in illud,

Expoſitio. ERgo quia paruulorum eſt Regnum Dei, communem infert ſententiam, & regulam vnicam, qua debeat regnum Dei ab omnibus poſſideri, exponit. *Amen* (inquit) ac certè *dico vobis*, qui parui ducitis paruulos, quod *quiſquis*, ſiue ſeruus Dei, ſiue liber fuerit, ac Princeps alijs dominans, *non receperit*, nec ſedulo ſtuduerit *regnum Dei* quærere, & promereri bonis operibus, *velut paruulus*, innocentiam, puritatem, & humilitatem, quæ veræ virtutes ſunt, conſectans, *non intrabit*, neque admittetur *in illud* Regnum, quod eſt omnium feliciſſimum.

Amen dico vobis: Nullibi magis profectò, quàm in hoc loco arbitror affirmationis notam, *amen*, debere annotari: etiam apud Chriſtianos, necnon religioſos aliquos, qui beatos videntur dicere arrogantes, & eos, quibus hæc ſunt, quæ Principes gentium poſſident; *Quorundam vanitas.* & hoc pro beatitudine dicunt, quod potentes à ſæculo gigantes, & filij huius lucis affectant, inquirunt, & poſſident, velut piſces ſuum mare, in quo delicientur, motacilla ſuum ſurculum, vbi delectetur; & cedrus ſuum libanum, vnde creſcat, ſi fieri poſſet, vſque ad cælum. Hoc eſt, dominationem, theſaurum, & luxum. Hos vt experimento conſtat, non iam Turcæ, non Romani Cæſares; aut Pharaones Ægypti, nec Antiochi Syriæ, ſed noſtri beatificant exclamantes beati, qui ſeminant ſuper has aquas multas, qui inquam præſunt populis, qui abundant diuitijs, & delitijs vitæ præſentis fruuntur. Adeò vt eſſe paruulum detur iam opprobrio; pauperem eſſe vix quiſpiam velit; nec propter Chriſtum obedire præpoſitis, ac ſi non præſtaret humiliari cum mitibus, quàm diuidere ſpolia cum ſuperbis, neque tutior eſſet lepus, quæ præ timore in antris moratur, quam elephas, qui tranat flumina, & depaſcit campeſtria. Etenim Dauid minimus fratrum, & qui ab humeris, & ſupra, maior erat omni populo, regnum præripuit, ac demum apud Deum iuxtà cor eius eſt habitus, apud populum verò exaltatus, & ſublimatus; ecquid opus eſt exemplis, ac ratione, quando Chriſtus ait, *amen*, affirmat, & dicit gloria ſequitur humilem; paruulus exaltatur in Regem; & qui pauper eſt, fit hæres theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei? ò quã incomprehenſibilia ſunt iudicia Dei, & inueſtigabiles viæ eius! Nos fideles, ad quos ſermo Dei factus eſt vix aſſentimur; & Philoſophos iam olim legimus hiſce vacaſſe. Vbi eſt litteratus? Vbi legis verba ponderans? Vbi doctor paruulorum? *Iſai. 32.* Qui faciat raro, qui prædicet multiplex: At electo ſufficit Chriſtum inſpicere, & audire, *amen dico vobis*.

Quiſquis non receperit regnum Dei, velut paruulus. *Regnum Dei* eſt omne cæleſte donum, quod intra vos eſt. Dicitur & Scriptura *Regnum*, quod aufertur indignos, & datur genti facienti fructus eius. Eſt & Chriſtus ipſe, qui appropinquauit, & in Iudæos peruenit, *Ioan. 1.* ſed ſui eum non receperunt; inuenerunt tamen eum, quos non quærebat, & poſſederunt populus humilis; & quotquot receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri; reliqui autem facti ſunt filij alieni, mox filij deſertores; poſtremo filij Belial, & diaboli hæredes. *Eccl. 11,* Quia vt caprea in laqueũ, ſic & cor ſuperborũ, quod vt illa delectatur in cornibus, quibus illaqueatur, & fit canibus præda, ſic vani, & excordes, qui in donis acceptis gloriantur, ſcientiæ ſuæ magnificant fimbrias; ſeque pluris faciunt in ſacramentorum perceptione, tùm maximè Sancti Sanctorum; incidunt tandem in præcipitia, & ſaltus, à quibus ſolus dæmon abſtrahit, vt eos infeliciter ad rudenta inferni demittat. Vnde etſi Regnum, quod retulimus viderentur habere, dum viuerent, nihil inuenerunt poſt ſomnium in manibus ſuis, quia non vt paruulus ſtuduit litteratus, nec vt paruulus, qui maior videbatur in donis, humiliauit ſemetipſum; nec denique vt

paruulus

paruulus innocens manibus, & mundo corde acceſſit ad ſacramentum. Quiſquis ergo ſit, qui regnum ambit, ſtudeat fieri paruulus, & humilis in oculis ſuis, ſi fortè Rex magnus ſpiritu intelligentiæ repleat illum, vt fiat ſcriba doctus; repleatur in benedictionibus dulcedinis, demumque cœnatum recipiat, & perpetuum hoſpitem eum, in quo omnis plenitudo habitat diuinitatis, effectus iam regnum Deo, & Patri, qui deſcendere ad ſe, & manere dignatur in ſancto, & humili.

Non intrabit in illud. Ergo introitum habet Regnum Dei, ecquis dubitat? Nemo quidem, ſed quale illud ſit, omnes inquirũt; ſed vnus accipit brauium; vnus, inquam, qui intrat, vt paruulus; & vt apertè loquar, qui intrat, vt Chriſtus, & in arcu, ac lancea, poſſidere contendit agrum, quem non corruptibilibus auro, vel argento; ſed proprio ſanguine noſter parens Chriſtus emit, & redemit. Hinc ille: Ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum. Ergo Chriſto in carne paſſo, eadem & nos cogitatione armemur, & operatione. Niſi enim compatiamur, non conregnabimus. Quærant ſibi alij introitus iuxtà vias ſuas, & inſipiens cor eorum, ego ſolum dicentẽ: Ego ſum oſtiũ, eligo: Quia per me (inquit) ſi quis introierit, ſaluabitur; ſecus qui aliundè aditum inueſtigat. Arcta eſt via, quæ ducit ad vitam, & montoſa, quæ ad Hieruſalem pertrahit; qui amplam quærit, & campeſtrem, caueat, ne vel in Ægyptum deſcendat, vel commoretur in Sodomis, aut certè ad Babylonios captiuus ducatur. Proh dolor, filij, qui hodie ſunt boni, & mali ignorant diſtantiam, & neſciunt chaos, quod inter vtroſque fines firmatum eſt. Nam ſi ſcirent, non claudicarent, ſed ad electum ſemel Dominum in baptiſmo, & voto contenderent per anguſtam portã intrare, viam autẽ aliam declinarent. Reſpiciat Dominus, & prouideat, ne foris cũ fatuis relinquamur.

Paruuli intrãt in regnũ

Luc. 22.

1. Petri 4.

Rom. 12.

Aditus ad regnum paſſio Chriſti.

CAPVT XVI.

Et complexans eos, & imponens manus ſuper illos benedicebat eos.

Expoſitio.

IGitur conuerſus ad paruulos, quos tenerè diligebat, vt opus manuum ſuarum, admiranda dilectionis ſigna eis oſtendit; primo *complexans* brachijs extenſis, & manibus ad ſuum pectus retrahens, & reclinans eos; mox imponens ſacras, & venerabiles manus ſuper illos poſtremo *benedicebat eos* omni benedictione ſpirituali, vt creſcerent in mille millia in cæleſtibus, & dominarentur fratribus ſuis, qui poteſtatem nunc exercent inter eos, & dominantur in brachio carnis ſuæ.

Et complexans eos. Velut habet græca lectio ϗ ἐναγκαλισάμενος. Et vlnis complexus, velut mater, quæ peperit eos, & pater, qui genuit totam eorundem ſubſtantiam. Vlnis, vnde egrediuntur, optimè complectũtur humiles, quia vnde egreſſi sũt reuertentur, vtpotè ad Deũ, velut ad mare flumina, vnde exeunt. Eſt ipſe ſinus Abrahæ, ad quẽ Angeli exportant Lazarum; eſt vterus, qui fecit, portauit, & portat diligentes ſe; eſt brachium, quod ſaluat in perpetuum, quem fuerit dignatus complecti. Dixit enim: Non rapiet eos quiſquam de manu mea.

Ioan. 10.

Et imponens manus ſuper illos. Vt per impoſitionem manuum doceret ſuos conferre paruulis humilibus Spiritum ſanctum in confirmatione, & remiſſionem peccatorum in confeſſione, & optimum vitæ ordinatiſſimæ gradum, ac ſtatum in ordine. Significat (inquit Dionyſius Areopag.) manus impoſitio protectionem Principis, & perfectoris Dei, qua paternè illi ipſi, quibus manus imponitur, tanquam filij gubernantur: quæ virtutem, ac robur ipſis largitur, & aduerſarias poteſtates repellit. Docet etiam eos, quibus manus imponitur, vt omnia bona faciant tanquam ſub Deo operantes, à quo manus impoſita eſt, & tanquam habentes eum ducem ſuarum actionum: inde factum, vt non ſolum in ſacramentis prætactis, ſed & aliàs ſit ſolitum patribus manum impoſitione vti. Nam non vno modo (inquit Higmarus Rhemenſis libro de varijs capitulis Eccleſiaſticis cap. 16.) ſemper manus impoſitio intelligitur, ſed pro diuerſitate locorum ſub diuerſa ſignificatione reperitur, aliquando enim pro confirmatione Neophitorum accipitur, vt in decretis Apoſtolicorum virorum Clementis, Vrbani, Melchiadis expreſſum ſæpènumero reperitur: nunc pro ordinatione Sacerdotum, ſiue Diaconorum, iuxtà illud Apoſtoli ad Timothæum: Nemini citò manus impoſueris. Quod & Canones apertiſſimè præſcribunt. Eſt & reconciliatoria manus impoſitio, per quam pœnitentes hæretici, ſiue excommunicati ſanctæ Romanæ Eccleſiæ reconciliantur, de qua & Canones ſimiliter multa dicunt, de qua beatus Auguſtinus lib. 3. de baptiſmo contra Donatiſtas teſtatur, quod nihil ſit niſi oratio ſuper hominem, quæ & iterari poſſit. Fit etiam manus impoſitio ſuper infirmos iuxtà illud Euangelij: Super ægros manus imponent: Item ſuper Cathecumenos, & Energumenos pro expulſione diaboli, quæ ſpecialiter exorciſtis in ordinatione conceditur, quippe, vt habeant poteſtatem imponendi manus ſuper Cathecumenos, & Energumenos. Item & cum ſimpliciter aliquem benedicimus, manus ei antiquo more imponimus. Sic enim Iacob Patriarcha cum filios Ioſeph benediceret, manus eis impoſuit; &

Dionyſ.

Quid ſignat manus impoſitio?

Higmarus Rhemenſis.

Signũ diuerſorum ſacramentorum.

Auguſt.

Marc. 16.

Domi-

Dominus in Euangelio oblatos ſibi paruulos per impoſitionem manus benedixiſſe legitur. Siue autem manus impoſitio pro reconciliatione pœnitentium, ſiue pro depulſione infirmitatis, vel diaboli, ſiue ſimplici benedictione hominibus impendatur; *Aug.* ſatis congruè iuxtà Auguſt. nihil aliud niſi oratio ſuper hominem intelligitur; vnde & Manus impoſitio quādo iteratur. iterari quoties opus fuerit, non prohibetur. Cum verò pro confirmatione, ſiue ordinatione impenditur, non iā pro ſola oratione, ſed etiam pro ſacramento habenda eſt, quā ſancti Patres iterari prohibuerūt. Hæc ille.

Benedicebat eos. Quoniā innocētes, quoniā hęc eſt generatio quęrētiū Dominū, quęrētiū faciē Dei Iacob. *Pſal. 20.* Quoniā tu benedices iuſto: præueniſti eū in benedictionibus dulcedinis, poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo. Hoc eſt, gratiam, quæ præ omni lapide gemmario rutilat; inde carbunculus charitatis, iaſpis ſpei, hyacinthus fidei, chryſolitus prudētiæ, calcedonius tēperantiæ, ſardonix iuſtitiæ, & adamas fortitudinis, denique omnis lapis prætioſus eſt operimentum, necnon effectus gratiæ, qua noſter Iſaac accedentē paruulū benedicit. *Eccl. 10.* Quia benedictio Dei in mercedem iuſti eſt, *Pſal. 83.* maledictio autem in eum, qui impiè agit. Quia noluit benedictionem, & elongabitur ab eo: volentis antē benedictionem dabit legiſlator, & ibunt de virtute in virtutem, quouſque videant Deum Deorum in Sion, mirentur, & dilatentur.

CAPVT XVII.

Et cum egreſſus eſſet in via, procurrens quidam genuflexo ante eum, rogabat eum, Magiſter bone quid faciam, vt vitam æternam percipiam?

Expoſitio. QVi per occaſionem paſſim erudiebat omnes aliam ſibi mox præparat, vt doctrinam priori haud diſſimilem fine impertiatur. Etenim miſſis paruulis, cum pergens *egreſſus eſſet* data opera *in via* publica, vbi facilè adiri poſſet, & alloqui, ab ijs, qui appetebant; *procurrens* è medio turbæ innumeræ, *quidam* ſalutis cupidus, & *genuflexo ante eum* prouolutus, & deuotus, *rogabat eum* inſtanter; *Magiſter* (inquit) *bone*, qui omnibus benè cupis, & facis, enarrato iam precor, *quid faciam*, vt ſatisfaciam deſiderio, quo inardeſco, *vt vitam æternam percipiam*, quando hinc migrabo, ac tranſitoria defungar?

Et cum egreſſus eſſet in via Non quidem aliam ob cauſam, quàm vt quærentem offenderet, optanti ſe daret, & inſtrueret eum, qui ignorabat. Nam ſine inuidia (inquit) *Prouer. 8.* communico, & vox mea ad filios hominum, *Prou. 1.* ſi quis eſt paruulus veniat ad me. Et inſipientibus loquitur vſquequo paruuli diligitis infantiam? In me gratia omnis viæ, *Prou. 8.* & veritatis; in me omnis ſpes vitæ, & virtutis, tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me, & à generationibus meis implemini. In vijs clamitat, in plateis dat vocem ſuam; egreſſus eſt in ſalutem populi ſui. Egreſſus quidem in diebus æternitatis, ſed in ſinu patris; poſt hæc *egreſſus* eſt *in via* communi mortalium, quando in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus; nec egredi ceſſat iugiter in via Eccleſiæ vſque ad conſummationem ſæculi; extra viam non egreditur, quia foris non eſt ſalus, neque extra Eccleſiam conſtitutus quis Chriſtum audiet, loquetur, aut ſuſcipiet.

Procurrens quidam genuflexo ante eum. En Chriſti quæſitum, & lucrum, quod facit, in via, & honorem, quem ex lucro reportat. Honor eſt, vt ei omne genuflectatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum: lucrū, quod ad ſe procurrant omnes, & omnia trahat ad ſeipſum funiculis Adam, vinculis charitatis, quibus colligat omnē hominem venientem in hunc mundum; quæſitum eſt, vt ante ſe vniuerſi ſtent continuò, & qui ambulant coram Domino, vt ſint perfecti; & qui ſtant in conſpectu agni, vt dent gloriam, & honorem; & qui ceciderunt, & contremiſcūt, vt confiteātur, quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris. Vnico egreſſu in vna carnis noſtræ tria hæc cōſecutus eſt Chriſtus, & expreſſit ſigno, qui egreſſo occurrit, procurrens, genuflectens, & ſeipſum ſtatuens ante eum. Quibus, & nos docet procurrens deſiderium ſalutis, vt Tria ſalutaria documēta. dicamus: Deſiderium meum ante conſpectum tuum; genuflectens, totam ſpem in eum proijcere, qui ſolus eſt potens; ante eum ſtatuens ſeipſum, cor tradere ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, & in oratione, qua ante Deum orans, ſtat, confiteri Domino, orare ſine intermiſſione ad eum, qui fecit illum, quouſque ab eo iterum recipiat. Hęc eſt ſalutaris doctrina, quam nos huius factum docet.

Rogabat eum. Ante Dominum ſunt quidem omnes fines terræ, nec eſt vlla creatura abſcondita, quia cælum, & terram ego impleo: Verum non omnis eſt rogare eum propriè; ſed eius, qui in via occurrit, is enim mandatum habet; Orate inuicem, vt ſaluemini. Iſti formula rogationis eſt præſcripta; cum oraueritis dicite: Pater noſter. Et *Matt. 4.* is in maligno poſitus eſt, qui cum perſtringat ad Dominum cum tribulatur clamare, pro delictis deprecari, & rogationibus promereri cælum ſibi, ac reliquis multa bona, quæ petentibus ſe largitur omnipotens. Sancti quidem in cælo rogant, ſed pro alijs; animæ ſanctæ in Purgatorio orant, ſed non promerentur gratiam ſibi augeri; damnati in Inferno non orant, quia blaſphemi; orationem

tionem inxtà omnes orationis conditiones tantum, qui in via ſunt queunt emittere. Ergo rogemus, & oremus tota die dum lux eſt.

Magiſter bone. Magiſtrum ſæpè alias vocarunt Chriſtum; bonum verò ſolus iſte. Exprimens voce affectum, quo eum proſequebatur, & intentionem rectam, qua ad Chriſtum acceſſerat, & optabat, ab eo erudiri. Quare ſicut Nicodemum acceſſiſſe ad Chriſtum fictè, nemo dicit, ita nec hunc, qui maiori verborum honeſtate, & geſtorum humilitate, vellem ab aliquo fictum reputari. Et doleo Hieron. hoc ei imponere; lætor autem à Theophylacto commendari. Ait enim, quidam taxant adoleſcentem illum, vt inſidiatorem, & malum, & tentatorem; at non ita ſe res habet, ſed amabat diuitias, non tentabat. Audi enim Euangeliſtam, quod cum intuitus eſſet eum Ieſus, dilexit illum. Subſcribit & huic indicio Victor Antiochenus iiſdem fermè verbis.

Sententia Hieron.

Theophyl.

Victor.

Quid faciam, vt vitam æternam percipiam. Vel κληρονομήσω. hoc eſt, hæreditatem. Quo verbo ſe alium prodit: Quia ſi filius, & hæres, inquit Paulus. Erat enim filius Abrahæ, cui merces, & hæreditas magna illa nimis promiſſa erat. Cæterum quia vt hanc hæreditatem oporteat promereri, Vulgata pro hæreditare poſuit *percipiam*, quod & ad mentis cognitionem, & manus operationem trahitur, *percipit* enim, qui difficilè intelligit, & qui arduum operatur; appoſitè dicitur opus percepiſſe; tametſi priora verba, *quid faciam*, idipſum inſinuaſſent. Audierat igitur iſte credo (ait gloſſ. ex Beda) à Domino tantum eos, qui volunt paruulis eſſe ſimiles, introitu regni cæleſtis eſſe dignos, & ideò certior eſſe deſiderat, non per parabolas, ſed apertè, quibus operum meritis vitam æternam conſequi poſſit.

Gal. 4.

Gloſ. Beda

CAPVT XVIII.

Ieſus autem dixit ei, quid me dicis bonum? Nemo bonus, niſi vnus Deus.

Expoſitio.

NOnæ ſalutationi nouum Chriſtus reſponſum adhibet, vt enim audiuit *Ieſus, Magiſter bone* exultauit ſpiritu, gloriam ſibi ſoli commeritam percipiens, *dixit* nihilominus *ei*, qui neſcius eam tulerat; *quid*(inquit)tu, qui Dei gloriam non es ſpeculatus, *me* vt hominem *dicis bonum*, quod cuncta tranſcendit operatur, & perficit? Sine iam me, vt hominem eiuſmodi bonum vocitare. Etſi pergis ſic ſalutare, in eipſum Deum, qui ſub homine latet, agnoſcito. Nam nemo alius, neque in cælo, neq; in terra, nec fieri poteſt bonus quiſpiam, niſi vnus Deus, qui à ſeipſo, & per eſſentiam bonus eſt. Vnus eſt, & ſecundum non habet.

Ieſus autem dixit ei. Hoc eſt correxit, mentem ſcilicet eius non ſenſum, & veritatem verborum; etſi admittimus verba corrigi, ea adulatoriè prolata, vt moris eſt, dicamus. Dixit ergo ei Chriſtus (ait Theophylactus) quia mentem hominis illius ſublimiorem reddere vult, vt ipſe tanquam Deus agnoſcatur. Sed & aliud quiddam corrigit, docendo illum, ne aduletur his, cum quibus conuerſaturus eſt, ſed radicem, fontemque bonitatis ſciat, cui honor tribuendus eſt. Ergo cum quiſquam ob oculos, quid indecens proloquitur, præſertim quando amicus accedit; dicamus ei, corrigamus eum, vt oportet. Nam ſcriptum eſt: Qui corripit hominem, gratiam poſtea apud eum inueniet, magis quàm ille, qui per linguæ blandimenta decipit. Subſanatorem enim medicum, & chirurgum deteſtantur omnes; ſanatorem autem, etſi aſperum, diligunt, & precio emunt. Durum quidem fuit Naaman Syro audire, ab Eliſæo, lauare ſepties in Iordane, & recipiet ſanitatem caro tua, & fortè durius rigente hyeme mundari; at poſt. Quid? non ſolum immenſa donaria obtulit Prophetæ, ſed omnem ei famulatum promiſit, & quod dignius eſt, verò Deo perpetuam ſeruitutem. Multa quidem ſunt bona, quæ cōſequitur iuſtè corripiens, ſed ſapientem; non enim amat peſtilens eum, qui ſe corripit.

Theophyl.

Prou. 28.

4. Reg 4.

Quid me dicis bonum? Ergo ne Chriſtus ſecundum humanitatem nequibat bonus dici? poteſt, vt omnis creatura; quia vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona: Habent enim omnia ſigillum bonitatis diuinæ, & opera artificum ſigna. Vnde Beda lib. de hebdomadibus; omnia ſunt bona per participationem, minimè autem per eſſentiam, quia bonitas rei creatæ (inquit S.Thom. 1 p. q. 6. art. 3. ad 3.) non eſt ipſa eius eſſentia, ſed aliquid ſuperadditum, vel ipſum eſſe eius, vel aliqua perfectio ſuperaddita, vel ordo ad finem. Ipſa tamen bonitas ſic ſuperaddita, dicitur bona ſicut & ens: hac autem ratione dicitur ens, quia ea eſt aliquid, non quia ipſa aliquo alio ſit. Vnde hac ratione dicitur bona, quia ea eſt aliquid bonum, non quia ipſa habeat aliquam aliam bonitatem, qua ſit bona. Sic ergo (infert in corp. ar. 4.) Vnumquodque dicitur bonum bonitate diuina, ſicut principio primo exemplari, effectiuo, & finali totius bonitatis. Attamen quodque dicitur bonum ſimilitudine diuinæ bonitatis ſibi inhærente, quæ eſt formaliter ſua bonitas, denominans ipſum. Et ſic eſt bonitas vna omnium, & etiam multæ bonitates. Quales in immenſum pone multiplicari in Chriſto homine, & ſecundum humanitatem certum eſt, vt qui gratijs nedum homines, & cor-

Beda.

S.Thom.

Quid ſit bonum?

Bonitas extrinſeca.

Intrinſeca.

Digitized by Google

& corporea, ſed vniuerſas Angelorum myrrhiades ſuperat, electus ex millibus, & ſicut malus inter ligna ſyluarum, excelſus eſt præ Regibus terræ.

Nemo bonus niſi vnus Deus. Qui ſolus à ſe, & per ſe immenſus, qui non recipiat aliundè menſuram; infinitus, qui terminis non limitetur; æternus, qui tempore non perficiatur; incircunſcriptibilis, quem mens non comprehendit; principium, & finis, à quo fiuunt omnia, & quem omnia appetunt; ipſe verò nihil aliud extra ſe, nec velit, nec intelligat in alio, quàm in ſeipſo, & ſuiipſius comprehenſione, & poſſeſſione beatur. Videte ergo, exclamat, quod ego ſim ſolus, & pręter me non eſt alius, qui ſit omnipotens, qui ſit bonitatem impartiens creatis, & qui bonus ſit his, qui recto ſunt corde; & qui bonus cum ex ſe ſit, malus fieri non poſſit. Hinc Plotinus Eim. 6. lib. c. 36. bonũ dicimus Deũ, non aliquid aſſignantes illi, ſed quoniã ipſum exiſtit bonũ. Et Proclus Elem. Theol. prop. 114. Deus omnis vnitas eſt per ſe perfecta, & omnis per ſe perfecta vnitas Deus. Ac ne prætereamus noſtros Aug. t. de Trin. c. 2. Eſt ſummũ bonum, quod purgatiſſimis mentibus cernitur; cui fermè ſecundum Dionyſ. Areopag. de diuin. nomin. magnus hic ſol ſimilis eſt, quia quæcunq; lumẽ accipere poſſunt, illuminat, habetq. lumen per omnia eminenter explicatũ, & per omnem viſibilem mundum ſupra pariter, & infra radiorum ſuorum ſplendores expandit, et ſi quid nõ illuminat, imputandum eſt nõ luci, ſed his, quæ inepta ſunt ad lucem percipiendam. Præterea ad corporum ſenſibilium generationem confert, & ea ad vitam mouet, nutrit, & auget, perficit, purgat, renouat, menſura, & numerus horarum, & dierum totius noſtri temporis eſt ipſum lumen, Deus autem omnia in omnibus.

Deus bonus à ſe.

Deut 32.

Proclus.

Auguſt.

Dionyſius Areopag.

Deus omnia in omnibus.

CAPVT XIX.

Præcepta noſti. Ne adulteres: Ne occidas: Ne fureris: Ne falſum teſtimonium dixeris: Ne fraudem feceris: Honora patrem tuum, & matrem.

Expoſitio.

Explicat adoleſcenti viam, qua itur ad vitam æternam; *præcepta*, inquit, *noſti*, quæ ſignata lex dictat, & continet decalogus. Ea enim iter parant tutum ei, qui ſedulus eſt obſeruatur; nam *ne adulteres*, pacificum conuictum animo præparat, atque corpori, vt eleuetur in Deum; *ne occidas*. ſeruat illum à proximo tutum; *ne fureris*, amabilem reddit eundem, & iuſtum; *ne falſum teſtimonium dixeris*, & hoc veritatem Deum allicit; *ne fraudem feceris*, quod facie hominem acceptiſſimum Deo; *honora patrem tuum, & matrem*, quod honorem vbique homini conſiliat, & præmium in longitudinem dierum apud patrem, qui in cælis eſt, & vitam æternam confert ſuis.

Præcepta noſti. Non interrogat in lege quid ſcriptum? quomodo legis? quid præcipit vobis Moyſes? vt erat ſolitum alias facere. Primum, vt oſtenderet iuuenem haud doloſè accedere, vt illi, quos præmiſſis interrogationibus ſæpè exaſperauit, quum malignè accederent, & callidè multa proponerent. Deinde, vt ante omnia legis præcepta doceri oportere in Eccleſia, & in his primos, totoſque conatus debere iuuenes inſumere; porrò vt ijs, qui vitam æternam docere alios cupiunt, formam tùm docendi in familiaribus colloquijs, tùm prædicandi coram multitudine proponat, eſſe, inquam, præcepta legis inculcare, & ab eis orationem ordiri, progreſſum facere, ad alia iuxtà illud Eccl. Ego os Regis obſeruo, & præcepta iuramenti Dei. Hæc autem ſunt decalogi ordinationes, quaſi ſanguinis aſperſione olim animalis, mox Agni immaculati, ſanxit, firmauit, & iurauit per eas vitam obſeruatoribus dare. Quoniam in præcepto ipſius placor ſit, & non eſt minoratio in ſalute ipſius. Nam qui cuſtodit præceptum non experietur quicquam mali; inducit autem ad cuſtodiam os Regis, ac legiſlatorem ipſum contemplari. Hinc rurſus ille: Ne feſtines recedere à facie eius, neque permaneas in opere malo, hoc eſt, non permanebis; ſiquidem occurret eius omnipotentia, quia omne, quod voluerit faciet, & ſermò illius poteſtate plenus eſt: nec dicere ei quiſquam poteſt, quare ita facis? Propterea, & idem dixit: Si quis diligit me ſermonem ſeruabit. Diligit autem, qui ſedulo agnoſcit, & apprehendit; & is quoque obſeruat mandata Regis, quem adeſſe iugiter cernit, & non à monte Sinai fumigare, clangere, & perterræfacere. Sed à latere comminari, ego iudex, & teſtis. Quod Chriſtus dicat *præcepta*, non præceptum, quum reuera vnicum ſit charitatis præceptum, innuit charitatem; vt arbor, quæ ſecus decurſus aquarum plantatur in multigena ramificari *præcepta*. Siquidem amorem Dei, & proximi velut duo candelabra ante omnia proponit. Deinde Dei amorem explicat tribus præceptis. Non habebis Deos alienos coram me, non facies tibi ſculptile, vt adores illud; non aſſumes nomen Dei tui in finem; memento, vt diem Sabbati ſanctifices; amorem verò proximi ſeptem ſequentibus. Honora patrem tuum, matrem tuam, vt ſis longæuus ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi; non occides; non mœchaberis; non furtum facies; non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium; non concupiſces vxorem proximi tui; non domum; non agrum; non ſeruum, non ancillam,

Lex primo docenda.

Eccl 8.

Eccl. 39.

Diligenter ſeruanda.

Ioan. 14.

Quis diligit Deum?

Multiplex charitatis præceptũ.

non

non bouem, non aſinum,& vniuerſa, quæ illius ſunt , ſed & præter hæc alia multa dictat charitas , quæ ad obſeruantiam totius Decalogi faciunt . Cuius diuerſitatem breuiter experimur ſecundum Gregorium lib. 10.moral.cap.7. Si in electis ſingulis bona illius reſtringendo numeremus,vt & ipſe facit in Abel,Enoch,Sem,Iaphet, Abraham,ac reliquis;in quibus quot adinuentiones ſanctæ,& exercitationes perſpiciuntur,tot charitas præcepta ordinat,& exequitur . Porrò dicitur Iuueni: *præcepta noſti* , non legiſti, nec didiciſti,quod vitæ præcepta , quæ continentur in Decalogo eiuſmodi conditionis ſunt,vt nullo Doctore,aut Scriptore poſſint ſciri cum ſint primæ,ac proximæ concluſiones deductæ ex lege naturæ , ac primis eius principijs. Legem autem naturæ ſignatam quiſque menti defert,vt oculum capiti.Cæterum an æquè pendeant à lege naturali, Scholaſtici differunt .

Gregor.

Præcepta decalogi legis naturæ concluſiones.

Ne adulteres . Omnis illicitus concubitus hoc præcepto inhibetur . Hæc eſt enim voluntas Dei ſanctificatio veſtra (ait Paulus) vt abſtineatis vos à fornicatione , vt ſciat vnuſquiſque vas ſuum poſſidere in ſanctificatione,& honore, non in paſsione deſiderij,ſicut & gentes, quæ ignorant Deum. Quorum ciuitates in cinerem redigens ſubmerſione damnauit . Exemplum eorum,qui impiè acturi ſunt,ponens: Quare mortificate membra veſtra,quæ ſunt ſuper terram, fornicationem , immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & auaritiam; fornicatio autem , & omnis immunditia , nec nominetur in vobis ; ſicut decet Sanctos. Nox præceſſit , dies autem appropinquauit, abijcimus ergo opera tenebrarum , & induamur arma lucis,ſicut in die honeſtè ambulemus ; non in cõmeſſationibus,& ebrietatibus , ſed induimini Dominum Ieſum Chriſtum,& carnis curam ne feceritis. Inde enim adulteria inter coniuges, fornicationes inter ſolutos,ſacrilegia inter ſacros,ſtupra,ac reliqua carnalia , & libidinoſa vitia, quæ præſenti mandato execrantur;tùm maximè prohibentur nobis , qui non æramenta tractamus , ſed cæleſtia ſacramenta , nec ad agnum anniculum inuitamur , ſed Deum ipſum , & vitæ auctorem commanducamus.

1.Theſ.4.

Coloſſ.3.

Rom.13.

Non occides . Arcemur hoc præcepto , non tàm à cæde;quàm ab omni vi,quæ corpus,vitamq; proximi lædit, etiam ira, odiq, rancore, indignatione , ac omni paſsione, quæ in proximum eſt,prohibemur, vt dignè (inquit) Apoſtolus ambuletis vocatione, qua vocati eſtis cum omni humilitate , & manſuetudine,cum patientia, ſupportantes inuicem in charitate, ſoliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis, Nequis deſit gratiæ Dei, ne qua radix amaritudinis ſurſum germinans impediat,& per illam inquinentur multi . Nam omnis, qui odit fratrem ſuum homicida eſt, & ſcitis , quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in ſe manentem, dixit enim primus : Ecce nunc eijcis me à facie tua , & ero vagus , & profugus in vniuerſa terra; omnis, qui inuenerit me interficiet me . Nam ſignum damnationis ſecum videtur deferre,qui occidit, & qui malo animo eſt in proximum. Ergo ſol non occidat ſuper iracundiam veſtram . Memento nouiſsimorum , & deſine inimicari ; memorare timorem Dei , & non iraſcaris proximo;memorare teſtamentum Altiſsimi,& deſpice ignorantiam proximi . Scriptum eſt ; mihi vindictam ,& ego retribuam .

Epheſ.4.

1.Ioan.3.

Gen.3.

Epheſ.4.

Ne fureris. Hoc eſt alienum nihil accipies inuito Domino,nec vſurpabis tibi,quæ alterius ſunt; rapinam, furtum,vſuram, nec illicitum contractum cum aliquo facies , quo fratrem in ſubſtantia bonorum defraudes, ſed eſto in commercijs iuſtus,æqua lance ponderans dictum : Quod tibi non vis alteri ne feceris . Scriptum eſt nolite facere iniquum aliquid in iudicio, in regula , in pondere in menſura; ſtatera iuſta, & æqua ſint pondera , iuſtus modius , æquuſque ſextarius . Quia pondus,menſura,& menſura, vtrumque abominabile eſt apud Deum. Ergo pondus habebis iuſtum,& verum, & modius æqualis, & verus erit tibi,vt multo viuas tempore ſuper terram . Qui facit hæc non mouebitur in æternum .

Quid præcipitur?

Prou 20.

Deut.25.

Ne falſum teſtimonium dixeris. Hoc eſt neque in iudicio proximi cauſam ſubuertas , neque alibi formam eius lædas ſuſurratione , detractione , criminatione, adulatione, maledictione , aut alio linguæ vitio, non inficias eum, qui frater, & caro eſt tua, & ad imaginem inuiſibilis Dei , immo verò eius vtilibus , atque honori abſque dolo conſule . Labium enim veritatis firmum erit in perpetuum , qui autem teſtis eſt repentinus concinnat linguam mendacij . Iaculum , & gladius , & ſagitta acuta, homo, qui loquitur contra proximum ſuum ; ſed maledictus, & dicet omnis populus,amen. Quia auerſor impium dicit Deus . Propter quod deponentes mendacium , loquimini veritatem vnuſquiſque cum proximo ſuo, quoniam ſumus inuicem membra . Abominatio enim eſt Domino labia mendacia,qui autem fideliter agunt placent ei .

Prou.12.

Epheſ.4.

Ne fraudem feceris . Hoc non ponitur peculiare præceptũ , inter quæ in Decalogo continentur ; niſi ad vltimum illud reducamus,quod fraus ob concupiſcentiam rerum, quæ ſe offerunt frequenter ſit tranſgredienti illud præceptum ; tametſi tranſgreſſorem cuiuſcunque mandati perſæpè concomitetur. Eam Chriſtus peculiari præcepto inhibet ob hypocriſim, quæ tum præualuerat,& nunc multo ſæuius debacchatur . Fraudem enim peſtilentior nulla eſt hypocriſi , quæ

Ratio præcepti.

poſſeſſorem nequius defraudat,& alios nedũ à ſpe, ſed à charitate nonnunquam priuat, quando detecta hypocritis fraude ſcandalizatur adeò, vt propter vnum omnes religioſos auerſatur; propter vnum Epiſcopũ omnes inſimulat, & ſcandalum vnius in omnes retorquet, quod abſq; peccato nequit fieri. Fit tamen, ac ſæpius multo, quàm par ſit; ſed ab inſipientibus, qui ſeipſos non agnoſcunt, nec compatiuntur naturæ, quæ prona eſt ad malum ab adoleſcentia ſua.

Honora patrem tuum, & matrem. Ad litteram de parentibus carnalibus intelligitur mandatũ, extenditur tamen ad maiores, qui vel in Clero, vel in ſæculo parentũ officia cũ reliquis faciunt; illi enim ſpiritualia adminiſtrant; hi verò temporalium curam gerunt, quibus ſuſcepta corpora quiete degunt, vt illis animæ ad optimam perfectionem tranſcendunt. Audi ergo patrẽ tuum, qui genuit te, & ne contemnas, cũ ſenuerit mater tua; memor enim eſſe debes, quæ, & quanta pericula paſſa ſit propter te in vtero ſuo. Gloria enim hominis ex honore patris ſui, & dedecus filij pater ſine honore. Etiam, & qui fideles habent dominos non contemnant, quia fratres ſunt, inquit Paulus, & miniſtri Dei in hoc ipſum ſeruientes. Quare omnis anima
Rom 13, poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non enim eſt poteſtas niſi à Deo. Quæ autem à Deo ordinata ſũt. Itaq; qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Non expreſſit Chriſtus alia Decalogi pręcepta, quę ad proximũ ſpectant, quod ad hæc reducantur perfacilè; ſubticuit verò quæ ſunt de amore Dei, tùm quod de eis alibi; tùm quod obſeruatio illorum integra ad maiores potius expectet. Ac propterea Chriſtus interrogatus maximũ hoc mandatum explicauit Legiſperito.

CAPVT XX.

At ille reſpondens, ait illi: Magiſter, hæc omnia obſeruaui à iuuentute mea.

Expoſitio. PRæ lætitia exiliens iuuenis *ille*, ſtatim *reſpondens, ait illi*, quaſi iam theſaurum, quẽ quærebat, poſſideret. *Magiſter* (inquit) *hæc* legis mãdata, quæ recenſuiſti, nullo prætērito *omnia* ſedulus obſeruaui integrè *à iuuentute mea*, quàmprimum rationis vſum viſus ſum accipere.

At ille reſpondens. Vt ſatis ſaceret quæſito, Ideò enim habeat caput tuum reſponſum, ò homo, quoties interrogatus fueris per Chriſtum, præcepta noſti? obſeruas mandata? promiſſa ne imples? ſtas in teſtamento tuo? Cuſtodis innocentiam, & æquitatem? ac ſimilia, quibus noſtras conſcientias interrogat; ſed quid reſpondebo ei? Qui didicerint iuſta, inuenient, quid reſpondeant.

ait illi. Non Apoſtolis, nec alicui circunſtantium, vt vel reſponderent pro eo, vel reſponſum docerent; ſed illi, vtpotè Chriſto eidem loquitur. Quoniam quando tempus interrogandi, de obſeruantia mandatorum interrogabimur, ſoli Chriſto aiemus, quę vel negligẽter prætermiſimus, vel perfecimus; ipſe enim ſolus cõſtitutus eſt iudex, qui interroget opera noſtra, & in lucernis ſcrutetur.

Magiſter. Non ait bone, ne videretur tẽnere correctionem, nec per eam profeciſſe. *Prou. 18.*
Plus enim proficit correptio apud prudentem, quàm centum plagæ apud ſtultum; eſt enim iſte ferrum, quod vix vnquam depuratur, niſi reſolutum in ferruginem, ille autem aurum, quod minimo igne rutilat.

Hæc omnia obſeruaui à iuuentute mea. Hic ſub lege ſcripta, quæ tantũ erat vmbra futurorum, audacter ait: *Hæc omnia ſeruaui à iuuentute mea*; & inter nos, qui ſub gratia ſumus, tot infirmi, & imbecilles, ſed & ex optimatibus, ac ſenibus tàm rari obſeruatores? Quid hoc? ſuper ſenes intellexi poteſt *Pſal. 118.*
hic dicere: Quia non piger. Omnis autẽ piger ſẽper in egeſtate erit. Quare melior eſt puer ſapiẽs Rege ſtulto, & ſene. Hinc poteſt
lector in Lutherum, qui ait: Nõ concupiſces, Error Lutheri.
eſſe præceptum inobſeruabile, cõtra ea, quæ naturæ auctor dixit: Sub te erit appetitus tuus. Et quæ iuuenis iſte expreſſit. Nec ſimpliciter (annotat Gagnęius) hic mentibus videtur dicens hæc mandata ſecundum legem impleuiſſe; lex autem, vt inquit Paulus 7. ad Hebr. nihil ad perfectum adduxit. Vt igitur perfectus eſſet hic adoleſcens, opus erat ipſum ſequi, qui legem perfecit, vtpotè quæ duceret ad vitam æternam, quod non fecerat lex vetus, quæ terrena promittebat, & poſſeſſiones plurimas permittebat. Ego nullo modo mentitum dicerem, ſed ſimpliciter, verèq. loquutũ, & integrũ obſeruatorẽ mãdatorum extitiſſe, quorũ etſi non ſit aperire cælum, quod eſt Chriſti, ad cęlũ tamen apertum intromittunt, ſiue illa obſeruentur ante Chriſtum, ſiue poſt impleantur. Nam credi- *Rom. 4.*
dit Abraham, & ambulauit coram Deo in omnibus mandatis, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam, cuius eſt vitã æternam dare. Quod
ergo Paulus ait: Nihil ad perfectum adduxit *Hebr. 7.*
lex, non de Decalogo loquitur, alioqui, neq; Daniel perfectus, neque Samuel, nec aliquis
alius, quod nemo negabit, loquitur ergo de Quomodo intelligi debeat Apoſtolus.
cæremonialibus, & iudicialibus, quæ propriæ erant legis ſcriptæ præcepta, nec gratiam vitæ æternæ dabant, præcepta Decalogi, de quibus hic eſt ſermo habitus, ad legem naturæ ſpectant, quibus nedum Iob, ſed omnis homo in quacunque lege, & ſtatu fidei iuſtificatus dicitur, & dignus vita æterna, quoties ianua pateret.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT XXI.

Ieſus autem intuitus, dilexit eum, & dixit ei: Vnum tibi deeſt: Vade quæcunque habes vende, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo; & veni ſequere me.

Expoſitio.

CONſirmant puritatem animi iuuenis, & vera de ſeipſo protuliſſe, quæ ſequuntur. Nam *Ieſus*, etſi probè præuidiſſet adoleſcentis ſtatum, ob circunſtantes, nouo geſtu vultus *intuitus* eſt eum, ac ſi nouũ quid in iuuene inſpiceret, aut quid rarum ab eo audiſſet. Inſuper *dilexit eum* certis beneuolentiæ ſignis palã declaratis; quibus adiunxit familiare colloquium, & admonitionem amico dignam: Nam poſt hæc dixit ei: Etſi magna ò iuuenis videaris aſſequutus; *vnũ*, & his omnibus excellentius *tibi deeſt* ad ſupremum illum vitæ æternæ gradũ, ad quem ſpirat robuſtorum animus, & nobilium: *Vade* (inquit) ſi eò proponis aſcendere, & acceptis omnibus, *quæcunque habes* in poteſtate tua, *vende* alijs diuitibus, pretium verò *da pauperibus*, quos noueris egere. Fiet enim tibi inde tanta diuitiarum acceſſio, nedum pecuniarum, ſed honorum, vt nihil ſupra. Namque propterea habebis theſaurum bonorum omnium, quæ valent concupiſci, nec in cor hominis aſcendunt; & adeò firmum, vt deperdi nequeat, neque tolli. In cælo enim illum repoſitum habebis, quo fur nõ intrat, neque tinea, aut rubigo locũ habent. Quare diſtributis in pauperes rebus, veni ſecurus ad eos, qui tam arduum ſtudium ſuſcepere; & ijs ſociatus ſequere me ad ea, quæ in me, & ex me inſpicies virtutum opera, & perfectionis. Sum etenim ego via horũ omnium.

Ieſus autem intuitus eum. Quoniam vidit obſeruantiã iuuenis. Hæc enim eſt, quæ oculos maieſtatis diuinæ ad hominem obſeruatorem conuertit, iuxtà illud: Ecce oculi Domini ſuper metuentes eũ, & in eis, qui ſperãt ſuper miſericordia eius: Vt eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame. Secus autem agitur cum tranſgreſſoribus, quibus dicitur: Auertam oculos meos à vobis, & cũ multiplicaueritis orationes veſtras non exaudiam: Vt enim nubes impediunt ſolem, ſerenitas autem confert eundem, ita munditia cordis Dei oculos ad nos confert, & viciſſim Deum ipſum videmus, & poſſimus dicere: Vidi Dominũ facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima mea; ſiquidem ſalus noſtra in hoc ſita eſt, vt videamur à Deo, & videamus per fidem eum, qui ad nos oculos ſuos conuertit, vt gratiam conferat, doniſq. illuſtret; quia Deo ſoli perfectam bonitatẽ attribuit vetuſta ſapientia (inquit Aug. Steuch. de perenni philoſ. lib. 5. cap. 11.

Pſal. 32.

Iſai. 1.

Munditia cordis.

Auguſt.

Dilexit eum. Hoc vnico argumento conuincimur liberare à dolo iuuenem, nec vllo modo aſſentiri his, qui volunt fraudulenter acceſſiſſe. Namque inter Chriſtum, ac cæteros homines hoc intereſt: Quod hi iudicent ſecundum faciem, vnde ad maiorem facilè trahuntur eius, qui omni deteſtatione dignus eſt, vt pomum viſceribus corruptũ, facie autem pulchrum. Alioqui non conſolaremur à domeſticis cauere, & cuſtodire nos ab ea, quæ dormit in ſinu. Fallax quidẽ hominum genus, ac mendaces filij hominum, qui & decipiunt, & facilius decipiuntur. Diligis (dicebat ille) odientes te, & ea, quæ ſibi ſunt noxia quærunt. Nam vt inquit Plato de legib. dialog. 5. Humana natura maximè ſunt voluptates, dolores, & cupiditates; ex quibus neceſſe eſt omne mortale animal palã, velut dependere, & maximis ſtudijs, velut appenſum eſſe, ac propterea deceptum. Non ſic Chriſtus, qui Deus eſt ſcrutans corda, & renes; ſed ſcit quid ſub homine lateat, deteſtatur impiũ, diligit ſimplicitatem hominis, ac diligentes ſe. Et diligit quidem transfundendo iugiter ad dilectũ gratuita, quibus amabilior ſemper reddatur, haud ſecus quàm agricola, qui charam arborem lactat, rigat, purgat, & fouet ſedulo. Hinc oraculum: Quem diligit Dominus corripit, diligetur à patre, & ad eum veniemus. Qui dilexit nos, & lauit nos. Ero (inquit) quaſi ros Iſrael, germinabit ſicut lilium, & erumpet radix eius, vt Libani. Itaque nec diligitur à Deo indignus, nec dilectum abſque donis relinquit, vt cenſent, qui gratiam negant habitum grato inhærentem, ſed fauorem, quo Deus dignatur diligere creaturam, ſtatuunt: necnon Lutherus, qui non habitum conſentit, ſed ſolũ peccati remiſſionem. Quũ contra ſtatuat fides gratiã neutrum horum eſſe, ſed qualitatem infuſam, quæ ſit effectus diuini fauoris, & hæc remiſſionem peccatorum efficiat, & expellat peccata, vt lumen tenebras. Hæc (vt Concilij Senonenſis in præfatio vtar verbis) vtique ſententia eſt Catholicæ Eccleſiæ, quam ſemper Catholici Doctores tenuerunt: & in oppoſitam partem declinantes Hæreticos, diuinorum eloquiorum teſtimonijs cõfutarunt, & damnarunt. Præſertim in Conc. Trid. ſeſſ. 6. can. 11. Si quis dixerit hominem iuſtificari, vel ſola imputatione iuſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione excluſa gratia, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum ſanctum diffundatur, atque illis inhæreat, aut etiam gratiam, qua iuſtificamur eſſe tantum fauorem Dei, Anathema ſit.

2. Reg. 19.
Plato.

Chriſtus inſpector cordium.
1. Par. 29.

Oſe. 14.

Cõc. Senon.

Conc. Trid.

Et dixit ei. Ad maiora volens eum promoueri. Eò enim dixit ſemper Deus ſuis, & locutus eſt ad Abraham, Iſaac, & Iacob, ac reliquos Sanctos, vt meliora continuò perficerent, & proficerent in ſchola optimorum

ſtudiorum, *de virtute in virtutem*, cuius doctor eſt ipſe ſolus, & infatigabilis ſẽper dicens: ſurge propera amica mea, columba mea; ſurge, inquam, quia magna tibi reſtat via, quum Oceano immenſior ſit vitæ perfectio.
Cant. 2.
Propera dũ ſcilicet dies eſt, quia venit nox, in qua nemo poterit operari. Et amica, quia quæcunq; accepi à Patre meo nota feci, vobis amicis meis ſcilicet. Et columba, vt alis ſimplicitatis & amoris voles, & requieſcas ſuper fluenta aquarũ, quæ fluunt impetu de Libano; hoc eſt conſoleris in abundantia gratiarum, quas ſuperabundanter, quàm petimus, largitur pater luminum his, qui dicentem audiunt, auſcultant, & obſeruant.

Vnum tibi deeſt. Sed quomodo illi *vnum* deeſſe poterat, qui diuina dilectione dignus haberetur, & gratus exiſtens regnũ Dei intra ſe poſſideret? Nonne eios poſſeſſor exclamat: Quid enim mihi aliud eſt in cælo, aut à te quid volui ſuper terram?
Pſal. 72.
Palmã retinens frugiferam, & onuſtam dulei fructu, quomodo dicetur carere dactilis?
Cant. 2.
Fulcite me floribus, ſtipate me malis, dixit dilecto digna; hoc eſt, congratulamini mihi; quod diligens, & amore languens, vnum habeam, in quo ſunt condita vniuerſa. Et quidem ego congratulabor ei, qui Deũ intra animi gremiũ portauerit; nihilominus adhuc vnum ſibi deeſſe profitear; *vnum*, inquam, operandi genus diuinius; amore ardentiori concaleſcere, & ad ampliorem cognitionẽ in dies, & horas, ac per momẽta eleuari. Habitat enim Deus lucem inacceſſibilẽ; hoc eſt, immenſam, cuius ſplendore, & ardore tanto quis ditatur, quãto peculiari ſtudio, & diſciplina ſeipſum diſponit.
Via perfectionis.
Itaut ſemper ei deſit *vnum*, gradus, inquam, perfectionis, & claritatis, quã poſſet meliori operatione cõſequi. Velut qui theſaurum habens infinitũ, ſi dari poſſet; numerareq. diſponeret ſigillatim aureos, ac præclara vaſa; quod ad finem nunquam peruenire poſſet, numeranti vnum poſt aliud ſemper deeſſet vnum, vltimũ inquam, quo properaret, etſi vnum continuò acciperet.
Similitudo.
Ita & qui operatur diuina, vnum ſemper complectitur.
Procul.
Quia Deus, vt inquit Procul. elem. Theol. propoſ. 133. vnitas, eſt benefica, vel bonitas vnifica. Nam ſe totum tradit nõ per partes; attamen plus minuſue benificat, prout quiſq; longiores fecerit funiculos ſuos, & tentorium dilatauerit.

Vade. Et hoc verbũ, ac imperiũ admirationẽ generat. Nã vt Abrahæ dixit relinque; & vitæ perfectio non in venditione tẽporalium, ſed renuntiatione conſiſtat, vt & alias idem dixit; præcipiat iuueni, *vade*, & non relinque. Verum perfectus medicus ſic vulnus detegit, mox perfectionis ſtatum integrum ex his, atque alijs dictis proponit. Eſſe, inquam, ſoluere in primis colligationes impietatis, hoc eſt, deponere impedimenta externa; poſt funiculos deprimentes, hoc eſt, affectum omnem immoderatum tàm ad ea, quæ exterius reſecamus; quàm ad illa, quæ paſſim appetenda occurrunt; poſtremo ſequi ſtudio ſingulari Dominum. Primum per, *vade*; ſecundum per relinquere, ſeu renunciare, & perſequi tertium explicatur.

Quæcunque habes vende. Quoniã indignũ eſt proprijs ſtipendijs militare, & ſponſam, ac Regis vxorem aliundè, quàm à coniuge victum, veſtitumq. petere. Propterea vendere, quæ habet iubetur is, qui Chriſto ſponſo nouo ſponſalitio, ac fœdere perpetuo vult coniungi; vt à ſe habeat deinceps alimentũ, & veſtimentum, quo tegatur, & ſufficienter de domo regia prouideatur Heſter, quæ oblita omnibus vnum Chriſtum elegit.

Et da pauperibus. Bonia in primis, deinde egẽtibus, tertio impotẽtibus, & quarto alienis, ne affectus diſtributionem iuſtam impediat.
Ordo diſtributionis.
Cognatis enim dare affectus incitat, ſit & citra peccatum ad eos erogatio bonorũ, etiam eorum, quæ ſunt reipublicæ, & Eccleſiæ, quando egeſtas eadẽ alijs, ineſt eis. Pauperibus potiſſimum dari iubentur bona ſectatorum Chriſti, vt auctorem imitentur. Qui diſperſit dedit pauperibus; præterea vt coadiutores habeant apud Deum, ad opus alioqui arduũ, quod ijs imponitur; demum, vt pauperes pauperem ſequantur, & nudum; ac pariter cum eo clamitent: Ego verò egenus, & pauper ſum, Deus adiuua me.
Pſal. 69.

Et habebis theſaurum in cælo. Et quidẽ in terra; alioqui non diceret pauper euangelicus: Omnia arbitratus ſum, vt ſtercora; habemus theſuurum in vaſis corruptibilibus, omnia poſſum; & ſimilia, quæ diuitũ ſunt, & potentum.
Philip. 3.
2. Cor. 4.
Etenim in terra poſſident quietem animi, & ornatũ cunctis regijs præcellens; ſed & corporis ſolicitudinẽ ſuperfluam, quæ ſummum onus eſt omninò paupertate ſancta depellunt, vt ſecura mente pauper, & inops laudens Dominum, inſtar auium, quæ neque ſerunt, neq; metunt, neq; nent, neq; congregant in horrea, ac propterea cantus melodias exercent frequentius.
Commodi paupertatis.
Ea propter Chriſtus dixit: Beati pauperes ſpiritu; quoniam ipſorum eſt Regnum cælorum.
Matt. 5.
Luc. 6.
Nõ inquit erit, ſed eſt. Siquidem felices (ait Picus Mirandulus epiſt. lib. 4.) qui conſilium paupertatis eligunt.
Mirandul.
Qui ſcilicet ſpirituali intentione, ſecundũ Bernard. ſer. 1. in feſto omnium Sanctorũ, deſiderio ſpirituali, propter ſolum beneplacitũ Dei, & animarũ ſalutem.
Bernard.

Et veni, ſequere me. Duo poſt venditionẽ bonorum, & diſtributionẽ præcipiuntur, *veni, & ſequere. Veni* alludit ad relinquere, & renuntiare; *ſequere* verò connotat iugum, & crucẽ, quã alibi ſectatoribus ſuis demandat. Nam eſſe pauperem, ſiue coactũ, ſiue voluntarium, nihil eſt, niſi & venire, & ſequi Chriſtum is ſtuduerit, hoc eſt poſt tergum cuncta habere, & Chriſtum ſolum ante oculos deferre, ſequi, & imitari.

CAPVT

CAPVT XXII.

Qui contriſtatus in verbo abijt mœrens, erat enim habens multas poſſeſſiones.

[Expoſitio.] VIde quomodo ſapiens medicus ſuffodit inueteratum vulcus prudenti conſilio. Etenim, vt audiuit percitus auaritia pecuniarum dimiſſionem; qui venerat hilaris ad magiſtrum bonum, *contriſtatus* animo in verbo venditionis, & largitionis, *abijt*, & deſeruit Chriſtũ *mœrens. Erat enim* ait Euangeliſta, *habens ex* paterna hæreditate ſibi legata, & induſtria aucta, *multas poſſeſsiones*, quæ illum apud conciues honoratum, & domi pacatiſſimum faciebant.

Qui contriſtatus in verbo. Quod natura lætificat, & ſupramodum delectat eum, qui corrupto naturæ principio non teneatur, vt æger, cui dulce amareſcit, offendit, conturbat, cõtriſtat, & ſæpè in maiorem amentiam
[Verbum Dei malè affectis amaram.] reddit. Audit enim luxurioſus, & diſplicuit ei; auſcultat ſuperbus, & mittit in cælum os ſuum; audit piger, & multo amplius cõplicat manus; ſuas audit, & hic auarus verbum Dei, & contriſtatur. Prædominantur his nebulæ, & oculorũ caligo facit, vt ægreferant ſolem intueri; nec velint aſpides incantatoris voces percipere. Colit Salomon Aſterthen Deam; Achab Baal, animalia miſerrima alij, & immunditias; hoc eſt, doctus curioſitatem inutilem; potens tyrannidem; concupiſcentias, atque luxus reliqui, qui peccatores; ac propterea in verbo, quod iſta abominatur, reprehendit, arguit, & iubet
[Prou. 29.] deponere, mirum immodum *contriſtantur.* At verbum cuſtodiens filius extra perditionem erit.

Abijt mœrens. Nihil penitus reſpondens, nec vltra interrogans, vt quaſi in os eius fuiſſet proiectus lapis, aut abſciſſa lingua, diffugit ineruditus. Siquidem ſeruus verbis non poteſt erudiri: quia quod dicis intelli-
[Prou. 29.] git, & reſpondere contemnit. Et quis ſeruus
[Galat. 5.] niſi auarus? auaritia (inquit ille) eſt idolorum ſeruitus, hoc eſt, omnium vitiorũ. Nam
[Synodus Aquiſgr.] vt inquit Synod. Aquiſgranenſis ſub Ludouico Pio Imperat. l. cap. 27. ex Gregor. lib. 1. paſtor. cap. 2. impetiginem habet in corpore, quiſquis auaritia occupatur in mente. Quæ ſi interius non compeſcitur, nimirum ſine menſura dilatatur. Impetigo quippe ſine dolore corpus occupat, & abſque occupati tædio excreſcens, membrorũ decorem
[Auaritiæ nequitia.] fœdat: quia, & auaritia capti animum, dum quaſi delectat, exulcerat, dum adipiſcenda quæque cogitationi obijcit ad inimicitias accendit, & dolorem in vulnere non facit, quia æſtuanti animo ex culpa abundantiam promittit. Decor membrorũ per impetiginem perditur, quia aliarum quoque virtutum per auaritiam pulchritudo deprauatur. Et quaſi totum corpus exaſperat, quia per vniuerſa vitia animum ſupplantat, Paulo atteſtante, qui ait: Radix omnium malorum eſt cupiditas. [1. Tim. 6.]

Erat enim habens multas poſſeſsiones. Ac propterea difficile illi fuit, & ingratum audire paupertatem. Quanto enim poſſeſſio ampliatur, & affectus; vnde habenti pacem in ſubſtantia ſua ægra eſt mors, & ſeparari à bonis aliquando nõ poteſt pati. Ego, inquit, [Pſal. 29.] dixi in abundantia mea, nõ mouebor, vt leo cum habuerit prædam, & bos præſepe herba plenum. Si autem compellatur relinquere, quæ in annos plurimos congregarat, recalcitrat. Propterea diuitiæ ſi affluant nolite [Pſal. 61.] cor apponere. Poſſunt enim, & vt manna corrumpi, & quod certiſſimum, niſi caueriut, in profundum, quaſi lapides, demergentur. Quare ſi te non delectat paupertas, ſaltem onus diſrumpe affectionis; quod ſi poſſeſſiones ambis, ſaltem ora: Duo rogaui te ne [Prou. 30.] deneges mihi; vanitatem, & verba mendacia longè fac à me, mendicitatem, & diuitias ne dederis mihi; tribue tantum victui meo neceſſaria. At quæret quiſpiam, quomodo hic auarus cum eſſet diligeretur à Chriſto? Auarum, qui dignus eſſet odio non dicerem; ſed qui ad perfectionẽ inutilis eſſet. Erat enim diues hæreditate patrũ; ſed non lucri inhoneſti cupiditate. Is eſt, quem Scripturæ ſimpliciter damnãt. Ille autem etſi à perfectione reprobetur, nec ad Regnum cælorum, ac ſedem Regni, quæ perfectis promittitur, admittatur, ſalutem non perdit, dummodo diuitias acceptas iuſtè inter ſuos, & eos, qui egent, diſtribuit, quando & vbi oportet. Atque talem fuiſſe huiuſmodi iuuenẽ, credetẽ.

CAPVT XXIII.

Et circumſpiciens Ieſus, ait diſcipulis ſuis, quàm difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt.

POſtquã ergo abijſſet iuuenis, *circumſpiciens* in gyrũ *Ieſus*, quo ille declinaſſet, [Expoſitio.] conuerſus ad diſcipulos ſuos, ait illis: Deſiderari quidẽ poſſunt cæleſtia, & quidẽ vitæ æternitatem nulli efficacius, quã locupletes appetũt; at *quàm difficile* eſt illis deſiderij finẽ aſſequi, *qui* enim *pecunias habent*, ijſdẽ affectum, & animum implent, in regnum illud Dei, quod eſt ab ijs omnibus alienum, minimè intrabunt, tàm graui pondere impediti, & inhoneſtato commercio, quod tàm enormiter, nedum animum, ſed, & corpus coinquinat, atque deformat.

Et circumſpiciens Ieſus. Haud neſcius, quo ſe iuuenis recepiſſet, videlicet, ad poſſeſſiones ſuas, vt piſcis ad mare, cuius vndis non-

nunquam ad littus impellitur; ita hic, qui flante aura Spiritus ſancti, ſemetipſum ad *Luc 16.* Chriſtum cierat, ab eo ad ſuam domũ hyemalem propere fugerat. *Circumſpicit* tamẽ *Ieſus*, ne quid videatur auxilij in eum prætermiſiſſe, vt perfectionem aſſequeretur. Circũſpexio enim, quæ abſceſſum ſequitur, eſt auxilium, quod etiam renitenti, & apoſtatæ offert, optans vel reducere ad ſtatum, à quo præuaricatur Iudas, vel confirmare propoſitum, quo Ananias, & Saphira ad Apoſtolos venerant, vel certè iuuare in tentatione, quæ eos apprehendit, qui ad bonum opus accedunt. Nihil tamen huiuſmodi hominibus proficit, quando omninò reſiliunt, vt ſal tacto igne, & pertinaciter abſcondunt ſcelera, dicuntque nequaquam faciemus; non veniemus.

Ait diſcipulis ſuis. Vt cum eis de pernicie auaritiæ ſermonem haberet, eamque ſupra reliquos doceret aufugere: Nam indignum eſt aurifici, & gemmarum lapidario, ferruginem artis materiam operari, & inde lucrum quærere; cum habeat aurum, & lapides pretioſos, vnde locuples fiat. Sũt quidem iſta ſpiritualia, propter quæ duplicem honorem presbyter meretur, & coronam, atque coronulam; fit tamen indignus vtraque, quando de abſconditis ventrem adimplet, ac mentem. *Synodus Aquiſgr.* Quare ait Synodus Aquiſgranenſis cap. 5. Cupiditatem tanquam radicem omnium malorum, & apoſtolica damnat ſententia, & ab omni ordine Eccleſiaſtico canonica perturbat interdictio: ita vt ſtatuerit nullum clericorum de qualibet re fœnus accipere, quorum auctoritatem & nos ſecuti decreuimus, immo illorum auctoritati ad ſenſum præbuimus, vt nullus Epiſcoporum, vel miniſtrorum ipſorum deinceps pro diſtributione ſacrorum ordinum, pro dedicatione ſanctæ Eccleſiæ, ſeu pro acceptione ſacri chriſmatis, vel pro immutatione titulorum aliquid exigere præſumant, & qui fecerit, conuictus canonicæ ſubiiceat diſciplinæ. Alijs etiam decretis Synodalibus, quæ longum eſſet referre, omne auaritiæ genus prohibetur clericis omnibus, tùm maximè Epiſcopis, qui Apoſtolorum locum tenent.

Quàm difficile, qui pecunias habent. Vbi ergo difficile ponit (infert Zacharias Chryſopolitanus lib. 3. cap. 106.) non impoſſibilitatem prætendit, ſed raritas demonſtratur. *Zachar. Chryſop.* Difficulter enim diuitiæ contemnuntur, & vix aliquis res ſeculi ſine ſeculi ipſius vitijs aſſequitur. Hæ ſunt enim ſpinæ, & tribuli, qui ſemen Dei ſuffocarunt. Quare tutum eſt, nec habere, nec amare diuitias. Et beata illa paupertas (ſubdit Leo Primus ſer. de feſto omnium Sanctorum) *Leo Primus* quæ rerum temporalium amore non capitur, nec mundi operibus augeri appetit, ſed cæleſtibus bonis diteſcere concupiſcit. Ordine enim prima eſt, & parens (ait Ambroſ. in cap. 6. Luc.) *Ambroſ.* quædam generatioq. virtutum; quia qui cõtempſerit ſæcularia, ipſe merebitur ſempiterna: nec poteſt quiſquam meritum regni cæleſtis adipiſci, qui mundi cupiditate poſſeſſus, emergendi non habet facultatem.

In regnum Dei introibunt. Quum non ſit impoſſibile, nihil refert, quod ſit difficile *in regnum* intrare. Introibunt enim, ſi manus ſeruant à rapina innoxias; ſi eaſdem ad pauperes extendent; ſi cupiditatem temperent, ne propter eam opus Domini non reſpiciãt; et ſi non ſuperbiant ſupra id, quod eis eſt, dum & obſequi volunt, & alijs imperare, quæ etſi difficilia, legimus facta. Iob enim inter orientales ditiſſimus non recuſauit ſubire iudicium cum ſeruo; Abraham adeò in pauperes extitit pius, vt Angelos Dei mereretur hoſpitio recipere, Tobias etſi iuuenis diuitijs abundans, ab operibus legis nunquam ceſſauit; neque rapinam vnquam commiſit Iacob, qui ad ſummas deuenit opes. Hæc igitur Chriſti oratio (ait Victor Antiochenus) *Victor.* ipſas pecunias in ius non vocat, aut damnat; ſed illos, qui citra modum illis conquirendis inhiant, aut nimis conquiſitas detinent. At quorſum ad diſcipulos, qui pauperes erant, nihilque omninò in bonis habebant? Voluit per hoc illos admonere, ne propter paupertatem erubeſcant, aut animum deſpondeant. Hic nomine regni perfectionis ſtatum poſſumus intelligere; quoniam propter illum iubebat Chriſtus omnia venundari, non propter vitam æternam, quam ex obſeruantia mandatorum pollicitus fuerat. Quare etſi perfectionis ſtatum multi profiteantur, nemo ad illum intrat, hoc eſt, eius meritum non aſſequitur, niſi qui plenè Chriſti conſilio paruerit, & fuerit alienus ab ea proprietate, quæ ſtatui aduerſatur.

CAPVT XXIV.

Diſcipuli autem obſtupeſcebant in verbis eius. At Ieſus rurſus reſpondens, ait illis, filioli quàm difficile eſt confidentes in pecunijs in regnum Dei introire.

Qvum his auditis, mortalium fermè omnium conditionem penes ſe *diſcipuli* conſiderarẽt, *obſtupeſcebant* ſummopere, *in verbis eius*, quæ contra diuitiarum periculum eructarat. *At Ieſus*, qui non admirationem, ſed ſynceram doctrinam venerat proponere, rurſus ſermonem repetit, & *reſpondens* ad ſtuporẽ, *ait illis*, qui ſtupebant in dictis minus benè perceptis. *Filioli* (inquit) *Expoſitio.*

(inquit) iterum volo vos, quæ dixi melius aduertere: Non enim penitus à regno excluſi diuites; ſed *quàm difficile*, dixi, *eſt* his, qui *confidentes* in pecunia ſua ſperant, ita ſecurè, ac alios, qui paupertatem deuouent, & ſequuntur, aut ſuſtinent patienter, *in regnum Dei introire*, & frui dulcedine, ac ſumma illius ſtatus perfectione.

Diſcipuli autem obſtupeſcebant in verbis eius. Nàm quum electi eſſent Saluatores, ac miniſtri ad ſaluandas feces Iſrael, & gentes omnes conuertendas, difficultas ſui miniſterij illis occurrit, & finis. Qui enim ad obſidionem vrbis, ſeu regni deſtinatur dux militiæ, profectò deſpondit animum, & obtupeſcit, audiens difficillimam eſſe negotij confectionem, ob loci munitionem, quæ tum terra, tum mare inexpugnabile regnum faciunt. Etiam obſtupeſcunt, quod in ſuſpitionem propriæ ſalutis ex verbis Chriſti venerint. *Matth. 19* Nam etſi dixiſſent: Ecce nos reliquimus omnia; facillimum ſibi erat pecunia rurſus ineſcari, vt infelix Iudas: cuius veſtigia vniuerſi proprietarij, qui in ſtatu religioſo abundant, infeliciter ſequuntur, vt ſcribit Baſilius ſerm. 1. de inſtituit. monach. cap. 35. *Baſil.* Quare (ſubdit q. 85. in regulis breuioribus) qui dicit ſuum aliquid eſſe, is ſeipſum alienum reddit ab Eccleſia Dei, & charitate Domini.

At Ieſus rurſus reſpondens. Vt iteratione ſententiæ, & attentiores faceret, & timidiores, auidiores autem paupertatis, quam profeſſi fuerant. Nam beatus vir, qui inuentus eſt ſine macula, & qui poſt aurum non abijt, nec inuentus eſt in pecuniæ Theſauris, quis eſt hic & laudabimus eũ? fecit enim mirabilia in vita ſua. *Camal.* Etenim mirabile eſt pecori viuere ex aere, ſed non camaleoni; is eſt, qui conuerſationem in cælis quærit, qui terrigenat, vt pecus cedar, & iumentum eſſe vult, quum ſe Nazaræum vouerit, admirabile dicet, & impoſſibile, vt plerique dicunt, abſque proprietate viuere. Sed habeant miſeri ampullam quum maſſa plumbi, ego interim rogabo nudum cum Iſaia fieri.

Ait illis. Vt eius exemplo, & ipſi iterum, atque iterum inculcent negotij difficultatem, quibus datum eſt prædicare, vt qui habent, tanquam non habentes ſint, aut cuncta diſtribuant propter Regnum Cælorum.

Filioli. Donantur nomine tali hoc in loco, vt hac in parte pluſquam in reliquis patrem imitentur, & cum ſemper in ſumma paupertate ſciant fore patrem, qui aperit manum ſuam, & implet omne animal benedictione, quanto eos, quos *filiolos* vocitat, & rogat quemque: A modo voca me Pater meus.

Quàm difficile eſt confidentes in pecunijs. In his confidere contingit dupliciter, vel poſſeſſioni theſauri indulgere ſatagens ſimul gloriam ſperare; vel in pecunijs erogatis propter Deum pauperibus, & Eccleſijs confidere: Prima confidentia eſt eius, qui ponit ſpem brachium ſuum; quem ſcriptura maledictum tradit: Poſterior eſt pij diuitis, qui remiſſus in alijs, ſedulus non nihil in Eleemoſynis reperitur, confidens propter eas veniam conſequi peccatorum, & introitum Regni; quod eſt illi difficile ob inertiam, quam in obſeruandis mandatis tenuit.

In Regnum Dei introire. Hac voce frequenter vtitur, vt qui laqueis diuitiarum obſtringuntur, allecti præmio ſibi vim faciãt, & quæ audiunt opere impleant. *Prou. 8.* Qui iuſti ſunt (inquit Chriſtus) ſermones mei, non eſt in eis prauum quid, neque peruerſum, recti ſunt intelligentibus, & æqui inuenientibus ſcientiam; quæ docet expoliari, & non ſuperueſtiri; pellem pro pelle dare, & cuncta, quæ habet homo pro anima ſua: Ergo clamat: Accipite diſciplinam meam, & non pecuniam, doctrinam magis, quàm aurum eligite. Hoc denigrat, doctrina, quæ pauperi traditur, mundificat, & cunctis gentibus excelſiorem facit. Siquidem Ciuitatẽ ſublimẽ pes pauperis calcat.

CAPVT XXV.

Facilius eſt Camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in Regnum Dei

APponit exemplum difficultati, quæ multo difficilior redditur Apoſtolis *Expoſitio* nam (inquit) *facilius eſt* multo, *Camelum* alioqui magnũ *per foramen* multo paruum *acus tranſire* in partem oppoſitam, quàm diuitem, qui gloriatur in diuitijs ſuis, & qui in illis confidit, poſſe cum friuola confidentia *intrare in Regnum Dei*, cuius via arctiſſima eſt cunctis, præſertim onuſtis.

Facilius eſt Camelum per foramen acus tranſire. Per *Camelum* autem (inquit Theophylactus) intellige vel animal, vel craſſum funem, quo nautæ vtuntur. Camelo diuitem comparat ob craſſitiem mentis, & dilationem affectus, quæ generant. Nam auarorum cor, & oculi ad auaritiam, & opum oblectamenta, & multitudinem, vt non ſit finis theſaurorum eius, adeoque dilatantur, & præſumunt, vt minimus eorum digitus maior homine integro ſibi videatur. Quia ſubſtantia diuitis, vrbs fortitudinis eius; ſed vbi fuerit ſuperbia, ibi & contumelia. *Prou. 10. 11* *Foramen acus* fingit Chriſtus regnum cælorum; quod arcta ſit via, quæ ducit ad viam, & adeò limitata, vt neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram liceat declinare, ſed recta via velut *per foramen*

acus

acus oporteat incedere, qui ad ſtatum illius regni feliciſſimum deſiderat *tranſire*. Vocat quoque tranſitum ad regnũ introitum; quod nulli concedatur, niſi qui ex hoc mundo ad patrem tranſierit, & vitam mortalem, cum immortali commutauerit. Quum enim dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hæreditas Domini.

Quàm diuitem intrare in Regnum Dei. Optimè, ait, diuitem, quem vel gibus impedit, vel groſſities retardat. Si tamen contingat eum vel caſu depauperari, vel infirmitate attenuari, aut diuino contactu ſpoliari, minime erit illi difficile *intrare in Regnum Dei*, quinimo facillimum, vt Zachæo, Matthæo, & alijs.

CAPVT XXVI.

Qui magis admirabantur dicentes ad ſemetipſos: Ecquis poteſt ſaluus fieri?

Expoſitio.

NOn dùm diſcipuli magiſtrum perceperant, qui propterea magis ex repetitione vocum; & ſententiæ admirabantur, & ſtupebant, dicentes, tàm alter ad alterum, quàm ad ſemetipſos. *Ecquis* non ſolum ex mundanis, ſed neque ex noſtris *poteſt fieri ſaluus*, in tanta rerum difficultate?

Qui magis admirabantur. Quoniam ignorabant emphaſim ſacri eloquij. Huius enim ignorantia Iudæos quoque admirari facit in omnibus, & de omnibus pene ſcripturis, dùm ad litteram, quæ in ea ſcribuntur de hortis, de paſcuis, de victorijs, de rege purpurato, atque alijs metaphoris interpretantur, vnde dixit ad eos propheta: Admiramini, & obſtupeſcite, opus fiet in diebus veſtris, quod cum narrabitur, non credetur. (Iſai. 29.) Quodque legebant in ſcripturis neſcirent Chriſto accommodare, & ijs, quæ in Chriſto, & per Chriſtum implenda erant.

Dicentes ad ſemetipſos. Et quidē vt alias ſæpe mutuo. Nam conceptum ſermonem continere quis poterit? Vt parturiens, dicebat ille, loquar, & in amaritudine animæ meæ, quando res propria agitur. Qualiter hic tractari indubiè diſcipuli opinabantur.

Ecquis poteſt ſaluus fieri. Acſi dicerent, nec qui diuitias retinent, nec qui eas exuerunt, poterit *ſaluus fieri*: Quamobrem, & nos qui reliquimus omnia non ſumus ſub tuto, quandoquidem habendi cupiditas inſita naturæ videtur, ita vt qui voluntariè ſeipſum nudum Deo ſacrificauit, mox concupiſcat abundare, ne penuriam patiatur. Ergo qui ſtat videat, ne cadat. Nam anima eſuriens etiam amarum pro dulci ſumet. Vtinam dira fames auri, atque argenti nullum ſeruorum Dei contingat.

CAPVT XXVII.

Et intuens illos Ieſus, ait, apud homines impoſſibile eſt, ſed non apud Deum: omnia enim poſſibilia ſunt apud Deum.

Expoſitio.

VVlt iam admirationem deponere Apoſtolos, & eſſe bono animo. Quare *intuens* fixis oculis *illos*, qui præ ſtupore conturbabantur, *ait* eis *Ieſus*. Vos qui alta adhuc, & hominum conuerſiones, ex humanis, & infimis metimini, non tàm difficile, quàm etiam impoſſibile ducitis, ſaluari diuites, nec infitior, quandoquidem ſalus non eſt opus creaturæ decliuæ, & infirmæ, ſed redemptoris. Vnde *apud homines*, qui nihil ex ſe poſſunt, *impoſſibile eſt*, nedùm diuitem, ſed nec aliquem alium ſaluari: Verum enimverò *apud Deum*, à quo omne bonum dimanat, nemo impoſſibile arbitretur, immo verò facillimum. Omnia enim quæ non implicant, poſſibilia ſunt apud Deum, cuius nomen omnipotens eſt, & opus admirabile vniuerſis.

Et intuens illos Ieſus. Oculis ad oculos, vt aliquid magnum dicturus ad eos maxime pertinens. Etenim ſalutis myſterium eius origo, & tota, ac prima cauſa, etſi cunctis debeat innoteſcere, nullis potius quàm Epiſcopis, & Præſulibus, vt & Populū rectè doceant, & inſurgentes hæreſes diſſoluant. (Scientia in Præſule neceſſaria.) Hinc Paulus doctorem iubet eligi, qui verbum ſanum, & irreprehenſibile proponat. Qui vt Rinoceros cornu vtatur ad potum ſalutiferum congregatis, & hoſtibus ad ruinam; ſoluat Iſaac ligatum ſuper ſtruem lignorum, arietem autem in fruſtra conicidat. Sciant igitur Sacerdotes, ait Concil. Tolet. 4. ſub Theodoro Papa I. can. 24. Scripturas ſanctas, & Canones meditentur, vt omne opus eorum in prædicatione diuina, & doctrina conſiſtat, atque ædificent cunctos, tàm fidei ſcientia, quàm operum diſciplina. (Conc. Trid.)

Ait. Solo intuitu poterat Chriſtus docere Apoſtolos, & illuminare omnium mentes, quia lumen de lumine, & lumen ad reuelationem gentium, (Ioann. 1. Luc. 2.) in quo non ſolum interiora, ſed & ſupercæleſtia, ac Deum ipſum lumen tranſcendens vident, quibus fas eſt: Ait nihil minus, ac docet verbo, vt humilibus hominem ſe prodat; & vt verbo comparari ſalutem oſtendat. Quoniam fides per auditū, auditus autem per verbum Dei. Ergo clama, ait Deus ad Iſaiam; ad Timotheum verò Paulus: Prædica verbum. Eo enim, vt ſcalpello Pythagoras Samius fortunæ ſigna ſeminuda ſculpit; prædicator

veritatis

Digitized by Google

veritatis ſigna perfecta, & imaginem Chriſti in audiente imprimit, facitque vt felicius multo quàm Mordochæus Heſter, recte auſcultantem adoptet Deus in filium: *Ioann.1.* Quia dedit eis poteſtatem (ait Ioannes) filios Dei fieri.

Apud homines impoſſibile eſt. Quoniam omnis caro fœnum, & in imagine pertranſit omnis homo, ac lepore imbecillior eſt, & ad ea, quæ ſurſum ſunt, impotentior Elephante, qui tantum amat campeſtria, & paludes, homo autem vitioſa, in quibus ſe gerit ſæpe Nembrot robuſtus venator: Iſmael contra omnes: Eſau ſagittarius; ad ea verò, quæ Dei ſunt, & ſalutifera animæ funditus inermis, & impotens, vt compel- *Pſal.43.* latur dicere: Non enim in arcu meo ſperabo, nec gladius meus ſaluabit me, tota die verecundia mea contra me eſt, & confuſio faciei meæ cooperuit me. *Infirmitas hominis auxilium ex Deo.* Quia tibi Domine iuſtitia, nobis autem confuſio faciei; debilitas, & pronitas ad malum, quæ nos confundit, & reddit ignominioſos, & verecundos coram hoſtibus, & amatoribus noſtris: Adeò vt inde erigi non valeamus. *2.Cor.3.* Quum non ſimus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis. Tametſi Pelagius, Manichæus, & alij, omnem potentiam, ſecluſa gratia, libero arbitrio tribuant: At nos fide plena fatemur (vt ver- *Conc.Val.* bis Concilij Valentini, imperante Lothario cap.6. vtar) quod ſanctiſſimi Patres, auctoritate ſacrarum ſcripturarum nobis tenendum reliquerunt: Quod Africana, quod Arauſica Synodus profeſſa eſt, quod beatiſſimi Pontifices Apoſtolicæ ſedis Catholica fide tenuerunt, videlicet, impoſſibile eſſe per liberum arbitrium ſecluſa gratia, quenquam à peccato reſurgere, neque ſaluari.

Sed non apud Deum. Quia omnipotens *Pſal.18.* humiliat, & ſubleuat, docet manus ad præ- *Pſal.71.* lium, & digitos ad bellum, parcet pauperi, *Pſal.53.* & inopi, & animas pauperum ſaluas faciet; ſubinde intonat: Ecce enim Deus adiuuat me, & Dominus ſuſceptor eſt animæ meæ. Apud Deum ergo non eſt impoſſibile ſaluari Dauidem adulterum, Zachæum fraudatorem: Cornelium Idolatram; & Petrum abnegatorem. Etſi vt Cynnamulgus auis *Cynnam.* arabica in ſurculis Cynnami, non nidificet, neque manſionem faciat niſi in his, qui dilectione & obſeruantia mandatorum pollent; qui generationem alijs tribuit, replet hominem ignarum ſcientia; maliuulum pietate, charitate auarum, & præuenit benedictionibus obduratum, vt abundantiora fluenta, quam vnquam Petra oreb produxerit, & maiora virtutis inſignia relueeant *Conc.Sen.* in prodigo, quàm vnquam in domeſtico viſa fuerint. Neque tamen tantæ gratiæ (aiunt Patres Concilij Senonenſis decreto 15.) neceſſitas libero præiudicat arbitrio, cum illa ſemper ſit in promptu, nec momentum quidem prætereat, in quo Deo non ſtet ad oſtium, & pulſet, cui ſi quis aperuerit, intrabit ad illum, & cænabit cum illo. Nec denique tale ſit huiuſmodi trahentis *Vocationi quis poteſt reſiſtere.* Dei auxilium, cui reſiſti non poſſit: Quoties enim Dominus voluit congregare filios Hieruſalem, ſicut Gallina congregat pullos ſuos ſub alis, & noluerunt. Frustra certè *Act.7.* Stephanus Iudæos duræ ceruicis, & incircuncisi cordibus arguit, qui ſemper Spiritui ſancto reſiſterent. Fruſtra Paulus Theſſ. admoneret ſpiritum ne extinguerent, ſi diuinis inſpirationibus homines ineuitabiliter raperentur. *Deus trahit non cogit* Trahit quidem Deus, ſed in eius odorem currimus non vi, non vnco raptamur. Prædeſtinat, eligit, vocat; ſed eos demum adultos glorificat, qui in fide, & charitate radicati, per bona opera certam ſuam vocationem, electionemque fecerint. Et licet attingat à fine vſque ad finem fortiter, diſponit omnia ſuauiter, vt qui pertinax eſt, quum conuertitur, fateatur nihil violenter ſecum actum eſſe, ſed ſponte ad lachrymas, & omnem pœnitentiam currere: Deo tamen interius operante, & velle, & perficere pro bona voluntate, qua quiſque auxilijs correſpondet: His enim facit omnipotens, vt nihil ſit apud eum impoſſibile.

Omnia enim poſſibilia ſunt apud Deum. Acſi diceret, non ſolum hoc peculiare, videlicet diuites ſaluari, ſed omne aliud poteſt facere. Nunquid Deo quicquam eſt difficile? Ego (inquit) Deus omnipotens. Dixit, & facta ſunt, mandauit, & creata ſunt, ipſe mutat tempora, & ætates, ego Deus faciens omnia hæc. Non enim deeſt poteſtas omniũ effectuum illi, ait Mercur. *Merc.* Trimagiſt. Pimander. cap. 11. etſi à quodam influxum ſuum ſubtraxerit deficiente vita in mortem corruent vniuerſa. Verum inquit S.Thom. 1.p.q.25.art.3. Dubium po- *S.Thom.* teſt eſſe, quid comprehendatur ſub iſta diſtributione, cum dicitur; omnia poſſe Deum. Sed ſi quis rectè conſideret (cum potentia dicatur ad poſſibilia) cum Deus omnia poſſe dicitur, nihil rectius intelligitur, quàm quod poſſit omnia poſſibilia. Vndè ait infra: Quicquid habere poteſt rationem entis, continetur ſub poſſibilibus abſolutis, reſpectu quorum Deus dicitur omnipotens. Nihil autem opponitur rationi entis, niſi non ens. Hoc autem repugnat rationi poſſibilis abſoluti quod ſubditur diuinæ omnipotentiæ, quod implicat in ſe eſſe, & non eſſe ſimul. Quodcumque igitur (ſubdit paulo poſt) contradictionem non implicat, ſub illis poſſibilibus continetur, reſpectu quorum dicitur Deus omnipotens.

CAPVT

CAPVT XXVIII.

Et cœpit ei Petrus dicere: Ecce nos dimiſimus omnia, & ſequuti ſumus te.

Expoſitio.

DEpoſito itaque ſtupore, *Petrus* omniũ nomine interrogat tacitè præmium ſequentium ſe. *Ecce nos* abſque mora, quamprimum vocati ſumus (inquit Petrus) *dimiſimus omnia*, quæ ad victum ſufficiebant, ac noſipſos nobis ipſis ſpoliauimus, & prompti *ſecuti ſumus te*, tametſi theſaurum in cælo, vt mox iuueni pollicebaris, ſperamus non defuturum, nihilominus optamus ſcire, quid ergo poſt hæc nobis erit.

Et cœpit ei Petrus dicere. Non quidem quod ad eum pertineret, vt Dux belli militibus ſtipendia ſoluere; neque vt Ptolomæus, & Matemathicarũ Magiſter demonſtrationem facere præmij, ad quod gentes incitaret: Neque quod cogitaret illud ante conſumationem curſus poſsidere, ſed in primis quadam ductus curioſitate, quam excitauit deſiderium, vt in Moyſe, qui dixit: Oſtende mihi omne bonum,
Exod 33.
& in Philippo, qui haud diſsimiliter orauit: Domine oſtende nobis patrem, & ſufficit nobis;
Ioann. 14
& in alijs ex quibus auditur Eulogium: oſtende faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis: Vox enim tua dulcis, & facies tua decora,
Cant. 2.
& iterum: Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei.
Pſal. 41.
Etenim deſiderium iuſti eſt omne bonum, iamiam videre, velle, & poſsidere. Etiam cœpit Petrus dicere Chriſto, & loqui de præmio, quod ſequentibus ſe præparatur, quoniam Petrus eſt caput, iuxtà nomen ſuum. At capitis eſt non tàm pro ſe, quàm reliquis ſolicitùm eſſe. Vnde Abraham, vtinam viuat Iſmael coram te;
Gen. 17.
& Paulus eo orationes, obſecrationes, gratiarum actiones pro regibus, atque alijs iubet fieri,
1. Tim. 2
& facit continuo Sacerdos, vt hæreditatem immarceſcibilem, & incontaminatam accipiat populus, & mercedem, quæ ſuis operibus repromittitur. Hæc enim petitio Petri eſt tacita deprecatio, quam expreſsè quotidie Eccleſia in ſuis precibus explicat.

Ecce. Notat myſterium, vt alias ſæpe, ſed hic duplex annotatur, vnum ex parte Chriſti, quòd infirma mundi elegerit, vt fortia confunderet,
1. Cor. 1
& inſtrumento operi diſpari, vas admirabile opus excelſæ redemptionis, & ſalutis in hominibus fabricaret; & aquam ſitienti largiretur per mandibulam aſini,
Iud. 15.
ſiccam, aridam, necnon contra hoſtes victoriam: Alterum ex parte Apoſtolorum, qui ante militiæ exercitium iam ſe duces, & Principes inſinuant, & tacitè victorias ſibi pollicentur, quum de præmio tractant, & prometuiſſe videntur, quando de collatione diſſeritur. Non enim ex operibus iuſtitiæ, ſed ex vocante, & eligente confertur Apoſtolo præmium. Vnde quum electi eſſent, iure electionis potiſſimum ſibi præmium debitum, de eo ante opera non dubitant diſſerere; ac velut Dauid vnctus, licet non ſublimatus in Regnum, victorias regias, & loquitur, & auſcultat; ſic & Ioſeph ſuum principatum ante tempora annuntiat, & proponit propter electionem, qua Deus tanto honore dignum iudicarat. Itaque electio diuina, etſi nobis incerta ſit, & abſconſa, multa etiam pueros, & infantes proloqui facit, honores futuros, vel fore Pontificem, Regem, & de horum gradibus, & excellentijs multo antequam accidant illi, diſſerere.

Nos dimiſimus omnia. Quænam iſta omnia (quærit Victor Antiochenus) ò beate Petre? nempe arundinem, rete, nauiculam, & artem piſcatoriam. Hæc ne omnia tu mihi dicis? vtique, ait ille; at iſtuc non ob inanem aliquam oſtentationem perquiro; verum quo ea ratione inopem plebeculam ad Chriſtum alliciam. Nam etſi modica quiſpiam reliquerit, attamen ſi propter Ieſum reliquerit, æternum theſaurum recepturus eſt. Ego per *omnia* nunquam primo intelligerẽ externa, quæ ſunt ad hominem, ſed eundem hominem, qui eſt ad Deum.
Quid ſit dimittere omnia.
Nam & hunc dicimus, *omnia*, vtpote Microcoſmum; dimittens ergo ſe, & renuntians, ac conſecrans totum Deo, vt dicat: Viuo ego iam non ego, hic *omnia dimittit*. Etiam qui ſe ab omnibus abſtinet velut is, qui in agone contendit, vt brauium reportet, iſte *dimittit omnia*, videlicet, quæ ſunt noxia, quæ militant aduerſus animam, & quæ Deo aduerſantur, nec ſunt iuxtà cor eius. Quicunque igitur quærit voluntatem Dei facere, & non ſuam, neque quod lex membrorum videtur appetere, ſed quod lex ſpiritus dictat, ſedulus perficit, deſertor, & abominator omnium propter Chriſtum dici meretur, vt illa, quæ apud Ambroſ. ſerm. 9. ſic perorat: Diſcede à me, quia iam ab alio amatore præuenta ſum, qui mihi ſatis meliora te obtulit ornamenta, & anulo fidei ſuæ ſubarrauit me, longè te nobilior, & genere, & dignitate.
Ambr.
Aug.
Ornauit me inextimabili dextrocherio. Dextram meã, & collum meum cinxit lapidibus prætioſis. Tradidit auribus meis inæſtimabiles margaritas, & circundedit me vernantibus, atque corruſcantibus gemmis. Poſuit ſignum in facie mea, vt nullum præter ipſum amatorem admittam. Sic reſpondet, qui verè *reliquit omnia*, quando caro concupiſcit aduerſus ſpiritum; quando mundus oblectat, & quando Diabolus circuit, vt leo, deuorare. Siquidem prætioſioribus, quàm valeat quiſquam exprimere, ſponſus noſter

Chriſtus

Chriſtus nos in baptiſmo adornat, & ſignat, ne ſimus alterius.

Et ſequuti ſumus te. Relinquere omnia vtile, ſequi autem Chriſtum neceſſarium, vt nemo abiens à Chriſto, nec ſequens ſaluetur. Sequi Chriſtum eſt credentium, qui in auctorem, & conſumatorem aſpicientes, vt in ducem pubertatis, & virum, quem ſeptem mulieres apprehendunt, conformant ſe imagini eius, & hominem, qui per eum reformatus eſt, contendunt induere. Hoc enim opus perfectum habet; illud etiam ab imperfectis ſæpe agitur, vt fugiant laborem, & anxietatem, quæ ex poſſeſſione, & adminiſtratione temporalium conſequuntur.

CAPVT XXIX.

Pcſpondens Ieſus, ait: Amen dico vobis, nemo eſt, qui reliquerit domum, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter me, & propter Euangelium.

Expoſitio. CONfidentibus ob minima, confidenter magna repromittuntur, quæ ſuperent confidentiam omnem humanam, & captum. *Reſpondens* ergo *Ieſus*, qui eos elegerat, & vocarat ad Apoſtolatum *ait* illis, vt ſpem confirment, & omnem adaugeant confidentiam. *Amen* (inquit) ac pro certo *dico*, & pronuntio *vobis* magna, & incomparabilia, quæ parata ſunt his, qui relictis omnibus me ſequuntur. Nam *nemo eſt* in tanta multitudine ſignatorũ ad opus alioqui arduum, *qui* ſponte *reliquerit domum*, quam incolebat; *aut fratres*, qui ſecum erant beneuolos; *aut ſorores* ſedulo miniſtrantes illi; *aut patrem*, quem vnice diligebat; *aut matrem* quæ ſibi erat officioſa; *aut filios*, quibus theſauros cumulabat; *aut agros*, qui ei ſuperabundantem victum præbebant, omnino dimiſerit *propter me* cunctorum opificem, & Dominum, necnon *propter Euangelium*, hoc eſt bonum nuntium, & veritatem, quam ego annuntio, ac per alios predico, & iubeo obſeruari, vt vitam habeant, & abundantius habeant, qui videlicet non recipiat multo plura, & infinita quæ ſequuntur.

Reſpondens Ieſus ait. Et hoc quidem eſt ampliſſimum præmium, reſpondere nobis Chriſtum, audire Deum loquentem, & ſatisfacientem noſtris poſtulatis. Nam Luc. 10. multi Reges, & Prophetæ (dicebat ſuis Chriſtus) voluerunt videre, quæ vos videtis, & audire quæ auditis, & non potuerunt. Prou. 8 Beatus ergo qui audit me, & vigilat ad fores meas quotidie, & obſeruat ad poſtes Luc. 8 oſtij mei. Hinc clamor: Qui habet aures audiendi audiat. Si enim Aulicus Regem ſibi familiarius loquentem, & reſpondentem ad interrogata aſſequitur, ſe felicem, ſe Principem, ſe cunctis fortunatiorem reputat; quid profecto faciet Apoſtolus, quid dilectus Deo, & ſanctus, qui *reſpondentem* ſibi ad ea, quæ poſtulat Deum, cælis excelſiorem percipit, audit, & contemplatur? Equidem poſt hac non Iacob, ſed Iſrael erit nomen tuum, ò digne tanto fauore. Nàm indignus, & qui formatur ad illudendum ei, non audit reſpondentem, quum ab eo faciem auerterit; non conſolatur diuinis reſponſis, quoniam congregat Deus ſuper eum mala, & ſagittas ſuas in eo implet.

Amen dico vobis. Hoc eſt, ſcitote certo. Nam, *Amen*, ita fiet, & ego ſum, qui dico, apud quem non cadit falſum; & dico vobis amicis meis, quos irridere, aut deludere Iob. 12 falſis promiſſis impium eſt ſemper habitum, & damnoſum. Nam qui deridetur ab amico ſuo, ſicut & ego, inuocabit Deum, & exaudiet eum, deridetur enim iuſti ſimplicitas inquit Iob.

Nemo eſt, qui reliquerit domum. Domus nomine omnis habitatio intelligitur, Quid domus in qua dominij ſedem habemus, ſiue illa ſit regnum, quale Ioſaphat in India, & Ludouicus in Gallia reliquit; ſiue ſit tantum Principatus, quo ſe exemit Guiglermus, vt æternum conſequeretur; ſiue ſit priuata domus, atque tugurium, quo à turbine, pluuia, & æſtu, alijſque aeris procellis, & intemperie ſe quiſque, vt poteſt, tuetur: Incipit autem Chriſtus perfectionem ſectatoris ſui à deſertione domus, vt eam proferat eſſe quendam ſtatum innocentiæ acquirere, & eum, qui ſtatum aggreditur perfectionis, æmulari primos parentes, qui domo non egerent, quum nec beſtia eis noceret, nec ſol, aut æſtus; nec frigus aliquid in eos moleſtiæ tuliſſet. Perfectum quoque legimus nonnunquam, vt Onufrium, & Simonem illæſos ſub dio permanſiſſe plurimis annis incolumes; nil nocuiſſe Paulum viperam ſcimus omnes, & obſeruiſſe beſtias Blaſio, atque eiuſmodi viris hiſtoriæ paſſim deponunt. Et quod his maius eſt barbaros, gladiatores, & effrænatos homines reuerentiam præſtitiſſe perfectis, vt Sarracenos Epiphanio: Antonio Ægyptios Philoſophos, & Hilarioni Idolatras, videbantur enim Angeli Dei moribus, & ſanctitate in terris, & carne adhuc degentes, ſtatum primorum parentum, qui domo, non egebãt, nec quippiam timebant præter Deum, iam prope aſſequutos fuiſſe. *Domum* ergo ante omnia deſerit Chriſti ſectator, quod futuram inquirat, & anhelet ad ſtatum pacatiſſimum, vt non amplius timeat ab homine, cuius ſpiritus eſt in naribus eius, neque à beſtia, aut incommodo, ſed eum, qui ſuprà Cæli cardines habitat, & regit omnia.

Aut

Aut fratres. Quorum alij ſunt in adiutorium in tempore anguſtiæ, & quaſi plantatio cedri in vnum iucundiſſimè habitant, vt firmam Ciuitatem ſe gerant, & Deo complaceant: Alij ſunt, qui ſeminant inter fratres diſcordias, qui prætereunt ſimplicem, nec quicquam loquuntur pacificè iuſto, ſed fiunt illi extranei, & quod omnium deterius eſt, aduerſarij. Hoc relinquere virtutis eſt, vt ſe homo ſeparet à contentionibus: Illos autem deſerere perfectionis, vt primogenito in multis fratribus aſſimiletur.

Aut ſorores. Sunt enim ſedulæ in miniſterio fratrum, quos diligunt, & quanto amore ſuperant, tanto ægreferunt à fratribus ſeparari, & contendunt lachrymis, & lenocinijs ab incepto retrahere, vt plerifque contingit. Quare qui ab eis ſe ſeparat propter Chriſtum, victoriam non paruam acquirit, & gloriam, vt Bernardus, qui eam abegit.

Aut patrem. Hic maiori vinculo ligat, & compellit multiplici. iure ab eo non diſcedere filium; ſed illi adhærere, acquieſcere eius monitis, in omnibus morem gerere, nec vnquam ſenectam deſpicere. Quia qui ſubtrahit aliquid à Patre ſuo, & à matre, & dicit hoc non eſſe peccatum particeps homicidæ eſt, Verum ab hoc ſcelere liber eſt, qui quærens Patrem, qui in cælis eſt, obliuiſcitur terreni; nec eum deſerit in tempore malo indigentiæ extremæ, quando non poſſit ſibijpſi victum, & veſtitum aliunde quærere, quàm operibus, & induſtria filij, quem genuit. *Prou 28.*

Aut matrem. Quæ tenerè diligens ægre ab oculis mittit filium, is tamen illam, quæ ſurſum eſt Hieruſalem, quæ eſt mater noſtra contemplans, ad eam, quæ corpus miniſtrauit, non attendit, ſed aufugit, vt diluat peccata, quæ in illius vtero inchoarſit. Quia in iniquitatibus conceptus ſum (dicebat ille, qui elongauit ſe fugiens, & manſit in ſolitudine) & in peccatis concepit me mater mea. *Pſal 50*

Aut filios. Quod deſerere, & ab eis ſeparari etiam Abraham durum videbatur, quoniam ſunt aliquid patris. Attamen vt inciſionem membri igniti, & corrupti patienter homo ſuſtinet, ne totum corpus inflammatione ſuccreſcente perdat, ita & filios audacter relinquet ſapiens, qui iacturam, quæ ex filiorum conſortio, & affectu nouit prouenire, & certum periculum, ac nonnunquam bellum domeſticum. Quoniam vani ſæpius filij hominū, & mendaces, filij Effrem intendentes, & mittentes arcum, etiam contra eos, qui ſe genuerunt.

Aut agros. Hoc eſt omnem mundi poſſeſſionem, quæ antiquitus in agrorum cultura ſita erat, nec alios prouentus olim Reges Ægypti, & reliquarum nationum Principes non aliunde, quàm ex agrorum paſtura, & fructibus ſibi vendicabant. Poſt relictis agris poſſeſsionem, & cenſum capitibus hominum impoſuerunt, & cœpit homo homini in malū dominari: Demumq; factum eſt ius Regis, ſupremo omnium Rege annuente. Vnde Chriſtus: Reddite, quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo. Itaque agros reliquit, qui nihilo ducit ſubſtantiam huius mundi, vt terram promiſſam patribus aliquando hæreditet, quæ fluit lac, & mel; nec eſt, vt Paradiſus voluptatis; ſed eſt is ipſe Paradiſus voluptatis, qui nunquam marceſcit, & floridam iuuentutem continuo generat, & conſeruat, vt ſint velut Angeli Dei, qui illic commorantur. *Matth. 22*

Propter me. Is eſt finis vltimus, vt ſicut ille propter ſemetipſum eſt operatus vniuerſa; ita & nos propter illum relinquamus vniuerſa, quæ nobis inſunt, & quæ unt aduenire. Nam quæ in terris poſsidentur abſque eo damnationi deſeruiunt: In cælis autem præter Chriſtum nulla offertur hæreditas. Dixit enim hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te Deum verum, & quem miſiſti Ieſum. Is eſt principium, in quo vniuerſa ſunt condita, & is finis, ad quem ſapientes properant, vt per eum perficiantur dum viuunt, & poſt mortem in eodem beatificentur. *Ioann. 17.*

Et propter Euangelium. Quod eſt doctrina, quam Chriſtus orbi euulgauit, & per Apoſtolos, quaſi per nubes, ſuper gentes pluit; pluuiamque voluntariam, qua inebriati ſunt cedri libani, quos Pater cæleſtis plantauit. *Propter Euangelium* igitur relinquit homo domum, & cætera, quæ commemorauimus, quando veritate Theologiæ compulſus inanem Philoſophiam deſerit, propter rationabilia, quæ in ſacris Biblijs legit, deteſtatur vaniſsimum idolorum cultum, & à paganiſmo recedit penſatis, quæ ſacer codex proponit, vera integra, & ſincera; cognoſcitque errorem Iudæus attentius perſpectis euangelicis actibus; & collatis cum ijs, quæ in ſcriptura veteri prænarrantur; ſuos Rabinos abijcit, & maledicit Talmudicis, qui illi veritatem abſcondebant.

* *
*

CAPVT XXX.

Qui non accipiet centies tantum, nunc, in tempore hoc; domos, & fratres, & ſorores, & matres, & filios, & agros cũ perſecutionibus, & in ſeculo futuro vitam æternam.

Expoſitio. EN præmium incomparabile. Non eſt, inquit, quiſquam eorum priora abdicans, qui pro illis, & vnoquoque non accipiat diuinitus *centies*, quod eſt tantum præmium, quale poſsit deſiderare, & haberi. Hunc demum in tempore hoc calamitoſo, quo viuitur, & ſtatur. Etenim domum vnam relinquens, domos centum, ac multo plures quantum ſatis ſit naturæ, paratas inueniet, quæ ſe recipiãt: Qui à paucis, ac vno fratre receſſerit; centies inueniet fratres quocunq. pergat qui charitatem fraternitatis ſecum exerceant. Qui item ſororibus vale fecerit, centies quo applicuerit, offendet, multo quàm dici poſsit ſoliciriores ſuæ ſalutis, & commodi. Et qui matris plãctu retineri non potuit, quo minus ad ſacrificandum Domino in monte perfectionis pergeret, centum inueniet matres, & quotquot poſtulabit neceſsitas. Et filios innumeros adinueniet ſpirituales, qui vnum, aut alterum carnalẽ dimiſerit. Necnon agros, & amplam rerum temporaliũ poſſeſsionem acquiret in ſuos optimos vſus, qui propriũ patrimonium renunciauerit propter eum, cuius eſt orbis terrarum: Quodque admirabilius eſt, cum perſecutionibus grauabitur, & ſæuiet Tyrannus tunc his omnibus abundabit. Poſt hæc autem quid? Et in ſæculo, quod futurum expectat, dimiſſa rerum omnium temporalitate vitam iucundã, affluentem, honoratam, & ſupra quam humanum cor cogitet feliciſsimam, eamque æternam vt abſque terrore, aut timore valeat concupitis frui, docet, & retinebit.

Qui non accipiet centies. Hoc nomine, *centies*, centuplum, ac centum in Scripturis deſignatur complementum, vt, inuenit in ipſo anno centuplum; augeat Dominus populum ſuum centuplum, quoniam ſunt centum de vobis decem millia; centum alligaturis vuæ paſſæ pro abundantia, & ſufficientia, qua valerent vniuerſi ſatiari, deſtruere aduerſarios multo plures, & augeri in numerum completũ, eundemque ex minimis colligere. Quemadmodum, & præſenti in loco Chriſtus promiſit, vt ex Luca conſtat, qui pro centies habet multo plura. Nam nihil habentes, & omnia poſsidentes dicebat
2 Cor. 6. Paulus, & Lucas: Nec erat quiſquam egens
Act. 4. inter eos. Sed & de Iſraelitis, qui imperante Dño ab Ægypto receſſerant, vt votum vouerent Dño, quid ait Scriptura? Et deduxit
Pſal. 17. eos in nube diei, & tota nocte in illuminatione ignis (en domum) interrupit Petram in eremo; & adaquauit eos, velut in abyſſo multa (en fratres) & mandauit nubibus; & ianuas cœli aperuit. Et pluit illis manna ad manducandũ, qui eſt cibus delectabilior, quàm mater, aut ſoror præparare valeat. Et pluit ſuper eos ſicut puluerem carnes, & ſicut arenam maris volatilia pennata (vt & filiorum curam ſuperaret, & poſſeſsionem agreſtem) etenim in omni opere bono, quod pro Deo egerit quiſpiam, erit abundantia. Quia non vidi iuſtum derelictũ, nec ſemen Pſal 36.
eius quærens panem; quin, & panis, & hæc omnia, quæ neceſsitati occurrent dicebat Chriſtus ſuis; adijcientur vobis. Ad quem alludit Eliphaz Themanites, dum Iob alloquitur: Scies quoq. quod multiplex (inquit) Iob. 5.
erit ſemen tuũ, & progenies tua, quaſi herba terræ, ingredieris in abundantia ſepulchrum, ſicut infertur aceruus tritici in tempore ſuo. Ecce hoc, vt inueſtigamus, ita eſt. Vt pleriq. etiã mendicantes (ſubiungit Gagnæius) multo plura etiam in hoc ſæculo, Gagn.
quàm vnquam ex paterna fuiſſent conſecuri ſucceſsione.

Tantum. Diligenter annota Lector aduerbiũ, *tantum*, vt intelligentia centupli ſit tibi apertior: Nam ſi centies ad litteram accipi oporteret, fruſtra, *tantum*, cum iuxtà occurrentia temporum, locorum, & conditionem perſonarum multæ occurrãt neceſſitates viris Religioſis, & ſacris, de quibus hic ſermo; quas nedùm centies, ſed neque millies, ac neque centena millia valent cõplere: At Chriſtus ijs propter opus bonum menſuram cumulatiſsimã repromittit. Ergo, *tantum*, & coarctat, & extendit centies, videlicet, quod *tantum* ſubueniet magnificus Deus ſuis pauperibus, quantũ ſufficiet, dans panem egenti, ſitienti potũ, Præſuli diuitias, ſubdito ſufficientiam, & omni qui operatur iuſtitiam, ſtatumq. profitetur ſacrum, quod hominẽ deceat ſiue ad victum, ſiue ad veſtitum, & ad ea, quæ reparationi templorum, & conſeruationi deſiderantur, non deerit magnus Dominus, & laudabilis nimis. Atqui iſta quis dicet centum? Nemo certè ſi prouentus Eccleſiaſticos cernit, & cõtemplatur abundantiam omnium, quæ ſuper excreſcit in religioſis domibus. Quare centies *tantum*, eſt dicere, abundanter ſic prouidebit cunctis, vt ſit quaſi dans centum illi, qui vno eget.

Nunc. Eſt *nunc* inſtans temporis præſentis; quo Deus ſæpe nullam expectata dilatione prouidet ſuis, vt Danieli in lacu cibum Abacuc, Eliæ panem, & carnem mane & veſpere: Paulo, & Antonio duplicem annonam, Athanaſio hoſpitã, quæ illi vt mater, ac ſoror obſeruiret: Atque alijs alia prouidit. *Nunc*, eodem penè inſtanti, quando egebant: Cæterum quia perſæpe Deus prolongat ſubuentionem temporalem;

 poralem;

poralem; illud *tunc* referri oportet ad ſpiritualem, qua nunquam ſuos deſerit. Sed ſicut abundant paſſiones, & neceſſitates externæ, ita internis beneficijs conſolatur.
Petr. Dam. Vnde Petrus Damianus ſermone de S. Benedicto Abbate ſcribit. Quid eſt centuplum iſtud, niſi conſolationes, viſitationeſque, & primitiæ ſpiritus, qui ſuper mel dulcis eſt, niſi teſtimonium conſcientiæ noſtræ, niſi læta, & iucundiſſima expectatio iuſtorum, niſi memoria abundantiæ ſuauitatis Dei, & magna verè multitudo dulcedinis eius, quam nec expertis neceſſe eſt dicere, nec inexpertis vllis verbis exprimere quiſquam poteſt? Eam tamen ſatis oraculum exprimit dicens: Memoriam abundantiæ ſuauitatis tuæ eructabunt, & iuſtitia tua exultabuntur. *Pſal 144.* Idque in medio tribulationis, vt dum frigus exterius arborem depopulat, virtus interius viuificet; & quando putant hoſtes deficere aquā, tunc fons Siloe effluat abundantiſsimè his, qui probati ſunt argento.

In tempore hoc. Hoc tempus extenditur ad omne tempus vitæ præſentis, in quo propter electos, qui nedum ab illicitis, ſed à licitis, vt Deo placeant, & famulentur Chriſto, ſe abſtinent, cunctis, qui ſunt ſuper terram prouidet Deus, miſerator, & miſericors Dominus, patiens, & multum miſericors: Suauis Dominus vniuerſis: Suauiſsimus autem electis, quibus medullam tribuit, ſimilam largitur, & quod in grege, aut armento excellit. Quandoquidem abſque ſolicitudine animi, & cura corporis ſuperflua cantat deuotus Deo: Poſuiſti in conſpectu meo menſam aduerſus omnes qui tribulant me. *Pſal. 22.* Ecquid? Dominus dirigit me, nihil mihi deerit. Ei autem, qui ſeruit mundo, & concupiſcentijs eius, nihil proficit ſolitudo, vt vel abundare, vel ijs quæ in annos plurimos congregauit, quiete frui poſsit (notat hic Gloſſ. ex Beda) *Gloſſ. Beda.* quod hac occaſione quidam iudaicam mille annorum fabulam, poſt reſurrectionem iuſtorum dogmatizant, quando omnia, quæ propter Deum dimiſimus, multiplici nobis fænore ſunt reddenda; inſuper & vita æterna. Eſt iſta Hæreſis Chiliaſtarum; *Hæreſis Chiliaſtarum.* quam Cherinthus, vt ſcribit Euſebius lib. 3. Eccl. hiſtor. acriter amplexus eſt, *Euſeb.* longè aliter quam Papias millenarium illud admitteret; ſiquidem hic tunc fore honeſta perſuadebat; ille vero laſciua omnia introducebat: Cæterum vt alias diximus, neutro modo fides permittit millenarium eiuſmodi dari; ſed vitam æternam poſt reſurrectionem omnium ſequi oportere ex ſacris oraculis concludunt.

Domos. Has videt omnis homo multiplicatas adeò, vt vbique oratoria monaſteria, templa, & Eccleſias cum omni magnificentia erectas contempletur, etiā priuatas domos, & cellulas, cū omni ſupellectili genere paſsim conſpiciat ædificatas Archimandritis, Epiſcopis, Clericis, & viris religioſis, eoſque ſuauius multo ibidem habitare, & lautius quandoque conuiuere, quàm Aſſuerus Suſis, Balthaſar Babiloniæ, ſed temperantius, & ſalubrius, quàm Potentes, & Principes mundi huius in aulis, & palatijs ſuis. Quare iugiter vobis ò ſacri homines cantandum eſt: Elegi abiectus eſſe in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum: Quia melior eſt dies vna in atrijs tuis ſuper millia. *Pſal 83.*

Et fratres. Et horum numerum quis vnquam vllo in tempore dimenſus eſt? Etenim fideles pariter, & infideles; nedum Petrum, Paulum, Pachomium, & Epiphanium, ſed mox quemlibet ſectatorē Chriſti amāt, diligunt, & obſeruant, vt fratrem natu maiorem. Impletur enim quotidie in ſanctis viris, & perfectis profeſſione oraculum Iſaiæ: Ecce leuabo ad gentes manum meam & ad populos exaltabo ſignum meum. Et afferent filios tuos in vlnis, & filias tuas ſuper humeros portabunt. Et erunt Reges nutritij tui, & Reginæ nutrices tuæ: Vultu in terra demiſſo adorabunt te, *Iſai 49.* & puluerem pedum tuorum lingent. Et ſcies, quia ego ſum Dominus; ſuper quo non confundentur, qui expectant eum, quin ampliorem honorem, & obſeruantiam recipit quotidie ſummus Hierarcha Eccleſiæ, & nonnunquam religioſus conuerſus, quam regi ſuo deferant ſubiecti.

Et ſorores. Has plerique inſani vocant Moniales, quas Spiritu ſancto putant congregari, vt obſeruiant Religioſis viris, & pro poſſe prouideant. Ego quidem, & has dici ſorores non inficior; abnego tamen eo à primordijs Eccleſiæ introductas, vt priuatorum hominum curam habeant, ſed in primis ſuæ profeſſionis, & ſiquid vlterius poſſunt communitatis Eccleſiæ, & pauperum curam gerant: Secus autem eſt Hæreticis occaſionem vibrandi in Monachatum, & ſacros homines deteſtandi præbere. Sorores igitur, quæ tàm fœminis dicatis Deo, quàm viris promittuntur in hac vita ſunt mulieres ſæculares, quæ diuinitus inſpiratæ pietatem innatam ſeruiſ & facultates proprias gaudent obſequijs virorum religioſorum expendere, vt olim noſtro Chriſto, & Petro, vt Paulus ait, & Hiſtoriæ eccleſiaſticæ referunt, multas hoc ipſum, & eum Petri ſucceſſoribus, monachis, monaſterijs, & priuatis religioſis exercitaſſe.

Et matres. De harum numero extitiſſe quæ antiquitus ordinabātur viduæ non minus ſexaginta annorum, & probatæ vitæ, & dicebātur Diaconiſſæ, & Præsbyteriçæ, facile perſuademur ex officio, quod illis Canones Patrum imponunt. Sed his iure ob incommoda depoſitis, in matrum locum ſucceſſere

cellere

Google

ceſſere eccleſiaſticis, prouectæ ætatis fœminæ, atqne nobiles, quæ vt filijs amorem oſtendunt, & facultates, atque ſtudia ſua offerunt, dnmmodo profeſſionem continnẽt, ſanctiores fiant, & vtiliores toti Chriſtianiſmo; quales fuiſſe ſemper in Eccleſia, quid opus eſt oſtendere, quum ab his patrimoninm Petri incepiſſe Annales Pontificum deponantur, & in dies ſurgere nonnullas videamus, quæ Domicillæ, Melanæ, Lucinæ, ac reliqnis valeant quodammodo comparari?

Et filios. Quos Deo lucrantur ſpirituales homines dicerem. Nam qni Dominum ſectatur in ſtatu perfectionis, & prædicans verbnm Dei, & orans apud Patrem, & exemplo ædificans populos, pleroſque vel conuertit ad fidem, vel à peccatis retrahit, vel in proſecutione virtutis ſtudioſiores reddit, vt impleatur in eo: Filij tui de longè veniẽt & filiæ tnæ de latere ſurgent: Hi ſunt filij, qnod donauit mihi Dominus. Gennit filios, & filias, ſed generatione pnlchra, quæ turpitudinem neſcit claritate plena. Siquidem in Eunuchia, caſtitate, & virginitate potiſſimum procreantur filij ſpirituales.

Iſai. 60.

Et agros. Vt diximus agrorum nomine poſſeſſionem intelligi certum eſt, ac certius multo excreuiſſe viris ſacris, pluſquam antea poſſiderent. Præſertim ſi aſſentimur opinantibus ius orbis terrarum, & regnorum eius ad Petri ſucceſſorem deuolutnm eſſe. Verum prætermiſſis aliorum placitis commiſſum proferamus, & indubitatum, omne, inquam, collegium, & cætum fere cunctorum Religioſorum redditibus vel eleemoſynis abundantius prouideri, quàm recondat in horreum quiuis agricultor.

Opinio de temporali dominatu Petri.

Cum perſecutionibus. Quæ à Chriſti temporibus non defecere, neque deficient: Nam etſi Tyranni, Domitiani, Diocletiani, Decij & alij ceſſarint demembrare homines, non defuere poſtmodum Hęretici, qui conſecratos Deo homines continuo oppngnarunt: Et vbi deſunt Hæretici inſurgunt Suſurrones, detractores maledici, & muſitatores, qui ſecreto, & publicè obmurmurarãt nunc contra Præſulem, & Prædicatorem, & nunc aduerſus Monachum, & fratrem, agant verbis, atqne litigent, ſi quomodo hæreditates Eccleſiaſticas ad ſe fictis titulis transferant. Verumenimuero in perſecutionibus his nunquam defuit larga manus Dei Religioſis, & ſanctis viris: Quinimo in medijs tenebris lux magna apparet ſemper his, vt à fraudibus peſſimorum liberentur, & ad maiorem incidant hæreditatem, depauperatis Ægyptijs. Etiam meliorem quàm mundus dare poſſit adinueniat. Vnde ſequitur.

Perſecutores nunquã defuerunt in Eccleſia.

Et in ſaeculo futuro vitam æternam. Sed feliciſsimam. *Aeternam* quoque hæreditãt damnati, miſeram tamen, & incommodiſsimam. Scriptum eſt enim: Ecce ſerui mei lætabuntur, & vos confundemini. Ecce ſerui mei laudabunt præ exultatione cordis, & præ contritione ſpiritus vlulabitis. Sic igitur (vt cum Bernardo in declarationibus de deferendis facultatibus ſuper Euangelium concludamus) & operarijs huius ſæculi ſolet cibus in opere, merces in fide dari, ſic militantibus, & ſtipendia miniſtrantur pro neceſsitate laboris, & nouiſsimè donatiuũ maius erogatur pro quantitate laboris. Sic & filijs Iſrael donec terram promiſſam intrarent in deſerto manna non defuit; & ab Eccleſia poſt quæſitum Regni cæleſtis aduentum, quotidianus panis petitur in oratione, quam ipſe Saluator inſtituit. Habes hanc duplicem promiſsionem, & in Propheta euidẽter expreſſam, vbi ait: Reddet Deus mercedem laborum Sanctorum ſuorum, & deducet illos in via mirabili. Notat hoc in loco Theophylactus, Iuliani Apoſtatæ cachinnum, quo illudebat hiſce dictis, quaſi Chriſtus pro vna vxore centum in cælo, quibuſcum luxuriandum foret, promiſiſſet. Neque enim vxoris officium, quum ſint futuri, vt Angeli Dei, neque vxorem pro vxore alicubi Chriſtus promittat. Neque item pro patre. Quoniam vnus eſt pater veſter, qui in cælis eſt. Quare inquit? Nolite vocare Patrem ſuper terram.

Præmia iuſtorum.

Sap. 10.

Theop.

CAPVT XXXI.

Multi autem erunt primi, nouiſſimi, & nouiſſimi primi.

VErum etſi in relinquendis proprijs multi inueniantur: Non tamen idem abundans præmium, iiſdem futurum præuidit auctor, dicens: Ego, inqnit, quantum ex me eſt, polliceor magna, quæ dicta ſunt. Cœterum ipſi ſectatores ſibi in cauſa erunt, quominus illa aſſequantur. Namque multi eorum, qui tùm ob feruorẽ, tùm ob multorum contemptum, erunt cunctorum iudicio *primi*, & præcellentes in recipiendis præmijs pollicitis: Ac reuera apud iuſtum Iudicem cenſebuntur *nouiſsimi*, & poſtremi. Et multi eorum, qui iudicabantur *nouiſsimi*, & vltimi, ac minoris meriti, coram Deo; & à Deo arbitrabuntur *primi*, & digniores.

Expoſitio.

Multi autem erunt primi. Primos dicere poſſumus, qui tempore præceſſerunt Abraham, Iſaac, ac reliqui Patres, qui iubente Deo egreſsi ſunt de terra ſua, & vt inuenirent meliorem repromiſsionem coram Deo ambularunt: Et *primi* ſunt, qni opere arduo, & feruore multos excellunt, dum aggrediuntur propoſitum, poſtmodum verò, vel vt canes ad vomitum redeunt, vel tepeſcunt, vt incipiantur euomi, & amoueantur niſi prima opera fecerint, aut certè ociantèr operantur, vt digni ſint parua remuneratione, ideo ſequitur.

Qui dicendi primi in uocatione.

Nouiſſimi

Nouiſsimi. Per *nouiſsimos*, quidam interpretantur, nullos ſcilicet fore, ac penitus à præmio alienos, vt qui in Regno cælorum nemo minimus, ſed magni, & Reges. At parabola vineæ operatores, qui denario donantur, *nouiſsimos* vocat. Quare *nouiſsimorum* nomine, hi veniunt intelligi, qui minorem beatitudinis gradum promerentur, ac fortè illi, qui in hac vita minora ex his, quæ viris Apoſtolicis promittuntur, accipiunt. Quorũ alios videmus carere domo, quũ perſequuntur eos de ciuitate in ciuitatẽ; alios à ſororum, ac matrum ſolatijs cum nec vix conſolatorẽ habeant, præter canes, qui eorũ vulnera lingant & alios tanta preſſos penuria, vt fame pereant. Etenim hi *nouiſsimi* ſunt in temporalibus, tametſi multa relinquentes primi haberentur. Id quod permittit ſæpius Deus occulto iudicio, & conſilio tutiore, quàm nullus valeat excogitare, nec in hoc à promiſſis deficit, quandoquidẽ ſpiritualium magnitudine recompenſat defectum temporalium.

Nouiſsimi non excluduntur à regno.

Et nouiſsimi. Si noſtra conſideremus omnes nouiſſimi ſumus, ac nulli; nam quid noſtra ad ea, quæ repromittuntur? omnes iuſtitiæ noſtræ, velut pannus menſtruatæ.

Primi. Itaque vtrobiq. *primi*, vtrobiq. *nouiſsimi*. At minor in Regno cælorum maior eſt eo, qui primas Cathedras, primos accubitus, & primatum poſſident in mundo. Ergo nolite diligere mundum, neque ea, quæ in ipſo ſunt, ſed quæ ſurſum ſunt quærite, vt vel minimi, & nouiſſimi inter illos primos, & ſupremos admittamini.

CAPVT XXXII.

Erant autem in via aſcendentes Ieroſolymam: Et præcedebat illos Ieſus, & ſtupebant: Et ſequentes timebant. Et aſſumens iterum duodecim, cœpit illis dicere, quæ eſſent ei euentura.

Expoſitio.

FInitis quæ occaſione iuuenis dici oportuit: *Erant* pariter *in via*, quam inchoarant, *aſcendentes* verſus *Ieroſolymam*. Inter tamen aſcendentes ducatũ gerebat, & præcedebat omnes illos *Ieſus* meditabundus, & multa apud ſe verſans. Quadere cæteri *ſtupebant*, *& ſequentes* illum interrogare *timebant*. Verum quum, vt amicos, & charos filiolos haberet eos, & præuideret eorundem animum, meditationis ſuæ, & cogitatus participes facere diſponit. Quare *aſſumens* ſeorſum iterum, vt prius duodecim Apoſtolos, *cœpit* quadam animi vehementia *illis* ipſis *dicere*, *quæ* ab hinc paucis diebus *eſſent ei euentura*, doloroſa & terrifica corpori, quod gerebat.

Erant autem in via aſcendentes Ieroſolymam. Ad locum mortis ſuæ deſtinatum, & redemptionis omniũ, quia operatus eſt Dñs ſalutẽ in medio terræ, in monte ſancto eius, ciuitate, & vrbe fortitudinis noſtræ, quã & tota Eccleſia deſignatur, ad quam aſcenderũt Tribus Tribus Dñi Iſrael, hoc eſt patres tùm veteris, quàm noui teſtamenti, non tamen aliorſum quàm *in via* conſtituti, iuſtitiæ, & obſeruantia integra mandatorũ Dei. Etſi *in via* hac, qua ambularunt, abſconderunt ſuperbi laqueos; vtpotè errores, & hæreſes, quas peſſimi ſuperſeminant, non declinarunt vnquam neque ad dexteram, nec ſiniſtram. Quia beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Pſal. 108

Et præcedebat illos Ieſus. Vt voluntariũ ſacrificium ſibi peragendũ fore oſtenderet, non violentũ, neq. coactũ. Nam quia inquit ad patrem: Sacrificium, & oblationẽ noluiſti, tunc dixi: Ecce venio, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis. Et ſcies ò homo, quia ego Dñs ſaluans te, & Redemptor tuus fortis Iacob. Iſai. 60.
Præcedit quoque, vt voluntatem moriendi declarans timorem eis excutiat, & adijciat animũ, velle mori pro Chriſto, qui tanto beneficio fruimur, & digni ſimus talem, ac tantum ducem, & præceptorem habere, qui morte mortem ſuperaret, vitamque abundantiorem impartiatur ſequentibus.

Et ſtupebant. In auiditate ſcilicet moriẽdi, quam in magiſtro contemplabãtur. Non enim finem attendebant, & ex ſeipſis Chriſtum metiebantur. Atqui mortis, & vitæ habet imperiũ, nihil hac in parte conueniebat cum hominibus. Nam nos paſſio cruciat, & mortis memoriam amariſſimam efficit: Chriſtus liber à paſſionis tranſmutatione, per paſſionẽ cantũ habens, non timuit niſi cum voluit. Nos etiam nolentes in morte, nedum noſtra, ſed aliorum, ſtupemus.

Chriſtus nulli ſubiectus paſsioni.

Et ſequentes timebant. Si Chriſtum ſequentes timent mortẽ, ò mortales quid nos facere oporteret, qui à vigilijs Chriſti tàm alieni ſumus? Timent mori ſectatores Chriſti, quia etſi nihil conſcius ſum; ſed non in hoc iuſtificatus ſum, dixit qui plus omnibus 1. Cor. 4.
laborauit: Quid ergo non timebit quilibet noſtrum, contra quem vox ſanguinis clamat, & peccatum contra me eſt ſemper? Pſal. 50.
Si iuſtus vix ſaluabitur, peccator vbi apparebit? Time ergo, ſed dole, ò peccator: Time, ſed confide quod dolens vita viues.

Et aſſumens iterum duodecim. Quos nominarat Apoſtolos iterum aſſumit, vt paſſionem ſuam eis pandat. Tum quod hi miniſtri forent ad comunicandum Sacramenta ſuæ mortis; tum quod in duodenario illo numero ſaluandorũ vniuerſitas figuraretur. Saluantur tamen illi ſoli, qui & aſſumpti à Deo, & ſignati immaculati agni ſanguine. Hinc ille: Domini eſt aſſumptio noſtra, & & ſancti Iſrael Regis noſtri. Sanctus Rex Pſal. 88
noſter Chriſtus eſt ſecundum humanitatem, iuxtà illud: Ego autem conſtitutus

ſum

ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius, prædicans præceptū eius, hoc eſt adimplens morte præceptum, & mandatū amoris, quod à Patre acceptū fatebatur. Huius ergo merito & ſanguine, ac primum Dei æterna electione propoſito, & beneplacito quiſque aſſumitur, & connumeratur inter duodecim millia ſignatorum, aut certè inter turbas, quæ poſt hæc ſequuntur, non tamen ſine his ſunt, neque alio charactere, quàm cruore inſigniuntur.

Cœpit illis dicere, quæ erant ei euentura. Erant quidem *euentura* Chriſto exterius mortis anguſtia, & doloroſa. Interius verò non erant ventura; quandoquidem ſibi cuncta aderant, & animo patiebatur continuo, quæ poſt æmuli in eum exercerunt. Vndè penes ſe dicere ſolitus erat: Anticipauerunt vigilias oculi mei, turbatus ſum, & non ſum locutus. Et meditabor in omnibus

Pſal. 76.

operibus tuis, & in adinuentionibus tuis exercebor. Adinuentiones Dei vocat calicem, quem dedit ſibi pater, vt placabilis mundo fieret. In his ergo exercebatur ſpiritu, complacens ſibi in cunctis doloribus, & ignominijs, quibus afficiendus erat: Tum maxime meditabatur in omnibus operibus Dei, hoc eſt creaturis, quas per mortem ſuam reparandas cernebat, & in ſeipſo glorificandas per corporis ſui reſurrectionem. In his vigilias noctis expendebat præſertim pridie, quàm pateretur, quando & turbatus vſque ad agoniam, & ſanguinis ſudorem, nihil tamen turbati hominis locutus eſt, ſed pacatiſſimi, & obſequentiſſimi concludens, fiat voluntas tua. Igitur quæ ab inſtanti conceptionis ob oculos deferebat, tamen in tempore ſuo cœpit Chriſtus Apoſtolis dicere.

Adinuentiones Dei calix paſsionis

CAPVT XXXIII.

Quia ecce aſcendimus Hieroſolymam, & filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum, & Scribis, & Senioribus, & damnabunt eum morte, & tradent eum gentibus.

Expoſitio.

NArrat quæ illi erant *euentura*. Quia (inquit) non abſque myſterio *aſcendimus* mox vnà ſimul ad Metropolim totius Regni, *Hieroſolymam*. Etenim in ea *filius hominis*, quem tot laudibus Turbæ proſequuntur, *tradetur* ab vno veſtrū *Principibus Sacerdotum*, qui meis miraculis detrahunt; *Scribis* qui doctrinæ inſidiantur; & *Senioribus*, qui me ſuis traditionibus oppugnāt. Quare accepta ex traditions occaſione, eū, quem vltrò deteſtantur, *damnabunt morte* dignum in Concilio ſuo, vnde ignominiosè eductum ſatellitia valletum manu *tradent* *Gentibus*, vt ſententiam, quam illi ſtatuerūt, in eum, vt in malefactorem, exerceant.

Quia ecce aſcendimus Hieroſolymam. Aſcenſum hunc ſæpius Chriſtus expreſſit, primùm quod cor eius eſſet ad Hieruſalem Ciuitatem ſanctam, de qua ſolitus erat in exulibus dicere: Obliuioni detur dextera mea, ſi non meminero tui Hieruſalem. Eam enim ædificare, reparare, illuſtrare, ac multo excellentiorem, quàm vnquam reddere, venerat, vt impleretur: Et exultabo in Hieruſalem, & gaudebo in populo meo: Et non audietur vltra in eo vox fletus, & vox clamoris. Quia inquit Vates: In die illa cantabitur canticum iſtud in terra Iuda: Vrbs fortitudinis noſtræ Sion Saluator ponetur in ea, murus, & antemurale. Aperite portas, & ingrediatur gens iuſta cuſtodiens veritatem. Vetus error abijt: Seruabis pacem, quia in te ſperauimus. Pacē hanc ſeruat continuo per ſanguinē Crucis ſuæ, quo & Hieruſalem, ac templum Dño ſpirituale erexit, eoque congregat pacificos, iuſtos, & eos, qui faciunt veritatem, mendaces autem Iudæos auerſatur, & Idolatras hoſtes, atque Hæreticos à longè profligat. Hæc eſt Hieruſalem illa noua, quam vidit Ioannes, deſcendere de cœlo, ſicut ſponſam ornatā viro ſuo; vtpote Eccleſiam nouis ſacramentis, ac legibus, & gratijs decoratam: Quare Iudæus fallitur, qui per Meſſiam collapsā materialem vrbem ſperat reparari. Reparauit iam animas Saluator noſter, quæ Hieruſalē conſtituūt: Ac propterea perſæpè inculcat: *Aſcendimus Hieroſolymā*. Præterea, vt ad aſcenſiones crebras prouocet ſuos, & oculos totos, abſque conatus cōuertat noſtros ad correparationem operis iuxtà illud: Adimpleo quæ deſunt paſſioni eius in corpore meo: Hoc eſt, contendo aſcendere virtutū ſtudio, & conor laborare, vt gratia Dei in me vacua non ſit, neque in alijs. Vt, inquam paſsio Chriſti, quæ pro gratia ſumma oblata eſt, non ſit mihi fruſtra. Siquidem nihil prodeſt ocioſo in foro, ſed operanti in vinea, & pœnitenti.

Pſal. 136.
Iſai. 65.
Ieruſalem ſpiritualis.
Apoc. 21
Coloſſ. 1.

Et filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum: A quo autem tradi debeat ſilentio præterit. Quoniā ſcire Apoſtolos à Patre tradendū, nocuiſſet eorū credulitati; aperire quoq; illis Iudā ad vindictā prouocaſſet, & irā. Traditur autem primo Principibus Sacerdotū Sacerdos noſter, & Pontifex, quod ante omnia Sacerdotium deberet trāsferre, hoſtiā immutare, ac legem Sacerdotij Aaron. Quia tranſlato Sacerdotio, neceſſe eſt, vt & legis trāſlatio fiat. Traditur verò filius hominis Sacerdotibus, non filius Dei: Quoniā omnis Pontifex ex hominibus aſſumitur; vnde vt homo ſeipsū obtulit hoſtiā viuentem. Per concomitantiā traditur Deus, & moritur, reuera autem, & propriè homo eſt, qui ſacrificat, & ſacrificatur.

Et Scribis. Quoniam hi præ omnibus ſitiebant iuſti ſanguinem. Erat enim mendax ſtylus Scribarum, propterea veritatem, quæ Chriſtus eſt, deteſtabantur. Eſurientes enim diuitias, & ſitientes primas Cathedras, anima eorum in ipſis defecit, vt non cogitarent honorem Dei, nec Scripturas, quarum ſe iactabant profeſſores, ſcrutabantur. Itaque poſt ſacerdotes, qui in Chriſtum rei cenſentur, ſcribæ ſunt. Aduertat lector, & prædicator, qui poſt Epiſcopum in Conſtitutionibus Apoſtolicis numeratur, nequando in typum incidat.

Et Senioribus. Scilicet populi; ſed pueri centum annorum, quorum opera in tenebris ſunt, & dicunt, quis non videt? Inueterati dierum malorum, qui iniquitatem prolōgant, nec ab his abſtinēt, quæ in iuuētute didicerunt mala. Hi, quorum numerus dilatatur in Synagogis, contemnūt corripientem in porta, & recta loquentē iuuenem ſua caniticie laberactari putant. Sed quid ait. Adoleſcentulus contemptus? Qui fodit foueam incidet in eam, & qui voluit lapidem reuertetur ad eum.

Et damnabunt eum morte. Hi ſcilicet quibus tradetur primo, vtpotè Iudæi: Nam etſi Pater tradidiſſe Chriſtum dicatur, minimè damnaſſe, quod propter nimiam charitatem miſerit ipſe, & tradiderit filium: Iudas quoque tradidit, ſed ex auaritia, atque adeò non damnaſſe dicitur. Siquidem damnatio ex odio, & malitia proceſſit, quæ ſolis Phariſæis, Sacerdotibus, & Senioribus populi imputatur.

Et tradant eum gentibus. Vtpotè Pilato, & ſuis Conſiliariis. His quoque tradi voluit, ſed à Iudæis, vt traditione, quod futurum erat, declararet, videlicet Chriſtum relicto Iudaiſmo ad gentes migraturum, propter eorum inſaniam, & delirium, qui bonum cum tenerent penes ſe non agnoſcentes, vt pernicioſum aliis tradiderunt. Quorum dementiam imitatur qui Euchariſtiam habens, conſacrans, manibuſque contractans nihilo ducit, dat tamen communicanti ſæculari cui fructus ex eo cumulatus accedit,

Prou. 27. Nam qui ſeruat ficum comedet fructus eius, & qui cuſtos eſt Domini ſui, glorificabitur.

CAPVT XXXIV.

Et illudent ei, & conſpuent eum, & flagellabunt eum & interficient eum, & tertia die reſurget.

Expoſitio. ET hæc etiā quæ ſequuntur gentes contra eum facient. In primis *illudent* multis verbis probroſis, & inhoneſtis: Et poſt *conſpuent in eum*, tanquam in amentem, & ſtultum: Et mox crudeliter *flagellabūt eum*, à planta pedis vſque ad verticē. Et tandem inhumaniter abſq; lege, ac iure aliquo *interficient eum* ad crucem damnatū. Verum enim vero conatus eorū fruſtrabuntur, quia non eſt conſiliū contra Dñm. Etenim poſt hæc *tertia die* inchoante *reſurget* ad gloriam patris, & ſtatum excelſiorem cunctis gentibus, quæ ſuper terram ſunt, ac digniorem omni alio, qui in cælis ſit.

Et illudent ei. Non tam apud Pilatum, quàm apud Herodē, qui inter gentiles non abs re connumeratur, illuſus fuit Chriſtus. Illuſio autem imputatur gentibus, potius quā Iudæis, ob cultū Idolatriæ, qui eſt quædā Dei illuſio, & deriſio: Quandoquidē Idolatra, Deū, qui non eſt, fingit, & diuinitatē tribuit, ligno, metallo, aut ſignis cæli, aut animato, quib' repugnat qualiſcūq; honor diuinus. Illuſio autē nihil eſt aliud, quā fictio tribuēdi aliquid alteri, cui omninò aduerſatur.

Et conſpuent eum. Sputū eſt excrementū naturæ, conſpuere ergo Chriſtum eſt peccatis, vitiis, atque blaſphemiis in eum agere. Quibus etſi Iudæi aduerſus Dñm, & aduerſus Chriſtum ſe armarunt, nec deſtitunt gentes ab initio Eccleſiæ, ne perderent inolitū Idolorū cultū, ſupramodū prouocarunt oculos maieſtatis Dei, non ſexui, non ætati parcentes, neque loco, vbi Chriſti nomen ſuboleret, idque per trecentos ferè annos nouis continuo exorientibus Tyrannis: Quibus ſucceſſere Hæretici, & qui à vanis iuramentis non ſe abſtinent, neque blaſphemiis.

Et flagellabunt eum. Quia mos erat neminem damnare ad mortem, niſi primo flagellis cederent. Flagella autem, quæ vel ex viminibus fiunt, & virgis, vel ex funibus canapis, vel ex corio animalis, denotāt mala, propter quæ Chriſtus oblatus eſt, videlicet luxū, quia omnis quippe caro corruperat viam ſuā, auaritiam, quæ erat in capite omnium à Propheta vſque ad Sacerdotem: Et ſuperbiam, quam os omnium loquebatur.

Et interficient eum. Non quidem voluntariè, ſed compulſi importunitate Iudæorū. Vtcunque quia nulla ratione, neque vlla vi, aut timore licet malum agere, neque conſentire, in illud gentiles, vtpotè Pilatus, & Satellites feruntur interfectores Chriſti, Et qui conſentit malo alterius, nec impedit cum poſſit, auctor ſceleris reputabitur.

Et tertia die reſurget. Hæc inquit Antiochenus [illegible] omnium, quæ prædixerat, medelam quodammodo continent. Promittit autem tertia die futuram ſui corporis reſurrectionē, vt conarētur illo triduo fidem eius tenere, nec vllo modo ſcandalizari, ne eſſent inferiores turbis, quæ triduo illū ſuſtinuerāt, non habentes quid manducarēt; ſecundo, vt cunctis malis propter Deū perpeſſis ſciremus reſurrectionē poſt triduum repromitti, & dari; hoc eſt, poſt tertium naturæ humanæ ſtatum, in cuius extremos fines nos deuenimus. Vict. Ant.

CAPVT XXXV.

Et accedunt ad eum Iacobus, & Ioannes filij Zebedai, dicentes: Magiſter volumus, vt quodcunque petierimus facias nobis.

Expoſitio. FOrtè reſurrectionis voce audita, atque alias regni, duo ex Apoſtolis, qui cognatione ad Chriſtum ſpectabant, animum regnandi cum Chriſto concipiunt, & Principes in illius Regno præ alijs fieri. Quare ne ab alijs præuenirentur *accedunt* properè, atque proprius ad Chriſtum. Erant autem illi duo fratres, videlicet *Iacobus, & Ioannes filij Zebedai* ex Maria vxore eius. Hi ergo veniunt *dicentes: Magiſter* ſimul, & cognatione propinquus de tua benignitate confiſi, & amore, quo vt conſanguineos videris nos plus cæteris proſequi, deſiderium, quod mox in mentem venit, proponimus tibi ſperantes non repelli, ſed probari. *Volumus enim vt quodcunque* poſtulatum *petierimus* præſenti oratione *facias nobis*, nec confuſi à tua præſentia abeamus.

Et accedunt ad eum Iacobus, & Ioannes filij Zebedai. Horum matrem acceſſiſſe Matthæus tradit; Marcus noſter eoſdem vult exoraſſe Chriſtum; quia qui per alium facit, per ſeipſum facere videtur. Duos autem acceſſiſſe non plures, eoſdemque fratres vnius *Zebedai* filios, & appellari *Iacobum* vnum, & alterum *Ioannem*, non parua præſagiunt. Zebedæus enim interpretatur dotatus, is autem eſt, quem Deus præuenit benedictionibus; quibus duplicem concipit prolem, Iacobum, qui ſupplantator, hoc eſt, actionem; & Ioannem, qui gratia, hoc eſt ſpeculationem, hæc fraternè illi coniungitur, vt Magdalena Marthæ, & oculus dexter ſiniſtro; quod multum inter ſe conueniant; Præſertim in deſiderio, & ambitione Regni cæleſtis. Et agens Iacobus exclamat: Laboraui clamans, raucæ factæ ſunt fauces meæ dum ſpero in Deum meum; & Ioannes contemplator iugiter, intonat: Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, & ponere in Domino Deo ſpem meam. Vterque inceſſanter ad Deum; ille lacrymans præ anguſtia miniſterij, iſte adhærens præ dulcedine optimi conſortij. Felix talis ambitio, & infelix, qui ab ea per onerosam abſtrahitur.
Pſal 72.

Dicentes. Accedere homines ad Chriſtum *dicentes*; hoc eſt orantes, & deprecantes bonum eſt; ſed præſtat operantes ante faciem eius venire; quoniam nō omnes, qui dicunt
Matt. 7. Domine intrabunt in Regnum cælorum, operantium verò nullus à Regno excludetur. Quia opera eorum ſequuntur eos. His
Apoc. 14. vt fructibus allicitur hæres, & diſpenſator; illis verò ſolis in iram accenditur, vt furorem contra deprecantem dicens: Exiſtimaſti inique, quod ero tui ſimilis, arguam te, & ſtatuam contra te faciam meam. Ergò Pſal. 55.
Patres quando dicentes acceditis, curate operantes venire.

Magiſter. Ambiunt regnum, & à quo illud ſperant, magiſtrum vocant, quid magiſter ad Regem, qui vt plurimum ignorantiam profitetur? & quid magiſterium ad regnum, quod vi, & armis potius comparatur, quàm ſapiente magiſterio? Ita accidere in temporalibus regnis, ac Regibus mundi huius veritas inſinuat dicens: Principes gentium Matt. 20.
dominantur eorum, & qui maiores ſunt inter eos poteſtatem exercent; non inquit meliores; ſed maiores actu, & quandoque calliditate, & tyrannide: Meliores ſeruantur Regno cæleſti. At melior nemo eſt, niſi qui Eccl 9.
ſapientia, iuſtitia, & eruditione, atque virtutis exercitatione præſtat; ſed hæc vnde? Ab vnico Magiſtro Chriſto. Vnus eſt altiſſimus creator omnipotens, & Rex potens, & metuendus nimis, ſedens ſuper thronum illius, & dominans Deus. Ipſe creauit illam in Spiritu ſancto, & vidit, & dinumerauit; & menſus eſt, & effudit illam. Tùm maximè quando aperuit os ſuum dicens: Beati pau- Matt. 5.
peres ſpiritu, quoniam ipſorum eſt Regnum cælorum. Nam thronus, in quo altiſſimus ipſe ſedet, & loquitur huiuſmodi ſapientiam, quæ ad Regnum eleuat, Chriſtus eſt, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, & inhabitat plenitudo diuinitatis corporaliter. Optimè ergo auidi Regni cæleſtis, & ſperantes à Chriſto, magiſtrum nominant, cuius magiſterio, & non alias poteſt quiſquam adipiſci.

Volumus, vt quodcunque petierimus facias nobis. Videte quid faciat amicitia, & confidentia, quam iuſti ad Deum habeant, vt non trepident dicere: *Volumus* hoc ſic eſſe, ſic fieri, aut dimitte noxam hanc, aut dele me de libro vitæ, vt alius exorabat, & Iacob: Non dimittam te niſi benedixeris Gen 32.
mihi. Reſpicite filij nationis hominum, & ſcitote, quia nullus ſperauit in Domino, & Eccl. 2.
confuſus eſt; quis enim permanſit in mandatis eius, & derelictus eſt? Aut quis inuocauit eum, & deſpexit illum? Neque enim hi, qui multorum oculis videntur indecenter petere, deſpiciantur, nec derelinquuntur, neque confunduntur; ſed vt dicunt *volumus*, ita fit eis documento prius accepto, quod ad ea, quæ poſtulabant, prærequirebatur.

CAPVT XXXVI.

At ille dixit eis: Quid vultis, vt faciam vobis?

VT benignè accepit oratores, ita, & dulciter alloquitur: *Dixit* enim *eis* in Expoſitio.
viſceribus charitatis. *Quid vultis*, ô amici, & filij

& filij chariſſimi; & in quo me agnoſcitis vobis proficuum, aut occurrit arduum, *vt faciam* ipſe *vobis*? Ecce adſum.

At ille dixit eis. Non repreſſit, neque de temeritate arguit locutionis, ſed ſimulato verborum tenore colloquium inchoat; id quod paſſim nobiſcum agit. Qui cùm quid oremus neſcimus, ac ſæpius tanto auſu, & confidentia, atque ſermonis imperio, vt non ad Deum, ſed ad hominem nobis inferiorem videamur loqui. At ille, vt pater balbutiem infantis, & impetus diſſimulat noſtras ineptas locutiones, quod verò indigemus, largiſſimè adminiſtrat. Quoniam pius, & miſericors eſt, & protector omnibus exquirentibus ſe in veritate.

Victor Antiochen.

Quid vultis, vt faciam vobis? Non interrogat neſcius, ſed quo ipſos reſpondere compellat (inquit Victor Antiochenus) eaq. ratione ad conuenientem admonitionem viam ſibi muniat. Seu potius vt paratum animum ad ea, quæ vtilitatem eis conferre poterant, manifeſtè oſtenderet, redderetque ad petendum confidentiores, vt medicus ægrotum, & diues pauperem, cui ſe hilarem, & promptum ad omnia, quæ illi occurrant, exhibet.

CAPVT XXXVII.

Et dixerunt: Da nobis, vt vnus ad dexteram tuam, & alius ad ſiniſtram tuam ſedeamus in gloria tua.

Expoſitio.

Confidenter igitur petitionem explicant *Et dixerunt* illico, quamprimum animi promptitudinem in Chriſto perceperunt; *da nobis* tui, ac tuorum perpetuò ſtudioſis, *vt vnus* ex nobis duobus, quem tu volueris *ad dexteram tuam* honore plenam, & felicitate, *& alius* pariter *ad ſiniſtram tuam* longitudinis dierum *ſedeamus* tecum *in gloria tua*, quam cum regno poſſidebis.

Et dixerunt. Nulla interpoſita mora in negocio aliqui arduo, vtpotè de Regni poſſeſsione, & felicitate, ad quam neque nos ſegniter agere oportet, ſed continuò dicere: Adueniat regnum tuum; nam & Chriſtus conſulit dictitare hoc idem, & ſtare ad oſtium pulſando, quouſque aperiatur nobis.

Da nobis. Da vt Auctor, & Dominus; *da* vt Redemptor, & Mediator, cui pater omnia dedit in manus; & nobis, qui tui ſumus doctrina diſcipuli; electione Apoſtoli; & ſanguine cognati. Hæc poſtrema conditio nihil apud Chriſtum proficit, quia non eſt acceptator perſonarum; quod vitium cum regnet in hominibus ſæpius, facilè eos à iuſto declinare facit, cognationem, affinitatem, & amicitiam audire.

Chriſtus non eſt acceptor perſonarum.

Vt vnus ad dexteram tuam. Non ambos, ſed vnum petunt, vel *ad dexteram*, vel ſiniſtram ſedere; vt verbis explicent ambitioſi naturam, qui ægrè parem in imperio, difficilè æqualem in ſcientia, ac nullatenus ſuperiorem in honore admittit. Aut *Cæſar*, inquit, *aut nihil*.

Ambitioſi ſtudium.

Et alius ad ſiniſtram tuam ſedeamus. Quo verbo explicant conditionem Regni, quod poſtulant; eſſe inquam feliciſsimum, vbi nullus labor, neque ſolicitudo, ſed quies, & pax, quæ videtur ſedentibus ineſſe. Quia non occidet vltra ſol tuus (ait Rex regni illius) & luna non minuetur: quia erit tibi Dominus in lucem ſempiternam, & complebuntur dies luctus tui.

Yſai. 60.

In gloria tua. Dignitate ſcilicet, & maieſtate tua (notat Arias Montanus) quam temporalem illi fore exiſtimabant. Cogitabant enim (ſcribit Theophyl.) quod aſcenderet in Hieroſolyma, vt regnaturus tẽporali quodam Regno, & poſtquam regnaſſet, paſſurus eſſet ea, de quibus dicebat. Talia ſecum cogitantes petierunt ſedem, & à dextris, & à ſiniſtris. Verum iſta cogitaſſe eos nulla me mouet ratio; immo verò oppoſitum, tùm quod Chriſtus reſurrectionem, quæ ad regnum faciebat poſtpoſuerit paſſioni; tùm quoque quod dexteram, & ſiniſtram, quam petebant, non negauit, ſed ad patrem, qui eſt diſtributor, remiſerit. Etſi ergo in modo petendi viſi fuerint errare, quaſi abſque meritis poſtulantes Regnum; minimè in Regni dextra, & ſiniſtra hallucinati ſunt; ſed eas petebant, de quibus ſcribitur: Longitudo dierum in dextera eius, & in ſiniſtra illius diuitiæ, & gloria.

Arias Montanus.
Theophyl.
Prou. 3.

CAPVT XXXVIII.

Ieſus autem ait eis: Neſcitis quid petatis: Poteſtis bibere calicem, quem ego bibo: aut baptiſmo, quo ego baptizor baptizari?

Expoſitio.

Etſi poſtulatis eorum optet ſatisfieri primum conſulit, quod vtiliſsimum eſt, & neceſſarium. *Ait enim eis Ieſus: Neſcitis* ò filij, *quid* hiſce verbis, ac deſiderijs *petatis*. Namque aliud vobis primum neceſſe eſt quærere, quod ego, vt fiat ſatis veſtro deſiderio, & beneuolentiam meam vobis oſtendam non recuſabo aperire. Dicito *poteſtis* ſuſtinere laborem, & *bibere calicem* amariſsimũ, *quẽ ego* iugiter *bibo*; *aut baptiſmo* ſanguinis proprij, *quo ego* in memetipſo ſpiritu bibo, dum tardat mors corporis, *baptizari*, morique vnà mecum?

Ieſus autem ait eis. Optimè vt *Ieſus*, & Saluator conſulit, quod eſt illis vtiliſsimum; etenim Saluatoris eſt, viam aperire accedentibus, vt ambulent in ea, & non declinent, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram.

Yſai. 30.

Digitized by Google

ſtram. Quia ego dominatus ſum eorum, dicit Dominus. Ergo ait: Fili ſi attenderis mihi,diſces, & ſi accommodaneris animum tuum ſapiens eris. Et accipies regnum decoris in manu tua. Quare attentè quid ſibi velit, & quid à nobis, qui Regnum quærimus,requirat,ſedulo percipiamus.

Eccl. 6.

Neſcitis quid petatis. Hinc incuſantur Apoſtoli ſuper petito,quod oculos ad temporale dominium dirigerent. Verum etſi Chriſtus dicat, *neſcitis quid petatis*,non arguit de petito,ſed aduertit aliud primo petendum fore, ac ſi diceret. Etſi quod petitis amabile ſit, præterire tamen viam, qua id aſſequitur eſt *neſcire quid petatis*. Primo enim inquiritur iter, mox proſequitur, & properat homo ad finem. Ergo quia ordinem præteritis,*neſcitis quid petatis*.

Poteſtiſne bibere calicem, quem ego bibo. Non ait, vt Petro,calicem,quem dedit mihi pater,non vis,vt bibam illum; bibam dixit, non bibo; hic bibo non bibam. Sed enim Chriſtus colonus,& viator ad manendum in laboribus à iuuentute ſemper extitit, vt alias diximus.Quare ſemper faſciculus myrrhæ,continuò agnus occiſus, & iuge ſacrificium ab vtero, & inſtanti ſuæ conceptionis, quum fuerit, dicit bibo. Bibam verò quod exterius præfinito pati deberet. Vnde qui Chriſti eſt,,aut eſſe optat, dicat; *bibo*, & *bibam*. *Bibo* exercitans ſe continuò ad labores, & caſtigationes ſalutares: *Bibam* verò præparans ſe ſemper ad ſuſtinenda, quæ Deus ordinauerit demandare ei.

Cur dicit bibo & nō bibam?

Aut baptiſmo,quo ego baptizor baptizari. Baptiſmi nomine perfuſionem ſanguinis, & mortem ipſam intelligit; ait autem, *baptizor*,quod & mortem,ſicut & paſſionis exercitia mente deferret,ac viua operante imaginatione intra ſemetipſum ſentiret, & amplecteretur ſummo amore; offert itaque Chriſtus paſſionem, & mortem ſuam imitandam diſcipulis, vt ſcirent in his primum laborandum fore, & conſiſtere totam meriti rationem,quæ ad dexteram regni,ſiniſtramque ducit.Ad hæc Victor Antiochenus, indicat per hoc magnam ab illis, quæ perpeſſurus erat,purgationem prouenturam eſſe. Ipſis quidem ab illo, & per illam, terrarum verò Orbi à Cruce.

Victor Antioch.

CAPVT XXXIX.

At illi dixerunt ei, poſſumus. Ieſus autem ait eis: Calicem quidem,quem ego bibo,bibetis, & baptiſmo,quo ego baptizor baptizabimini.

Expoſitio.

NOn deſpondent animum,nec deſiderii minuunt, ſed ad omnia ſe paratos offerunt dummodo optatis fruantur. *Illi* ergo conſtanti animo *dixerunt ei*. Tantopere optamus tecum regnare o Chriſte, vt quæcunque iuſſeris,adimplebimus; nec calicem neque baptiſma, quod offers recuſamus; *poſſumus* quidem cuncta te adiuuante perficere. At *Ieſus* promptitudinem animi inſpiciens, *ait eis*, & annuit ſuorum meritorum participes fieri. *Calicem quidem* ſalutarem, etſi amarulentum; *quem ego* non ſemel tantum,immo verò continuò *bibo,bibetis*, me vobiſcum complacente. Inſuper *baptiſmo* omnium celeberrimo, ſed difficillimo, *quo ego* nunc *baptizor*,& coarctor nimis, *baptizabimini* in ſignum confidentiæ, quam in me poſuiſtis.

At illi dixerunt ei. Promptitudinem animi oſtendentes. Neque enim aliter ad Deum loqui fas eſt, vt quod bonum eſt in oculis eius faciat; & iubeat quid nos velit facere. Beatus homo, qui inuenit hanc ſapientiam, & qui affluit prudentia eiuſmodi: Melior eſt acquiſitio eius negociatione auri, & argenti primi, & puriſſimi fructus eius. Siquidem hoc primum exigit à nobis auctor ipſe dicens: Fili præbe mihi cor tuum. Hoc eſt promptum ex animo,& paratum ad omnia,quæ mandanero te oſtendito.

Prou. 23.

Poſſumus. Sed in eo, qui nos confortat. In te,inquimus,Domine confiſi non confundemur in æternum. Nam ſi accipiter humanis excitatus clamoribus,& aucupum fauore facilis ſit, atque velox ad prædam, quid nobis obſtabit quominus cuncta, impleamus,te præſente,volente,& iuuante? Dextera tua Domine magnificata eſt vehementer in cunctis retroſæculis, & millibus Sanctis, & nobiſcum magnificabitur, vt poſſimus ad omnia pergere,& licet ſerui inutiles, & lutea vaſa cuncta perficere. In hunc modum aiunt, *poſſumus*; ſecus autem temerè locuti fuiſſent; ac fruſtra bibere Calicem tentaſſent.

Pſal. 30.

Ieſus autem ait eis. Vt bonam eorum voluntatem probaret,confirmaret propoſitum,& adiuuaret. Quoniam exaudiuit pauperes Dominus, & in eis ſibi complacuit Deus ſicut ſuper vitulum nouellum cornua producentem,& vngulas. Vngulæ ſunt affectus optimi; cornua operationum initia, quibus Deus addit calcaria noua ſemper præbens auxilia, & aiens ad eos ſæpè multa ſalutifera, & loquens continuò ad cor eorũ. Hinc cantus: Benedictus Dominus die quotidie,proſperam iter faciet nobis Deus ſalutarium noſtrorum.

Pſal. 105.
Pſal. 67.

Calicem quidem, quem ego bibo, bibetis. Hoc eſt, vt omnibus dixit: In mundo preſſuram habebitis, perſequemini, & trademini,inſuper, & verbera, & carceres experiemini, vt ſitis ſicut Dominus veſter, qui fatigatus ex itinere ad fontem ſedit. Neque enim fons ille viuus, & ſignatus aliter conceditur,

ceditur, neque iuxtà eum meretur aliquis ſedere, illo frui, eius aquas deguſtare ſuauiſſimas, niſi in gladio, & lancea armatus procedat ad bellum; niſi panem arctũ, & aquam breuem degluriat, ac niſi ſeipſum in pila cõtundat, tribuletur, anguſtietur, & in amaritudinibus oculus eius moretur: ſed in pace dicebat ille, amaritudo mea amariſſima. Nam calix inebrians, quam præclarus eſt, omnis labor, qui propter Deum ſuſcipitur. Bibunt quoque *calicem* peruerſi quando, & ipſi tribulantur, ſed calicem iræ Dei furoris, & indignationis; calix Chriſti iuſtis tantum ſeruatur.

Iſai. 38. Pſal. 22.

Et baptiſma, quo ego baptizor, baptizabimini. Tâm Theophylactus, quàm Victor Antiochenus, & alij volunt idem hac ſententia, quod priori explicari, videlicet paſſionem, ac mortem inſinuari Apoſtolis; ego tamen cum mihi perſuadeam ab omni iteratione alienam eſſe Scripturam varios ſenſus dico; nam ſententiæ perſæpè reiterantur, aliud per calicem, quàm per baptiſma indicari affirmarem, per illum ſcilicet paſſiones, & labores; per hoc verò mortem; ſiquidem calix, qui ſumitur, non extenditur ad totum hominem; baptiſma verò totum conſepelit; at mors omnia ſeparat, labor verò dum ad mortem non eſt, hanc, vel illam partem tangit. Quare hac diſtinctione vſum fuiſſe Chriſtum fortè dici poſſet prævidens calicem vtrique dandum; baptiſma alteri tantum, vtpotè Iacobo. Siquidem Ioannem, vt ſcribit Oecumenius apud Simeonem Metaphraſtem, non occubuit per martyrium.

Aliud calix, aliud baptiſma.

CAPVT XL.

Sedere autem ad dexteram meam, vel ad ſiniſtram non eſt meum dare vobis; ſed quibus paratum eſt.

Expoſitio, PRopoſita via, qua itur ad Regni ſeſſionem, eos ad latorem, & datorem imperij remittit. *Sedere*, inquit, ac penè ſupernis frui hominem *ad dexteram meam* felicitatis, & gaudij, *vel ad ſiniſtram* perpetuitatis optatiſſimæ, fruſtrà à me quæritur. *Non enim eſt meum*, nec meritum meum eſſet efficax *dare*, nec *vobis*, nec alijs niſi ſtatutum eſſet apud Deum, & in eo præcedat electio, & ſuæ voluntatis propoſitum. *Quibus* ergo *paratum eſt* tale Regnum, & ab æterno prædeſtinati ſunt fore in eo ſeſſores, ac mecum cohæredes, ijs concedetur *ad dexteram ſedere*, & tenere *ſiniſtram meam*. Igitur ſatagite, vt per bona opera certam faciatis vocationem veſtram.

Sedere autem ad dexteram meam. Quid per dexteram intelligatur, dictum eſt alibi. Cæterum quæro, cur magis per *ſedere* gloriæ ſtatus deſignatur, quàm per ſtare, aut volare? Volabant enim Seraphim ante Dominum eleuatum; & qui beandi ſunt, ſecundum Paulum ab ſtatione occurrent Chriſto in aera, & ſic, inquit, ſemper cum Domino erimus. Ergo nulla in gloria ſedes Beatorum, nec ſedentes erunt Beati. Et quidem ſic quidam per reuelationem accepit. Nam ſtatio eſt præſtantior omni alio modo quieſcendi, qua tota compoſiti figura lucet, & apparet integra, & ad omnia officia naturæ eſt homo promptior. Volabunt quoque ſed ſpiritualiter affectu, & cogitatu iugiter in Deum tendentes; etiam corporaliter à loco in locum imperio animæ beatæ, corpus quaſi volando moueri poterit in ſtatu feliciſſimo imperante Deo, cur autem corpora ibi ſedeant nulla apparet ratio; proponuntur tamen *ſedere*, vt ex quiete, quam defatigati in ſedibus inueniunt, & ambitioſi in cathedris, ad eam, quæ tranſcendit cogitatus humanos, quodammodo eleuemur. Dicimus igitur concludit Theophyl. quod nullus à dextris ſedebit, & ſiniſtris. Et quum ſæpè in Scripturis audieris cathedram, non cathedram intelligas, ſed excellentem dignitatem.

Stant Beati non ſedent.

Theophyl.

Vel ad ſiniſtram. Hic rurſus quæro ſi nulla ibi loci poſitio, nulla ſedes, aut ſeſsio, quorſum *ſiniſtra* exprimitur? An non *dextera* ſatis erat, vt per eam ad quietem manuduceremur? Vtique. Sed non plenè: Siquidem Beatorum omnium quies conſiſtit in duplici gloria accidentali vna, & altera eſſentiali; etſi ad homines ſermonem contrahimus, gloria animæ, & gloria corporis eos donari in cælo credimus, tempore ſtatuto. Quod Chriſtus reſuſcitans in ſeipſo præuenit. Per *dexteram* igitur, vt quæ nobilior eſſentialem felicitatem, quæ & animæ intelligere poſſumus; per *ſiniſtram* autem accidentalem, quæ minor eſt, minuſque digna, vt *ſiniſtra* in corpore.

Non eſt meum dare vobis. Hoc talem habet ſenſum (inquit Theophylactus) non eſt meum, hoc eſt, iuſti iudicis, dare vobis ad gratiam dignitatem iſtam, non enim iuſtus eſſẽ; ſed his, qui laborauerint præparata eſt dignitas illa: quemadmodum ſi iuſtus Rex præſideret certamini cuipiam, & deinde accedant ad illum quidam amici eius, & dixerint, da nobis coronas: dicet vtique non eſt meum dare vobis, ſed ſi quis certauerit, & vicerit, illi præparata eſt corona. Vnde ſubdit Zacharias Chryſopolitanus: *Non eſt meum dare vobis* quadam prærogatiua, vt intenditis ſingulariter, quia non eſt perſonarum acceptio apud Deum, ſed timentium eum. Ergo vos quoque Regnum Dei accipietis, ſi digni fueritis. Vel ita *non eſt meum dare vobis*, hoc enim adhuc erant. Si vultis accipere, prius humiliamini, Hoc eſt loci frequens expoſitio, mihi

Theophyl.

Zachar. Chryſop.

tamen

Digitized by Google

tamen plus arridet, vt magis litteræ conſona, quam obiter in paraphraſi ſubiecimus; videlicet, *non eſt meum dare vobis*; hoc eſt, humanitatis meæ, quam vos interpellatis non eſt tale meritum, quo omnes indifferenter ſaluentur; ſed ij ſolum, quibus applicabitur efficaciter, & qui operatores fuerint, & à Patre æterno æternaliter præelecti. Humanitatis meæ eſt mereri gloriam hiſce, de quorum numero vos potus calicis, & balneus mei baptiſmi efficiet, ſi decreueritis manum ad ea extendere, & ſubijci, ac pati pro modulo, quæ ipſe perfero.

Victor Antioch. *Sed quibus paratum eſt*. Loquitur enim (ait Victor Antiochenus) quaſi hæc ſeſſio aliquibus iam parata ſit. Nullus ne ergo omninò cæleſti regno potietur? aut aliquis ad Patris dexteram ſedebit? Abſit. Igitur quæ Dominus reſpondet, ad illorum ſcopum, & mentem, qui eum interrogabant ſpectare; dimittit ſe namque ad rudem illorum ſenſum. Neque enim illi throni illius ſublimitatem, aut ſeſſionis ad Patris dexteram celſitudinem intelligebant. Solum autem primatû in Chriſti regno potiri, cæteriſque omnibus anteferri deſiderabant. Nam cum duodecim ſedes audiuiſſent, neque quid per illas deſignaretur, aſſecuti eſſent, duas priores, & honoratiores ex illis duodecim occupare cupiebant. Quod itaque Chriſtus dicit, eiuſmodi eſt: Moriemini quidem mei cauſa, eritiſque mihi in paſsione ſocij. At hoc interim ſat non eſt, vt primas ſedes iure vobis vindiceris. Si enim alius quiſpiam acceſſerit, qui vnà cum martyrio omnem aliam virtutem ſecum deportauerit, ille igitur multo plura, multoque excellentiora virtutum ornamenta in medio attulerit, quàm vos; ille vtiquè præcedet. Neq; enim quia vos nunc amo, alijſque certa quadam ratione antepono, ob id opulentiore illo repulſo, primatum vobis aſſignabo. Apud Matth. additur *à patre meo*: Namque ea (ait *Arias Montanus.* Arias Montanus) quæ pertinent ad electiones miniſteriorum, vt non neceſſaria omnibus: ita neque communia omnibus ſunt, ſed ijs tantum tribuuntur, qui ex diuino conſilio ad eam rem comparantur.

CAPVT XLI.

Et audientes decem, cœperunt indignari de Iacobo, & Ioanne.

Expoſitio. NOn ita ſecretè loqui potuerat ad Ieſum filij Zebedæi, quin rumor vocum, & ſonus ad reliquorũ aures pulſaſſet. Quare *audientes* Apoſtoli *decem*, qui longius aberant, *cœperunt* intra ſemetipſos *indignari*, & ægreferre *de Iacobo, & Ioanne*, quod tàm audacter poſtulaſſent, & inſtaſſent reliquis præferri.

Et audientes decem. Audiunt decem, quæ duo clanculum tractant. Nam & quæ corpus ſimul, & anima operantur inhoneſtè, & indebitè, nota ſunt, nedum Deo, coram quo fiunt, ſed etiam creaturis, quæ numero denario, qui perfectus eſt, deſignantur. Fruſtra ergo dicit callidus, & malè agens: Quis me videt? tenebræ circundant me, & parietes cooperiunt me, & nemo circunſpicit me, quem vereor? delictorum meorum non memorabitur Altiſſimus. At videt Dominus, & audit omnis creatura, quam armabit ad vltionem inimicorum.

Cœperunt indignari. Optimè dicitur: *Cœperunt*, quoniam indignatio huiuſmodi non proceſſit ad mortis peccatum, quod in dignatione completa, odio perfecto, & ira conſummata aduerſus fratrem perficitur. Licet iraſci abſque peccato, & *indignari* in primis motibus iuxtà illud: Iraſcimini, & nolite peccare. *Pſal. 30.* Contingit ſæpè etiam perfectis arcum extendere, ſed cautiores ſagittam retinere; & ne peccet Dauid in Saul, pallij ſummitatem abſcindere, & tollere vrceolum, manum tamen continere. Vtcunque (inquit Theophyl.) imperfectè ſe gerunt: *Theophyl.* Sed ſi turbati ſunt Apoſtoli (ait Zacharias *Zachar. Chryſop.* Chryſopolitanus lib. 3. cap. 112. ex Chryſoſtomo) quia iſti auſi ſunt hoc per matrem petere, quanto magis turbarentur ſi petitio eorum ſuſcepta fuiſſet? Ideò neq; dixit, non ſedebitis, ne duos confunderet, neque ſedebitis, ne cæteros irritaret, ſed tanquam benignus pater ſic reſpondit, vt inter fratres concordia non rumperetur, ſed omnes ſperarent. Nam quod vni, aut duobus ſpecialiter non promittitur, à cunctis ſperatur.

De Iacobo, & Ioanne. Scilicet indignati ſunt poſtquam Chriſti ad eos reſponſum audierant. Animaduertebant ſanè iam ante (ſcribit Victor Antiochenus) illos præ cæte- *Victor Antioch.* ris à Chriſto foueri, & honorari; attamen quod magiſtri dignitatem vererentur, ſtudioque eiuſdem deferrent, patienter rem tulerunt, neque vſque ad hanc condemnatoriam Chriſti ſententiam vnquam in illos inſurrexerunt. Quare *indignari* in aliquem nullo modo licet, niſi cum iuſta culpa innoteſcit.

CAPVT XLII.

Ieſus autem vocans eos, ait illis: Scitis, quia hi, qui videntur principari gentibus, dominantur eis; & principes eorum poteſtatem habent ipſorum.

Expoſitio. PRæuidit optimus medicus, vulnus, quod in Apoſtolis ad vlcus vſque inualeſcere poterat, & in poſteris factum eſt. Quare Ieſus ille benigniſsimus, & Saluator vocans ad ſe

ad ſe *eos*, qui indignè tulerunt factum, & qui occaſionem præbuerant; & vocatis, *ait illis*, proponitque doctrinam, qua ad humilitatem potius, quàm fauſtum, & primatum impellerentur. *Scitis* ò diſcipuli mei, quid inter veſtrum, & mundanorum ſtatum interſit? multum quidem. *Quia hi, qui* inter mundanos ſublimantur, & *videntur* ad ſuggeſta, & ſolia conſtituti, ſiue tyrannide, ſiue electione *principari gentibus* Regnorum, & Vrbium, in hunc modum principatum exercent, vt *dominentur eis* cũ poteſtate, & maieſtate, velut in eunctis ſuperiores. Nam *Principes*, qui *eorum* dominijs præſident; ſic imperant, vt omnem penè libertatem ſubditis adimant, ſuperioritatem verò omnem ſibi vſurpent, & *poteſtatem habeant eorum* pleniſſimam, agendi in eos, & ſæuiendi, vt libet.

Ieſus autem vocans eos. Ad ſe, ſcilicet, vt audiant Patrem, Regem, & Dominum, vocatione, qua ipſam diſcant ambitionem fugere; vt ille, qui vocatur ad fletum, deponere lætitiam; qui vocatur ad pauperiem, diuitijs valefacere; & qui ad vallem, à ſublimibus collibus dilongare. Quid Chriſtus ò Apoſtoli, ac mortales omnes, niſi faſciculus myrrhæ, & locus flentium? Quid in Chriſto vocatus à Cruce, videt, niſi pauperiem, & abſinthium? Reſpice, & intuere, qui habitator es vallis ſolidæ; hoc eſt, mundi miſerrimi; quem tu ſolidum putas, nihil in Chriſto diſcernes, niſi vallem cadauerum, & mortuorum omnium, quia in ipſo vniuerſi commortui ſunt: At, inquit, vocaui, & non erat, qui reſponderet; conſolantem me quæſiui, & non inueni, expectaui, & non fuit vir, qui mecum vellet humiliari, penuriam pati, & ſuſtinere. Ac propterea Gigantes, qui olim erant ſuper terram, & nunc gemunt ſub aquis; videntur in dies ſuper Eccleſiam, & honoris cathedras iugiter exurgere, & bellum giganteum renouare, quouſque minimus Dauid occurrat, qui in funda, & lapide temeritatem hominum in nomine Domini proſternat.

Ierem. 21.

Iſai. 50.

Ait illis. Non ſolum vocat ad ſe diſsidentes de primatu; ſed alloquitur, vt pleniùs auocet illorum animos ab ambitione; quæ tantam cladem omni imperio tulit; ſed quomodo Chriſtus aiens vitium deteſtatur, & diſſuadet? Ecquid dixit ò fideles noſter Chriſtus, quod nõ coarguat auditorem, tùm maximè obſeruatorem compellat fugere ſuggeſtum, recuſare cathedram, præſulatum penitus, vt onus omnium grauiſsimum propellere? Etenim lex, quam de amore tulit fragilior vitio fit imperanti; myſteria, quæ de patre manifeſtauit, obſcura nimis ſunt ſpeculantel ſuper habitatores terræ, clariora autem hia, qui elongati in ſolitudine, quæ ſurſum ſunt, ſpeculantur aſſiduè. Denique nihil vnquam dixit Chriſtus, quod non inducat humiliari potius cum mitibus, quàm diuidere ſpolia cum ſuperbis. Quid? etiam potius, quàm cum Sanctis Epiſcopis, & Præſidibus fructus, qui maneant, colligere. Siquidem priuatus facillimè ambulat coram Deo; publicus autem homo, vel paſsim offendit, vel timet iugiter offendere.

Omnis Chriſti doctrina humilitatem ſuggerit.

Scitis, quia hi, qui videntur principari gentibus. Optimè ait *videntur*. Nam reuera non *principantur* Tyranni, qui ſibi continuò timent, & egent ſatellitum manu innumera ad ſui cuſtodiam; neque principantur, qui concupiſcentijs plus cæteris inſeruiunt, atque ſenſibus. Nam Principes (inquit Plato epi. 4. ad Dionyſ.) veritate, iuſtitia, magnificentia præſtare debent, & prudentia tantum alios ſuperare, quantum viri pueros, Hæc autem raro in talibus conſpicies. Quod etſi haberent, ſemper *videntur principari*, tùm quod potentatus eorum breuis, ſicut folium, quod vento rapitur, & fauilla, quæ ſpargitur; tùm etiam quod principentur corporibus, quæ potius videntur, quàm ſint, Quia omnis caro fœnum.

Plato.

Potentatus mũdi inanis.

Dominantur eis. Vt ſeruis, & mancipijs, quia ego Dominus ſic volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas; at Domini officium eſt (inquit Marſ. Fici. in epiſ. lib. 3.) legi, & rationi ſeruire, quo poſsit ſeruis legitimè, & rationabiliter dominari, & conſiderare tàm ſeruum, quàm Dominum hominem eſſe, humanitatem ſemper cum dignitate miſcere.

Marſilius Fici.

Et Principes eorum poteſtatem habent ipſorum. Hoc eſt, gloriam, maieſtatem, potentiam, opes, & opera ſubditorum ad ſe transferant, vt omnem poteſtatem eorum ad quippiam agendum in vno Principe ſitam, & ab eo libertatem pendere velint; & ſalutari (vt Cyrillus Alexandrinus de recta in Chriſtum fide Theodoſium) in veſtra ſerenitate apprimè conſpicua, & glorioſa venuſtam quandam ſummæ illius gloriæ imaginem intueri licet. Vos etenim omni terreno faſtigio ſuperiores ampliſsimarum dignitatum fontes eſtis: Vos humanæ felicitatis principia, & origines. Clementiſsimis maieſtatis veſtræ nutibus, nemo non ad iuſtam, honeſtamque viuendi rationem promonetur. Tandem quicquid vſquam eſt gentium, hoc totum Regni veſtri ſolijs ſubſtratum eſt. Sic vellent omnes Principes ſæculares à ſubditis acclamari.

Cyrillus.

An verò liceat ob vnius Cyrilli exemplum, & multorum illius temporis, inter probos, & ſapientes diſceptatur. Definient quibus datum eſt.

CAPVT

CAPVT XLIII.

Non ita eſt autem in vobis; ſed quicunque uoluerit fieri maior, erit ueſter miniſter.

Expoſitio. PRincipatus itaque gentium talis eſt: at quem in mea Ecclesia deliberaui inſtituere; *non ita* reputari debet, *eſt* quidem,& erit *in uobis* dominatio eccleſiaſtica, & præfectura. *Sed* enim *quicunque* ex vobis *uoluerit* inter fratres haberi,& *fieri maior*, neceſſe eſt illum ab omni extollentia alienum eſſe, totumque humilibus inſeruire, ita vt non Dominus ſuper cathedram ſedens, ſed ſeruus cunctis adminiſtrans videatur. Ille igitur Præſul à vobis habeatur, qui *erit ueſter miniſter*.

Non ita eſt autem in vobis. Quoniam finis eſt alius; iuxtà enim finium varietatem, regiminum aliud, atque aliud traditur, materiæ quoque diuerſitas artifices variat; materia, circa quam verſatur Epiſcopus eſt animarum cura; finis autem glorificare auctorem,& conditorem, exemplo Chriſti, qui dixit: Ego veni, vt vitam habeant. Ego glorifico Patrem meum. (Ioan. 10.) Vnde cum tàm finis, quàm materia ipſa ſit ſpiritualis, neceſſe eſt agentem circa animas,& occupatum in glorificatione Dei, fieri ſpiritualem quantum poteſt. At ſpiritualitas ipſa à fundamento humilitatis creſcit vſque ad perfectum, (Humilitas radix vitæ ſpiritualis.) velut à radice arbor, illa potiſſimum, quæ creuit in vineam latiorem; ergo oportet Epiſcopum, & Præſidem omnem eccleſiaſticum non ab altitudine, vt mundani, regimen inchoare, ſed è conuerſo ab humilitate. Sed oderunt hoc Sacerdotes ſuperbi (ſcribit Hieron. (Hieron.) ad Ruſticum Narbonen. Epiſcopum de ſeptem gradibus Eccleſiæ) in presbyteris nomen, qui volunt eſſe hoc, quod Chriſtus, qui diſcipulorum pedes lauit, qui baptizatus eſt à Ioanne, licet baptizandum ſe Ioannes à Domino proclamaret.

Sed quicunque uoluerit fieri maior. Velle ſemper *fieri maiorem*, virtute, & vitæ ſanctitudine licet; immo verò ad excelſiorem ſemper perfectionis gradum contendere debemus, qui Deo militamus, vt & parata melius conſeruentur, & quæ ſperamus abundantius recipiamus; at velle *maiorem fieri* honore, Chriſtus in Phariſæis, qui primos accubitus amabant, damnauit, & in gentilibus, qui dominabantur. Vnde Chryſoſt. (Chryſoſt.) homil. 66. in Matt. Gentile eſt primatus cupere. Quare ſubdit hom. 35. op. imperf. (Auctor operis imperf.) Primatum Eccleſiæ concupiſcere, neque iuſtum eſt, neque vtile. Et ſecundum Auguſt. lib. 19. de Ciuit. Dei, cap. 16. locus ſuperior, ſine quo populus regi non poteſt, etſi adminiſtretur, vt decet, tamen indecenter appetitur. Præſumptuoſum videtur, inquit ſanctus Thomas 2.2.q.185.art.1. (S.Thom.) quod aliquis præeſſe appetit ad hoc, quod ſubditis proſit, niſi manifeſta neceſſitate imminente: ſicut Gregor. dicit in Paſtorali. (Gregor.) Quid ergo Paulus ait: Qui Epiſcopatum deſiderat bonum opus deſiderat? (1.Tim.3.) Et is quoque dicit: Nemo aſſumit ſibi honorem. Honor itaque & abundans maiorum victus appeti non poteſt, benè autem opus virtutis Epiſcopatus; tùm maximè licebat, inquit Gregorius (Gregor.) p.pat.paſtoral.cap.8. Epiſcopatum appetere, quando ad martyrium Epiſcopi præibant.

Erit ueſter miniſter. Nam quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam diſpenſator eſt, vt miniſtret in tempore tritici menſuram, vnicuique diuidat panem Scripturæ, & exemplo proponat opus virtutis imitandum. Siquidem dominatio ſecundum Dionyſ. (Dyoniſ.) de diuin. nomin. eſt eminentia quædam non ſolum aduerſū deteriora, ſed omnis quoque honeſtorum, & bonorum perfecta poſſeſſio, veraq. & immutabilis firmitas.

CAPVT XLIV.

Et quicunque uoluerit in uobis primus eſſe erit omnium ſeruus.

PRofert aliam Præſulatus Eccleſiaſtici conditionem, (Expoſitio.) videlicet humilitatem: Et *quicunque*, inquit *uoluerit* deliberatè *in uobis*, & inter vos ò Apoſtoli, & diſcipuli, *primus eſſe* honore,& dignitate, *erit*, ſi ſapit, dignèq. præſidere exoptat, *omnium ſeruus*, & quotquot in grege accepto minimus, & humillimus.

Et quicunque uoluerit in uobis primus eſſe. Itaq; primum, ſecundū, ac reliquos gradus honoris, & præſidentiæ admittit Chriſtus, & introducit in Eccleſiaſtica Hierarchia, vt neque omnes Epiſcopi, neque omnes Diaconi, ſed vt in corpore alius capitis vicem gerat, vt Epiſcopus; alius colli, vt Doctor, & Presbyter; nam quæ à Deo ſunt ordinata ſunt. Vndè & per ordinem conſternendos fore lapides, Vates prædixit, lapidum verò obtinere locum,& dare, artificis eſt. Lapis enim inanimatus nihil habet ex voluntate appetere, ſed pretioſitas, quæ illi ineſt locum in rationali, & in ædificio domus Domini efflagitat. Ergo velle Epiſcopatum, aut gradum aliquē Eccleſiaſticū ambire vitiū eſt, dignitate vitæ,& virtutis excellētia promoueri laudabile eſt.

Erit omnium ſeruus. Hoc eſt, humilis, & humilior cunctis, qui ſub illo erunt. Nam ſi matris officium acturus eſt, & curare ab omni ſorde ſubditos, ac filios parens, niſi humilitate præpolleat, paſſim ab iniuncto munere aberrabit. Hinc ſponſa: Caput eius

Cant. 5. aurum optimum,comæ eius ſicut elatæ palmarum,nigræ quaſi coruus. Nigredini, quæ congregat, humilitas, & deſpectus comparatur;humilis enim Præſes omnium oculos, atque animos pios ad ſe trahit. Dicitur autem quaſi coruus, non corui,quod eam non à natura habeat,ſed artificio ſancti Spiritus; eſt tamen quaſi coruus intendens per eam ad æſum animarum, vt ille ad corpora inhiat. Hac itaque humilitate excellit, qui pro Chriſto in Eccleſia caput aureum gerit, & optimum Præſidem eſſe deſiderat, & intentum,ac vigilem ſaluti animarum, iiſque demandare ſalutifera, vt elatæ palmarum dactilos dulces inſpectoribus offerunt.

CAPVT XLV.

Nam & filius hominis non venit, vt miniſtraretur ei; ſed vt miniſtraret, & daret animam ſuam redemptionem pro multis.

Expoſitio. EXempla à ſeipſo petito conatur inducere eos ad vigilantiam miniſterij, & ad humilitatem præclaræ ſeruitutis. Nam inquit, etſi ego in omnibus primatum teneam,nihil horum, quæ in optimo Præſule deſiderantur prætermiſi: *Filius* quidem *hominis*, quem vos Dei filium acclamatis, *non venit* dominans,imperans, neque accumulans quicquam eorum, quæ cæteri, *vt* propterea *miniſtraretur ei*, quicquid honoris eſt,& quietis; *ſed* venit ipſe potius *vt miniſtraret* cunctis, qui ſub cælo ſunt;quin etiam venit ad homines, non vt aliquid ab his tolleret,ſed *daret* ſponte *animam ſuam*, vitamque profunderet *in redemptionem pro multis*, qui captiui detinentur in vinculis, neque poſſunt ſibi feliciſſimam libertatem vendicare: Libertate enim hac Chriſtus nos donauit,non corruptibilibus auro,& argento,ſed pretioſo ſanguine ſuo.

Nam & filius hominis nõ venit, vt miniſtraretur ei. Quomodo ergo legimus,& ecce Angeli accedẽtes adminiſtrabant ei? Sed
Matt 4. & Daniel 7. ait: Millia millium miniſtrabant ei: Adminiſtrant & modo omnes ſpiritus
Luc 8. Domini, ſed & mulieres miniſtrabant ei: Atqui eò cuncta famulabantur Chriſto, quod veniſſet non miniſtrari. Quod enim omnia propter Patris imperium abieciſſet, meruit ab omnibus honorari, exaltari, & præter omnes adminiſtrari, ab Angelis ſu-
Omnia Chriſto miniſtrabant. peris,ab hominibus viuentibus,atque mortuis,etiam dæmonibus vſus eſt, vt miniſtris, in porcos,in ſignum miniſterij diuini, quod ſupra nefarios homines Iudæos erant accepturi poſt mortem eius. Itaque etſi dignus Præſul non veniat miniſtrari, propterea negabitur ei miniſterium omnium,quæ ad honorem faciunt, & victum? Quinimo qui benè præſunt presbyteri duplici honore digni ſunt, & quibus omnes de omnibus admini- Miniſtrandũ eſt Præſulibus.
ſtrarent, vt filij parentibus, & magiſtris diſcipuli, qui ab eis vitam, & educationem ſpiritualem accipiunt.

Sed vt miniſtraret. Miniſtrare propriè eſt aliena diſtribuere. Ergo alterius ſunt, quæ Chriſtus hominibus miniſtrauit ſacramenta,præcepta,verba,gratiam, & virtutes, videlicet Patris, qui auctor eſt, & effector cunctorum;Chriſtus autem mediator,& miniſter excellens ſecundum humanitatem.
Hinc Cyrillus Alexand. de recta in Chriſtum Cyrillus.
fide, ad Pulcheriam: Quod autem miniſtrat, hoc naturæ humanæ eſt. Neque hoc ſi diſpenſationis cum carne rationem ſpectes, vlla ex parte illum dedecet,vt quo ſe totum ad humana dimiſiſſet, conſtet. Qui vnus
proinde (ait priori lib. ad Theodoſium) po- Idem.
ſitus eſt tanquam radix,& initium quoddam cunctorũ,qui in ſpiritu ad vitæ nouitatem, corporiſque immortalitatem reſtaurantur, quique eam, quæ ex diuinitate proficiſcitur,ſecuritatem,ac firmitatem, ſecundum quandam gratiæ communicationem in vniuerſum hominum genus tranſmittit.

Et daret animam ſuam redemptionem pro
multis. Quod maius eſt(inquit Theophyla- Theophyl.
ctus) quàm miniſtrare. Quando enim quis non ſolum miniſtrauerit, ſed & mortuus fuerit pro eo,cui miniſtrat,quid illo maius, & admirabilius? Redemit enim nos Ieſus Chriſtus vnus, & ſolus, & verus Dei, & Pa-
tris filius (ſcribit Cyrillus ad Maximianum Cyrillus.
Epiſcopum) non corruptibili argento, vel auro,ſed anima illa, quam noſtri cauſa poſuit. Obtulit enim ſemetipſum immaculatum ſacrificium Deo, & Patri in odorem ſuauitatis, ingenſque pro vita noſtra pretium, vtpotè propriũ ſanguinem impendit. Vnus hic namq; cunctis dignitate præſtabat: immo verò vniuerſam creaturam dignitate multis partibus excellebat.

CAPVT XLVI.

Et veniunt Iericho, & proficiſcente eo de Iericho, & diſcipulis eius, & plurima multitudine, filius Timæi Bartimæus cæcus ſedebat iuxtà viam mendicans.

INterim dũ confabularentur progredien- Expoſitio.
tes in via *veniunt Iericho* ciuitatẽ; vbi per aliquot tẽpus cõmorati,ſtatuit Chriſtus abire;attamẽ proficiſcente eo, & properãte ad alia,ac ſequentibus *diſcipulis* à veſtigio, necnõ *plurima multitudine*,quę ab illo quid pretioſũ audire,vel videre optabat,occurrit *filius Timæi Bartimæus cæcus*, qui vt vitæ inopiam ſubleuaret *ſedebat* tota die *iuxtà viã*, à viatoribus *mẽdicãs victũ quotidianũ*.

Et ue-

Et veniunt Iericho. Cuius interpretatio eſt luna, ad cuius mutabilitatem profectò *veniunt*, ne dicam ſtultitiam, qui ſuper primatu contendunt. Nam vel ad hæreſim inſidunt, vt Nouatianus; vel ſchiſma generant, vt Petrus de luna; vel denique peccati deformitates contrahunt, vix immedicabiles, vt Theophylus ille, qui tàm inhumaniter, & irreligiosè in orbis lumen Chryſoſtomum eſt inuectus.

Et proficiſcente eo de Iericho. Quoniam nihil ad eum nominis ſignificatio, vt qui nõ contenderit ipſe cum aliquo de regimine, nec illud aſſumit ſibi; ſed ex vocante dictum

Heb.5. eſt ei: Tu es ſacerdos in æternum, idque iureiurando, ait Apoſtolus.

Et diſcipuli eius. Quoque de *Iericho* proficiſcuntur, ſed Chriſto præcedente. Nam niſi ad Patrem præoraſſet, Satan excribraſſet eos, & inflammaſſet ambitionis igne, vt pa-

Cyprianus. leas. Malum hoc (ait Cyprianus lib. de ieiunio, & tentationibus) Adam in Paradiſo pulſauit, & ſtrauit; cum ſubiectione, quam Deo debebat faſtidiens appetijt dominatum; &

Adæ lapſus. cum vellet eſſe ſicut Deus, ſine Deo ſe vidit, & nouit: & conſpectam carnis Euæ abhorruit fœditatem, quã licet aperitet, manens tamẽ perpes ibi cõtumelia ſtetit, & adhæſit.

Et plurima multitudine. Et cur nõ omnis? Etenim è Iericho, qui mundus eſt omnes proficiſci oportet, qui ſaluari volunt. Non enim habemus hic requiem, neque aliquid dignum licet in eo reperire; ſed vt in paludibus angues, & noxia animantia, quibus Ægypitus omnis inficitur, & offenditur, atq; perit. Vnde dicet habitator inſulæ huius

Iſai.20. in die illa: Ecce hæc erat ſpes noſtra, ad quam confugiebamus in auxilium. Quid

Sap.5. nobis profuit ſuperbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Tranſierũt omnia illa tanquã vmbra, & tanquam nuntius præcurrẽs: Beatus ergo qui citius præcurrit, & poſt tergũ dimittit Iericho, mũdũ, & omnẽ eius ſuppellectilẽ, vt Chriſtum ſequatur.

Filius Timai Bartimæus cæcus. Apud Syrochaldæum legimus טימי ברטימי Timai Bartimai, hoc eſt immundus filius. Tama טמא enim, vnde Timai ſignificat immundum eſſe, pollutum, atque polluere. Quare cæcum hunc, Iudæum conſtituere populum perſuademur, tùm ex nominis inter-

Gloſ. Hieron. pretatione, tùm ex his, quæ dicit gloſſa Hieron: Cæcitas (inquit) Iudæorum, quæ illuſtrabitur in fine, in aduentu Eliæ, & Enoch; tùm quoque quod Matth. non vnum, ſed duos referat cæcos illuſtratos, videlicet, Iu-

Ezech.23. da, & Iſrael. Sub enim duobus vnus Hebræus populus comprehenditur, quem Ezechiel in duas ſorores vnius matris filias plenas immunditijs Oollam, & Oolibam partitur; hic verò totus populus. Tùm ex filio Timæi comparatur, quod illuſtrandi in fine ſæculi ab ijs ſint, qui ſeipſos polluerunt, quum cla-

marunt: Sanguis eius ſuper nos, & ſuper fi- *Matt.27.*

lios noſtros, qui in Ægypto proprio ſanguine inuoluebantur, & ab ijs, qui poſtmodum propter eorum ſcelera, ex matre Cethæa, & Patre Amorrhæo dicuntur proceſsiſſe.

Sedebat iuxtà viam mendicans. Non in via; namque cæcutiens errat, neque *viam* tenet, præſertim Hebræus populus. Quoniã ſicut vacca laſciuiens declinauit Iſrael, quo factũ eſt, vt *iuxtà viam* perpetuò mendicet, vtpotè à Scripturis intelligentiã, quæ clauſa eſt eis. A cæteris gentibus victum, veſtitum, & alimenta, quæ cum ſua pecunia bibunt, edunt, & acquirunt cum ærumna, & à Deo cæli miſericordiam, quam non dum accipiunt, quandoquidem cælum eſt illis clauſum, & æneum. Vnde qui veſcebantur voluptuosè, interierunt in vijs; qui nutriebantur in croceis amplexati ſunt ſtercora. Quoniam maior effecta eſt iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum, quæ ſubuerſa eſt in momento, & non cœperunt in ea manus, ait eorum Propheta.

CAPVT XLVII.

Qui cum audiſſet, quia Ieſus Nazarenus eſt: cœpit clamare, & dicere: Ieſu filij Dauid, miſerere mei.

Igitur cum mendicaret cæcus, & victum à prætereuntibus exoraret, præteribat il- *Expoſitio.*

lac ditiſſimus omniũ, comitatus diſcipulis, atq; turbis multis, quæ nõ parũ ſtrepitũ excitabãt, atq; puluerem; vnde admiratus ille cæcus interrogat à viatoribus, quid cauſæ eſſet frequentis populi aduenientis? Qui cũ à comitatu *audiſſet, quia* tanti rumoris *Ieſus Nazarenus eſt* cauſa, quum eum omnes viratim ſequãtur ob miracula, & doctrinæ excellentiam, *cœpit* primum in ſemetipſo gaudere, & lætari talem ſortitus occurſum, poſt vicinius accedẽte Chriſto, *clamare* altis vocibus, *& dicere* omni affectu: *Ieſu*, & Saluator, qui veniſti ſaluũ facere, quod perierat, & reſtituere, quod cecidit, aſpice in me collapſum in cæcitatem, & quia *filius Dauid* potens, clemens, atque miſericors; *miſerere mei*, qui orbatus lumen cæli non video, nec te, in quem nedum homines, verum etiam Angeli deſiderant proſpicere.

Qui cum audiſſet. Ac propterea ad orationem clamoſam excitatur, & miſericordiam interpellat à Chriſto, quem confitetur verum, & integrum Meſſiam, quia audiuit, credidit; quia credidit, clamauit; & quia appoſitè clamauit, beneficium obtinuit. Quare vt ſponſa, quæ in murenulis aureis delectatur, de Chriſto audiens quippiam eum omni concupiſcentia exultat, & eructat: Audi- *Pſal.50.*

tui meo dabis gaudium, & lætitiam, & exultabunt oſſa humiliata. Nam ſi Eliphaz Regis, Imperatoris, ac Principis ſui audito no-

 mine

mine lætatur, ſurgit ad opus, onus ſuſtinet, bellum aggreditur, & non ſegniter, ſed diligenter imperata agit; quid mirum ſi rationalis homo, cum audit verba Dei, cum percipit Chriſtum appropinquari, adeſſe Ieſum, & ſalutem appropinquari, & dari credenti, quæcũq; deſiderat, ſtatim aſſurgat, exclamet:
1. Reg. 3. loquere, quia audit ſeruus tuus, & iugiter
Pſal. 50. poſtulet: Miſerere mei Deus ſecundũ magnã miſericordiam tuam; ac demum ſe totum offerens ſeruituti dicat: Dominus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico? Etenim hæc efficit, & maiora, quàm poſſint facilè dinumerari, verbum Dei audire. Bea-
Eccl. 25. tus ergo, qui inuenit amicum verũ, qui huiuſmodi verbum loquetur ſibi in tempore; ſed & ille beatus, qui enarrat iuſtificationes auri audienti.

Quia Ieſus Nazarenus eſt. Præteribant alij, & frequens populus concurrebat per viam, & diſcurrebat; ſolus tamen Ieſus eſſe dicitur prætergrediens. Tùm quod ſolus peregrinus, & colonus, qui declinat ad manendum, vt ouem errantem quærat; ſolus *Ieſus*, & Saluator, qui mortificat; & ſolus *Nazarenus*, & floridus, qui æſtatem, & ver in vnoquoque noſtrum plaſmat, & plantat paradiſum voluptatis, vt præ virtutũ excellentia, & in bono conſtantia, dicatur chriſtianæ animæ hortus cõcluſus, fons ſignatus, emiſ-
Cant. 4. ſiones tuæ paradiſus. Cæterorum ergo cum nemo ſit, qui ſaluare poſſit, nec qui à ſeipſo floreat, nulla ſit mẽtio, niſi *Ieſus Nazareni*.
Cant. 2. Quia ſicut malus inter ligna ſyluarũ, ſic dilectus meus inter filios. Omnes agreſtes ſumus, & ſyluestres nõ fructificantes, niſi verbum inſitum in nobisipſis ſuſcipiamus.

Cœpit clamare, & dicere. Hoc eſt, conceptum ſermonẽ clamore expreſſit. Nam clamor eſt quandoque animi, abſque dictione
Exod. 14. externa, quo ille, cui dictũ eſt: Quid clamas Moyſes? Eſt & dictio abſque clamore, qua vſus eſt ille, de quo legimus: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me. Eſt quoque qui clamet dicens; qui inquam affectu, & mente perorat voce, vt is, qui dicit: Ad Dominum cum tribularer clamaui, & exaudiuit me.

Ieſu fili Dauid miſerere mei. Huiuſmodi precationem, & credulitatem ſuam declarauit, Chriſtum confitens Saluatorem illum, qui fuerat promiſſus Dauid, vtpotè Deum, & hominem; exigentiam quoque ſuam aperuit hiſce paucis; vt ab eo diſcerent omnes, veram fidem, & deprecandi formulam breuem, quæ cælos penetraret, & aſſequeretur. Verum cur cæcus, & qui comitantur Chriſtum ad triumphum fidem ſub nomine *filij Dauid* profitentur; Apoſtoli autem dicẽtes: Tu es Chriſtus filij Dei viui? Quoniam his, vt maioribus oportebat myſteria fore explicatoria; minoribus autem ſufficiebat, & ſufficit implicitè multa credere.

CAPVT XLVIII.

Et comminabantur ei multi; vt taceret. At ille multo magis clamabat, fili Dauid miſerere mei.

Vbique contraria, nec vnquam defecit *Expoſitio.*
qui ſub aliqua ſpecie bono aduerſaretur: Neque enim præſente adhuc omnipotente liberè potuit cæcus poſtulatum explicare. Siquidem *comminabantur*, & imperabant *ei multi* ex his, qui Ieſum comitabantur, vt omninò taceret, ne eſſet impedimento his, quæ inter eundum colloquebantur cum Ieſu: *At ille* tantum abeſt, vt iuſſis obtemperaret, vt *multo magis*, quàm prius *clamaret, fili Dauid* factus ex ſemine eius ſecundum carnem, ſecundum diuinitatem, quàm portas, & omnia verbo virtutis tuæ *miſerere mei*, qui miſericordiam, qua roboratur thronus clementiæ tuæ, poſtulo, & enixè exopto.

Et comminabantur illi multi. Fortène illi ſoli? Immo verò omni, qui ad ſeruitutẽ Dei properat, *multi*, & innumeri *comminantur*,
vt compellatur exclamare: Multi inſurgunt *Pſal. 3.*
aduerſum me, multi dicunt animæ meæ, non eſt ſalus ipſi in Deo ſalutari eius; multi bellantes aduerſum me, & exarſerunt ſicut ignis in ſpinis; ſi quomodo ne vnus remaneat halitus, qui poſſit cladem referre, nec qui percuſſum afflictione, & miſeria conſoletur. Hoc in acquiſitione virtutũ, quas domeſtici appetitus conantur deturbare; hoc in ſanctitatis augmento, aduerſus quam, vt in Iob Satan inſurgit; hoc quoq; in iuſtis honoribus, quos æmulatio, & fraterna inuidia detrahit, necnon Stephano Papæ adimit humana peruerſitas. At expectatio iuſtorum lætitia; ſpes autem impiorum peribit. Quia
fortitudo ſimplicis via Domini, & pauor iis *Prou. 10.*
demum, qui operantur malum. Siquidem iuſtus in æternum non commouebitur, impij autem habitabunt ſuper terram.

Vt taceret. En artem diaboli, quam excogitauit, vt faciat prædã, & abſq; termino gregẽ Domini diſſipet, perdat, mactet, & annihilet; videlicet taciturnitatem præcipere, ſeu ſuggerere Religioſis ne orent, nec tradant cor ſuum ad vigilandum diluculo ad Dominũ, qui fecit illos; vt carentes ſpiritu, & flatu emoriantur inſtar beſtiæ; Prædicatoribus, atque Præſulibus, vt ſileant à reprehenſione more canum, qui carnes exoſſant, & denique cunctis fidelibus, ne loquantur verum, nec confiteantur miſeriam, vt in ea velut ſubſannati conſummentur. Tu autem, qui benè cœpiſti, finge nihil ſentire, ſed iugiter in partes vade ſæculi ſancti, cum viuis, & dan-
tibus confeſſionem Deo. Non demoreris in *Eccl. 10.*
errore impiorum, ante mortem confitere; à mortuo, quaſi nihil perit confeſſio.

At ille

At ille multo magis clamabat. Non ſimpliciter *clamabat*, vt prius, ſed *multo magis*. Ergo tantum abeſt, vt impedimentum clamori eius non tulerint gentes, vt clamorem ei accenderint, non aliter quàm qui os bombardæ obſtrueret, maius tonitruum excitaret; augetur enim per antipariſtaſim calor in aeris regione, & frigiditas adeò, vt ex vapore grando generetur, & fulgur: Ita vera virtus cum arguitur, incrementum ſuſcipit, & ſanctitas fit lampas ignis, atque flammarum, quando multos habet comminatores, adeò vt corpus tradat ardoribus, & fiat totus homo dilectus, rubicundus, & ignitus, iam iam diſſolui cupiens, potius quàm aduerſarijs aſſentiri, ac propter eos compellitur magis clamare, frequentius orare, ſedulo ieiunare, & multo quàm ante hac ſollicitè ad eum currere, & ab eo quærere, vt ſit quaſi ſtella matutina in medio nebulæ, & quaſi luna plena lucens in diebus ſuis.

Fili David miſerere mei. Duabus vocibus diuinitatem intonat, & humanitatem, quam verbum in Christo aſſumpſerat; diuinitatis *[Exod. 33.]* enim eſt *miſerere*, ait enim miſerebor, cui voluero. Humanitatis eſt *David* patrē agnoſcere; præponitur autem *David, filij* nomen, quod etſi *filius David* per aſſumptam carnem, tamen *filij* nomen, & perſona præceſſit *David* ante ſæcula, quia vnius filius Dei, qui & *David*. Poſtponitur, *mei miſerere*, quod egeſtates noſtræ Dei miſericordiam ſubſequantur. Quoniam miſericordia, & veritas obuiauerūt ſibi. At veritas æterna eſt Deus, ergo, & miſericordia in ſanctiſſima Trinitate ædificatur, antequam quicquam boni, vel mali egiſſent homines.

CAPVT XLIX.

Et ſtans Ieſus, præcepit illum vocari: Et vocant cæcum dicentes ei: Animæquior eſto: ſurge, vocat te.

[Expoſitio.] Clamorem primum audierat, & antequā clamaret mendicus, deſideriū eius exaudierat; non tamen implet, quouſque multo magis clamet. Tunc enim *ſtans Ieſus*, & cum reliqui pariter greſsū fixiſſent; *præcepit* circunſtantibus *illum*, qui acclamarat, *vocari*, & perduci ad ſe. Quare ocius *vocant* illi *cæcum*, & compellunt cito venire, *dicentes ei*: Euge, & ſupramodum, quam ante fueris *eſto* lætus, & *animæquior*, multumque confidens *ſurge*, noſque ſequere, *vocat* enim *te*, quem tàm anxius interpellaſti, & in quo, vt cæteri ſpem tuæ ſalutis repoſuiſti, nec fruſtra, vt euentus probabit.

Et ſtans Ieſus. O admirabile myſterium; miramur, quod ſol retrocedat poſtulante Ezechia, & quod ſtet ad imperium Ioſue inter miracula, quæ filijs Iſrael acciderunt hucuſque decantatur; quod verò Chriſtus ad clamorem homuncij mendici, cæci, deſpecti, & Hierecontini hominis ſtet, viamque ſuam deſinat proſequi nemo miratur. Quamobrem? quia illud etſi minimum, raro tamen contigit, hoc verò etſi omnium maximum frequentiſſimum, immo verò quotidianum, & vt dicitur, triuiale eſt *ſtare Ieſum* ad orationē pauperis, & pœnitentis. Tametſi enim faciem à peccatore auertat, & poſterum relinquat ſceleſtum hominem, ad vindictamq. properet manu extenta, ac tollere de terra *[Miſericordia.]* feſtinet hypocritam: At quamprimum ingemuerit ingratus, ſtantemque pro ſe Deum cerneret: Quid? Currens obuiam currenti ve- *[Ierem. 31.]* niet, vt pater à filio prodigo; & nuntius obuiam nuntianti, vt David ei, qui pro Abſalon, & de eo nuntiaret. Eis enim, qui redeūt ab iniquitate in Iacob dicit Dominus: Hoc fœdus meū cum eis dicit Dominus. Ecquid? vt ſtet quantumuis iratus ad lachrymas, & clamorem cæci hæretici, Hierecōtini mundani, mendici peccatoris, & perfidi Iudæi, atque ſchiſmatici, qui extra viam eſt. Nam dixit ſanabo contritiones eorum; diligam *[Oſe 14.]* eos ſpontaneè, quia auerſus eſt furor meus ab eis.

Præcepit illum vocari. Parum ſibi videtur ſtare, & expectare peccatorem ad pœnitentiam, niſi præcipiat illum vocari ad ſe, niſi crebris inſpirationibus pulſet animum eius, vt aperiat feneſtram optimi conſenſus, vt illuſtrentur oculi eius, nec amplius pedibus offendat, depoſita albugine ignorantiæ atque erroris, niſi præcipiat Iſaiæ: Clama ne- *[Iſai. 58.]* ceſſes, annuntia populo meo ſcelera eorum, vt onus iumentorum deponant, & veniant ad Sion cum laude, ac denique niſi præcipiat ancillis ſuis, & multitudini prædicationum vocare ad arcem, & ad mœnia ciuitatis; conuerti, inquam, omnes malos ad Dominum, & venire, ac credere in Chriſtum, vt ſalui fiant. *Præcipit* nonnunquam tempori, anguſtijs, & miniſtris malis, dum illos permittit, vt nos compellant venire ad Deum.

Et vocant cæcum. Non proprio nomine eum *vocant*, ſed infami, vt illi vocantur: Cæci intuemini ad videndum. Nam peccati deformitas, tùm maximè hæreſis, tanta eſt, vt obſcuret nedum nomina præclara, verum totam ſubſtantiam ſuper carbones denigret, adeò vt iumentum pro homine; draco loco rationalis; ſerpens, vipera, & ſimilis vocetur omnis malus. Is potiſſimum vocatur *cæcus* abſolutè, quo nomine Hebræi ſolent in Scripturis appellari, vt illorum typum in hoc contemplaremur. Præterea, vt à radice malorum vocatus *cæcus*, ſciret perfectè, radicituſque ab omnibus malis liberum fore.

Dicentes ei. Non *dicentes* vocant cæcum ad lucem, claudum ad greſſum, ſurdum ad audi-

auditionem, & vitioſum omnem ad ſtudium virtutis oppoſitum, qui exemplis, ac vitæ optimæ inſtitutis ſeipſos conèinent, & ordinant in medio nationis prauæ, & viuunt, vt agni inter lupos, lucemque veram conſeruant in medijs Ægyptiorum denſiſſimis tenebris, & confidentes in Deo manent ſemper in loco ſuo. *Dicentes* vocant cæcum, qui Scriptura, ratione, & multiplici argumentorum genere perſuadent veritatem Hæreticis, Schiſmaticos cócordant, & corda Patrum conuertunt ad filios. Qui horum plus hac in parte proficiant facilè quiſque noſſet.

Animæquior eſto. Hoc eſt bono animo, placato animo, & quieto. Hoc enim tantum conceditur ei, quem Chriſtus vocat ad ſe, quique ſitit ad eum, iugiter clamat, & curat modis omnibus particeps fieri beneficiorum eius. Hic eſt homo ille marcidus, egens recuperatione, plus deficiens virtute, & abundans paupertate, & oculus Dei reſpexit illum in bono, & erexit eum ab humilitate ipſius, & exaltauit caput eius, & admirati ſunt in illo multi, & honorauerunt Deum. Hic eſt (vt apertè loquar) Zacchæus in ſicomoro, Matthæus in telonio, Magdalena in domo Simonis, & hic cæcus iuxtà viam, ac omnis, qui ad meliorem vitam ſpirat, optans his, quæ retro ſunt, vale facere.

Surge vocat te. Nec enim ob aliud, quàm vt ſurgamus vocat. Nam magna nobis reſtat via, per quam, vt ſol, ac cæli in orbem, oportet continuò incedere, & indeſinenter, vt Angeli per ſcalam, quam vidit Iacob, aſcendere, & deſcendere; aſcendere, inquam, ad cælos per contemplationem æternorum inuiſibilium, ac deſcendere ad proximum per charitatem fraternam, quæ nos non ſolum corporis, ſed etiam animæ proximi ſolicitos reddit. Quibus in exercitijs non ſemel, aut bis, ſed perpetuò dum viuimus laborandum eſt nobis. Quare & continuò ſurgere debemus, quouſq; depoſito corpore ad Chriſtum veniamus.

CAPVT L.

Qui proiecto veſtimento ſuo exiliens venit ad eum.

Expoſitio. NOn fuit ſurdus auditor, quanto enim cæcitate deficiebat, tanto excellebat auditu, ad ea potiſſimum, quæ optabat. Quapropter, vt audiuit ſe vocari ad Ieſum, quem videre non poterat, quamuis ſperaret, *proiecto veſtimento ſuo*, ac omnibus, quæ ex mendicitate illi aduenerant, *exiliens* præ gaudio, & lætitia *venit* properè *ad eum*.

Qui proiecto veſtimento ſuo. Iam enim ſpiritu didicerat, quid oporteret facere eũ, qui ad Chriſtũ accedere diſponit, videlicet, veſtimentũ proijcere, renuntiare omnibus, quæ poſſidet, ac relinquere cuncta, vt omnia in vno Chriſto recipiat, & nouũ hominem, qui per eum renouatus eſt, induat, veteri depoſito. Nam vt lex incircunciſum non admittebat; ita neque Chriſtus cæleſtẽ Adam, quem renouauit in ſeipſo, non concedit, niſi terrenum deponamus, qui eſt circunſtans nos peccatum, & affectus, qui aduerſus animam militat.

Exiliens venit ad eum. Non triſtis, nec turbolentus, ſed gaudens, & quietus, ac ſedulus: Hilarem enim datorem diligit Deus. 2.Cor.9.
Ergo fuge dilecte mi, qui vocaris, & aſſimilare capreæ, hinnuloque ceruorum ſuper montes aromatum, ſuper virtutum cumulum, ad quem vocaris, & inde ad cælos. Capreæ enim, cerui, ac damæ, & eiuſdem generis animantia hilaritate, ac velocitate præcurrunt ad paſcua, & properant ad montana, præſertim cum inſequuntur eos venatores, & canũ latratus poſt ſe ſentiunt. Et quidem nullus eſt noſtrum, quem nõ impetiant venatores, & canes peſſimi, tùm maximè cũ vocamur, & exilimus ad eum, qui vocat nos admirabile lumen ſuum, & prouocat ad paſcua ſalutifera. Velociter ergo tunc currendum, vt cerui, propter inſequentes, & propter vocantem iucundè procedendum in omnibus iuſtificationibus Domini, dicentes ei: Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, cantabo, & pſalmum dicam.
Cant.2.
Iſai.56.

CAPVT LI.

Et reſpondens Ieſus dixit illi: Quid tibi vis faciam? Cæcus autem dixit ei: Rabboni, vt videam.

VEnit igitur cæcus, & firmior in ſpe factus, ardentius ſupplicabat ſecum miſericorditer agi. Propterea *reſpondens Ieſus* ad illius deuotam precationem *dixit illi*: Ego quidem omnibus miſereor, his potiſsimum, qui egeſtatem propalant, & norunt calamitatem ſuam explicare, & deplorare. Ergo qui peroras miſereri, ediſcito *quid tibi*, tuone corpori *vis*, an animæ, vt *faciam* miſericordiam? *Cæcus autem* oculis, mente iam quodammodo illuſtratus *dixit* liberè *ei* quid vellet, & quo egeret. *Rabboni* (inquit) & magiſter vere, & optime, hoc vnũ expoſtulo, vt quemadmodum te illuſtratore cœpi mente videre, & agnoſcere mirabilia tua; ita *videam* oculis corporeis tuæ præſentiæ maieſtatem, quæ omnia ſuperat delectamenta. Expoſitio.

Et reſpondens Ieſus. Non reſpondit quouſque ad ſe venerit. Nam qui à longè, vt incapaces ſunt beneficiorum eius; ita & reſponſionis, ſiquidem ſermone, & reſponſo eius cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius Pſal.35.

omnis

Digitized by Google

omnis virtus eorum. Portat enim omnia verbo virtutis ſuæ. Qui autem à longè ſunt peccatores,& obſtinari pro nihilo habentur.
Elongati à Chriſto accedendo proficiunt. At nihil,& quod eſt minimũ, quomodo poterit magnũ quod verbo,& reſponſo Chriſti continetur, recipere, niſi veniens ad Chriſtum fiat & ipſe primo magnus? Inde qui longius ſtabant clamare cœperunt:
*Exod.*20 Non loquatur nobis Dominus: Qui autem acceſſerat ad Deum, vt amicus ad amicum loquebatur ei, & reſponſum ab eodem accipiebat, & fulgorem.

Dixit illi. Familiariter vtens homine, quem animo ſuum cernebat, & nihil iam ferventius concupiſcebat, quàm oculo ad oculum videre, & contemplari facie ad faciem. Cum ſimili enim lætatur conuerſari, familiarem ſe oſtendit ei, & *dixit illi* continuo vt poſtulet, vt petat, vt pulſet, & dabitur ei, non medietas Regni: Hoc enim eſt herodianum, ſed totum Regnum, quod in plures diſtributum, nunquam minuitur, infinitum cum ſit, & æternum.

Quid tibi vis faciam? Cur Dominus iſtud interrogat? Nequis dicere queat (ait
Vict. Ant. Victor Antiochenus) aliud Chriſtum dediſſe, aliud cæcum expetiuiſſe. Nam prius
Ratio interrogationis. vbique illorum voluntatem, & ſcopum, qui ſanitatem ambiebant, exquirere, exquiſitamque præſentibus omnibus pateſcere ſolitus erat, quàm ſanitatem præſtaret. Partim quidem, quo alios ad pium quendam zelum, & æmulationem prouocaret, partim etiam, quo ſanitatis beneficium in dignos collatum publicè conſtaret. Etiam quærit voluntatem eius, vt eam prærequiri ad illuminationem mentis, & conuerſionem hominis agnoſcamus.

Cæcus autem dixit ei. Hoc vnicum reſtat cæco, & omni peccatori etiam obſtinatiſſimo ſeruatur facultas dicendi, vt
*Pſal.*50 poſſit dicere Deo: Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me
Iſai 38. mater mea: Sicut pullus hirundinis ſic clamabo, meditabor, vt columba; attenuati ſunt oculi mei ſuſpicientes in excelſum: Domine vim patior, reſponde pro me, & ſimilia,quibus neceſſitatem noſtram explicemus, & exoremus eum, qui poteſt abundantius, quàm petimus, prouidere. Hinc
*Oſe.*14 Oſeas peccatori omni dixit: Tollite vobiſcum verba, & conuertimini ad Dominum, & dicite ei: Omnem aufer iniquitatem,& accipe bonum,& reddemus vitulos labiorũ noſtrorũ. Hæc enim vox clamoris, & petitionis ſic nobis videtur propria, haud ſecus, quàm oui balatus, paruulo gemitus, & ei, qui anguſtiatur, gemitus; propriam dico requiſitis his, quæ extrinſecus præoptantur, vtpotè auxilijs eius, abſque quibus nihil poſſumus.

Rabboni vt videam. Hoc eſt, magiſter bone, *vt* cæcitate pulſa *videam* omne deſiderabile, vt videam ſalutare Dei, & gloriam eius, lumenque oculorum meorum perſpiciam Breuis eſt petitio,petitũ autem eſt admirabile, & neceſſarium. Nam niſi oculus viderit,atq. mens,in regione vmbræ mortis verſamur priuati gaudio,quod natura appetit; qui autẽ illuminantur interius vident lucem magnã, non offendunt in die; ambulant, & non laborant; operantur, & non defatigantur; & portant pondus diei, & æſtus, quia denarium diurnum præ oculis deferunt, & præſtolantur ſicut mercenarius ad veſperam, quando teneant, nec vnquam dimittant,ſed ſic ſemper cum Domino ſint.

CAPVT LII.

Ieſus autem, ait illi: Vade, fides tua te ſaluum fecit: Et confeſtim vidit, & ſequebatur eum in via.

Breuis petitio ampliſſimo animo, & credulo nimis expoſita recipit dignam remunerationem. Nam *Ieſus* poſtquam ſic orantem perſpexiſſet cæcum, *ait* amicabiliter *illi*. *Vade* ò homo, qui tàm ſubtiliter, & conſtanter peroraſti, dignus enim es omni conſolatione. *Fides* quidem *tua* promeruit, te ab omni infirmitate *ſaluum* fieri, & cæcitate. Quare *confeſtim*, vt potens ille medicus opere, & ſermone locutus eſt, cæcus *vidit*, & abſque impedimento *ſequebatur eum* qui ſe illuſtrarat, iterque rectum in via tenebat ac ſi nunquã orbatus oculis fuiſſet,quin firmius cæteris ambulabat, & clarius videbat. Expoſitio.

Ieſus autem ait illi. Poſtquam circunſtantibus tùm animus, tùm petitio cæci innotuiſſet; tunc *ait illi Ieſus*, & loquitur quæ ſunt ſalutis. Ergo qui eadem tibi eſſati expoſcis, fac vt petitio tua innoteſcat apud Deum, & ab animo puro dirigatur, ſicut incenſum in conſpectu altiſſimi,& coram Angelis Dei. Scriptum eſt enim: Clamauit ad me, & ego exaudiam eum, cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam *Pſal.*90. eum, & glorificabo eum, longitudine dierum replebo eum, & oſtendam illi ſalutare meum.

Vade. Liber, ſcilicet, quo voles. Tametſi enim benedictionibus, & gratijs altiſſimi repleamur, non tollitur libertas, quin poſſimus iterum deficere, niſi continuo Perſeuerantia eſt donũ Dei. præueniamur cælitus. Vnde Cæleſtinus I. Epi. ad Epiſ. Galliæ, cap. 6. Scripſit. Neminem etiam baptiſmatis gratia renouatum, idoneum eſſe ad ſuperandas Diaboli inſidias, & ad euincendas carnis concupiſcentias,

ſeentias, niſi per quotidianum adintorium Dei, perſeuerationem bonæ conuerſationis acceperit. Eandem doctrinam confirmat dicens: Nam quamuis hominem redemiſſet à præteritis ille peccatis, tamen ſcieus iterũ poſſe peccare ad reparationẽ ſibi quemadmodum poſſet illum, & poſt iſta corrigere, multa ſeruauit, quotidiana præſtans illi remedia, quibus niſi freti, confiſique nitamur, nullatenus humanos vincere poterimus errores. Neceſſe eſt enim, vt quo auxiliante vincimus, eo iterum non adiuuante vincamur.

Fides tua te ſaluum fecit. Fides inquam oratione comitante, confeſſione, humilitate, & alijs externis bonis. Qui enim internam, ſpiritualemque in Chriſto vitam
Cyrill. (ſcribit Cyrillus Alexandrinus Monachis ſolitarijs Ægypti) laude, æmulationeque dignam ſerio inire volunt; illos fide inprimis ſyncera, atque integra ornatos eſſe decet, Fidei porrò integritati, virtutis quoque ſtudium adiungat oportet. Hoc autem iacto fundamento ad myſteriorum Chriſti cognitionem, abſolutamque eorumdem intelligentiam contendant, neceſſarium eſt. Quam vitæ rationem tenere, niſi equidem fallor, eſt in virum perfectum occurrere, & ad menſuram ætatis plenitudinis Chriſti peruenire. Ea verò, quam Lutherus, qui nudam fiduciam ſaluare contendit, quid niſi baratrum inferni proponit, & perditionis?

Et confeſtim vidit. Moram neſcit omnipotens ſpiritus, & operator ſupremus tarda molimina non admittit. Nos multo tempore vix opus perficimus, ille ad momentum nos miſerationibus magnis congregat.

Et ſequebatur eum in via. Illuſtratus enim *iuxtà viam* eſſe deſinit, & *in via* progreſſum facere contendit: Neque aliter quàm ſequens Chriſtum. Sequi Chriſtum eſt amoris, & charitatis perfectæ. Sine hac autem, neque præceptum decalogi, neque aliud, quod occurrat lege naturæ, vel humanæ poteſt meritorie obſeruari: Etiam ſi *in via*, hoc eſt, in Eccleſia ſimus. Meritum ſine charitate non eſt.

Hinc ille: Si charitatem non habuero nihil ſum. Ergo hanc dona largitor, vt in via, viam mandatorum dignè proſequamur, & tefinem omnium demum complectamur in ſæcula ſæculorum Amen. 1.Cor.13

* * *

FINIS LIBRI DECIMI.

IN SA-

IN SACROSANCTVM
CHRISTI EVANGELIVM
SECVNDVM MARCVM
LIBER VNDECIMVS.
IN CAPVT VNDECIMVM

PRAEFATIO.

N*ON vnum,aut alterum cæcum ſed omnes illuminare venerat lux vera, præſertim Iſraelitas, quibus erat promiſſus. Quamobrem è Bethania, illuſtrior quàm ante aſidens pullo, & cunctis acclamantibus:* Hoſanna in excelſis, *venit quaſi triumphans Hieroſolymam, templumque adyt. Nemo tamen æditum, quos caligo tenebrarum occupabat, tali ac tam celebri ſpectaculo meruit illuminari. Illis ergo relictis ſeceſſit cum duodecim in Bethaniam eſuriens ſemper miſerorum ſalutem; id quod inedia corporis regrediens Hieroſoly. declarauit, & ſatietatis deſiderio. Namque ad ficum, vt inde fructum colligeret, excurrit; eo tamen non inuento arbori imprecatus eſt ſterelitatem, vt vel inde innoteſceret pœna, qua inutiles homines expectabat. Ad quos cum rediſſet in eos durè animaduertit. Intromiſſus enim in templum, zelo repletus, vendentes, & ementes in templo eijecit, & quicquid inhoneſtum offendit, euertit. Adeo vt non fineret venale vas per templum transferri. Quoniam inquit:* Domus mea, domus orationis vocabitur, vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum. *Propter quæ in eum fremebant æmuli, præ timore autem cohibuerant ſeipſos. Verum cum nec bis meliores, immo vero deteriores, egreſſus eſt è Ciuitate Chriſtus cum ſuis. Qui videntes ficum à radice aridam admirabantur: Vnde Petrus retulit caſum Chriſto. At ille qui non tàm verbis, quàm factis erudiebat, inde fiduciam in oratione eos habere iubet, & puram conſcientiam. Quibus pollens orator, ne dum ficum in ariditatem, ſed & montem, inquit, alio transferet. Denique Hieroſolymam redeunt, & in templo ambulantem Chriſtum cum inſpexiſſent Sacerdotes, Scribæ, & Seniores conueniunt, & quærunt ab eo poteſtatem, in qua faceret omnia. Cæterum quia illi propoſitæ interrogationi de Ioannis baptiſmate noluerunt reſpondere; eos abſque reſponſo. quod alias notum eſſet, remiſit. Quare iuxta triplicem in templum aduentum, caput in tres partes diſtribuamus.* Diſtributio capitis.

CAPVT PRIMVM.

Et cum appropinquarent Ieroſolymæ, & Bethaniæ ad montem oliuarum mittit duos ex diſcipulis ſuis.

MVltifariè, multiſque modis ab aduentu ſuo in orbem terrarum Hebræos ad ſe Chriſtus trahere conatus fuerat, iam iam ab eis diſceſſurus, euidentiſſimo omnium ſigno aperire quis eſſet, ſtatuit; vtpote triumpho admirabili; ne vllo modo ingratitudinem excuſare, nec obuelare malitiam poſſent, aut ignorantiam opponere. Igitur *cum* ſimul *appropinquarent Ieroſolymæ,* magiſter cum diſcipulis, & ſodalitate hominũ non pauca: *Et* in primis cũ *Bethania* Caſtello, quod eſt *ad montem oliuarum* ſitum, perueniſſent, inde *mittit,* ac deſtinat *duos ex diſcipulis ſuis,* qui eum ſequebantur; quaſi prænuntios futuri triumphi, & ordinatores.

Et cum appropinquarent Ieroſolymæ. Tum quidem de ijs, quæ ſpectant ad triumphi, & ouationis celebritatem diſſerit: Et nobis idipſum licet, quando appropinquamus ad illam, quæ ſurſum eſt Ieruſalem, quę eſt mater noſtra; quando imminet corporis diſſolutio, & finis appropinquat, tunc licet dicere: Bonum certamen certaui, curſum conſumaui, in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex. Euntes ibant & flebant mittentes ſem na ſua, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos ſuos. Et ſimilia quæ concernũt ad mercenarij mercedem, & ſponſæ delitias, quæ illi apud ſponſum præparantur. Quarum memoria etſi continuo delectetur, tum maxime

2 Tim. 4.
Pſal. 125
Deſiderium ſuæ reſolutionis, & gloriæ.

maximè exilit iuſtus, quando appropinquat ad thalamum, & adeſſe operis finem agnoſcit, ſignaque futuræ beatitudinis; vt Medardus Epiſcopus Nouiomenſis, auctore Fortunato presbytero, in cuius tranſitu cæli aperti ſunt, & diuina luminaria fere per duarum horarum ſpatium ante Sancti apparuere præſentiam: Vt Dunſtanus Archiepiſcopus Cantuarienſis, qui quadam diuina virtute ter cum lecto ad cælum verſus, vſq. ad ſuperiora domus, cunctis ſpectantibus, trahebatur adhuc viuus, vt ſcribit Osbertus Monachus Cantuarienſis; ij itaque ac ſimiles, cum *appropinquant Hieroſolymis*, & ad eius requiem opulentam accelerant, tractant de illo triumpho ſpectatiſſimo, nec aliud, quàm gaudia, quæ illic ſunt, mente reuoluunt. Nos qui longè ſumus terrena loquimur, & ea pertractamus, quæ mortem potius generant, quàm conſilient vitam.

S. Medardus vidit cælum apertum.

S Dunſtanus eleuatus cũ lecto è terra

Et Bethania ad montem oliuarum. Græcà lectio habet. εἰς Βηθφαγὴ καὶ Βηθανίαν. *ad Bethphage, & Bethaniam*. Bethphage vicus eſt ſacerdotum non procul ab Hieroſolymis; *Bethania* inſignis villa ob geſta Chriſti in Domo Mariæ, & Marthæ. Erant enim inde oriundę, non dominæ vt plurimũ putatur. Nam in prouinciam redacta cum eſſet Iudæa à Romanis non admittebatur in ea alius Dominus à Cæſare, ac vices eius gerente. Huius itaque *Bethaniæ* hic meminit vulgata iuxtà latinos, Bedam, Hieronymum, & alios. Græci vt Theophylact. Euthym. atque alij præmittunt Bethphage, quod parum ad hiſtoriam refert, cum apud Matth. & Luc. ſermo de eo habeatur: Et ex eiſdem conſtet, quod proficiſcens *Bethania* Hieroſolymam verſus, per *Bethphage* ſuum ferat iter; conducit tamen ad myſterium de *Bethphage*, & *Bethania* ſimul ante triumphum, ſermonem præmitti. Nam בית-עניא Bethania, compoſita dictio à beth, ideſt domus, & hama à verbo ענה, hana, hoc eſt reſpondere, humiliari, & affligi, interpretatur domus afflictionis, & obedientiæ. A quibus omnem Chriſti exaltationem inchoare Paulus deponit dicens; Chriſtus humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem; mortẽ autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum. Rationem autem, & cauſam huius voluntariæ humilitatis, & obedientiæ, nomen *Bethphage* ſubindicat. Eſt enim nomen compoſitum à beth, ideſt domus, & phagi, ſiue פה, ideſt os, hoc eſt domus oris. Ideo enim humiliatus eſt Chriſtus, ac verbum caro factum, & factum quidem obediens vſquę ad mortem in aſſumpta natura, vt os ad os loqueretur cum hominibus; ad eos os aperire beatifica docens, atque eis os daret, loquerentur cum lingua altera, qua hactenus vſi fuerant, facti os Domini, quod à vili prætioſum ſeparat, & eligit afflígi, atque ſubijci, & parere, vt particeps modeſtiæ Chriſti fiat & comparticeps gloriæ, & triumphi Chriſti. Igitur vt ex ſacris litteris, aliquid quoque depromam (cum Ciryllus Alexandr. ad Pulcheriam de recta in Chriſtum fide) Gaudete in Domino ſemper, iterum dico gaudete; modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus. Immo verò illa iam dudum apud omnes ciuitatum, & regionum omnium hominum diuulgata percrebruit; neque ſecus fore, atque tabella quædam depicta in ſe pietatis in Chriſtum venuſtatem gerens, latèque reſplendens omnium admirationem excitauit. Vt in Apoſtolis, Martyribus, Confeſſoribus, Virginibus, ac Sanctis Dei hominibus, qui veſtigijs Chriſti hærentes modeſtiam, patientiam, obedientiam, & anguſtiam, in ſeipſis velut in ſpeculo demonſtrarunt; quæ nos ſequi oporteret, ſi cum Chriſto ad eam, quæ ſurſum eſt, Hieruſalem ſpiramus, & ſperamus triumphare. Igitur triumphaturus Chriſtus venit primo *Bethaniam*, inde *Bethphage*; vt ſuo exemplo ad ſignata horum complenda excitarentur, qui ſecum in throno ſedere vellent. Quod autem dicitur: *Ad montem oliueti*; diſtinguit hanc à *Bethania*, quæ eſt trans Iordanem, vbi Ioannes quondam baptizabat. Perindeque nos inſtruit qualis ſit futura *Bethania*, hoc eſt obedientia, & labor, qui nobis victoriam conciliat, videlicet, qui eſt *ad montem oliueti*, hoc eſt, ad Eccleſiam coniunctus. Laborant quidem qui trans Iordanem ſunt; tributis ſeruiunt, qui ſub Turca degunt infideles, obediunt Diabolo peccatores, abſque tamen fructu, quia non *ad montem oliueti*, non ad gratiam laborant; ſed interitum; ſiquidem hi tantum numerò ſunt de Eccleſia, illi verò neque numero, neque merito.

Hier. Beda. Theoph Euthym.

Philipp. 2

Humiliatio Chriſti.

Cur ita ſe humiliauit.

Cyrill.

Philip. 4.

Vera ſequela

Mittit duos ex diſcipulis ſuis. Non ex alienis: Quia filij alieni mentiti ſunt mihi; filij alieni inueterati ſunt, & claudicauerũt à ſemitis ſuis. At qui ſunt Domini, veraces ſunt, legati fideles, quorum calles, & greſſus recti ſunt: Etenim ſub diſciplina veritatis eruditi, & pacifici, pacem & veritatem diligunt, lexque veritatis ab eorum ſemper ore pendet, & opere. Vnde & quiuis eorum Nephtalim ceruus emiſſus, qui velociter imperata explet, atque æquanimiter & rectè. Nephtalim enim interpretatur æquiparatio, ac rectitudo, quam legatis ac diſcipulis Domini germanam fore nemo ignorat, vt alienis oppoſitum. Qui autem ſint hi, & qui illi, omnes norunt. Quandoquidem Chriſtus dixit: Ex operibus eorum cognoſcetis eos, vt berillum, & iaſpidem ex effectibus, quando color non diſcernitur. Nam etſi falſus dicat, ac verus: Hæc dicit Dominus; Iſaiam autem quem miſit Dominus, intueberis nudum, & diſcal-

Pſal. 17

Gen. 49.

Digitized by Google

diſcalceatum, hoc eſt, à terrenarum rerum affectibus alienum; at Sobnam, & eum qui ſe intromittit officijs ſpiritualibus repletum, ac ſemper ſitientem non ad fontem aquarum Deum, nec animarum lucrum, ſed quandoque ad honorem ampliorem, nonnunquam ad menſam epulentiorem, vel certè theſaurum, qui perit. At inquit Deus de his: Ego non mittebam eos. Quos enim mittit *duo* ſunt, amore Dei, & proximi repleti; atque diſcipuli, hoc eſt imitatores vitæ & morum; ac *ſui*, hoc eſt, continuo adhærentes ei, vt viti palmites. Quod *duos*, non tres, neque plures mittat, qui ſibi præparent triumphum, & ad ſe ferant aſinam, & pullum, non caret profundiori myſterio; nam ſi triumphus Chriſti in ſtatu gratiæ, quando Deus homo factus eſt celebratur, profectò *duo*, & non plures, vtpotè legem naturæ, & ſcripturam quibus Gentiles & Hebræus ad Chriſtum traherentur mitti oportebat.

Qui mittũtur à Deo.

CAPVT SECVNDVM.

Et ait illis: Ite in Caſtellum, quod contra vos eſt, & ſtatim introeuntes illuc, inuenietis pullum ligatum, ſuper quem nemo adhuc hominum ſedit; ſoluite illum, & adducite.

Expoſitio.

EN legationem, quam duobus diſcipulis credit. *Ite*, inquit, celeriter, & confidenter *in Caſtellum*, ac vicum, quod ſitum *eſt contra vos*, veſtriſque aſpectibus oppoſitum. Quo eum applicueritis, ſtatim introeuntes muri fores, *inuenietis* quæ opto exportari, videlicet, *pullum ligatum* diris funibus ob inſolentiam eius, & feritatem; ob quam *nemo adhuc hominum* præ timore *ſedit*. Illum igitur vos audacter ſoluite, & vt manſuetiſſimum animal redditum, & obtemperans *adducite* feſtinanter.

Et ait illis. Iuſſa exprimens verbis, vt non formiduloſi, nec ſegnes eſſent, aut timidi in complenda legatione. Nam quando prædicator, Epiſcopus, ac nuntius Domini poteſt dicere: Ego enim accepi à Domino, intrepidè eructabit: Ego igitur ſic curro, non quaſi in incertum: Sic pugno non quaſi aerem verberans. Atqui non aperte, neque diſertis verbis mandatum à Domino accipit; ſed per inſtitutum, & internam illuſtrationem mouetur ad erudiendum plebem, ad reducendum errantem, & ſimiles legationes; tametſi ſpiritu dicat: En dilectus meus loquitur mihi; ſæpius hæſitabit, vt compellatur exclamare: Sonet vox tua, ſcilicet aperta & clara, in auribus meis; loquere quia audit ſeruus tuus, vt faciat omnia, ad quæ miſeris illum, & loquatur quæcunque ei mandaueris.

1.Cor 9.

Mittuntur multi inſtinctu interno.

Cant. 2.

Ite in Caſtellum, quod contra vos eſt. Hoc eſt vel Bethphage, vel Hieruſalem, vt alijs placet, vel vicum, aut pagum alium, qui ante Apoſtolos eſſet. Non ad Ciuitatem, aut Caſtellum, quod poſt tergum eorum eſſet, aut ſiniſtrorſum, vel dextrorſum, eos deſtinat Chriſtus, ſed ad locum quem ante faciem haberent. Nam vt ſpiritus vitæ ante faciem ſuam compellebat animalia ambulare; qui via, veritas eſt, & vita neminem niſi ante faciem ſuam mittit, vt faciliter ambulet, & rectè impleat, videns & diſcernens cuncta oculis proprijs, nec ignorans quæ ei demandantur. Retromittit dæmon; quando ignorantiam inducit, & per eam retrorſum dirigit, quando delitijs animum diſſolui intentat; ſiniſtrorſum verò mundus preſſuras multiplicans, & anguſtias, vt ad deſperationem inducat. Ergo neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram, neque poſt tergum eamus, ſed ante, quo mittimur, ad virtutem, quæ oculos allicit; ad legem, quæ inuitat animum; & ad Deum, qui facies vniuerſorum trahit. Is eſt enim nobis *Caſtellum*, vnde robur aſinæ ad onus, & agilitas pulli ad curſum, quibus triumphum promeremur, facillimè poſſumus nobis comparare. Dominus enim petra mea, & robur meum, & Saluator meus.

Ezech. 1. Ioann. 14.

Quid ſit ante faciẽ ire?

2. Reg. 22

Et ſtatim introeuntes illuc. Si Deum imaginamur Caſtellum, haud contemnendum venabimur ex his verbis myſterium, videlicet, introeuntibus ad Dei exactam cognitionem, & amorem ſtatim patere aſini robur, ad omne onus ſubeundum, quia omnia poſſum in eo, qui me confortat; etiam vt prædixi agilitatem ad ea, quæ nobis imperantur, citiſſime abſoluenda. Ea propter cæleſtis Sponſa dixit: In odorem vnguentorum tuorum currimus. Vt enim muſcæ ad vnguenti ſuauitatem decurrunt, & corui ad carnes, quas ſubolent; ita quàm primum recti diligunt te ô Deus, & intrant ad mœnia tuæ Ciuitatis agnoſcuntque quis, qualis, quantuſque ſis, ſtatim leuiores aquilis fiunt ad mandata, & fortiores ſunt etiam tauris, vt omnia propter te ſuſtineant exclamentque: Quid enim mihi aliud eſt in cælo, & à te, quid volui ſuper terram.

Phil 4.

Cant. 1.

Amanti Deũ omnia ſunt facilia.

Pſal. 72.

Inuenietis pullum ligatum. Matthæus *Aſinam* fert *alligatam*; alligantur quidem & *Aſina* & *pullus*. Illa quidem in populo Hebræo Scriptura; is vero in populo Gentili lege naturali; vel ſi mauis vtrumque populum dicito funibus peccatorum opprimi, quouſque venerit Redemptor, qui captiuos è carcere ſoluit, & redemit nos ab omni iniquitate. Verum ſi id damus, quomodo ad Apoſtolos dicitur *inuenietis pullum ligatum*? Nihil obſtat ligatos eos inueniri,

Quid deſignet pullus & Aſina eorũque ligamen.

ſtangerērur obſtaculis; quia obedire oportet magis Deo quàm hominibus: hi enim increduli facillimè cum cernunt ſibi tolli pullũ, hoc eſt luxuriandi libertatem, dicunt multa aduerſus eos, qui id conãtur; blaſphemant vxores ſi vidẽt maritos trahi ad continentiã; mariti verò fremunt aduerſus eos, qui ad caſtitatem inducunt coniuges; & cognati qui amplã ſperabant hæreditatẽ excandeſcunt in ſeruos Dei, quando ad opera pia diuites vſque ad extremam pro Chriſto paupertatẽ hortantur. Egrèferunt quidem homines animales pullũ à domo ſua ſolui, & à ſe alienari, quæ inhoneſtè amabant. Hæc enim ego pullum excogito.

Quid facitis? quod conquerantur pueri, quum illis noxia tolluntur nihil mirũ; quod autem docere præſumant magiſtros ſapientes, atque parentes quis non mirabitur? Ergo obſtupeſcite cæli ſuper hoc. Venit Romanus Pontifex, & vult tollere pullum, hoc eſt græcum hominẽ, quem hæreſis ligat, & inſurgit Capricornus, *quid facitis?* vertit ſe ad occidentem, & vult ſoluere miſerum quem ſeruitus infidelitatis tenet; & exclamat Saxo, & Turingius, *quid facitis?* Itaque ſæculares homines imperiti, apoſtatæ, ſchiſmatici, ac ſimiles ſe audent opponere patri, reprehendere doctrinã, & contemnere monita, ac nihilo ducere pœnas, quibus conantur Pontifices & ſacrorum hominũ concio, pullum ligatũ miſerrimè apud eos liberati dare. Et quid? ſolum ne Heretici dicunt noſtris ſapientibus, *quid facitis?* Proh dolor etiam ex noſtris plurimi, nedũ prædicatoribus, verum etiam Pontificibus, dum eos reprehendunt, & verbis, ac cenſuris conantur illorum pullũ vitijs ligatum ſoluere, audacter obijciunt, *quid facitis?* Præcordia enim

Eccl 33. fatui quaſi rota carri; & quaſi axis verſatilis cogitatus illius. Equus emiſſarius ſic & amicus ſubſannator, ſub omni ſupra ſe ſedenti hinnit fatuus eſt infidelis, qui etſi domum æternitatis, ad quã natus eſt conetur duci, vt rota carri continuo exclamat, egreſert, & armatur aduerſus eum, qui ſe trahit; amicus ſubſanator eſt fidelis, ſed malus, qui vt equus emiſſarius aſſuetus vijs iuxta cor ſuũ hinnit iugiter, & obmurmurat contra Præſulem, qui ei bonum imperat, & non patitur Prædicatorem, qui homini veritatẽ annuntiat. Hæc denique eſt gens, quæ non audiuit

Ier. 7. vocem Domini Dei ſui, nec recepit diſciplinam; perijt fides, & ablata eſt de ore corũ.

Dicite quia Domino neceſſarius eſt. Quoniam ſcriptũ eſt: Homines & iumenta ſal-

Pſal 35. uabis Domine. Homines dico rationales ſpiritus, in quos Spiritus ſanctus diffudit gratiam, & dono, ac dato optimo pater luminũ Deus, vt templa ſua adornat. Iumenta voco corpora, quæ Chriſtus reformare docuit ad ſui exemplar, vt deponẽtes veterem hominem, nouum induceremur, ac cæleſtem.

Neceſſarius eſt igitur *Domino* pullus, quia ſi corpus mortale nõ reformatur, vt ſeruiat ſpiritui, ſpiritus nõ fiet ſaluus, nec Chriſtus qui ſaluare venit, Saluator humani generis acclamabitur. Non enim animarũ tantum eſt ſaluator, ſed & corporum. Illas quidem ſaluat accipiens dona in hominibus; hæc vero iuuans infirmitatem noſtrã, ne paſſionibus ſuccũbamus; nihil enim niſi per Chriſtũ, & nihil nobis donatur, niſi propter Chriſtum, Deo autẽ gratias, qui dedit nobis victoriam per Ieſum Chriſtum Dñm noſtrum. *1. Cor. 2.*

Chriſtus ſaluator animarum & corporum.

Et continuo illum dimittet huc: Itaque Dominus eſt, qui ſoluit, qui dimittit, qui liberat, & qui ligatũ vitijs abſoluit. Domini enim eſt ſalus: Ego ſum, ego ſum Dominus (inquit) & non eſt abſque me Saluator. Ego *Iſai 43.* ſum Dominus, qui facio miſericordiam, & iudicium, & iuſtitiam in terra, & quid ergo *Ier 9* mittuntur Apoſtoli? vt portent nomen Domini, vt in nomine Dñi poſtulent deprecantes, in nomine Domini conpellant Diabolũ dimittere vinctum, & inuocãtes nomen Domini ſuper male habentem, ſanent & ſpirituali benedictione in cæleſtibus repleant. Quid igitur tibi facit miniſter malus (ait Aug. tract. 5. in Ioann.) vbi bonus eſt Dñs. *Aug.* Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. Quare *1. Cor 3.* (ſubdit Greg. Nazianz. oratione in ſacrum baptiſma) noli Concionatoris, aut Baptiſtæ *Nazianz.* dignitatẽ exquirere. Non merita perſonarũ conſideres (proſequitur Ambr. de ijs, qui *Ambr.* myſterij initiantur c. 5.) ſed officia ſacerdotum. Ab horum enim conſideratione ſe abducens Cypr. & alij Epiſcopi, negauit hæreticorum Bapt. aliquid valere, quem Anabaptiſtæ, & pleriq. Hæretici ſunt ſecuti hac in parte, ſed nõ in martyrio, & integra fidei cõfeſſione, per quã maculã contractã abluit, & meruit inter ſanctos referri; quare cõtra ſordiũ ſuſcitatores Trid. Synod. ſeſſ. 7. de ſacramentis in genere Anathema pronuntiat. *Trid.*

In nomine Domini omnia operati ſunt Apoſt.

Error Cypr.

CAPVT QVARTVM.

Et abeuntes inuenerunt pullum ligatum, ante ianuã foris in biuio, & ſoluunt eum.

Minimè ocitanter, ſed ſedulo quod fuerat illis demandatũ, explent; *abeuntes* ergo veloces ad Caſtellũ quàm primum ingreſſi ſunt murum, *inuenerunt* domum, quæ *pullum* conſeruabat *ligatum*, non intra ſtabulum, ſed *ante ianuam* domus, vt *foris in biuio* poſitus quacumq. ex parte poſſet à prætereuntibus inſpectari. Quamobrẽ eo viſo, accedunt, & *ſoluunt* eum inſalutato hoſpite, quod ſupremi Domini, & omnipotentis legatione fungerentur. *Expoſitio.*

Et abeuntes inuenerunt pullum ligatum. Græca lectio habet, *Abierunt autẽ* [illegible] Qua promptitudo connotatur per partici-

pium verò *abeuntes*, concordia animorum, & pax vnanimis, qua iter peregerunt: hæc enim duo in optimo quoque legato, tum maxime in Nuntijs euangelicis deſiderantur; namque velocitate obedientiã, quam profeſſi ſunt, oſtentant; pace autem fidelitatem, quæ ligatos coronat, demonſtrant. Quod autem *abeuntes inuenerint ligatum pullum*; Chriſtum partim cõmendat de certitudine prophetiæ, quam cum reliquis animæ perfectionibus præ conſortibus poſſedit, partim ſecordiam Epiſcoporum, & Sacerdotum reprehendit, qui cum non abeant ad viſendos greges, ſed domibus quadratis habitent, commorentur in villis ſuis, & curent in bonis dies ſuos ducere, neminem *inueniunt ligatum*, omnes putant ſolutos, quum ſæpius ob negligentiam proprij paſtoris, ne dicam mercenarij, plures ſub peccati ligamine detineantur, quàm ſub Chriſti feliciſſima libertate. Propterea ordinatum eſt ſæpius in pluribus Concilijs, eos fore ſolicitos in viſitandis ſubditis, corrigendis, & prædicandis, vt facilius quos inuenirent ligatos ſoluerent, & ad Chriſtum adducerent. Huc ſpectat tota ferme epiſt. 1. Clementis ad fratrem Domini Iacobum.

Officium legati.

In Chriſto donum prophetię.

Ante ianuam. Hanc ſi in bonum accipimus, cum Zacharia Chryſopol. Chriſtũ qui ait: Ego ſum oſtium, poſſumus interpretari; ſi autem in malum; dici poteſt ianua mors, quæ ligato eſt introitus ad perpetuum interitum. Ego hanc potius imaginarer ianuam, tum quod ab ea abducatur pullus ſolutus, tum quod domus illa, ac dominus vim pullo inferret, quẽ iubẽte Chriſto Apoſtoli ſoluerãt. Vicit enim Chriſtus mortem, & eũ, qui mortis habebat Imperiũ ſubiecit.

Zachar. Chryſop. Ioann. 10

Foris. Non intra ſtabulum. Hoc ego excogito infernum, ad quem etſi omnes ob peccatum deputandi eſſent, ſeruati ſunt tamen per Chriſti meritũ, qui redemptionem acceperunt electi; propter quos omnis qui ligatus eſt, *foris* dicitur ſtare, quouſq. audiãt qui commeruerunt ſtabulũ: Ite maledicti in ignem æternũ. Dicuntur quidem non ſtant omnes *foris*, ne videamur aſſentiri his, qui ſuppliciũ inferni damnatis vſque in finem ſæculi denegant, ac iuſtis præmiũ. Ab initio enim lapſus cœpit inferni ſtabulum repleri, nec ceſſat quandiù perditi non reuiuiſcent; ob honorem tamen iuſtorũ, qui ſecundum carnem, & ſimilitudinẽ cognati ſunt malis, *foris* dicitur ſtare omnis homo mendax, & natura irę. Vel etiam ſecundum cogitationẽ eorum, qui etſi ſceleſtè, ac filij Belial *foris* ſe eſſe putant, affirmant, & gloriantur; iis autem qui vere *foris* ſunt, & cum Deo ambulant, improperãt: Vbi eſt Deus tuus? Dæmonium habes: Hic homo, non eſt ex Deo, ac ſimilibus iuſtum, & ſanctum conturbant.

Matth. 25.

Error quorundam.

Pſal 41. Ioann 8. Ioann. 9.

In biuio. Biuium eſt, quod duas habet vias, ſicut triuium, quadriuium, quibus tres, quatuorvè viæ inſunt. Eſt autem *in biuio* omnis ligatus funibus peccatorũ dum viuit, quod adhuc poſſit bonum, vel malum operari: libertatẽ enim non deſtruit culpa, ſicut nec gratia; tametſi vt hæc eam perficit, ita illa attenuet libertatis facultatẽ, vt nequeat facilè, niſi ab alto præuentus multipliciter reſurgere, qui lapſus iacet; poteſt nihilominus (vt Clem. epiſt. 3. ad Iacob. fratrem Dñi ſcribit) audire dicentem, agnoſcere quæ ei enarrantur bona, quibus ſi animus aſſenſus fuerit, iuuatur cælitus, vt clamet: Dñe ſaluũ me fac: Conuerte me Dñe & conuertar: Auxilium meum à Dño: Deus in nomine tuo ſaluum me fac, ac ſimilia, quæ animi libertas aſſentiri occipiens eructat, medicum interpellans, ac medicinam quærens vulneri. Abeat ergo Lutherus, qui poſt peccatum dicit libertatem tantũ tractari ſecundum nomen, non quod in homine aliquid ex ea remanet. Alias ſæpe improbabimus Hæreticum hominem. Haud quamq. (vt vnius Eliæ Cretenſis teſtimonio in orationem 4. Greg. Naz. aduer. Iul. vtar) inſitũ eſt homini, vt peccet, quemadmodum ignis hoc habet, vt ſurſum, lapis vt deorſum feratur; verum in ipſius arbitrio potius, animiq. inductione poſitum eſt, vt diuina gratia adiutus, in bono maneat, & proficiat, itemque vt à bono deflectet, atque in malo hæreat, Deo nimirum ob arbitrij libertatem id permittere. Neque enim virtutis nomen obtinere poteſt; quod per vim efficitur. Rectè igitur *in biuio* (excludit Zacharias Chryſop.) quia non vnam fidei viam tenebat, ſed dubios calles erroneus ſequebatur. *In biuio* ſtabat, qui in libertate arbitrij inter mortem, & vitam dubitabat.

Clement.

Pſal 12.

Pſal. 53.

Elias Cret. Greg Naz.

Et ſoluunt eum. Non vnus *ſoluit*, ſed ambo *ſoluunt*, vt in omni abſolutione, quæ per ſacerdotem fit, duos agnoſcamus *ſoluentes*, ac duas poteſtates, quibus à peccatis homo liberatur; videlicet ordinis ſacerdotalis, & iuriſdictionis. Sacerdos enim ſolus abſque iuriſdictione nihil agit; & qui iuriſdictionem ante ordinẽ ſacerdotij aſſequitur, ſiue Epiſcopus electus fuerit, ſiue ſacris alijs initiatus beneficiũ abſolutionis ſacramentalis nequit per ſeipſum conferre. Sacerdotij ergo dignitas, & iuriſdictio coniuncta ſoluunt reum. Ita vt in abſoluente, non tàm miniſter homo, qui verè abſoluit; quàm Chriſtus ipſe, cuius gerit vices, abſoluens conſideretur. Abſoluit ſacerdos vt miniſter, Chriſtus, vt Redemptor, & Saluator ipſe. Hoc tamen inter Chriſtum, & eius miniſtrũ intereſt, quod is abſque Chriſto nihil agat; Chriſtus autẽ ſe ſolo poteſt dicere cui voluerit: Remittuntur tibi peccata tua. Non enim ſacramentorum auctor, ac legum potentiam ſuam ſacramentis alligauit, neque miniſtris. Quoniam (inquit) data eſt mihi omnis poteſtas, in cælo, & in terra.

Ad abſolutionem requiritur poteſtas ordinis & iuriſdictionis.

Tam Chriſtus quam ſacerdos abſoluit.

Luc. 5

Matth. 18.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT QVINTVM.

Et quidam de illic ſtantibus, dicebant illis: Quid facitis ſoluentes pullum?

Expoſitio.

QVemadmodum in ligato pullo veritatem oraculorum Chriſti agnouerunt Apoſtoli; ita & in reliquis decebat veracem credere magiſtrum. Quare cum exportare ſecum vellent pullum, accedunt ad eos *quidam* ex domeſticis, & familiaribus patroni, qui illic ſtabant ocioſi foris in biuio,& *dicebant illis*,haud parum inflammati ad iram, ac ſi in latrones ſæuire armarentur. *Quid facitis* ò peregrini, & aduenæ homines, *ſoluentes* temerè *pullum*, qui ad vos non pertinet, & nullius facultate poſtulato vobiſcum alio tranſportantes? illicitum enim agitis & dignũ animaduerſione.

Et quidam de illic ſtantibus. Vel vt habet codex græcus;*illic ſtantium* ἐκεῖ ἑστώτων qua lectione inſinuatur *illic* ex propoſito ſtare quoſdam in cuſtodiam pulli: Vulgata, occaſione alia *illic* ſtare, vt frequenter in biuijs accidit. Et quidem vtrumque in ſpirituali myſterio admittimus. Nam quem Sathan ſemel ligauerit,peculiaribus dæmonibus illum cõmittit, vt curam eius gerãt, ne valeant vnquam diſſolui,ſintque impedimento prædicatoribus, confeſſoribus, & perſonis alijs ſpiritualibus,ne fructum ſpiritualem impertiantur illis: nonnunquam ligatum ſociantur peſſimis hominibus; qui ad deteriora eum prouocent, & à via recta deuient.Quod ſi his vim faciant ſacri homines, & vrgeatur adiutorio Dei ligati ſolutio,*quidam* de *illic ſtantibus* dæmonibus ad alia nefanda opem ferre deputatis vtuntur, vt in caſtris accidit, quando acies vna debilitatur,alia currit ne hoſtis prædam ferat, ne propugnaculũ adintret,neque victoriam de commilitonibus reportet. Sed & hoc ſtudium malignum ineſſe ſceleratis paſſim videmus;vt qui ex patre diabolo ſint. Nam quem ab eorum vitijs rapi ad virtutẽ cernunt,mira ſolicitudine non tàm domeſtici, quàm externi, quorum eſt par vitium,retinere conantur,& abigere eos,qui pietatem impijs perſuadent. Anima enim nequam diſperdet,qui ſe habet,& in gaudium inimicis dat illum, & deducet in ſortem impiorum,niſi manus omnipotentis iuuerit eum, qui ſe vrſo, leoni, ac beſtiæ agri ſimili credidit, & ducit ſodalitatem inter homines peſtilentes.

Actus dæmonum in peruertendis hominibus.

Eccl. 6

Dicebant illis. Sed quid plures dicunt, cum Chriſtus vnum fore oppoſitorem inſinuauerit?Nihil obſtat veritati. Vnum enim Chriſtus ducem militiæ peſſimæ,& Sataniçę inſinuauit dicens: *Si quis vobis dixerit*:qui tamen oppugnamur, aduerſus plures Principes,& poteſtates tenebrarum agimus;inſuper & domeſticos in pijs operibus hoſtes experimur. Quotquot tamen viam libertatis chriſtianæ impediunt vnius Luciferi iuſſa complent,ipſe eſt Rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ, qui iniquè agunt contra Dominum conantes vel detinere animã in vitijs, vel inducere ne ad Deum reducatur.

Quid facitis ſoluentes pullum? de ſolutione tamen conqueruntur non de exportatione: nam vt in ligamine totum imperium dæmonũ conſiſtit,ita in ſolutione deperditur. Quo fit vt viribus incumbant totis ne diſſoluatur ligatum, vt aucupes prædam;nam ſolutum retinere per vim nequit, ne ad Chriſtum properet. Hinc Pſaltes: Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus, Adiutorium noſtrum in nomine Domini, qui fecit cælum,& terram. Pſal. 123

CAPVT SEXTVM.

Qui dixerunt eis, ſicut præceperat illis Ieſus: & dimiſerunt eis.

Expoſitio.

ADeo ſoliciti ſunt in complendis Chriſti mandatis,vt nec verbum prætereãt optimi diſcipuli. Vnde repugnantes quum inſpexiſſent illic ſtantes,*dixerunt* cum magna fiducia *eis*, quemadmodum abeuntibus *illis præceperat Ieſus*, penes quem dominiũ cunctorũ reſidet. Illi ergo auditis quæ ex parte veri domini ad eos dicta ſunt, obmutuerunt,miſſaq.omni ferocitate *dimiſerunt* Apoſtolis ſoluere pullum, & aſportare.

Qui dixerunt eis. Vim vi repellunt, & factis abigunt hoſtes, qui ſuper poſſeſſione temporalium contendunt, & ab ijs ad ſe mundialia, & terrena ſatagunt trahere: at qui ſpiritualibus occupantur lucris, arma deponunt, non comminantur, neque ſpem ponunt brachium;ſed nomen Domini; ſicut ſcriptum eſt: Hi in curribus & hi in equis, nos autem in nomine Dei noſtri inuocabimus. Ipſi obligati ſunt, & ceciderunt; nos autẽ ſurreximus,& erecti ſumus. Hoc enim nomen confortat ad omnia dicentẽ,& eum qui aduerſatur conſternit, & fugat etiam decem millia, hoc eſt vniuerſas nequitias ſpiritales. Proinde acclamatur ei: Magnus es tu, & magnum nomen tuum in fortitudine. Hoc ergo dixerunt Apoſtoli hoſtibus & victores euaſerunt; & hoc qui inuocauerit ſaluus erit ab ijs,qui opus bonum impedire feſtinant.

Pſal. 19.

Nomen Domini vincit hoſtes.

Ier. 10

Sicut præceperat illis Ieſus. Ergo præceptum eſt,nõ tàm conſiliũ Eccleſiaſticis viris, & qui Apoſtolos ſequuntur, non litigare, non bellare, non excandeſcere, neque fremere in eos,qui perſequũtur,neq.malũ pro malo reddere;ſed ſperare in Nomine Dñi & ad eum omnem vindictam remittere,immo vero nulla expetita,orare: Dimitte eis,quia neſciunt quid faciunt; & benefacere, vt Luc 23

Matth. 4. ſitis (dicebat veritas) filij patris veſtri perfecti, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos. *Ibidem.* Ergo apertius intonans, & altius quandoque eructauit: Audiſtis, quia dictum eſt Antiquis diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum? Ego autem dico vobis diligite inimicos veſtros, benefacite iis, qui oderunt vos, orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos. Quia, inquit, niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum, & Phariſæorum non intrabitis in Regnum cælorum. Hæc eſt iuſtitia plena, quæ nobis, & alija velle, ac nolle perficit.

Et dimiſerunt eis. Vide quod ſigna eis, hoc loco dixerit (ait Theophylactus) *Theoph.* Dixit eis, inuenietis pullum; dixit prohibendum & deinde cum dicerent, Dominus illo opus habet, dixit dimittendum. Neutique enim hoc parum fuiſſet Apoſtolis permitti, vt abducant pullum, niſi diuina, quædam virtus Dominos pulli adegiſſet, præſertim pauperes, & agricolas fortaſſis; quorſum autem tot ſigna voluerit Chriſtus Apoſtolis dare, ſuperius dictum eſt. Verum cur abſque ſignis libertatem noluerit humano generi conferre, aperiamus; ſi tamen vniuerſa, quæ ab Adam vſque ad Chriſtum præceſſerint, in figuram huiuſce libertatis cum Paulo, ac reliquis ortodoxis præſtituerimus. *Cur miracula à Christo facta in redemptionis opere.* Eo enim ſtatuto, facillimum eſt propoſiti rationem tradere; videlicet vt non hominem, ſed Deum fore redemptorem ex ſignis crederent, nedum Achaz, ſed omnes, etiam exteri, qui his animum applicarent, cogerentur dicere: Digitus Dei eſt hic; aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina deſtruitur. Secundo vt naturæ noſtræ ruditatem argueremus, quam tot, tantiſque ſignis oportuit in omni lege erudiri; immo verò increpemus aſſidue, vt qui adhuc tàm claris teſtimonijs vix credamus liberatorem noſtrum Dominum, ac Deum eſſe. Ac tertio vt ad magnam repromiſſionem poſt libertatem ſubleuemur ex ſignis. Nam ſi veritas in immenſum excedit ſignum, vt viuus homo picturam; profectò qui omnem regionem cæleſtem, & elementarem, necnon ſanctos homines, atque Angelos in ſignum tanti beneficij præmiſit, & mundo mandauit; aliud multo his omnibus excellentius libertate, redemptione & perfecta ſolutione donabit. Et quidem fecit, vtpotè proprium filium Deum de Deo: vnde dicat redemptus, & liberatus: Quod dedit mihi pater maius omnibus eſt. Excedit enim omnia Chriſtus, quẽ redemptus à Domino accipit in hæreditatem æternam, & immarceſcibilem; cum quo, & in quo ſunt omnia altiori modo, quàm in ſeipſis. Quia quod factum eſt, deponit Euangeliſta, *Ioann. 1.* in ipſo vita erat; ea, inquam, qua Deus ipſe

CAPVT SEPTIMVM.

Et duxerunt pullum ad Ieſum: Et imponunt illi veſtimenta ſua, & ſedit ſuper eum.

ACcepta itaque libertate ſoluendi *pullum*, ac ſolutum *duxerunt* illum gaudentes *ad Ieſum*; & inſpirati virtute ex alto, ac moti diuinitus, *imponunt illi* iumento *veſtimenta* propria, quibus induebantur, ne ſuper nudum animal equitaret magiſter. *Expoſitio.* Etenim is *ſedit* non ſine myſterio *ſuper eũ*, qui nunc ſedit ſuper cælum cæli ad orientem in dextera patris.

Et duxerunt pullum ad Ieſum. Hoc eſt enim proprium officium, vt diximus, Apoſtolorum *ad Ieſum* pertrahere ligatos, præſertim laudem merentur, quando *pullum* deferunt, quando à pueritia hominem erudiunt magiſtri veritatis, vt in illa tenera ætate ſeruiat Dño, *Ieſum* complectatur, & aliorũ declinans luxus, virtutis callem proſequatur. *Thren. 3* Vt enim bonũ eſt viro cum portauerit iugum ab adoleſcentia ſua; ita laudabile eſt præceptoribus, qui hiſce documentis puerum informant, vt ad virũ perfectũ ſpiret in ætate imperfecta, vt Thimoth. ſub Paulo, ſub Clemente Alex. Origenes, ſub Alexandro Athanaſius, atque alij ſub alijs, quibus datum eſt iuuentutem perpulchrè erudire in diſciplina vera, & timore Domini, quam laudem mox promerentur Patres ſocietatis Ieſu, vt olim Benedictini, & ante eos Baſiliani, Pacomiani, & pleriq. collegiorum inſtitutores, qui à temporibus Apoſtolorum in varijs mundi partibus floruere. *Patres ſocietatis ab inſtitutione iuuentutis laudantur.*

Et imponunt illi veſtimenta ſua. Hoc eſt omnem ex virtute decorem, ait Theophyl. & Zachar. Chryſop. *Theoph & Zachar. Chryſ.* Veſtes Apoſtolorũ ſunt præcepta diuina, & gratia ſpiritualis, quibus turpitudo noſtrę carnis tegitur. Vel ſecundũ Gloſſ. eccleſiaſticorum dogmatũ varietas, quibus hominũ corda, nuda ante & frigida, quo Chriſto ſeſſore fiant digna, operiunt. Ego nihil horum dicerem, enam iſta non Apoſtolorum, nec alterius ſunt veſtimenta, quàm Chriſti, *Gloſſ.* qui caput eſt ſupra omnem Eccleſiam, quem Deus vnxit Spiritu ſancto, in cuius labijs gratia diffuſa eſt, & omnis plenitudo ſpiritualium vnguentorum, & donorum in eo, vt in proprio, ac primo ſubiecto requieſcunt; de cuius plenitudine nos omnes accepimus, & participamus ſemper, qui ſolus primam gratiam, virtutem, & ſanctitudinem meruit. *Veſtimenta* ergo Apoſtolorum, quæ illis ſunt propria dicerem meritum eorum, *Veſtimenta deſignant meritum.* per quod conati ſunt infidelitatem perdere; & infideles diſponere ad Chriſtum, cura, ſolicitudine, ieiunijs, obſecrationibus, & dira abſtinentia, quibus de cõgruo, vt pleriq. affirmant, primam gratiam, & conuerſionem, quis alteri prome-

promeretur. Hoc enim etſi à gratia pendeat, noſtrum dicitur, quod per libertatem noſtram operetur, & vt noſtrum Deus illud præmiat.

Et ſedit ſuper eum. Hoc eſt, pullum, non ſuper veſtimenta: nam etſi merita Sanctorum ſint peccatoribus diſpoſitiones, vt Deum habeant propitium, & conuertantur; Dei voluntate mera ſaluantur, & per Chriſtum abſolutè redimuntur; adeo vt nullis

Salus noſtra Chriſto attribuenda.

meritis à Chriſto fundetur ſalus noſtra, nec poſſit alteri primo, quàm voluntati, & electioni Dei aſcribi. Non enim propter alicuius merita, aliquem prædeſtinat, ſed

Pſal. 17.

ſaluum me fecit quoniam voluit me. Quid ergo meritum? Si præuiſum eſt in electo inter effectus prędeſtinationis computatur. Si præmiſſum in vno pro altero, vt in Stephano pro Paulo, eſt, vt dici ſolet, cauſa accidentalis, qua impedimenta videntur

Merita Sanctorum cauſa per accidens ſaluationis aliorũ

aliqualiter tolli: at forma minimè per eam introducitur, vt ventus qui confert ad nubes diſſoluendas, at aerem ſol illuminat. Ita meritum Sanctorum facit, vt peccator minus impugnetur à Dæmonibus, conſequenter ne fiat præceps ad vitia, vt prius, nec eum tanta peccatorum caligo obumbret, demumque fiat pronior ad verum, bonumque appetat. Vide longius de ijs diſſerentem Vegam lib. de iuſtificatione impij.

CAPVT OCTAVVM.

Multi autem veſtimenta ſua ſtrauerunt in via; alij autem frondes cędebant de arboribus, & ſternebant in via.

Expoſitio.

NOn tàm ſuper Apoſtolos facta eſt manus Domini, quàm ſuper reliquos ſpiramen altiſſimi diffuſum eſt, vt nec minus quàm Apoſtoli Chriſto obſequerentur. Nam *multi* ex ijs, qui ob Lazari ſuſcitationem, & miracula alia, ad Chriſtum conuenerant, *veſtimenta ſua* tulerunt, eaque *ſtrauerunt in uia: Alij autem* qui agiliores erant, aſcendentes ad preminentes palmas, oliuas pulchras, & lauros fragrantes, atque cypreſſos, *frondes*, ac ramos *cędebant de arboribus*, & vt honorem Chriſto deferrent, *ſternebant* diligenter *in uia*, per quam Chriſtus equitaret.

Multi autem. Primum Apoſtoli, poſt, *multi* exemplum ſequuti Apoſtolorum, afferre Domino gloriam, & honorem contenderunt: multitudo quippe iſta populorum concurſum ſignificat, qui exemplo Apoſtolicorum, vt potè Epiſcoporum, & cleri, ad cultum verum, & Religionis optimæ diſciplinam excitatur, vt grex ad optima páſcua minante, ac præcedente paſtore. Etenim paſtores ſunt animarum, qui Apoſtolis ſucceſſere Epiſcopi, vt multitudinem, iuxtà cor Dei alant ſcientia, quæ mores vniuerſorum componat, quibus libenter populus veſcitur, quando ea à Præſule prægustari cernit.

Veſtimenta ſua ſtrauerunt in uia. Via, per quam Chriſtus Hieroſolymam triumphaturus aſcendit, hæc eſt in primis pulchritudo iuſtitiæ, quam vt caſtaneam ſpinis, ita tribulationibus, & anguſtijs circundedit à iuuentute; in hac igitur *veſtimenta ſtrauerunt*, qui ſe totos vitæ ſanctimoniæ, & ſanctis laboribus ſeipſos conſecrant. Quia, qui ſeminant in lachrymis in exultatione metent. Intrate ergo per anguſtam portam. Non enim eſt ſeruus maior Domino ſuo. Igitur dixit ille. Voluntariè ſacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo; quoniam bonum eſt. Immo verò optimum, & glorioſum ſequi dominum *in via* de torrente bibentem: *In via* non contradicentem, quando percutiebatur, nec maledicentem eum malediceretur, ſed patienter cuncta tollerantem, vt cum immitibus qui pacem deteſtantur pacificus eſſet, ac demum *in via* ambulantem in latitudine ſemper cum Deo ſuo, quoniam à dextris eſt, inquit, mihi, ne commouear. Qui ſic *in via* ſequitur Dominum, *veſtimenta ſternit ſua*, corporis affectus conformans exercitijs Chriſti, animi verò facultates, quantum patitur ſtatus, ſpiritualizans, & Deo coniungens. Cæterum ſternamus, & nos *veſtimenta* noſtra (ait Theophylactus) hoc eſt carnem: veſtis enim animæ caro, quam ſubijciamus Domino, & ſternamus viam vitæ noſtræ. Sed vide (notat Zacharias) quoniam ſuper iumentum poſuerunt Apoſtoli *veſtimenta ſua*; ſub pedibus iumenti cæteri: mandatis enim Apoſtolorum ſternuntur Chriſtiani, & adornantur: legis autem mandata conculcantur, ideſt, circumciſio, & cæteræ conſuetudines iudaicæ. *Veſtimenta* autem Turbæ ſunt legis mandata *in via*, ideſt, in Chriſto, à Chriſtianis conculcata. Turbæ autem, quæ *veſtimenta ſua ſternebant in via*, credentes ſunt ex circumciſione, qui videntes, & agnoſcentes Chriſtum, gloriam, quam habebant ex lege, deiecerunt in terram, ſeipſos humiliantes, & cum Apoſtolo dicentes: Quæ mihi fuerunt lucra, hæc exiſtimaui propter Chriſtum detrimenta, & arbitror ſtercora eſſe, vt Chriſtum lucrifaciam. Poſſumus & per Turbam chriſtianã plebem intelligere; quæ aſino Apoſtolorum veſtibus ornato, ſuper quem Chriſtus equitat, *veſtimenta* ſubijcit, hoc eſt cæremonialibus, quæ Apoſtoli probarunt, & inſtituerunt, obſequium præſtat. Per aſinum enim, & aſinam iſta ſolent interpretari, quæ etſi abrogata ſint, vt à Moyſe tradita, vim habent illa, quæ ab

Pſal. 125. *Matth. 7* *Ioann. 13.* *Pſal. 53.* *Pſal 109* *Pſal. 15* *Theoph.* *Zachar.* *Philip. 3.*

Apoſtolis inſtituta fuere ad honorem diuini cultus: ac propterea diligenter obſeruari oportet, quoties occurrunt ſiue in adminiſtrandis ſacramentis, ſiue in reliquis, quæ ad religionem faciunt, & demandantur.

Alij autem frondes cædebãt de arboribus. Hoc ad honorem ſolius Dei tantum in Scenophegia, in expurgatione arcis, ac templi,
Arias Mõt. legimus factum. Vnde ſcribit Arias Montanus in hunc locum; Cæremonia erat eorum, qui Regem aliquem ſuſciperent. Ramorum ſtramen, publicam lætitiam, & feſtum diem ſignificabat more antiquo. Nam per dies expiationis, & tabernaculorum feſto, ſinguli ramos myrthi, ſalicis, palmæque cum citro geſtabant, ſalutis auctorem Deum huiuſmodi voce Hoſiagna appellantes; vt eſt in lib. Miſnaioch, &
Tit. Liu. Aruch. Refert quoque Titus Liuius decad. 1. lib. 10. in fine, conſueuiſſe Græcos milites in triumphis palmarum ramos in ſignum victoriæ deferre; quem morem Romani ad ſe tranſtulerunt. Palmam autem vnam, ex ijs arboribus fuiſſe deponit alius Euangeliſta. Et Cyrillus Hieroſoly-
Cyrill. mitanus cathe. 10. eam per multa ſæcula diuinitus perſtitiſſe poſt Veſpaſiani, & Titi excidium, quo & hominibus, & arboribus regio depopulata eſt. Palma (inquit Cyrillus) quæ eſt in Pharinge teſtatur, ramos exhibens his, qui tunc benedicebant. Eſt palma victoriæ, & ipſa eadem victoria
Pſal 3 Deus; quia gloria mea, & exaltans caput
Cant. 7. meum: Aſcendam ergo ad palmam (dicebat, illa) & apprehendam fructum eius, & fructus eius dulcis gutturi meo. Hoc tamen conceditur comprehenſori; viatori tantum fas eſt ramos, & elatas palmarum cædere, hoc eſt, Dei cognitiones, atque myſteria perſcrutari, inquirere, & addiſcere, iiſque Chriſtum magnificare, qui illa
Beda. hominibus manifeſtauit. Subinde Bedæ Gloſſa habet; *frondes*, vel ramos de arboribus *cædunt*, qui in doctrina veritatis, verba, & ſententias patrum de eorum excerpunt libris. Et hæc in via Dei ad animum auditoris venientis humili prædicatione ſubmittunt. Et Hier. Iuſti, vt
Hier. palma florebunt: anguſti in radicibus, lati in floribus, & fructibus, quoniam bonus odor Chriſti ſunt, & ſternunt viam mandatorum Dei bona fama. Qui autem
Zachar. (proſequitur Zacharias) ramos de arboribus cædebant, ſunt credentes, & eruditi Doctores, qui ex Prophetis accipientes exempla, quaſi de arboribus ramos ante gentilem populum *ſtrauerunt in via*, id eſt in Chriſto, vt ſine offendiculo intraret in ſanctuarium Dei. Sumus præterea (ſecun-
Theoph. dum Theophyl.) deputantes, & incidentes ab arboribus ramos, cum ſanctorum vitas imitamur; Arbores (inquit) ſunt ſancti, à quibus ramos ſecant, qui illorum imitantur virtutem.

Et ſternebant in via. Quemadmodum & *veſtimenta*. Quoniam omnia ſubieciſti ſub pedibus eius, acclamatur Chriſto. Ve- *Pſal 8*
ſtimentorum nomine intelligere poſſumus omnia naturalia, quæ nobiſcum, vt *veſtimenta* eſſe videntur. Rami ab alto præciſi ſupernaturalia ſignificant. Ergo quia vtraq. à patre ſunt luminum per Chriſtum operatorem, ante eum ſtatuuntur, vt illi, qui coronas ante agnum. Non enim corona tantum, quæ ad beatitudinem ſupernaturalem facit, tanto auctori debetur, verum etiam quæ rationalem ſpiritum naturali beatitudine dignificant. Quid enim habes, quod *1. Cor. 4.*
non accepiſti? Ergo reddite quæ ſunt Dei *Matth. 22.*
Deo. Sed quænam? omnia ornamenta, & bullas, quibus colla regalium camelorum *Iud. 8.*
decorari ſolent. Bullas dico naturalia, ornamenta verò ſupernaturalia, quibus Cameli regij, hoc eſt, ſancti decorantur.

CAPVT NONVM.

Et qui præibant, & qui ſequebantur clamabant dicentes: Hoſanna, benedictus, qui venis in nomine Domini.

VT hiſce externis Chriſtum glorificare conabantur, ita & verbis, qualis eſſet *Expoſitio.*
triumphator, quamq. iure vniuerſa honorifica illi deberentur, palam teſtantur. Etenim, *qui* ad triumphum *præibant, & qui ſequebantur* triumphatorem, laudem, gloriam & benedictionem *clamabant* alta voce *dicentes: Hoſanna* Saluator ſalua nos; *benedictus* in æternum, & vltra ab omni creatura, *qui* ad nos *venit in nomine Domini*, vt nomen Domini manifeſtaret hominibus, ac Dominum ipſum nobis conciliaret.

Et qui præibant, & qui ſequebantur: In græco legimus. *Et preeuntes, & ſequentes.* καὶ οἱ προάγοντες καὶ οἱ ἀκολουθοῦντες. Ac ſi ſimul & eſſent, & clamarent omnes. Quod ad litteram ſic contingit, minimè autem quoad ſignatum. Numquam ſimul tempore eodem omnes homines extitere, qui ſequentia Chriſto acclamarent; niſi in verbo, in quo præeuntes incarnationis myſterium, & ſequentes ſimul clamabant gemitibus inenarrabilibus, & ſalutem, ac Saluatorem depoſcebant, & ibidem datum glorificabant. Extra hanc verbi conſiderationem, nunquã gentes omnes vno in tempore conuenere, in quo ſimul, & quæ redemptorem ſalutarent. Vnde tàm primi, quàm poſtremi ſuo peculari relatiuo connotantur; *& qui præibant, et qui ſequebantur*, & per relatiuũ animaduerteremus acclamationem hanc, tametſi vnam ad tempora referendã, in quibus ſalus cuiq. cõtingit. Vnũ eſt itaq. nomen

in quo

Digitized by Google

Act. 4. in quo oporteat omnes ſaluos fieri;& vnum
eſt caput ſuper omnem Eccleſiam datum,
Coloſſ. 1. non tamen ſimul, neque eodem in tempore
ſibimet caput hoc ponunt, ſed quiuis in
tempore ſuo, & illud agnoſcit Eccleſia,
quando eſſe contingit,& formari; poſtquam
autem, & ipſe auctor ſubiecerit ſibi omnia,
regnumque tradiderit Deo, & patri,omnes
gentes ſimul plaudent manibus, & eodem
in tempore iubilabit omnis terra; quoniam
(inquient) confirmata eſt ſuper nos miſeri-
Psal. 116. cordia eius, & veritas Domini manet in
Psal. 9. æternum. Dominus regnauit decorem in-
Psal. 2. dutus eſt, indutus eſt Dominus fortitudi-
nem,& præcinxit ſe. Præter populos,& ſta-
tus Eccleſiarum, quibus præeuntes, & ſe-
quentes deſignantur, vt dictum eſt apud
Matth. opera ſingulorum ſtatuamus, quæ
tunc plenè glorificant Deum, cum præce-
dentia ſequentibus conſonant, & bona ſem-
per tàm in fine, quàm in principio opera-
Psal 103 mur; vt in vnoquoque impleatur: Exibit
homo ad opus ſuum, & ad operationem
Prou. 13. ſuam vſque ad veſperam. Anima enim ſic
operantium impinguabitur. Quoniam
complebit opus ſuum die ſeptimo, vt re-
Gen. 2. quieſcat cum Deo ſuo ab omni opere, quod
Theophyl. patrarat viuens. Ergo concludit Theophy-
lactus opera noſtra, & quæ præcedunt, &
quæ ſequuntur ſint in gloriam Dei. Sunt
enim qui vitam honeſtam principio præ ſe
ferunt, quorum vitam ſubſequens longè
diſſimilis eſt; non enim in gloriam Dei, ſed
Eccl. 10. propriã. At inquit oraculũ: Melior eſt, qui
operatur,& abũdat in omnibus,quã qui glo
riatur,& eget pane. Is eſt,qui benè incœpiſſe
ſat ducit,aut bonus videri,non eſſe tamen.

Clamabant dicentes. *Clamabant* enim
& alij tacentes,vtpotè Angeli, qui ſpiritua-
li clamore, & laude Dominum gloriæ, &
Saluatorem proclamant Chriſtum, vbi le-
Psal 23. gimus: Dominus fortis,& potens; Dominus
potens in prælio. Vt enim aſtra matutina
ſoli egredienti gratulantur; caſtra Dei ob-
uiant verò Iacob, & ſolium eius, qui pluſ-
quam Salomon eſt, circundant fortiſſimi
Iſrael, & ſalutant non iam Iacob, ſed Iſrael,
Eucherius. hoc eſt princeps cum Deo, vt Eucherius in
Gen. lib. 3. cap. 33. cenſet interpretandum
nomen: Nam & Princeps pacis æternæ,
quod cum Deo coniunctus ſit, qui redemit
nos, & ſaluauit. Spirituali itaque clamore,
& laude Angeli noſtrum Chriſtum proſe-
quuntur; at mortales, vt à principio *cla-
mabant dicentes*, ſic iugiter declamamus:
hoc eſt verbis certis, & oratione externa,
atque compoſita redemptionem,ac redem-
Psal 29. ptorem publicè profitemur; vt: Exaltabo
Psal 41. te Domine, quoniam ſuſcepiſti me. Apud
me oratio Deo vitæ meæ: Dicam Deo ſu-
Psal. 39. ſceptor meus es. Beatus vir, cuius eſt no-
men Domini ſpes eius, & non reſpexit in
vanitates, & inſanias falſas. Ac ſimilibus
conſueuit humanum genus fidem Redem-
ptoris noſtri Dei, & Chriſti clara voce pro-
teſtari, proteſtamurque nos quoties horis
ab Eccleſia ſtatutis, eadem decantamus.
Quod cum laudatiſſimum opus ſit,tantum
abeſt à calumnia (vt olim Iulianus apoſta-
ta, & mox Lutherus calumniatur) vt illud
præueniant principes cæleſtes, coniuncti
pſallentibus in vnum; ille verò,cui decan-
tantur, perpetuam largitur remuneratio-
nem, & ad noua,iucundioraque cantica in-
troducit. Iuxtà illud: Et ſtatuit ſupra pe- *Ibid.*
tram pedes meos,& direxit greſſus meos;&
immiſit in os meum canticum nouum car-
men Deo noſtro.

Hoſanna. De huiuſmodi voce habes
apud Matth. iuxtà communiorem ſenten-
tiam; quid tamen peculiare de ea tradit
Caninius de locis Noui Teſtamenti libet *Caninius.*
aduertere (ait) enim *Hoſanna* ſignificare
ramos ſalicum. Vnde benè conueniunt ſe-
quentia, *filio Dauid*; ac ſi dicerent; rami
ſalicum filio Dauid. Si *Hoſanna*, ideſt ſal-
uifica interpretetur, vt reliqui volunt, quæ
ſequuntur *filio Dauid* minimè præceden-
tibus quadrant, niſi ſubintelligatur præpo-
ſitio in, vt ſit ſenſus, ſaluifica nos in *filio
Dauid*; ſaluat enim Deus præeuntes,ſed in
Chriſto, in quo eſt ſalus vita, & reſurre-
ctio noſtra, per quem ſaluari, & liberari
ſumus. Quicquid vox iſta ſignificet,eſt ſem-
per inquit Arias Montanus, gratulantium, *Arias Mon-*
Deo vox,& diuinam virtutem agnoſcentiũ, *tanus.*
eamque in ſe certam,perpetuamque poſtu-
lantium. Quod quidem honoris genus (no-
tat Cæſar Annalium 34. ann. Chriſti ex præ- *Baronius.*
dicto Caninio) non niſi Deo impartiri con-
ſueuiſſe, inde facilè eſt cognoſcere, quod ea
Sacerdotum, & Scribarum obiectio Chriſto
tunc temporis facta eſt in hunc modum:
Audis quod iſti dicunt? quaſi ipſum argue-
rent, quod honor Deo exhiberi ſolitus, ipſi
videatur attributus.

Benedictus, qui venit in nomine Domini. *Tranſlatio*
Syriaca tranſlatio habet. *Benedictus ille*; *Syriaca.*
vt cum notet ſingularem, & ſingulari bene-
dictione *benedictum*, & vnica, atque vnicè;
ita quod nullus,nec Angelus, nec homo, ſic
benedictus acclamari poſſit; nec valet quiſ-
quam,niſi per hunc benedici. Eſt enim ille
benedictus Dominus ex Sion, qui habitat
in Ieruſalem, cuius nomen, & eloquium *be-
nedictum*, & totus ipſe *benedictus* ex Sion,
hoc eſt, ſpecula, & ſpeculatore Deo, & Pa-
tre, qui in eum, vt vnicè dilectum natum
ſibi complacuit, & omnem transfudit be-
nedictionem, vt vnguentum, quod deſcen-
dit in capite, inde verò ad ea, quæ cognata
ſunt capiti,& coniunctiora emanat. Eſt enim
ipſe, qui in Ieruſalem cæleſti, & militari,
habitat caput, vt inquit Paulus ſuper Ec- *Coloſſ. 1.*
cleſiam. Ipſe ſiquidem eſt ſumma (inquit
Cyrillus Alexand. lib. de recta in Chriſtum *Cyrillus.*
fide)

Digitized by Google

fide) & caput ſalutis omnium, oſtiumque, & fidei via, eiuſdem eſt confeſſio: per ipſum namque, & in ipſo, ipſe quoque pater à nobis dignoſcitur. Pro, *qui venit* habet græcus textus *veniens*, ὁ ἐρχόμενος. Vt modum aduentus Chriſti longè differentem à reliquis agnoſcamus; reliqui enim ſiue Patriarchæ, ſiue Prophetæ, ſiue Reges, ſiue etiam Angeli, ſic veniunt miſſi ad vnum, aut alterum miniſterium, vt non ſint continuo *venientes*, ſed citò veniant, & opus finiant. Chriſtus ſicut exijt ſeminans ſeminare ſemen ſuum, & ſeminat vſque in finem; ſic *venit veniens*, ſaluare ouem, quæ perijt ab initio, vſque in ſæculum. Ita vt ſit ſemper *veniens*, & ad quemque noſtrum quotidie *veniat*, & habitet nobiſcum vſque ad conſummationem ſæculi.

Luc. 8.

CAPVT DECIMVM.

Benedictum, *quod venit regnum patris noſtri Dauid: Hoſanna in excelſis.*

Expoſitio.

RVrſus acclamant vnanimiter omnes, *benedictum*, inquiunt, à ſæculo, & vſque in ſæculum *quod* iam iam *venit*, adeſtq. *regnum* optatiſſimum, ac verè feliciſſimum *patris noſtri Dauid*, vt promiſſum olim fuerat à Deo, & anteceſſoribus per Prophetas. Ergo Hoſanna ſaluifica nos Rex, qui manu poteſtatem, & Imperium defers; ſaluos nos fac properè in excelſis, & mirabilibus tuis, qui excellis cunctos, & ſuperas maieſtate, & gloria, vt ab humili captiuitatis ſtatu protinus ad excelſum, & omnium admirabilem extollamur.

Benedictum. Quod voce hac neutra poſt maſculinam ſalutetur Chriſtus, dicaturque ei primo, *benedictus*, dein *benedictum*, ideò factum diuinitus arbitrarer, vt nō tam perſonam, quæ Deus erat, quàm naturam, ſecundum quam homo natus eſt, & conuerſatus, *benedictam* ſimpliciter crederemus, ac bonitate repletam; perſonam quidem ex ſeipſa bonam eſſe, & *benedictam*; vt quæ verbum, nemo dubitat; naturam autem humanam in Chriſto eſſe ſimpliciter *benedictam* ignorant Hæretici, vt Oecolampadius, ac reliqui, qui Chriſtum peccaſſe in horto, & in Cruce confingunt; at nos Catholici, qui vera ſentimus, *benedictum*, ſanctum, & ſimpliciter impeccabilem acclamamus Chriſtum, etiam ſecundum naturam humanam, vt verbo vnitam, quemadmodum & nubem ſoli affixam, ex ſe lucere dicimus, & ſi per ſolem, & paſſionem affirmamus ſimpliciter ineſſe naturæ, velut enim paſſio ineſt omnis benedictio, & ſanctitudo naturæ humanæ aſſumptæ. Iuxtà illud Thom. 3. p. q. 1. art. 13. gratia habitualis Chriſti intelligitur, vt conſequens hanc vnionem, ſicut ſplendor ſolem. Et ad 2. Gratia habitualis non intelligitur, vt præcedens vnionem, ſed vt conſequens eam, ſicut quædam proprietas naturalis. Vnde & Auguſt. dicit in Enchirid. cap. 40. quod gratia eſt quodammodo Chriſto homini naturalis. Ac propterea ſecundum naturam humanam, vt verbo vnitam *benedictum* ſimpliciter affirmamus, & ex ſe, non tamen à ſe, neque per ſe, ſed per verbum, à quo benedictio omnis fluit, & gratia. Hæc ſunt Chriſti hominis priuilegia; noſtrorum autem ſi quis benedictus mereretur appellari, non tamen benedictum, quia natura filij iræ. Tametſi enim qui per meritum, & gratiam Chriſti benedicitur, nihil in ſe maledictum habeat, poteſt naturã deficere.

Similitudo.

S. Thom.

Auguſt.

Natura aſſumpta benedicta, & quomodo?

Quod venit regnum. Pro *venit* habet græca lectio, *veniens*; ἐρχομένη *veniens*. Nã etſi regnum, de quo hic propriè ſermo eſt venerit, cum Chriſto, vt infra dicemus, non omnes tamen illud ſimul accipiunt, ſed quibuſdam eſt *veniens* hodie, alijs cras, prout cuiq; datum eſt, & eſſe, ac viuere, morique. Eſt igitur Chriſtus regnum continuò *veniens* regulis, qui iuxtà temporum varietatem, & conditionem ſtatus fiunt Deo noſtro regnum, & Sacerdotes, genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, quæ ſit digna hoc, quod conclamatur regnum intra ſe recipere, & poſſidere Chriſtum, in quo, vt in feliciſſimo regno, condita ſunt vniuerſa.

Patris noſtri Dauid. Credebant enim ipſum cito regnare, in regno Dauid (inquit Lyra) & reſtituere regnum temporale, quod à Romanis erat vſurpatum, cuius contrarium dixit Chriſtus coram Pilato: Regnum meum non eſt de hoc mundo; ſed ſupple de cælo; & hoc diuina ordinatione ſignabatur verbis laudantium, cum dicebant: *Hoſanna in excelſis*, licet non intelligerent, ſicut, & Caiphas dixit mortem Chriſti futuram pro ſalute mundi, licet hoc non intelligeret. Neque Chriſtum eſſe filium Dauid, qui ſuper ſedem, & ſolium Regni ſederet. Id Angelus nouerat, & reuelarat Mariæ. Homo autem Iudæus ignorabat, etſi confiteretur. Quoniã myſterium, quo Deus prædicabatur fortiſſimus iure ſeruatur Gabrieli, qui & fortitudo; & quod ſalutem cunctis polliceretur innoteſcere debuit clarè, & diſtinctè Angelo, qui in miniſterium eorum, qui capiunt hæreditatem ſalutis mittitur; & interdiù abſcondi terrigenæ, qui non percipit, quæ ſunt Dei; tantumque confeſſio arcani concedi homini, vt per eam adiutus, & fultus promereretur ad altiorem diuinorum cognitionē peruenire, & aſſumi inter amicos, quibus, velut Angelis, profunda, & abſcōdita reuelãtur. Quare dũ tardat hic ſtatus cōfiteri mirabilia Dei, quæ in pſalmodica, & hymnodica laude, & odis Eccleſiæ continentur, nuſquam

Lyra.

Ioan. 18.

Semper pſallendum, etſi non intelligamus verba.

nuſquam ceſſemus, etſi quæ in eis latent myſteria, non penetremus. Hæc Pachomius, Antonius, & plerique Sanctorum ignari ſunt agreſſi, poſtmodum ſpeculatores penetralium Scripturæ, & factorum Dei deponunt eorum chronologiæ, extitiſſe.

Hoſanna in excelſis, vel *in altiſſimis* ὑψίστοις, vt habet græca lectio. Quoniam *excelſa*, quæ excellere faciunt ſpiritum hominis, & quemque excelſum præ alijs conſtituunt, non infimis, neque deorſum ſunt; ſed *in altiſſimis*, & ſurſum. Quia cælum cæli Domino, terram autem dedit filijs hominum; ac ſi diceret Domino, qui excellit ſeruos, cælum, quod altum eſt, conceditur, à quo *excelſa* ſua habet; filijs autem hominum, qui terrena ſapiunt, datur terra infima, deiecta, & omnium poſtrema, quod vilibus, & terreſtribus miſerrimè ipſi adhæſerint, facti viliſſimi, & omnium inferiores, & poſtremi; itaque *in excelſis* conclamant *Hoſanna*, ſeu *in altiſſimis*. Hoc eſt in cælis ſalua nos, poſt vitæ tranſitum beatifica nos, & à terrenis nos dimoue, admoue autem nos ad cæleſtia; & celſitudinem tuam, vt excellentiam participemus. Namque in inferioribus terræ nihil reperitur excelſum, quod plenè ſaluet; ſed quod malorum preſſuram inducat, & erumnas.

Psal. 113. (margin)

CAPVT XI.

Et introiuit Ieroſolymam in templum, & circumſpectis omnibus, cum iam veſpera eſſet hora, exijt in Bethaniam cum duodecim.

Expoſitio. VEctus igitur triumphator Chriſtus hac pompa, ac talibus acclamationibus inauguratus ab omnibus Rex, & Redemptor, *introiuit* per agmina hoſtium, ac medios inimicorum cuneos, *in templum*, vt omnium triumphatori, & victori Deo, & Patri honorem debitum publicè præſtaret; quare peractis *in templo*, quæ ſolitus erat perficere, & *circumſpectis omnibus*, quæ tùm à Sacerdotibus, & miniſtris templi, tum à reliquis fiebant, nec non animis, & affectibus, ſingulorum miniſterijs attentè penſatis, cum iam aduesperaſſet; relictis ſacris ædibus, *exijt* foras *Ieroſolymam*, & rediit *in Bethaniam*, tantum comitè ſodalitio Apoſtolorum *duodecim*.

Et intrauit Ieroſolymam in templum. Sed triumphans, & ouans, ſpectante omni populo; frementibus æmulis, pijs autem præ gaudio exilientibus. Vt mors paucis poſt diebus ibidem futura, non neceſſitati naturæ, & impotentiæ quiſquam poſſet iure adſcribere, ſed voluntati, & libertati morientis Chriſti. Nam qui ſemel ora leonum, & vrſorum manus obſtrinxerat, ne in iuſtum ſæuirent, poterat & ſecundo, ac ſemper quoties ſtatuiſſet. Quare his perpulchrè agnitis infert Vates: Oblatus eſt, quia ipſe voluit. Quod verò ad locum certaminis glorioſus venerit, demonſtrauit nullam ex morte ignominiam ſibi acceſſuram: ſed perennem gloriam, iubilum, & cunctorum redemptionem. Quia ſi granum cadens in terram mortuum fuerit, multum fructum affert. Inde dixit: Si exaltatus fuero à terra omnia traham ad meipſum. Ieroſolymam, quæ & pacifica, intrauit primo; quod triumphus eius per mortem conſecutus pacificaret omnia; in templum venit, vt nobis ſecundum Gloſſ. ord. præberet, vt quocumque veniremus, primum ad domum orationis, ſi ibi ſit, diuertamus; & cum nos per orationis ſtudium Deo commendauerimus, ad ea, propter quæ venimus agenda ſecedamus. Etiam *in templum* venit, vt tàm mortis, quàm reſurrectionis, quæ eum triumphatorem declarauit, finem vltimum proponeret contemplandũ; videlicet templum, quod ceciderat, reparare, iuxtà illud: Et ipſe extruet templum Domino, & ipſe portabit gloriam, & ſedebit, & dominabitur ſuper ſolio ſuo. Extruxit enim Eccleſiam non lapidibus politis, nec materialibus tẽpli, quod ad ſolum dirutum eſt, ſed nouo ſacerdotio, lege, ſacramentis, miniſtris, miniſterijſque, ac chariſmatibus melioribus, vt magna eſſet gloria domus iſtius pluſquam primæ. Adhuc facto iſto ad excellentius quid ſpeculandum manuducimur; videlicet, finem perfectiſſimum Chriſti triumphatoris, & ſecum triumphantium eſſe Dei poſſeſſionem. Siquidem legimus: Dominus enim omnipotens templum illius eſt. Vnde triumphatori dicitur: Qui vicerit faciam illum columnam in templo Dei mei; hoc eſt firmum, ac perpetuo Deo adhærentem, boniſque ſuis fruentem, vt non eſuriat, neque ſitiat, & priora, quæ moleſtiam inferebant, non ſint amplius in memoria. Hinc Chriſtus abiens dixit: Vado ad eum, qui me miſit; relinquo mundum, & vado ad Patrem. Is enim & illi, & nobis *templum* eſt, quod vt finis viam terminat, ac perficit omnia, triumphatores coronat, pleno gaudio beatificat; tum maximè poſtquam maieſtas Domini ingreſſa eſt *templum* hoc, hoc eſt Chriſtus, qui eſt Patris maieſtas, & ſplendor ad Patrem aſcendit, & ſedit ſuper ſolium excelſum, & eleuatum. Ab illo tempore non tàm Seraphini admiſſi ſunt ſpeculatores maieſtatis Dei, quàm etiam Iſaias, & alij homines, quorum ductor aſcendens ante eos, Chriſtus eſt. *Intrauit* autem (inquit Gloſ. ordin. ex Hieron.) ante quinque dies Paſchæ; dicit enim Ioannes, quod ante ſex dies Paſchæ, venit Bethaniam, vbi cœna ei facta, & Maria ſoror Lazari vnguento eum perfudit, & in craſtino aſino ſedens obuiante

Margin notes (right column, in order): Iſai. 53. — Ioan. 12. — Gloſſa. — Nahum. 2. — Apoc. 21. — Apoc 3. — Ioan 7 — Gloſſa. — Ioan. 12.

niante cum palmis turba Ieruſalem venit. Quod verò in græco ſpecificetur ὡσαννὰ cōmunem portentare ſalutem myſtica hæc facta inſinuat. Eſt enim Ieſus in templum intrans, ac Ieroſolymam Saluator, & ſaluans quotquot eum ſequuntur; extra templum, & Ieroſolymam neminem ſaluat, non enim eum ad mortem ſequitur, nec triumphat cum eo.

Et circumſpectis omnibus. Vel iuxtà græcū, *circumſpiciens omnia* περιβλεψάμενος πάντα. Vt qui miniſtramus in templo, & aliquid agimus in Eccleſia minus rectum, aut certè inhoneſtum, aduertamus adhuc Chriſtum omnia *circumſpicientem* eſſe; *circumſpexit* quidem ſingula, quæ legales homines tractabant, & qua decentia, & decore ſingulorum animi ad typica illa miniſteria accederent; qua ergo ſedulitate nos, qui vera tractamus, & altiſſima miniſtramus, ſpeculabitur? Eſt igitur *circumſpiciens omnia.* Non *Pſal.* 120. dormitabit, neque dormiet, qui cuſtodit Iſrael. Vigilabo ego dicit Dominus; & ero teſtis velox. Sum enim vobiſcum, & vbi? vbique potiſſimū Dominus in templo ſancto eius. (Chriſto pręſente accedendum ad Eccleſiā cū reuerentia.) Sub enim hoſtia, quæ conſecrata ſeruatur, videt omnes filios hominum, & ſingulorum cor intuetur, qua mente ad Eccleſiam intrent, qua intentione miniſterium inchoent; & qua perfectione, ac imperfectione cuncta expleant. Vtinam, ne *circumſpiciens* abominationes noſtras, aſſumat *Zach.* 11. zelum furor illius, & dicat: Non parcam vltra ſupra habitantes terram; conſummen- *Nahum.* 1. tur quaſi ſtipula ariditate plena. Quia dilectus meus in domo mea fecit ſcelera multa.

Cum iam veſpera eſſet hora. Ad hanc vſque horam, pia, ſalutifera, & religioſa docuit populum, & pleraque geſsit, quæ ad cultum Dei ſpectabant inferius repetenda. Eſt autem *veſpera hora*, mundi finis, ad quem vſque non auolabit vltra doctor iſte, qui datus eſt nobis, vt per ſe apud patrem interpellans, & per doctores alios, atque miniſtros, quos conſtituit Spiritus ſanctus in opus miniſterij de his omnibus, quæ ad ſalutem pertinent, doceamur.

Exijt in Bethaniam. Nam licet fuiſſet honorificè receptus à communi populo, & predicaſſet per totam diem vſque ad veſperam, nullus tamen (ait Lyra) inuitauit eum *Lyran.* ad hoſpitium in domum ſuam; & ideò cum diſcipulis redijt in Bethaniam, vbi manebāt Martha, Maria, & Lazarus. Cur autem nemo illum hoſpitio receperit, inſinuat Gloſſa *Gloſ.* dicens: quia nulli adulatus. Qui ergo puluinar ponit ſub omni cubitu innumeros inuenit beneficos. *Exijt* quoque Ieruſalem, ſecundum Theophylactum; quod relicturus *Theophyl.* eſſet eam deſertam, & in direptionem. Et egreditur *in Bethaniam*, quam vertunt interpretes domum obedientiæ, Iudæis enim inobedientibus, & duris corde relictis, venit cum diſcipulis ad eos, qui ſibi obedierunt. Populum, inquit, quem formaui mihi, qui in auditu auris obediuit mihi; populum humilem, quem ſaluauit ſuperbo depo- *Pſal.* 17. ſito. Item *exijt* nihil à Ieroſolymitanis accipiens, vt nos doceret, non eſſe oneri ciuibus, quibus verbum ſalutis proponitur. Quod & Paulus obſeruauit, & Clemens in *Clemens.* Conſtit. Apoſtolicis perſuadet Epiſcopis.

In Bethaniam. Vnde triumphare cœperat, redijt, vt longè differens forè triumphū ſuorum ab eo, quem gentes adinueniunt, animaduerteremus. Namque hunc ſuperbia, & altitudo animi adinuenit, & perficit. Quia ſuperbia eorum, qui te oderunt aſcen- *Pſal.* 73. dit ſemper; illum verò inchoat obedientia, & complet; qui enim mandatis altiſsimi parent narrant victorias, & poſt triumphos celebres, humero vno, Deo in cælis obediunt.

Cum duodecim. Ex tanto numero populi, qui triumphantem ſequebantur, nec vnus comitatur, præter *duodecim*. Nam et- *Philip.* 2. ſi Dei patris *duodecim* ſunt, qui eius gloriam participant. Hoc eſt perfectè credentium vniuerſitas, quæ ſub hoc numero clauditur, ſola beatificatur cum Chriſto; & ſedet in throno eius, quia vicit, & confeſſus eſt eum coram hominibus. Etiam *cum duodecim* exijt, quando in Regem volebant eum erigere, vt honores eiuſmodi temporales doceret refugere, & contemnere, vt vanos, quod ad eos, qui veri ſunt, deſtinati eſſent. Quia complacuit Patri meo, dicebat illis, *Luc.* 12. dare vobis Regnum. Regnum quidem, quod non transfertur de gente in gentem, ſed æternum manet, cui ſemel dilargitur.

CAPVT XII.

Et alia die cum exiret à Bethania eſurijt.

NOn obliuiſcitur miſereri Chriſtus *Expoſitio.* ouium, quæ perierunt domus Iſrael; ſed vt paſtor ſedulus viſitat gregem, ac ſæpius redit ad eas, vt ſubleuet lapſos, & ignaros doceat. Quamobrem & ſequenti *alia die* ſummo mane Ieroſolymam diſponit regredi; *cum* autem *exiret* iam à *Bethania* contingit Chriſto quid admirabile. *Eſurijt* enim, qui dat eſcam omni carni, & qui implet omne animal benedictione fameſcit.

Et alia die. Vt quem vna *die* non flexit, alia conuertat; & qui hora veſpera non credidit, appropinquante hora diei claræ agnoſcat ſalutis auctorem. Quia duodecim horæ ſunt diei. Loculentiſsima eſt tùm Præſulibus, tùm Prædicatoribus, animaduerſio, *Inſtandum prędicationi* vt indè excitentur ad prædicationem inſtandam, & ſequantur Paulum, qui ait: Prædica *2. Tim.* 4.

Verbum

Digitized by Google

verbum, inſta. Nam lapis, quem ictus vnus, nihil nocet, frangitur crebro martello, & qui ſigno priori non credit, altero perſpe-
Ioan. 20. cto exclamat: Dominus meus, & Deus meus.

Cum exiret à Bethania. Qui adhæret Deo, & vnus ſpiritus fit cum eo factus Beniamin in mentis exceſſu, & virga, quæ in flores, & amygdalas formatur, dũ cor ſuum tradit ad vigilandum diluculo, & totus inter cælum, & terram rapitur, profectò *Bethania*, & integra, ac perfecta obedientia eſt, quandoquidem cuncta ſui animi, atque corporis munia exultant in Deum viuum, plenè parent, & obſequuntur. Attamen vt fratrem lucretur, qui perit, non grauatur *à Bethania exire.* Exemplo noſtri Chriſti, qui
Pſal. 121. dixit: Propter fratres meos, & proximos meos loquebar pacem de te.

Gloſſ. *Eſuriit.* Hoc eſt (inquit Gloſ. inter.) veritatem humanæ carnis oſtendit: ſalutem hominum æſtuans ad incredulitatem Iſrae-
Arias Mõtanus. lis. Nam (proſequitur Arias Montanus) cum Ieſus eſurit corpore, eſurit magis ſpiritu humanam ſalutem: ita cum ſitit apud Si-
Ioan. 6. chem Ioan. 6. Quod autem bis eſuriiſſe, & ſitiſſe legamus non vacat myſterio. *Eſuriit* enim in deſerto, vt etiam damnandorum, qui in deſerto abſque ſpe ſunt, ſalutem oppetere inſinuaret. *Eſuriit* egrediens *à Bethania* Ieroſolymam via publica pergens, vt appetitum ſaluandi errantes in via credamus in ipſo extitiſſe, à patre, qui Chriſto eſt *Bethania exiens*; huiuſmodi enim ob-
Pſal. 108. ſtrictus fame exultauit, vt gigas ad currendam viam ſuam. Sitit in puteo fatigatus ex itinere, vt gloriam optare gentibus, quæ illac habitabant, oſtenderet; ſitiuit, & in Cruce, vt appetitum eundem circa ſe Iudæi obſtinatiſſimi in Chriſto agnoſcerent. Noluit tamen in Cruce bibere. Quod perfidis talis, & tantus appetitus nihil profuturus eſſet. Quia, inquit, in peccato veſtro moriemini.

CAPVT XIII.

Cumque vidiſſet à longè ficum habentem folia, venit ſi quid fortè inueniret in ea; & cum veniſſet ad eam nihil inuenit præter folia. Non enim erat tempus ficorum.

Expoſitio. QVærit itaque eſuriem quamprimum ſedare; *cumque* in girum oculos duxiſſet, & *vidiſſet*, procul ſtans, remotam *à longè* arborem *ficum*, in abundantia *habentem folia* multa nimis, & ſpiſſa. Statim *venit* ſolita grauitate cum Apoſtolis ad ficum, ſi quid commeſtibile fortaſsis inueniret in ea, quo poſſet appetitui ſatisfieri. At *cum* propè *veniſſet ad eam*, & diligenter ramuſculos perluſtraſſet, *nihil inuenit* in tota pompoſa arbore, *præter folia*, quæ illam magnificabant exterius, interius autem attenuabant, ne fructificaret. Tametſi *non erat tempus*, quando ſolitum eſt hiſce plantis *ficorum* abundantiam duplicatam ferre.

Cumque vidiſſet à longè ficum habentem folia. Inter nos famelicos, hoc intereſt, quod Chriſtus videt, & penetrat, ſciatque vnde famem ſatiet, nos minimè. Nam ſi temporalia eſurimus, quid cõducat ignoramus, & quid petamus neſcimus. Quo fit, vt inde acriorem famem, ſeu acerbum interitum emendicemus, vnde ſatietatem expectabamus. Id quod exempla quotidiana, & eorum, qui ingluuie, & bibacitate periere; & qui cum multa habeant continuò repetunt affer, affer. At ſi ſpiritualibus famem innatam optamus ſatiare, planiſsimum eſt, quod Deum nemo mortalium vidit vnquam, ſed & ſpiritualia, quæ ſpiritualiſsimus Deus elargitur quis mortalium videt? Quin ex his plerumque quid petamus neſcimus, ait Paulus. Hinc factum, vt ponere in Domino Deo ſpem, cogitatum iactare in Domino ſæpius conſulamur. Nouit ipſe omnia, & ſcit, quia his omnibus egemus. Sed quid de Chriſto? Ille quidem videt omnia, quæ eſuriem ſatiant; tametſi eſuriem ſpiritualiſsimi Dei non pertulit, nec ſpiritualium, quorum anima eius capax erat; ſiquidem prouidens Deum in conſpectu ſemper ſibi vnitum, cuncta ab inſtanti conceptionis poſſedit. Quid ergo eum Patres eſurire ſalutem cunctorum ferunt? Metaphoricos potius, quàm verè. Etenim eſurire propriè eſt deficere viribus, & penuriam ſuſtinere, hanc autem ſpiritu nemo admittit, in quo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis. Admittunt verò Patres ingentem appetitum communicandi ſalutem, & gratiam omnem impertiendi hominibus in Chriſto extitiſſe; illumque vocant eſuriem, quam vnde ſatiet, videt; ſed proh dolor, *à longè* eſt. Nam edulium huiuſmodi eſuriei accommodum peccatores ſunt. Venit enim peccatores ſaluos facere, quia longè à peccatoribus ſalus, & quamdiù in peccatis ſunt *à longè videntur.* Hoc eſt non probantur ad gloriam, ſed reprobantur in infernum, inter quem, & ſinum Abrahæ, & gloriæ ſtatum, chaos magnum interponitur. Verũ antequã damnationem accipiant, quia habent folia, & viriditatem oſtentant, hoc eſt, rationales ſunt, & libertatem hinc inde exercent, ſcientiiſque humanis, & facultatibus, quæ ortum habent à natura, & incrementum, animum exornant, *videntur* tametſi *à longè*, ad eos *venit* Saluator, & perſcrutatur, demumque in eos animaduertit. *Videt* quidem hoc eſt primo ſigno, & voluntate antecedenti vult omnes ſaluos fieri, vt capaces ſecundum naturam gloriæ; *venit* autem conſedens, &

[Margin notes, right column: "Ignorant homines quid ſibi magis prodeſt." beside "& ſpiritualia … quis mortalium videt?"; "Voluntas antecedens." beside "primo ſigno, & voluntate antecedenti vult omnes ſaluos fieri"]

offe-

CAPVT XVI.

Et veniunt Ieroſolymam: *Et cum introiſſet in templum cœpit eijcere vendentes, & ementes in templo, & menſas numulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit.*

Expoſitio. ITaque pergentes ſimul Chriſtus, & Apoſtoli, *veniunt*, quo properabant, *Ieroſolymam* ciuitatem quondam fidelem, nunc autem meretricem; quare *cum introiſſet* Rex, ac Princeps eius legitimus *in templum*, & vidiſſet crimino ſos homines, & facinoroſos, qui lucro ſacrilego victitabant, *cœpit* in ira ſua, & zelo *eijcere* procul *vendentes*, tùm pauperibus, tùm diuitibus, quæ apta erant ſacrificijs animalia, & pleraque alia; necnon *ementes in templo* diſturbauit. Et omnem ſtudens occaſionem illiciti contractus ſuſtollere *menſas numulariorum*, qui parati erant ad commutandas pecunias, & mutuandas; necnon *cathedram vendentium columbas* funditus *euertit*.

Et veniunt Ieroſolymam. Vt quam pridie viſitarat triumphans, atque commouerat, nouis prodigijs confunderet, ob ſtudia inutilia, & maligna ciuium. Ne vllum genus argumenti, quo maligni ſolent retrahi videretur prætermittere. Verum cum inſanabilis
Iſai.14. facta eſſet plaga oppidanorum, attrita eſt ciuitas vanitatis, clauſa eſt omnis domus
Ierem.2. nullo introeunte. Diſciplinam enim non receperunt.

Et cum introiſſet in templum. Eo ſe quamprimũ recipit, tùm quod domus orationis, & Patris, cui imprimis, & ſedulo ſa-
Primum mādatum. Matt.22 tisfaciendum eſt. Quoniam primum, & maximum legis mandatũ eſt; diliges Dominum Deum tuũ ex toto corde tuo, ex tota mente tua, & ex totis viribus tuis. At dilectio in oratione ad eundem frequens, & adoratione feruenti declaratur. Hæc autē nullibi cõmodius, quàm in tẽplo, vt in loco dico fiũt.

Cœpit eijcere vendentes, & ementes in templo. Nulli horum pepercit, vtque ſymoniacis, qui vel mente, vel opere ſymoniæ vitium committunt, anſam properent. Haud ſecus quàm Romani telonarij, qui eccleſiaſticis perſonis omnem offerunt pecuniam, vt ijs ad ea officia Eccleſiæ, quorum indigni ſunt ob appetitum immoderatũ, & pactum, ac vitæ ſæpius inhoneſtatem aſcendãt. Vendere quidē, & emere eſt illicitum in foro, & locis publicis, eo dicatis; immo verò conducibile Reipub. Vt habet tit. de vẽditionib. & emption. ac conſequenter neceſſarium eſt hominibus, & poteſt eſſe meritoriũ; *in tẽplo* autem id exercere vitium eſt, religioni inferens præiudicium. Quare qui in templis feſtinis diebus conueniunt, vt ſuos contractus venditionum, & emptionũ componant, impunes non erunt. Quia fecerunt malum in oculis meis dicit Dominus: Poſuerunt offendicula ſua in domo, in qua inuocatum eſt nomen meum, vt pollueren team. Ierem.7.

Et menſas numulariorum. Quibus auaritia incrementum apud omnes ſumebat, vt inſimul percuterentur iaculo Prophetæ: A minimo vſq; ad maximum omnes auaritiam ſequuntur; à Propheta vſque ad Sacerdotem cuncti faciunt dolum. Siquidem pleriq; maiorum, ac fortè maior eorum pars, numulariorum lucri participes erant, vt & vendentium. Nam pecuniam ſuam per numularios multiplicabant Sacerdotes, & per vẽdentes oblata ex decimis, & votis venditabant, vt nõ eſſet finis theſaurorum, & poſſet quiſque dicere: Ego ſum, & non eſt præter me amplius, non ſedebo vidua, & ignorabo ſterilitatem. At contra Deus: Venerunt tibi duo hæc ſubito in die vna, ſterilitas, & viduitas. Sicut enim veſtimentum, ſic comedet eos vermis: & ſicut lanam, ſic deuorabit eos tinea; qui multiplicant non ſua, & ditari volũt abſque vllo termino, nulla nec ſtatus ratione habita, nec loci, ac temporis. Auaritiæ ſtudium. Iſai.47.

Et cathedram vendentium columbas euertit. His ſymoniacos intelligi communiſſimum eſt; cæterum quod cathedrati dicantur *vendentes columbas*, quam reliqui non eſt vſquequaque compertum. Fortaſſis indicatur cathedra ſymoniæ vitium plus cæteris in Eccleſia præualere. Præualuiſſe autem multis retrò temporibus vſque adeò certum eſt, vt vitium in hæreſim declinauerit. Iuxtà illud Gregorij lib.7. epiſt. 110. ad Siagrium, & alios Epiſcopos. Cum liqueat hanc hæreſim ante omnes, radicē peſtiferam ſurrepſiſſe, atque in ipſa origine ſua, Apoſtolica eſſe deteſtatione damnatam; cur non cauetur? cur non perpenditur? quia benedictio illi in maledictionē conuertitur, qui ad hoc, vt fiat hæreticus promouetur. Vide titulum de ſymonia, & 1.q.1. per totum. Gregor.

CAPVT XVI.

Et non ſinebat, ut quiſquam transferret uas per templum.

ADeò templi ſanctitudinem, decorem diuini cultus, & religionis perfectionem, voluit in domo Dei obſernari, vt nec minimam pateretur indecentiam. Etenim *non ſinebat*, quod citra peccatum videtur eſſe, *vt quiſquam* ſiue Leuitici generis eſſet, ſiue alterius Tribus homo, aut Proſelytus, *transferret vas* ſacrificijs, & miniſterijs conueniens Sacerdotum, per templũ, in quo nullum tumultum, nec ſtrepitum patiebatur, ſed quiete cunctos ſacra agere, & perfici ſingula paçatiſſimè imperabat. Expoſitio.

Et non ſinebat. Vt verè Dominus ſingulorum, vt ſummus Hierarcha ſacrorum hominum, & vt adminiſtrator, & norma totius diuini cultus; non rogans, ſed imperans, quaſi poteſtatem habens, *non ſinebat*, quod videbatur indecens, fieri. Ergo qui poteſtatem à Chriſto accepere Epiſcopi, non ſinant in Eccleſia abuſus, qui antiquitate inoleuere iam vltra fieri. Vt Gelaſius Papa

Gelaſius. ad Iuſtum Epiſcopum ſcribens hortatur.

Cyprianus. Nam, vt ſcribit Cyprianus ad Pompeium, conſuetudo ſine veritate, vetuſtas erroris

Nicolaus. eſt. Vel pernicioſa corruptela, inquit Nicolaus Papa Hincmaro Remenſi Epiſcopo. Quare ſubdit: Vitanda eſt, niſi citius radicitus euellatur, in priuilegiorũ ius ab improbis aſſumitur. Et incipiunt præuaricationes celerrimè non cōpreſſæ pro legibus venerari, & priuilegiorũ more perpetuo celebrari.

Vt quiſquam. Non excipit Sacerdotem, qui in multis traditionibus falſis errabat, non reueretur vultum potentis, qui irreligioſus erat, Non Leuitam, nec miniſtrum alium à prohibitione excipit; quinimo ab his iudicium inchoat, Deus zelotes, & rectus iudex. Cuius exemplum

Clement. Clementi proponit Petrus imitandum in epiſt. 1. quæ ad Iacobum fratrem Domini. Et Patres omnes paſſim dehortantur acceptionis perſonarum vitium. Quod non parua damna ingenerat, tùm maximè in Religioſis cœtibus, qui iacturam omnem inde ordiuntur. Sed proh dolor, non eſt, qui recogitet.

Transferret vas per templum. De vaſis, quæ legis cæremonijs obſeruiebāt aliquantiſper diſſerere, & quid per ea typicè ſignaretur, etſi pulchrum, tamen oneroſum lectori eſſet. Vt cumque aduertito *vas* ipſum legis, animum euangelici hominis ſobindicare, in quo nunc carnes decoquuntur, abſumuntur aliquando, & confringũtur, libamina recipiuntur, & holocauſta, atque aro-

Vas eſt animus hominis ſpiritualis. mata, & incenſa, necnon tabulæ, virga, & vrna referta cæleſti manna. Quid? etiam cineres, à quibus incipit prudens, dum mortificationem auſpicatur. Per hanc enim gratiam mannæ recipit, fidem quæ in virga notatur adauget, & legem tabularum complet. Subinde fit receptaculum aromatum, & ſuffitorum, hoc eſt, virtutum, & orationum; holocauſtomata, & ſacrificia complentur pariter in eodem, dum cuncta corporea ſpiritualizat, & reducit ad Deum, cui iugiter libat precioſum libamen, quando ſe offert illi continuò, atq; iungitur. In quem ſtatum, qui aſcendit, confringit carnem, & mactat cuncta, quæ mundi ſunt deteſtans adeò, vt abſumat præ ardore cæleſtium, hoc eſt, nihil quæ terreni hominis ſunt, ſentit, raptus ad ea, quæ ſurſum ſunt. Quid plura? fit demum lebes, in quo carnes decoquuntur in vſum aliorum, fit Chriſti noſtri perpulchrum vas, & receptaculum, adeòque amoris igne, & gratiarum plenitudine ſibi conciliat, vt ſapientibus, & inſipientibus, Sacerdotibus, & plebi, ac omni hominum generi ſuauem, placabilem, & cibo iucundiorem reddat ei, qui ad illum non recuſauerit accedere. Huiuſmodi vas transferri per templum, hoc eſt in Eccleſia, quaſi vile quid, nunc relegare, nunc inconcuti, & exprobrari nō conſentit Chriſtus, non permittit Dominus iuſtus noſter, qui pauperum miſeretur, & diligit iu- *Patrocinium pauperum.*

ſtos, liberat à calumnijs, & defendit contra aduerſarios omnes, qui eorum animas captant; adeò vt ijs immotis, innocuis, quin & ijs locupletioribus, & magis, quàm vnquam elegantibus, transferantur montes peſſimi, caliginoſi, vtpotè tyranni, & detractores, in cor maris, in abyſſum tribulationum. Et vt Concentor cecinit: Domina- *Pſal. 48.*

buntur eorum iuſti in matutino; & auxilium eorum veteraſcet in inferno à gloria eorum. Etenim videntes inſimulatores iuſtorum eos inter filios Dei computari, quos hic transferre, ſed fruſtra, curabant; auxilium ſolatij, quod viuentes poſſederant, fiet illis omni vetuſtate horrenda grauius, adeò, vt delitias ipſas, & auxilia, in quibus mox gloriantur, errores, & vias difficiles confiteantur. Non eſt ergo bonum, damnum inferre iuſto. Quia liberabit Dominus pau- *Pſal. 71.*

perem à potente, pauperem cui non erat adiutor; iuſtorum verò hoſtes, deiecisti eos, exclamat Vates, dum alleuarentur.

CAPVT XVII.

Et docebat, dicens eis; Nonne ſcriptum eſt: Quia domus mea, domus orationis vocabitur omnibus gentibus? Vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum.

RAtione deprauatas conſuetudines deſtruit pariter: Etenim poſt factum ex potentia proueniēs, *docebat* eos veritatem, quæ errorem eliminat, *dicens eis* quid expe- *Expoſitio.*

diret. *Nonne*, inquit, *ſcriptum eſt* in Iſaia, *Iſai. 56.*

quem Prophetarum diſertiſſimum celebratis; *quia domus* iſta *mea*, ac templũ, quod ad *Ierem. 7.*

honorē nominis mei erigi mandaui; non rumoris turbulenti, nec actus indecentis, ſed *domus orationis vocabitur*, non ſolũ Iudæis, ſed *omnibus gentibus*, quę obſeruātes ſingula, quæ præcepi iſthuc acceſſerint? *vos autē* miniſtri, quum in his obſeruantiores ratio poſtularet, & lex, cunctis eſtis deteriores; ſiquidem *feciſtis* ſacram ædem, non oratorum oraculum, ſed *ſpeluncam latronum*, quorum geritis primatum.

Et docebat. Vt audita veritate doctrinæ, qui ſanè mentis eſſent, capaces fierent factorum, & probarent, quæ tanto cum zelo

omnium

Google

omnium mitiſſimus geſſerat. Et nos his inſtruens, vt potentiam cum ratione iungamus, & quæ facimus nullo modo à veritate diſcordent, ſed doceantur,& probentur vero conſona. Hoc omnium eſt, tùm maximè Præſulum, & potentum, ne vnquam valeant de tyrannide inſimulari.

Dicens eis. Docuerat antea facto, poſt hæc docet verbis. Quod docendi genus in optimo quoque doctore, & magiſtro fidei deſideratur, illudq.celebrant Apoſtoli apud Clementem in Conſtit. Apoſt. & ſuadet ratio, vt primo quis homo formetur, quàm appareat; & antequam curationem promittat medicus in ſimili morbo, quem experitur,leuamen ſentiat. *Cõſt. Apoſt.*

Nonne ſcriptum eſt. Allegat Scripturam. Quod vtilis ſit ad docendum, ad arguendum,ad erudiendum,& ſatisfaciendum amicis, & hoſtibus: Quia gladius anceps vtraque ex parte acutus, quo & aduerſarius transfingitur, & frangitur panis paruulis; & virga, quæ Ægyptios deturbauit, liberauit autē Iſraelē, & adaquauit in ſiti. Immo verò,& ipſa puteus eſt aquarum viuentium, quæ his,qui & fodere, & haurire norunt,impartitur plenam ſatietatem. Hinc Origen. homil.12. in Num. Puteus eſt, & omnis ſimul Scriptura legis, & Prophetarum,Euangelica quoque, atque Apoſtolica ſcripta ſimul omnia vnus eſt puteus, quem non poſſunt fodere, vel excudere, niſi inueniantur Reges, & Principes. Reges (inquit inferius) ex eo dicti, quod peccati regnum ex corpore ſuo depulerint, & iuſtitiæ regnum parauerint in membris ſuis. Decet enim eum docere cæteros, qui prius fecerit ea, quæ docet.

Laus Scripturę,& quo modo adhibenda. — *Orig.* — *Reges vnde dicti?*

Domus mea.Itaque templa vocat *domum* ſuam.Quomodo ergo Paulus,ait:Hic cæli,& terræ cum ſit Dominus non in manu factis templis habitat?Quia inquit Gloſ.Non paruo loco clauditur, nec varijs coloribus diſtinguitur, ſicut ſimulacra; vel non habitat (addit Lyra) tanquam ibi contemptus, ſed magis continet omnia, tanquam cauſa dans eis eſſe, & conſeruans. Habitat ſiquidem, exponit Oecumenicus,in templis, verum non in his,videlicet idolatris,ſed in anima humana. Neq; enim in templo Ieroſolymorum habitare dicit,ſed operari. Neque manibus hominum apud Iudæos colebatur,ſed mente: quoniam nec illa ita expetebat,quaſi egeret.Num inquit edam carnes taurorũ, aut ſanguinem hyrcorum potabo? Habitat verè in templis Chriſtianorum,& ſub Hoſtia conſecrata continetur, ita vt cælum,& terram impleat,& vbiq; ſit per eſſentiam,præſentiam,& potentiam.Ergo errabant Manichæi,qui vt ſcribit Aug.lib.cõtra Adamantium,c.10.Deum veteris Teſtamenti malum principium probabant, quod templum ſuſſiſet ſibi extrui. Anabaptiſtæ quoque, &

Act 13. — *Gloſſ.* — *Lyra.* — *Auguſt.*

Vualdenſes delirant, qui ad ſolum vſque ſacras ædes diruunt. Et ijs manũ præbent Lutherani,& Caluiniſtæ, qui ſolum ad miniſterium verbi Dei templi fabricam, non ad ſacrificandum Deo, cum ſacrificium verũ denegent;nõ ad orandum,cum vbiq; orandum aſtruant;non ad Martyrum,& Sanctorũ condendas reliquias, cum omnes fideles æquè Sanctos ſomnient. At patres Eccleſiæ hiſce de cauſis potiſſimum baſilicas, & oratoria conſulto erexiſſe, paſſim legimus, vt apud Clem.lib.10.recognitionum. Tertullianum lib.contra Valentinianum,atque alios,quos prolixum eſſet referre. *Clem. Tertull.*

Domus orationis vocabitur. Eo quoque factum Salomon deponit. 3.Reg.8.2. Paral. 6. Vnde & oranti Salomoni Deus apparet, Atque Anna filia Phanuelis(ait Lucas)non diſcedebat de templo, ieiunijs, & obſecrationibus ſeruiēs nocte,& die.Sed quid Chriſtus: Venit hora, quando nec in monte hoc, nec in Ieroſolymis adorabitis? Reſpondeo cum Chryſoſtomo,Cyrillo,Theophylacto,& alijs,poſt Chriſtum prohiberi adorationem Sammaritanorum,quæ idolatriam ſapiebat, necnon Ieroſolymorum, qui cæremonijs implicati cultum Deo reddebant;ſed in ſpiritu vult nos Chriſtus orare,abſque turba illa ſacrificiorum,inquit S.Thomas; necnon in veritate abſque errore gentilico, multiplicitatis Deorum, vt Caietanus aduertit. Itaque modum orationis præſcribit Chriſtus, locum autem orandi non taxat, nec prohibet templum,ad quod orationis cauſa acceſſit ipſe, & eo aſſumpto Petrus, ac reliqui Apoſtoli paſſim templum ad orandum intrabant. Et tàm ab eis, quàm à ſucceſſoribus erectas fuiſſe baſilicas ad orandum omnis antiquitas perſuadet;quicquid Marlotus, Caluinus, ac complices ſomnient, & mentiantur omnibus gentibus. Ergone Gētilibus licebat? An nõ Deus ipſe, Moabitas,& alios à locis ſacratis lege coercebat? Vtiq;ſed eoſdem ad dicatum orationis locũ admitti voluit obſeruata lege, quæ de Proſelitis fertur.Quare etſi templum,& legalia data eſſent Hebræis,obſeruabant his omnibus, Græcis, & Barbaris, fœminis,ac viris, qui ad eorũ ritum tranſibãt,vt diffuſè Ioſephus proſequitur,& Acta Apoſtolorum poſt aduentũ Spiritus ſancti,cõueniſſe teſtantur.

3.Reg 8. 2.Paral.6. — *Luc.2.* — *Ioan.4.* — *Chryſo. Cyril. Theoph.* — *S.Thom.* — *Caietan.* — *Erectio templorũ aſtruitur contra Nouatores.* — *Ioſephus.*

Vos autem fecistis eam ſpeluncam latronum. Ad Sacerdotes, & miniſtros templi ſermo fertur. Horum enim auaritia facta eſt domus negotiationis, & inhoneſti contractus forum templum Dei; inſuper ob eorundem peccatum, Pompeius Romanorum primus, & alij gentiles latronibus deteſtabiliores,ingreſſi ſunt Sãctuarium,demumq. cuncta templi ſacra prophanata ſunt,ac reſiduum eius eſt modo ſpelunca Mahomethanorum,qui latrocinijs potius victitant, quàm legitima hæreditate. Hinc Ieremias: Ma-

Digitized by Google

Tren. 1. num ſuam miſit hoſtis ad omnia deſiderabilia eius; quia vidit gentes ingreſſas ſanctuarium ſuum, de quibus praeceperas non intrarent in Eccleſiam tuam. Mons quoque *Zach. Chryſopol.* fidelium (ait Zachar. Chryſopolit.) eſt Dei templum, quæ tunc fit latronum ſpelunca, quando relicta ſanctitate conatur agere vnde proximis valeat nocere. Non fit ergo in domo pectoris noſtri negotiatio, non vendentium, ementiumq; commercia, non donorum cupiditas. Quia ſcribitur: Auerſio *Prou. 1.* paruulorum interficiet eos, & proſperitas ſtultorum perdet illos.

CAPVT XVIII.

Quo audito Principes Sacerdotum, & Scribæ quærebant quomodo eum perderent: timebant enim eum quoniam vniuerſa turba admirabatur ſuper doctrina eius.

Expoſitio. Docuit Chriſtus veritatem, eam tamen non apprehendũt falſis dediti, qui continuò alijs dicũt, videte nobis errores. Quare *audito* Chriſto, qui veritas eſt ab errore longiſſimus, *Principes*, ac maiores *Sacerdotum*, quorum officium erat nedum audire, ſed iugiter vera loqui; necnon *Scribæ* in lege periti, cũ debuiſſent reprehenſioni Chriſti, & doctrinę veriſſimæ acquieſcere, *quærebant* potius *quomodo eum*, vt hoſtem *perderent*. Nihil tamen auſi ſunt perpetrare, adhuc enim memores triumphi præteriti, & zeli, quem in omnes exercuerat, *timebant eum*, ne quid aſſumpto furore in eos moliretur. Eos quoque cohibuit ſtantium multitudo, quæ illi erat deuotiſſima. Quoniam etſi Primores eum parui ducerent; *vniuerſa* tamen *turba* nullum eo excellentiorem reputabat. *Admirabatur* enim, & ſtupebat *ſuper doctrina eius* dicens: Nunquam ſic locutus eſt homo.

Quo audito. Itaque ignorantiam nequeũt obijcere, vt qui audierint. Quod verò audientes nihil profecerint, notum eſt. Dixerũt enim: Ceſſet à facie noſtra ſanctus Iſrael. *Iſai. 30.* Nam qui legatum deteſtatur, legationem, etſi audiat, non ſuſcipit. Et hoc eſt peccatũ Iuda ſcriptũ ſtylo ferreo in vngue adamantino. Noſtrum autem qui & ſanctum Domini Chriſtum credimus, & audimus poſt tergũ, in quo ſcribetur? In facie, quia agnitio vultus eorum reſpondebit eis. Et hoc minus malum quandoquidem vulnera, quæ patent, facilius medentur.

Principes Sacerdotum, & Scribæ, quærebant quomodo eum perderent. Animo ſtatuerant perdere, & communi conſilio; modum autem opportunum non inueniebant; ideò dolos cogitabant tota die, & laqueos parabant, & vel captũ in ſermone apprehenderent, vel blaſphemum habitum, & tranſgreſſorem aduerſus eum plebem excitarent, vel inſimulatum publicè de tyrannide, reũ apud Præſidem Imperatoris deferrent. Aut certè violenta manu clanculũ de terra perderent. *Machinationes Iudæorũ in Chriſtum.* Proinde Chriſtus ad Patrem dixit: Deus iniqui inſurrexerũt ſuper me, & Synagoga potentium quæſierunt animã meã, & non propoſuerunt te in conſpectu ſuo. *Pſal. 83.* Hoc enim ſi attendiſſent Iudæi nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent; nec quiſquam aliquid aduerſus proximum moliretur.

Timebant enim eum. Timore quidem ſeruili, & mundano, qui facinus non omittit, niſi vel propter infamiam externã, aut damnũ, quod poteſt ſibi à vindice inferri. Simili repletur timore, ad quem Vates: ſicut nouacula acuta feciſti dolũ. Dilexiſti malitiam ſuper benignitatem, iniquitatem magis, quàm loqui æquitatẽ. *Pſal. 51.* Dilexiſti omnia verba præcipitationis, lingua doloſa. Propterea Deus deſtruet te in finem, euellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuentium. Nam quanto doloſius agit, & curat exterius malitiam celare ob timorem, tanto grauius peccat, & crebris inuoluitur peccatis, conſequenterque duriorem ſibi conciliat pœnam ſecreto animi, vt nouacula acuta perdens inſontem; quam is, qui euaginato gladio repentina ira percitus, palam hominem inuadit.

Quoniam vniuerſa turba admirabatur ſuper doctrina eius. Doctrina enim prudentium facilis, quam ſimplex turba, vt lac optimum capeſcit, & vt in melle apis delectatur. *Cant. 4.* At ſub lingua eius mel, & lac, decantat ſponſa eius, inquam, qui docet homines prudentiam, & ſapientiam non emendicat, ſed ſapientia, atque prudentia cum ipſo condita ſunt; is, inquam, facilem adeò doctrinam propoſuit, vt rudes, & ſimplices ei dicerent: Ecce nunc palam loqueris. *Ioan. 16.* Nunc ſcimus quia ſcis omnia, & non opus eſt, vt quis te interroget. Latuit tamen facilitas doctrinæ Chriſti ſuperbos. Qui propterea dixere: quid eſt hoc, *Ibidem.* quod dicit nobis modicum, neſcimus quid loquitur. Inde factum, vt hi in doctorem excandeſcerent; illi verò ſuper continuò doctrina eius admirarentur.

CAPVT XIX.

Et cum veſpera facta eſſet egrediebatur de ciuitate.

Expoſitio. Nihil ergo apud maiores proficiens, *cum* iam diei *veſpera* apud eos *facta eſſet*, vt non viderent ſolem *egrediebatur de ciuitate* ſequentibus pro more diſcipulis.

Et cum

Digitized by Google

Et cum veſpera facta eſſet. Non ſolum in opere, ſed modo operandi, quem à principio Deus tenuit, conformatur Chriſtus, vt non tàm dicere valeat: Pater meus vſque modo operatur, & ego operor; ſed poſt opus, factum eſt veſpere. Operatur quidem redemptionem vſque ad veſperam Chriſtus, vt Deus creationem. Eſt enim *veſpera* diei finis. Ergo vt in finem Deus creat, & in ſæculum; ſic Chriſtus nobiſcum eſt redimens vſque in ſæculum. Etiam creationis, & recreationis terminus *veſpera* ſtatuitur. Quod creationis opus, atque redemptionis, vt & creaturam, atque redemptum finem habeat incomprehenſibilem, vt *veſpera* eſt oculis inuiſibilis. Poſuit enim Dominus tenebras latibulum ſuum, & caligo ſub pedibus eius eſt, vt nulla creatura, quæ illi ſubijcitur, eius altitudinem, ſublimitatem, atque profundum comprehendat, ſicut nec caliginem.

Ioan. 4.

Chriſtus vſque in finem redimit.

Pſal. 17.

Egrediebatur de ciuitate. Quoniam *veſpera* eam compreſſerat ignorantiæ, malitiæ, & omnigeni peccati. Qui autem lux eſt mundi, non in tenebris habitat, neque ambulat, ſed in luce. Quia ſplendor eius, vt lux erit dicebat Vates: In quo, & ſuos ambulare perſuaſit, ne tenebræ, inquit, vos comprehendant. Itaque quando peccati *veſpera*, & obſcuritas inuadit hominem, & ciuitatis populum, egreditur Deus; cum iuſtis autem, qui lucent, habitat, & delectatur.

Habac. 3.

Ioan. 12.

CAPVT XX.

Et cum mane tranſirent, viderunt ficum aridam factam à radicibus.

EGreſſus è Ciuitate perfida, in fidelem Bethaniam diuertit, cum ſacro duodenario: altera verò die memor Ieruſalem proponit redire. Verum *cum mane* ſummo ſimul magiſter, & diſcipuli *tranſirent* illac, vbi eſuriem ſedare Chriſtus ſtatuerat; proſpicientes in girum Apoſtoli, *viderunt* arborem *ficum* depopulatam, & quidem *aridam* ex toto *factam*, vt omnem virorem, & vitalem humorem *à radicibus* perdidiſſet, & pulchritudinem.

Expoſitio.

Et cum mane tranſirent. Verſus Ieruſalem; vt enim facta veſpera egreditur dolens, ita lætus illuceſcente mane redire feſtinat. *Mane* eſt illi, qui peccatum incipit deteſtari, & ad conuerſionemq; quantum natura auxiliata conſentit, ſe diſponit, & præparat, vt placeat coram Deo in lumine viuentium, quem amiſerit, repetit; qui longè abierat ad eum accedit; & adiuuat animam eius Deus *mane* diluculo, vt ſurgens *mane* illo, atque initio, quo incipit ab alto illuſtrari, lapidem quem capiti ſupposuerat erigat in titulum, & fundat oleum deſuper, votumque voueat; hoc eſt Chriſtum, quem pauci faciebat, erigat, & ſtatuat titulum, nomen, gloriam, & felicitatem ſuam, cumque liniat aſſiduis precibus, & vitæ ſanctimonia, quaſi oleo; inſuper votum voueat ei, ſeque totum conſecret. Inde ſequitur, vt qui ouis errans, & perdita plangebatur, fiat Benjamin lupus rapax, *mane* comedens prædam, hoc eſt animam, quam Satan deprædaret, penes ſe habens, & in eius lucris, & exercitijs ſeipſum velut in præda concupita oblectans. Nam fortitus eiuſmodi *mane* feliciſſimum; ſeminat ſemen ſuum operans naturæ conſona; ſaturatur pane deſiderabili gratiarum, & ſurgit liberè ad vineas, & opera amoris, quæ dilectus à ſæculo operatus eſt, indeque regrediens, introducitur in cellam vinariam, hoc eſt, inflammatur concupiſcibilibus Dei, vt tali ordinatus charitate exclamet: Nuntiate dilecto, quia amore langueo.

Gen. 28.

Eccl. 11.

Exod. 10.

Cant. 2.

Viderunt ficum aridam factam à radicibus. Exaruit igitur arbor (ait Iſidorus Peluſiota, ad Theopomp. lib. 1. epiſt. 51.) vt hominibus terrorem inijciat; qui in hac quoque re arcanus quidam ſermo annexus eſt, à ſenibus ſapientibus ad nos graſſatus, nempè hanc tranſgreſſionis arborem eſſe, cuius etiam folijs ad corpus tegendum, hi, qui mandatum violarunt, vſi ſunt. Verum nota (inquit Theophylactus) tametſi Matt. dixerit, quod ſtatim *exaruit ficus*, & videntes diſcipuli admirati ſunt, nihil movearis audiens nunc Marcum dicentem; quod ſequenti die viderint exaruiſſe ficum. Sic enim intelligere debes id, quod apud Matth. Et *ſtatim exaruiſſet ficus*: quo lecto ſubſiſte, & dein dic, & quum vidiſſent diſcipuli admirati ſunt, quando? quum vidiſſent, non ſtatim, ſed ſequenti die, proinde ſic intelligenti nihil difficilè occurrit. Vide item, & hoc, quomodo Chriſtus monſtretur Deus, dicit enim per Prophetam Dominus: Ego aridum facio lignum viride.

Iſidor. Peluſiota.

Theoph. Concordat Matth. & Marc.

Iſai. 17.

A radicibus. Hoc eſt Cain, ac cæteris (ait Gloſſ. interlin.) à quibus omnis ſanguis iuſtus requiritur, ab Abel vſque Zachariam. Quare ficus *à radicibus* virens, & fructificans eſt omnis cœtus iuſtorum; malorum autem congeries *ficus* eſt *à radicibus* arida; necnon quiuis eorum; vt qui peccato areſcens abſque ſpe ſit, niſi mittat manum ſuam Deus de alto, & impluat ſuper aridam, & germinare eam faciat.

Gloſſa.

CAPVT XXI.

Et recordatus Petrus, dixit ei, Rabbi: Ecce ficus, cui maledixiſti, aruit.

Expoſitio.

AVdierant diſcipuli, imprecationem Chriſti in ficum, ſubitã autem areſactionem non viderant, ſed poſtridie cum illac iter facerent. Vnde *recordatus Petrus* maledictionis præteritæ, conuerſus ad magiſtrum *dixit ei* ſtupidus valde, & attonitus. *Rabbi*, inquit, & magiſter colendiſſimè: *Ecce* mirabile, quod oculis noſtris proſpicimus; *ficus* enim illa ramoſa, & dilatata folijs, *cui* ob ſterilitatem, quam præſeferebat, *maledixiſti*, omninò altera, & diſſimilis penitus apparet: etenim *aruit* tota deſciſſis folijs, vt non à ramis, ſed à radicibus dixeris exaruiſſe omni humore conſumpto.

Et recordatus Petrus. Recordabantur, & alij; ſed Petri tantum fit mentio, quod reliquis obliuiſcentibus mirabilium Dei, & operum Chriſti, *Petri* ſucceſſor iugiter *recordari* debeat, & tenere memoria, & obſeruare cuncta, quæ Chriſtus dixit, fecit, & ordinauit. Quoniam tu (ait Bernardus lib. 2. de conſidera. ad Eug. cap. 8.) Sacerdos magnus, ſummus Pontifex, tu princeps Epiſcoporum, tu hæres Apoſtolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, Patriarchatu Abrahã, ordine Melchiſedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyſes, iudicatu Samuel, poteſtate *Petrus*, vnctione Chriſtus; tu es, cui claues traditæ, cui oues creditæ ſunt. Ergo vt tantis reſpondeat titulis, & oues commiſſas plenè paſcat, neceſſe eſt eum *recordari* omnium, quæ Princeps paſtorum ad animarum ſalutem, & optimum regimen perficit.

Bernardus.

Dixit ei. Et ſi *recordari* factorum Chriſti oporteat Epiſcopum, propter gregem potiſſimum, mihi videtur tali recordatione egere, vt *dicat* Chriſto, vt frequentet Chriſti colloquia, vt ſe illi committat, explicèt intimum peccatoris ſui, & in omnibus auctorem omnium conſulat. Quoniam illum (ait Innoc. Papa ep. 19. inter ep. Auguſt.) præter illa, quæ ſunt extrinſecus, ſolicitudo manet omnium Eccleſiarum, ſuper anxijs rebus, quæ ſit tenenda ſententia. Apoſtoli enim hoc ſtatuerunt (ait Anacletus epiſt. p. ad omnes Epiſcopos, & cunctos fideles) vt maiores, & difficiliores quæſtiones ſemper ad ſedem referantur Apoſtolicam. Proinde Synodus Chalcedonen. act. 3. ad Leonem Papam ſcripſit: Rogamus igitur, & tuis decretis noſtrum honora iudicium. Et Hieron. ad Damaſum epiſt. 57. obteſtor beatitudinem tuam, per crucifixum, mundi ſalutem, per homouſion Trinitatem, vt mihi epiſtolis tuis, ſiue tacendarum, ſiue dicendarum hypoſtaſeon detur auctoritas. Quandoquidem ergo omnium difficultatum iudicium, & decretum à Petri ſucceſſore pendet, non ſufficit eum recordari eorum, quæ de Chriſto habemus, ſed ad eundem Chriſtum perſæpè dicere, & orare.

Innoc.

Anacletus.

Synod Chalcedon.

Hieron.

Omne iudicium à Petri ſucceſſore pendet.

Rabbi. Dominus videbatur potius, quàm *Rabbi* hoc in loco appellandus; ſiquidem Dominus mortificat, & viuificat. Verum cum præſenti facto pluſquam multis verbis docuerit Chriſtus conuenientius *Rabbi*, quam Dominus appellatur. Factum quidem fuit Domini, ſed intentio magiſtri, videlicet docere timorem, qui eſt initium ſapientiæ; prædicare iuſtitiam, quæ à malo liberat; & ad omne opus bonum fœcundare, vt perfectum redderet hominem.

1. Reg. 2.

Ecce ficus. Præmittitur, *ecce*, cum de *ficu* mentio fit, ob myſterium; quale autem, dictum eſt; libet nihilominus aliud annotare. Quoniam inquit Gloſſa ordinar. illi ſuccedit oliua pulcherrima, fructifera, vocata à Domino, hoc, eſt Gentilitas Iudaiſmo.

Gloſſa.

Cui maledixiſti. Vt pater, qui vult filium corrigi, enſem, quo ſolet ferire, confringit, & mater filiam retinere volens, plagis percutit multis ancillam, quæ illam ſequebatur; ſic Chriſtus volens non tàm Iudæos, quàm reliquos miraculi ſpectatores erudire, & à maledicto legis cuſtodire, inſenſatam arborem, & frondoſum lignum, & inanime corpus anathemate percutit, vt qui occaſione terrenorum peccamus, ſimus prudentiores, & non maledici, ſed benedici curemus.

Aruit. Non anihilatur. Nam etſi homines damnatione areſcant non abſumuntur, vt ſit vnus interitus, hominum, & iumentorum, quemadmodum inſenſati putarunt. Manent quidem, ſed aridi, vt nihil amplius poſſint deſtituti omni auxilio. Quoniam inquit Deus: Neſcio vos.

Matth. 25.

CAPVT XXII.

Et reſpondens Ieſus, ait illis: Habete fidem Dei.

PRocedit magiſter à facto doctrinam haurire, eamque diſcipulis tradere. Etenim vt vidit ſapiens doctor, animaduertiſſe diſcipulos exemplar; reſpondens, quæ forent illis, ac multis cauſa ſalutis, *ait*, non Petro ſolum, ſed *illis* omnibus, qui in facto ſtupebant: *Habete* inquit, ò ſectatores, & imitatores mei, *fidem Dei*, eamque radicari in vobis ſatagite, vt potentiam, quæ mox in admirationem vos rapit, dignemini recipere.

Expoſitio.

Et reſpondens Ieſus. Non ad vocem quærentis, ſed animum, quem optabat informare,

mare, & eleuare ad altiora, quàm verba præſeferrent. Hoc enim in reſponſis Chriſti continuo animaduertito, quia Argeentum electum lingua iuſti; potiſſimum eius, qui vocatur Dominus iuſtus noſter, cuius verba & reſponſa delectant, & ædificant ſupra modum; propter quod Petrus: Quo ibimus, quia verba vitæ habes?

Prou. 10. *Ioann. 6.*

Ait illis. Qoniam illorum gratiâ miraculum perfecerat, cuius & inſpectores ſoli introducuntur, & per illud erudiuntur; vt eruditi in diſciplina & timore Domini, reliquos docerent, donec annuntiarent brachium Domini generationi omni, quæ ventura eſt. Id quod per ſucceſſores iugiter completur.

Pſal. 71.

Habete fidem Dei. Non hominum (quia maledictus homo, qui confidit in homine. Confidit enim in arundineo baculo confracto; nec Dæmonum, qui credant, & contremiſcunt, coacti, non ſponte: Sed *habete* inquit *fidem Dei. Fidem* quidem, quæ eſt ſubſtancia ſperandarum rerum, quam caro, & ſanguis non reuelat, ſed Deus, quia fides donum Dei eſt. Vt quid ergo ait *habete*? Quoniam liberum eſt nauare operam, & ſequi ſtudia, quæ largitorem prouocent, vt dignetur, velut Cornelio, reuelare datum optimum & donum perfectum. Tam ergo nobili ſtudio vult nos, dicens: *Habete*, inſuadere. Quia inquit, Euſebius hom. 2. de Symbol. lumen eſt animæ, oſtium vitæ, fundamentum ſalutis æternæ. Et, vt mihi videtur, firmamenti ſpecies, quam in capite defert, qui eſt Domini, vt firmus, & conſtans ſit, inuictus, & efficax in cunctis, & contra omnia, quæ pro Domino ſuſcepit peragenda.

Ier. 15 Quid eſt habere fidem Dei. *Euſeb.*

CAPVT XXIII.

Amen dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti: Tollere, & mittere in mare, & non heſitaueris in corde ſuo, ſed crediderit, quia quodcunq. dixerit fiat, fiet ei.

Expoſitio.

CVr autem fidei ſtudio inuigilare diſcipulos oporteat, expoſitis fidei commodis demonſtrat: *Amen* (inquit) ac certiſſimè *dico vobis* amicis meis, *quia* tanta eſt fidei vtilitas, & virtus; vt multo plura, admirabilioraque his, quæ hactenus cernitis poſſit qui eam retinuerit augmentatam, *Quicunque* enim is, fuerit hoc fidei dono præpollens, & *dixerit* conſtanter *huic monti*, quem videtis: *Tollere* de loco tuo radicitus, *& mittere* quam celeriter *in mare*; dummodo *non haſitauerit*, neque in dubitationem aliquam de impoſſibilitate inciderit *in corde ſuo*; *ſed firmiter crediderit* poſſe fieri, & montem quo iuſſerit transferet; & *quodcunque* aliud *dixerit*, vt *fiat*, citiſſime *fiet ei* iuxtà nutum, & imperium ſuum.

Amen dico vobis. Amen notam totius certitudinis præponit doctrinæ fidei, vt eam cunctis certiorem inſinuet. Quia ſubſtantiæ nomine (quo Paulus eam vocat inquit Bernardus epiſt. 190. ad Innocentium Pontificem, contra Petrum Abailardum) aliquid tibi certum, fixumque præfigitur. Hæc (ſubdit Chryſoſtomus ſermo. de fide, ſpe, & charite) excludit dubia, tenet certa, promiſſa conſignat. Et ſacrorum (proſequitur Baſilius in Pſal. 115.) quæ de Deo ſunt eloquiorum, prædux eſto fides plane, non item demonſtratio, fides inquam animam inuitans, immo & perſuadens ad conſenſionem præ cunctis rationabilibus methodis. Neque enim fides geometricis nititur probationibus, quas neceſſitates vocitant; ſed animis noſtris ſe inſinuat efficaci operatione Spiritus ſancti.

Certitudo fidei. *Bern.* *Chryſoſt.* *Baſil.*

Quia quicunque dixerit huic monti. Optime ait, *quicunque*, hoc eſt iuſtus, vel iniuſtus, dummodo fidelis ſit, in fide præpotens. Nam miraculorum donum collocatur inter gratias gratis datas, quæ bonis, & malis conferuntur: Operatur enim ea Deus (ait S. Thom. 2. 2. quæſt. 178. art. 2.) ad hominum vtilitatem, & hoc dupliciter: vno quidem modo ad veritatis prædicatæ confirmationem: alio modo ad demonſtrationem ſanctitatis alicuius, quam Deus hominibus vult proponere in exemplum virtutis. Primo enim modo miracula poſſunt fieri, per quemcunque, qui veram fidem prædicat, & nomen Chriſti inuocat, quod etiam interdum per malos fit, & ſecundum hunc modum etiam mali poſſunt miracula facere. Vnde ſuper illud Matth. 7. Nonne in nomine tuo prophetauimus. dicit Hieron. prophetare, vel virtutes facere, & dæmonia eijcere, interdum non eſt eius meriti qui operatur, ſed inuocatio nominis Chriſti hoc agit, vt homines Deum honorent, ad cuius inuocationem fiunt tanta miracula. Secundo autem modo non fiunt miracula niſi à Sanctis.

Gratia gratis data etiã malis datur. *S. Thom.* *Matth. 7.* *Hieron.*

Tollere & mittere in mare. Non in cælum, ſed *in mare* dixit. Quoniam illud duris, corde eleuatis, & ſublimis animi denegatur, præparaturque tantum humilibus qui ſunt plana illa, quæ indirecta itinera fecit ſummus architectus, & perambulat continuo. In mare mittuntur ſuperbi, abſciſi à terra, hoc eſt in infernum, quem quaſi ollam peſtifer ille mons facit ferueſcere. Subinde Beda: Tunc mons ad præceptum eorum, qui fortes ſunt in fide tollitur de terra, & in mare proijcitur, cum prædicantibus verbum Dei, doctoribus ſanctis, immundus ſpiritus ab eorum corde pellitur.

Beda.

tur: In quo tanto acrius deſænit, quanto amplius ſe dolet à læſione priorum fuiſſe depulſum. Non timebimus ergo dum transferentur montes in cor maris. Sed quis tranſtulit? quo ad litteram, nullus Sanctorum, quorum deſcribuntur hiſtoriæ. Nam Greg. Neocæſareæ Ponti Antiſtes ſolum fecit, vt mons in terra, tantum loco cederet, quantum ciuitatis incolæ ad ſtructuram templi egebant. *In mare* neminem, legi tranſtuliſſe; nec eo nego factum, nec poſſe fieri, quia verax Deus, & mirabilis in ſanctis, per quos facit prodigia, & tanta operatus eſt opera ſtupore plena, vt nec vniuerſis libris poſſent deſcribi, nec voluit Deus ſingula publicari, cum præſtantiori, ſenatui reſeruentur agnoſcenda, & glorificanda.

Pſal. 45.

Greg. Taumaturgus.

Et non haſitauerit in corde ſuo. Hæſitare in corde eſt puſillanimem eſſe in acceſſu ad Deum; timidum in petitione; ſegnem in modo petendi dubiũ de exauditione; & perplexum de conuenientia. Ille ergo non *haſitat*, qui circumſpectione vtens, in primis conſiderat: an expediat, quod petit; iudicans autem expedire depoſito dubio, ſperat petitionẽ non confundi; inde non ſegniter, ſed inſtanter precatur, nec tarditate timet deſpici; quinimo plus eo confidẽtior fit, vt leo inſequens prædam; quantoque Deus videtur tardare, tanto accenditur in Deum, audacius accedit, & petit audacter, vt amicus, & familiaris, ab amico, & filius charus à patre. Dicens vel cum Moyſe, aut dele me de libro vitæ, aut condona noxam hanc; hoc eſt, ſi me vis tuum haberi, petitis annue; vel cum Iacob: Non dimittam te donec benedixeris mihi. Hoc eſt, non deſinam precari, quouſque exorem. Is non puſillanimis, ſed magnanimus, non dubius, ſed certus, nõ perplexus, ſed cordatus orat, petit, obſecrat, poſtulat, exauditur, & gratias agit, quod non hæſitans ad Deũ acceſſerit. Ad hæc Theophyl. Qui magna affectione credit; cor ſuum omnino extendit ad Deum. Et quid facit? Vnitur illi, & feruefactum cor eius magnam certitudinem ſumit, quod voti compos fiat; id quod experti ſciunt omnes. Opinor autem omnes hoc experiri, qui vel mediocriter attendũt. Propterea dicit Chriſtus, quod omnia accipietis, quæ cum fide petitis, qui autem credit, totum ſe dat Deo, cum lachrymis illi colloquens, quaſi pedes Domini precando tenere ſe putans.

Quomodo aliquid in fide ſit petendum.

Theoph.

Sed crediderit. Explicat fidei actum, qui Deo acceptus ab eodem impetrat, quæ deſiderat. Is autem eſt credere, qui eſt firmiter aſſentiri primæ veritati, & omni credibili; tum maximè ad miracula omnipotenti principio, & fideliſſimo credere primum oportet; ad operandum benè, & implendum legis præcepta, glorificatorem Deum, & præmiatorem credamus neceſſe eſt; ad ſuſtinendum quæque aduerſa pro iuſto, & vero, credere eundem paſſum, & mortuum, viriliter agere compellit, & omnia poſſe. Quare etſi credere, qui actus eſt fidei internus, fidelibus neceſſarius ſit, alio tamen, atque alio credibili iuxta opera, quæ ſuſcipimus adhærere firmius conducit; ad miracula autem credere omnipotenti.

Quid oporteat credere

Quis quodcunque dixerit. Vt enim dictio rationalis eſt hominis, ita quod dictione ſiue mentali, ſiue vocali petitur, rationabile eſſe oportet, nihil autem rationi magis conſonum, quàm fidem petere, & quæ ad eius conſecutionem iuuant, ad illumque alliciunt viſis miraculis. Munificentiſſimus eſt enim idem (ſcribit Baſil. conſtit. monach. cap. 2.) & auguſtiſſimus Rex noſter, & indignè fert, quandocunque quis exiguũ à ſe aliquid petit, quandocunque quis noſtrum de rebus ipſum minimè ipſi conuenientibus rogat. Noli igitur tibi ipſum oratione tua iratum facere, ſed ea petito tibi, quæ digna ſunt, & rege, & Deo.

Baſil.

Fiat, fiet ei. Memor operationis Dei, *fiat*, & factum eſt, aliquid aliud quàm vulgo ſonant. Ego in his verbis, *fiat*, *fiet ei* contemplor, videlicet, virtutem, qua homo operatur miracula, non humanam, ſed diuinam eſſe, non naturalem, ſed ſupernaturalem habere efficaciam, qui vera efficit miracula. Falſa enim, vt illa quæ Magi Pharaonis fecerunt, & quæ de Antechriſto legũtur, naturalibus cauſis aſcribentur; nec quidem magnorum quiſquam, nec Diabolus dixit *fiat*, viuus, *fiat* videns, vt Sancti, qui quaſi imperio videbantur operari. *Fiat* igitur imperantis modi, virtutem conuocat diuinam, quæ ſummo imperio, & irrefragabili, cuncta operatur, & perficit.

Quid ſit virtus miraculorum.

CAPVT XXIV.

Propterea dico vobis, omnia quæcunque orantes petitis, credite, quia accipietis, & euenient vobis.

TAmetſi per *fiat*, & *fiet* diuina virtute donari perpetratores miraculorum inſinuauerit, modum tamen operandi diuinum nulli concedit creaturæ, ſed conceſſa gratia, vel ſanctum orare vult, vel inuocare nomen Dei, & obſecrare. *Propterea*, inquit, *dico vobis*, voſq. reddo certos, quod fidei dono accepto, & operationis miraculoſæ, *omnia*, quæ ad ædificationem aliorum occurrent facienda, & *quæcunque* Deo gloriam poterunt conciliare, voſque *orantes* humiliter *petitis*, & ea beneficia, quæ in communem Reipublicæ vtilitatem, ex miraculis optatis *euenient vobis* omnibus.

Expoſitio.

Propte-

Digitized by Google

Propterea dico vobis. Proptera refertur ad potentiam, quæ datur credenti, & exequitur modo, quem paulo poſt proſequitur ſcilicet, deprecatorio. Vnde ſic litteram exponito; vt habes ſupra. *Dico vobis*, ait, vt locutionis grauitate, non tam pollicens, quam largiens auctoritatem hanc ſeipſum

Sap.6. inſinuet. Quia poteſtas Dei eſt, qui condidit omnia; & ab ipſo datur poteſtas vobis, ait ſapiens ad homines.

Omnia quæcumque orantes petitis. Præſcribitur modus, quo creaturæ conceditur miracula facere; qui cum deprecatorius ſit, Deum, ad quem orat, profitetur, & ad eius gloriam fore miracula ſubindicat; non hominis, per quem Deus illa efficit. Hinc Chriſtus, vt homo, dixit: Ego gloriam meam

Ioann.7. non quæro. Ego glorifico patrem meum. *Orantes petitis*, ait, vt petitionem orationis partem eſſe doceat, quemadmodum Paulus proſequitur? Secundo vt habita orationis dignitate, petens fieri miraculum, ſe dignum tali petitione exhibeat.

Greg. Niſſ. Oratio enim (ſecundum Greg. Nyſſ. lib. de

Quid ſit oratio? oratione) conuerſatio, ſermocinatioque cum Deo eſt: viſum effugientium contemplatio; eorum quæ concupiſcuntur certa fides; eiuſdem cum Angelis honoris conditio, bonorum progreſſus, & incrementum, malorum ſubuerſio, peccatorum emendatio, præſentium fructus, futurorum repreſentatio. Ergo qui orans petit, is eſſe debet, qui per gratiam digne poſſit cum Deo conuerſari; qui ſpiritualia potius attendat, & cæleſtia, quæ fides proponit: Gerit enim Angeli honorem, & miniſterium.

Credite. Repetit fidei actum internum, qui eſt *credere*; vt operantem moueat, ſe Deo ante omnia coniungere, & ſatagare primo in ſe, quàm in alijs miraculum operari. Miraculum quippe eſt, cor, atque mentem ſepultam in corpore terreno, eleuari in cælum, & adhærere Deo ſpiritualiſſimo animum, qui corruptibili adhuc corpori miſcetur. Hoc primum qui non efficit, fruſtra mirabilibus orbem replet. Quod ait *credite*; vt ad credulitatem, ac fidem alijs perſuadendam fieri miracula, & eo dari poteſtatem indicaret. Vt docet Clemens lib.

Clem. 8. conſtit. apoſt. cap. 1.

Quia accipietis. At accipere nemo deſiderat niſi bonum, ergo bonum eſt, quod peti debet. Proinde Baſilius (homil. in

Baſil. Martyrem Iulitam, quæ eſt ſcilicet inter homil. variorum argumentorum) oratio eſt boni cuiuſpiam petitio, quæ ad Deum à pijs effunditur. Sed quid eſt (inquit Auguſtin.

Aug. tract. 70. in Ioann.) quodcunque petieritis, cum videamus plerumque eius fideles petere, & non accipere? An forte propterea, quia male petuntur? Nam hoc exprobrauit

Iacob.4. Apoſtolus Iacobus dicens: Petitis & non accipitis, eo quod male petatis, vt in concupiſcentijs veſtris inſumatis. Male ergo vſurus eo, quod vult accipere, Deo potius miſerante non accipit. Proinde ſi hoc ab illo petitur, vnde homo lædatur, exauditus, magis metuendum eſt, ne quod poſſe non dare propitius, det iratus, vt exemplo Iſraelitarum, qui petierunt carnes, probatur.

Et euenient vobis. Accipere refertur ad propriam perſonam, quæ petit: *Euenire* ad eos, pro quibus petitio fit. Sed enim miracula quandoque petit homo in ſeipſo fieri, & accipit, vt martyres in agone poſitos legimus exoraſſe, vel oculos effoſſos ſibi reſtitui; fractum corpus reintegrari; ac tutum à beſtijs eſſe; accepiſſeque mira quoque circa alios, quod frequentius eſt, præſtari petunt ſancti, & *euenient* eis: eis quidem, quoniam donum ei, propter quem conceditur, magis quàm cui conceditur, tribui ſolet.

CAPVT XXV.

Et cum ſtabitis ad orandum, dimittite ſi quid habetis aduerſus aliquem: Vt & pater veſter, qui in cælis eſt, dimittat vobis peccata veſtra.

HActenus de fide, quæ in perpetrandis miraculoſis exigitur, poſt hac agit de ſtatu, quem perpetrator miraculorum inquiret, cupiens ſic alios miraculis ædificare, vt maiorem ipſe apud Deum gloriam & dilectionem ſibi comparet. Eſt autem eiuſmodi charitatis ſtatus. Etſi ergo ait magnum ſit accipere omnia, quæ in fide petuntur, excellentius eſt hominibus charos eſſe Deo. Quare *cum ſtabitis* coram Deo, *ad orandum* pro hoc, aut illo miraculo aſſequendo, curate induere charitatem, & amorem Dei, & quod eſt minus ei gratum exuere. Præſertim *dimittite* ex corde, ſi quid odij, & rancoris habetis in proximum, *aduerſus* eum, qui vos offendit, vt veſtrum conſpiciens pium animum, *pater* ille *veſter* amoris, & dilectionis, *qui in cælis eſt* declarans ſeipſum glorioſum, *dimittat* magnificentiſſime *vobis* non tàm leuia in quibus iuſtus quotidie offendit ſepties, quàm enormia *peccata veſtra* ſi ad ea incideritis, quacumque ex cauſa, & impulſu. Expoſitio.

Et cum ſtabitis ad orandum. Verbo *ſtabitis* orantis animum fore attentum innuat. *Stare* enim, eſt ſuper pedes, quibus affectus ſignantur, firmum eſſe, & è terra ſubleuatum toto corpore cælum verſus. Quapropter ait Baſil. (conſtit. Monaſtica, *Baſil.*
cap. 1.) quandocunque inſtituis orare, coniugem, liberos, neque adeo ipſum relin-

quito,

Digitized by Google

quito, à terraque procul abſcedito, cælumque ſuperato, & naturas omnes, tàm, quæ cerni, quàm quæ cerni non poſſunt, relinquito, & ab eius glorificatione exordito, qui omnia condidit. Si vero (ſubdit inferius) propterea quod à peccato debilior factus, hoc à te ipſo impetrare non potes, quin interim dum oras, animo, & mente diſtraharis: enitere contra, quantum potes, & ipſe tibimetipſi vim affer, & coram Deo *ſtare* perſeuera, mentemque tuam in illum defixam tene, ipſamque ad ſeipſum aduoca.

Orans omnia præter Deum obliuiſcatur.

Excutienda diſtractio.

Dimittite ſi quid habetis aduerſus aliquem. Eos alloquitur (ſecundum Ariam Montanum) qui fidem nondum habent, ad eam tamen omni ſtudio pietatis, ac precationum contendunt obtinendam à Deo. Nam qui fidem Dei habent, cum charitatem perfectam Dei in ſe habeant, nihil malæ mentis, nihil odij aduerſus aliquem conſeruant. Quod admitto in eo, qui fidem poſſidet formatam. quam in miraculis non ſemper requiri oſtendimus, niſi cum ex ijs lucrum reportare ſpirituale intendit, ad quod Chriſtum hoc loco hortari littera docet. Quare fidelem hic alloqui certum eſt, non eum, qui nondum habet fidem. Alioqui narratio ab his debuiſſet inchoari. *Dimittere* itaque perſuadet oranti, hoc eſt eſſe in charitate, liberum ab odio, & voluntate vindicandi ſe propria auctoritate ab inimicis; quare (inquit Lyra) ſciendum, quod hoc intelligitur de remiſſione offenſæ, quia homo tenetur eſſe in charitate; ſed remiſſio iniuriæ, non eſt de neceſſitate: poteſt enim aliquis petere ſecundum ordinem iuſtitiæ recompenſationem pro iniuria ſibi facta. Conſonat his S. Thomas, & multitudo Doctorum; minimè tamen integritas charitatis, quæ ſicut nos ipſos præcipit diligere inimicos, benefacere eis, & pro illis orare. Quod vix ſcio quomodo poſſit ab eo fieri, qui contra paſſum quærit, niſi fuerit iuxtà cor Dei, qui ſic vindictam exercet, vt non iraſcatur, & ſic peccantem affligit, vt tenerè diligat.

Arias Mõt.

Orans charitatem cum alijs ſeruet.

Lyran.

S. Thom.

Vt & pater veſter, qui in cælis eſt. Perſuadere volens dimiſſionem iniuriæ *patrem* proponit, coram quo nemo mundus, nec infans vnius diei, quinimo omnes offendimus ſponte, & videmur frequenti ſcelere, & multitudine, ac varietate peccatorum aduerſus eum armari, & audacter bellum giganteum ſuſcitare, ingratiſſimi; quandoquidem *in cælis* nobis omnibus habitaculum præparat; & inde multifariè nos ditat, & recreat, vt eo aduehamur; tantum igitur patrem in memoriam reuocat, vt vel vnico exemplo conuincamur.

Ingratitudo peccatorum

Dimittat vobis peccata veſtra. Plurali vtitur quum de offenſis noſtris in Deum agit, ſingulari verò; quando hominis in hominem proponit iniuriam. Quod reuera ſingulariſſima ſit, & vix vna offenſa, quæcunque frater in fratrem agit, comparata his, quibus Deum paſſim inſimulamus, offendimus, & ei nos oſtendimus ingratiſſimos. Hinc ille: Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine. *Pſal. 18.*

CAPVT XXVI.

Quod ſi vos non dimiſeritis, nec pater veſter, qui in cælis eſt, dimittet vobis, peccata veſtra.

Dimittet itaque pater dimittentibus, *quod ſi vos* duro animo fueritis vt *non* miſereamini cõſeruis, nec *dimiſeritis*, quæ in vos commiſerunt iniuſtè, *nec* iuſtiſſimus *pater veſter*, & vindex omnium, *qui in cælis eſt*, veſtra conſiderans, & ſcrutans corda, *dimittet vobis*, vt optatis, & petitis quotidie, *peccata veſtra*, quæ maris arenæ numerum excreſcunt, & ſuperant. Expoſitio.

Quod ſi vos non dimiſeritis. Hoc enim frequentiſſimum eſt, & ſi ergo ſub priori affirmatione includeretur, voluit Chriſtus exprimere, vt magis ab eo homines arceret. Quemadmodum præcepta negatiua, quæ ſub affirmatiuo diliges proximum, intelliguntur, videmus numerari, vt maiori ſtudio caueantur. Nam quiſque non dimiſſo peccato, ſic orat (ſecundum Gregorium hom. 27. in Euangel.) in ipſis ſuis precibus contra conditorem pugnat. Vnde, & ſub Iudæ ſpecie dicitur: Fiat oratio eius in peccatum. Oratio autem in peccatum eſt, illa petere, quæ prohibet ipſe, qui petitur. *Greg.* *Pſal. 108*

Nec pater veſter, qui in cælis eſt. Vindicem volens Deum oſtendere, in cælis, qui alioqui placidiſſimi ſunt, & ſedes Beatorũ, eum eſſe dicit; vt genus vindicationis Dei aperiat, videlicet eſſe, cælum, in quo ipſe eſt, prohibere ſceleratis, & faciem ſuam negare. Hoc enim eſt ſummum ſupplicium. Nam pœnalia quæ peccatorem tàm in vita preſenti, quàm in futura ſequuntur nihilo ſunt comparata ſupplicio damni vnde dixit: Abſcondam faciem meam ab eis, pro damno incomparabili, quo infelices punit.

Summum ſupplicium.

Dimittet vobis peccata veſtra. Ergone reſeruat iram? Abſit, ſed punit in æternum non iratus, ſed beneuolus ſemper, quia citra condignum, vt ferunt Theologi, cruciat in inferno.

CAPVT

CAPVT XXVII.

Et veniunt rurſus Hieroſolymam. Et cum ambularet in templo accedunt ad eum ſummi Sacerdotes, & Scribę, & Seniores.

Expoſitio.

HIs itaque ſalutiferis collocutionibus, *veniunt rurſus* pedetentim *Hieroſolymam*, cuius ciues properabat ad veritatem reducere. *Cumque* opus alioqui arduum penes ſe meditans *ambularet in templo, accedunt ad eum*, quos quærebat ſaluare, longe tamen multo ab inſtituto. Erant *ſummi Sacerdotes*, qui oculos ſuos ſtatuerant in terram declinare, *& Scribæ*, quorum ſtylus erat mendoſus, *& Seniores* pleni iniquitate; hi quidem vno animo in malo obſtinatiſsimo acceſſerunt ad eum, pugnaces potius, quàm ſtudioſi veritatis.

Et veniunt rurſus Hieroſolymam. Duce tamen Chriſto, & Magiſtro, quia per eam quæ ſurſum eſt Hieruſalem nobis patere aditum, & introitum ad patrem conceditur. Is oſtium eſt, & ingreſsis pax, quam nomen ipſum Ieruſalem ſignat.

Chriſti proprium ambulare.

Et cum ambularet in templo. Hoc quidem Chriſto eſt proprium, reliquorum autem ſtare, vel ſedere in templo. Sed, & in templo Dei, qui docet; qui regit, & adminiſtrat ſacra; ſtat autem qui obſequitur iuſsis, & audita promptè exequitur; ambulat ſolus Chriſtus, vt cuncta ſecundum ordinem debitum diſponantur, diſtribuantur ſingulis donationes gratiarum, redeant peccatores ad cor, & iuſti confirmentur. Vt enim ſol omnia circuit, & Dux belli caſtra circundat; ſic Chriſtus, vt iuxtà menſuram ſuam quiſque donum à patre luminum accipiat, more ambulantis in Eccleſia ab vno ad alium diſcurrit, nunc huic meritum ſuum communicans, quia dignus, nunc denegans illi, quia indignus.

Triplex genus malignè accedentiũ.

Accedunt ad eum ſummi Sacerdotes, & Scribæ, & Seniores. Nominantur accedentes, vt triplex genus malignè accedentium ad Deum, quos ipſe odio perfecto deteſtatur, in his contemplemur; videlicet Sacerdotes qui ignorant legem; doctores, qui non habent intelligentiam, & qui inueterauerunt in diebus malis: ex his enim prodeunt obſtinati; ſecundi facillimè in hæreſim prolabuntur, fiuntque vel hæreſum auctores, vel ſectatores; primi diſpergunt gregem ad vitia diuerſa, dum ignorantes, quæ ſtatus ſcire poſtulat, quid inter ſanctum, & pollutum interſit neſciunt, nec quid vtilius ſit omnibus, diſcutiunt.

CAPVT XXVIII.

Et dicunt ei: in qua poteſtate hęc facis? & quis dedit tibi hanc poteſtatem, vt iſta facias?

Expoſitio.

POſtquam igitur maligni acceſſerunt, *dicunt ei*, & aperiunt iniquitatem, quam conceperant. Tu homo priuatus cum ſis, & plebeius, quomodo audes nobis incõſultis, quæ potentatum ſunt, agere? Quod ſi licet, quorſum, *in qua poteſtate*, vel propria, vel accepta *hæc* inſolita *facis* non oſtendis? *Et* ſi, vt conditio tua denotat, nulla tibi propria ineſt poteſtas, ſed aliena; cur non ad Synagogam, & Reipublicæ Patres prius acceſsiſti, vt exponeres cunctis, *quis* in terris *dedit tibi hanc poteſtatem*, & imperium, *vt iſta facias*, quæ noſtram deſtruant, & aduerſentur conſuetudinibus, quas obfirmauit antiquitas?

Inuidia maiorum in Chriſtum.

Et dicunt ei. Perciti odio, quod viderentur negligi; pleni malitia, quod dubitarent omnino deſeri; & vſquequaque obuoluti inuidia, quod apud populum celebrior in dies Chriſtus fieret; his enim obſtricti maiores populi, *dicunt ei*, & proponunt, quæ ad eos non ſpectabant, vltra inquirere. Quum ex ſignis conſtarent iuxtà illud: Si mihi non creditis, operibus credite: verum odio cæci, malitia frenetici, & rabidi inuidia, audientes non audierunt verba, & intelligentes non intellexerunt facta, quæ apertè & poteſtatem, & poteſtatis auctorem monſtrabant.

Ioann 10.

Fraus interrogationis.

In qua poteſtate hæc facis. Fortè aſtutè interrogarunt, vt ſi reſponderet Dei Patris, publicè de arrogantia inſimularent, vt alibi; Homo cum ſis facis te ipſum Deum. Si propriam confiteretur hominis auctoritatem, patribus inferiorē dicerent, nihilominus illud eiſdem hoſtem eſſe; vt qui illis videretur aduerſari, proclamarent; ſi neutrum, quod alias concluderent: Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? Sicque omnifariam apud plebem minorarent excelſum, & minoratum facilius conſilium de morte inferenda illi, explerent. Sed inite conſilium, congregamini, venite, dicite, & proponite inſulſum decretum diſsipabitur.

Ioann. 8.

Et quis dedit tibi hanc poteſtatem. Poteſtatem itaque Chriſto ineſſe confitentur, vnde dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit. Auctorem autem prorſus ignorant, eſſe, inquam, ignorant Deum humanitatis coniunctum. Tametſi Chriſtus vt ſcribit Euthychianus Papa ep. 1. Decretal. per omnia Euangelici ſermonis modum tenuit, vt ſe Dei filium credi doceret, & hominis filium prædicaret, &

Euthy. Papa

adnione-

admoneret, loquens, & gerens homo vniuerſa, quæ Dei ſunt; loquens, & gerens deinde vniuerſa, quæ hominis ſunt, ita tamen, vt in ipſo illo vtriuſque generis ſermone, nunquam niſi cum ſignificatione hominis loquutus ſit, & Dei.

Inuidiæ fucus.

Vt iſta facias. Non exprimunt facta, ne nouam gloriam Chriſto conciliarent; ſed, *iſta*, dicunt quaſi per yroniam, & contemptum, velut ſuperbè, & arroganter acta. Sic quidem ſolent æmuli, quos liuor inuidiæ corrodit. Quia ipſe ſibi teſtimonium perhibet (ait Gregorius lib.5. mor. cap.33.) quod eo minor ſit, cuius inuidia torquetur. Hinc eſt, quod hoſtis callidus primo homini inuidendo ſurripuit, quia amiſſa beatitudine minorem ſe immortalitate illius agnouit. Hinc eſt, quod Cain ad perpetrandum fratricidium corruit: quia deſpecto ſuo ſacrificio, prælatum ſibi infremuit, cuius Deus hoſtiam accepit, ne vtcunque eſſet, amputauit. Hinc Eſau ad perſecutionem fratris exarſit, quia primogenitorum benedictione perdita, quam tamen Eſau lenticula ipſi vendiderat, minorem ſe eo, quem naſcendo præibat, ingemuit. Denique omiſſis pluribus exemplis, quod præſtantiora in Chriſto facta conſpicerent Iudæi, inuidia torquentur, & mouentur necem iuſto inferre.

Greg.

Exempla inuidiæ.

CAPVT XXIX.

Ieſus autem reſpondens, ait illis; Interrogabo vos, & ego vnum uerbum, & reſpondete mihi: & dicam uobis in qua poteſtate hæc faciam.

Expoſitio.

CAllidi in malo, in bono aſtutiorem, & prudentiorem agreſsi, compelluntur cedere. Ita *Ieſus* patris ſapientia, *reſpondens* prudenter, *ait illis*, & ſatisfacit longè aliter, quàm putarant. *Interrogabo* (inquit) id quod noſſe vos primum oportet; & vt multiloquium non obſiet, nec veritati, nec intelligentiæ, eo prætermiſſo. *Ego unum uerbum*, ſed neceſſarium ſcrutatoribus poteſtatis meæ, proponam. *Et uos* qui peritiam rerum diuinarum profitemini, *reſpondete mihi* pro veſtra facultate. Et poſtquam iuſtum acceperim reſponſum, *dicam* ingenuè *uobis in qua poteſtate*, humana ſeu diuina, vel vtraque *hæc* mirabilia, quæ ſunt cunctis ſtupori *faciam* tanta cum facilitate, & potentia cui nihil reſiſtit.

Ieſus autem reſpondens. Non quidem ad propoſitam quæſtionem, quam vniuerſa eius verba, & facta diluerant, ſi attendiſſent; ſed *reſpondit* ad cauilloſos peſsimorum animos, qui tota die cogitabant dolos, & vt in ſacculis diuerſa pondera portabant, vt deciperent rectos corde; etiamſi fieri potuiſſet veritatem ipſam Chriſtum. At is reſpondet, vt ſol omnem fallaciæ nebulam eliminet.

Ait illis. Vt quos factis, ac verbis, mox ſolo verbo deturbet, & deijciat. Quia dabit voci ſuæ vocem virtutis, vt haud ſecus, quàm fulgure caliginem illuſtret, & proſternat cor altum ſuperborum; qui dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti inueniantur.

Interrogabo uos, & ego unum uerbum. Hebræa phraſis eſt *unum uerbum* pro quæſito vno, & integro facto, vt: Cras faciet Dominus *verbum* iſtud. *Verbum* ſecretum habeo ad te. Videamus hoc *verbum*, quod factum eſt; & alias ſæpe *verbum* legimus pro colloquio abſoluto, & pleno opere. Siquidem apud auctorem, vniuerſa, quæ vel dici, vel operari poſſunt vnum *verbum* ſunt. Quia ſemel locutus eſt Deus, & dixit fiat, & factum eſt in ſua æternitate, non multiplex, ſed vnum, vt ipſe vnus.

Exod 9. Iud 3. Luc. 2

Vnum in Deo verbũ non multiplex.

Et reſpondete mihi. Poterat (inquit Gloſſ. ordin.) aperta reſponſione, calumniam tentatorum confutare, ſed prudenter interrogat, vt vel ſilentio ſuo, vel ſententia condemnentur. Itaque reſpondet malus dupliciter creatori, ſilentio cum non operatur benè, malè factis aſſuetus: & ſententia, quando bonum ipſum vltroneus expugnat.

Gloſſ. ord.

Et dicam vobis, in qua poteſtate hæc faciam. Neque enim aliter poteſtatem declarat hominibus. Qui opportunè Chriſto interroganti reſpondent, & operantur benè, dum dies eſt, potentiam glorificatoris agnoſcunt, & experiuntur: Iudicis autem terribilus, qui ſecus agunt.

CAPVT XXX.

Baptiſmus Ioannis de cælo erat, an ex hominibus? Reſpondete mihi.

Expoſitio.

EN verbum, quod vobis propono. *Baptiſmus* ille toti Iudeæ celeberrimus; *Ioannis* ore promulgatus, & datus manibus, *de cælo* ab omnipotente erat deſcendens, *an* vero *ex hominibus* inuentus? Hoc ego cupio in primis ex vobis ſcire. *Reſpondete* igitur *mihi*, & veſtram de hac re ſententiam quamprimum proferte.

Baptiſmus Ioannis. De hoc quærit primum. Quoniam huius exacta notitia ad poteſtatem Chriſti agnoſcendã erat præambulum, ſicut & Ioannes, Chriſtum prænuntiabat. Etenim tàm Ioannes ipſe, quàm quæ geſsit, præcurſoria erant ad Chriſtum, & eius acta. Vnde qui Ioannem ſequebantur, facillimè Chriſto adhæſerunt; qui verò inſultarunt ei dicentes: Cur ergo bapti-

Ioann. 1.

zas,

Digitized by Google

zas, ſi tu non es Chriſtus, neque Helias? Chriſto pariter mox aduerſati ſunt.

De cælo erat, an ex hominibus? De cælo, ait, in ſingulari, quia quod eſt ſurſum, & ſpirituale, ab vno eſt patre luminum, apud quem non eſt tranſmutatio decreti, ſicut nec cælum impreſſionem qualitatis peregrinæ patitur. *Ex hominibus* in plurali dicit; quod inuentum humanum ſæpius multorum conſilio completur.

Reſpondete mihi. Non ſolum ad ſimplex quæſitum vult ſibi reſponderi, ſed ad ea, quæ de Ioannis ſanctitate ferebantur; iuxtà Victoris Antiocheni iudicium. *Vict. Ant.* Cæterum (inquit) cum Chriſtus Dominus de Ioannis baptiſmo interrogat, de gratia, & ſanctimonia, qua ille præ cæteris mortalibus ornatus erat, interrogat. Illa enim vna erat, quæ eum venerandum, & teſtem fide dignum, omnique exceptione maiorum apud omnes efficiebat. Exponito ergo mihi, ait Chriſtus, ex *Deone erat Ioannes Baptiſta, an ex hominibus?* quod autem ex Deo eſſet, id ipſemet Ioannes, iam dudū antè planum fecerat, omnibuſq. efficaciter perſuaſerat.

CAPVT XXXI.

At illi cogitabant ſecum, dicentes: Si dixerimus de cælo, dicet: Quare ergo non credidiſtis ei?

Expoſitio. Dubium quidem motum, ſeu quæſitum erat facillimum: *At illi* qui vulpina veſte induebantur, fraudem in eo meditabantur. Quapropter *cogitabant* mutuo, & *ſecum* erant *dicentes*. Hem apprehendimur, niſi diligenter conſultemus ſuper reſponſo. Nam *ſi dixerimus* eum reliquo populo, qui poſt Ioannem ibat, Ioannis baptiſma *de cælo eſſe*; illico contra nos inferet, dicetque: *Quare ergo* vos, qui faciem cæli dignoſcitis, & cæleſtiū profeſſores eſſe gloriamini; *non credidiſtis* vt omnis Iudæa, neque adhæſiſtis *ei*, vt plerique Gentilium?

At illi cogitabant ſecum. Non vt ſapienter reſponderent; ſed ſapientiam potius declinarent. Eo quidem tendunt malorum cogitatus, & qui peruerſi ſunt ſi quid ſecum cogitant, & apud ſemetipſos conſultant, nihil magis, quàm inueteratam malitiam conſeruare ſtudent, vt cancer morbus, qui ab atra bile efferueſcens, vbera per quæ ſerpit, & carnem multipliciter colligat; at demum cogitationes impiorum eradicabuntur, vt & cancer igne, & ferro. *Inuentio malorum in malum ſemper.*

Dicentes. Primum ſecum, deinde inter ſe; & ſemper malum. Nam peruerſorum eſt, ita male interſe loqui, ſicut animo conceperunt; iuxtà illud: Concepit dolorem, & peperit iniquitatem. *Pſal. 7* Secus factitant boni, qui, ſi agitati primis naturæ motibus, inhoneſtè cogitant, menteque in malos incidunt cogitatus, digitum ori ſuo imponunt, nec audent manum extendere ad rapinam, ſi quando mens ſuadeat; quinimo deteſtantur illico facinus, & lachrymis expiant, quæ animus malè concepit, memores oraculi: Iraſcimini & nolite peccare, quæ dicitis in cordibus veſtris, & in cubilibus veſtris compungimini. *Pſal. 4*

Si dixerimus de cælo. Hoc dicere trepidant. Vt enim à *cælo* longe facti ſunt peſſimi, ſic graue ducunt quippiam de cælo dicere; nec ſciunt: Quia animalis homo non percipit, quæ Dei ſunt in cælis, & de cælis operatur Deus Deorum, qui ſuper cælum cæli habitat. Sunt quidem iſta ſapientia: at excelſa ſtulto ſapientia: in porta non aperiet os ſuum, vt loquatur bona, quæ deſurſum ſunt, ſed terrena: Quoniam qui de terra eſt, terrena loquitur.

Dicet nobis. Ideſt reprehendet, equidem præuaricatores, qui habenas vitijs laxarūt, tametſi nihil contra ſe à iuſtis audiant, nec experiantur fieri; arguente eos conſcientia ſua, trepidauerunt timore, vbi non fuit timor, & iugiter timent, ne iuſti propalent in eos peccata diſciplinæ eorum, & tanquam nugaces ab eis æſtimentur.

Quare ergo non credidiſtis ei? Dicenti ſcilicet & operanti; non, inquit, *in eum*. *Credere ei, & in eum, diuerſa ſunt.* Namque *in eum* credimus tantum, qui nos ſaluat, ne pereamus; qui nos redimit, ne vltra ſeruiamus peccato; & qui glorificat nos, vt regnemus. Vnde intonat fides: Credo in vnum Deum patrem omnipotentem; & in Ieſum Chriſtum filium Dei vnigenitum; & in Spiritum ſanctum; vt omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam. Itaque in eum credere, eſt fidem integram de Deo, & Redemptore habere; credere ei, eſt acquieſcere vitæ, moribus, & doctrinæ, non tàm Dei, quàm creaturæ, vt hoc loco Ioanni. *1. Ioh. 3.*

CAPVT XXXII.

Si dixerimus, ex hominibus, timemus populum: omnes enim habebant Ioannem, quia verè Propheta eſſet.

Adhuc dicentes ſecum cogitant. *Si dixerimus* (inquiunt) Ioannis baptiſmum *ex hominibus* fuiſſe profectum & ordinatum, in populi periculum & furiam nos conijcimus. *Timebant* ſiquidem *populum*. Omnes enim regionis homines illis exceptis habebant, & reputabant Ioannem non vulgarem hominem, ac terrenū quempiam, ſed de cælo miſſum, & quod verè, verumque *Prophꝫeta eſſet*, qui bona orbi annuntiaret. *Expoſitio.*

Si dixerimus ex hominibus. Et hoc dicere dubitant, tametſi ita eſſe ſibi perſuaderent,

rent. Habet quidem neſcio quid pudoris, & erubeſcentiam quandam ex ſeipſa importat hæreſis, error, & peſtilens malum, vt infectus eo formidet, & verecundetur

Hæreſis & erroris horror.

multoties illud propalare; tum maximè coram arbitris, qui facile in eum valeant animaduertere, & iuſtum de eo, pro dicendi temeritate, ſupplicium ſumere, è conuerſo qui veritatem tum fidei, tum morum profitetur, non erubeſcit loqui coram aduerſarijs. Quin vt leo præſentibus venatoribus animatur ad pugnam, & confidit, quia veritas ſuper omnia vincit, & liberat, atque tuetur. Vnde dicit: Non timebo millia populi circundantis me. Quia veritas ipſa clamat. Nolite timere eos, qui occidunt corpus.

Pſal 3
Matth. 10.

Timemus populum. En Hæreticorum miſeriam, facti à facie Domini exules, & profugi, omnem populum, & cuiuſcunque occurſum timent, ne occidantur, ne accuſentur, & ne cauſam dicere apud iudicem cõpellantur. Ideo non palã, ſed clam zizania ſeminant; non ambulant in die, ne deprehendantur, ſed in tenebris ambulant, vt incendiũ quod mente tractarunt, perficiant.

Hæreticorũ trepidatio.

Omnes enim habebant Ioannem. Sanctum ſcilicet in primis eum habebant apud ſe. Ac propterea omnis Ieroſolyma exibat ad eum, libenter verba eius audiebant, & baptizabantur ab eo, recedenteſque monita ſalutis accipiebant, propter opinionem ſanctitatis, quam de eo conceperant. Hæc enim opinio trahit populos, eoſque ad optima quæquæ perſtringit, qui non opinione tantum ſed veram eſt aſſecutus ſanctitatem. Scriptum eſt enim: Liberat animas teſtis fidelis: & profert mendacia verſipellis.

Quia verè Propheta eſſet. Ac propterea eũ ſumme venerabantur. Eſt quidem tàm Prophetæ, quàm prædicatoris, qui locum nunc Prophetæ gerit, ea dignitas, quæ ex ſe etiam denudata ſanctitate, honorem meretur, & reuerentiam; ſed duplicem qui ſanctitatem eam ſociant, iuxtà illud: Qui bene præſunt presbyteri, duplici honore digni ſunt.

1. Tim 5

CAPVT XXXIII.

Et reſpondentes, dicunt Ieſu: Neſcimus. Et reſpondens Ieſus, ait illis: Neque ego dico vobis, in qua poteſtate hoc faciam.

Expoſitio.

DEnique poſt multas conſultationes, magis ignaros, & maligniores, quàm antea ſeipſos conſiliarij peſſimi oſtendunt: ſecus Chriſtus prudẽtior cognoſcitur. Etenim illi *reſpondentes* iuxtà eorum malũ animum, & inueteratũ dolũ, *dicunt Ieſu*, & reſpondent: Nos quidem his, quæ nos interrogas, ſtudiũ non adhibuimus. Quare in præſentia potius ſtatuimus dicere, *Neſcimus*, quàm quippiam imperitè proferre, aut repugnans. Hæc illi, qui ſe cunctis peritiores gloriabantur, vt auderent ſapientiã ipſam taxare. Et Chriſtus, quid differentius multo & ſapientius *reſpondens Ieſus* amator ſalutis, *ait illis* prudentiſsimè. Quia vos elementa quæſiti neſcitis, *neque ego* neſcientibus *vobis dico* quæ ſunt magnorũ doctorũ. Videlicet *in qua poteſtate*, cæleſti inquam vel terreſtri, *hac*, quæ in terris cerniris, ipſe *faciam*. Altiora ſunt enim iſta veſtris mentibus, & digniora quàm animi veſtri indigniſsimi recipiant.

Et reſpondentes dicunt Ieſu. Quum nihil proferant dicũtur reſpondiſſe, & ſatisfeciſſe. Conditio quidẽ eſt ſtultorũ, & ingratorum hominũ, præſertim hæreticorum, qui ad veritatem, de qua quæruntur, nunquã reſpondent; nihilominus quicquid oblatrarint, vt reſponſionẽ acutiſsimã celebrant, & coram multitudine, vt alliciantur imperitorũ animi, magnificant; ſeque iactant ſapientiores, ſeptẽ ſapientibus, qui loquuntur ſentẽtias; Prou. 26.
etſi tacuerint, pariter ſapiẽtes reputabũtur, etſi compreſſerint labia ſua, intelligẽtes, ſed Prou. 17
à ſeipſis, non ab alijs, qui vera diſcernunt.

Neſcimus. Quia neſcierunt, neque intellexerunt in tenebris, quid lucerna, & lucens eſſet; nec qui didicerant malefacere, vt dicerent bonum, malum, & malum bonum, quod bonũ eſt, & ſalubre atque cæleſte ſcire valent. Itaque *neſcimus* dicunt continuo illi, quos ignorantia, & malitia obuoluit.

Pſal. 81
Vulgaris excuſatio peccatorum.

Et reſpondens Ieſus. Vt ſemper altiſsimè, & ſapienter: quia ego ſapientia effudi flumina ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, vt facies principum admirentur me, & ſermocinante me, manus ori ſuo imponant.

Ait illis. Condolens quod incapaces, & indiſpoſiti eſſent, audire quæ ad ſalutẽ ſpectant, & perficiunt hominem totum.

Neque ego dico vobis O lugubre ſpectaculum, lux venit in mundũ, vt illuminet omnẽ hominẽ venientẽ in hunc mundũ; tamen dicit: *neque ego dico vobis*: fortene quod noluit? abſit, vult enim omnẽ hominẽ ſaluũ facere. Quid ergo? Receſsit ſapientia, & conſiliũ à prudente? Minus multo, quia in ipſo habitant omnes theſauri ſapientiæ, & ſciẽtiæ. Igitur cur non dicit? quia nubem oppoſuerunt peſſimi veræ luci; quia peccata veſtra diuiſerunt ò Iudæi inter vos, & Deum veſtrum, vt non loquatur iam vobis Dñs.

Coloſſ. 2.

In qua poteſtate hæc faciam. Poteſtas Chriſti nequibat verbis explicari, vt quæ Deus ipſe; ſed tantũ factis credi oportuit. His enim exhibitis dixit: operibus credite. Quare his credamus, vt poteſtatem eius confiteamur, & participemus illius æternitatem in ſæcula ſæculorum, Amen.

FINIS LIBRI VNDECIMI.

Digitized by Google

IN SACROSANCTVM CHRISTI EVANGELIVM SECVNDVM MARCVM

LIBER DVODECIMVS.

IN CAPVT DVODECIMVM

PRAEFATIO.

VT indignos ſuo reſponſo, quod ſuperius negauit Chriſtus, oſtendat Iudæorum maiores, mox in parabolis docens, parabola vinea reprobâdos, & condemnandos fore ob eorum crimina inſinuat. Quod cum ægre tuliſſent, neque vindictam de eo potuiſſent ſumere; per Phariſæos, & Herodianos propoſita quæſtione de pendendo tributo confundi illum curant. Accidit tamen contrarium, vt qui venerant audaciores, & arrogantiores, redirent humiliores, & confuſi. Eandem quoque ignominiam ſecum reportarunt Saducæi, qui exemplo propoſito reſurrectionem fore nullam probabant, ſed reprobauit tàm ſapienter Chriſtus tum exemplum, tum hæreſim, vt ſcribarum, qui aderant, vnus optarit veritatem legis, & mandatorum eius ſummam & excellentiam, & inquirere, ac plenè diſcere. Quare interroganti luculentiſſimè reſpondit Ieſus, & ſatisfecit plenè, tàmque doctum in breue reddidit, vt ſententijs Chriſti quaſi commentarios illico ſuperadderet. Vnde ad eum conuerſus dixit: Non longe ſe à Regno Dei. Præpollens itaq. ſapientia in reſponſis ab æmulis dimittitur, non tamen à pijs, quos auidiores ſuæ doctrinæ agnoſcens docet progeniem Chriſti à Dauid ortum habere. Iubet à Scribis cauere. Et demum pauperem viduam, quæ in Gazophilacium miſerat duo minuta, præfert reliquis, qui abundantius erogarant, vt non tàm manum, quàm animum Deo acceptam fore oſtenderet, perſuaderetque. In duas igitur partes diſtribuatur caput. Prima continet maiorum Iudaici populi Diſtributio. *damnationem, hæreſis Sadducæorum confutationem; ſecunda complectitur veram legis doctrinam, & ſingulare pietatis documentum.*

CAPVT PRIMVM.

Et cœpit illis in parabolis loqui: vineam paſtinauit homo, & circumdedit ſepem, & fodit lacum, & ædificauit turrim, & locauit eam agricolis, & peregrè profectus eſt.

ETſi poteſtatem, qua miracula operatur, Expoſitio. denegauerit Chriſtus, exponere eam, qua in æternum punientur ingrati, inſinuat parabolis. *Et cœpit*, inquit Euangeliſta, *illis* qui aderant, *in parabolis*, ac ſimilitudinibus *loqui*, quæ peruicaciam hominum delinearent, & ſupplicium; *vineam*, inquit, ſibi dilectã *paſtinauit*, ac diligẽtiſſimè fodit *homo* agricola; & vt germinantẽ ſeruaret *circumdedit* in gyrum *ſepem*; & vt vendemiã exprimeret oportuno loco *fodit* ibidẽ *lacum*; & vt excubias contra beſtiarum, & prætereuntium rapinas ipſe duceret, & qui vigilias noctis pro eo obſeruarẽt, *ædificauit* lapide polito, & forti *turrim* prœminentẽ; & demum *locauit eam* ad tempus, & tempora, & dimidium temporis *agricolis* multis, qui amplã poſſeſſionẽ ſedulo excolerent. Et ijs ex voto completis *peregrè profectus eſt*, quo eũ vocabãt negocia ardua, & lucra maiora.

Et cœpit illis in parabolis loqui. De ſermone parabolico, quo Chriſtus, more gẽtis paleſtinæ, paſſim vtebatur, dictũ eſt ſatis, ac ſæpius; cur autem poſt negatã poteſtatẽ, *in parabolis* loquatur, inquiramus. Perſuaderer Cur in parabolis loquatur factũ eò vt poteſtatis diuinæ agnitionẽ dependere, non à ſimplici verbo, vna, aut altera ſententia, qua ſolet humana explicari; ſed à *parabolis*; hoc eſt notitia creaturarum, quæ collatæ auctori, nihil aliud ſunt, quàm ſimilitudines, & ſymbola, vt ſempiterna quoque virtus Dei, & diuinitas, ſecundum Paulum, agnoſcatur. Quoniam Rom 1 (inquit Euthymius in 1. cap. epiſt. ad Rom.) Euthym. Ex bona creaturarum conſtitutione prædicatur artifex: quemadmodum, & Dauid

Pſal. 18.

ait: Cæli enarrant gloriam Dei. Cognitum porrò Dei, quid ſit, ita diſcere queas: Diuinæ naturæ pars eſt incognita, ipſa incomprehenſibilis eſſentia, pars verò cognita, vt omnia, quæ ſunt de eſſentia, nempe bonitas, ſapientia, virtus, potentia, diuinitas, ſiue maieſtas, quæ & inuiſibilia eius diuus Paulus nominat, intellecta quidem ex operibus. Hoc eſt per ea, quæ creauit Deus (exponit Oecumenius) puta, & per inuiſibilia, & per viſibilia ſui magnitudinem oſtendit: Nam creatura etiam abſque voce per aſpectum creatorem promulgat. Inuiſibilia autem vocat Angelos, omnemque cæleſtem exercitum, facta verò, ea, quæ viſibilia ſunt, puta cælum, terram, mare, itaque creatis omnibus velut *parabolis* mens ad poteſtatem Dei ducitur agnoſcendam.

Attributa diuina cognita ex creaturis.

Oecum.

Creaturæ velut parabolæ notificantes Deum

Vineam paſtinauit homo. Quam alias plantauit. Hoc enim primo geſſit in iuſtis, & ſanctis omnibus, quos Pater cæleſtis plantat plantationes fideles, omne ſemen verum, atque virgultum de terra ſitiente, quouſque reddant fructus temporibus ſuis, veniat tempus putationis, vt tranſplantari ad terram viuentium mereantur; interim plantata vinea paſtinatur, & repaſtinatur, vt mota terra, vberiores reddat fructus. Eſt autem in ſpiritualibus huiuſmodi paſtinatio exercitatio corporalis, & ſpiritualis, quam Deus ſecundum diuiſiones gratiarum inſpirat, & mandat, iuxtà talentum creditum; adiuuatque, vt impleantur; prout quiſque ſeipſum ad opus virtutis accendit, & conatur. Huius vineæ plantator apud Matth. dicitur Pater familias; paſtinator vero Homo dicitur. Quoniam auctor totius iuſtitiæ, vnde iuſtus, Deus, qui & pater familias, eſt; Chriſtus autem mediator. Is eſt enim qui paſtinat, qui mouet terram, qui accepit dona in hominibus, qui viam veritatis aperuit, & promeretur ſingulis benedictionem, & vitam; commouens primo ſui corporis molem, atque agitans, vt non tàm merito ſuo, quàm exemplo cunctos promoueret ad optima ſtudia. Siquidem iuſtum eſt (inquit Clemens lib. 5. conſtitut. Apoſtol. cap. 5.) vt ſit vnuſquiſque perfectus ſicut magiſter ſuus. Sed quid eſt agrum ſeminari, vineam autem paſtinari? Quoniam inde vinum, illinc granum colligitur. At granum, vnde panis, cor hominis confirmat, vinum autem lætificat. Lætitiam verò nemo hæreditat in æternum, niſi anguſtiatur, & laborat, quod eſt *paſtinari*. Confirmationem verò in bono opere, quod quiſque iuxtà vocationem ſuam aggreditur, præſtat ab alto Deus continuo: Vnde eo exiit ſeminans, hoc eſt iugiter largiens, & ſuperinfundens. Itaque tunc homo ſeminatur vt ager, quando auxilium accipit cælitus; quando verò operarius eſt, & laborat, *paſtinatur*, vt *vinea*. Labores enim ſunt, qui vinum amoris in Deum accendunt, & proferunt, vt præter eum non quærat anguſtiatus. Hinc ille: Ad Dominum, cum tribularer, clamaui.

Quid ſit ſpiritualis paſtinatio.

Matth. 21

Chriſtus paſtinator.

Clem.

Pſal. 103.

Pſal. 119

Et circumdedit ſepem. Hæc diſtinguit cultam terram ab inculta, & ſylueſtri, & raptilibus, quæ demoliuntur vineas, ingreſſum prohibet. Quid tamen ipſa ſit dicenda, habes apud Matth. ad quem addito, *ſepem* non incommodè Religionem denotare. Eſt enim religio, quæ Deo internum obſequium præſtat, & externum, iuſtum ab iniuſtis, & fidelem ab infideli diſtinguens, potentialis pars iuſtitiæ; de qua perpulchra apud S. Thom. 2. 2. legito. Circumdat iſta vineam, quod omnem hominem, qui eſt Dei complectatur aliqua ex parte, & diſcernat à Diaboli ſectatoribus, Nam qui ſunt Dei deuotionem, & orationem, quæ ſunt actus interni Religionis exercent, frequentant adorationes, oblationes offerunt, vota complent emiſſa; iurant in iuſtitia, iudicio, & veritate; adiurant cum fert occaſio per Deum & creaturas, & laudibus occupantur diuinis; vt externis quoque Religionem profiteantur, & cultum veri Dei. Eos qui extra vineam ſunt non circundat; quoniam nulla apud infideles Religio eſt. Ab hac incipit ſolum fidelis dum baptizatur, ad eam terminatur, dum vnctionem extremam ſuſcipit, & animam Deo deuouet in extremis vitæ huius conſtitutus.

Sepem religionem denotare

S. Thom.

Exercitia iuſtorum.

Et fodit lacum. Non leonum, ad quem miſſus fuit Daniel; non luti, qui Ieremiam ſordidauit; non vinctorum, & criminatorum, in quam innocens Ioſeph coniectus erat; neque *fodit lacum* inferiorem, cuius profundum peſtilentes hæredicant. Sed *lacum* in quo non eſt aqua, quæ vini dulcedinem, & vim tollat, ſed qui vinum morum contineat; videlicet voluntatem hominis iuſti, quæ incaleſcat intra ſe diuinis ardoribus, & continuo repleatur muſto cæleſti, & charitate, per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis, ait Paulus. Effuſa eſt igitur (infert Theophylactus) Dilectio Dei in corda noſtra, id eſt larga, necnon diues apparet; quippequi habeamus in corde noſtro ſpiritum, quem dedit nobis. Hoc eſt amorem, qui Spiritui ſancto appropriatur. Hunc enim vt botros in torcularis *lacum*, diffundit Deus in corda noſtra.

Theoph.

Et ædificauit turrim. Turris quæ alta ſpeculatur, & ab alto infima reſpicit, fides eſt. Ea enim fidelis, quæ in cælis ſperamus poſſidere, atque æterna proſpicit, necnon quæ in terris demigrant, & agenda ſunt, iis qui hoſtiliter agunt aduerſus eam,

Fides eſt turris.

grauiter

grauiter reſiſtit. Ea enim ſancti vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones, fortes facti ſunt in bello. Quicunq. hac derelicta (notat Euſeb. Emiſſ. hom. 2. de ſymbolo) velut peſſimum ducem proprium ſequitur intellectum, quicumque per ſapientiæ ſuæ ſenſum ad myſteriorum cæleſtiũ ſe putat poſſe peruenire ſecretum, ſic facit, ſi quomodo abſque fundamento ædificet domum, aut ſi prætermiſſo oſtio velit introire per tectum: vel ſi nocte ſine lumine inferat greſſum, totum ſe clauſis oculis mergat in profundum. Hanc ergo fidem velut magnam lampadem, Chriſtus adueniens errantibus viam monſtraturus exhibuit, per quem poſsit Deus ignotus requiri, quæſitus credi, creditus inuenire. Si quidem (vt ſymbolo conſona dicantur) ipſa eſt *turris* Dauid cum propugnaculis, in qua mille clypei pendent ex ea omnis armatura fortium. *Turris* equidem intra quam recipitur Dauid ille, qui non Goliam, ſed principem mundi huius expugnauit; & per quam ſolam eundem induimus in baptiſmo. Ac propterea circundatur propugnaculis, charitate, ſpe, & reliquis, quæ cardinales virtutes dicuntur. Clypei autẽ pendentes mille, eſt Angelorum numeroſus exercitus, qui millenario deſignatur apud Danielem. Pendent hi à fide, non tàm quod per eam draconem vicerint in ſanguine agni; quàm quod in ſedulam noſtri cuſtodiam ſint, tamquam ſolliciti, vt tamquam ſerui à Dominis, videantur à fidelibus pendere. Habet autem omnem armaturam fortium fides, quod omnis victoria noſtra, fides noſtra ſit. Non eſt certamen, quod alia quàm fidei armatura ſuperari valeat. Inde Paulus patrum omnium præclara geſta fidei attribuit. Hanc igitur *ædificauit* homo, hoc eſt Chriſtus, non ſolũ quod ea m meruerit non ſibi, ſed nobis ſuperinfundi; verum etiàm quod factus homo, & conſocians ſe hominibus credibilia explicauerit, cunctis eliminatis erroribus.

Euſeb.

Fides turris Dauid.

Fides eſt armatura noſtra.

Et locauit eam agricolis. Non vni, aut alteri, ſed pluribus ac penè innumeris agricolis locat vineam, vt fructum augeat; ſepem, vt cuſtodiant eam, reparent, vbi agnouerint diſsipari; & *Turrim*, vt diligentes, ac gnaros vigiles ſe cuſtodes interdiu, & nocte exhibeant, ne beſtia deuoret fructum, ne latro diruat maceriem, & ne plantam eradicet inimicus homo. Iſthæc quidem ſunt agricolarum munia, quæ Dominus ab eis exigit. Locatur igitur vinea, vt ſolerti cultura agricolæ viuificent abundantius vites, ferantq. vbertim vuas, non labruſcas. Hoc eſt exemplo ſuo, & exercitationum ſanctarum frequentia, qui præſunt, trahant ſubditos ad vitæ perfectionem, & mutuam ædificationem. Sepes cuſtoditur prædicatione aſsidua verbi Dei, hac firmatur religio, ne continuari deſinat in populo cultus diuinus; reparatur vero præceptis Eccleſiaſticis, quæ peculiari inſtinctu Præſules, vel Concilia perordinant. *Turris* cuſtodes ſunt, qui doctrinam in regimine aſſequuti, Apoſtolicam, & plane orthodoxam profitentur, non ſolum bona, quæ populos agit contemplantur; ſed inſpiciunt mala, quæ vt lolium grano, miſcentur bonis; & auctores diligenter annotant, in eos animaduertunt, vt in ſubuerſores animarum, confodiunt diſputationibus, vt Hæreticos, & vt homines inimicos, qui ſunt ex patre Diabolo exterminant, & percutiunt anathemate. Sed qui agricolæ? Ex dictis nuper, & conſcripta apud Matth. patet, quibus addito. Agricolas in plurali referri tàm ad legis naturæ ſtatum, quàm ſcriptæ. Siquidem in his ſtatibus, quod morte prohiberentur permanere, plures facti ſunt ſacerdotes. In lege enim naturæ omnes primogeniti ſacerdotes erant; in lege ſcripta, Aaron cum filijs ſuis, ac poſterorum multitudine Sacerdotes agebant. Ergo ne ad Euangelicum ſtatum non pertinebit parabola? Immo proprius hunc dilectionis, & nimiæ charitatis tempus complectetur. Verum *agricola* tantum in perſona non in ſacerdotio multiplicantur. Vnum eſt in omnibus ſacerdotium, & ſacerdotem vnum, vtpotè Chriſtum vniuerſi & ſinguli agunt. Itaque parabola tempus omne ab Adam vſque in finem mundi complectitur; at modo appropriatur Sinagogæ Iudæorum, quorum principes, vt præſentes *agricolæ* horrendum ſcelus, quod in ſæculum omne creatura vniuerſa deteſtabitur, admiſerunt.

Agricolarũ ſeu paſtorũ munia.

In lege naturæ primogeniti erant ſacerdotes.

Et peregrè profectus eſt. Hoc eſt ad modum peregrinantis hominis ſe cum *agricolis* habere. Peregrinus, qui in Regionem longinquam abit, non videt, non audit, nec eorum quæ domi aguntur, aliquid nouit ex ſe ipſo. Id quod de Deo plerique agricularum credidere, qui inquam dixere: Non videt Dominus, nec intelliget Deus Iacob. Et qui dum clanculum operantur malum apud ſemetipſos cogitant: quis me videt? Tenebræ circundant me, & parietes cooperiunt me, & nemo circumſpicit me; quem vereor? Delictorum meorum non memorabitur Altiſsimus. Et non intelligit quoniam omnia videt oculus illius; & non cognouit quoniam oculi Domini multo plus lucidiores ſunt ſuper ſolem, circumſpicientes omnes vias hominum, & profundum abyſsi, & hominum corda intuentes in abſconditas partes.

Pſal. 93.

Eccl. 2

 CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

Et miſit ad agricolas in tempore ſeruum, ut ab agricolis acciperet fru-ctum uineę.

Expoſitio. ITaque volens homo lucrum ex vinea locata reportare, *miſit* à regione illa longinqua, ad quam ſe receperat, *ad agricolas* vineæ, quibus compatiens extra tempus nihil ab eis exigit; ſed *in tempore* quando ditiores eſſe poterant, & abundantiores, quàm antea, deſtinauit ad eos *ſeruum* vnicum familiarem, quem agnoſcerent; *vt ab agricolis* amicè; & abſque tumultu *acciperet* penes ſe *fructum* vineæ deſideratiſſimum, & dignum dilecto.

Et miſit ad agricolas. Non venit, ſed miſit. Sic enim & *agricolæ* poſtularant dicentes Moyſi: Loquere tu nobis, & audiemus; non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur. Annuit ergo Rex totius Iudaiſmi legatis, & differt ad eos venire, & cunctis in carne apparere; *miſit* autem ad eos, & deſtinauit nuntios, qui loquerentur ex ore Regis; & in nomine Domini cuncta perficerent. Ac propterea verbo, *miſit*, vtitur in legatis, ac in filio & hærede, quando in propria venit. *Miſit* filium ſuum ait Paulus; & idem Chriſtus: Sicut *miſit* me viuens pater, vnus enim eſt mittens Deus, & vnus Chriſtus, qui ad vineam mittitur; & vna miſſio ad vniuerſos *agricolas*, quam diuerſi pro temporum varietate repreſentarunt, & figurarunt. Vnde & Chriſti dicti ſunt, quod vnum Chriſtum, ac Deum & ſignarent, & prædicarent, & vindicarentur.

Qui ſint agricolæ, & qui miſſi.

Gal. 4. Ioann. 20

In tempore. Minimè ante tempus, vt enim in principio temporis, creauit Deus cælum & terram; & cuncta bona fecit *in tempore*; ita *in tempore* oportuno miſit ſuos, qui ex his, quæ condidit, bona reportent; vt excuſationem nemo habeat, neque opponat mortem repentinam, neque ætatis tenuitatem alleget, neque languorem, aut ſexus debilitatem, ceu horæ importunitatem, ac temporis. Neque enim ante tempus iuuenem vecordem intercipit mors, neque ſenem emerſo tempore aduocat, ſed in decreto iuſto, & conuenienti tempore paruulum, iuuenem, ac ſenem, atque lactentem iubet reddere fructum, & rationem villicationis exigit. Iuſtus eſt Dominus, non eſt apud eum ſtatura doloſa, ſed æquum pondus, quos ſingulos, ac ſingula librat. Nemo ergo de temporis immaturitate, aut importunitate, ſed de ſocordia propria conqueratur.

Deus rationem non ponit ante tempus.

Seruum. In ſingulari mittit, vt ad opus ſingulariſſimum, & ſecretiſſimum, quo nihil honeſtius, nec appetibilius, quod non pluribus, quia multitudini ſapientia deficit, & conſilium; ſed vni committi ſolet, vt familiariſſimo, ſapienti, & viro prudenti. Huiuſmodi enim eſt ſemper, quem Deus ad animarum lucrum, & profectum; quod eſt opus cunctis excellentius, & munus honorabilibus vniuerſis tranſmittit, ſiue enim ſit vnus ex his, quem lex naturæ accepit, vt Enos, Enoch, Noe: ſiue intelligatur alius ex ſcriptis in lege, vt Moyſes, Ioſue, Iſaias, vel quiſpiam ex noſtris verè ſeruis Euangelicis non arroganter dicet: Veritatem meditabitur guttur meum, & labia mea deteſtabuntur impium, iuſti ſunt omnes ſermones mei, & non eſt in eis prauum quid, neque peruerſum, recti ſunt intelligentibus, & æqui inuenientibus ſcientiam. Verum quia hoc accidit paucis, rarumque eſt, ac prætioſum, *ſeruum* vnum legimus *in tempore* miſſum, non plures.

Prou. 8

Vt ab agricolis. Ad hoc enim mittitur, & ab his fructus exquiritur. Nam ſeruum electum, pretioſum, & ſanctum propter peccata maiorum, qui ſubuertunt populum, mitti ſolet ad paſtores, qui diſpergunt gregem; ad ſacerdotes, qui ignorant legem; & ad principes familiarum, qui tranſgreſſionem primi exordiuntur, legimus glorioſos hos patres miſſos; vnde cum de Noe ſermo texitur Gigantiũ fit memoria; quando Loth Sodomam pergit, peſſimi commorantur Sodomitæ: quoties prophetæ enarrant oracula, Reges præmittunt, & quando Ioannem introducit Euangeliſta, ſceleratorum principum cathalogus conſcribitur; ex quibus ſanctos Dei ſeruos contra maiorum vitia demandari certum eſt. Expetitur *ab Agricolis* fructus non ſolum opus, quod ipſi ex priuato, & publico pacto compelluntur reddere, ſed quod inferiores ſubditi. Reddent enim rationem de his, quæ vel benè, vel malè tàm præſides, quàm ſubditi egerunt.

Sancti contra ſceleratos mittuntur.

Acciperet de fructu vineæ. Hoc eſt, de operibus, quæ virtutũ exercitio, quas homo ille plantauit in priuatis Eccleſiæ fidelibus per ſacramentorũ ſuſceptionẽ, & legis mandata. Dicuntur eiuſmodi *fructus*, non quod fruitionẽ generent operantibus, dũ in carne viuunt, ſed quando exuti ad feliciorẽ vitam transferuntur; tunc apprehendunt fructum eius palmæ, ad quã ſine certamine aſcendere ſatagerunt. Accipit ſeruus miſſus fructũ, non quod meritũ reliquorũ, ſeu conuerſorũ per ſuam prædicationẽ, & aduentũ reportet ipſe, & præmium eſſentiale quod operibus priuatorum aſcribitur; ſed quoddam accidentale gaudium ex ſingulis, quos ad Dñm conuertit, accipiat. Vnde gaudium eſt in cælo ſuper vno peccatore pœnitentiã agente. Dicitur *fructus uineæ*, quod nihil exigatur præter amorem, qui vt ſanguis in animali, in omni opere bono deſideratur, alioqui nihil eſt præter cymbalum tinniens.

Præmium prædicatori

Luc. 15.

CAPVT

CAPVT TERTIVM.

Qui apprehenſum eum ceciderunt, & dimiſerunt vacuum.

Expoſitio. BEneficentiam hominis, qui plantauit vineam, & locauit, hactenus vidimus, mox ingratitudinem agricolarum contemplemur. *Qui* cum occurrere ſeruo debuiſſent, & bona precari Domino, deque eius felici itinere poſtulare, tantum ab omni gratitudine defecerunt, & omiſſis verè vrbanitatis regulis, feras effrænatas ſe oſtenderunt. Etenim ſeruum Domino chariſſimum, nihil malè de illis ſuſpicantem, nec ſibi timentem ſanguinolenta manu, & animo *apprehenſum ceciderunt* fuſtibus, & flagellis, *& dimiſerunt* penè exanimem, & prorſus *vacuum* à fructibus, quos iure poſtulabat reddi Domino.

Qui apprehenſum eum. Non prehendunt ſolum, ſed *apprehendunt*, quod non ſolum manu violentiam inferrent, ſed animo. *Apprehendere* enim eſt firmiter, ac quaſi dupliciter prehendere. Quod in bonis, & in malis contingit, quando nõ tàm exterius, vt agentia naturalia, quàm interius, vt libera voluntate operantur rationales homines, de bonis ſic apprehendendis legimus: Pſal. 2. *Apprehendite* diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus. Prou. 3. Lignum vitæ his, qui apprehendunt illam; & ſimilia; de malis quoque apprehenſionibus habes: Ierem. 8. Apprehenderunt mendacium.

Eum ceciderunt. Denique à primo iuſto ſeruo, quem Deus ad mundum mittit, vt prædicet Verbum, vt increpet deierantem, & quærat oſtẽdere vias bonas, per quas ambulẽt errantes, incipit perſecutio Eccleſiæ, & bonorũ afflictio, & quidem à maioribus, Perſecutio vnde promanat. ſiue Eccleſiæ, ſiue ſæculi tanta ab initio iniquitas prorupit. Vt non tàm Abel, quàm Ioſeph, ac reliqui eructent: Pſal. 118. Etenim ſederunt Principes, & aduerſum me loquebantur: Seruus autem tuus exercebatur in iuſtificationibus tuis. Eo enim inſequitur, & excitatur falſiloquus aduerſus inſontẽ, illumque cedens peſtilens homo; nec quidem inſcio Domino: Dominus enim voluit conterere eum, hoc eſt permiſit, vt luceat in igne aurum, & inter tenebras ſtella refulgeat.

Et dimiſerunt vacuum. Secundum quidem æſtimationem eorum, qui eiuſmodi ſeruum reputant inutilem, abſque honore ducunt; & arbitrantur, vt ſtercora puſillum, ac nullius nobilitatis, & meriti, blaſphemantes in eum dum ceditur; Pſal. 41. vbi eſt Deus tuus? Videamus an liberet Sap. 2. eum Deus, quia filium Dei ſe facit. Similia paſſim Tyranni detractant ſanctis Dei ſeruis, quando videntur cruciari, & tormentis ſubijci. Sed in paucis vexati, in multis benè diſponentur. Sap. 3.

CAPVT QVARTVM.

Et iterum miſit ad illos alium ſeruum; & illum in capite vulnerauerunt, & contumelijs affecerunt.

PAtiens, ac multæ miſericordiæ homo ille, *iterum*, ac ſi nullam iniuriam paſſus fuiſſet, *miſit ad* ingratos *illos*, & immemores beneficiorum, *alium* priori haud diſſimilem *ſeruum*. At illi audaciores facti, tantum abeſt, vt benignè eum reciperent, quod poſt multas plagas *illum in capite* ictu læthali *vulnerarent*, & ſic malè affectum dimiſerunt, inſuper *contumelijs*, & ignominioſis verbis *affecerunt* virum alioqui honoratum, & glorioſum in generatione ſua. Expoſitio.

Et iterum. Quoniam fortis eſt, vt mors, dilectio, & dura ſicut infernus æmulatio boni, & deſiderium iuſti; vt enim infernus, ſicut & mare, nunquam dicit ſufficit; ita nec Dominus iuſtus noſter finem facit trahendi ad ſe peccatores, nec enim ignis copioſus vnicam flammam ad combuſtibile tranſmittit, ſed aliam, atque aliam, & multiplicem, quouſque nedum lignum, ſed lapidem inflammauerit. Et Deus, qui charitas eſt, frequentat miſſiones ſeruorum, & aſcenſiones in cordibus hominum generat, vſquequo de lapidibus his filij Iſrael, & promiſſionis ſuſcitentur.

Miſit ad illos alium ſeruum. Ad eoſdem quidem, nec enim vnica legatione, aut legato monet Pharaonem dimittere populum. Iezabelem veram recipere religionem; Oaiam integrum Dei cultum reſtituere; aut quempiam alium ceſſare à malo, bonumque peragere, non ſemel induxit, nec ſolum per vnum, ſed per plures tùm legatos, tùm legationes ſolitus eſt Deus monere, & quaſi multiplici ictu martelli, & incudis cor durum confringere; quoniam in æternum miſericordia eius. Frequenter Deus vocat peccatores.

Et illum in capite vulnerauerunt. *In capite*, quod eſt toto corpore eminentius, Capue deſignat animã. ſignatur anima, quæ corpore ſuperior eſt, atque dignior; Chriſtus, qui excelſus acclamatur præ regibus terræ; ac Deus, qui ſuper omnes eſt habitans in æternitate. *In capite* igitur *vulnerari* ſeruum dicerem, Quid ſit vulnerare in capite. vel infamari, & inſimulari de crimine, quod occidit animam; reputari pſeudoprophetam, hæreticum, & inter Antechriſtos connumerari; ac dici, & haberi paganos, idolatras, ſchiſmaticos, & apoſtatas, qui Deum abnegant verum, & caput vniuerſorum. Dicitur

citur

citur ſimilis iniuria vulnus, quod acriter, & acerbè nimis animã iuſti, ac ſi vulnus horrendum accepiſſet, contriſtet, conturbet, & compellat fluenta lachrymarum educere, *Pſal 41.* ac dicere: Fuerunt mihi lachrymæ meæ, panes die, ac nocte; cum dicitur mihi quotidie vbi eſt Deus tuus?

Speuſipus. *Et contumelijs affecerunt*. Contumelia (inquit Speuſipus de Platonis deffinitionibus) eſt iniuria, quæ per contemptum infertur. Vt ergo iniuria aduerſus iuſtitiam *Contumelia* agit contumelioſus, & aduerſus charitatem, vt per contemptum fertur. Quare deſtructor duarum virtutum, quæ primas tenent, habendus eſt qui contumelia afficit proximum, & omninò ſacrilegus qui in Dei ſeruum contumelioſus eſt, & procax. Nam qui vos ſpernit, me ſpernit dixit ipſe, *Luc. 10.* & qui me ſpernit, ſpernit eum, qui me mi- *Prou. 10.* ſit. Hinc Sapiens: Qui profert contumeliam, inſipiens eſt; ſed vbi fuerit ſuperbia, ibi & contumelia. Vnde ſuperbi dixerunt *Sap. 1.* contra iuſtum: Contumelia, & tormento interrogemus eum.

CAPVT QVINTVM.

Et rurſum alium miſit, & illum occiderunt: & plures alios, quoſdam cædentes, alios verò occidentes.

Expoſitio. ETſi peſſimi homines nullis meliores fierent, *rurſum*, vt plenè bonitatem ſuam demonſtraret, *alium ſeruum* familiarem ſibi, *miſit* ad illos; at illi in inſaniam, & profundum iniquitatis conuerſi, *illum* Domino amiciſſimum abſque pietate *occiderunt*. *Et* quanto Dominus ſe miſeris beneuolum, ac magnificum declarauit, tanto pernicioſi homines maligni reperti ſunt, & rabidi. Nam præter nominatiſſimos, *plures alios*, quorum turbam nemo dinumerare poteſt, agitarunt, *quoſdam* in exquiſitis tormentis *cædentes*, nonnullos verò *alios* multiplici mortis genere *occidentes*. Itaque nulli pepercerunt.

Et rurſum alium miſit. En tertium ſeruum, qui legatione pro Domino fungitur. Dicuntur tantum tres ſic ſeorſum mitti; non tàm quod Trinitatem, quæ diſtinctas perſonas habet, ſeruus Domini annuntiauerit, & fidem myſterij Trinitatis prædicauerit, ſiue implicitè, ſicut Abraham in adoratione; Moyſes in promulgatione legis; atque alij in pſalmis, canticis, & oraculis; quàm vt ſciamus tres ſeruos ſtare ante Dominum, vt Danielem, Iob, & Noe, qui precentur pro reis, quamdiù in reprobationem omnimodam non venerint ante Deum, vt placent Trinitatem, quam peccatores offendunt.

Et illum occiderunt. Poſt contumelias enim nihil aliud ab animo irato quàm occiſio, ſperatur. Tùm maximè quando lignum accendens iram eſt auatitia vna ex parte, & ex altera inuidia. His quidem tribus, velut aculeis incitabantur agricolæ necem inſonti afferre, & de terra perdere eum, qui videbatur bonis ſuis ditari velle. Cauendum igitur ab ira; quia fatuus ſta- *Prou. 12.* tim indicat iram ſuam cum iactura proximi. Inuidiam quoque abigamus: quia *Sap. 2.* inuidia diaboli mors introiuit in Orbem terrarum. Sed & auaritia ſit à nobis pro- *Prou. 15.* cul, quia conturbat domum ſuam, qui ſectatur auaritiam, non parcens domeſticis propter aurum.

Et plures alios. Quantus autem horum fuerit numerus, quos perſecuti ſunt agricolæ, ac Principes tùm cleri, tùm ſæculi; nemo nouit, nec numerari valet tanta multitudo, neque deſcribi, niſi ſub illa generalitate Ioannis: Poſt hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat; vt & Deus Abrahæ teſtatus eſt dicens: *Gen. 13.* Si quis poteſt hominum numerare puluerem terræ, ſemen quoque tuum numerarè poterit. At ſemen Abrahæ per repromiſſionem ſunt, qui Domino ſeruiunt, & iuſti omnes, quos in Iſaac perſecutus eſt Iſmael; in Iacob Eſau; in Ioſeph fratres eius; in Iſrael Pharao; atque alij tyranni in alijs iuſtis, quorum dignus non erat mundus.

Quoſdam cædentes. Hoc ad tormentorum genera refertur, quibus tentati ſunt ſancti Dei homines, & percuſſi, vt oleæ ad deijciendas oliuas, & modis omnibus anguſtiati, & afflicti, vt iam iam mori cuperent, & precarentur cum Helia animam exhalare. Quæ autem, & qualia extiterint huiuſmodi tormenta, ex quorundam noſtrorum agonibus aliquantulum ſcire poſſumus. Vnde acclamat Agonothetes: Sancti quanta paſſi ſunt tormenta, vt ſecuri peruenirent ad palmam martyrij?

Alios verò occidentes. Multi enim cæſi, & flagellati abſque morte ſunt dimiſſi; alij nulla ceſsione accepta, capite inſſi ſunt obtruncari, & perire, vel igne, vel aqua abſorberi, vel transfigi gladio; alij vtrunque paſsi ſunt fortiter propter eum, qui dilexit nos, & lauit nos in ſanguine ſuo, & vt teſtimonium perhiberent veritati, quam chorus Sanctorum profitetur, & ſequitur. Eſt enim Martyr, teſtis.

CAPVT

CAPVT SEXTVM.

Adhuc ergo vnum habens filium chariſsimum: & illum miſit ad eos nouiſsimum, dicens: quia reuerebuntur filium meum.

Expoſitio. Denique vt extremam dementiam ſcelerati conabantur declarare, & ſæuitiam; ita viceuerſa, homo ille longanimis, & multum miſericors, nimia charitate ſuperare eorum malitiam voluit. Siquidem occiſis eius ſeruis, & peſſimè mulctatis, *adhuc* ſuperſtitem *vnum*, & ſolum *habens filium* naturalem, non adoptiuum, ideòque *chariſsimum*, in quem ſibi complacet. *Et illum* quidem *miſit* amanter *ad eos*, quaſi *nouiſsimum*, & poſtremum legatorum omnium; apud ſemetipſum enim cogitabat *dicens*: Etſi agricolæ ſeruos exacerbauerint, volo ad eos filium deſtinare, quia honorem, & dignitatem aliam, quàm in ſeruis conſpicientes *reuerebuntur filium meum*, meque per eum audient, & tributum debitum ex locatione pendent.

Adhuc ergo vnum habens. *Vnum*, dicit, Non primum more Hebræorum, vt factum eſt veſpere, & mane dies vnus. Sed *vnum*, hoc eſt, perfectiſſimum, ac ſupremum, cui non ſuccedit ſecundum in eodem genere, vt tradunt Philoſophi, de calidiſſimo vno
Filius dicitur vnus. igne, humidiſſima vna aqua, & ſimilibus. Vnde etſi tres priores ſerui diſtinctim mitterentur, nemo illorum dicitur, *vnus*, ſed alius. Quoniam ſiue Angelos, ſiue ſanctos homines fingamus huius hominis ſeruos, nemo eorum eſt, *vnus*, qnin habeat ſecundum, etiam parem, etiam ſuperiorem. Sunt enim homines pares ſpecie, ſunt & ſibimet ſuperiores, & inferiores in donis, & gratijs; ſed & Angeli ſpecie, & donis non conneniunt, neque aliquis eornm, qui mittuntur
Vnde dicitur vnus. ſic excedit, qnin excedatur. Solus filius eſt, qui ſecundum diuinitatem ex ſe habet huiuſmodi vnitatis perfectionem, & ſecundum humanitatem ex vnctione ſpiritus, qui ſuper eum requieſcit.

Filium chariſsimum. Huiuſmodi appellatione datur filius in diuinis, non qnod ex amore notionali procedat, ſed eſſentiali,
Per intellectũ non per voluntatem genitus. quia dilectus ex dilecto, in qnem ait Pater mihi complacui. Complacens enim Pater ſibi, volens, ac diligens ex vtero ante Luciferum genuit filium per intellectum, non per voluntatem. Hæc enim eſt principium in Patre, & filio ad Spiritus ſancti productionem, quo fit, vt charitas, & amor notionalis Spiritus ſanctus dicatur; filius verò minimè; nec Pater, ſed eſſentialiter, quod eſſentia ipſa Dei amor ſit; eſſentialia enim communia ſunt perſonis diuinis. Sed de his conſule Thom. 1. p. q. 27. & 37. atque alios Scholaſticos. S Thom.

Et illum miſit ad eos nouiſsimum. Sed quomodo *nouiſsimus*, cum poſt eum miſsi fuerint Apoſtoli, & continuò mittantur Sancti? Mittuntur quidem multi, ſed vt vnum Chriſtum annuntient, quem induerunt. A Chriſto ergo non mittitur, qui dicat hæc dicit Dominus; ſed hæc eſt fides vnigeniti, vnus Deus, vnus Chriſtus, vnum baptiſma. Per quod omnis fidelium cœtus vnus Chriſtus efficitur; & miniſtrorum concio nihil aliud agunt, quam vnicum Chriſti miniſterium, & ſacerdotium complere, & exercere. Errant igitur Iudæi, qui *nouiſsimum* alium, qui Chriſtus ſit, expectant. Hic eſt primus, hic eſt *nouiſsimus*. Qui poſt eum veniet Antichriſtus, non *nouiſsimus*, ſed nullus erit, quia ſpiritu oris ſui interficiet illum Dominus noſter Ieſus Chriſtus. Chriſtus nouiſsimus. Matth. 24.

Dicens. Hoc participium ſi coniungatur priori ſententiæ, ſignificat in diuinis, iuxtà Scotiſtarum placitum, modum, quo filius à Patre procedit, videlicet per dicere, non per intelligere. Vnde Pater miſit filium ſuum, *dicens*, exponito iuxtà *dicens*, pater generat filium per *dicere*. Quoniam verbi, quod dicitur filius, eſt dici; ſi coniungatur ſequentibus etiam in diuinis, *dicens* ſignificat propoſitum voluntatis, quo ſanxit, venire filium, & reuereri; vt ſalua fieret omnis caro.

Quia reuerebuntur filium meum. Nam eſt imago patris, & figura ſubſtantiæ eius, portans omnia verbo virtutis ſuæ, purgationem peccatorum, &c. at quis vnquam captiuus non eſt reueritus eum, qui ſe venit educere de carcere, ſoluere compeditos, libertatem donare, & bona? Reneretur filium pater, & in vultum eius deſiderant Angeli proſpicere; at homo apoſtata, vir inutilis contemnit eum, qui ſe fecit, & deſpicit omne conſilium, quo Redemptor ſuus ſanctus Iſrael magnificare illum ſtatuit. Propter quod exclamat iam perditus homo Iudæus, & omnis illuſor: Lapſa eſt in lacum vita mea, & poſuerunt lapidem ſuper me, inundauerunt aquæ ſuper caput meum, dixi perij. Quando, ſcilicet facta eſt plaga incurabilis, & Chriſtus qui eſt lapis, deprimet eos. Sed de eo inferius. Hebr. 1.

CAPVT SEPTIMVM.

Coloni autem dixerunt adinuicem. Hic eſt hæres: Venite occidamus eum: & noſtra erit hæreditas.

Venit demũ filius vnicus, quomodo recipiatur pauliſper contẽplemur. Quã primum enim *Coloni* à longè poſiti vide- Expoſitio.

runt filium Domini ſui; congregato conſilio *dixerunt adinuicem*; quid reſtat, ò fratres, quo minus ſimus iam bonorum omnium Domini? Iam non eſt ſeruus, qui nobis ſit importunus, nec quem timeamus adueniet. Vnicus mittitur filius ſuperſtes; *hic eſt hæres* huius amplæ poſſeſſionis. *Venite* iniamus conſilium, congregemur, ſit vna omnium manus aduerſus eum, quouſque *occidamus eum*, & perdamus de terra. Eo enim ſublato, quis vltra nos impugnabit? ſecurè *noſtra erit hæreditas*, eamque deinceps pacificè poſſidebimus. Ergo, vt cogitauimus, ſic necem perpetremus.

Coloni autem dixerunt adinuicem. Hoc eſt primum peccatum, quo in hæredem peccant *Coloni*, *dicere*, inquam, *adinuicem*, & tractare conſilium peſſimum aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius; ab eiuſmodi conſilio veniunt ad ſtatum peccati grauiorem, & inde fiunt omninò peſtilentes. Ergo cauendum eſt nobis à conſilijs peſſimorum, ne ruinam ſpiritualem cum eis patiamur irreuocabilem. Hinc Pſaltes: Beatus vir, qui non abijt in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit, ſed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die, ac nocte. Similis enim meditatio ab omni prauitate cuſtodit.

Progreſſus in peccatū.

Pſal. 1.

Hic eſt hæres. Hæreditatem autem non exprimunt. Ignorabant enim eam, quæ ditiſſimum, ſemperque felicem conſtituebat Chriſtum, vtpotè patrem. Vnde dicere ſolitus erat: Eſt pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis, quia Deus veſter eſt, & cognouiſtis eum, ego autem noui eum. Et ſi dixero, quia non ſcio eum, ero ſimilis vobis mendax, ſed ſcio eum, & ſermonem eius ſeruo. Sciebat Chriſtus patrem Deum, vt Deus, quia comprehendit, nouit vt homo, quia in ipſo ab inſtanti conceptionis beatus extitit, ac verus hæres, & iucundiſſimus hæreditatis immarceſcibilis. Etenim (inquit) hæreditas mea, præclara eſt mihi. Quoniam ad eum Pater: Clarificaui, & iterum clarificabo. Clarificaui ſecundum portionem ſuperiorem, in qua à conceptu beatus extitit; & clarificabo in corporis gloria per reſurrectionis triumphum. Hanc igitur hæreditatem ignorantes reticent, etſi hæredem fateantur ſolum eorum, quæ ipſi vehementer concupiſcebant, videlicet fructus externos vineæ, vtpotè oblationes, ſacerdotium, templi miniſterium, & regimen populi. Namque hæc ambierunt Iudæi, & ſibi tolli pertimeſcebant.

Ioan. 8.

Pſal. 15.

Ioan. 17.

Venite occidamus eum. Erant iam aſſueti innoxium ſanguinem fundere, ac propterea, nec à proprio Domino, vt leones, & canes potuerunt manus continere, nec rabiem. Inde Vates eorum dicebat: Manus veſtræ ſanguine plenæ ſunt; ſanguis ſanguinem tetigit, hoc eſt humanus, quem in Sanctis effuderunt, & diuinus, quem in hærede Chriſto dehoneſtarunt, & profuderunt. Vt veniat (inquit Chriſtus) ſuper vos omnis ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt à ſanguine Abel iuſti, vſque ad ſanguinem Zachariæ filij Barachiæ. Nam in profuſione ſanguinis diuini, in quo vniuerſa continentur, facti ſunt necium iuſtorum omnium rei. Malum ergo eſt ſemel inſontem percutere, & ſanguinem profundere humanum. Neq; enim facilè facinus expletur, neque conſuetudo deponitur.

Iſai. 1.

Et noſtra erit hæreditas. Neque eo loci meminere vineæ, ſed generico nomine *hæreditatem*; quoniam contentio eorum non de lucro animarum erat, & operibus ſtudioſis, quæ ſunt vineæ fructus; ſed de diuitiarum iactantia, honoris ambitione, & extollentia mundi huius, in quibus mali ſpem collocant, & *hæreditatem*, quam Iob violentorum appellat, Chriſtus autem Principum gentium, & eorum, qui poteſtatem exercent inter eos, hoc eſt tyrannorum, qui abſque miſericordia congregant non ſua, & abſque termino theſauros implent. Pro hac igitur contenderunt ſemper agricolæ, & pugnant iugiter aduerſus Sanctos, qui ſanguinariis illis ſucceſſere.

Iob 17.
Matt. 20.

CAPVT OCTAVVM

Et apprehendentes eum occiderunt, & eiecerunt extra vineam.

HEm facinus, quod prauorum conſilium parturiuit. Occurrunt igitur obuiam hæredi, qui ad eos fidenter veniebat; *& apprehendentes eum* ſumma vi, & furore implacabili, quaſi latronem vincerunt, ac demum *occiderunt* ignominiosè. Nam & occiſum linguis, necnon tormentis penè exanimem, & quidem iuxtà qualitatem tormentorum, & grauitatem iam occiſum, niſi poteſtas, quæ animam retinebat, & mittebat obſtaſſet, *eiecerunt* eum probrosè, & tumultuosè *extra vineam*, vt proditorem, & maledictum.

Expoſitio.

Et apprehendentes eum. Hæc apprehenſio de Chriſto facta fuit in horto, ad quam Principes, & Magiſtratus cōuenire, & fortè, vti parabola inſinuat, ipſi primi in eum manus iniecerunt, poſt milites, qui eo auiti erant. Vnde ad Iudæos conuerſus Chriſtus tùm dixit: Tanquam ad latronem cum fuſtibus, & gladijs exiſtis comprehendere me, cum quotidie apud vos eſſem in templo docens, & non me tenuiſtis. Etſi proprijs manibus non tenuiſſent, ſed milites, optimè *apprehendentes* dicuntur à regula: Qui per alium facit, per ſeipſum facere videtur.

Occiderunt. Apprehendentes Chriſtum

occi-

occidunt fideles, infideles autem & pagani non apprehendentes. Hi enim Chriſtum non habentes, nec induentes, nec in eum credentes, Chriſtum continuò interimunt, dum ſcientiam Dei abnegant, imaginem polluunt& blaſphemant in redemptionem, & redemptorem. Noſtri fideles, qui per baptiſmum, & fidem induunt Chriſtum, & videntur apprehendere, ac fidei habitu tenere, quoties peccant iterum, vt Pauli vtar teſtimonio, ſunt crucifigentes Chriſtum in ſemetipſis. *Heb.*6.

Et eiecerunt eum extra vineam. Hoc eſt Ieroſolymam, quia Chriſtus *extra* portam paſſus eſt, quaſi *extra* caſtra delatus, qui propter nos factus eſt maledictum, & qui peccatum non fecit, factus eſt pro nobis peccatum. Reticetur modo hæreditas, & commemoratur *vinea*, ſed extra dicitur eiectus, quod Hebræi, & ſi antea aliquid de Chriſti diuinitate ſuboliſacerent, quando viderunt ad poteſtatem ſuam redactum, percuſſum, & humiliatum, nihil niſi humanum, & quidem mendoſum de eo æſtimarunt, ac pariter damnatum ad inferos, vt & modo poſteri eorum credidere; ideò neque hæredem iam vocant eum, neque filium, & *extra vineam* quaſi *extra* Eccleſiam, & ſalutis ſtatum eijciunt. Hæreditatis nomen prætereunt, quod eam, quam ipſi per mortem hæredis ſperabant, amiſerint: è contra hæres, non hæreditatem falſam, ad quam æmuli ſpirabant, ſed *vineam*, per ſanguinem Crucis ſuæ recepit, eiuſque hæres legitimus creatus eſt. *Heb.*13.

CAPVT NONVM.

Quid ergo faciet Dominus vineæ? veniet, & perdet colonos; & dabit vineam alijs.

Expoſitio. QVærit de inferenda ſententia ingratis, coram æmulis, vt ad intentum parabolæ deſcendant, & agnoſcant crimen, & ſupplicium ſe promereri condignum. *Quid ergo*, dicite ò terræ iudices, faciet tàm ingratis hominibus *Dominus vineæ*, qui expectauit, vt faceret vuas, & dedit non ſolum labruſcas, ſed ſpinas in multorũ interitum? Etenim *veniet* homo ille iratus, *& perdet* abſque miſericordia *colonos* ingratiſſimos, & ſacrilegos. Et volens in poſterum ſuæ hæreditati prouidere; *dabit* conſulte *vineam* dilectam *alijs* agricolis, qui reddant fructum temporibus ſuis.

Quid ergo faciet Dominus vineæ? Iudicium committit proprijs ſceleratis. Nam facinoris malitia tanta eſt, & tàm clara fit peccatori, vt contra ſeipſum compellatur ſententiam ferre. Agnitio enim vultus eorum reſpondit eis, vnde qui ſuas in ſeipſo deformitates, velut ſimia in ſpeculo, contemplatur, malitiamque ſtudiorum ſuorum perpendit, & offenſam, qua nedum proximum læſit, ſed detraxit altiſſimo, vel viuens clamitat: Peccatum meum contra me eſt ſemper; vel moriens eructat: Deſperaui, maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear. *Iſai* 3. *Pſal.* 50. *Gen.* 4.

Veniet, & perdet colonos. Aduentus hic non poteſt de finali intelligi cum ſubſequatur locatio vineæ, quæ facta eſt cum gentili populo; quare putarem ad reſurrectionẽ referri, Nam Deus, qui ſuſcitauit Ieſum, tunc *venit*, nouum condens populum per Spiritum ſanctum, quem abundè diffudit ſuper omnem carnem, & renouaret faciem terræ, & Eccleſiam in gentibus ædificaret; perditis colonis ingratis animam perdidit, quando illis ea, in quibus totã ſalutis ſpem poſuerunt mortifera facta ſunt; corpus, & vniuerſam terræ hæreditatem diſturbauit, quando permittente Deo poſt innumeras clades, & ſeditiones, obſidionem omnium crudeliſſimam paſſi ſunt, exilium, & diſperſionem, quæ nunc vſque durat, & perdurabit in finem.

Et dabit vineam alijs. Apoſtolis, ſcilicet (inquit Theophylactus) vis videre, quomodo Apoſtoli coluerunt vineam? lege librum Actorum, & videbis tria millia, & quinque millia ſimul credere, ac offerri in primitias Domini. Alijs quoque, ideſt doctoribus ex gentibus (notat Victor Antiochenus) ad Chriſtum conuerſis excolenda tradita eſt. At verò plena, atque perfecta improborum illorum colonorum punitio ſecundo filij aduentui aſſeruatur. Nota non hæreditatem, ſed *vineam* mox dici. Quoniam poſt Chriſtum nil præter amorem committitur, atque permittitur, neq; datur quippiam aliud colendum, quàm vt diligamus: vnde & lex amoris, & ſtatus gratiæ dicitur, quem ab illis temporibus mundus ſortitur. Hæreditatem vocabant priſci ſtatum Eccleſiæ, tùm maximè proceres, quod bona terræ promitterentur, & in ſortem venirent cultoribus campeſtria, & montana ſoli feliciſſimi, in quibus iura hæreditaria apud mortales ſolent firmari. Nos verò, qui nihil præter immortalitatem veri boni in terris ſperamus, Eccleſiam, dignitatem eccleſiaſticam, aut bona eius, etiam ſpiritualia, hæreditatem non nuncupamus, ſed *vineam*, quia ad amorem verum oportet cuncta ordinare, quouſque veniat hæreditas, quam nobis Chriſtus in cælis præparauit. *Theophyl.* *Victor Antioch.* *Cur vinea, & non hæreditas ſicut aliasdicitur?*

CAPVT

CAPVT DECIMVM.

Nec Scripturam hanc legiſtis: Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli.

Expoſitio.

POſtquam ex ore proprio malorum ſententiam Chriſtus collegiſſet; nunc ſuam exaltationem iiſdem ex oraculo demõſtrat. Vos, inquit, qui vacatis ſacris litteris, inter reliqua oracula, *nec* vos, quod proferam, præterijt; *Scripturam* quidem hanc, vt frequentius decantari ſolitam *legiſtis*; videlicet, *lapidem, quem reprobauerunt ædificantes*, ſcilicet templum, *hic* vnus *factus eſt* mirabiliter *in caput anguli*, coniungens parietes, & faciens vtraque latera murorum vnum.

Euthym. Theophyl.

Nec Scripturam hanc legiſtis. Tàm in Syriaca, quam in Græca verſione legitur hoc loco interrogatiuè. Vnde apud Euthymium, pro *nec*, eſt *an nec*; & *an ne* apud Theophylactum. Reuocat illis in memoriam, quam ſoliti erant legere *Scripturam*, vt inde ſicut ex parabola, malitiam actorum ſuorum, & promeritam pœnam aduerſus ſeipſos concluderent, necnon felicitatem, quam ſuis malefactis hæredi, ac filio conciliarant. Et quidem omni Scripturarum lectori, tàm ſalubris lectio iſthæc bona parit; videre inquam mala, quæ depriment, & quæ exaltant, bona agnoſcere. Habet enim vt tabula nautarum, Scyllas, Charibdes, promontoria, pharos, & hiatus, atque voragines, in quibus periclitantur nauigantes; necnon portus, vrbes, ac ſinus quæ procellarum tempore ſolent agitatis ſolamen adferre. Proinde cecinit Pſaltes: Lætabor ego ſuper eloquia tua, ſicut qui inuenit ſpolia multa. Inuenit enim, qui ſolers indagator eſt, & pius, ramum illum oliuæ virentibus folijs, Chriſtum quidem, qui nunquam marceſcit, vt qui ramus oliuæ, hoc eſt perſona vna trium, quæ in vno Deo numerantur; etſi quandoque occurrat illi morticinium, hoc eſt, malum, & pœna mali, quæ ſæpius in Scripturis memorantur, vt corui pabulum, refugit, ne cum peruerſo peruertatur, ſed ſecundum electionem, & propoſitum Dei operans, cum electis electus ſit, atq; felix emittens eloquia pulchritudinis, & emiſſiones Paradiſus.

Vtilitas lectionis Scripturæ.

Pſal. 108.

Interrogatio duplex.

Reſponſio ad 2.q.

Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes. Habes apud Matth. lapidis huius hiſtoriam, & myſterium; nunc ſolum percontor, cur *lapidem*, & non lignum *reprobant ædificantes*? rurſus cur non alij, ſed *ædificantes* reprobent? Sunt hi Sacerdotes, cum quibus factum eſt pactum vitæ, & pacis, vt legem cuſtodiant, doceant, & juxta eam dubitationibus reſpondeant, plebem erudiant, & modis omnibus, velut architecti, vt Paulus ait, fundamentum ponant, ædificium ſpirituale, vſque ad perfectum erigant his, quæ impedimento eſſe poſſunt reprobatis, retentis ſolum, quæ animas ædificant. Id quod fieri nequit niſi ſumma prudentia in agẽdo, in indicando ſapientia. Nec valet quiſquam iſthæc perficere (vt Petrus apud Clement. in ep. 1. eiuſdem ad Iacobum fratrem Domini. Gregor. in paſtorali. Bernar. in de conſidera. ad Eugenium) niſi qui vitæ integritate, & ſpiritu diuino afflatus fuerit, habueritque ſal, quod Chriſtus ijs voluit familiare eſſe. Verum cum difficilè ſit huiuſmodi homines reperiri, & ob eorundem incuriam, atq; otium, & delitias, quæ diſſoluunt, minus ſapientes aliquando ſint, ne dicam ignaros, & peſſimos, qui præſunt operi, reprobant bonum, & eligunt malum. Et qui vt patres Ariminenſis Concilij, & Epheſini primi aiunt, dicunt bonum malum, & malum bonum. Quorum decreta etſi reliqui plebei ſequuntur, non dicentur reprobatores boni, ſed mali ſectatores. Hoc enim malum eſt, ſed illud peſſimũ, & peſtilentiſſimum, mittereque ſcandalum in filijs Iſrael, ſcandalizare plurimos, & in perditionem æternæ mortis gregem commiſſum demandare, quem ſaluare perſtringuntur, & ædificare. Hinc patet poſtremi quæſiti ſolutio; primi autem ſit iſta. Lignum corruptionem patitur, & facillimè à vermibus corroditur; minimè autem lapis pretioſus. Ergo quia ſcriptum erat, non dabis Sanctum tuum videre corruptionem, noluit Deus reprobatum, quod mortem Chriſti ſignabat, fore lignum, ſed lapidem. At dices, ad mortem properans Chriſtus, ſe ligno comparat, non lapidi? vtique, ſed viridi, quod integritatem naturæ conſeruat, tametſi exterius percuſſum in ramis, & folijs. Itaque qui putabatur leproſus, percuſſus à Deo, & humiliatus vulneribus, integer permanſit, nec potuit vllis perturbationibus, nec morte ipſa incinerari, nec caro eius vidit corruptionem, nec anima obſcuritatem aliquando eſt paſſa. Quia prouidebam Dominũ (inquit) in conſpectu meo ſemper. *Reprobant* denique *ædificatores* imperiti, & peſſimi *lapidem* potius quam lignum, quòd ſub omni ligno frondoſo ſedeant, & lignum interrogent, dicantque ei: Deus meus es tu; *Lapidem* verò, vt durum, vt inutilem, & vt improportionatũ arti ſuæ, & fabricæ, quam erigere ſtatuunt, continuò reprobant. Hoc eſt, vt paucis nodum diſſoluam, amœna, amœnoſque homines, nugaces, & fabuloſos, qui malè præſunt, amplectuntur, fouent, & oſculantur; bonos antẽ reprobant, vt & bona. Quia, inquiunt, contrarius eſt operibus, difficilis eſt etiam nobis ad videndum. Lætare tamen qui lapis es reprobatus. Quoniam ſcriptum eſt: Placuerunt ſeruis tuis lapides eius, & terræ eius miſe-

Officium veri paſtoris.

Clem. Rom. Gregor. Bernar.

Cuinam competat?

Cõc. Arim. Cõc. Epheſ.

Reſp. ad p. dub.

Pſal. 15.

Luc. 23.

Corpus Chriſti incorruptibile.

Pſal. 15.

Pſal. 101.

miſerebuntur. Placent quidem Angelis bo-
nis,& in ijs,qui verè ſapientes ſunt, & eo-
rum reprobatio,& perſecutio toti Eccleſiæ,
atq; mundo, miſericordiam,gloriam,& be-
nedictionem affert,vt ex his martyribus, &
ſanctis,quos celebres ducimus, & prædica-
mus mundo vtiles,conſtat.

His factus eſt in caput anguli. Ab ijſdem
ædificatoribus, an ab alijs non exprimitur.
Vtrunque dicerem, vt contingit,in ſolemni
ædificio, quod innumeris penè architectis
fabricatur, ſibi in eodem, ac diuerſis locis
eiuſdem magni ædificij ſuccedentibus. *Fa-
ctus eſt* igitur *in caput anguli*, Chriſtus ab
ijſdem numero, quando viſis,quæ in morte,
&,poſt mortem Chriſti contigerunt, pœni-
tentia ducti crucifixores in Chriſtum cre-
diderunt; ab ijſdem ſpecie, quando in fine,
reliquiæ conuertentur. Et congregabuntur
filij Iuda, & filij Iſrael pariter, & ponent ſi-
Oſe. 1. bimet caput vnum, & aſcendent de terra,
quia magnus dies Iezrael. *Factus eſt* quoq;
Heb. 1. ab alijs *in caput anguli*;vtpotè à Patre, qui
eum conſtituit hæredem vniuerſorum; ab
Ibid. Angelis,quia dixit Deus: Et adorent eum
omnes Angeli eius;à gentibus,quia, inquit:
Inuentus ſum à non quærentibus me; & à
peccatoribus omnibus,qui pœnitent, & ba-
ptizantur. Verum inter Deum,& alios, qui
Chriſtum,faciunt caput, hoc intereſt: quod
hi ſubmittantur Chriſto,non è contra.Qua-
re aliorum eſt humiliari capiti,Dei verò eſt
Pſal. 17. conſtituere,iuxtà illud: Eripies me de con-
tradictionibus populi, conſtitues me in ca-
put gentium.

CAPVT XI.

A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris.

Expoſitio. PRoſequitur,quod ſcriptum eſt,enarrare:
A Domino,inquit Propheta,*factum eſt*,
vt lapis reprobatus fieret in caput anguli,&
à Domino quoque permiſſum, vt ædifican-
tes lapidem à Deo electum,pretioſum,& in
fundamento fundatum,reprobarent.Et ideo
eſt opus alioqui *mirabile*,& excelſum *in
oculis noſtris*, nedum mortalium hominum,
ſed immortalium ſpirituum,quia incompre-
henſibilia ſunt iudicia Dei, huius præſertim
lapidis reprobatio,& exaltatio.

A Domino factum eſt iſtud. Pronomen
iſtud relatiuum poteſt, vel ad reprobatio-
nem,vel ad lapidis ſtationem in angulo re-
ferri; ſi primum,debet tunc, *factum eſt*,in-
terpretari,permiſſum eſt. Nam reprobatio-
nem, quæ malitiam importat in Iudæis re-
Deus malũ tantum permittit non facit. probantibus Chriſtum,Deus non facit, nec
vult abſolutè actum poſitiuè malum. Hoc
enim eſt peccatum meum, delictũ hominis,
& iniquitas,quam libera voluntas opera-
tur,ob quam punitur. Quoniam Deus non
volens iniquitatẽ, nec mortem faciens,vin-
dex eſt omniũ,quæ malè ex nobis ipſis per-
petramus. Permittit tamen eiuſmodi ma-
la fieri, quia non contradicit voluntati,
quam condidit liberam. Si ſecundum da-
mus, tunc *factum eſt*, exponito volitum
abſolutè. Nam abſolutè voluit ante ſæcu-
la, & decreuit ſublimare cornu Chriſti ſui;
tunc inquit Vates:Loquutus es in viſione Pſal. 88.
Sanctis tuis, & dixiſti poſui adiutorium in
potente, & exaltaui electum de plebe mea.
Ipſe inuocabit me Pater meus es tu, Deus
meus,& ſuſceptor ſalutis meæ. Et ego pri-
mogenitum ponam illum,excelſum præ Re-
gibus terræ. Vnde excelſus *in caput angu-* Pſal. 117.
li factus dixit Chriſtus: Dextera Domini
fecit virtutem, dextera Domini exaltauit
me,dextera Domini fecit virtutem. Non
moriar, ſed viuam, & narrabo opera Do-
mini. Itaque propria malitia perciti re-
probant Iudæi Chriſtum,Deo permittente
ſolum. At volente abſolutè exaltatur Chri-
ſtus Dominus ſolus ſuper omnes,& fit *in
caput anguli*, hoc eſt præeminens cunctis,
& *caput* ſuper omnem Eccleſiam. Id quod
potius refert pronomen *iſtud*: ac propte-
rea præmittitur hic, *factum eſt*, ſicut in
conſtitutione lapidis angularis, *factus eſt*.
Vt exaltationem non ædificantibus,ſed ſoli
Domino,qui facit bona omnia,tribuamus.

Et eſt mirabile in oculis noſtris. Quod
Pater dicat filio, ſede à dextris meis, donec Pſal. 124.
ponam inimicos tuos ſcabellum pedũ tuo-
rum. Quod eſt,*in caput anguli* conſtitui,ne-
mo miratur, præter dæmon, qui efferuens
exclamauit: Super aſtra cæli exaltabo ſoliũ Iſai. 14.
meum, & ſimilis ero altiſſimo. Is miratur,
præ ſuperbia, cernens hominem natura ſe
inferiorem ſupra omnem creaturam extol-
li. Cæteri non mirantur, ſed Deum in ho-
mine agnoſcentes iuſtum prædicant exalta- Pſal. 45.
ri Chriſtum in gentibus,exaltari in terra,& Pſal. 56.
ſuper cælos,& ſuper id, quod non eſt Deus.
Proinde omnis creatura curuato genu con-
fitetur, quia Dominus Ieſus in gloria eſt
Dei Patris; hoc eſt ſublimis valde ad gloriã
Patris ſuper omnes exaltatus. Et hoc demũ
compulſus dæmon credit,& confitetur. Ita-
que filium apud patrem,& à patre exaltari,
& præferri non eſt quod miremur.Mirantur
tamen oculi vniuerſorum, qui cernunt filiũ
reprobari à ſeruis, & malè mulctari, interi-
mi, ſacrilegis autem nedum impeditis, ſed
præmiatis.Iuxtà oraculum:Exaltaſti dexte- Pſal. 88.
ram deprimentium eum, lætificaſti omnes
inimicos eius. Auertiſti adiutorium gladij
eius,& non es auxiliatus ei in bello.Hoc eſt
in morte,vt oculis carneis videbatur. Qui-
bus volens Chriſtus ſatisfacere dixit: Sal- Ioan. 12.
uifica me ex hac hora; tranſeat à me calix
iſte. Deus Deus meus, vt quid dereliquiſti
me? vt his pariter mortales transfigeret,

Digitized by Google

qui cum declinent, nolint in carne puniri, neque deſtitui, ſed & vitijs abundare, & opulentijs mundi huius. Qui autem rectus eſt, ſemper propter nos vulneratur, & quaſi deſtitutus ſit hominum opprobrium. Admiratur ergo quiſque donec intret in ſanctuarium Dei, & aperiantur ei oculi animæ, & videat, quid de illo cogitauerit Deus; tunc ceſſabit admiratio, quæ Apoſtolos in ſcandalum duxit, lætificauit crucifixores; Iulianum apoſtatam, ac reliquos Chriſti hoſtes inſanire fecit in Crucifixum, vt illum, vel ſtultitiam, vel ſcandalum dicant.

CAPVT XII.

Et quærebant eum tenere, & timuerunt turbam; cognouerunt enim quoniam ad eos parabolam hanc dixerit: & relicto eo abierunt.

Expoſitio. HIs auditis, tàm abeſt, vt præcauerent ſibi malum, quod comminabatur tacitè; vt maiori cum damno præuenirent; etenim excandeſcentes, & frementes animo in eum, *quærebant* modis omnibus *eum tenere* penes ſe vinctum ne diffugeret; frangit tamen audaces animos timor populi circunſtantis. *Timuerunt* enim contra ſe *turbam* excitari; ſi tale quid fuiſſent aggreſſi. Huius autem maligni animi, & propoſiti cauſa extitit, recordare ſermonum Chriſti. *Cognouerunt enim* omnes *quoniam ad eos*, qui primatum in Synagoga gerebant *parabolam hanc* de agricolis, & Scripturam *dixerit*; vt praenuntius futurorum malorum. Quare negotio inconconfecto, & *relicto eo* inſalutato *abierunt* indignati, & furibundi cogitantes dolos.

Et quærebant eum tenere. Id quod alias tentarunt, quod autem his auditis potius, non caret myſterio. In primis, vt eos ſe
Iſai. 30. eſſe oſtenderent. Qui dicunt videntibus nolite videre, & aſpicientibus nolite aſpicere nobis ea, quæ recta ſunt: loquimini nobis placentia, videre nobis errores. Auferte à me viam, declinate à me ſemitam, ceſſet à facie noſtra ſanctus Iſrael. Præterea, vt non ſolum factis ſe iam agricolas illos declararent, verum quoque imminere eorum perditionem, & deſolationem;
Dan. 8. quia non erit populus, qui eum negaturus eſt. Demumque ſe viros ſanguinum proderent, qui vitæ auctores dati erant. Vt
Pſal. 33. iam impleretur: Captabant in animam iuſti, & ſanguinem innocentem condemnabunt.

Et timuerunt turbam. Timere in hoc negocio *turbam*, eſt prædicere quodammodo Chriſtum potius turbis gratum fore, & & ſalutiferum multitudini ſimplicium hominum, quàm principibus, & maioribus, quia non multi nobiles, non multi potentes adhæſerunt Chriſto, ſed infirma mundi elegit Deus, vt Chriſtum ſequerentur, & defenderent contra Principes, & poteſtates tenebrarum, portarentque nomen eius in gentibus, & vnanimiter, vt pulli ad gallinam, congregarentur ad eum, non abſque timore, & pauore Regum terræ, & cunctorum Gigantum, qui erecto collo aduerſus Chriſtum eius armantur. Hos enim paſſim videmus in ſtatibus Eccleſiæ timere non ſolum turbam bonam, ſed minimum de turba, quem Chriſto amicum norunt formidant Epiſcopi, atque alij maiores, cognouerunt enim ex collatione locorum Scripturæ, & contextus, necnon ex geſtibus Chriſti. Erat enim aſpiciens eos, & oculis transfigens corda eorum, & diuerberans aculeis ſapientiæ ſuæ; vt conſcij ergo mali animi attentius ſe inſpici cernentes crediderunt ſe alloqui. Inde reuocare ad mentem cœperunt, vineam in Scriptura dici domum Iſrael; vinitores verò & agriculas vocitari Præſides. Subinde cognoſcunt apertè eos redargui.

Pauperes, & humiles ſectatores Chriſti fuere.

Quoniam ad eos parabolam hanc dixerit. Et quidem omnes penè alias protulit *ad eos*, vt vel à malo ceſſarent, vel bonum, à quo elongati erant nimis, complecterētur. Hanc potiſſimum ad eos dixit; vt mortis propinquæ ſeriem atq; finem illis, qui eam intentabant paucis deſcriberet; & ſtatum Eccleſiæ, qui mortem eius præceſſit, & ſequi debebat, breui ſermone his, qui Eccleſiam totam rebelles facti Deo, & ſancto ſuo impugnabant, exponerent antequã facinus agrederentur, ne putarent extingui poſſe; quia ſemel iuraui (ait Deus) in ſancto meo, ſi Pſal. 131.
Dauid mentiar ſemen eius in æternũ manebit. Et thronus eius ſicut ſol in conſpectu meo, & ſicut luna perfecta in æternum; & teſtis in cælo fidelis. Deponant igitur auſum Hæretici, Mahumetani, atq; alij inimici Crucis Chriſti, qui putant, vt olim Diocletianus, Maximianus, & alij poſſe ſuis inuentis, ac furijs optimum Eccleſiæ ſtatum in quo Chriſtus ſedet tollere de terra; cognoſcant de eis quoque parabolam loqui, eoſdemque arguere, & confundere.

Et relicto eo abierunt. Vt hoc receſſu portenderent ruinam, quæ in parabola comminatur illis, & modo poſteri experiuntur. Nec quidem alio illis ſucceſſit, quàm quod reliquiſſent Deum, qui ſe fecerat, & abijſſent poſt prauitates cordis ſui mali. Hinc Vates: Duo mala fecit populus meus, me dereli- Ierem. 2.
querunt fontem aquæ vitæ, & ſibi foderunt ciſternas veteres, ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas; vtpotè vitia, quæ inueterarunt ſunt in diebus malis, & infrigidant ſicut cryſtallus; portentum ſunt malorum, & miſeriarum aggeres.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT XIII.

Et mittunt ad eum quoſdam ex Phariſæis, & Herodianis, vt eum caperent in verbo.

Expoſitio.

ABeuntes ergo confuſi, confuſionem inferre Chriſto meditantur. Quare aduocatis ad ſe ijs, qui de Phariſæornm hæreſi erant, & Herodianorum, rogant miniſtros, meditantur ignominiam Chriſto inferre. Annuentibus ergo eorum principibus, *mittunt* promptè *ad eum*, vt ad hoſtem veritatis; *quoſdam* falſos, & mendoſos homines, qui *ex Phariſæis* callidiores eſſent; *&* qui viderentur *ex Herodianis* audaciores, & promptiores ad omne facinus. Vt ſic *eum*, à quo abſceſſerant confuſi, confunderent; & *caperent* fraudulenter *in verbo*, qui eos verbo oris ſui percuſſerat.

Et mittunt ad eum. Hoc eſt contra *eum*, cui potius ſe ſubijcere oportebat, vt lapidi angulari: At abyſſus abyſſum innocat, & vndam vnda ſequitur, ſemelque perfoſſam nauim exagitant fluctus, quouſque in profundum ſubmergatur. Peccato ſemel, atque iterum ſeipſos ferire patiuntur Hebræi, iterum atque iterum obuoluuntur, quouſque grauioribus obſtringantur, hoc eſt, vt *mittant*, & ſuadeant alijs contra *eum* ire. Inde quoque colligito peccatoris conditionem eſſe cunctos ſui criminis conſcios præoptare, omneſque cæcitatem contractam participare, & fieri omnes hæreticos vult hæreticus, & Mahometanns hoc nititur, vt contra Chriſtum omnes coniurent, nec alium à ſuo Pſeudopropheta agnoſcant.

Peccatū peccato viam ſternit.

Quoſdam ex Phariſæis, & Herodianis. Hos ad Chriſtnm mittunt, vt qui eum putarent hæreticum, quod eis non conſentiret. *Phariſæi* enim, & *Herodiani* hæretici erant. Ergo vt ferè inter ſe ſæuiter pugnant, ſic aduerſus Chriſtum, quem prædicabant aduerſarium legis, & Prophetarum, hoc actutum imaginabantur, & ab eis confuſum iri. De hæreſi Phariſæorum, ſcribit Hieron. in Iſai. 8. cap. Erant, inquit, eorum dogmata à veritate deuia. Fato cuncta tribuebant. Animarum iudicia ſub terra fieri affirmabant, &c. Tametſi Genebrardus ex Hebræorum Scripturis in Chronico orthodoxos dicat Phariſæos ſimul, & Eſſenos, reſpondereque noſtris Theologis, Scribas verò Canoniſtis. De Herodianis minus dubium eſt, immo verò certum apud Tertullianum lib. de præſcriptionibus; Epiphanium in panar. Genebrardum, & alios, fuiſſe hæreticos, vt qui Herodem eſſe Chriſtum in lege promiſſum affirmarent, & regnum Dauid poſteritati eius perpetuum fore.

Hieron. Genebrar. Tertull.

Vt eum caperent in verbo. Hoc eſt, vt cauillosa argutie deciperent, & cõpellerent loqui, quæ non decent ſapientem. Hac enim arte cauilloſa vti ſolent peruerſi aduerſus iuſtnm, qui facilè vt nubes diſſolunntur, vel veritate, quæ in æternum permanet, & vt ſcuto circundat iuſtos; vel etiam taciturnitate, confuſi remittuntur.

CAPVT XIV.

Qui veniens, dicunt ei: Magiſter, ſcimus, quia verax es, & non curas quemquam: nec enim vides in facies hominum; ſed in veritate viam Dei doces. Licet dari tributum Cæſari: An non dabimus?

Expoſitio.

QVi ergo canilloſè accedebant ad veritatis lucẽ Chriſtũ *venientes* arrogãter *dicunt ei* cauillũ, quem conceperant. *Magiſter* inqninnt, qui omnes erudis ſedulo, *ſcimus* probè tùm ex relatis, tùm ex his, quæ à te nos proprij audiuimus, *quia* multo quàm quiſpiam alius, *verax es* in dictis, & reſponſis, *& nõ curas* excipere *quemquã, nec enim* vt acceptator perſonarũ, *vides* aliter vnum, & aliter alterum, ſed æquè *in facies hominũ* reſpicis; vt nullius potentiã timeas, aut ſapientiam formides; *ſed in ueritate*, vt negotiũ poſtulat, *uiam Dei* optimi maximi, *doces* luculenter, & maniſeſtè. Ergo quia talẽ de te bonã opinionẽ cõcepimus facnos, precamur, certos de dubio, quod tantorũ animos torquet. *Licetne* pẽdi à nobis, qui Deũ colimus, ac *dari tributũ*, & annuũ cenſũ *Cæſari* Romano, qui ſeruit idolis, *an*, dicito, *non dabimus*, ne fideles infideli videamur ſubijci?

Qui uenietes dicunt ei. Hoc eſt quamprimũ ad Chriſtũ accedunt, nulla tracta mora, technas ſuas proponnt ei, & vt aucupes parant inſidias doloſo ſermone; ſed quia præcipites, & nimiũ celeres fruſtra iaciunt rete ante oculos pennatiſſimi, qui ſapientia ſua ambulat ſupra pennas ventorum. Non enim eruditur, qui non eſt ſapiens in bono. Eſt autem inſipientia, quæ abundat in malo, & non eſt ſenſus vbi eſt amaritudo. Erant qnidem hi amaro in Chriſtum animo, & maligni, propterea inſipienter veniunt, & ſtultius multo ſubito interrogant.

Inſidiæ doloſæ. Eccl. 21.

Magiſter. Sic ab eis appellatur, vt aſſententur illi, quod eſt ſtultorum, & fatuorum potius, necnon in eorum, qui iniuſtè agunt. Nam adulatio, vt ſcribit S. Thom. 2. 2. opponitur amicitiæ, quæ eſt pars potentialis iuſtitiæ. Verba enim ſuſurronis quaſi ſimplicia, & ipſa perueniunt ad intima ventris. Quomodo ſi argento ſordido (ait Sapiens) ornare velis vas fictile, ſic labia tumentia cum peſſimo corde ſociata. Hoc quidem erat in his adulatoribus, & ſuſurronibus. Quare etſi labijs tumentibus dicant: *Magiſter*, & nomine honoris eum ſalutent,

Adulatio ſtultorũ, & iniuſtorũ vitium. S. Thom. Prou. 26.

Digitized by Google

enarrationis ordine, atq; modo dignoſcuntur; quia in labijs ſuis intelligitur inimicus, cum in corde ſuo tractauerit dolos, quando ergo ſubmiſerit vocem ſuam ne credideris ei; quoniam ſeptem nequitiæ ſunt in corde eius, hoc eſt, omnes. Tùm maximè in his, qui hac voce *Magiſtri* ſubmittentes ſe auctorem omnium cogitabant impetere.

Scimus, quia verax es. Nihil hoc verius, quàm Chriſtum veritatem confiteri, quia idem dixit: Ego ſum via, veritas, & vita; Nihil quoque falſius, quàm dici ab his: *ſcimus*. Etenim veritatem tuam in Eccleſia Sanctorum, ſcilicet poſuiſti, inquit Vates, vt eam agnoſcant, credant, operentur, & dignè confiteantur; in Eccleſia verò malignantium, & hæreticorum mendacium regnat, nihilque præter falſum ſciunt. Populus enim ad iracundiam prouocans eſt; & filij mendaces, filij nolentes audire legem Dei. Ergo quomodo audent mox cæci dicere, videmus lumẽ? Aut quomodo claudi clamant, rectum in nobis eſt? Mentitur itaque omnis hæreticus putans veritatem agnoſcere; præſertium cum aiunt: *Scimus, quia verax es*. Nam vtique crederent, ſi ſcirent, & operarentur, quæ deponit labium veritatis firmum.

Ioan. 14.

Pſal. 88.

Et non curas quemquam. Vel iuxtà græcam lectionem. *Et non cura eſt tibi de nullo* ὶ, οὐ μέλει σοι περὶ οὐδενὸς, hoc eſt: *Non aſſentaris alicui*. Quo enchomio diuinum quid in eo prædicant. Quia apud Deum non eſt acceptio perſonarum, puſillum, & magnum ipſe fecit, diligit omnia, quæ ſunt, & nihil odit eorum, quæ fecit, ſed implet omne animal benedictione, dat eſcam omni carni, & replet in bonis deſiderium iuſtorum, iniquorum autem facta iudicat in æquitate. Quia, inquit: Ego Dominus. Ergo quia Dominus noſter eſt Ieſus Chriſtus; *non eſt ei cura de nullo*, ſed æquè omnes, vt par eſt, tractat, obſeruans medium, quod iuſtitiæ debetur; ſecundum proportionem arithmeticam, & geometricam. Hoc enim obſeruatur in diſtributiua iuſtitia, illud in commutatiua iuſtitia. Quod Chriſtus attendit, cum meritum ſuum nobis applicat, & participes efficit gratiarum ſpiritualium. Diſtributiuæ iuſtitiæ leges in præmijs conferendis ijs, qui in republica Chriſtiana laborarunt, attenditur; in quibus æquè cuncta geri, nulla, vel ſexus, vel ætatis, vel conditionis perſonæ habita ratione, ſed tantum, vel meriti in præmijs diſtribuendis; vel electionis Dei ad ordinẽ Reipublicæ in cõmunicatione, tũ meriti, tũ gratię, certum eſt.

Medium iuſtitiæ attenditur ſecundum diuerſas proportiones.

Nec enim vides in faciem hominum. Hoc eſt, non aſpicis externa, quibus homo ab homine ſuperatur, & revereri ſe faciunt plus, minuſuè, per potentiam, dominium, fortitudinem, nobilitatem, diuitias, & ſcientiæ apparatum, quorum nullum aſpicit Chriſtus, qui ſuper omnes eſt, ſed id, quod præſtantiſſimum eſt deſideriũ iuſti, quod eſt omne bonum; animam hominis, quæ eſt theſaurus in vaſe corruptibili; ſanctitatem, quæ regnum, ſedes, ac templum Dei eſt. Denique intuetur cor cuiuſquam, & iuxtà ea, quæ lucent in eo, diſponit, diſpẽſat, & iudicat; cætera, quæ homines formidant, tantum abeſt, vt timeat, quod nec aſpiciat: quin & idem nos iubet facere dicens: Nolite timere eos, qui corpus occidunt, quoniam iſta timere, vel obmuteſcere facit oratorem, vel veritatem reticere.

Luc. 10.

Licet dari tributum Cæſari. Cœpit pendi tributum Cæſaribus, imperante Octauiano Auguſto, ſub Quirino Præſide Syriæ, quando exijt edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus Orbis; contra quod edictum inſurrexit Iudas Galilæus, negans cenſum gentilibus Imperatoribus ſoluendum eſſe. Dicebat enim ſecundum Tertullianum lib. de pudicitia, & Hieron. epiſt. 146. Non erit vectigal pendens ex filijs Iſrael. De illo hæc ſcribit Ioſephus: Extitit quidam Iudas Gaulanites, ortus ex oppido Gamala, qui adiuncto ſibi Phariſæo Ladoch, ſolicitauit ad defectionem populos: cenſum nihil aliud eſſe, quàm manifeſtam ſeruitutis profeſſionem dictitans, & vniuerſam gentem ad tuendam libertatem adhortans. Fore enim vt re benè geſta, fortunis ſuis fruantur feliciter, & confirmati in earum poſſeſſione, laudem quoque ſibi pareant fortitudinis, nec ſperandum auxilium cæleſtis numinis, niſi quoque ipſi rebus ſuis conſulant. Accipiuntur hæc pronis vulgi auribus, ita vt accenderentur ad audendum aliquid: atque ita dici vix poteſt, quantum hi viri totam gentem conturbauerint, dum omnia miſcent cædibus, & latrocinijs. Et cap. 2. eiuſdem libri 18. Hi quoad cætera cum Phariſæis conſentiunt, niſi quod conſtantiſſimo libertatis amore flagrant, credentes ſolum Dominum Deum habendum, ac Principem, facilius, vel exquiſitiſſima pœnarum genera laturi vnà cum cognatis ſuis, ac chariſſimis, quàm mortalem aliquem appellaturi Dominum. Multos eo perijſſe lib. 1. de bello Iudaico c. 29. Idem meminit. Necnon Oecumenius in cap. 6. actu. & Anaſtaſius Nicænus lib. qu. q. 67. volũt huius ſectæ fuiſſe occiſos, quorum ſanguinem Pilatus eorum ſacrificiũ miſcuit. Viguit igitur multo tempore hæreſis, de qua mox agitur licet tributũ dari Cæſari?

Tertul.

Hieron.

Ioſephus.

Iudas Galilæus rebellis factus Romanis.

Ioſephus.

Oecumen.

Anaſtaſius Nican.

An non dabimus? Negatiuam partem poſtponunt, iuxtà quam optabant Chriſtum reſpondere. Totum enim hoc artificium (inquit Theophylactus) erat vtrinque habens præcipitia; vt ſiquidem diceret, quod liceret tributum dare Cæſari, arguerent eum, tanquam populum in ſeruitutem redigentem: ſin diceret non perſoluendum, accu-

Theophyl.

ſarent

ſarent eum, vt ad ſeditionem populum mouentem contra Cæſarem. Itaq; ſepulchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſè agebant, venenum aſpidũ ſub labijs eorum. Quorum os maledictione, & amaritudine plenum eſt. Si quomodo eum, qui dulcis eſt ſuper mel, & fauũ in amaritudinem mortis, & maledictum crucis pertraherent.

CAPVT XV.

Qui ſciens verſutiam illorum, ait illis: Quid me tentatis? Afferte mihi denarium, vt videam.

Expoſitio.

NOn eſt conſilium contra omnipotentem, neque dolus latet veritatem; qui ergo verax eſt Chriſtus, *ſciens* manifeſtè, *verſutiam*, & verſipellem *illorum* animum, *ait* prudenter *illis*, qui imprudenter acceſſerant: *Quid me*, inquit, ò gens mala, atque peruerſa *tentatis* vltra mihi damnum inferre, ac tendere laqueum, ad quem incidam? *Afferte* iam *mihi*, & date in manibus *denarium*, qui tantam veſtræ Reipublicæ perniciem tulit, *vt videam* diligenter, quidque de eo agendum ſit vobis reſpondeam.

Qui ſciens verſutiam illorum. Dixerant illi *ſcimus, quia verax es*; ideò Euangeliſta addit: *Sciens verſutiam illorum*, vt probaretur verax, & veritas, quæ limpido lumine ſingula peruadit, nec eam cogitatio latet, quæcunque ſit. Propterea neque malignè ad Dominum accedere, neque hypocritas oculis eius nos exhibere, nec duplici corde alloqui perſcrutatorem omnium monemur. Quia ve duplici corde, & labijs ſceleſtis, &

Eccl 2.

manibus malefacientibus, & peccatori terram ingredienti duabus vijs.

Ait illis. Vt quos mente nouerat doloſos, verbis inſtrueret, ipſiſque conſentientibus rectificaretur eorum animus. Quia rectum eſt verbum Domini, & omnia opera eius in fide.

Pſal. 32.

Quid me tentatis? His notantur de ignorantia, vt qui neſcientes, & Deũ omniſcientem, & hominem beatum, qui cuncta in verbo nouit; & vniuerſorum Regem, qui ſcientia infuſa, omnia perluſtrat; & natorum omnium pulcherrimum intus, & foris, qui experimentali habitu per omnia diſcurrit, & ad abſconſa cordis deſcendit, adeunt, interrogant, & vt pænitus inciſum percuntantur. *Tentat enim qui ignorat.*

Afferte mihi denarium. Denarius, inquit Gloſ. ord. eſt genus numeri, qui pro decem computatur, & habet imaginẽ Cæſaris. Secundum Priſcianũ, denarius apud Romanos nummus erat argenteus, quatuor valens ſeſtertios; ita dictus, quod pro decẽ aſſibus in ſolutionem cedebat; cum ergo iubet Chriſtus afferri, vt indicaret ſe procuratorẽ illũ

Gloſſ. Quid ſit denarius? *Priſcian.*

eſſe, qui ſingulis operatoribus denariũ diurnum perſoluit. Nam omnia tradidit ei Deus in manus. Vt quid ergo hominibus ait: *Afferte mihi?* Etenim denariũ nemini, niſi denariũ ferat, impertitur. Portamus nos gratiã, quæ pro obſeruantia decem mandatorum conceditur; ille autem gloriam, quæ meritorum multitudini ſatisfacit, impertitur.

Matt 20. *Luc. 10.*

Vt videam. Ergone ſecundum viſionem oculorum, & auditum aurium iudicat? Minimè, ſed propter circunſtãtes nunc videt denarium; poſt ſingulorum animas, atque opera circunſtante orbe videbit in finali iudicio, vt certiſſimum, & æquiſſimum fore cuncti credant. Æquitatem enim vidit vultus eius. Quoniam iuſtitiæ fons eſt (inquit Didimus) & æquitate pro clauo vtitur, vt Sanctis (ſubdit Hieron. in eundem locum) præmia, peccatoribus tribuat pœnam.

Pſal 10. *Didim.* *Hieron.*

CAPVT XVI.

At illi attulerunt ei; & ait illis: Cuius eſt imago hæc, & inſcriptio? Dicunt ei Cæſaris.

AT *illi* deceptores, & fraudulenti cito proferunt denarium, & *attulerunt ei*, ſperantes alterutram partem dicturum. Accipiens ergo denarium Chriſtus, *ait illis*, ac ſi neſciret, cum tamen plenè ſingula noſcet. *Cuius eſt*, dicitote, inquit, vos qui terrena dignoſcitis, *imago hæc* ſculpta argento, *& inſcriptio*, quæ circumdat imaginẽ, quid legit, cuiusuè nomen ſignat? Illi verò *dicunt ei, Cæſaris* eſſe tàm imaginem, quàm inſcriptionem.

At illi attulerunt ei. Habebant enim penes ſe loculos, & denariorum pondus grauè conſeruabant, vt qui ſpem in pecunijs reponerent, cæterum iubent, Domino proferunt poſtulatum denarium. Quod etſi nequiter facerent, nobis eſt exemplum virtutis ſectandæ; vt quoties iubeamur non denarium ſolum, ſed aurum, nummos, facultatem omnem, & noſipſos afferri Deo, vt videat, vt ſimus ante conſpectum eius, & ſacro eius cultui noſtra obſeruiant, non ſimus ſegnes, vt illi, de quibus ſcriptum eſt: Obtulerunt mente promptiſſima, atque deuota primitias Domino, ad faciendam opus tabernaculi teſtimonij. Tabernaculum teſtimonij, quo Deus delectatur eſt animæ ſpiritualis profectus, atque perfectio, quam hiſce denarijs acquirimus, & facimus dignam, vt ſuper eam ſedeat Deus, & ſolium ſuum exaltet.

Omnia offerenda Deo. *Exod. 35.*

Et ait illis. Vt accepto reſponſo ab eis, doctrinam proponat ſalutarem, & lucidam, quæ nodum omnem diſſoluat. Quia vt præceptum, ſic & eloquium Domini lucidum illuminans oculos his, qui ſe patiuntur col-

lyrio iniungi, hoc eſt, fide. Quia niſi crediderítis, non intelligetis.

Cuius eſt imago hæc. Sub his magnum inquirit ſacramentum, ſed non penetrant mentes prauæ, neque obcæcati malitia percipiunt, quid tali quæſito cogitauerit Chriſtus. Etenim, vt *imago*, quæ verè ſic dici poſſit, nulla eſt præter Dei filium, qui eſt *imago* inuiſibilis Dei, non colores, aut delineamenta repræſentans, ſed figuram eiuſdem ſubſtantiæ, eandemque numero ſubſtantiam continens patris, à quo procedit; ita nullus præter filium Dei, *imago hæc*, poteſt appellari; *hæc*, inquam, quæ non antonomaſticè ſolum, ſed per eminentiam rerum omnium *imagines*, naturas, & eſſentias continet, quia in ipſo condita ſunt vniuerſa. Sub typo ergo quærit de ſeipſo; vnde ſit, & à quo proceſſit, & quid repræſentet. Verumenimuero, qui nihil præter figuras, & figmenta norunt, arcanum neſciunt, neque aliud à ſolitis ſymbolis reſpondent.

Et inſcriptio? Huius veræ imaginis, quam denarrauimus *inſcriptio* eſt omnis creatura. Siquidem omnia per ipſum facta ſunt, omnia in ipſo conſtant, & in omnibus ipſe eſt, vt cauſa in effectibus, vt artifex in operibus, vt ſol lucens in aſtris, & vt pater in filijs ſpecimen aliquod ſui reponens, per quod velut per *inſcriptionem* ad virtutem, diuinitatem, & ſubſtantiam eius ſubleuamur agnoſcendam.

Inſcriptio Dei eſt creatura. *Ioan. 1.*

Dicunt ei Cæſaris. *Dicunt* quidem, quod in cortice deſignabatur, medullam autem non excauant, quam nomen Cæſaris indicat. Videlicet Imperatorem omnium, Regem Regum, & Dominum dominantium, talem eſſe Chriſtum denotat *inſcriptio*, quæ vbique gentium legitur. Hoc legimus in natura Angelica, quæ Chriſtum prædicat caput; hoc in natura humana, quæ excelſum præ Regibus terræ acclamat; hoc in omni creatura, quæ eum primogenitum omnis creaturæ agnoſcit. Quocumque oculum conuertamus, & applicemus mentem, tàm naturalibus entibus, quàm artificiatis, nunquam dicemus niſi Chriſtum Cæſarem, non eum, qui perit, ſed illum, quem pater poſuit regere gentes, & in quem gentes omnes ſperant, & cui omnis creatura acclamat: Dignus eſt accipere virtutem, & diuinitatem,

CAPVT XVII.

Reſpondens autem Ieſus, *dixit illis: Reddite igitur quę ſunt Cæſaris Cæſari: & quæ ſunt Dei Deo. Et mirabantur ſuper eo.*

POſtquam ergo ſuam ſententiā aperuiſſent æmuli; *reſpondens* ſummo cum iudicio, & acutie admirabili mentis, atque reſponſo irrefragabili *Ieſus* omnium peritiſſimus, *dixit illis*, & ſatisfecit, longè aliter, quàm putabant. *Reddite igitur*, ò ſerui hominum, *quæ ſunt* mortalis *Cæſaris*, *Cæſari*, qui dominabitur vobis hominibus, & poteſtatem inter vos exercet. Ea verò, *quæ* reuera *ſunt Dei* ſpiritualia, & his conſentanea, *Deo* curate quàm citius reddi. His auditis *mirabantur* cauilloſi *ſuper eo* reſponſo, quo tàm ſapienter ſatisfecerat quæſito, euaſerat præcipitia, quæ ipſi pararant, & laudem apud omnes promerebatur.

Reſpondens autem Ieſus. Non ad mentem eorum fallacem, neque ad friuolā quæſtionem, & inutilem, & pernicioſam, ſed ſecundum iudicium rectum. Quia iuſti ſunt (inquit) omnes ſermones mei, non eſt in eis prauum quid, neque peruerſum. Recti ſunt intelligentibus, & æqui inuenientibus ſcientiam. Scientiam, inquam, Sanctorum, quæ clara eſt, & perſpicua; ſecus illa, quæ peccatores inflat, & inflatos facit ſine voce. *Prou. 8.*

Dixit illis. Scilicet ſolis, qui tragædias ſuis inuentis excitabant, & perdebant populum, vt ſuo reſponſo deſinerent bellare. Quia dixit iniquis nolite iniquè agere, & delinquentibus nolite exaltare cornu. Quoniam Deus iudex eſt. Hactenus dubium agitarunt homines mendaces, nunc Deus verax illuminat dubios, & dubitationem omnem eliminat. *Pſal. 74.*

Reddite igitur, quæ ſunt Cæſaris Cæſari. His ſatisfecit dictis eorum, quæ ſi ſeruaſſent, Deo, hominibuſque gratiores extitiſſent. Nam cui vectigal, vectigal, & cui tributum, propter bella, quæ imminent, & regimen Regni debetur, quia propter bella, ait Auguſt. lib. 22. contra Fauſtum Manichæū, cap. 79. & 75. neceſſario militi ſtipendium præbetur. Ordo tamen ille naturalis mortalium paci accommodatus hoc poſcit, vt ſuſcipiendi belli anctoritas, atq; Conciliū apud Principes ſit. Igitur infert lib. de verb. Dom. ſerm. 19. quod Cæſar præcipit, ferendum eſt; quod Imperator indicit tolerandum eſt, ſed fit intolerabile dum prædam exactores accumulant. Id quod in pleriſque Regnis accidit, vnde fit, vt ingens tributorum ſumma, quæ colligitur ex ſubiectis populis, fiat minima cum ad Regem defertur. *Auguſt.* *Idem.*

Et quæ ſunt Dei Deo. *Deo* in primis debetur anima, quæ ad eius imaginem eſt. Porrò vniuerſa, quæ animæ iter ad Deum iuuant, eamque perficiunt, ſiue ſint corporea, ſiue ſpiritualia, quæ eo obſeruiunt animæ, *Deo* dicuntur dari, vt & anima ipſa. Adduntur iſta poſtrema verba ne quam Iudæis cauillandi occaſionem relinquat. Nam ni hoc feciſſet (inquit Victor Antiochenus) dicere poterant Cæſari adulari voluiſſe; ſiquidem abiecta quædam *Victor Antioch.*

quædam res , viliſque ſeruitus videtur, hominem homini obſtrictum , certumque vectigal illi exoluere obligatum eſſe , *Deo* autem nihil . Cæſar item (ſecundum Theophylactum) vnicuique noſtrum , ineuitabilis illa corporis noſtri neceſſitas eſt . Iubet igitur Dominus reddere etiam corpori ſua neceſſaria, cibos ſcilicet,ac veſtes: & *quæ Dei Deo* , nempe vigilias quantas poſſumus, orationes , &c. Sed & Diabolo, qui Cæſar eſt, obijce , quæ tibi ab illo data, iram, concupiſcentiam malam ; & *quæ Dei ſunt* , offer *Deo*. Deus (ſubdit Arias Montanus)pium animum , & religionis cultum poſtulat , quem Cæſar huiuſmodi tributis exigendis non impedit .

Theoph.

Arias Montanus.

Et mirabantur ſuper eo . Nam vincebat ſcientiam eorum, & quidem omnium. Candor eſt enim lucis æternæ , & ſpeculum ſine macula Dei maieſtatis , & imago bonitatis illius .

Sap. 7.

CAPVT XVIII.

*Et venerunt ad eum Sadducæi , qui dicunt reſurrectionem non eſſe , & interrogabant eum dicentes:*Magiſter.

Expoſitio.

ET his deuictis armantur alij aduerſus eum . *Venerunt* enim cunctanter *ad eum* expugnandum *Sadducæi* hæretici, *qui* infideliter *dicunt, reſurrectionem*, quam oracula prædicant , *non eſſe* prorſus futuram . Hi ergo accedentes , *interrogabant eum* audacter pariter,& ignoranter,*dicentes Magiſter* , & nos quidem aliud optamus à te ſcire, quod non minimum eſt inter ea, quæ vel credi , ſeu diſcredi debent .

Et venerunt ad eum Sadducæi . De horum hæreſi dictum eſt alibi . Mox quorſum poſt pugnam de reddendo tributo, veniant qui reſurrectionem oppugnent paucis diſcurremus . Negat tributum Cæſari ſupremo, qui reſurrectionem diſcredit fore . Is autem eſt , qui ait : Edamus , & bibamus, cras enim moriemur . Et omnia pergunt ad vnum locum : de terra facta ſunt, & in terram pariter reuertuntur . Quis nouit ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum, et ſi ſpiritus iumentorum deſcendat deorſum? Ergo quia Deo tributum dandum fore oſtendit , vtpote animam ; eam conſequenter reſurrecturam probare oportebat, facit vt hoc poſt primum ſibi dubium proponatur , qui dicunt reſurrectionem non eſſe . Inter hæreticos priſcos *Sadducæi* videntur primi , qui reſurrectionem omnino negarunt : inter eos verò , qui à Chriſti temporibus cœperunt pullulare,connumerantur Simon magus,Baſilides, Himæneus, Philetus, Carpocrates,& plerique alij,qui animam cum corpore interitum pati arbitrabātur.Fuerunt & alij vt Origines ſecundum Nicephorum lib. 17. eccl.hiſt. cap. 27. 28. qui nudam animam reſurrecturam putaret non corpus . Sed & huius reſurrectionem admittens Euthychius , negabat materiale, ex eadem carne, & oſſibus , ſed ſpirituale & cæleſte, immateriale prorſus, impalpabile,& inuiſibile . Dicunt pariter reſurrectionem non eſſe , qui,vt refert Nicephorus,volunt , iuxtà priorem figuram, ſed orbicularem habitura corpora quæ reſurgent . Si autem reſurrectio mortuorum non eſt, infert Paulus neque Chriſtus reſurrexit , ſi autem Chriſtus non reſurrexiſſet, inanis eſt prædicatio noſtra, inanis eſt fides noſtra . Inuenimur autem , & falſi teſtes, quoniam teſtimonium diximus aduerſus Deum, quod ſuſcitauit Chriſtum , quem non ſuſcitauit ſi mortui non reſurgunt . Nam ſi mortui non reſurgunt, neque Chriſtus reſurrexit. Quod ſi Chriſtus non reſurrexit, vana eſt fides noſtra . At certus ſum quia non mentior,ait alibi . Ergo & fides vera eſt , & Chriſtus reſurrexit , & nos reſurgemus ; idem numero ex eadem materia,ſed illuſtriori, in eadem forma,ſed pulchriori, & cum eiſdem membris, ſed clarificatis . Ipſe enim(ait Clemens lib. 5. conſt. Apoſtol. cap. 6.) nos excitabit à mortuis Deus omnipotens per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium ſuum , ſecundum promiſſionem ſuam certiſſimam excitabit, in quam nos cum cæteris omnibus , quicunque à primordio ſæculi mortui ſunt,tales quales modo ſumus, & in hac ipſa forma, qua nunc ſubſiſtimus , ita vt nihil mutilum, aut mancum habeamus,aut corruptum : ſiquidem incorrupti , & integri reſurgemus , ſiue enim in mari interierimus, ſiue per terram diſperſi,ac diſiecti ; ſicut à beſtijs, vel auibus diſcerpti fuerimus excitabit nos ſua potentia, quia vniuerſum manu Dei continetur ; capillus, inquit, de capite veſtro non peribit . Quare his verbis nos admonet in patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras . De reſurrectione vero mortuorum, & de præmio , ac remuneratione martyrum , ait Gabriel Danieli: Et multi defunctorum ex terræ tumulo reſurgent partim quidem ad vitam æternam, partim verò ad probrum , & dedecus immortale , & qui intellexerunt ſplendebunt ſicut ſol, & ſicut firmamentum, & ſtellæ.

Iſai 22.
Eccl. 3

Qui negant reſurrectionem.

Error Origenis.

1. Cor. 15

Impugnatio erroris.

Clem.

Reſurrectio erit ſecundū formam naturalem .

Luc. 21.

Dan. 12.

Et interrogabant eum dicentes . Interrogabant hi primo , vt communem hæreticorum auſum nobis in memoriam reuocent . Etenim hi miniſtri Sathanæ habentes zelum, ſed non ſecundum ſcientiam, qua carent ; & pietatem præferentes , ſed peſtiferam ; primi ſunt , qui orthodoxos interrogant , cum eis colloquia miſcent de hæreſi,quam profitentur,ſi vt ſerpentes inficere, & deuorare vt leones poſſint ſimplices .

Digitized by Google

ces. Inſidiantes quaſi aucupes, laqueos ponentes, & pedicas ad capiendos viros. Et non dixerunt in corde ſuo, metuamus Dominum Deum noſtrum. Quinimo arbitrantur ſe obſequium præſtare Deo, & ſacrificium ſalutare, quoties hominem ad hæreſim conuertunt.

Magiſter. Quum hæretici ſint. Chriſtum magiſtrum dicunt, non quod prauum dogma ab eo acceperint, ſed quod eo velint imbibi. Submittũt ſe vt luctatores, qui ſubuertere alium nituntur. Id quod in omni peruerſorum genere licet obſeruare. Quia poſuimus (inquiunt) mendacium ſpem

Iſa 28

noſtram, & mendacio protecti ſumus. At Deus Ponam faciem meam in eos; de igne egredientur, & ignis conſumet eos, quia male-

Mal. 1

dictus doloſus.

CAPVT XIX.

Moyſes nobis ſcripſit, ut ſi cuius frater mortuus fuerit, & dimiſerit vxorem, & filios non reliquerit, accipiat frater eius vxorem ipſius, & reſuſcitet ſemen fratri ſuo.

Expoſitio.

PRæmittunt Scripturam, vt inde illatam hæreſim, tametſi perperam, reddant probabiliorem. *Moyſes*, inquiunt, legiſlator ille, qui ex ore Dei per manum mediatoris *nobis ſcripſit* legem vniuerſis illuſtriorem; præcepitque in ea, *vt ſi cuius* noſtrum *frater* propinquus *mortuus fuerit* corpore, *&* apud nos *dimiſerit* ſuperſtitem *vxorem* ſibi matrimonio olim coniunctam, *&* ex ea *filios* procreatos *non reliquerit* viuos, qui hæreditati ſuccedant, qui in cognatione defuncti propinquus habetur, tum maxime *accipit* vterinus *frater eius* demortui, *vxorem* eandem *ipſius*, *&* ſibi matrimonio iunctam *reſuſcitet* fideliter *ſemen*, ac filios *fratri ſuo*, qui abſque liberis diſceſſit, ne ad extraneos hæreditas tranſmigret, neque extinguatur lucerna in Iſrael.

Moyſes nobis ſcripſit. Et quidem omnibus. Nam & primus ſcriptor, & qui primo cultum veri Dei, ac legem, quæ vniuerſos complectitur litteris mandauit, is fuit,

Theodor.

à quo, vt poeticæ dicam (ait Theodoretus lib. 2. de principijs) fluuij omnes, & maria omnia detinantur. Illinc enim, & Anaxagoras, & Pythagoras, Platoque poſt eos, parua quædam veritatis lumina, quædamq. initia deſumpſerunt. Socrates quoque, qui Archelao, Anexagoræq. conuixit ab eis didicit, quæcumque de Deo, alijs ipſe tradidit. Moyſes vero nequaquam ſequutus hominum rationes, ſicut illi fecerunt, ſed clariſſima Dei voce perdoctus Theologiam nobis conſcripſit. Plura de illius antiqui-

Anagoras, Pythagoras, Plato, Socrates a Moyſe didicerunt quę ſcripſerunt de Deo.

tate, & ſcripturarum, qui voluerit videre legat Euſebium lib. 9. de præparatio. Euang. cap. 4. Strabon, lib. 16. Greg. Iuſti hiſt. lib. 16. præſertim Ioſeph. lib. antiquit.

Euſeb. Strabo Greg. Iuſtin. Ioſeph.

Vt ſi cuius frater mortuus fuerit. De morte fratris ſcripturam ſibi à Moyſe conſcriptam optimè referunt Sadducæi, vt qui hæretici. De hæretico autem, qui traditus eſt Sathanæ hoc primum ſcribitur, quia mortuus eſt à corde. Hoc ſcribit Moyſes, hoc omnis ſcriptor orthodoxus, quod vita eorum non ſit abſcondita in Chriſto, qui eſt vita; quod nihil nouerunt amplius hæretici, vtile, honeſtum, aut ſalutare, ſed læthale, & caliginoſum. Tenebræ enim ſunt ſuper faciem abyſſi nequam, & mors in olla, quæ ad aquilonem vergit.

Hæretica allucinatio.

Et dimiſerit vxorem, & filios non reliquerit. Poteſt & hoc hæreticis applicari, qui dimittunt vxorem ſuperſtitem, & abſq. filijs decedunt. Hoc eſt, hæreſim, cui ſe deuouerant, ſuperſtitem relinquunt, vt ex ea ſuſciteotur filij nomine demortui. Nam ſubſequentes hæreſiarcham, ab auctore denominantur, vt Lutherani, Caluiniſtæ, Hugnoſtici, vel vt à Dæmone Dæmoniaci; vnde & nomine ipſo alienos à fide vna, vno Chriſto, & Deo ſeipſos declarant. Numquã enim populus fidelis ab Epiſcopis ſuis, ſed à Domino (Inquit Athanaſius) in quem creditum fuit, nomen accepit. Certè à beatis Appoſtolis præceptoribus noſtris, miniſtriſq. Euangelij Saluatoris noſtri appellationes adepti non ſumus, ſed à Chriſto, chriſtiani & ſumus, & nuncupamur. Illi vero, qui aliunde originem ſuæ fidei deducunt, merito auctorum ſuorum cognomenta, vt ad quos pertineant, præſeferunt.

Accipiat frater eius vxorem ipſius. Frater hæretici eſt peccator, qui in profundum iniquitatis venit, frater draconum, ſocius ſcorpiorum, & conſcius ſceleris, quod hæreſi initium dedit, vtpotè contemptus. Contemnit enim vt freneticus medicum, vt inſanus refugit medicamentum, & vt hoſtis deteſtatur Regem, & eos, qui Regis ſupremi vices gerunt. Contempſit Arrius Alexandrum; nihilo duxit Leonis. X. cenſuram Lutherus. Nec hæc iacto, ſed dolens profero (vt cum Cypriano epiſt. 69. ad Florentium, ſiuè Ruppianum) cum te iudicem Dei cõſtituas, & Chriſti, qui dicit ad Apoſtolos, & per hoc ad omnes præpoſitos, qui Apoſtolis vicaria ordinatione ſuccedũt: Qui audit vos me audit, & qui me audit, audit eũ qui me miſit: Et qui reijcit vos me reijcit, & eum, qui me miſit. Inde enim ſchiſmata, & hæreſes ſubortæ ſunt, & oriuntur, dum Epiſcopus, qui vnus eſt, & Eccleſiæ præeſt, ſuperba quorundam pręſumptione contemnitur, & homo dignatione Dei honoratus, indignus hominibus iudicatur.

Hęretici cõtemptores.

Cyp.

Et reſuſcitet ſemen fratri ſuo. Nihil

quidem

quidem hæreticis familiarius, quàm nomen fratris mortui, & damnati, inter mortuos ſempiternos ſuſcitare, ampliare, & dilatare, ſi quo modo multitudo locuſtarum impleat terram tuam ò Emanuel, eſſent dies feſti Dei à terra, & hæreditate poſſideant ſanctuarum eius, & tollant iuge ſacrificium. Hoc olim elaborauit frater Arij, & hoc mox contendit frater Lutheri. Idque nouo ſuſcitato in dies ſemine, noua hæreſi continuo pullulante, vt ſicut dies diei eructat verbum, nouamque lucem veritas, quæ in Eccleſia eſt, inter filios Iſrael, continuo parit, ſic nox nocti indicat ſcientiam, hoc eſt hæreticus hæretico tradit nouæ obſcuritatis agnitionem, quouſque tenebræ palpabiles fiant, vt ne dicam theologus, & qui verſatus eſt in ſcripturis, ſed idiota, qui neſcit litteras, etiam Mahumetanus multas eorum nouitates irrideat, & condemnet homines. Subinde Vincentius Lirinenſis aduerſus profanas nouationes hæreticorũ; Cunctis ſatis, perſpicuèque monſtratur, hoc apud omnes fere hæreſes, quaſi ſolemne eſſe, ac legitimum, vt ſemper prophanis nouitatibus gaudeant, antiquitatis ſcita faſtidiant, & per oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ à fide naufragent, contra vero catholicorum hoc proprium, depoſita ſanctorum Patrum, & commiſſa ſeruare, damnare prophanas nouitates.

Nouitas hæreticis familiaris.

Vinc. Lyr.

CAPVT XX.

Septem ergo fratres erant, & primus accepit vxorem, & mortuus eſt non relicto ſemine.

Expoſitio.

IVxta igitur præceptum Moyſis oportet, inquiunt, vxorem nubi propinquiori. Quapropter quia *ſeptem fratres* ex vno patre demortuo geniti *erant, primus*, ad quem videbatur cura omnis pertinere totius familiæ, *accepit* in *vxorem*, quam mortuus reliquerat. Paucíſque poſt diebus *&* ipſe *mortuus eſt* pariter, *non relicto ſemine*, quo fratris familia, & hæreditas, atque nomen conſeruaretur.

Quid ſeptẽ fratres denotent?

Septem ergo fratres erant. Et hos dico *ſeptem* vitia capitalia, ſeu horum vitiorum fautores, patronos, defenſores, qui cognati ſunt omni hæreſi, atque hæretico. Nam hæreſim ſuperbam, vt quam Ioann. Vuicleph. & Ioan. Huz profeſſi ſunt, quod nullus ſit Dominus, ſi in peccato ſit, ſequuntur ſuperbi, qui renuunt ſubijci; auaritiam, vt ita loquar, quæ in Simoniaco mago locum habet, libens amplectitur auri cupidus; luxuriam, quæ omni concupiſcentiæ carnis habenas ſoluit, vt illa Lutheri, quæ & plures vxores tàm ſacris, quàm prophanis hominibus de licẽtia Magiſtratus permittit, & delectum ciborum negat, lubenter animalis homo, qui ingluuiem amat, & iugiter ad libidinem ſpumat, ſibi propriam & amicam facit. Ac denique ne prolixior in enumerandis hæreſibus, atque hæreticis ſim, omnis peccator facillimè ad omnem hæreſim dilabitur, potiſſimum eam complectitur, quæ prædominanti vitio vicinior eſt. Ac propterea *ſeptem fratres* hæretici inſimulo ſeptem vitijs capitalibus notatis; quod peccatum priuet ordine charitatis, ſpecie virtutis, & modo ſanctitatis, introductis, ignorantia, quæ cæcat; malitia, quæ obdurat; & vlcere peſſimo, quod fœtet omnibus. Hinc Chryſoſtomus hom. 17. in Gen. Nihil peccato peius, ipſum enim vt introierit, non ſolum confuſione totos nos replet, ſed & inſipientes facit eos, qui antea intellectu, & ſapientia multa prædití fuerant.

Malitia peccati.

Chryſoſt.

Et primus accepit vxorem. Is qui primo ad hæreſim declinat, eique, vt vxori, coniungitur eſt ſuperbus. Nam qui primam in cælo hæreſim ſuſcitauit ſuperbiam, Lucifer ille fuit dicens; Similis ero altiſſimo; & in terris, quis niſi ille dixit: Eritis ſicut Dij ſcientes bonum & malum? Has enim hæreſes de appetitu diuinitatis, & errore de his, quæ ſupra nos ſunt diuina, ſuperbi adinueniunt, vt Centuriatores, qui Dei filium actu mentis negant, ac dici, λόγον hoc eſt verbum, contra Theologum intonantem: In principio erat verbum. Vt Seruetus, qui nullam generationem, nec ſpirationem in diuinis admittit. Contra id quod legimus: In ſplendoribus ſanctorum ex vtero ante Luciferum genui. Spiritus qui à patre procedit ille teſtimonium perhibebit de me. Et ſimilia, quibus ſuperbè deſpectis, & arroganter interpretatis elati, & arrogantes homines hæreſim, quæ in cælum mittit os ſuum, ſibi coniungunt, facti fratres primi illius ſuperbiſſimi, à quo, & peccatum & hæreſis vniuerſa manauit. Scriptum eſt enim (ait Cyrillus Alexandrinus epiſt. ad Theodorum Imperat. quæ habetur tom. 5. act. Concil. Epheſ.) neminem dicere anathema Ieſum, niſi in Beelzebub, hoc eſt neminem negare Chriſtum, niſi Sathanam; negat Chriſtum omnis hæreticus, qui à fide, quæ eſt in Chriſtum Ieſum, naufragatur.

Iſai. 14.
Gen. 3
Ioann. 1.
Seruetus.
Pſal. 109
Ioann. 15
Cyrill.

Et mortuus eſt. Huius primi fratris mors commemoratur, ſicut & eius, qui reliquit vxorem, minimè aliorum. Quoniam caſus ſuperbi, & hæreſis quam elatus & arrogans ſpiritus ſuſcitat de his, quæ tranſcendunt, eſt omnium peſtilentior, & quanto nociua eſt reipublicæ (vt illa Arrij, quæ æquitatem perſonarum negabat) tanto maioribus tormentis, ac mortis generibus cruciat auctores, & ſectatores in inferis, vt ex ijs, quę de caſu Luciferi ferũt oracula, ex pœnis coniectamus, & ex natura ipſa tum

peccati,

Digitized by Google

peccati, quod eſt omnium grauius; tum
hæreſis ſuperbiſſimæ, quæ eſt ſpirituale vi-
Greg. tium. Ideo lib. 31. moral. cap. 31. ait Greg.
Ipſa vitiorum Regina ſuperbia, cum deui-
ctum planè cor cœperit, mox illud ſeptem
principalibus vitijs, quaſi quibuſdam ſuis
ducibus deuaſtandum tradit, quos videli-
cet duces exercitus ſequitur: quia ex his
proculdubio importunæ vitiorum multi-
tudines oriuntur.

Non relicto ſemine. Non relinqui ſe-
men, eſt omnem tolli memoriam eorum,
Pſal. 96. quæ per ſuperbum facta ſunt. Tranſiui enim
& ecce non erat, deponit Vates, & ijdem,
qui in vitio errarunt, clamitant: Tranſie-
Sap. 15. runt omnia illa tanquam vmbra, & tanquam
nuntius præteriens. Stillat enim ſuper il-
los maledictio, quam Moyſes ſcripſit.

Et tertius ſimiliter. Diſceſſit abſque
liberis. Hunc imaginato auarum, qui cu-
piditate allectus ad hæreſim Nicolaitarum
declinat; & vt ille Nicolaus vxorem pro-
ſtituit, iuxtà quorundam placitum propter
lucrum. Is enim, qui dicit in corde ſuo, Di-
ues ſum & locupletatus, & nullius egeo,
abit ad inferos, nudus, pauper, miſer, mi-
Iſai. 47. ſerabilis, & claudus. Quoniam aquæ eius
peſſimæ ſunt, & terra ſterilis. Hoc eſt ani-
mus eius pene bonis omnibus deſtitutus,
4. Reg. 2. & cogitationes ſcaturit nefandas, quæ ima-
ginem peſſundant, & denigrant. Siquidem
ſedens in ſterquilinio tantum abeſt, vt ſe-
niam radat, vt eam alat, & foueat, adhuc
maiora, ceu potius deteriora ſitiat; & cla-
Iſid. met Affer, Affer. Inde Iſidorus lib. 2. de
ſum. bon. cap. 41. ſcripſit, omni peccato
peior eſt auaritia, & amor pecuniarum.
Vnde & per Salomonem dicitur: Nihil eſt
ſceleſtius quàm amare pecuniam: hic enim
animam ſuam venalem facit; quoniam in
vita ſua proiecit intima ſua. Cupiditas
omnium criminum materia eſt. Vnde &
Apoſtolus ait: Radix omnium malorum
1. Tim. 6 cupiditas eſt, quam quidam appetentes er-
rauerunt à fide.

CAPVT XXII.

Et acceperunt eam ſimiliter ſeptem: Et non reliquerunt ſemen: Nouiſſima autem omnium defuncta eſt et mulier.

Expoſitio. CVm igitur duobus primis nihil iuxtà
Legiſlatoris noſtri ſententiã effectum
eſſet, oportuit vxorem dimiſſam ſuperſtiti-
bus fratribus tradi, *Et* quidem *acceperunt*
eodem animo *eam*, *ſimiliter* qui ex *ſeptem*
remanſerant, videlicet quinq. quibus idem,
quod prioribus, accidit. Etenim cum ali-
quandiu vixiſſent cum ea, *non reliquerunt*
progenitum *ſemen*, ſed vt ſteriles viſi ſunt
viuentes, ſic mortui abſque liberis habiti;
Quæ res mulierem confecit mæſtitia, vt
breui poſt eos abiret. *Nouiſſima* enim
omnium triſtis, & mærens *defuncta eſt* &
illa *mulier*, quæ cum ſpe prolis tamdiu vi-
xerat, vt ſeptem fratribus excepto primo
viro nuberet.

Et acceperunt eam ſimiliter ſept. Quum
de ſingulorum matrimoniali contractu, &
coniunctione agendum eſſet, referuntur *ſep-
tem* eandem accepiſſe. Nam vt intentum
de vitijs hæreſi proximis proſequar, quiuis
peccator qui hæreſim accipit in vxorem,
aut certè diſponitur aſſuetudine peccandi,
ſeptem eſt, ac ſeptẽpliciter frater Dæmonis
qui hæreſim, vt vxorem, primo agnouit: vi-
tia ſiquidem capitalia mutuo ſe colligant,
vt qui reptat ſuper terram per auaritiam,
alijs quoque vanitatis ſuperbiat; & quadam
animi aptitudine alia vitia perpetret. Vt
enim virtutes conueniunt in vno principio
ait S. Thom. 1. 2. quæſt. 73. art. 2. ita & pec- S. Thom.
cata: quia ſicut amor Dei, qui facit ciui-
tatem Dei, eſt principium & radix omnium Sicut virtu-
virtutum: ita amor ſui, qui facit ciuitatem tum ita &
Babylonis, eſt radix omnium peccatorum, vitiorum eſt
vt patet per Auguſtinum 14. de ciuit. c. 28. colligatio.
Aug.
Radix quidem, vt ipſe auctor declarat in
reſpon. ad. 3. videlicet quod amor Dei ſit Ratio bona.
congregans virtutes, & propriè dicuntur
illæ connecti; amor ſui diſgregans, ſeu ap-
plicans affectum hominis in diuerſa. Vnde
proprie in ſe non ſunt connexa vitia, ſed in
amore, & aptitudine.

Et non reliquerunt ſemen. Hoc quidem
eſt omni peccato commune, tum maxime
hæretico peccatori; nullam ſui laudem re-
linquere, ſed infamiam & ignominiam per-
petuam. Nam ciuitas, quam condidit Caim,
Regnũ quod erexit Nembrot, muri, quibus
ſuam Babylonem cinxit Semiramis, & reli- Vanitas mun
qua, quæ mundus de ſuis mundanis cele- di.
brat, tantum abſunt à laude, quod dedecus
prædicent, & infamiam eorum, qui cum
minimo labore magnam gloriam, & per-
hennem in cælis ſibi potuiſſent conciliari,
ſtatuerunt ſumptu ingenti pecuniarum, vi-
tæ multorum diſcrimine, ſui ſuorumque
anguſtia, ambulare vias difficiles, & ad ru-
dentes inferni deſcendere, cum Regibus, &
Conſulibus terræ, qui ædificant ſibi ſolitu-
dines. Sunt enim ſolitudines, quæcumque
peccatores cum tanto diſpendio in terris
ædificant, & ineptè perpetrant.

*Nouiſſima omnium defuncta eſt & mu-
lier*. Itaque non deficit hæreſis niſi hære-
ſiarchis abolitis. Poſtquam enim ceſſauerit
exactor, fictor ſomniorum interfectus erit,
& deſcenderint in infernum viuentes, qui
pugnant in valle ſylueſtri mutui cædibus; Finis pecca-
tunc finem accipiet peccatum hæreſis, ceſ- ti & mortis
ſabit iurgium eiecto deriſore; & nouiſſime poſt iudiciũ.
deſtruitur mors, quando mortui ſempiter-
ni in locum ſuum abierint. Quando inquam

ſpiritu

ſpiritu oris tui Deus interficiet impium, & locus non inuenietur amplius in terra, quo leones, pardi, & dracones cubilia ſua reponant. Eo vſquequo erit finis ſæculi neceſſe eſt hæreſes eſſe, atque hæreticos, & ſcandala, vt qui probati fuerint, fideles inueniantur ſuper aurum, & topazion lucentes ante Dominum. Ante finem ſæculi hæreſim contingit quoque mori defunctis, decapitatis, & inflammatis, ceu exarſis hæreticis.

Ioann. 15

Quia veritas dixit: Si quis in me non manſerit, mittetur foras ſicut palmes & areſcet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet. Sicque ſtatuit lex humana, quam conſuetudo confirmauit, vt docent fuſius.

Petr Godof. *Couar.*

Petrus Godofredus lib. 4. cap. de hæreſ. Couarruuias lib. 2. variar. reſolut. cap. 10. num. 10.

CAPVT XXIII.

In reſurrectione ergo cum reſurrexerint, cuius de his erit vxor? ſeptem enim habuerunt eam vxorem.

Expoſitio.

INferunt tandem propoſitum, videlicet, aut non fore reſurrectionem, aut certe libidinoſam, vel contentioſam, & cædibus plenam, atque riualium; hoc enim intendunt. *In reſurrectione ergo*, inquiunt, cum omnes reſurrexerint ad priorem ſtatum, & vitam; *cuius* dicito, tu qui reſurrectionem aſtruis *de his* fratribus, qui defũcti ſunt *erit vxor* perpetua, vniuſne an omnium? *ſeptem enim* ſucceſſiuè *habuerunt* in ſua poteſtate *eam vxorem* ita vt quiuis repetere quaſi legitimus vir poſſit.

In reſurrectione ergo cũ reſurrexerint. Ex modo loquendi collige duo reſurgentiũ

Duo reſurgentium genera

genera. Quidam enim reſurgunt, ſed eitra reſurrectionem, vt Chriſtus quem Deus ſuſcitauit à mortuis; Virgo Maria, quam reaſſumpto corpore aſſumptam in cælum pij credunt; etiam illos, qui cum Chriſto ſurrexerunt, & introierunt in ciuitatem ſanctam, & apparuerunt multis. In reſurrectione vero communi, & generali, cæteri tàm boni, quàm mali, iuxtà illud: Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immu-

1. Cor. 15

tabimur. Itaq. ab actu illo celebri, & communi, ſtatus ille vocatur *reſurrectionis*, vt iſte quem colimus mortalitatis, quia omnes morimur, & quaſi aqua dilabimur.

Cuius de his erit vxor? Inde formatur argumentum deſtruens reſurrectionem; vel primi *erit vxor*, vel alterius, vel nullius; ſi primi, neceſſe eſt alios fore procos perpetuos mulieri, aut certe riuales viro; ſi alterius pactum cum primo, quod firmita-

Sophiſma Sadduceorũ.

tem poſtulat, violabitur; ſi nullius, vim profecto tàm mulier, quàm fratres patientur, fruſtraque potentia generandi illis inerit. Primum ergo cum bella pariat admitti non poteſt in illo Regno pacatiſſimo; ſecundum quoquè inueniri non debet in loco, quo nihil fidelius; ac multo minus violentia naturæ in ſtatu feliciſſimo concedetur, neque aliud fruſtra in loco ordinatiſſimo. Ergo aut neganda eſt reſurrectio corporum, aut plena cædibus, & imperfectionibus ſperanda eſt poſt hanc vitam habitatio; ſed hoc eſt impoſſibile, ſi credimus naturæ exemplis, quæ ab imperfecto ad perfectum procedunt; necnon oraculis, quæ diuiniſsimam commorationem pollicentur poſt mortem; illud ergo neceſſe eſt credere, videlicet non fore reſurrectionem. En hæreticam collectionem, quam veritas facillimè diſſoluet.

Septem enim habuerunt eam vxorem. Hac vt alias diximus ſignificatur hæreſis, & vicioſa conſuetudo; quam haberi à *ſeptem* viris denotare nobis poteſt caſus, & declinatio vniuerſorum, qui proni ſunt ad malum ab adoleſcentia ſua, nituntur ſeruire impudicitiæ, & meretrici magnæ adhærere. Vt exclamet Vates: Omnes declinauerunt *Pſal 13.* non eſt, qui faciat bonum. Itaque *ſeptem* vnius vxoris viri, ſunt vniuerſitas peſsimorum, qui in delitijs carnis ſunt.

CAPVT XXIV.

Et reſpondens Ieſus, ait illis: Nonne ideo erratis, non ſcientes ſcripturas, neque virtutem Dei?

AVdiamus ergo iam quid ad hæreticos, Expoſitio.
veritas reſpondeat. Et quidem vt ſemper prudentiſsimè *reſpondens*, ac infeliciſsimum hominum errorem *Ieſus*, qui ſaluare eos venerat, *ait illis*: O miſeri *nonne* quia ſic arbitramini fore in reſurrectione, *ideo* prorſus *erratis non ſcientes*, quas vos oporteret ſcire, *ſcripturas neque virtutem Dei*, quæ mirabilia operatur in omni tempore, tum maxime in ſtatu illo florentiſsimo?

Et reſpondens Ieſus. Auide ſi vnquam, & opportune. Siquidem neque credibile aliquod occurrit in ſymbolo, quod difficilius ſit, creditur iucundius, & vtilius, quam reſurrectionem cunctorum fore. Vnde de ea Paulum diſſerentem Athenienſes di- *Act. 17.*
xere inſanum, quod non capiat philoſophia humana, idem numero reparari poſſe, aut reuiuiſcere, diuina humanis metiẽs, nedum ad Paulum, ſed ad Chriſtum eructabit: Ecce ſomniator venit. Ergo quia difficile, exemplar futurum reſurrectionis noſtræ, & auctor Chriſtus, accepta occaſione reſpondet auide hoc in loco, vt ſuo reſponſo, quod inſipientibus difficile eſt, fiat facillimum credentibus.

Ait

Digitized by Google

Ait illis. Verbis quidem docens nunc
myſterium, quod poſtea factis comproba-
bit; ſuſcitatus enim per quadraginta dies
apparens teſtibus à Deo præparatis, in
multis argumenris reſurrectionem fore
perſnafir. Sic enim oportet, quæ ſuperant
captum, pertractari, vt primo verbis, dein
factis comprobentur.

Nonne ideo erratis. Quantus ſit error
negare reſurrectionem paucis inſinuat Pau-
1. Cor. 15 lus dicens: Inanis eſt fides noſtra, inanis
eſt prædicatio noſtra; nam qui negat præ-
mium operi, nedum otium introducit, ſed
bono opere deteſtato, malum complecti-
tur, & fruitur creatura celeriter, ne ſit ani-
malibus deterior, quæ nihil præter corpo-
ris oblectamenta ſequuntur.

Non ſcientes ſcripturas. Etenim hæ cla-
rè reſurrectionem conteſtantur. Iſaias ait:
Iſai 26. Viuent mortui tui, interfecti mei reſurgēt,
expergiſcimini, & laudate, qui habitatis in
4 Eſdr 2 puluere; & in 4. Eſdræ 2. ait Deus: Reſu-
ſcitabo mortuos de locis ſuis, & de monu-
mentis educam illos. Vnde Iob audacter
Iob 19 protulit: Et rurſum circundabor pelle mea,
& in carne mea videbo Deum. Et Martha:
Ioann. 11 Scio quia reſurget in reſurrectione in no-
uiſsimo die. Itaque qui prima corpora ex
nihilo efficit (ait Clemens lib. 5. apoſt. conſt.
Clem. cap. 6) & ex ipſis corporibus varia fabrica-
tus eſt, idem mortuus reuiuiſcere faciet, eos
Poſsibilitas reſurrectionis declaratur. excitando. Qui enim ex modico ſemine
genitali hominem in vtero format, & ani-
mam, quæ ante non erat in eo creat; ſicut
ipſe ait Hieremiæ: Antequam te formarem
Ierem. 1. in vtero noui te, & alias: ego Dominus for-
mans cælum, & fundens terram, & fingens
ſpiritum hominis in ipſo; idem vniuerſos
homines à mortuis excitabit. Quippe qui
ſint effecta eius, ſicut diuina Scriptura te-
ſtatur, cum ait Deus filio ſuo, faciamus ho-
minem ad imaginem, & ſimilitudinem no-
ſtram, & fecit Deus hominem. Quod ſi hoc
Gentilibus ludibrio eſt (ait paulo ſuperius)
qui ſcripturis noſtris non credunt, faciat
eis fidem eorum propheticiſſa Sybilla, quæ
cum illis loquitur his ipſis verbis:

At poſtquam in cinerem fuerint morta-
lia verſa
Extinctuſq. Deo fuerit, quem incenderit
ignis
Oſſa hominum, cineremque Deus reuo-
cabit in vnum;
Conſtituetque homines iterum, velut ante
fuerunt.

Nec virtutem Dei? Enimuero vos (ait
Theophylactus) ad difficultatem rei reſpi-
Theoph. citis, & propterea addubitatis, quomodo
poterunt diſſoluta corpora redire ad ani-
mam. Sed virtuti diuinæ, hoc quaſi nihil
erit. Quia in momento, in ictu oculi canet
tuba, & mortui reſurgent in voce Archan-
geli. Quia vox Domini in virtute, vox *Pſal. 28*
Domini in magnificentia. In virtute qui-
dem vt idem numero reſurgat; & in ma-
gnificentia, vt reſurgat corpus ſpirituale.
Quoniam tanta erit tunc (inquit Auguſti- *Aug.*
nus in Enchirid. ad Laurentium cap. 91.)
concordia carnis, & ſpiritus, viuificante
ſpiritu ſubditam carnem, vt nihil nobis re-
pugnet ex nobis, ſed ſicut foris neminem,
ita nec intus nos ipſos patiamur inimicos.

CAPVT XXV.

Cum enim à mortuis reſurrexerint, neque
nubent, neque nubentur, ſed ſunt
ſicut Angeli in cælis.

POſtquam errorem hæreticorum corre- Expoſitio.
xit, diſſoluit argumenrationem eorun-
dem fabuloſam. *Cum*, inquit, *à mortuis*
ad vitam homines *reſurrexerint*, non erunt
in memoria priora, ſed noua erunt omnia,
ac nouum longe à præſenti ſtatu aſſequen-
tur, in his præſertim, quæ ad concupiſcen-
tiam carnis, atque libidinem ſpectabunt.
Nam etſi modo voluptati operā dent mor-
tales, vt ſpeciem conſeruent, atque multi-
plicent, quum multiplicatam tunc inuene-
rint, *neque nubent* mulieres viris, *neque*
viri mulieribus *nubentur*, ſed ſpiritualem
ſortiti naturam, erunt, non vt in terris ho-
mines, *ſed* ſicut *Angeli* boni *in cælis*, qui
voluptatem carnis omnino ignorant.

Cum enim à mortuis reſurrexerint. A
mortuis reſurgere tàm bonis, quàm malis Diuerſi ſtatus reſurgētium.
conueniet, quod omnium animæ, corpus
alioqui mortuum reaſſument; minimè ta-
men ad eundem finem; alij enim ad vitam
feliciſſimam, & alij ad infelicem. De qui-
bus dicitur: Non reſurgent impij in iudi- *Pſal. 1*
cio, neque peccatores in conſilio iuſtorum,
de prioribus vero legimus: Scimus, quoniā
cum apparuerit ſimiles ei erimus. Vnde *1. Ioann. 3.*
Daniel, & multi de his, qui dormiunt in *Dan. 12.*
terræ puluere, euigilabunt, alij in vitam
æternam, alij in opprobrium. Horum igi-
tur omnium reſurrectionem volens magi-
ſter complecti paucis, terminum à quo cun-
ctis communem ponit, tacito termino ad
quem, penes quem diſtinctio reſurgentium
ſumitur. Hoc quoque loquendi modo de- Deſtruitur error.
ſtruit errorem ſæpius reprobatū dicentium
duplicem fore reſurrectionem, diſtinctiſque
temporibus, vnam bonorum, qui ſuſcitati
per mille annos potientur terreno mundo;
& malorum alteram: vnam tamen & ean-
dem tàm bonis, quàm malis futuram di-
cens à mortuis reſurgere, nulla finium
reſurgentium facta mentione ſatis expli-
cat.

Neque nubent, neque nubentur. Hoc eſt
mulieres

mulieres, quæ videntur ad libidinem proniores, & appetentiores concubitus, non *nubent* ſponte, neque voluntate aliqua mouebuntur ad complexus maritales; neque vis aliqua fiet eis ex parte virorum, vt *nubantur*. Ceſſabunt nuptiæ, quoniam genus ſufficienter multiplicatum erit; aberit libido, quoniam plane ſpiritus dominabitur carni; violentia nulla fiet, quoniam quiſq. ſua ſorte contentus.

Sed ſunt ſicut Angeli in cælis. Quemadmodum enim Angelorum multitudo, tametſi ingens (ait Victor Antiochenus) per generationem non eſt multiplicata, neque vnquam multiplicabitur; ſed tantum per creationem; ita quoque exuſcitatorum hominum multitudo felici illi ſæculo per generationem amplius non propagabitur. Erunt quoque *ſicut Angeli* Dei, qui ſemper vident faciem patris, & illi tàm ſedulo, & attentè colludunt, vt inferioribus pertractandis locum non dent, ſed continuo in amorem bonitatis Dei rapti decantent: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus ſabbaoth.

Vict. Ant.

CAPVT XXVI.

De mortuis autem, quod reſurgant, non legiſtis in libro Moyſi, ſuper rubum, quomodo dixerit illi Deus, inquiens; Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac & Deus Iacob?

Expoſitio.

QVoniam occaſione ſcripturæ Moyſis reſurrectionem oppugnant Hæretici, vt eos conuincat veritas ſententiam ex libris Moſaycis petitam allegat. *De mortuis* (inquit) quod reuera reſurgant ad vitam, vos, qui ſcrutatores eſtis ſcripturarum, vt inde errores, ſi fieri poteſt, tueamini; *non legiſtis* aliquid manifeſte *in libro Moyſi*, quod reſurrectionem perſuaderet? An non quod *ſuper rubum* auditum eſt, & quod inde Moyſi dixit Deus, id probat? *Inquiens* enim. *Ego ſum*, qui omnipotenter cuncta condidi, *Deus Abraham*, quem eduxi de Vr Chaldæorum, *& Deus Iſaach*, quem cuſtodiui, & protexi; *& Deus Iacob* quem dilexi; quid aliud, quàm hoc ipſum quod pertractamus, demonſtrat?

De mortuis autem, quod reſurgant. Scilicet affirmatiuè, & indubitanter. Nunquam enim aliter Chriſtus de hoc myſterio loquitur, nec aliquando de eo quærit reſurgant ne mortui, vt legimus alia quæſiſſe, videlicet, Ioannis Baptiſta vnde eſt? Chriſtus cuius filius eſt? vos quem me eſſe dicitis; & ſimilia; id factum conſulto perſuadeor, vt principium ſcientiæ, ita reſurrectio firma in mentibus noſtris ſtatueretur, nec addubitare quis vnquam poſſet, legens de ea ſemper Chriſtum affirmatiuè loquutũ, non ſolum his locis præſentis Euangelij: ſed alibi, ac quoties ſermo de reſurrectione eſt habitus. Vt apud Ioann. Sicut pater ſuſcitat mortuos, & viuificat, ſic & filius hominis, quos vult viuificat. Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis ſunt, audiẽt vocem eius, & procedent. Vnde ait Clemens lib. 5. conſt. cap 6. quia compertum, & exploratum hoc habemus, idcirco, & verbera, & mortes, & perſecutiones ſuſtinemus. Siquidem fruſtra iſta referremus, niſi hæc nobis conſtarent, quorum præcones confitemur. Vt igitur Moyſi credimus cum ait In principio creauit Deus cælum, & terram; ac ſcimus quidem non fuiſſe illi opus materia, ſed ſola voluntate effeciſſe quæ Chriſtus iuſſus eſt facere, cælum dico, terram, mare, lumen, noctem, diem, ſtellas, aſtra, volucres, piſces, quadrupedes, ſerpentes, arbores, herbas; ad eundem quoq. modum cunctos ſola voluntate ſuſcitabit, nullo adiutore indigens, ad eandem enim potentiam pertinet mundi effectio, & mortuorum ſuſcitatio.

Marc. 11. Matth. 21. Matt. 16

Chriſtus affirmatiue ſemper loquutus de reſurrectione.

Ioann. 5.

Clem.

Non legiſtis in libro Moyſi. Tractans cum hæreticis Chriſtus quærit ſi legerint in libro Moyſi, quod ſciret hæreticorum morem fore continuo in ſcripturis legere, non vt apes mel colligerent ex floribus, ſed vt baſiliſci ex pomis venenum generarent. Vnde Hilarius Pictauienſis lib. 2. ad Conſtant. Auguſt. ait. Memento neminem hæreticorum eſſe, qui ſe nunc non ſecundum ſcripturas prædicare, ea, quibus blaſphemat, mentiatur. Hinc enim Marcellius, verbum Dei cum legit, neſcit: hinc Photinus, &c. omnes ſcripturas ſine ſenſu loquuntur, fidem ſine fide prætendunt. Scripturæ enim non in legendo ſunt, ſed in intelligendo, neque in prædicatione ſunt, ſed in charitate. Propterea Marcion, & Baſilides (dicebat Hier. in cap. 1. ad Galat.) & cæteræ hæreticorum peſtes, non habent Dei Euangelium, quia non habent Spiritum ſanctum, ſine quo humanum fit Euangelium, quod docetur. Nec putemus in verbis ſcripturarum eſſe Euangelium, ſed in ſenſu. Non in ſuperficie, ſed in medulla; non in ſermonum folijs, ſed in radice rationis. Dicitur in profeta: Sermones eius boni ſunt cũ eo.

Hilar.

Hæretici ſimulant ſe eſſe ſectatores.

Hier.

Super Rubum. Loci meminit, vt eiuſdem conſideratio ſit quoque perſuaſio reſurrectionis futuræ. *Rubus* enim alioqui facillimus ad combuſtionem ardebat, & non comburebatur, integer manens inuolutus igne, & totus igneus, ac lucens, viſionem magnam inſpectantibus præbebat de ſeipſo. Et hoc idem in reſurrectione carnis noſtræ contemplabimur. Tametſi enim vt *rubus* nunc totus videatur ſpinoſus, nimis opacus, & ſæpe repletus ſerpentibus vitiorum; quando iterum informabitur anima,

Dei claritate, & maieſtate repleta, videbitur clara, ſplendens, agilis & impatibilis, & in nullis membris deformata, quin potius pulchrior, quàm mox quiſquam excogitet. Adeo vt viſionem magnam in quolibet glorificato corpore omnes videant, & admirentur, hi potiſſimum qui ſanctos perſequuntur in terris: *Sap. 5.* Ecce, dicent, quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter Sanctos ſors illorum eſt. Nulla enim erit deformitas (inquit Auguſt. lib. 22. de Ciuit. cap. 19.) *Aug.* quam facit incongruentia partium, vbi, & quæ praua ſunt corrigentur, & quod minus, quàm decet, vnde creator nouit, inde ſupplebitur; & quod plus eſt, quàm decet, materiæ ſeruata integritate detrahetur, coloris porro ſuauitas quanta erit, vbi iuſti fulgebunt ſicut ſol in regno patris eorum? *Matth. 13.*

Quomodo dixerit illi Deus. Ex Rubo traxit Deus Moyſen, & locutus eſt, vt reſurrectionis ſpe nos quoque ſciamus ad Deum trahi, & obſeruantiam vniuerſorum, quæ præcepit, tùm credere, tùm operari: Nam qui in agone contendunt ab omnibus ſe abſtinent, quæ victoriam valent impedire, & omnia agunt propter coronam, quam norunt ſibi promitti. Et nos pariter inclinemus ad omnes iuſtificationes Domini, præcepta, & ſymbola, propter retributionem, vt coronam incorruptibilem in reſurrectione accipiamus.

Operari ob ſpem coronæ & præmij

Conuentio ex denario diurno opus præcedit, & fides reſurrectionis præmittitur, vt finis, qui mouet intentionem, in qua eſt primo, vt miniſtra potentiæ, velut rotæ, & animalia agitata ſpiritu currant ad omne opus bonum, & gaudeant, quia appropinquat redemptio, quia finis venit, venit finis: Finis quidem, qui abſtergit omnem lachrymam; & finis, qui oſtendit omne bonum, & gaudium plenum, quod nemo poteſt tollere, ſuperabundanter confert, Ideo Petrus, & Ioannes audita reſurrectione ſimul currere cœperunt, *Ioann. 20* *Luc. 24.* tametſi Ioannes prior introierit ad locum factæ reſurrectionis, is eſt anima, quæ vna cum corpore propter reſurrectionem currit ad opus alioqui arduum, & primo intrat ad manſionem, quæ omnem, & omnium inchoat reſurrectionem. Ergo rubus eſt reſurrectio, vnde nos Deus trahit, loquitur, & perſuadet quæ vult à nobis fieri.

Inquiens. Participio hoc perſuademur, non ſemel tantum dixiſſe, ſed continuo dicere, & ad nos loqui de rubo, de reſurrectione, quam non ſolum in typo præſenti, nec in vero exemplari Chriſto, ſed in omnibus pene rebus proponit aliquod ſpecimen reſurrectionis. Quid enim quotidie, ait Gregor. lib. 14. moral. cap. 30. *Greg.* niſi reſurrectionem noſtram in elementis ſuis mundus imitatur; per quotidiana quippe momenta, lux ipſa temporalis quaſi moritur, dum ſuperuenientibus noctis tenebris, ea, quæ aſpiciebatur, ſubtrahitur; & quaſi quotidie reſurgit dum lux oblata oculis, ſuppreſſa iterum nocte reparatur.

Symbola reſurrectionis in creaturis proponuntur.

Per momenta quoque temporum cernimus arbuſta viriditatem foliorum amittere, à fructuum productione ceſſare: & ecce ſubito quaſi ex areſcenti ligno, velut quadam reſurrectione veniente, videmus folia erumpere, fructum grandeſcere, & totam arborem rediuiuo decore veſtiri, &c. Itaque ne in exemplis, quibus circumdamur videar immorari, de rubo eſt *inquiens* Deus, hoc eſt, ſemper & vbique loquens de reſurrectione, quum in rebus pæne omnibus futuri myſterij ſpeciem repreſentat.

Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob.

Ratio efficax ex auctoritate.

Hac ſcientia non tàm reſurrectio, quàm Trinitas reſurrectionis auctor demonſtratur. Reſurrectionis quidem dum ait: *Ego ſum Deus Abraham*, per verbum præſentis temporis: Nam ſi Abraham deſijſſet, & in nihilum abiſſet Iſaac, aut Iacob, non diceret: *Ego ſum*, ſed ego eram Deus Abraham, quando erat; dicens ergo *Ego ſum*, eſt Abraham, & omnis quorum Deus eſt omnipótens.

Vis rationis expeditur.

Nam etſi relatio creaturæ ad Deum, nihil reale ponat in Deo, vt liceat hoc in loco dicere, poſito vno relatiuo, alterum neceſſe eſt ponere; tamen dato Deum, vel Creatorem, vel Redemptorem poni; creaturam, & redemptum ſtatuamus oportet, quia ſunt relata ſecundum dici, ex parte Dei.

Lex correlatiuorum.

Ad hæc Theophylactus: *Teoph.* Non dixit, *Ego* eram, ſed, *ſum*, vtpote præſentium, atque illorum non perditorum. Iam fortaſſis dicit quis, quod hoc de ſola Abrahæ anima dixerit Dominus; & non item de corpore, & ita corpora non reſurgunt. Dico igitur primum, quod Abraham vtrumque dicatur anima, & corpus; & ita etiam Deus eſt corporis, quod & ipſum viuit apud Deum, & non omnino in nihilum redigitur. Hinc Victor Antiochenus *Vict. Ant.* (aduerſus Valentinum, & Marcionem, qui locum tantum de animabus interpretantur) inſurgit: Neque enim, inquit, de animarum reſurrectione Sadducæis, cum Chriſto, & alijs certamen erat; ſed de corporum. Ea propter Dominus de corporum tantum reſurrectione reſpondet, & diſputat; non etiam de animarum.

Iudicatur Trinitas.

Trinitas, quæ eſt reſurrectionis auctor, in triplicato Dei nomine ſingulari demonſtratur, vt alibi: Benedicat nos Deus Deus noſter, benedicat nos Deus, *Pſal. 66.* & audi Iſrael, Dominus Deus tuus, Deus vnus eſt. *Deut. 6.* Pluralitas ad perſonas, ſingularitas ad eſſentiam, quæ vna eſt in tribus perſonis, refertur. *Ego*

ſum

ſum eſt nomen Dei eſſentiale, conueniens tribus quo notatur eſſentia, quæ in tribus operatur opus omne ad extra. Vnde *opera*. Trinitatis ad extra ſunt indiuiſa. Vtitur autem Chriſtus hac auctoritate ad probationem reſurrectionis, vt eam oſtendat fore nouam quandam rerũ, & vniuerſi creationẽ, innouationem creati, quod à Trinitate pariter proceſſiſſe notatur initio libri: In principio creauit Deus cælum & terram, hoc eſt in filio; & infra. Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinẽ noſtram. *Gen. 1.* Quibus delineari Trinitatis myſterium, non tam Magiſter ſententiarum, & cum eo ſcholaſtici; quàm Hiero. & Aug. & alij patres *Scholaſt. Aug.* affirmant, contra Hebræos, qui non legunt, ſeu nolunt legere, vt & Sadducei, quæ de veritate ſupremi conditoris, & reparatoris, Moyſes protulit. Notat demum Arias Montanus, *Arias Mont.* nomen Dei Hebraicum, quo ſe illo loco Deus appellat eſſe יהיה in forma futuri; quod, inquit, perpetuitatem ſignificat, vt iam alias ſæpe docuimus. Igitur cum ſe in perpetuũ, Deum Abrahã, Iſaac, & Iacob, in perpetuum fore, alias futurũ eſſet quod Deus careret re illa, quamobrẽ eum titulũ ſibi aſcribit perpetuum. Denique cum in *Abraham* deſignetur multitudo gentium, in *Iſaacb* lætantium cætus; & in *Iacob* laborantium, iuxtà eorum nominum æthimologias ex hebræo petitas; huiuſmodi ſcriptura indicauit Chriſtus ad reſurrectionem communem omnes conuenire debere, videlicet, Angelos quorum numerus multus eſt; beatos, qui exultant; & damnatos qui tribulantur; tametſi enim Angeli non reſurgant, erunt miniſtri reſurrectionis, & inſpectatores celeberrimi cætus.

CAPVT XXVII.

Non eſt Deus mortuorum, ſed viuorum. Vos ergo multum erratis.

Expoſitio. ITaque ſi Deus viuitur, & eſt verè Deus patrum, & omnium; profectò ſunt omnia; & eorum curam habet Deus, vt ad perfectũ veniant ſtatũ, quem natura appetit, vtpote reſurrectionem, alioquin non Deus. Nam *non eſt Deus* eorũ, qui non ſunt neque *mortuorum*, qui ſemper durant, & permanent. *Vos ergo*, qui aliter de reſurrectione ſentitis, *multum* à vero *erratis*, & ab oraculis, quæ vnicè myſterium oſtendunt.

Non eſt Deus mortuorum. Mortuorum nomine Beda intelligit corpora; *Beda.* alij damnatos dici mortuos volunt, quorum *Deus* non habet curam, vt ad meliorem vitam reſurgant; alij, ac melius multo ſentiunt, mortua interpretantur, quæ vel nunquam fuere, vel tantum eſſe animale ſunt ſortita, de quibus nulla in reſurrectione mentio habetur.

Sed viuentium. Nam Deus vita eſt (inquit Arias Montanus) ſed quid vitæ cum morte? Deinde illud nomen יהוה ſignificat *Arias Mont.* eſſe perfectiſſimum, & æternum. Eſſe eum non eſſe non conuenit vllo modo: ſed mortui ſi non reſurgerent, ex eo fieret, quod non eſſent iam omnino: Deus autem ſibi aſcribit mortuos illos: ergo illi Deo ipſi ſunt, reſurgere igitur poterunt ex virtute Dei: Nam reſurrectio dicitur de his, qui cum fuerint, ceciderunt, & erigi poſſunt, non de ijs, qui nuſquam ſunt. Igitur Abraham Iſaac, & Iacob ſunt Deo, non tantũ anima, ſed corpore etiam. Nam anima non dicitur Abraham, ſed anima cum corpore ſimul. Omnes enim (ſubdit Zacharias Chryſopol.) *Zach Chry.* quorum Dominus, & Deus eſt, viuũt ei, qui æterna diſpoſitione ſua, vita eſt animarum & reſurrectio corporum. Vnde alibi Dominus: Qui credit in me etiam ſi mortuus fuerit, viuet. Poterat apertiora de reſurrectione teſtimonia reddere Prophetarum, ſed Prophetas Sadducæi non recipiũt.

Vos ergo multum erratis. Errabant in prouidentia Dei, quem affirmabant, nullam habere curã perfectionis, nobiliſſimæ creaturæ; *Multiplex error Sadducæorum.* errabant in iuſtitia, & miſericordia eius, dum labores hominũ in corpore pro ſe ſuſceptis reſurrectionis præmio haud dandos putarent; errabant in glorificatione Dei, dum reſurrectionem hominum nihil ad maieſtatem Dei, & gloriam conferre prædicarent; errabant denique in omnipotentia eiuſdem, dum reſurrectionem mortuorum impoſſibilem reputarent; etiam in ſcripturis errabant, cum eas vel ignorarent vltro, vel perperam interpretarentur. Quid? etiam in naturalibus errabant, vt qui ex eis non intelligerent, neque renouationem hominis ex continua rerum fere omnium innouatione ſubolfacerent.

CAPVT XXVIII.

Et acceſſit vnus de Scribis, qui audierat illos conquirentes, & videns, quoniam bene illis reſponderit, interrogauit eum, quod eſſet primum omnium mandatum.

Expoſitio. VIctis Sadducæis, accenditur noua pugna. Nam illis abeuntibus *acceſsit* ad Ieſum, ac verè magiſtrum, *vnus*, qui litteras profitebatur, & *de Scribis* erat, nominatus, & famoſus inter eos; is enim cum intereſſet concioni, *audierat* attente illos mutuo *conquirentes*, quid ſuper reſurrectione mortuorum credendum foret. Vnde *videns* ſingulorum probationes, & percipiens vtrorumq. argumenta, aſſenſit Chriſti

ſententiæ; *quoniam bene*, & ſapienter *illis* ex proprijs ſcripturis *reſponderit*, luculenterque ſatisfecerit, vt nihil ſupra. *Interrogauit* igitur *eum*, & ipſe optans aliquid noui audire ſuper quæſito: Quæſiuit enim *quod eſſet* ex iis, quæ ferebantur in lege, *primum & maximum omnium mandatum*, quo vniuerſi obſtringerentur.

Et acceſſit vnus de Scribis. Non enim ſolebant *Scribæ*, nec Phariſæi, aut Sadducæi, nec Hærodiani ad ſingulare certamen cum Chriſto deſcendere, ſed conglomerati, vt ſerpentes, accedebant ad Chriſtum vel interrogandum, vel arguendum; quod ergo mox referatur acceſſiſſe *vnum* tantum, illum fuiſſe Rabbinorum maximum inter eos plane ſuademur. Sed quid *vnus* contra *vnum*, quem multitudo non terret? & de cuius latere cadunt mille, & decem millia, nec timet millia populi circumdantis? Apud ipſum eſt fortitudo & ſapientia, ipſe nouit, & decipientem, & eum qui decipitur. Adducit conſiliarios in ſtultum finem, & iudices in ſtuporem.

Pſal 92. — *Iob. 12*

Qui audierat illos conquirentes. Sadducæos quidem audierat conquirentes, & clamitantes, non Chriſtum. Siquidem Rex pacificus, non triſtis, neque turbulentus erat, ſed placidus, & manſuetus. Qui ad pugnam, & vindictam videntur creati, quæſtionibus, vociferationibus, & clamoribus quaſi leonibus vincere ſtudent. Quia hi omnes, ait Clemens lib. 6. conſtit. apoſt. cap. 10. Diaboli ſunt inſtrumenta, & filij iræ.

Clem.

Et videns quoniam bene illis reſponderit. Ecquid *videns*, cum reſponſio aures feriat, non viſum? Et quidem populus videbat voces, alibi legimus. Ergo apud hebræos videre ſumitur pro audire. Eſt enim vterque ſenſus diſciplinabilis, ſed *viſus* certior, iucundior, & dilatatior, qui vno actu plura ad mentem reuocat, quàm valeat multis annis auditus percipere. Vnde quoniam hoc eſt proprium Dei oraculorum multo plura annunciare, quàm littera repreſentet, nec litteratus diſcipulorum auribus valeat inſtillare, ea videri, non audiri aliquoties dicuntur: Inde Euſebius Pamphi in reſponſione Sanctorum Epiſcoporum ad philoſophum, quæ habetur lib. 2. Nicæni Concilij, dixit: Sæpe numero verba ſapientiæ conſiderans ò philoſophe, admiratus es ſapientiæ virtutem, quod breuiſſimis locutionibus, maximam ſententiarum varietatem in ea inuenire liceat; & iuſtiſſimè quiſpiam verba ſcripturæ comparauerit Euangelicæ parabolæ aſſerenti: Simile eſt regnum cælorum grano ſynapis, quod cum ſit minus omnibus terræ ſeminibus, quando tamen creuit, & perfectum eſt, idoneum tectũ volucribus præbet. Sic videmus diuinorum verborum potentiam breuibus locutionibus ſeminatã; plenam autem ſententijs quaſi ramis, ad hominum, hoc eſt, volucrum contemplationem protenſis, vt non ſolis terræ habitatoribus, verum etiam aſsiſtentibus volucribus, ſufficiens exhibeant tegumentum.

Hebraiſmus videre pro audire ſumit. — Viſus perfectior auditu. — *Euſeb.* — *Math. 13.*

Interrogauit eum. Primo tentans, vt Matth. ait, deinde addiſcere cupiens, vt ex laude, quam Chriſtus inferius ei dat, colligit Theophilactus, Victor Antiochenus & alij; etenim doceri nemo poteſt melius, nec breuius euadere peritus quiſquã poteſt, quàm frequenti interrogatione ad Chriſtũ facta, & acceſſu. Hinc ille: Beatus homo, qui audit me, qui vigilat ad fores meas quotidie, & obſeruat ad poſtes oſtij mei; qui me inuenerit, inueniet vitã, & hauriet ſalutem à Dño: qui autẽ in me peccauerit, lædet animam ſuam. Omnes, qui me oderunt, diligunt mortem. Quoniam ipſe vita, extra eum mors regnat, & in morte ſunt, qui vt granum in ſpica, in eo non ſunt abſconditi. Qui vero ſuper pectus eius recumbunt, interrogantes quæ ſit via bona, quærentes quod beneplacitum eſt Deo; & poſtulantes aquam ſcientiæ ſalutaris, non ſitiunt iterum; ſiunt docibiles Dei; inſuper ſic manent ſancti, perfecti, & docti, donec veniat, eoſque ad ſemetipſum aſſumat. Ipſe enim hominibus (ait Cyrillus de recta in Chriſtum fide ad Regina, tom. 1. actor. Concil. Epheſini) cæleſtem patrem benebolum propitiumq. reddidit, atque adeo omnium bonorum ipſe nobis auctor fuit, & erit vſque in ſæculum.

Mat 12. — *Theoph.* — *Vict.* — *Prou. 8* — Qui extra Chriſtũ ſunt, ſunt mortui — *Cyrill.*

Quod eſt primum omnium mandatum. Tametſi legis præcepta ſint multiplicia; & pene innumera referantur ab Hebræorum Rabbinis; quoties de mandato ſimpliciter agitur, de eo, quod decalogus proponit, intelligitur. Nam cætera ſiue ceremonialia ſint, ſiue iudicialia eo ſpectant, vt tabularum decem conſtitutiones diuinæ ſolertius obſeruentur. Quia qui cuſtodit mandatum cuſtodit animam ſuam; in cæteris verò non ſiſtit animæ cuſtodia, niſi eorum tranſgreſſio, vel omiſſio, ab obſeruantia mandati, quod ſcribitur in Decalogo, retrahat. Quæritur primum omnium quod iſtud ſit finis, & ſcopus cæterorum, vnde qui ante omnia non propoſuerit eo cuncta ſua ordinare, claudicabit in reliquis. Primum enim quod habet rationem finis, necnon efficientis regulat quæ ad illud ſunt.

Prou. 19.

CAPVT

CAPVT XXIX.

Ieſus autem reſpondit ei: quia primum omnium mandatum eſt: audi Iſrael, Dominus Deus tuus, Deus vnus eſt.

Expoſitio. Mandatum primum quæris, iam accipito: Etenim *Ieſus*, qui primus eſt, & nouiſſimus, *reſpondit ei*, qui *primum* ante oculos habens *mandatum*, quærebat ab eodem quale,& quantum eſſet. *Reſpondit* quidem; quia *primum*, & perfectiſſimum *omnium*, quæ referri valent; mandatum, quod Moyſes huiuſmodi inſcriptione incipit enarrare: *Audi Iſrael* aure attenta, & corde perfecto; *Dominus Deus*, qui & *tuus* ſingulari beneuolentia, qua te proſequitur, *Deus vnus*, non multiplex *eſt*, vt cæteri fabulantur.

Ieſus autem reſpondit ei. Sedulo, & cum affectu, non ſolum quod interrogantis pietatem videbat creſcere; verum etiam, quod interrogaretur vnico verbo de omnibus, quæ ad ſalutem vniuerſorum complere venerat, videlicet manifeſtare nomen Dei hominibus, eiuſdem gloriam quærere, atque amorem tum obſeruare, tum prædicare: Iuxtà illud: Ioann. 10. Mandatum accepi à patre, quod & tradidi vobis.

Quia primum omnium mandatum eſt. Reſumit iiſdem pænè verbis quæſitum, vt quid ſupra modum amantiſſimum; etſi omnia mandata Chriſtus dilexerit; quia veritas; & in toto corde ſcrutatus fuerit; quia filius, & quia ſplendor cuncta impleuerit quod eſt primum omnium ligatum, non in collo, vel manu, ſed animo toto coniunctum ac corpori iugiter tulit, vt nihil in Chriſto eſſet, nec ab eo manaret, quod non ſaperet amorem Dei patris: ac propterea viſus eſt deferre vbique ſcriptum: Apoc. 19. Rex regum, & Dominus dominantium; adeo enim eius mandato obſequens erat, & eius amori coniunctus, vt indiſtinctus ab eo videatur.

Audi Iſrael Dominus Deus tuus, Deus vnus eſt. Hoc non mandatum eſt, ſed quaſi titulus totius ſcripturæ decalogi. Cannis. Decalogum autem (ſcribit pater Canniſius quæſt. 6. de charit.) exorditur Deus à noritia ſui, & ab inſinuatione maieſtatis Decalogus orditur à notitia Dei, & quorſum. ſuæ, vt cognitum legiſlatorem magis revereamur, eiuſque propoſitis mandatis maior apud omnes auctoritas conſtet. Nempe tam ſerio nobiſcum agitur, vt ſi vnquam ſalui eſſe velimus, hic velut in clariſſimo ſpeculo diuinæ maieſtatis voluntatem, omnemque recte viuendi rationem certo contemplemur, agnitamque legem illam ſanctiſſimam adiuuantem Chriſti ſpiritu ſeruemus. Etenim qui *Deum vnum* non nonit ſed plures colit, legem aliquam, quæ eum perficiat, non habet, vt in paganis, & gentibus, quæ idolis hærebant licet contemplari; quique eundem non credit in perſonis trinum, legis integer obſeruator nunquam reputabitur; ac denique qui Deum hunc vnum, & trinum, non dixerit ſuum in carne aſſumpta, legis præmium, quod eſt ſalus, non aſſequetur. Itaque titulus iſte tria ſubindicat, quæ neceſſe eſt primo credere; *Deum* inquam *vnum*, & eundem trinum, necnon Chriſtum, qui hoc in loco deſcribitur *Deus tuus*. Sine fide autem impoſſibile eſt placere Deo; credere enim oportet accedentē ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit: omnis ſiquidem fides, atque credibile ſecundum S.Thom. 2.2. ad Deum, & remuneratorem reducitur. S.Thom.

CAPVT XXX.

Et diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua. Hoc eſt primum mandatum.

Expoſitio. Accipe ô Scriba mandatum. Et, inquit, Deus ad Moyſen, *Diliges* quantum fieri poterit accenſus amore, *Dominum*, qui eſſe conceſſit, ac *Deum tuum*, qui te redemit, non ſegniter ſed *ex toto corde*; non ſimulatè ſed *ex tota anima*, non diſtractus, ſed *ex tota mente*; neque remiſsè, ſed *ex tota virtute tua*. *Hoc*, ſi attenderis, *eſt* nedum tibi, ſed vniuerſis *primum mandatum*, quod viſum eſt obſeruari.

Et diliges. Ab amore incipit omnis diuina præceptio, in primis vt Deus ſe charitatem prodat; ſiquidem vt rami arboris naturam propalant, & præceptum quis, qualis, & quantus ſit legiſlator demonſtrat, auarus ne, an triſtis, & turbulentus, an vero magnificus, ſeu tyrannus. Ergo vt quem in tantarum rerum apparatu, quæ ab orbe condito creaturæ rationali concedunt, & credimus in cælis adhuc multo excellentiora præparari, magnificum, liberalem, magnanimum, & bonum, vſquequaque prædicant oracula, & ſapientum monumenta, eundem ex verbis præceptiuis colligeremus, ab amore, & dilectione orditur, quia charitas ipſe. Quod ſi is eſt, quid non elargietur? Præterea *Diliges* initiat præceptiones noſtri Dei, vt inde facillimas, vt qui natura ad amorem protendimur, eſſe aptete fateremur, nec ſupra nos aliquid imponi, quod facilius

cilius quàm ſuas pennas auis portari non poſſet; nec tàm arduum demandari, quod promptius, quàm Iacob patri vinum Deo libari poſſet. Inſuper exordium præceptorum eſt *Diliges*, vt ad perfectionem vltimam totius naturæ, quæ ab amore ſuas inchoat paſſiones, aduerteremus diuina præcepta ordinari. Namque gratia perficit naturam. Dilectio quæ mox præcipitur gratia eſt, & charitas, quæ per Spiritum ſanctum diffunditur in cordibus noſtris; vt amorem naturæ, qui terrigenat, ad ea, quæ ſurſum ſunt, ſubleuet, neque iam hæreat paleis, ſed ſuper aurum, & topazion aſcendat, & conglutinetur Deo, qui eſt caput, & aurũ optimum; fiatque idem dilecto Chriſto, qui nobis eſt iucundior, & vtilior ipſo topazio. Denique, vt concludam, quæ dicenda hic ſe offerunt non pauca; & *Diliges*, ait poſt titulum præmiſſum, qui eſt de fide tenenda, vt non fidem ſolum, ſed amorem, & charitatem Deum à nobis efflagitare ſciremus, nec Luthero apoſtatæ crederemus, qui ſolius fidei præceptum admittit, negans charitatem; quum eam Paulus fidei coniungat: fides,
Gal 5. inquit, quæ per dilectionem operatur, vt homo per animam, quæ eſt eius forma. Si quis
Trid. ergo dixerit (ait Synod. ſeſſ. 6. can. 19.) nihil præceptum eſſe in Euangelio præter fidem, cætera eſſe indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, ſed libera; aut decem præcepta non pertinere ad Chriſtianos, Anathema ſit.

Dominum Deum tuum. Dominũ proponit primum dilectionis obiectũ. Quoniam tàm in ſacris, quàm in prophanis litteris is
Quid ſit Dominus? eſt *Dominus*, qui non ſolum domi præeſt, in Regno, & ciuitate imperium exercet, quàm qui tituli proprietatem habet, cum vſu rei,
Vlpian. vt inquit Vlpianus in titulo inſtit. de hæred. quali; & different; hæc autem nulli proprius quàm tali Domino competere, qui fecit omnia, vt eſſent; & dicit: Mea ſunt omnia; cælum & terram ego impleo; ego faciens omnia hæc; per me Reges regnant; Ego principium; & ſimilia. Atqui propter hæc vnice diligendum fore ratio amoris, quæ fundatur in bono, perſuadet. Etenim bonum amoris eſt obiectum; vnde pergignitur amor amicitiæ, & concupiſcentiæ. Is
Duplex amor. fundatur in bono, vt amanti commodum; ille vero in bono per ſe expetibile, & ſi nulli commodum inferret; qualem eſſe auctorem vniuerſorum, quem acclamamus Dominum, nulli dubium eſt, quandoquidem vniuerſa, quæ ſunt, ipſe eminenter continet. Quare vt Dominum primo diligi oportere, certum eſt, Vnde Pſaltes: Diligam
Pſal 17. te Domine fortitudo mea; Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus. Et quidem antequam quicquam boni, vel mali agamus, eſt fortis nobis omnipotenter creans de nihilo; eſt firmamentum adurans, & illuſtrans omni perfectione naturali, quæ iuxtà finem naturæ, ad quem ſumus, valent hominem perficere; eſt refugium ad ea, quæ ſuperna ſunt aſſequendum iis, qui faciunt quod in ſe eſt, & operantur naturæ conſona; & denique liberator ab omni malo, & damno cunctis, qui ſedulo peruigilant, quomodo à malo declinent, & faciant bonum. Proinde exclamat Bernardus (tract. de diligendo Deo) inexcuſabilis eſt omnis etiam infidelis, ſi non diligit Dominum Deum ſuum, ex toto corde, tota anima, tota virtute ſua. Clamat nempe intus ei innata, & non ignota rationi iuſtitia, quia ex toto ſe illum diligere debeat, cui ſe totum debere non ignorat.

Deum. Hac voce alterum dilectionis obiectum denotatur, videlicet, prouidentia. Omnes enim loquentes de Deo, ait
S. Thomas 1. par. quæſt. 13. art. 8. hoc intendunt nominare Deum, quod habet prouidentiam vniuerſalem de rebus: Vnde dicit Dionyſius 12. cap. de diuin. nomin. quod deitas eſt, quæ omnia videt prouidentia, & bonitate perfecta. Et Damaſus lib. 1. Orthod. fidei cap. 12. ait quod hoc nomen Deus dicitur à Theyn, quod eſt curare, & fouere vniuerſa; vel ab Ethin, ideſt, ardere. Deus enim noſter ignis conſumens eſt, vel à Theaſte, quod eſt conſiderare omnia. Hæc in prouidentiſſimo omnium requiruntur, ſingula enim proſpiciens, videt quia valde bona; ac propterea diligit omnia, quæ ſunt, datque omnibus affluenter, nihil improperans. Eſt enim longe abſurdiſſimum (ait Theodorectus, *Theod.*
lib. 5. diuinorum decretorum cap. de prouidentia) dicere quidem omnia feciſſe, non quod ipſe vllum eis opus haberet, ſed ſua benignitate, & humanitate adductum: eorum autem, quæ fecit, nullam curam gerere, & creaturam veluti cymbam aliquam, & clauo, & gubernatore deſtitutam, à contrariis ventis huc, atque illuc impelli, ſcopuliſque, & rupibus alliſam confringi. Execramur enim Diagoram Reprehenſio philoſophorum.
impium, aduerſamur autem etiam Epicuro, qui Deum quidem eſſe concedit, ſed eum ad ſe conuerſum eſſe dicit, & nihil eorum quæ fiunt in creatione ſentire. Ariſtotelis quoque prouidentiam reprehendimus. Ei enim lunam limitem conſtituit, duorum alterum vel eius impotentiam, vel ſocordiam accuſans. Itaque ab operatione prouidendi ſingulis, primum ens atque agens Deum vocarũt omnes, non ἀπὸ τοῦ δέους hoc eſt à timore, vt Papinius ſentire videtur, dicens. Primus in orbe Deos fecit timor. A timore quidem cœperunt falſi Dij, vt qui non Dij ſed Tyranni. Deus noſter prouidentia, & communicatione, cunctorum animos allexit, vt

[S. Thom. / Dion. / Damaſ. — margin beside S. Thomas, Dionyſius, Damaſus]
[Ethymologia nominis Deus. — margin beside Damaſus passage]

Deum

Digitized by Google

Deum Deorum acclamarent; quapropter diligi volens, idem nomen, quod hominibus erat familiare proponit, vt obiectum amoris, excitatur enim amor, quoties Deus nomen prouidentiæ memoratur. Hinc Pſaltes: Memor fui Dei, & delectatus ſum; præ amoris, ſcilicet magnitudine; amor enim ille ſupremus, qui & charitas, gaudium generat in amante, & amatum quoq; oblectat. Cum amor (inquit Ioan. Bapt. Folengius in Pſal. 17.) Sit primum, & maximum bonum, atque in ipſo omnia à perfectiſſimo Deo, & opt. max. dona dentur: Nullum aliud maius donum, vel Deo, vel homini rependere poſſumus, quàm amoris.

Pſal. 16.

Folengius.

Tuus. Hoc pronomine rationem amoris concupiſcentiæ, quo ſolent infirmi amare, proponit; vt qui duas priores rationes amoris amicitiæ, quæ nominibus *Domini*, ac *Dei* inſinuantur, videlicet creationem, & prouidentiam, non penetrat in ſummo ente, & auctore, in ſeipſo experiens amet illum, qui eſſe conceſſit, diligat iugiter vt ab eodem in ſingulis prouideatur. Nam bonum, quod eſt per ſe appetibile, cum ſit propriũ, cõcupiſcitur. Per ſe quidẽ eſt Deus appetibilis perfectis, qui illũ propter ſe ipſũ amant; imperfecti autẽ illũ amant, & cõcupiſcũt propter cõmodũ, & hoc quoq; amore amant perfecti, ſed non primo, vt imperfecti, qui inclinãt cor ſuũ propter retributionẽ, vt piſcator, qui rete in altũ mare proijcit amore piſciũ. Et Pharao, qui dilexit Ioſeph, & exaltauit, vt ſenes eius prudentiam doceret; & prouideret tàm indigenis, quàm aduenis Ægypti, ne fame conſummarentur. Et altum mare, & Ioſeph Saluator, Deus eſt. Hunc qui rudes ſumus, & indigni, diligamus ſæpius, vt delectationes, quæ ſunt in dextera eius, & longitudinem dierum, quam ſiniſtra illius promittit, reportemus, ſentiamuſque continuo, vt ab vtero, ſic vſque in ſenectam, & ſenium nobis prouidentiſſimum, & Saluatorem. Qui autem perfecti ſunt non vt mercenarij denarium attendunt, ſed excellentiam eius, qui nos ſeminauit in terra diligenter conſiderant, & ſummi boni qualitates penſitãt, iiſque ad amorem excitantur primo, ſecundo autem diligunt propter ea, quæ de manu Domini recipiunt duplicia. Vnde perfectus amator dixit: Deus Deus meus ad te de luce vigilo, ſitiuit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea. Hoc eſt illuſtratus deſuper ò Deus ad te ſolum attendo, ad te, qui perfectus es, & bonus, ſunt oculi mei, ac propterea animus in te ſolum concaluit, & quaſi ſitiens æſtuat præ tui amore; quem caro, vt caminus accenſus multipliciter demonſtrat; nunc ieiunijs, & obſeruationibus, & quandoque infirmitatibus, quas fortis dilectio ingenerat. De amore autem concupiſcentiæ ſubdit: In terra deſerta inuia, & inaquoſa ſic in ſancto apparui tibi, vt viderem virtutem tuam, & gloriam tuam, ac ſi diceret: In carne, quæ deſerta eſt ſpiritualibus bonis, immo verò concupiſcit aduerſus ſpiritum; & in mundo, qui totus in maligno poſitus eſt, abſque via, quæ ad vitam ducat, abſque aqua, quæ refrigeret animum, contendi in ſancto propoſito, & obſequio tui permanere; & apparui tibi diligens, orans, & ſeruiens die, ac nocte: vt hiſce exercitijs dilectionis, viderem virtutem tuam in me multiplicatam; ac poſtmodum gloriam tuam, quæ ſummum eſt præmium, & tota felicitas, mererer aſſequi. Is eſt proceſſus amoris, qui in perfectis lucet; amare, inquam, Deum propter ſeipſum primo, ſecundo propter commodum. Ergo vt perfectus ſit homo Dei rationes amoris amicitiæ, quæ in Domino, & in Deo nitent ſummo ſtudio meditetur; poſt commodum, quod in pronomine *tuo* inſinuatur, inſpiciat.

Quomodo Deus amatur concupiſcibiliter?

Pſal. 62.

Eodem Pſ.

Proceſſus amoris in perfectis.

Ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex *tota mente tua, & ex tota virtute tua*. His totum hominem requiri ad dilectionem Dei perfectam videtur inſinuare, ſicut & ad benedicendum Deum ſe totum adhortatur cantor dicens: Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me ſunt nomini ſancto eius. Vt enim amigdalus haro totus eſt medicinalis; ſic totus homo Deo ſacer, Deo dilectus, & charus eſſe debet, vt nihil ſit, quod in eo non videatur accenſum, vt in rubo, qui ardebat vſquequaque, & in clibano, qui apparuit fumans. Subinde Victor Antiochenus ſcripſit: Facit hoc autem, quo hominem tanto Dei amore flagrare debere commonſtret, vt nihil prorſus in vllam omninò animæ facultatem irripere ſinat, quod ſuam erga ſe dilectionem excludat, aut diminuat, aut alio transferat. Nam dum dicitur (inquit Zachar. Chryſop. lib. 3. cap. 128. Dilige Deum *ex toto corde tuo*, omnes cogitationes referendas in Deum præcipit; dum verò dicit *ex tota anima* omnes affectiones animæ, referri ad Deum præcipit; dum verò adiecit, *ex tota mente*, omnem rationem indicat humanam, qua intelligimus, & diſcernimus, in rebus diuinis eſſe occupandam; vbi autem dicit *ex tota virtute*, bonum perſeuerantiæ iniungit. Ad hæc dicito, per *cor*, quod eſt primum per ſe motum in animali. 7. phyſ. com 1.4. intelligi liberam, voluntariamque fore dilectionem in Deum, Quia: Hilarem datorem diligit Deus, & in voluntario ſacrificio delectatur. Per animam, quæ nec ſecundum locũ mouetur, neq; ſecundũ quemquam aliorũ motuum. Ca. de actione in ſex principijs ſpiritualem requiri dilectionem, annotato. Nam hora venit, & nunc eſt dicebat Chriſtus, in qua veri adoratores, adorabunt patrem in ſpiritu, & veritate; per *mentem*, quæ vt inquit Simplicius in 6. phyſic. tex. 32. Eſt in ipſa anima pars melior, & nobilior. Vt quæ

Pſal. 102.

Victor Antiochen.

Quomodo diligendus Deus?

Zachar. Chryſop.

7. Phyſic.

2. Cor. 9.

Ioan 4.

Simplicius.

ſecun-

Digitized by Google

Ioan. Gra.

ſecundum Ioan. Gra. in 2. poſt c. 1. ſuſceptiua diuinorum, & intelligibilium, intelligen contemplationem cæleſtium, ex quibus vis hæc amoris inflammatur potius, quàm ex terrenis, & corporeis, in quibus Dei bonitas, quæ eſt dilectionis finis, minus lucet, quàm in ſpiritualibus, hinc Paulus, qui ſe firmum in hoc amore gloriabatur, dixit:

Phil. 3.

Noſtra conuerſatio in cælis eſt. Per *virtutem tuam*, vtpotè naturalem, quæ per ſe eſt ad vnum per accidens ad plura, & non ad vnumquodque contrariorum, vt virtus

Auerro.

rationalis Auerro phy. 8. ſũma prima tex. 8. interpretare conatum, quo amor ſacer elici debet ad vnum; etſi contingat ad multa extendi, per accidens tamen, vt Deus, qui per ſe quæritur, inueniatur, & diligatur ardentibus. Hoc enim porrò vnum eſt neceſſarium. Iuxtà hæc igitur diligit, qui ſpontè diligit ſpirituali amore, meditationi cæleſtium occupatus, vnum in ſingulis quærens dilectum Deum, quouſque teneat.

Hoc eſt primum mandatum. Primum quidem nobilitate, & primum tàm apud Philoſophos, quàm ſacros auctores accipi ſolet; necnon quod ad ſecundum refertur:

Cur primũ mandatum?

Eſt & natura *primum mandatum*, tùm quod natura ad Deum, vt ad parentem primo inclinet, quàm ad proximum, qui rationem fratris ſortitur. Poſitione quoque eſt *primum*, quod illud ante omnia propoſuit

Heb. 1.

Primũ mandatũ Angelis impoſitũ.

Deus Angelis dicens: Et adorent eum omnes Angeli eius; vtpotè filium in humanitate præuiſa. Denique eſt ſecundum ſubſtantiam *primum*, quod propter ſe impleti oporteat, nòn propter aliud, vt illud, quod de proximi dilectione datur. Proximum enim diligamus propter Deum, Deum verò propter ſeipſum, & quærimus, & amamus perfecto amore, qui amicitiæ appellatur.

Victor Antiochen.

Hanc igitur Dei dilectionem (ait Victor Antiochenus.) Chriſtus Dominus, & *primum*, & *maximum mandatum* vocat, hoc quidem, quia inter omnia arcem tenet; illud verò, quo ſecundum quoque, quod à primo diuelli non debet, commodè inferri queat. De vno itaque, hoc eſt, de *primo* tantum interrogatus, alterum, citra quod *primum* incolume conſiſtere non valet, reticendum non putauit. Neque
enim vera eſt illa Dei dilectio,
quę proximi dilectionem con-
ſociatam non habet. De
primo proinde
rogatus,
ſecundum, quod certa quadam
ratione primo non cedit,
adiunxit. Vn-
de ſequi-
tur.

CAPVT XXXI.

Secundum autem ſimile eſt illi: Diliges proximum tuum tanquam teipſum. Maius horum aliud mandatum non eſt.

Expoſitio.

ET hoc quoque ò Scriba te oportet diligenter ſcire mandatum, quod *ſecundum* locum tenet. Nam *ſimile* in charitatis radice *eſt illi*, & in bono, quod vt finem amor reſpicit. Eſt autem: *Diliges* verè, & ſincerè *proximum tuum*, qui Dei bonitatem participat, & cui ſimilitudinem gerit. Quapropter non perfunctoriè, aut ſegniter, ſed *tanquam teipſum* diliges, tua reputans, quæ proximi ſunt. Quod ergo quæſiſti habes. Nam *maius* vlla ratione *horum*, quæ ad Deũ ſpectant, & proximum, *aliud mandatum*, nec excogitatur, nec *eſt*, quod mandati optimi, & honeſti rationem habet.

Secundum autem ſimile eſt illi. *Simile* non eſt idem illi, cui eſt *ſimile*, inquit Alexand. Aphrod. in top. cap. 14. Siquidem, vt

Alexan.

Alber. Magnus.

optimè annotauit Alber. Mag. in præd. cap. 57. Similitudo eſt rerum differentiarum ſubſtantia eadem qualitas. Qualitas autem vna, quæ in dilectione proximi, & Dei conſideratur, eſt charitas, à qua præcepti impletio procedit, quæ eſt totum eſſe, & perfectio mandati eſt finis, ad quem, & ob quem ordinatur, & vnde perfectionem accipit, & integram impletionem: finem autem alium in primo mandato, & alium in ſecundo aſſignari certum eſt, & ſatis notum. Igitur in charitatis qualitate cum conueniant, vt flammæ vnius ignis in titione, facilè ab vno ad aliud fit tranſitus; qui

Theoph.

enim diligit Deum (ait Theophylactus) diligit & facturam eius; homo autem maximè factura propria Dei. Et ita qui diligit Deum, diligit etiam homines, & dum proximum diligit, multo magis Deum diligit. Nam ſi homines diligit, qui multas ſæpè ſcandalorum occaſiones, & odia fouent,

Diligere Deũ eſt mãdata ſeruare

quanto magis Deum, qui ſemper benefacit. Audi autem Dominum: Qui diligit me mandata mea ſeruabit. Vides nos diligendo Deum ſeruare mandata eius. Mandata autem eius omnia de amore mutuo tra-

Ioan. 13.

ctant. Et iterum: In hoc ſcient omnes, quod diſcipuli mei eſtis ſi diligitis inuicem. Vides iterum, quod ex mutuo amore dicitur amor erga Chriſtũ, ita vt ſimus eius diſcipuli, & amici. Nam (ſubdit Antiochenus)

Victor.

cum nosipſos diligimus, neceſſario eum etiam amamus, qui nos tales fecit, vt illi, qui ſecundum ſuam imaginem nos efformauit, ſimiles quodammodo ſimus. Non enim ex eo, quod Deum amamus, amamus nosipſos; verum dum nosipſos diligimus, incitamur,

Qui amat ſe, amat Deum ex gratitudine.

mur, & admonemur, vt grati illi ſimus, qui nos procreauit, taliaque, ac tanta beneficia in nos contulit, qualia, & quanta enumerare non valemus: adeòque vt munera ab illo nobis impenſa, per dilectionem, quæ in præceptorũ obſeruatione præcipuè poſita eſt, pro viribus rependere, ac recompenſare ſtudeamus. Cæterum cum & de Deo, & de proximo multa in Decalogi tabulis præcepta deſcribantur, cur ad primum, & ſecundum reducantur, velut alibi dixit legiſlator: In his duobus mandatis vniuerſa lex pendet, & Prophetæ, non vacat myſterio. Sunt quidem duo principia, à quibus deducuntur reliqua velut concluſiones, & rami, quos ramificant duo ſtipites, ab vno trunco fluxi. Nam hoc modo ſe habent præcepta in lege, ait S.Thom. 2.2. q.44. art.11. Sicut propoſitiones in ſcientijs ſpeculatiuis, in quibus concluſiones virtute continentur velut in primis principijs. Vnde qui perfectè cognoſceret principium ſecundũ totam ſuam virtutem, non opus haberet, vt ei concluſiones ſeorſum proponerentur, ſed quia non omnes, qui cognoſcunt principia, ſufficiunt conſiderare, quidquid in principijs virtute continetur, neceſſe eſt propter eos, vt in ſcientijs concluſiones ex principijs deducantur: in operabilibus autem, in quibus præcepta legis nos dirigunt, finis habet rationem principij. Dilectio autem Dei finis eſt, ad quem dilectio proximi ordinatur, & ideò non ſolum oportuit dari præceptum de dilectione Dei, ſed de dilectione proximi, propter minus capaces, qui non de facili conſiderant vnum horum præceptorum ſub alio contineri. Itaque duo præcepta de dilectione, quæ boni eſt, dantur, primo ad Deum, vt ad finem, inducimur; ſecundo ad proximum, vt ad medium. Bonum enim omne ad id, quod eſt ad finem reducitur, & finem ipſum. Non explicantur reliqua, quæ per negationem traduntur, quoniam negatiua in affirmatiuis includuntur. Vtcunque in Decalogo enumerantur, vt virtutes peculiares, quibus ad eorum obſeruantiam egemus, diligenter annotemus, necnon vitia, quæ nobis ſunt impedimento. Nam non habebis Deos, non facies tibi ſculptile, vt adores illud, Religionem, quæ verum vnius Dei cultum tradit videtur exigere, & profligare vitia, quæ Religioni aduerſantur, & idolatriam: Non aſſumes nomen Dei tui in vanum; iuramentum in iuſtitia, iudicio, & veritate factum, ac votum poſtulat, reijcit autem periurium, blaſphemiam, & ſimilia: Memento, vt diem Sabbati ſanctifices; aduocat obſeruantiæ virtutem, vitium autem inobſeruantiæ abominatur. Eadem conſideratio in reliquis, quæ de proximo traduntur habenda eſt. Nam honora patrem tuum, & matrem tuam, vt ſis longæuus ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, exquirit obedientiam; inobedientiam autem deteſtatur. Non occides, aduocat manſuetudinem, iram expellit: Non mœchaberis, caſtitatem amat, odit luxuriam: Non furtum facies, iuſtitiam vult comitem, iniuſtitiam autem longè fieri: Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium, ægrefert abſque modeſtia eſſe, nec poteſt abſque ea præceptum hoc inuidiam inimicam depellere: Non concupiſces vxorem proximi tui; efflagitat continentiam, vt valeat tàm animi, quàm ſenſus incontinentiam cohibere; Poſtremum denique non domum, non agrum, non ſeruum, non ancillam, non bouem, non aſinum, & vniuerſa, quæ illius ſunt; ſibi vult temperantiam adiungi virtutem principalem, ne aliquod intemperantiæ vitium tranſgreſſionem præcepti moliatur. Quare tàm duobus affirmatiuis, quàm reliquis negatiuis demandatur cuilibet declinare à malo, & facere bonum, quibus integratur iuſtitia, quæ virtutem omnem celebrat, & obſeruat, vitium autem nuſquam admittit.

Matt.22.

Cur ex duobus præceptis charitatis tota pendeat lex? S.Thom.

Finis in operabilibus ſe habet ſicut principiũ in ſcientijs.

Quomodo virtutes reducuntur ad precepta Decalogi.

Diliges proximum tuum. Quis habendus ſit *proximus* docuit Chriſtus Samaritani parabola. Quod *proximum* diligi oportebat, & verborum ſeriè, factorumque magnificentia conuincit; at poſt Deũ diligi oportere *proximum* ordini naturæ videtur repugnare. Hæc enim ab imperfecto, ad perfectum procedit; & ab inuiſibili, & ſenſili ad ſpirituale aſcendit. Vnde intulit Apoſtolus: Si fratrem, quem videt non diligit, Deum, quem non videt, quomodo diliget? His facilè puto ſatisfactum iri ſi naturæ ordinem ſtatuerimus duplicem, perfectum, & imperfectum. Priori, qui in ſpiritu libero ab omni velamine, & caligine reperitur, Deus primo diligitur, poſt quæ ſunt in Deo, iuxtà illud: 1. Ioan.4. Hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat fratrem ſuum. Poſteriori, qui & carne obuoluimur, eamque minus exercitatam, portamus, & indomitam, nec ſpiritui ſubiectam à proximo ad Deum pergimus, vt à viſibili ad inuiſibile. Caro quippe eſt (inquit Bernar. tract. de diligendo Deo) & nihil ſapere valet præter ſe. Cumque ſe videt per ſe non poſſe ſubſiſtere, Deum quaſi neceſſarium incipit per fidem inquirere, & diligere. Diligit itaque in ſecundo gradu Deum, ſed præter ſe, non præter Deum. At verò cum ipſum cœperit occaſione propriæ neceſſitatis colere, & frequentare, cogitando, legendo, orando, obediendo; quadam huiuſcemodi familiaritate, paulatim ſenſimque Deus innoteſcit, conſequenterque dulceſcit: & ſic guſtato, quam ſuauis eſt Dominus, tranſit ad tertium gradum, vt diligat Deum non iam propter ſe, ſed propter ipſum. Sanè in hoc gradu diu ſtatur, & neſcio, ſi à quoque hominum, quartus in hac vita perfectè apprehen-

Matth. 10.

1.Ioan.2.

Duplex naturæ ordo.

1.Ioan.4.

Bernar.

Triplex gradus amandi Deum.

Gradus quartus difficilis, & rarus.

prehenditur; vt ſe ſcilicet diligat homo tantum propter Deum. Itaque perfectorum ſtatum attendens Chriſtus, & naturæ ordinem perfectum, agens cum Scriba, qui ſe ſcientia, & moribus perfectum opinabatur, à dilectione Dei orditur narrationem.

Tanquam teipſum. Quoniam ſimile eſt in ſimili, vt relatum in relato; quæ ſe mutuo inferunt, & conſequuntur, quorum vno poſito neceſſe eſt alterum ſtatui, ſi enim eſt homo ſimilis, alterum qui ſimilitudinis relationem terminet ſtatuamus oportet. Ergo quia ſimilitudine humanitatis omnes homines ſunt vnus homo: ſimilitudine fidei omnes fideles ſunt vnus fidelis; ſimilitudine religionis omnes Clerici, & Sacerdotes vnum efficiunt Sacerdotem, & vnicum ſacerdotium repreſentant, tanquam ſeipſum quiſq; diligat alium ſibi ſimilem, & eadem in proximum, quam in ſeipſum charitate vtatur. Eſt autem charitas (ſecundum Clem. Alexand. ſtromatum lib. 2.) Conſenſio eorum, quæ ſunt in ratione, & vita, & moribus, aut, vt paucis dicam, vitæ ſocietas, vel amicitiæ, & beneuolentiæ extenſio, cum recta ratione ad vſum amicorum, ac familiarium, qui ἑταῖροι, vocantur. Dicitur autem ἕταιρος quaſi ἕτερος ἐγώ, ideſt ego alter, qua etiam eos fratres appellamus, qui ſunt eodem verbo regenerati. Adhæret autem charitati hoſpitalitas, quæ eſt artificium amicitiæ circa vſum hoſpitum. Et paulò poſt: Dilectio eſt perfecta, & abſoluta demonſtratio; & diligi, quod eſt ἀγαπᾶσθαι eſt placere moribus, ducique, & abduci. In idem autem ducuntur, quæ eſt ſcientia communium bonorum. Conſenſio enim, quæ ὁμογνωμοσύνη eſt cõcentus in animis. Et non ficta, inquit, charitas ſit nobis, & odio habentes malum, aſthæreamus bono, & fraternitati, & quæ ſequuntur vſque ad illud. Si poſſibile eſt quantum in vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes. Qui ſic diligit, tanquam ſeipſum colit, & obſeruat proximum, atque fratrem.

Lex relatiuorum.

Clemens Alexan.

Quid ſit charitas.

Maius horum aliud mandatum non eſt. Quoniam iſta cæterorum ſunt principia, & ſecundum ea leges omnes, quæ rationem legis optimæ ſortiuntur, regulantur. Quod eſt regula, metrum, ac menſura, maius eſt regulatis, vt primum mobile cæteris mobilibus, ſphæra ignis cunctis calidis, & Rex miniſtris, qui ab eo pendent. Sed quid ſibi vult *non eſt*? fortè in lege tantum, an etiam in Euangelio, *non eſt maius mandatum*? Nec quidem in lege, quia hoc eſt præceptum, & mandatum meum, quod, inquit auctor, accepi à patre. Nec in cælo, nec in terra licet *maius his* reperiri; quia præceptum Domini lucidum illuminans oculos, vt videant obſeruatores nunc per ſpeculum in ænigmate, poſt autem facie ad faciem gloriam Dei ſpeculentur. Pereat igitur dogma Lutheri, qui vnicum fidei præceptum, ceu fiduciæ maius omnibus facit, immo verò illud vnicum introducit in Euangelio; verum vt in hoc, ita & in illo aſſerto errat. Nam præter fidem multa præcepiſſe Chriſtum luce clarius eſt; ſed & fidei præceptum non eſſe maius dilectione, quæ mox præcipitur, facilè perſuadetur. Etenim vt ſeta, quæ aurum introducit; lucerna, quæ obſcura nocte viſum illuſtrat; ſed vt neque libri inſcriptio non eſt quid maius toto codice, atque libro, ita neque fidem ſapientum aliquis dicet maiorem dilectione præcepta. Siquidem fides tantum eſt nocturna fax illuminans oculos animæ, atque greſſus pedum, vt valeant ad dilectum currere, & accendi in illum; ſicque inſtar ſetæ, vel acus charitatem introducit in homine; cui tantum pro inſcriptione libri deſeruit. Vnde fidem omnem, quam dilectioni præexigit legiſlator, velut titulum præmiſit dicens: Audi Iſrael Dominus Deus tuus, Deus vnus eſt. Siquidem his non tàm Dei, quàm mediatoris præambula cognitio traditur. Namque Deus tuus ad Chriſtum, qui ratione humanitatis aſſumptæ noſter dici ſolet, alludit. Fides autem omnis de Deo, & mediatore eſt, vt optimè S. Thom. 2. 2. deducit. Itaque cum fidei præceptum ſit tantum præambulum eorum, quæ ſunt perpetuo futura, maius dici non poteſt. Quare inquit Apoſtolus: Nunc manent fides, ſpes, charitas, tria hæc, maior autem horum eſt charitas; tùm ratione obiecti, quod eſt bonum; tùm ratione ſtatus, quia ſemper permanet, ceſſante fide, & ſpe. In peſtiferum igitur hæreticum his Patres Tridentini ſeſſione 6. animaduertunt: Si quis dixerit nihil præceptum in Euangelio præter fidem, cætera eſſe indifferentia, neque præcepta, neque prohibita; ſed libera, aut decem præcepta nihil pertinere ad Chriſtianos: Anathema ſit. Hæc Canon. 19. cui ſequentes duo conſonant.

Pſal. 108.

Error Lutheri reijcitur.

S. Thom. 2. 2. q. 1. ar. 3.

1 Cor. 13.

Trid.

CAPVT XXXII.

Et ait illi Scriba: Benè Magiſter, in veritate dixiſti, quia vnus eſt Deus, & non eſt alius præter eum.

HActenus Chriſtus. Quid *Scriba* dicat, audiamus. Etenim vt audiuit reſponſum diuinum, exuit tentatoris animum, vt fiat encomiaſtes Chriſti, *ait* enim affectuosè *illi*. O pulchre dictum, vtique *benè*, & appoſitè *Magiſter* locutus es; & omni remota falſitate, atque errore, *in veritate* ſingula *dixiſti*. *Quia* reuera *vnus eſt*, & non multiplex *Deus*, cui dilectio intenſiſſima debeatur. *Et non eſt alius*, qui præcepta legis condiderit, *præter eum*, qui cunctorum eſt opi-

Expoſitio.

eſt opifex, & omnis terræ Deus. Is creator, & is legiſlator eſt.

Et ait illi Scriba. Non iam, vt iterum forte reuertet, ſed vt mutationem dexteræ excelſi in ſeipſo factam oſtendat. Id quidem accidit Dauid, vt per Prophetam locutus *3. Reg. 12.* eſt ei Deus: Id quoq; experta eſt ſponſa, quæ ait: *Cant. 5.* Anima mea liquefacta eſt, vt dilectus loquutus eſt mihi. Nam ſi ignitum Dei eloquium, quid mirum liquefieri velut ceram, animum, quem mirabiliter illuſtrauerit? Hominem de limo terræ, ſpiraculum Dei in animam viuentem dedit; & terrigenum quemquam, ac obduratum Scribam Dei verbum renouabit, & compellet ea loqui, & facere bona, quæ nuſquam cogitarat. Quod *Sap. 1.* enim continet omnia, ſcientiam habet vocis; hoc eſt vocem habet, quæ nedum ignarum, ſed quandoque malignum Sanctorum ſcientiam docet, vt loquantur opera Domini, & mirabilia operentur.

Benè Magiſter. Per aduerbiũ *benè* Chriſtum acclamat bonum, ac bonũ *magiſtrum.* Duobus titulis ſummi honoris donat eum, quem antea cum ſuis, indignum honore, & vita arbitrabatur. Sed vnde? quia os Domini locutum eſt, & ſpiritu oris ſui interfecit impietatem, quæ in miſero regnabat, vt non iam loqueretur opera hominum, aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius; ſed tota die, ac iugiter meditaretur iuſtitias eius, & qui gloriam, & honorem afferret Domino, quem inhonorabat prius.

In veritate dixiſti. Quia *veritas*, ideò in *veritate* docet, *veritatem* meditatur guttur eius, & nihil niſi pacem præcipit operari.

Quia vnus eſt Deus. Hoc eſt enim prima veritas, quam nedum Chriſtus, qui Deus eſt, ſed vniuerſa prædicant. Videte, quod ego ſim ſolus, ait ipſe, & Propheta: *Deut. 32.* Deus noſter, Deus vnus eſt. Quem communis natura teſtatur, inquit Ambroſ. lib. 1. de fide *Ambroſ.* Trinit. Quia vnus eſt mundus; vnum Deum ſignificat: quia vna fides veteris, & noui Teſtamenti; vnum Spiritum ſanctum teſtificatur gratia, quia vnum baptiſma in nomine Trinitatis eſt. Vnum Deum Prophetæ dicunt, Apoſtoli audiunt. Deus enim (ait *Tertull.* Tertullianus lib. de Trinit.) quicquid eſſe poteſt, quod Deus eſt, ſummum ſit neceſſe eſt. Summum autem quidquid eſt, ita demum ſummum eſſe oportet dum extra comparem eſt. Quoniam nec duo infinita eſſe poſſunt, vt rerum dictat ipſa natura: Infinitum eſt autem, quidquid nec originem habet omninò, nec finem: Excludit enim alterius vnitum, quidquid occupauerit totum. Quid igitur afferri poteſt (infert Elias *Elias Cretenſis.* Cretenſis, in orationem p. Gregor. Nazianzen.) quamobrem orthodoxos eos appellarit, qui vnum principium in multa principia, vel æqualia, vel diuerſa, & contraria diſcindunt, cum vtrinque abſurda quædam, & impoſſibilia conſequantur? Abſit quod tales quiſquam orthodoxos appellet, ſed Hæreticos, & Gnoſticos, qui duos vnum bonũ, & alterum malũ ponunt; & Poloniæ miniſtros, qui tres omnipotentes introducunt, Tritheitæ proinde appellati; atque alios, quos damnat tota Eccleſia iugiter cantans: Credo in vnum Deum.

Et non eſt alius præter eum. Qui ſit natura Deus, per participationem bonitatis, & excellentiæ Dei. Ego dixi Dij eſtis vos, & *Pſal. 81.* filij excelſi omnes, ait Propheta ad Sanctos; per abuſum quoque dicuntur Dij gentium *Pſal. 95.* dæmonia; necnon homines, vt Hercules, Alexander, Caius, & alij, qui ſibi hoc nomen indidere. Quorum ſtultitiæ haud diſ- *Delyria Philoſophorum* ſimilis cenſetur Anaximanes Mileſius, & Diogenes Appollinares, qui Deum vocarunt aerem, Parmenides Eleates ignem, & terram; aſtra Alemenon Crotonoita, & alij alia, vt refert Clem. Alexandrinus oratione *Clement. Alex.* adhortatoria ad gentes. Error Gentilium (inquit Hieron. ſuper cap. 2. Daniel) qui om- *Hieron.* ne, quod ſupra ſe eſt Deos putant. Quin, & *Ierem. 11.* de Iudæis in cap. 11. Ieremiæ idem dixit: Legamus Regum, & Paralipomenon libros, & inueniemus Iudam, & Ieruſalem, multo quã peiora Iſrael feciſſe, vt quot habebant Vrbes, tot habebant Idolorum ſpecies. Itaque addens Scriba, *& non eſt alius* præter eum, non tàm gentes, quàm Iudæos, qui Deos multiplicarunt redarguit: Putantes enim *Rom. 1.* ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.

CAPVT XXXIII.

Et vt diligatur ex toto corde, ex toto intellectu, & ex tota anima, & ex tota fortitudine: & diligere proximum tanquam ſeipſum: maius eſt omnibus holocauſtomatibus, & ſacrificijs.

ET hoc quidem, proſequitur Scriba, *Expoſitio.* perpulchrè dictum eſt, quod vnus ille Deus *diligatur* impenſe *ex toto corde*, vt qui cor hominis fabricauerit; *ex toto intellectu*, quoniam intellectum dat ipſe, & inſtruit in via, quam agredimur; *& ex tota anima*; quia omnes animæ meæ ſunt dixit; *ex tota fortitudine*; quia fortitudo hominis ipſe eſt. Etiam *diligere* ſolicitè *proximum*, qui caro, & frater noſter eſt, & ad imaginem bonitatis Dei; idque *tanquam ſeipſum*, dilectione proximi, ac beneficijs fouere; *maius eſt* genere ſuo, & plus acceptũ *omnibus holocauſtomatibus*, quæ ſolent in altari concremari ad Dei cultum; necnon *ſacrificijs*, quæ deuouentur altiſſimo. Siquidem diligens propter Deũ hominem ſeipſum ſacrificat Deo, & in holocauſtum offert, ſacrificans verò, & holocauſta ad aram mactans, & cremans aliena Deo conferat. Donum autem quanto pro-

Digitized by Google

to propinquius danti, tãto acceptius ei, cui offertur. Quia maius amoris ſignum lucet in proprijs, quã in externis, quæ offeruntur.

Et vt diligatur. Dilectionis præceptum, quod legiſlator propoſuerat, reſumit auditor Scriba. Vt nos quoque memores ſimus mandatorum ipſius, ad faciendum ea. Neque enim lectionem apud magiſtrum recitat diſcipulus, niſi vt doctus euadat. Ecquis doctus in ſchola Chriſti niſi qui audit, & cuſtodit verbum Dei, quod ſummus Doctor demandauit? (*Cant. 3.*) Tenentes gladios, vocat Scriptura, ad bella doctiſſimos. Gladij autem ancipites eorum ſunt, qui non in ocio vitam transfigunt, quin operari dum dies eſt, contendunt, & mandata complere. Atqui hoc ego doctiſſimos voco, doctiſſimos quidem ad bella militiæ Chriſti, quæ docet carnem ſubigere, calcare draconem, ac mundo imperare, demumque Regnum cælorum, quod violenti rapiunt poſſidere, vnius dilectionis præcepti obſeruantia. Poteſt enim, ac debet tantum præceptum à nobis impleri in vita, licet imperfectè; (*Auguſt. Bernar.*) ſecundum Auguſt. lib. 1. de doctrina Chriſt. cap. 22. Bernar. ſerm. 50. in Cant. perfectè quidem implent Beati. Sicut ſi dux exercitus (*S. Thom.*) (ait S. Thom. 2. 2. q. 44. art. 6. præcipiat militibus, vt pugnent; ille perfectè dictis implet præceptum, qui pugnando hoſtem vincit, quod dux intendit. Ille autem implet, ſed imperfectè, cuius pugna ad victoriam non pertingit, non tamen contra militarem diſciplinam agit. Intendit autem Deus per hoc præceptum, vt homo ſibi totaliter vniatur, quod fiet in patria, quando Deus erit omnia in omnibus, vt dicitur. (*1. Cor. 15.*) 2. Corinth. 15. Et ideò plenè, & perfectè in patria implebitur hoc præceptum; in via autem impletur, ſed imperfectè. Et tamen in via tanto vnus alio perfectius implet, quanto magis accedit per quandam ſimilitudinem ad patriæ perfectionem. (Error Lutheri.) His reprobatur Lutherus, qui præceptum dilectionis Dei facit impoſſibile obſeruatu. At inquit Hieronym. ad Damaſ. (*Hieron.*) Execramur eorum blaſphemiam, qui dicunt impoſſibile aliquid homini præceptum eſſe. (Omne præceptum eſt poſsibile.) Nam in veteri Lege dixit: Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum, neque in cælo ſitum, vt poſſis dicere, quis noſtrum valet ad cælum aſcendere, vt deferat illud ad nos? (*Matt. 11.*) Et in Lege noua ait: Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Nemo ergo (infert (*Triden.*) Synod. Trid ſeſſ. 6. c. 11.) quantumuis iuſtificatus liberũ ſe eſſe ab obſeruatione mandatorum putare debet: Nemo temeraria illa, & à patribus ſub anathemate prohibita voce vti, Dei præcepta homini iuſtificato ad obſeruandum eſſe impoſſibilia. Nam Deus Impoſſibile non iubet, ſed iubendo monet, & facere, quod poſſis, & petere, quod non poſſis, & adiuuat, vt poſſis.

Ex toto corde, & ex toto intellectu, & ex tota anima, & ex tota fortitudine. Hinc tàm (Hæreticorũ abſurditas.) Lutherus, quàm Petrus Martyr, Caluinus, & ſectatores impoſſibilitatem præcepti inferunt; namque inquiunt, his verbis ſummum exquiri in Deum amorem, nullumque locum amandi aliud à Deo relinqui. At alia non amari à nobis dum viuimus eſt impoſſibile. Verum non eo fieri hoc præceptum impoſſibile perpulchrè docet pater Robertus Bellarminus, volens cum Hilario, Hieronym. & Chryſoſt. ad cap. 22. Matt. & cum Ambroſ. ad cap. 10. Lucæ, (*Bellarm. Hilar. Hieron. Chryſoſt. Ambroſ.*) hæc nomina poni ad eandem rem explicandam maioris expreſſionis gratia: Ita quod diligere, *corde, anima, mente, &c.* idem ſit, quod diligere verè, ſincerè non fictè, non ſimulatè; vt ſolum amemus Deum præcipuo amore, nihilque illi in amore anteponamus, vel æquemus. Ex quo, inquit, ſequuntur ſex quaſi correlaria. (Sex correlaria, quæ ad præceptum charitatis ſequuntur.) Primum eſt huic præcepto aduerſari omnia peccata mortalia, quia in omni peccato mortali anteponitur creatura creatori. Secundum huic præcepto non aduerſari amorem honeſtum affinium, & amicorũ, licet non referatur actu in Deum, quia non tenemur Dum ſolum amare, ſed eum præcipuè. Tertium non aduerſari peccata venialia eidem præcepto, quia venialia non mutant vltimum finem. Quarto non aduerſari eidem præcepto motus inuoluntarios concupiſcentiæ, etiamſi rerum alioqui grauiſſimarum, vt infidelitatis, blaſphemiæ, & adulterij, &c. nam cum charitas Dei ſit in voluntate, non aduerſantur ei niſi motus voluntarij. Quinto hoc præceptum perfectè in hac vita ſeruari poſſe, quia non exigit niſi vt amemus Deum, pluſquam creaturas. Sexto poſſe Deum *ex toto corde*, magis, & minus diligi: qui enim propter Deum abſtinet ſe à licitis, magis diligit, quàm qui ſolum abſtinet ſe ab illicitis; & tamen vterque diligit *toto corde*. Probat luculenter ſingula. Quinta controuerſia lib. (*Bellarm.*) 3. de Monachis cap. 13.

Et diligere proximum tanquam ſeipſum. Repetit quoque dilectionis proximi præceptum, quod ſtudioſè exequendum ſit, iuxta illud: (*Phil. 4.*) Ante omnia mutuam in vobiſmetipſis charitatem continuam habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum. In Regnum Dei vocati ſumus, ait Clemens Alexandr. lib. 3. pedagogis dignè regno ambulemus, Deum diligentes, & proximum, dilectio autem non in oſculo cenſetur, ſed in beneuolentia.

Maius eſt omnibus holocauſtomatibus, & ſacrificijs. Nam Deus cum ſit ſpiritus (ſcribit Arias Montanus) (*Arias Montanus.*) & vnus Deus, magis colitur charitate erga proximum, & vnione animorum, quæ per charitatem fit, quæ eſt vinculũ perfectionis, quàm holocauſtomatibus, & ſacrificijs antiquis, quæ ſecun-

dum

dum rem corporea ſunt; ſecundum verò
profeſſionem offerentiũ, imbecillitatẽ, im-
perfectionem,& debitum eorũ,à quibus of-
feruntur,ſignificant,& produnt. Quare ſub-
Zachar. dit Zachar.Chryſop.lib.3.c.128.oſtendit ex
hac reſponſione Scriba, grauem ſepè inter
Scribas,& Phariſæos fuiſſe quæſtionẽ, quod
eſſet maximum mandatũ, quibuſdã hoſtias,
& ſacrificia laudantibus, aliјs fidei, & dile-
ctionis opera præferẽtibus, eo quod plures
patres ante legem abſq; omni victimarũ, &
ſacrificiorum conſuetudine ex fide tantum,
quæ per dilectionem operatur, placuiſſent:
nemo autem abſq; fide,& dilectione per ſa-
crificia.Nos autẽ magnum,& minimũ man-
Omnia mãdata ſibi cohærent. datum dicimus;quãtum ad dignitatẽ. Alio-
quin vtilitas omnium mandatorũ vna eſt,&
ſic omnia ſibi cohærent,vt alterũ non poſſit
eſſe ſine altero,vt fundamentũ dicimus me-
lius eſſe, cum tamen nec fundamentum ſine
ædificatione, nec iſta ſine illo eſſe poſſit. Nõ
igitur fundamentũ vtilius eſt ædificatione,
ſed dignius ſicut caput dignius mẽbris. In-
ſtat tamen obiectio, ſi dilectio proximi eſt
dignior ſacrificio; ergo amicitia virtus eſt
dignior religione, quod eſt manifeſtè falsũ;
cum religio ſit ad creatorẽ, dilectio proxi-
mi ad creaturam. Reſpondeo diligere pro-
ximum propter Deum non ſolum ad ami-
citiam ſpectare,ſed ad Religionẽ, quæ Deũ
reſpicit,illi,quẽ non aues, nec pecora cam-
pi,ſed animum,& affectum ſacrificat,qui ad
Deum,& propter Deum diligit proximum.

CAPVT XXXIV.

*Ieſus autem videns, quod ſapienter reſpon-
diſſet, dixit illi: Non es longè à Regno
Dei,& nemo iam audebat eum
interrogare.*

Expoſitio. ITaque profeciſſe Scribã audito Chriſto,
conſtat ex eiuſdem reſponſo,ſed quouſq;
Chriſtus inſinuat. Etenim *Ieſus* perpendens
ſingula,quæ protulerat Scriba,& *videns* ma-
nifeſtè,*quod* nõ obſcurè,ſed *ſapienter* ad ſin-
gula *reſpondiſſet*,gaudẽs *dixit illi*.Profecto
non es inter alios tui generis Scribas con-
numerandus: namq; illis væ maledictionis
æternæ interminatur,tu autem *non longè es
à Regno Dei*,parumq. abes à ſalute æterna;
quod probè mandata noris. Dimiſſo ergo
Scriba, *nemo iam* neq; in publico,neq;in ſe-
creto *audebat* tentatiuè *eum interrogare*,
quod præcellere omnes ſapientia certo di-
dicissent.

Ieſus autẽ videns.Reſponſum quidẽ,quod
Scribã in Ieſu vidiſſe, & quare, dictũ eſt ſu-
pra.Nunc quãto melius videre voces Chri-
ſto cõpetat quàm cæteris perpendamus.Per
analogiã quidẽ videre voces, quæ ſunt au-
rium obiecta,alijs cõceditur; propriè Chri-
ſto; ſiquidẽ opera omnis carnis corã illo, &
non eſt quicquã abſconditũ ab oculis eius; *Eccl.39.*
ſcit quid ſit in homine perſcrutãs cor,& re-
nes,nec eſt vlla creatura inuiſibilis in con-
ſpectu eius.Ergo ſi cogitatus, qui ſpiritua- **Chriſtus omniſcius**
les ſunt penetrat,quid ſi voces, quæ corpo-
reæ ſunt,videat? Quinimo cõprehẽdit nõ tã
vocẽ,quã quod per vocẽ ſignificatur.Propterea
acclamatur ei.Nũc ſcimus,quia ſcis omnia.

Quod ſapienter reſpondiſſet..Græca lectio
habet cordatè νουνεχῶς ſiquidẽ ex corde, &
ſincerè,ac prudenter;non vt alij ſapiẽtes,qui
tantũ ſecundũ litterã *ſapiẽter* loquũtur,me-
dullam,quæ in ſpiritu latet,nõ olfaciunt,ſed
vt illi,qui ſpiritu intelligẽtiæ repleti,ſapiẽ-
tiam inter perfectos loquuntur. Illuſtratus
quidem ſolis præſentia, quæ venientẽ ad ſe
illuminat,quid niſi *ſapienter*, & cordatè po-
terat *reſpondere*?Et quod ſapiẽtius eſt ope-
rari ſtatim potuiſſet vtramq; dilectionem,ſi
diligentius radijs,& colluſtrationibus Chri-
ſti,atq;ſentẽtijs ſe ſubmiſiſſet,& petijſſet cũ
eo,qui exorabat. Illuminet vultũ ſuũ ſuper *Pſal 66.*
nos,& miſereatur noſtri,vt cognoſcamus in
terra viam ſuam, in omnibus gentibus ſa-
ſalutare ſuum. Eſt enim ſuis ſplendoribus
exaltans animas à priori ignorantia, & im- *Eccl 34.*
potentia, & illuminans ad ea,quæ vera ſunt,
& perpetua præclarè agnoſcendo.

Dixit illi. Haud cõtemnendũ omen,quod
nõ tã homines peccatores,quã dãnati ſpiri-
tus ſibi dici gauderent. Ecquid non dicit?
vtiq;ſed nõ audiunt, propter quod,nec gau-
dent; peccatores enim,qui in carne mortali
degũt,quãdo ſibi dici audiunt huic dicto ſi-
mile:vt pœnitẽtiã agite, & appropinquabit *Matt.3.*
regnũ cælorũ;oculos ſuo ſtatuerũt declina- *Pſal.16.*
re in terrã,& cordare ad auaritiã,quæ nihil
illis proderit; qui verò dãnationẽ patiũtur,
excandeſcunt,& fræment,dũ pœnitentiã au-
diunt,ac Regni appropinquationẽ. Inuenta *Ierem.11.*
eſt enim coniuratio in viris Iuda,& in habi-
tatoribus Ieruſalem. Hos fingito Angelos
Apoſtaticos,qui ab illa cæleſti Ieruſalẽ pro-
lapſi ſunt:illos autẽ noſtri generis peſſimos,
qui verã cõfeſſionẽ iuxtà nomẽ Iuda nõ te-
nuere;in his ergo omnibus cõiuratio inue-
nitur,& repugnantia quoties bonũ dici ſibi,
& annũtiari audiũt pœnitẽtiã,& Regnũ Dei.

Nõ longè eſt à Regno Dei.Ideſt ab Euange-
lij cognitione (interpretatur ſecundũ Gloſ.
interl.Gagnæius)quod *Regnũ Dei* dicitur, *Gagnæius.*
per quã Deus regnat in cordibus hominum.
Et inde credendũ eſt(ſubdit Lyra)quod iſte *Lyran.*
conuerſus fuit ad Chriſtũ. Fortè enim audi-
to reſponſo(ait Gloſ.ord.)Domini, mox ad *Gloſ. ordin.*
pietatis gratiã redijt, & quẽ prius tentando
decipiendum putauit,mox amplectendo ſe-
quendum cognouit.Per *Regnũ* quoque *Dei*
intelligito ſtatum gloriæ,à quo non eſt lon-
gè, qui propoſita agnoſcit,& diligit. Quia,
inquit Zacharias Chryſopolit. ſalus noſtra *Zachar.*
conſiſtit in cognitione veritatis, & amore
virtutis. Qui autem(ſubiecit Arias Monta-

nus) hoc modo ſubductam habet veræ pietatis rationẽ, intelligit profectò, quid ipſe, & quatenus efficere poſſit, ac debeat, quid ſibi ad perfectionẽ deſit, quid credendũ, quid petendũ, quid ſperandũ à Deo ſit: in eamq. rem omni ſtudio contendens, vt à Deo accipiat, quod promiſsũ, expectandumq. credit. Dum hoc modo contento curſu viã pergit ſuã, ad *Regnum Dei*, ipſo Deo promouẽte, deducitur. In illo Regno vbi fuerit, ea opera complet, quæ prius maxima eſſe intelligebat; eaq. & perfectius intelligit, & præſtat, quàm antea; adueniente enim *Regno Dei* fit volũtas eius ſicut in cælo, & in terra. Sed quare

Hieron. nõ longè eſt (inquirit Hieron.) qui venit callidè? longior namq; eſt ignorantia à *Regno Dei*, quàm ſcientia. Vnde ſupra Sadducæis: Erratis, inquit, neſcientes Scripturas,

Zachar. neque virtutem Dei. Sadducæi enim, ait Zachar. Chryſop. longè ſunt à *Regno Dei*, cum nec cognoſcenda cognoſcant, nec diligenda diligant. Hic autẽ ſuperbus tentator minus longè eſt extra Regnum, quia iam per ſcientiam Euangelicæ perfectionis conſenſit. Eſſet autem in *Regno Dei*, ſi augeretur ei cognitio veri, & dilectio boni, vt Chriſtũ, tàm in Deum, quàm in proximũ ſuſciperet. Quapropter non perfectum illum teſtatur (notat

Theoph. Theophyl.) Non enim dixit intra in *Regnũ* cælorum: ſed *non procul es*. Quia (inquit Be-

Beda. da) ſententiæ illius, quæ noui Teſtamenti, & Euangelicæ perfectionis eſt propria, fautor extitiſſe probatus eſt.

Et nemo iam audebat eum interrogare. Non quidem reuerentia perſuaſi, ſed retenti ſuperbia timẽtes confundi, & in aliorũ contemptum venire. Non interrogare, nec curioſè perſcrutari maieſtatis diuinæ ſecreta laude dignũ eſt, & opus virtutis Religionis, ſignumq. timoris filialis, quem oracula extollunt, & æmulantur ſapientes, in interrogationibus potiſſimũ, quas in oratione Deo faciunt, ne opprimantur, vt fabula de Phæ-

Fabula de Phætonte. tonte fingit qui audacius ſolis currum agitans exarſit; ſapere enim nos vult Deus ad ſobrietatẽ, & quæ ſupra nos ſunt non quærere; alioquin moriemur, ſi ad montem acceſſerimus. Hoc Moyſi, ac paucis cõceditur.

Sobriè ſapiendum. Cæteris iubetur à longè eſſe, & acquieſcere ijs, quæ nobis ſancti amici Dei retulere ex ore Dei. Qui verò non conſentit, vt hæreticus, ſed præſumit interrogare noua, & adinuenire, gloria opprimetur. Etiam qui quæ ſcitu neceſſaria ſunt, præ animi tumore, & arrogantia non interrogat ſapientes, magiſtros, & Sacerdotes legem. Ignorans enim ignorabitur. Iſta ergo, quæ neceſſaria

Eccl 23. ſunt, ſapiens, ac timens Deum, continuò interrogat; ne inquit adincreſcant ignorantiæ meæ, & multiplicentur delicta mea, & peccata mea abundent, & incidam in conſpectu aduerſariorum meorum, & gaudeat inimicus meus.

CAPVT XXXV.

Et reſpondens Ieſus, dicebat, docens in templo: Quomodo dicunt Scribæ, Chriſtum filium eſſe Dauid?

Expoſitio. ERgo quia iã nemo audebat interrogare eũ, qui venerat cunctos docere, vt ſuo fungatur munere, quærit ipſe, & interrogat diligẽter, vt doceat excellentiorẽ doctrinã, ſine qua non poterat quiſpiã ſaluari. Etenim vt vidit cunctos obmuteſcere, *reſpondens* ad eorũ ſilentium, quod latenter proclamabat bonitatẽ, diſciplinamq. veri Redẽptoris edoceri *dicebat* ad omnes *docens in tẽplo*, ac publicè interrogãs, ne quis vnquã ignorantiã obijceret. *Quomodo* inquit *dicunt* ex oraculis *Scribæ* veſtri, ac legis periti conſtanter affirmãt, *Chriſtum*, ac miſſum in redemptionẽ totius generis, & Regni reſtaurationem, *filium* eſſe Dauid, cui locutus eſt Dominus, & præmiſit de fructu ventris ſui ſuper ſedem ſuam in æternum ſeſſurum?

Et reſpondẽs Ieſus. Nõ interrogationibus à quibus tumidi abſtinebant, ſed ad deſideria naturæ, quæ ad auctorẽ ſpirat, & optat meliori ſemper doctrina paſci, velut fruges, vt, opus ſuũ perficiat, & finẽ, ad quẽ eſt, conſequatur. Huius ergo deſideriũ ante conſpectũ tuum dixit Vates. Et alibi. Anima mea ſicut Pſal. 142. terra ſine aqua tibi; hæc prę ſiti areſcẽs, pluuias cæli videtur poſtulare; clamat autẽ ingiter noſtra anima irriguũ ſuperius diffundi, etiã obuoluta ſenſibus vitiorũ: habet enim ſẽper deſideriũ boni, & germinãdi opus iuſtũ, tametſi terræ ſulcis, & peccatis operiatur. Ad hoc itaq; deſideriũ eſt *Ieſus reſpõdẽs.*

Dicebat docẽs in tẽplo. Quoniã de vero *tẽplo*, quod nõ eſt manufactũ, neq; huius creationis, quod reædificatũ, ſeipſo in æternum permanet, ſermonẽ introducere eũ oporteret. Opportuna quidẽ eſt narratio, quæ non tã perſonis accõmodatur, quã loco. Vnde ſicut ſeipſũ, qui *templũ* eſt, viuũ *in tẽplo*, quòd erat typus eius docuit æditũos; ita in foro ve, ve, ve, notas maledictionis propoſuit, vt qui maledicti forent velut palea, quæ in foro à vento rapitur, & fornicaria mulier, quæ in foro ſeipſam proſtituit.

Quomodo dicunt Scribæ. Dicebant, & hoc alij, vtpotè ſancti Dei homines, qui inſpirati, vera loquuti erant. Referuntur vtcunque *Scribæ* hoc dicere, non vt ab eis, quorũ ſtylus mendax erat teſtimonium peteret, ſed vt alios, qui *Scribis*, vt magiſtris adhærebant, doceret proprio magiſtrorũ teſtimonio, deputato tamẽ ſuę doctrinę additamẽto, quod obſcuratã caligine margaritã illuſtrauit, & luce clarius reddidit, quod imperitè, & inhoneſtè Scribæ ferebant de ſuo Chriſto teſti- Aug. Ambr. Tertull. vſi argumentis aliquãdo ex aduerſariorum placitis ad eos confundendos. monium. Huius doctrinæ perſæpè legi apud Aug. Ambr. Tertullianũ, & alios æmulos extitiſſe, & imitatores ſedulos: Aſſũptis enim hæreticorum ſententijs, quibus perperã vti ſolent,

ſolent, veritatem alios docuere, proprijs, ac germanis ex alijs oraculis ſuperadditis expoſitionibus, vt qui prius audirent hæreticos ſic dicere, & crederent, deteſtarentur verò doctore docente, exponente, & interpretante ex alijs quid credi oporteret.

Chriſtũ filium eſſe Dauid. Hoc quidẽ dicebant etiam Samaritæ, qui & hæreticabãt, & paganizabant: at mox idẽ affirmant Pagani, qui ſub Mahometi Alcorano ſunt; & Hæretici nihil frequentius ore geſtant, quã *Chriſtum filium Dauid*; nemo tamen illorũ in *Chriſto filio Dauid* ſaluatur. Quoniã ſolũ verbis talem referunt, corde autem nõ credunt ad iuſtitiã. Quia nõ credunt eũ Deum, & hominem in vno ſuppoſito verbo; nec cõfitentur vnicũ redemptorem, & mediatorem inter Deũ, & homines; nõ admittunt legiſlatorem cuius præceptis imbuantur; non ſequuntur ducem, vt veſtigijs eius confortentur, ac vitæ; neque denique inuocant, vt oportet in nomine Domini.

CAPVT XXXVI.

Ipſe enim Dauid, *dicit in Spiritu ſancto: Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.*

Expoſitio. VNde Scribæ dicerent Chriſtum eſſe filium Dauid, demonſtrat, necnon quo veritas, quam de Chriſto oporteret tenere: *Ipſe*, inquit, Rex *Dauid*, inter Prophetas grauu prophetiæ decoratus *dicit*, non ex ſe, ſed *in Spiritu ſancto*, qui per os eius loquebatur. *Dixit* quidẽ *Dominus* Deus Pater, *Domino* filio eius, ac *meo*, *ſede*, ò fili, *à dextris*, & potioribus *meis* fruere, eſtoq; hæres cunctorũ, quę apud me ſunt, quibuſuè imperito. Veruntamen poteſtatem omnem, quã in cælo, & terra accepiſti, atq; iudiciũ, noli exercere in omnes, *donec* ipſe, vt pollicitus ſum, dem tibi omnes gentes in hæreditatẽ tuã, & *ponam* eos, qui tibi contradicebant *inimicos* inquã *tuos* vafros, & impios omninò ſubiectos, velut *ſcabellum pedum tuorum*, vt vltra nemo te oppugnat, ſed omnis lingua confiteatur: quia Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris.

Ipſe enim Dauid dixit in Spiritu ſancto. Nõ in ſpiritu nequã, qui eſt ſpiritus mẽdax in ore omniũ Prophetarũ Baal, & loquitur per os pſeudoprophetarũ ſõnia, nõ viſionẽ, quæ ab alto fit. *In Spiritu ſancto* loquitur Propheta Domini, qui vera annuntiat, & quę futura ſunt ad ædificationẽ Eccleſiæ Dei, & electorũ prædicit, ac per eũ etiã nũc loquitur (ait Gregor. Nazian. orat. p. apologetica) *Nazianz.* vnde in eundẽ ait Elias Creten. Scholiaſtes. *Elias Cretenſis.* Hinc oſtendit Prophetas nihil ex ſua mente locutos fuiſſe, verũ ea demũ, quæ per ſãctiſſimi Spiritus illuminationẽ animo informati, ſuſcipiebant, prædixiſſe. Vt enim corporis oculi cũ ſani ſunt, ea, quæ ipſi proponuntur, cernunt: eodẽ modo vis mentis perſpicax à diuino ſpiritu illuminata, ea, quæ abſunt, tãquã præſentia intuetur. Quin alio etiã loco Propheta hic Dauid linguã ſuã calamũ Scribę velociter ſcribentis, eſſe, inquit, nimirum ſanctiſſimo Spiritui, nõ ſecus, ac celeri cuidã Scribę, animiq ſenſa, quã citiſſimè ſubiciſti adminiſtram operam nauantem. Quomodo loquitur ſpiritus per ora prophetarũ? Vnde Caſſiodor. in Pſ. prophetiã dicit diuinã inſpirationẽ. *Caſſiodor.* Quã Origen. (ſup. c. 22. Num. hom. 13.) à diuinatione diſtinguit, *Origen.* quod hæc dæmonũ miniſterio fiat; illa verò ex inſtinctu Spiritus ſãcti proficiſcatur. Propterea dicitur prophetia clara viſio ſecundũ Hieron. li. 3. in Oſeã, *Hieron.* diuinatio verò dæmonum illuſio, quam magi aruſpices, alijq. ſuis nominibus abominandis vocitant. Diſtinctio prophetiæ, & diuinationis. Sed neq; viſionem à Spiritu ſancto præſentatã admittit Aug. lib. 12. de gen. ad lit. c. 9. *Auguſt.* dici prophetiam niſi videnti intelligentiã ferat. Vidit enim Nabuchodonoſor, & Pharao, illorum tamen nemo Propheta dicitur: ſed Ioſeph, & Daniel, qui viſiones intellexerũt. Ad prophetiã requiritur intelligẽtia. De dignitate, & gradibus prophetiæ dictũ eſt alibi, nunc ſufficiat credere nõ volũtate humana allatã eſſe prophetiã, ſed *in Spiritu ſancto* Prophetas loqui; tu maximè Dauid typus Chriſti; cuius geſta non ſolũ verbis, ſed & factis expreſſit. Dauid Typus Chriſti.

Dixit Dominus Domino meo. Etenim cum erroneã illorũ opinionẽ (ait Victor Antiochen.) *Victor Antioch.* qui ipſum purum hominẽ eſſe credebant, euertere in animo haberet, eiuſmodi Dauidis oraculũ in mediũ adducendũ exiſtimauit, quod illũ verũ Deũ, verumq. & naturalẽ Dei patris filiũ eſſe diſertis verbis prędicaret; necnon Chriſtũ Ieſum eiuſdem cum Deo patre honoris, dignitatis, & maieſtatis eſſe clarè demõſtraret. Petitur autẽ hoc teſtimoniũ ex Pſal. 109. *Pſal. 109.* qui totus eſt de Chriſto, nõ de Dauid, vt fabulantur Hebræi; non enim Dauid aſcendit in cælos obijcit Petrus Act. 2. *Act. 2.* Conſtat quidẽ non ſolũ ex Euangelio (ſcribit Ioan. Bapt. Foleng.) *Ioan. Bapt. Folengius.* Verũ etiam ex Hebræorum doctoribus, totũ hunc Pſalmum intelligendũ eſſe de ipſo Dei filio, atq; eius Regno, quod in Siõ cœpit, atq; inde late propagatum tandiù ſtabit, quoad quicquid conditum eſt, illũ adoret, fiantq. illius hoſtes tãquã ſcabellũ pedum eius, hoc eſt pænitus ei fiant ſubiecti. Vt Deo quidem omnia illi ab æterno ſubdita ſunt: vt homini verò in tempore id factum eſt, ſeruaturq. ad illud omninò tempus cum nouiſsimus deſtruetur inimicus mors. Hanc itaq; filij Dei ſublimitatem prænoſcens Dauid, ſic ſecum.

Dixit Dominus Domino meo. Dominus quidẽ eſt pater, *Dominus*, & filius: idẽ porro vterque eſt Deus, Atqui non prætereundum verbum, *dixit*, ob id prolatũ, quod filius eſt verbum patris, quod etiam ex antiquis Hebræorum Rabbinis nonnulli faſſi ſunt. Sic

quidam: *Dixit Dominus*, nempe pater verbo
Paraphraſis Chald. ſuo. Eſt is Paraphraſtes Chaldeus, iuxtà quē,
& altiorem loci intelligentiam fidei conſo-
nam profero. Generauit pater verbū ſuum;
eadem numero diuinitatis ſubſtantia com-
municata, quapropter vterq; *Dominus*. Cō-
Theodoret. municatio quippe nominū (notat Theodo-
retus in hunc Pſal.) eiuſdē ſubſtantiæ eos eſ-
ſe oſtendit. *Dominus* enim *Domino dicit*, &
non *Dominus* creaturæ, neque *Dominus* fig-
mento. Nam creaturam per fiat, & factum
eſt, in propatulo producit. Siquidem factio
externi eſt operis; dici autem opus eſt men-
tis, quæ ad intra verbū bonū eructat æquale
Ioan. 10. dicenti. Inde Chriſtus: Quod dedit mihi pa-
ter maius omnibus eſt, vtpotè Deum eſſe, ac
Dominum vniuerſorum, & opificem. Quia
Ioan. 5. pater meus, inquit, operatur, & ego operor.
Quoniam ego, & pater vnum ſumus.

Sede à dextris meis. Hoc eſt eſſentiā meā,
& diuinitatem habeto communem, & vna
mecū in ea *ſede*, & eſto felix, atq; beatus, atq;
omnipotēs, infinitus, æternus, & procul im-
menſus, vt ego. *Dextrū* enim eſt ſecundum
Eſſentia diuina interpretatur dextra. Philo. 2. cæli, tex. com. 15. vnde incipit mo-
tus. Qui in Deo cum ſit omnis operatio tàm
ad intra, quàm ad extra, cuius eſſentia prin-
cipiū ſit, eſſentia non incommodè *dextrū* ha-
bebit, & in ea Dominū, quē dixit, ac genuit
ſedere vult, quod in ea, ac intra eam illū ge-
neret, genitoq; communem efficiat. Magnum
Theodoret. igitur eſt (aduertit Theodoretus) & nō mo-
do omnē humanam naturā excedit, verum
etiam totam vniuerſitatē. Atqui addit, hoc
humano more dictum eſt, vt enim filius Dei
ſempiternum habet imperium. Sedes enim
Pſal. 44. tua, inquit, Deus in ſæculū ſæculi: Nō enim
poſt Crucem, & cruciatus, hoc honore, vt
Deus dignus effectus eſt, ſed vt homo acce-
pit, quod vt Deus habebat. Neq; enim cum
Phil. 2. humilis eſſet, ſublimis effectus eſt, ſed cum
ſublimis eſſet, cumq; in forma Dei eſſet, hu-
miliauit ſemetipſum formā ſerui accipiens.
Ioan 1. Idcirco & Euāgeliſta exclamat: Vnigenitus
filius, qui eſt in ſinu patris, ipſe enarrauit. Et
Ioan 14. ipſe Dominus inquit: Ego in patre, & pater
Ioan 17. in me eſt, & alibi: Clarifica me tu pater cla-
ritate, quam habui priuſquā mūdus fieret:
Sede à dextris meis, poteſt intelligi duplici-
ter, vel ſecundum diuinitatem, quā accepit
communem patri; vel ſecundū humanitatē,
quæ per victoriam mortis exaltari meruit
ad *dexterā* patris in excelſis, hoc eſt ad om-
nem gloriam, & dignitatē, quæ potuit crea-
Epheſ. 1. turæ communicari. Quia ipſum dedit caput
ſuper omnē Eccleſiam, excelſum ſuper om-
nem principatum, & poteſtatem, atque om-
nia pedibus ſuis ſubiecit. Hinc quiq; in ſpe
filiorum Dei gloriamur, confidamus audire
aliquādo, *ſede à dextris meis*, quia quos ge-
nuit pater ille cæleſtis per lauacrū regene-
Tit. 3. rationis, & renouationis ſpiritus, quē effu-
dit in nos abundè, complacuit ad regnū filij
aſſumere, & donare throno, qualis in vniuer-
ſis Regnis mūdi inferioris nō reperitur: Præ-
dicat enim Paulus: Quod ſi filij, & hæredes; *Rom.* 8.
clamat, & Vates: Cum dederit delictis ſuis
ſomnum filij merces fructus ventris; quin- *Pſal.* 126.
imo filius naturalis, qui ex vtero ante Luci-
ferum prodijt teſtatur: Qui vicerit dabo ei
ſedere mecum in throno meo: Sicut, & ego *Apoc.* 3.
vici, & ſedi cum patre meo in throno eius.
Ergo vincamus, & ſedebimus, & conregna-
bimus.

*Donec ponam inimicos tuos ſcabellū pedū
tuorum.* Hæc verba nihil ad ea, quæ intendit
argumentatio concludere videntur facere,
quandoquidē ex his diuinitas, vt ex primis,
non infertur: verum tamen terrorē audien-
tibus concutiunt, quo facilius duri animi
perſuadeantur. Nam ipſi erant omninò ini-
mici (inquit Theophyl.) quos poſuit Deus *Theoph.*
pater *ſcabellum pedum* Chriſti. Iuxtà illud:
Deus, qui das vindictas mihi, & ſubdis po- *Pſal* 17.
pulos ſub me, liberator meus de inimicis
meis iracundis. Et ab inſurgentibus in me
exaltabis me; inimici defecerunt frameæ in *Pſal* 9.
finem, & ciuitates eorum deſtruxiſti. Perijt
memoria eorū cū ſonitu. Hi ſunt terra, quæ *Tren.* 8.
aduocata Dei verbū audire, viſa eſt *ſcabel-
lum pedum* Domini, cuius non recordatur.
Etenim inimici potiſſimum, ſecundū Theo- *Theodoret.*
doret. eſt diabolus, & huius miniſtri dæ-
mones, & qui ſuis diuinis præconijs reſiſtūt,
nimirum Iudæi, & Græci. Hos, inquit (ſcribit
Ioan. Bap. Foleng.) tàm tibi ſubiectos faciā, *Ioan. Folen.*
vt illos non ſecus, quā ſolet *ſcabellum*, con-
culcare queas pedibus, illos tibi penitus
ſubſternam. Sed quomodo ponit Deus ini-
micos Chriſti *ſcabellum*? vel per miſericor-
diam cum peccatores conuertit ad cor, &
legi Chriſti ſubijcit, atq; fidei, vt qui olim
nomen illius blaſphemabant, compellantur
iugiter inuocare, & lingere terrā, ac puluerē
pedum eius; hos enim, qui toto corde à ma-
lo reuocantur, & conuertuntur ad bonum, &
Origen. ſup. Matt. hom. 22. & Eucherius for- *Orig.*
ma ſpir. 8. atque alij Chriſti *ſcabellum* ce- *Eucher.*
lebrant; quod ego aureum illud à Salomone
in ſuo ſolio fabrefactū dicerē. Vel per iræ fu-
rorē, atq; rigorem iuſtitiæ punitiuæ Dei, alij
inimici fiūt *ſcabellū* Chriſti, quādo damna-
ti homines, & Angeli Apoſtatici ſententiæ
Chriſti iudicis ſubiungātur, quod erit in fi-
ne ſæculi. Caeterū quando pater dedit omnē *Ioan.* 5.
iudiciū filio, ac poteſtatē in cęlo, & in terra;
veneritq; ipſe, vt vitā habeāt, & abundātius
ſaluare: quomodo pater inimicos ſubijcit, &
non filius? Reſpondet idem vnica ſententia:
Et pater meus vſque modo operatur, & ego *Ibid.*
operor. Operatur Chriſtus homo, vt me-
diator, Deus, vt auctor, auctori autem
primo, atque agenti principali, qui aliunde
in operando non pendet, ſolet actio potiſſi-
mum imputari; etiā quod à patre ſubijcian-
tur inimici (ait Zachar. Chryſopol.) ſiue vo- *Zachar.*
len-

lentes,ſiue nolentes, non infirmitatem filij, ſed vnitatem naturæ, qua in altero alter operatur, ſignificat. Nam & filius inimicos ſubijcit patri, quia patrem clarificat ſuper terrã. Ecquid de aduerbio, *donec*, quod apud nos tempus præfinitum dicitur? Nunquid

Dan.4.

ſeſſio Chriſti erit temporalis? Abſit, & poteſtas eius poteſtas ſempiterna; & Regni eius non erit finis. Optimè ergo Gloſſ. interl. ſuper *donec*, gloſſat *æternum*.

Gloſſ.

Quare ſecundum Ioan. Bapt. Foleng. in huiuſmodi locutionibus, animaduertenda eſt ſermonis hebraici proprietas, qui nonnunquam, quod ad terminatum refertur tempus ad interminatũ refert, vt in *donec* videre licet, quod Latinis diffinitum ſignat tempus cui indeffinitum eſt, vt ſit ſenſus, tunc magis Chriſtum regnaturum, cum pater hoſtes filij pedibus tanquam *ſcabellum* calcandos præbuerit.

Ioan. Folin.

Ad huuc ferè modum de coruo ex arca emiſſio legimus, qui egrediebatur, & non reuertebatur *donec* ſiccarentur aquæ ſuper terram: nunquã tamen reuerſus eſt, licet aquæ exaruerint è terra. Quid illud? Et non cognouit eam *donec* peperit filium ſuum primogenitum.

Gen. 8.

Sacrarum igitur Litterarum eſt idioma (concludit Theodoretus) ſic enim & vatem, inquit, Deus: Ego ſum, ego ſum, & donec ſenio confecti eritis, ego ſum. Patet quippe ſubſtantiam Dei minimè ſimul cum hominum ſenectute terminari. Adhuc dicito, *donec*, ſi iuxtà vim hebraici vocabuli interpretari debeat ſtare pro ſuper, iuxtà, vt adhuc. Hæc enim ſignificat עד had, quæ in Hebræo textu ponitur: Ex quibus facilior expoſitio colligitur, & dilucidior, videlicet: Fili *ſede à dextris meis*, & ſuper hoc inimicos tibi proſternam. Vel fili mox accipe dexteræ ſeſsionem, nam iuxtà hoc, donum aliud præbeo, vtpotè ſubiectionem cunctorum; vel tertio, lætus ò fili fruere dexteræ, adhuc enim te alius honor expectat, omnes, inquam, voluntati, ac pedibus tibi ſubijciam, quod ipſe, cum accepero tempus, præſtabo.

Theodoret.

CAPVT XXXVII.

Ipſe ergo Dauid dicit eum Dominum: & vnde eſt filius eius?

Expoſitio.

INfert, quod ſtatuerat. *Ipſe ergo*, qui ſpiritu Dei afflatus mentiri non poterat, *Dauid*, inquam, *dicit* ore proprio, quem ex ſe naſciturum præuidit, eundem appellat *Dominum*, vt ſuperiorem tùm natura, tùm Regno ſplendidiorem; quod ſi hoc negari vlla tergiuerſatione non poteſt, *vnde eſt*, dicito, ò Scribæ, qui contractatis Scripturas; quod *filius eius* ſit appellatus, & habitus. Atqui ſuperior Dauid, ac Dominus ſolus eſt Deus. Ergo quem agnoſcit filium adorat, & confitetur Deum, & proponit vobis, vt non purum hominem, ſed Deum credatis Chriſtum eſſe.

Ipſe ergo Dauid. Repetit *Dauid* patris nomen, non ſolum, quod ſibi amabilis, & dilectus eſſet vir, qui iuxtà cor Dei erat, & pater, quem filius ſapiens lætificat, & honorat; verum etiam quod nomine ipſo mira eiuſdem myſteria in memoriam reuocarentur. Nam dilectus ex dilecto Chriſtus, in Regem vnctus à pueritia, & ab vtero præ participibus, vincit, vt ille, Goliam alterum, vtpotè mundum, eiuſque principem eiecit. Non coram Abimelech vultu mutato adiudicatus eſt ſtultus, ſed Iudæis quidem eſt ſcandalum, Græcis autem ſtultitia. Non ex Bethſabe alterius coniuge filium procreat, ſed ex gente, quæ diabolo nupſerat, Eccleſiam format; ſeruauit ille Ægiptiũ, & hic peccatorem redimit; perſecutionem ille paſſus, & hic talẽ aduerſus ſemetipſum ſuſtinuit cõtradictionem; ille ſeneſcens non alijs, quam adoleſcentula calefieri potuit; nec iſte acquieſcit ſacrificijs antiquis, nec Synagoga delectatur, ſed noua gente, ac nouo cultu recreatur. Denique Saul depoſito in Regno ſuccedit filius Iſai, & hic noſter filius æterni Patris reprobata idolatria, quæ mundum occuparat, ſolus regnat Rex pacificus.

Cõparatio, ſeu aſsimilatio Chriſti ad Dauid in quibuſdam.

Sic Hieron. ſuper Iſai. 22. Auguſtinus ad Dulcetium q. 8. lib. 22. contra Fauſtum c. 27. Gregor. lib. 3. mor. c. 29. Ruper. in 1. & 3. Reg. ſymbolicum Dauid cum noſtro verò coniungunt.

Hieron.
Auguſt.
Greg.

Dicit eum Dominũ. Anthonomaſticè, inquam, vt eum vniuerſorũ *Dominum*, omnis terræ Regem, atq; virtutũ, & terribilẽ ſuper omnes pariter profiteretur; profitens verò ſic iam vocandũ, *Dominus* victor noſter poſteris inſinuaret, & hortaretur illũ cognoſcere, quia nomen ei *Dominus*; laudare quoniam bonus; cõtemplari, quoniam ſuper ſolium excelſum; inuocare, quia quaſi vir pugnator; adorare, quia ipſe fecit nos; & iugiter deprecari, quia iudex noſter, Dominus legifer noſter, & ſaluator.

Et vnde eſt filius eius? Fortène *filius* per naturam, & per tyrannidẽ Dominus eſt. De Saturno, & Ioue fabulatur gẽtilitas, & inter noſtros indiſciplinatos paſsim contingit, & contendit Abſalon? Minimè; factus eſt enim Chriſtus ex ſemine Dauid ſecundũ carnẽ, & natus, vt cãtatur in Martyrologio Romano, anno à creatione mundi quinquies milleſimo centeſimo nonageſimo primo. A diluuio bis milleſimo nongenteſimo quinquageſimo ſeptimo. A natiuitate Abrahæ bis milleſimo quintodecimo, à Moyſe, & egreſſu populi Iſrael de Ægypto, milleſimo quingenteſimo decimo; ab vnctione Dauid in Regem, milleſimo trigeſimo ſecundo. Quare nulla vi coactus Dauid potuit Chriſtum *filium* Dominum vocitare,

Martyrol. Romanum.

ſed ſponte, ac liberè ſic appellauit, quod & altiorem naturam, vtpote diuinam, & ſublimiora, quàm vllo alio dona contemplaretur in filio, quem ſibi poſt ſe naſciturum Deus repromiſerat. Eodem argumento vtitur Cyrillus Alexandrinus contra Neſtoriū, qui in Chriſti diuinitate errabat. lib. de fide in Chriſtum ad Reginas: Audis, inquit, quo pacto Chriſtus, tameſi, inquit, ex ſemine David ſecundum carnem originem trahat, hoc loco Deum, & *filium*, & *Dominum* ſecundum naturam ſe eſſe oſtendat. Sed dicunt illi: Si Dauidis filius eſt, cur Dauid Dominum illum appellat? Neque ortum hic ex Dauidis ſemine refutat: neque ſeipſum ſecundum naturam *Dominum* eſſe negat. Verum licet vnum ex vtroque filium conſtare ſignificatum velit: vtrumque tamen verè adeſſe demonſtrat. Vnus itaque eſt Chriſtus, & verus filius.

Cyrillus.

Et multa turba eum libenter audiuit. Vt quæ ſimpliciter ambularet, rectiſque oculis Chriſtum inſpiceret: Qui enim iſthæc duo habuerit, nunquam faſtidiet audire prædicantem, ſed continuò dicet: Loquere, quia audit ſeruus tuus. Quod ſi ſuperbus fuerit, & duplex, neque Chriſtum audiet, neque admittet, quem ad eum Chriſtus deſtinabit, ſicut nec Phariſæi, Scribæ, ac cæteri Iudæorum maiores præ arrogantia liberè vnquam aures Chriſto præbuere, vt implerent menſuram patrum ſuorum, qui dixerunt videntibus, nolite videre; & non audiemus, ijs, qui in aure, & ad cor loquebantur eis.

CAPVT XXXVIII.

Et dicebat eis in doctrina ſua, cauete à Scribis, qui volunt in ſtolis ambulare, & ſalutari in foro.

Expoſitio.

IGitur euidens animi promptitudinem turbæ, quamquã libenter verba eius audiret, finem dicendi haud facit, ſed orationem prolongat, vt beneuolentiæ auditorij ſatisfaciat. *Et* ideò à ſe procul actis impetitoribus, *dicebat* amantiſſimè *eis*, qui audire ſalutis monita affectabant; hos quidem non in alienis, & peregrinis ſcientijs, ſed *in doctrina ſua*, quæ ſupra ſolem, & aſtra lucet, alloquitur: *Cauete* (inquit) ò gentes, quæ ſecundum oculorum viſum ſoletis facilè decipi; *cauete* dico *à Scribis, qui* in cunctis, quæ agunt, illudunt hominibus. *Volunt* enim *in ſtolis* pompoſis *ambulare*, vt in veſtium magnificentia ſe viros alioqui graues oſtendant; *ſalutare* quoque *in foro* à prætereuntibus amant, quaſi patres Reipublicæ, ac ſaluris omnium cuſtodes.

Et dicebat eis. Turbis, inquam, quæ libenter audiebant; ſimilibus enim loquitur continuò, & annuntiat bonum, vt proficiant. Neque enim natura denegat conceptui iugiter miniſtrare pabulum; neque cælum retrahit influxus à naſcentibus in terra, quæ cœperunt germinare, quin & ijs ſolicitus eſt naturæ auctor. Rexque cæli Chriſtus, in eos, qui mente conceperunt, aliquem ſalutis ſpiritum impertire; adiuuat enim nedum ſecretis monitionibus, & influxis, vt ad perfectum ducat; ſed apertè loquitur ſæpius per Angelum, vt ad Cornelium; & per ſimiles mortales, vt Eunuchum Reginæ Candacis, ne valeant à cœpto itinere deterreri, ac retrahi, ſed accepta cæleſtium cognitione perambulare terram in longitudine, & latitudine, quam ſibi promiſſam nouit poſt vitæ finem. Hoc eſt contemplari gloriam, quam ſperat.

Deus audientibus loquitur.

Gen. 13.

In doctrina ſua. Quid ſua? An non dixit, *doctrina* mea non eſt mea? Eſt quidem Patris, qui loquitur; & eſt Chriſti, per quem euulgatur. In hac igitur *doctrina* dicit verus magiſter ijs, qui ſunt eius; vt aperiat ſenſum ad intelligendum abſcondita à conſtitutione mundi; vt iuſtificet eos, & gratiam conferat; demumque vt vniuerſos doctos, ac docibiles Domino efficiat, eruditos omni ſapientia, cautos ſcientia, & doctos diſciplina, & qui poſſint ſtare in palatio Regis Regum, & in eo, vt ſtellæ in perpetuas æternitates lucere. Sapientia enim doctrinæ ſecundum nomen eſt eius, & non eſt multis manifeſta, quibus autem cognita eſt, permanet vſque ad conſpectum Dei.

Iſai. 54.
Dan. 1.
Eccl. 6.

Cauete à Scribis: Non dicit, *cauete* à doctrina Scribarum, memor præcepti: Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi, quæcumque dixerint vobis ſeruate, & facite, ſecundum autem opera eorum nolite facere. Ac propterea mox à Scribis, hoc eſt, à familiaritate, & conuerſatione eorum, ne cum peruerſis peruertereutur, *cauere* iubet. Etenim audire prædicantem, qui recta loquitur, vt Philomæna aurem, ædificat animum, & quantumuis, vt Eſopus corpore, ille moribus diſformis ſit, non nocebit; ſecus autem, ſi longam cum eo conſuetudinem ſimplex contrahat. Ergo cum audace non eas in via, ne fortè grauet mala ſua in te; ipſe enim ſecundum voluntatem ſuam vadit, & ſimul cum ſtultitia illius peries; niſi caueris cum eo, qui dixit: Non ſedi cum conſilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo.

Matt. 23.
Eccl. 8.
Pſal. 25.

Qui volunt in ſtolis ambulare. Siue [illegible]. Hoc eſt, ab inducendo veſtimenti genus eſt, quod præ amplitudine eius, & longitudine duci videtur potius cum onere, quam indui. Quod Valer. Max. lib. 2. vocat matronale decus; quo viros indui probrum erat, iuxta Vlpianum l. veſtis. ff. de auro, & argẽto, leg. Muliebria ſunt, quæ matriſfamilias cauſa parata ſunt, quibus vir non facilè vti poteſt ſine vituperatione, veluti

Quid ſit ſtola?
Val. Max.
Vlpianus.

luti

Digitized by Google

luti ſtolæ, pallia, tunicæ, &c. Vtcunque ex *Apul.* Apuleio lib. vlt. Metam colligimus apud Gentiles fuiſſe ſacerdotibus commune indumentum. Proceſſit, inquit, duodecim ſacratus ſtolis. Apud Hebræos Pontificis or- *Ioſeph.* namentum extitiſſe deponit Ioſephus lib. 18 antiq. cap. 6. Romani, inquit, ſimul & pontificiæ ſtolæ poteſtatem nacti ſunt, in cella ad hoc ipſum ſtructa repoſitæ, & obſignatæ ſigillo Pontificum, atque cuſtodum ſacri erarij, Præfecto caſtelli accendente ibi lucernam quoditie. Hanc ſeptimo ante feſtum die Præfectus exhibebat Pontifici, qua purificata indutus ſacrorum tempore, ſoquẽti die rurſum eam reponebat in cellam, vbi antea condita fuerat, id fiebat ſingulis *Vitell.* annis ter ieiunij tempore. Vitellius autem in noſtrorum ſacerdotum poteſtate eam ſtolam tradit, volens ſecurum eſſe præfectum, quonam illa reponatur, aut quomodo proferatur in vſum Pontificum. Hæc ille. Quem nomine ſtolæ veſtimenta peculiaria Pontificis, vtpote tunicam hyacinthinam, quæ dicitur poderis; Ephot, ad modum colobij, & ſuperhumeralis græci; logion ſiue rationale dictum, & cydarim quæ à noſtris vocitatur ryara, putarim comprehendere; tametſi duo priora ſtolæ rationem videbantur habere. Verum de ea nihil in præſenti; ſed de his, quæ Scribæ, Phariſæi, & id generis homines ad fauſtum, & arrogantiam potius, quàm ad naturæ neceſſitatem, & honeſtatem vtebantur. *Fugienda veſtimentorũ mollicies.* In his enim priuatis veſtibus ambitionem Chriſtus inſimulat; vt eam qui Scribis ſucceſſere Theologi, & reliqui ſacrati homines, eum difugiamus. Nam fæminarum eſt in veſtitu gloriari; & aues, ac beſtiæ ſunt, quem collorum pulchritudine, & mollitie tegumentorum, ornatum, diſtinctionem, & felicitatem videntur reponere; homines autem ſanæ mentis decorem indumenti virtutem putant, & ſanctitudinem dicunt telarem tunicã & polymitam; quam non Iacob, ſed Chriſtus fecit nobis, portauit ipſe, iuſſitque exuto vetere indumento, ſuperueſtiri. Nam vnica eſt, quæ Regis filiæ gloriam parit; eamque vt candor rubicatus roſam inter ſpinas, diſtinguit inter cæteros, qui ingreſcunt in Taphinis, vileſcuntque tanta veſtimentorom mollitie. Sunt enim hi in domibus regum, hoc eſt, ſuperborum, qui apud Deum habentur nihilo; illi autem inter Dei filios iam nunc computantur.

Et ſalutari in foro. Et quidem iuſtum eſt ſalutari, ac nedum in foro, ſed vbique *S. Franc.* eos, qui nobis, vt inquit Seraphicus Franciſcus in Regula, miniſtrant nobis ſpiritum & vitam; vel iuxtà Paulum ſeminant ſpiritualia, honorari modis omnibus, ac vt parentes glorioſos laudari, & impenſe diligi omnes maiores, & ijs obediri. Quia ſic eſt voluntas Dei, deponit Petrus, vt benefaciẽtes obmuteſcere faciatis imprudentium hominum ignorantiam. Quorſum ergo nunc datur vitio Scribas velle *in foro ſalutari*? Quoniam illud affectabant ex animo, & ad hanc iactantiam, tum veſtium, tum ſalutationum omne miniſterium dirigebãt. Neque enim propter Deum talem ſpetiem præſegerunt (ait Victor Antiochenus) ſed *Vict. Ant.* propter priuatum queſtum: Nempe vt vulgo habeantur pij, Religioſique viri, inutiliſque honoris præmij apud homines ferãt: Sunt enim omnia hæc idonea ſuperbæ cuiuſdam oſtentarionis inſtrumenta, Ea propter gloſſ. interl. habet voluntatem arguit, *Gloſſ.* non gradum. Gradu enim honoris digni ſunt miniſtri Dei, in hoc ipſum ſeruientes; ad ſolum tamen honorem, & externum apparatum ſpirare, & ambire gloriam hominum, quæ foris eſt, inuentum eſt Luciferi, *Vana gloria damnanda.* qui operimentum ſuum lapides poſuit, & in delitijs ambulauit, hoc eſt, exarſit amore concupiſcentiæ, quo compulſus in his honorem poſuit, quæ velut lapidum veſtimentum infrigidant, grauant, demumquè in profundum demittunt. Ergo qui gloriatur in Domino glorietur, & qui in ho- *1. Cor. 1.* nore eſt, & ſalutatur ab hominibus, dicat non nobis Domine non nobis, ſed nomini *Pſal. 113.* tuo da gloriam. Sic enim & qui tribuit honorem, & qui recipit, quod ſuum eſt, facient.

CAPVT XXXIX.

Et in primis cathedris ſedere in Synogogis, & primos diſcubitus in cœnis.

ET hoc quoque (ait Chriſtus) eſt fami- *Expoſitio.* liare Scribis, qui gloriam hominum quærunt, & videri ab hominibus, quod vocati ad communem lætitiam, nunquam infimum locum eligant, ſed vt ad triclinium introierint, *in primis* reſideant *cathedris*; ſimiliter *ſedere* primi *in Synagogis* contendunt, *Et* quod admirationem auget, ſeu potius ſuperbiam, & inuerecundiam hominum eſt, *primos diſcubitus in cœnis* omnibus amare, & petulanter quærere primas omnis conuiuij, qui ab epulis ſuperfluis, iubentur abſtinere, neque conuiuia frequentare.

Et in primis cathedris. Cathedra honoris, & magiſterij eſt ornamentum, & ſignum; vnde *prima cathedra*, honores primos ſignificant. Quare his non tàm ſedilia intelligerem, quàm reliqua, quæ honoris cauſa ſolent in cœtibus fieri, iuxtà variam conditionem hominum, qui vel in Eccleſia, vel in ſenatu, vel in priuatis domibus ad commune gaudium ſuſcipiendum aduocantur. His quidem incolis ſolent Reges, & qui eorum locum tenent, ac Reipublicæ totius

honorari

honorari ſolijs magnificis, auro & pānis precioſis; fercula ſummi pretij ad ſimiles primo deferuntur, obſeruiuntque patinis, ac poculis aureis, & ſuppellectili gemmata. Etſi ad concilium venerint ab eiſdem primo exquiruntur vota. Huiuſmodi honores, ego *cathedras primas* intelligo, in quibus ne dum Scribæ, ſed plerique noſtrorum ſedere ante omnes volunt, & æquiparari in ſolio cum Rege; in apparatu domus cum Principe ſæculari; & in ſententijs proferendis initiare; ac minus malum ſi ſatbene, quod raro contingit, & ſi quando, alieno tamen auxilio potentes.

Sedere in Synagogis. Eo enim ſolitum erat per omne ſabbathum Iudæos conuenire, audire lectionem Prophetarum, & adhortationes ad bonum, quas nunc vnus, nunc alius, pro vt facultas cuique ſuppetebat, ad plebem conuocatam. Vnde colligitur à Paulo in Chriſti Eccleſia introductum id quod Chriſtus fecit Luc. 4. & Paulus eandem conſuetudinem in Eccleſia introduxit. 1. Cor. 14. vbi Ambr. Hæc traditio Synagogæ eſt, quam nos vult ſectari, quia chriſtianis quidem ſcribit, ſed ex gentibus factis non ex Iudæis, vt ſedentes diſputent ſeniores dignitate in cathedris, ſequentes in ſubſellijs, nouiſſimi in pauimento ſuper mattas. Huius Conuentus veſtigia remanſiſſe tempore Chriſo. idem affirmat ibidem; aliqua vero ex parte renouatum videmus, Romę in Eccleſia, quæ dicitur Noua, à preſbyteris reformatis, quorum aliqui ſingulis diebus ter, aut quatuor alternatim ad populum perorant. Quinimo ſeruatum ſemper, quoad interpretationem ſcripturarum, & ſacræ lectionis ex traditione, & ſtatutis patrum, dicere neceſſe eſt; ita vt non ſolum eo in templis conuentus fieri conſueuiſſe dicamus cum Hæreticis, qui Eccleſias ſolum ad miniſterium verbi erigi, & ſuſtineri volunt; ſed etiam ad cultum Dei ſedulo peragendum, pſallendum, orandum, & ad ſacramentorum adminiſtrationem. Nam Paulus de Conuentu, qui fit ad ſuſceptionem ſacramenti aperte meminit. Et de eo Ignatius ad epheſ. epiſt. 14. Date itaque operam, vt crebrius congregemini ad Euchariſtiam, & gloriam Dei. Vnde de Marcella in eius epitaphio Hier. ſcribit. Apoſtolorum, & martyrum baſilicas, ſacratis celebrabat orationibus. Prætereo Clementem, qui ad orandum hortatur fideles ter quotidie in templo conuenire: necnon Cyprianum, Auguſtinum, & Antiquiores, Dionyſium 3. c. cęl. Hier. Iren. lib. 4. cap. 20. ac reliquos tam primi, quàm poſtremi ſæculi, qui Conuentuum, quos orthodoxi, & religioſi faciunt, in templis meminere.

Luc. 4
1. Cor. 14
Ambr.
Conuentus in Eccleſia fieri antiqua eſt cõſuetudo.
Ign.
Hier.
Clem.
Cypr.
Aug.
Dion.
Iren.

Et primos diſcubitus in cœnis. In his enim non ſedebant ſuper cathedras Iudæi, ſicut nec olim Romani, vt Ciacconus in de modo conuiuandi apud priſcos Romanos tradit, etiam apud Aſſyrios; qui in conuiuio Aſſueri, ſuper lectulos, qui erant aurei, & argentei, ſuper pauimentum ſmaragdino, & pario lapide ſtrarū diſpoſiti, accubuere. De accubitu Iudæorum antiquiſſimo, tum Samuelis, qui ad triclinium vocauit Saulem; tum Tobiæ hiſtoria nos reddit certiores. Cum feciſſet, inquit textus, conuiuium contribulibus ſuis, cum accubuiſſet, & de Iudæo, quod occiſus in platea iaceret, nuncium accepiſſet, ſtatim exiliens de accubitu ſuo, relinquens prandium, ieiunus venit ad corpus. Cæterum quod hi accubāt, Mahumetani cibaturi ſe ad terrā proſtrent; nos vero chriſtiani ſedeamus proprijs ſedilibus, non vacat myſterio, quod mox occurrit: Videlicet nos quod temperariores eſſe oporteat in oblectamentis ſenſus; ſimuſque cælo propinquiores, altioremque inter omnes teneamus ſtatum, ſedilibus vtimur; qui verò de terra omnino ſunt Mahometani, & properant ad infernum ſolo hærent. Inde vero tantiſper eleuantur Hebręi, quod cognitione excellant paganos; nemo tamen ad eam peruenit, vt vel hebraiſmum conſeruans, vel paganiſmum retinens dignus ſit ſedere in cœnis, neque dominicam illam manducare, neque ad aliam intrare, quæ ſuperabundant omni gaudio.

Priſca conſuetudo accũbendi menſis
Eſter. 1.
1. Reg. 9.
Tob. 2.

CAPVT XL.

Qui deuorant domos viduarum, ſub obtentu prolixæ orationis, hi accipient prolixius iudicium.

NEc his contenti faſtigijs, rapinas hypocriſi meditantur. Nam *qui*, inquit Chriſtus, refugiũ miſerorum eſſe deberent, & conſolatores afflictorum, *deuorant* in exquiſitis ſuperſtitionibus *domos viduarum*, atque denudant miſeras, & afflictas; dum enim ſe illis deuotos ſimulant, cor rapiunt; poſt *ſub obtentu prolixæ orationis*, quam Deo pro earum indigentijs ſe effudiſſe iactitant, videnturque nonnunquam facere, nunc ingentem pecuniam, & aliquando variam ſuppellectilem, & annonam ab illis recipiunt, & extorquent. Ecquid demum impoſtoribus, & ſacrilegis? Impuniti forte abibunt? *Hi* profecto *accipient* à Deo inſpectore, & cunctorum vindice *prolixius iudicium*, quàm valeant ipſi excogitare.

Expoſitio.

Qui deuorant domos viduarum. Harum peculiarem Deus curam habuit, eis miſertus eſt Chriſtus, & Apoſtoli miniſtrarunt, præceperunt lib. 4. cõſt. Apoſt. cap. 1. ſubueniri ab Epiſcopis de ſumptibus Eccleſiæ, quod de ijs potiſſimum intelligitur, quæ ad miniſterium templi eligebantur, & conſecrabantur, vt lib. 3. apud eundē Clementem legimus.

Conſt. Apoſt.
Viduarum habēda cura

Digitized by Google

Conc. Cart. legimus. De quibus in Concil. Carthagan. 4. cap. 103. Viduæ, quæ de ſtipendio Eccleſiæ ſuſtentantur, tàm aſſiduæ in Dei opere eſſe debent, vt & meritis, & orationibus ſuis Eccleſiam adiuuent. Harum itaque, & aliarum & Epiſcopi 87. d. per totum. Necnon Reges, & Imperatores 23. d. quæſt. 3. ab Imperatoribus, & q. 5. Regum, curam habere debent. Sic tamen tractari debent à Clericis, & Religioſis, vt familiaritas non generet ſcandalum. Vnde in Concil. Affricano cap. 5. ſtatuitur: Clerici vel continentes, ad viduas, vel virgines, niſi ex iuſſu, vel promiſſu Epiſcoporum, aut presbyterorum non accedant. Et hoc non ſoli faciant, ſed cum conclericis, vel cum quibus Epiſcopus, aut presbyter iuſſerit. Id totum ſancitum eſt, ne in reprehenſionem præſentem incidamus. Siquidem liber ad viduas acceſſus, & ſi pius, nec accedentibus eſt vtilis ſemper, quin damnatus. Nam vel *deuorant domos* earum, vel animas vnà ſecum ad inferni rudentes trahunt, niſi diligenter cauerint ab omni auaritia, & luxu; ſtuduerintque ſpiritu Stephani repleri. *Conc. Affr.*

Sub obtentu prolixæ orationis. Vt enim deuotiores erant viduæ, *prolixiores orationes* amabant; ſimulatores autẽ, & callidi, vt maius præciũ exquirerent, multũ in profundẽdis precibus inſumebant; ita vt quæ plus donaret, ait Arias Mont. longiorẽ orationẽ mereretur. Hac in ſimulatione Scribarũ animum taxat Chriſtus, non prolixã orationẽ, quæ ſuis ornatur circunſtantijs. Quandoquidem & ipſe prolixius orauit; & hoc à nobis fieri oportere (quidquid oblatrent hæretici) in Euangelio ſubindicans Dominus dicit: Quis ex vobis habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, &c. Hoc autem exemplum (inquit Baſil. Mag. conſt. monaſt. cap. 2. idcirco nobis proponitur, à Domino vt in fide acres, ac pertinaces eſſe nos doceat. Exemplum enim ab homine ad alium hominem ſumit, vt intelligas nulla laboris fatigatione debere te à ſuſcepto propoſito deſiſtere, videlicet, quandocunque aliquid petieris, neque impetraueris tamdiu perſeueres, quoad impetres. *Arias Mõt.* Prolixa oratio commendatur. *Matth.* *Baſil.*

Hi accipient prolixius iudicium. Hoc eſt ſecundum Theophylactum grauiorem accipient damnationem, quam alij Iudæi peccantes, vel vt ait Gloſſ. interl. quam qui amant in angulis ſtantes orare. Hi enim non ſolum laudes hominum, verum etiam pecuniam quærunt. Hoc autem dicens, (ſubdit Victor Antiochenus) Apoſtolos admonet, ne Iudæorum doctores, hoc eſt Scribas, & Phariſæos æmulentur, vel admirentur; verum ad Domini ſui imitationem ſeſe totos potius componãt. Etenim cùm orbis terrarũ doctores, & magiſtri iam tum eſſent deſignati, oportebat vt optimæ politiæ viã, & rationem Chriſtus Dñs illis præfiniret. *Theoph.* *Gloſſ.* *Vict. Ant.*

CAPVT XXXXI.

Et ſedens Ieſus contra Gazophylacium aſpiciebat, quomodo turba iactaret æs in Gazophylacium, & multi diuites iactabant multa.

QVoniam durum iudicium fore hypocritis prædixerat, quærit occaſionem vt ſimplicitatis, ac pietatis viduæ præmiũ, & meritum demonſtret, id quod facit præferens viduam, quæ duo minuta in ſubſidiũ templi donauit, pluribus diuitibus, qui multa ad ærarium Eccleſiæ contulerant. *Et ſedens Ieſus* poſt longam cum importunis hominibus concertationem, potius ex aduerſo, ac *contra Gazophylacium*, in quo templi, & æditũm diuitiæ aſſeruabantur, *aſpiciebat* diligenter, *quomodo*, quauè mente, & animi pietate, *turba* promiſcuus ſexus, & ſtatus hominum ad templum introirent, & quaquiſq. munificentia *iactaret* ſuum *æs*, & pecuniam *in Gazophylacium* templi. Nec quidem defuerunt *multi diuites*, qui & deuoti, & liberales ſe oſtenderent; *iactabant* enim *multa*, quæ multis templi neceſſitatibus poterant occurrere, ac multos ſacrarũ ædium miniſtros ſuſtentare. Expoſitio.

Et ſedens Ieſus contra Gazophylacium. Seu γαζοφυλάκιον compoſitum à voce perſica Gaza, ideſt theſaurus, & Græca φυλάττω quod eſt cuſtodio; erat apud Iudæos locus, in quo reponebantur, eleemoſynæ, & oblationes, quæ vel ex voto, ſiue ab indigenis, ſiue alienigenis offerebantur in vſum templi, & miniſtrorum, necnon pauperum collectæ ibidem recludebantur. Quem hebræi vocant גנז Ganaz, hoc eſt, capſam theſaurorum: Hanc enim in ipſo templi introitu, quo tàm maribus, quàm fœminis licebat accedere, optimè firmatam habebant, & clauſam multiplici cera, ne ab vno, aut altero, ſed pluribus, quorum cura erat, conſentientibus, poſſet adoperari, vt ſolitum eſt apud nos, qui ab illis huiuſmodi arcas in introitu Eccleſiarum reponere, videmur accepiſſe. Meminit enim de hoc antiquiſſimo vſu Chryſoſtomus ſermo. de eleemoſ. & collat. Ac multo ante Cyprianus lib. de oper. & eleemoſ. Tertul. in apol. cap. 39. Iuſtinus Martyr, oratione ad Antoniũ Pium, Paulinus epiſt. 32. Poſſidonius in vita Aug. cap. 25. Tametſi non ſemper *Gazophylaciũ*, ſed quandoque Carbona, & Menſa; nonnunquam ſecretarium dicatur. Eſt tamen aduertendum duplex ex dictis patrum fuiſſe olim *Gazophylacium*, colligi, vnum de quo Poſidonius, in quem oblationes panis, & vini, ad Euchariſtiæ, & communionis vſum reponebantur, alterum, de quo priores patres, in quo recipiebantur pecuniæ, quibus *Chryſoſt.* *Cypr.* *Tertull.* *Iuſt.* *Paulin.* *Poſſidon.*

egenorum

egenorum neceſſitates Epiſcopus, & Rectores Eccleſiarum ſupplebant. Ego vtrumq. in pleriſque Eccleſijs, ruralibus tamen, quæ intra Pyrenæorum moutes aſſeruantur, antiquiſſimam, memini ſæpius vidiſſe. Verum panis & vini oblationes, quæ pro more gentis, & antiquiſſimæ traditionis, offeruntur ſingulis diebus dominicis, nihil ad Euchariſtiam, ſed in vſus miniſtrorum Eccleſiæ conſumuntur. Inde quid? Inuectio iu pleroſque, qui tantum abeſt, quod ex proprijs, vel laboribus, vt primi cœnobitæ, & archimandritæ; vel prouentibus, vt patres qui ab vnitate Conuentuales, & Clauſtrales, à perpetua fere clauſura dicebantur, pauperibus prouideant, vt ad hæc volentes in ſuis monaſterijs eiuſmodi Gazophylacia pouere, prohibeant, interdicant, & mirum immodum execrentur, qua vero iutentione ſileo; ne compellar in homines, qui ſub pietate pietatem oppugnant, & ſanctorum antiquitatem, grauius animaduertere. Interim cæteros hortabor couentur cum Chriſto, in ſuis Eccleſijs laudabilem couſuetudinem renouare. Placet enim Chriſto, qui miſericors eſt, ſed & modo *contra Gazophylacium*, & videre offerentiũ multitudinem, & oblationum delectatur. Multa quidem alia legimus in templo *Gazophylacia* repoſita, vt cantorum, & ſacerdotum excubantium in cuſtodijs templi, Aquilonis, & Auſtri, Ezech. 40. 42. Quod tamen erat in vſus pauperum diligentius iutuetur pater egenorum, & viduarum protector. Tum maximè, quod ſecundum Gloſſam ſuper Luc. 23. Eccleſiam, cui habentes dona ſpiritus adminiſtrant, ſignificet (Chriſtus autem dilexit Eccleſiam, & tradidit ſemetipſum pro ea) Cantorum *Gazophylacium*, ſecundum Gregorium hom. 22. in Oze. cor iuſti ſignificat, quod minus tota Eccleſia diligitur; etiam ſi nos illud fingamus peculiarem religioſorum ſtatum, qui pſallunt Domino. Excubantium in cuſtodijs *Gazophylacium* Epiſcoporuui eſt conuentus, & prædicatorum, ſed quid hi cum vniuerſo fidelium cætu? Quod eſt ad Aquilonem vnde malum panditur, militantes pro Eccleſia aduerſus hæreticos, & infideles ſubindicat; è contra quod ad Auſtrum vergit quieſceutes in pulchritudine pacis, & contemplatiuos repreſentat. Sed neque hi, neque illi maiores ſunt, aut meliores tota Eccleſia, quæ turbam magnam, quam dinumerare nemo poteſt, comprehendit, & dilatatur vſque ad Angelos, qui uobiſcum ſunt, & vident faciem patris, qui in cælis eſt. Hanc ergo ſedens in Gazophylacio coutemplatur perpeudẽs, quid quiſque in ea operetur, quidue ex talentis acceptis reſtituat, & quàm prompto animo ſe gratum oſtendat Deo, qui affluenter dedit.

Ezech. 40.

Gloſſ.
Epheſ. 5.
Greg.

Aſpiciebat, quomodo turba iactaret, æs in Gazophylacium. Turbam aſpicit non principes, quia Principes tui infideles ſocij furum. Ergo tametſi adeſſenr iactatores pecuniarum, non aſpicit: quia munus (inquit) non accipiam de manu veſtra. Hinc conſtitutio Apoſt. lib. 4. conſtit. apoſt. cap. 5. apud Clement. fluxit. Oportet vero (habet conſtit.) vt ſciat Epiſcopus à quibus oblatioues accipere debeat, & à quibus non debeat, ue Caupones dent; nou enim iuſtificabitur caupo à peccato, & recitatis alijs, in cap. ſequenti infertur. Prohibite igitur huiuſmodi miniſteria oblatiouum, quæ ſunt tanquam commutatio canis, & merces proſtibuli, vtrumq. enim legibus vetitum eſt: Nec euim Eliſæus dona ab Azaele allata accepit, nec Achias à Hierobuam. Quod etiam *æs* non pecunia, quæ ex ære formatur præſente Chriſto intuetur, myſterium tangit, & quidem ſublime; nam omnium opera à Chriſto formam habent pecuniæ, & valoris. Vt à nobis, velut æs informe ſunt, à Chriſti præſentia, quæ lucet in gratia, per quam operantur, & valorem præſtat in merito paſſionis, quod commnnicat in Sacramentorum perceptione. Igitur noſtra aſpicit, vt *æs*, ſed pro ſua miſericordia accipit, vt formatam pecuniam, quæ commutationibus deſeruit, pro qua & promittit, & dat regnum cælorum.

Mal. 1.

Conſt. Ap.

Caupones prohibentur ab oblatione

Opera noſtra à Chriſto habent formam.

Et multi diuites iactabant multa. Id exigente charitatis natura, quam terræ naſcentia, beſtiæ agri, ac maris, & quæ volitant apud nos nihil aliud prædicant, quàm ex *multa* ſubſtantia, multos fructus emittere, plures procreare fœtus; ſed in cælis, plus minuſuè luceut aſtra iuxtà lumen intenſius, vel remiſſius, quod recepere. His ergo perſuaſus Tobias, tum maxime agnitione Dei, qui ſummus cum ſit, infinita largitur, compulſus dixit filio: Si multũ tibi fuerit, abundanter tribue, ſi exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impartire, præmiũ enim bonum tibi theſaurizas in die neceſſitatis. Maguum igitur eſt; & pulchrum, ait Chryſoſtomus hom. 36. ad pop. Antiochen. & precioſum eleemoſyna: Donum eſt magnum, immo vero magnum bonum, ſi pecunias contemnere diſcamus, alia quoque diſcemus, & infra. Non extrinſecus cum fatuis manebit virginibus, ſed cum prudentibus ingredietur cum ſponſo, ardentes habens lampades, & in virginitate tabefactis, qui nec quidem illos guſtauit labores, erit melior. Tanta vis eſt eleemoſynæ, cum multa fiducia ſuos iutroducit alumnos: Eſt enim cæli nota ianitoribus, ſponſalis thalami fores obſeruantibus, quiu & venerabilis, & quos ſui cultores agnouerit, cum multa introducit libertate, & contradicet nemo, ſed omues cedent.

Tob. vlt.

Chryſoſt.

Eleemoſinæ virtus.

CAPVT.

CAPVT XLII.

Cum veniſſet autem vidua vna pauper, miſit duo minuta, quod eſt quadrans

Expoſitio.

DEmum poſt diuites, *cum* deuota mente *veniſſet* ad templum *vidua* famularum, & ancillarum deſtituta caterua, ſed ſola quippe vna, & *vnica* domi ac foris, eaque *pauper*, quæ vix ſuam poſſet vitam alere; ex ijs, quæ à victu proprio ſubtraxerat, *miſit* libentiſſimè *duo minuta* ſola, quæ tàm minimi prætij ſunt, vt, *quod eſt quadrans*, ea dixeris.

Cum veniſſet autem vidua. Venit iſta & ad templum, & ad Gazophylacium. Ad templum, vt viduitatem ſuam Deo conſecret, & denoueat iugiter: quia non poſſum eſſe continens niſi Deus det; venit & ad Gazophylacium, vt oblationẽ offerat Deo, & Dei miniſtris iuxtà poſſe opem ferat.

Eccl. 7

Quia ſcriptum eſt: In tota anima tua time Dominum, & ſacerdotes illius ſanctifica; in omni virtute tua dilige eum, qui te fecit, & miniſtros eius ne derelinquas: Honora Deum ex tota anima tua, & honorifica ſacerdotes, & propurga te cum brachijs. Da illis partem ſicut mandatum eſt tibi. Hoc ergo mandato deuota vidua obſtricta venit ad templum.

Honor ſacerdotum

Vna. Quod vni forte tantum viro nupſiſſet, vt Anna, & ante eam Iudith celebris: Nam quæ multis adhæret viris, non *vna* ſed multiplex dici poteſt, & debet, quandoquidem cum quo mulier coniungitur vnum corpus efficit. Multiplicatis ergo coniugibus, atque viris, videtur non *vnam* ſed multiplicem ſe facere; quod etſi ob periculum iuueni iterum nubere concedatur ab Apoſtolis, ob intemperantiæ ſignum malè apud eos ſonat vt ex Canone 4. & 47. De Trigamis (inquit) & poligamis ſimilem, atque de Digamis ſanximus. Etenim Digamos annua Eccleſiæ interdictione mulctant: alij biennio; Trigamos triennio, & ſæpenumero quadriennio. Vocant autem huiuſmodi non iam nuptias, ſed polygamiam. Hoc eſt multiplices nuptias, in quem locum ſic ſcribit Zonaras. Interdicitur ſcilicet multitudo nuptiarum ob honeſtatem, & decorem. Atque ita ſancitur pœna non ipſa trigamia, ſed intemperantia, & turpitudo ipſius hominis, exemplumque indecorum. Ob eandem cauſam Synodus Neocæſarienſis prohibet presbyteris can. 7 intereſſe conuiuio huiuſmodi nuptiarum; & Synodus Laodicenſis non ſtatim huiuſmodi coniuges ad communionem admittit. Sunt quidem coniuges, quicquid hæretizauerint aliqui; ſed ob ſignum intemperantiæ, quam multiplicans matrimonia manifeſtat olim puniebatur, & execrabatur nuptiarum multitudo. Abeunt enim tum à prima inſtitutione, quando vni tantum coniunxit Deus; & recedunt à ſignificato, quod repreſentant coniuges, videlicet vnionem Dei cum natura humana, & Chriſti cum Eccleſia ſignificare. Iuxtà illud Pauli: Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia. Igitur quæ ſe temperantem hac in parte gerit, vt iſta, forte mereretur dici *vna*, & vnica mulier fortis, quam laudent in portis opera eius, & vir eius & ſponſus, qui Chriſtus eſt aſpiciat, commendet, & beatificet.

De Trygamis & poligamis

Eorum antiquitus pœnę

Syn. Neoc. Laodic.

Ephes. 5.

Pauper. Paupertatem quidem ſequi. Viduas compertum eſt, vt rara ſit quæ vel egeſtate compreſſa, vel anguſtia cum animi triſtitia non dicat: Heu mulier vidua ego ſum; & non ſicut pullus hyrundinis clamitet. Nam qui eas intuentur libidinoſè aiunt: Non parcamus viduæ; qui ſedent pro tribunali cauſã viduæ non iudicant; quodq. grauius domeſtici humiliant viduas. Cæterum qui proſpector eſt omnium, firmos faciet terminos viduæ, ſi continere diſpoſuerit, ſi orationi vacauerit, & ſpem in Deo, qui ſaluat, & liberat, repoſuerit.

Miſit duo minuta. Hoc eſt optimæ viduæ oblatio, quam Deus ab ea exigit, extollit, & præmiat; videlicet ***duo minuta*** offerre, hoc eſt animam, & corpus ei deuouere, vt tantum cogitans quæ Domini ſunt ſæpius læto exclamet: Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum verum: etenim paſſer inuenit ſibi nidum, altaria tua Domine virtutum Rex meus, & Deus meus. Hæc eſt vera vidua apud Apoſtolum, & quæ apud Gregorium dat fructum ſexageſimum; immo vero cum Simeone mæretur videre lumen ad reuelationem gentium.

Duo minuta ſignant animam, & corpus.

Pſal 83.

Quod eſt quadrans. Hoc eſt quarta pars aſſis, quæ tres vncias conficit, quoties autẽ ſecundum Plin. de re numeraria ſermo eſt; quadrans æreus numulus eſt, qui & triunx, vel triuncis vocatur à tribus vncijs. Verum quàm aptè ad quadrantem reducatur oblatio viduæ, paucis proſequamur. Inprimis à figura, quæ firmior eſt omni alia, vtpote triangulo, ſeu quintangulo, & nobilitatem & firmitatem ſtatum vidualis colligamus. Præfertur enim matrimonio iuxtà decretum Synod. Trid. & patrum conſenſum: Vnde bonum eſt homini ſic eſſe; ſi tamen ſit quadrans eius oblatio: Hoc eſt, quatuor potiſſimum paſſiones, quæ cæterarum ac totius ſenſationis bonæ, vel malæ ſunt initia dicauerit Chriſto; amorem gaudium, triſtitiam & timorem. Inſuper tres vncias quæ ſub quadrante continẽtur, alterius, quã ſolius Dei eſſet, non permiſerit, videlicet, intellectum, memoriam, & voluntatem. Quanta autem, & quàm accepta eiuſmodi oblatio ſit, quàmque neceſſaria viduæ, cognoſcet qui eius ſingulas partes penetrabit;

Plin.

Statum vidualis prelatum matr.

bit;

bit; & qui ſimilem ſolitus fuerit oblationem facere, audacter dicet, viduam abſque his conſeruari non poſſe, quin vel in toto, vel in parte libellum repudij non accipiat à viro, qui Deus zelotes appellatur.

CAPVT XLIII.

Et conuocans diſcipulos ſuos, ait illis: Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus miſit, qui miſerunt in Gazophylacium.

Expoſitio.

PEractis itaque oblationibus omnium, *conuocans* ad ſe Chriſtus *diſcipulos ſuos*, qui etſi intereſſent, neque attendebant ad offerentes, nec videbãt, quid quiſq. offerret *ait illis* optans prodeſſe: *Amen*, & in veritate *dico vobis*, qui non obſeruatis ſingula, vt oporteret: *Quoniam* quæ mox pertranſit, *vidua hæc*, inquam, *pauper*, quæ nuper obtulit, *plus* eleemoſynæ *omnibus* diuitibus *miſit* eorum, *qui* hoc toto tempore *miſerunt* vt vidiſtis *in Gazophylacium* multam pecuniam.

Et conuocans diſcipulos ſuos. Vt hoc magiſtri facto, & circumſpectione diſcant ad ſingula mentem applicare, & aurum optimi documenti, ex obſcuro loco excauare, accepta intelligentia, quæ exacuat gladium mentis, vt penetret etiam actiones humanas, & ex eis quandoque ad profundum myſterium deducatur. Hanc tamen eruditionem nemo habet, qui ad Chriſtum non acceſſerit. Horum enim omnium habet ipſe intelligentiam, & communicat ſapientiam, quæ illuminat tenebras noſtras, vt poſſimus in omni facto, quod latet, intelligere. Omnibus enim mobilibus mobilior eſt ſapientia: attingit vbique propter ſuam munditiam, vt ſol, qui omnia peruadit.

Preſtantia ſapientiæ.

Ait illis. Qui conuocati acceſſera ne nam venire qui renuunt, & vnitatem cum Chriſto tenere, pro intelligentia hebetudinem, pro intellectu ignorantiam, pro agnitione neſcientiam reportant, demumq. confuſionem. Hic enim in plateis ciuitatis vindicabitur, & quaſi pullus equinus fugabitur: & vbi non ſperauit apprehendetur. Et erit Dedecus omnibus, eo quod non intellexerit timorem Domini: Namq. timor Domini eſt, qui vocatum facit accedere, accedentem conuenire, & conuenientem intelligentiam, & ſapientiam ad omnia accipere.

Eccl. 23.

Amen dico vobis. Hoc eſt, Apoſtolis, & diſcipulis; vt enim ijs datum eſt noſſe myſterium Regni Dei; ita æquum eſt dici, & reuelari, etiam quæque viam parant ad Regnum, & quid quiſque agat. Sunt enim Epiſcopi, quorum eſt peruigilare, quaſi rationem redditurí pro animabus.

Pœna proteruorum.

Quoniam vidua hæc pauper plus omnibus miſit. Plus, minuſuè mittere poteſt vel ex quantitate doni (vt ſi qui daret totam, & ingentem hereditatem ad opus pium) vel ex qualitate, vt qui eſurienti in extremis cibum, & alimentum porrigeret; vel ex intentione ſola, vt qui Deum ſolum intenderet dans, & offerens, & nullo modo præmium. Is plus omnibus dat, qui non fratri, ſed Deo, neque dat Deo amore concupiſcentiæ, ſed amicitiæ, vt proteſtetur in oblatione minima, vel maxima, quam bonus eſt Deus, quamque propter ſeipſum amandus, & colendus omnibus modis.

Oblatio pretioſior.

Qui miſerunt in Gazophylacium. Quod multi in Gazophylacium mitterent ex diuerſis mundi partibus, Iudæi diſperſi, vt meminit Ioſephus, ſic pauperibus prouidebatur Hieroſolymis, vt vix vllus penuriam extremam ſentiret. Id quod obſeruarunt Apoſtoli introducta collecta, quam Paulus refert. Vnde cum nihil haberent, non erat egens inter eos. Nunc quia refrigeſcente charitate pauci in Gazophylacium Eccleſiæ mittunt, neque interpellati à pauperibus in proprijs domibus, & in vicis atque plateis eleemoſynam dant diuites multi, proh dolor, fame pereunt in christiani maioribus orbis ciuitatibus, ſed vindicabit Dominus iniuriam, quæ fit hac in parte egenis, & furtum quod aduerſus eos committitur eleemoſyna defraudata.

Copia oblationis in populo Iudæorum.

CAPVT XLIV.

Omnes enim ex eo quod abundabat illis, miſerunt: Hæc vero de penuria ſua omnia, quæ habuit miſit totum victum ſuum.

Expoſitio.

LArgiorem multoque cęteris magnificentiorem extitiſſe viduam, facile hinc dignoſcitur: *Omnes enim* diuites, & ſi liberales in erogandis pecunijs viſi fuerint, nemo tamen illórum, vt daret ſtatum, nec in multitudine ſeruorum, nec in opulentia victus, & apparatu locuplete domus diminuit, ſed *ex eo quod abbundabat illis*, & ſuperabundabat ex lautiſſima totius familiæ prouiſione, *miſerunt* pecunias ad fiſcum Eccleſiæ. *Hæc vero* pauperirrima, cui nihil abundat; ſed ex lino, & lana per diũ, & per nox victum quæritat pautiſſimum, *de pecunia hac ſua*, quam de induſtria eo ſeruauit, *omnia quæ* penes ſe *habuit*, nihil ſibi reſeruans, *miſit* pro eleemoſyna egenorum *totum victum ſuum*, quod magno ſudore comparauerat,

Omnes enim ex eo, quod abundabat illis miſerunt. Et quidem ſic præceptum compleuerunt de eleemoſyna reddenda; nam

ad

ad communes pauperes, & neceſſitates communes, quæ non ſpectant ad extremum victum indigenorum, ſufficit de ſuperfluo diſtribuere. Et dico ſuperfluum, ait San-
S.Thom. ctus Thomas 2.2. quæſt. 32. art. 11. reſpectu ſui ipſius, quod eſt ſupra id, quod eſt neceſſarium indiuiduo, ſed etiam aliorum, quorum curæ ſibi incumbit. Quia prius oportet, quod vnuſquiſque ſibi prouideat, & ijs, quorum cura ei incumbit, & poſtea de reſiduo, aliorum neceſſitaribus ſubueniat, reſpectu quorum dicitur neceſſarium perſonæ, ſecundum quod perſona dignitatem importat. Sicut, & natura ptius accipit cibum ad ſuſtentationem proprij corporis, quod eſt neceſſarium miniſterio virtutis nutritiuæ: ſuperfluum autem erogat ad generationem alterius per virtutem genetatiuam.

Hac vero de penuria ſua, omn ia, qua habuit miſit, totum uictum ſuum. Id quod fuit illi opus ſupererogationis, non præcepti neceſſitate. Etenim dare de his, quæ ad victum ſpectant, nemo compellitur, niſi periclitante alterius vita. Tum enim Am-
Ambr. broſ. ſententia lib. offici. quæ habetur diſtinct. 86. cap. paſce. Si non pauiſti oc-
Baſil. cidiſti, locum habet. Vnde Baſilius ſermo. ad diuites auaros: Si fateris ea tibi diuinitus proueniſſe, ſcilicet temporalia bona, an iniuſtus eſt Deus inæqualiter res nobis diſtribuens? Cur tu abbundas, ille verò mendicat, niſi vt tu bonæ diſpenſationis merita conſequaris, ille vero patientiæ brauijs decoretur? Eſt panis famelici, quem tu tenes, nudi tunica, quam in conclaui conſeruas, diſcalceati calceus, qui penes te marceſcit, indigentis argentum, quod poſſides inhumatum. Quocirca tot iniuriatis, quot dare valens es & nõ das. Ergo ò mortales de ſuperfluo communibus pauperum neceſſitatibus ſubuenite, extremis autem, de neceſſarijs etiam, quæ ad ſtatum ſunt, & ad victum minus abundantem ſedulo ſubuenite, & ecce omnia munda ſunt vobis promittit veritas. quin Regnum: Dicet enim: Venite benedicti in Regnum Patris mei; eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare. Vtinam dignemini, qui habetis, tàm feliciſſimam audire vocem, & nos qui egemus pro Chriſto ſortem præclaram vobiſcum in perpetuum conſequamur, Amen.

Pulcra ſententia.

Matth. 25.

FINIS LIBRI DVODECIMI.

IN SACROSANCTVM CHRISTI EVANGELIVM SECVNDVM MARCVM

LIBER DECIMVSTERTIVS.

IN CAPVT DECIMVMTERTIVM PRAEFATIO.

ABSOLVTIS colloquijs, quæ Chriſtus in templo fieri diſpoſuerat, egreditur; ſed nec egreſſus ſinē dicnas ſecit, & adificandi omnes, quoties occaſio occurrerit. Quare ad Templi egregiam ſtructuram prouocatus inſpiciendam, euerſionem huiuſce fabricæ prædicit, ac totius orbis. Huius tamen ſinem, inquit, antecedent Pſeudochriſti, bellorum impetus, bonorum perſecutio, abominatio deſolationis ſtans in loco ſancto, quod malorum omnium erit incendium, & tanta hominum ruina, vt niſi propter electos dies abreuiarentur, non ſalua fieret omnis caro. Poſt hæc igitur erit iudicium, & aduentus filij hominis. Quem ex ſignis, vt æſtatem ex germinatione ficus, vult dignoſci, & certiſsimo fore, vt cælum & terra potius deſinant, quàm aliquid prædictorum impleri deſit. Sic tamen, vt horam, diemque nemo ſciat, præter auctorem. Ergo infert: Vigilate, vt ianitor, qui Domini aduentum ignorat: Id quod etiam omnibus dico, ne quis ſit dormiens in aduentu Domini. Itaque tria nobis tota narratio huiuſce capitis proponit. Euerſionem templi, finem ſæculi, & vigiliam omnium; vt neceſſarium his, qui omnia ſibi in bonum volunt cooperari.

CAPVT PRIMVM.

Et cum egrederetur de Templo, ait illi vnus ex Diſcipulis ſuis: Magiſter, aſpicis, quales lapides, et quales ſtructuræ?

Expoſitio. DIſpoſuit itaque veſpere appropinquāte relinquere Templum *cum* tamen *egrederetur* foras, & meditabundus ſic *de Templo* exiret, vt alios præcederet, cæteri fabricam ædiū mirari cœperunt. Præ admiratione igitur, *ait illi vnus*, qui inter alios *ex diſcipulis ſuis* familiarior videbatur. *Magiſter*, inquit, & tu forte *aſpicis*, & conſideras cum ſtupore, vt & nos *quales lapides?* quam ingentes, & compoſiti, *& quales ſtructuræ* tum in lapidibus, tum ex lapidibus perpulchæ appareant?

Et cum egrederetur de Templo. Quod Salomon in ſeptem annis & ſex menſibus de marmore candido, quod pariū dicitur ædificauit, reædificauit Zorobobel quadraginta, & ſex annis, quæ fluxerunt à prima licentia, quam dedit Cyrus, redeundi, & reædificandi Templum vſque ad ſeptimum annum Darij, quo conſumatum eſt, præter quod pedetentim Hieroſolymis, inquit Genebrard. lib. 2. chronicon, Synagogæ, ideſt domus orationis, & prædicationis, ad quas ſinguli παροικοι ſtatis temporibus conueniebant, ædificatæ ſunt per Herodem ad quadringentas & octoginta R. Manahem. Hæc illæ. An verò has ſolū, an totū templū veteri destructo Herodes reædificauerit vide infra, &c.

Quot annis templum primū ædificatū

Genebr.

Egreditur igitur Chriſtus *de Templo*, hoc eſt, ait Arias Mont. de atrijs Iſraelitarum, & fæminarum, & prophanorum, quæ omnia ab Herode fuerant megnificentiſſimè extructa pulcherrimis, & maximis lapidibus, magnoq. artificio, Hinc autem viſis oblationibus, & offerētibus egreditur, vt eam iam valere, & vnà cum Templo & ædituis, iuxtà Gloſſ. Bedæ finem accipere, facto demōſtraret; & impleri illud: Sacrificium & oblationem noluiſti, aures autem perfeciſti mihi: Tunc dixi: ecce venio, vt ſcilicet, veteribus demolitis, reædificentur præſtantiori lapide muri Hieruſalē, & fiant nouum templū magnæ gloriæ, & inſtituātur oblationes mundæ, de quibus ſcriptū eſt: Tunc acceptabis ſacrificium iuſtitiæ, oblationes, & holocauſta, tunc imponent ſuper altare tuum vitulos. Valebant quidem prima, ſed ad prætiū quadrantis, quod eſt minimum. Poſtquam vero Chriſtus dorſum vertit, nihil prorſus valent, niſi quæ ipſe veniens inſtituit. Quare egreſſo Chriſto, neceſſe eſt cunctos egredi, & legalibus vale dicere. Quia Chriſtus, inquit Paulus, hos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum. Itaque fratres mei & vos mortificati eſtis legi per corpus Chriſti, vt ſitis alterius,

Arias Mō.

Beda.

Pſal. 39.

Pſal. 50.

Sacrificia vetera valebāt donec renouata ſunt.

Gal. 3.

Rom. 6

terius, qui ex mortuis reſurrexerit, vt fru-
ctificemus Deo.

Ait illi vnus ex diſcipulis ſuis. Non ex-
teri,ſed Diſcipuli intarrogant egredientem
de Templo ſuper fabrica Templi, quod ijs
nouæ ædis reparatio committenda foret.
Et ſtructura habitationum ſpiritualium,
quæ omnes caperent, & recrearent iuxtà
illud: Et ædificabunt domos,& habirabunt,
Iſai. 65. & plantabunt vineas, & comedent fructus
earum. Non ædificabuut & alius habitabit,
non plantabunt, & alius comedet: vt
contingit ſcilicet in temporalibus:ſpiritua-
lia enim, qui operatur, ſiue manſionem in
cælo, ſiue meritum in terris ſibi poſſidet,&
fruitur in æternum. Vnde ſubditur. Secun-
dum enim dies ligni, erunt dies populi
mei, & opera manuum eorum inueterabunt
electi mei. Lignum vitæ, ac ſcientiæ boni
& mali Chriſtus eſt, iuxta cuius dies æter-
Labores electorum ſemper manent. nos populi, & electi Dei, qui cohæredes
regni eius aſſumentur, in æternum conre-
gnabunt. Quare inquit Vates: Non labo-
rabunt fruſtra, cum merces perpetua ſit
operi eorum, neque generabunr in contur-
batione, vt accidit animalis generationi,
quæ virtutem attenuat, & nonnunquam
ſui turbationem, & excidium procreat.
Quia ſemen benedictorum Domini eſt; vt-
Rom. 5. potè gratia, quæ diffunditur in cordibus
noſtris,ac propterea: Nepotes eorum,cum
Apoc. 14 eis,hoc eſt,fructus admirabilis: opera enim
eorum ſequuntur eos.Ergo quia noui tem-
pli, & Eccleſiæ,quam ſummus architectus
erexit, cooperatores, & coedificatores fu-
turi erant diſcipuli, aiunt Chriſto, quæ ſu-
per veteri fabrica occurrebant. Cæterum
Zach. Chr. notat Zacchar. Chryſop. lib. 3. cap. 144. Non
moueat quod Matth. pluraliter dicit: *Di-*
Concord. Matth & Marc. *ſcipuli eius*,ſed Marcus ait *vnus ex Diſcipu-*
lis ſuis, quia vel *vnus* pro omnibus loque-
batur, vel ſingularem numerum poſuit pro
plurali.

Magiſter. Si alicubi,hoc maxime in loco
*M*agiſter appellatur: Quoniam totũ Chri-
ſti magiſterium, in deſtruenda priori fabri-
ca, ſeu potius terminanda, & noua erigen-
Iſai. 45. Zach. da ſitum erat: ipſe, inquit Deus, ædificabit
ciuitatem meam,& Zachar. Ecce vir oriens
nomen eius,eo ſubter eum orietur, & ædi-
ficabit Templum Domino, & ipſe extruet
Templum Domino,& ipſe portabit gloriã,
& ſedebit. Sedebit inquam,vt dicebat An-
Luc. 1 gelus, ſuper ſolium Dauid patris eius,reæ-
dificato Templo corporis ſui, per reſurre-
ctionem, & extructo Templo Eccleſiæ per
legem,quam renouauit per ſacramenta,quę
inſtituit, per miniſtros quos ordinauit, &
per chariſmata meliora,quæ accepit in ho-
minibus,vt digni fierent ciues ſanctorum,&
Templum ſpirituale ædificatum à Chriſto. domeſtici Dei ſuperædificati in ciuitate,ac
Templo Dei,ſuper fundamenta Apoſtolorũ
& Prophetarum,ipſo ſummo angulari lapi-
de Chriſto Ieſu, necnon architecto ſapien- *Eph. 2*
tię,qui nihil fecit,nihil dixit,nec ſecum ali-
quid fieri permiſit, quod ad fabricã, quam
conſtruere venerat, non ordinaretur, vt ad
finẽ;oportunè ergo nunc dicitur *Magiſter.*

Aſpicis quales lapides. Cum enim iuxtà
Matth. (inquit Gagn.) comminatus eſſet *Matth. 24. Gagn.*
Chriſtus Iudæis, dicens: Ecce relinquetur
vobis domus veſtra deſerta, ſtupefacti Di-
ſcipuli à Chriſto expetunt,quomodo hoc ſit
poſſibile proprium lapidum,& conſtructio-
nis tam admirabile ædificium, & ſtructuras
eius. Videntur enim hi (inquit Vict. Ant.) *Vict. Ant.*
Chriſti prædicatione non obſtante, animo
hæſiſſe, tanta ne moles, & ædificiorũ maie-
ſtas in nihilum quandoq. redigeretur. Quo
in negocio adhuc terrigenes,& filij hominũ
qui poſuerunt nomina ſua in terris,& ſigna
ſua,ſigna, atq. quadratæ domus ſtructuras,
à progenie in progenies ſe quodamodo ex-
hibent. Etſi enim Chriſtus non prædicaſſet,
euerſionem materialis ædificij,tum ratione
qua materialia in corruptionem tendere
nouit, tum experientia, quæ in ſingulis re-
perit vanitatẽ, poterant abſque admiratio-
ne agnoſcere,quid tandem templo,ciuitati,
ac reliquis fabrefactis manu artificum ac-
cidere oporteret; videlicet, vt hominẽ au-
ctorem, in imaginem vniuerſa tranſitura.
Verum enimverò quoniam & iſta ad Chri-
ſtum loqui à Spiritu ſancto mouebantur
non incommodè quæret quiſpiã;cur à lapi-
dibus ordiuntur,& non à ſtructura,cum pri-
mo offeratur aſpectui? Quoniam vt fabrica
materialis à lapidibus,ita ſpiritualis,quam
Chriſtus aſpiciebat, & partes ſe portabat
ab Apoſtolis, qui lapides dictitantur, ini-
tium ſumere debebat.

Et quales ſtructuræ. Totius Templi *ſtru-*
cturas ex lib. Reg. & Paralipp. & quæ pro-
prijs oculis cernebat Ioſeph,deſcribit, ſed *Ioſeph.*
diſſertius multo Benedictus Arias Mont. *Arias Mõt.*
ſingulas Templi partes enarrat. volum. 3.
Ariel de Templi fabrica & ſtructura. Vbi
prope finem habet: Secundum Templum à
Zorobobel ædificatum,omnes primi partes
habuit. Montem domus,prophanũ fœmina-
rum,& Iſraelis,ac ſacerdotũ atria. Sanctum,
& ſanctum ſanctorũ,ſed omnia minori ſitu,
& opere,ac ſumptu, quam illud antiquius,
menſurarũ,ac totius operis ratione per Cy-
rum Perſarum Regem preſcripta. In hoc
Templo vltra antiquarum partiũ vſum, le-
gimus iuxtà orientalem portam exedram
fuiſſe,in qua Medorũ Metropolis ſatis exẽ-
plum depictũ erat, & menſurarum omnium
exemplaria preſcripta. In porta etiam
Orientali locus fuiſſe commoratur, in quo
ſummi legis Magiſtri & interpretes doce- Templum Hieroſolymorum tertiò ædificatũ ab Herode.
bant,atque vnus ex illis Papinus Gamaliel.
Idem Templum, quod ſecundũ appellatum
eſt, ab Herode denuo conſtructum fuit la-
pidũ magnitudine,atq. ædificiorũ ſtructura

longe, vt ab ipſis hebræis ſcriptoribus affirmatur, maius, etiam preſtantius quàm illud prius Salomonis: cuius operis magnificentiam Chriſti diſcipulis admirationem attuliſſe Euangeliſtæ ſcribunt. Vide Cæſarem Baronium in Annalibus, quomodo hanc hebræorum ſententiam pro viribus tueatur. Interim quod & ad lapides, & *ſtructuras* aſpexerint Apoſtoli, necnon Chriſtus, nobis argumentum eſt, non tàm in cælis, quàm in terra curam particulariũ Eccleſiæ, atque ordinum gerere tum caput, tum eos, qui principatum gerunt in populo Dei, cuius cætus ego *ſtructuras* dico, particulares vero effingo lapides.

Baron

Myſtica interpretatio.

CAPVT SECVNDVM.

Et reſpondens Ieſus ait illi: Vides has omnes magnas ędificationes? Non relinquetur lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur.

Expoſitio.

VT ergo ad admirationem eius, qui interrogarat, ſatisfaceret Chriſtus, *reſpondens* ſapienter, atque profundè *ait illi*, ac alteri, qui per eum loqueretur. *Vides* inquit, & tu, vt oportet, non lapidem ſolum, aut ſtructuram aliquam, ſed *has omnes*, quæ intus, & foris conſpiciuntur, *magnas*, & admirabiles mortalium oculis *ædificationes?* deijcientur, ſimulque totum templum, nec *relinquetur lapis ſuper lapidem, qui* firmiter *non deſtruatur*.

Et reſpondens Ieſus. Ad quid, & quam petitionem reſponderit Chriſtus his, quæ ſequuntur, non eſt certum apud Doctores. Quidam namque (ait Victor Antioch.) hæc omnia ad ſæculi conſumationem ſpectare autumant; alij ad Hieroſolymorum depopulationẽ. Priorem ſententiam complectitur Apollinaris, & Theodorus. Poſteriorem Titus, & Ioannes Regię ciuitatis Epiſcopus. Quia ergo Marcus, Apoſtolos de ſolo poſteriori quæſtionem mouiſſe ſcribit, conſentaneum eſt, vt nos quoque hanc potius, quàm illam ſequamur, & amplectamur; poſſumus & nos dicere, Chriſtum reſpondere vnum, & aliud intendere, vt ſolent Prophetæ: Sub reſponſo enim euerſionis ciuitatis, intendit quoque docere mundi totius euerſionem.

Varietas opinionum.
Vict. Ant.
Apoll.
Theod.
Titus
Chriſ.

Ad vnum reſpondere, & aliud intendere.

Ait illi. Qui ſcilicet omnium nomine interrogat. In quo & omnibus ſatisfacit, qui in fabricis mundi huius admiramur, & ſi fas eſt dicere, perpetuitatem quærimus, quod enim, ait, vni dico, omnibus dico. Ecquid dico? Omnia tempus habent & ſuis ſpacijs tranſeunt vniuerſa ſub cælo. Vt omnes ponant in Deo ſpem ſuam, & non obliuiſcantur operum Dei, & mandata eius exquirant.

Vides has omnes magnas ædificationes? Vtpotè portus exadras multiplices; atria, ac denique omnia, quæ mirabili architectura in toto templo lucebant; vocat *magnas ædificationes* vel quod ſymbola eſſent ſtructuræ ſpiritualis, vel quod ſic eas arbitrarẽtur homines, qui eas præferebant his, quas Salomon ibidem erexerat. Decipiebantur tamen: Quinque enim rebus ait Genebrardus, lib. 2. chronicon, carebat, ſcilicet Templum, quæ prius mirumimmodum reddebant auguſtum, & venerabile in tract. Ioma. cap. 1. Dimhi in Pſalm. 84. & Hagg. Primo diuina præſentia, quæ ad propitiatorium reſponſa, & oracula edebat; ſecundo ſpiritu ſiue afflatu ſancto, qui Prophetas olim corripiebat, nam à Malachia ad Ioannem Chriſti Baptiſtam nulli Prophetæ extitere; tertio igne ſacro, cuius cuſtodiam tam anxiè Moyſes Leu. 6. preceperat: nunquam enim comparuit ex quo in puteum à ſacerdotibus, ne in impiorũ manus caderet, merſus eſt 2. Machab. 1. quarto Vrim, & Thummim qui erant lapides in pectorali Pontificis, quorum conſpectio ſacerdotes occulta intelligebant, & populo denuntiabant, dum plus ſolito radiarent lapides; nam ſi retinerent naturalem ſpeciem, & colorem nihil eſſe mutandum docebatur. Superius itaque oraculum vocale erat, iſtud mutum, vt quod motu & ſignis conſtaret; quinto Arca, ipſiuſque tegmine ideſt propitiatorio, & duobus Cherubin arcæ hærentibus, in quibus Deus ſedere dicebatur propter ſui copiam, quam illic Pontificibus faciebat. Arcæ autem nomine, vtramque intelligo, vnam à Moſe coſtructã ſacrorum monumentorum, & reliquarium receptatricem, alteram à Salomone. Tum vero loco eius lapidem poſuerunt è terra prominentem tres digitos, & ſupra habentem Thuribulum R. Iacob, & Thalmud 1. p. pag. 106. Nec propterea Deus populum ſuum reliquerat. Nam vt ad Chriſtum produceretur, ſæpe ædebãtur oracula per Bath. Kol. ideſt exilem quandam vocem cælitus demiſſam in aures collectæ multitudinis, aliaque ſigna continuabantur in populo, quæ recenſentur à Thalmudicis in tract. Auoth. Qualis fuit vox in Euangelio, quæ delapſa eſt à patre ad filium glorificandum 2. Pet. 1. Hæc ille. Ex quibus præſtantiora fuiſſe, ea quæ in templo à Salomone erecto, quàm in reparato, manifeſtè conſtat.

Genebr.

Quinque res erant in templo Salomonis quibus carebant reliqua.

Rab Iacob Thalmud.

Non relinquetur lapis ſuper lapidem. Hoc dupliciter poteſt intelligi; quod *nõ relinquetur lapis ſuper lapidem*, vel ad ordinẽ totius ædificij, & eius ornatũ, nam potiore templi parte ſublata, reliqua nihilo, ac pro diſſertis habentur, & omnino diſiunctis; vel vt mutuo cohęreant ad ſe inuicẽ nullo modo coniungantur, quomodo videtur littera ſignificare. Sed quidã dicunt (ait Theoph.) multas veteris ciuitatis Hieruſalẽ reliquias ſuperſti-

Duplex ſenſus litteræ.

Varia interpretatio. *Theoph.*

Digitized by Google

ſuperſtites, & ita Chriſtum mendacem oſtendere tentant: Sed hoc ne vtiqne verum eſt; nam etſi reliquiæ quædam relictæ eſſent, quod vernm non eſt, non tamen relinquentur vſque ad conſumationem ſæculi. Hiſtoriæ enim habent quod Lelins

Hadr.

Hadrianus templum, & cinitatem à fundamentis effoderit, & ita in illo impletnm eſt, quod non ſit relictus *lapis ſuper lapidem*. Quod ſi qui vero ſunt (ſubdit Victor

Vict. Ant.

Antiochenus) qui iſthæc ne dum perfectè eneniſſe contendunr, eo quod quædam adhuc templi reliquiæ extare videantur, ij reſponſnm habeant, nec hoc qnidem admiſſo Chriſti euerſionem vanam eſſe. Nam ad cultum legalem qnod ſpectat, nullum amplins eo loci, vbi is ante exercebatur hoc tempore illius exrat veſtigium, adeoque vniuerſalis ſolitudo iam olim iſthic obtinet. Reſtat ſanè quædam adhuc templi pars; ſiquidem ad fundamentum vſque tantum euerſnm eſt; verum ex illis, quæ eceſſu iam ſnnt certo ſtatuere licet, quod reliquum eſt, id totum ſuo poſlea tempore enerſum iri. Dici quoque poteſt Dominum vninerſalem ſententiam extuliſſe, qua tempus olim venturum ſignificabat, quo omnia abſolute deſtruerenrur, vtpote in

Hier.

conſumatione ſæculi: Licet Hieronymus ſentit, his nouiſſimi temporis cladem pronnntiari. Tum enim vt allegorizemus *non reliuquetur lapis ſuper lapidem* qnia

Pſal 111.

omnis ſpes peribit iuxta illud: Deſiderium peccatorum peribit. Etiam quia omnis ordo, & poteſtas dæmonnm deſtruetur, & euacuabitur principatus cum Chriſtus regnum tradiderit Deo, & Patri. Quoque vt ad rempora Iudæorum allegoriam reducamus: *Non relinquetur lapis ſuper lapidem*, hoc eſt, omnis eorum fortitudo, & pulchritudo, qnam in Patriarchis, Prophetis, ſcripturis, & ſimilibus reponebant, de-

Thren. 1

ſtruetur, vt ſint velut arietes non innenientes paſcua, ante faciem ſubſeqnentis. Et in nobis non manet *lapis ſuper lapidem*, qnando nec virtus, quæ virtuti connectitur, remanet.

Qui non deſtruatur. Deſtructio iſta vel ad lapides ſingulares, vel ad coniunctos

Duplex intellectus literæ verificatur.

poteſt referri. Si lapis intelligatur deſtrui, & comminui in partes poteſt ſignare damnationem ſingulorũ, qui velnt confracti in inferis crucianttur. At ſi deſtructio importet ſolnm diſſolntionem inter ſe, facilè nobis repreſentare poteſt diſperſionem temporalem qnam à rem-poribus Veſpaſiani, & Titi gens Hebræa patitur.

CAPVT TERTIVM.

Et cum ſederet in Monte Oliuarum contra templum interrogabant eum ſeparatim Petrus, & Iacobus, & Ioannes, & Andreas.

Expoſitio.

SIc temperanit reſponſnm Magiſter, vt locnm adhuc vlterius quærendi Diſciſcipulis relinqueret. Quare *cum* qnietus, & meditabundus *ſederet* Chriſtus *in monte* illo vberrimo *Oliuarum*, & frugum, & *contra templum*, cuius paulò ante predixerat faciem dirigeret, Diſcipnli proprius accedentes *interrogabant eum* ſollicitè, & quidem *ſeparatim Petrus, Iacobus, Ioannes, & Andreas* quærebant ab eo ſecretum.

Et cum ſederet in monte Oliuarum contra templum. Hoc enim cum ciuitate, ac gente euerti ab eo loco debebat, vt Ioſe-

Ioſeph.

phns ſcribit lib. 6. de bello Iudaico cap. 3. His inquit præceptũ erat ſexto ab Hieroſolymis ſtadio caſtra ponere quarum parte Mons qui appellatur ἐλαιῶν ideſt *Oliuarũ. contra ciuitatem* ab Oriente ſitus eſt, altaq. interiacente valle diſcernitur, cui nomen eſt Cedron. Itaque vnde ruinæ templi initium, ibi ſedit Chriſtus, vt videretur Veſpaſiano, ac olim Deus dicere Cyro. Ego ante te ibo: Nec alteri, quàm Deo irato deſtructio Hieroſolymorum tribneretur, vt ſolebat Veſpaſianus proclamare. Olim *ſedebat* Deus in columna nubis contra populum, vt reqniem indiceret, hic Chriſtus *ſedit*, vt bellum ſanctificet contra ſceleratos. Gladium nnnc ſedens euaginat, & exacuit mucronem, gentem robuſtam vocat ad prælium, quod antiquitns ſedens enertebat, vt inde etiam ex contrarijs effectibus, & volitis, non mobilem, ſed immobilem Deum proclamemns. Quia ego Dominus

A monte Oliuarũ incœpit ruina Ieroſolymorum.

Malac. 3

& non mutor. Eſt autem Deus immobilis,

Alex. Aph.

inquit Alex. Aphrò. in 2. natur. q. c. 6. quia Dei non eſt operatio, ſed eins actio ſnbſtantia eſt. Etiam qnia primum ens (inquit ſup. thom. 1. p. q. 9. art. 1.) oportet eſſe purum actum abſque permiſtione alicuius potentiæ, eo quod porentia ſimpliciter eſt poſterior actn, omne antem quod quocunque modo mutarur, eſt aliquo modo in potentia. *Sedit* Chriſtus *contra Templum*, quod erat vnicum in orbe, vbi Dens vnus ſacro ritu colebatur; quid facier contra Templa quæ Idolum venerabantur? Non pepercit filijs, quid contra hoſtes meditabitur? Chriſtianos anguſtiat, & Eccleſiam, quid tandem putamus cum Hæreticis, & Mahumetanis acturum iri? Etenim quæ olim, mox repetit: Conſurge

Iſai. 5.

Hieruſalem, quæ bibiſti de manu Domini Calicem iræ eius, &c. Ecce tnli de

Vtitur Deus in fidelibus ad caſtigationem fideliũ.

manu tua calicem ſoporis, &c. Et ponam illum in manu eorum, qui te humiliauerunt. Sunt hi infideles, quibus Deus contra fideles vtitur, iiſque purgatis digna infert ſupplicia vt acerbiora patiatur Babylon, quàm ciuitas Sancti, & Nabuchodonoſor, Cyrus ac reliqui duplam confuſionem ſentiant, quàm Manaſſes, aut alius quiſpiam, quem Iuſtus Dominus per alienigenas, vt carnifices flagellat.

Interrogabant eum ſeparatim. Hoc eſt, ſecreto, ne tribulatio futura ad notitiam omnium deuolueretur: Sed his ſolum innoteſceret, quos à ſignis cæli iubet non metuere, propter quos dies mali breuiantur, quibuſque conſulit ab vna in aliam ciuitatem fugere, ne flagello inundante pereant cum ſeditioſis, ſed cum iuſto Loth in monte ſaluentur, & cum poſteris Thobiæ alio ſe transferant, antequam ſuper iniquos malum à Domino veniat. Quod ergo Dominos *ſeparatim* & ſecreto reuelat Prophetis, & amicis ſuis, hoc Apoſtoli *ſeparatim interrogant*, vt ex modo interrogandi, interrogati naturam inſinuent eſſe quid ardui & ſecreti, quod paucorum eſt.

Cur quatuor interrogant, & non vnus, vel tres?

Petrus & Iacobus & Ioannes & Andreas. Quatuor interrogant ſecretum futuri excidij, traditoris autem facinus vnus Ioannes, Patris manifeſtationem vnus Philippus, & alior myſteriorum vnus, duo vel tres extiterunt interrogatores. Huius autem quorum fuiſſe aliquid præſagit. Ex parte quidem hominum, eorundem conditionem quæ curioſior eſt in malis perquirendis, quam bonis addiſcendis manifeſtat; ex parte quidem interrogati, & quæſiti fore ad quatuor angulos terræ tribulationem, quam quatuor interrogant, & ſcire cupiũt. Ex his quoque quatuor generibus viuentium, vtpote piſcibus, volatilibus, & reptilibus, & hominibus, fore communem, colligamus. Etiam quatuor elementis, quæ renouationem patientur. Tum maxime his quorum, poteſt ſignari ſtatus hominum quorum, qui in generali ruina vim patientur, & angoſtiam, videlicet Præſules, & Præſides in Petro, vt qui potenter tormenta ſuſtinebunt. In Iacob Reges terræ quia Dominus irridebit eos. In Ioanne religioſos, quia iudicium incipiet à domo Domini. Et in Andræa diuites & potentes, qui ponent ſpem bracchium ſuum. Quoniam ad eos dicitur: Congrega eos quaſi gregem ad victimam, & ſanctifica eos in die occiſionis.

Ier. 12

CAPVT QVARTVM.

Dic nobis quando iſta fient? & quod ſignum erit quando hæc omnia incipient conſumari?

Expoſitio.

HEm ſecretum quod à Magiſtro quærunt, *Dic nobis*, ò omniſciens, cuius oculis cuncta patent, & tempora, *quando iſta* mala, quæ predixiſti ciuitati, templo, & orbi *fient*? quod ſi ſecretiori cauſa non expedit nobis tempus decretum noſſe, ſaltem indica *quod ſignum* ſiue in cælo, ſiue in terra, ſiue in hominibus ipſis, *erit* precedens tantam cladem. Et ſi omnium certiſſimum, & vltimum ſignum eius tibi ſoli reſeruari dicito tamen precamur, *quando hæc omnia* flagella *incipient* aliquo modo ſignari à longe *conſumari*, atque impleri, ne inopinatè nos comprehendant.

Dic nobis quando iſta fient. Quærunt primo futurorum tempus, vt occupationem peſſimam, quam, vt ille ait, dedit Deus, hoc eſt permiſit, filijs hominum & in perfectis nonnunquam locum habere ſciremus, videlicet, velle tempora futura perſcrutari; aliquando ex auibus, vt aruſpices; aliquando excuſſu aſtrorum, vt aſtrologi, & quandoque, quod eſt propriũ ſanctorum ex oraculo Dei, quod in oratione interrogant, *quando iſta fient*, vel in populo ruina, vel in Principibus, & Tyrannis finis, vel dies quot deſũt mihi. Ex ſe ignorat homo quid ante ſe fuerit, & quid poſt ſe futurum ſit, quis ei poterit indicare? Deus reuelans in cælo. Ergo quoties deſiderium futuri animum noſtrum pulſauerit non à Phitoniſſa, vt Saul, non ab Ariolis vt Nabucdonoſor, neque à Magis vt Pharao, ſed à Deo, & Sanctis qui inſpirati loquuntur ſancta, futura quæramus; tametſi cognoui, quod non ſit melius niſi lætari, & facere bene in vita ſua, conſeruare tempus preſens, & deuitare malum. Ita vt conſulit ſapiens omni tempore ſint veſtimenta tua candida & oleum de capite tuo non deficiat, veſtitus deaurato pallio, quod gratiam fingito, & circundatos varietate exercitationis ſpeculis quã pietatis oleum ſubminiſtrat Marthæ, quæ ſollicita eſt erga plurima, & Mariæ quæ ſecus pedes Domini ſedet, hoc eſt contemplatiuo, & actiuo, vtrumque enim pietas, quæ eſt ad omnia, ducit ad perfectum: Hoc quidem vtilius multo erit, quàm futura quæ in incertum ſeruantur quærere.

Eccl. 1 · Eccl. 10. · Eccl. 3 · Eccl. 4 · Eccl. 9 · Pſal. 44.

Et quod ſignũ erit. Non quærunt *ſignum* vt credant quemadmodum illi, qui dixere: In qua poteſtate hæc facis? Neque vt tentent, velut illi qui ſignum de cælo quærebant, ſed vt ex *ſigno* videantur Chriſto familiariores liquidem amicis Deus ſecretum ſuum reuelat.

Luc. 20.

Quando

Quando hac omnia incipient conſummari? Græcis eſt ὅταν μέλλῃ ταῦτα πάντα συντελεῖσθαι *quando futurum eſt omnia conſummari.* Vnde *futurum eſt* ponitur pro, *incipient.* Quia quod *futurum eſt* niſi quod factum eſt: Quod autem factum eſt, in ipſo vita erat. Arqui hoc in Deo ſemper eſt, & ſemper *incipit* æternitatem Dei induens. In nobis autem, qui tempore metimur, vel futurum eſt, vel præteritum, præſens autem vix, cum nunc quod eſt, iugiter fluat, ſi licet in hunc modum litteram exponere, altiora quàm litterā ſonat, indicat; videlicet, quando in Deo ruinæ decretum cœperit. Nam incipere, & conſummari aliquid ſimul in æternitate Dei licet tantum contemplari, ſolus Deus, vt Incipit conſummat, ac perficit. Non enim ab imperfecto ad perfectum procedit, vt creatura, quæ opus nuper incœptum, poſt annum, aut longius tempus perficit, & complet. Dei perfecta ſunt opera, vt incœpiſſe, & conſummari apud Deum ſimul habeant; communis litteræ ſenſus eſt quando iſta conſummanda ſunt, & perfici *incipient.*

Ioan. 1.

Communis intellectus litteræ.

CAPVT QVINTVM.

Et reſpondens Ieſus, cœpit dicere illis; Videte ne quis vos ſeducat.

Expoſitio.

ACquieſcit, vt amicus integer amicorum poſtulatis ſaltem ex parte, dum eis non præfixum tempus, ſed ſigna, quæ inciperent iam fieri, reuelat. *Et reſpondens* (inquit Euangeliſta) *Ieſus* ad amicos hos Apoſtolos, & familiares *cœpit* magna animi beneuolentia *dicere illis*, quæ ſcire eos conueniebat, verū quia periculoſa futura erant animaduertit eoſdem primo: *Videte*, inquit, & diligenter attendite vobis, & vniuerſo gregi, ſignaque mox præceſſura proſpicite *ne quis* dum ſegniter agitis, & ocitanter viuitis, *vos ſeducat*, illaqueet, atque perdat commiſſum gregem.

Et reſpondens Ieſus. Huius nominis hic potiſſimum mentio fit, quoniam ea, quæ ad ſalutem totius Eccleſiæ ſpectabant, exponit, declarat, & reſpondet, tacitis, quæ nihil ei conferebant. Eſt enim *Ieſus* Saluator, & reſponſum, quod ab eo egreditur propediem ſalutiferum valde. Nam lupum agnoſcere confert agno, leonem à longè inſpicere tutum reddit hominem, & aniculæ largitur vitam vmbram accipitris intueri. Annon vmbra diaboli eſt hæreticus, & pſeudochriſtus, quem mox Chriſtus detegit? Et quidem leo truculentus, qui matris viſcera corrodit, & vt lupus deuorare contendit, quos agnus ille anniculus ſuo ſanguine dealbare venit. Optimè ergo Ieſus, ideſt Saluator dicitur, qui reſponſo ſuo vafrum hominem, & impoſtorem hæreticum nobis deſcribit, vt inuentum agnoſcamus, & fugiamus.

Cœpit dicere illis. Et hoc loquendi modo Euangeliſta nobis aperit Chriſti mentem eſſe, plenam docere iuſtitiam, quæ à mali fuga inchoatur; iuxtà illud: Declina à malo, & fac bonum. Neque enim à fundamentis domus erigitur, quin prius ſubmoueatur terra. Et quidem hanc eijcere nos iubemur, vt malam, qui ſpirituale ædificium in ſecuritatem, & abſconſionem à turbine, & tempeſtate in nobis optamus conſtrui. Sed quam terram? cui væ; vtpotè hæreticum, cui maledictio, vt peruerſum; & cui ſuffoſſio oculorum, vt concupiſcentiam carnis huius. Hanc enim cum colligatis ad perniciem ſpiritus, *cœpit* Ieſus *dicere illis*, qui ſunt eius, vt diffugiant, ne fiant, vt Seboim, vt caſtigent ne ſint in gaudium inimicis ſuis. Doctor itaque plenè iuſtitiæ *cœpit* à mali fuga *dicere*, & docere.

Iſai.4.

Oſee 11.

Videte ne quis vos ſeducat. His circumſpectionem, & cautionem, quæ ſunt partes integrales prudentiæ, habere nos iubet. Nam ſicut vero poteſt admiſceri falſum, & auricalcum auro, ita malum nonnunquam bono quærit coniungi, & venenum medicamento; quod item bonum eſt, non ſemper fini, quem proſequimur intendere conſonat, aut non æquè, vt aliud benè operantem iuuat, ducitque ad finem, vt equus, quo velocius quiſquam viam perficit. Primum præſtat cautio, quæ malum cauet. Secundum circunſpectionem, quæ circunſtantias attendit, poſſidemus. Tùm maximè in tractandis hominibus nos hic Chriſtus conſulit obſeruare. Nam videre circumſpicientis eſt; *videte nequis ſeducat*, ad cautionem ſpectat. Vnde Paulus: Videte quomodo cautè ambuletis. Verbo ſeducendi animum hæreticorum aperit, qui ſomniantes mendacium narrauerunt ea, ait Ierem. Et ſeduxerunt populum meum in mendacio ſuo, & in miraculis ſuis, quibus vt canes generant catulos cæcos reddent, tamen damnum, quod ignis eorum in ſegete, & agro Domini fecerit.

Cautio, & circumſpectio.

Epheſ.5.

CAPVT SEXTVM.

Multi enim venient in nomine meo, dicentes; quia ego ſum: & multos ſeducent.

Expoſitio.

ACcipite iam nunc primum, ò Apoſtoli, amantiſſimi ſignum, & quidem omnibus formiduloſius, & noxium communitati ciuium, ſed vtiliſſimum particularibus, qui fidem tenuerint, & fecerint prima. *Multi enim* ante tempus illud, *venient* ad vos, &

con-

conuerſabuntur vobiſcum in nomine meo in eodemq. & orabunt, & loquentur ad vniuerſam plebem *dicentes, quia ego ſum*, qui Euangelizo Regnum Dei, veritatem annuntio, & quod verum eſt operor, atque prædico. Quippequi ego ſum Chriſtus eo miſſus, vt viam ſalutis pereuntibus ſternam, & tanta erit horum facundia tamque potens perſuaſio, vt & ſi non omnes, tamen *multos*, qui non ſibi cauerint, ignominioſè *ſeducent* ſuis perniciofis erroribus.

Ezech. 13.
Aptum Symbolum hominis hæreſiarchæ.

Multi enim venient. Non mittentur, ſed à ſeipſis *venient* impulſi amore proprio, qui noua meditari facit, vt muſtum fumos, ad gloriam, & laudem apud homines captandam. Neque enim aliud Simonis Magi, Cherinthi, & Lutheri, atque aliorum fuit intentio, atque finis. Vnde Vates: Quaſi vulpes in deſertis Prophetæ tui Iſrael erant. Non aſcendiſtis exaduerſo, neque oppoſuiſtis murum pro domo Iſrael, vt ſtaretis in prælio in die Domini. Vident vana, & diuinant mendaciũ dicentes: ait Dominus, cum Dominus non miſerit eos. Non eſt hæreticus, qui non dictitet, ait Dominus in Scripturis: Harum tamen non eſt miſſus interprẽs fidelis, neque miniſter, qui vt carduelis auicula eſt capite rubro, hoc eſt amore concupiſcentiæ inflammatus, alis luteis, albo, nigroque diſtinctis, hoc eſt, operibus hypocriticis, nunc apparẽter bonis, & aliquando omninò peſtiferis. Huiuſmodi hominem mittit pater mendacij, qui conatur lapidem in volatilia mittere, hoc eſt, errore electos perdere. Id quod facillimum eſt, tùm ex ijs, quæ perorant mendacijs; tum ex ijs, quæ operantur inutilibus dignoſcere. Nullus enim eorum aſcẽndit exaduerſo, hoc eſt bonum, quod eſt malo aduerſum amplectitur, neque vt murum ſe obijcit tribulationibus, quas patiuntur electi Dei, quia omnes quærunt, quæ ſua ſunt, vt vulpes, quæ depaſcendis fraude cæteris animantibus delectantur. Sunt autem eiuſmodi *multi*; electi autem dicuntur pauci, quoniam virtus paucorum ſit; vitium autem diffundatur in plures.

Hæretici vulpes.

Marc. 16.
Ioan. 14.
Apoc 3.
Virgil in Bucolic.

In nomine meo. Hic *nomen* non accipitur pro virtute, & potẽtia, vt ibi: *In nomine meo* dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent. Si quid petieritis Patrem *in nomine meo* dabit vobis; ſed *nomen* hic idem, quod appellatio, ſeu cognominatio dicitur: Nam à Chriſto, ne dum peſſimi Chriſtiani, ſed & Hæretici hoc diuino *nomine* gloriantur, quibus conuenit dictum illud: Nomen habes, quod viuas, ſed mortuus es.

Quia Populus Alcidæ gratiſſima vitis Iaccho,
Formoſa myrthus Veneri, ſua laurea Phœbo.

Hoc eſt dæmonibus, & non Deo chari. Induunt enim veſtimentum ex lana, linoque contextum: Hoc eſt, tàm opera, quàm doctrina ex ijs, quæ ouis noſtra Chriſtus reliquit, & alijs, quæ terra maledicta germinat, vtpotè tribulos, ſpinas, hæreſes, inquam, & errores, quos diabolus adinuenit, miſcent, vt ſi diligenter inſpexeris hæreticum monſtrũ compelleris dicere, vna quidem ex parte chriſtianum, ſatanam altera.

Victor Antioch.
Fingentes ſe Chriſtum.
Rom. 1.

Dicentes, quia ego ſum. Qualis inter cæteros, inquit Victor Antiochen. erat Theodas, & Iudas Galilæus, & Simon magus, pluresque illius contagionis alij, & quidem omnes hæretici dicunt: *quia ego ſum* Chriſtus. *Ego ſum* miſſus Redemptor captiuorum, reductor errantium, & illuſtrator ignorantium viam Domini. Hinc temeritas, audacia, & petulantia hominum, vt non vereantur corrigere Patrum inſtituta, obuiare Concilijs, & Scripturam adinuentis ſenſibus fictis, & falſis interpretari. Vnde dicentes ſe eſſe ſapientes ſtulti facti ſunt; dicentes; *quia ego ſum* Chriſtus, apparuerunt pſeudochriſti, & dum de diuitijs ſpecialibus cum noſtris, qui ſunt viri locupletes, nihil niſi miſeriam, miſerabilitatem, paupertatem, nuditatem, & cæcitatem oſtentant, & vt arbores authumnales ſiccitatem.

Cõſt. Apoſt.

Et multos ſeducent. Quoſdam ſubtilitate diſputationis, vt Arrius, qui filium patre minorem perſuadebat; alios ſuggeſtione ſenſibilis oblectamenti, vt Lutherus, qui nihil negari ſenſibus vult; & alij alijs inuentis abſconderunt ſimplicibus interitum laquei ſui, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum, fingunt ſe Irenarches, qui præferũtur vrbibus ad tollendas diſcordias, & ſunt ſcorpionatij, qui ſcorpionibus peſtilẽtibus Dei populum, velut in deſerto, proſternunt. Ex malitia enim hæreticorum ait Clemens lib. 6. Conſtitut. Apoſt. cap. 6. profluxit labes in vniuerſam terram, vt ait Hier. Proph. 12.

CAPVT. SEPTIMVM.

Cum audieritis autem bella, & opiniones bellorum, ne timueritis; oportet enim hęc fieri, ſed nondum finis.

Expoſitio.

Habete, & hoc pro ſigno futuri exterminij, *cum* delatum ad aures veſtras fuerit, multorum animos ad iram accendi, *audieritis autem*, & inde *bella* varia præparari, & cum vtrorumque iactura congreſſus bellicos agitari. Etiam quo degeritis *opiniones*, rumoreſque *bellorum* ferri, agnoſcite ſignum, quod mox quæritis. Verum *ne timueritis* propterea vobis, neque Orbi. Namque ſunt mira ſigna, quæ ob peccata hominum *oportet fieri*, & præmitti. Sed ruinarum

Digitized by Google

narum omnium, quæ expectantur *nondum finis*, is quidem vltimo ſæculo aderit.

Plura antequam poſt Chriſtũ bella. Tertull. Cyprian. Lactantius. Hieron. Auguſt. Cur hic lib de Ciui. Dei ſcripſit.

Cum audieritis autem bella. Hæc quidem poſt Chriſtum innumera pænè, ſi Chronicon temporum, & nationum reuoluimus, inueniemus contigiſſe, multo tamen plura commiſſa prælia aduenisse Orbi, & partibus ante Chriſtum probat Tertulliani Apologeticum, Cyprianus ad Demetrium, Lactantius Firmianus inſtitut. diuin. lib. 5. c. 1. & 4. Hieron. ad Magne. & Auguſt. qui libros de Ciuitate eos conſcripſit, vt ſatisfaceret his, qui clades Romanæ Vrbis, & Orbis imputabant Chriſtianis, qui relicto idolorum cultu vnicum Chriſtum adorabant.

Rumor.

Et opiniones bellorum. Siue rumores, vt vox Græca ἀκοαί videtur ſonare. Rumor autem eſt incerti tumultus, ſeu facti prænuntium. Quare per rumores, ſeu *opiniones* intelligerem diſputationes de *bello* inferẽdo. Nã *bellum*, quod inter legitimos Principes, atque iuſtos contigit, primo in eorum concilijs diſceptatur iuſtum ne ſit, an iniuſtũ, & an expediat. Nam nõ ſemper cõuenit bellare, neque inconuenit, vt ex Scripturis antiquorum ſatis compertum eſt. Bellarunt filij Iſrael contra Cananæos, & Machabæi cõtra Græcos Deo ferente opem, & manifeſtè

Bellum quandoq. licitum

fauente etiam contra fratres, id quod perſuadet non eſſe illicitum noſtris fidelibus belligerare non ſolum contra Paganos, Hæreticos, & infideles alios, ſed etiam contra Chriſtianos, vt patres docent.

Ne timueritis. Quoniam, inquit alibi vobiſcum ſum, & ſaluans, & liberans, atque cuſtodiens. Plures enim Sanctos legimus in medijs hoſtium ſeruatos à periculo tutos: immo verò hoſtibus formidini fuiſſe, vt Leonem Attilæ, & alios prece ſola, & Imperio belli impetus diſſoluiſſe.

Oportet enim hæc fieri. Conſonant iſti ſentẽtiæ altera: Neceſſe eſt veniant ſcandala. Nam vt hæc ob peccata quadam neceſſitate eueniunt, ita illa inter homines graſſari conſpicimus.

Sed nondum finis. Finis inquam conſummationis, quem pax præcedet, non bellum, quia cum dixerint pax, & ſecuritas repentinus eis ſuperueniet interitus. Nec dũ finis malorum, quia quamdiu mundus durabit totus in maligno erit, neque finis bonorum, quoniam is in æternum manet.

CAPVT OCTAVVM.

Exurget enim gens contra gentem, & Regnum ſuper Regnum, & erunt terræmotus per loca, & fames. Initium dolorum hæc.

Expoſitio.

ET his accedent non minora damna in ſignum poſtremi, vtpotè reuolutiones animorum, quæ Orbem turbabunt: *Exurget enim* de finibus ſuis *gens* ferox, & inhumaniter *contra gentem* ager, vt à ſedibus ſuis pellat. *Et Regnum* pariter dilatari volens, irruet *ſuper Regnum* vicinum, atque remotum; nec deerunt in elementis ſigna, quæ terrorem inducant, & mœrorem. *Erunt* enim in pluribus vniuerſi prouincijs *terræmotus* horrendi, quibus *per loca* fient domorum, & Vrbium ſubuerſiones. *Et* tanta erit agrorum ſterilitas, vt *fames* inualeſcat in pluribus regionum partibus, nec adhuc finis, quin præ magnitudine malorum, quæ ſequentur; *initium* leue *dolorum*, & anguſtiarum *hæc* appellato.

Exurget enim gens contra gentem. De gentibus, quæ proprijs ſedibus relictis, vt Gottis, Vandalis, Normandis, Saracenis, ac demum Turchis conſulito Chronicon Genebrardi, & Annales Cæſaris Baronij. Nam puto de harũ gentium incurſionibus Chriſti ſententiam intelligi. *Genebr.*

Et Regnum ſuper Regnum. Vt fines quidem ampliet, & multa commiſſa prælia in Anglia legimus; Italia multas paſſa eſt turbationes, Oriens conquaſſatur, nec Occidens quieſcit.

Et erunt terræmotus per loca. Vt Euſebius in Chronico ſcribit anno Neronis decimo, ait nõ tantum Laodiceam, ſed & Hieropolim, necnon & Coloſſas eiuſdem Prouinciæ Ciuitates nobiles terræmotu eſſe proſtratas. Et iam ſecundum Theodoretum in vita B. Simonis Antiochiam frequentibus terræmotibus vexatam poſt iſtam prædictionem legimus. Et in Italia, ait Genebrardus lib. 4. Chron. Gener. Sic terra per quadraginta dies tremuit, vt villa quædam vehementia motus, alium in locum fuerit trãſlata. Quod Ferrara hiſce proximis annis fuerit terræmotibus afflicta indicant præclara, & alta eiuſdem Vrbis ædificia, quæ paſſim fiſa inſpiciuntur à ſummo vſque deorſum. *Euſebius. Theodor. Genebr.*

Et fames. Quæ, ſcilicet totum Orbem occuparet legitur Actor. 11. quam Agabus prophetauerat. Peculiarem ſcribit Genebrardus lib. 4. Chron. in Francia, in qua homines belluarum morè herbis campeſtribus veſcerentur, & Gulielmus Niuernenſis Epiſcopus ſingulis diebus alebat duo millia pauperum. Et Saxo ſcribit, Hunnos quadam tempeſtate in tantam famam redactos, vt nec canibus pepercerint. Quo item tempore, inquit Ioann. Raniſius Gotti opprimebant Italiam, fœmina obſcuri nominis filij à ſe interfecti carnes æſitauit. *Act. 11. Genebr. Guliel. Niuernenſis. Ioan Raniſ*

Initium dolorum hæc. Dolorum, inquam, qui in extremo excidio accident. Nam ſi vltimum mundi ſæculum ſermonem protẽdimus maius eſt omni prodigio, & dolore videre peſſimos Chriſtum, in quem pupugerunt, & dicentem ſibi: Ite maledicti in ignem æternum. *Matt. 25.*

Digitized by Google

æternum; Si volumus de ruina tantum Ieroſolymitanæ Vrbis hæc loqui, etiam ſi conſulimus Ioſephum, inueniemus vniuerſa iſta ſigna, quæ præmiſſa ſunt initia tantum fuiſſe eorum; quæ tùm miſeri ſunt paſſi. Ex quibus tunc vndecies centena millia fame, & gladio perietunt, alia centum millia publicè venundata ſunt ſexcenta interfecta.

Excidiũ populi Iudaici.

CAPVT NONVM.

Videte autem voſmetipſos. Tradent enim vos in Concilijs, & in Synagogis vapulabitis, & ante Reges, & Præſides ſtabitis propter me in teſtimonium illis.

Expoſitio.

ET vos qnoque diligenter attendite, & *videte* ante tempus mala, quæ *voſmetipſos*, etſi inſontes occupabunt; nam peſſimi homines, & ſcelerati, quibns ſalutis verbum proponetis, malum pro bono reddent. *Tradent enim vos* cum furore *in Concilijs*, vt confundant vos, verbiſq. lacerent, ac dehóneſtent. *Et* poſt hæc *in* eorundem *Synagogis*, & iniquis conuentibus *vapulabitis* plagis multis vſque ad ſanguinem. Et hæc eadem patiemini inter gentes, ad quas diſpergemini. Etenim Idolatræ non ferentes veſtræ doctrinæ veritatem in vos manus inijcient, *& ante Reges* eorum ducent, vt dicatis cauſam, qui ad ſuos *Præſides* vos remittent, vt pœnas luatis. At veſtris anguſtijs adeſt honor, & gaudium quoniam non *ſtabitis* poſiti in illis agonibus propter peccata, vt Iudæi, ſed *propter me*, vt fungamini legatione mea, meque annuntietis, & manifeſtetis gloriam meam, & *in teſtimonium ſitis illis* gentibus, quia Deus glorificauit filium ſuum Ieſum, & Iudicem vniuerſorum conſtituit, vt ſtatuto die omnes, qui in eum non credunt, perdat, & deſtruat.

Videte autem voſmetipſos, Tranſit à laboribus, quibus ob ſcelus ſuccumbent Iudæi, & anguſtias, quæ ſanctis Apoſtolis, & ijs, qui piè viuere volunt in Chriſto Ieſu, paſſim occurrunt. Ex quibus volens nos fructum reportare, iubet *nosmetipſos videre*, hoc eſt, diligenter conſiderare, quæ ſimus, quia Dei factura, & Dei agricultura; quid ſimus, quia ad imaginem Dei, & filij excelſi omnes: ad quid ſumus, quia vt diligamus eum, qui nos fecit, & ad Deum, qui nos condidit redeamus; & propter quid viuimus, vt, ſcilicet operemur vſque ad veſperam: Et in patientia poſſideamus animas noſtras, non in delicijs, & verbo ſuperbo, non in commeſſationibus, & ebrietatibus, nec vt ducamus in bonis dies noſtros, ſed vt certemus ſub militia Chriſti, vt ſuſtineamus in ſtadio, vt in arcu, & gladio, quod eſt verbum, & patientia Chriſti ſuperemus contradictionem, quæ nobis fit ad poſſeſſionem agri, & hæreditatis, quam Chriſtus non corruptibilibus auro, & argento, ſed proprio ſanguine comparauit ſibi, ac poſteris. Hoc eſt, *videre noſmetipſos*, ſi omnia nobis in bonum commutari optamus.

Cõſideratio fructuoſa.

Tradent enim vos in Concilijs. Quoniam hoc primum tàm Iudæis, quàm Gentilibus ſtudium fuit, perſuadere Apoſtolis contraria his, quæ prædicabant, verborumque affluentia, & largitione bonorum ſæculi, ad ſe ſanctos Dei homines trahere, & efficere peruerſiſſimæ ſectæ deuotos. Id autem elaborarunt *in Concilijs*, & ſuorum Doctorum petitia fieri cõtenderunt Domitianus, Diocletianus, Seuerus, Adrianus, atque alij inimici Crucis Chriſti; attamen quàm infirma hac in parte fuerint inſipientium hominum *Concilia* inſinuat Chriſtus, dum nihil præmeditari ad reſponſa iubeat: Non enim eſt Concilium contra Dominum. Reprobat ipſe *conſilia* Principum, & prauorum diſſipat ad præſentiam iuſti, qui eſt fulgur, & tonitruum nubibus caligantibus, & Dauid decem millibus; quoniam Dominus eſt illi os, & ſapientia, vt nequeant ei omnes aduerſarij contradicere, quin omnes conſiliarios in ſtultum finem ducat, & dum, inquit ille, accipere animam meam conſiliati ſunt, commoti ſunt, turbati ſunt, ſicut ebrius, & animam eorum infernus deglutiuit, vt Dathan, & Abyron. Vt cunque orandum: In Concilium eorum non veniat anima mea.

Perſecutores primitiuæ Eccleſiæ.

Prou. 21.
Pſal. 32.
Iob 12.
Pſal. 30.
Gen 49.

Et in Synagogis vapulabitis: Verbis addiderunt verbera ſi fortè corpore afflicto animus errori aſſentiretur. Verumtamen in charitate radicati, & fundati ſupra firmam petram, neque ventorum turbine conquaſſari, neque virgarum cæde compelli, neque ſcorpionum crudelitate adduci ad inſanam ſententiam potuere, quinimo firmiores, vt vaſa igne excocta, elegantiores, vt facies abluta, & ad omnia pia vota promptiores, vt balſamus, quæ & fœcundior, & maximi odoris fit percuſſa, & inſciſſa. Cum enim auditent per ſua tormenta benè ſecum agi commemorati ſunt Dominum admirantes in finem exitus.

Apoſtolorũ, & Martyrũ conſtantia.

Sap 11.

Et ante Reges, & Præſides. Ante illos ſtatuebantur primo olim Martyres, poſt *ante* hos, velut à ſupremo ad inferius tribunal, ſic Chriſtum à Pilato ad Herodem duxerunt, ſic & Sanctos perſecuti ſunt primi Tyranni; poſtremi, qui in fines ſæculorum deuenere, ordinem in perſequendis iuſtis permutant; tribunalia inferiora iniuſtè agunt aduerſus inopem, & timentẽ Deum, qui ſi ad ſupprema appellauerit duriorem, vt plurimum, ſententiam experietur. Sed vè miſeris, qui iuſtificatis impium pro muneribus, & iuſtitiam iuſti aufertis ab eo. Propter hoc ſicut deuorat ſtipulam lingua ignis; & calor flammæ exuret; ſic radix eo-

rum

Digitized by Google

rum quaſi fauilla erit, & germen eorum, vt
puluis aſcendet.
Stabitis propter me. Hoc intereſt inter
Martyres Chriſti, & diaboli, quod illi pro-
pter Chriſtum, hi propter ſeipſos, vel pro-
pter diabolum ſtatuüntur, vel ſeipſos vltro-
nei ſtatuunt ad anguſtiam, ad laborem, &
miſerabilis vitæ diſcrimina. Sunt autem
Martyres diaboli. martyres diaboli, qui minimè ob hæreſim
mori recuſant, ſeu Iudaiſmum, vel qui in
ſectandis vitijs, & periclitantur, & vitæ ia-
cturam faciunt. Etiam hypocritas, qui mul-
tos ſubeunt labores, vt opinionem apud ho-
mines mereantur bonam; martyres fingo
diaboli, cui complacent, cuius monita ſe-
ctantur, & propter quem non recuſant la-
borem: Quos non tàm cæteris hominibus
miſerabiliores dico, quam beſtijs hac in par-
Pſal 62. te deteriores proclamo, vt qui partes vul-
pium erunt, & vacui abſque mercede ante
amatores ſuos ignominioſè iacebunt. Mar-
Martyres Chriſti. tyres verò Chriſti, qui propter verbum Dei,
& propter nomen Ieſu Chriſti animas ſuas
tradiderunt, vitamque carnis huius perui-
gilem in ſomnijs, ieiunam in cibis, & in
abundantia pauperem eſſe voluerunt, ſicut
viuentes ſteterũt in omnibus propter Chri-
ſtum; ita Chriſtus propter illos ſtabit in
cælis; quia inquit, qui confitebitur me co-
Matt 10. ram hominibus, confitebor & ego eum co-
Eccl. 6. ram Patre meo. Subinde Sapiens, qui timet
Deum æquè habebit amicitiam bonam;
quoniam ſecundum illum erit amicus il-
lius. Fili à iuuentute tua excipe doctri-
nam, & vſq; ad canos inuenies ſapientiam.
Hæc enim eſt ſapientia vera, in omni tem-
pore, in cunctis locis, & in omni nego-
tio ſtare propter Chriſtum, hoc eſt vniuerſa
propter illum operari.
In teſtimonium illis. Sunt ergo Apoſto-
li, atque omnes Apoſtolici viri teſtimonium
Pſal 18. Domini ſapientiam præſtans paruulis, qui
humiliter ſuſcipiunt inſitum verbum, quod
prædicant ad ſalutem pereuntium, quod an-
nuntiant bonum, vt errorum tenebras pro-
Luc. 2. pulſent; & euangelizant pacem hominibus
bonæ voluntatis, vt conuertant gladios in
Iſai. 2. vomeres, expectentque diuites Ieruſalem
cæleſtis fieri. His quidem ſunt teſtimonium
futuri præmij, ſupplicij autem illis, qui
oculos ſuos ſtatuerunt declinare
Pſal. 16. in terram, neque audire vo-
cantem, neque monen-
tem ſequi, vt inex-
cuſabiles illi
ſint,
Theoph. ait Theoph. & ob hoc condemnati,
quod etiam torquentes vos
veritatem vincere non
potuerunt.

* * *

CAPVT DECIMVM.

Et in omnes gentes, primum oportet prædicari Euangelium.

ET iterum annotate ſignum eorum, quæ Expoſitio.
poſtulatis. *In omnes* quidem *gentes*, na-
tiones, & populos, qui per Orbem degunt,
primum omnium, quàm fiat conſummatio,
oportet ſedulo *prædicari Euangelium* meũ,
quod ipſe vobis euangelizaui, & per reue-
lationem meam accepiſtis.
Et in omnes gentes. Hoc eſt Iudæos, & Gen-
tiles. Plurale enim gentes vtrunque popu-
lum ſignat, vt: Increpaſti gentes, & perijt *Pſal. 9.*
impius: In omnibus gentibus ſalutare *Pſal. 56.*
tuum: In ipſo gentes ſperabunt: Prophetam *Iſai 11.*
dedi te in gentibus. Gens ſingulariter, vt *Ierem. 1.*
plurimum ad Hebræũ populum ſignandum
contrahitur: Væ genti peccatrici: Si pœni- *Iſai. 1.*
tentiam egerit gens iſta de peccato ſuo: *Ier. 18.*
Maledicti eſtis, & me vos confingitis gens *Malach. 3.*
tota. Quod ergo nunc dicat *in omnes gen-
tes* prædicationem ante omnia debere ex-
tendi, inſinuare videtur nõ prius fore mun-
di finem, quàm Elias, & Enoch ſua prædica-
tione Hebræos ad Chriſtum conuerterint.
Quoniam tunc *omnes gentes* audient libetè,
& optabunt ſibi Chriſtum annuntiari. Incli- *Hieron.*
nat ad hanc ſententiam Hieronym. qui vbi-
que terrarũ Euangelium prædicatum tem-
pore ſuo haud credidit; Auguſt. quoque lib. *Auguſt.*
16. de Ciuit. cap. 9. Beda de ratione tempo- *Beda*
rum lib. cap. 32. Procopius Garzo ſuper il- *Amb li. 10. ſup. Luc 6. 3.*
lud Gen. 1. Congregentur aquæ, quæ ſub
cælo ſunt. Lactantius Firmianus lib. 3. diuin *Procopius.*
inſtit. cap. 32. In contrarium ſunt Tertullia- *Lactan.*
nus lib. de anima c. 27. Chryſoſt. hom. 10. in *Tertull.*
Matth. Theophyl. & Victor Antiochenus in *Chryſoſt.*
hunc locum, & alij, qui volunt vbique terra- *Theoph.*
rum prædicatum Euangelium ante Ieſoſo- *Victor Antiochen.*
lymorum ruinam. Quod ſignificat D. Paul. *Rom 1.*
Rom. p. dum Romanorum fidem annuntiari
per totum Orbem dicit, ſimiliter Coloſſ. 1. *Coloſſ 1.*
apud omnem creaturam, quæ ſub cælo eſt
prædicatum eſſe Euangelium. Nam quod
ante captiuitatem prædicatum ſit Euange- *Theoph.*
lium, ait Theophyl. audi Pſalmiſtam: In om- *Pſal. 44.*
nem terram exiuit ſonus eorum, & in fines
Orbis terræ verba eorum. Quod etiam in
maiorem condemnationem Iudææ factum
eſt. Nam cum viderent tàm breui tempo-
re prædicationem in totum Orbem tranſire,
etiam ipſi agnoſcere debuiſſent Chriſti vir-
tutem, pœnitentiam agere, & liberari à ca-
ptiuitate: ſed non intellexerunt; & idcirco
maius illorũ iudicium. Poſt hunc ergo præ- *Victor Antioch.*
dicationis curſum (concludit Victor An-
tiochenus) expletum, cæteraq; quæ cla-
dem illam antegreſſura prædicta ſunt con-
ſummata, Ieroſolymorum excidium ventu-
rum

Digitized by Google

rum eſt, ait Dominus, iuxtà priorem ſententiam mundi deſolatio fiet, prædicato in omnes gentes Euangelio.

Primum oportet prædicari Euangelium. Euangelium, inquit Ambroſ. in ep. Paul. ad Rom. eſt bonum nuntium, quo peccatores ad indulgentiam conuocantur. Vnde eius ſumma ſcribit Cyrill. Alexand. lib. de rectâ in Chriſtum fide ad Reginas, & quaſi caput Euangelicorum præceptorum eſt fides, in ipſum, ſcilicet Chriſtum. Hic enim noſter eſt fructus, quem Chriſto tanquam Deo offerimus. Totam verò ſummam (ſecundum Concil. Colonienſe cap. 6.) Ezech. his verbis expreſſit: Viuo ego dicit Dominus: Nolo mortem impij, ſed vt cōuertatur impius, & viuat, Iuſtitia iuſti nō liberabit eū, in quacūq; die peccauerit; & impietas impij nō nocebit ei in quacunq; die conuerſus fuerit ab impietate ſua Quare qui egerit pœnitentiā à peccato ſuo, feceritq; iudic ū, & iuſtitiam, & in mandatis vitæ ambulauerit, nec fecerit quicquam iniuſtum, vita viuet, & non morietur, quod Chriſtus breuius complexus: Pœnitentiam, inquit, agite, & appropinquabit regnum cælorum. Itaque Euangelium, quod primum oportuit prædicari iuxtà patres, fides in Chriſtum, & pœnitentia peccatorum, & integræ iuſtitiæ obſeruantia. Non quale Magdeburgenſes Centuriatores confingunt, videlicet, nudam fiduciam, quod peccata ſint per Chriſtum remiſſa, id quod figmentum eſſe diabolicum ſæpè alias oſtendimus.

Ambroſ. Quid ſit Euāgel. Cyrill. Conc. Colon. Ezech 33. Matt. 4. Quid primo prædicandū. Centur. error.

CAPVT XI.

Et cum duxerint vos tradentes; nolite præcogitare quid loquamini, ſed quod datum vobis fuerit in illa hora, id loquimini, non enim vos eſtis loquentes, ſed eſt Spiritus ſanctus.

Expoſitio. ERgo quia Euangelicæ prædicationis munus erit veſtrum exercere, & eo multa vos pati oportebit, præmonitos velim *cum* veritatis hoſtes *duxerint vos* inhumaniter *tradentes* ad ſua concilia, & Regum aulas, *nolite* puſillo eſſe animo, neque *præcogitare* multas argumentationes, aut ſubtiles ſententias, *nec quid* pœnitus *loquamini* ad eos, *ſed* omnem fiduciam ponentes in eum, qui facit os hominis, atque implet, *quod* tùm cælitus *datum vobis* largiter *fuerit*, hoc fiducialiter *in illa hora* proferte, *idque* tantum *loquimini*, quod non natura, ſed auctor ſubminiſtrauerit. *Non enim* in tali poſiti preſſura *vos eſtis loquentes* talia, quæ obmuteſcere faciant omnes mundi huius prudentes, *ſed Spiritus ſanctus*, qui operatur omnia, virtus veſtra, tùm in dicendo, tum operando, erit admirabilis.

Et cum duxerint vos tradentes. Nam non ſolum verbis perſuadebantur Apoſtoli ad Reges, & Præſides ire, ſed vi, ac multis iniurijs, & ſupplicijs compellebantur, ac cito greſſu properare. Hoc enim mihi videntur iſta ſonare *cum duxerint uos tradentes*. Conſonat Theophyl. ſcribens: Antequam bellum excitatum fuerit, quid non patiebantur Apoſtoli ab illis dū protraherētur ad tribunalia, & ducerentur ad Reges Herodem, Aggrippam, & Neronem? Patiebantur autē Apoſtoli hanc vim, non vt martyrium abhorrerent, aut ſubterfugerent, ſed vt illud cum timore adirent, quaſi ad opus alioqui arduum, difficile, & meritis proprijs altius, vnde quod aliqui ad tempus ſe abſconderint, vt Syluester, fugerit Petrus, & alius nomen ſuum celauerit, nemo damnat quinimmo laudat timorem, & reuerentiam, quæ facto huiuſmodi martyrio exhibuere. Theoph.

Nolite præcogitare quid loquamini. Quoniam cum Martyre deſcendit Deus in foueam, & in vinculis non dereliquit eum. Qui autem ſecum defert theſaurum nihil de expenſis cogitat, & qui ſecurum habet manna quid opus habet præcogitare ollam Ægypti, nec de craſtino cogitare? Hinc Gloſſ. interl. voluntatem tantum offerte, ego loquar, qui ſum in vobis, & gratiæ Spiritus ſancti in reſpondendo aderit. Quid ergo, ait Scriptura: Cogitationes ſenſati in omni tempore? Verum, ſed apud altiſſimum, ad Dominum qui fecit illum, ſi enim voluerit Dominus magnus ſpiritu intelligentiæ implebit illum; nihil pænitus cogitare, ante congreſſum hoſtium non prohibetur, ſed non anxiè nimis, vt anxietate ad triſtitiam, & timorem mundanum pertrahatur, vnde lectio Græca habet μὴ προμεριμνᾶτε ne praanxiemini, vt vertit Sanctes Pagninus, aut, vt exponit Gagnæius, ne ante nimium ſitis ſolliciti, neque anxij. Gloſſa. Eccl. 32. Sap. 5. Pagnin. Gagnæius.

Sed quod datum fuerit in illa hora. Nam ſpiritus Domini eſt ſuauis in omnibus, vt iuxtà loci, perſonæ, ac rei tractandæ circunſtantias ſingulis, prout vult, inſpiret, & det affluenter. Proinde dicenti: Puer ego ſum, & neſcio loqui, reſponſum eſt, noli dicere puer ego ſum, quoniam ad omnia, quæ mittam te, ibis, & vniuerſa quæcunque mandauero tibi, loqueris. Ierem. 1.

Id loquimini. Relictis alijs id tantum loqui à ſuis vult, quod deſuper miniſtratur. Quoniam multa etiam ſe offerunt à natura, quibus poſſumus ſatisfacere quærentibus: His tamen relictis, in quibus ſæpius continget, vel falſum, vel deceptio, vel ſeparari, tantum ea loqui præcipit, quæ à veriſſimo ſunt fonte, quibus contradici non poteſt, nec falli poſſumus, neque fallere.

Non enim uos eſtis loquentes. Nam mendaces filij hominum in ſtateris ſuis. Ergo quoties vera loquimur, verique teſtes ſumus,

mus,ab eo,qui veritas eſt, pendemus,& qui verax eſt per nos,vt per inſtrumenta loquitur. Hinc illud: veritas à quocunque dicatur de Spiritu ſancto eſt.

Sed Spiritus ſanctus. Is quia ſanctus, & rectus nihil niſi rectum, verumque docet loqui, quod & loquentem, & audientem reædificet,iuſtificet,& veritate confirmet.Inde
Pſal.50. Pſaltes: Ne proijcias me à facie tua,& Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me. Nam eſt clauus nauis,& ſpiraculum vitæ,quo noſtra omnia viuificantur; qui ergo viuifica-ſemper, & vera loqui debebant, è ciuitate-
Act.1. prohibentur egredi, quouſq; virtute ex alto induantur; & Spiritus ſancti virtutem-acciperent.

CAPVT XII.

Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium, & conſurgent filij in parentes, & morte afficient eos.

Expoſitio. QVod autem vos tàm durè mortales tractare diſponant, nolite mirari.Nam tanta erit futuris temporibus hominum-ignorantia, ne dicam malitia, vt ius totius conſanguinitatis violare contendant. *Tradet* autem abſque miſericordia *frater* vterinus *fratrem*, quem natura facit chariſſimum, impietas pertrahet *in mortem*. Et quidem *Pater*, qui eſt in filio *filium* vnicum à ſe, vt abortiuum quid alienabit, & perſequetur, parque pari reddent gnati. Etenim *conſurgent* manu valida, & irreuerenti animo *filij* proprij *in parentes*, qui ſe genuerunt. Nec ſat ducent conuiciari carnis ſuæ auctoribus, niſi mulcta,ac *morte afficiant eos* iam ſenio confectos,& canitie venerandos.

Tradet autem frater fratrem in mortem. Hæc traditio non cenſetur, quam ob hæreditatem paſsim inter fratres eorundem parentum videmus penè vbique. Quia omnes quærunt, quæ ſua ſunt inflammati amore-concupiſcentiæ, quæ ſe nimium amantes; pyrropæcilo duriores ſunt, & fuluarum macularum varietate,hoc eſt,vitiorum replentur,vt nullum ius,neq; iuſtitiam agnoſcant, ſed ſeipſos,ſed aurum,ſed dominium, & ego Dominus, continuo proferant. Huiuſmodi traditionem damnat natura;Chriſtus autem eam,quæ ob fidem,& cultus veri obſeruantiam olim inter Gentiles viſebatur, & mox inter hæreticos, qui fratrem catholicum-inſimulant, ſugillant, prodeunt, prouocant, & mactant. Quorum factum non ſolum, vt priorum dicito inhumanum,ſed ſacrilegum, Quod Chriſtum in fratre orthodoxo perſequantur, templum Spiritus ſancti euertant, & Dei ſedem de loco ſuo tentent amouere.

Immo qui dicant Chriſto: Recede à me non appropinques mihi,quia immundus es: Iſti ſumus erunt in furore meo ignis ardens tota die. *Iſai.65.*

Et Pater filium. Inter hos quoque cædes mutua intercidit, vel propter fidem,vel quippiam temporale, quæ cauſam habet temporalem Iuſtitiæ, aduerſatur, vt plurimum, quæ ſpiritualem deſtruit charitatem, quæ eſt vinculum perfectionis. Quare grauius peccat, qui propter religionem perimit filium, quàm qui ob aliam temporariæ vitæ rationem carnis à ſe genitæ fit carnifex,vltor,perſecutor,& peremptor.

Et conſurgent filij in parentes. Hoc præcedentium grauius crimen eſt. Quoniam-filius eſt aliquid Patris,& totum eſſe à Patre hæreditat; tùm maximè cum inuaſio, & inſurrectio filiorum in parentes ortum habet à ſacro cultu, & obſeruantia in Deum, & Chriſtum,ſummum ſcelus eſt. Nam non ſolum malum pro bono referunt,ſed omnimodam perniciem,tùm animis,tùm corporibus parentum quærunt filij, qui à vera pietate parentes reuocare contendunt.Et integram fidem,quam profeſsi ſunt,minis,terroribus, & multa compellunt deſerere. Filij Ephrem incedentes, & mittentes arcum, vtinam in die belli, quod Deus huiuſmodi ſanctificat, iamque per Orbem videtur vocare,conuertantur,vt in generationem,ò Deus, in generationem annuntiemus laudem tuam. *Pſal.77.* *Pſal 78.*

Et morte afficient eos. Hoc eſt Martyres efficient. Nam mors eſt, quæ Martyrem celebrat. Martyr,inquit Auguſt.ſerm. de ſancto Laurentio. Græcè Latinè teſtis dicitur. Igitur quotieſcunque bonis actibus mandatum Chriſti facimus, toties de Chriſto teſtimonium perhibemus; at plenum nemo fert niſi omnibus, quæ poſsidet,Chriſtum-profiteatur. Hoc autem ſolum in morte-contingit oblato corpore,& ſanguine in teſtimonium, ergo & tunc Martyr plenè quis efficitur,atque propriè, vide S.Thom.2.2.q. 124.art.4. *Auguſt.* *S.Thom.*

CAPVT XIII.

Et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum; qui autem ſuſtinuerit in finem,hic ſaluus erit.

QVare ſi cum domeſticis tanta ob fidem perſecutio fiet, & crudelitas,quid miramini ſi tanta vobiſcum acturos homines mala prædico? Etenim vnà mecum agitis miniſterium: *eritis odio* implacabili, & nefario *omnibus* hominibus idolatris, & peruicacibus. Nec alia vos inſequentur cauſa, quam *propter nomen meum*, quod exaltabitis,& fidem eius,quã cunctis explanabitis ſi quomodo ſanentur, vt ſalui fiant, *Expoſitio.*

aut certè omnifariam replentur. Verum enimuero, *qui* in tàm graui, & ingratiſſima perſecutione *ſuſtinuerit* fortiter, nec vnquam ab animi conſtantia defecerit, ſed *in finem* vſque aduerſa omnia tollerauerit, hic felix,& dignus triumphator; qui poteſt narrare victorias,ſaluus erit apud Deum, & in illo ſemper beatus.

Et eritis odio omnibus. Quod ſi *omnibus* quomodo, & in hac vita centuplum promittit alibi? Centuplum quidem in omnibus, matribus, patribus, filijs, ac reliquis pijs poſſedere Apoſtoli, & quique miniſtri optimi Chriſti, atqui inſimul ſunt odio omnibus impijs, qui veritatem Dei conuerterunt in mendacium, ſtultitiam dixere ſapientiam, & quod iniuſtum eſt, legem ſanciunt iuſtitiæ. Hi Pirrichijs ludibus aſſueti à principio, odio habuerunt corripientem in porta, & recta loquenti inſidiati ſunt. Quid quod aduerſus Deum roborâti ſunt, & pingui ceruice armati proceſſere contra fratres ſuos, qui bona nuntiant, & operantur, quæ lex veritatis iubet. Propterea fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum, in retributionem, & in ſcandalum. *Pſal.68.* Quod dicat littera *odio eritis*, indicat pugnæ obiectum eſſe charitatem, cui odium primo aduerſatur: Charitas autem Deus eſt, ergo illum primo expugnant, quo fratrem,& ſanctum odio proſequitur. Pro *odio eritis* Græca lectio habet μισούμενοι, hoc eſt *exoſi*, quo vehementia odij explicatur.

Propter nomen meum. Hæc cauſa facit ſuſtinentiam dicentium, & inſequentium dignam præmio, laude, & perenni gloria. *Auguſt.* Hinc Auguſt.ad Vinc.epiſt.48.cum boni,& mali eadem faciunt, eademque patiuntur non factis, & pœnis, ſed cauſis vtique diſcernendi ſunt, Pharao populum Dei duris laboribus afficiebat; Moyſes eundem populum impiè agentem duris coarctionibus affligebat. Similia fecerunt, ſed non ſimiliter prodeſſe voluerunt: Ille dominatione inflatus, iſte dilectione inflammatus.

Qui autem ſuſtinuerit in finem. Duo ab Athletis hoc in loco exiguntur, patientia,quæ opus perfectum habet, & perſeuerantia in tollerantia, quam largitur Deus illis, qui patientes ſunt: Vnde Anacletus *Anacletus.* in epiſt. 1. Decretali ſcripſit: Patientes eſtote dilectiſsimi, quia patientia probationem operatur, probatio verò ſpem; ſpes autem non confundit. Ecce agricola expectat pretioſum fructum terræ patienter ferens,donec accipiat temporaneum, & ſerotinum. Si agricolæ hæc patienter ferunt pro temporalibus fructibus, quanto magis vos pro æternis patientes eſſe debetis?

Hic ſaluus erit. Saluus quidem in primis à contradictionibus carnis, quæ militant aduerſus ſpiritum, ſaluus à præſſuris mundi, quæ iuſtum crucifigunt, & ſaluus à dæmonibus, qui mox circuunt leones deuorare, & deprædari. Nam qui patienter ſuſtinet demum ſub ſe appetitum ponit, vt lutum; quæ mundi ſunt nebulam reputat; & diabolum, vt ſtipulam ante faciem venti fugat. *Fructus patientiæ.* Hæc viuenti dum patienter in bonis omnibus, & aduerſis agere proponit, & ſtudet, elargiuntur. Poſt mortem autem cam ſalutis æternitatem, & felicitatem aſſequitur, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit. Mane ergo ſemina ſemen tuum, & veſpere non ceſſet manus tua, quia neſcis quid magis oriatur hoc, aut illud, etſi vtrunque ſimul melius erit. Dulce lumen, & delectabile oculis videre ſolem; ſolem dico iuſtitiæ, propter quem ſuſtinemus,& operamur, maledicimur, & benedicimus, & iugum, quod à iuuentute portamus, vſque in ſenectam, & ſenium precamur deportari, vt quod cœptum eſt à pueritia ſeminari, fructificet, & quod ad omne tempus operari optamus, præclaram ſortem accipiat apud Deum, qui inſpector eſt operum, & iuxtà cor operantium præmiat, & ſaluat in ſæculum.

CAPVT XIV.

Cum autem videritis abominationem deſolationis, ſtantem vbi non debet, qui legit intelligat, tunc qui in Iudæa ſunt fugiant in montes.

HOc quoque, ò Apoſtoli, annotate ſignum deſtructionis propinquæ. *Expoſitio.* *Cum* enim proh dolor *videritis* infauſtum,& omnium piaculorum execrabile, *abominationem* inquam *deſolationis* citiſſimæ ſignum euidentiſſimum, *ſtantem*, velut quippiam aliud ſacrum, & religioſum in loco ſancto, *vbi non debet* quid prophanum, & execrabile reponi, in primis *qui legit* prædicationem mox, & poſtmodum oculis inſpiciet, *intelligat* diligenter, & penetret portentum, ſed & tunc *qui* in Orbe, tùm maximè *in Iudæa ſunt* degentes properè *fugiant* ad remotiſſimos, & omnium ſacratiſsimos *montes*, vt propriæ ſaluti proſpiciant.

Cum autem videritis abominationem deſſolationis. Præmiſsis ſententijs apud Matt. ego aliã ſuperadderẽ, videlicet, *abominationem deſſolationis fuiſſe* Summũ Pontificem, qui alternis vicibus, auctore Ioſepho ſubrogabatur Pontificatui,& sũmo Sacerdotio: Siquidẽ is Paſtor,& idolũ, quod eſt abominatio ipſa dici ſolet, quãdo iura omnia Põtificia peruertit, nullamq. Põtificis ſpetiẽ, præter veſtimẽta gerit. In cuius tẽpore legimus Ieruſalem ab Aſſyrijs captam, demumque ſuccenſam,& hanc noſtram Romanã ſedem

mox

Digitized by Google

mox totius Eccleſiæ pæne ab Orthone Imperatore internitioni deditam ſedente in Sede Petri Ioanne, quem Romani Leone depoſito ſublimarunt; ſimilem autem multoque adhuc peſtilentiorem extitiſſe Pontificem perſuademur ex his, quæ Ioſephus ſcribit. Eundemque moribus pone fore in finali ruina ex ſimilibus coniectamur. Vt enim Chriſtus venit peccatum omne deſtruere, atque mundum vincere imperantibus in Eccleſia, & ſæculo infamibus hominibus; ita deſolationem æternam, tùm Ieroſolymorum, tùm Orbis fieri voluit Præſidentibus ijs, qui ſcelus pro Religione colunt. Nam ſi iudicium incipit à domo Domini propter eos, qui malè in ea præſunt, demandari *deſolationem* tùm Vrbis, tùm Orbis perſuademur. In hunc modum litteram exponere, eam non ſolum ruinæ Ieruſalem, ſed Orbis quoque ſignum fore dicere poſſumus. Nec obſtat *videritis*. Nam non ad Apoſtolos, ſed ad omnes futuros fideles extenditur. Neque enim omnes Apoſtoli viderunt oculis mala, quæ Ieroſolymitis Chriſtus prænuntiauit.

2. *Stantem vbi non debet*. Nec verba iſta valent alteri, quàm peſſimo Præſuli accommodari melius. Nam ſtatuæ quæcunque fuerint ſiue hominum, ſiue dæmoniorum, tametſi in templis ſacris reponantur, non dicuntur ex natura ſua niſi ratione circunſtantiæ ſtare *in loco, vbi non debent*. Quoniã corporeum in corpore ſtare, & ſedere non repugnat quin naturæ corporeæ conuenit. At Præſulem agere omnium peruicaciſſimum, & in cathedra honoris infamem ſedere, ſtareque in loco Dei, qui eſt totus ex diabolo, eſt propriè aliquem ſtare *in loco vbi non debet*. Nam Pontificia dignitas iure ſuo, atq; natura indignum recuſat, & poſtulat digniſſimum, vt cælum aſtra non lutum; aurum ſignum ſmaragdi, non ferri; & ſolium, quod vniuerſalis Regnis præfertur, Salomonem efflagitat, non Roboam; tametſi hunc quoque ſuſtineat, & non abſque myſterio profundiore eundem Deus eo eligat, ſedere faciat, & ſolij rectitudinem per illum exerceat. Nihilominus ſi præbeamus aurem cathedræ Seniorum, audiemus continuo clamantem: Quid tu hic? aut quaſi quis hic? Quoniam irreprehenſibilem ſibi dignitas poſtulat, & exemplũ omnium fidelium, non ſcandalum, quo pereant ij, quos præſulatus ipſe ſaluari optat. Indignus ergo ſtat vbi non debet, quando regit is clauum, qui vel doctrinæ peritia, vel morum ſanctimonia deſtruitur.

Contra malè Prælatũ, qui rectè dicitur ſtare vbi non debet.

Iſai. 22.

3. *Qui legit, intelligat*. Locutionis huiuſce modus latere in facto, ac verbis myſterium inſinuat, vt ſimilis formula, quæ alias ſæpè legitur indicat, ac illa, qui habet aures audiendi audiat. Quod ego in præſenti formula dicendi animaduerto, eſt velle omnem hominem, qui prædictis malorum preſſuris intererit, præmonere, vt legens, ac videns perturbationes temporum, & calamitates intelligat ob peccata ſua demandari, Deumque ob vitæ negligentiam habere iratum, vt & ſi paruulus vnius diei ſaccum induat cum Rege, qui conſenuit in tyrannide, quicquam non guſtet, tametſi Religioſus, ſed nouum abſtinentiæ genus excogitet, atque mulier peccatrix, quæ in omni via lupanaria ſibi conſtruit; denique quantumuis Sanctus in tempore afflictionis, & iræ Dei proſtratus ante Deum exclamet. Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci. Adiuua nos Deus ſalutaris noſter, & propter gloriam tuam libera nos, & propitius eſto peccatis noſtris propter nomen tuum. Nam etſi profeſſione Sanctus, neſcit an odio, vel amore dignus ſit; & dato ſibi ſuam reuelatam iuſtitiam ignorat velit ne Deus corporea illa pœna, & flagello eum caſtigari cum ijs, qui verè peccarunt. Etiam vt ſic intelligens, ſicque decrepans iram Dei auertat; & fratribus conſulat.

Pſal 50.
Pſal 78.

Tunc qui in Iudea ſunt fugiant ad montes. Benè autem dixit, inquit Theophyl. *Hi qui in Iudæa*. Nam Apoſtoli non fuerunt in Iudæa, vt diximus, antequã bellum exortum eſt, in perſecutione exacti ſunt è Ieruſalem: ſed de reliquis Chriſtianis, quando fugerint diſceptatur; Ioan. Haſſelius Louonienſis in c. 24. Matt. Cornelius Ianſenius ſuper 122. cõcordiæ Euangelicæ, & Cæſar Baronius Annalium anno Chriſti 68. aiunt fideles à tantis ſe præripuiſſe periculis in obſidione Ceſtij Præſidis Syriæ, quam Ioſephus lib. 2. de Bello Iudaico. c. 24. deſcribit. Benedictus Pererius in Danielem lib. 10. propè finem, vult fideles omnes, qui in Chriſtum credebant, Pellam ſe tranſtuliſſe cum omni Eccleſia, vt Epiphanius Her. 29. & 30. quando Titus cum patre Veſpaſiano Ieroſolymã obſidione cinxit. Et quidẽ litteram id ſonare videtur, nec obſtat difficultas obſidionis, quam obijciunt alij. Nam qui Petrum de medio militũ eduxit, & filios Iſrael illæſos ab vndis ſeriſſimi maris per alueum trauſuexit, potuit è Ieroſolymis credentes ducere, ad tutiſſima loca pertrahere, neq; ſentiente, neq; lædẽte quenquam illorum Romano milite. Quod ſi iterũ obijcias fruſtra miraculũ ſtatui, quod nec legimus, nec ponere cõpellimur. Si dicamus eos præueniſſe duram illam, & vltimam obſidionẽ; verũ ſicut nec miracula omnia ſcribuntur, ita & hoc potuit prætermitti cũ facile, & illud, & maiora feciſſe tunc Deum cũ fidelibus ex prouidentia, & cura, qua legimus ſolitum ſuos proſequi, tum maximẽ eos, qui nouã Eccleſiam initiabant, poſſimus credere. Admittimus poſt Ceſtij obſidionẽ, pleroſq; Iudæorum, tanquam è naui peſſum itura ex ciuitate enataſſe. An verò inter

Theoph.

Quando fugerunt è Iudæa Chriſtiani?

Ioan. Haſſ.
Corn. Ianſ.
Baronius.

Pererius in Danielem.

Epiphan.

Digitized by Google

hos Chriſtianos commemorare debemus, incertum habeto, & opinabile. Qui ſignum iſtud abominationis ad vltimam Orbis ruinam referre voluerint, ſic præſentem ſententiam interpretantur: Tunc qui in Iudæa ſunt, fugiant in montes: Hoc eſt, qui in Eccleſia erunt fideles ad Sanctos, qui in cælis ſunt, vt ad montes tutiſſimos, confugiant, Iuxta illud: Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi, auxilium meum à Domino, qui fecit cælum, & terram; ſed per Sanctos, quos vult inuocari à nobis, & ipſe exaudit. *Pſal. 119.*

CAPVT XV.

Et qui ſuper tectum ne deſcendat in domum, nec introeat, vt tollat quid de domo ſua.

Expoſitio. ETiam, inquit Chriſtus; ad pedes ſe colligant, qui in priuatis domicilijs, & caſtellis habitant, nec ſpem ponant in murorum ambitu, & habitationum celſitudine, ſed quamprimum ſigna hæc quiſque viderit, *qui ſuper tectum*, & planitiem altam domus ſuæ videtur tutiſſimus, quamprimum aufugiat; *nec deſcendat* ad loca ſecretiora intra domum latere. Etſi tangatur deſiderio pretioſarum rerum, quas reconditas intra arcas habet nullo modo *introeat* ad cubicula, *vt tollat quid* pretioſum *de domo ſua* in viaticum, & commeatum fugæ, ſed euadat pericula, quæ imminent.

Et qui ſuper tectum ne deſcendat in domum. Quaſi dicat magni tunc temporis beneficij ducatis, ſi vel nudo corpore mortem euadere liceat. Quamobrem, qui tunc in tectis, vel agris verſabuntur, ne ſint ſolliciti, vt deſcendant, & veſtimenta accipiant. Per hæc autem, aliaque id genus ſimilia mala prorſus ineuitabilia, taliſque calamitas inſinuatur, quæ nunquam habitura ſit finem. Traditur hic quoq; forma diffugiendi ſpiritualem deſolationem: illa enim graſſante per Orbem fermè totum, qui vel hæreſibus repletur, vel vitijs ſuperabundat, & ſcandalis omnis penè ſtatus Eccleſiæ repletur. Id remedij reſtat electis, vt fugiant cum eo, qui dixit; Ecce elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine, ſemotus ab alijs, ne cum peruerſo peruertar: ſed cum Aquila in arduis nidificans, & cum Iacob ſeruiens pro Rachele in montibus, & vberrimis paſcuis, dignus inueniar inter patres glorioſos cenſeri. Sed quis *ſuper tectum*? qui in charitate, quæ operit multitudinem peccatorum fundatur, & radicatur. *Ne deſcendat in domum*, ſi à periculis tutus eſſe optat. Hoc eſt, ne ſuccumbat paſſionibus corporis, ſed ſub ſe continuo habeat appetitum carnis cium: Quia ſi mei non fuerint dominati tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo. Vbi enim ruina populi niſi in ſepulchris concupiſcentiæ, & vnde ad ſuſpendium deportati Reges Canaan niſi à ſpelunca? Hanc fingito, & ſepulchrum peſtilens, concupiſcentias carnis, quæ mortem æternam minantur his, qui abierunt in voluptatibus ſuis, vagi in prauitate cordis ſui.

Pſal. 54. *1. Cor. 14.* *Pſal. 18.* *Ier. 7.* *Iſai. 57.*

Nec introeat, vt tollat quid de domo ſua. Introire aliquid amplius inſinuat, quam deſcendere, videlicet perſcrutationem. Quoad litteram, ſecundum ſpiritum mihi ſignificat ſolicitudinem, & curam carnis diligentem, & ex propoſito, vt impij dixere: Fruamur tanquam creatura celeriter. Itaque ne paruulus pereat, ſed ſaluetur, *non introeat tollere aliquid de domo ſua*, hoc eſt, non ſtudioſè curam carnis faciat, non ſit amator vini, non vacet ex propoſito potibus, comeſſationibus, ebrietatibus, impudicitijs, non indulgeat ex animo veneri, non apponat cor diuitijs, non trahat denique iniquitatem in funiculis vanitatis. Denique nihil aliud ab eo, quod charitas imperat, quærat ſolicitè, neq; amet, ſed ſit tanquam non poſſidens ſi quod habeat, in hoc ſæculo, & tanquam non habens, qui ſenſilibus vtitur, quia præterit figura huius mundi, & quod grauius eſt, præterit homo, qui charitatem relinquens deſcendit ad amorem brutalem, vt paſcatur ſiliquis.

Abſcindẽda cura carnis. *1. Cor. 7.*

CAPVT XVI.

Et qui in agro erit non reuertatur retrò tollere veſtimentum ſuum.

ET hæc ſit vobis euaſionis via tutiſſima, in tempore anguſtiſſimo, *qui enim in agro* culturæ deditus, aut paſcuis *erit*, inde ſibi properè conſulat, ac nullatenus *reuertatur retrò*, nec ad vrbem, nec domum *tollere veſtimentum ſuum*, quo nuditatem corporis tegat, & ornatũ ferat ſecum. *Et qui in agro erit*. Ager, qui fert ſata hominibus, & pecoribus, atque armentis paſcua, quique tum paſtoribus, tum agricolis committitur colendus, & paſcendus eſt ſtatus Eccleſiæ, quem quiſque pro voto, & ſecundum diſpenſationem ſpiritus, cuique contigit, vel miniſterium agere Præſulis, vel officium Religioſi exercere, aut quippiam aliquid in Eccleſia agere: Is eſt *in agro*, vel ſeminans cum operatur bene, vel plantans quando virtutem acquirit, vel metens quando de virtute in virtutem proficiſcitur, & incrementa iuſtitiæ facit, vel paſcens pecora, cum charitati fraternæ intẽdit, exercet pietatẽ in propoſito ſtatu. Deniq; ſtat in teſtamẽto ſuo, hic *non reuertatur retrò*. Hoc eſt ad priorẽ conuerſationẽ nõ redeas, quia nemo mittens

Expoſitio. *Eccl. 11.*

manum

manum ad aratrum, & aſpiciens retròaptus
Luc. 9. Nò aſpiciẽdum retro. eſt Regno Dei,ſed qui vadunt,vt cadant re-
trorſum , in primis abalienati ſunt à legiti-
Gen. 17. mis Dei, qui præcepit; ambula coram me,
& eſto perfectus , porrò in interitum citiſ-
ſimè veniunt,vt ouis, quæ errat . Ergo qui
Pſal. 33. vult vitam, & cupit dies ſuos videre bonos,
maneat in ſua vocatione . Et ſta,inquit ora-
Eccl. 11. culum, in teſtamento tuo , & in illo collo-
quere, & iu opere mandatorum tuorum ve-
teraſce . Ne manſeris in operibus peccato-
rum . Confide autem in Deo , & mane in
loco tuo . Quia ego cognoui , cantat Pſal-
Pſal. 134. tes:Quod magnus eſt Dominus,& Deus no-
ſter præ omnibus Dijs . Quare qui Deo ſer-
uit *in agro*,aut vinea nõ reuertatur ad ama-
tores priores , qui non ſuut Dij , ſed aut
dæmonia,aut figmenta eorum , vt nobis il-
ludant ; cadatque à nobis aſcenſor, qui no-
biſcum eſt in opere bouo , qnod ſuſcepi-
mus .

Tollere veſtimentum ſuum . Proh dolor
hæc eſt totius eccleſiaſtici ordinis iactura,
Cauſa vniuerſalis ruinæ multorũ. & præcipitium . Nemo enim retro vix abit,
niſi vt *tollat veſtimentum ſuum* . Eo apo-
ſtatat religioſus , vt veſtiat gulam lautius,
corpus curioſius , manum locupletem fa-
ciat , & pedem ad mala liberiorem. Quid?
etiam Præſules à perfectione ſtatus retrahit
tollere veſtimentum ſuum , hoc eſt, quære-
re velle ditari,& nullam ſentire pauperiem;
velle iu veſtimenris ſæculi gloriari , & non
amare,neq, in ſe,neq; in ſeruis moderatum,
& honeſtum indumeutum;denique *tollere
veſtimentum* ſuperabnndans omnibus ſuis
ſenſibus , paruique facere modeſtiam tàm
in victu , quàm veſtitu , quam rario ſtatus
exigit,& patres tùm priuatis ſcriptis, tùm
documentis adhortantur . Denique, vt pau-
Religionis peſtis. cis concludam,reliqua mala,quæ Religionis
perfectionem deſtruunt,*tollere veſtimentum
ſuum eſt* proprietatem rerum temporalium,
à qua ſe abdicat Religioſus, iterum amare,
denuò quærere , & vt *veſtimentum indue-
re* .

CAPVT XVII.

Væ autem prægnantibus , & nutrientibus in illis diebus .

Expoſitio. VEerum enimuero etſi his ſatis videa-
mur prouidiſſe miſeris,non omnes po-
terunt tutè hiſce couſilijs vti, neque ſaluare
ſeipſos valebunt , qui onere grauabantur.
Væ ergo *prægnantibus* , quæ pondere fœ-
tum à curſu retrahi compelluntur . *Et* væ
pariter *nutrientibus*, quæ in illis diebus ca-
ros lactabunt,& paruulos, quos amor non
patietur abijcere , neque deſerere volet
maternus complexus , aut certè præ fame
vorabit .

Væ autem prægnantibus . *Væ*, dolentis
eſt hoc loco , nou maledicentis . Neque
enim prægnantibus maledicitur, vt incendij
auctoribus, uiſi propter conſenſum , quem
peccato crucifigẽtium Chriſtum fortè præ-
buere , aut quod carnem conceperint ab ijs
viris , qui maledicti ob flagitium erant, vt-
cunque melius dicemus Chriſtum hoc loco
fœminis compati , & condolere earum mi-
ſeriæ , vt quando ad eas conuerſus dixit :
Nolite flere ſuper me , ſed ſuper voſmetip- *Luc.* 23.
ſas flete; venient enim dies iu quibus dice-
tis beatæ ſteriles , quæ non genuerunt , &
vbera, quæ uou lactauerunt . His quidem
condolet, vt matribus vniuerſæ carnes , &
ſexui deuoto , qui iu anguſtijs poſitus ter-
ram lachrymis inundat , & cælum clamori-
bus videtur rumpere , & ſanctos clamare ,
quouſque prouideantur, & Deus ipſe miſe-
reatur . Qui ergo huiuſmodi actibus dele-
ctatur compatitur ſexui , qui illos frequen-
ter emittit . Itaque *prægnantes* fugæ in-
aptæ, multo in bellis patiuntur . Vnde lib.
hiſtoriarũ legitur vtpotè Regum , ait Gloſ- *Gloſſ.*
ſa,vxorem Ionathæ turbatam fuga, filium *2. Reg.* 4.
ſinu ſuo lapſum recepiſſe perpetuò clau-
dum . Sed quid *prægnantes* ? Has dicito re-
pletos deſiderio huius ſæculi , & vitæ præ-
ſentis uimium amatores . Hi nimium por-
tant fœtum, qno difficiles fiunt ad fugam
vitiorum , & operationem diuini conſilij,
atque præcepti . Propterea dixit Ioannes :
Nolite diligere mundum, neque ea , quæ in *1. Ioan.* 2.
ipſo ſunt . Nam vt ceruus , & ſimia,quæ in
aſpectu venatorum delectatur facillimè ca-
pitur ; & fit præda Sichimitis, qui figuras
concupiſcibilium ſæculi huius amat, appe-
tit,& anxius deſiderat : *Sub herba enim
latet anguis* .

Et nutrientibus in illis diebus . Hæ quo-
que ad fugam tardæ ſunt, & præ amore
filiorum ad curſum ineptæ . De his quoque
fit mentio ſecundum Theophylactum, quod *Theoph.*
pueros hoc loco ſignificet vocandos. Fame
enim obſeſſi, nec pueris pepercerunt, vt Io-
ſephus ſcribit : *Nutrientes* item ſunt , qui
ſubſtantia temporalium ſuperabundant . Hi
ſuper omnes periclitantur in tempore ma-
lo , difficillimèque ſaluantur, niſi omnipo-
tenter iuuentur . Nam diuitiæ auaritiam
quæ eſt capite colubri nequior , accendunt; Auaritiæ malum.
inhumanitatem , quæ eſt panthera defor-
mior , generant ; crudelem , qui eſt tygri
ſimillimus , efficiunt ; fitque demum di-
ues ingratus Deo , & ſui , ac horum obli-
uiſcitur , niſi ſedulo ad ea , quæ ſurſum
ſunt , mentem leuauerit , & conſideratis
tùm damnis , tum natura ipſa vaniſſima
rerum temporalium cœperit contemne-
re omnia , eaque in ſinus pauperum re-
condere , vt in æternis tabernaculis eum
recipiant . Quod eſt omnium celebratiſ-
ſimum Concilium. Nam quæſo te, ait Se-

Digitized by Google

baſtianus, in oratione quam habuit ad Patres Marci, & Marcellini: Si trãſires per medias acies barbarorũ, & inuenires fortè virum, qui te ſemper dilexiſſet, qui tibi crumenam pecunijs plenam donaſſet, diceretq; tibi: Da mihi pecunias cuſtodiendas, quas dedi tibi, quia hi barbari tibi inſidiantur, vt eas auferant, quas cum abſtulerint ſuis te gladijs laniabunt; an non pedibus eius obuolutus rogares, vt ipſe eas reciperet, nihil ambigens, quod & ampliora, quàm acciperet ſit redditurus, & ab hoſtibus liberaturus? Et hoc quidem Deus efficit cum diuitibus, qui ſibi in pauperibus temporalem ſubſtantiam credunt. Quam hi ergo parcus eſt ſubiacet periculis, quæ imminent in hac ſpirituali militia, quæ nemini parcit.

Congrua ſimilitudo.

CAPVT XVIII.

Orate verò, vt hyeme non fiant.

Expoſitio.

ERgo quia declinari vix valent tam difficiles labores, ait eam orate anxie, & cum lachrymis poſtulate, vt hæc anguſtiarum tempora hyeme pluuiali, & lutoſa non fiant, ſed oportuniori tempore, quo ſalubrius, & tutius fugientes ſibi conſulant, ut et ... tem leniores fiant anguſtiæ ineuitabiles.

Orate verò. Fugientes ad orationem hortatur, vt qui electi, & chari, digniq; exaudiri, propter quos enim dies abbreuiat, quid mirum ſi orantes tempus commutari exaudiantur? Multum quidem valet deprecatio iuſti aſſidua, claudit cælum ne plueret, & inde ad hoſtes ignem miſit orans Elias; quid Moyſen, Ezechiam, & reliquos referam? Nimis honorati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum, in cælo ſurſum, & in terra deorſum, vt ibi celebres oratores, & potentes reperiantur, & hic perpetratores prodigiorum. Ergo qui ſancti eſtis, eſtote pro muro, dum auditis comminari bella, & quantumuis Deum ad iram accendi legatis in oraculis, nolite ab oratione, & prece ceſſare. Vobis datum eſt iram auertere Dei, vel ſaltem flagelli tempora veſtris precibus in opportunius commutare, vt fiat pax in temporibus noſtris.

Iacob 5.

Pſal. 138.

Et hyeme non fiant. Eſt enim hyems incommodum tempus, & importunum his, qui ab hoſte compelluntur fugere, tameth nec ad litteram (ait Zachar. Chryſop.) nõ prohibent in Iudæa fugam, quia ibi eſt fugæ commodior temperantia hyemis, quam feruor æſtatis. His ergo admonemur ne in peccatorum frigore, aut in ocio bonorũ operum reperiamur, vel ne finiantur fructus operis veſtri cum fine temporis. *Hyeme* enim finitur fructus, Sabbato autem tempus.

Zachar.

CAPVT XIX.

Erunt enim dies illi tribulationis tales, quales non fuerunt ab initio creaturæ, quam condidit Deus. Vſque nunc, neque fient.

Expoſitio.

NEc parum ducatis ò electi orationem, ad quam vos adhortor, fundere. Quoniam *erunt* apud omnes, qui intercepti inter anguſtias fuerint, *dies illi* anguſtiæ, & *tribulationis* pernicioſiſſimæ *tales*, & tam infelices, *qualis* vllis retrò ſæculis *non fuerunt* ſimiles, *ab initio* mundi *ac creaturæ quam* propter ſemetipſum *condidit* omnipotens *Deus; uſque nunc* illud, quando iſthæc mala contingent, *neque* apud mortales *fient* ſimilia.

Erunt enim dies illi tribulationis tales. Ab eo, quod hominibus, & creaturis accidit, *dies* denominat oraculum, vt *dies* vltionis; *dies* viſitationis, luctus, gaudij, &c. Non quod *dies* ipſæ, ac tempus quippiam horum efficiat, ſed Deus, quia ego, inquit, faciẽs omnia hæc. Neque tempore inhæreat paſſio aliqua; quandoquidem fluit irrecuperabile tempus, ſed vt per ea, vel torqueri hominem, inde colligamus, vel conſolari per quæ peccat, aut benè agit. Tempus enim eſt in quo, vel creaturæ ſeruimus, vel creatori; qui autem creatori obſeruit in tempore *dies illi* fient lætitiæ, qui verò potius creaturæ ſe ſubijcit, dies tribulationis habebit huiuſmodi.

Quales non fuerunt ab initio creaturæ. Tribulationes, quæ *ab initio creaturæ* Orbẽ occuparũt, ſũt in primis, quas ſpiritus apoſtatici paſſi ſunt irreparabili caſu, à ſummo cælo vſque locum inferni, poſt bellum, quod cum Michaele, & Angelis eius tentarant. De his autem nihil mox agi certũ eſt, quandoquidẽ damni pœnã, quæ excedit omnẽ aliã inuoluunt tribulationes illæ. Poſtea ſecutæ ſunt, quas Deus toti carni in diluuio inflexit Sodomitis, & Ægyptijs demandauit, atque alij nunc per elementorum immutationem, & ſæpius per inſultus hominum, & dæmoniorum, quibus poteſtates in homines conceſſit. Has omnes ſub hac Chriſti ſententia comprehendi litteram indicat, ſed diſſuadet aliorum factorum atrocitas, bellorum incendium, famium crudelitas, atque dæmonum, quos legimus in homines animadnertiſſe. Vtcunque ait Victor Antiochenus, nemo quod hic additur hyperbolem ſapere arbitretur. Qui enim Ioſephi commentarios legerit, omnia, quæ hoc loco ſcribuntur, veriſſima eſſe comperiet.

Caſus creaturarum.

Victor Antiochen.

Quam

Quam condidit Deus vſque nunc, neque fient. Conditoris Dei fit mentio, quãdo creaturæ tribulatio memoratur, vt neque præſentẽ, neq. aliam quamuis anguſtiã corporũ fieri caſu, aut fortuna, vt priſci fabulabãtur, *Iſai.48.* ſed nutu Dei, & voluntate iuxtà illud: Priora ex tunc annuntiaui, & ex ore meo exierunt, & audita feci ea, repente operatus *Ier 28* ſum, & venerunt: Iugum ferreũ poſui ſuper collum cunctarum gentium iſtarum vt ſeruiant *Soph.1.* Nabuchdonoſor Regi: Et tribulabo homines, & ambulabunt vt cæci, quia Domino peccauerunt. Ac ſæpius alias quod per miniſtros exequitur, dicitur facere. Neque enim quis conditore, & creatore præſente auderet, neque poſſet manum in hominem, ſed nec in formicam mittere.

CAPVT XX.

Et niſi breuiaſſet Dominus dies, non fuiſſet ſalua omnis caro: ſed propter electos, quos elegit, breuiauit dies.

Expoſitio. ET quidem opprimet tum omnes tanta tribulatio, vt *niſi* ſecundum magnam miſericordiam ſuam *breuiaſſet* ocyus pius, & clemens *Dominus dies illos* vltionis, & planctus: Prorſus dira mors omnes anteuertiſſet, & *non fuiſſet* ex tam frequenti populorum multitudine *ſalua omnis caro*, nec aliquis euaſiſſet, qui narrare ruinam poſſet. *Sed* enim *propter* charos, & *electos quos* ante mundi conſtitutionem *elegit* ſibi Dominus, vt ſint ſancti, & immaculati in conſpectu eius, ac velut pupilla oculi cuſtodiri *breuiabit* Deus *dies*, & tempora, quæ in ſua poſuit poteſtate.

Et niſi breuiaſſet Dominus dies. Hoc eſt paucis diebus anguſtiam, quæ ad multas videbatur diffundi, compleſſet, vel *niſi dies* ipſos minores feciſſet. Nihil enim inconuenit vtcunque dicere quoniam ipſe mutat tempora, & ætatem, vnde ſapiens: A mane vſque ad veſperam immutabitur tempus non ſolum in accidentibus, ſed in tempore ipſo; viſa eſt tempore Ioſue, & Ozææ immutatio, quando dies longior apparuit ſolito.

Non fuiſſet ſalua omnis caro. Carnis nomine malos ſupplicio dignos intelligit, vt *Gen 6* ibi: Omnis quippe caro corruperat viam *Iſai.40.* ſuam: Omnis caro fœnum & omnis gloria eius quaſi flos agri. Hanc non vult in tribulatione, bello, fame, terræmotu, & alijs temporum iniurijs omnino perire, vel quod alijs reſeruentur ſupplicijs, vel quod ex eis oriri debeant, iuxtà ſtatutum Dei, qui generationem tribuit, & ſuis temporibus ſingula præuidit futura.

Sed propter electos, quos elegit breuiauit dies. Quidam enim ſunt *electi, quos elegit* de quibus expreſſe hic agitur: Aſſerit igitur niſi pauci illi electi extitiſſent, inquit Victor Antiochenus ad vnum omnes funditus interituros fuiſſe. *Vict. Ant.* Etenim ne illi, qui Chriſto per fidem ex Iudæorum genere adiuncti fuerunt vnà cum cæteris infidelibus extinguerentur, benignus Dominus cruenta illa bella tempeſtiue diſſoluit, ſæuiuſque prælijs, & pugnis maturè finem impoſuit. Vt *electi* (ſubdit Arias Montanus) à Deo ad Regnum, tum accipiendum, tum annuntiandum ſeruentur. *Arias Mõ.* Erunt autem *electi*, quotquot audientes Euangelio credent, & obtemperabunt: quotquot inquam vocati ad nuptias venire non recuſarint, venienteſque nuptiali veſte ornati fuerint.

CAPVT XXI.

Et tunc ſi quis vobis dixerit: Ecce hic eſt Chriſtus, ecce illic, ne crediderits.

ET adhuc in his turbulentis homines, qui contendunt præripere animas, paſſim inſurgent. *Expoſitio.* Quare *tunc ſi quis* veritatis hoſtis, & fraudulentus *vobis* perſuaſerit preter id, quod accepiſtis Euangelium, & *dixerit* conſtanter: *ecce* quem quærebamus *hic* eſt, & non qui preceſſiſſe fertur, *Chriſtus* miſſus, vt ſaluet populum ſuum, atque redimat. Vel alius ex aduerſo clamauerit non hic, ſed *ecce illic* eſt deſideratus Saluator, *ne* quidem *crediderits* alicui ſic blaſphemanti, loquitur enim ſomnium, & mẽdaciũ, quo protegitur, vos miſeros ſatagit illaqueare, & perdere.

Et tunc ſi quis vobis dixerit. Tunc aduerbium temporis non includit ſolum tempus euerſionis Hieruſalem, ſed conſequens vſque ad finem ſæculi, & vltimam orbis ruinam, cuius ſigna videntur mox pertractari *Theoph.* ſecundum Theophilactum, Victorem An- *Vict.* tiochenum, Bedæ Gloſſam, & alios. *Tunc* *Bed.* itaque (ait Victor) ſignificat tempus, quo ea futura ſunt, quæ infra exponuntur, ſed ſcito, annotat Theophyl. quod ſcripturæ *Theoph.* proprietas, hæc eſt, ſicut etiam Matthæus poſt genealogiã Chriſti dicit: In diebus illis aduenit Ioannes. Quibus diebus? Num mox ſequentibus poſt Chriſti natiuitatem? Non, ſed indefinitè. Sic igitur & hoc loco dicit, *tunc*. Non quando Hieruſalem deſolata fuit; ſed per tempus aduentus Antichriſti ne ſeducamini. Quare ſubdit Arias *Arias Mõ.* Montanus, hoc non ad Appoſtolos tantum, ſed ad omnes Chriſti veros cultores pertinet. Nam poſt Hieroſolymitanum excidium, myſterium iniquitatis operari cœpit ſtudioſiſſimè, & Chriſti doctrina ſimpliciſ-

ſima per ſeductores homines, ſuorumque commodorum amatores turbari, contaminari, & obſcurari varijs admixtis mendacijs, erroribus, & hæreſibus, & nonnumq. ſignis æditis Deo permittente, in vltionem eorum, qui charitatem veritatis non recepere. Horum primus iuxtà Gloſſam Bedæ extit Simon Magus, extremus Antichriſtus.

Beda.

Ecce hic eſt Chriſtus. Hic, dupliciter ſolet accipi, vel pro aduerbio, vel pro pronomine; vt aduerbiũ interpretatur in hoc loco, in hoc dicto, ſermone, & ſententia, quam protuli, vel protulit quiſpiam; in quemmodum omnes hæretici ſunt vſi dicentes, & affirmantes in doctrina, in qua prædicant, ſalutem conſiſtere, nec quempiam aliter ſaluari quàm verbis eorum, & prædicatione. Ac lepidos & elegantes veſtros fœtus, ò heretici, vt cum Greg. Nazianz. orat. 13. dicam, immo abortus cognoſcemus cum ruptis, aut dura, & ſolida diſputatione confractis aſpidum ouis, vrina ea & ſubuentaneæ apertè demonſtrauerimus, abdictumque in ipſis impieratis baſiliſcum in mediũ protulerimus. Faciet quidem & hoc quiſpiam, qui & verba eorum attenderit, & mores proſpexerit. Ex quibus nihil habere Chriſti hæreticum hominem, ſed Luciferi perfacile dignoſcet. *Hic*, pronomen interpretatur hæreticus ille, qui dixit, ego ſum Chriſtus, vt Ioann. Leidenſis in Veſtfalia & Ioann. Vuilelmus apud Monaſterienſes.

Ecce illic. Priora verba ad hæreſiarchas, & inuentores nouæ hæreſis referre poſſumus, hæc autem ad fautores qui dicunt: Ecce illic eſt ſana doctrina, verbũ irreprehenſibile, & Chriſti vera Religio, quàm prædicat Arrius, quam docet Lutherus, & conſeruatur apud noſtros Magiſtros. Neque his autem, neque illis conſentiendum docet veritas, dicens.

Ne crediderit is. Quoniam fidem integram non annuntiant. Credere autem eſt fidei optimæ aſſenſum firmum præbere. Quæ ergo à fide errant, & veritatem ſynceram non proponũt, nec aliquid præter mendacium continent, credere tutè non poſſumus, nec debemus; verbum enim Domini proiecerunt Hæretici, & ſapientia nulla eſt in eis. Viri detractores ad effundendum ſanguinem. Viri ergo ſanguinum declinate à me.

Pſal. 138

CAPVT XXII.

Exurgent enim Pſeudochriſti, & Pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna, & portenta ad ſeducendos, ſi fieri poteſt, etiam electos.

REfrigerata etenim charitate, præualebit iniquitas, & iniquorum cœtus multiplicabitur. Ex quibus *exurgent* velut ex horrẽda lue *Pſeudochriſti*, qui ſe veritatis duces efferent, & *Pſeudoprophetæ*, qui ſomniabunt, & tàm illi, quà hi *dabunt* innumera *ſigna* in teſtimonium eorũ, quæ annuntiant, necnon *portenta*, quæ videntur omnem naturæ ordinem antecedere, *ad ſeducendos homines*, qui autem illis præbuerint, quique acceſſerint quoquo modo ad illos; omnes enim conabuntur ſubuertere, & *ſi fieri poteſt* aliqua arte, aut potentia; *etiam electos* obſcurabunt, ſed non preualebunt.

Expoſitio.

Exurgent enim Pſeudochriſti. Hoc eſt, falſi Chriſti. Quales Apoſtolorum temporibus Sathan protulit, vt Simonẽ Magum, qui ſe Dei filium fingebat Romanis, quem Petrus euertit; Zaroen, & Arphaxat, qui Perſis ſuadere conabantur Dei virtutem penes ſe eſſe, quos Simon Cananæus, & Iudas Zelotes perdiderunt; Apollonius Tyanæus, qui ſe Deum finxit in Hyſpania, Italia, & Ægypto, quibus in locis à veris Chriſti Apoſtolis repulſam tulit, & ignominism. Atque alij qui Apoſtolorum ætate exorti, ait Victor Antiochenus, in hoc erãt, vt homines in fraudem, & errorem inducerent, fuere admodum acres, ac peſtilentes, multoſque mortalium actu capere, arteque ſeduxere: at vero qui ſecundum Chriſti aduentum antecedunt prioribus illis multo adhuc acriores, multoque peſtilentiores futuri creduntur.

Varij Pſeudochriſti Apoſtolorum temporibus.

Vict. Ant.

Et Pſeudopropheta. Hoc ergo inter *Pſeudochriſti*, & *Pſeudoprophetas* collocarem diſcrimen: quod illi virtutem Chriſti ſibi tribuant, hi vero cum Chriſtum annuntient doctrinam eius maculent, & detorqueant, falſamque fictis oraculis, ſomniorum deliramentis, & interpretamentis ex proprio marte profertis, non à ſpiritu Dei, cunctorum auribus ſtillare curant, vt olim Donatiſtæ in Affrica, & modo Caluiniſtæ in Europa Chriſtum hi prædicant, ſed ab eius doctrina ſic variant, vt optimè Genebrardus affirmet ad Mahomettanam ſectam omnino declinare, quin vt filiam ab ea pendere. Vnde & filia matris tuæ es tu, ò concio Caluiniſtica, quæ proijcit virũ ſuum, & filios ſuos, & ſoror ſororum es tu, quæ proiecerunt viros ſuos, & filios ſuos, mater veſtra Cethæa, & pater veſter Amorrhæus,

Differentia inter Pſeudochriſtos, & Pſeudoprophetas.

Genebr.

Ezech. 16.

Caluiniſmus ex Alcorano fluxit.

chaus, is eſt Caluiniſtis diabolus; illa verò brutalis ſenſualitas, quam vt Mahometani, Caluiniſtæ pſeudoprophetæ profitentur.

Et dabunt ſigna, & portenta ad ſeducendos. Signa ſunt miracula, quæ etſi arte fieri ſoleant, vt ſanationes ægrotorum nulla medicina, ſed prece, vel imperio perpetrantur, qualia viſus eſt facere Epiſteus Gallus Biturgienſis qui poſtquam aliquot ægrotos ſanaſſet, ſe Chriſtum prædicat, & adorandum offert, auctore Sigeberto Guill. Nan. Portenta ſunt, quæ omnem naturæ ordinem videntur excedere qualia (vt ſcribit Gregor. Turonen. lib. 9. cap. 6.) edidit Deſiderius quidam Burdegalenſis qui vili contentus tegmine ex pilis caprarum confecto, Chriſtum ſe finxit, fictionemque portentis arte magica productis veram conabatur ſuadere. Nihil tamen veri habere miracula, aut portenta hæreticorum, tum ex natura miraculi, cum ex conditione Pſeudoprophetæ, Pſeudochriſti, atque Hæretici facillimum eſt perſuadere. Eſt enim hæreſis, vt inquit Felix I. epiſt. 2. ad Paternum Epiſcopum, Euangelicæ veritatis inimica, quæ non portionem aliquam lædere, ſed ipſam chriſtianæ religionis conatur fundamenta conuellere. Hæretici vero, vt ſcribit Cyrillus, in explanatio. duodecim Anathematis morũ, diabolica prauitate mentem imbutam habentes, qui veritatis myſterium acri ſtudio adulterare contendunt. At miraculum totius chriſtianitatis fundamentum, & Euangelij, vtpotè fidem conciliat. Vnde Moyſes miraculum quod Hebręi crederent, petijt, & illud ab Apoſtolis frequentari in gentibus Chriſtus voluit vt in fide plantarent homines, & firmarent in Euangelio credentes, ſed & eo Chriſtus perſæpe eſt vſus, vt fidem ſuæ diuinitatis, & omnipotentiæ demonſtraret incredulis: Vt autem ſciatis, inquit, quia filius hominis habet poteſtatẽ dimittẽdi peccata, ait Paralytico, tibi dico, ſurge. Ergo ab hæreticis in hæreſis teſtimoniũ impoſſibile eſt miraculũ fieri. Alioquin fautorem, & aduerſarium veritatis, quod abſit, Deum profiteri oporteret. Poteſtas enim miraculorum à Deo eſt, & ſi credimus Paulo ad vtilitatem Eccleſiæ, & ædificationem corporis eius. Ergo qui verax eſt veritatem miraculis veris nunquam conſentiet expugnari; falſis nihil inconuenit, quinimò veritatis lux ſicut ſtella in medio nebulæ ſplendidior intuetur.

Sigib.

Greg. Tur.

Miracula hæreticorum vana, & doloſa.

Felix I.

Cyrill.

Luc. 5.

Si fieri poteſt etiam electos. Propter hos enim bellum hæreticorum mouetur. Neſcit enim pater eorum Diabolus electorum numerum, quia ſoli notus eſt eligenti. Propterea nunc hos, nunc illos armat contra ſanctos Dei homines, ſi fortè cadant retrorſum, & in rete ſuæ damnationis incidant; ſi perſecutiones Tyrannorum contra fœmen mulieris illuſtriſſimæ excitauit, vt abiurarent fideles chriſtianitatem, ſed cum obtruncemur, crucifigamur (ait Iuſtinus Martyr contra Triphonem Iudæum) obijciamur beſtijs & alijs tormentis tradamur, tamen à confeſſione non diſcedimus, ſed quanto magis in nos ſæuitur, tanto plures pietatẽ, fidemque per nomen Ieſu profitentur, haud ſecus ſi quis vitem putatione prouocet ad vbertatem, nam vitis à Deo, & Chriſto plantata eſt eius populus, ſuſcitatque hæreticos, vt qui inimico externo nequeunt expugnari proprijs deuincantur, & concio veneranda ſanctorum excribretur. Sed portæ inferi non præualebunt aduerſus eam, hoc eſt (vt exponit Origenes) Mundus, caro, Diabolus, de quibus omnibus, cum adhuc eſſet paruula, nec vbera propter ætatis infantium haberet, Eccleſia glorioſè triumphauit. Nihilominus acerba hæreticorum rabies leonina, mirum immodum torquet electos, vtque ſubleuatam palmam ventus impetuoſus turbat, inquietat, ac nonnunquam compellit dicere: Obliuioni datus ſum tanquam mortuus à corde. Factus ſum tanquam vas perditum, quoniam audiui vituperationem multorum commorantium in circuitu. In eo dum conuenirent ſimul aduerſum me accipere animã meam conſiliati ſunt. Hæc enim eſt mens hæreticorum: Immitet tamen Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos, Vt erant à morte animas eorum & alat eos infame, quia, inquit, electus, Deus meus es tu in manibus tuis ſortes meæ. Ergo ne eripiet quiſquam de manu omnipotentis electos? Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ à conturbatione hominum. Proteges eos in tabernaculo tuo à contradictione linguarum; tantum enim abeunt ab interitu vt viuant in ſæculum ante faciem Dei, & in tabernaculo æternitatis Dei fruãtur diuinitate abſque pauore. Hic nota conditionalem, *ſi fieri poteſt*, proferri vt prædeſtinatione libertatem minime tolli aduertas, quæ quomodo cum neceſſitate prædeſtinationis ſtet, dictum eſt ſæpius.

Iuſt. Mart.

Matth. 16.

Orig.

Pſal. 30.

Pſal. 33.

Pſal. 31.

CAPVT XXIII.

Vos ergo videte. Ecce prædixi vobis omnia.

VErum enimvero etſi nihil contra electos fieri poſſint nihilominus *vos* quos ego elegi de mundo, quamdiu in mundo viuitis, & pugnam ſuſtinetis hæreticorum, & prauorum hominum, *videte*, vt per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis. *Ecce* quod futurum eſt inteſtinum, & externum bellum *prædixi vobis & omnia*, quæ orbi, & Eccleſiæ euentura ſunt mala pronuntiaui. Peruigiles

Expoſitio.

eſtote

eſtote ergo, ne quid triſte vobis, ac gregi accidat.

Vos ergo. Finem orationis conuertit ad Apoſtolos, vt qui ſpeculatores dati eſſent, & cuſtodes murorum, & vrbis ne egrediens, aut regrediens periret. In quorum locum cum ſucceſſerint Epiſcopi, vt inquit Anacletus ep. 3. de ordin. Archiepiſcoporum idem peruigilandi officium eis incumbit; ideo Cæleſtinus I. ad ſynodum Epheſinam ſcribit, dum illis dicitur: Ite docete omnes gentes, non aliquod particulare ſed generale mandatum proponitur. Siquidem miniſterium quod Apoſtolis in commune mandauit, hoc nos omnes explere voluit, atque hoc fraternitas veſtra diligenter obſeruare debet.

Anacl.

Cæleſt.

Videte. En obſeruantiam, quam, & Apoſtolos, & Epiſcopos iubet Chriſtus diligenter tenere, vt *videant*. *Videte* eſt oculo ad oculum intueri. Et quid? Hoc in loco eſt *videre* hæreticum vt aduerſus eum agat, ſicut Auguſtinus contra Fauſtum; eſt attente hæreſim perpendere, vt anathematizet, velut Cyrill. cum Epiſcopis Ægypti, Neſtorij blaſphemiã, & quã Arrius intonauit, Alexander Alexandriæ Patriarcha condemnauit. Etiam vt *videat* quomodo poſſit tam verbis, quam ſcriptis & hæreſim expugnare, vt fecit Iræneus, Theodorectus, Athanaſius, atque alij præcedentes Epiſcopi, quorum monumentis aduerſus ſimiles homines vtimur. Poteſt & *videte*, referri ad ſeipſos, vt ſcilicet *videant* ſeipſos quibus ſint moribus, ne videantur impoſtoribus ſimilari; qui ſint docti ne forte ignorantes dextrũ, & ſiniſtrum, vtrinque cadant cum caſtris commiſſis; quo ſint denique animo, & pietate in gregem, ne occurrentibus lupis fugam parent, conſulantq. ſuis temporalibus potius, quam conentur, vt bonus paſtor animam ſuam pro ouibus ponere. Qui cuſtodit hoc præceptum non experietur quicquam mali. Quinimo vt frigilla auis, quæ nec æſtate, nec hyeme frãgitur, nec à cantu ceſſat, non timebit domui ſuæ à frigoribus niuis, quã hæretici ſpargunt, & tutum reddet gregem ab æſtibus, quas mundi aura diffundit, vt pueros conſumat. Erit enim his Angelus Domini exercituum, qui legem annuntiat, & qui murum ſe exhibet, nec quicquam mali experiantur.

Auguſt in Cyrill.

Alexand.

Iren.
Iſidor.
Athan.

Doceri ergo oportet omnes, qui Domini ſacerdotio funguntur (ait Anacletus ep. 3.) vt & cæteros inſtruant, & ſibi proficiat: Scriptum eſt autem: Qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellas in perpetuas æternitates. Et alibi: Populus autem ſciens Deum ſuum obtinebit, & faciet, & docti in populo docebunt plurimos.

Anacl.

Ecce prædixi uobis omnia. Scilicet, quæ vitari oporteat, vt noxia, & quæ ad ſalutem ſpectabant paucis delineauit futuræ poſteritati, vt nemo, inquit Victor Antiochenus, ignorantiam obtendat, nemo ſe non admonitum alleget. Ergo ne poſtquam Chriſtus prædixit omnia, prophetis ceſſauit? aut certe non eſt admittendus Propheta, qui aliud ab his prænuntiet? Et Prophetam & prophetiam à Chriſti temporibus in Eccleſia ſemper extitiſſe nemo mediocriter doctus ignorat. Quod vero nihil noui à prædictis per Chriſtum annuntiet Propheta aliquis, non æque omnes admittent, niſi velut ſub generali locutione particulares aduertat vniuerſorum prædictiones contineri ſub his, quæ Chriſtus prædixit: Omnis enim prophetia vel eſt prædeſtinationis, vel præſcientiæ, vel comminationis. Atqui vniuerſa Chriſti verbis complecti lector ſapiens facile agnoſcet.

Victor Antioch.

CAPVT XXIV.

Sed in illis diebus poſt tribulationem ſol contenebrabitur, & luna non dabit ſplendorem ſuum.

ERgo quia ego inſpector oculatus cunctorum prædixi mala, nemo dubitet *in illis diebus* futura, vt dixi. Verum & hoc ſit ſolamen electis *poſt tribulationem* illam Antichriſti, & ſuorum Satellitum adeſſe finem malorum omnium, & appropinquari expectatam diu renouationem cunctorum. In cuius ſignum, *ſol* qui illuminat mirabiliter *contenebrabitur*, vel oppoſitione caliginis, vel aduentu maioris luminis. *Luna* quoque, etſi luminare minus, *non dabit* noctibus *ſplendorem ſuum*, quem ſibi eſt ſolitum dare.

Expoſitio.

Sed in illis diebus. Non quando hæc omnia incipient cõſumari poſt tribulationem illam Hieroſolytanam, vt exponit Arias Montanus, ſed in diebus illis poſtquam omnium electorum perſecutio finem acceperit per Antichriſtum, & ſuæ inſaniæ complices. Vocat autem dies vltimũ dierum, quoniam homines erunt ſicut in diebus Noe multos adhuc meditantes dies, nullo modo ſibi perſuadentes tempora feſtinare, nec credentes imminere diem illam, diem iræ, diem magnam, & amaram valde. Immo verò ac ſi in longum tempus elongari oporteret, ducent vxores, & nuptiæ tradent, ædificabunt, & plantabunt, dicentes quia non veniet mala ſuper nos. At cum dicent pax & ſecuritas repente ſuperueniet interitus.

Vana hominum ſecuritas in vltimis diebus.

Ier. 5.

Poſt tribulationem illam. Non exprimitur tribulatio, ſed per emphaſim, quæ in pronomine *illam* ſignatur, intelligimus Antichriſti perſecutionem, & ſociorum, qui omnium noxij futuri ſunt Eccleſiæ, vt ex his quæ Daniel cap. 11. de eo iuxtà patrum expoſitiones ſcribit, colligi poteſt: Erit

Daniel. 11.

enim

Digitized by Google

enim os eius loquens ingentia Dan. 7. Magnificabitur aduerſus omnem Deum, & aduerſus Deum Deorum loquetur magnifica. Vide Hieronymum, Theodoretum in hunc locum, Hypolitum martyrem in oratione, quam ſcripſit de conſumatione ſæculi, & de Antichriſto. Verum etſi tunc vbique ingens immanitas & perſecutio perbacchabitur, ait Victor, attamen vexatio illa, & perſecutio non protendetur in longum. Si enim iudaicum bellum, propter electos contractum eſt, multo magis poſtrema illa tentatio propter illos ipſos electos contrahetur.

Hieron. Theod. Hyp. Mart

Victor

Sol contenebrabitur & luna non dabit ſplendorem ſuum. Licet Sybilla Erithræa, cuius oraculum refert Euſebius in vita Conſtantini in hæc verba.

Sybilla Erit.

Et lux deficiet, ſolemque intentiaq. aſtra Inuoluent tenebræ, tum luna ſplendor obibit.

At vero quod ſol tenebras contracturus traditur (inquit Victor Antiochenus) id non ita accipiendum eſt, quaſi lampas illius extinguatur, aut ſecundum ſe lucere deſinat, ſed quod immenſo aduentus Chriſti ſplendore ſuperatus lucis radios claré, vt ante, non difundat. Quamuis nihil prohibeat, ſubdit Beda, intelligi veraciter ſolem tunc, & lunam cum ſyderibus cæteris ad tempus ſuo lumine priuari, quomodo de ſole factum conſtat tempore dominicæ paſſionis. Cæterum peracto die Indicij cum fuerit cælum nouum, & terra noua, tunc fiet quod Iſaias dicit: Erit lux lunæ ſicut lux ſolis, & lux ſolis ſeptempliciter. Ad vltimam Bedæ expoſitionem ſpectare videtur Ioelis oraculum: Sol conuertetur in tenebras, & luna in ſanguinem, antequam veniat dies Domini magnus, & manifeſtus. Harum vero tenebrarum cauſam Origenes tract. 30. in Matth. expreſſit. Quemadmodum inquit, in magnis ignibus ſuccendi incipientibus, tenebræ ex fumo plurimo videntur extolli: ſic in conſumatione mundi ab igne, qui accendendus eſt obſcurabuntur etiam luminaria magna, vt ſole obſcurato conſequenter obſcurationi ſolis etiam luna impedita, nec à ſole percipere lumen, nec proprium lumen dare ſinatur, & ſic neceſſe eſt comprehendant mundi naturam, primum tenebræ magnæ. Verum his ſignis cæleſtibus deſignabitur, quod in ſpiritualibus hominibus Deus agere diſponat, videlicet præſules, qui ſoles ſunt mundi, Reges, & Principes qui locum habent lunæ, necnon non fideles, qui velut ſtellæ lucere debebant bonorum operum exercitio, priuandos lumine Dei, quod in carne mortali dilexerint magis tenebras, quàm lucem.

Victor · *Beda.* · *Iſai. 30.* · *Ioel. 2.* · *Origen.* · *Cauſa obtenebrationis.*

CAPVT. XXV.

Et ſtellæ cæli erunt decidentes, & virtutes quæ in cælis ſunt, mouebuntur.

INſuper mirabile in aſtris reliquis accidet: Etenim *ſtellæ*, quæ ſcintillationibus ſuis Dei gloriam annunciant, & magnam lætitiam mortalibus ferunt, iiſdem terrori *erunt decidentes*, vt videbitur è locis ſuis. *Et* quidem *virtutes* angelicæ, *quæ in cælis ſunt* motrices cælorum, *mouebuntur* non ſine cunctorum ſtupore.

Expoſitio.

Et ſtellæ cæli erunt decidentes. Decidentes quidem à lumine, vt luminaria magna, vel à loco, id quod re vera non accidet, quia ornamenta cælorum gloria ſtellarum; videbuntur forte ſitum deſerere, quod vt obſcura nocte contingit inflammari vapores excadere, ità crebriores inflammationes tunc fient, atque deſcendent quaſi ſtellæ.

Et virtutes, quæ in cælis ſunt, mouebuntur. Quid *virtutes* cælorum, inquit Zachar. Chriſopol. niſi Angelos, & Archangelos, tronos, dominationes, & principatus appellat, qui in aduentu ſuo oculis noſtris viſibiliter apparebunt, vt diſtrictè tunc à nobis exigant hoc, quod nos modo inuiſibilis conditor æquanimiter portat? tantam enim rerum mutationem cernentes, proſequitur Victor Antiochenus, ſuos conſeruos ad æternum ſupplicium abripi conſpicientes, necnon vniuerſum terrarum orbem tremendo illi iudicio iamiam ſiſtendum, animo pertractantes præ ſtupore, & admiratione, ſupra quā dici poteſt *commouebuntur*: Quid mirum igitur, infert Beda, homines ad hoc iudicium perturbari, cuius aſpectum, & ipſe angelicæ tremunt poteſtates? quid faciunt ibi tabulæ, quando tremunt columnæ. Quid virgula deſerti patitur, cum cedrus Paradiſi concutitur? Ad iram quoque vindictę ſecundum Gloſſ. ord. *mouebuntur*, quando mittentur à filio hominis veniente in nubibus cæli cum virtute, qui prius ſicut pluuia in vellus deſcendit in humilitate. Ita qui hæc ſic intelligit eſſe, ait Origenes tract. 30. in Matth. adiicit, quia ſignum filij hominis, in quo cæleſtia ſacta ſunt, quæ in cælis erant, & quæ in terris, tunc apparebit, vt puta virtus quam operatus eſt filius ſuſpenſus in ſigno, & in cælo maxime fulgebit ſignum ipſius. Quare ſcribit Gagnæius: Primum erit crux Chriſti, quæ victoria de inimicis ſuis ſumpſit, conſequenter, ſol, luna, & ſtellæ in die iudicij ſuo priuabuntur ſolito lumine adueniente maiori lumine, de quibus Iſaia 24. dicitur: Erubeſcet luna, & confundetur ſol, cum regnauerit Deus exercituum in monte Sion, & in Ieruſalem, & in conſpectu ſenum ſuorum fuerit glorificatus.

Zachar. · *Victor Antioch.* · *Beda.* · *Gloſſ.* · *Origen.* · *Iſai. 24.*

CAPVT

CAPVT XXVI.

Et tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cum virtute multa, & gloria.

Expoſitio.

ET *tunc* poſtquam hæc,atque alia preceſſerint, qui ſtabunt ſuſcitati, ſpectabuntque indicium in omnibus, & de omnibus ferri *videbunt* egredientem à ſummis cælorum *filium hominis*,cui Deus iudicium ſuum dedit, & poteſtatem iudicandi, *venientem* triumphatorem *in nubibus* lucidis, & ſplendentibus,appropinquantemque ad inſpectores *cum virtute multa*,qua maior nequit excogitari, *&* cum *gloria*, quæ maieſtatem omnem, & amplitudinem. ſuperabit.

Et tunc. Hoc aduerbium temporis non colligat factum preſens priori,vt nihil interſit, ſed tantũ innuit temporis continuitatem, ſeu diei; ac ſi diceret, *& tunc*,hoc eſt,in eadem die,& durante illo iudicij tempore,quod ſequitur,accidet: Illud autem ſequi poteſt,conflagrationem orbis,miſſionem angelorum ad congregandos cineres, & ſuſcitationem eunctorum, certum eſt.

1.Theſſ.4.

Videbunt filium hominis. Aliter tamen, atque aliter,& alio ſitu. Iuſti enim rapientur in aera, & ſic venientem accipient iudicem, & cum eo ſemper erunt. Mali autem in terra expectantes erunt quid velit Dominus,& videntes in quem pupugerunt, planctum vnigeniti aſſument: Omnes tamen videbunt filium hominis, hoc eſt, humanitatem, corpore, inquam, indutum, è cælo deſcendentem. Nam quod ſpectatur, ait Theophylactus,neceſſe corpus eſt.Etiam vt impleatur prædictio Angeli:Viri Galilæi qui ſtatis aſpicientes in cælum, hic Ieſus qui aſſumptus eſt à vobis in celum, ſic veniet quemadmodum vidiſtis eum euntem in cælum. Quibus Sybilla Erithræa ſuis carminibus conſonat:

Theoph.

Act.1.

Et Rex æternus ſummo deſcendet Olympo
Scilicet vt carnem, mundumque vt iudicet omnem;
Vnde Deum fidi diffidenteſq. videbunt
Summum cum ſanctis in ſacli fine ſedentem
Corporeum, animas hominum,quo iudicet olim.

August.

Quid per nubes intelligendum?

Venientem in nubibus. Quid nubium nomine intelligatur incertum eſt. Auguſtinus ad Eſichium credit fore nubẽ formatũ ſimilẽ illi, in qua aſcendit: Merito,inquit, credendum eſt, non ſolũ in eodem corpore, verum etiam in nube venturum,quoniã ſic veniet ſicut abijt, & nubes ſuſcepit abeuntem.

Verum cum in Actibus non legamus nube ſuſceptum Chriſtum, ſed ſuſceptum ab oculis eorum, vt qui ferre non poſſent tantum ſplendorem, & eleuationem,ab Auguſtino diſſentire poſſumus; opinionẽ autem, quam Origen. tract. 30. in Matth. refert, omnino reiicimus, quod ſcilicet de cæleſti corpore nubes formauerit Deus Chriſto deſcendenti, ideoque dici *in nubibus* cæli venire;id autem quod cæleſte eſt, & ex cæleſti formatum, non reſolnitur,ſed cæli firmitatem æmulatur,at *nubes*,ſi quæ fuerint, euaneſcunt. Addit iſti aliam opinionem probabiliorẽ cæteri. Forſitan,inquit,ſuper *nubibus* animatis, & rationalibus, vt ne ſine anima, & irrationabile eſſet vehiculum filij hominis glorificati, ſicut fuit ſine anima currus, irrationabiles autem equi, in quibus viſus eſt aſſumi Helias ſecundum ſcripturam dicentem: Ecce currus igneus, & equi ignei. Quoniam autem animatæ, & rationabiles nubes erunt, quæ erunt vehiculum filij Dei,proferimus exempli gratia quod dicitur: Et veritas tua vſque ad nubes. Ex quibus & alijs quæ proſequitur inferre videtur nubes fore ſanctos. Mihi omnibus probabilior videtur ſententia,nihil cæli nubibus intelligi,præter ſplendores qnibus præ maieſtate gloriæ videbitur circumſeptus,quaſi ſolio omnium eminentiſſimo. Vnde apud Danielem legimus: Aſpiciebam donec throni poſiti ſunt,& antiquus dierum ſedit,veſtimentum eius candidum quaſi nix,& capilli capitis eius quaſi lana munda: Thronus eius flammæ ignis, rotæ eius ignis accenſus, fluuius igneus, rapiduſque egredicbatur à facie eius. Antiquus dierum dicitur Chriſtus ſecundum diuinitatem,quæ eſt ab initio,& ante ſæcula,& ſecundum humanitatem dici poſt, quod ſit primogenitus in multis fratribus, & initiũ creaturæ Dei, & ante omnem creaturam prædeſtinatus,quod ſit filius Dei;ſedere dicitur primo nulla mentione facta throni;vt ſequentem thronum,non alium arbitremur quàm fulgur igneum,quod deſcribitur; vt enim ſol nimium ſplendens ortu ſuo videtur radijs fulgentibus,vt nequeat facilè inſpectari, ita Chriſtum venturum poſſumus contemplari, & ſic quaſi in nubibus deuenire ad creaturam rationalem,quæ in tanto ſplendore lætabitur,ſi iuſta fuerit, ſecus ſi iniuſta.

Origen.opinio reiecta.

Alia probabilis eiuſdẽ.

Dan. 7.

Cum virtute multa & gloria. Vt virtute potentiam,& gloria maieſtatem demonſtret. Maieſtatem conſpicient circunſtantes, potentiam autem virtutis eius formidabunt: Vtranque vero adorabunt omnes tribus terræ, & curuabitur illi omne genu, & confitebitur omnis lingua,quia Dominus Ieſus in gloria eſt Dei patris. Quia dignus eſt,qui occiſus eſt accipere virtutem,& diuinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem,

Phil. 2.

Apoc 5.

& hono-

Digitized by Google

& honorem, & gloriam, & benedictionem. *Virtus* itaque dicit iudiciariã poteſtatem, quam Pater ei conceſſit in cælo, & in terra, vt orbem terrarum iudicet in æquitate, qui iudicium contra omnem æquitatem ſuſtinuit: vt ſciat, inquit, mundus quia diligo Patrem. (*Ioann.* 14) Maieſtas vero dicit omnem apparatum, qui in eiuſmodi triumpho triumphatorem comitabitur, & poſſeſſorem regni, quod tunc tradet Deo, & Patri: Inde Concentor cecinit: Dominus regnauit decorẽ indutus eſt, indutus eſt Dominus fortitudinẽ, & præcinxit. (*Pſal.* 92.) Etenim firmabit orbem terræ, qui non commouebitur: Euacuabitur enim omnia principatus, ceſſabit generatio, & cæli motus, non exercebuntur vltra ad prælium qui malignabantur, neque lugent amplius qui Domini iudicium preſtolabantur cum ſilentio. Regnabunt enim hi in perpetuum; illi verò abſque requie luent pœnas, vt duram iudicis virtutem, virgamque ferream experiantur rebelles, filij autem obedientiæ & olei virgã directionis, & maieſtatem Patris, & Principis paſtorum in ſe ipſis celebrent, quia inquit ille: Sedebit in throno meo; (*Apoc.* 3.) & Apoſtolus: Similes ei erimus; (1. *Ioann.* 3.)

CAPVT XXVII.

Et tunc mittet Angelos ſuos, & congregabit electos ſuos à quatuor ventis, à ſummo terræ, vſque ad ſummum cęli.

Expoſitio.

EOdem quoque io tempore vniuerſorũ iudex, in quo habitat plenitudo diuinitatis, *mittet* à ſeipſo *Angelos ſuos*, qui miniſterium ſalutis exercent, & parent ad nutum eius. Hos quidem ad orbem deſtinabit, & illorum ſedulo miniſterio *congregabit* in locum vnum *electos ſuos*, quos ſtatuit ad iudiciũ venire, & dicere cauſam, vt nec vnus deſit *à quatuor ventis*, qui perflãt cunctorũ climata *à ſummo* profundiſsimæ *terræ, vſque ad ſummũ* altiſsimi *cæli*, nec ſit qui ſe abſcõdat, qoin ſtet ante tribunal eius.

Et tunc mittet Angelos ſuos. Pronomen *ſuos* excludit apoſtaticos ſpiritus, qui etſi factura Dei, abalienati ſunt retrorſum, vt non *ſui*, ſed alieni, non *Angeli*, ſed dracones, dæmones, ſerpentes, & ſimilibus infauſtis nominibus ob peccata dici promeruerint. Necnon homines, qui eorum ſuggeſtionibus aſſentiuntur. *Suos* ergo vocat *Angelos*, qui faciunt voluntatem eius, qui aſsiſtunt ei, & miniſtrant propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis, dum eos cuſtodiunt in omnibus vijs, ne pereat capillus de capitibus eorum, neque ad eos appropinquet aper de ſylua, aut mala beſtia. Hos velut caſtra Dei mittit, vt non purum hominem credãt aduenientem iudicem, ſed Deum acclamẽt; quia ſcriptum eſt: Angelis ſuis Deus mandauit. Vnde Daniel: Miſit Dominus Angelum ſuum. Quare hoc ipſum quod filium hominis *Angelos ſuos* miſſurum ſcribit, ait Victor Antiochenus, illum verum Deum eſſe diſerte oſtendit. Dei enim ſunt *Angeli*, illiuſque proprium eſt *Angelos* mittere.

Intelliguntur Angeli boni.

Hebr. 1.

Pſal. 90.

Gen. 32.

Pſal. 90.

Dan. 6

Victor Antiochen. Deitas filij oſtenditur.

Et congregabit electos ſuos à quatuor ventis. Congregatio iſta præcedet aduentum iudicis, neque fiet tantum electorum, ſed omnium, iuxtà vaticinium: Populi, populi in valle conciſionis conſurgant, & aſcendant gentes in vallẽ Ioſaphat. (*Ioel.* 3.) Congregabo omnes gentes, & deducã eas in vallẽ Ioſaphat, & diſceptabo cum eis, ſed & apud Matth. legimus: Et congregabũtur ante eum omnes, & ſeparabit eos ab inuicem, ſicut paſtor ſegregat oues ab hędis, (*Matth.* 25.) vt inquit Vates: Familię & familiæ ſeorſũ. (*Zachar.* 12.) Vel vt Paulus ait: Vnuſquiſq. in ſuo ordine. Poſt reſurrectionẽ enim (ait Theodor. in Paulum) diuertentur ij, qui caſte, & moderate vixerũt, ab ijs qui in impudicitia, & voluptate vitam tranſegerunt; (*Theodor.* 1. *Cor.* 15.) & ij, qui incredulitatis vitio laborarunt; ab ijs qui fide clari ſunt, & illuſtres; & ij, vt ſemel dicam, qui quæ laude digna ſunt, fecerunt, ab ijs, qui quæ vitio dantur, & in reprẽhenſionem cadunt, perſequuntur. Diſcretio autem iſta non tàm ex ſitu corporũ, quàm ex qualitate petetur. Vnde enim modo, non omnis caro eadem caro, ſed alia hominum, alia pecorũ, alia volucrum, alia piſcium; & corpora cæleſtia, & corpora terreſtria non eadem, ſed alia quidem cæleſtiũ gloria, alia autem terreſtrium; ita vt & ſi ſuſcitati omnes idem corpus ſpecie deferant, atque carnem, multũ inter bonos, & malos intererit in corporis ſplẽdore, agilitate & perfectione. Inerunt enim iſta bonis, malis autem deformitas. Quemadmodum (ſcribit Macharius hom. 12.) tempore menſis Aprilis, radices in terra latitantes, fructus ſuos, & flores ad ſpecioſa quæque producũt, & fructum afferunt, patefiuntque fructuoſæ radices, ſimiliter & illæ, quæ ſpinas habent: Sic & in illa die, quiſquis in corpore ſuo declarabit quæ geſsit.

Differentia inter damnatorum, & electorum corpora.

Macarius.

Quæri tamen hic poteſt, cur electorũ congregatio tantũ memoretur etiã apud Matt. Forte ne reſurgent primo electi, vt regnent per mille annos ſuper terram cum Chriſto temporaliter, iuxtà placitũ quorumdam, & Hæreſim Chiliaſtarum; aut certe, vt Paulus innuit, electos tunc ſuperſtites congregari debere ne moriantur cum reprobis, ſed ſeruentur illeſi? Hoc quidẽ ex lectione græca Pauli: Omnes quidem non reſurgemus, ſeu non dormiemus, ſed omnes immutabimur. Theodorus, Apollinaris, Chriſoſt. Theophyl. Origen. lib. 2. cont. Celſum, & alij ſunt viſi affirmare, & ex noſtris Fabius Stapulẽſis, & Cayetan. Id tamen nos dicere prohibet Synodus Trident. quæ vulgatã lectionem in omnibus cõplecti debere præcipit. Huius

Cur electorum tantum fit mentio. *Hær. Chil.*

1. *Theſſ.* 4.

1. *Cor.* 15

Theod. *Apollin.* *Chryſoſt.* *Theophyl.* *Origen.* *Stapulen.* *Cayet.* *Trid.*

autẽ Pauli lectio apud eũ eſt, omnes quidẽ reſurgemus, ſed non omnes immutabimur. At reſurgit mortuus. Ergo omnes tunc morientur, & mortui reſurgent. Vnde Richardus de S. Victore in calce tractatus de

Richard. de S.Vict.

conſideratione finis, exponens illud: Donec reuertatur puluis in terram, ait: Videtis quod neque illi hanc ſententiam ſeueritatis euadunt, qui in fine mundi vltimi inueniendi ſunt, quin potius per ſubitam mortem quantumlibet cito reſurgẽt. Conſonant his reliquæ ſcripturæ. Quare non dicuntur hoc loco electi congregari, quod à communi morte corporis ſeruari debeant; neque etiam quod ſuſcitati ſeorſum ab impijs per mille annos ſuper terram cum Chriſto regnare debeant inter temporales delitias, & dominia ſupra reliquos, quemadmodum Hieronimus lib. 11. Commentariorum in Ezechielem refert ſenſiſſe Tertullian. lib. de ſpe fidelium, Victorinum in commentarijs, ſuper Apochal. Lactantium. 7. inſtitut. vol. Seuerum, & Sulpitium in dialogo qui Gallus inſcribitur. Quos omnes Papias auditor Apoſtolorum mouit. Hæc enim dogmata, ait Euſebius hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 33. credo enim propterea excepiſſe, quod Apoſtolicas interpretationes, quæ ab illis eſſent expoſitæ, ſub arcanis, figuris, & obſcuris parabolis malè intellexiſſet. Nam homo erat, ſicut ex ſcriptis eius facilè licet coniecturam capere, ingenij perquam tenuis. Veruntamen pleriſque viris eccleſiaſticis, qui eius hominis antiquitatem, pro ſuarum partium defenſione citabant, perſimilis erroris auctor extitit, vt Irænco, et ſi quiſque alius eadem cum illo ſentire videbatur.

Omnes morituri ſunt iuxta veriorem interpretationem verborum Apoſtoli.

Hier.
Error Tert. Victorin. Lactant. Sulpit. Iuſtin. Euſeb. Papias

Falſitate redargui ſententiam perſuadẽt Chriſti verba: Regnum meum non eſt hinc. Hoc eſt, de hoc mundo: In Regno cælorũ neque nubent, neque nubentur, vnde temporalis Regni dexterã, & ſiniſtram, vt volunt quidam, petentibus diſcipulis, dixit: Neſcitis quid petatis. Ergo quia Regnum Dei non eſt eſca, nec potus, nec commixtio ſeruorum, nec principatus gentium, ad temporale Regnum nuſquam electi reſurgent, ſed ad ſpirituale, in quo ſint velut Angeli Dei; regnũ, inquam, vt ſcribit Daniel, quod non corrumpetur, regnum æternum, quod non diſſipabitur. Id autem fiet poſt vniuerſalem omniũ reſurrectionem, & iudiciũ, ad quod congregabũtur electi, & reprobi ſimul. Quapropter minime dicendum electorum congregationem ſolum hic referri, vt hiſce patribus opinandi anſa detur, multoque minus hæreticandi cum Cherinto, qui regnum hoc temporale mille annorum, non illuſtre, vt patres, & virtuoſum, ſed obſcænum in omni voluptate carnali, & vitioſum fingebat. Quid ergo tunc dicuntur ſolum electi congregari? Quoniam propter eos potiſſimum & reſurrectio, & iudicium ſit futurum. Vt enim agens propter finẽ, velut medicus ſanitatem, artifex opus perfectum intendit primo, & per accidens deſtructionem morbi, aut corruptionẽ ligni, vnde ſtatuam educit; ita iudex viuorum, & mortuorum, perfectionem electorum intendit, vt corpore ſint mirummodum dotato, & animo plene beati, vnde dicitur: Iudicare pro manſuetis terræ, quorum cœtum alloquitur ipſe: Ad punctum in modico dereliqui te, & in miſerationibus magnis congregabo te. Quia in letitia egrediemini, & in pace deducemini, montes, & colles cantabunt coram vobis laudem, & omnia ligna regionis plaudent manu. Adducam enim eos in montem ſanctũ meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ. Quieſcat vox tua à ploratu, & oculi tui à lacrymis, quia eſt merces operi tuo, ait Dominus, & reuertentur de terra inimici. Hoc eſt, mundo, qui bonis inimicatur. Igitur quoniam electorum premium reſurrectione, & iudicio generali potiſſimũ, & per ſe intenditur, reprobatio autem malorum, & ſuppliciũ quaſi per accidens, non hi, ſed illi deſcribuntur *congregari*.

Ioann 18
Matth. 22.
Marc 12.
Matth. 20.
Rom. 14.
Dan. 12. 3.
Her. Cher.
Propter electos potiſſimum ſit reſurrectio & iudicium.
Iſai. 54.
Iſai. 54.

A quatuor ventis. Quoniam Regnũ, quod tunc perficiet *congregare*, illud eſt, per quod prædicitur apud Danielem quatuor nominatiſſima euertẽnda vſque ad puluerem, qui in omnem ventum ſpargitur, quod cùm in omnem terrã dilatatũ fuerit vſque ad tempus, *à quatuor ventis* dicitur *congregari*, ad plenam regni gloriã poſſidendã iuxta illud: Et ſeminabo eos in populis, & de longe recordabuntur mei, & viuent cum filijs ſuis, & reuertentur, & reducã eos de terra Ægypti, & de Aſſyrijs congregabo eos, & ad terram Galaad, & Libani adducam eos, & confortabo eos in Domino. Siquidem ab vniuerſis locis, qui congregabuntur electi, erunt Deo noſtro regnum in perpetuum. Dicuntur potiſſimum ab Aſſyrijs congregari, qui & ab vniuerſis terris quod à dupplici ſupplicio, videlicet Domini, & ſenſus ſaluandi tuti fiant in reſurrectione communi. Hac nos, ſecus Hebræi, qui gentis ſuæ congregationem per Chriſtum, quem expectant, inde, & alijs locis colligunt complendam in terris, vt cum eo regnent ſuper terram domitis Chriſtianis, & reliquis, apud quos tenentur captiui. Non tamen fiet; quoniam iam venit ſemel, qui ad Hieruſalem militantem per ſe, & Apoſtolos congregauit diſperſos, qui & venturus eſt ſecundo, vt per Angelos congreget denuo ad Hieruſalem triumphantem eos, qui ſaluati fuerint ex iſrael. Et in die illa erit Dominus vnus, & nomen eius vnum, & habitabunt in ea, & anathema non erit amplius, ſed ſedebit Hieruſalem ſecura. Illa inquam, quæ in cælis ædificatur, vt ciuitas, cuius participatio eſt in idipſum.

Dan. 2.
Zach. 10
Iudæorum vana expectatio.
Zachar 14
Pſal. 121.

Nam

Namque in terris vaſtationem per Titum, & Adrianum ſuſtinuit, amplius non ædificabitur, neque regnum eius, quod ſperant Iudæi, vltra erigetur: Sed quod pater dedit filio communicabitur alijs, vt non diuidantur amplius in duo regna, nec duę gẽtes ſint vltra. Ergo quia iſtiusmodi regni ciues in omnem terram diſperſi ſunt, vt eum rege in æternum regnent, *à quatuor ventis* per Angelos *congregantur*.

A ſummo terræ vſque ad ſummum cœli. Summi tùm *terræ* tùm *cœli* fit mentio, quod è cœlo cęlorum, vtpotè empireo, in quo ſecundum animam beantur electi, & à centro terræ, in quo adhuc alij qui purgationem ſuſtinebunt, euocabuntur ad iudicium. Sed & per hæc ſumma (ait Victor Antiochenus) docemur cœli, terræque extrema opponi.

Victor.

Quare Chriſto potius, quàm ijs nos credere par eſt, qui terram veluti minimam totius vniuerſi partem in medio cœli poſitam aſſerunt, cœlique magnitudinem, in numeris partibus terræ molem excedere contendunt. In quem locum habet ſcholion Theodori Peltani: Hic auctor antipodas terræ, rotunditatem, & alia quædam, quæ hinc conſequuntur, negare videtur, ſed neque primus, neque ſolus hoc facit, qui autem Philoſophorum illi conſentiant, cui per ocium licebit philoſophare, aperiet: nos vero nulli eorum credere par eſt, tum maximè quoad antipodas, cum nihil certius noſtris temporibus ſit Indos ſub nos dari, noſtroſque Hiſpanos ad eos continuo transfretare.

Scholion Peltani.

CAPVT XXVIII.

A *ficu autem diſcite parabolam. Cum iam ramus eius tener fuerit, & nata fuerint folia, cognoſcitis quia in proximo ſit æſtas*

Expoſitio.

Cæterum quia magni intereſt omnem de iudicio narrationem eo vſque perductam iugiter in memoriam reuocare, & retinere quantum fieri poteſt, quod cunctis familiare eſt exemplum accipite, vtpotè fici arborem. *A ficu* enim ſi eius inſpicitis naturam, eorum, quæ dixi, intelligentia miniſtrabitur. Ergo penetrate ſedulo arborem, & inde *diſcite* quaſi per *parabolam*, quæ indubie ſunt euentura. Etenim *cum iam* huiuſce arboris *ramus* primo orto *tener* à vobis viſus *fuerit* & in propatulo *nata* in tota arbore *fuerint folia* & dilatata, *cognoſcitis* manifeſtè *quia* hyems abijt, & receſſit, quodque *in proximo ſit* futura *æſtas*, quæ ſit vobis fruges concupitas allatura, ac fructus vberes.

A ficu autem diſcite parabolam. Eſt fertiliſſima arbor ficus, & dulciſſimi fructus, præſertim Oneſicritus tradit apud Plin. lib. 15. cap. 18. In Hircania multum noſtris eſſe dulciores, fertilioreſque, vt quæ modios CCLXXX. ſingulæ ferant. Etſi adhue multo plures daret quæuis *ficus*, & dulciores melle præcoces, nunquam ſatis nobis exprimeret, quæ iudicij conſideratio bona pariat & quàm amena ijs, qui diem Domini frequenter meditantur. Namque ſciens ac ſæpius cogitans, quod cuncta, quæ fiunt, adducet Deus in iudicium pro omni errato ſiuè bonum, ſiuè malum ſit; ſtudet per pœnitentiam commiſſi delicti veniam quærere, & per optimum viuendi genus Deum ſibi familiarem conciliare, eique ſeruire in timore, & exultare in tremore: Quia timor Domini ad vitam, & in plenitudine commorabitur abſque viſitatione peſſimi. Viſitationem peſſimi, & horrendi ſupplicij, qui non recogitat quod futurum eſt poſt ſe, patietur, inde legimus. In lapide luteo lapidatus eſt piger, & omnes loquentur ſuper aſpernationem illius, de ſtercore boum lapidatus eſt piger, & omnis, qui tetigerit eũ excutiet manus. Pigrum ipſe dico excordẽ, qui nouiſſima ſua non premeditatur, nec conſiderat duriſſimum iudicium, quod cum ijs, qui delitijs vacant, & potibus fiet, nec aduertit rationem, quam ad vltimum vſque quadrantem villicationis ſuæ compelletur reddere, ſed animum ocioſum in his, quæ ad ſalutem pertinent, habens, totum ſe placentijs tradit. Is ergo, qui viuit ſine timore, quando omnia, quæ oblectant ſenſum, tranſierint, vt ſtultus lapidabitur lapide luteo, hoc eſt, diuerberabitur concupiſcentijs, quæ miſerum ad obſcœna mox ducunt. Lapidabitur & ſtercore boum, hoc eſt, vt exponit Gregor. lib. 15. mor. cap. 3. damnum rerum temporalium patietur, quando lugens proclamabit cum alijs: Quid profuit nobis diuitiarum iactantia? Experietur adhuc ignominiam cunctorum, qui aſpernent eum etiam cognati, & amici quondam familiares excutient eum, & deteſtabunt. Hanc itaque viſitationem peſſimã euitabit, qui iudicij horrendi acta penſitans, timore Domini repletur. Ergo memẽto antequam veniat tempus afflictionis, & appropinquent anni de quibus dicas: Non mihi placent, antequam obtenebreſcat ſol, & lumen, & luna, & ſtellæ; quando commouebuntur cuſtodes domus, ideſt Angeli, & nutabunt viri fortiſſimi, ideſt iuſti, & otiosè erunt molentes in minuto numero, hoc eſt, fideles omnes, & tenebreſcent videntes per foramina, hoc eſt, dæmones quorum foramina poſt caſum euacuantur. Vt autem memoriã tunc frequẽtemus *à ficu, diſcite*, ait Chriſtus. Hoc eſt quoties *ficus* occurrat, iudiciũ, quod auctor voluit in *ficu* preſignari, conſiderate, vt haud ſecus quàm *ficus*, vberrimos, & dulciſſimos fructus proferatis, peneque diuinos, quibus ſator ipſe Deus delectatur.

Plinius. Fertiles ficiin Hircania. Meditatio iudicij fructuoſa. Prou. 19. Eccl. 22. Vecordia pigri. Greg. Eccl. 12.

Quare à ramo & non ab arbore ſumenda intelligentia.

Cum iam ramus eius tener fuerit. A ramo tenero intelligentiam nos vult petere, non à tota arbore, quæ cum ſit duræ corticis, difficile germinat, niſi in ramo tenero, is primo tempus veris annuntiat; ſed quorſum? Vt nos in diebus iuuentutis bonam arborem æmulantes, bonos quoque fructus faciamus. Quia iuuenis qui Chriſti bonus odor fuerit, & quaſi oliua ſpecioſa in campis, primo mane apparuerit, & tenuerit viam, quæ ducit ad puteum viuentis Dei, & viuentis in perpetuas æternitates, cum ſenuerit non recedet ab ea. Neque enim artes mechanicę, ſeu liberales, quæ inſunt à teneris annis, vix vnquam homo obliuiſcitur. Bonum eſt ergo viro cum

Thren 3.

portauerit iugum ab adoleſcentia ſua, fugerit ſodales laſciuos, & Deum precari

Cant. 7.

occeperit: Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis; mane ſurgamus ad vineas: Hoc eſt, tu Deus qui Dux es, & auctor bonorum veni ad me, mecumque ad agri opus, & mortificationem ſenſus egredere; ac me in villis ſpiritualium exercitiorum facito commorari; iamque te in omnibus auxiliante, ac tecum, propere ab his terrenis ſurgam ad vineas cæleſtium amorum. Sic ordiens vitam inſtituere; *ramum tenerum ficus* contemplatur, & ſequitur, non truncum, qui inueteratus difficilè, aut nunquam valet germen proferre. Hunc enim maledictus ille puer centum annorum immitatur, & ſenes inueterati, qui etſi longe

Sap 3.

vitæ erunt, in nihilum computabuntur, & ſine honore erit nouiſſima ſenectus illorum.

Et nata fuerint folia. Hæc nos vult ante omnia contemplari, non flores quibus carent *ficus*. Flores ipſe contemplor vanitatem, quam nullatenus Dei Apoſtolus, & Chriſti ſeruus mente debet tractare, ſed foliorum ſtudio ſe totum in primis dare, hoc eſt, conuerſationi honeſtæ, vt is, qui ex aduerſo eſt, non habeat quid malè dicere, & qui nobiſcum eſt, ædificetur; nos vero in melius iugiter proficiamus, & vt inquit Petrus: In omni conuerſatione Sancti ſi-

1. Pet. 1,

mus. Vt enim folijs ornatur arbor, & fructus opportunus maturеſcunt ſeruati ab æſtu ſolis, & temporum intemperie, ita conuerſatione honor homini accreſcit, ſi honeſta fuerit cum mulieribus pudicitiam parit, & omnem adauget virtutem, qui in omnibus benè conuerſari ſtudet, vt ille, qui in bona vita, & ſancta conuerſa-

Tob. 14.

tione permanſit, ideſt, donum hominis,

Prou. 18.

quod dilatat viam eius, & ante Principes ſpatium ei facit, vt conſtituant eum Dominum domus ſuæ, & reliquis præferant, quemadmodum in Daniel apud Nabuchodonoſoros, & apud Pharaones in Ioſepho factum ex hiſtorijs ſacris contemplamur.

Sint igitur nobis proſpecta *folia* ficus, & familiaria, vt ad eam conuerſationem, quam Chriſtus à nobis exigit, prouocemur, aſperam, inquam, & lenem; intus enim lenitatem præ ſe fert ficus folium, foris aſperitatem: vt & nos aſperi ſimus malis, quæ foris adueniunt, dæmoni, & peccato. At Deo, qui in medio noſtri habitat, atque homini, qui vt fratrem intra nos circumferimus, lenitatem omnem oſtendamus, & amorem; is enim bono operi eſt proximior, vt folij lenitas fructui in ficu.

Cognoſcitis quia in proximo ſit æſtas. Hoc eſt, tempus oportunum colligendi terræ fruges, implendi horrea, quæ hyemis rigiditas euacuerat, etiam prouidendi corporibus, quæ niue, grandine, & immoderato imbre perhorreſcebant. Sed quid ſimile in ſupernaturalibus, quæ ex naturali obiecto omnium effector iubet *agnoſcere*? Tempus inſerendi Deus, tempus colligendi, & tempus amplexandi, eum, Eccl. 3

inquam, qui ſe ſponſum dedit in fide, & in charitate perpetua dilexit nos, per quem colligimus pro vno centuplū, pacem, quæ finem non habet, poſſidemus; dilectionem, quæ ignorat amaritudinem, induimus; ridemus pleno gaudio; loquimur, & narramus victorias; & miſerationes hæreditamus. Hoc tempus agnoſcat fidelis appropinquari, quando ficum præ oculos habet, & exultet ſicut qui lætatur in meſſe, inchoetque cantum: Conuertiſti planctum Pſal. 29.

meum in gaudium mihi, conſidiſti ſaccum meum; & circundediſti me lætitia. Nam per hanc ſimilitudinem à ficu petitam, Victor Antiochenus

(inquit Victor Antiochenus) nobis adumbrat, nempe dominici aduentus diem iuſtos quidem ex hyeme, & tempeſtate ad æſtatem, ſummamque tranquillitatem tranſlaturum; peccatores contra de æſtate & ſerenitate ad hyemem, & tempeſtatem tranſmiſſurum eſſe.

CAPVT XXIX.

Sic et vos cum videritis hæc fieri, ſcitote quod in proximo ſit in oſtijs.

VT ergo ex naturalibus id, quod naturaliter conſequitur, perſpicitis, ſic Expoſitio.

intelligentiores primo redditi, *cum* paſſim *videritis* oculis veſtris *hæc* exempla *fieri*, vobis manifeſta, *ſcitote* ex familiari exemplo, & naturali, quod ſupra naturam eſt colligere, *quod* quæ *in proximo ſit* commune iudicium, illudque ac ſi *in oſtijs* eſſet habete: Quia ecce venio cito, & tempus breue eſt.

Sic

Sic & vos cum videritis hæc fieri. Et vos, inquit, vtpotè Apoſtoli Dei, rectores orbis, Principes ſuper omnem terram, doctores populi, ſapientes conſiliarij, & myſtici eloquij rectores, ex ſenſilibus, quæ videntur fieri in terra, eleuamini ad intelligentiam eorum, quæ pater meus operatur, quæ altiſſimus in ſuo Concilio ſtatuit fieri, & ſolus omnipotens tempore preordinato complebit; itaque inuiſibilia Dei per ſenſibilia vult Chriſtus à ſummis doctoribus intelligi, perſcrutari, eaque exponi. Sapiens enim, ait Salomon, animaduertet parabolam, & interpretationem. Parabolam ego dico, tàm quod naturale eſt, quàm quod artificiale. Nam velut vmbris volantes nubes, quæ ſurſum ſunt, & quæ altiſſima ex infimis clara mens, & intelligens perſcrutatur, vt poſſit & in conuallibus Deum videre cum Abraham. Ecquid conuallis niſi ſenſibile, quod in valle hac lacrymarum eſt præſens?

Prou. 1.

Scitote quod in proximo ſit. Hoc eſt, *in proximo* vniuerſæ mundi fabricæ, quæ cõtinuo minatur interitũ, in omnibus penè ſui partibus motum, mutationem, vel corruptionem, vel alterationem faciens. Scire poſſumus, velut ex crebris infirmitatibus, & horrendis, inſtare generale rerum interitum. Quemadmodum Plato in Timeo lib. 5. Et Seneca lib. de conſolat. ad Martianum, ſibi perſuadent. Et Ouid. lib. 1. Metamorph. cecinit.

Plato. Plinius Ouidius.

Eſſe quoque infatis reminiſcitur affore tempus
Quo mare, quo tellus, correptaque regia cæli
Ardeat & mundi moles operoſa laboret
Sic cum compage ſoluta.

Lucret.

Necnon Lucretius in hæc verba decantauit myſterium.

Vna dies dabit exitio, multoſque per annos
Suſtentata ruet moles, & machina mundi;
Nec me animus fallit, quam res noua, miraque menti
Accidit exitium cæli, terræque futurum

Lucan.

Quibus ethnicus alius Lucanus lib. 1, Pharſ. conſentit dicens:

Sæcula tot mundi ſuprema coegerit hora
Antiquum repetens iterum chaos, omnia miſtis
Sydera Syderibus concurrent, ignea pontum
Aſtra petent, tellus extendere littera nolet
Excutietq. fretum, fratri cõtraria phæbe
Ibit, & obliquum bigas agitare per orbem
Indignata diem poſcet ſibi, totaque diſcors
Machina diuulſi turbabit fœdera mundi

Refert quoque his antiquiores Clemens, Alexandrinus ſtrom. lib. 5. de iudicio extremo plura decantaſſe; vnius tamen Diphili comici verba proferam.

Clem. Alex.

Diphilus.

Agendum furare alacriter omni tempore
Prædare, diripe, ſpolia, at ne erraueris
Iudicium eſt, faciet quidem quod in inferis
Qui eſt omnium Dominus Deus, cui nomen eſt
Terribile, ego quod neque nominarim

Et paulo poſt

Erit ne, erit nouum nam tempus ſeculi
Quando ignis effundet refertas copias
Auratus aether, flammaque paſta, & fuit
Terrena cuncta, cunctaque & ſublimia
Vret furens.

Denique gentilium plurimi ex varijs caſibus, quos in diuerſis partibus, mundus patiebatur, fore orbis deſolationem, & iudicium vniuerſale concludebant. Tum maximè Romani ex conflagratione vrbis imperante Tito, quam ſcribit Suetonius in Tito cap. 8. Necnon ex Sybellinis libris permoti facillimè, noſtris tum prædicantibus myſterium præſens, illud perſuaſere. Vide Tertullianum in Apologeti. cap. 48. Lactantium de ira Dei cap. 23. & alios. Itaque in proximo eſt orbi ruina, deſolatio, & iudicium finale. Quia Dominus prope eſt, & mille anni ſunt oculis eius tanquam dies heſterna, quæ preterijt. Dixit ergo; ecce adſum, venit finis, finis venit. Conſummationem enim, & abbreuiationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ. Ecce turbo Domini, furor egrediens, procella recens in capite impiorum conquieſcet. Non auertet iram indignationis Dominus, donec faciat, & compleat cogitationes cordis ſui, in nouiſſimo dierum intelligetis ea; videlicet, plenè quæ mox ſingulis diebus ex bellis, peſtibus, inedijs, terremotibus, procellis, inundationibus, incendijs, & alijs ſtragibus, quæ orbem, & regna concutiunt, adeſſe, appropinquari, & in proximo nobiſcum fore iudicium arbitramur. Sunt enim mala iſta fremitus equorum, qui ad prælium currũt; corruſcationes, quæ minantur fulgura; & prodigia, quæ non iam Ægypto, ſed mundo vniuerſo, & mundanis, calamitatẽ extremã comminantur in breui affuturam, vt, inquit ille: Tempus breue eſt *in oſtijs*, vel in foribus, vt habet alia lectio. *In oſtijs* ſcimus adeſſe iudicium, hoc eſt in mortibus ſingu-

Gentiles futurum indicium conijciebant.

Sueton.

Tertull. Lactant.

Pſal 89. Ezech. 7.

Preludia nouiſsimorum temporum.

ſingulorum hominum. Particulare enim
judicium fieri cum anima cuiuſcunque mo-
rientis nemo catholicorum dubitat. Qui
enim finxit ſigillatim corda hominum, &
intelligit opera eorum, & ſigillatim egre-
dientem è mundo, & corpore animam in-
terrogat, & indicat pro vt in corpore fecit.
Matth. 25. Vnde in ratione, quam cœpit ille ponere
cum ſeruis ſuis, dicitur vnum eſſe oblatum
Matth. 22. hero; & vnum qui non haberet veſtem
nuptialem, iuſſit paterfamilias ligatum in
tenebras mitti exteriores. Vnam quoque
Luc. 15. ouem collo ſuppoſuiſſe ſibi paſtorem ſedu-
lum, ſuper vno peccatore gaudium in cælis
celebrari, & inter vicinas pro inuenta mar-
garita vnica choreas duci legimus, vt nulli
ſit dubium ſingularem quenque noſtrum
vel damnari, vel ſaluari in particulari iudi-
cio, quod vnice cum vnoquoque, dum diem
claudit extremum, Deus iudex noſter agit.
Hubert. Hinc Hubertus Epiſcopus Leodienſis mor-
ti propinquus dixit: Præcor vt meæ migra-
tioni veſtris precibus adminiculemini,
Inſtat enim tempus, quo hæc torpentia
membra ſpiritus relinquat, iudicique ſuo
præſentandus occurrat. Huius enim præ-
Radbod. Epiſc. ſentiam penes ſe ingiter portans Radbodus
Epiſcopus Traiectenſis, vt ſcribit F. Laur.
Surius Surius 6. Tomo, quantum humana ſinit im-
becillitas, ſeipſum pauperem ſpiritus me-
ritis, diuitem cæleſtibus familiarem efficere
continebatur. Ieiunijs, pſalmodiarum de-
litijs, vigilijs, eleemoſynis, magna animi
contentione mortem ſuam communire
Preparatio facienda ad mortem. curauit. Id quod & omnes faciunt, qui par-
tem volunt in reſurrectione ſecunda. Nec
procraſtinant: Quia breues dies hominis
Iob 14. ſunt; neſcit qua hora Dominus venturus ſit,
Matth. 24. Marc. 13. ſi media nocte an galli cantu; ſcit tamen
omnis homo, quia veniens veniet, & non
tardabit, cumque venerit? Ero inquit te-
Malach. 3. ſtis velox, maleficiis, ſcrutabor Ieruſalem
in lucernis, & viſitabo ſuper viros defixos
in ſedibus ſuis, qui dicunt in cordibus ſuis:
Non faciet benè Dñs, & nõ faciet malè; Iſtud
autem dixere Arabici, & Baſthomei hæreti-
ci, qui animam cum corpore affirmabant in-
terire, & cum eo ſuſcitare. Contra ea, quæ
Chriſtus protulit latroni morienti: Hodie
Luc. 23. mecum eris in Paradiſo, Verum de ore, & de
Cyprian. verbis ſuis (vt dicam cum Cypriano Epiſ-
copo ad Cornelium Papam) vnuſquiſque
ſtatim perditur, & vtrum Chriſtum in cor-
de ſuo, an vero Antichriſtum habeat, lo-
quendo detegitur, ſecundum quod Domi-
nus in Euangelio ſuo ait: Progenies vipe-
Matth. 12. rarum, quomodo poteſtis bona loqui cum
ſitis nequam? Ec quid nequies quam in-
exterminabilem animam corruptibili cor-
pore ſimilem fingere? Animæ iuſtorum in
Sap 3. in manu Dei ſunt, & non tanget illos tor-
mentum mortis, ſed & ab impijs mors fu-
giet, deponit oraculum. Propterea ait

Clemens lib. 6. conſtit. Apoſtol. cap. 11. *Clemens*
Animam in nobis confitemur ex partem
corporis, & immortalitate præditam, ne-
que interitu deleri vt corpora; ſed immor-
talem eſſe, vtpotè rationis participem, &
ſui compotem. Anathema ergo hæreticis,
ortodoxis autem ſtudium & vigilia. Quo-
niam in proximo eſt vniuerſale iudicium,
particulare vero *in oſtijs*.

CAPVT XXX.

Amen dico vobis quoniam non tranſibit generatio hæc, donec omnia iſta fiant.

DEnique nè cui dubium eſſe poſſit, quod *Expoſitio.*
propoſui exterminium generale, atque
iudicium, attendat, quid mox perloquar.
Amen, inquit, & omni aliorum affirmatio-
ne certius, ac firmius *dico* nunc, & conteſtor
per memetipſum *vobis*, *quoniam* vt Iudæi
non tranſmigrabunt à ſolo paterno, eo vſq.
infortunia, quæ prædixi acerbiſſima, patian-
tur, ita *non tranſibit*, nec finem accipiet to-
ta *generatio hæc* humana, *donec omnia*
mala *iſta*, & bona *fiant* vniuerſis. Prout
ſtatuit auctor, & iudex ordinauit.

Amen dico vobis, His vtpotè Apoſto-
lis, & Eccleſiæ primatibus, dicit affirmati-
uè fore iudicium, & diem, in qua ſtatuit
Deus iudicare viuos, & mortuos, iiſdemque
iurat per *Amen*, quod, vt frequenter dixi-
mus, nota eſt iuramenti, vt omni acceptio-
ne maius habeant documentum præſens, à
quo velut à columna argentea ſolium præ-
cellens Salomonis pendet, hoc eſt totum
Eccleſiæ ædificium, & Eccleſiaſtici viri fi-
des robur, dignitatem, & eminentiam ha-
bet. Alioqui more brutorum, quiſque
victitaret, aut certè ſine lege viuerent
mortales, niſi fides iudicij, & reſurrectio-
nis præualeret. Tum maxime apud ma-
iores locum primum habere debet huiuſ- Memoria iudicij retinenda.
modi fidea, velut duo onichini apud ſa-
cerdotem, in quibus vniuerſæ tribus Iſrael
nomina deſcribebantur. Omnes enim
complectitur iſta fides, & qui in ea firmus
eſt, facilè quotquot importat, & ſuppor-
tat omnium infirmitates, ad eaſque ſuſti-
nendas exemplo, & verbis fidei, cæteros
cohortatur, dicens ad ſuos: Ecce myſte- *1. Cor. 15.*
rium vobis dico, omnes quidem reſurge- *Theod.*
mus. Myſterium dicitur (ait Theodore-
tus) quod non omnibus declaratur; ſed
ſolis amicis creditur. His enim in tribu-
latione conſtitutis leuamen affert fidem
eiuſmodi audire, peccatores ſi fuerint ad Reſurrectionis memoria fructuoſa.
bonum reuocat, iis autem qui in agone
contendunt calcaria addit, & iis quoque
velut veloces equites ad curſum pro-
uocat

Digitized by Google

uocat Apoſtolos, docens tàm excellens myſterium Regni Dei. Quo & nos incitamur ad omne opus bonum, & mali fugam, quando perloquentem audimus veritatem. *Amen dico vobis*, hoc eſt.affirmo adfore iudiciũ, vt referat vnuſquiſque prout geſſit in corpore,ſiue æs, ſiue ferrum, aut lignum, vel argentum, & aurum, cuius me precor aurificem fieri, & argentarium,ne in perpetuum cremer, ſed coronæ gloriæ cum Sanctis in cælis triumphem per eum, qui mox dicit *Amen*.

Quoniam non tranſibit generatio hac. Multa ſuper his tàm antiqui, quàm neoterici meditantur. Ego prætermiſſis aliorum placitis,quorũ nonnulli apud Matt.tranſcripſimus, cenſeo *generationis* nomine, peculiare Iudæorum genus intelligi, primo poſt totam hominis poſteritatem; namque commemoratis vtrorumque ruinis, verba iſta ſubiunguntur *non tranſibit generatio hac*, ac ſi diceret;neque Iudæi deſinent,quouſque videant vrbis ſuæ,regni, atque ſuorum immane excidium. Neque item genus humanum tametſi varijs agitari cladibus multis in locis videatur,abſumetur in totum, quouſque compleantur,quæ de vniuerſali rerum perturbatione prædixi. Conſonat hic Gloſſa interlinearis dicens: *Tranſibit generatio hac*, vel omne genus humanum, vel ſpecialiter Iudæorum.

Quid generatio impor tet?

Gloſſa.

Donec omnia iſta fiant. Quare? quia *dico vobis*. Ergone præſcientia neceſſitatem imponit?Abſit, Præſcit Chriſtus,& dicit vnumquodque iuxtà cauſam, quam vnumquodq; habet contingentem,vel naturalem; ita quod eueniat iuxtà naturã cauſæ liberã, vel neceſſariam:vtrunque tamen prouidens, Chriſtus neceſſario conſequetur, vt ferunt Scholaſtici neceſſitate conſequentiæ, non conſequentis. Quoniam non infert vim rebus prouidens, ſed ſcit certo euentura iuxtà conditionem ſuæ cauſæ, vel liberæ, vel neceſſariæ, & naturalis. Vide Sanctum Thom.1.p.q.23.art,4.ac reliquos Scholaſticos in p.ſent.ex Patribus verò perlege Iræn. lib.4.cap.9. Iuſtin. Martyr in calce Triphonis apologijs duabus, & gentium q.8,Clem. Rom.recognit.3. & 4.Et Alexandr.in Pedagogo 1, ſtromat.2. & 4. Cyrill.Hieroſolym, Catechiſ. 4. ac reliquos, vt habeas, ſi velis præſenti in loco agere contra Lutherum, Occolampadium Melanctonem,qui cum antiquis hæreticis Manicheo,Bardaſane,Abailardo,& alijs negant libertatem hominis ad vtrumlibet eſſe, ſed coactam,& compulſam ad ea,quæ Deus præſciuit,& prouidit,cõtra oraculum:Deus fecit hominem rectum;ipſe autem infinitis ſe immiſcuit quæſtionibus, quia poſuit eum in manu conſilij ſui, ſed huius abutens libertate ſeipſum voluntariè perdidit; ſed de his ſatis.

Præſcientia neceſſitatẽ non imponit.

S.Thom.
Irenaus.
Iuſtin.
Clem. Rom.
Clem. Alex.
Cyrill. Hieroſol.

Eccl 7.

CAPVT XXXI.

Cælum,& terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.

INde quoque firmitatem colligite futurorum, Etenim *cælum*, quod molis pænè immenſæ eſt,& conditionis videtur incorruptibilis;necnon *terra*, quæ fertur baſis, & centrum machinæ mundialis, potius *tranſibunt*,vel à ſua natura,vel deſinent funditus, quàm *verba mea* aliquid de veritate perdant:*Non* enim *tranſibunt* in vanum,neque erunt in ventum prolata, immo verò certiſſimè complebuntur.

Expoſitio.

Cælum, & terra tranſibunt. Hæc quæ firmiora predicantur *tranſire* potius, ait, quàm quod *verbum* eius intercidat, vt inſinuet creaturam omnem ſubiectam eſſe corruptioni, & interitui Deo iubente, minimè autem Dei verbum, quod in æternum manet,Deo Patri conſubſtantiale exiſtens.Hinc Paulus:Creatura vanitati ſubiecta eſt, non ſolum homo,de quo loquitur propriè,ſed & Angelus, per quem habet eſſe,poteſt deſinire. Omnia enim ſecundum Gregor. lib.18. moral,cap.18.in nihilum tenderent,niſi ea manus omnipotentis conſeruaret. Quapropter Damaſc. lib.2. orthodox. fidei, cap. 3. Angelum dicit immortalem ſecundum gratiam non naturam. Quæ habeat principium ſui eſſe,ſitque à ſe, quod Regi tantum ſæculorum immortali, & inuiſibili concedimus. Secundum verò naturam, quam accepit,donatur incorruptibilitate,vt anima,quòd materia, quæ machinatur corruptionẽ careat, & huius incorruptibilitatis ſignum (inquit S.Thom.1.p.q.5. art.5. accipi poteſt ex eius intellectuali operatione. Quia enim vnumquodque operatur ſecundum quod eſt actu, operatio rei indicat modum eſſe ipſius.Species autem, & ratio operationis ex obiecto comprehenditur: Obiectum autem intelligibile cum ſit ſupra tempus, eſt ſempiternum. Vnde omnis ſubſtantia intellectualis eſt incorruptibilis ſecundum naturam quouſque qui ſupra naturam eſt opifex conceſſerit.

Rom 8.
Omnia pendent à Deo.
Gregor.

Damaſc.

S. Thom.

Subſtantia ſpiritualis incorrubtibilis.

Verba autem mea non tranſibunt. Ergo ne accidentia fatebimur ſubſtantijs ipſis ſtabiliora? minimè gentium. Quid igitur *cælum*,& *terra* dicuntur *tranſire* ſecus *verba*? Noli *verba* hoc loco accipere pro ſermone vocali, aut ſcripto, ſed ordinationem altiſſimi,quam eiuſmodi verba nobis explicant, vt præcones, qui ſtatutum, & mentem Regis aperiunt populis, linguis, & Tribubus. At ordinatio, & propoſitum voluntatis Dei non differt à Deo. Hoc ergo in æternum permanebit intactum ſicut verbis patuit: Neque enim ſeruator(ait Victor Antioche-

Verbum hic ſignificat ordinationem.

Victor Antioch.

nus

nus alia de cauſa clementum ſecundum ſe maximè immotum in medium affert, quam vt hoc liquido euincat. Fatendum eſt tamen veterum quorundam Prophetarum ſtudium, & exemplum ea ex parte imitatum. Nam Ieremias quoque certam, immotamque aſſertionis ſuæ veritatem oſtendere volens, à cælorum ſtabilitate alicubi argumentatur. Dominus igitur certum prædicationum ſuarum euentum per cæli, terræque firmitatem declarat, ſimulque ſe rerum omnium conditorem eſſe oblique inſinuat. Cum, inquam, Dominus de ſæculi conſummatione, de re vtique, quæ apud multos recepta erat, verba faceret, in dictorum ſuorum fidem, cæli, terræque ſoliditatem allegat, per quæ hæc eadem totius vniuerſi ſe Dominum eſſe, non abſque poteſtate demonſtrat.

CAPVT XXXII.

De die autem illo, vel hora nemo ſcit, neque Angeli in cælo, neque filius, niſi Pater.

Expoſitio.

QVamobrem vos adhortor, nihil amplius ſuper his, neque dubitare, neque percunctari: Siquidem *de die illo* magno, & horribili, *uel hora* tàm formidoloſa cunctis, *nemo ſcit* mortalium, qui certi aliquid, & indubitatum valeat in lucem proferre. *Neque Angeli* immortales, qui ſemper vident faciem Patris, qui in cælis eſt, potcruut integram huiuſce rei veritatem denudare. Et quod myſterij profunditatem adauget, eſt, quod *neque filius hominis*, cui pater omnia dedit in manus, tùm maximè iudicium, poſſit adunguem propalare futurorum diem, & horam, quouſque venerit tempus, quod Pater in ſua poteſtate poſuit. *Niſi enim Pater* iuſſerit, & ſecretum pectoris ſui detexerit, id ſciri non poterit.

Iſaias. Ezech. Ierem. Daniel. Ioel. Amoſ. Abdias. Michæas. Sophon. Zacharias. Malach. Iob. Pſalm. Prou. Deut. Eſdr. Matth. Lucas. Actor. Ioan. Petr. Paul. Iudas. Matth. Luc. 12. Apoc.

De die autem illo, uel hora. Dies datur iudicij, datur & *hora. Diem* ſcribit Iſaias c. 2.13.a.b. 34. b. 61. à 63.a.Ierem. 30. a 46.c. Ezech. 30.a Daniel 7 11.Ioel. 2.a.c.9.Amoſ. 5.6.a.8. c. Abdias. Mich. 1.c.Sophon. 1.b.2. a.Zach. 14.6. Malach. 3. a.4. a Iob. 21. d.38. c.Pſal. 55. a.95. Prou. 16 a.21.d.27. a.Deut. 32. Eſdr. 2. Ex Apoſtolis, & Euangeliſtis Matth. 12. 13.16.24.25.Luc. 17.Act. 1. Ioan. Apoc. 3. 16. Petr. 2. c.3. Paul. Rom. 2.14. 1. Cor. 15. 2. Cor. 5. 1.Theſſ. 5. Hebr. 9. & Iudas. *Horam* quoque iudicij ſæpius in Apoſtolorum ſcriptis reperimus, rarò in Prophetis, & antiquis. Quoniam iudex nondum ſuum primum aduentum compleuerat. Poſtquam autem in terris viſus eſt, de *hora* iudicij ſolliciti facti ſunt ſapientes noſtri. Matth. 24.25.Luc. 12. Apoc. 3. 14. *Diem* ſcimus eſſe nouiſſimam omnium; *horam* autem ignoramus, ſit ne in galli cantu an media nocte, *hora* furis, cuius aduentui iudicium comparatur, & repentinus iudicis occurſus. Refert Scotus in 4. diſt. 43. tres opiniones cuiuis certè probabiles ſi attentius conſiderentur. Prima, ait, qua hora Chriſtus reſurrexit fore mortuorum reſurrectionem, & in eodem ictu oculi iudicium, vt videamur conformari Chriſto, qui eſt noſtræ reſurrectionis exemplar, & cauſa. Eadem quoque permoti ratione ſecundi affirmarunt iudicium celebrandum, qua *hora* Chriſtus iudicium à Pilato audiuit iniquum. Tertij dixere *hora*, qua Chriſtus mortuus eſt, & nos iudicabimur, vt mortem eius cauſam reſurrectionis noſtræ videamur profiteri. Iſti priori ſententiæ Ricar. d. 43. 4. a.6.q.2. alludit dicens: Cæli motum circa ſolis ortum ceſſaturum, ſtatimque fieri reſurrectionem, & in eodem fermè inſtanti iudicium fore.

Scotus 4. d. 43.

De hora reſurrectionis Tres opiniones.

Ricar. in 4. d 43.

Nemo ſcit. Nullum excipit; vt eos, qui in cælis ſunt adorationem efficaciorem, excitet, & continuat in aſſidua prece: Vindica Domine ſanguinem Sanctorum tuorum, qui effuſus eſt ſuper terram. Eos autem qui in terris adhuc moram trahunt vigilantiores efficiat, quoties memorantur verborum: Si ergo non vigilaueris veniam ad te tanquam fur, & neſcies quando veniam ad te. At illos, qui pœnas in inferis luunt maioribus tormentis excruciet. Dum enim quotidie expectant duplicari ſupplicium maioribus excruciantur doloribus, & triſtitia quaſi exoſſantur.

Cur occulta hora.

Apoc 6.

Apoc. 3.

Neque Angeli in cælo. Quoniam hoc inter myſteria gratiæ recenſetur. Myſteria autem gratiæ cum ex diuina pendeant voluntate non poſſunt Angeli naturali cognitione penetrare: neque etiam beatifica agnoſcunt, cum nihil ad eorum eſſentialem felicitatem, quæ in ſolius Dei viſione, ſeu fruitione conſiſtit, aliquid pertineat.

Myſteria gratiæ ſciri ex fruitione nequit ſequi.

Neque filius. Donec (inquit Origen. tract. 30. in Matt.) Eccleſia, quæ eſt corpus eius, neſcit diem illam, & horam, tamdiù neque ipſe *filius* dicitur ſcire diem, & horam. Reuera autem ſcit. Ait enim torcular calcaui ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum: Calcaui eos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea, & aſperſus eſt ſanguis ſuper veſtimenta mea, & omnia indumenta mea inquinaui. Dies enim vltionis in corde meo annus retributionis meæ veniet, ſed quæ dies vltionis niſi de qua in præſens diſſerit? Et ſeries quoque lectionis euangelicæ, ait Athan. lib. 4. aduerſ. Arian. oſtendit filium Dei, illam diem, & horã probe ſcire etiamſi Arriani ſua inſcitia in præceps ruant. Vbi enim dicit *nec filius* quidem, ibi diſcipulis recenſet ea, quæ diem illam antecedunt, dum inquit, iſta, & iſta futura ſunt, ac tunc denique finis. Iam qui ea, quæ diem illam antecedunt, eloquitur omnino

Origen.

Iſai. 63.

Athan.

ginò in cognitione ſua diem habet, quæ poſt res pronuntiatas ſubſecutura eſt. Si enim diem neſciret, nunquam ea, quæ diem antecedunt deſignaſſet, quippe ignarus quando ea hora futura eſſet. Ac velut ſi quis domum, vel Ciuitatem ignaro certis ſignis deſcribere cupiens, ea, quæ ante domum, vel ciuitatem conſiſtunt percenſeat, & poſt omnia deſignata loquatur, iam deinde in proximo tibi eſt ciuitas, aut domus, certè fieri non poteſt vt is, qui rem ita demonſtratam tradit incognitum habeat, vbi nam locorum domus, aut ciuitas illa conſiſtat. Scit ergo filius diem, quis in eo, inquit Gloſ. ordin. ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei abſconditi, dicitur autem neſcire, quia nobis non expedit ſcire.

Gloſſa.

Niſi Pater. Patri ſoli omniſcientiam videtur tribuere, tùm maximè diem iudicij, quod *Pater* ſolus habeat à ſe, & ſcientiam, qua vniuerſa comprehendit, & omnipotentiam, qua omnia operatur; filius non à ſe, ſed à Patre habet, & eſſe, & cognoſcere. Vnde, inquit, exiui à Patre; Spiritus etiam qui à Patre procedit, & de filio accipit; ab vtroque accipit eſſentiam numero eandem, & ſcientiam. Ergo à ſe cum habeat *Pater* omnia, Chriſtus *Patri* ſoli futurorum notitiam tribuit, vt & originem omnis ſcientiæ, tã quæ in diuinis perſonis celebratur æqualis, & ſubſtantialis, quàm illius, quæ in creaturis reperitur accidentalis nobis adaperiat. Eſt enim Pater fons, & origo omnium veritatum, quæ in diuinis lucent, & earum, quas Angelus, & homo perueſtigant. conſonat expoſitio in Hilarij Gloſſa: Filius, inquit, & Spiritus ſanctus, qui non ſunt à ſe de die illa neſciunt à ſe; Pater autem qui à ſe eſt, ſcit à ſe.

Solus Pater ſcit à ſe.

Ioan. 16.

Idem 15.

Hilarius.

CAPVT XXXIII.

Videte, vigilate, & orate, neſcitis enim quando tempus ſit.

Expoſitio.

HOc vtique Chriſtus intendit, & ex hac neſcientia cõpellere homines ad ſtudium veræ ſcientiæ, quod eſt ſeipſum agnoſcere, & à ſui notitia ad Deum transferre animum, & facere, quæ ſunt ei placita: *Videte* ergo infert, ac ſollicitè quid intra vos lateat, & quibus ad optimæ vitæ ſtudium opus ſit vobis, iiſque cognitis; *vigilate* ſedulò ſingula adimplere, ne pigritia, aut ſomnus vos vnquam opprimat. Et quia hoc non eſt veſtrum, ſed miſerentis Dei, *orate* ſine intermiſſione, vt miſſis deſuper adiutorijs dignos ſuæ vocationis, & electionis vos faciat: *Neſcitis enim*, quibusvis ſtudijs, aut arte, *quando tempus* illud *ſit* futurum, in quo vos de ſingulis oportet rationem reddere, vt ad finem optatum, vel admittamini, vel procul indè expellamini.

Videte. Videntes ſunt, qui prudentiæ ſtudio dediti ſciunt quæ ad ſe pertineant, ne in actionibus priuatis errent, nec non quæ ad alios ſpectant, ne pro iis, quibus præſunt, aut curam habent, compellantur cauſam aliquãdo dicere. Cumq; ad opus exeunt nihil abſque conſilio agunt, ſed iudicium applicantes ſingulis, quod melius eſt, aggrediuntur. Propter quod memorantur præterita, præſentia attentè intelligunt, & ſolertè diſquirunt omnia, circumſtantiiſque apprimè penſatis cauent noxia, & prouident vtilia, quæ ad finem optimum conducunt. Denique *vident* plenè illi, quibus omnis prudentia ineſt. Dic ergo (qui teipſum vis præparare ad iudicij diem, videns rectè, vt Chriſtus hortatur ſapientiæ) ſoror mea es, & prudentiam voca amicam tuam. Tunc intelliges iuſtitiam, & iudicium, & æquitatem, & omnem ſemitam bonam. Eſt enim Sanctorum ſcientia prudentia, quæ David in omnibus, quæ ageret dignum commendatione reddebat, & quemque noſtrum dominatorem non Ægypti, vt Ioſephum, ſed regni cælorum ſublimabit.

Prou. 7.

Prou. 1.

Prou. 9.

2. Reg. 1.

Vigilate. Vigilare eſt ſollicitum eſſe de malis, ne inſontem apprehendant, & excuſſo ſomno, & pigritia occurrere iis, qui vel fraudulenter demoliri tentant noſtram cuſtodiam, vel aperto Marte nos, noſtraque deprædari. Sunt autem hi dæmones, qui foris non expugnant, & qui intus domeſtici hominis, quare, & ab ea carne, quæ dormit in ſinu noſtro, & à diabolo, qui vt leo rugiens circuit quærens quem deuoret, oportet nos cuſtodire, & continuò *vigilare*, ne intremus in tentationem.

Cõtra quos vigilãdum?

Et orate. Orationem præcedentibus iubet nos adhibere, quod neque vigilare, neque videre abſq; altiſſimi fauore poſſimus. Ab ipſo enim ſalutare meum: Quoniam ab ipſo patientia mea. In Deo ſalutare meum, & gloria mea Deus auxilij mei, & ſpes mea in Deo eſt. Qui poſuit animam meam ad vitam, & non dedit in commotionem pedes meos. Non affliget Dominus fame animam iuſti, & inſidias impiorum ſubuertet. Hinc ille: Ego autem cantabo fortitudinem meam, & exaltabo mane miſericordiam tuam, quia factus es ſuſceptor meus, & refugium meum in die tribulationis, Et quæ dies tribulationis niſi dies iudicij? Ergo oret, & precetur, vt illum habens adiutorem in vigilijs, & actibus, in morte atque iudicio liberatorem agnoſcat, confiteatur, & laudet. Adiutor meus tibi pſallam, quia Deus ſuſceptor meus es, Deus meus miſericordia mea.

Pſal. 61.

Quomodo, & quid orãdum?

Pſal. 58.

Ibidem.

Neſcitis enim quando tempus ſit. Quoniam dies vna, quæ nota eſt Domino, non homini, qui vix ſuæ diei malitiam ſcit. Non Angelo, qui non eſt conſiliarius Dei. Non

dæmo-

dæmoni, qui factus eſt draco; non damnato, qui in tenebris eſt; nõ deniq; alicui creaturæ, quæ nõ eſt ſufficiens aliquid ex ſeipſa, tanquã ſeipſa cogitare; nec quidem doctus; tametſi ex ſignis cæli craſtinã diem pluuialem annuntiet, aut ſerenã, nihil ad hanc poteſt Aſtrologia. Quia, inquit Riccard. in 4. d. 43. ar. 6. q. 3. quies cæli non ex naturali cauſa fiet, ſed voluntaria: immò cælum (ait Pelbartus de Thameſſuar in ſuo Roſeto) quantum eſt de ſe, cum ſit figuræ rotundæ, & neque graue, neque leue, & eius motus ſit circularis, neq; ex motu ſuo aliquã perfectionem naturalem acquirit, ſed aptũ eſt, quantũ ex parte ſua ſine fine moueri; quia tamen mouetur à mouente volũtario, qui eſt intelligentia, quæ quidem mouet ſecundum imperium creatoris, & ceſſabit mouere ad imperium eiuſdem; ideò quies cæli ex volũtate Dei dependet magis quam ex puris naturalibus; ideò neq; hòmines, neq; Angeli ſub certitudine poſſunt inueſtigare. Hominibus etiã non eſt notum per reuelationem, quia quod Apoſtolis reuelare noluit; nõ eſt probabile, quod alijs reuelauerit. Hæc ille. Quod verò inſtet Sãctis reuelatũ non ambigimus, quãdoquidẽ præter Ioan. in Apoc. vt exponunt noſtri, & Eliam Talmudicum, vt fabulantur Hebræi, pleriq; Sanctorum, vt S. Vincentius Ferrer. & Antoninus Florentinus, atque alij tùm dictis, tùm ſcriptis affirmarũt. Nihil tamẽ hoc in negocio certius reperio pro mõdi duratione, quàm quod Genebrardus lib. 1. Cronicon. ex Sederolam c. 16. ſcribit. Septem, inquit, homines dantur, qui mundi durationem continenti ſerie metiuntur, Adam, Mathoſalem, Sem, Iacob, Amram, Ahias Salonites, & Elias, qui adhuc ſuperſtes eſt, & incolumis c. 17. apparebit ſecundo in aduẽtu Chriſti (hoc impletũ in transfiguratione) deinde recõdetur donec tertio appareat aduentu Gog, & Magog. Interea autem ſcribit geſta omnium ætatum, & temporum. Dicuntur hi ſeptem mundi durationem, quod ſex ſucceſſiuè viderint ſuperſtites, & poſt mortẽ Eliæ per Antichriſtum feſtinare mundi excidiũ; quin adhuc mortuo Elia durabit nonnihil temporis mundus. Denique incerta tempora euentui certiſſimo ſeruantur, vt certam faciamos vocationem noſtram propediem conſiderantes fore iudicij tempus.

1. Cor. 3. — *Riccard.* — *Pelbartus.* — An reuelatus mũdi finis. — *S. Vincent.* — *S. Antonin.* — *Genebrard* — Tempus incertũ euentus certus.

CAPVT XXXIV.

Sicut homo, qui peregrè profectus reliquit domum ſuam, & dedit ſeruis ſuis poteſtatem cuiuſque operis, & ianitori præcepit, vt vigilet.

Expoſitio.

Exemplificat illationem præcedentem, vt ad ſtudium diſciplinę perfectũ acrius accendat. Quare, inquit, res veſtras ſic ipſe conſidero, atq; debitum officium, quod à vobis efflagito, ſic ſe habet, *ſicut homo* ſui, atque ſuorum ſolicitus, *qui peregre* in regionem longinquam *profectus*, cum his, qui ſunt ei à ſecretis. *Reliquit* autem ampliſſimã *domum ſuam, &* colendam hæreditatem, hortos, vineas, olìueta, & agros. Ac proptèrea *dedit* liberè *ſeruis ſuis*, qui in cuſtodiam remanſerant, *poteſtatem* plenam *cuiuſque operis* quod vel domus ſucceſſus, vel poſſeſſionum cultura popoſceret. *Ianitori* autẽ *præcepit* hoc peculiare mandatum, *vt vigilet* diebus; ac noctibus, ne redeunte hero, minora quàm domi reliquit, inueniat, neuè ad oſtium pulſare diù compellatur regrediens; & quidem tales vos vult Deus, qui poteſtate libera ad omne bonum vobis relicta, vigilantiam præcipit, quamdiù tardat veſtras animas repetere.

Sicut homo. Hominis exemplo, non volucrum, non vitis, neq; cæterorum inſenſatorũ, vt aliàs hoc in loco vtitur, quod ſine conſiderare moneat. Hominis autẽ propriũ eſt agere propter finem, & omnem vitæ ſuæ rationẽ ab eo petere; præſertim à finali iudicio, & reſurrectione. In illa enim finis cunctorum; quem lapidem immotum reliquit nauigans, quomodo poſt diuturnam procellam videt ſummo mane & ſcopulum, & è vicino ſcopuli portum ſibi obijci, vt ad tutum ſe recipiat, & diffugiat naufragium. Ex quiuis noſtrum, ſi *homo* eſt, audiens maledictionem vnò in monte pluere ſuper quoſdam, & ſuper alios benedictionem in oppoſito monte curabit omni conatu ad montem, cui benedixit Dominus properare. Hic eſt ſtatus iuſtorum, qui in iudicio audiunt: Venite benedicti. Ergo nolite fieri ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus. Perpendamus fratres (ait Auguſt. ſerm. 10. de aduen. ad iud.) quales erimus in die iudicij Dei, & Angelorum eius conſpectui præſentãndi, quando opera noſtra ante oculos noſtros erunt poſita. Et alia, quorum conſideratio ad hominem rationalem, qui agit in finem, ſpectant.

Hominis eſt agere propter finem. — *Pſal. 31.* — *Auguſt.*

Qui peregre profectus. Peregre profectum omnes eundem Chriſtum hoc loco ſignum, quod ad cælos aſcenderit, donec ſcabellum pedum ſuorum pater ponat inimicos ſuos. Etſi nobiſcum vſque ad conſummationẽ ſæculi ſit, à pleriſq; noſtrum longinquus reputatur, dum effrænatè viuunt, nec pœnam experiuntur. Etenim, ait Sapiens, quia nõ profertur citò contra malos ſententia abſque timore illo filij hominum perpetrant mala. Attamen ex eo, quod centies facit malũ, & per patientiã ſuſtentatur, ego cognoui, quod erit bonum timentibus Deum, qui verentur faciem eius. Non ſit bonum impio, nec prolongentur dies eius, ſed quaſi vmbra tranſeant, qui non timent faciem Domini.

Pſal. 19. — *Eccl. 8.* — Impunitas malos fouet.

Reliquit domum ſuam. Et hanc Chriſto dant Eccleſiã, quã acquiſiuit ſanguine ſuo,

& red-

Prou. 9.

& reddidit ſpecioſam abſq; ruga, atq; ornatam, ſicut ſponſam viro ſuo. Sicut ſcriptum eſt: Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem, immolauit victimas ſuas, miſcuit vinum, & propoſuit menſam ſuam. Hoc eſt Euchariſtiam, & reliqua dona, quæ admirabili Sacramento ſub ſeptenario numero referuntur. Reliquit eam, quando aſſumptus eſt in cælum, & ab oculis hominum ablatus, qui mentibus cunctorum per fidem, quam infudit, & gratiam præſens eſt.

Et dedit ſeruis ſuis poteſtatem. Hæc eſt libertas, quam cuique benè agendi cõceſſit, qua ne paſſim ad opus bonum excitatur. Poteſt & dici donum ſpiritus, quod aſcendens in cælum hominibus reliquit, & diſtribuit, vt talenta, ac bona ſui vnicuique iuxtà propriam virtutem, ne in negocio, quod demandaret, pecunia deficeret.

1. Cor. 12.

Cuiuſque operis. Iuxtà miniſterium, quod quiſque ſeruus fuerit ſortitus, vt Deo vni, & ſpiritu ſeruiant. Nã diuiſiones gratiarũ ſunt, idem autem ſpiritus. Et diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus. Et diuiſiones operationũ ſunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus: Vnicuiq; autẽ datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem.

Hieron.

Ianitor prædicator.

2 Timot. 4.

Ezech. 3.

Et ianitori præcepit, vt vigilet. Ianitor ſecundum Hieron. eſt prædicator. Non qui vel amore ſui, vel proximi officium mutuat; ſed qui ex officio habet prædicare, vtpotè Epiſcopus. Ad quem Paulus: In omnibus labora, opus fac Euangeliſtæ. Ecquid? Prædica verbum, quia ſpeculatorẽ dedi te, vt annunties malũ veniens, & quæcunq; mandauero tibi, ait Deus, loquaris ad eos, quod ſi nõ annunciaueris, ſanguinem de manu tua requiram. En officium. Ecce pœnam. Attendite vobis ò Epiſcopi, & vniuerſi gregi, quem vobis credidit, & de manu veſtra requiret.

CAPVT XXXV.

Vigilate ergo: neſcitis enim quando Dominus domus veniat; ſero, an media nocte, an galli cantu, an mane.

Expoſitio.

Et iterum concludit, quod eſt omnibus neceſſarium, & vehementer ab eo expetitum, qui noſtrorum omnium ſalutem adamat, & quærit modis omnibus, ne quiſquam pereat de manu eius. *Vigilate ergo*, ait, & eſtote continuo apertis ſenſibus animæ, atq; corporis ad omnia, quæ finem feliciſſimum properant, & iter reddunt ſecurum. *Neſcitis enim* quicunq; ſitis, *quando* ad vos *Dominus* ille liberalis diſtributor, ſed repetitor ſtrictiſſimus *veniat* repetens debitum, & rationem exigens, *ſero* ne quando vmbram deſiderat mercenarius, *an media nocte* quando in pace ſunt omnia, *an galli cantu* quando dies crepuſculum illuceſcit, *an mane* quãdo ſol omnia mirabiliter incipit perluſtrare.

Eccl. 49.

Idem 38.

Apoc. 22.

2. Cor. 3.

Exod. 34.

Vigilate ergo. Reducit denuo vigiliam in memoriã, & vnicũ, & ſingulare ornamentum virorum fidelium, qui Deo placere curãt, & proficere. Vnde ſcriptũ eſt: In verbis Sanctis ſtabunt ad iudiciũ, & nõ deficient in vigilijs ſuis. Quibus vt faber, & architectus, qui noctẽ tanquã diem tranſigit, qui ſculpit ſignaculo ſculptilia, & aſſiduitas eius variat picturam. Cor ſuũ dabit in ſimilitudinẽ picturæ, & vigilia ſua perficiet opus. Ita qui iuſtus eſt iuſtificabitur adhuc, perficiet quæcunq; præcepta ſunt, quouſq; transformatus à claritate, in claritatem, ſimilitudinẽ imaginis Chriſti, & hominem cæleſtem, quẽ Chriſtus propoſuit, comparet, ſibiq; conquirat, vt ille, qui è medio caliginis faciem traxit lucentẽ, in quã filij Iſrael non poterant intendere. Ea propter tãtopere & ſuadẽtur, & præcipiuntur vigiliæ, quæ potiſsimum fiunt, vt ſcribit Beatus Audoenus Rhotomagenſis Præſul in vita S. Eligij Nouiomogenſis Epiſcopi lib. 2. c. 16.

Audoenus.

Quomodo captandæ vigiliæ noctis, & diſcutienda eſt ſegnities?

Quoties, inquit, nocte euigilatis, & ſomnus ab oculis receſſit, mox labijs ſignũ Crucis imprimatur, mens orationibus occupetur. Dei præcepta animo voluantur; ne ſtupido pectori repentè ſubrepat inimicus, vel per ſtultam oſcitantiam, & incuriam ſerpat in animam aduerſarius. Cum turpẽ ille veſtris ſenſibus cogitationem ſuggerit, proponite vobis futurũ Dei iudicium, inferni ſupplicia, gehennæ flammas, tartari tenebras, quæ impij patiũtur. Si ſic feceritis mox turpis cogitatio euaneſcet, nec vos deſeret virtus Chriſti: quia verũ eſt, quod Propheta canit: Sperãtẽ in Dño miſericordia circũdabit.

Pſal. 31.

Iſai. 52.

Eccl. 41.

Neſcitis enim quãdo Dominus domus veniat. *Domus* Dei eſt Eccleſia, vt dictum eſt, quam decet ſanctitudo. Vnde miniſtris dictum eſt: Mundamini qui affertis vaſa Domini: Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum. Ergo veniẽs *Dominus domus* quid requiret? Sãctitatẽ quis coluit, qui amauit religionẽ, & qui virtutis apicẽ adamauit, quiſue abijcit abalienatus retrorſum, vanitatẽ cordis ſui malã ſequẽs. Omnia illa in tẽpore ſuo quærentur, vt fructus in æſtate. Memento ergo (perſuadet oraculum) quæ ante te fuerũt, & quæ ſuperuentura ſunt tibi, Hoc iudicium à Domino omni carni, & quid ſuperueniet tibi in beneplacito Altiſsimi ſiue decem, ſiue centum, ſiue mille anni,

Hora incarnationis.

Sap. 18.

Hora iudicij.

Matt. 25.

Epheſ. 6.

An media nocte. Hac enim creditur in carnẽ veniſſe propter illud: Cum quietũ ſilentiũ cõtinerent omnia, & nox in ſuo curſu mediũ iter haberet, omnipotens ſermo tuus exiliens de cælo à regalibus ſedibus. Ita & media nocte venturũ ſecundo Chriſtũ ad iudiciũ ſibi perſuadẽt multi propter parabolã Virginũ, in qua legimus: Media nocte clamor factus eſt, ecce ſponſus venit, exite obuiã ei.

An galli cantu. Et tunc fore iudicium alij arbitrantur, nã quales vult homines in iudicio reperiri, vtpotè ſuccinctos lũbis, vt poſſint

ſinit ſtare in die malo; nec formidare hoſtẽ, talem in tantu ſe præbet gallus,& in prælio; iuxtà illud: Tria ſunt, quæ benè gradiuntur, & quartũ, quod incedit feliciter, leo fortiſſimus beſtiarũ ad nullius pauebit occurſum. Gallus ſuccinctus lũbos,& aries, nec eſt Rex, qui reſiſtit ei, vel Rex, qui reſiſtat ei iuxtà aliam lectionẽ. Rex eſt Chriſtus, cui nihil reſiſtit,& feliciter, ac triumphator in cælũ cõſcendit. Aries, qui ſacrificatur eſt martyr. Gallus, qui ſuccingit lũbos eſt omnis ſectator Chriſti. Leo fortiſsimus eſt Angelus. Aderunt enim omnes hi ad iudicium, Rex, vt iudex, Angelus, vt fortiſsimus Iſrael, qui ſolium circuit Salomonem, Martyr, & omnis Chriſti diſcipulus, vt præmium ſalutare reportent.

Prou. 30. — Interpretatio cõmoda.

An mane. Mane quoq; opinatũ eſt venturũ iudicẽ, iudiciumq. fieri oportere, quẽadmodum ex Riccardo,& Scoto dictum eſt ſuprà. Nihil tamen certi: Quia qua hora non putatis filius hominis veniet.

Hora iudicij incerta. — *Luc. 12.*

CAPVT XXXVI.

Nè cum venerit repentè inueniat vos dormientes.

Expoſitio.

PRopterea volo vos omnes ô Apoſtoli, & diſcipuli vigilare. *Ne* quid mali vobis accidat, *cũ* ad vos *venerit*, ſicut turbo, iudex ille ſupremus, atque *repentè* quaſi in ictu oculi iudicium omne perfecturus, *inueniat vos* immemores veſtri,& dormientes ſecuri, velut in tuto poſiti, quando mala vndequaque circunſtabunt.

Ne cũ venerit repentè. Erit enim dies illa repentina, repentinuſq; ſuperueniet interitus cũctis, quodq. formidoloſũ magis, *repentè* interrogabit ô homines opera veſtra: Et ſi *repentè* interroget, inquit Iob, quis reſpõdebit ei, vel quis dicere poteſt cur ita facis? Deus cuius iræ nemo reſiſtere poteſt, & ſub quo curuantur, qui portant Orbem; quantus ergo ſum ego, vt reſpondeam ei, vt loquar verbis meis cum eo? Quid igitur faciam ego miſer, & peccator, quando Iob Sanctus non habet quid reſpondeat, nec quid faciat in caſu repentino?

Iob 9.

Inueniat vos dormientes. Ergonè dormitio ſola eſt, & ſomnium, quæ vitanda ſunt nobis, vt impedimenta, & noxia ad præparationem iudicij extremi? Hæc quidem ſola. Nam vbi ſunt multa ſomnia plurimæ ſunt vanitates, extollunt imprudentem, & multos errare faciunt, pigritiamque induecunt prolixę dormitiones, & quæ in peccatis fiunt, de quibus eſt ſermo, potius cæcitatem inducunt, & animi obdurationem talem generant, vt vel non audiant corripientem in porta, vel nihil habeant quando ſponſus venit, vt valeant tutè,& gratè ad eum exire,& introire. Quapropter audiunt: Amen dico vobis neſcio vos.

Matt. 25.

CAPVT XXXVII.

Quod autem vobis dico, omnibus dico: Vigilate.

Expoſitio.

ATtamen ne reliqui excuſare ſeipſos valeant, ac ſi nihil ad eos iſthæc paterna monitio, adeſſe iam hic omnes volo, vt ſciãt iſtud idẽ, *quod* tanta verborũ emphaſi,& repetitione eiuſdem ſententiæ *vobis* nunc *dico, omnibus* pro tunc, quando ad mundum venerint. pariter *dico*. Dico inquam. *Vigilate*, vt venientem properè iudicem dignè recipiatis.

Quod autẽ vobis dico. Vobis quidẽ primo, qui præeſtis capita populorũ,& miniſtri regni illius, qui ſemper vigilat, vt faciat verbũ ſuum, & vos, vt Vicarios ſuos vult, ô Reges terræ,& Principes Eccleſiæ, ante omnes vigilare. Namq; natura capiti oculos figit, & animalia, quæ currũ trahunt plena ſunt oculis intus,& foris. Currũ dico orbem, ac cœtũ mortalium, quem trahunt Rectores, ſed non vt oportet ad finem debitum, niſi *vigilent.* Erudimini ergo qui iudicatis terram, nequando iraſcatur Dominus.

Apoc. 4. — *Pſal. 2.*

Omnibus dico. Quia omnes vult ſaluos fieri,& ad agnitionẽ veritatis venire, neminem perire, quia oues paſcuæ eius, & hæreditas, quã illi legauit Pater, à mari vſq; ad mare,& à flumine vſq; ad terminos Orbis terrarum, vt ſit vnus imperans omnibus. Is ergo Dauid Paſtor,& Doctor, *omnibus* nunc,& ſemper,& vbicunque dicit.

Pſal. 71.

Vigilate. Quater repetitur *vigilate*, ac ſi quadruplicẽ vigiliam videatur à vigilibus exigere. Etenim qui vigilis,& ſpeculatoris officiũ agit, ſuper ſpeculã, & murũ, ac turrẽ Vrbis conſtitutus, ne valeat deludi ad quorũ mundi partes reſpicit continuò, Orientem, Occidentem, Aquilonem, & Auſtrũ. Hinc diſcat noſter, quatuor vigilias facere, vigilabit ad Orientem, ſi fuerit circunſpectus in his, quæ caro, & animalis natura, quam ab ortu habet naturæ irã inſtigat, aggreditur,& perquirit, vt in illicitis eam ſuppeditet, nec cõſentiat ancillã fieri heram Dominæ ſuæ, neque ſeruam regnare. Ad Occidens reſpiciet, ſi mortẽ,& eius incertos ſucceſſus continuò fuerit meditatus, ne quando obliuiſcatur operũ Domini cũ ſpe longiſſimæ vitæ; *vigilabit* quis ad Aquilonẽ, qui labores, ad quos natus eſt homo, vt auis ad volatum, penes ſe deferet, quidue interſit inter ſpinas, quas tribulus gignit,& eas, quas malogranatum,& malopu-

Quomodo vigilandũ?

malopunicũ profert. Hoc eſt quantũ deferãt anguſtiæ naturales,quæ in omni vitæ humanæ ſtatu reperiuntur ab illis, quas Deus infert,Chriſtus pro nobis ſuſtinuit, & ſimilem aduerſus noſmetipſos hortatur ſubire contradictionem. Inter has enim nihil niſi malo granata, pomaq. vetera, & noua, hoc eſt opera Deo grata, & iuſtificationes reperiuntur. Reliquis miſerijs,niſi diligenter cauerit homo,facillimè obtuetur.Ad Auſtrum denique intendit,qui nihil prætermittit eorum,quæ Eccleſia præcipit,quæ ſpiritus poſtulat gemitibus inenarrabilibus,vt placeamus coram Deo in lumine viuentium. Beatus, qui ſic *vigilat*, & cuſtodit veſtimenta ſua ne nudus ambulet, & videant turpitudinem eius. Hanc enim optima vigilia tollit, & mundos efficit, vt iure dicere valeant.Ego dilecto meo,& dilectus mihi.Vtinam in ſæculum ſæculi. Amen. *Cant. 2.*

FINIS LIBRI DECIMITERTII.

IN SACROSANCTVM CHRISTI EVANGELIVM SECVNDVM MARCVM

LIBER DECIMVSQVARTVS.

IN CAPVT DECIMVMQVARTVM PRAEFATIO.

AD vigiliam itaque, & bonum, cum multipliciter Chriſtus fuiſſet omnes adhortatus, vltimũ Paſcha celebrare aggreditur,& mortem, vt perfectam ſalutem cunctis,qui vigilarent, ac benè agerent, ſua mortis meritò conferret. Iam enim in iuſtũ conſpirarant maiores Iudæorum, quos vnus ex diſcipulis Iudas iuuit: Is enim excandeſcens in Chriſtum, quaſi eum priuaſſet pecunia, quam ex vnguento, quod mulier deuota fracto alabaſtro in caput Chriſti effuderat,in vſus proprios ſperabat reportare, illum pacta pecunia prodit Principibus Sacerdotum. Peractis igitur pro more Paſchalibus, dum Chriſtus oraret in horto,à miſero Iuda traditur ijs, qui manu valida eò venerant. Verum enimuero eum & hoc ſibi ſtatuiſſet, non ſolum non contradixit, ſed neque paſſus eſt, quid moleſtiæ inferri ſatellitibus, quominus in eum cuncta molirentur. Quare contradicente nemine, ligatum duxerunt ad ſummum Sacerdotum, cum quo reliqui conuenerunt, vt verò, aut apparente teſtimonio accuſarent, arguerent, & traderent morti inſontem. Dumque illi in caput,ac Principem agerent facinus; diabolus contra Petrum,qui ſequebatur à longè excitat alios, quouſque ad indecorum compellatur. Hunc tamen ſubleuauit Magiſter pius,qui etiam paratus eſt crucifixoribus parcere. Summa iſta ſit capitis. Quod etſi in duas partes diſtribui poſſet, videlicet præludia ad paſſionem,& geſta paſſionis,quam nocte integra apud Principes Synagogæ ſuſtinuit, melius fore cenſeo indiuiſum relinqui propter hiſtoriæ continuationem.

CAPVT PRIMVM.

Erat autem Paſcha,& azima poſt biduum, & quærebant ſummi Sncerdotes, quomodo eum dolo tenerent,& occiderent.

TAmetſi omnem Chriſtus mouiſſet lapidem,quo vniuerſi meliores fierent, apud maiores viſus eſt nihil proficere. *Erat* enim vltimum *Paſcha*,quando eum oportebat relinquere mundum, & tranſire ad Patrem,iamiamque *azima* edenda *poſt biduum* occurrebant,ſtatimque iter mortis aggredi Expoſitio.

Et adhuc ſui aduentus profectum primores, ad quos venerat, nullum experiebantur: immò verò defectum, & ruinam voluntariam licebat potius in infelici gente contemplari. Namque *quærebant* omni ſtudio *ſummi Sacerdotes* à ſe, & veritatem, quam prædicarat, omninò alienos oſtendere, quin modis omnibus ſtudebant, *quomodo*, quaue arte, & impoſtura, *eum* ſimpliciter gradientem *dolo tenerent*, & ſubiugarent, *&* ſubiectum ſuæ voluntati *occiderent* per Romanorum Principem, cuius erat ad mortem condemnare reos.

Erat autem Paſcha. Eſt *Paſcha* vox Hebræa פסח peſach, cuius plurale eſt פסחים peſachim, ideſt tranſitus à verbo פסח paſach, ideſt trãſire, vel tranſilire, ſaltare, ac claudicare. Tranſiens enim Angelus percutiens domos Iudæorum, videbatur quaſi claudicans pertranſire: ſiquidem vt claudus nunc rectum, nunc obliquum pedem videbatur immittere, dum domum ſanguine agni tinctam pertranſit, alterius verò, quæ minimè viſebatur aſperſa ſanguine, primogenita percutit. Ab hoc igitur tranſitu, *Paſcha* nomen accepit ſolemnitas, quam Exod. 12. jubet lex obſeruari. A luna Martij, qui eſt Niſan Hebræis. Futurum enim erat, vt dæmon, qui ira magna cunctos peruaderet, in die Paſchatis, quem Chriſtus celebrauit, & intactis his, quos ſanguis eius lauaſſet, perc uteret animas eorum, qui velut Ægyptij nihil haberent ſanguinis, ac meriti Chriſti. Propterea dixit Dominus ad Moyſen, & Aaron in terra Ægypti: Menſis iſte vobis principium menſium primus erit in menſibus anni. Hebræis quidem primus, quod optatiſſimum libertatis donum ſint tunc adepti; nobis verò, ac omnibus fidelibus præcipuus; quod non de Ægypto, neque de mortis periculo ſeruati fuerimus, verum integram animi ſalutem aſſecuti per Chriſtum Agnum immaculatum, qui dedit nobis victoriam, vt liceat exactori inſultare, vbi eſt mors victoria tua? vbi eſt mors ſtimulus tuus? Dici autem menſem hunc primum inſinuat alium pro primo Iudæis fuiſſe, ſunt enim qui dicant (ſcribit Hieron. ab Oleaſtro) eos more Gentilium habuiſſe Ianuarium, quemadmodum erat apud Ægyptios, inter quos viuebant. Alij verò, quibus potius ſubſcribam, arbitrantur antea apud Iudæos, & multos gentilium Septembrem fuiſſe primum, quod eo menſe mundum creatum putarent, quorum ſententiam Gen. 1. probauimus, cum arbores, & herbas cum ſemine, & fructu productas credamus, quo fit, inquit Genebrard. lib. 1. Chron. vt in cæteris negocijs ſiue priuatis, ſiue publicis, itemque in conſignanda temporum ratione à Tizri, ideſt Septembri numerent, vt Ezech. cap. 40. v. 1. quos etiam in Eccleſiaſticis ſequuntur hodie Græci, vt conſtat ex ipſorum ἀναλογίων, & μαρτυρίων Mytilenentium. Tamen noſtrorum cõmunior opinio eſt Martium mundo dediſſe principium, quo menſe Chriſtus de Cruce pependit, vt quo Menſe homo cœperat, & ceciderat, retraheretur, & ſurgeret ad meliorem ſtatum, tranſiretq; iam ab hominibus confuſus Sathan, qui vniuerſos circuibat, vt perderet, & mactaret. Hoc igitur *Erat* tunc *Paſcha*, ac tempus Paſchalis ſolemnitatis erat, ſcilicet propinquum.

Quid ſit Paſcha, & à quo dictum?

Exod 12.

Exod. 12.

Trãſitus, ſeu Paſcha Iudæorũ ſymbolũ paſſionis Chriſti, & mortis.

1 Cor. 15

Quis menſis primus Iudæorum.

Hieron.

Mõdus quo menſe creatus?

Genebrar.

Cõputatio Græcorũ à Septẽbri an nos ducebat

Latini à Martio.

Et azima poſt biduum. Et coniunctio aliã à Paſchate ſolemnitatẽ eſſe azima indicat: Siquidem Paſcha dies erat, qua Agnum edebant, azimorum ſolemnitas per dies ſeptem durabat. Id quod Leuiticus perſuadet dicens: Menſe primo quartadecima menſis huius ſolemnitas azimorum eſt, ſeptem diebus comedetis azima, dies primus erit vobis celeberrimus. Agnum nihilominus abſque *azimis* comedere nefas erat: Quare & *azimis* vtebantur quartadecima ad veſperam, quando etiam ſolemnitas *azimorum* inchoabat, vt & reliquæ Iudæorum feſtiuitates, à veſpera in veſperam. Primum menſem vocat, vt dictum eſt Niſſan, qui vt plurimum reſpondet noſtro Martio, non tamen ſemper, ait Oleaſter. Quoniam aliquando præcedit, aliquando ſequitur æquinoctium vernale, & intrat Aprilem. Supputant autem Iudæi menſes ſuos per lunationes, & prima lunatio incipit à prima oppoſitione lunæ ad ſolem ſignum Arietis ingreſſum. Itaque prima oppoſitio lunæ ad ſolem in Ariete, eſt prima lunatio, & prima die menſis apud Iudæos. Vnde Lyranus dicit; quod regulariter primus menſis Hebræorum ſemper incipit à principio propinquioris lunationis æquinoctio vernali, ſiue principium prædictæ lunationis ſit ante æquinoctium, ſiue poſt, ſiue in ipſo; eſt autem prædictum æquinoctium propinquius principio Martij, quàm fini, & eſt 12. die Martij ſecundum veritatem, licet aliter ſignetur in Kalendarijs noſtris. Hæc ille in Exod. 12. Quod *poſt biduum* dicatur fore Paſcha indicat adeſſe tùm præparationem, qua per decem dies, tùm ſe, quam agnum ad eſum præparare debebant ſecundum legẽ. Ait enim: Decima die menſis huius tollat vnuſquiſque Agnũ per familias, & domos, & infra: Seruabitis eum vſque ad quartam diem menſis huius, immolabitque eum vniuerſa multitudo filiorum Iſrael ad veſperam. Poſtquam, vt inquit Ioſeph. lib. 5. de bello Iudaic. c. 9. Sacerdos è Turri quarta, quæ ſupra verticem Paſtophoriorum condita erat, tuba ſignificaſſet ſequentis diei feſtiuitatem poſt horam nonam. Vnde lib. 7. c. 12. Sic ſcribit: Cum dies feſtus adeſſet, qui *Paſcha* vocatur, quando à nona hora quidem, vſque ad vndecimam hoſtias cædunt, per ſingulas verò hoſtias contuberuia non pauciorum, quàm decẽ fiunt; ſolum

Leuit 23.

Exod. 12.

Solẽnitates Iudæorũ à veſpera in veſperã fuere.

Oleaſter.

Anni Hebræorũ lunares.

Lyran.

Exod 12.

Ioſeph.

ſolum enim epulari non licet, multi autem etiam vicini conueniunt: hoſtiarum quidem ducenta, & quinquaginta ſex millia numerauere. Fiunt autem vt denos epulatores per ſingulas imputemus, vicies centena, & ſeptingenta millia ſancti omnes, & puri: itaq; dum contubernia præpararent, & hoſtias ſecundum legem, immineretque feſtiuitas ipſa, quales eſſent animo, quem vnicè vult Deus ad feſtum diſponi, & ſanctificari, aperit Euangeliſta ſubſcribens.

Numerus eorum, qui aliquando ad eſum agni conueniebant.

Et quærebant ſummi Sacerdotes, & Scribæ. *Quærebant* quidem tollere iuſtum, qui cõtrarius erat operibus eorum malis. Quia dixerunt, inquit per Vatem: Inimici mei mihi, qui cuſtodiebent animam cõcilium fecerunt in vnum, ſed iudica Domine nocentes me expugna impugnantes me: apprehende arma, & ſcutum, & exurge in adiutorium mihi. Effunde frameam, & conclude aduerſus eos, qui perſequuntur me. Dic animæ meæ ſalus tua ego ſum. Confundantur, & reuereantur quærentes animam meam. Auertantur retrorſum, & confundantur cogitantes mihi mala. Non audierunt me, nec inclinauerunt aurem ſuam, ſed indurauerunt ceruicem ſuam, & peius operati ſunt, quàm patres eorum. Etenim cum loquebar illis impugnabant me gratis, conſilium fecerunt in vnum. At defeciſti ò Synagoga populorum in multitudine conſiliorum tuorum. Ecce facti ſunt quaſi ſtipula, ignis combuſſit eos, non liberabunt animam ſuam de manu flammæ. Hæc & ſimilia intra ſemetipſum meditabatur Chriſtus, dum *ſummi Sacerdotes*, & Scribæ *quærerent*.

Pſal. 70. *Pſal. 34.* *Ierem 7.* *Pſal. 109.* *Iſai. 47.*

Quomodo eum dolo tenerent, & occiderent. Quod ad diſputationem ſpectabat, fecerant, omnemque operam nauarant multis propoſitis ex induſtria quæſtionibus, vt caperent in ſermone, & plebi odioſum redderent, & infamarent apud Præſidem, & Herodem: nihil tamen nec per Herodianos, qui de tributo pendendo quæſtionem propoſuerant, neque per Saducæos, qui per reſurrectionem impugnabant, nec per alios legiſperitos profecerant aduerſus ſapientiam, & veritatem, quæ omnia vincit. Nunc ergo potentiam eius tentare moliuntur, ac *dolo* ſubijcere. Dolos enim tota die meditabantur. Ecce peccatores intenderunt arcum parauerunt ſagittas ſuas in pharetra, vt ſagittent in obſcuro. Qui dixerunt linguam noſtram magnificabimus. Labia noſtra à nobis ſunt, quis noſter Dominus eſt? Hoc fuit miſerorum ſupercilium negare Chriſtum Dominum, nec agnoſcere, immò verò inſimulare, & ſuggillare. Quem teipſum facis? Dominum enim negantes facillimè potuerunt induci ad excogitandum omnem dolum, quo Chriſtum delerent. Idcircò (inquit Propheta Ieremias) via eorum erit quaſi lubricum in tenebris; impellentur enim, & corruent in ea. Hunc ergo (ait Deus ad Iſaiam) ingreſſus ſcribe ei ſuper luxum, & in libro diligenter exara illud, & erit in die nouiſſimo in teſtimonium vſque in ſempiternum. Hoc eſt peccatum Iuda, quod ſcriptum eſt ſtylo ferreo, in vngue adamantino, quod eſt dicere Chriſtum non eſſe Dominum, & vt in ſeductorem aduerſus eum laqueos, & dolos conſtituere, vt teneant ſi fieri poſſet omnipotentem, & occidant vitam, quæ eos viuificare venerat, & ſaluare. Propter hoc cauſa veſtri, ò Principes domus Iacob Sacerdotes templi, ac Scribæ Syon quaſi ager arabitur, & Ieruſalem quaſi aceruus lapidum erit, & mons Templi in excelſa ſyluarum. Denique non agnoſcere Chriſtum Dominum fecit maiores Eccleſiæ rebelles Deo, & in peccatum, ac pœnam incidere, quæ genti toti, & hæreditati, vt viſum eſt libro præcedenti ruinam funditus peperit. Quod ſi in typum adhuc iſta dicamus accidiſſe vlula, porta, clama Ciuitas, & geme plebs Chriſtiana.

Pſal 34. *Pſal 10.* *Pſal. 11.* Peccatũ Iudæorum. *Ierem 23.* *Iſai 30.* *Mich. 3.* Omnia in Chriſtianos ſymbolicè.

CAPVT SECVNDVM.

Dicebant enim non in die feſto, ne fortè tumultus fieret populi.

Expoſitio.

SIc impugnare iuſtum cogitabant impij, ne viderentur apud plebem, & homines pietatem perdidiſſe, & ſapientiam, quam in malo didicerant, amiſiſſe. Propterea *dicebant* apud ſemetipſos, & ſi nobis liceat iura noſtra omni tempore obſeruare, conſulereque tàm vrbi, quàm genti in ſolemni etiam feſto, curemus quantum fieri poſſit, *non in die feſto* manum mittamus in eum, qui legitimis Patrum inſtitutis aduerſatur, & videtur nobis ruinam minari; *ne fortè* ex facto pio impietatem plebs conciperet, & quod ob pacem ſuſcipimus ſcandalum puſillis, *& tumultus fieret populi*, qui mentem noſtràm non aſſequitur, neque animum. Dicebant enim non ſemel tantum, ſed pluries in publicis conuentibus, & colloquijs familiaribus nihil præter deſolationem Chriſti conſultabant. Captabant in animam iuſti, & ſanguinem innocentem condemnabant. Retribuebant, inquit ille, mihi mala pro bonis, detrahebant mihi quoniam ſequebar bonitatem. Ego autem tanquam ſurdus non audiebam, & ſicut mutus non aperiens os ſuum, & factus ſum ſicut homo non audiens, & non habens in ore ſuo redargutiones. Itaque dicentibus illis ingentia aduerſus Deum Deorum. Hic Deus noſter ſilet, patiens eſt. An cum Iudæis tantum? etiam oblatrantibus nobis peruerſa, & operantibus, ac ſi dormiret videtur ſilere. At non dormiet, neque dormitabit

Pſal 93. *Pſal. 3.* *Pſal 37.*

Pſal. 123.

bit, qui cuſtodit Iſrael; ſed ſpectat, vt conuertamur, aut pœnæ grauitate recompenſet ſilentium.

Hypocriſis.

Thren. 2.

Non in die feſto. Hunc exterius colebant, intus autem polluebant, ac propterea eodem in feſto publicè eos & peccare mox, poſt puniri voluit, atque permiſit, vt inde deteſtare illorum feſta apud Deum, & homines cōſtaret iuxta illud Iere. Thren. 2. Diſſipauit quaſi hortum tentorium ſuum, demolitus eſt tabernaculum ſuum, obliuioni tradidit Dominus Sion feſtiuitatem, & Sabbatum, & in opprobrium, & in indignationem furoris ſui Regem, & Sacerdotem. Ergo illi conſultabant, ait Theophyl. ſolemnitatis tempus prætermittere, at non permiſſum eſt eis, ſed ipſe ſibiipſi tēpus paſſionis ſtatuens, in Paſcha crucifigi voluit. Vnde virtutem eius admirari licet. Nam cùm illi vellent ipſum comprehendere non potuerunt, quando autem illi noluerunt propter feſtum diem, tunc voluntariè ipſe ſeipſum tradidit.

Theoph.

Chriſtus paſſionis diem elegit.

Timor humanus.

Pſal. 54.

Ne fortè tumultus fieret populi. Huius quippe timor, qui mundanus eſt, & malus eos cohibebat; non timor Dei, quem exuerant, quoniam nequitia in habitaculis eorum, in medio eorum, velut inſania, quæ mentem occupans nullum agnoſcit ſuperiorem, quinimo dum inſanum rapit, eius ſpiritus nequam transfigere aggreditur non eum, qui percutit decem millia, ſed cui vndecies centena millia deſeruiunt. Non enim eſt illis cōmutatio, & non timuerunt Deum; contaminauerunt teſtimonium eius: diuiſi ſunt ab ira vultus eius. Facti ſunt, vt nihil timerent. Trepidauerunt autem timore, vbi non erat timor. Timent populum, qui nihil poteſt; timent tumultum, qui nullus eſt, & timent mundum, qui ventus eſt. Hoc accidit paſſim his, qui & ſibi, & hominibus placent, nec illis cura eſt Dei, ſed auaritiæ ſtudent, & honorari in turbis nationum. Eiuſmodi enim, ne fortè *tumultus fiat*, iuſtum prætereunt, nec iuſtitiam exequuntur.

Ibidem.

Pſal. 13.

Stultus timor Iudæorum, & præpoſterus.

CAPVT TERTIVM.

Et cum eſſet Bethaniæ in domo Simonis leproſi, & recumberet; venit mulier habens alabaſtrum vnguenti nardi ſpicati pretioſi, & fracto alabaſtro, effudit ſuper caput eius.

Expoſitio.

DVm ergo peſſimi cogitant Chriſto mala, boni honorem, & reuerentiam curant eidem deferre. Etenim *cum* poſt aſſiduum prædicandi munus, & operandi mirabilia opera ſua *eſſet Bethaniæ* caſtello Marthæ, *in domo* illius locupletiſſimi *Simonis* quondam *leproſi, & recumberet* vnà cum alijs ad menſam, vt à labore laſſus tantiſper naturæ ſatisfaceret, & ijs, qui eum rogarant cibum capere, *Venit* repentè quaſi è latebris proſiliens *mulier* animi, & corporis decore illuſtris, *habens* penes ſe *alabaſtrum* vas plenum *vnguenti* odoriferi magnæ æſtimationis, & pretij: quippe *nardi ſpicati*, quod aliud quoduis vnguentum flagrātia præſtat, & *pretioſi* valoris eſt. Iſtud ergo *fracto* in partes *alabaſtro*, ne quid in eo remaneret, *effudit* illud totum *ſuper caput eius*, quem tenere diligebat.

Et cum eſſet Bethaniæ. Quando diſceptatur, an biduo prædicto, vt præſenti loco, & Matth. 22. indicant. An ante ſex dies Paſchæ, vt Ioan. 12. ſcribit. Vtranque opinionem apud Matth. cum auctoribus habes, & diffuſius tractatam: lege in Annali. Cæſaris Baron. anno Chriſti 31. Tiberij Imperatoris 16. Is enim duplex conuiuium Bethaniæ factam affirmat, vnum in domo Marthæ, Lazaro diſcumbente, alterum apud Simonem cognomento leproſum. Hoc biduo præfato, illud ante ſex dies Paſchæ arbitratur accidiſſe. Quicquid ſit de opinionibus, hoc certum ſtatuimus *Bethaniæ* Chriſtum eſſe, hoc eſt in domo gratiæ, & miſerationis. Eſt enim *Bethania* vox Hebræa à בית beth, ideſt domus, & verbo חנן hanan, ideſt miſereri, largiri, rem gratam facere. Hic ergo adeſſe Chriſtum inſinuat, quod de eo legimus, gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Vidimus eum plenum gratiæ, & veritatis, de plenitudine eius nos omnes accepimus; velut enim ſtellæ ſolis ſplendorem participant, & fons, quem ab initio plantauerat Deus in paradiſo voluptatis, terræ ſuperficiem diuiſus in quatuor flumina irrigabat; ita gratia, quā ab initio conditionis Deus Chriſto diffudit, Angelos in cælis, atque beatos, homines in terra, & purgatorij animas illuſtrat, omneſque per eum ſplendent. Siquidem caput ſupra omnem Eccleſiam. Quare ſolus ipſe *in Bethania*, hoc eſt, in plenitudine miſerationis, & gratiæ; nos iuxtà *Bethaniam* participantes, quæ ab eo emanane grata, & ſalutifera. In domo gratiæ ille ſolus, quod eam quaſi ex naturalibus habeat vnitus verbo. Nos minimè: ſed per acceſſum habemus ad Patrem; & ſumus gratiæ poſſeſſores.

Baronius.

Ioan. 1.

Epheſ. 1.

In domo Simonis leproſi. Non dicitur *leproſus* à lepra, quæ eum deformaret, ſed quam olim habuiſſet. Hoc enim habent mala, vt etiam dimiſſa dehoneſtent appellatione. Vnde & mulier appellatur meretrix, & Thomas incredulus, etſi prioribus deſtitutis meliora poſſiderent. Sub alio *Simone* apud Lucam in Galilæa conuiuium Chriſto factum legimus, in eo mulierem eſſe, quæ erat in Ciuitate peccatrix, lachrymis lauaſſe Chriſti pedes, & abſterſiſſe capillis.

Et recumberet. Equidem recumbebant alij, ſolus tamen Chriſtus recumbere in domo Simonis, qui & obediens, vt eum vnice

Obediens Chriſtus.

obedien-

obedientem, ac ſolum ſupereminenti obedientia prædicemus, quia, inquit, in capite libri ſcriptum eſt de me, vt faciam voluntatem tuam Deus meus volui. *Pſal. 39.* Tunc dixi, ecce venio; vt cognoſcat mundus, quia diligo *Ioan. 14.* Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi, ſic facio; quoniam bonum eſt: quoniam melior eſt obedientia, quàm victimæ. Et quoniam vir obediens narrat victorias. *Prou. 21.*

Venit mulier. Quæ autem, ex textu ignoratur. Vnde prouenit opinio triũ mulierum, quæ Chriſtum vnxerunt. Nam apud Lucam vna dicitur peccatrix. Apud Ioannem vocari Magdalenam legimus. Hic verò, & in Matthæo, mulier ſolum dicitur. De huiuſmodi opinione, & altera, quæ tantum duas vnctrices Chriſti facit, necnon tertia, quod vna ſit mulier Magdalena, eademq. peccatrix, dictũ eſt apud Matth. Quod verò mulier recumbente Domino in domo Simonis venerit Chriſtum vngere, dicito factum, vt effectum obedientiæ Chriſti primum, & principium ſuo aduentu, & facto declararet fore, præuaricationem, quæ à muliere inchoarat de medio tollere, iuxtà illud Pauli: Et vos cum mortui eſſetis in delictis, & præputio carnis *Coloſſ. 2.* veſtræ conuiuificauit donans vobis omnia delicta, delens quod aduerſus nos erat Chyrographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud Cruci, & expoliãs Principatus, & Poteſtates, traduxit confidenter palam triumphans in ſemetipſo.

Habens alabaſtrum vnguenti nardi ſpicati pretioſi. Alabaſtrum vnguenti, ait Epiphanius lib. de menſuris, *Epiphan.* vaſculum eſt vitreum capiens libram olei, menſura verò eſt ſextarij dimidij. *Alabaſtrum* autem appellatum propter fragilitatem. At nõ vitreum, ſed lapideum eſſe docet Plin. lib. 30. cap. 8. *Plinius.* quemadmodũ & in Matt. protulimus Rabban. teſtimonio. Non reponi autem in eiuſmodi vaſis niſi vnguenta ſummi pretij colligimus, tùm ex verbis *nardi piſtici,* tùm ex his, quæ Herodotus in Thalia ſcribit videlicet *Herodotus.* Cambyſſem Regem Perſarum facilè omnium potentiſſimum, & locupletem inter alia munera dono miſiſſe ad Regem Æthyopum *alabaſtrum vnguenti. Nardi* pretioſitatem, & *piſtici qualitatem* require in Matthæo. Pro *ſpicati* habet alia lectio *piſtici,* vel *piſtica.* At inquit Gagnæius *Gagnæius.* cum [illegible] Græcis in vſu non ſit, & Marcus plerunq; verba latina grecè vſurpauit, corruptis vijs vtatur, ſitque genus *Nardi,* quod ſpica, ſiue ſpicum *Nardi* appellatur. Potuit Marcus [illegible] dixiſſe loco [illegible], quod interpres rem intelligens verterit *nardi ſpicati,* vel ſpicatæ. Præſtabat ergo relinquere *ſpicati* in textu, & ad marginem addere piſticæ, quanquam, vt dixi, id vocabuli, neque græcum eſt, neque latinum. Quod ſi placet ita vertere, eſſet verè, ac germanæ nardi fidelis, & non ſophiſticæ. Profuſio talis, ac tanti *vnguenti* diuitem fuiſſe mulierem, & magnificam apertè demonſtrat, vt diuites pro morte ſua, & funus præſignarent, & agerent. Ioſeph enim diues fuit, atque nobilis, ſimiliter & *mulier.* Tùm maximè ſi ſororem Lazari dixerimus Magdalenam, nobilis pariter, ac diues erat. Habens huiuſmodi *alabaſtrum* eſt, qui charitatem, quæ cunctis præeminet, penes ſe cuſtodit.

Et fracto alabaſtro. Vt inde pateret munificentia eius, & ſtudium in Chriſtum, cui nedum vnguentum pretioſum, ſed etiam vas admirabile conſecraret. Nobis relinquit exemplum, quo integrum Chriſto obſequium præſtaremus; vtpotè corpore per aſſumptos ſponſæ labores, & confractiones *Beneficia Dei.* diſciplinæ ſeueræ in corpore exhibitas, animum totum, qui latet dicare omnium Patri, qui nos genuit; Creatori, qui nos formauit; Redemptori, qui eduxit vinctos de carcere; & glorificatori, qui & nos ſuper petrã exaltat, & ſolium. Proinde cecinit Pſaltes: Cor meum, & caro mea exultauerunt in *Pſal. 83.* Deum viuũ. Exultat quidem caro in Deum, quando ſeipſam mortificat, vt more hyemalis herbæ reuiuiſcat opportuniori tempore. Cor, quod eſt anima partili exultatione repletur; cum anima mea illi viuet, & ſemen *Pſal. 21.* meum ſeruiet ipſi. Frangitur quoque *alabaſtrum* ſecundum Auguſt. in Pſal. 30. quando *Auguſt.* deſtructa Iudæa, quæ poſſidebat dona ſpecialia, & myſteria, in gentes, ex quibus myſticum Chriſti Corpus compaginatur, & formatur noua Eccleſia diffundũtur vſq; modo, per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.

Effudit ſuper caput eius. Qui charitatem finxerit alabaſtrum, ex his ordinem charitatis diffundendæ venabitur, videlicet amorẽ perfectum, & ordinatũ in Chriſto, qui caput noſtrum eſt, ante omnia effundere: Siquidem *Ordo charitatis vnde petendus?* amoris obiectum eſt bonum, vnde ratio petitur ad omnia, quæ ex charitate diligũtur. Bonum autem ſummum, quid niſi Chriſtus, qui & Deus, & ſupremus homo? Ergo amorem omnem ſuper eum effundamus cũ illo, qui exclamat: Nihil aliud ſcire volo præter *1. Cor. 2.* Chriſtum Ieſum, & hunc Crucifixum. Mihi *Philip. 1.* viuere Chriſtus eſt, & mori lucrũ. Viuo ego *Galat. 2.* iam non ego viuit verò in me Chriſtus.

CAPVT QVARTVM.

Erant autem quidam indignè ferentes intra ſemetipſos, & dicentes: Vt quid perditio iſta vnguenti facta eſt?

DVm pia mulier officioſã ſe Xp̃o exhibet, ab alijs offenditur, & detractatur *Expoſitio.* eius miniſteriũ acceptabile Deo. *Erãt* enim ex his, q aderãt, *quidã* haud parũ prudẽtes, immo verò ex toto incõſiderati, qui cũ potius

eius gaudere debuiſſent, & tàm Chriſto, qui dignabatur acceptare officiũ, quã mulieri, cui tantus honor cõcedebatur, cõgratulari, *indignè ferentes* opus alioqui debitũ, & laudabile *intra ſemetipſos* liuore, æmulatione, inuidia, ira, & quodammodo replebantur odio. Quapropter *dicentes* viſi ſunt, quæ non decebant proferri; immo nec imaginari. *Vt quid*, inquiunt, tàm prodiga, & prophana, atque inutilis penè, & damnoſa *perditio iſta vnguenti* pretioſiſſimi *facta eſt*?

Theoph.

Erant autem quidam indignè ferentes. Ioannes autẽ dicit (notat Theophyl.) Iudam ægre tuliſſe. Veriſimile igitur, & alios Apoſtolos mulierem obiurgaſſe; vtpotè qui audierant Chriſtum ſemper multa de eleemoſyna docere. Iudas autem non eodem ſcopo aduerſus mulierẽ indignabatur, ſed propter auaritiam, & turpè lucrum ſuum. Itaq; indignabãtur omnes, aliter tamen, atq; aliter; ſiquidem habet ira ſpecies, atque gradus; indignatio Iudę, atque ira ſupremum attingebat gradum, vtpotè furorẽ, quẽ nonnunquã cupiditas parit, vt in ceruis, qui furent concupiſcentia fœminæ, quæ diffugit commiſceri; & vt in cane, qui præ ſiti, & fame amentiã contrahit, & furorẽ. Hos qui imitantur conſumpti ſunt in impetu iracundiæ ſuæ. Cæterorum, qui hac occaſione indignabantur, ira dici poterat, vel fel, vel zelus, in quibus contingit vel peccatum, vel imperfectio iuxtã ſcientiã, qua priuant. Proinde admonemur: Iraſcimini, & nolite peccare, quæ dicitis in cordibus veſtris, & in cubilibus veſtris compungimini.

Indignatio Apoſtolorũ, & Iudæ fuit diuerſa.

Supremus iræ gradus eſt furor.

Pſal. 4.

Intra ſemetipſos. Quod enim, vel timerent circunſtantes, vel magiſtrũ revererentur, nõ audebant factum publicè arguere verbis, quamuis malè de eo ſentirent, ſed *intra ſemetipſos* muſitabant, & ſuſurrabant: quod eſt prima origo immiſericordiæ. Eſt enim miſericordia vnus ex internis charitatis affectibus, quem, vt fel amarum, dulcem lædit ſanguinem, deſtruit ira cordis. Hinc Sapiens: Ira non habet miſericordiam, nec erumpens furor, & impetum concitati ſpiritus ferre quis poterit.

Prou. 27.

Et dicentes. Poſt bilem conceptam, & amaritudinem, qua ſeipſos vltra repleuerant, continere ſermonem iracundum non poterant, quis pilam accenſa belli machina reprimet ne proſiliat, & perdat eos, qui ſibi opponuntur? Multo adhuc difficilius reputo animum igne iracundiæ, & vehementis indignationis ſuccenſum cuſtodire ne effluat, ac ne lædat. Vnde legimus: Furor, zelus, tumultus, fluctuatio; & timor mortis, iracundia perſeuerans, & contentio.

Eccl. 40.

Vt quid perditio iſta vnguenti facta eſt? Ecce cantilenam, ſeu delirium potius hæreticorum, quos Caluinus edocuit, & ſequuntur Magdeburgenſes, qui toto ſuarum centuriarum decurſu, nihil intendunt aliud, quàm vniuerſa, quæ & Chriſto, & Deo obſeruiunt, perditionem oblatrare, & inſanam perfuſionem eſſe contendunt conſecrari homines Deo, vouere Religionem, & templa, ac reliqua, quibus ſacer cultus peragitur, & celebratur, nihil præter vanitatem ſapere, ſtultitiam hominum indicare, & merum prodigalitatis opus eſſe prædicant, ac ſi non primo cuncta debeantur ei, qui propter ſemetipſum operatus eſt vniuerſa.

Magdeburg. vanitas.

CAPVT QVINTVM.

Poterat enim vnguentum iſtud venundari plus quàm trecentis denarijs, & dari pauperibus; & fremebant in eam.

Expoſitio.

IAm quid dicerent indignabundi audiamus. *Poterat enim* (erant dicentes) tàm pretioſum *vnguentum*, quale *iſtud* alabaſtrum confractum effudit, *venundari* multo magnatibus, ac ſæculi Principibus, qui ſummo pretio numerato illud exquirunt, *pluſquã trecentis* argẽteis *denarijs, &* ex ijs ſufficiens cõgregari pecunia, quæ *dari* abũdãter poſſet *pauperibus*, & eorũ indigentijs prouidere. Et propterea impatientes *fremebant in eã*, quæ & alabaſtrũ, & vnguentũ in alios, quàm ipſi optaſſent, vſus cõſumpſerat.

Poterat enim vnguentum iſtud venundari. Vt enim venundati ſub peccato, ſic & ea, quæ deſeruiunt homini venundari volunt ignorantes, qui neſciunt inter dextrum, & ſiniſtrum diſtinguere, nec quid interſit inter lucem, & tenebras. Etenim hi, & vnguentum, quo facies inungunt, & veſtimentum, quo corpus operiunt, & annonam omnem, quam in horrea congregant, curant *venundari* ſummo precio, vtpotè iactura animæ propriæ. Quoniam dederunt pretioſa quæque pro cibo ad refocillandam animam; & vt complaceant ſenſibus delicati, auari congregent in annos plurimos, & in cælum, ſi fieri poteſt, aſcendant ambitioſi, in vita ſua proijciunt intima ſua, Inde dicitur: Inſatiabilis oculus cupidi in parte iniquitatis, non ſatiabitur donec conſummat areſaciens animam ſuam.

Thren. 1.

Eccl. 10.

Eccl. 13.

Pluſquam trecentis denarijs, & dari pauperibus. Quid denarius ſit habes alibi. Mox cur *plus quàm trecentis denarijs* æſtimetur alabaſtrum vnguento plenum audiamus ex Hieron. Sub prætextu, inquit, auaritiæ myſterium loquitur fidei: Etenim noſtra fides *trecentis* emitur *denarijs*, ideſt; decẽ ſenſibus per corpus, & animã, & ſpiritũ triplicatis, vt & nos, ſicut Gedeon trecentorũ virorũ numerũ aſſumentes Allophylorũ caſtra pauperes ſpiritu fractis lagunculis noſtris, cum tubis, & lucernis deſtruamus; & ſicut & Abraham, cum trecentis viris ſpolia

Hieron.

diui-

Digitized by Google

diuidamus ad veſperam. Nota & in his mores auarorum, qui augent prætium, & æſtimationem, quando nihil ad eos merces ſpectat, ſecus cum ad eos cedit lucrum; ſi enim vendidiſſet Iudas alabaſtrum vnguenti, vt ſolebat, defraudaſſet prætium dicens, decem aut octo denarijs venditum, nunc adauget prætium, vt videatur iuſtus, & æquanimus venditor, piuſque in pauperes, quos defraudabat ſæpius.

Et fremebant in eam. Fremere eſt indignationem voce oſtendere, quod eſt propriè canum, & irrationabilium beſtiarum, quæ cum nihil poſsint, ligatæ fremunt, ſtrident, rugiūt, & vocem, quam ſibi natura conceſſit, mirumimmodum extollunt. Vnde de ſtruthione, ait Iob: Feruens, & fremens ſorbet terram, nec reputat tubæ ſonare clangorem; cauſam aut fremitus promittit dicens: Priuauit enim eam Deus ſapientia, nec dedit illi intelligentiam. Atqui hæc eſt tota cauſa: Quare fremuerunt gentes aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius & ij *fremebant in eam*: Nam ſapiens non fremet, ſed rem tacitus conſiderat, conferens omnia in corde ſuo. Et qui diſciplinatus eſt patienter auſcultat, & loquitur verbum in tempore opportuno, vt non compellatur abire retrorſum, & mittere digitum ori ſuo, aut certe pœnitere.

Quid ſit fremitus.

Iob 39.

Pſal 2.

CAPVT SEXTVM.

Ieſus autem dixit: Sinite eam, quid illi moleſti eſtis? Bonum opus operata eſt in me.

Expoſitio.

FRementes compeſcit tranquillus, & manſuetus *Ieſus*; is enim vt animos diſcipulorum turbatos inſpexit, & petulantes eorumdem voces percepit, *dixit: Sinite* amabo, *eam* quæ nihil vos læſit; quinimo & me, & vos pariter honorauit. *Quid* ergo inconſiderate *illi* beneficæ, inſonti *moleſti eſtis* oblatratibus incompoſitis, & indecedentibus? Etenim quod vobis inſpicientibus, actum eſt ab ea, non vituperium, ſed laudem omnem meretur. Siquidem *bonum*, & excellens religionis *opus*, ac pietatis plenum *operata eſt* magnificè *in me*, cui vniuerſa debentur obſequia.

Ieſus autem dixit. Cauſam mulieris defenſurus, & liberaturus à calumnia, & ſuggillatoribus. Hoc enim eſt Chriſti noſtri officium, iudicare pupillo, defendere viduam in tribulatione, mulierem bonam tueri, & deuotum ſui commendare, & cuſtodire à lupis, vt paſtor oues. Tibi, enim (cecinit concentor) derelictus eſt pauper, orphano tu eris adiutor: Factus eſt Dominus refugium pauperi, adiutor in opportunitatibus in tribulatione. Tu Domine ſeruabis nos & cuſtodies nos à generatione hac in æternum. Cuſtodit enim Ioſeph in carcere; Heſter ſublimauit in captiuitate; Suſannam de manibus impiorum eripuit, Iudith ſeruauit illæſam. Et quem Ieſus ſuorum non protexit? Vt enim modo pro vna muliere *dixit*, ita ſemper patrocinatus eſt cunctis, qui vel calumniam, vel anguſtiam paterentur.

Pſal 9

Protectio Chriſti in ſuos.

Sinite eam. En primum quod ſuis quærit patrocinium, longe facere eos ab aduerſarijs. Hos iubet *ſinere* à calumnia, vt cuſtodiant illi mandata ſua: liberat pauperem à potente, vt perficiat opus ſuum, denique eruet iuſtos à peccatoribus, & ſaluabit eos, ne cum impijs perdant animas ſuas, quia Dominus amat iudicium, & non dereliquet ſanctos ſuos in æternum conſeruabuntur, iniuſti punientur, & ſemen impiorum peribit; iuſti autem hæreditabunt terram, & inhabitabunt in ſæculum ſæculi ſuper eam.

Pſal. 36.

Quid illi moleſti eſtis? Propterea iubet deſeri ab aduerſarijs pium animum, quod nihil niſi moleſtiam illi concilient. Quoniam, inquit, ſequebar bonitatem. Retribuebāt mihi mala pro bonis ſterilitatē animæ meæ. Ego autē cum mihi moleſti eſſent, induebar cilicio. Humiliabā in ieiunio animam meam, & oratio mea in ſinu meo conuertetur Quaſi proximum & quaſi fratrem noſtrum ſic complacebam: Quaſi lugens, & contriſtatus ſic humiliabar. Et aduerſum me lætati ſunt, & conuenerunt, congregata ſunt ſuper me flagella, & ignoraui. Quid inquam, mouere eos poſſet ad tantam inſaniam, vt me fructificantem eis vellent ſcindere, me patiente non acquieſcerent, me pro eis orantem contemnerent, & omnem eis fraternitatem declarantem, hoſtili rabie inſequerentur? Sunt quidem iſta legi omni aduerſa, quæ & beſtiæ abhorrent. Nam & viperam, qua nihil deterius, legimus benefactori par reddidiſſe, de leone, tigre, de vrſa, & alijs feris exempla abundant gratitudinis. Homo ſolus cum inſanit nullum, nec Deum agnoſcit benefactorem. Propterea ait iuſtus: Ignoraui quorſum moleſti ſint.

Pſal. 34.

Perſecutio Iudæorum in Chriſtum & ingratitudo.

Bonum opus operata eſt in me? Quoniam *opus* fidei; fides autem donum Dei eſt, opus religionis. At religio ſancta, & immaculata enchomium ſupra reliquas virtutes habet, *opus* charitatis, quæ gaudium parit; *opus* ſpei, quæ reuerentiam excitat; *opus* iuſtitiæ, quæ debitum agnoſcit; *opus* magnificentiæ, quæ honorem conciliat; & *opus* denique veræ prudentiæ, quæ dat temporaria ei, qui valet æterna compenſare. Nam quod *operata eſt*, inquit, mulier non canibus obiectum eſt, ſed Angelis propoſitum; non paganis datum eſt, aut dæmonibus, ſed

vniuerſæ

vniuerſæ militiæ cæli,ac toti Eccleſiæ.Quid?
non alij quàm ſibi actum eſt. Nam in me
prodijt opus pium,quod autem in amorem
meum peragitur, vniuerſis eſt proprium.
Quia ego omnia in omnibus,vel vt Paulus
Rom. 11. ait : Per ipſum & cum ipſo, & in ipſo ſunt
omnia, & omnia in ipſo conſtant. Igitur
quod in me actum eſt, non calumniari à
quoquam debet, ſed ab vniuerſis in perpetuum
extolli, & commendari. Tum maxime
quod iſta velut in ſponſum, & ducem
virginitatis ſuæ nuper abſoluit; vnde & de
Eccleſ. 18. ea ſcribitur : Gratia mulieris ſedulæ delectabit
virum ſuum, & oſſa illius impinguabit;
diſciplina illius datum Dei eſt, quod
vbique, & apud omnes laudem promeretur.

CAPVT SEPTIMVM.

Semper enim pauperes habebitis vobiſcum; & cum volueritis, poteſtis illis benefacere: Me autem non ſemper habebitis.

Expoſitio. QVod ſi vos amor in pauperes, & deſiderium
miſeris prouidendi ex precio,quod
poterat vnguentum reddere, nolitè
propterea egre ferre. Nam & facultas
ſuo in tempore abundabit vobis,ac *ſemper*
& vbique *pauperes* magno in numero *habebitis
vobiſcum*. Quibus ex veſtris redditibus,&
collectis fideliũ,cum volueritis vos,
qui mox videmini pro egenis anguſtiari,illis
large benefacere. *Me autem* principem
pauperum, atque patrem *non ſemper habebitis*
in terris, quando aſſumptus à vobis
in cælum videbor abeſſe.

Semper enim pauperes habebitis vobiſcũ.
Indefinitè loquitur Chriſtus de pauperibus,
vt pauperũ vniuerſa genera fore ſemper in
mundo, atque Eccleſia animaduerterent,
Matth. 5 vtpotè ſpiritu, de quibus: Beati pauperes
ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum;
opulentia, ac temporarijs, vt qui
Pſal. 98. dicunt : Pauperes facti ſumus nimis; gratia,de
quibus forſitan pauperes ſunt : Neſcis,
Diuerſa genera paupertatis. quia tu es miſer, miſerabilis, cæcus
pauper & nudus; voto, quod ſcribit Vates
: Et paſcebunt primogeniti pauperum,
Apoc. 3. *Iſai 14.* & pauperes fiducialiter requieſcent. Edent
Pſal. 27. pauperes, & ſaturabuntur, et laudabunt
Dominum qui requirunt eum. Viduam eius
benedicens benedicam,et pauperes eius ſaturabo
panibus; caſu, ſeu prouidentia Dei
Pſal. 132. vt Iob; malitia hominum, vt Tobias; prodigalitate,vt
prodigus; pigritia vt Cretenſes,
Tit. 1. atque alijs de cauſis ſemper futuros
apud nos *pauperes* credendum eſt veritati,
quæ id conſtanter affirmat.

Et cum volueritis. Hoc præmittitur, vt
radicem eleemoſynæ denudet,& aperiat ijs,
qui in benefactis fructum meriti quærunt:
Non enim dare, vel poſſidere quicquam eſt
in operibus,poſſe dare; ſed velle dare pauperi,
qui Chriſtum pauperem repreſentat,
facit hominem pium,vt eum qui dicit: Flebam *Iob 30*
quondam ſuper eo,qui afflictus erat,&
compatiebatur anima mea pauperi. Dare
abſque voluntate, vt quid violentum, parum
autem nihil valet; nihil omnino dare,
omnino impium. Pium autem omni ex
parte velle dare,ac dare cum poſſit : Fæneratur *Prou 19.*
enim Domino qui miſeretur pauperis,
& viciſſitudinem ſuam reddet ei. Nam qui *Prou 22.*
pronus eſt ad miſericordiam benedicetur,
de panibus enim ſuis dedit pauperi,qui deſpicit *Prou 28.*
deprecantem ſuſtinebit pecuniam.

Poteſtis illis benefacere. Sed quomodo
cum pauperes eos elegerit,renuntiare omnibus
præceperit, quæ poſſederant,ac nihil
habere,non agrũ,non domũ,non pecuniam,
neque æs in zonis portare? Habituri erant
centuplum, quod illis ac ſucceſſoribus pro
vno promiſerat idem magiſter. Hoc centuplum
eſt collectio pecuniarum multiplex,&
decimarum,quam Apoſtoli in Clem. ſtatuerunt
deponi apud Epiſcopum, & ab eo per *Conſtitut. Apoſtol.*
ſuos miniſtros diſpartiri in Cleros primũ,
deinde in viduas cultui diuino ſacratas, &
in pauperes,qui verè pauperes dici poſſent.
Quare his verbis Chriſtus ſaluator prædicit
redditus Eccleſiaſticos, qui non à Sylueſtro
(vt Magdaburgenſes ſomniant cum
Ioann. de Huz.) ſed ab Apoſtolis cœperunt
in Eccleſia Dei congregari, & partiri in
pauperes, & egenos ab Epiſcopis, quibus
potiſſima cura eſt benefacere pauperibus,
& omnem hoſpitalitatem complecti.

Me autem non ſemper habebitis. Et permoueri
de eleemoſynam debẽt omnes peccatores,
quod Chriſtum non habeant per
gratiam, & inhabitantem ſpiritum. Quo
clament Abba Pater, eleemoſynis peccata
redimant, & ecce omnia munda ſunt vobis
ait oraculum, Retribuit enim gratiam qui *Daniel 4.*
offert ſimilaginem, & qui facit miſericordiam *Eccl 35.*
offert ſacrificium. Sacrificium, in
quã, laudis quod inquit honorificabit me,
& illic iter,quo oſtendam illi ſalutare Dei. *Pſal 94.*
Sed & iuſti quod non habeant facie ad faciem
Chriſtum, frequentes in erogandis
eleemoſynis eſſe debent: Talibus enim hoſtijs
promeretur Deus & præmium bonum,
ait Tobias filio, tibi theſaurizas in die neceſſitatis,
ita enim fiet, vt nec à te auertatur
facies Domini, quin vultu propitio, *Tob 4.*
atque hilari facie dicat ijs: Eſuriui & dediſti,
mihi manducare. Venite benedicti
Patris mei in Regnum,quod vobis paratum
eſt à conſtitutione mundi.

CAPVT OCTAVVM.

Quod habuit hæc, fecit, præuenit vngere corpus meum in ſepulturam.

Expoſitio. ITaque pauperum zelus non vos cruciet, neque excuſet fremitum, & indignationem veſtram inutilitas operis, aut factum ſuperuacaneum. Siquidem longe excellentius eſt quàm modo veſtræ mẽtes attingant. Etenim *quod* actum eſt, *habuit hæc*, ab eo cuius eſt omne datum optimũ, & omne donum perfectum. Indeq. mota *fecit* opus, quod omnes miramini: Volo tamen iam admirationem omnẽ deponere, & indignationem. Namque mulier, quæ vobis eſt ob factum inſana, cunctis eſt ſapientior, & fatidica. Non ſolum enim, facto mortem, qua frangendus ſum, vt alabaſtrum prædicit; verum etiam *præuenit*, dum tempus habet, *vngere corpus meum*, quod *in ſepulturam* vnctum aromatibus tradi debet. Mortem ergo, & ſepulturam iſta prædicit meam, vos autem nihil horum conſiderantes indignamini abſque cauſa.

Quod habuit hæc. Habent iſta ſententiam altiorem quàm præſeferant verba, videlicet, *quod habuit hæc*, inſpiratum à ſupremo numine, & expreſſe mandatum, & reuelatum, vt opus magni conſilij, & factum omnium admirabile, & diuinum, quo redemptio totius generis humani ſub ſymbolo proponitur, & lætitia omnis creaturæ Dei, atque ſuauitas, quam Angeli odorare appetunt, & per eam mortales ſerpentinum genus depellere à finibus ſuis. Nam vt fracto alabaſtro caput, corpuſque totum vnctionis liquore madeſactum eſt, & ſimul nares omnium delectationem cœpere; ita attrito corpore meo deſcendit ſuper omnem Eccleſiam ſpiritus abundantia, gaudium factum eſt in cælis, & omnes fideles, inquit Paulus: Chriſto bonus odor ſumus, quo velut florentibus vineis abigimus ſerpentem tortuoſum, ne actu peſtifero, & flatu incautos perimat. Denique cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum, quod propter obedientiam Patris, noſtrique ſalutem apertum apparuit in carne aſſumpta. Vnde dixit: Succidiſti ſaccum meum, & circumdediſti me lætitia. Quid me? Etiam quotquot ſunt mecum. Hoc igitur *habuit hæc* ſignificare.

Myſtica ſignificatio vnctionis præſtatæ.

2. Cor. 2.

Pſal. 18.

Pſal. 29.

Fecit. Non poteſt hoc verbum, neque ad alabaſtrum, neque ad vnguentum referri. Nam illud habent lapidarij artifices; iſtud vero à pigmentarijs conficitur. Quid igitur *fecit*? Vnctionem, quam, etſi vnguenti diffuſio proxima perficiat, *fecit* quoque mulier, quod deuotio, & animi eius promptitudo ad vniuerſa ſe extenderet: voluiſſet enim ſeipſam, & vnguentum, & vnctionem fieri, totamque liquefieri, vt amorem, quo languebat, exprimeret; & ſe vnicam vnico dilectam declararet. Quoniam inquit: Anima mea liquefacta vt dilectus meus loquutus eſt mihi. Et ideo quia liquefacta, vt cera aute ſolem. *fecit*. Quid *fecit*? *Fecit* ſe vnguentũ ſponſo, dũ nihil eo charius habet. *Fecit* ſe vnctionem, dum ait adhæſit anima mea poſt te, quam multipliciter tibi caro mea. Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi. *Fecit* demum iudicium, & iuſtitiam, quæ debentur Patri, & Viro.

Cant. 5.

Pſal. 26.

Cant. 6.

Præuenit vngere corpus meum in ſepulturam. Non in delitias vt mos eſt mulieribus, non in magnificentiam, vt factitant Reges, neque in prodigalitatis vitium, vt ſolent inſani, ſed more piorum, *in ſepulturam*, quæ optimis aromatibus conditur à pijs, & ſanctis. Minime autem cæli volucribus, atque canibus funus exponitur, vt tu Iudas facies eum ſuſpendium eligens medius crepabis. Plane (ſcribit Theophylactus) conſcientiæ expertem arguit, quaſi ita diceret: Tu quidem in mortem me tradidiſti, & non reprehendis temetipſum: Iſta autem *in ſepulturam* meam vnguentum afferens à Deo mota, digna ne eſt quæ à te reprehendatur? Quiſpiam tamen percuntabitur, cur *præuenit vngere corpus*, cui non deficere poterat vnctio ſuo tempore nec defecit? Præuenimus quæ non conceduntur, quando tempus eſt fieri: at Chriſti *ſepulturam* tùm ab vnguentis, tùm à monumento glorioſam fuiſſe nemo ignorat. Quorſum ergo modo vnctio *præuenitur*? Vt duplicem in corpore Chriſti myſtico fore vnctionem ſpiritus aduerteremus. Viuorum quidem vnam, & alteram mortuorum. Vnguntur in Eccleſia mortui, quando in peccato mortali ſuſcipiuntur ſacramenta, quæ ſunt (vt inquit Hugo de S. Victore) vaſa gratiæ; vnguntur viui, qui congrua, ac decente animi diſpoſitione & ſuſcipiunt, & adminiſtrant ſacramenta omnia, quæ dignis vel gratiam conferunt, vel adaugent, dantq. vitam abundantiorem.

Theoph.

Duplex vnctio in Eccleſia.

Hugo de S. Victor.

CAPVT NONVM.

Amen dico vobis: vbicunque prædicatum fuerit Euangelium iſtud in vniuerſo mundo, & quod fecit hæc, narrabitur in memoriam eius.

Expoſitio. QVam igitur indignum ſit blaſphemari & propter quod vos mulieri indignemini, hac vnica prædictione agnoſcite. *Amen* ac veriſſimè *dico vobis*, quibus incumbit ſingula annotare, *quod vbicunque* terrarum, locorum, nationum, ac gentium, *prædicatum* & à vobis, & à ſucceſſoribus,

vſque

vſque in finem ſæculi *fuerit Euangelium iſtud*, & opus bonum quod in me exercuit mulier euulgatum *in toto mundo*, quo teſtes, & legati fideles deſtinantur, dicetur *quod* hæc vobis indignatis *fecit*,& *narrabitur* ſumma cum laude *in memoriam eius*, perhennem, & celebrem.

Ezech. 6.
Iſai 3.

Amen dico vobis. Hic *dicere* capitur pro prædicere;vt: Dic hæc ad omnes abominationes. Dicite iuſto quoniam bene, quoniam fructum adinuentionum ſuarum commedet;& perſæpe alias *dicere* eſt prædicere in ſcripturis,quod vatum ſit quaſi ad oculum intueri, quæ prædicunt, videanturque loqui cum futuris, ac ſi præſentes eſſent. Ad præſentem autem, cum de præſentibus ſermo eſt, dicimus, non prædicimus;quod ergo nobis eſt prædictio, eſt vatis dictio. Itaque prophetam agit hoc loco Dominus (inquit Theophylactus) duoque prædicit, & quod Euangelium prædicandum ſit *in toto mundo*, & quod opus mulieris ſimul narrandum.

Theoph.

Quid nomine Euangelij intelligatur.

Vbicunque prædicatum fuerit Euangelium iſtud. Quid nomine Euangelij ſit hoc loco intelligendum mihi non ſatis conſtat: num opus huiuſce mulieris? an tota Euangeliſtarum enarratio; an Chriſtus ipſe dici debeat Euangelium,quod in toto orbe prædicandum eſt ante conſumationem? Si intra limites litteræ ſtemus, nihil præter vnctionem hanc dicemus *Euangelium iſtud*, hoc eſt, nuntium bonum, quod mulier viſa eſt eacellente facto publicè annuntiare, videlicet, per mortem Chriſti cunctorum animos perfundi bono odore iuſtificationis,gratiæ,& ſalutis. Si Euangelij naturam perpendimus, facilè *iſtud Euangelium* credemus dici omnium Euangeliſtarum hiſtoriam. Quia quatuor pennæ vni, & facies; & (vt exponit Gregorius) quod vnus, hoc idem reliqui annuntiant, videlicet veritatem ipſam, quæ velut torques anulis, ita multis conſtat veris mutuò cohærentibus, ita quod vno habito reliqua ſequantur. Vnde *iſtud euangelium* ſingulare cætera includit. Euangeliorum enim vnum eſt in altero,vt rota in medio rotæ. Si vero prædicationem ipſam Euangelij attendimus, *iſtud Euangelium* compellemur Chriſtum dicere. Quoniam prædicamus, ait Apoſtolus, Chriſtum crucifixum. Siquidem idem dixit: Vos eritis mihi teſtes in Hieruſalem, & Samaria,& vſque ad extrémum terræ. Ita quod prædicat omnis Apoſtolus, & annuntiat ſiue verbo, ſiue ſcripto prædicator,Chriſtus eſt. Ergo quãdo Chriſtus prædicabitur, & opus quod illi mulier miniſtrauit pariter prædicabitur. Et quo vnius Euãgeliſtæ hiſtoria euulgabitur,opus præſens non prætermittetur, atque vbi explicabitur factum mulieris, nihil, quod ad laudem ſpectet,prætermittetur.

Euangelium hic litteraliter ſumitur proipſa vnctione.

Greg.

1.Cor.1.

Act.1.

Et quod fecit hæc. Inde conſtat Euangelium iſtud minus bene interpretari opus, quod his verbis videtur ab Euangelio iſto diſcerni. Prædicatur tamen cum Euangelio, vt certum credamus,& dignum maiori honore, quàm cæterorum geſta, quæ alijs commentariis ſcribuntur. Nam vt aurum, metalla, ſic Euangelium omnia ſcripta ſuperat: Eſt enim reclinatorium aureum,quo vniuerſorum acta, & ſcripta reclinant, & veritatem maiorem habent, & certitudinem. Vnde legimus? Et odor tuus ſuper omnia aromata, ſed qui odor Chriſti niſi Euangelium? Itaque (ait Theodorectus in illud Canti: Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento, maiorem honorem diuinis habemus Euangelijs, quamuis, & legem, & prophetas, & ſanctorum Apoſtolorum ſcripta veneremur.

Theod.

Euangelium præ cæteris ſcripturis venerandum.

Narrabitur in memoriam eius. An tantum apud homines? Etiam apud Deum, quoniam in memoria æterna erit iuſtus. *Memoria* enim iuſti cum lapidibus:vt enim lapides prætioſi,qui in rationali opere gemmario inſerti erant, incorrupti ſeruabãtur, atque lucentes, ſic ſancti & eorundem acta lucent apud Dominum, velut ſtellæ firmamenti in perpetuas æternitates. Pro lapidibus in hebræo eſt לברכה libraca, quod Hieronymus vertit cum laudibus;quoniam verbum ברך vel ברך berech, vel berach. Interpretatur benedicere,& laudare. Scriptum vero cum ק cof. ברק. ſignificat fulgurare vnde ברקה barechet genus lapidis pretioſi corruſcantis, vt chryſoliti, ſmaragdi, & carbunculi,de quibus antiqua æditio:Memoria iuſti cum ſapientibus, intelligi poterat. Sequensverbi huius ſcriptionem, & interpretationem Hieronym.iuxtà aliam verbi ſcripturam laudes exponit. Et quidem huiuſmodi lapides: Quoniam placuerunt ſeruis tuis, inquit Vates, hoc eſt,Angelis,ac Deo ipſi qui ſibi,complacet in filijs ſuis, laudem, gloriam, benedictionem, & honorem merentur. Nec alia eſt ſanctorum memoria, quæ illis opus bonum conciliat, quam laudari, & benedici, quia: Benedictio Domini ſuper caput iuſti.

Pſal. 111.
Prou. 10.

Differentia verſionis.

Pſal. 101

Prou. 10.

CAPVT DECIMVM.

Et Iudas Iſcariotes vnus de duodecim, abijt ad ſummos Sacerdotes, vt proderet eum illis.

Expoſitio.

HActenus magiſter, quid maleuolo diſcipulo profuerit diſciplina ſalutaris videamus. Etenim hiſce magiſtri documentis auditis, indignatus eſt multo acerbius, murmurationis auctor erat autem is *Iudas*, *Iudas*, inquam, ille multorum perpetrator ſcelerum,antequam inter Apoſtolos

los adſciretur, qui à patria cognominabatur *Iſchariothes*, & *vnus* numerabatur *de duodecim*, quos Chriſtus actorum ſuorum elegerat fideles teſtes. Hic ergo deterior factus monitione, dolenſq. iacturam, quam profuſione vnguenti fecerat, *abyt* bile plenus, & auaritia *ad ſummos Sacerdotes*, qui maligno erant in Chriſtum animo, *vt pro* pecunia *proderet* clanculũ *eum illis*, quemadmodum & ipſi deſiderabant.

Hieron.

Patria & cognomen proditoris.

Et Iudas Iſcariotes. Scilicet cognomento à patria, quæ illi ſecundum Hieron. in Iſa. cap. 28. & in Matth. cap. 10. *Iſcharioth* vicus de tribu Effraim. Putauit quoque inde nomine Hebræo appellari *Iſchariothē* à tribu Iſachar, at tunc legendum eſſet *Iſcharioth*. Angelus Cauic, de locis noui teſtamenti; de tribu Iudæ eum facit oriundum, natũ *Carioth*, quod elt vicus eiuſdem tribus. Vnde *Iſcharioth* interpretatur, vir Cariothenſis. Ad hæc Arias Montanus lib. de nomin. Hebr. Chald. & Græcis *Iſchariotes* hebraicæ interpretatur: Vir occiſionis, vel vir exterminationis, vel mortis; ſic cognominatur Iudas ille Chriſti proditor, Matth. 10. Sunt qui & *Sechariothem* dictum exiſtiment per (ch) ſcribentes, quod de tribu Iſachar eſſet, cui tale cognomen ex ipſo quoque facinore optime conueniat. Nam mercede vendidit Chriſtum. Iſachar ſiquidem ex 30. cap. 18. Geneſeos à סכר quod mercedem ſignificat, inclinatum eſt.

Aug. Cauic

Arias Montanus.

Theoph.

Hieron.

Vnus de duodecim. Non enim temere additũ eſt (inquit Theophyl.) *vnus de duodecim* ſed vt oſtenderet *quod vnus de duodecim* electioribus eſſet. *Vnus* inquam (exponit Hieronymus) *vnus de duodecim* non merito, ſed numero, non animo, ſed corpore: Quod eſt cum ſcholaſticis dicere, vnus prædeſtinatorum ſecundum præſentem iuſtitiam, & hominum iudicium, atque Eccleſiæ cenſuram, quæ nihil de occultis, ſed externa dijudicat. Itaque *vnus de duodecim* auget (inquit Beda) deteſtabilitatem proditoris. Nam & alij diſcipuli erant, qui fuerant numero 70. ſed illi non intimi, non tanta confidentia ſociati ſunt; iſti autem *duodecim* fuerunt comprobati; hæc erat caterua legalis, de qua proditor malignus exiuit. Quod ergo vnus ex amicis, & familiaribus fraudulenter agat, & concinet dolos, ruinamque meditetur domeſticus, nec dedignetur eam Chriſtus pati, etſi commendet patientiam eius, & amorem, quo ad mortem properabat, afflictionem animi ſubindicant. Vnde dixit: Etenim homo pacis meæ, in quo ſperaui, qui edebat panes meos magnificauit ſuper me ſupplantationem: Tota die verecundia mea contra me eſt, & confuſio faciei meæ cooperuit me. A voce exprobrantis, & obſequentis: à facie inimici, & perſequentis.

Beda.

Magnum patientiæ Chriſti argumentum

Pſal. 40.

Pſal. 43.

Abyt ad ſummos Sacerdotes. Quoniam animo Chriſtum reliquerat, & ab eo primo defecerat, abiurauerat que fidem eius, & Apoſtolatum, Nemo enim ad malos declinat, maleficos, & periuros ſibi ſocios aſciſſit, niſi qui veritatem abegit, & lucem. Etſi ingrediebatur vt videret (quæ ſcilicet Chriſtus ageret in cœna, & operaretur) tamen vana loquebatur (vt quid perditio iſta vnguenti) cor eius congregauit iniquitatem ſibi, quo facto, ait Vates: Egrediebatur foras & loquebatur in idipsũ. Ecquid? perditionem dolorem, & perditionem magiſtri. Subinde Hieronymus: *Abyt* ad Principes poſtquam exijt, & intrauit in eum Sathanas. Vnumquodque animal ad ſimile ſibi coniugitur, verbum *abyt* adauget Iudæ malitiam, vt qui nec minis pulſus, nec tunc vocatus *ad ſummos Sacerdotes*, vt inimicus Chriſti defecerit, ſed volũtariè Chriſtum deſeruit, atque prodidit: non inuitatus ait Gloſſa interl. non coactus; pretium quoque in voluntate ementium poſuit, quaſi vilis mancipij, malum quippe omne expectatur ab eo, qui ſe elongat à Deo.

Pſal. 40.

Ibidem.

Hieron.

Gloſſ.

Pſal. 72.

Vt proderet eum illis. Non autem vt daret *eum illis*. Siquidem hoc eius erat; Nemo enim inijcere manus in eum potuit, niſi quando is ipſe voluit ſeipſum dare voluntarie, vt fieret iuge, & ſpontaneum ſacrificium. Prodi quidem poterat, quia hoc maligni eſt animi, quem Deus liberum ad ignem, vel aquam condidit. Eſt quidem proditio quædam peccatum, quod in Deum agimus, atque proximum, quandoquidem peccans infidus eſt Deo, cui naturæ pacto debet omnia; eſt perfidus proximo, cui ſimilitudinem naturæ, & mandato Dei indiſſolubili fœdere amicitiæ perſtringitur, coniũgi; eſt et ſibi ipſi infidelis, quod à fine, qui ſibi propoſuerat, omnino deuiat. In Iudæ peccato omne proditionis genus licet inſpicere. Quapropter grauius omni alio cenſetur. Vnde Chriſtus de eo conqueritur per prophetam: Vſquequo Deus improperabit inimicus, irritat aduerſarius nomen tuum in finem? Nam & Pagani olim, & modo Maumethani, cum Iudæis proditione Iudæ trahuntur Chriſtum ſugillare, & in glorium dicere inſtitutum ſalutiferũ, quod nobis dereliquit. Cæterum quod Iudas Chriſtum Principibus ſacerdotum prodiderit, argumentum non eſt, quo perſuadeamur Iudæorum conſilio Iudam interfuiſſe. Nullus enim Euangeliſtarum, notat Cæſar Baronius Annal. anno Chriſti 34. Tiberij 18. illum concilio interfuiſſe ſcribit, ſed tantũ conueniſſe Principes, & de prodendo Chriſto cum illis conueniſſe. Neque repugnat quominus Iudas qui reperitur in Bethania in domo Simonis, cum cæteris accubuiſſe Apoſtolis, idem ipſe eadem die Hieroſolymis eſſe potuerit, & de Chriſti proditione cum Principibus ſacerdotum pactũ iniſſe.

Eccl. 15.

Pſal. 73.

Baronij opinio.

An Iudas interfuit concilio ſacerdotum de capiẽdo Chriſto?

Nam

Nam cum, vt antea docuimus ex Euangeliſta, Bethania diſtaret Hieroſolymis duobus milliaribus ſtadio vno minus, furenti animo, & diabolico ſpiritu agitato perbreue iter illud videri poterat; quippe qui etiam ſi de concilio ea die agendo ignoraſſet, tamen puto ſciebat, iam ante fuiſſe aliud concilium celebratum, & de perdendo Chriſto ſententiam Caiphæ eſſe prolatam, atque ex ea die Ieſum interficere ſtatutum eſſe, quando Dominus inde ſe ſubducens migrauit in Ephren.

Diuerſa concilia ſacerdotum.

CAPVT XI.

Qui audientes gauiſi ſunt: Et promiſerunt ei pecuniam ſe daturos. Et quærebat quomodo illum opportunè traderet.

Expoſitio.

IVdas itaque celeriter ad concilij domũ, quam Senadrim vocãt Hebræi, ingreſſus, cunctis, qui tunc congregati ſuper mortẽ Chriſti conſultabant, pandit animum, quo in Chriſtum offenſus erat, & deditus Synagogæ proceribus, & paratus in cunctis, quæ Chriſto moleſta forent, morem gerere, & omne ſtudium adhibere, quouſque magiſter bonus in manus peſſimorum deueniret. *Qui* propterea *audientes* deſiderata nuntia, ac diu expectata *gauiſi ſunt* ſupra modũ in malo, quod apud eos inoleuerat. Et ideo poſt longam, ac multam præ gaudio collocutionem, *promiſerunt ei*, qui proditionem propoſuerat, *pecuniam* certam *ſe daturos*, quamprimum potirentur prodito. Quamobrem reuerſus proditor ad ſodalitatem priorem, *quærebat* ſedulo, *quomodo*, qua arte, & cautela *illum opportunè*, ſecreteque *traderet* Iudæis conſcijs.

Malitia ſacerdotum.

Qui audientes gauiſi ſunt. Iam enim in profundum iniquitatum deuenerant, vt non ſolum lætarentur cum male facerent, ſed vt equi ſonitu ad bellum lætabũdi excitarentur. Non recogitant in mente ſua, neque cognoſcunt, neque ſentiunt amentes, & deliri, quid gaudij, quidue triſtitiæ obiectum dici debeat. Quiuis eorum Nabal ſe profert ſtultiſſimum, qui gaudent ſuper iniquitate. Et dicunt Euge, euge, *audientes* malum, ac perniciem præparari contra factorem ſuum. Sed væ qui contradicit factori ſuo teſta de famijs terræ. State ſuper vias, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis refrigerium animabus veſtris. Et dixerunt: Non ambulabimus. En reſponſum Hebræorũ, qui cum adhuc in poſteris inſimulentur de gaudio, quod ſuſcipiunt *audientes* mortem Chriſti, & paſſionem, & admonentur charitatem deperditam, & fidem veram, recipere, viamq. pacis, quæ non habet finem, tenere; reſpondent. Non ambulabimus. Chriſtus autem quid? Ego quoque in interitu veſtro ridebo. Et qui habitat in cælis irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos. Nunquid me ad iracundiam prouocant dicit Dominus? Nonne ſemetipſos in confuſionem vultus ſui? Dum enim ſuper malis Chriſti gaudent, adducunt mala ſuper ſe, fructum cogitationum ſuarum.

Iſa. 46 — *Iſai 45.* — *Ier. 6.* — Induratio in malo. — *Pſal. 2* — *Ier. 7.*

Et promiſerunt ei pecuniam ſe daturos. Promittunt minime honorem in populo, neque in Eccleſia Cathedram, aut in cœtu munus Eccleſiaſticum, ſed *pecuniam*; non ſolum quod pro *pecunia* tàm ex parte Iudæ, qui lucrum ex profuſione vnguenti arbitrabatur perdidiſſe; quàm ex parte Sacerdotum, qui paupertatem timebant, ſuperſtite Chriſto facinus intentaretur; quàm vt pretio, quid mors Chriſti efficeret, aduerteremus, videlicet hominem, quem orbi, Deus præfecerat. *Pecunia* enim, quæ tunc excutebatur, imaginem Cæſaris, qui orbi imperitabat, præſeferebat. In eo ergo ſignatur homo, quem redemit Chriſtus precioſo ſanguine ſuo. Contracto itaque omnium iniuſtiſſimo, ſapientia, quæ diſponit omnia ſuauiter, opus cunctorum æquiſſimum, præſignatur. Honorem autem nõ pollicentur, quoniam inglorij, & abſque corona. Cathedram non offerunt, quoniam tranſlata erat ad digniores, qui facerent fructus eius. Multoque minus eccleſiaſticum proferunt beneficium, qui erant, abſque ſacerdotio, ephot, & cæteris Aaronicis priuabantur ex ſcelere, quod tentabant.

Et quærebat. Scilicet fraudulenter ab alijs, qui familiariores erant Chriſto, quo iturus eſſet, quid facturus, etſi alicubi ſecreto commorari deberet: totus anxius, velut leporarius, qui odoratur prædam, & vniuerſa perueſtigat, quouſque in eam incidat, occaſionem perluſtrabat: Iam enim induerat maledictionem ſpiritus vertiginis ſicut veſtimentum, & intrauerat ſicut aqua in interiora eius, & ſicut oleum in oſſibus eius. Fiat ergo, quia ſic voluit inſanire, ſicut veſtimentum, quo operitur, & ſicut zona, qua ſemper præcingitur. Hoc eſt mortuus totus, & proiectus à Deo.

Pſal. 108. — *Ibidem.*

Quomodo illum opportunè traderet. Hoc eſt ſecretè, & clanculum ne tumultus fieret; hora quieta noctis, ne euaderet; loco ſolitario, ne iuuaretur à quoquam; & ſolus captiuaretur, ne diffunderetur ſanguis vlla ex parte. Verum enimuero nulla circumſtantia offerri Iudæ poterat, vt *opportunè* Chriſtum traderet. Omnia enim illi, & cuicunque peccatori ad peccatum importuna ſunt: Nullum enim tempus eſt ab auctore formatum, in quo liceat peccare; vel quicquam male facere, ſed bene, omni

Nullum tempus conceſſum peccato

quidem

quidem tempore errantibus acclamatur:
Iſai. 55. Iſai. 52.
Quærite Dominum dum inueniri poteſt inuocare eum dum prope eſt. Polluntum nolite tangere. Illi vero, quorum calles recti ſunt, iugiter audiunt:
Ierem. 33.
Vox gaudij, & vox lætitiæ, vox ſponſi, & vox ſponſæ, vox dicentium: Confitemini Domino exercituum, qũoniam bonus Dominus, quoniam in æternum miſericordia eius, & portantium vota in domum Domini. Hæc quidem omni tempore oportuno. In importuno alia, quæ Diabolus peperit, & quæ mox Iudas, & continuo omnis malus adinuenit, & quærit. Aberras ergo Iuda quærens tempus opportunum, quo Chriſtum tradas: Non enim inuenies ſed inopportunum, quo teipſum ad inferni rudens precipites.

CAPUT XII.

Et prima die Azimorum, quando Paſcha immolabant, dicunt ei Diſcipuli: Quo vis eamus, & paremus tibi, vt manduces Paſcha?

Expoſitio.

INterim venitur ad Paſchæ ſolemnitatem, & *prima die* ſecundum legem *Azimorum*, quæ 14. luna Menſis Niſſan, ſeu Martii ſecundum Noſtros ad Veſperam inchoabant, & durabant per octo dies ſequentes; quando, inquam, in eadem prima die *Paſcha*, ſeu Paſchale ædulium agni immaculati *immolabant* Iudæi per ſua contubernia. *Dicunt ei* vnanimiter *Diſcipuli*, vt legis obſeruatores: Adeſt Paſcha, ò magiſter, *quo* ergo *vis*, præcipiſque *eamus* nos, & vt annuatim ſolemus, *paremus* tibi ductori noſtro, ac Principi, & vnà nobiſcum *manduces Paſcha*, lætemur, & epulemur iuxtà dies antiquos, & patrum obſeruantiam?

Et prima die Azimorum. Hæc *prima dies* à veſpera præcedentis diei inchoabat, ſimiliter Paſchalis feſtiuitas. Vnde *prima dies*, quæ eſt is luna primi Menſis, includit Veſperam. 14. propter quam Ioannes ait:
Ioann. 13 Conciliantur Euangeliſtæ in ſuppuratione paſchæ. Error Græcorum.
Ante diem feſtum Paſchæ, hoc eſt vigilia Paſchatis, quæ erat veſpera 14. diei, à qua prima dies Azimorum incipiebat. Sic noſtri conciliant Euangeliſtas, quos Græci impudice affirmant à Ioanne poſtremo eorum ſcriptore correctos, quod Chriſtus non prima die Azimorum, hoc eſt, 14. die ad Veſperam eiuſdẽ diei ſed 13. quæ erat ante diem feſtum, commediſſe agnum cum fermentato, non azimo pane, qui non dum confectus erat. Quantum tamen errent, & à ſuis Græcis deuient, habes apud Matth. De hac prima die potiſſimum fit mentio in
Leuit. 23.
Leuitico. Dies inquit primus erit vobis celeberrimus. Forte propter ſolemnitatem Paſchatis, quæ eodem die primo fiebat, vt inde quid noſtra *Azima*, vtpotè ſpecies conſecratæ, celebrent agnoſcamus; videlicet. Agnus Dei qui tollit peccata mundi, *Ioann. 1.* & quotidie ſacrificatur incruentum, & vnà cum *Azimis* comeditur. Nihil enim *Azima* ſine agno, is eſt qui & panem illum magnificat, conueſcentes viuificat, & cibat immortalitate. Fit autẽ primò *Azimorum* mentio, quàm Paſchatis, vtpotè agni, quod oculus, ac ſenſus ad Azima primo tendat, poſt mens per fidem ad Agnum, qui ſubeſt ſpeciebus ſe extendat. *Azimorum* dies 7. numerantur, primus tamen, & poſtremus ſoli dicunt ſolemnes. Quod primus inſtitutionem Euchariſtiæ deſignaret; poſtremus vero ſeptimus, in qua Deus requieuit ab omni opere ſuo, & in qua nos ſex dies laboris, & anguſtiæ ſperamus requieſcere, & aſſumi ad montem excelſum, vt ad eandem Chriſti imaginem transfiguremur; ſi tamen primum diem ducamus ſolemnem, hoc eſt, Euchariſtiam digne tractauerimus, & ſumpſerimus; alioquin in ſeptimo die iudicium ſibi manducabit, vt Hahaman, qui non gloriam ſed ſuſpendium ex conuiuio Heſter reportauit. Sit ergo nobis ſolemnis primus iſte dies *Azimorum*.

Azimorum dies ſeptem primus, & poſtremus ſoli ſolẽnes.

Euchariſtia digne ſumenda. 1.Cor. 11.

Quando Paſcha immolabant. Paſcha idem eſt hic, quod agnus, quem immolabant decimaquarta die Menſis ad Veſperam, iuxtà legis decretum. Quod diſtuliſſe Iudæos vſque ad ſabbatum, vt liberius morti Chriſti vacarent, nonnulli arbitrantur. Quemadmodum & Herodem Agryppam feciſſe legimus Actor. 12. ne ob Paſcha impediretur à nece, quam intendebat Petro inferre. Paulus Burgenſis ait, id eos facere ſolitos antiquiſſimo Patrum ſtatuto. Ac Rupertus Abb. in Leuit. lib. 2. cap. 36. vult tamen eos feſtiuitatis obſeruantiam transtuliſſe in commodiorem diem; agnum verò eadem die immolaſſe. Præter agnum totis illis diebus, plures alias hoſtias ſacrificabant iuxtà illud Leuit. 23. Sed offeretis ſacrificium in igne Domino ſeptem diebus. Vnde Philo in vita Moyſ. ſcribit, ſub ipſo tempore, quo luna ſuum orbem ſolet implere lumine celebratur migrationis publica feſtiuitas, quam Chaldaicè *Paſcha* nominãt, quo tempore, non vt alias plebei homines victimas adducunt ad altare mactandas à ſacerdotibus, ſed iubente lege tota gens ſacrificat, dum pro ſe quiſquam mactat hoſtiam ſuis manibus, tunc vniuerſo populo celebrante lætas epulas, quiſque ſe gerit pro ſacerdote: Quare & commortuos, & conſepultos nos Chriſto morienti non ſolum ex Paulo, ſed ex hac figura legimus. Quod enim Agnus immolaretur ad eſum, typus Chriſti mortis proponebatur, imolationes, quas quiſque faciebat, ſacerdotem agens, ad eas, quas moriente Chriſto, & omnes peregimus. In illo enim omnes mortui ſumus, & vita noſtra in eo abſcondita eſt, vt eo moriente,

Opinantur quidã transtulatũ Paſcha à Iudæis. Actor. 12

Burgen. Rupert.

Leu. 23. Philo.

Victimæ Paſchales etiã a populo, non à ſolis Sacerdotibus mactabantur.

Rom 6 Coloſſ. 2.

Coloſſ. 3.

mortui fuerimus, & ſuſcitati pariter, quando vere ſurrexit. Ea propter dixit: Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad
Ioann. 12 meipſum. Quia ſi granum frumenti mortuum fuerit multum fructum affert.

Dicunt ei Diſcipuli. Paulò antequam Paſchæ feſtiuitas inchoaret, vt poſſent maturè ſingula, quæ ad diei ſolemnitatem ſpectabant, præparare. Quod vero Diſcipuli id quærant, & non moueantur primo à magiſtro, cuius videbatur cura potiſſimũ dierũ feſtorum, non eſt abſque myſterio factum. Illud autem credere, vt per deſiderium Apoſtolorum celebrandi Paſcha innoteſceret, ardor ille, qui in ſanctis omnibus viguit videndi Chriſtum immolatum, & vt Paſcha in ſalutem omnium ſacrificatum. Vnde apud Iſaiam vnanimiter dicebant:
Iſai. 53. Deſiderauimus eum: Deſpectum & nouiſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem. Quia ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra. Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus.

Deſiderium Chriſti paſſionis in patribus fuit

Iſai. 26. Alludit ad hæc acclamatio illa: Emitte agnum Domine. Similiter laus quam Ioan.
Ioann. 1. de Chriſto protulit: Ecce agnus Dei; ecce qui tollit peccata mundi. Siquidem agni nomine mortem Chriſti ſignabant. Vnde facta redemptione per mortem eius, agno
Apoc 5. occiſo acclamãt omnes: Gloriam, honorem benedictionem, quoniam, inquiunt, occiſus eſt. Ac ſi dicerent: quoniam triumphauit. Quare deſiderium Patrum longe differentius erat ab eo, quod Iudæi oſtentabant di-
Sap 2. centes: Morte turpiſſima condemnemus eũ. Namque hi extinctionem omnem deſiderabant Chriſto, & damnationem; illi autem triumphum, & clarificationem, quam ipſe quoque expetijt, dicens: Pater clarifica me, ſaluiuifica me ex hac hora. Hoc itaque flagrans deſiderium diſcipuli exprimunt tacitè, dum de Paſchate interrogant non quæſiti; quod & Chriſtus non quærat, aliud proponit inueſtigandum arcanum, Sed & hoc dixerim, vt pateret cunctis veritatem adeſſe & lumen; ipſe Paſcha noſtrum, ipſe agnus manſuetus, qui portatur ad victimam, vt conuiuium pinguium, & medullatorũ præparetur indigenis, qui vocantur ad cœnam
Luc. 14. magnã, etiam vniuerſis terræ accolis, dummodo veſtem nuptialem habeant, ne compellantur confuſi repelli. Vt quid ergo Paſcha, aut agnum, qui agnus eſt, alio appetet ſociari? Hoc Diſcipulorum eſt, & omnium noſtrum, vt in Paſchate lætemur, qui in Ægypti incurſionibus pereclitamur, & qui præ fame areſcimus, in agno immolato pro nobis epulemur, & impinguemur. Ergo dicunt.

Quo vis eamus & paremus tibi, vt manduces Paſcha? Primum ab eo voluntatem loci vbi Paſcha celebrandum eſt, inueſtigant, vt dominatorem vniuerſorum inſinuent. Quia Rex omnis terræ Deus; Rex Pſal 46.
Regum, & Dominus dominantium. Quod Apoc. 19.
ſi Princeps Regum terræ, quo voluerit, poteſt iubere ſibi Paſcha præparari: habet enim cum voluerit poſſe; nec eſt qui reſiſtat audiens: Dominus his opus habet. Matth. 21.
Fit antẽ huius dominij, & potentiæ inſinuatio hoc in loco, vt iſta per mortem, quæ in agni immolatione figurabatur ſibi adueniſſe quiſque aduerteret; iuxtà illud Pauli: Chriſtus humiliauit ſemetipſum, factus Phil. 2.
obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur. Præterea præparatores cœnæ Paſchalis ſe offerunt, vt miniſtri, & diſpenſatores myſteriorũ Dei: horum enim mu- 1. Cor 4.
nus eſt præparare viam Domino, hoc eſt, plantare, vt Paulus, & vt Apollo rigare. 1. Cor 3.
Plantat qui ſcientia, & doctrina cathechizat in fide, vt credant; rigat, qui fideles ad augumentum virtutum, & fidei adhortatur. In his autem omnem præparationem, quam à ſuis miniſtris Chriſtus exigit, conſiſtere nemo dubitat. An vero expleant qui Apoſtolica gerunt munera, vt oportet, ac decet, viderint qui viſu ſunt clariores. Denique vt manducet Chriſtus, quærunt locum, & Paſcha appetunt præparari. Is eſt enim finis, & dominij Chriſti, & obſequij, quod vniuerſi miniſtrantes Chriſto ferunt; vt ſcilicet, manducet cibum, quem habet Ioann. 4.
manducare, & deſiderat manducare cum Apoſtolis. Primus cibus eſt anima, poſtremus eſt regnum integrum, quod Deo, & Patri tradet. Vtriuſque tamen cibi præparatores, & miniſtri ſunt tùm Angeli, qui mittuntur propter eos, qui hæreditatem Hebr. 1.
capiunt ſalutis; tum Apoſtolici, qui mittuntur pariter, vt eant, & fructum ferant. Dum enim ſingulares animas velut ſal terræ condiunt, atque præparant in cibum Chriſti deſideratiſſimum, regnum quoque, quod per Chriſtum tradi debet ſuauiter diſpoſuerunt. Velut ſapientes Architecti, qui dolantes lapides, atque ligna, domum dicuntur ædificare, & totum ædificium præparare.

CAPVT XIII.

Et mittit duos ex Diſcipulis ſuis, & dicit eis: Ite in Ciuitatem & occurret vobis homo lagenam aquæ baiulans, ſequimini eum.

PErſpecto igitur Diſcipulorum animo Expoſitio.
promtiſſimo, *mittit* Chriſtus *duos* familiares *ex* vniuerſis *diſcipulis ſuis*, vtpotè Petrum, & Ioannem; *& dicit*, præcepitque *eis*.

eis, *Ite* ſedulo *in ciuitatem* Hieruſalem. Ea enim eſt locus, quem ad manducandum vobiſcum mihi elegi, ibique hoſpitium, & cœnam præparari. Quapropter vt eo acceſſeritis, *occurret* in promptu *vobis homo* officioſus, & aptus huiuſcemodi miniſterijs. Erit autem in ſignum vobis *lagenam* fictilem *aqua* plenam *baiulans* manu. Hunc ergo cum videritis attendite, quo vadat, & *ſequimini eum* poſt eius veſtigia, neque à veſtris oculis diſcedat.

Et mittit duos ex Diſcipulis ſuis. Hoc Apoſtolorum numero duodenario *duos*, vtpotè Petrum, & Ioannem, deſtinat conuiuij Paſchalis miniſtros. Quod duobus tantum munus demendetur, ſignificat duobus charitatis præceptis diſponi plene animum, vt fiat hoſpitium Chriſti, & panis deſiderabilis, id quod præſtat etiam fides, & dilectio. Quod ferantur hi duo Petrus, & Ioannes, ſignificat lege, & Euangelio electos omnes in vnum conuiuium efformari, quo caput omnium Chriſtus delectetur. Quod vero ſint *ex diſcipulis* qui mittuntur, conſiderare compellit, & credere, opus hoc non vulgare, ſed arduum eſſe; cum ijs rantum credatur, quibus reuelarat quæcunque à patre acceperat, & commiſerat vni eorum totam Eccleſiam cum plenitudine poteſtatis vicariæ; alteri verò dilectionem ſupra cæteros manifeſtarat.

Et dicit eis. Ideſt, præcepit iuxtà morem ſcripturæ, ac Regis cuius ſimplex verbum eſt præceptio, & imperium ſubdito; præſertim quod modò dicit Apoſtolis, vſque hodie vrget, perſtringit, & compellit Apoſtolicos omnes velociter parere; etiam omnes fideles obſtringit. Quis enim non cogitur cœnam Chriſto præparare? Sto, inquit ad oſtium, & pulſo; ſi quis aperuerit mihi intrabo ad eum, & cœnabo cum eo; ſed ad cuius oſtium? omnium quidem quos vult ſaluari; atqui omnes vult ſaluos fieri, & ad agnitionē veritatis venire. Ergo omnibus dicit, ac præcipit ponere menſam, & reliqua, quibus dilectus oblectatur.

Apoc. 3.

1. *Tit.* 2.

Ite in ciuitatem. Erat hæc Hieroſolyma quam ſibi delegerat, vt in eius monte fieret conuiuium, quod Prophetæ vaticinabantur, paratum in cunctis gentibus, qui ſe timeret, iuxtà illud: Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus, eſcam dedit timentibus ſe. Propterea & Paſcha celebrari alibi prohibuerat in Deuteron. dicens: Non poteris imolare phaſe in qualibet vrbiū tuarū, quas Dominus Deus tuus daturus eſt tibi; ſed in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, vt habitet nomen eius ibi. At hunc fuiſſe Hieruſalem decantat Pſaltes: Quoniam elegit Dñs Sion, elegit eam in habitatione ſibi: Ea propter Hieremias dixit: Vocabunt Hieruſalem ſolium Domini. Hic ergo vult

Pſal. 110.

Deut. 16.

Pſal. 131

Ierem. 3.

phaſe præparari. Quoniam Paſcha, quod manducauit celebre, & vſque nunc nobis proponitur in Eccleſia, quæ eſt noua Hieruſalem è cælis veniens, pacem in terris, cœliſque conſiliat. Ieruſalem autem pacifica interpretatur.

Et occurret vobis homo. Occurſum hominis dat Apoſtolis in ſignum præparandæ ſolemnitatis. Nec quidem iſta, ſi ſpiritualis fuerit, aliter vnqnam præparabitur. Neceſſe eſt quidem hominis libertatem, & aſſenſum occurrere Apoſtolo, & prædicatori, qui quærit præparare Domino plebem perfectam, quouſque formetur Chriſtus in eis. Ergo quando *homo occurrit*, quando aſſentitur prædicanti, audit cum omni concupiſcentia, & optat, datur ei ſenſus vt intelligat, & recipiet ſapientiam, quæ eternæ maieſtati præparat habitaculum.

Lu. 1

Gal. 4.

Lagenam aqua baiulans. Lagena vas eſt teſtaceum, tum ad vinum, tum ad aquam iuxtà morem patriæ. Hiſpanis enim bocticis ad vtrunque eſt vſus; citeriores, qui Tarraconenſem colunt, tantum lagenis ad oleum, & aquam vtuntur, nonnunquam in eis mella recondunt, & grana. Eſt ergo vas aptum liquida continere, & ſolida. Si farinam contineat, aut granum dicetur, cum Bernardo ſuper Cantic. 14. homo legem naturæ intra ſeipſum continens: Si vinum pariter dicetur, qui Spiritu ſancto repletur. Si oleum, fingetur ſapiens. Si aquam capiat dicito cum Origen. hom. 10. in Geneſ. quemcunq. qui ſcientia ſæculari pollet, qui & ſi vt Plato, Socrates, at reliqui Philoſophi, ſtudeat regulare ſeipſum, & totum hominem componere, ſemper baiulabit onus, quod eum grauabit; cœterum qui facit quod in ſe eſt, & *lagenam* corporis ſui baiulat, ſuſtinet eius paſſiones, moderatur vt poteſt, & agit, licet difficulter, quæ ſunt legis naturæ, dimidium facti tenet, vt ille Cornelius homo gentilis.

Bernard.

Orig.

Sequimini eum. Quid eſt ſequimini eum? Num immitari, & veſtigijs eius adherere? Abſit. Hoc tantum Chriſto debemus, & ijs, qui ad illum nos perferunt. Poſſunt nihilominus ſequi & imitari Philoſophi, & externi in his qui à lege noſtra naturæ videntur mutuare. Vnde horum exempla, & Chriſtus propoſuit, & ſancti paſſim referunt, qui vixerint continentes, modeſti, liberales, taciturni, plerique gentilium, vt ad maiora excitemur, qui efficacioribus auxilijs, vtpotè ſpiritualibus gratijs donamur. Poteſt, & *ſequimini eum* interpretari de eo, qui eſt bonæ indolis docilis, & ſimplex, ſed malè educatus, & peius inſtructus. Talem enim cum offendit prædicator debet ſequi, hoc eſt amicitiam cum eo contrahere, & proponere ſalutaria, quouſque inſtruatur vt eunuchus Candacis Reginæ.

Philoſophi in quo ſequendi.

Digitized by Google

CAPVT XIV.

Et quocunque introierit dicite Domino domus, quia Magiſter dicit: Vbi eſt refectio mea, vbi Paſcha cum diſcipulis meis manducem?

Expoſitio. ET ſequentes eum diligenter aduertite, quo diuertat. *Et quocunque introierit*, intrate & vos poſt eum, ac *dicite*, & explicate *Domino*, cuius eſt *domus* illa, legationem veſtram paucisſimis verbis. *Quia magiſter*, qui miſit nos, *dicit*, tibique imperat cuncta ad feſti ſolemnitatem præparare: *Vbi eſt*, dicetis illi, *refectio mea*, *vbi* ea, quibus me vnà cum meis oportet in hac celebritate refici? *vbi* locus, vbi agnus paſchalis, quem *cum Diſcipulis*, & amantiſſimis *meis manducem* hac prima die azimorum?

Et quocunque introierit. Non excipit locum, ſed *quocunque* lagenam baiulans *introierit*, vult ab Apoſtolis ſequi. Quia ſalutem animarum quęrens, nullo peccato, quo intrat homo, deterreri debet, quin eum ſequatur, moneat, hortetur, & perſuadeat ad pœnitentiam. Quoniam apud Dominum eſt fons vitæ, qui poteſt liberare, ſaluare, & conuertere hominem ad bonum, quod deteſtabatur. Propterea omnia

Pſal 33. oſſa mea dicent: Domine quis ſimilis tibi?
Pſal 35. Apud Dominum greſſus hominis dirigetur, & viam eius volet. Cum occiderit non collidetur, quia Dominus ſupponit manum ſuam, vt erigat lapſum, claudum dirigat, & reſtituat ſanitati eum, qui iacet vulneratus, & ſpoliatus inter Hieruſalem, & Ierico.

Luc. 10. *Dicite Domino domus*. Quis iſte fuerit
Nicef. incertum eſt. Nicephorus lib. 1. hiſtor.
Cedr. cap. 28. & Cedrenus in Annal. & alij: Domum hanc fuiſſe Ioannis Euangeliſtæ opinantur. Obſtat tamen Lucas, qui vnum ex legatis dicit Ioannem, cuius ſi fuiſſet domus, minime tanta cum circunſtantia verborum mitteretur. Alexander Mona-
Alex mon. chus apud Metaphraſtem die 11. Iunij ait
Metaphr. cælebratum eſſe ſacrum Paſcha à Domino in domo alterius Ioannis, qui fuit filius Mariæ, cognomento Marcus, cuius meminit Lucas Actor. 12. & Paul. ad Coloſſ. 4. fuiſſe
Luc. 12. vtrique Ioanni domum hieroſolymis Greg.
Coloſſ. 4. Nazianz. in tragedia de Chriſto patiente
Nazianz. teſtatur his verbis.

Eamus hinc citis ſilentes greſſibus
Aedes petendo fœmina, in quibus manët
Vt hoſpites cum matre Marci Maria
Quo & conuolabit, vt reor, ſacer chorus,
Ibique dulcem preſtolabimur diem
Potiuſue eamus in noui gnati domum
Quem filius mihi arrogauit vnicus.

Nullum tamen horum recepiſſe hac die Chriſtum in domum ſuam ad cœnam agni multis perſuadeor. In primis quod ad ignotum hominem, atque domum videantur mitti Apoſtoli. At horum diſcipulorum domus, & cognati Apoſtolis noti erant. Præterea ſi familiarium domus fuiſſent, non impoſuiſſet Apoſtolis præparare conuiuium, ſed legationem ſui aduentus facere. Demumq. ſi Ioannes Euang. domus admittat, quomodo iubet Chriſtus dicere *Domino domus?* Si alterius creditur, inurbanum quid agi cum eo videretur, non admitti inter Apoſtolos commenſalis, cum diſcipulus eſſet. Quapropter liberius aſſentiter dicentibus & domum, & Dominum ignotum fuiſſe Apoſtolis, & quemquam prædiuitem, ac nobilem, quæ omniſciens Chriſtus nouerat, vt Zacchæum fore ſuo aduentu dignum, eo quod eſſet filius Abrahæ, vel forte diſcipulus occultus, quem Chriſtus à longe contemplabat, & diligebat. Probabilius ex ſententia auctoris Chriſtum non intendere alicuius diſcipuli domum.

Quia Magiſter dicit. Cum ad aſinam, & pullum miſit dixiſſe legimus: Quia
Dominus his opus habet, cœnam facturus Marc. 11.
iubet dicere: *quia Magiſter dicit*: Si qui- Matth. 21.
dem Aſinam, pullumue duci, eſt peccatores vtriuſque populi gentilis, & Iudęi conuerti. Hoc autem opus eſt dexteræ excelſi; & omnipotentis Domini. Dominus enim ſaluat, mortificat, & viuificat, vnde per Domini potentiam conuerſus à vitijs ad virtutem
cecinit Domino: Dextera Domini fecit Pſal. 117
virtutem, dextera Domini exaltauit me, dexteta Domini fecit vittutem. Non moriar ſed viuam, & narrabo opera Domini. At cœna, quam Chriſtus fecit, opus eſt ſummæ ſapientiæ, quæ talem ſciuit præparare menſam, condere panem, miſcere vinum, quod contineret omne delectamentum, & ne dum hominibus, ſed & Angelis vniuerſis ſufficeret, tantæq. profunditatis, vt ſuperet vniuerſorũ ſcientiam, & tàm immenſi theſauri, qualem creata mens non comprehendit, taliſq. delectamenti, & ſuauitatis efficaciæ, vt vt nihil ei valeat comparari. Nec ſciri quicquam ex his poteſt à nobis, niſi nos ſcientia Dei docuerit. Ergo quia opus ſapientiſſimi Dei, nec valet niſi à ſapiente credi, ad illud acceſſurus omnium artifex ait; *quia Magiſter dicit*. *Magiſtri* enim eſt ſapienter agere, & docere ſapientiam, quæ mentem illuſtret, vt valeat adorare myſterium confiteri firmiter, & vtiliter deguſtare.

Vbi eſt refectio mea? Hoc eſt, locus vbi *refectionem meam* ſumam. Vnde in Græco legimus ποῦ ἐστι τὸ κατάλυμα *vbi eſt diuerſorium?* vulgata habet *refectio*; quoniam κατάλυμα vtrunq. ſignificat, ſed & *refectio* pro loco refectionis ſumitur. Hinc Zachar. Chriſ. lib. 4 Zach. Chri.
cap. 155. ex Beda ſcribit: Non habemus do- Beda.
mum, non habemus tabernaculum. Audiant hoc, quibus eſt cura in ædificandis domibus

marmo-

marmoreis, & in laquearibus aureis, & ad omnes qui Chriſti ſunt ſectatores ego potius ſermonẽ conuerto, hortorque lætari, & conſolari, vt qui pro vna domo, quã reliquerũt, poſſunt vbiq. & omnibus dicere. *Vbi eſt refectio mea? Vbi diuerſoriũ meum?* Nam & iure paupertatis, quæ omnia facit cõmunia, & Dñi promiſſione, egens pro Chriſto confidenter ab omni diuite poteſt petere refectionem, eamq. non diuitis ſed ſuam arbitrari, ſimiliter domicilium qui ſubdio manet. Quoniam Domini, cui ſe dedit, & patris, qui illum adoptauit in filium, & regis, apud quem militat, eſt terra, & plenitudo eius.

Vbi Paſcha cum Diſcipulis meis manducem. Sollicitus eſt diſcipulorũ, cum quibus vult Paſcha manducare. Non enim Agnum manducabat ſolus, ſed tota familia, & vicini, cum domeſticorũ numerus non ſufficeret, vt aduerterẽt non tàm ventris, quàm mentis agi conuiuium, vtpotè charitatis communicationem. Hæc quidem non eſt ſolitaria; quia amicitia charitatis ad alterum tendit, nec minus (vt Gregor. verbis vtar) quam inter duos charitas eſt. Ergo quod charitas nimia celebranda per Chriſtum hoc myſterio foret, *cum Diſcipulis* vult ſolemnizari. Non tamen ait *manducemus*, ſed *manducem*. Quoniam Euchariſtiam ſumit vnus Chriſtus, quem omnes electi induunt. Vt enim multi grani vnum panem efficiunt, & nos vnum Chriſti corpus myſticum, cuius *ipſe* eſt caput, ſumus. Quod ſi obijceres reprobos, qui Chriſtum non induunt, & tamen *manducant* plures; reſponderem deglutire, deuorare, & degolare ſacramentum, non tamen *manducare*. *Manducatur* enim quod diligenter mandibulis, ac dentibus pertractatum in corporis commodum intromittitur ad locum digeſtionis debitæ; qui indignus eſt, & extra Chriſtum, huiuſmodi manducationem non imitatur. Quandoquidem non præparat ſeipſum, non meditatur myſterium, non tractat cum timore, & tremore, neque locum dignum dilecto intromittit. Quare non manducans, ſed ſumens cum ſimilibus dicetur: Quos admicto plures eſſe poſſe; qui autem digne accipiunt vnum ſunt, & vnus eſt Chriſtus, qui in cunctis eiuſmodi electis *manducat*.

Greg.

Omnes vnũ Chriſti corpus ſumus.

Quid ſit mãducare propriè?

CAPVT XV.

Et ipſe vobis demonſtrabit cœnaculum grande ſtratum, & illic parate nobis.

Expoſitio.

FIdenter ergo ite, ac dicite quæ mandaui vobis. Nam *ipſe* Dominus domus quamprimum magiſtri nomen auribus perceperit, *vobis* cito *demonſtrabit*, & hilariter introducet in *cœnaculum*, & decorum mirabili architectura, & *grande*, vt multis ſufficiat, necnon *ſtratum*, atque diligenter ad cœnam habendàm excultum. Ergo *illic*, acceptis quæ ad conuiuium ſimile deſiderantur, *parate* ſedulo *nobis* Paſcha.

Et ipſe vobis demonſtrabit. Ipſe, inquit, non alius per eum, vt ſolent diuites mundi, ac ſæculi Principes, qui etſi pauperibus victum, veſtitum, & hoſpitalitatem offerant, vel retenti quodam inani fauſtu, vel præpediti quadam frigiditate, non per ſe, ſed per ſeruos, aut quoſuis alios ſatisfieri indigenis curant; ſimilibus autem locupletibus per ſeipſos non panem, ſed annualem annonam, non veſtem ſed integros pannos, non aquam, vel vinum, ſed aureos cyphos, & ſuppellectilem argenteam dant, & orant, dignentur prætioſa quæque velut munuſculum acceptare. Quod etſi non ſemper reprehenſione dignum reputem, laudarem idipſum cum pauperibus, quos Chriſtus ad eos mittit fieri, ſaltem minima, quæ per miniſtros demandant ad eos, ipſi manibus proprijs darent, & offerrent, atque oſtenderent. Nam viſo paupere animus ad maiorem pietatem accenderetur, & apud Deum tàm manus, quàm animus fortè pluris fieret; iſque conſuetudine liberalior, & pientiſſimus in opus Domini euaderet. Beatus vir, qui ſic eſt intelligens ſuper egenum, & pauperem in die mala liberabit eum Dominus. Pſal.40.

Cœnaculum grande ſtratum. Additur in Græco ἕτοιμον hoc eſt *paratum*, præmittitur autem huiuſmodi vox, quod per *ſtratum* ſubindicetur. Nam *ſtratum cœnaculum* erat, quod ſtratis, & lectis more gentis ad cibum ſumendum erat ornatum, dicitur *grande*, ne admirentur qui poſtmodum ad aduentum Spiritus ſancti multitudinem magnam hominum legent congregatam. In illo enim *cœnaculo* (ait Lyra, hoc in loco) Paſcha commederunt, & in illo poſt reſurrectionem latuerunt diſcipuli propter metum Iudæorum, & in illo Spiritum ſanctum receperunt in die Pentecoſtes, vt habetur Act.2.

Lyra.

Act.2.

Eſt autem hoc *cœnaculum grande*, inquit Zacchar. Chryſopol. lex ſpiritualis, quæ de anguſtijs litteræ egrediens, in ſublimi loco recipit Saluatorem. Nam qui adhuc litteram occidentem ſeruat, & non aliud in agno, quàm pecus intelligit: Iſte nimirum in imis Paſcha facit. At qui aquæ baiulum, hoc eſt, gratiæ præconem in domum Eccleſiæ fuerit ſecutus, hic per ſpiritum viuificantem in altitudine mentis Chriſto manſionem præparat. Ideoque inquit: Sequimini eum, qui ducit in altum, vbi Chriſtus cum Diſcipulis ſublimium virtutum delectatione reficitur. Vnde Raab explorantibus mandat, vt non irent per Ioſue.2.

Zachar.

ima, ſed per excelſa. Amplius, *cœnaculum* Eccleſia magna eſt, quæ narrat nomen Domini ſtrata varietate virtutum, & linguarum: Vnde illud: Circumamicta varietate, in qua paratur Domino Paſcha. Placet quoque cum Origene homilia 35. in Matth. Animam, quæ charitatis latitudine repletur, *cœnaculum grande* appellare.

Pſal.44. *Orig.*

Et illic parate nobis. Hæc (ait Theophylactus) ſublimius intelligi poſſunt. Hydriam baiulat baptizans; Vadia autem in domum, quæ rationali ſuo ordine digna eſt. Qui enim habet baptiſma, ad requiem vadit, iuxtà rationem viuens, & viuit in ordine, quaſi in domo quadam. Pater familias mens eſt, qui oſtendit magnum triclinium, ſublimes ſcilicet ſenſus. Verum triclinium hoc ſtratum eſt, hoc eſt, tametſi ſublime ſit, nihil tamen habet, vel aſperum, vel ſuperbum, ſed ſtratum eſt, & humilitate complanatum. Illic ergo, in tali, inquam, mente preparatur Paſcha Chriſto à duobus diſcipulis Petro, & Ioanne. Practica, dico, & contemplatiua vita: Petrus enim propter feruorem practicus, Ioannes verò, vt Theologus, contemplatius. Parari ait nobis Pacha, quod ſupra dixit, vt manducem: nam etſi vnus ſit Chriſtus, qui, vt dictum eſt, manducet, cœna ipſa multis præparatur, vt cibum os vnum deglutit, omnibuſq. corporis membris, quæ vegetat, præparari dicitur. Ita gloria, & meritum, quæ hiſce aſſequuntur myſterijs, vni Chriſto tribuimus, ſeruiunt tamen cunctis eius membris, à quibus, & propter quos iſthæc miſtica præparantur. Quare cunctis miniſtris Chriſti dicit *parate nobis*, videlicet, quæ ad communionem abundantis gratiæ faciunt, atque gloriæ.

Theoph.

Senſus allegoricus.

CAPVT XVI.

Et abierunt diſcipuli eius, & venerunt in ciuitatem, & inuenerunt ſicut dixerat illis: Et parauerunt Paſcha.

Expoſitio.

ACceptum itaque mandatum fideliter complent Petrus, & Ioannes, & quidem citiſſimè *abierunt*; vt *Diſcipuli eius*, qui exultauit, vt gigas ad currendam viam, & implendum mandatum, quod illi pater dederat. *Venerunt* itaque ocius *in ciuitatem* Regni Metropolim, & ſtatim ad eam ingreſſi, *inuenerunt* & hominem, qui lagenam baiulabat, & Dominum, cuius erat domus, *ſicut dixerat* antea *illis* Prophetarum Princeps, & doctor. Quare cunctis, quæ ad ſolemnem illam diem requirebantur, acceptis, *parauerunt* diligenter *Paſcha*, vtpotè agnum igni aſſum; azimum, lactucas agreſtes, & baculos, iuxtà legis decretum.

Pſal.18.

Et abierunt Diſcipuli eius. Abierunt quidem, ſed differenter multo, quàm Iudas. Namque is abijt à facie Chriſti, vt contra eum gladium vibraret, excitaretque bellum, quod nondum inter Iudæos extinctum eſt. Quia ſuperbia eorum, qui te oderunt, adſcendit ſemper, ait Vates eorum de hac genimina viperarum, & ſemine Cham. Sed induantur confuſione, & reuerentia, qui maligna loquuntur, ait per eundem Chriſtus. Illi autem *abierunt* non à facie Chriſti, quem amor cogebat præſentem ferre, ſed *abierunt* à ſua voluntate, vt magiſtri optimi iuſſa adimplerent, eique honorem iuſtum deferrent, & obſequium. Quia Rex noſter ante ſæcula, & Deus adiator noſter in æternū. Libet ergo in horum differētibus abitionibus, vniuerſorū diſceſſus cōſiderare. Omnes enim vel cum Iuda à ſacris, ab Eccleſia, à Domino, à Chriſti præſentia abeunt, vt malè agant in tenebris ignorantiæ, & erroris; vel cum Apoſtolis, & Chriſti diſcipulis, vt prompta obedientia præceptoris vultum lætificent: Ipſi vero, in iuſtitia appareant in conſpectu eius, quod fecerint, quæ præcepta ſunt eis. Propterea abeuntes Petrus, & Ioannes vocantur *Diſcipuli*, Iudas minime. *Diſcipuli* enim eſt, à magiſtri præceptis nunquam diſcedere.

Pſal 73. *Pſal.74.* *Pſal 73.* *Pſal 6*

Et venerunt in ciuitatem. Ad hanc, etſi Iudas venerit, tractaturus cum Principibus Sacerdotum ſuper proditione Chriſti, non dicitur acceſſiſſe, neque intraſſe, vt Apoſtoli, quibus cura cœnæ committitur. Quoniam *ciuitas*, quæ eſt ciuium vnio, & Hieruſalem quæ pacifica interpretatur, Eccleſiam ſignificat, quæ eſt mater pulchræ dilectionis, timoris, & ſanctæ ſpei: Non deſperationis, quam Iudàs perfecit, laqueo ſuſpenſus: Non audaciæ, neque temeritatis, quam induit Iudas, procedens armato collo aduerſus eum, qui ſe fecerat, neque denique Eccleſia mater eſt odij, quod veritatem ipſam perſecutus eſt, poſtponens eam pecuniæ lutoſæ, & terreæ. Ergo quod omnem legem Eccleſiæ præuaricatus ſit Iudas, non dicitur *veniſſe in ciuitatem* illam, quæ eſt typus Eccleſiæ, ſecus Apoſtoli, vt quibus nihil charius, quàm monumenta Eccleſiaſtica obſeruare, amorem, timorem, & ſpem, quæ non confundit. Hinc habeto lector quid interſit inter bonum, & malum operarium. Hic etſi in Eccleſia operetur, non dicitur neque intraſſe, neque veniſſe *ad ciuitatem*, vt qui ab vnitate amoris deuiet, ſecus qui bene graditur.

Cur Iudas non dicitur veniſſe in ciuitatem ſicut Apoſtoli.

Ieruſalem typus Eccleſiæ.

Et inuenerunt ſicut dixerat illis. Vt argumento eſſe poſſet, inquit Arias Montanus, magni alicuius conſilij ex diuina

Arias Montanus.

proui-

prouidentia Ieſu ſciente, & ſubeunte, atque præſtante parati, & cœpti, tandemq; expediendi, vt maximè hac impletione prædictionis certi fierent nihil Christum latere, non Iudæ rabiem, non Sacerdotum coniurationem, neque deniq; mortem ſuam. Quapropter crederent voluntate, non neceſſitate, mortem ſubiiſſe, indeque traherentur non ſcandalizari in ijs, quæ Chriſtus paſſurus eſſet. Quia beatus (dixit) qui non fuerit ſcandalizatus in me.

Et parauerunt Paſcha. Vtpotè agnum igni aſſum, panem azimum, lactucas agreſtes, & baculos. His enim quatuor potiſſimum celebritas complebatur. De agni ſignificato Gregor. hom. 22. ſuper Euangelium ſic ſcribit: In nocte quippe agnum comedimus, quia in Sacramento modo dominicum corpus accepimus, quando adiunicem noſtras conſcientias non videmus. Quæ tamen carnes aſſandæ ſunt, quia nimirum diſſoluit ignis carnes, quas aqua coxerit, quas verò igni ſine aqua coxerit, roborat: Carnes itaque agni noſtri excoquit, quia eum vis paſſionis illius ad reſurrectionem valentiorem reddidit, atque ad incorruptionem roborauit. Cum enim ex morte conualuit profectò carnes illius ab igne durùerunt. Vnde etiam per Pſalmiſtam ait: Exaruit velut teſta virtus mea. Quid enim eſt teſta ante ignem niſi molle lutum? Sed ei ex igne agitur, vt ſolidetur. Virtus eius humanitatis ergo velut teſta exaruit, quia ab igne paſſionis ad virtutem incorruptionis creuit. Panis azimus, qui ſola farina ſimpliciter conſtat nullius fermenti mixtione, animi puritatem, qua Chriſtus manducari debet, ſignificat. Vnde Origen. hom. 23. in Num. Illud magis eſt, quod horreſcit, & merito horreſcit Deus, ſi malitiæ, ſi iræ, ſi nequitiæ ſpiritus infermẽtur anima, & intumeſcat ad flagitia. Hæc nō vult eſſe in anima Deus, & tale fermentū, niſi abiecerimus de domo animæ noſtræ, meritò exterminabimur; ſed ne contemnas, etiam ſi paruam videris in te fermentari malitiam, quia modicum fermenti totam maſſam corrumpit. Et ideò neque de paruo peccato negligas, quoniam ex vno peccato generatur aliud. Lactucæ agreſtes, quæ reputantur endiuiæ acetoſæ, quibus prouocatur appetitus ad cibum audiorem, ſecundum Climacum Gradu. 14. ſignificant deuotionem animi, & feruorem, quibus ſumi debet Euchariſtia ſecundum Bedam ſup. Exod. 12. & Chryſoſt. hom. in Iob. & Abraham; his comparatur pœnitentia, ieiunium, oratio, & omnis exercitatio ſancta, quæ ad dignam Euchariſtiæ receptionē conducunt. Baculus in manibus iuxtà Philon. de ſacrificijs. Cain, & Abel, erat recta intentio, quam huius vitæ homines ſequi debent. Proſequens tamen ex his noſtri ſacramenti altaris myſterium, & eius ſumptionem inueſtigare, baculum dicerem charitatem, vel fidem. Hanc enim Gregor. Nazianzen. de vita Moyſi interpretatur baculum, Rupertus verò 8. ſup. Gen. 38. Spem, cui innitimur, velut baculo, imaginatur. Hęc materiali ratione præparauerunt Apoſtoli ad cœnam legalem; quæ ad euangelicam ſpectabant, & faciunt non Petrus, & Paulus ſolum, ſed & chorus omnis Apoſtolorum, & omnis ordo Eccleſiaſticus, etiam Angelicus, quin & Deus ipſe præparat. Quia tu es ipſe Rex meus, & Deus meus, qui mandas ſalutes Iacob, Concentor cecinit.

Gregor. — Chriſtus eſt Paſcha. — Pſal. 21. — Origen. — Climac. — Beda. Exod 12. Chryſoſt. — Philon. — Nazian. — Rupert. — Pſal. 43.

CAPVT XVII.

Veſpere autem facto, venit cum duodecim.

Opportunum ergo tempus cum appropinquaſſet, & omnia viderentur parata. *Veſpere* diei 14. menſis Martij vigilia diei ſequentis feſtiuæ inchoante, quando, & cæteri iam *facto* fermè diei extremo, aut certè appropinquante *venit* Ieſus gaudens *cum duodecim*, vt Paſcha, quod deſiderio deſideraret, manducaret ſolum cum eis. Expoſitio.

Veſpere autem facto. Eadem enim hora tàm agnum, quàm azima cum lactucis mandabat lex comedi. Et edent carnes, inquit, nocte illa aſſas igni, & azimos panes cum lactucis agreſtibus. De azimo peculiare præceptū datur inferius: Primo menſe quartadecima die menſis ad veſperam comedetis azima vſque ad diem vigeſimam primam eiuſdem menſis ad veſperā. Quantum ad litteram ſit *veſpere*, & inchoatur feſtiuitas, vt qua hora beneficium liberationis acceperant, perſoluerent, & confiterentur ſolemnitate, quoad myſterium in fine diei agnus comeditur; quoniam vbi venit plenitudo temporis, & ſæculi decliua ætas, ac veſpertina, miſit Deus filium ſuum, qui ſub lege maledicti, hoc eſt, mortis factus, nos à maledicto mortis æternæ ſuo ſanguine liberaret. Etiam *veſpere* manducatur agnus, quia ſub enigmate Chriſtum in Sacramento ſumimus, hoc eſt cognitione fidei, quæ nihil niſi in enigmate ſpeculatur. Eodem *veſpere* azimus panis ſumitur, & lactuca, quoniam etſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea. Et coronam patientiæ, quæ in lactucis notatur, repoſitam tantum credimus; in cor autem hominis non aſcendit. Itaque ineuidentia cum ſint, Chriſtus in hoſtia, ſanctitas in anima, & præmiū in cælo; agnus, panis azimus, & lactuca veſpere manducantur. Philoſophantur circà commextionem huius *veſpere* Hieron. & Auguſt. atque alij, ſed quæ præmiſimus videntur probabiliora.

Exod 12. — Gal. 4. — Hieron. Auguſt.

Venit cum duodecim. Solus Marcus, ait Chriſtū *cum duodecim* veniſſe Matt. & Luc. diſcu- Matth 26. Luc. 22.

Digitized by Google

diſcubuiſſe *cum duodecim* referunt. Etenim completis omnibus, quæ erant præparanda, redierunt Petrus, & Ioannes ad Chriſtum, vt cui nuntiarunt omnia eſſe parata, poſt redierunt cùm alijs præeunte magiſtro, & diſcubuerunt: Venit autem cum his ſolum, tùm quod ſacer hic numerus vniuerſam multitudinem includeret; tùm quod Epiſcopi Orbis terrarum, quibus myſteria totius Eccleſiæ, quæ hic peragenda erant, deberent communicari; tùm quoq; vt in gloriæ finem viderentur diligi, qui vſque ad mortem, & vltimum vitæ extremum beneficijs donabantur, ab hoc enim loco, & conuiuio ad mortem ſe Chriſtus contulit.

CAPVT XVIII.

Et diſcumbentibus eis, & manducantibus, ait Ieſus: Amen dico vobis; quia vnus ex vobis tradet me, qui manducat mecum.

Expoſitio.

VEniunt ad legalem cœnam. Cumque vniuerſi lætum agerent feſtum inter gaudia triſte nuntium miſcet Chriſtus. *Diſcumbentibus* enim aliquantiſper *eis, &* ſimul *manducantibus* agni carnes, & alia, quę appoſita erant, *ait* cunctis audientibus *Ieſus* ipſe, in quem læti aſpiciebant: *Amen dico vobis* amicis meis, voſque certo velim ſcire, ac diligenter annotare, *quia*, proh dolor, *vnus ex vobis*, qui tanta recepiſtis, *tradet me* non abſque dedecore, & multorum iactura. Nec quidem longè abeſt traditor, ſiquidem cunctis inſpicientibus *manducat mecum*, eodemque cibo veſcitur.

Et diſcumbentibus eis. videtur hoc aduerſari legi, quæ habet: Sic autem comedetis illum; renes veſtros accingetis, & calciamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis feſtinantes. Eſt enim phaſe, ideſt tranſitus Domini. Vnde ſtantes, non *diſcumbentes* eos eſſe oportebat. Veriſimile igitur primum perfecta ea, quæ ſunt legis, deinde recubuiſſe proprium Paſcha traditurum, ait Theophyl. Quid autem per proprium Paſcha intelligat, non exponit. Non poteſt dici Sacramentum poſtea inſtitutum, cum ſequatur *manducantibus illis*. Euchariſtia enim in fine, lotiſque pedibus eſt inſtituta. Videtur igitur per proprium Paſcha intelligi ſolitum cibum, quem abſoluto legali, ac cæremonijs einſdem, ſumpſerunt *diſcumbentes*. Vnde Arias Montanus ait, *diſcumbentibus, & manducantibus*, ideſt phaſe iam peracto, & cœna communi inchoata, in hac enim diſcumbebant, vt requiem aſſuturam illi, qui ritè phaſe celebraſſet ſubindicarent. Id quod felicius, ac certius ijs, qui cœnam Dominicam digne ſumunt, poteſt promitti. Dignitatem petito ò lector ex manducatione legalis cœnæ. Renes enim accinti caſtitatis ſunt nota iuxtà Origen. hom 31. in Matth. & ſecundum Philon. de ſacrificio Abel, & Cain, gratum animum, & promptum in referendis gratijs ſignant; mihi autem animum à terrenis omninò ſemotum, vt qui cæleſtem accepturus cibum, in cælis conuerſetur, & nihil amplius de terrenis ſapiat, ſi fieri poteſt, nec loquatur, ſed diuina: Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi. Hoc eſt Chriſtus mihi dulciſſimus in cæleſtium contemplatione ſe offert. Baculos tenere eſt, non ſolum vt ſuperius ex patribus diximus, charitatem, fidem, ſpemq. complecti; ſed timorem, quo compellitur communicans ad conſcientiæ munditiam, & conſiderationem malorum omnium, quæ indignè communicanti præparantur. Vnde probat ſeipſum ne iudicium manducet; ſtatuit cultrum in gutture ſuo ad menſam tanti Principis veniens, ne quid immodeſtum, inhoneſtum, aut inutile agat, quod Regi Regum, qui adeſt, intuetur, conſiderat, & notat ſingula, vt ſit teſtis velox, & iudex æquiſſimus, quando tempus iudicij accipiat. Denique feſtinantes eſſe legalium commeſſores (Ambroſ. lib. 1. de Cain. cap. 1.) ſignificat in bono opere promptitudinem, & ſollicitudinem, qua fidelis conuiua Chriſti eſſe debet, vt cum tempus habet, operetur bonum ad omnes. Dum dies eſt, feſtinet ad illam requiem introire. Feſtinus cum Abigail placet Dauid, quem nouit iratum; & oret in monte cum Moyſe, ne iraſcatur Dominus, ſed propitius ſit peccatori ſecundum magnam miſericordiam ſuam, & ſecundum multitudinem miſerationum ſuarum recipiat ſpiritum ſuum in pace. Quoque feſtinantes dicerem, qui nihil præter myſterium, quod tractant, attendunt, totamque intentionem eo referunt. Attentio enim, & intentio neceſſaria ſunt, & celebranti, & communicanti. Ecquid calceamenta in pedibus? Pedibus ſcimus notari affectum rationalem, & ſenſus. Hunc calceat vitæ aſperitas ſecundum Gregor. Nazianz. in vita Moyſi. Illum verò doctrina Euangelij, quam Origen. hom. 6. in Ezech. vocat calceamentū hyacinthinum. Etenim ipſa eſt, quæ nobis pandit iter ante eum, quem ſub nudis ſpeciebus contemplamur. Fidem nos poſſidere facit cum amico, qui tradidit ſemetipſum pro nobis; demumque benignum, & magnificum illum nobis conſiliat. Hinc illud: Doctrina bona dabit gratiam.

Et manducantibus. Manducarunt ergo communes cibos, abſolutis legalibus; eodemque in feſto die duobus ciborum generibus vſi ſunt, vt diem viderentur celebriorem reddere. Vnde antiquitus celebrari conuiuia ſolitum legimus ex inſtitutione Apoſtolica lib. 2. Conſtit. Apoſt. cap. 28. In

diebus

Exod. 12. — Theoph. — Arias Montanus. — Quid renes accincti deſignant. — Orig. — Philon. — Cant. 1. — 1. Cor. 11. — Ambroſ. — 1. Reg. 25. — Pſal. 50. — Gregor. — Orig. — Prou. 13. — Olim conuiuia celebrata in Eccleſia. — Conſtitut. Apoſt.

diebus feſtinis poſt communionem Eccleſiæ. Qua cum abuterentur conuiuantes in Eccleſia, dixit Apoſtolus: Nunquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum, quia Eccleſiam Dei contemnitis? Domibus quidem fuerat inſtitutum conuiuare; diabolus tamen inuexit ſtatutum in locis ſacris, vt profanerentur, non tàm loca, quàm animæ. Propterea Synod. Carthagin. 3. c. 30. & habetur d. 42. Nulli Epiſcopi: Sanxit, vt nulli Epiſcopi, vel Clerici in Eccleſia conuiuentur, niſi fortè tranſeuntes hoſpitiorum neceſſitate illic reficiantur. Populi etiam ab huiuſmodi conuiuijs, quantum fieri poteſt, prohibeantur. Repetitur iiſdem verbis in Concilio Affricano ſub Bonifatio Primo cap. 1. can. 9. Itaque non in Eccleſia, ſed poſtquam ſacra in Eccleſia acta ſunt licet domibus conuiuare, vt quemadmodum communione Euchariſtiæ animum illuſtratum credimus, ita corporis aliquantiſper indulgeamus, ſed in Domino ſemper.

1. Cor. 11.

Synod. Carthag. 3. c. 30. & d. 42. c. Nulli.

Conc. Affric.

Ait Ieſus. Non quidem ex mœſtitia, quam ei mors inferret, ſed perditio diſcipuli; neque deſiderio ſuæ liberationis, quia voluntariè, inquit, ſacrificabo tibi; neque animo detegendi ſcelus, & ſceleſtum, ſed monendi gregem, vt ſemper caueret à domeſticis; erudiendi in timore, ne in lætis iacturam faceret; & animo denique conſeruandi Apoſtolos ſuos in iuſtitia, ait publicè quod occultum erat, vt quoties recordarentur omniſcientiæ eius, cautiores in operibus ſuis fierent, & quaſi ad oculum Domini ſeruientes, in iuſtitia, & veritate perſeuerarent.

Pſal. 53.

Amen dico vobis. Et hic quoque notanda eſt nota iuramenti *Amen*, & certæ affirmationis. Non vt aſſentiamur Luthero dicenti peccatum Iudæ neceſſario fore, neceſſarioque Iudam peccaſſe, quod certè præuideretur, pronuntiaretur futurum, cauſamque haberet Deum. Hocenim impijſſimum eſt, & ſummum piaculum tale quid arbitrari. Deus bonus bona omnia facit in tempore, & nihil mali, quia non vult mortem peccatoris, nec in perditionem eius delectatur; quin facit, vt conuertatur, & viuat, Pater cum ſit, & Dominus, qui in multitudine filiorum, ac populi honoratur, & gloriatur. Etiam in iuſtitia, quam in ingratos exercet, & peccatores, qui non coacti, ſed voluntarij peccant. Præuidentur tamen eorum acta mala, non vt neceſſitatem imponant, ſed vt ſciamus nihil latere ſupremum agentem. Igitur ait, *amen dico vobis*. Hoc eſt, pronuntio peccatum futurum certo, quod ipſe præuideam, non efficiam; ſed *amen dico vobis*, hoc eſt conteſtor mortem meam futuram, perfido domeſtico. Itaque hiſce inuolui paſſionis ſuæ certitudinem, & decretum firmum à Deo dicamus, caſum autem Iudæ voluntarium, & ſpontè ab eo tentatum.

Ezech 33.

Quia vnus ex vobis tradet me. Et quomodo ex vobis vnus iam adhæſerat Sacerdotum Principibus, & propoſuerat, ac ſpopónderat Chriſtum traditurum? Erat quidem iam tunc ex patre diabolo, quouſque tamen fieret anathema proprio ſuſpendio, inter Sanctos Dei computatur. Quare argumento hoc Ioann. Huz confodiamus. Ait enim reprobatos non eſſe de Eccleſia, ſed ſolos prædeſtinatos. Ecquis Iudæ maiori reprobatione dignus? vtcunque *ex vobis*, Apoſtolis, *ex vobis* Sanctis, & *ex vobis* Eccleſiæ Princeps vnus dicitur, numero quipem, non meritò.

Error Huz.

Qui manducat mecum. Vt alluderet ad oraculũ quod de proditore Pſaltes deſcripſerat: Etenim homo pacis meæ, in quo ſperaui, qui edebat panes meos, magnificauit ſuper me ſupplantationem, vel iuxtà Hieron. ex Hebræo verſionem, ſeruauit contra me plantam. More indomiti equi, & effrænati, qui multis retromiſſis calceis ſeſſorem impetit, quaſi maior effectus. Iuxtà igitur hanc metaphoram, vertit Hieron. Tametſi Vulgata hoc in loco proprius ad hebræam vocem accedat. Eſt enim הגדיל higdil à verbo גדל gadal, quod eſt magnum fieri, creſcere, Vnde magnificauit iuxtà Hebræum melius vertitur, quàm leuauit, & leuauit facilitat intelligentiam oraculi, quo Hieron. tendit. Quemadmodum, & Chaldæa paraphraſis ad cauſam ſupplantationis, dum pro ſupplantatione habet aſtutè. Aſtutia enim generat auaritiam, dolum, & perditionem; itaque oraculum inſinuare volens Chriſtus, ait: *Qui manducat mecum*. Etiam vt crudelioris hoſtis naturam deſcribat. Ecce inquam eum, qui immemor eſt beneficiorum, & amicitiam ſimulat, communi menſa vtens, & familiari colloquio iuxtà illud: Sicut noxius eſt, qui mittit ſaggittas, & lanceas in mortem, ita vir, qui fraudulenter nocet amico ſuo. Verumtamen qui peruerſis graditur vijs concidet ſemel. Vnde, ſcilicet, non poterit amplius ſurgere, neque leuare caput in inferni baratrum præcipitatus.

Pſal. 40.

Hieron.

Varia lectio

Eius ratio.

Prou. 28.

CAPVT XIX.

At illi cœperunt contriſtari, & dicere ei ſingulatim: Nunquid ego?

TAmetſi communis ſermo neminem tangat, niſi quem agit, & timidos, & amantes facilè perturbat; quocunq; modo audire, quod lædit amicitiam, atque diſturbat. Quamobrem auditis Chriſti ſermonibus *illi*, qui tenerè diligebant magiſtrum, eiuſque erant veri diſcipuli, *cœperunt* perturbari intra ſemetipſos, & *contri-*

Expoſitio.

ſtari

ſtari vehementer. *Et* quia nō eos reprehendebat conſcientia ſtatuerunt *dicere ei*, non per vnum, vt alias ſæpè, ſed *ſingulatim* reſpondere: *Nunquid ego* ſum proditor, & ingratus, & immemor tantorum beneficiorum?

At illi cœperunt contriſtari. Et hoc Chriſtus volebat, non ſolum vt triſtitia charorū incitaretur hoſtis ad reſipiſcentiā, ſed vt amici legē amicitiæ obſeruarēt, cōgaudere gaudēti, & cōtriſtari triſti. At Chriſtus dixit:

Marc. 14.
Thren. 1.

Triſtis eſt anima mea vſq; ad mortē: O vos omnes, qui tranſitis per viā attendite, & videte ſi eſt dolor, ſicut dolor meus. Quoniam vindemiauit me, vt loquutus eſt Dominus in die iræ furoris ſuæ. Vindemiauit quidem, quia abſtulit omnes magnificos meos Dominus; hoc eſt, amici mei, & noti mei receſſerunt à me, vocauit aduerſus me tempus, vt contereret electos meos; hoc eſt, in tempore hoc, quod vſquequaque aduerſum videtur, fratres mei ſcandalum patientur. Denique torcular calcauit Dominus virgini filiæ Iuda. Quoniam in me quaſi vuæ in torculari, omnium iniquitates poſuit, & peccatores: atqui torcular calcaui

Iſai. 63.

ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum.

Leuit. 23.

Propterea anima, quæ afflicta non fuerit in die hac, peribit de populo meo. Idcirco ait Apoſtolus, diſcipulus, & qui ſaluari deſiderat:

Thren. 1.

Ego plorans, & oculus meus deducens aquas, quia longè factus eſt à me conſolator conuertens animas. Et quo abijt dilectus meus? ad mortem, ad gladium, ad famem, vt ſitiat, nec ſit, qui linguam refrigeret; vt corpus det percutientibus, nec inueniatur, qui abluat ſanguinem; vt auferatur iuſtus de terra, nec ſit, qui recogitet, ſed acclament circundantes: Deus dereliquit eum: Quia filium Dei ſe facit; Deus percuſſit eum, quia ſeductor eſt; & Deus dedit in manibus noſtris, vt probemus patientiam eius, & linguis, atque tormento interrogemus eum, & eradamus de terra viuentium. Hæc & ſimilia, quæ vniuerſorum Rex ſuſtinuit à proprijs ſubditis, Pater à filijs, &

Quid ſuſtinuerit Chriſtus ab ingratis?
Iſai. 57.
Thren. 1.

Deus à creatura vanitati ſubiecta. Memoria memor ero, & tabeſcet in me anima

Ierem 9.

mea, dicamq; Quis dabit capiti meo aquā, & oculis meis fontem lachrymarum, vt plorem die, ac nocte, dum dicitur mihi vbi eſt

Pſal 41.

Deus tuus, niſi in maledicto Crucis? Vbi eſt dilectus tuus, niſi in manibus inimicorum ſuorum? Vbi eſt, qui te genuit, niſi inter anguſtias? Sic vult Dominus ſuos in hac die

Pſal. 125.

contriſtari, & qui ita ſeminat in lachrymis, in benedictione metet. Propterea Conſtit.

Conſtitut. Apoſt.
Ieiuniū Feriæ ſextæ paraſceue, & Sabbati ſancti ex Conſtit. Apoſt.

Apoſt. lib. 5. cap. 17. habet. Abſtinete his diebus vino, & carne, dies quippe luctus, & non feſtini ſunt. Sexta tamen Feria, & Sabbato ex toto manete ieiunio, qui ita firmi eſtis, vt ferre poſſitis, nihil prorſus guſtantes, vſque ad nocturnum galli cantum. Si quis verò propter imbecillitatem vtrunque diem coniungere non poterit ſaltem ſabbatum ſeruet: ait enim Dominus de ſe: Quando ablatus eis fuerit ſponſus, tunc ieiunabunt in diebus illis. Eſt quidem ieiunium triſtitiæ ſignum, & compaſſionis.

Et dicere ei ſingulatim. Quoniam etſi in Iuda proditore non erat alius quiſquam ſingularis, quia ſolus perpetrauit venditionem. Erant tamen *ſingulatim* quiſque eorum in Adam, qui cauſam præbuit mortis Chriſti. Mortuus eſt enim Chriſtus propter

Iſai. 53.

delicta noſtra, attritus eſt propter ſcelera noſtra. Cum ergo mortis demolitio (ſcribit Cyrillus lib. de recta in Chriſtum fide ad

Cyrillus.

Imperatorem) humanæ naturæ facultatem ſuperaret, nam per vetus maledictum ad eam deducta erat calamitas, vt neceſſario mortis imperio obnoxia teneretur, oportuit, vt viuificum Dei verbum natura morti obſtricta, hoc eſt, noſtra humana ſeſe indueret, quo mors efferatæ cuiuſdam belluæ inſtar propriam illius carnem adorſa à tyrannide, quam in nos exercebat, velut à Deo iam debellata in poſterum deſiſteret. Itaque quia pro ſingulis mortuus eſt Chriſtus, conueniebat, vt ſinguli quaſi manus proprias tenentes ſuper hoſtiam, quæ pro peccato offerebatur, dicerent.

Nunquid ego? Ecquid, nunquid ego? Non quidem proditor, ſed *nunquid ego* tecum tradar, nunquid tecum moriar, ac tecum patiar? Charitas enim Chriſti vrget nos, ſic dicere: Æſtimantes hoc, quoniam ſi vnus

1. *Cor.* 5.

pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, vt & qui viuunt, iam non ſibi viuant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit? Id autem erit ſi efficaciter cum Chriſto, & paſſi, & mortui fuerimus. Cæterum quia abſconditum eſt nobis myſteriū, conemur dicere: *Nunquid ego?* hoc eſt orare, & deprecari fieri vnum ex membris, quæ in ipſo mortem, & paſſionem efficaciter ſuſtinuerunt. Sufficienter enim in Chriſto omnes mortuos eſſe peccato, & viuificatos gratia plenè credimus. *Nunquid* tamen *ego* efficaciter in eo mortuus fuerim, & ſuſcitatus, ignoro.

Omnes in Chriſto mortui ſunt peccato quantū ad ſufficientiam.

Si nudæ litteræ ſenſum quærimus, aliud ſibi vult *nunquid ego?* vtpotè ero is, qui te tradet. Tametſi tunc non arguentur conſcientia propria, fragilitati, & volubilitati naturæ, quæ prona eſt ad malum ab

Gen. 8.

adoleſcentia ſua, timebant. Tum maximè, quod oraculum, cui plus, quàm ſibi credebant, audirent. Et nos quoties audimus, vel peccatum agi, vel pœnam induci oportere, dubitemus ſi fortè ij ſimus, de quibus prædicitur, & in quos animaduerſio graſſabitur. Quia omnes peccatores ſumus nimis digni plagam Domini ſuſtinere.

CAPUT

CAPVT XX.

Qui ait illis: Vnus ex duodecim, qui intingit mecum manum in catino.

Expoſitio.

RESpondet benignus, & ſapientiſſimus magiſter Diſcipulis, qui tanto cum affectu, & mœſtitia pleni percontarant conſcientiæ nodum diſſolui, & animum hac in parte adaperiri, *aitque illis*. Non omnes vos eſtis criminis rei, ſed *vnus*, & quidem peſſimus, & ſceleratiſſimus mortalium, qui *ex duodecim* nunc eſt. Cæterum ne videamini omnes taxari, & obiurgari, ac vobis crimen imputari, quod nec cogitabimini, inſpicite diligenter, quid quiſquam agat: Nam *qui* præceps, & auide nimis bucellam panis *intingit* in pulmento, & nunc *mecum manum* tenet *in catino*, vt retrahat cibum in os, is eſt infelix.

Qui ait illis. Vt, ſcilicet, alleuiet mœſtitiam, quam animo conceperant, neque pluſquam oportet triſtentur. Quia ſpiritus triſtis exiccat oſſa. (Prou 17.) Chriſtus autem non exareſcere volebat ſuos, ſed ætatem floridam, ac iuuentutem in eis renouari, aſſumens ipſe ſibi ariditatem in morte, quam pro nobis ſuſtinuit. Ergo *ait illis*, vt interim mœrorem deponant, qui mortem non fecerunt, neque conantur vitam morti tradere cum peccatore blaſphema, & proditore.

Vnus ex duodecim. Scilicet eſt proditor, ſed enim ex geſtu intemperātiſſimo, ex facie commutata, ex oculis inquietis, & palpebris erectis, ex ore inhiante, ex naribus ſanguinolentis, ex capite meditabundo, ac toto corpore ritorto ſatis notiſſimo. (Deſcriptio proditoris.) Nam peccatum, quod vt vermis conſcientiam rodit, & vt romphæa bis acutà viſcera perforat, non poteſt celari, quin velut peſtifer morbus exterius ſui ſpecimen indicet. Iuxtà illud: Agnitio vultus eorum reſpondebit eis: Facies combuſtæ vultus eorum. (Iſai. 3.) Nabuzardam enim princeps cocorũ, poſtquam templum inflammauit minimè ciuitati pepercit, quin eam ſuccendit. (Ierem 52.) Templum eſt anima, quam diabolus primo per peccatum concremat, poſt concremationis participem facit totum hominem, vt qui ſpiritualis eſt, ex geſtis miſeri hominis, facilè omnia dijudicet mala, quæ peccatum infert poſſeſſori.

Qui intingit manum mecum in catino. Tribus ſignis vult Iudã agnoſci; in tinctione, nec cum alio niſi ſecum, nec alio, quàm in catino. Eſt autem catinus vas immenſum, quo pultem aut virulenti quid ponebant à capiendo appellatum, inquit Ambroſ. Calepinus, vel ſecundum Pliniũ lib. 33. cap. 44. vas in quo metalla purgabantur. (Calepin. Plin) Eſt autem is ſecundũ Origen. ho. 25. in Matth. (Origen) legis littera, in qua intingens ſolum facillimè deprehenditur reus, hæreticus, ſchiſmaticus, atque peſtifer, quia littera occidit, (2. Cor. 3.) cum, ſcilicet, qui nudam litteram abſque contextu, qui corticem ſolam Scripturæ ſine elucidatione Patrum quærant, ſeu potius abſque interpretatione Spiritus ſancti, qui vera annuntiat, & interpretatur per ſanctos Dei homines, atque doctores, qui afflati ſancta loquuntur, quodque deteſtabilius cum Chriſto dicunt tenere *manum in catino*, & intingere bucellam; hoc eſt Chriſti intelligentiam tenere, & proferre ſententiam. (Nõ eſt quærenda interpretatio Scripturæ ſine ſenſu Patrũ.) Itaque tria accipito ſigna dignoſcendi hæreticum; cum frequentat nudam Scripturæ litteram, quæ hæreſi deſeruiat; cum tantum *intingit*, hoc eſt, leuiter nullos Patrum, & Conciliorum ſenſus curat, & cum tertio frequentat ſe tenere cum Chriſto, eiuſque verba, atque myſteria perloqui, ac denudare. (Signa cognoſcendi hæreticum.) Nec ob aliud ſunt hæretici, inquit Auguſt. lib. 2. de Gen. ad lit. c. 9. (Auguſt.) niſi quod eas, ſcilicit Scripturas, non rectè intelligentes, ſuas falſas opiniones contra earum veritatem peruicaciter aſſerunt. Vnde Leo Papa ad Flauianum epiſt. 10. cap. 1. (Leo.) contra Euthichetem. Quid iniquius, quàm impia ſapere, & ſapientioribus, doctioribuſque non credere? Sed in hanc inſipientiam cadunt, qui cum ad cognoſcendam veritatem aliquo impediuntur obſcuro, non ad propheticas voces, non ad Apoſtolicas litteras, nec ad euangelicas auctoritates, ſed ad ſemetipſos recurrunt. Sed ideò magiſtri erroris exiſtunt, quia veritatis diſcipuli non fuere.

CAPVT XXI.

Et filius quidem hominis vadit, ſicut ſcriptum eſt de eo: Væ aut homini illi; per quem filius hominis tradetur:** Bonum **erat ei, ſi non eſſet natus homo ille.

Expoſitio.

CÆterum, quod per diſcipulum proditorem, tantà mihi videantur mala accidere, præmium incomparabile conſiliabitur patienti. Etenim *filius* Deì, qui & *hominis* factus eſt per aſſumptam humanitatem, *vadit* ad paſſionem, & mortem voluntariè, vt fructum ferat, qui maneat in vitam æternam, *ſicut ſcriptum eſt* in Prophetis, & Pſalmis *de eo*. *Væ autem*, & omne maledictionis genus paratum eſt *homini illi* miſerrimo ſupra natos mulierum, *per quem* tàm præpoſterè *filius hominis*, qui tàm ei, quàm reliquos continuò benefecit, *tradetur*, vt crucifigatur. *Bonum* quidem, ac multo melius *erat ei*, ſi in hoc mundo *non eſſet natus homo ille*. Sed ex vtero tranſlatus ad tumulum, vel nunquam conceptus de muliere.

Et fi-

Et filius quidem hominis. Et quidem cum eſſet Dei, factus eſt *filius hominis* ex ſemine Dauid ſecundum carnem, vt in carne ſuſtineret aduerſus ſemetipſum contradictionem, & humiliationem vſque ad mortẽ probroſam, & ignominioſam, quæ ſceleratis, & maledictis impoſita erat, mortem
Diuinitas nõ eſt paſſa. inquam Crucis: Hanc ſuſtinens in carne nihil paſſa eſt diuinitas. Neque enim in
Gen. 22. Iſaac, ſed in arietem extendit Abraham
Leuit. 14. manum; neque altero paſſere, & capro ex-
Leuit. 16 tinctis, libertas ſocijs tollebatur. Etſi arca
Gen 7. pluuiam quadraginta diebus ſuſtinuerit, columbam pulchram, non imber, non grando, non procella, nec quicquam graue teti-
Exod 36. git. Seruabatur tabernaculum ſuo decore illuſtre, tametſi cortinæ deſuper ſilicinæ, præ niue, glacie, & intemperie albeſcerent, rumperenturque. Potuerunt quidem portantes oraculum Domini capi, & mori; quid autem arca moleſte tulit? Quinimo maiorem, quám vnquam reportauit gloriam pro-
1. Reg. 5. ſtrato Dagon, & afflictis ſuis cultoribus. Hæc eſt diuinitas, quæ tũc magnificè viſa eſt operari, quando humana Chriſti capta ſunt, percuſſa, & afflicta; tunc pan ille, qui & Lucifer princeps malorum, victus eſt, depoſitus, proſtratus, cultores autem eius de terra funditus ablati. Itaque ne currat plus æquo oratio, *filius hominis*, hic memoratur, vt ſecundum humanitatem credamus, quæ ſequuntur, probroſa ſuſtinuiſſe, ſecundum verò diuinitatem, nihil; quicquid Brentius hæreticus dogmatizet; contra ea, quæ retulimus, & expreſſam Pauli ſententiam:
Heb 11. Chriſto igitur in carne paſſo, & vos ea łem cogitatione armamini, quia qui paſſus eſt in
Theod. carne deſijt à peccatis. Quare inquit Theod. lib. de Dei prouid. vtraque natura ſincera permanſit. Altera quidem infirmitates, quæ ad eam pertinebant, perpeſſa, famem videlicet, ſitim, ſomnum fatigationem, Crucem, interitum. Altera verò, quæ ſunt diuinitatis efficiens, ſibiq. conſuetis illuſtrata miraculis, demum pedes perambulando mari habiles fecit, ac panes quinque ſatis eſſe iuſſit multis hominum millibus ad ſaturitatem paſcendis. Videmus itaq; ſubdit Ter-
Tertull. tullian. lib. adu. Praxeam, duplicem ſtatum, nõ confuſum, ſed coniunctum in vna perſona, Deum, & hominem Ieſum. De Chriſto autem differo. Et ideò ſalua eſt vtriuſque proprietas ſubſtantiæ, vt & ſpiritus res ſuas egerit in illo; ideſt virtutes, & opera, & ſigna; & caro paſsiones ſuas functa ſit eſuriens ſub diabolo, ſitiens ſub Sammaritide, flens Lazarum, anxia vſque ad mortem, denique & mortua eſt.

Vadit ſicut ſcriptum eſt de eo. Vtpotè
Pſal 21. Pſalm. 21 Iſai. 53. 53. Dan. 9. Oſe. 13. & alijs
Iſai 53 53. pleriſque in locis oraculorum Dei, tùm
Dan. 9. *ſcriptum eſt* clarè moriendum fore Chri-
Oſea 13. ſtum, tùm præfiguratum in geſtis, & actis priſcorum, quod Chriſtus, quæ mox credimus de paſſione, & morte, ſuſtinuiſſe, non quia Iudæi ſtatuerunt; ſed quia Deus ordinauit; non quod Iudas fuerit proditor, ſed quod Spiritus ſanctus ſcripſerit: non deniq; quod hominum malitia præualuerit, ſed quia ipſe voluit. Ait itaque, *ſicut ſcriptum eſt*, vt mortem ipſam, & paſsionem, ſtatuto patris, & voluntati propriæ, non potentiæ, neque arti alicuius creaturæ demus; ſed malitiam, qua miniſtri in Chriſtum vſi ſunt, dicamus Iudæ, & cæterorum, qui actis interfuerunt. Quoque *ſcriptum eſt* dicit vt conſoletur ſuos, qui contriſtabantur. Porrò & propter Iudæos, qui non credunt, nec veniſſe Chriſtũ, nec pati oportere, cum veniet ille, quem deſiderant, addidit *ſicut ſcriptum eſt*. Nam qui Scripturas fuerit perſcrutatus, manifeſtum de eo, & actis eius teſtimonium ſole lucidius adinueniet; ſi tamen cum ijs, quæ modo Iudæi patiuntur ſecundum Origen. lib. 1. periarch. Origen.
oracula contulerit. Nota verbum, *vadit*, quod pro mori accipitur, vt alibi: Vado ad Ioan. 7.
eum, qui me miſit, & nemo ex vobis interrogat me, quo vadis? *Vado*, & venio ad vos. Vadimus autem ſpontè ad deſideratum fi- Vadere pro
nem, ſic & Chriſtus moriens, & qui in Chri- mori.
ſto moritur, non propriè mori: ſed vadere, aut ſomnum capere dicendus eſt.

Vae autem homini illi per quem filius hominis tradetur. Per væ maledictionem, interitum, & damnationem Iudæ prænuntiat Chriſtus, quam Petrus vocat locum ſuum. Non quod infernus, & ignis eius dici de- Act. 1.
beat, damnati hominis, cum veritas dicat paratum diabolo, & Angelis eius: ſed quod Matt. 25.
vltroneus, & ſpontaneus viſus fuerit, qui peccat, talem locum, ac ſi ſuum eligere, & cum inferno, ſicut cum morte animæ fœdus iniſſe. Inde Cainanos confode, qui Iudæ Cainan. hęr.
ob traditionem, non maledictionem, ſed benedictionem, & beatitudinem æternam prædicabant datam.

Bonum erat ei ſi non natus eſſet homo ille. Hoc dictum eſt, inquit Theophyl. pro- Theoph.
pter pœnã, qua cruciandus erat Iudas. *Melius* eſt omninò non quantum ad talem pœnam naſci. Igitur quantum ad finem attinet, melius videtur omninò ſi non fuiſſet Iudas, quod, ſcilicet ſubdit Gagnæius ſatius Gagnaeus.
illi fuiſſet non naſci, & in vtero materno mori, quàm tale perpetraſſe flagitium, non quia *natus* eſt malus: ſed quia effectus eſt, ſed cum liberum haberet arbitrium ignauia torpuit, & mentis nequitia, ac prauitate voluntate malus euaſit. Itaque, inquit Zachar. Chryſopol. pœna prædicitur, vt qui Zachar.
pudore non vincitur, timore corrigatur. Vnde Leo Papa ſerm. 7. de paſsione Iudam Leo Papa.
ſic alloquitur: Redi in integrum, & depoſito furore reſipiſce. Clementia inuitat; ſalus pulſat; ad vitam vita te vocat. Ecce immacu-

immaculati, & innocentes condiſcipuli tui, ad ſignificationem facinoris pauerunt, & omnes ſibi non adito impietatis auctore formidant. Contriſtati enim ſunt non de conſcientiæ reatu, ſed de humanæ mutabilitatis incerto. Timentes ne minus verum eſſet, quod in ſe quiſque nouerat, quã quod ipſa veritas præuidebat. Tu autem in hac trepidatione Sanctorum abuteris Domini patientia, & abſcondi te credis tua audacia. Sic alloqui poſſumus obduratum hominem, quouſque commutationem audimus, nec in effectum produxiſſe ſcimus. Nam durante comminatione poteſt homo pœnitere, & ab eo, quem offendit, in gratiam recipi.

CAPVT XXII.

Et manducantibus illis accepit Ieſus panem, & benedicens fregit, & dedit eis, & ait ſumite: Hoc eſt corpus meum.

Expoſitio.

DEnique non valens hiſce monitionibus Iudas corrigi dimittitur ire ad deſideria cordis ſui mali, & adhuc *manducantibus* reliquis, *illis*, inquam, qui vitam Chriſto parati erant non adimere, ſed Chriſto offerre; *accepit* in ſanctas, ac venerabiles manus ſuas, *panem* azimum, quo veſcebantur, & eleuatis oculis in cælum; vnde omne donum optimum, *benedicens*, quem tenebat præſentem panem, & contractabat, benedictum *fregit*, & fractum iuxtà numerum manducantium, *dedit eis* propria manu extenſa in os ſingulorum, & dans, *ait* illis clara, & ſonora voce: *ſumite* ò diſcipuli mei, quod vobis offero pabulum; *ſumite*, dico, iterum, & mente: Nam quod in communi ſpecie, & vſitata inſpicitis, non eſt, qui apparet panis, ſed, *hoc eſt corpus meum*, quod viſibiles ſpecies obuelant.

Non cõmunicaſſe Iudã opinantur.
Clem. Rom.

Et manducantibus illis Prætermittit hoc loco Marcus ablutionem pedum, & Iudæ receſſum. Nam vt pleriſque placet præſertim Clem. lib. 5. Conſtit. Apoc. cap. 13. 26. Iudas non interfuit ſacræ communioni. Id quod etiam Dionyſius de Eccl. Hier. c. de communione deponit: Dignus enim, ait Hilar. pi-cta. can. 30. in Matth. æternorum Sacramentorum communione non fuerat. Quod his potiſſimum videntur obſtare eſt Eugenij decretum extr. de offic. ord. c. Sacerdos vbi ſtatuens. Reum, cuius peccatum eſt occultum, non poſſe à cõmunione reſecari, exemplum affert Iudam, quem Chriſtus cum alijs ſuo corpore conſecrato donauit. Verumtamen reſponderi ſolet. Primum benè ſtatuiſſe, vt Pontificem; exemplum autem ex ſua opinione, quæ in Pontificibus nonnunquam, à vero viſa eſt diſcordare, adduxiſſe, Quo-

Dionyſius Areopag.
Hilarius.

Contraria opinio.
Eugen. Pap.

que obijci ſolet Iudæ traditam eſſe buccellam panis. At hanc aliud à Sacramento fuiſſe Iulius Papa deponit, & Synod. Brach. 3. c. 1. Immo ex Euangelica lectione clarè conſtat. Nam intinctam refert Ioan. datam eſſe; at Sacramentum minimè intingebatur. Vnde quia buccella ſumpta ſtatim exijt ſecundum Ioan. ex eodem conſtat non interfuiſſe ſacræ Communioni. Itaque adhuc *manducantibus illis* communẽ Cœnam, receſſit Iudas, poſt cuius receſſum Chriſtus auſpicatus eſt myſterium.

Iulius Papa.
Syno Bracharen.

Accepit Ieſus panem. Quo veſci licitum erat, vtpotè azimum. Hunc autem accepit ſecundum Iren. lib. 4. c. 32. ſuis diſcipulis dans conſilium, primitias Deo offerre, ex ſuis creaturis, non quaſi indigenti, ſed vt ipſi, nec infructuoſi, nec ingrati ſint, cum, qui ex creatura panis eſt, accepit. Accipit quoque panem, vt ſe Sacerdotem, ſecundum ordinem Melchiſedech, qui panem obtulit, declararet. In Sacerdote enim Melchiſedech, ait Cyprian. ad Cæcil. epiſt. 63. ſacrificij Dominici Sacramentum præfiguratum videmus, ſecundum quod diuina Scriptura teſtatur, & dicit: Et Melchiſedech Rex Salem protulit panem, & vinum. Fuit autem Sacerdos altiſſimi, & benedixit Abraham. Quod autem Melchiſedech Chriſti typum portaret, declarat Spiritus ſanctus in Pſalmis, & perſona Patris ad filium dicentis: Ante Luciferum genui te: Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Qui ordo vtique hic eſt de ſacrificio illo veniens, & inde deſcedens, quod Melchiſedech Sacerdos Dei ſummi fuit, quod panem, & vinũ obtulit, & Abraham benedixit. Nã quis magis Sacerdos Dei ſummi, quàm Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui ſacrificiũ Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idẽ, quod Melchiſedech, ideſt panem, & vinum; ſuum, ſcilicet, corpus, & ſanguinẽ? Non quod accipiens panem conſecraret, nec corpus offerret ſuum, ſed vt materiã Sacramenti in primis declararet fore panem, Hoſtiã mundam, vbique nomini ſuo offerendam; præterea, vt finẽ Sacramenti initio in pane oſtenderet, eſſe, inquam, vnionem ſpiritualem in cunctis ſumentibus generare. Panis enim quod vnum eſt aggregatione multorum, quæ nihil hic videntur in tertio relinquere. Nam granum non apparet, aqua non cernitur, neque ignis, quo excocta eſt maſſa illa; ita relictis, quæ vult propria de vtero matris, & à natura iræ, quã ab Adam contrahimus, per virtutem Sacramenti vnimur mutuò, & in naturã celeſtẽ transformamur, quia primus homo de terra terrenus, ſecũdus homo de cælo cęleſtis. Hinc Ignatius ep. 14. obediẽtes Epiſcopo, & Presbytero frangẽtes panẽ vnũ, quod pharmacũ immortalitatis eſt, mortis antidotum, vitam quoq; Deo cõcilians, per Ieſum Chriſtũ medicamẽ-

Irenæus

Gen. 13.

Cyprian.

Melchiſedech typus Chriſti.
Pſal. 109.

Ignatius.

Digitized by Google

tum purgans vitia,& omnia pellens mala.

Et benedicens fregit. Non quidem vocali benedictione, qua conſecraret,vel ſpirituali, & mentali, vt Innocent. lib. 4. de off.Miſſ. c. 6. viſus eſt ſentire. Etſi auctor Sacramentorum Chriſtus poteſtatem excellentiæ non habeat dependenter à Sacramentis,quin poſſet alia,quæ conſtat forma,conſecrare, nihilominus ea vſum, quæ inferius exprimitur,traditio affirmat, & Patres, atque Cõcilia. Vtpotè Nicæn.actio.6.tom.3. & Florentinum. Benedixit ergo pro more, vel ſpiritu, quod probabilius creditur, vel vocali benedictione, vt confiteor; gratias ago,vel benedico te Pater; tametſi non exprimatur,ſicut nec pleraque alia.Iam enim alias formam ſuæ benedictionis expreſſerat, vt confiteor tibi Pater. Pater gratias ago tibi,&c. Qua formula vſum arbitrantur ſic,qui benedictionem hanc interpretantur gratiarum actionem, quam conſecrationi præmiſit. Vnde quod ſequitur, *fregit*, per anticipationem dictum volunt. Siquidem panem benedictum primò integrum conſecrauit, poſt conſecratum *fregit*.

Innocen. *Nic. Conc.* *Matt.11.* *Ioan.11.*

Fregit itaq;panẽ iã in corpus tranſubſtantiatũ.*Fregit* quidem in partes, ſpecies,quæ patebant,non corpus, quod latebat. Vnde de conſecr. d.2. c. qui manducat: & alijs ex Auguſt.ait Gratianus:Per partes manducatur,& manet integer totus. Et Hieron. ſermo Dom. 5. poſt Epiphan. Singuli totum accipiunt Chriſtum Dominum, & in ſingulis portionibus totus eſt. Eadem ratio eſt (ſubdit Hilarius) in corpore Domini, quæ in manna, quod in eius figura præceſſit, de quo dicitur, qui plus collegerat, non habebat amplius, ita tamen, quod in hoc Sacramento,ait,Synod.Flor. totus Chriſtus continetur ſub ſpecie panis, & totus ſub ſpecie vini,ſub qualibet quoque parte Hoſtiæ conſecratæ, & vini conſecrati, ſeparatione facta,totus eſt Chriſtus.De quo ſenſu,ait Euſebius Emiſſ.hom.5.de Paſchate:Apoſtolica ſententia deriuata eſt deinceps;qui multa non abundabit, & qui modicum non minorabit. Idem igitur(infert.Baſil.Magn. in ep. ad Cæſaream Patritiã)eſt virtute,ſiue vnam partem accipiat quiſquam à Sacerdote,ſiue plures partes ſimul. Denique contra Hæreticos,Lutheranos, Sacramentarios, & ſimiles, qui hoc denegant, concludamus cũ Synod Trident.Si quis negauerit in venerabili Sacramẽto Euchariſtiæ,ſub vnaquaq;ſpecie, & ſub ſingulis cuiuſque ſpeciei partibus ſeparatione facta totum Chriſtum contineri. Anathema ſit. Quod autem Chriſtus fregerit conſecratum, & non ſingulis ſuum panis fruſtrum conſecrauerit,vt nobis eſt ſolitum fieri, factum crediderim, vt indicaret ſe corpus tradere paſſibile, licet modo impaſſibili fractis ſpeciebus communicat Sacramentum,etiam poſtquam amplius non moritur,vt Diſcipulis Emaus proficiſcentibus, qui cognouerunt eum in fractione panis,vt ad memoriam mortis ſuæ, quam multipliciter fractus eſt,aduerterent, & conſecrari, & dari quoque, vt ad fractionem ſui,cum eo,quem ſuſciperent,excitarentur:Eſt enim efficax præparatio,Chriſti mortem meditari,ad eius immitationem lachrymari,dolere,& tàm corpore,quàm animo affligi. Cæterum cum ſpecies abſque ſubiecto, & materia ſint, nihilque à materia ſemotum ſecundum Phil. lib. 4. phyſ. de vacuo, diuidi poſſit, ſollicitos reddit Richard. S.Thom. Mag.d.12. 4. Et alios in quo fundetur fractio illa ſpecierum. Num in qualitate, quæ in quantitate fundamentum habeat. An in quantitate ſola. At Scotus hoc in myſterio nihil præter ſtatutum Dei, qui ſic voluit, admittendum cenſet.

De conſ. d. 2. *Auguſt.* *Gratian.* *Hieron.* *Hilar.* Manna figura Euchariſtiæ. *Conc. Flor.* *Euſeb.* *Baſil.* *Trident.* Chriſtus integer ſub ſingulis ſpeciebus, & ſpecierum partibus. *Luc.24.* *Phil.4 phyſ.* *Ricchar.* *S Thom.* *Mag.* *Scotus.*

Et dedit eis. Minimè verò antequam conſecrationis verba proferret,quę ſequuntur.Illis enim prolatis, & facta tranſubſtantione,*dedit eis*.Neque *dedit eis*,vt inde quiſque inferret, vt ſactitant Hæretici hoc Sacramentum in ſolo vſu conſiſtere, neque permanere. Inſaniunt (ait Cyrill.Alexand. lib. ad Caloſyrium Epiſcopũ Arſenoiten.) qui hoc aſſerunt. Neque enim alteratur Chriſtus, neque ſanctũ eius corpus immutatur; ſed benedictionis vis, ac facultas, & viuificans gratia perpetua in ipſo exiſtit. Dico,gratiam,id ipſum Chriſti corpus;quia iam non in figuris (ſcribit Origen. hom.7. in Num.) & in imaginibus, ſicut prius;ſed in ipſa ſpecie veritatis agnoſcitur, & quæ prius in enigmate deſignabantur, nunc in ſpecie, & veritate complentur, antea in enigmate fuit baptiſmus in nube, & mari, nunc autem in ſpecie regeneratio eſt in aqua,& in Spiritu ſancto.Tunc in enigmate erat manna cibus, nunc autem in ſpecie caro Dei verbi eſt, & verus cibus, ſicut & ipſe dicit: Quia caro mea verè eſt cibus,& ſanguis meus verè eſt potus. Præſens(deponit Concil.Viennenſe ſub Clem.V. & habetur tit. de reliquijs, & venerat.Sanctor.) ſub alia quidem forma in propria verò ſubſtantia eſt nobiſcum. Aſcenſurus enim in cælum dixit Apoſtolis, & eorum ſequacibus:Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem, benigna ipſos promiſſione confortans, quod remaneret, & eſſet cum eis,etiam præſentia corporali.Quamdiù vt fides noſtrorum omnium affirmat,ſpecies remanent integræ.

Sacramentũ Euchariſtiæ permanens. *Cyrill.* *Origen.* Præſentia Chriſti realis,non in ſignum tantum. *Ioan 6.* *Conc. Vien.*

Et ait: Sumite. Poteſt *ſumite* referri ad os, *& dedit* ad manus; ita quod daret ad manus eorum panem conſecratum, vt & ipſi proprijs manibus ſumerent.Quod olim fieri aſſuetum docet Baſil. in ep. ad Cæſaream patritiam dicens: Illud autem in perſecutionis temporibus neceſſitate cogi, quempiam non præſente Sacerdote,aut mi-

niſtro,

niſtro, ideſt Diacono communionem propria manu ſumere nequaquam eſſe graue, ſuperuacaneum eſt demonſtrare; propterea quod longa cõſuetudine hoc ipſo rerũ vſu confirmatum eſt; omnes enim in eremis ſolitariam vitam agentes, vbi non eſt Sacerdos, communionem domi ſeruantes à ſeipſis communicant.

Conſuetudo antiqua Alexãdrinæ Eccleſiæ.

In Alexandria verò, & in Ægypto vnuſquiſque eorum, qui ſunt de populo, vt plurimum habet communionem in domo ſua. Semel enim ſacrificium Sacerdote conſecrante, & diſtribuẽte meritò participare, & ſuſcipere credere oportet. Etenim & in Eccleſia Sacerdos dat partem ei, & accipit eam is, qui ſuſcipit cum omni libertate, & ipſam admouet ori propria manu.

Orig.

Alludit ad hæc Origen. hom. 13. in Exod. cum ait: Volo vos admoneri religionis veſtræ exemplis, qui diuinis myſterijs intereſſe conſuetis, quomodo cum ſuſcipitis corpus Domini, cum omni cautela, & deuotione ſeruatis, ne ex eo parum quid decidat, ne conſecrati muneris aliquid dilabatur. Mox nec licet laico, neque Sacerdoti penes ſe ſeruare Sacramentum, neque illud proprijs manibus ſumere, niſi conſecrans ipſe fuerit.

Hoc eſt corpus meum. Simul profert myſterium, atq; formam myſterij, qua conſecrari in ſæculum debeat.

Irenæus.

Vnde Irenæus lib. 4. adu. Hæret. c. 32. Noui Teſtamẽti nouã docuit oblationem, quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens in vniuerſo mundo offerr Deo, ei, qui alimẽta nobis præſtat, primitias ſuorum munerum in nouo Teſtamento, de quo in duodecim Prophetis Malachias ſic præſignauit.

Malach. 1.

Non eſt mihi voluntas in vobis dicit Dominus omnipotẽs, & ſacrificium non accipiam de manibus veſtris: Quoniã à ſolis ortu vſque ad occaſum nomen meum glorificatur inter gẽtes, & in omni loco, incenſum offertur nomini meo, & ſacrificium purum.

Iuſtinus.

Apoſtoli enim in commentarijs ſuis, quæ Euãgelia dicũtur (ſubdit Iuſtinus Martyr in apolog. 2. pro Chriſtianis ad Antonin. Imper.) Ita ſibi Chriſtum præcepiſſe tradiderunt, cum accepto pane, cum gratias egiſſet, dixiſſe: Hoc facite in memoriã mei. *Hoc eſt corpus meum:* dixiſſe etiã accepto poculo cum egiſſet gratias. Hic eſt ſanguis meus, ſibiq. ſolis dediſſe.

Verba conſecrationis ſunt Chriſti.

Chryſoſt.

Nos autẽ poſtea deinceps hæc inter nos ſemper recolimus, & admonemus. Quemadmodũ enim (ait Chryſoſt. ho. 2. ſup. 2. ad Timoth.) verba, quæ loquutus eſt Chriſtus, eadem ſunt, quæ Sacerdotes, nunc quoq; pronuntiant, ita oblatio eadẽ eſt.

Ambroſ.

Iam (inquit Ambr. lib. 4. de Sacram. c. 4.) Nõ ſuis ſermonibus Sacerdos, ſed vtitur ſermonibus Chriſti. Ergo ſermo Chriſti hoc conficit Sacramentũ.

Beſſaron.

Hoc Canones Apoſtolorũ (perorat Beſſaron Archiep. Conſtant. lib. de ſacr. Euchariſt.) Hoc poſteriores Doctores affirmant: Quamobrem hoc? Quoniã ille opifex rerũ ita voluit, ita conſtituit: tranſgredi autem, & vitare quicquam eorum, quæ ille ordinauit, nefas eſt; quare nefas eſt in primis formam conſecrationis myſterij inchoare ab Accipiẽs, &c. quandoquidẽ: Hoc eſt corpus meum, ſunt habita ſemper precioſa verba conficiendi myſterium, quemadmodum Flor. Synod. definit.

Vera forma conſecrandi corpus.

Flor. Conc.

Nequius adhuc multò delirauit Eraſmus, qui deſiderauit ab Apoſtolo myſterij huius formã certam, & indubitatè relictam fuiſſe. Ac ſi quam accepit à Domino incerta nobis foret.

Synod 2. Nicæn.

Quin etiam Paulus (deponit Synod 2. Nicæn. Act. 3. to. 6.) diuinus Apoſtolus è ſacris Domini verbis hauriens dixit: Ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis.

Triden.

Quæ verba proſequitur Synod. Trid. ſeſſ. 13. c. 1. à ſanctis Euangeliſtis commemorata, & à diuo Paulo poſtea repetita, cũ propriã illã, & apertiſſimam ſignificationem præſeferant, ſecundũ quã à Patribus intellecta ſunt, indigniſſimũ ſanè flagitium eſt ea, à quibuſdã contentioſis, & paucis hominibus, ad fictitios, & imaginarios tropos, quibus veritas corporis, & ſanguinis Chriſti negatur, contra vniuerſũ Eccleſiæ ſenſũ, detorqueri.

Eraſmus. Borengar. & aliorum error.

His nedũ Eraſmus, ſed Buterus, & alluuies hæreticorũ, qui Borengarij, & priſcorũ hæreſes ſuſcitãtes dixere, nihil hac forma cõfici, neq; panẽ hunc etiã conſecratũ aliquid eſſe, quã ſignũ quo ad Chriſti corpus, & ſanguinẽ ducimur, & opinione nõ veritate mãducamus. Et alia his addidere deliramenta, quæ etſi præcedẽti narratione ſatis pro loci opportunitate videãtur expugnari, expreſſius in ſingulis huius formæ particulis libet aliquid contra impoſtores agere.

Impugnãtur hær. ex verbis formæ.

Hoc quod hactenus ſtatuto, Chriſtum his verbis formam tradidiſſe conſecrandi panem, eiuſdem panis conſecrati veritatem aperuiſſe, & conſecraſſe.

Quid demõſtret pronomen?

Bonauent.

Hoc. Eſt pronomen demonſtratiuũ. Quid autem iam initio poſitũ demonſtret, non eſt certũ apud noſtros. S. Bonauentura ait demonſtrare panẽ, vt ſit ſenſus: *Hoc*, ſcilicet, quod eſt panis, vt & videtur, ſit corpus meũ.

Marſil.

Marſilius vult neq; panem, neq; corpus hoc pronomine demonſtrari, ſed conuertendum in hunc modũ. *Hoc*, ſcilicet, in quod cõuertendũ eſt, eſt corpus meũ.

Ocham.

Ochã, cui ſtipulatur Caietanus per *hoc* demonſtrãri corpus imaginatur ſic propoſitionem interpretans. *Hoc*, quod videtur, erit corpus meum.

S Thom. *Richard.* *Durand.*

His præſtant, quæ ſup. 1 hom. Richa. & Durand. tradunt, videlicet, *hoc* ſupponere pro quocunq; cõtento ſub viſibili ſpecie, vt ſit ſenſus, *hoc*, quod ſub demonſtratis continẽtur, & corpus meũ in iſtãti, ſcilicet, quo finiãtur.

Synodus. Trid.

Semper enim, ait Synod. Trid. ſeſſ. 13. c. 1. hæc fides in Eccleſia Dei fuit, ſtatim poſt conſecrationem verum Domini noſtri corpus, verumque eius ſanguinem ſub panis, & vini ſpecie, vnà cũ ipſius anima, & diui-

Digitized by Google

nitate exiſtere. Sed cotpus quidem ſub ſpecie panis, & ſanguinem ſub ſpecie vini animamque ſub vtraque vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, qua partes Chriſti Domini, qui iam ex mortuis ſurrexit, non amplius moriturus, inter ſe copulantur. Diuinitatem porrò propter admirabilem illam eius cum corpore, & anima, hypoſtaticam vnionem. Cur autem hæc in

Damaſc.

inſtanti fiant, & quomodo, elucidat Damaſc. lib. 4. orthodox. fid. cap. 14. Quia, inquit, verbum Dei viuens eſt, & efficax, & omnia quæcunque voluit Dominus fecit. Si dixit fiat lux, & facta eſt lux, fiat firmamentum, & factum eſt, & poſt multa exempla ait: Dixit Deus *hoc eſt corpus meum*: Et *hic* meus eſt ſanguis, & *hoc* facite in meam commemorationem, & omnipotenti eius præcepto; donec veniat, efficitur.

Eſt deſignat rem non ſignum.

Nicæn. 2.

Eſt. Non dicit, ſignat, vt Hæretici fabulantur, legas quoſcunque voles (dicunt Patres Synod. 2. Nicen. actio. 6. tom. 3.) nunquã inuenies, neque Dominum, neque Apoſtolos, neque Patres incruentum illud ſacrificium, quod à Sacerdote offertur, imaginem dixiſſe, verum ipſum corpus, & ipſum ſanguinem. Attamen ante ſanctificationis conſecrationem quibuſdam Patribus piè ſanè viſum eſt *ἀντίτυπα*, hoc eſt exemplar ſimilis formæ nominare. Quorum de numero Euſtatius conſtans is propugnator orthodoxæ fidei, & Arrianicæ inſaniæ expugnator clarus. Itẽ Baſilius eiuſdem ſuperſtitionis auerruncator. Et ante hos Clemens Papa lib. 5. Conſtit. Apoſt. Et poſt eos Epiſcoporum plerique, & Patrum etiam poſt conſecrationem, ſed vt noſtri Scholaſtici verè interpretantur. Signum eſt demonſtratiuum corporis, & ſanguinis, & pronoſticum gloriæ.

Euſtatius. *Baſilius.* *Clem. Rom*

Quale ſignũ ſunt ſpecies?

Eo enim noſtra, & antiqua differunt Sacramenta, quod illa eſſent ſigna mera, hæc verò ſigna efficacia: Siquidem ex inſtitutione diuina, quam ſignant gratiã, efficiunt. Vnde Cyrill. Hieroſol. 2. cathecheſ. Myſtagogica baptiſmum dixit Antitypon paſſionũ Chriſti, & in 3. cathecheſ. Chriſma dicit eſſe Antitypon Spiritus ſancti. At ſacramenta baptiſmi, & confirmationis, de quibus ille, non ſunt mera ſigna, vt moſayca, ſed efficientia, ſic & Euchariſtiam vocari apud Patres Antitypon non eſt ſignum tantum conſtituere; ſed quo modo dictum eſt. Tu fortè dicis

Diſtinctio inter ſacram. vet. & nou. Legis

Cyrill.

Ambroſ.

(inquit Ambroſ. lib. 4. de Sacram. cap. 4.) Meus panis eſt vſitatus, ſed panis iſte panis eſt ante verba Sacramentorum, vbi acceſſerit conſecratio de pane fit caro Chriſti. Hoc igitur aſtruamus. Quomodo poteſt, qui panis eſt, corpus eſſe Chriſti? Conſecratione. Conſecratio igitur quibus verbis eſt, & cuius ſermonibus? Domini Ieſu. Si cælum, & terra, aqua, & ignis, ait Damaſc. lib. 4. orthod. fid. cap. 14. Et aër, & omnis ornatus eorum, verbo Domini perfecta ſunt, & homo ipſe vbique diuulgatum animal. Si volens ipſe Deus verbum, factus eſt homo, & ex ſanctæ Virginis puriſsimis, & illibatiſsimis ſanguinibus, in ſeipſo ſine ſemine carnem ſuſtentauit. Non poteſt panem ſuiipſius corpus facere, & vinum, & aquam ſanguinem? Neque enim hæc (deponit Iuſtinus Phil. & Martyr. apol. 2. pro Chriſtianis ad Anton.) communẽ, vſitatumque panem, vſitatamque portionem capimus, ſed quemadmodum per Dei verbum homo factus Ieſus Chriſtus conſeruator noſter, & carnem, & ſanguinem pro ſalute noſtra habuit; ſic etiam cibum, qui per preces ſermonis, quem ab eo accepimus, conſecratus eſt, & quo ſanguis, carneſque noſtræ communione aluntur. Ieſu Chriſti eius, qui homo factus eſt, & carnem, & ſanguinem eſſe accepimus. Quid ad hæc ò Hæretici? Neque enim vobis pater orthodoxus ſuffragatur, qui vel panem vſualem, vel ſignum metuum dicat hoc Sacramentum, ſed Chriſtum apertè omnes confitentur, & credunt.

Aſtruitur præſentia realis Chriſti in Euchariſtia.

Damaſc.

Trid. *Theoph.* *Damaſc.*

Corpus. Hoc quidem virtute conſecrationis eſt primo, per concomitantiam quicquid Chriſti corpus viuum, integrum, & perfectum continet, quemadmodũ ex Concilio Trident. dictum eſt. Et quomodo (inquit Theophyl. in cap. 6. Ioan.) Non apparet nobis caro, ſed panis? vt non abhorreamus ab eius eſu. Carbonem vidit Iſaias (ait Damaſcen. ibidem) carbo autem ſimplex non eſt, ſed vnitus igni: Sic panis communionis, non panis ſimplex eſt, ſed vnitus diuinitati. Et corpus vnitum diuinitati, non vna, ac eadem illi natura eſt, ſed vna corporis, & vnitæ diuinitatis altera. Quare amborum ſimul non vna natura eſt, ſed duæ. Quod quidam, quia non credebant (tradit Cyprian. de Cœna Domini) nec poterant intelligere abierunt retro, quia horrendum eis, & nefarium videbatur veſci carne humana, exiſtimantes hoc eo modo dici, vt carnem eius, vel elixam, vel aſſam, ſectamque membratim edere docerentur. Si verò tu ò Iudæa (proſequitur Cyrill. lib. 4. in Ioan. c. 13.) quomodo etiã nunc clamas hanc tuam imperitiam? Ego quoque ſecutus libenter quomodo ex Ægypto exiuiſti? rogabo: Quomodo in ſerpentem Moſayca virga fuit conuerſa? Quomodo lepra manus affecta vno momento temporis in priſtinum ſtatum reſtituta iterum fuit? Quomodo in naturam ſanguinis aquæ tranſierunt? Quare (poſt multa concludit) credidiſſe Chriſto potius vos oportet, etſi quid arduum videbatur, ab eo humiliter petere, quam veluti temulẽtos exclamare: Quomodo poteſt hic carnẽ ſuã dare? Qui non credit (ſubdit Epiphan. in Ancorato) eſſe ipſum verum, ſicut dixit is excedit a gratia, & ſalute; quod autem audiuimus id credimus, quod eſt ipſius.

Cyprian. *Cyrill.* *Epiphan.*

Domi-

Dominum verò noſtrum nouimus totum ſenſum, totum ſenſitiuum, totum Deum, totum mouentem, totum operantem, totum lucem, totum incomprehenſibilem, ſed qui cum gratia hoc nobis largitus eſt. Ab hac veritate ad duas potiſſimum deuenimus. Si enim conſecrationis vterque terminus eſt ſubſtantia, conuerſionem hanc, tranſubſtantiationem dici oportet. Si item totum, quod demonſtratum eſt corpus Chriſti; perfecta panis ſubſtantia non remanet. *Cyrill. Hieroſop.* Vnde Cyrill. cathacheſi 4. myſtagogica: Hoc ſciens, & pro certiſſimo habens panem hunc, qui videtur à nobis, non eſſe panem etiamſi guſtus panem eſſe ſentiat, ſed eſſe corpus Chriſti. Et vinum, quod à nobis conſpicitur, tametſi ſenſui guſtus vinum eſſe videatur, non tamen vinum, ſed ſanguinem eſſe Chriſti. Etenim panis *Gregor. Niſſen.* (ait Gregor. Nyſſenus in oratione chatechetica cap. 37.) erat poteſtate illud corpus; fuit autem ſanctificatus habitatione verbi, quod tanquam in tabernaculo habitauit in carne. Igitur vnde in illo corpore tranſmutatus panis tranſit in diuinam virtutem, per idem nunc fit ſimiliter. Ergo ſi quis *Trid.* dixerit (definit Synod. Trid. ſeſſ. 13. can. 2.) in ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento remanere ſubſtantiam panis, & vini vnà cum corpore, & ſãguine Domini noſtri Ieſu Chriſti, negaueritque mirabilem illam, & ſingularem conuerſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, manentibus dumtaxat ſpeciebus panis, & vini, quam quidem conuerſionem, Catholica Eccleſia aptiſſimè tranſubſtantionem appellat; anathema ſit.

Meum. Illud idem, ſcilicet, quod eſt in cælo, & præſens reali præſentia ſacta conſecratione. Neque enim hæc inter ſe pugnant *Trid.* (docet Synod. Trid. ſeſſ. 13. can. 1.) vt ipſe Saluator noſter ſemper ad dexteram Patris in cælis aſsideat iuxtà modum exiſtendi naturalem, & vt multis nihilominus alijs in locis ſacramẽtáliter præſens ſua ſubſtantia nobis ea exiſtendi ratione, quam etſi verbis exprimere vix poſſumus: poſſibilem tamen eſſe Deo, cogitatione per fidem illuſtrata aſſequi poſſumus, & conſtantiſsimè credere debemus. Ita enim maiores noſtri, omnes quotquot in vera Chriſti Eccleſia fuerunt, qui de hoc ſanctiſsimo Sacramento diſſeruerunt, apertiſsimè profeſsi ſunt. Ergo *Chryſoſt.* (perorat Chryſoſt. hom. 60. ad populum Antiochenum) veniat in mentem tibi, ò homo, quo ſis honore honoratus, qua menſa fruaris? Ea namque re nos alimur, quam Angeli videntes tremunt, nec abſque pauore propter fulgorem, qui inde reſilijt, aſpicere poſſunt, & nos in vnam cum illo maſſam reducimur. Chriſti corpus vnum, & caro vna facti ſumus. Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius? Quis paſtor vnquam membris ſuis oues ſuas nutriuit? Multæ matres poſt partum alijs nutricibus infantes dederũt, quod ipſe facere noluit, ſed proprio corpore nos alit, & ſibi coniungit, atque conglutinat. Et infra. Singulis fidelibus per hoc myſterium ſe coniungit, & quos peperit, non alijs nutriendos tradit; ſed ipſe ſtudioſiſsimè alit. Hac etiam re tibi perſuadeas carnem illam tuam aſſumpſiſſe: tanta igitur, & charitate honore affecti non torpeamus: Nam (inquit Cyrill, Alexandr. lib. 11. in Ioan. cap. 27.) *Cyrill. Alexand.* Corporaliter filius, per benedictionem myſticam nobis, vt homo vnitur, ſpecialiter autem vt Deus ſui ſpiritus gratia noſtrum, ad nouam vitam, & diuinæ naturæ participationem, ſpiritum redintegrans, vt ſumpto corpore, & ſanguine Chriſti ſecundum Cyryll. Hieroſol. cateche. 4. Myſtagogica, efficiaris ei comparticeps corporis, & ſanguinis *Cyrill Hieroſop.* χριστόφοροι γενώμεθα ſic Chriſtophori erimus, hoc eſt, Chriſtum ferentes, itaque mecum, ait, quia præſens ſacramentaliter in Hoſtia, & in ſingulis, qui Hoſtiam conſecratam communicant. Non dicitur præſens diffinitiuè, quia in pluribus Hoſtijs; non circumſcriptiuè, quia in qualibet parte totus; ſed tantum ſacramentaliter præſens dicitur, quia nouo quodam mirabili modo.

CAPVT XXIII.

Et accepto Calice gratias agens dedit eis: Et biberunt ex illo omnes.

ET quidem cum plenum iuxtà morem hominum conuiuium ex ſeipſo præparare ſatageret, parum duxit Corpus ſub panis ſpeciebus conſecrare, & dare, niſi etiam ſanguinem ſub vini forma propinaret ſacro Collegio. *Expoſitio.* Quapropter *accepto* denuo proprijs manibus. *Calice*, & ſuper eum *gratias* Patri luminum *agens* feruenter, & beneuole, *dedit eis* potum conſecratum, quem Calix ille materialis capiebat. Diſcipuli verò, tanta magiſtri liberalitate, & magnificentia perfruentes, *biberunt* cum lætitia animi, *ex illo* Calice *omnes*, qui ſacris myſterijs intererant.

Et accepto Calice. *Calix* à caldo, quod in eo calida ponerentur, dicitur ſecundũ Varronem, etiam frigida, à quorum continentia Calicem, quaſi callum profundum habens, non ambigerem appellari. *Quid, & vnde dictus Calix.* *Varro.* Etenim his tàm calida, quàm frigida auctore Plauto apponebantur olim in conuiuijs. *Plautus.* Attamen quantum ad præſentem *Calicem* ſpectat, illum arbitramur vas potatorium, de quo Beda de locis ſanctis cap. 2. *Beda.* In platea, inquit, quæ martyrium, & Golgotha continuat exedra eſt, in qua Calix Domini ſcrimolo reconditus per operculi foramen tangi ſolet, &

oſculari;qui argenteus Calix,hinc inde duas habens anſulas, ſextarij Gallici menſuram capit, in quo illa eſt ſpongia Domini potus miniſtra. Tempore enim Bedæ adhuc ſeruabatur Ieroſolymis, modo Valentini in Hiſpania ſe illum poſsidere gloriantur; verè ne tamen dubito. Nam non eſſe argenteum, vt vult Beda,qui illum viderunt, ſed ex lapide pretioſo, qui ad ſmaragdum declinat confectum affirmant.

Calix Domini olim reſeruatus Ieroſolymæ nunc Valentiæ.

Accipit itaque *Calicem* Chriſtus mero plenum, mero,& aqua permixtum. Vnde ſtatuit Concil.Carthag. 3.cap. 24. in Sacramento corporis, & ſanguinis Domini nihil amplius offeratur, quàm ipſe Dominus tradidit,hoc eſt,panis, & vinum aqua mixtum.

Vinum aqua mixtum à Chriſto cõſecratum.

Carthagin. Conc.

Qnia videmus (ait Iulins Papa) populum in aqua intelligi, in vino verò oſtendi ſanguinem Chriſti. Ergo cum in *Calice* vino aqua miſcetur, Chriſto populus adunatur, & credentium plebs ei, in quem credit,copulatur, & iungitur, quæ copulatio,& coniunctio aquæ,& vini ſic miſcetur in *Calice* Domini, vt mixtio illa non poſſit ſeparari. Nam ſi vinum tantum quis offerat, ſanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis,ſi verò aqua ſit ſola plebs,incipit eſſe ſine Chriſto.

Iulius Papa

Eadem penè legimus apud Cyprian.lib.2.epiſt.2.Cæcil fratri. Quibus addit Martinus ex Concil.Bracharen. cap.55. Non oportet aliquid aliud in Sacramento offerri,præter panem, vinum,& aqoam, quæ in Chriſti typo benedicentur, quia dum in Cruce penderet,de corpore eius ſanguis effluxit,& aqua. Hæc tria vnũ ſunt in Chriſto Ieſu,hæc Hoſtia,& oblatio in odorẽ ſuauitatis.

Cyprian

Conc Bracharen.

Quare aliud in hoc Sacramento apponi dãnat, & abominatur Iulius Papa c.7.ſuorũ decretorum,& habetur de conſec.d.2.c.cum omne ca. didicimus,ex ſexta Synod.c.28.

Iul Pap de conſec d 2

Sexta Syno.

Gratias agens. Has quoque ante panis conſecrationem egit, vbi dicitur benedicens. Gratiarum verò actio duplicatur,non ſolum propter duplex Sacramentum, velut partiale ſub vno totali hiſce myſterijs fieri intelligamus; ſed vt nihil tanto Sacramento excellentius credamus, quod non vna, ſed duplici gratiarum actione debeat confiteri, & quidem in perpetuum commendari. Vnde Alex.Papa Primus epiſt.1. Nihil in ſacrificijs maius eſſe poteſt,quàm corpus,& ſanguis Chriſti, nec vlla oblatio hac potior eſt, ſed hæc omnes præcellit. Quæ pura conſcientia Domino offerenda eſt, & pura mente ſumenda, atque ab omnibus veneranda, vt ſicut potior eſt cæteris, ita potius excoli,& venerari debet.

Alex.Papa

Quia in eo diuitias diuini ſui erga homines amoris, velut effudit,memoriã faciens mirabiliũ ſuorum (dicunt Patres Trid.Synod. ſeſſ.14.cap.2.)& in illius ſumptione colere nos ſui memoriam præcepit,ſuamque annuntiare mortem, donec ipſe ad iudicandum mundum veniat.

Trid.

Dedit eis. Vt qui Sacerdotes, & miniſtri Sacramenti huius futuri aduerterent hoc Sacramentum illis ſub vtraque ſpecie conſecrandum fore. Quia quod nos facimus (inquit Ambroſ.in 10.cap.ad Hebr.)In commemorationẽ fit eius,quod factum eſt. Hoc enim facite, ait, in meam commemorationem. Hinc Gloſ. ſuper 2. q.7. c. Beati.

Ambroſ.

Gloſſa.

Circa hanc materiam conſueuit quæri: ſi quis vinum non poteſt bibere. An poſſit promoueri cũ ipſum miniſtrantem oporteat communicare.de conſec.d.p.Epiſcopus Deo, & d.2.per acta? Dic quod non. Dedit quoque eis *Calicem*, vt ſacratis hominibus tantum licere vas ſacrum contractare inde colligeremus, nullo autem modo à laicis. Ne pro talibus præſumptionibus(inquit Sixtus Papa Primus epiſt. 2)Iratus Dominus plagas imponat populo ſuo, & hi etiam, qui non peccauerint mala patiantur, aut pereant, quia perijt iuſtus ſæpiſſimè pro impio. Ne inquam vltro (ſubdit Stephanus Papa epiſt. 1.cap.3. ad Epiſcopum Hilarium) quæ Balthaſſar Regem percuſſit,ſuper hæc tranſgredientes,& talia præſumentes,veniat,& corruere eos faciat ad ima.

Sixtus Pap.

Stephan.

Dedit eis denique Calicem, ſed argenteum, vt diximus ſupra ex Beda ſignificare volens, quam decente vaſe oporteret ab eis conſecrationem celebrari. Vnde in Concil. Triburienſi cap. 18.legimus.Vaſa in quibus ſacroſancta conficiuntur myſteria *calices* ſunt, & patenæ, de quibus Bonifacius Martyr, & Epiſcopus interrogatus:ſi liceret in vaſculis ligneis Sacramenta conficere, reſpondit; quondam Sacerdotes aurei lignis *calicibus* vtebantur, nunc è contrario lignei Sacerdotes aureis vtuntur *calicibus*.

Conc.Trib.

Bonifacius Martyr.

Quondam lignei calices.

Zepherin. XII. Roman.Epiſcopus patenis vitreis miſſas celebrari conſtituit. Tùm deinde Vrbanus Papa omnia miniſteria ſacra fecit argentea. In hoc enim ſicut in reliquis cultibus magis,& magis per incrementa temporum decus ſecreuit Eccleſiarum.

Zepher. poſtea vitrei.

Vrbanus demum argentei.

Noſtris enim diebus, qui ſerui patrisfamilias ſumus, ne decus matris Eccleſiæ imminuatur,ſed magis cumuletur,& amplificetur, ſtatuimus,vt deinceps nullus Sacerdos ſacrum myſteriũ corporis, & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti in ligneis vaſculis vllo modo conficere præſumat; ne vnde placari debet,inde iraſcatur Deus. Quare ſtatuitur in Rhemenſi Concil.cap. 6. ſi non ex auro omninò ex argento fiat: habentur de conſec.d.1. c. Vaſa,c.vt Calix.

Rhem Cõc. de conſ d.1

Et biberunt ex illo omnes. Vt in ipſis luceret Sacerdotum forma,quam in ſacrificio præſenti tenere deberent, videlicet, conſecrare, & ſumere panem conſecratum, & ſanguinem. Nam quale erit (inquit Conc. Tolet.12. cap.5.) illud ſacrificium, cui nec ipſe ſacrificans perticeps eſſe cognoſcitur. Ergo modis omnibus eſt tenendum,vt quotieſcunque ſacrificans corpus,& ſanguinem

Cõc. Tolet.

Ieſu

Ieſu Chriſti Domini noſtri in altari immolat, toties perceptionis corporis,& ſanguinis Chriſti participem ſe præbeat. Quia (ſubdit Gelaſius Papa Maiorico, & Ioanni Epiſcopis ſcribens) diuiſio vnius,eiuſdemq. myſterij ſine grandi ſacrilegio non poteſt peruenire: referuntur de conſ. d.2. c. relatum c. comperimus. *Biberunt* item omnes poſt cibum alium: Nunquid tamen propterea (quærit Auguſtinus lib. reſponſionum ad Ianuariũ cap.6.) calumniandum eſt vniuerſæ Eccleſiæ, quod à ieiunis ſemper accipitur? Ex hoc enim placuit Spiritui ſancto, vt in honorem tanti ſacramenti in os Chriſtiani prius domicilium corpus intraret, quàm cæteri cibi. Nam ideo per vniuerſum orbem mos iſte ſeruatur; neque enim quia poſt cibos dedit Dominus propterea pranſi, aut cœnati fratres ad illud ſacramentum accipiendum conuenire debēt, aut ſicut faciebant, quos Apoſtolus arguit, & emendat menſis ſuis iſta miſcere. Namq. Saluator, quo vehementius commendaret myſterij illius altitudinem, vltimum hoc voluit infigere cordibus,& memoriæ diſcipulorum,à quibus ad paſſionem digreſſurus erat. Et ideo non præcepit, quo deinceps ordine ſumeretur: vt Apoſtolis, per quos Eccleſias diſpoſiturus erat, ſeruaret hunc locum. Nam ſi hoc ille monuiſſet, vt poſt alios cibos ſemper acciperetur,credo quod eum morem nemo mutaſſet. Cum vero ait Apoſtolus de hoc ſacramento loquens, propter quod fratres dum conuenitis ad manducandum inuicem expectate, ſiquis eſurit,domi manducet, vt non ad iudicium conueniatis;ſtatim ſubtexuit,cætera autem cum venero ordinabo. Vnde intelligi datur quia multum erat, vt in epiſtola totum illum agendi ordinem inſinuaret, quem vniuerſa per orbem ſeruat Eccleſia, ab ipſo ordinatum eſſe,quod nulla horarum diuerſitate variatur. Porrò *biberunt omnes ex illo calice*,qui ante a panem ſacratum manducauerunt, vt ſacerdotum,qui conſecrant ſub vtraque ſpecie, propriũ eſſe communicare ſignaretur. Quemadmodum patres in Conc. Conſtant. ſeſſ.13 Baſilienſe ſeſſ.30. & Tridentino ſeſſ.21.cap.1. docent,probantq. reliquos à conſecrantibus, neque aliquo præcepto ad communionem ſub vtraque ſpecie compelli, neque aliquid meriti ſeu gratiæ ſubtrahi ei, qui tantum ſub ſpecie panis communicauerit. Quare contra Hæreticos duos ex Concil. libet adſcribere Canones. Primum: Si quis dixerit,ex Dei præcepto, vel neceſſitate ſalutis omnes, & ſingulos Chriſti fideles vtraque ſpeciem ſanctiſſimi Euchariſtiæ ſacramenti ſumere debere, anathema ſit. Et Can.3. ſiquis negauerit totum,& integrum Chriſtum omnium gratiarum fontem, & auctorem ſub vna panis ſpecie ſumi, quia vt quidam falſo aſſerunt non ſecundum ipſius Chriſti conſtitutionem,ſub vtraq. ſpecie ſumatur, anathema ſit.

Sacrificans cõmunicet. *Gelaſ.*

Auguſt.

A ieiunis cõmunicandũ.

1.Cor. 11.

Conſtan. Baſilien. Trid. Conc.

CAPVT XXIV.

Et ait illis: Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur.

ET vt Apoſtoli haud ſecus quàm ad panem ſacrum deuotione, attentione, & reuerentia ad calicem,quem offerebat,ferrentur, *ait illis: hic*, ſcilicet, calix quem vobis propino *eſt* quidem multum ab omni alio differens, ſiquidem *ſanguis meus*, qui intra corpus meum contentus diffunditur per omnes eius partes, qui & ſignaculum eſt,& *noui teſtamenti* firmitas,atque robur; qui denique lauacrum eſt vniuerſorum malorum oblatus Deo,quapropter *pro multis*, qui digni ſunt redemptione inuenta,*effundetur* extra corpus,vt eo lauentur crimina. Expoſitio.

Et ait illis. Illis quidem, qui de redemptorum numero erant, *ait*,bonum ferens nuntium, vtpotè redemptionem,quam per ſanguinem agni, arietis, vituli, vaccæ, capri, paſſeris, columbæ, & hirci veti expectabant: Sanguis enim Ieſu Chriſti emundat nos ab omni peccato. Quia ſi ſanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aſperſæ inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis,quanto magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo,emundauit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis ad ſeruiendum Deo viuenti? Quapropter Pſaltes orabat: Aſperge me Domine hyſopo, & mundabor, lauabis me, & ſuper niuem dealbabor. Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam: & exultabunt oſſa humiliata. Ecquid oſſa humiliata? Puſilli mortui, & magni, quorum oſſibus campeſtris regio implebatur; ſed reuixerunt, ſed exultauerunt aſperſione hyſopi, & ſanguinis Chriſti. Tum ergo auditui meo dabis gaudium, quando, inquam, audiã optatiſſimæ aſperſionis mentionem fieri, atque ſanguinis. Hoc itaque gaudium Chriſtus annuntiat ſuis, dum *ait illis*.

1. Ioann 1. *Hebr.9.* *Pſal.50.*

Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti,qui pro multis effundetur. Hæc eſt ſubſtantia totius formæ,qua in conſecratione ſanguinis Eccleſia vtitur; tametſi verbis quibuſdam diſcrepare videantur formæ Græcorũ, & latinorum. Prioribus verbis tranſubſtantiatio vini in ſanguinem Chriſti immaculatũ deſcribitur; poſterioribus quid *ſanguis* iſte operetur, & quomodo, videlicet, per effuſionem,quam mors effecit, quæ circa iſta ſoleant opinari apud Matth. habes. Modo ſcito hac forma non multiplicari ſacramenta

cramenta Euchariſtiæ, ſed vnum & idem ſub diuerſis ſpeciebus deſignari. Quo fit, vt quandoque ſacrificium altaris vnicum appelletur, vt apud Euſebium, & Syluestrũ, quando præcipiunt, non in ſerico panno, aut tincto, ſed puro linteo ab Epiſcopo cõſecrato celebrari; nonnunquam ſacramentum vnicum, hoſtiam, & oblationem apud Ambroſium, Auguſtinũ, ac reliquos patres. Nec obſtat in Concil. Affricano cap. 8. dici ſacramenta, quemadmodum, & Alexander Papa epiſt. 1. & alij ſic conſecratum panem, & calicem ſunt ſoliti nuncupare; conſiderant enim integritatem, & veritatem Chriſti, qui vtrobique eſt, ac propterea & panis eſt ſacramentum, ſimiliter calix conſecratus. Verum quia & ſignificant illam oblationem Chriſti in cruce, qua corpus ſuum tradidit, & ſanguinem, vnum vocantur ſacramentum; etiam quia vnius conuiuij cæleſtis, quod agnitione, & fruitione diuinitatis, & humanitatis redemptricis completur, eſt typus, vnicum conſueuerunt appellare patres inter ſeptem ſacramenta nouæ legis.

Vnitas Euchariſtiæ.

Euſeb. Syluestr.

Ambroſ. Auguſt. Conc. Affr. Alex. Papa.

Vnde ſumenda vnitas ſacramenti.

Hic eſt. De demonſtratione pronominis *hic*; idem quod de hoc indicandum, qood autem *eſt* verbum vtrobiq. ponatur, præter veritatem myſterij, quod affirmat, perpetuitatem, & incorruptionem, tàm corporis, quàm ſanguinis conſecrati deſignat: Quia, inquit, caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Alius vero ab iјs, tùm quod temporaneus, tùm quod ſenſibilis, & vanus, non verus, neque perpetuus. Vnde apud Ioann. dicebat capharnaitis: Patres veſtri manducauerunt manna in deſerto, & mortui ſunt. Hic eſt panis de cælo deſcendens, vt ſi quis ex ipſo manducet non moriatur. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem habet vitam æternam; in me manet, & ego in eo. Ergo *eſt* perpetuo, nullam neque in corpore, neque in ſanguine admittens corruptionem, & *eſt* quoque ſemper ſub ſpeciebus quamdiù panis & vini formam retinent. Id quod probant miracula, quæ in hoſtijs conſecratis facta vbique, & paſſim legimus Theodoretum Cyrum in philotheo, ſeu hiſtoria ſanctorum patrum. Gregor. Turonenſem lib. 1. de glor. Marty. Sabellium & alios, qui ea ex varijs in vnum volumen reduxerunt.

Ioann. 6.

Theod.

Greg.

Sanguis meus. Prætermittitur enim in vtraque forma, quod nihil ad ſacramenti conſecrandi neceſſitatem faciat. Dicitur autem *ſanguis meus*, licet à corpore indiuiſus permaneat latitans intra venas ſolitas & diffuſus, ac ſparſus per totius corporis membra. Tum quod conſecratio ad ſanguinẽ fit primo, ad cætera autem per concomitanciam, & conſequentiam. Tum quod delectamenti loco conficiatur ſacramentum, & ſummæ ſuauitatis, atque inchoationis nouæ vitæ. *Sanguis* autem eſt initium vitæ corporeæ, & tota delectatio animali, quod voricaro eſt, vtpotè Aquilæ, gryphio, falconi, leoni, lupo, & ſimilibus. Ecquis magis voricaro homine ipſo, qui in nullo priuato, ac particulari dono, ſiue ſpirituali, ſiue corporeo quieſcit, niſi & ipſum totum deglutiat, deuoret, atque teneat? Voricaro enim eſt animal quòd ad totam prædam inhiat: Sed præda hominis, quæ niſi Deus, qui eſt totum quid, omnia in omnibus? Igitur vt ſanguinem vuæ biberent meraciſſimum, quo vitam cæleſtem inchoarent, deque ipſo, qui eſt omnium vita, vt ſanguis animali delectarentur, ſacramentum hoc *ſanguinem* vocat, & efficit: *Meum* autem appellat, vt à ſymbolico qui per ſacrificia olim diffundebatur. Erat enim ille enigma futurorum bonorum, quę per proprium Chriſti ſanguinem accepimus. *Hic ſanguis*, ait Chryſoſtomus hom. 45. in Ioann. & 61. ad populum Antiochenum, facit, vt imago in nobis regia floreat. Hic *ſanguis* pulchritudinẽ, atque nobilitatem animæ, quam ſemper irrigat, & nutrit, langueſcere non ſinit. *Sanguis* enim à cibo non fit repente, ſed prius aliud quiddam, hic quam primum irrigat animum, eamque vi quadam magna imbuit. Hic myſticus *ſanguis* dæmones procul pellit, Angelos, & Dominum ad nos allicit. Dæmones enim cum dominicum ſanguinem in nobis vident, in fugam vertuntur, Angeli autem concurrunt. *Hic ſanguis* effuſus, vniuerſum abluit orbem terrarum, de quo multa Paulus ad Hebræos proſequutus eſt. *Hic ſanguis* abdita, & ſancta ſanctorum purgabat. Quod ſi eius figura tantam habuit vim in templo Hebræorũ in medio Ægypto liminibus adſperſus longe magis veritas.

Chryſoſt.

Noui teſtamenti. Teſtamentum eſt, quo voluntas extrema teſtatoris demonſtratur hæredi. Ecquis Dei hæres niſi homo? Hæredes quidem Dei, ait Paulus, cohæredes autem Chriſti, qui primogenitus eſt in multis fratribus, quorum ſpecies & adoptio eſt filiorum Dei; vt hæreditate ſortem præclaram cæleſtis vitæ poſſideant. Vnde cecinere per Pſaltem: Elegit nobis hæreditatem ſuam ſpeciem Iacob, quem dilexit; Hoc eſt, nos elegit hæredes regni quod Iacob, ſcilicet, Chriſto in præmiũ dedit. Vnde Paraphraſtes Chaldæus habet: Complacebit ſibi in vobis, vt iure hæreditario poſſideamus hæreditatem noſtram, domum ſanctuarij, gloriam fortitudinis Iacob, quam amabit ſemper. Fortitudo Iacob, quæ eſt vt Rinocerontis, atque gloria, qua non ſemel, ſed iterum, & in æternum clarificatur Atletha Iacob Chriſtus mundi victor, & Sathanæ ſpoliator, eſt poſſeſſio æternorum, quæ aſcendens in altum, & ſedens à dextris

Rom. 8

Pſal. 46.

Iacob. 5.

Dei

Dei hæreditauir, & nobis continuo præparat; ſed quod eſt teſtamentum nouum, in quo legatur nobis hæreditas? Eſt in primis homo Chriſtus, in quo velut in fratre primogenito Deus voluntatem ſuam expreſſit. Quidque vellet nos agere, & quid demum poſſidere. Eſt ſcriptura,& lex quæ identidem prædicant opus bonum, & promittũt Regnũ. Quid? eſt omnis creatura,quæ iuxtà condictum ab auctore acceptum operari ſemper melius perſuadent, vt finem, cui omnis ineſt perfectio conſona,aſſequantur. Itaque cælum dicit homini voluntas Dei eſt, continuo operari conſona, ad quæ te mouet intelligentia ſuprema, vt quieſcas cum Deo tuo. Aſtrum dicit; illuminare ſemper, & tenebræ non ſint vllæ in te,vt in lumine videas lumen,quod lucem inhabitat inacceſſibilem: Mirabiles elationes maris, clamant ad homines: Confitemini Domino, quoniam bonus, vt vos confiteatur coram patre ſuo in regno cælorum. Terra dedit fructum ſuum, vt ſit homo tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarũ. Denique ordinatio, quæ in effectis reperitur, eſt homini ſtudioſo & ſapienti voluntas Dei expreſſa, & clara, qua compellitur quodcunque conſtanter operari & ordinata charitate auctori,in omnibus quæ præcepit obſequi, vt ad eum vnde eaiuit, redeat factus hæres regni. Obijcies fortè. Hoc antiquum, non *nouum teſtamentum* eſſe? Ab initio enim creaturæ ordo iſte permanſit, ita patuit, & ſcriptura, necnon Chriſtus in typis,quia antequam Abraham eſſet: ego ſum, dixit ille. Reſpondeo *nouum* dici, quod noua luce inſtar eorum, quæ ſub obſcuro latebant *nouum* ſplendorem,& ornatum cuncta receperiut: Flores, vt inquit, ſponſa, apparuerunt in terra noſtra, quæ areſcebat, ficus protulit groſſos ſuos bonos,non iam malos valde, vox turturis audita eſt in terra noſtra, promittens diſertè regnum cælorum ijs, qui volũtatem Dei faciunt, & adimplent teſtamentũ eius, quod & per Prophetas & per iumenta terræ, & per creaturam omnem demandauit, Ergo tum à fine nouo, quem hactenus neſciebat mundus,tum à ſplendoribus nouis, & gratijs, quibus executor *teſtamenti* per Chriſtum mox donatur,*teſtamentũ nouum* vocatur Natura noſtra in Chriſto, ſcriptura,& omnis creatura. Quod autem huius *teſtamenti* dicatur ſanguis iſte, eſt,quia per ſanguinem crucis eius, ſiue quæ in cælis, ſiue quæ in terris ſunt,pacificauit, innouauit, & meliorauit, & ratificauit, velut teſtatoris mors, teſtamentum quod condidit; quare qui olim ad aſpectum ſolis, vt archa ſolem ipſum adorare,vt Deum mouebatur, mox per ſolis operationem, non ſolum ad Deum, qui vtrunque condidit, ſubleuatur, verum etiam fit ſole ipſo ſeptempliciter lucidior, qui bouem,& aquam,vt Ægyptius Deum confitebatur,aquæ nitorem, & claritatem imitans, & fortitudinem bouis, & arationem, omnia ſubijcit ſibi gloria, & honore coronatus: Et ita reliqua non in obſcuro, ſed limpido illuſtrata lumine intuens, nunc homo, & nouam cognitionem, & meliorem operationem, & fructum feliciſſimum reportat. Id quod vix licebat antiquis. Quapropter cuncta illis erant antiquum *teſtamentum*,& vetus,hoc eſt,obſcurum,enigmaticum,& liber inuolutus,quem legere nulli licuit,neque penetrare ſenſum Domini, qui in omnibus ſuis operibus lucet,apparet, deſcriptuſque eſt, velut in teſtamento voluntas, quam cum expreſſis in ſcripturis Euangeliſtarum, & Prophetarum legant patres. Ambroſius lib. de Noe, & lib. de Cain, Auguſt. de mirabil. ſcript. Hieronym. & alij plerique *nouum teſtamentum*, hoc in loco dixerunt ſcripturam, quæ ſub *noui teſtamenti* nomine inter nos circumfertur. Verum & præter hanc dici *teſtamentum nouum*, quæ præmiſi, nemo inficiet,ſi ſingula attente percurrat, & perſcrutetur formicæ ſolicitudinem, galli cantum, & minima illa terræ, quæ ſunt ſapientiora ſapientibus, luce clarius intuebitur, non in ſingulis prauitatem, aut vanitatem ſolam, ſed abſconditum myſterium voluntatis Dei, vt faciat prouocatus, quæ illi præcepit Deus, & aſſequatur quæ in cælis promiſſa manent.

Creaturæ omnes hominẽ ad Deum alliciunt.

Cantic. 2

Ambr.
Auguſt.
Hieron.

Qui pro multis effundetur. Hoc eſt, efficaciter pro electis, qui ſunt multus fructus, quem granum frumenti mortuum affert, herba virens, cuius ſemen in ſemetipſa eſt, quam virgo terra à ſua primæua inſtitutione produxit, qui ſunt,inquam, ex fide filij Abrahæ, & benedicuntur cum fideli Abraham, amplificantur cum Helia, & cum Zacchæo Dominum recipiunt hoſpitio. Pro ijs qui multi ſunt diuitijs, & magnificentia, etſi pauci numero, facta ad perditos comparatione, ſanguis Chriſti effunditur, vt lauent ſtolas ſuas, hoc eſt, animam ab omni peccato, per baptiſmum, per pœnitentiam à mortalibus, & à venialibus per vnctionem extremam, necnon corpus à moleſtia, & infectione paſſionum, vt ſint, vt greges ouium, quæ aſcenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & ſterilis non eſt inter eas. Nam ſanguinis Chriſti proprium eſt, & lauare,& fœcundare vtcunque: Animalium vero ſanguis profuſus terram reddit ſterilem,& maledictam ſi humanum ſanguinem receperit: ſecus qui pro multis effuſus eſt, vt quos generauit, eodem cibo nutriret. Quicquid enim generauit (ait Clemens Aleaandr. lib. 1. Pædagogi cap. 6.) ei,quod generauit alimentum præbere eſt conſentaneum. Quemadmodum autem generatio conuenienter,ita

Sãguis Chriſti mundat, & fœcundat

Clem.

etiam

Digitized by Google

etiam homini antrimentum fuit ſpirituale; omni ergo ratione nos in omnibus Chriſto coniungimur, & familiares reddimur, & in cognatione per ſanguinem eius, quo redimimur, & in conſenſione per nutritionem, quæ ex verbo efficitur, & in incorruptione per ipſius inſtitutionem, & vitæ agendæ rationem. Eſt & ſanguis effuſus pro omnibus, ſed ſufficienter tantum, non efficaciter, vt ſcholaſtici gloſſant. Pro, *effundetur*, ſolet in aliquibus Biblijs legi effunditur; inter vtranque lectionem mediat Græcus codex ex χυνόμενον, *effuſus*, quod tam ad preſens, quàm ad præteritum poteſt referri. Nam Chriſtus Agnus eſt occiſus ab origine mundi, qui, inquam, in acceptatione Dei præuiſus eſt effundi ab initio peccati, vt medicina præuideretur morbo. In temporis plenitudine effuſus eſt, & factus præſens omnibus, vt deleto Chirographo decreti, ad cæli Regnum aditus pateret.

Sãguis Chriſti pro omnibus effuſus

CAPVT XXV.

Amen dico vobis, quia iam non bibam de genimine vitis vſque in diem illum, cum illud bibam nouum in Regno Dei.

Expoſitio.

ERgo quia effundẽdus eſt ſanguis meus: *Amen*, certoque *dico vobis, quia iam* morti propinquus ſum, & in breui curſum vitæ mortalis abſoluam, amplius *non bibam* vobiſcum *de genimine*, quod vitis plantata germinat, *vſque in diem illum* deſideratiſſimum, *cum illud*, ac multo quidem excellentius *bibam*; non certè corruptibile, & alterabile, ſed *nouum*, & hactenus inſolitum, quod vitis vera producit, *in Regno Dei*, & communicat his, qui ad præſtantiſſimam vitam eò ſuſcitantur, clarificanturque.

Amen dico vobis. Quaſi triplex de ſe myſteriũ ſit expoſiturus, videlicet mortẽ, noui vini potationem, & Regnum Dei, in quo ebibitur potio, omni alia potior, vt hiſce affirmatiuis notis, quaſi ex libri inſcriptione magnitudinem myſteriorum annotaremus, & aurem, ac mentem ad ea, quæ narrantur, aperiremus. Exordium enim graue attentos facit auditores ad orationis curſum. Quaſi ergo diceret: Audite quia de rebus magnis locuturus ſum, & aperientur labia mea, vt recta prædicem; ſic ait: *Amen dico vobis*, hoc eſt, *amen*, verumque propono dicturum, iamque affirmans *dico*, & pronuntio, vt in principio illationes, & concluſiones, quæ in eo continentur. In prima enim veritate, quæ in *amen* deſignatur, reliquæ ſubſunt.

Quia iam non bibam. Ergo biberat de illo, quod Apoſtolis propinauerat. Vnde Chryſoſtomus homil. 83. ait: Hac de cauſa, inquit Dominus: deſideraui hoc Paſcha vobiſcum comedere, hoc eſt, tradere vobis res nouas, & Paſcha dare, quo vos ſpirituales faciam. Ipſe quoque *bibit* ex eo, ne auditis verbis illis dicerent: Quid igitur ſanguinem bibimus, & carnem comedimus? Ac ideo perturbarentur. Nam quando prius de his verba fecit, multi ſolummodo propter verba, ſcandalum paſſi ſunt. Ne igitur tunc id quoque accideret, primus ipſe hoc fecit, vt tranquillo animo ad communionem myſteriorum induceret. Et Auguſtinus in Pſal. 33. concio 1. Manibus aliorum poteſt portari homo, manibus ſuis nemo portatur. Quomodo intelligitur in ipſo Dauid ſecundum litteram non inuenimus; in Chriſto autem inuenimus: Ferebatur enim Chriſtus in manibus ſuis, quando commendans ipſum corpus ſuum ait: Hoc eſt corpus meum. Et concione 2. eiuſdem Pſalmi. Cum commendaret ipſum corpus ſuum, & ſanguinẽ ſuum, accepit in manus ſuas, quod norunt fideles, & ipſe ſe portabat quodammodo. Ita quod corpus proprium, atque ſanguinem ſub ſpetiebus conſecratis Chriſtus ſumpſit, & manducauit.

Chriſoſt.

Auguſt.

De genimine vitis. Magnum myſterium, ait Arias Montanus, habet hæc deſcriptio, quale autem ſit prætermittit Illud tamen Auguſtinus 1. quæſt. in Euang. 43. explicat, faciens *genimen vitis* humanum corpus, cuius vetera mala bibit in paſſione, in reſurrectione vero guſtauit nouũ hominem, quem ſeipſo glorificauit. Ad hæc Zacharias Chryſopolitanus 156. Senſus eſt litteræ: Deinceps non delectabor in ſacrificijs Synagogæ, donec credat in patrem meum, & in me, & in Eccleſia fidelium immolet ſacrificium carnis meæ, & ſanguinis mei, quod cum fecerit tunc bibam, hoc eſt, delectabor vobiſcum, in renouatione ſua per fidem Eccleſiæ. Beda in Marcum: paſſurus Dominus, ait, *iam non bibam de genimine vitis*, ac ſi apertè dicat, non vltra carnalibus ceremonijs delectabor, in quibus carnalis agnus locum tenet. Aderit enim tempus me reſurgẽte, cum ego ſublimatus in gloriam vitæ immortalis vobiſcum fungar de ſalute huius populi fonte gratiæ ſpiritualis regenerati. Idem in Lucam poteſt ſimpliciter accipi, quod ab hora cœnæ, vſq. ad tempus reſurrectionis vinum bibiturus non eſſet. Poſtea namque manducauit, & bibit, vt ait Petrus Apoſtolus: Qui manducauimus cum illo, poſtquam reſurrexit à mortuis: Multo tamen conſequentius intelligitur, vt neget ſe vltra guſtaturum typicum potum, donec manifeſtata gloria reſurrectionis Regni Dei, fides mundo adueniat. Ego potius hoc *vitis genimen* interpretarer vinum conſecratum, quod poſt reſurrectionem, vt & panem deguſtaſſe nulli dubium videri debet, quandoquidem ſe multo

Arias Montanus.

Auguſt.

Zacchar.

Beda.

multo familiariorem oſtendit tunc Apoſtolis, quàm antea, & ſigna amoris apertiora declarauit illis, quàm vnquam fecerat. At communicatio panis, & vini conſecrati eſt omnium ſignorum mirabilius, & immenſiſſimæ beneuolentiæ ſignum, quod proprius quàm vllum aliud *genimen vitis* dici poteſt. Siquidem vina alia non à vite ſolum, ſed à vinearum terris, campis, & ſtudijs vinitorum robur, & excellentiam habent; hoc verò à vitis conditione omnia habet, & naturam, & operationem. Vitis eſt, quæ non pendet ab agricolæ diligentia, nec ſolis qualitate, Chriſtus eſt ipſe, qui ait: Ego ſum vitis vera. (*Ioann. 15*) Vnde & vinum conſecratum in ſanguinem, quod non iterum conſecrat, quonſque nouus & ipſe appareat, nouumque tradat, quia immortale, quod in cœna mortale, & paſſibile tradiderat.

Vſque in diem illum. Per emphaſim vocat reſurrectionem *diem illum*, quoniam dies in quo factum eſt veſpere, & mane *dies* vnus, (*Gen. 1.*) hoc eſt, primus in diebus anni, celeberrimus omnium, in quo Dominus regnauit, decorem induit. (*Pſal. 92.*) Venerabilis, quando Regem in decore ſuo viderunt Principes populi; *dies* enim primitiuorum, quando omnia fuerunt, ſicut antiquitus, & in melius renouata apparuerunt in ſecundo Adã, quàm primus vnquam habuiſſet. Quia denique *dies* boni nuntij; quod nos reſurgemus; (*Apoc. 7.*) quod abſterget Deus omnem lacrymã; (*2. Cor. 3.*) quod transformabimur in immaginem filij Dei; quod tabernaculum lapſum non vltra animale, ſed ſpirituale, non infirmum, ſed glorioſum erigetur, & ſuſcipiet diadema ſpeciei de manu Domini; & quod denique omnes in templo eius dicant gloriam, & abſque terrore verſentur.

Cum illud bibam. Bibit igitur; & ante mortem carnis, & poſt eiuſdem reſurrectionem, vt qualem ſint habituri iuſti, ſortem contemplemur, quamque benè cuncta bonis ſuccedant in Chriſto capite perſpiciamus. *Bibunt* enim dum in terris viuunt, (*Pſal. 36.*) & temporali poto; quia non vidi iuſtum derelictum, & ſpirituali: quia bibunt aquam ſalutarem, quæ fontem in vitam ſapientem procreat, poſt vitæ huiuſce decurſum; *bibunt* fontem viuum, (*Prou. 10.*) fontem ſignatum, vnde flumina ſcaturient aquæ viuæ, & vini fluenta quod miſcuit ſapientia, vt gaudeant gaudio magno valde, qui illud biberint. Hinc ille: (*Iob 1.*) quando euigilabo, & rurſus vina reperiam? Non quæ Noe denudant, ſed quæ filium hominis, quaſi crapulatum præ amore efficiunt. Fruitio itaque charitatis erit vini potus, quem iuſtus expectat, ſibique nouit repromitti. (*Cant. 8.*) Dabo tibi potum ex vino conditum.

Nouum. Vt qui ſubſtantiam viſus eſt innouare, nouo vtatur alimento: aliter enim in vtero, & aliter eductus ab vtero puer nutritur. *Nouus* homo natus in mundo lac quærit, & quæ dulcedinem olfaciunt libenter deguſtat: refugit autem quod amareſcit, & male olet. Ecquis *nouus* homo, niſi quem Chriſtus ſuſcitauit à mortuis? Et hunc quoque dicimus *nouum* guſtaſſe poculum, & *nouum* vinum in vtres *nouos* paratum reponere, quando noua fecerit omnia, vt concupiſcentia delectamenti ſui nouum ſaporem participent, qui calicis amariſſimi, quem ipſe prior bibit, potionem deguſtare non recuſauerit. Quoniam ſcriptum eſt: De torrente in via bibit (*Pſal. 109*) propterea exaltauit caput. Torrens eſt tribulatio, quam bibit, qui patienter ſuſtinet, ac propterea exaltatur, & introducitur in cellam vinariam, vt cum gaudio bibat vinum ſuum, & fruatur Deo, qui vinea, atque vinum, & omne delectamentum eſt ijs, qui viriliter, vt milites ſtrenui, laborãt, aduerſus vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas; & operarij ſunt ſeduli in vinea Domini ſabbaoth, vt non defatigetur animis præ pondere diei, & æſtus quod occurrit in opere demandato. Si ſtrenuo decertantibus in vita mortali datur nouum vinum in immortali, hoc eſt, vt exponit Arias Montanus, (*Arias Mõtanus.*) nouo modo, & perfectiſſimo, cum Eccleſiam immaculatam, ſanctam, & mundam obtulero Deo patri, in fine temporum omnium, ac mundi huius.

In Regno Dei. Regnum Dei ſiue patris, fidem puto eſſe credentium (ait Zaccharias (*Zacchar.*) Chryſopolitanus) vnde Apoſtolus: *Regnum Dei* intra nos eſt. Cum enim crediderint in Deum patrem, & adduxerit eos pater ad filium, tunc de vino eorum bibet Dominus, & in ſimilitudinem Ioſeph inebriabitur cum fratribus ſuis; vel *in Regno Dei* (*Theoph.*) ſecundum Theophylactum, ſcilicet, in octauo ſæculo bibit cum Diſcipulis ſuis myſteria, & ſapientiam nouam quandam, docens nos, & reuelans, quæ abſcondita eſt. Poteſt & *Regnum Dei* interpretari Eccleſia noua, quam fundauit Chriſtus, & præcipit non legali vino, ſed nouo, quod germinat virgines paſci eius filios.

CAPVT XXVI.

Et hymno dicto exierunt in montem Oliuarum.

ABſolutis conuiuijs, quibus tum animas (*Expoſitio.*) diſcipulorum ſuperabundè recrearat, ſurgit è cœna, & *hymno* in gratiarum actionem pro more *dicto*, exierunt omnes conuiuæ *in montem* nominatiſſimum, & myſteria ſcaturiens, vtpotè *oliuarum* ab vbertate arborum, & baccarum liquore ſuauiſſimo.

Et hymno dicto. Qualis fuerit hymnus, quem

Digitized by Google

quem Dominus in fine cœnæ recitari vo-
luerit, nihil certi habetur, niſi illum dica-
Burgen. mus, quem Burgenſis cenſet ab Hebræis de-
Auguſt. cantari in diebus ſolemnibus. Auguſt. ad
Ceretium ſcribens refert circumferri ſuo
tempore librum, cui titulus erat. Himnus
Domini, quem dixit ſecretè ſanctis Apo-
ſtolis: Apocryphum autem, vtpotè Priſcil-
lianiſtarum opus fuiſſe idem deponit. Quod
in dubium nobis eſt, & quidem imitandum,
Dominum initio benedixiſſe, & abſolutis
omnibus, hymnum dixiſſe, vt præſto ſimus
omni tempore iuxtà etiã ſtatutum Apoſto-
licum lib. 7. conſtit. Apoſt. cap. 26. ad agen-
Coſt. Apoſt. das gratias, tanquam fideles, & grati ſerui,
ac pro Euchariſtia quidem in hunc modum:
Gratias tibi agimus pater noſter pro vita,
quam nobis per Ieſum filium oſtendiſti, per
quem vniuerſa feciſti, &c. Poſt communio-
nẽ cap. 27. Inquiunt Apoſtoli, ſic eſt gratia-
rum actio adhibenda: Gratias agimus tibi
Deus, & pater Ieſu ſaluatoris noſtri, pro sã-
cto corpore ſuo, &c. cap. 50. quomodo ad
Formulę gratiarum actionis. ſumendum cibum orare debeamus. Sed &
hoc ſalubre inſtitutum obſeruant religioſi,
& qui Deo ſtudent amabiles fieri: tametſi
formulis diſcrepent ab Apoſtolicis, cum
idem alijs verbis preſtent. Præterea etiam
Theoph. hoc indicat, inquit, Theophylactus, quod
grata ſit ei mors pro nobis; quoniam etiam
exiens, vt traderetur, laudat Dominum.
Omnium autem, & nos docet, quando in
aduerſo pro multorum ſalute inciderimus,
ne triſtes ſimus, ſed & gratias agamus Deo,
qui noſtram afflictionem in multorum ſa-
lutem operatur.

Exierunt in montem Oliuarum. Poſt ſer-
monem, inquam, qui apud Ioannem legitur,
ad mortem properans, *exit* cum ſuis *ad
montem Oliuarum*, vt à loci vbertate, &
qualitate fructuum mortis ſuæ, tum digni-
tatem, tum virtutem dignoſceremus, vtpo-
tè efficacem omnis gratiæ, & dignam totius
1 Cor. 15 triumphi. Quia abſorpta eſt mors in vi-
Coloſſ. 2. ctoria, & ſpoliauit principatus, & poteſta-
tes, palam triumphans fortis, & potens in
Pſal 23. prælio crucis factus, cuius liuore ſanamur
Iſai. 53. omnes, qui iacemus vulnerati, & percuſſi à
ſerpente. Cantabo ergo (dicebat Iſaias
Cant 5. præuidens myſterium) dilecto meo canti-
cum patruelis vineæ ſuæ: Vinea facta eſt
dilecto meo in cornu filio olei. Filius olei
Chriſtus eſt, hoc eſt, Dei, cuius nomen oleũ
effuſum eſt, præ ſuauitate, & plenitudine
gratiarum, quarum fons eſt, & origo. Vn-
Ioann. 9. de & Chriſtus totus oleũ, quia plenus grã-
tiæ, & veritatis, de plenitudine cuius nos
omnes accepimus. In cornu autem facta
eſt vinea, & dilecto, & filio olei, quando
corpus ſuum dedit percutientibus, genas
vellentibus, & faciem non auertit ab incre-
Iſai. 50. pantibus, & conſpuentibus; ſed poſuit vt
petram duriſsimam: Et ſcio, inquit, quia
non confundar, immo verò eripiat de la-
queo venantium, & ponam inimicos ſca- *Pſal. 90. 109*
bellum pedum meorũ, & facies Principum
mirabuntur me victorem, quia factus ſum *Iſai. 63.*
propugnator ad ſaluandum, & ego vici.
Tunc enim Eccleſia, quæ & vinea facta eſt
Deo per meritũ humanitatis, quæ paſſa eſt;
& quilibet noſtrum, plãtatur ſemen verum
vineæ, quando crucis Chriſti liquorem par-
ticipamur. Omnia enim, quæ ad ſalutem
noſtram conducunt, ait Chryſoſt. hom. 55. *Chryſoſt.*
in Matth. per ipſam conſumantur. Nam
cum regeneramur crux Domini adeſt; cum
ſacratiſsimo alimur cibo, cum in ordine
conſecrandi ſtatuimus, vbique, ac ſemper Crucis ſignũ familiare.
id victoriæ inſigne nobis aſsiſtit. Hæc itaq.
atque alia in acceſſu ad montem Oliueti
prælibantur meditanda ijs, qui ducem ſe-
qui ad mortẽ diſponuntur. Egreditur quoq. *Theoph.*
ad montem Oliuarum, ſecundum Theophyl.
vt ſolitarium adorirentur, & detinerent, ne
tantum tumultum faceret. Nam ſi in ciui-
tate ipſum inuaſiſſent, fortaſsis ſuborta fuiſ-
ſet turba, & inimici occaſione quapiam, quæ
iuſta videri potuiſſet apprehenſa, viſi fuiſ-
ſent ipſum iuſtè, & ſeditioſum interficere.

Exierunt. Denique ad *montem Oliueti
hymno dicto*, & communione facta, vt doce- *Gloſſ.*
ret nos, inquit Gloſſ. Bedæ, per acceptio- *Beda.*
nem ſacramentorum, & per opem interceſ-
ſionis ſuæ ad altiora virtutum dona, & cha-
riſmata Sancti ſpiritus, quibus in corde
perungamur, debere conſcendere.

CAPVT XXVII.

Et ait eis Ieſus, omnes ſcandalizabimini in me in nocte iſta, quia ſcriptum eſt: Percutiam paſtorem, & diſpergentur oues.

PErgentibus itaque ad montem Olua- Expoſitio.
rum, nec quidem abſque mæſtitia prop-
ter abſentiã, quæ inſtabat magiſtri, *ait* eiſ-
dem diſcipulis amantiſsimis *Ieſus*, atque
præuidit infirmitatem, quam in morte ſua
pati debuiſſent, *omnes*, inquit, vos qui mox
abſque pauore videmini, poſt modicũ tem-
poris *ſcandalizabimini*, vidẽtes *in me* fieri,
quæ homini alioqui nefandiſsimo, & omniũ
ſtultiſsimo vix quiſquam inferret; nec di-
ſtat hoc veſtræ infelicitatis tẽpus. Etenim
in nocte iſta, cuius vmbra terrã iam aggre-
ditur id mali vobis accidet. Quia per Zacch.
Proph. ſcriptũ eſt, & vaticinatũ quid mecũ
agi oporteat hac ipſa nocte, quid & vos
ſitis acturi. Dixit enim: *Percutiã* ad interitũ
vſque paſtorem, principem vniuerſorum
paſtorum, & qui eum ſequebantur Diſcipu-
li, hinc, indeque *diſpergentur*, haud ſecus,
quàm *oues*, quæ ſuo carent ductore, nec ha-
bent quo vel educantur, vel reducantur.

Et ait

Digitized by Google

Et ait Ieſus. Hoc eſt præuidit, quod futurum eſſet malum, non ſolum vt Deum ſe manifeſtet, qui omnipotentia ſua poterat, ſi voluiſſet, mortem impedire. Quemadmodum omniſcientia præuidere; verum etiam, vt amorem in diſcipulos demonſtraret, quibus mala præuidit ne dilaberentur, aut certe minor fieret eorum caſus. Eo enim tendit futurorum præuidentia, quam Deus per Prophetas ſuos multifariam, multiſque modis fecit hominibus. Vnde dicitur: *Iacula, quæ præuidentur minus feriunt.*

Omnes ſcandalizabimini in me in nocte iſta. Quid ſcandalũ perſæpe dictũ eſt; nunc quomodo omnes ſcandalum pati dicantur, idque in nocte, paulisper contẽplemur. Omnes pati ſcandalũ dicũtur, non quod omnes, vt Petrus, peccarent negantes Chriſtum, ſed quod non æque conſtantes, vt oportebat, ſe in ſequela Chriſti oſtendiſſent: omnes enim declinauerũt ſimul, inutiles facti ſunt; non tamen omnes præuaricatores, ſed is, qui dixit: Quia non noui hominem. Porrò quod nocte ſcandalum acciderit, originem notat, & cauſam vtpotè obſcuritatem. Hæc enim ſi mentem occupauerit, vbique, & paſſim facit hominem offendere, & ſcandalizari in minimis. Peribit enim ſapientia à ſapientibus, & intellectus prudentium abſcondetur, vt non videant bonũ, & trahant iniquitatem in funiculis vanitatis. Laborandum ergo eſt nobis, non eſſe in nocte, neque aliqua noctis ſpiritualis obſcuritate, ignorantia, errore, hæreſi, nec vitio detineri: ſed in luce ambulare, & in lumine Dei viuentis, vt videntes videamus, intelligentes intelligamus, tantumque abſit cor à cæcitate, vt ſit continuo exaltatum ad Deum, qui lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllæ.

Rom. 3. *Matth. 26* *Iſai 3.* *1. Ioann 1.*

Aduerte tamen non dici ſcandelizabitis me, ſed in me: Chriſtum enim non ſcandalizant Apoſtoli fugientes, neque peccatores, qui errãt ab vtero, loquuti ſunt falſa, & cogitant dolos tota die. Quoniam cognouit figmentum noſtrum, quia puluis ſumus, ad omne malum faciles, ac proni ab adoleſcentia, quo fit, vt miſereatur noſtri potius, & compatiatur. Nos ſumus, qui ſcandalizamur in Chriſtum, ac Deum quoties quæ agit, & loquitur per ſe, ac ſuos, perperam interpretamur, & ſecus quàm par eſt docemus: Vnde Anacletus epiſt. 2. de ordina. Archiep. ille proculdubio ſcandalizatur in Deum, qui rectè non docet, & qui eius ſcandalizat Epiſcopum, vel ſacerdotem.

Pſal. 57. *Pſal. 102.* *Anacl.*

Quia ſcriptum eſt. Allegat ſcripturam, quæ myſterium exponeret, vt per eam illuſtrarentur Apoſtoli, & intelligentiam oraculi ab eo, qui conſiderat ſcripturam, reciperent. Idque abſente Iuda. Quoniam ſcribit Innocentius III. ep. ad vniuerſos fideles: Arcana fidei ſacramenta non ſunt paſſim omnibus exponenda, cum non paſſim ab omnibus poſſint intelligi; ſed eis tantum, qui ea fideliter poſſint concipere intellectu: Propter quod ſimplicioribus, inquit Apoſtolus, quaſi paruulis in Chriſto, lac potum dedi vobis, non eſcam. Maiorũ enim eſt ſolidus cibus, ſicut alijs ipſe dicebat: Sapientiam loquimur inter perfectos, inter vos autem nihil iudicaui me ſcire, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum. Tanta eſt enim diuinæ ſcripturæ profunditas, vt non ſolum ſimplices & illiterati, ſed etiam prudentes, & docti non plene ſufficiant ad illius intelligentiam indagandam. Propter quod dicit ſcriptura: Quia multi defecerunt ſcrutantes ſcrutinio. Vnde rectè fuit olim in lege diuina ſtatutum; vt beſtia, quæ montem tetigerit, lapidetur: ne videlicet, ſimplex aliquis, & indoctus præſumat ad ſubtilitatem ſcripturæ pertingere. Scriptum eſt enim: Altiora te ne quæſieris, propter quod dicit Apoſtolus: Non plus ſapere, quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem. Hanc igitur doctor paruulorum Chriſtus deſiderans vndecim, quod ſcriptum eſt de arcanis fidei & myſterio ſui diſceſſus proponit.

Innoc. III. *1 Cor. 2.* *Pſal. 63.* *Exod 19* *Eccleſ. 3.* *Rom. 12.*

Percutiam paſtorem, & diſpergentur oues. Vaticinium eſt Zachariæ, apud quem ſic legitur integrum: Framea ſuſcitare ſuper paſtorem meum, & ſuper virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum: *Percute paſtorem, & diſpergentur oues*, & conuertam manum meam ad paruulos. Lectionem hanc, quæ eſt Hebræo conſona, elucidant Septuaginta dicentes gladius conſurge, ſuper paſtorem meum, & ſuper virum ciuem meum, dicit Dominus omnipotens. *Percute paſtorem, & diſpergentur oues*, & inducam manum meam ſuper paſtores. Vtrique etiam lectioni nonnihil lucis adfert Chaldaica tranſlatio ſic habens: Gladio denudare ſuper Regem, & principes, & ſuper ſocium eius, qui eſt ſimilis ei dicit Dominus exercituum; interfice Regem, & diſpergentur Principes, & conuertam plagam potentiæ meæ ſuper ſecundos. Hos dico Apoſtolos, qui ſunt ſecundi à Chriſto, & ab eodem Paſtores orbis conſtituti; quos quia voluit humiles, ſicut ſeipſum fieri, vocitantur paruuli, ac propterea auxiliati manu Dei, cui complacuit dare illis Regnum Eccleſiæ militantis, & triumphantis, ſubinde appellati ſunt Principes ſuper orbem terrarũ; *oues* autem, quod ſub Chriſti ducatu fuerint, qui eſt paſtor, Princepſque paſtorum dictus, paſtor Dei, quod Dei creaturas ſuſceperit regẽdas, vir quoq. lucis Dei, illique cohærens appellatur, ab vnione hypoſtatica verbi, vnde pariter habet inaugurari Regem Regum, & excelſum

Zach. 13 *Thranſlatio Chaldaica.*

ſum præ Regibus terræ, necnon ſocium, qui eſt ſimilis Deo; adeo vt propter communicationem idiomatum, homo Deus, & Deus homo dicatur. Hunc igitur percuti Framea eſt mors. vult pater à framea, quæ & gladius, atque mors; quoniam pro nobis ex amore tradidit illum. Præcipit autem percuſſionem gladio, non gladiatoribus: namq. horũ aſtus, vt qui ex malitia malus erat; malum autem culpæ Deus non facit, nec præcipit. Bene autem gladiationem, & mortem, vt quæ bona, & ſalutis vniuerſorum antidotum, proprijque corporis mortui beneficium, & exaltationem. Id quod neſcientes, qui vt *oues* talem paſtorem ſequebantur, fugerunt, percuſſo paſtore; at Deus, qui pater eſt miſericordiarum, inducit manum ſuam ſuper diſperſos, vt à fuga, & periculo retraheret. Quod verò Paraphraſtes dicat: Conuertam plagam potentiæ meæ; forte alludit ad opinionem Rab. Salomon, & ſuorum, qui non de Chriſto, ſed de Imperatore Romanorum, ac toto imperio, quod per Mſſiam, deſtrui ſperant, & interfici eius Regem, Prophetam interpretantur: ſed valde extorte, & malè, inquit Lyra, in hunc locum, *Lyran.* quia Imperatorem Romanum vocat nequam, & peſſimum, & ſic ſecundum eum, ſcilicet, Rab. Salom. non poteſt dici Pa- *Rab. Salom.* ſtor Dei, nec inhærens ſibi, quia talis inhærentia amicitiam ſignificat. Vnde in Hebræo dicitur ſuper virum mihi aſſociatum, quod de Chriſto optime exponitur, vt dictum eſt.

CAPVT XXVIII.

Sed poſtquam reſurrexero, præcedam vos in Galilæam.

Expoſitio. ET ſi vos inquit præ timore diſpergemini, meque in manus hoſtium relicto fugam capietis; ego qui vos diligo vnice, veſtri nequaquam obliuiſcar, *ſed poſtquam à mortuis reſurrexero* ad gloriã patris, ocyus *præcedam vos* conſolaturus, & reducturus ad meliores fruges veniam *in Galilæam*, loquarque vobiſcum de Regno Dei, & myſterijs, quæ mox tàm difficilia creditu videntur vobis, ſed facilia quando iterum veniam ad vos, voſque confirmauero.

Sed poſtquam reſurrexero. Poſt narrationem de morte habitam, proponit reſurrectionem ſuam, velut trophæum, quo de morte triumphauit, & dominatur cunctis, quia in hoc Chriſtus mortuus eſt, & reſur- *Rom 14.* rexit, vt & mortuorũ, & viuorum dominetur. Etiam vt reſurrectionis propoſita memoria, triſtes animos deliniret, quem imi- *2. Tim. 2* tatur Paulus ſcribens ad Thim. dum ait: Memor eſto, Dominum Ieſum Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis ex ſemine Dauid ſecundũ Euangelium meum. Huius enim ſiue mortui, ſiue ſuſcitati exemplum fidele in anguſtia conſolatur, & reuelet, vt ſperet per eum vincere, & proſperari. Quia pro peccatis *1. Pet. 3.* noſtris mortuus eſt, iuſtus pro iniuſtis, vt nos offerret Deo, mortificatus quidẽ carne, viuificatus autem ſpiritu. Inde Cyrillus, *Cyrill.* de recta in Chriſtũ fide ad Auguſtas: Multi ex ſanctis Prophetis interempti ſunt; at nemo illorum omnium, aut peccatorum noſtrorum cauſa appetijſſe, aut ſua nos morte Deo obtuliſſe, aut ſpiritibus, qui in carcere detinebantur prædicaſſe dictus eſt: præſtitit hoc autem Chriſtus: per ipſum quoque & in ipſo redempti ſumus, ipſiuſque mors terrarum orbi ſalutẽ attulit. Cum ipſum ergo Dei verbũ (ſubdit inferius) carne paſſum dicitur, nullo pudore ſuffundamur, gloriam enim eamque Deo conuenientiſſimam rei exitus ſortitur.

Præcedam vos in Galilæam. Quia ſcilicet Paſtor bonus iterum congregabo vos oues diſſipatas, & gaudebit cor meum vobiſcũ, ac veſtrum mecum. *Præcedam*, inquit, vt facto probet dicta: Qui intrat per oſtium paſtor *Ioann. 10 Chiſtus paſtor bonus.* eſt ouium. Et cum proprias oues emiſerit, ante eas vadit. Et quomodo ante eas *præcedit*? *Præcedit* quidem in tribulationibus corporis, vt ſuſtentent debilem; *præcedit* in animi afflictionibus, quouſq. Chriſtus formetur in deformi peccatore; & *præcedit* in ſpiritualibus donis, & benedictionibus dulcedinis, quia fidelis ſeruus, & prudens, quẽ *Matth. 24* conſtituit Dñs ſuper familiam ſuam, quem facit ſedere dum eius conſcientiã à gehenna reddit ſecuram, cui & miniſtrat tranſiens quando deprecanti pro populo noxam condonat, animũ in dubijs illuſtrat, & dirigit, quandoque cor tradit ad vigilandum diluculo, replet ſpiritu intelligentiæ, vt loquatur ſapientiam, inter perfectos, & Angelorum aſpectu delectatur, vt hilariter perficiat, quæ præcepta ſunt ei. In his optima præcedentia attenditur, non in alijs, quæ paſtorem ſæpe à ſua dignitate, & onere degenerare faciunt.

CAPVT XXIX.

Petrus autem ait illi: Et ſi omnes ſcandalizati fuerint, ſed non ego.

HIs Chriſti prænuntijs non attendentes Diſcipuli in foueam incipiunt ſeipſos *Expoſitio.* precipitare, dũ vidẽter minus credere oraculo, & auctori oraculorũ. Quod fit ne grauius, quã ex timiditate negare Chriſtũ, ac fugere cæteri diiudicabũt; interim quid *Petrus* pro ſe loquatur, audiamus: Is enim audacior quã cæteri, ac nimiũ ſibi confidens *ait* Chriſto: *Et ſi*, ò præceptor bone, fragilitas humana hac in parte, ac forte ingratitudo inter noſtros reperiatur, adeo vt *omnes* videntes

te

Digitized by Google

te ignominioſè tractari *ſcandalizati fuerint, ſed non ego* aut timore , aur obliuione rantorum, quæ à te præ cæteris recepi , potero vnquam trahi ad tàm immane ſupercilium, vt ſcãdalizer in te, cuius facies plena eſt gratiarum, os autem verba vitæ habet, & ipſe totus es deſiderabilis .

Petrus autem ait illi . Vt qui cæterorum Princeps, & capur auimi ſui fidelitatẽ oſtendir; quod etſi pulchrum, ac debitum, fit præſumptioue indecorum, immo verò pernicioſum eſt offerre Deo corporis vitam, & ſtudium fidelitatis perpetuæ ex proprijs, & naturæ viribus . Nihil enim poſſumus ex nobis . Tu es inquit, ò Deus qui præcinxiſti me virtute ad bellum & ſupplantaſti inſurgẽtes in me ſubtus me. Perfice ergo greſſus meos iu ſemitis tuis, vt non moueantur veſtigia mea . Sic quidem forti præſidio teneberis, quicunq. teque, ac tua Deo obtuleris. Namque hoc eſt locum dare timori altiſſimi non præſumptione .

Imbecillitas naturæ ex ſe

Pſal. 17.
Pſal. 16.

Et ſi omnes ſcandalizati fuerint. Hoc primum qui nimium præſumit inhoueſtum aggreditur, taxare alios, & carpere , aut de vitio , aut de minori virtute . Vnde dixit Phariſæus, non ſum ſicut cæteri, velut etiam hic publicanus . Petrus autem : *Et ſi omnes ſcandalizati fuerint* . Supponit euim Chriſti oraculũ iu his locum habere , vt qui puſillanimes, ac virtutis paucæ, in ſe autem nihil poſſe. Dum ergo nimis iuſtus vult apparere, iniuſtè agit iu proximum, iniquitatem quærit in ejus domo, quodque deteſtabilius veritatem mendacio videtur raxare. Quid ad hæc , ò Paſtor ouium Petre ? Nunc tibi eſt cor farui, quod quaſi vas confractum omnem ſapientiam non tenet, quin nullam, ſed adhærit rempus quando cor nouum dabitur tibi, & ſpiritu nouo repletus lingua altera loqueris.

Primus præſumptionis gradus.

Luc 18.

Petri lapſus

Sed non ego. Ad hoc denique ſupercilium imprudenter, ac ſtulte nimis de ſeipſo præſumens deuenit, vt nihil malè de ſe ſentiat, neque cogitet quicquam aduerſi poſſe illi vnquam accidere, ſed ſemper fore cum Deo ſuo perſeueraturum iu teſtamento, quod profeſſus eſt, nec aliquando à gratia, & prædeſtiuatione diſceſſurum : *Sed non ego*, inquit, ero tibi vnquam hoſtis, à te recedàm, & alia, quæ ſolent præſumentes de ſua iuſtitia audacter loqui ; hiſce verbis prænotantur . At inquir Synod. Trid. ſeſſ. 6. cap. 12. Nemo quamdiù in hac mortalitate viuitur de arcano diuinę prædeſtinationis myſterio, vſque adeo præſumere debet, vr certò ſtatuat ſe omnino eſſe in numero prædeſtinatorum, quaſi uerum eſſet quod iuſtificatus, aut amplius peccare non poſſit, aut ſi peccauerit certam ſibi reſipiſcentiam permittere debeat . Nam niſi ex ſpeciali reuelatione ſciri non poteſt, quos Deus ſibi elegerit .

Trid.

Vitanda prædeſtinationis arrogantia , & præſumptio

C A P V T X X X.

Et ait illi Ieſus : Amen dico tibi , quia tu hodie in nocte hac, priuſquam gallus vocem bis dederit , ter me es negaturus.

ET ideo , quia nimis in naturæ viribus confidebat Petrus, *ait* prudenter *illi Ieſus* & ſaluator, vt præuidens nouum caſum, & inopinatum diſcipulo , præſumptiouem illi adimerer , & caueret à malo, quod proponebat futurum : *Amen*, inquir, nec iam dubites in euẽtu, quod modo dico, iterumq. prædico tibi, *quia tu* , qui mox videris , vt leo confidere , & ad nullius pauere occurſum, paruo ab hinc fluxo tempore , quippe *hodie*, cuius occaſus approximat, & *in ipſa* eius *nocte* proxima, *priuſquam gallus* , vigiliarum diligens obſeruator, *vocem* elatam *bis dederit*, quando medium ſilentium omnia tenent . Tùm quidem *ter me es* conſtanter *negaturus* , atque dicturus : Quia non noui hominem. Expoſitio.

Et ait illi Ieſus Et ſaluator optimus iterum præuidit Diſcipulo lapſum , vt quaſi medicamentum præſumptionis. Nullo enim magis humiliatur arrogans, quàm conſideratioue ignomiuæ, quam incurrir , vel imminet, ea quidem actus Pſaltes dicebat: Humiliatus ſum vſquequaque Domine, viuifica me ſecundum verbum tuum . *Pſal. 118.*

Amen dico tibi : In particulari, vt qui præ alijs te effers, cum neſcias quid ſuperuentura pariat dies, quidq. iuſtet mali, quo opprimaris. Non enim ſufficir cõmunis admonitio ſed particularis , & priuata vtendum quando priuata culpa detegitur, dicereque culpanti : Relinque peccata tua , præcurre ante faciem Domini , minue offendicula. Reuertere ad Dominũ, & auertere ab iniuſtitia tua, & nimis odito execrarionem , & cognoſce iuſtitias , & iudicia Dei , & ſta in forte propoſitionis , & orationis altiſſimi Dei. In partes vade ſæculi ſancti cum viuis, & dantibus confeſſionẽ Deo. His atque alijs priuatim agẽdum eſt cum eo, quem morbus peculiaris publice grauat inſtar medici , & chirurghi, qui pulte tumorem pedis emollit, ferro incidit venã, forcipe dentem euellit, & dolenti membro peculiare medicamentum præparat. *Eccl. 17.*

Quia tu hodie in nocte hac. Tu inquit, qui Cephas appellaberis, hoc eſt capur ; *tu* qui Princeps Apoſtolorum es ſignatus ; *tu* cui dandum eſt regnum, & cura fratrum; *tu* denique, quẽ tantis donaui priuilegijs, & multo plura ſum paratus addere, *hodie* coronam depones, in me arma vertes, & me alienum à te prædicabis. Quod ſi *tu* Petre hoc facis, & ingenij tui leuitas ad facinus te impellit, ò Pontifex maxime, æque tua inſipientia

Digitized by Google

deijcit, ô vir magni conſilij; quid ſperandum de tuis? quàm rata habebuntur tua concilia? ſi ſal tuum infatuatum fuerit, in quo ſalietur? ſi lumen quod in te eſt tenebræ fiunt; quid corpus tuum dicemus? Vti q. ſcio quæ *tu* priuatus committes, tibi ſoli imputari, nec lædi Eccleſiam quod perfidus exiſtas, neque diminui auctoritatem tuorum decretorum, quod *tu* qui vicarius es Chriſti, ac Petri ſucceſſor, quippiam inhoneſtum priuatè perpetres. Denique ne longè abeam, ait Chriſtus ad Petrum. Tu ſcilicet delinquens, vt qui ſedem eius ſunt occupaturi, & auctoritatem exercere, ſciant non reddi impeccabiles, quin audire poſſint, *tu* peccaſti. *Tu* vero defeciſti in fide, ne dixerim ego. Qui enim confirmaret fratres? aut qui portis inferi præualeret, porta inferi conſtitutus? Ergo hæc Apoſtolica ſedes (infert Anacletus Epiſ. ad vniuerſ. fideles, habetur d.22. Sacroſancta, & 21. cap. in nouo) cardo, & caput omnium Eccleſiarum à Domino, & non ab alio eſt conſtructa, vt fidei ſcilicet confirmationem ſemper retineat, & nullus eorum, qui ſedent, hæreſim profiteantur, tametſi de ea nonnulli inſimulentur; falſo tamen, probat Bellarminus in ſuis controuerſijs, & alij, &c.

Math. 5.

Confirmatio Pontificum in fide.

Anacl.

Falſo imputatur hæreſis Pontificibus

Priuſquam gallus bis vocem dederit. Hoc autem in hunc modum ſe habet, ait Theophylactus: Negauerat ſemel Petrus, deinde *gallus* cantauit, & cum alias duas abnegationes feciſſet & tunc quoque *gallus* cantauit. Et hoc eſt, quod hoc loco dicit, *Priuſquam gallus bis* cantet, ter me abnegabis. Alij (inquit Beda) ſimpliciter dicunt, priuſquam gallus cantet ter me negabis. Tota enim Petri negatio, trina negatio eſt (proſequitur Gloſſ. ordin.) & in eo propoſito animi remanſit, vſquequo amare fleuit. Hæc tota ſi poſt primum galli cantum inciperet, falſum tres dixiſſe viderentur, qui dixerunt Dominum dixiſſe: *Priuſquam gallus* cantet ter me negabis. Item ſi totam peregiſſet priuſquam *gallus* cantare inciperet, ſuperflue dixiſſet Marcus, ex perſona Domini, *priuſquam gallus bis vocem dederit ter me es negaturus*. Sed quia ante primum galli cantum incepta eſt, attenderunt tres, non quando eam impleturus eſſet, ſed quando futura, quando cæptura, quia trina ſcilicet cæpit ante galli cantum. Poteſt etiam intelligi, quia ante primum galli cantum cæpta, & ante ſecundum completa, tamen in affectione & timore animi Petri ante primum galli cantum tota cæpta eſt, ſicut & illud: Qui viderit mulierem ad concupiſcendum, iam mœchatus eſt eam. Cur autem gallicinium potius, quàm vel latratus canis, aut inflammationis cæleſtis, aut alterius, quæ ſolent noctibus accidere, ſignum pro negatione Chriſtus dederit, poſſet quiſpiam altiùs philoſophare. Ego paucis quæſito ſatisfaciam. Non eſt ſignum negationis Petri inflammatio cæleſtis, quod hæc charitatem ſignet diffuſam à Deo: negatio autem à frigiditate ortum habet. Non item latratus, qui noctibus frequens eſt; quod is ab ira procedat, & furore. Petrus autem puſillanimitate potius Chriſtum negauit. Igitur galli cantus eſt ſignum negationis Petri, quod is perterritus obſcuræ noctis timore cantet: Vnde ſentiens aduentare etiam meridie cantat. Petrum autem timor compulit difformiter negare.

Theoph.

Beda.

Gloſſ.

Concord.

Cur galli cantus ſignũ negationis Petri.

Ter me es negaturus. Negare autem peccati eſt opus, qui ergo Petro à culpa liberari valeat, non video. Scio nihilominus id quoſdam contendiſſe, vtpotè Hilarium c. 32. in Matth. 26. & c. 32. & Ambroſ. lib. 10. in cap. 22. Lucæ. Ille enim perſuadet Petrum non negaſſe diuinitatem, ſed tantum purum hominem, neque fidem, ſed fidei conſtantiam amiſiſſe. Hic verò opinatur ſolum negaſſe diſcipulatum. His conſonat Leo ſerm. 9. de paſſione Domini ſic alloquens Petrum: Adfuit dextera Domini Ieſu Chriſti, quæ labentem te, priuſquam deijcereris, exciperet, & firmitatem ſtandi in ipſo cadendi periculo recepiſti. Vidit in te Dominus non fidem fictam, non delectationem auerſam, ſed conſtantiam fuiſſe turbatam. Attamen verba ipſa Petrum de peccato accuſant. Verbum enim, *negare*, crimen deſignat: *Non noui hominem*, Deum negat; *neſcio quid dicis*, mendacium ſignat. *Iurare* autem, & *anathematizare*, blaſphemi ſunt hominis. Quare inquit Gregorius lib. 25. mor. cap. 10. Petrus infirmitate peccauit; quando in eo omne robur fidei, quod Domino perhibuit vna vox puellæ concuſſit, & Deum quem corde tenuit, voce denegauit. Et hoc quidem peccatum eſt contra confeſſionem fidei, cuius præceptum affirmatiuum pro loco, & tempore obligat. Vnde Prudentius in Hymno ad galli cantum cecinit.

Excuſant Petrum Hilar. Ambr.

Leo.

Lapſus Petri

Greg.

Prudent.

Fleuit negator denique ex ore prolapſum
nefas
Cum mens maneret innocens, animuſque
ſeruaret fidem.

Innocens ab infidelitate non à crimine mortali. Nam fides non amittitur per vnã aut alteram ceſſationem ab actu externo; ſcilicet confeſſionis fidei; ſed quando credere, qui eſt actus internus, ceſſat; hoc eſt, animo quis diſcedit. Id quod nemo inſultat Petro, ſed credulitate animi manẽte, defeciſſe à cõfeſſione, ſcriptura deponit. Quapropter friuolũ reputat Hier. ſup. 26. Matth. velle Petrum excuſare. Sic inquit, defendunt Apoſtolum, vt Deum mendacij reum faciant, ſi enim iſto non negauit, ergo mentitus eſt Dominus, qui dixerat: *Amen dico tibi ter me negabis*.

Hieron.

CAPVT

C A P V T   X X X I.

At ille amplius loquebatur: Et ſi oportuerit me ſimul commori tibi, non te negabo: Similiter autem & omnes dicebant.

Expoſitio. QVanto Petrum ſapere Chriſtus elaborabat præuiſione futurorum; tanto *ille*, quaſi extra ſenſum factus *amplius* ad Chriſtum *loquebatur*; ſeque maiori vinculo obſtringebat. *Et ſi* inquit, caſus tulerit vt vel *me* mori, vel te deſeri oportuerit quamprimum eligam *ſimul* tecum mori, ac ſimili morte *commori tibi*, quem noui ſanctum, ac iuſtum noſtrum, & credo Deum: Inducar autem nuſquam te negare; ſuperueniant minæ, labores aggrauent, & multiplicentur ſuper me vſque ad necē tortores. Ego autem immobilis permanens, & infractus *non te negabo.* Tanto Petri ardore reliqui excitati ſunt, vt *ſimiliter omnes* dicerent fore in ſua confeſſione conſtantiſſimos nec perturbationibus vllis poſſe à magiſtro ſeparari.

Eccl. 16. *At ille amplius loquebatur.* Quoniam exceſſerat cor eius & menſam prudentia defecerat. Vnde legimus: Qui minoratur corde cogitat inania, & vir imprudens & errans cogitat ſtulta, ac velut rota currus multiplicat ſermones inutiles contra animam ſuam. Peccantem autem in animam ſuam quis iuſtificabitur? aut quis honorificabit exhonorantem animam ſuam?

Et ſi oportuerit me ſimul commori tibi. Ac ſi non opporteret, neque enim alio elegerat Chriſtus Apoſtolos, nec alio frequens perhortatio, vt poſt ſe irent, ſequerentur eum, renuntiarent omnibus, odio haberent animam propriam, & ſimilium tendebat, quàm vt ſecum mori, & *commori* adhuc in vita mortali eos oporteret, ſi vellent diſcipuli eius eſſe, fideles legati apellari, & ſaluari denique. Turbatus tamen Petri animus non recogitat quid loquatur. Etenim expedit magis vrſę occurrere raptis fætibus, quā
Prou. 17. fatuo confidenti ſibi in ſtultitia ſua.

Non te negabo. Inculcat hoc ſæpius, vt fidum ſe amicum demonſtret, cum tandem
Eccl. 20. facto inimicus habeatur. De illo ergo dictum eſt: qui pre confuſione promittit amico, & lucratus eſt eum inimicum, opprobrium nequam in homine, mendacium, & in ore indiſciplinatorum aſſidue erit. Scio nullum in Petro habere locum mendacium; cum ait non te negabo; ſed falſum. Sic enim fore ſperabat, ſed falſus eſt à ſpe, ſuperatus à timore humano, qui eum compulit promiſſum reſcindere, & negare Chriſtum, quem animo diligebat, & optabat videre.
Cyrill. Vnde Cyrillus lib. 10. in Ioann. cap. 41. Ex amore igitur decidit & pietatis cauſa negaſſe videtur, non recte quidem, neque exquiſita ratione probatæ: Sed quæ tamen adeſſe cum Chriſto, & videre illum faciebat, quod maximè Petrus optabat.

Similiter autem & omnes dicebant. Pari amoris, & beneuolentiæ colligati in Chriſtum ligamine conſtanter fidelitatem promittuur, memores oraculi: Fidem poſſide cum amico in paupertate illius, vt & in bonis illius læteris. *Eccl. 22.* In tempore tribulationis illius permane illi fidelis, vt & in hæreditate illius cohæres ſis. Hanc enim Chriſtus promiſerat eis, ſi illum confiterentur coram hominibus, propterea *ſimiliter omnes dicebant* non ſcandalizabimur, non ſeparabimur à te, non te negabimus. Verum enimuero quia ſpem ponebant bracchium ſuum, & naturæ potētiam, non ſeruauere promiſſum fugientes relicto magiſtro. Ergo qui promptus & tui confiſus videris, ne temerè quid loquaris, neque cor tuum ſit velox ad proferendum ſermonem coram Deo. Deus enim in cælo & tu ſuper terram, idcirco ſint pauci ſermones tui. Multas curas ſequuntur ſomnia, & in multis ſermonibus inuenietur ſtultitia. *Eccl. 5* Qualem mox in Apoſtolis contemplamur, non abſque Dei iudicio admirabili, qui permiſerit Principes regni ſui, tàm facile promittere, & tàm turpiter à promiſſis deficere. Ne quis vnquam in ſtatu glorietur, neque ob familiaritatem cum Deo ſuo præſumat, ſed in humilitate, quæ exaltat in ſui minoratione, quæ confirmat in pauperrare, quæ Deum allicit & in auxilio ſolius Dei. Quia tu es ipſe Rex meus & Deus meus (dixit ille) qui mandas ſalutes Iacob. In te inimicos noſtros ventilabimus cornu & in nomine tuo ſpernemus inſurgentes in nobis. Non enim in arcu meo ſperabo, & gladius meus non *Pſal. 8.* ſaluabit me; & nunc quæ eſt expectatio mea? Nonne Dominus? & ſubſtantia mea apud te eſt.

C A P V T   X X X I I.

Et veniunt in prædium, cui nomen Gethſemani, & ait diſcipulis ſuis: ſedete hic donec orem.

Expoſitio. SIc quidem colloquentes properabant ad montem illum oliuarum. Et tandem pertranſito torrente cedron, veniunt vndecim collegæ ſacri ſenatus, Apoſtoli poſt Chriſtū, qui præcedebat ad mortem, vt ad lautiſſimum conuiuium, atque triumphum pergens, *veniunt* vtique *in prædium*, atque villam eo ſitā, cui nomen *Gethſemani*, & cū ad hortū, qui illic erat conſitus, intraſſent; *ait diſcipulis ſuis*, vtpotè octo, quos à longè volebat ſtare. *Sedete hic* & quieſcite tantiſper, *donec* ipſe aliquantulum à vobis remotus, in alteram horti partem me conferam, vt *orem* ad Patrem, cuius voluntatem efficacem, quaſi teſtamentū ſū mox impleturus,

Et veniunt in prædium. Quod ſcilicet erat trans torrentem cedron; hunc enim Chriſtus corpore mæſtus, & triſtis pertranſit, quaſi fugiens Iudam, vt Dauid Abſalon, ſicut ſcriptum eſt: Omneſque flebant voce magna, & vniuerſus populus tranſibat, Rex quoque tranſgrediebatur torrentem cedron, & cunctus populus incedebat contra viam oliuæ, quæ reſpicit ad deſertum. En ſymbolum, ó fidelis, iam longe lugubre, ac verum triſtitiæ ſpectaculum, in hoc ſacro concilio, capite atque membris conſiderato. Quis enim non contriſtabitur ſuper te? aut quis planctum continebit videns non patrem, non ſenem, non regem, ſed Deum, ſed creatorem, ſed redemptorem triſtem, diſcalceatum, & abſque conſolatore à facie Iudæ ingrati, à concilio Iudæorum peruerſo, & à ſuis, quos fecit, formauit, ditauitque Hebræis, velut profugus abire? Currebant lachrymæ per maxillas Apoſtolorum, & dolebant ſicut in morte primogeniti: Euntes ibant, & flebant dum mortem recogitabant magiſtri; dum verò caſum ſuum quem Chriſtus præuiderat eis, mente recolunt, velut parturientes, quibus deeſt virtus, exclamant, vt quid naſci oportuit, ſi in bonum noſtrum nos ſcandalizari oportuit, & peccare? Adſit vorago, quæ nos abſorbeat, aut ignis de cælo, qui abſumat, antequam vel negemus, vel fugiamus, vel tradamus vitæ auctorem. Interim dum lugubrem inſpicimus concionem, & ſeorſum dolentes Apoſtolos contemplamur; ſequamur & nos, & lugeamus vt qui ſæpius deſeramus venam aquarum viuentium, frequentius eum, qui nos fecit, negemus. Quid? etiam tradimus, quoties cum peccato communicamus. *Veniunt* itaque in hunc modum ad *prædium*. Hoc Matth. vallem dicit, quod in decliui loco, & radice montis Oliuarum viſeretur; dicitur autem *prædium*, vt alluderetur ad *prædium* quod dedit Iacob filio Ioſeph, haſta, & lancea captum, atque redemptum. Eo enim ſignatur ſtatus hominum, quem pater legauit filio, & præcepit non auro, vel argento, ſed pretioſo ſanguine redimi. Vt iure redemptor poſſit redempto dicere: In manibus meis ſcripſi te, rugæ, & plagæ, quibus plagatus ſum in medio eorum, qui me diligebant, teſtimonium perhibent: Sic enim egreſſus eſt in ſalutem populi ſui, & qui ſaluari deſiderant, arma pariter ſpiritualia aſſumant, pharetram, & haſtam, fidem, & charitatem ijs, quæ proprium ſibi faciant *prædium*, hoc eſt, redemptionem, quam Chriſtus acquiſiuit nobis, & ſemen ſeruorum eius poſſidebit eam, & qui diligunt nomen eius, habitabunt in ea.

1.Reg.15. Zacch.13. Pſal.68.

Cui nomen Gethſemani. Expreſſit nomen, vt enucleemus myſterium, quod latet plerumque in huiuſmodi nominum expreſſione, vt & nomen Virginis, Maria, cui nomen erat Ioannes. Erat autem nomen ſeruo Malchus, & ſimilibus. Quo ad præſens ſpectat גתשמנים gethſemani, inquit Arias Montanus in interpreta: nom. Hebr. Chald. & Græcor. Vallis pinguedinum, ſiüe vallis olei, aut vallis pinguiſsimus. Iſai 28. 1. pro Gethſemani vetus interpres vertit vallis pinguium, ſcribi debet Gethſemani. Hæc ille; ante quem Hieronym. interpretationem nominis ſecutus, ait, eo nomen exprimi, vt aduerſantium Chriſto naturam agnoſceremus; fuiſſe, inquam, vaccas pingues, vtporè maiores Iudæorum diuitijs, & peccatis, velut pingui ceruice armati, eo loci, captarunt in animam iuſti, & ſanguinem innocentem ore ſuo condemnarunt iuxtà illud: Circundederunt me vituli multi, tauri pingues obſederunt me, aperuerunt ſuper me os ſuum, ſicut leo rapiens & rugiens.

Luc 1. Ioann.1. Ioann.18. Arias Montanus. Iſai.28. Hieron. Pſal.91. Pſal.27.

Quoque interpretationem nominis eandem ſequentes, non abſque re erit dicere; ſic locum nominari ob pinguedinem, quæ à ſanguinis ſudore corporis Chriſti, captura, et morte, quæ ibi cœperunt, ad vniuerſos dimanaret. Namque propter hæc dicit Deus: Inebriabo animam ſacerdotum pinguedine. Et quicunque factus fuerit ſacerdos Domino noſtro, et Regnum licet altius quàm vnquam intonare: Sicut adipe, et pinguedine repleatur anima mea, et labijs exultationis laudabit os meum. Siquidem non iam vituli arietis armum, atque adipem deguſtamus; ſed noſtri Chriſti, qui ſeipſum obtulit hoſtiam, replemur donis, ditamur gratijs, et participamus charismata meliora, quam vnquam mundus fuerit epulatus. Hæc autem ſpiritualis pinguedo vnde, niſi ab oblatione, quam Chriſtus hoc in loco patri obtulit dicens: Fiat voluntas tua? de ea ſiquidem dictum eſt: Memor ſit Dominus ſacrificij tui, et holocauſtum tuum pingue fiat: lætabimur in ſalutari tuo, et in nomine Dei noſtri magnificabimur.

Ier.31 Pſal.62. Pſal.19.

Et ait Diſcipulis ſuis. Vltimum quidem eloquium; neque enim ad hos ſimul Chriſtum legimus locutum quouſque reſurrexerit. Cæterum quod vltimum cum *diſcipulis* ſermonem in loco Gethſemani, hoc eſt, valle pinguium, habuerit, dicito factum eò, vt et ſuum ſermonem pinguiſsimum fore *diſcipulis*, et locupletiſsimum ijs, qui illum obſeruarent: Dixit enim: Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et manſionem apud eum faciemus. Ecquis theſaurus hiſce locupletior, aut quæ annona, ſeu epulæ pinguior, quàm Deum, qui eſt omnia, eminenter ad ſe intromitti? Superat benedictionem Iacob, nihil eſt Aſar, cuius

Præmium dilectionis & ſignum. Ioann.14.

panis

panis pinguis eſt; ſi velit comparari cum illo, qui audit verbum Dei, & cuſtodit illud. Eſt enim beatus.

Sedite hic. Iubet octo *ſedere* dum ſe ad mortem præparat. *Cur ſedere iubentur?* Primum quidem, vt conſiliatricem octo beatitudinum, quæ ſeſſionem, & quietem important, fore mortem ſuam inſinuaret. Porrò vt qui fructum eius vellent participare, conarentur *ſedere*, hoc eſt, quieto animo meditari myſterium; & *ſedere* in loco, quem conſtituit Dominus, & elegit cuilibet, hoc eſt, firmum eſſe, & *Reprobatur inſtabilitas.* ſtabilem in vocatione, ad quam vocatus eſt, & non circumferri omni vento doctrinæ, neq; tranſire de domo in domum, nec facilè ſtatum permutare. *Prou. 27.* Quia ſicut auis tranſmigrans de nido ſuo, ſic vir, qui dereliquit locum ſuum. Demum *ſedere* iubet ſuos, dum ad mortem ſeipſum accingit, vt in ea eſſe omnigenam ſapientiam perſuaderet.

Donec orem. Quid *orauerit* dicemus ſuo loco, nunc quorſum *orare* velit ad mortem pergens inueſtigemus: *Orat* quidem, vt nihil aliud totam eius mortem, quàm orationem eſſe crederemus. Oratio enim eſt prouocatio Dei, & ad amorē, & ad beneficium. Quid autē magis Deum inflammauit, quàm Chriſtum pendere in Cruce, lachrymari, ſanguinem fundere, plagari, & mori? *Pſal. 68.* Placebit Deo ſuper vitulum nouellum cornua producentem, & vngulas. Et quis hic? Chriſtus quidem immolatus, tenellus, & delicatus, qui peccatum non fecit, ſed propter ſcelus populi percutitur, vt manus velut cornua extendens, quia cornua in manibus eius, remedium foret percuſſis à ſerpente, & vngulas pedū ſuo madens ſanguine curuaret ſibi omne genu, quouſque omnes Reges, & pingues adorarēt ante pedes eius, & lingerent puluerem pedum ſuorum, liberarentur captiui, qui lubtus detinebantur, & ſalus vniuerſis fieret, & cantus Alleluia, quia reconciliati ſumus Deo, & beneficium omnis creatura reportauit. Neque enim Abel oblatio, neque Noe, ſacrificium Abrahæ, aut alterius cuiuſpiam holocauſtum, tàm placidè odoratus eſt Dominus, aut pro eo tractus ad magnificentiam diuitiarum ſuarum declarare, quā cum vidit, vt agnum, & ouem currere filium ſuum ad victimam. Ergo quia omnium orationum effectum vna oblatione Chriſtus tàm ſibi, quàm his recepit, pro quibus orat ad mortem pergens; *Ioan. 7.* vt qui quotidie morimur, quia tempus noſtrum ſemper eſt paratum, neſcitque homo *Eccl. 9.* finem ſuum, per orationem aſſiduam nos præparemus.

CAPVT XXXIII.

Et aſſumit Petrum, & Iacobum, & Ioannem ſecum, & cœpit pauere, & tædere.

Expoſitio. DImiſſis itaque octo diſcipulis in vna horti parte, *aſſumit* ad oppoſitam tres alios Apoſtolos, videlicet *Petrum*, qui ſe tantopere de fidelitate iactauerat, *& Iacobum, & Ioannem*, cui in cœna ſingulari priuilegio non ſolum proditorem, ſed immenſa diuinorum arcana reuelaret. Hos quidem tres ſecum detulit, quod ad gloriam Trinitatis fiebat, & ad ſalutem trium Orbis partium, necnon honorem Angelorum, qui ſunt in cælis, libertatem Patrum, qui detinebantur captiui, & redemptionem Coloni, qui peregrinabatur in terra, trium teſtimonio iuxtà legis decretum firmaretur. Ante hos ergo cœpit primum admirationis ſpectaculum, & myſterium abſconditum, *cœpit* quidem *pauere* nemine exaduerſo poſito, neque potente aduerſario, inſuper *& tædere*, cum nihil ei deſſet plenitudinem habenti diuinitatis. Hæc quidem ſunt myſteria, quæ & ſi perfunctoriè ſcribantur, vix diuturnitatem annorum valent penetrari, nec comprehendi.

Et aſſumit Petrum. Primum, ſcilicet omnium, vt malitiam, quam mundus nō agnouerat, neque Principes tenebrarum poterant ſuſtinere, ſed ea potius perditum iri eos oporteret, aggrediens eam pellens à Vicario, qui eius locum poſt eum teneret, ordiretur. Hunc autem eſſe Petrum, & Petri ſucceſſorem plenè nos fideles confitemur. Sed aſſumi ad militiam inſolitam, quam Chriſtus exercuit, hoc eſt, ad vitæ genus duriſsimum, etſi oportuerit ad necem pro ſalute ouium, ex factis colligo multos velle addubitare.

Et Iacobum. Similem Chriſto nominis interpretatione, vt qui ſupplātator robuſtus, & fortis dicatur, Chriſtoq; similē credas; argumēto ſit tibi per *Iacobum*, & eius aſſumptionem denotari dignos morte, & militia Chriſti; quippe ſimiles prudentia, qua omne vitium, & incentorem peccati ſupplantant, deſtruunt, perdunt, & calcant. Etiam ſimplicitate ſancta, qua recto animo, directaq; intentione, ſine dolo, fallacia, aut hypocriſi, quaſi modo geniti infantes, ad bonum honeſtum currunt vſque ad mortem: & veri milites Chriſti, & ſponſæ viri, qui ſe ſuis *Exod. 4.* ſponſum ſanguinum præbet, nec alicuius militiam probat, niſi quem ſectum viderit, anguſtiatum, & afflictum, variſque, & per omnia tentatum. Hunc dignum iudicat *Iacobum*, qui ſuæ mortis fiat teſtis, & particeps, ac fortis, qui in huiuſmodi militia

gladium

gladiũ inter fortiſſimos Iſrael teneat: Molles autem, & amatores mundi huius, & carnis non aſſumit, vt qui ex patre diabolo.

Et Ioannem ſecum. Optimè *ſecum*; nàm abſque Ioanne quis poſſet tàm diſparem naturæ viribus paleſtriam ſuſtinere? Non eſt poteſtas inter noſtros, quæ comparetur dæmoni, contra quem mors Chriſti, nec non quæ Chriſti ſunt, ordinantur. Attamen Ioanne comite, hoc eſt, gratia, quam Chriſtus *ſecum* tulit, tàm potens factus eſt in prælio, vt fugerit diabolus ante pedes eius; noſtris autem ſubijciuntur dæmonia, qui olim erant in capite. Sed & mundus, qui gloriatur in diuitijs, & potentia regni ſui, velut Babylon cadit, & proſternitur omnibus, qui piè volunt in Chriſto Ieſu viuere. Idola autem eius, hoc eſt, concupiſcentias

Gen. 31.

ſubter ſtrumenta cameli reponunt, vt non appareant, neque dominentur; hoc eſt dura,

Mortificatio

& aſpera pœnitentia, quæ cameli, hoc eſt, ſancti Patris indumentum operiunt, vt erubeſcat caro quicquam aduerſus ſpiritum concupiſcere, concupiſcentia oculorum obcæcatur. Superbia verò vitæ deſinit inimicari. Atqui hæc *Ioannes*, qui & gratia, præſtat: Gratia enim Dei ſum id quod ſum, dicebat athleta Chriſti; & ipſa per auctorẽ teſtatur: Sine me nil poteſtis facere. Igitur vt Chriſtus ad mortem aſſumit *Ioannem ſecum*, & nos, nec ad momentum, à *Ioanne*, hoc eſt, gratia, recedamus, ſi fortes in prælio eſſe velimus, & cum Chriſto de Golia triumphare, decapitare Holofernem, & regionem noſtram, quæ eſt tributis ſeruiens, liberare, & Chriſti regnum in ea perpetuum ſtatuere.

Cicero.

Et cœpit pauere. Pauor ſecundum Cicero. 4. Tuſc. Eſt timor loco mouens mentẽ, vt anxietatem, & agoniam generat ob malum, quod imminet, vixque, aut difficilè poteſt euitari; quod cum Chriſto nihil tale euenire poſſet, admirationem generat pauor, qui mox in eo conſpicitur. Verum (inquit Zac-

Zacchar.

char. Chryſopol. C. 160.) vt veritatẽ aſſumpti hominis probaret, verè contriſtat eum propaſſio, ſed paſſio non dominatur eius animo. Sciendum quia poterat Chriſtus natura non mori, ſicut Adam potuit non mori ante peccatum. In eo enim nullum culpæ debitum, nullius peccati veſtigium fuit: voluntariè autem aſſumpſit infirmitates noſtras, quæ à Deo non ſeparant, velut Ignorantia, ſeu concupiſcentia ſeparat; ſicut veram humanitatem, ita & humanas infirmitates aſſumpſit, vt eas Cruci affigeret, & nos fortes efficeret. Triſtitiam confidenter dico, qui Crucem prædico, ſed eſt quædam triſtitia, & quidam timor rationem ſubmergens, & hominem contempto Dei præcepto in peccatum ducens, ſicut Petrus timore negauit. De huiuſmodi loquuntur Doctores quando dicunt Chriſtum non timuiſſe, qui ad hoc venerat, vt pateretur, & Petrum timiditatis argueret. Eſt & alius timor moderatus, qui naturaliter ineſt omni homini, & ſine peccato eſt, vt fames, ſitis, & ille fuit in Chriſto.

Quę triſtitia fuit in Chriſto?

Horruit quippe mortem. Contriſtabatur etiam propter infeliciſſimum Iudam, & ſcandalum omnium Apoſtolorum, & reiectionem

Cauſa triſtitiæ in Chriſto.

Iudæorum, & euerſionem Ieruſalem. Pauet etiam ſtatim initio prælij, vt Dominum fortem, & potentem ſe prodat, velut leonem, qui in limine ipſo congreſſus timore percutitur, quem caudæ ictu frequenti deijcit.

Quomodo leo excutit timorem?

Et Chriſtus corpore pauet ad bellum veniens, vt qui mortalis; dum tamen finem conſiderat, vtpotè gloriam Patris, honorem cæleſtis Ieruſalem, & militantis diuitias, quas mors eius peperit iam non meminit preſſuræ propter gaudium, fitque petra durior ad omne conflictum. Itaque ſignum

Signũ fortis, & audacis.

fortis eſt initio pauere, deinceps autem lætari de felici ſucceſſu; audax contra, initio apparet impauidus, poſt turbatus, deinde agonizans, tandem ignominioſè proſtratus cum Golia.

Et tædere. Tædium eſt quædam pœnitudo, vel vitæ, vt dicebat Iob: Tædet animam

Iob 10.

meam vitæ meæ; vel alterius rei. Quid autem Chriſtum pœniteret, philoſophetur diſcretus animus: Ego ſolum dicam præſenti

Gen. 6.

tædio ad illud alludere: Pœnitet me feciſſe hominem. Sed quid hoc? ſignis declarat ſe pœnitentem facti, qui diligit omnia, quæ ſunt, & nihil odit eorum, quæ fecit, & quæ fert, atque iugiter portat in ſinu ſuo, atque manibus, in quibus & delitiatur. Ita Chriſtus ſignis tædium redemptionis demonſtrat, reuera autem delectatur hominem redemiſſe.

CAPVT XXXIV.

Et ait illis: Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem; ſuſtinete hic, & vigilate.

Expoſitio.

NOn vincitur pauore, aut tædio, quin ſolita libertate ſingula proſequatur, & agat, & verbis exprimat, quæ concepit. Quare in ipſo pauoris, & tædij magnitudine, *ait illis* diſcipulis tribus, quos ſecum aſſumpſerat: *Triſtis eſt*, quæ in me verſatur *anima vſque ad mortem*, quam veni ſuſtinere, vt mortis imperium funditus deſtruam. Ergo vt ad eam, vt gigas accingar, tantiſper mihi conſulendus eſt pater, interim vos me expectate, & *ſuſtinete hic*, & vt ſemper à me didiciſtis, orationibus, & obſecrationibus *vigilate*, vt benè ſit vobis.

Et ait illis. Pacatiſsimo quidem animo, & quietiſsimo, vt qui non vinceretur paſſione, ſed paſsionem, vt canem ligatum ſo-

lemus

lemns portare, cum vellet ſignis oſtenderet, ac retineret ſemper dicens: Ego ſapientia habito in Concilio, & eruditis interſnm *Prou 7.* cogitationibus, atque eloquium dulce in medija fluctuum profero. Id quod huiuſcæ hiſtoriæ decurſn paſſim contemplabimur.

Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem. Non ait meam: Quia mors, inquit, in me non habet quicquam, ſed poteſtatem habeo *Ioan. 10.* ponendi animam meam, & iterum ſumendi eam. Ergo cuius mors contriſtat Chriſtum? Noſtra, quæ depaſcit animas, & exoſſat, in nihilum penè redigit; *vſque ad* hanc triſtatur, quouſque deſtruatur inimica mors, & qui mortui ſumua peccato, viuamua Deo. Amore igitur languens noſtri, triſtem ſe exhibet, quouſque nos filioa ſuoa conſoletur, & foueat, vt gallina pullos ſub alis. Si de carnis morte eum triſtari dixerimus, cõfiteamur omniſcientem, ac præſcium, quod eam ſciret imminere, & carnem per eam affligi. Quapropter, inquit Bedæ Gloſſ. *Beda.* Chriſtna timet, Petrus non timet; immò dicit: Animam meam pro te ponam. Chriſtus dicit: *Anima mea* turbata eſt *vſque ad mortem:* Petrus quaſi homo vim mortia ignorat. Chriſtna quia Dena, in corpore conſtitutus exponit fragilitatem carnis, vt homo verus appareat. *Triſtis eſt anima.* Suſcepit triſtitiam hominis, & voluntatem hominis ſicut & dolorem hominis, qui pro ſe, quod doleret, non habuit ſemota delectatione æternæ diuinitatis afficitur tædio humanæ infirmitatis.

Suſtinete hic, & vigilate. Hoc eſt patienter expectate, *& vigilate* ad Dominum. Vtrunque enim neceſſe eſt illi, qui aſſumi vult ad meritum paſſionis Chriſti, & cum eo triumphare. Dicit enim in patientia *Luc. 12.* veſtra poſſidebitis animas veſtras. Et de vigilantibus. Amen dico vobis, quod præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis.

CAPVT XXXV.

Et cum proceſſiſſet paululum, procidit ſuper terram: Et orabat, vt ſi fieri poſſet, tranſiret ab eo hora.

Expoſitio. DAtam Apoſtolis regulam exequitur ipſe primo. Quare *cum* relictis tribus illis diſcipulis *proceſſiſſet* remotius *paululum* ab eis; ita tamen vt cernere Magiſtrum poſſent, *procidit* totus ante faciem ſuam *ſuper terram*, quæ tàm horrendos tribulos, & ſpinas pugentes ſolita erat, ob maledictum homini, germinare, & procidens inſtanter cum animi anguſtia *orabat* Patrem *vt ſi* in hominibus, quos ſaluare venerat *fieri poſſet* talis, ac tanta animorum diſpoſitio, qua fructum mortis ſuæ capaces fierent, *tranſiretque ab eo* mortuo iam, & ſuſcitato ad illos influxus, & diffuſio meritorum, quæ *hora* illa paſſionis congregare hominibus parabat,

Et cum proceſſiſſet paululum. Non dilongat ſe à diſcipulis multum, ne in tentationem incideret diabolicam, quæ animam denigrat, ſicut carbones, ſed humanam, quæ facillimè enitatur, & cautiorem efficit hominem, ne ſe credat domeſticis, nec ſibi fidat deinceps, ſed ſit ſolers in cunctis operibus ſuis. Si quomodo factns prudentior audiat ſibi dici: Ad punctum in modico *Iſai 54.* dereliqui te, & in miſerationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abſcondi faciem meam parumper à te, & in miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui, dixit Redemptor tuus Dominus. Itaque paruus Chriſti receſſus, qui apud Matthæũ dicitur iactus lapidis, eſt homines naturæ viribua relinquere, vt experiantur earum debile fulcimentum, diſcantque auſpicia à ſuperis quærere, vt à matre paruulus, quando tenellus ſibi relinquitur, nec valens deambulare, nec ſtare, clamat. Procedere quantum iactus lapidis Zacchar. Chryſopolit. *Zachar.* typicè innuit, vt in eum dirigant lapidem, id eſt, vſque ad ipſum perducant intentionem legis, quæ ſcripta erat in lapide: Finis enim legis eſt Chriſtus ad iuſtitiam omni credenti. *Rom 10.*

Procidit ſuper terram. Quo in loco Hieron. *Hieron.* de locis Hebr. Baſilicam, ait, erectam eſſe. Intra quam ſcribit Beda de locis ſanctis ca. 6. *Beda.* repoſitam petram, ſuper quam Chriſtus *procidit*, quæ velut cera retinet veſtigia genuflexionis Chriſti; idque factum, vt genuflexione, hoc eſt, humilitate in omnes, etiam in dabolos, qui petra præ duritie dicuntur meruiſſe Dominum aduerteremus iuxta illud: Propter quod, & Deus exaltauit *Philip. 2.* illum; vt omne genuflectatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum. Si autem terram dicamus ſolum, cuius natiua ſata ſunt tribuli, *procidere* Chriſtum ſuper eam, philoſophabimur fore indicio, maledictum peccati per genuflexionem, ſeu humiliationem eius exterminatum iri. Quod *procidat* non ſolum humilitatem (vt inquit Hieron.) *Hieron.* mentis vult oſtendere, ſed modum inſinnare, quo quenquam redimat, videlicet, iuxtà typum Eliſæi, qui procidens totus ſuper *4. Reg. 4.* puerum ſuſcitauit è mortuis. *Procidere* enim eſt totum corpus ante faciem ſuam ſternere. Chriſti autem meritum non tàm parti redempto, quàm toti applicari certũ eſt. Totum enim hominem facit ſanum Chriſtus, & totus Chriſtus in merito, quod per Sacramenta applicatur eſt, licet non omnem effectum in vnoquoque operetur, ſed eum, quo ſe dignum exhibet Sacramenta recipiens.

Et orabat. Quaſi conſulens Dominum vt Da-

vt Dauid cum fugeret Saul, relictiſque ſo-
cijs venit ad Syloc. *Orat* autem morti pro-
pinqnus,& properante iam ad eum hoſte.
Pſal.37. Amici, inquit,mei,, & proximi mei adner-
ſum me appropinquauerunt,& ſteterunt. Et
qui iuxtà me erant de longe ſteterũt,& vim
faciebant, qui quærebant animam meam.
Pſal.10. Exurge Domine Deus exaltetur manus tua
ne obliuiſcaris pauperum. Propter quod
irritauit impius Deum: Dixit enim in
Forma orã- corde ſuo non requiret. Hoc Indas ſignifer,
di properã- & armiger cohortis; hoc Pontifex Caiphas,
tis ad mor- ac reliqui Principes Synagogæ oblatrant.
tem. *Pſal.10.* Vides tu quidem eorum ſcelus,ſed ſimulas,
quoniam tu laborem, & dolorem conſide-
ras, & cogitas eis, vt tradas eos in manus
tuas,ac pœnas vnde non poterunt ſurgere.
Interim ſcio, quia tibi derelictus eſt pau-
per, orphano tu eris adiutor. Et quidem
hoc oro, hoc precor,& idipſum ſpero. En
orandi formam cum morti,ò viator, appro-
pinquas, impetunt enim fidelem maligni
ſpiritus,vt Chriſtum Iudæi; ſed ſi nos con-
ſpexerint deprecatione communitos,inquit
Chryſoſt. Chryſoſt. lib.1. de orando Denm,illico reſi-
liunt. Non aliter quàm prædones, ac faci-
noroſi, vbi conſpiciunt militis gladinm in
caput ſuum vibrari: quod ſi contingat ali-
Inermis eſt, quem eſſe nudum precationis præſidio, hic
qui ſine ora- aunlſus deportatur à dæmonibus, & in ca-
tione eſt. lamitates,variaque mala impellitur. Opor-
tet igitur, vt hæc omnia metuentes preci-
bus, & hymnos nosipſos circumnellemus,
vt Deus omnium miſertus dignos efficiat
regno cælorum per vnicnm filium ſuum.

Et ſi fieri poſſet. Non dubitat de Dei
Matt.19. potentia, qui dixerat nihil eſt impoſſibile
Luc.18. apud Deum, ſed quærit an in creatura fieri
poſſet diſpoſitio, quæ redemptionis capa-
cem efficeret, dignamqne effectibns mortis
ſui Principis,& Regni eins participem. Nec
id quærit neſcius quid eſſet in homine,
Pſal.32. quidue de illo cogitauerat Deus, qui ſigil-
latim finxit corda ſingulorum, & conſtituit
terminos popul rum, ſed vt omnes accla-
marent. Dignnm caput honore, & gloria,
qui omninm ſalutem appetierit, omnes ſi
fieri poſſet inter prædeſtinatos, & eſſe, &
computari optarit, & quominus finem fe-
liciſsimum omnis creatura rationalis ſor-
tiretur, nihil ſubterfugit. Quia, inqnit ad
Iſai.42. eum Pater: Dedi te in fœdus populi, vt ſu-
ſcitares terram, & poſsideres hæreditates
diſsipatas; vt diceres his, qui vincti ſunt:
Exite;& his,qni in tenebris: reuelamini. Hi
ſunt omnes peccatores terræ pro quibus
abundè ſatisfecit, licet non æquè efficaci-
ter, illi Patres, quos eduxit de lacu. Opti-
mum ergo fœdus ſe præſtitit, opem ſuam
cunctis offerens, & externis declarans vo-
luntatem, *ſi fieri poſſet*, omnes ſaluan-
di.

Transiret ab eo hora. *Horam* dicit mor-
tem, vt ibi: Sciens,quia venit *hora* eius, vt *Ioan.13.*
tranſeat ex hoc mũdo ad Patrem. Venit *ho-* *Ioan.12.*
ra,vt clarificetur filius hominis. Pater ſal-
uifica me ex hac *hora*, & alibi ſæpè legimus Hora deſi-
mortem vocaſſe *horam*, non ſolum quod præ gnat mortẽ.
cæteris ſtatutum eſſet Chriſtum mori, ve-
rum etiam,quod nihil mundo vtilins; id au-
tem ſolet, vt *hora* electiſsima diligentiſsi-
mè obſeruari. Hanc itaqne *horam* poſtulat
ab eo tranſire, hoc eſt, meritum eins à ſe
ad cæteros diffundi. Qnare(inquit Cypria- *Cyprian.*
nus de oratione Domini) orabat Dominus,
& rogabat non pro ſe. Quid enim pro ſe
innocens precaretur? Sed pro delictis no-
ſtris,ſicnt & ipſe declarat, cum dicit ad Pe-
trum: Ecce Sathanas expetiuit, vt vos ve- *Luc.22.*
xaret quomodo triticum:Ego autem roga-
ui pro te, ne deficiat fides tua. Et poſtmo-
dum pro omnibus Patrem deprecatnr di-
cens: Non pro his autem rogo ſolis,ſed pro
illis, qni credituri ſunt per verbnm ipſo-
rum. In me omnes vnum ſint,ſicut tu Pater
in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum
ſint. Magna Domini propter ſalntem no-
ſtram benignitas pariter, & pietas,vt non
contentus, quod nos ſanguine ſuo redime-
ret,adhuc pro vobis amplius & rogaret. Sic
& Hilarius(apud Matth.habes) locum hunc *Hilar.*
interpretatur. Alij vt Leo ſerm. de paſsio. *Leo.*
Beda volunt Chriſtum hic naturæ humanæ, *Beda.*
quæ in laboribus anguſtiatur, vices geſsiſ-
ſe.

CAPVT XXXVI.

Et dixit: Abba Pater, omnia tibi poſſibi-
lia ſunt, transfer Calicem hunc à
me, ſed non quod ego volo, ſed
quod tu.

IN oratione itaque poſitus,*dixit* ſpiritu, Expoſitio.
dixit & voce clara, & pia, qua viſcera
charitatis transfigerentur. *Abba Pater*,bo-
ne Pater, Pater miſericordiarum; *omnia*,
vt quæ in manu tua, & imperio ſtatuantur,
tibi licet non alteri, *poſſibilia ſunt*, & fa-
cta facillima. Ergo *transfer* ocyus *Cali-*
cem doloris, & anguſtiæ; *hunc* dico, quem
iamiam propinatur labijs. *Hunc* poſtulo
à *me* transferri, *ſed* ita, vt minimè volitum,
ac petitum, *quod ego volo*, ſenſuſque ſua-
det, *ſed quod tu* ſapientiſsimè, & ordina-
tiſsimè fieri præcepiſti. Tu enim Pater ſa-
pientia gubernans omnia.

Et dixit. Hoc eſt,oranit, ſic perſæpè di-
cere vocale pro orare, qnod eſt mentis po-
tius,vſurpatur. Nam & mens dicit verbum,
hoc eſt,conceptum exprimit, Vnde Sapiens: *Eccl.2.*
Dixi in corde meo. Et Pſaltes: Tibi *dixit* *Pſal.26.*
cor meum exquiſiui te facies mea.

Abba אבא *Abba*,ideſt,*Pater* Syrum eſt, in-
quit Arias Montan. Gagnæius Hebræum fa- *Arias Mõ-*
cit, *tanus.*

cit, minus tamen beoè cum Hebræis ſit אב ab à verbo אבה abah. quod eſt velle acquieſcere, concupiſcere, & deſiderare. Quoniam Patris eſt acquieſcere, & complacere ſibi in filio, eidem theſauros deſiderare, & quod bonum eſt, velle, & concupiſcere ſemper optimum. Quod cum Chriſtus quærat, orationem inchoat à ſimili dictione, *Abba*, quæ etſi Syriaca, initium habet Hebræum ab. Hinc quoque factum, vt nos docuerit, ſic orationem auſpicari: Pater noſter; *Matt. 6.* tacitè huiuſmodi exordio perſuadens, nihil niſi pretioſum, & quod præſtat à Deo petere, quod, inquam, Patris optimi eſt filijs velle.

Pater. Vox hæc latina eſt, cognata græcè πατήρ, an verò ab Euangeliſta ſuperaddita, quaſi ſuperioris interpretatio, non eſt certum. *August.* Auguſt. enim in de conſenſ. Euangeli. ait fortaſſe Chriſtum propter aliquod Sacramentum vtraque vſum, videlicet oſtendere ſe illam triſtis perſonam iam ſui corporis, ideſt, Eccleſiæ, ſuſcepiſſe, cui factus eſt angularis lapis venienti ad eum; partim ex Hebræis, ad quos pertinet; quod ait: *Abba*: partim ex gentibus, ad quos pertinet, quod ait, *Pater*. *Additur pater pro interpretatione.* Ego ab Euangeliſta potius velut interpretationem ſuperadditam crediderim. Siue enim ſcriberet græcè, ſiue latinè Marcus noſter, vox Patris in vtraque lingua prioris vocis erat interpretatio eam geminare, etſi myſterium, quod annotauit Auguſt. ſignificare poſſet; altius multo eſt, & decentius erat Chriſtum orationis ſua principij vnitatem declarare dicendo ſemel *Abba*, vel *Pater*. Quemadmodum erat ſolitus facere, vt confiteor tibi *Pater*. *Luc. 10. Ioan. 12.* Pater ſaluifica me; & alibi ſæpius vnica patris voce, nunquam geminata. Neque enim illi *Pater* alius ſiue in cælis, ſiue in terris erat, neque nobis Deus eſt aliua præter vnum, quem nos tum maximè in articulo mortis docuit profiteri, & inuocare; vt meus noſtra (inquit Bernar. *Bernar.* ſerm. de quatuor modis orandi.) Non oratorij tecto, non aëris ſpatio, non ipſa retardetur nubium denſitate iuxtà eam formam, quæ nobis à Chriſto tradita eſt, *Matt. 6.* vbi ait: Sic orabitis: Pater noſter, qui es in cælis. Sic igitur ait paulò poſt: Oret, qui orat, tanquam aſſumptus, & præſentatus ei, qui ſedit ſuper excelſum thronum in Angelis, qui minimè ceciderunt, & eleuatum in hominibus, quos ſuſcitauit de puluere inopes, & erexit de ſtercore pauperes. Sic inquam ſemetipſum conſideret, & ſic attendat tanquam præſentatum Domino maieſtatis, vt dicat: cum Abraham: *Gen. 18.* Loquar ad Dominum meum cum ſim puluis, & cinis? Et quia tuo præcepto communitus, tua inſtitutione formatus, id præſumo Domine, fons pietatis.

Omnia poſſibilia ſunt tibi. Quia nõ eſt alius Deus omnipotẽs præter eũ, dicebat Tobias: *Tob. 13.* Et ipſe ego Dominus omnipotens. *Pſal. 17.* Omnipotenti autẽ nihil eſt impoſſibile eorũ, quæ eſſe poſſunt. Vnde Tertull. lib. de carn. Chriſti. *Tertull.* Deo nihil eſt impoſſibile, niſi quod non vult. Ecquid non vult Deus? quod pugnæ de ordinationem ſubolet, quia eſt ordinatiſſimus. Præteritum non præteriſſe. Quia Pater meus, dicebat Chriſtus, vſque modo operatur. *Ioan. 5.* Nec etiam vult idem melius fieri iugiter. Quia omnia facit in numero, pondere, & menſura. *Omne poſſibile eſt Deo quod vult.* Quare *omnia ſunt poſſibilia* ei, quæ vult, quæ non vult nuſquam eſſe poſſunt. Quid ergo peccatum? peccatum nihil eſt, ſed priuatio: *Peccatũ eſt priuatio.* Vult autem Deus, quod eſt poſitiuum.

Transfer Calicem hunc à me. *Hunc* dicit, quaſi notiſſimum, nominatiſſimum, & electiſsimum omnium, ſed difficillimum iuxtà illud: Calix meus inebrians, quàm præclarus eſt. *Pſal. 22.* Inebriat quidem, quia vini meri plenus, hoc eſt, dolorum acerbitate refertus, nec eſt, qui ex omnibus charis conſoletur. *Thren. 1.* Præclarus autem, quia ſalutaris cunctis gentibus. Vnde poſtmodum dixit: Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. *Pſal. 115.* Laudans inuocabo Dominum, & ab inimicis meis ſaluus ero. Quorſum igitur illum à ſe poſtulat transferri? Vt monſtraret humanitatem, ait Theophyl. *Theoph.* Etiam vt membrorum præſeferret officium. Nam & ex Martyribus legimus pleroſque timuiſſe martyrium, & diffugiſſe. Pœnã quoque, & afflictionem, qua velut calice multi Confeſſores potantur ſibi tolli exoraſſe. Quod verò dicat *transfer*, non tolle, ſubindicat neceſſitatem tribulationis, & anguſtiæ, & certitudinem in aliquo fore, vtpotè in capite, vel in membris. In his quidem fuit, & eſt continuo, quæ, vt inquit Paulus, deerat paſsioni Chriſti. *Coloſſ. 1.* At in capite, quæ pacificat omnia, atque ſanat, vt cauſa vniuerſalis, & commune antidotum, quod opitulatur, quibus ſingulatim applicatur.

Sed non quod ego volo, ſed quod tu. Alia ergo erat voluntas hominis in Chriſto, & alia Dei, cui ſe illa, tã in volito, quã in modo volendi cõformat. *Duplex in Chriſto voluntas.* Hoc ergo, inquit Hieron. *Hieron.* eſt contra Eutichianos, qui dicunt vnã tantũ in Chriſto operationem, vnã voluntatẽ hic autem oſtendit humanam, quæ per infirmitatem carnis recuſat paſsionem, & diuinam, quæ prompta eſt perficere diſpenſationem. Aſſumpſit quippe (ait Damaſcen. *Damaſcen.* lib. 3. orthod. fid. cap. 18.) carnem animatam anima rationali, & intellectuali. Moderatrix ſiquidem ipſa carnis eſt, moderata à verbi diuinitate. Tàm ea igitur (concludit Cyrill. Alexandr. lib. de recta in Chriſtum fide ad Reginas) *Cyrill.* illius ſunt, quæ ad exinanitionem pertinent, quàm ea rurſum, quæ ad diuinæ naturæ excellentiam ſpectant: Etenim ratio, modusque diſpenſationis cum carne eundem & nobis ſimilem, & nobis

bis ſuperiorem agnoſcit. Quemadmodum enim nullius non creaturæ conditionem multis partibus excellit, vt Deus; ita vt homo ſemetipſo quodammodo minor exiſtit.

Sed quod tu. Quod, neutrius eſt generis, ad Calice ergo quomodo refertur? Nota Calicis nomine duo inuolui, & volitum, & laborem. Hunc directè non intendi à Patre miſericordiarum, qui neminem vult perire, nec delectatur in pœnis filiorum hominum, certum eſt; ſed volitum ſuum impleri, videlicet, obedientiam, qua ſaluetur homo. Velut medicus, qui præcipit infirmo dari poculum, quod amareſcat illi, nulla eſt cura, ſed quod deglutiatur, & ſanetur æger; ergo quia non labor primo, ſed obedientia intenditur, relicto calicis nomine, dicitur iam, *quod tu*, ſcilicet, præcipis mandatum, hoe facio. *Phil. 2.* Nam propter hoc (deponit Apoſtolus) Deus exaltauit illum. *Leo.* Subinde Leo ſerm. 7. de paſsion. Hæc vox calicis, ſalus eſt totius corporis; hæc vox omnes fideles inſtruxit; omnes Confeſſores accendit; omnes Martyres coronauit. Nam quis mundi odia, *Matt. 26. Luc. 22.* quis tentationum turbines, quis poſſet perſecutorum ſuperare terrores, niſi Chriſtus in omnibus patiens patri diceret: Fiat voluntas tua? Dicant igitur hanc vocem omnes Eccleſiæ filij magno pretio redempti, gratis iuſtificati, & cum aduerſitas violentis tentationis oppugnauerit, præſidio potentiſſimæ rationis vtantur, vt ſuperato timore formidinis accipiant tollerantiam *Hieron.* paſsionis. Denique (vt cum Hieron. concludam) vſque in finem non ceſſat docere nos Patribus obedire, & voluntatem eorum voluntati noſtræ præponere.

CAPVT XXXIII.

Et venit, & inuenit eos dormientes. Et ait Petro: Simon dormis? non potuiſti vna hora vigilare?

Expoſitio. POſt orationem *venit* ad diſcipulos tres, quibus expectare, & vigilare præceperat, & rediens *inuenit eos* ſomno profundo *dormientes*. Quapropter ad eos conuerſus, *ait* ſoli *Petro*, qui tàm audacter ſe, ac vitam Chriſto obtulerat: *Simon* vbi animus, quem oſtendebas, vbi promptitudo, & obſequium, quod obtuliſti? Quid de tua confidentia actum eſt, qui non quæſitus *dormis*, non agitatus iaces, & nullo te perſequente debilitaris? Quid, dicito, facies ante hoſtes, quando me imperante parumper expectare *non potuiſti*? & quomodo in agone diuturno contendes, qui *non potuiſti vna hora* minima *vigilare*?

Et venit. Non vt videret, quos præuiderat; ſed vt orationem pro eis factam oſtenderet ad exemplum eorum, & commodum. Vnde præmiſſo orationis Chriſti conflictu, Vates ſubdit in perſona Chriſti: Narrabo *Pſal. 21.* nomen tuum fratribus meis, in medio Eccleſiæ laudabo te: Qui timetis Dominum laudate eum, vniuerſum ſemen Iacob glorificate eum. Ac ſi diceret, quia oraui: Erue *Ibid.* à framea Deus animam meam, & de manu canis vnicam meam. Salua me ex ore leonis, & à cornibus vnicornium humilitatem meam. Quod eſt, tranſeat à me calix iſte, *Matt. 26.* fiat voluntas tua; propterea vt ſpectaculum *Luc. 22.* cunctorum factus, & doctor paruulorum, cunctos ad te traham prædicatione, & ipſe inter eos laudabo te. Quare vos, quibus tantum beneficium eſt collatum, glorificate Deum. Meruit quidem Chriſtus promptitudine voluntatis eſſe caput ſuper omnem Eccleſiam, & per diſtributiones gratiarum ad electos venire, iuxtà illud: Vado, *Ioan. 14.* & venio ad vos.

Et inuenit eos dormientes. Et hoc quidem frequentiſsimum vigilante Domino, dormire ſeruos; patre pro filijs ſolicitante, torpere natos pigritia; ac Deo pro nobis omnibus melius prouidente, nos abſque ſenſu iacere in terra, & ſine prudentia eſſe: *Deut. 32.* ſed vtinam ſaperent, & intelligerent, ac nouiſsima prouiderent, dicebat Moyſes, & Sapiens: Vade ergo ad formicam, ò piger, & *Prou. 6.* conſidera vias eius, & diſce ſapientiam, quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æſtate cibum ſibi, & congregat in meſſe, quod comedat. Vſquequo piger dormies? quando conſurges è ſomno tuo? paululum dormies paululum dormitabis, paululum conſeres manus, vt dormias: & veniet tibi quaſi viator egeſtas, & paupertas, quaſi vir armatus. Si verò impiger fueris, veniet, vt fons meſsis tua, & egeſtas longè fugiet à te.

Et ait Petro. Tametſi omnes dormirent ſoli *Petro ait*, quàm indecenter ageret; non tàm quod ſibiipſi plus cæteris videretur contrarius, quàm quod potiſsimum illius foret vigilare, orare, expectare, & in omnibus perfectum ſtare. Eſt enim *Petrus*, & qui *Petro* ſucceſsit curam omnium ſuperintendens, exemplum omnium fidelium, cuſtos cuſtodum Ieroſolymæ, & ſpeculator perdiu, & pernox à quo ſanguis cunctorum exigitur. Propterea dixit *Petrus* apud Clem. epiſt. 1. ad Iacob. frat. Dom. Clementem hunc Epiſcopum vobis ordino, cui ſoli *Clem. Rom.* meæ prædicationis, & doctrinæ cathedram trado: qui mihi ab initio vſque in finem comes in omnibus fuit, & per hoc veritatem totius meæ prædicationis agnouit. Qui in omnibus tentationibus meis ſocius extitit *Prælati qualitates.* fideliter perſeuerans: quem præ cæteris expertus ſum Deum colentem, homines diligentem, caſtum, dicendi ſtudijs deditum, ſobrium, benignum, iuſtum, patientem, & ſcien-

ſcientem ferre nonnullorum, etiam ex ijs, qui in verbo Dei inſtituuntur, ini urias. En ſucceſſoris *Petri* ornamenta, à quibus ad ignauiam abiens, & ſomnolentiam andiet, quæ *Petrus*.

Simon dormis? Non dixit *Petre dormis*, ſed *Simon*, vt dormitionis vitiũ exaggeraret, multoq. amplius, quàm in cæteris deteſtetur, vt qui *Simon*, ideſt obediens, & nomine, & profeſſione. Huic autẽ nihil magis aduerſum, quàm dormire, quàm pigritare, & eſſe velut animal brutale, quod terræ luto obnoluitur; obedienti enim dicitur: Sta in gradu tuo: Accingere gladio tuo ſuper fœmur tuũ potentiſſime, ſint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris, ſimiles hominibns, expectantibus Dominum ſuũ, & ſimilia, quæ ſomno opponuntur. Sed quid dormitio in *Simone*? non audire imperantem, non reuereri Præſulem, & terrena ſapere. Nam is, qni commiſſum recuſat (ait Baſil. in quæſt. comp. explicatis q. 119.) & aliud requirit, primũ obedientiam corrumpit, & declarat ſe non abnegaſſe ſeipſum. Deinde etiam alienorũ plurium malorũ ſibipſi, ac alijs auctor fit. Et quia non poteſt quiſquam probare, quod vtile eſt, ſæpè nociuũ opus ſibiipſi diligit. Sed & ſuſpiciones malas fratribus inducit, velut addictus magis operi, quod requirit, quàm his, cum quibus operari neceſſe eſt. Quare in ſumma non obedire, multorum, & magnorum malorum radix eſt.

Hoſtis obedientiæ.

Dan. 10. *Pſal. 44.*

Baſil.

Inobediẽtiæ malum.

Non potuiſti vna hora vigilare. Per *non potuiſti* frangitur audacia Petri, qui de magnorum potentia gloriabatur; per non *vna hora vigilare* infirmiſſimũ ad mortem, minimumq. laborẽ ſuſtinendũ declarat Petrũ. Et ſi vera loqui licet, his paucis Petrus de inſipientia redarguitur, vt qui nihil habens, multa pollicebatur; nihil potens, heroicis actibus ſe exponebat; & nihil deniq; valens, arroganter de ſeipſo loqueretur. Inſuper & his verbis corrigitur, ne iterum ſic ad Dominum loqui præſumat. Quem enim diligit Dominus corripit, & quaſi Pater in filio complacet ſibi: Beatus homo, qui per correptionem inuenit ſapientiam, & qui affluit prndentia, melior eſt acquiſitio eius negociatione auri, & argenti, primi, & puriſſimi frnctns eius. Primos fructus dico interiores animi actus, ex quibus in ſapiente profluunt externi puriſſimi, vt verbum loquatur irreprehenſibile, opus faciat ſtabile, greſſus dirigat per vias mandatorum, vt ſit ſine quærela apud homines, & ante Deum iuſtus.

Prou. 3.

CAPVT XXXVIII.

Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus eſt, caro verò infirma.

Expoſitio.

CORreptũ adhortatur, & eos, qui negligentiæ, ac ſomnolẽtiæ erant particeps, prouocat ad meliora ſtudia. *Vigilate*, inquit, à ſomno animę, atq; corporis; *& orate* mente eleuata ad Dominum, vt poſſitis aduerſariorũ incurſibus reſiſtere, ne quãdo *intretis in tentationem*, quam accedens tentator conatur inmittere. *Spiritus quidem* ſignatus lumine vultus Dei *promptus eſt*, ad quæ ſignator Dens, & conditor dictat. *Caro verò*, quæ prona eſt ad malũ ab adoleſcentia ſua, *infirma* eſt, & debilis, immò verò rebellis ad ea, quæ ſibi imperantur bona.

Vigilate. Vigilias quidẽ noctis. Has enim à paſtoribus exigit. Ecquid ſunt vigiliæ noctis? Varia dico ſtudia, quæ paſtores optimi ſuſcipiunt, vt lupus à grege fugetur, & grex ipſa indemnis ſeruetur, & quieta, vt nec ipſos nox tenebroſa peccati, aut erroris caligo opprimat, neq; deformet. Huiuſmodi vigilias anticipauerunt oculi mei, dicebat *Pſal. 76.* paſtor ille, & Rex. Multi autem Sacerdotes, qui & Reges. Quid? imbeciles, & dormiunt *1. Cor. 11.* multi. Ergo quia non *vigilant* vigiles in bonum, vigilabo ſuper eos in malum, & non *Ierem. 44.* in bonum, ait Dominus; ſed obſecro fiat pax in temporibus noſtris.

Et orate. Oratio adinngitur vigiliæ noctis, vt habens vigil colloquendo noctis faſtidinm pellat, cunctaqne hilarius perficiat cæleſti colloquio, atque lumine. Quemadmodum enim ſol lucem præbet corpori (ait Chryſoſtomus lib. 1. de orando *Chryſoſt.* Deum) ſic animæ lumen eſt precatio. Proinde ſi cæco damnoſum eſt, non intueri ſolem: quanto grauius damnum eſt homini Chriſtiano, ſi non aſſiduè deprecetur, neque Chriſti lucem orando, in animum ſuum induat? Iam verò quis non obſtupeſcat, & admiretur tantam benignitatem, ac beneuolentiam, quam in nos homines declarat Deus? qui mortalibus tantum honoris largiatur, vt dignos habuerit, qui cum ipſo colloqnamur, noſtraque vota ipſum deponamus. Nam verè profectò cum Deo confabulamur, quoties vacamus deprecationi, per quam ſimul, & Angelis copulamur, & ſocietatem, quam cum brutis animantibus habebamus, procul effugere videmur.

Neglectus orationis dãnatus.

Vt non intretis in tentationem. Tentatro eſt actio experimentalis, qua tentator, vt diabolus, eiuſque miniſter de nobis ex- Quid ſit tẽtatio?

perimentum ſumit, num fortes ſimus in fide, faciles ad malum, & ſtudioſi vitij, atque tenaces. *In tentationem* ergo intrat, qui non reſiſtit perſuadenti apoſtaſiā, qui cedit hortāti ad hæreſim, & quod illi proponitur malū, non illico deteſtatur, nec abhorret in cathedra peſtilentiæ, ad quā aſtutè promouetur, ſedere. Huius autem introitus duplicem Christus cauſam præmiſit; vt rotè ſomnū, & orandi negligentiā. Nam ille egeſtatē parit, qui autē orare contemnit inutilis factus eſt ad bonū, die, ac nocte circūdabit ſuper muros eius iniquitas, demum labor in medio eius, & iniuſtitia ſedē Regni ſui ſtatuet Propterea qui non vult *in tentationem* venire, ait: De mane vigilabo ad te. Veſpere, & mane, & meridie narrabo, & annunciabo, & exandiet vocē meam. Redimet in pace animam meā ab his, qui appropinquant mihi. Siue illi dæmones fuerint, qui per ſuggeſtiones tentent; ſiue miniſtri eorū, qui vel falſa amicitia, vel aperto odio ad malū compellant. Vigilia, & oratione conuertentur inimici retrorſum.

Pſal. 1. *Prou. 10.* *Pſal. 54.* *Pſal 54.* *Pſal 56.*

Spiritus quidem promptus eſt Scilicet, ad bonū, quia ſignatū eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine, ait Vates. & Paulus ſpiritus reddit teſtimonium ſpiritui noſtro, quod ſimus filij Dei. Hoc eſt (vt vtriuſq. ſententiæ compendioſam tradā dilucidationē) lex naturalis, que eſt lumen ſignatū, & gratiæ auxilium, quod eſt ſpiritus Dei mouens noſtri naturam, vt prompti ſimus ad cognoſcendū bonum, & appetendū, necnon ad clamandum Abba Pater; vt enim pueri maiori apud Patres dicendi libertate vtentes (ſcribit Theodoretus in hunc locū) neque enim adhuc habent perfectam diſcernendi facultatem, frequētius ad eos eadem voce vtuntur; ita & nos propter inenarrabilē eius benignitatem, & infinitam bonitatem, patrem quidem vocamus, vt iuſſi ſumus, vniuerſorū creatorem, neſcimus autem quanta ſit inter nos, & ipſum differentia, necnon ipſos perfectè ſcientes, & eius naturam omninò ignorantes.

Pſal. 4. *Rom. 8.* *Theodor.*

Caro autē infirma. Scilicet, ad opus virtutis, & ſpiritus actiones, quia puluis eſt, & corpus corruptibile, & proinde terrena ſapit, nō quæ Dei ſunt, oculos ſuos ſtatuit declinare in terram, Quæ autem ſurſum ſunt, non videt. Aures ſuas ſæpit ſpinis, nec admittit, quod ab altiſſimis venit, deniq; concupiſcit aduerſus ſpiritum, in eodem homine, vt quod malū eſt faciat, aut difficilè bonum perficiat. Hoc ergo (ait Zacchar. Chryſopol.) contra temerarios dictū ſit, qui quod crediderint putant ſe poſſe, ſed quantum de ardore mentis confidimus, tantum de carnis fragilitate timeamus: ſed tamen ſecundum Apoſtolum, facta carnis mortificemus.

Gen. 3. *Pſal. 16.* *Zacchar.* *Rom. 9.*

CAPVT XXXIX.

Et iterum abiens orauit, eundem ſermonem dicens.

ET *iterum* ſe Chriſtus exemplum præbet, quo valeant ſui adhortata proſequi. *Abiens* enim ad iactum lapidis à diſcipulis, procidens ſimiliter in faciem ſuam, *orauit* ad Patrem *eundem* omninò *ſermonem*, ac *dicens*: tranſeat à me Calix iſte: Fiat voluntas tua. *Expoſitio.*

Et iterum. Aduerbiū hoc, tàm ad *abiens*, quàm ad *orauit*, refertur. Neque enim *orat* quis, niſi *abeat*, neque perfectè abeſt, niſi *iterum* oret. Itaque oratio ad Deum, & receſſus à creatura ſe comitantur; ſiquidem receſſus à creatura mundi non fit, niſi per acceſſum ad Deum, & ad Deū quis vnquam acceſſit plenè, atque perfectè apud Deum *orauit*, qui non reliquerit turbam mundialium deorſum? Eſt enim oratio, ait Helias in orat. 11. Gregor. Nazianz. aſcenſus mentis ad Deum: Etenim virtutes mentem à vitioſis affectionibus ſeparant, ſpirituales autem contemplationes à nudis etiam cogitationibus, oratio denique ipſa Deo ſiſtit. *Helias.*

Abiens. Scilicet, ab Apoſtolis, & illis ſecundo relictis in manu conſilij ſui, nihilque, quod præclarum eſſet agentibus, atq; mandatum de impotentia ad bonum conuincerentur, & de neceſſitate cæleſtis adiutorij. Hoc quidem agnoſcere neceſſarium eſt, ac ſubinde clamare: Deus ne elongeris à me, Deus meus in auxilium meum reſpice. Quoniam firmamentum meum, & refugiū meum es tu. Ergo, ait Sapiens: Habe fiduciam in Domino, ex toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ. In omnibus vijs cogita illum, & ipſe diriget greſſus tuos. Alioquin corrues, ſi *abiens* te ſolum cum naturalibus reliquerit agere. *Pſal. 70.* *Prou. 3.*

Orauit. Vt qui pugnā mortis ſuſtineret, docens & nos orationibus aduerſus hoſtes agere. Ideò Orig. hom. 16. In Ieſu Naue. Non armis pugnandū eſt nobis adnerſus hoſtes noſtros inuiſibiles, ſed orationibus, & verbi Dei meditationibus, & operibus, ac ſenſibus rectis, Sic enim armabantur & Patres, fide, & operibus vincentes. Vide deniq; quia ſic ſcriptum eſt de eis. Crediderunt, inquit, Deo, & Moyſi famulo eius, & tūc cantauit Moyſes canticū hoc, & dixit: Cātemus Domino glorioſè enim honorificatus eſt, Ita ergo & nos fide plena, opera perfecta, indeſinentes orationes, meditationem Verbi diuini, intelligentiam ſpiritalem colentes, & in his omnibus velut armis Dei muniti, aſtemus aduerſus aſtutias diaboli, inuocantes Deum adiutorem noſtrum in Chriſto Ieſu Domino noſtro, cui eſt & gloria, & imperium in ſæcula ſæculorum. Amen. *Origen.* *Exod. 14.* *Ibid. 15.*

Eun-

Eundem ſermonem dicens. Hoc eſt orationem eandem iterauit. Neque enim illi, qui dixit, pulſate, petite, diſplicet orationis iteratio, neque oranti infructuoſa eſt oratio aſſidua. Nam (vt, inquit Chryſoſt. hom. 5. de incomprehenſibili Dei natura contra Anomæos) oratio eſt theſaurus certè perpetuus diuitiæ inexhauſtæ, portus quietus, occaſio tranquillitatis, denique auctor, parens, fons, & radix bonorum omnium, & innumerabilium oratio eſt, atque etiam regia ipſa facultate potior, & ſuperior: Siquidem (ſubdit Auguſt. ſerm 230. de tempore) oratio iuſti clauis eſt cæli. Aſcendit præcatio, & deſcendit Dei miſericordia. Licet alta ſit terra, altum cælum, audit tamen Deus hominis linguam, ſi mundam habeat conſcientiam.

Matt. 6. Luc. 11. Chryſoſt.

Auguſt.

CAPVT XL.

Et reuerſus denuo inuenit eos dormientes (erant enim oculi eorum grauati) & ignorabant, quid reſponderent ei.

Expoſitio.

ABſoluta oratione ſecunda *reuerſus* properè *denuo*, quos ad vigiliã, & orationem fuerat ſolicitè adhortatus, *inuenit eos* iterum *dormientes*, vt prius. *Erant enim* tùm noctis obſcuritate, tùm triſtitiæ paſſione, *oculi eorum* adeò *grauati*, vt palpebras continere erectas non valerent. Quare cum increparentur *ignorabant* prorſus *quid reſponderẽt* Magiſtro, qui eorũ erat ſolicitus.

Et reuerſus denuo. Quoniam illius plantatio, opus, & factura erant. Nos autẽ quid? redẽpti eius. Eapropter *reuertitur denuo*, & ſi apud nos veritas in obliuionem fiat, ſimuſq. vltro facti præda, tanto cum zelo *reuertitur* ad nos, vt vel impleatur in bonum, quod ſcribitur: Vias eius vidi, & ſanaui eum, & reddidi conſolationes ipſi, & lugentibus eius; vel certè experiamur in malum, quod legimus: Sicut ad vindictã, quaſi ad retributionem indignationis hoſtibus ſuis, & viciſſitudinem inimicis ſuis, inſulis vicem reddet. Huius regreſſus iram experitur, qui ſeipſum, velut ille, talentũ abſcondit, & fodit ſub terra, hoc eſt terrenis obuoluitur. Illius clemẽtia potitur, qui vel talẽta negociatur, aut certè vocẽ reuertentis audiẽs, exit obuiam ſpõnſo, excuſſo omni vitiorũ ſomno.

Iſai. 57. Iſai 59.

Matt 25.

Inuenit eos dormientes. Non quod diù laboraſſent, nec quod crapula opprimerentur, ſed quadam naturæ imbecillitate, quæ vix valet reſiſtere, impellerentur ad ſomnum. Et hæc quidem eſt ratio totius ſomni noſtri, quo pleraque hominum pars tenetur; ſomnum dico vitiorum. Natura enim prona eſt ad malum, & ipſa iræ filia, nata ſpinas, & tribulos germinare promptius, quam roſas, lilia, aut cedros. Quare tanta naturæ infirmitate perſpecta exclamauit Pſaltes: Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudijs ſuis, non eſt, qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum, niſi ad quem dignatus fuerit Dominus fortis, & potens reuerti, & donare benedictione ſalutari eum, qui natus eſt in Ægypto: is ſecundum typum eſt filius Ioſeph, ſecundum veritatem, quam inquirimus, eſt, qui natus eſt in mundo, de mundo, & mundum vt natiuum ſolum diligit, & quæ ſunt mundi. Hunc itaque regrediens Pater ille Orbis terrarum, ſi benedixerit, & ſibi adoptat, & vel Effraim; hoc eſt, vbertatem, vel Manaſſem, hoc eſt, obliuionẽ appellari facit. Obliuiſcitur enim vniuerſorum, quæ prius prauè colebat, & abundat cæleſtibus omnis, qui natus eſt ex Deo.

Pſal 14.

Mundanus.

Viſitatio per gratiam.

Erant enim oculi eorum grauati. Quid eos grauaret incertum eſt. Quidam præ triſtitia, vt & hiſtoria apud Matth. indicat; alij præ obſcuritate, & caligine noctis. Inſuper volunt alij oculos grauedinem paſſos, quod corpora manerent incompoſita, quippe proſtrata, & otioſa abſque exercitio, quo animi vires, & facultates ſenſus excitarentur ad vigiliam, atq; opus. Hinc enim ſomnũ cernimus pleriſq; proueniſſe. Et experimur, ſæpè grauari in oratione oculos, quando vel ſedemus, vel recumbimus, vel proſternimus corpora animo minus attento. Attentio enim, corporis diſpoſitione adiuta excutit ſomnum, & oculos à grauedine ſeruat, vt vſus enſem à rubigine. Quare, inquit Bernard. ſerm. de quatuor modis orandi, quid aliud cogitare debet frater intrans ad orationem, quam propheticum illud: Ingrediar in locum tabernaculi admirabilis vſque ad domum Dei? Omninò ſiquidem oportet nos orationis tempore curiam intrare cæleſtem; illam vtique curiam, in qua Rex Regũ ſtellato ſedet ſolio, circũdãte innumerabili, & ineffabili beatorũ ſpirituum exercitu. Vnde & ipſe, qui viderat, quia maiorem numerũ non inuenit: Millia, ait, milliũ miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei; quanto ergo cum reuerentia, quanto timore, quanta illuc humilitate accedere debet à palude ſua procedẽs, & repens ranuncula vilis? quàm tremebundus, quàm ſupplex, quàm deniq; humilis, & ſolicitus, & totus intentus animo maieſtati gloriæ, in præſentia Angelorum, in concione iuſtorum, & congregatione aſsiſtere poterit miſer homuncio? In cunctis igitur actionibus noſtris multa eſt opus animi vigilantia, ſed præcipuè in oratione, niſi velimus dormire, & dormitare.

Cauſæ grauedinis oculorum.

Bernard.

Pſal. 41.

Cõſideratio pia ei, qui orare incipit.

Et ignorabant, quid reſponderent ei. Ignorabant quidem, quia dormierant. Nimis enim ſomnus ignorantiam inducit, & obliuionem. *Quid* verò *reſponderent* neſciebant

Sõnus ignorantiam inducit.

bant, quod grauarentur, grauedo ſiquidem membrorum ad reſponſum inhabilitat, impeditque linguæ diligens officium. Propterea ne grauentur corpora veſtra, ait Paulus: Et Sapiens: Noli diligere ſomnum, ne videlicèt ignorans, & officio linguæ deſtitutus careas reſponſo, quādo interrogaberis quid feciſti? qui dicis de teipſo? redde rationem villicationis tuæ.

Prou. 20.

CAPVT XLI.

Et venit tertio, & ait illis: Dormite iam, & requieſcite; ſufficit: venit hora: Ecce filius hominis tradetur in manus peccatorum.

Expoſitio.

CORreptis iterum diſcipulis ad orationem rediſt, eaque abſoluta *venit* iterum *tertio* viſere Apoſtolos, *&* inueniens eos ſomno ſoporatos, *ait illis* compatiens infirmæ naturæ: *Dormite iam* ſecurè, *&* pro voto *requieſcite* omnes dum non eſt, qui exterreat. Poſtquam ergo ſatis dormiſſent rurſus ait: *ſufficit*; iam opus eſt vobis vigilia: Etenim *venit hora*, qua me oportet à vobis ſeparari, & proficiſci ad mortem. *Ecce* adeſt tempus ante tempora præuiſum, & omnibus penè tēporibus pronuntiatum, diùque deſideratum, in quo *filius hominis*, qui venit Saluator, *tradetur*, vt infamis, & ſceleratus *in manus*, & poteſtatem *peccatorum*, vt faciant in eum, quæ voluerint, damna.

Et venit tertio. Poſtquam, ſcilicet, *tertio* abiſſet, prolixiuſque oraſſet, vſque ad agoniam, & ſudorem ſanguinis, quemadmodum ſcribit Lucas, cuius interceſſionibus propediem commentarios in eundē aggrediar, in quibus, quæ de Chriſti agonia, & ſanguineo ſudore referuntur, tractabimus, fauente numine. Interim, cur *tertio* oret Chriſtus, & fiat *tertio* dormientium ſuſcitator, diſquiramus. Orationem trinam cum ſuis interuallis habet ad Patrem, vt certis horarum ſpatijs orare ſuos doceret. Vnde Auguſt. epiſt. 127. ad Probam. cap. 9. Ideò per certa interualla horarum, & temporum, etiam verbis rogamus Deum, vt illis rerum ſignis nosipſos admoneamus, quantumque in hoc deſiderio profecerimus nobisipſis innoteſcamus, & ad hoc agendum nosipſos acrius excitemus; quibus autem horis fuerit ſolitum antiquitus orare, habes apud Clement. lib. 8. Conſt. Apoſt. Tertullianum in apologetico aduerſ. gent. cap. 2. Cyprianum de oratione Domini. Athanaſ. lib. de virginit. Baſil. ſerm. 1. de inſtit. Monach. Hieron. in cap. 6. Daniel. & epiſt. 22. ad Euſtochium, Rab. lib. 2. de inſtit. Monach. Rupert. Abb. lib. 1. de diuinis officijs. Et Aquiſgranenſe Concilium ſub Ludouico cap. 126. & ſequentibus; in quibus & tempora orandi deſcribuntur, & nomina orationum, & rationes propter quoddam genus hæreticorum ſuperfluas exiſtimantium ſacras vigilias, & ſpirituali operi infructuoſas; dicentium iura temerari diuina, qui noctem fecit ad requiem, ſicut diem ad laborem. Qui hæretici græco ſermone Nyctazontes, hoc eſt, ſomniculoſi vocantur. Hæc c. 130. ex 22. capite libri primi Iſidori de officijs Eccleſiaſticis. Interuallis itaque his Chriſtus nos orare docet, ad minus ter iuxtà illud; veſpere, mane, & meridie. Quod verò ter ſuſcitauerit ſuos ſecundum Hieron. tres mortuos, quos Dominus ſuſcitauit, ſignificat, videlicet, domi, de ſepulchro, & filium viduæ, qui ad ſepulchrum ferebatur. Iterumque, inquit, trina Domini vigilia, tres perſonas nos habere in orando docet, & de præteritis, & de præſentibus, & futuris veniam rogare. Ad hæc, dicito, per Apoſtolos ter, ſemel, iterum, atque iterum, *tertio* dormientes deſignari vniuerſi generis humani ſtatum triplicem, naturæ legis, & gratiæ, in omni enim ſtatu, omnes declinauerunt ad ſomnum peccati. Primo tamen tempore venit Deus in ſibilo auræ tenuis ſuſcitans dormientem, & clamans Adam Adam vbi es? quo clamore ſuſcitatus cognouit, quod nudus eſſet; verum cum profundius homo obdormiſſet idolatrijs deditus, & vaniſſimo cultui, apparuit ſecundo in igne, & clamans: Moyſes ne appropinques huc, ſolue calceamenta tua. Sed & his depoſitis, hoc eſt, vanitate, & ſuperſtitione reiectis, & per legem Deo approximaſſet. Iterum obdormiuit, & peccauit in legalibus, vt in idolis, adeò vt exclamaret: Facta ſunt mihi moleſta, quis quæſiuit hæc de manibus veſtris. Propterea dixit: Ecce venio, ſcilicet, ſuſcitator, & cuſtos, vt à ſomno excitem non amicum Lazarum ſolum, ſed vniuerſum genus hominum, qui in Adam peccauerunt, qui præuaricati ſunt fœdus ſempiternum, & qui abalienati ſunt retrorſum. Siquidem vniuerſis, & ſingulis acclamatur: Surge illuminare Ieruſalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt; ſurgite, & aſcendamus in domum Domini: Surgite, & ite, quia non habetis hic requiem, ſed in gratia, & veritate, quæ per Chriſtum facta eſt, & communicatur his, qui vigilant, atque orant.

Et ait illis. Nihil iam improperans, ſed compatiens ægeſtati naturæ. Hanc enim prouidentiſſimus parens ſæpius penetrans, aut diſſimulat ad tempus peccata, quæ ex fragilitate naturæ initium habent, aut minus punit, velut peccata, quæ ex carne proueniunt. Quod cum non lateret Dauid ſubiunxit:

Luc 22. *Auguſt.* Finis orationis vocalis. Hora orationis antiquitus. *Clemens Conſtitut. Apoſt. Tertul. Cyprian. Athanaſ. Baſil Hieron. Raban. Rupert.* *Cōc. Aquiſ.* Hæretici Nyctazontes. *Iſidor.* *Pſal 54. Hieron.* Triplex ſtatus generis humani ſub triplici lege. Ter ſuſcitauit Deus hominem. *Gen 3.* *Exod 3.* *Iſai. 1.* *Pſal. 32.* *Iſai. 60.* *Ierem. 6.* *Ioan. 1.*

iunxit:

Pſal. 50. iunxit: Ecce enim in iniquitatibns conce-
ptus ſum, & in peccatis concepit me ma-
ter mea, ac ſi diceret peccaſſe me fateor, vt
dignum pœna, ſed leui, nec ita dura, qnia
ab vtero caro concupiſcit, & in vtero virus
peccati ſerpit, vt non valeam non claudica-
re niſi manum tuam de alto miſeris. Ergo,
ait illis non iam corripiens, ſed compatiens
ſomnolentæ naturæ, & pigritanti.

Dormite iam, & requieſcite. Verbo, *re-
quieſcite*, inſinuat ſomnum, quo velit tan-
dem ſuos dormire. Non eſſe, inquam eum,
in quo ſaturitas non finit dormientē dor-
Pſal. 75. mire, & poſtquam nihil inuenerunt diuites
in manibus ſuis; ſed illnm, in quo cum quis
Iob 12. deſoſſus fuerit, ſecurus dormiet, & poſt quē,
Pſal. 126. ecce hæreditas Domini. Nam talis ſomnus,
qui eſt in ſtatu gratiæ, & gloriæ, requiem
habet, alius verò continuò grauat, quia pec-
Pſal. 50. catum meum contra me eſt ſemper, ait; qui
in peccato dormit. Qui verò in damnatio-
Luc. 16. ne vociferatur: Crucior in hac flamma.

Sufficit. Optimè *ſufficit*; quis ſuperflunm
non concedit, ſed quod vnicuique opus eſt,
ita diſtribuit ſingulis ſpiritualia, vt nihil
ſuperſit, quia vnicuiq; ſecundum propriam
virtutem; ſed & temporalia nemo habet ſu-
perflua, ſi his, qua dantur intentione, vta-
tur diues theſauris, fortis robore, peritus
litteris, atque alijs, quibus benè, vel malè
instà ſubiecti conditionē vtimur. Iob enim
humana ſapientia ſuffecit, vt cunctis ſatisfa-
ceret. Diuitiarum abundantia Abraham
Gen. 13. Dei amicum fecit, vt hoſpitio eum recipe-
ret. Et fortitudinem meam ad te cuſtodiam
Pſal. 58. cantabat Dauid. & Paulus de ſpiritualibus
dixit; Gratia Dei ſum id quod ſnm, & gra-
1. Cor. 15. tia eius in me vacna non fuit. Ergo quia
omuia ad vſum bonum, & honeſtum com-
municantur, nihil ſuperfluit: ſed *ſufficit*,
quando benè vtimur.

Venit hora. *Hora*, ſcilicet, mortis Chri-
ſti venit, quando ipſe volnit, quia poteſta-
Ioan. 10. tem, inquit, habeo ponendi animam meam,
& iterum ſumendi eam. Noſtra verò non
ſubditur libertati noſtræ, neque fato, vt in-
ſipientes fabnlantur, ſed ordinationi ſupre-
Ioan. 7. mæ; perinde Chriſtus: Tempus meum non-
dum aduenit, tempus autem veſtrum ſem-
per eſt paratum. *Venit* quoque *hora*, hoc
eſt, impletur; quæ in morte Abel, in ſacrifi-
cio Iſaac, in interitu Samſon, & alijs ſym-
bolis fuerat deſignata, & pronuntiata per
Pſal. 18. Prophetas, vt Dauid: Tu verò repuliſti, &
Sap. 2. deſpexiſti Chriſtum tuum, vt Sapiens: Mor-
Iſai 50. te turpiſſima condemnemus eum. Vt Iſaias:
Idem 53. Corpus meum dedi percutientibus, vulne-
ratus eſt propter iniquitates noſtras. Atque
per alios mors, horaq. mortis Chriſti præ-
Dan. 9. dicata. Tum maximè per Danielem ad quem
Angelus: Et poſt hebdomadas ſexaginta
duas occidetur Chriſtus, & non erit eius
populus, qui eum negaturus eſt.

*Ecce filius hominis tradetur in manus
peccatorum*. *Filius*, inqnit, *hominis*, quia
non diuinitas, ſed humanitas ſuſtinnit op-
probria, & mortem paſſa eſt. Neque enim
temerè dixerit quiſpiam, opinor, decuiſſe, vt
Emanuel tanquam pecus aliquod (ait Cy- Cyrill.
rill. Alexandr. de recta in Chriſtum fide ad
Reginas) ſubinde mactaretur: Quippe cum
ad totum Orbem liberandum, vel ſemel
ipſum mortem ſubijſſe abundè ſat fuerit,
quod ſi (vt nonnulli ſentiunt) purus per ſe
tantum homo erat, Deo quidem, ſecundum
dignitatis, vel auctoritatis æqualitatem
coniunctus; ſecundum hypoſtaſim verò, ab
eodem ſeiunctus, & quaſi ſeorſum per ſe
poſitus, profectò ſanguis, qui in mundi re-
demptionem impenſus eſt, non eſt illius, qui
ad dexteram Dei Patris ſedet; ſed alterius
cuiuſpiam, qui voluntate, & ſententia cum
illo conſpirat; quemadmodum duo Princi-
pes eadem auctoritate præditi, non vnns,
ſed duo ſunt homines; ita cuipiam dignita-
te parem eſſe, naturis interim, & perſonis
diſtinctis, non ſinit vnum, ſed duo eſſe. Et
vnius rurſum ſanguinis, ita eſt huius, vt
nullo modo ſit alterius. Quod ait, *tradetur*,
vel ad Patrem, qui propter nimiam chari-
tatem pro nobis tradidit filium; vel ad eun-
dem filium, qui voluntariè ex obedientia,
ſeipſum obtulit holocauſtum; vel ad Iudam,
qui percitus auaritia, innocentem tradidit
Principibus Sacerdotum, & Scribis: vel de-
nique ad Iudæos referri poteſt, vt qui pro-
pter inuidiam in manus gentium idolatra-
rum Regem ſuum tradiderunt.

CAPVT XLII.

*Surgite eamus: Ecce, qui me tradet,
prope eſt.*

POſtquam aliquantulum requieuiſſent Expoſitio.
Apoſtoli, excitantur. *Surgite*, inquit, è
ſomno ad vigiliam, ab inertia ad laborem,
& ad pugnam, diù expectatam, *eamus*. *Ecce*
nunc veniunt, *qui* coniurarunt aduerſus Pſal. 2.
Dominum, & aduerſus Chriſtum eius, pro-
cedunt armati. *Qui* autem ex omnibus ſce-
leratis *me tradet*, vt ſignifer, & militiæ dux
præcedit; *prope eſt* enim.

Surgite. Si priora verba, cum Theophy-
lacto, yronicos, dicta velimus, & eodem
tropo interpretabimur *ſurgite*: Ac ſi dice-
ret, *ſurgite*, ò milites, qui vigilare non po-
teſtis, arripite arma ad magiſtri cnſtodiam.
En inuadūt iam veſtrum ducem aduerſarij,
vt quid ſuſtinetis tantam infamiam? *ſurgi-
te*, & arripite vires ſi fortè aduerſus tantam
multitudinem poſſitis ſtare, & ab hoſtium
iniurijs magiſtrum tutari. Miſſa tamen yro-

Digitized by Google

nia, *ſurgite*, ait, hora mortis ſuæ appropinquanteq; vt difficultatem credendi eius effectum indicaret; niſi enim ſurrexerit homo à ſeipſo, & cunctis, quæ circunſtant, ac ſeipſum eleuauerit ad abyſſum iudicij Dei, & eius oracula, non credet mirabilia, quæ vnius Chriſti mors peperit mundo, in cælo effecerit, & vicerit in inferis. Proinde exclamauit Iſaias: *Iſai. 3.* Quis credidit auditui noſtro, & brachium Domini cui reuelatum eſt? ac ſi diceret, paucis datum eſt credere, quæ nos Prophetæ de morte Chriſti prædicamus, & pauciſſimis reuelatus eſt fructus, quem Domini bracchium, hoc eſt, filius Dei in aſſumpta natura perfecit. Cæterum qui iſthæc credunt, ſic ſuum in morte Chriſtum contemplentur. *Iſai. 53.* Et aſcendet ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix de terra ſitienti; non eſt ſpecies ei, neque decor, &c. Conſonat huic difficultati credendi Paulus dicens: Prædicamus Chriſtum, & hunc crucifixum, *1. Cor. 1.* Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam.

Eamus. Non, inquit, eo, quoniam cum cum illo omnes morimur, qui ſalutem ſperamus; vt & cum illo omnes viuificemur. *Eamus*, ait denuo, non trahimur, aut pellimur neceſſitate, ſed voluntate, & ſponté properamus. Erat quidem illi facillimum (ſcribit Theodoretus lib. 6. de Dei prouidentia) *Theodoret.* vel citra hoc humanæ carnis inuolucrum, humani generis ſalutem perficere, *Alterpotuit homo, qua per paſsionem ſaluari* ſolaque voluntate mortis poteſtatem diſſoluere, ac penitus abolitam reddere matrem mortis iniquitatem, patremque illius diabolum de terræ facie profligatum, ad inferni tenebras relegare, quibus, & pauló poſt exortum peccatum, interminatus eſt ſe illum traditurum eſſe. Cæterum oſtendere noluit, quid poteſtati ſuæ liceret, ſed potius quid æquitas prouidentiæ poſtularet. *Eamus* porrò, ait, vt abſque timore ſe oſtenderet: Nam cum ipſe (ait Cyrill. Alexandr. *Cyrill.* lib. de recta in Chriſtum fide ad Reginas.) nos in periculis velit eſſe quàm animoſiſſimos, eorumque minas, qui corpus tantum occidunt, contemnere iubeat, quomodo fieri queat, vt ille propter perpeſſiones ſeruilem in modum fracto, abiectoque animo fuerit? Quomodo is mortem à ſuo corpore arcere non potuiſſet, ſi voluiſſet, qui ab omnibus illam amolitur, quique ſola voce eos, qui in monumentis ſunt, olim ſe excitaturum promiſit, & reipſa id ſe poſſe, non ſemel declarauit?

Ecce, qui me tradet propè eſt. Dicens, *ecce*, quod eſt in Scripturis aduerbium importans myſterium, videtur inter alia myſteria fidei approximationem Iudæ annumerare. Ego quidem inter maxima reputo. Annon maximum, & omnium admirabile, quod Deus ante ſæcula præordinauit, quod fuit denique omnium deſideratiſſimum, occaſione vnius homuncij, ac precij minimi perditi, adimpleri? Superat quidem intelligentiam, redemptionem, & ſalutem vniuerſorum fieri vnius perditione: Iudas enim tradens Chriſtum inter mortuos ſempiternum ſeipſum annumerauit, profuit autem reliquis. *Sibi nocuit Iudas, reliquis profuit* Et hoc quoque ſecratiſſimum, quod homo, in quem ſperauit, quem elegit, cum quo panes manducauit, hoc eſt (vt interpretatur Origen. in Euang. Ioan.) ſermónes *Origen.* occultos, firmiſsimos, ac maximé nutrientes habuit, ille, inquam, fuerit traditor.

CAPVT XLIII.

Et adhuc eo loquente, venit Iudas Iſcariotes, vnus de duodecim, & cum eo turba multa cum gladijs, & lignis à ſummis Sacerdotibus, & Scribis, & Senioribus.

Adeò propè erat traditor Chriſto, vt *Expoſitio.* *adhuc eo* ad diſcipulos *loquente*, veneric ſceleſtus, ille quidem, qui ſceleri potiſsimo à ſuo nomine, quod eſt *Iudas Iſcariotes*, nomen indiderat. Erat autem is aliquando *vnus de duodecim*, & inter eos habitus clarus. Quamprimum tamen piaculum tentauit, relicto ſacro ſenatu, ac eius Præſide, ſocietatem peſsimorum amauit, & ſtudium. Quare, *& cum eo* ad facinus inhiante venit *turba multa* prauorum, *cum gladijs* ad interficiendum, ſi opus eſſet, *&* cum *lignis* ad percutiendum, ſi aliquis leniter obſtaret. Erant autem hi miſsi *à ſummis Sacerdotum*, qui præerant templo, *& à Scribis*, qui oracula exponebant, *& à Senioribus*, ad quos cura populi, & reipublicæ pax ſpectabat.

Et adhuc eo loquente. Quid hoc? *Loquente* Ieſu venit traditor, quoniam verbo immutato humanitatem mala circuierunt. Semper enim Chriſtus fuit loquens verbum, ac ſermo Dei eructans, nihil patiens, nihilq; mutationis in ſeipſo recipiens, tametſi veniret traditor ad humanitatem, miles funibus eandem ligaret, & Iudæus plagis laniaret. Impatibilis autem diuinitatis (ait Theodoretus in cap. 1. epiſt. ad Hebr.) *Theodoret.* ſignum eſt lignum cedrinum, quod non putreſcit, paſsionis autem humanitatis cinis vitulæ.

Venit Iudas Iſcariotes. Ab huius aduentu inchoatur dolor, tribulatio, anguſtia, & afflictio hominis Chriſti, vt peccatori potius, ac primo fore vtilé Chriſti mortem indicaret, & propter peccatorem ſe voluntarium agere ſacrificium. Vnde & in lege, is, pro quo hoſtia offerebatur, manum ponebat ſuper caput hoſtiæ: Et acceptabilis, *Leuit. 1.* inquit, erit atque in expiationem eius proficiens. Ecqua Hoſtia, niſi Chriſtus? Oblatus eſt, quia ipſe voluit, dedit animam

ſuam

ſuam in redemptionem multis. Si tamen manum mittant ſuper caput eius; ſi omnem

Coloſſ. 2.

inquam ſpem, & fiduciam in eo, qui eſt caput ſuper omnem Eccleſiam, ſtatuerint. *Venit* ergo Iudas Iſcariotes, & quidem feliciter ſi manum poſuiſſet; cum tamen non manum, ſed caput capiti veniens ponat, hoc

Præſumptio Iudæ.

eſt, præſumat, ſeque illi ne dum parem, ſed maiorem velit efficere, fit in perditionem miſero hoſtia, quæ reliquis ſalutem præſtat.

Vnus de duodecim. Iterum ponitur *vnus de duodecim*, vt peccatum Iudæ cunctis fuiſſe grauius annotemus. Necnon qui inter ſucceſſores ſacri collegij duodeni numerantur, grauius multo peccare, quàm ij, qui in plebe delinquunt. Vnde, & hos, qui præſunt

Iſai. 28.

ſuper populum, illuſores vocat oraculum: Dixiſtis enim percuſſimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum. Flagellum inundans cum tranſierit non veniet ſuper nos: quia poſuimus mendacium ſpem noſtram, & mendacio protecti ſumus, hoc eſt, hypocriſi, & religionis ſpecie, quæ illis eſt mendacium, cum nihil, preter ſimilitudinem pulchri, dealbati gerant; intus autem pleni ſunt oſſibus mortuorum, atque vitijs; quæ ſunt inferni fœdera, atque mortis, ijſque illudunt Deo, quem ore inuocãt: Domine, Domine; illudunt plebi, cuius animos ad ſe trahunt hypocriſi; & illudunt ſtatui, qui perfectorũ eſt; demumque ſibi ipſis illudunt, dum illaqueantur proprijs laqueis, vnde exire non poterunt, Iudam, qui *vnus de duodecim* erat præſulibus, imitantes.

Et cum eo turba multa. Non enim ſolus agit malum *vnus de duodecim*; ſed vt ſole eclypſim patiente, luminaria mærent, & capto paſtore pecora pereunt, ſicque militum iactura Duce occiſo; ita Præſidem delinquentem multi ſequuntur ad baratrum, & perditionem. Propterea exclamabat

Iſai. 3.

Iſaias: Populum meum exactores tui ſpoliauerunt, & mulieris dominatæ ſunt eis. Popule meus qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt, & viam greſſuum tuorum diſſipant. Quoniam viam, quæ arcta eſt, facilem prædicant, & opere faciliorem demonſtrãt, quouſq. ad ſupercilium mortis deueniant:

Iob 21.
Ier. 6.
Iſai. 14.

Tum enim in puncto ad inferna deſcẽdunt, tàm qui præſunt, & clamant, pax, pax; quàm qui huiuſmodi patres ſequuntur. Quoniam ſcriptum eſt: Præparate filios eius occiſioni, in iniquitate patrum ſuorum non conſurgent, nec hæreditabunt terram, illam, inquam, viuentium, quæ iuſtis, qui Chriſtum ſequuntur, ſeruatur; & in qua paſcentur primogeniti pauperum, & pauperes fiducialiter requieſcent.

Cum gladijs, & lignis miſſi à ſummis Sacerdotibus, & Scribis, & Senioribus. Qui gladios, & ligna bellica portabant militiam Romanorum, quibus ſubiecti erant Iudæi, exercebant: Hos enim conſenciente Præſide conduxerant ad opus alioqui nefarium, ac propterea non à Romano Præſide, ſed à *ſummis Sacerdotibus, & Senioribus* dicuntur miſſi. Coniurant aduerſus *Sacerdotem* ordinis Melchiſedech Leuitici generis *ſacerdotes*; *Scribarum* ſtylus mendax perſequitur *Scribam* doctum, qui profert de theſauro ſuo noua, & vetera; & *Seniores* rebellant in antiquum dierum, cuius thronus in ſæculum ſæculi. Quid hoc? Summum

Matth. 13.
Dan. 7.

ſcelus, ſi factum contemplamur; ſi autem hominum, qui illud perpetrant dignitatis magnum myſterium. Nec quidem aliud quàm vt coniuratio iſta foret inditio tranſmutationis futuræ, & meliorationis ſacerdotij temporalis in ſempiternum, doctrinæ vmbroſæ in Euangelicam claram, & perſpicuam, ac ſenectutis inueteratæ in diebus malis, in eam, quæ omnem laudem promeretur, vt quæ venerabilis, non diuturna, neque annorum numero computata, ſed vita immaculata, quam paruulus natus reſtituit, & iuuenis qui in omnium conſpectu admirabilis eſt, renouat de die in diem in ijs, qui contendunt veterem hominem exuere.

Renouatio omnium facta per Chriſtum.

CAPVT XLIV.

Dederat autem traditor eius ſignum eis, dicens: Quemcunque oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum, & ducite caute.

ERgo quia proditorem agere decreuerat Iudas, ad Chriſtum veniens, nihil, quod ad eiuſmodi facinora ſpectat, prætermittere ſtatuit. *Dederat autem*, antequam domo exirent milites ſuæ mentis notitiam, vt verus, non fictus *traditor eius*, qui inſons erat, appareret. Illa autẽ erat *ſignum* manifeſtum, & certum *eis* dare, *dicens*. Hoc milites *ſignum* accipite: *Quemcumque*, ex his, qui nobis occurrent in horto, *oſculatus fuero*, circundate, circumuenite, *ipſe eſt*, quem Principes quærunt, & pollicitus ſum eis tradere. Quapropter *tenete eum* cito, ne effugiat, & obſtringite, ne euaneſcat, *& ducite caute*, ne illum turba liberet è manibus veſtris.

Expoſitio.

Dederat autem traditor eius. Erant, & Iudæi *traditores* Chriſti, quandoquidem illum tradiderunt gentibus, ſolus tamen *Iudas traditor eius* dicitur, quoniam traditionis auctor, & anteſignanus malignæ cohortis. In caput enim, & auctorem malitiæ malum omne redundat, & multiplex pœna. Væ ergo impio in malum, retributio enim manuum eius fiet ei.

Iſai. 3.

Signum eis. Signum datur ad traditionem,

nem, aliud tamen quàm mundo eſt oblatum ad eiuſdem Chriſti aduentum. Pete, tibi ſignum à Domino Deo tuo, dictum eſt orbi aduentante Chriſto. (*Iſa.7.*) Ecce virgo concipiet & pariet filium & vocabitur nomen eius admirabilis, à mundo vero ad Patrem per mortem reuerſurus accipit *ſignum* oſculi. Forte ne illud: Oſculetur me oſculo oris ſui? (*Cant.1.*) minime quidem, ſed fraudulentium, quò meliora ſunt vulnera diligentis. (*Prou.27.*) Qui tamen operit odium fraudulenter, reuelabitur malitia eius in concilio. (*Prou 26.*) Qui fodit foueam incidit in eam, & qui voluit lapidem reuertetur ad eum. (*Ibidem.*) Itaque traditionis, & malitiæ ſubdolum *ſignum* datur à fraudulento, opus autem charitatis *ſignum* habet, ubertatis, & magnificentiæ.

Quemcumque oſculatus fuero. Tametſi conſcius ſui ſceleris nouerat Iudas Chriſti benignitatem, & amorem, qui non recuſaret inimicum, & hoſtem oſculari. Sed an ignoras quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit: Theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij, (*Rom.2.*) qui more Iudæ quotidie Chriſtum oſcularis in altari, criminis conſcius.

Ipſe ſte. Ille qui præuaricator eſt legis, qui aduerſatur Senatui, qui ſe Regem facit, & iura omnia commutat, perturbatq. gentem, quem propterea maiores tollere de medio properant, antequam grauiora incommoda Reipublicæ accidant: ſic de Domino ſentiebat, qui corde ab eo receſſerat. Ergo qui ſentire de Domino in bonitate vult, nunquam ab eo recedat cor eius, ſed contendat iugiter in ſimplicitate cordis illum quærere. (*Sap.1.*) Quoniam inuenitur ab his, qui non tentant illum, apparet autem eis, qui fidem habent in illum.

Tenete eum. Quem, ſcilicet, oſculatus fuero. Miſer enim Iudas, ait Zacharias Chryſopol. ex Hieron. (*Zach.*) putabat ſigna, quæ fecerat ſaluator, facta magicis artibus. Et quia forté audierat Dominum in monte transfiguratum, timebat ne ſimili transfiguratione elaberetur de manibus miniſtrorum. Dat ergo ſignum oſculi cum veneno diaboli, ſicut Cain obtulit ſacrificium ſubdolum, & reprobatum. Vnde vinum cum aceto in cruce ponunt. Magum quoque inſinuat Chriſtum, cum ait: *tenete eum.* Siquidem Magi, quando ſub iuſtitia, ac iudice vincti tenentur, videntur, vt ſerpentes percuſſi, omnem amittere potentiam. (*Magi ſub iudice conſtituti virtutē amittunt.*) Ergo vt nihil poſſet iam omnipotens, ait impotentiſſimus *tenete eum.*

Et ducite cauté. Ne forté tumultus fieret in Populo, qui eum ſicut Prophetam habebant, & tentarant Regem facere. Contemplare peccatoris naturam in Iuda, qui etſi oſculo magiſtrum tradat, vult *cauté* adduci, ne peccatum ſuum prodeat in publicum. Sed renum illius teſtis eſt Deus, (*Sap 1.*) & cordis illius ſcrutator eſt verus, & linguæ eius auditor. Quoniam ſpiritus Domini repleuit orbem terrarum: & hoc, quod continet omnia, ſcientiam vocis. Propter hoc, qui loquitur iniqua, non poteſt latere, nec præteriet illum corripiens iudicium.

CAPVT XLV.

Et cum veniſſet, ſtatim accedens ad eum, ait: Aue Rabbi, & oſculatus eſt eum.

QVare ſigno dato *cum veniſſet* primus ante cohortem Iudas, *ſtatim* proprius *accedens* amicabiliter *ad eum*, vt ad familiariſſimum, *ait*, & ſalutat eum dicens *Aue*, beneque ſit tibi, ò *Rabbi*, & magiſter dilecte, & eleuans ſe parumper è terra, vt qui minor ſtatura, *oſculatus eſt eum*, qui etiam demiſſo capite minimè recuſauit oſculum. (*Expoſitio.*)

Et cum veniſſet. Non quidem ſolus, ſed ferens Sathanam, qui ad eum, cum à Chriſto abire diſponeret, intrauerat. Itaque Sathanas eſt, qui infelices à Deo auertit, & ad eum reducit, vt grauiori ſcelere deturpet, deſtruat, & confringat illiſione inſanabili.

Statim accedens ad eum. Patet enim acceſſus ad Deum, qui autem accedit malignè, vt Iudas, opprimitur. Quoniam, inquit Pſaltes: Non intellexerunt opera Domini, (*Pſal.27.*) & in opera manuum eius deſtrues illos, & non ædificabis eos; qui autem recto corde, & humili acceſſerit, illuminabitur, & non confundetur. Quapropter cecinit: (*Pſal.33.*) Iſte pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum, & de omnibus tribulationibus eius ſaluauit eum. Hæc ac plura alia conſequitur piè accedens, peruersè autem appropinquans damnationem Iudæ ſortitur.

Ait Rabbi. In manuſcriptis, & antiquis codicibus legitur *Aue Rabbi*, in Græcis vero χαῖρε. *gaude Rabbi*, vtraque vox eſt hominis ſuſurronis, qui blanditur vt perdat. Labijs enim ſuis intelligitur inimicus, cum in corde tractauerit dolos. (*Prou 26.*) Quando ſubmiſerit vocem ſuam, ne credideris ei, quoniam ſeptem nequitiæ ſunt in corde illius. Quod Chriſtus tradendus ad mortem ſalutetur *Rabbi*, ſubindicat ſeminarium totius malitiæ, quam aduerſarij aduerſus eum conceperunt, magiſterium eius fuiſſe, & prædicationem, quia magiſter ſupra reliquos celebris habebatur. (*Seminarium odij in Chriſtum fuit inuidia.*) Propter hoc enim dixerunt circumueniamus iuſtum, quoniam inutilis eſt nobis, & contrarius eſt operibus noſtris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata diſciplinæ noſtræ. Promittit ſe ſcientiam Dei habere, (*Sap.2.*)

& filium

& filium Dei ſe nominat .

Et oſculatus eſt eum . Signo pacis debellans , & ſigno ſalutis mortem infereus, vt Ioab, & fraudulenti, atque ingrati , qui dum lætantur , inſaniunt , aut certè vaticinantur falſa, aut viuunt iniuſte, aut perierant cito. Sed quid oraculum? Qui peruerſi cordis eſt, non inueniet bonum,vt qui vertit linguam ſuam incidet in malum . Qui reddit mala pro bonis non recedet de domo eius .

Sap 14. *Prou. 19.*

CAPVT XLVI.

At illi manus iniecerunt in eum, & tenuerunt eum .

Expoſitio.

AT vniuerſi *illi*, qui aduerſus Regem, & Dominum conſpirarant , vt viderunt Ieſum oſculari , accurrerunt pedibus, qui ad malum ſoliti erant currere , & *manus*,quæ erant plenæ ſanguine,*iniecerunt in eum* quaſi facinoroſum , & vt ſpolium diu optatum *tenuerunt eum* , tentumque funibus , & laqueis , vt Philiſtæi Samſon, conſtrinxerunt , fortaſſiſque catena ferrea , & manicis colligarunt collum, & manus , velut ſeditioſum , & omnium pernicioſiſſimum.

At illi . Vtpotè milites , & ex Iudæis plurimi , qui cohortes militares ducebant, & malitia præcedebant lamias , & crudelitate cocodrilis inferiores erant . Vnde Vates : Ecce loquentur in ore ſuo , & gladius in labijs eorum : quoniam quis audiuit ? qui ſcilicet non cruciaretur animo, plus multo quàm transfixus gladio,audiens ſic homines in factorem , ſuiq. ſerui in Dominum vniuerſorum agere turpiter , & infamè ? Et tu Domine deridebis eos , qui in tantam prorupere audaciam , poſtremo ad nihilum deduces omnes gentes,quæ faciem, in quam Angeli deſiderant proſpicere, non ſuut reueritæ .

Pſal. 58.

Manus iniecerunt in eum . Vt erant ſoliti iuſontes,& innocentes, quia manus eorum ſanguine plenæ erant , velut rapacium volucrum vngues , quæ interfectorum ſanguine replentur . Vnde manuum iniectione crudelitas hoſtium ſignatur . Quam preuidens Pſaltes exorauit : Qui das ſalutem Regibus. Qui redemiſti Dauid ſeruum tuum de gladio maligno eripe me , & erue me de manu filiorum alienorum,quorum os loquutum eſt vanitatem , & dextera eorum , dextera iniquitatis . Caput circuitus eorum , labor labiorum ipſorum operiet eos. Cadent ſuper eos carbones,in ignem deijcies eos in miſerijs non ſubſiſtent.

Pſal. 143. *Pſal. 139.*

Et tenuerunt eum . Vt homicidam dignum morte,rebellem Regi,& Eccleſiæ aduerſarium. Hæc enim omnes improperabant ei . Quapropter per Vatem dicebat : Factus ſum tanquam vas perditum : quoniam audiui vituperationem multorum commorantium in circuitu . In eo dum conuenireut ſimul aduerſum me,accipere animam meam conſiliati ſunt . Adeſt enim (ait Gloſſa interl. ex Hieron.) Ioſeph vinctus , venditus à fratribus , & ferrum pertranſiuit animam eius.

Pſal 30. *Gloſſ.*

CAPVT XLVII.

Vnus autem quidam de circunſtantibus educens gladium , percuſſit ſeruum ſummi Sacerdotis , & amputauit illi auriculam.

Expoſitio .

VIdentes iſta perpetrari Apoſtoli cœperuut turbari , *vnus autem quidam* zelo fidei , *circunſtantibus*, ac reliquis tacentibus , ſolus is ad latus ſiniſtrum miſit manum, & *educens gladium*,quem ſecum deferre ſolitus erat , *percuſsit* enormiter *ſeruum*, tàm ſpirituali plaga , quàm admirabili . *Percuſsit* enim *ſeruum ſummi Sacerdotis* , Malchum nomine, & vuico ictu *amputauit illi auriculam* dexteram , quæ ſolet auditum perfectum dare .

Vnus autem quidam de circunſtantibus. Petrus hic erat;obticet autem nomen eius Marcus(inquit Theophylactus)ne videatur laudare præceptorem ſuum Petrum maioris pro Chriſto zeli . *Circunſtantes* dicit omnes Apoſtolos,qui ſtantes,ſtatim ad magiſtrum conuenerant, & circumſtabant , vt amici Iob obmuteſcentes, non audentes loqui , ignorantes quid agerent , & admirantes de eo, quod magiſtro acciderat . At ille in anguſtijs conſtitutus pro filijs hæc ad Patrem perorabat . Memor eſto congregationis tuæ,quam poſſediſti ab initio . Ne tradas beſtiis animas confitentes tibi, & animas pauperum tuorum ne obliuiſcaris in finem . Adhuo multiplicabuntur in ſenecta vberum & bene patientes erunt, vt annuntient orbi, ſcilicet, Euangelium.

Theoph. *Pſal. 73.* *Pſal. 91.*

Educens gladium . Non *gladios* . Nam etſi dixiſſet : Ecce duo gladij hic , non ad eundem erant finem. Ille, quem intra vaginam continuit,ſpiritualis erat poteſtas,qua in animas Pontifex animaduertit ; alius quem eduxit , temporalem potentiam deſignabat , qua dominatur orbis vniuerſalis Pontifex vniuerſæ terræ . An verò immediatè , an per alium tamen poſſit Romanus Potifex, hoc gladio , & poteſtate in omnes vti. Theologorum, vtpotè Henric. quo. 6. q. 23. Ioann. Driedo lib. 2. de libert. Chriſtiana cap. 2. Ioann Turrecrem. lib 2. ſum. cap. 113. Albertus Pighius lib. 5. Hierarchiæ Eccleſiæ Thom. Vualden. lib. 2. doct. fidei a 3. cap. 76. & ſeq. Paluda lib. de pot. Eccl.

Controuerſia de temporali poteſtate Papæ .

Henric. Ioan. Drie Turrecrem. Alb Pigh. Thom. Vualden. Paludan.

Caiet.

Caiet. Caiet. in Apolog. cap. 13. ad 6. Franciſ. Vi-
Franc Vict. ctor. quæſt. 2. de poteſt. Eccl. Dom. à Soth.
Domin Soto in 4. diſt. 25. quæſt. 2. art. 1. Nicol. Sanderi.
Nicol. Sand. lib. 2. cap. 4. Viſibilis Monarchiæ, & aliorum
ſententia eſt Rom. Pont. poteſtatē ſpiritua-
lem plenariam in orbem habere, minimè
verò temporalem, ſed quantum iuuare po-
teſt ſpiritualem, medio Principe ſeculari.
Bonif. VIII. Perſuadenturque ſic dicere Bonifacij 8. ex-
trauagante vnam ſanctam de maioritate, &
Bernard. obedientia, & Bernard. lib. 4. de conſider.
ad Eugen. Huius enim verba ſunt: Vterque
ergo Eccleſiæ, & ſpiritualis, ſcilicet gladius
& materialis, ſed is quidem pro Eccleſia;
ille verò vt ab Eccleſia exercendus eſt, ille
ſacerdotis, is militis manu; ſed ſanè ad nu-
tum ſacerdotis, & iuſſum Imperatoris. Ca-
August. noniſtarum plerique vt Auguſt. Triumphus
Triumph. in ſumm. de poteſt. Eccl. quæſt. 1. art. 1. Al-
Aluer. Pel. uerus Pelagius lib. 1. de Planctu Eccleſiæ
Hoſtien. cap. 13. Hoſtienſ. in cap. quod ſuperbis de
Panormit. voto, & voti redemptione. Panormit. in
Silueſter. cap. nouit, de iudicijs, Silueſter in ſum. ver.
Papa §. 2. affirmant vtranque poteſtatem
plenariè in Papa reſidere, & immediate in
Nicol. Papa omnes vti poſſe. Quia (inquit Nicolaus in
epiſt. ad Michaelem) Chriſtus beato Petro,
vitæ æternæ clauigero, terreni ſimul, & cæ-
leſtis imperij iura commiſit. Vnde Can.
Quicunque litem, &c. quicunque conten-
Can. tiones 11. quæſt. 1. decernitur omnes lites
ad iudicium ſummi Pontificis pertinere.
Deniq. omnes catholici conueniunt vtrunq.
gladium, & poteſtatem ineſſe Romano Pon-
tifici. Hæretici ſunt, vt Caluinus, Petrus
Hæreticorū error. Martyr, Brentius; atque alij, qui ab omni
poteſtate, & gladio denudant Roman. Pon-
tificem. Quàm ineptè tamen facilè ex his,
quæ diximus, & alijs, quæ diffuſius apud
doctores tractantur, perſuadebitur quiuis.
Nunc ergo ſit ſatis iſta ſuper gladio, quem
Petrus eduxit, non aſſentiente Chriſto, di-
xiſſe.

Percuſsit ſeruum ſummi Sacerdotis. Et
ſacerdotem in eo *percuſsit*, vt enim Pater in
filio, & Dominus in ſeruo eſt. Vnde Chri-
Luc 10. ſtus: Qui vos odit, me odit, & qui vos ſper-
nit, me ſpernit. Igitur ſummus Sacerdos
noui ſacerdotij Petrus ſummum Sacerdo-
tem antiqui Sacerdotij percutit, quoniam
regnante Petro, iura Aaronici ſacerdotij
abolenda erant. *Seruum* non filium per-
cuti, quoniam ſeruitutē, & onus eius, quod
Actor. 7. neque Patres noſtri portare potuerunt, tol-
lit Petri gladius, qui libertatem, quam Chri-
ſtus nobis donauit, tuetur, ampliat, & exal-
Dan 7. tat ſupra vniuerſa imperia; quia poteſtas
eius poteſtas æterna, quæ non auferetur.

Et amputauit illi auriculam. Lex præ-
Exod 21. cipiebat perforari ſubula aurem eius, qui
Deut. 15. apud Dominum ſeruitutem vellet conti-
nuare. Petrus autem amputat radicitus
auriculam ſeruo, qui aduerſus Dominum
rebellarat dicens non eſt ipſe. Quoniam
qui negant Dominum, intelligentia, quæ per
aurem intelligitur, priuantur: Neſcierunt, Pſal. 81.
neque intellexerunt in tenebris ambulant.
Et dimiſit eos ſecundum deſideria cordis Pſal 80.
eorum: ibunt in aduentionibus ſuis. Diſpe- Pſal. 82.
rierunt in Endor, ideſt, in oculo, generatio-
nis, hoc eſt, intellectu, qui eſt oculus pri-
mus animæ: Facti ſunt, vt ſtercus terræ.
Qua ambulantes, vt cæci, non intelligentes Pſal. 27.
opera Domini, quæ animalis ſunt comple-
ctuntur; inter pollutum & mundum non
intelligentes ad volucra luti corruant eſt
neceſſe. Demum quia noluerunt intellige-
re, vt benè agerent, vt iniquè facerent la-
borauerunt. Hæc acciderunt Iudæis, quo-
rum typum gerit Malchus iſte, qui reſtite-
runt Domino, & negauerunt eum. Aurem
perforatam tantum habet, qui ab hero non
vult recedere: ſed illi fideliter ſeruire, quo-
niam Chriſto credentes, intelligentiam de
Deo, quam dictat naturæ lumen, fide trini-
tatis, & incarnationis verbi, quæ difficilis
eſt, admixtam habent. Quare Gentilis po-
pulus, cuius auris perforatur fide prædicta,
tantum abeſt, quod aliquid perdat, vt po-
tius ornamenta multiplicauerit, & præſtan-
tiorem, quàm ante hac intelligentiam re-
cipit. Iudæus totam auriculam amittit,
quia id, quod habebat, ablatum eſt ei. Ad-
uerte denuo non aurem, ſed *auriculam*, quæ
diminutiuum eſt, tolli Malcho, quia non po-
tentia credendi, quæ in aure notatur, ſed
actus aufertur miſero.

CAPVT XLVIII.

Et reſpondens Ieſus ait illis: tanquam ad latronem exiſtis cum gladijs, & lignis comprehendere me?

NOn eſt paſſus Chriſtus quenquā à ſua Expoſitio.
præſentia abire læſum. Immo verò
perfectiori auricula Malchum donauit, &
Petrum pro facto arguit; multitudini au-
tem, quæ tumultuabat, *reſpondens Ieſus*
ſaluator, & potens ad eorum inſaniam, *ait*
illis, vultu ſereno, & placida voce, ac ſi ni-
hil mali pateretur. *Tanquam ad latronem*
inquit, cum ſemper me vobis omni paren-
te maius beneficum, & beneuolum declara-
rim, *exiſtis* feroces, & rabidi, *cum gladijs*
inermem quærere, & cum *lignis* pacificum
adoriri, & cum cohorte militari *compre-*
hendere me ſolitarium?

Et reſpondens Ieſus ait illis. Prætermit-
tit hoc in loco Euangeliſta interrogata,
quæ Chriſtus fecit cohorti, & huius re-
ſponſa ad Chriſtum, necnon quæ Chriſtus
dixit Petro, & quæ cum ſeruo Pontificis
geſſit, quæ & nos ſuis in locis tractanda
prætermittimus. Dum ergo omnes tumul-
tuarent,

Digitized by Google

tuarent, vt ſe nullis perturbare oſteuderet,
reſpondit, & loquitur hoſtes. Indutus eſt
Pſal 12. Dominus fortitudiuem, & præcinxit ſe, vt
Ioſue 12. leo fortiſſimus beſtiarum neminem formidet,
immo verò rugiente, ac loquente eo
vniuerſi timeant. Fortiſſimus Dominus
Deus Iſrael ipſe. Conturbati ſunt montes
in fortitudine eius. Montes dico, hoſtes,
& ſuperbos, qui mente elatiori, & corde
duriori ſuut moutibus Armeniæ, ſeu Olympi.
Hos turbat Chriſtus *reſpondens*, & in
nihilum pæne redigit, vt non habeant quid
dicant loquente Domino. Huiuſmodi fortitudine
donaſſe Martyres legimus, & ea
potentes à ſæculo territos, Ambroſius contra
Theodoſium, Leo contra Actilam, &
alij ſancti Dei homines factis ſuis prædicant.
Inde Vates ceciuit: Dominus fortitudo
Iſai 27. plebis ſuæ, & protector ſaluationum
Chriſti ſui eſt.

Tanquam ad latronem exiſtis. O humilitas
Philip. 2. Saluatoris noſtri Chriſti, qui cũ in forma
Die eſſet, non rapinã arbitratus eſt eſſe
ſe æqualem Deo, nec dedignatur *latronem*
Galat 3. haberi, & maledictum, atque peccatum, qui
1. Pet 2. peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus
in ore eius. Et quorſum? vt *latronem*,
Humilita Chriſti. qui diuinitatem ſibi tribuerat, vtpotè diabolũ
ſpoliaret honore, & adoratione, quam
vbique ferme gentium ſibi vendicarat; vt
maledictum aboleret, & eos, qui vinculis
peccatorum præmebantur, liberaret. Itaq.
factus eſt in mundo humillimus, vt ſequentes,
ac ſuos in excelſis ſublimaret. Exeunt vtcunque
aliquando ad eum, *tanquam ad latronem*,
Quis exeunt adChriſtum vt ad latronem. qui negant illi diuinitatem, vt Cherintus;
qui humanitatem fictam, & non veram
illi tribuunt, vt Cedron; qui initium
æternum habere nolunt, ſed ex Maria inchoatum
affirmant, vt Photinus, ac denique
Hæretici omnes (qui non confitentur, quæ
vere ſunt in Chriſto, quæ dixit, & fecit, &
ordinauit) ad eum exeunt vt *ad latronem*.
Eſt enim veritas, non *latro*. In ipſo, & per
Rom 11. ipſum, & cum ipſo ſunt omnia. Ergo quis
Pſal 15. prior dedit ei? bonorum noſtrorum non
indiget. Non igitur *latro*, ſed medicus eſt,
qui noſtra accepit infirma, vt in meliorem
formam reſtitueret.

Cum gladijs & lignis comprehendere me?
In ligno facta eſt prima offenſio intra Paradiſum
terreſtrem: extra verò in gladio, quo
Gen. 3. Cain factus eſt fratricida, Adam vero in
Gen. 4 ligno prænaricator mandati, & fœderis.
Ergo vt præuaricatores primi, & ſupremi
mandati ſe proferunt Iudæi exeunt cum
Tranſgeſsio Iudæorũ in Chriſti captione. *lignis*; *cum gladijs* autem vt tranſgreſſores
ſecundi præcepti, quod eſt priori ſimile.
Pariterque in vnius Chriſti comprehenſione
omnium præceptorum præuaricatores,
tranſgreſſores, & rei, digniſque totius pœnæ,
quæ vniuerſis, & ſingulis peccatoribus
eſt ſolita aſſignari. Propterea hæc dicit

Dominus Deus exercituum dominator. In
omnibus plateis planctus, & in cunctis, quæ Amos 5.
foris ſunt dicetur *væ, væ*, & vocabunt agricolam
ad luctum, & ad planctum eos, qui
ſciunt plangere. Et in omnibus vineis erit
planctus, quia pertranſibo in medio tui, dicit
Dominus. Vineæ ſunt Synagogæ Iudæorum;
plateæ Chriſtianorum vrbes, in
quibus detinentur captiui; foris ſunt infideles,
apud quos etiam degunt infeliciter,
& vbique plangunt duram ſeruitutem, qui
ex Iudaiſmo ſunt. Quoniam ob peccatum
in Chriſtum Dominus, qui in medio eorum
erat, formans, auxilians, & benefaciens,
pertranſijt, & venit nobiſcum habitare.
Verum quia ignorant, adhucque expectant
diem Meſſiæ, qui ſolum ad iudicium venturus
eſt, Propheta ſubdit: Væ deſiderantibus
diem Domini, ad quid eam vobis? Dies Domini Ibidem.
iſta, quam, ſcilicet, adhuc expectatis,
tenebræ, & non lux. Quomodo ſi fugiat,
vir à facie leonis, & occurrat ei vrſus, & ingrediatur
domum, & innitatur manu ſuper
parietem, & mordeat eum coluber. Nam
dum temporalem captiuitatem aduentu
Chriſti fugere ſperabunt, incident in æternam,
& infernalem. Quare concludit ad
verſus miſeram gentem: Nunquid non Ibidem.
tenebræ dies Domini, & non lux, & caligo
& non ſplendor in ea? vobis quid ẽ ò Iudæi,
qui per fidem patrum continuatis. Nam
credentibus lux orta eſt eis, quando in carnem
venit Chriſtus, & quando iterum ad
iudicium deſcendet, fulgebunt ſeptimpliciter,
ſicut ſol ſeptem dierum, & ſicut ſtellæ
firmamenti in perpetuas æternitates.

CAPVT XLIX.

Quotidie eram apud vos in templo docens; & non me tenuiſtis: Sed vt impleantur Scripturæ.

LAtro quidem quærit latebras, non videri Expoſitio.
amat, & ambulat in tenebris, aut
clam. Ego autem palam meipſum feci continuo,
nam & *quotidie*, hoc poſtremo tempore
eram, nunc cum turba in foro, nunc
apud vos omnes *in templo*, & eius loco eminentiore,
ac publicè *docens*, quæ ad Dei
gloriam videbantur expedire, veſtrorumq.
omnium ſalutem. *Et* cum tàm frequenter
me veſtris conſpectibus obiecerim, *non me*
humilem prorſus, & abiectum *tenuiſtis*. Factum
eſt ita, non ſolum vt veſtræ malitiæ,
atque odio ſatisfeceritis, *ſed* etiam *vt impleantur*
diuinæ *Scripturæ*, quæ in lege,
Pſalmis, & Prophetis, iſthæc ſic fore prænuntiarunt.

Quoditie eram apud vos in templo docẽs.
Quotidie aduerbium ad immediate præcedentes
dies refertur, non ad omnes, quibus

in

in terra vixit. In his quidem ſpiritu ſemper cum Iudæis, quos, vt oues domus Iſrael perditas, venerat quęrere, fuit *docens*, ac dicens: Ego Dominus vocaui in iuſtitia, & apprehendi manum tuam, & ſeruaui te. Corpore vero non fuit *quotidie* cum eis, ſed quando expediebat, vt poſt quadraginta dies ab ortu; docens confiteri Domino; & gratias pro acceptis agere, poſt duodecim annos in medio Doctorum; vt legiſlatorem quē petebant agnoſcerent, & admitterent. Triginta annos natus, in pinnaculo conſtitutus, vt tentatoris tirannidem debellaret, & altitudinem ſuperborum humiliaret. Reliquis quoque temporibus, vſque ad trigeſimumtertium, & dimidium fere annum, viſus etiam *in templo docens*; feſtiuis aliquando diebus, nonnunquam operarijs, vt tàm in opere, quàm in otio ſancto, illum omnes acclamarent doctorem vitæ, patrem ſpiritus, & vniuerſorum, qui vel ſacris, vel profanis mancipantur Deum, ac Dominum confiterentur, & adorarent: Quia benè omnia fecit, ſurdos fecit audire, & mutos loqui: Ergo ſtultum eſt, ait Gloſſ. Bedæ, cum gladijs, & fuſtibus comprehendere, qui vltro ſe vobis tradit, & in nocte quaſi latitantem inueſtigare per proditorem, cum *quotidie in templo doceat*.

Iſai.42. — *Marc.7.* — *Gloſſ.*

Et non me tenuiſtis. Vt à maiori ſcelere excuſarentur. Nam ſi docentem in templo, ſi miraculum agentem, aut arguentem eos, in loco ſancto comprehendiſſent, profectò, & à loco, & ab operis circunſtantia granaretur eorum peccatum, & ab officio doctoris, quod eo loci exercebant digni, quo ad homines, fuiſſent grauiori ſupplicio. Quapropter libet ex hac Dei prouidentia, & Chriſti conſilio tria annotate. Primum quod doctoris munia agens in templo teneri noluerit, apertè nos inſtituxit ſacris doctoribus honorem deferre. Criminationes ergo (ſcribit Calyſtus Papa epiſt. 1. decret. ad Benedictum Epiſcopum) contra doctorem nemo ſuſcipiat, quia non oportet filios reprehendere Patres, nec ſeruos Dominos lacerare. Filij ergo ſunt doctorum omnes, quos inſtruunt; & ſicut filij patres carnales; ſic & hi patres debent diligere ſpirituales. Doctores ergo, qui & patres vocantur, magis portandi, quàm reprehendendi ſunt, niſi in recta fide errauerint. Præterea ex hoc inſerto quoque iure ob reuerentiam tùm officij, tùm perſonæ Epiſcopalis, cuius eſt docere, tum maximè in templo, ſtatum habere ſecum teſtes, ac defenſores. Quoniam & in hac ſede conſtitutum habemus (ait Lucius Papa epiſt. decr. ad Galliæ, Hiſpaniæque Epiſcopos) vt duo Præsbyteri, vel tres Diaconi in omni loco Epiſcopum non deſerant, propter teſtimonium Eccleſiaſticum. Et Euariſtus Papa in epiſt. ad Epiſc. Africanos. Diaconi, qui quaſi oculi videntur eſſe Epiſcopi, in vnaquaque ciuitate, iuxtà Apoſtolorum conſtituta ſeptem debent eſſe, qui cuſtodiant Epiſcopum prædicantem, ne aut ipſe ab inſidiatoribus quoquomodo infeſtetur, aut lædatur à ſuis, aut verba diuina detrahendo, aut inſidiando polluantur, vel deſpiciantur; ſed veritas ſpiritualis redoleat feruore, & pax prędicata labijs, animi cum voluntate concordet. Demum quod in templo noluerit apprehendi, honorem, qui materialibus templis confertur, probauit: quin hac ſua præuentione ſanxit Eccleſias immunes à ſanguine ſeruari opportere. Tum enim honoratur Eccleſia, quando ad eam confugientibus immunitas obſeruatur. 17. quæſt. 4. Reum. Quare niſi præſtita cautione de ſecuritate vitæ, & membrorum, non eſt tradendus iuſtitiæ ſæculari, qui ad Eccleſiam confugerit ibidem, & 23. quæſt. 5. reos. 36. quæſt. 1. de raptoribus, excepto publico latrone iuxtà Nicolai Papæ decretum, quod eſtat 17. quæſt. 4. ſicut.

Calyſtus Honor debetur doctoribus. — *Luc. Papa* — *Euar. Papa* — *Nicol. Papa*

Sed vt impleantur Scripturæ. Horum quidem aliæ fuerunt apertæ, aliæ ænigmaticæ, & aliæ parabolicæ Chriſti mortem pronuntiantes. Aperte Dauid, Iſaias, Ieremias, & Daniel acta paſſionis Chriſti multis in locis ſuorum oraculorum prænuntiarunt ſub enigmate. Eadem multo ante Moyſes in vniuerſis legalium ſacrificijs, oblationibus, holocauſtis, & ſacris contemplanda ſapientibus propoſuit. Et eorundem quædam parabolæ fuerunt, quæ in perſonis priſcorum Spiritus ſanctus delineauit, vt in morte Abel iuſti, & paſtoris, in denudatione Noe, in ſacrificio Iſaac, in Iacob fuga, in Ioſeph venditione, in Moyſi aquis, ex quibus eductus; in Sanſonis ludo, & interitu, atque alijs, quæ noſtri Chriſti geſtorum figuræ extitere, & parabolæ.

Variè ab antiquis mors Chriſti prædicta & præmonſtrata.

CAPVT L.

Tunc Diſcipuli eius relinquentes eum, omnes fugerunt.

Expoſitio.

QVi audaces reprimebat, puſillanimes vero Apoſtolos cōfortabatur ſuo eloquio ſiluit; quo tacente, ad naturæ ſolita quiſque redijt. Malitiam continuat manus ſatellitia; formidinem vero repetunt Apoſtoli. Videntes ergo ij immanitates, quas peruerſi in magiſtrum exercebant, quaſi nihil tunc refugij inuenientes, etſi *diſcipuli eius* ad pedes ſe conijcere ſtatuunt, quare *relinquentes eum* ſolum, vſquequaque ab hoſtibus afflictum, *omnes* qui ex duodecim erant, *fugerunt* hac, illacque diſperſi ſunt, plangentes pro captura magiſtri, & lachrymantes pro iniurijs, quas eum pati cernebant, & immaginabantur augeri dilecto.

Tunc

Tunc. Scilicet quando ceſſauit Chriſtus loqui, eo tacente, cœptum eſt dire in eum animaduerti, colaphis, pugnis, ſputo, calceis, & verbis blaſphemis, atque vinculis, & cathena durius colligari viſus eſt, pauor irruit ſuper omnes, ac timere de ſua ſalute exorſi ſunt, ac dicere: Vſquequo Deus improperabit inimicus, irritat aduerſarius nomen tuum in finem? Vt quid auertis manum tuam de medio ſinu tuo in finem? Nunquid in æternum proiecit Deus, aut non apponet vt complacitior ſit adhuc? An non dilectus filius in quo tibi complaces? Et nos nonne puſillus grex? Nunc autem repuliſti, & confundiſti nos. Ille quidem ac ſi repulſus, ab inimicis malè afficitur. Nos autem confundimur eo abſente, nec ſcimus quo pergere debeamus, mori cum eo timemus, & inter mortales erubeſcimus viuere. Hæc tu, qui pius es, cogita, ac ſi vnus ex charis eſſes.

Pſal. 76.

Pſal. 43.

Matth. 3. Luc. 12. Pſal. 43.

Diſcipuli eius relinquentes eum, omnes fugerunt. Non aderant *omnes diſcipuli*, ſed collegiū Apoſtolorum integrum Chriſtum reliquit, vnde Chriſtus: Extraneus, factus sū fratribus meis, & peregrinus filijs matris meæ. Et iterum orat ad Patrem: Super me confirmatus eſt furor tuus, & omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me: longè feciſti notos meos à me, poſuerunt me abominationem ſibi. Longè, & extraneus dicitur factus Chriſtus notis Iudæis fidelibus, & fratribus diſcipulis, & Apoſtolis, quod illi non adhęrerent, vt magiſtro; non confiterentur, vt Deum; ſed timore victi humano ſolum relinquerent, & quadam mentis obſcuritate in eum ſcandalizarentur. Quare modo impletur (inquit Zachar. Chryſop. ex Beda) dictum Domini: quod omnes ſcandalizarentur in illo in ipſa nocte. Nam & ſi turba permittente ad petitionem Domini fugerunt, vt Ioann. ſcribit; pauorem tamen mentis oſtendebat eos eſſe ad fugam promptiores, quàm ad patientiam cum Domino. Adimpletum eſt & illud: Elongaſti à me amicum & proximum, & notos meos à miſeria. Hinc nota collegium aliquando Cardinalium à Papæ ſententia deficere, & Concilium vniuerſale Epiſcoporum, authoritate Papæ, vel non congregatum, vel non confirmatum relinquere poſſe Rom. Pontificem, vt ſciant, quia homines, vt mox Apoſtoli. Et quidem hac in parte imperfectiſſimi, & eorum acta nullius firmitatis. Horum autem habemus exemplum Baſilienſe Concilium. Necnon Ariminenſe, & quæ Cardinales ſoli agere tentarunt, vel abſentibus Pontificibus, vel contradicentibus: Eſt enim Pontifex Roman. Chriſti locumtenens, cæteri Apoſtolorum collegium repreſentant.

Pſal. 68.

Pſal. 87.

Zachar. Beda

Pſal. 89.

Concilium deficere poteſt à Papa, & à veritate

CAPVT LI.

Adoleſcens autem quidam ſequebatur eum amictus ſindone ſuper nudo, & tenuerunt eum.

TAmetſi arrepti nimio timore fugam iniſſent, ad ſe reuerſus *adoleſcens quidam* inter eos poſito pauore *ſequebatur eum* à longè, vt videret finem omnium, & perſcrutaretur ſingula, quæ in Chriſtum agerent, quoue cohors tenderet. Erat autem adoleſcens ille *amictus* ſola *ſindone ſuper nudo* corpore. Cumque auidior diſcendi factus, appropinquaſſet ad turbam, qui curioſiores illic erant, & crudeliores in magiſtrum, *tenuerunt eum*, volentes pariter cum magiſtro ad ſupplicium detrahere.

Expoſitio.

Adoleſcens autem quidam. Solus Marcus adoleſcentis huius meminit. Quis autem ſit iſte adoleſcens, non planè ſcitur. Quidam dicunt, ait Gagnæius, Iacobum, quem dicebant fratrem Domini, quod vnica ſemper ſit vſus veſte. Cæteri quendam adoleſcentem domus, in qua commederant cœnam; alij Ioannem Euangeliſtam eſſe, neque idem eſt cum eo, de quo Ioanues ipſe ait: Sequebatur Ieſum Simon Petrus, & alius diſcipulus; Nam is de quo Marcus, ait Græcè dicitur νεανίσκος, ideſt, adoleſcétulus. Pater Ioann. de la Fuente hortolani filium immaginatur, qui ex armorum ſtrepitu, & repentino tumultu præter tempus, & horam cōſurgens de lecto, in quo dormiebat, auertit ad milites, vt qui hoc eſſet agnoſceret. Sindone coopertus cum veſtimenta honeſtiora non poſſet aſſumere, & vt alienus à familia Chriſti ſequebatur eum, nihil mali ſuſpicans. Libet tamen hoc in negocio potius aſſentiri Ambroſio ſuper Pſalm. 36. & Gregor. lib. 14. mor. cap. 23. & Gloſſ. ordinariæ Bedæ, & Zachariæ Chryſopolitano, & alijs, qui Ioann. Euangeliſtam fuiſſe affirmant: Nam illum eo tēpore fuiſſe *adoleſcentem*, ſcribit Zachar. longa poſt eius vita inditio eſt. Potuit enim fieri, vt elapſus manibus tenentium, mox reſumpto indumento redierit, & ſub nocte ſeſe turbis ducentium Ieſum, tanquam vnus ex ipſis, miſcuerit, donec ad atrium Pontificis, cui ipſe erat notus perueniret, vt ipſe commemorat.

Gagn.

Ambr. Greg. Beda Zachar.

Sequebatur eum. De huius ſequela fit potiſſimum mentio quaſi digna omni animaduerſione. Prouerbium enim eſt: Adoleſcens iuxtà viam ſuam, etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea. Ecquid quæſo glorioſius homini, quàm Dominum in laboribus ſequi à iuuentute, & vſque ad ſenectam, & ſe-

Prou. 22.

& ſenium Chriſto configi? Magna gloria eſt ſequi Dominum in vigilia ſollicita, magnum habet fructus renuntiare omnibus *Matth. 19* propter Chriſtum, & confeſſionem coram *Matth 10.* Patre meretur, qui confitetur Chriſtum *Pſal 36* coram hominibus, & tota die miſeretur, & *Thren. 3* commodat. At qui iugum portat ab adoleſcentia ſua in omnibus laborat, anguſtiatur, & mortem Chriſti in animo portat, & mortificationem in corpore, opus perfectum habet, & vt Paulus ait: Viuo ego, iam *Gal. 2.* non ego, viuit vero in me Chriſtus. Viuens itaque in carne fit is totus Chriſtus, & depoſita carne in claritatem Chriſti eandem transformatur.

Amictus ſindone ſuper nudo. Sindon, auctore Ambr. Calep. amictus eſt ex lino *Calep.* ægyptiaco, inde, vt creditur, nomen habēs, quod primo in Sindone vrbe fuerit inuĕctus; ob id ſyria Sindon à Martiale dicta lib. 4.

Ridebis vĕtos hoc munere tectus, & imbres
Martial. *Nec ſic in Tyria Sindone tutus eris.*

Sequitur autem Chriſtum, eo indutus *ſuper* *S Thom.* *nudo*, qui gratiam, quæ ſecundum S. Thom. animæ eſſentiam immediatè ornat, pænes ſe habet. Hæc enim nuditatem noſtram operit, ſuo quidem lumine, habituq. intellectua- *Ornatus gratiæ.* li, tum practico, tum ſpeculatino, mentis obſcuritatem depellit, radijs ſuæ flammæ, frigiditatem affectus omnino tollit, & ſic denique ſpiritum hominis obumbrat, & nobilitat, vt vir nuditatem, quam latrones *Luc. 10.* homini vulnerato, ac ſemiuiuo, inferre curarunt, diſcernas. Hæc eſt iuſtitia, qua indu- *Iob. 29* tus fuit Iob, cuius odor, ſicut odor thuris; *Cant 4.* qui Angelos gaudio in cælis replet, & vniuerſos, qui in terris ſunt, ædificat. Ecquid? *Ezech. 27.* Nonne diuinum indumentum? Et expandi amictum meum (ait Deus ad ſpoliatam animam, quam veſtire decreuit) ſuper te, & operui ignominiam tuam. Meum, inquit, quia gratiam, & gloriam Dominus dat ijſq. primo ſeipſum clarificat. Vnde vidimus eum plenū gratiæ, & veritatis, dicebat Ioan- *Ioann. 10* nes. Ergo qui vis ſectator Chriſti fieri, induere veſtimentis gloriæ tuæ, neque ea exuas: Tum enim adoleſcens iſte parauit fugam, quamprimum ſindonem reliquit.

Et tenuerũt eum. Quia ſequebatur Chriſtum, etiam quia Sindone indutus erat, nam perſecutionem patitur, qui veſtigijs Chriſti hæret, & qui gratiam in cunctis, quæ agit declarat, nequit manus peſsimorum effugere. In hoc enim diſcernuntur filij Dei, & *Pont. Papa* filij Diaboli, ſcribit Pontianus Papa epiſt. 2. Filij namque Dei ſemper cogitant, & agere contendunt, quæ Dei ſunt, & fratres indeſinenter adiuuant, & nulli nocere volunt; Filij autem diaboli, è contra mala, & nociua ſemper meditantur, quia opera eorum mala ſunt. De quibus loquitur Dominus *Ierem. 1.* per Ieremiam Prophetam dicens: Loquar iudicia mea cum eis ſuper omni malitia eorum. Propterea iudicio contendam adhuc *Ier 2.* vobiſcum, ait Dominus, & cum filijs veſtris diſceptabo. Ecce ego fingo contra vos ma- *Ier. 14* lum, & cogito contra vos cogitationem.

CAPVT LII.

At ille reiecta Sindone, nudus profugit ab eis.

CVrat tentus adoleſcens vitæ ſuæ con- *Expoſitio.* ſulere, non armis impetiens, neque vim repellens vi, ſed vt vidit *ille* multiplicari hoſtes, & durè in eum animaduertere, *reiecta Sindone*, quæ corpus carnes operiebat, *nudus*, vt potuit, *profugit* celeriter *ab eis*.

At ille reiecta Sindone. Si gratiam, vt ſupra imaginemur *Sindonem*, & fugam, & mala perpeſſa, & adoleſcenti, & ſeni omniq; *1. Cor. 13.* homini accidere, quod gratiam, quæ omnino poteſt, omnia credit, omnia ſperat, à ſe procul reijciat. Reſpicite filij nationes ho- *Eccl. 2* minum, & ſcitote, quia nullus ſperauit in Domino, & confuſus eſt. Quis enim permanſit in mandatis eius, & derelictus eſt? aut quis inuocauit eum, & deſpexit illum? quoniam piget miſericors eſt Deus, & remittit in die tribulationis peccata, & protector eſt Dominus omnibus exquirentibus ſe in veritate. Sunt autem hi, qui nullatenus ſe à charitate, & gratia Chriſti ſeperāt, *Charitatis & gratiæ cõſeruatio.* velut diſcipuli eius, qui dixit: Quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque inſtantia, neque futura, neq; fortitudo, neque altitudo, neque profundū, *Rom 8.* neque creatura alia poterit nos ſeparare à Chriſto Ieſu. Subinde ſcribit Cornel. Papa *Cornel. Papa* ep. 1. Nolite itaque amittere confidentiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem. Patiencia enim nobis neceſſaria eſt, ad colluctationes aduerſariorum, quatenus fidem intemeratam vſque in finem conſeruantes repromiſsionem percipiamus, quam repromiſit his, qui legitime certare properant. Id autem faciunt, qui ſindonem non reijciunt, ſed firmiter retinent, vtpotè gratiam, quæ omnia poteſt.

Nudus profugit ab eis. Ad litteram hic ſindonem corporis indumentum interpretantes iuuenem commendemus, vt qui relictis omnibus, nuditatē non erubuit propter vitam corporis, quæ cunctis temporalibus maius bonū eſt, & dignius, quod ſi eo iuuenis extollitur, quanta laudatione reputabitur is, qui propter vitā animæ nulli parcit, ſed pellem pro pelle, & cuncta quæ habet, *Iob. 2.* dat pro anima ſua? Beatus eſt ſeruus ille, *Matth. 25* qui non hominem ſed Deum (qui ait: Euge ſerue bone, quia in modico fuiſti fidelis ſupra multa te conſtituam) laudatorem habere promeretur.

CAPVT

CAPVT LIII.

Et adduxerunt Ieſum ad ſummum Sacerdotem, & conuenerunt omnes Sacerdotes, & Scribæ, & Seniores.

Expoſitio. ET illi interim, qui *Ieſum* tenebant vinctum, *adduxerunt* eum celeriter ad Annam primum, indeque *ad* Caipham *ſummum Sacerdotem*, & Pontificem anni illius, & vt cunctis per inter nuntios innotuit, inſontem Chriſtum pænes Pontificem alligatum cuſtodiri, illico *conuenerunt* aduerſus Chriſtum *omnes Sacerdotes* qui altari miniſtrabant, *omnes Scribæ*, qui litteras profitebantur, *& Seniores*, qui populo præerant.

Et adduxerunt Ieſum ad ſummum Sacerdotem. Ioannes, qui his interuit (notat **Gagn.** Gagnæius) docet ſupra cæteros Chriſtum primo ad Annam ductum, & quæ ibi geſta ſunt, & ab Anna ad Caipham, ſed ſummo mane; apud Annam vero Petrum ſe calefaciſſe. Quare *ſummum Sacerdotem*, ſe-**Beda Ioann. 18** cundum Bedam, ſignificat Euangeliſta. Caipham, qui ſicut Ioann. ſcribit, erat Pontifex anni illius, de quo teſtatur Ioſephus, quod Pontificatum ſibi emerit à Principe Romano. **Ioſeph.** Ad hunc ergo, qui *ſummus* habebatur inter *Sacerdotes*, adducitur excelſus præ Regibus terræ, & qui in cælis ſuper omnem Principatum, & poteſtatem thronum habebat repoſitum in ſæculum ſæculi. In primis vt qui pio ſunt animo humilitatē noſtri Saluatoris contemplentur. Inſuper artem attendant, qua deponere potentes de ſede excogitat: Subiectus enim ſummis ædificijs ignis ſummè actiuus, ea proſtrauit. **Iſai. 27.** Ille enim omnis fructus eius, vt auferatur peccatū eius, cum poſuerit omnes lapides altaris, ſicut lapides cineris alliſos non ſtabunt luci, & delubra. Sunt hæc maiores populi, ſunt & *Sacerdotes*, qui cum altari alliſi ſunt, denique tota eorum gens, vnde **Iſai. 29.** ſequitur: Ciuitas munita deſolata erit, ſpecioſa relinquetur, & dimittetur quaſi deſertum, ibi paſcetur vitulus, & ibi occubabit, & conſumet ſummitates eius. Ecquis vitulus niſi Chriſtus, qui apud eos natus, & mortuus? is ergo auferens peccatum ſuo aduentu, & ciuitatem, & gentem, & ſummitates, hoc eſt Principes, & vniuerſorum principatum ob ingratitudinem hominum euertit, deſtruxit, perdiditque.

Et conuenerunt omnes Sacerdotes. Scilicet, leuitici generis, quorum ordo bipartitus erat, vt quidam altaribus adminiſtrarent, alij rebus, quæ ſacrum cultum ſpectabant, deputabantur. Quotquot tamen *conuenere* aduerſus Chriſtum *Sacerdotem*, ſed diſſimilem. Nam etſi vocatus, vt Aaron (inquit Cyrillus Alexandrinus **Cyrillus** lib. de recta in Chriſtum fide ad Regiuas) modo tamen diſſimili. Ille enim tanquam ſeruus iniunctus eſt ad miniſterium; hic vero ſecundum ordinem Melchiſedech aſſumptus, tanquam filius adminiſtrat patri. Miniſterij porro modum de Chriſto omnium noſtrum ſeruatore ſcribens, hunc in modum exponit. Qui non ſecundum legem mandati carnalis factus eſt, ſed **Sacerdotiū Aaron inferius ſacerdotio Chriſti.** ſecundum virtutem vitæ diſſolubilis; eſt itaque Sacerdotij illius ritus Aaronico multis partibus preſtantior. Nam etſi ille ad Sacerdotium aſcitus eſſet; attamen, vt modo aiebam, erat, manebatque ſeruus. Hic verò in eo quoque ſtatu Dei Patris filius erat. Ergo libertati filij inuidentes, qui ſerui erant, *conueniunt*, ſi quomodo talem, qui nobis datus erat Pontifex, Sanctus, & excelſus, deſtruerent, & penes ſeruos principatus, & Sacerdotium ſeruile continuaretur.

Et Scribæ. Vtpotè doctores falſi, mendaces, & qui errabant in pluribus, doctorem veritatis *conueniunt*, vt inſimulent, & ſubuertant. Quorum acta proſequuntur **Temeritas Magdeburgenſium.** Hæretici, tum maximè Magdeburgenſes, qui vix vllum Eccleſiæ doctorem, & ſcriptorem Eccleſiaſticum, abſque cachinno prætereunt; eos autem, qui ſuperſtites ſunt, irrident, & diffamant: atque Apoſtolorum Princeps, in ordinatione beati Clementis populorum inſtruens ait (ſcribit **Alex.** Alexander I. epiſt. 1. decretal. ad omnes orthodoxos) quicunque contriſtauerit doctorem veritatis peccat in Chriſtum, & patrem omnium exacerbat Deum, propter quod, & vita carebit.

Et Seniores. Qui iura ſua conſeruare volentes, & inueteratam malorum conſuetudinem, eum qui noua inſtituere veteribus abiectis venerat, pati non poterant, ſed Domine exaltetur manus tua, & non videant, & confundantur zelantes populi, **Iſai. 26.** & ignis hoſtes tuos deuoret. Hi fuerunt *Seniores* populi, qui ſuarum traditionum zelatores, doctrina Chriſti abominati ſunt. Quia tamen indigni myſteriorum Chriſti, & innouationis ſuæ, non viderunt, nec penetrarunt magnitudinem inſtitutorum, quæ vetera deſtruebant, vtcunque viderunt probata, & accepta ab Apoſtolis, & filijs ſuis, non abſque rubore, & confuſione, quod nihil profeciſſent, quin morti Chriſtum tradentes omnia eius noua ſacra inſtituta, & præcepta viſi fuerint multiplicaſſe. An non apertiſſimum eſt obſecro (ſcribit Cyrillus Alexandrin. **Cyrill.** ad Theodoſium) vnigenitum Dei filium ſimilem nobis, hoc eſt, hominem factum

Digitized by Google

eſſe, quo nimirum terrenum hoc noſtrum corpus, vita propria, per oeconomicam vnionem illi immiſſa, ab induſta corruptione liberaret? Animam rurſum humanam poſteaquam illam propriam ſibi reddidiſſet, ſuæque naturæ firmitate, ac immutabilitate, perinde ac vellus colore imbuiſſet, peccato ſuperiorem declararet? Vetuſtatem ergo peccati, & legalium viderunt ſenes dierum malorum euanuiſſe in filijs, gratiæ vero, & euangelij nouas plantationes creuiſſe, vt germen agri conſpexerunt.

CAPVT LIV.

Petrus autem à longè ſequutus eſt eum, vſque intre in atrium ſummi Sacerdotis; & ſedebat cum miniſtris ad ignem, & calefaciebat ſe.

Expoſitio.

INterim *Petrus*, qui diligebat Ieſum recordatus beneficiorum, quæ ab eo receperat, ſtatuit noo omnino ab illo recedere, quare *à longe* ob metum, qui adhuc præualebat, *ſequutus eſt eum*, per omnes vicos ciuitatis, atque plateas, *vſque intro*, cum reliqua turba ſe reciperet *in atrium* domus *ſummi Sacerdotis*, & dum Chriſtus varijs, tùm dictis, tùm factis, in concilio Sacerdotum exerceretur, ille foris *ſedebat* in ipſo atrio *cum miniſtris*, qui comprehenderunt Ieſum nocte, ad *ignemque* totus conuerſus videbatur magiſtri obliuiſci. Ac ſi enim charitas animi refriguiſſet, *calefaciebat ſe* toto corpore, ſi forte igne externo, interni defectum ſuppleret.

Petrus autem à longè ſequutus eſt eum. Vt impetraſſe ſibi videretur, quod Chriſtus rogat: Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fidrs tua. Vbi Chryſoſtomus hom. 83. in Matth. non dixit non negabis; ſed vt noo deficiat fides tua. Curam enim ipſius & fauore factum eſt, ne omnino Petri fides euaneſceret. Quamuis (ſubdit Theophylactus in cap. 22. Luc.) breui tempore conevtiendus ſis, habes recoodita ſemina fidei, etiam ſi folia abiecerit ſpiritus inuadentis, radix tameo viuet, & oon deficiet fides tua. Nam quando rogauit (ait Auguſtinus lib. de corrupt. & gratia cap. 8.) vt noo deficiat fidea eius, rogauit vt haberet in fide liberrimam, fortiſſimam, inuictiſſimam, perſeuerantiſſimam voluntatem. Hac igitur præditus ſequitur mox Ieſum ampliorem (vt eo loci ſcribit Theophylactus) erga Dominum declarans amorem, ſequitur autem *à longe*, quia negationi proximus, ait Zachar. Chryſ. ex

Luc. 22.
Chriſoſt.
Theoph.
Auguſt.
Zachar.

Hieronym. & Beda, neque enim negare poſſet, ſi Chriſto proximus eſſet. Nunc autem vir duplex animo inconſtans eſt, in omnibus vijs ſuis, & timor retrahit, quem charitas trahit. Quod Ieſum *ſequitur*, deuotionis eſt, quod timet, naturæ; quod negat, obreptionis; quod pœnitet, fidei. Significat autem Eccleſiam ſecuturam quidem, hoc eſt, immitaturam Domini Paſſiones, ſed *longe* differenter. Eccleſia enim pro ſe patitur, Chriſtus pro Eccleſia.

Hieron.
Beda.
Iacob. 1.

Vſque intro in atrium ſummi Sacerdotis. Summus iſte *Sacerdos* Anna erat, apud quem Petrus negauit Chriſtum, & Chriſtus primo ſiſtitur: Dicit autem Euangeliſta, hunc & illum ſummos Sacerdotes, atque Pontifices, quod viciſſim Pontificatum ſummum adminiſtrarent. Cum enim lex præciperet, inquit Theophylactus, vnum eſſe Pontificem per totam vitam, multi tunc erant ementes quotannis à Romanis Principibus. Ponitur hoc loco huius ſummi Sacerdotis mentio ob negationē Petri, quę illic accidit, erat *atrium* velut angiportus ante ingreſſum domus, quo conueoire, & expectare ſolent miniſtri, & ſerui ſuos Principes, ac dominos familiarum, quouſque ad negocia exeant, *vſque intro* ergò *atrium* Petrus ſequitur, hoc eſt, vſque ad loca ſæcularium ſeruorum, beſtiarum, & negociatorum. Equidem iſta ad negationem facile inducunt, & omiſſionem eorum, ad quæ & Petrus, & quiuis Sacerdos iure tenetur. Quare ad Clementem poſtmodum dixit. Te quidem oportet irreprehenſibiliter viuere, & ſummo ſtudio eniti, vt omnes vitæ huius occupationes abijcias, neue in vlla alia occupatione prorſus inueniaris, mundialis oegocij occaſione perplexus. Neque enim iudicem, aut cognitorem ſæcularium negociorum, hodie te ordinare vult Chriſtus, vti ne præfocatus præſentibus hominum curis, non poſſis verbo Dei vacare, & ſecundum veritatis regulam ſecernere bonos à malis.

Anna & Cayphas viciſſim gerebant pōtificatum.
Theoph.
Clem epiſt. 1. ad Iacob fratr Dom.
Quid vitandum paſtoribus.

Et ſedebat cum miniſtris ad ignem. Ignis, ad quem miniſtri Pontificum auarorum ſedent, concupiſcentia eſt oculorum, radix omnium malorum, & idolorum ſeruitus, præſertim in miniſteris altaris. Inde Concilium Senonenſe part. 2. cap. 29. dixit. Ex quo in Eccleſia Dei auaritia creuit, perijt lex de Sacerdote, & viſio de Propheta, quemadmodum D. Hieron. ad Ruſticum Narboneoſem ait. Nec mirum, quod nemo poſsit ſeruire Deo, & mammonæ, aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget, aut vnum ſubſtinebit, & alterum contemnet. Vbi eſt enim theſaurus tuus, ibi eſt cor tuum. Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, quiſque ſecundum ſuæ voluntatis rationem, his contenti ſimus.

1. Tim 6
Conc. Senon.
Hieron.
Math 6.
1. Tim. 6

Et ca-

Et calefaciebat ſe. Non tamen calefactum huiuſmodi igne legimus. Nam neque auaritia ſatiat; optat quidem auarus ſatiari, ſemper tamen eſt clamans affer, nunquam dicit ſufficit. Canes accipientes

Baſil.

(ait Baſil. Magn. in Pſalm. 14.) manſuefiunt. Fænerator accipiens amplius irritatur. Non enim latrare ceſſat, ſed amplius exigit, ſi

Inſignis auari deſcriptio

iuraueris non credit. Perſcrutatur interna cōmercia tua curioſe inquirit; ſi domo ;ẽgreſſus fueris, rapit, ac attrahit te ad ſeipſum; ſi intus te occultaueris inſtat ad oſtiū & fores pulſat, corā vxore pudefacit; coram amicis contumelia afficit, in foro ſtrangulat; malus in feſto occurſus; vitam non viuendam tibi ſubornat. At magna, inquit, eſt neceſſitas, & nullus alius pecuniarum prouenrus. Itaque quanto nummus creſcit, ſemperq. inſatiabilis manet auarus. Quapropter, vt Fabiani Papæ epiſt. 1. verbis

Fab. Papa.

vtar. Cariſſimi cauete talium foueam, in quam multos cecidiſſe cognouimus. Cauete talium iacula & antiqui hoſtis tentamenta, per quæ etiam proprios propinquos coram vobis vulneratos cadere vidimus. Attendite

Fugienda auaritia.

laqueos inſidiantium, quibus notos, & comelitores ſtrangulare ſolent. Nolite tales ſequi, ſed procul pellitè eos.

CAPVT LV.

Summi vero Sacerdotes, & omne concilium, quærebant aduerſus Ieſum teſtimonium, vt eum morti traderent, nec inueniebant.

Expoſitio.

DVm itaque Petrus intra cum Sacerdotis Annæ miniſtris ad ignem ſederet; Chriſtus ſtabat ante iudices iniquitatis. Namque *ſummi Sacerdotes* frementes aduerſus eum, *& omne concilium* Iudæorum, quod Senadrim vocant, malitia, dolo, atq. fallacia plenum, *quærebant* modis omnibus *aduerſus Ieſum* innocentiſſimum Agnum, ſiue apparens, ſiue verum *teſtimonium*, *vt eum*, qui vitam dare abundantius venerat, *morti* infamæ *traderent*, nec, cum tanta vterentur diligentia, & conſcientiæ libertate ad omne malum, *inueniebant*, quod eorum malitiæ ſutfragareeur.

Summi vero Sacerdotes. Plures dicit *ſummos*, vt ſupra expoſitum eſt, ſed enim fit mox *ſummorum* memoria, & *Sacerdotum*, quando de *ſummo*, quod in Chriſtum

Prælatorum lapſus grauior.

pertractatur, ſcelere, vt aduertant, & caueant, qui *ſummas*, primaſque tenent in Eccleſia Dei prolapſus ſuos. Nam, vt *ſummi* dignitate, ſic *ſumme* ruent niſi diligentiſſime ſibi prouiderint, fientque plus cæteris præuaricatores, iuxtà illud: Magis hi ſimul confregerunt iugum, ruperunt

Ier. 5.

vincula. Vnde Chriſtus tàm de ſummis his, qui palam aduerſus eum inſaniebant; quàm de noſtris, qui eum ſpiritualiter plus cæteris irritant. Redimit in pace animam meam ab his, qui appropinquant mihi,

Pſal. 54.

quoniam inter multos erant mecum, ſcilicet, primas tenentes, vtcunque obliuioſi facti, & rebelles inter multos, qui irritant me, erant & ipſi mecum crudeliores, ſibi tamen non mihi nocuere, quoniam Deus me ab his illæſum cuſtodiuit, illos vero humiliabit. Idcirco enim percuſſit eos leo de ſylua (vtporè ſpiritus nequam,

Ier. 5.

qui aſſumptis ſecum ſeptem alijs, redijt ad eos) lupus ad veſperam vaſtauit eos (vtporè Antichriſtus in fine ſæculi) Pardus vigilans ſuper ciuitates eorum (videlicet Imperator Gentilis, qui diuerſis temporibus ſolo mandauit ædificia eorum.) Omnis autem qui egreſſus fuerit ex eis, capietur (ſcilicet captiuus animo, & corpore) quia multiplicatæ ſunt præuaricationes eorum, confortatæ ſunt auerſiones eorum, clamantibus patribus: Sanguis eius ſit ſuper nos, & ſuper filios noſtros.

Matth. 27.

Et omne concilium. Quod ſcilicet, Zanedrin vocabant ex ſeptuaginta Conſiliarijs conſtans, olim à Moyſe ordinatum, quo facilius cunctorum negotijs prouideretur. Erat hoc vt plurimum ex ſapientioribus, ſed his ſublatis Hærodes alios ſibi ſimiles, & tyrannidi ſuæ fauentes, ordinauit. Anno (inquit Philo, de tempor. lib. 2.) trigeſimo principatus ſui tyrannici, tulit Zanedrin de domo Dauid, & Annalenum quendam, atque Zanedrin ex proſelytis ſuffecit, qui minimum videbantur in lege eruditi.

Philo Iudæus ſeu auctor breuiarij de tempore.

Nihil ergo mirum quod omne concilium à iuſto declinaret. Nam conſiliarj peſſimi ſub præſidibus deterioribus, quid, niſi quod deterius eſt, decernent? Quia dixerunt (ait Chriſtus per Vatem) inimici mei mihi, & qui cuſtobiebant animam meam, conſilium fecerunt in vnum dicentes Deus dereliquit eum. Proſequimini, & comprehendite eum, quia non eſt qui eripiat.

Pſal. 70.

Verumtamen, inquit Iob, quia non ſunt in manu eorum bona ſua, conſilium impiorum longe ſit à me. Quoties lucerna impiorum extinguetur, & ſuperueniet eis inundatio, & dolores diuidet furoris ſui? Erunt ſicut paleæ ante faciem venti, & ſicut fauilla, quam turbo diſpergit. Bæatus ergo vir, qui non abijt in concilio impiorum.

Iob. 21.

Pſal. 1.

Quærebant aduerſus Ieſum teſtimonium. Quid ſtultius, quàm aduerſus Saluatorem meditari, & veritatem velle falſo obfuſcari? Hæc ſemper manet columna immobilis. Hæc autē non confunditur. Nihil minus exclamar: Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obſederūt me, aperuerūt ſuper me os ſuū, ſicut leo rapiens, &

Pſal. 21.

 rugiens.

rugiens. Quoniam circundederunt me canes multi, conſilium malignantium obſedit me, dicentes: Venite percutiamus eum lingua, & non attendamus ad omnes ſermones eius. Innocens autem quid? Qui das
Pſal.143. ſalutem Regibus, qui redemiſti Dauid ſeruum tuum de gladio maligno eripe me. Et
erue me de manu filiorum alienorum, quo-
Pſal 141 rum os locutum eſt vanitatem & dextera eorum, dextera iniquitatis. Libera me à perſequentibus me, quia confortati ſunt ſuper me.

Vt eum morti traderent. Is erat conſi-
Ier.20. liorum finis, & hæc acclamatio. Iudicium
Sap 2. mortis eſt viro huic. Morte turpiſſima con-
Iſai.53. demnemus eum. Ille autem ſicut ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe, obmuteſcet, & non aperiet os ſuum. Atque ideo, ait, de illo Pater: Diſpertiam ei plurimos, & fortium diuidet ſpolia, pro eo, quod tradidit in mortem animam ſuam.

Nec inueniebant. Quidem aduerſus eum teſtimonium, cui omnes Prophetæ teſtimo-
Actor 3. nium perhibent, quia principium, in quo
Ioann.1. creauit Deus cælum, & terram; quia ego ſum qui eduxi filios Iſrael; quia ſaluator ipſe, qui ait, lex à me exiet, & iudicium
Iob.1. meum in lucem populorum. Quid ergo aduerſus lucem? tenebræ, quæ non comprehenderunt eam. Hæ aperuerunt ſuper me, inquit, ora ſua, & exprobrantes percuſſerunt maxillã meam, ſatiati ſunt pœnis meis.
Pſal.26. In quorum manibus iniquitates ſunt, dextera eorũ repleta eſt muneribus. Ego autem
Pſal.25. in innocentia mea ingreſſus ſum, nec in me aliquid iniquitatis inuenerunt. Mentita eſt iniquitas ſibi, ait Gloſſ. interl. vt Regina aduerſus Ioſeph, Sacerdotes aduerſus Suſannam; ſed ignis ſine materia deficit.

CAPVT LVI.

Multi enim teſtimonium falſum dicebant aduerſus eum, & conuenientia teſtimonia non erant.

Expoſitio. MAlignantium principatui adhæret nequiſſima turba; quapropter *multi* ſceleratorum conſcij, vt placerent Principibus ſuis, *teſtimonium* nequam, & *falſum*, ſed quidem friuolum *dicebãt aduerſus eum*, qui falſa omnia, & falſiloquia diſperdere venerat, atque ideo non ferebantur *conuenientia* in aliquo *teſtimonia*, quæ *erant* à ſimilibus hominibus propoſita.

Multi enim. Vtpotè ſequaces Principum, & qui puluinar ad omne cubitum reponere didicerant. Horum multi bellantes ad-
Pſal 55. uerſum me; *multi* dicunt animæ meæ, ait
Pſal.3 Chriſtus per Vatem; non eſt ſalus ipſi in Deo ſalutari eius. Ieſus autem compatiens multitudini ad corda eorum loquebatur
dicens: Quare detraxiſtis ſermonibus veri- *Iob 6.*
tatis, cum è vobis nullus ſit, qui poſſit arguere me? Ad increpandum tantum eloquia concinnatis, & in ventum verba profertis, ſuper pupillum irruitis, & ſubuertere nitimini amicum veſtrum. Veruntamen quod cæpiſtis explete.

Falſum teſtimonium dicebant aduerſus eum. Fortaſſis quod maiores multam illis
pecuniam repromitterent, velut militibus, *Matth 28.*
vt tacerent reſurrectionem. Repromiſſio *Ezech.39.*
enim nequiſſima multos perdidit dirigentes, & commouit illos, quaſi fluctus maris. Viros potentes gyrans migrare fecit, & vacati ſunt in gentibus alienis. Id quod in hac generatione praua Iudeorum, & multitudine, quæ *falſum teſtimonium* contra ve-
ritatem quærebat, inſpicimus. Ergo non eſt *Prou.16.*
bonum, ò Iudæi, damnum inferre iuſto, qui & Dñs iuſtus noſter, nec percutere Principem, qui recta iudicat, & interrogat iuſtum, & impium, conſideratq. opera eorum, vt ſpiritu oris ſui vel interficiat impium, vel pium exaltet in Eccleſia ſanctorum.

Et conuenientia teſtimonia non erant. Nam falſum neque falſo conſonat per omnia, neque vero, ſed vir inſipiens non intel-
ligit, propterea teſtimonia falſa multiplica- *Iob.20*
re non ceſſat. Verum enim vero, reuelabunt cæli iniquitatem eius, & terra conſurget aduerſus eum, vt qui cæli, terræque Dominum auſus fuerit impetere: Exurge
ergo Deus, iudica cauſam tuam: Memor *Pſal.73.*
eſto improperiorum tuorum, eorum quæ ab inſipiente ſunt tota die.

CAPVT LVII.

Et quidam ſurgentes falſum teſtimonium ferebant aduerſus eum dicentes.

INter multos *quidam* cæteris audaciores, *Expoſitio.*
& nequiores è medio *ſurgentes* audacter *falſum teſtimonium*, etiam ridiculum *ferebant*, & proponebant iudicibus prauis, *aduerſus eum*, qui nihil mali fecerat: illud autem erant *dicentes* altera voce, vt quid negocio, & fictioni opportunum.

Et quidam ſurgentes. Non in bonum, vt eos ſurgere oportebat, non aliter, quàm qui dicebant. Surgite aſcendamus ad mon-
tem Domini, & ad domũ Dei Iacob; ſed vt *Iſai 2.*
illi qui ſurrexerunt ludere. Generatio quæ *Exod.32.*
non direxit cor ſuũ, & non eſt creditus cum
Deo ſpiritus, eius. Filij Ephren intenden- *Pſal.77.*
tes, & mittentes arcum, vt ſagittent in ob- *Pſal.10.*
ſcuro rectum corde. Quia ſagitta vulne- *Ier.9.*
rans lingua eorum.

Falſum teſtimonium ferebant. En vulnus, quod Chriſto moliebatur, *falſum* de eo *teſtimonium ferre*, vt non Prophetam verum

haberent

haberẽt populi; ſed pſeudochriſtũ, qui falſa *Pſal. 55.* prædicaret. Vnde Chriſtus: Tota die verba mea execrabantur: aduerſum me omnes cogitationes eorũ in malum. Inhabitabunt, & abſcondent ipſi calcaneum meum obſer- *Pſal. 57.* uabunt. Deus autem conteret dentes eorum in ore ipſorum; molas leonum confringet Dominus. Ad nihilum deuenient tanquam aqua decurrens.

Aduerſus eum dicentes. Inde nota du- **Teſtimonium aduerſus Chriſtũ, vel tacẽdo, vel dicẽdo.** pliciter falſum teſtimonium *aduerſus* Chriſtum ferri, videlicet dicendo, & tacendo. *Dicentes falſum teſtimonium* ſunt qui blaſphemauerunt ſanctum Iſrael, vtpotè Hæretici, & blaſphemi homines, qui quæ repugnant, tribuunt Chriſto; vt ſanctũ eius corpus vidiſſe corruptionem, aut denegant; vt non eſſe filium Dei in virtute. *Tacentes* ferunt *aduerſus eum* falſum teſtimonium, qui interrogati non confitentur Chriſtum, & qui ante conſpectum ſuum permittunt & verba, & facta, quæ honori Chriſti detrahunt. Cum enim poſſint prohibere, & tacent, videntur conſentire.

CAPVT LVIII.

Quoniam nos audiuimus eum dicentem: Ego diſſoluam templum hoc manufactum, & poſt triduum aliud non manufactum ædificabo.

Expoſitio. EN dicentes teſtimonium falſum. *Quoniam*, inquiunt, *nos*, qui eius concionibus interfuimus, *audiuimus eum*, inter alia, quæ ab ore eius excidebant, *dicentem* hoc arroganter dictum, & nimium ſibi tribuentem. *Ego* quidem, vt omnipotens, cui nihil contradicit, *diſſoluam* repentè *templum hoc*, quod *manufactum* cum ſit, tàm curioſè multis expenſis, & temporibus finem accepit. *Et* ego rurſus addidit *poſt triduum aliud* iſto pulchrius, & locupletius multo, *non manufactum*, vt Deus *ædificabo*.

Quoniam nos audiuimus eum dicentem. Audierant quidem *dicentem* vera, ſed non *Zach. 7.* intellexerant, vt impleretur in eis: Audientes, non audient, & intelligentes non intelligent. Noluerunt attendere, & auuerterunt ſcapulam recedentes, & aures ſuas aggrauauerunt, ne audirent. Et cor ſuum poſuerunt, vt adamantem, ne audirent legem, vt oportebat. His Hæretici ſucceſſere, qui in oraculis audiunt Chriſtum, quid tamen in illis ſibi velit veritas, non percipiunt. Vnde etſi dicant nos audiuimus, nos legimus, & nos vidimus in Scripturis, nos *Orig.* illis credere non debemus, ait Origen. tract. 29. in Matth. nec exire à prima, & Eccleſiaſtica traditione, nec aliter credere, niſi quemadmodum per ſucceſſionem Eccleſiæ Dei tradiderunt nobis.

Ego diſſoluam templum hoc manufactum. Hoc eſt *templum* Salomonis, quod non martello, aut malleo, ſed manu ſola factum erat, reparatum per Eſdram in manu valida, & per Herodem magnificentiſſimè redditum, & completum. Hoc verè diſſoluendum fore Chriſtus prædixit; ſed propter peccatum æditurum, & totius populi ingrati. *Ego* autem *diſſoluam*, nunquam dixit: Vocauit tamen aduerſus illud tempus, & dixit: Omnes beſtiæ agri venite ad deuoran- *Iſai 56.* dum, vniuerſæ beſtiæ ſaltus. His quidem, vtpotè Romanis, & templum, & ciuitatem, & habitatores eius, perdendi poteſtatem conceſſit. Ille verò, qui non perdere, ſed ſaluare venit, non diſſoluit, ſed facit vtraque vnum, non deſtruit, ſed reformat, & nobilitat, quæ prius facta fuerant.

Et poſt triduum aliud non manufactum ædificabo. Dixerat quidem Dominus: Sol- *Ioan. 2.* uite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Illud autem dicebat (ſubdit Euangeliſta) de templo corporis ſui. Ergo quomodo falſi teſtes (quærit Zachar. Chry- *Zachar. Hieron.* ſopol. cum Hieron.) ſi ea dicunt, quæ Dominum antea legimus dixiſſe? ſed falſus teſtis eſt, qui non eodem ſenſu dicta intelligit, quo dicuntur: Dominus dixerat de templo corporis ſui. Iſti mutant dicta Saluatoris, **Falſitas teſtium.** quæ dixerat. Soluite templum hoc; & aiunt eum dixiſſe poſſum deſtruere templum Dei. Vos, inquit Dominus, ſoluite, non ego, quia ipſi nobis manus inferre non debemus. Deinde vertunt dicentes; *& poſt triduum ædificare*, aliud, vt intelligant de templo Iudaico. Dominus autem, vt oſtenderet animale *templum*, & ego in triduo ſuſcitabo illud. Aliud eſt enim ædificare, quàm ſuſcitare.

CAPVT LIX.

Et non erat conueniens teſtimonium illorum.

ET cum tàm anxij in obſcuranda veri- **Expoſitio.** tate viderentur, exquiſiſſentque omni ex parte dicta, & facta Chriſti in medium protuliſſent, ſi quod fortè dignum calumnia reperiſſent, *non erat* ex his omnibus, qui adinuenerant falſa, *conueniens*, ſed neque apparens *teſtimonium*, quo *illorum* malus animus poſſet detegi, viderenturque iuſtè inſontem inſimulare, mortique tradere.

Et non erat. Scilicet ad inferendam mortem Chriſto, nullum occurrebat teſtimonium. Nam quid poteſt, neque in cælo, neque in terra mortem annuntiare vitæ, per quam omnia viuunt? Immò verò acclamant illi vniuerſa. Rex in æternum viue. Viuit *Dan. 6.* Domi-

Pſal 17. Dominus, & benedictus Deus meus. Hoc
Matt 18. Angeli, qui ſemper vident faciem Patris, qui
in cælis eſt. Hoc homines, quorum corda,
Pſal 24. viuent in ſæculum ſæculi. Hoc denique om-
nes creaturæ, quæ in manu Dei ſunt, neque
permanent niſi quamdiù vult dominator
Pſal. 108. earum. Ergo teſtimonia tua, ò Chriſte cre-
dibilia facta ſunt nimis, & teſtimonium
dant veritati, quia viuis, quia mors tibi non
dominabitur, & quia permanes in ſæculum
ſæculi. Ex veſtris autem ò Iudæi non erat,
neque erit vnquã, quo probetis vitam opor-
tere interimi, neque aliquando finem habe-
Rom. 11. re, qui eſt ab initio, & ante ſæcula. Nam ſi
per ipſum, & cum ipſo, & in ipſo ſunt om-
nia; quid dicet, aut monſtrabit non fore
principium, vnde eſſe, & operari ſuum ema-
Iſai. 40. nat? Cui aſſimilaſtis me, & comparaſtis, &
adæquaſtis, feciſtis ſimilem? Ego, inquit,
Deus, & non mutor.

Conueniens teſtimonium illorum. Vtpo-
tè malignantium non erat *conueniens* quip-
piam, quod Chriſto mortem inferret, aut
ſuaderet: Patris verò *conueniens* erat omne
Iſai. 53. teſtimonium. Nam Pater voluit conterere
eum in infirmitate carnis, vt videret ſe-
Pſal 111. men longæuum, exaltaret illum in gloria,
diſpertiret ei plurimos fortium, diuideret
ſpolia, non iraſceretur ipſe vltra, neq; ma-
Iſai. 53. lediceret homini, quem creauerat; ſed bea-
Eccl 45. tificaret illos in gloria, & ipſe glorioſus in
filio dilecto, in ſaluatis ex Iſrael, & in noua
Apoc. 29. Agni ſponſa, magnificatus vehementer vi-
deretur. Huiuſmodi quidem teſtimonia
conuenientia erant Chriſtum inducere, vt
voluntariè præiret ad mortis ſupplicium,
vt trepidantem mortem contra ſeipſum ex-
Zach. 13. citaret: dicens: Framea ſuſcitare ſuper Pa-
ſtorem meum; necnon miniſtris, ac nuntijs
mortis ſe traderet, eoſque ad capturam al-
Ioan. 18. liceret, quando dixit: Dixi vobis, quia ego
ſum. Veſtrorum autem, ò praua gens, nul-
lum eſt *conueniens teſtimonium*. Quoniam
vos malignè quæritis mortem iuſto inferre,
Deus autem vult ex amore eundem mori;
vos per mortem non memorari vltra Chri-
ſtum optatis; Deus per mortem ſtatuit il-
Phil 2. lum nomine donari, cui omne genuflecta-
tur, nec aliud vbique gentium innocetur,
aut nominetur. Vos denique cogitatis
morte turpiſsima inferni Chriſtum con-
demnare; Deus autem per mortem caput
ſuper omnem Eccleſiam, redemptorem
omnium, & ſalutis mediatorem, & excel-
ſum præ Regibus ſtatuere. Ergo quicquid
Pater ſuper mortem filij ſanxit, *conueniens*
fuit *teſtimonium*, rationabile, & dignum
laude. Secus autem quicquid vos de mor-
te innocentis excogitatis, non eſt *conue-
niens* apud Deum, qui vobis præcepit ip-
ſum audire, apud Angelos, qui illi mini-
ſtrant, neque apud homines, qui benefa-
ctori gratiam pro gratia, non malum pro
bono reddant. Vos quidem hac in parte
ingratisimi, rebelles homini, & excæcati
malitia. Idcircò ait Deus. Non parcet
oculus meus, & non inſerebor, quin peſte,
fame, gladioque moriemini.

CAPVT LX.

Et exurgens ſummus Sacerdos in medium interrogauit Ieſum dicens: Non reſpondes quicquam ad ea, quæ tibi obijciuntur ab his?

ET ideò quoniam inter propoſita con- **Expoſitio.**
uicia non erat conueniens teſtimonium
excogitant nouam malitiam, & ſtudent ab
ore Chriſti aliquid extorquere, vt valeant
calumnias ſtruere. Propterea *exurgens* è
ſedili, quaſi magni quippiam moliturus
ſummus inter illos tunc *Sacerdos*, *in me-
dium* concionis proſilit, factoque ſilentio
interrogauit vaniloquus ille *Ieſum* ver-
bum Dei *dicens*, non iam per miniſtros ini-
quitatis, ſed per ſeipſum Doctorem peſti-
lentem. *Non reſpondes*, inquit, *quicquam*,
tu qui neminem veritus, tàm liberè aduer-
ſus omnes loquutus es, nunc verò omninò
ſiles *ad ea, quæ* palàm *tibi* auctori ſcelerum
obijciuntur ab his, qui tua malefacta, & di-
cta viderunt, audierunt, & diligentiſsimè
annotarunt?

*Et exurgens ſummus Sacerdos in me-
dium.* Quod in medium concionis ſtatua-
tur *Sacerdos ſummus* laudamus, ſi velut pa-
ſtor in medio ouium diſsipatarum, officium
agat vocandi, monendi, & corrigendi, re-
prehendendi, & prædicandi, vt perfectus ſit
homo Dei, ad omne opus bonum inſtru-
ctus, per viſionem, hoc eſt, vitæ, ac verbi Dei
exemplar diſcurrens *in medio* animalium, *Ezech 34.*
quæ optant fieri Dei iumentum, ſemperque *Pſal. 72.*
cum eo eſſe. Etiam quod *exurgat* de ſede,
& deponat aliquando *Sacerdos ſummus*
altitudinem, & faſtigium, ſitque *in medio*
fratrũ, velut vnus ex his, celebramus; vt qui
imitator fiat omnipotentis, qui dixit: Am-
bulabo vobiſcũ. Verũ, quod depoſita paſto- *Leu 26.*
rali auctoritate fiat vnus ex his, qui diſcor-
dias inter fratres ſeminant, qui velut lupi
oues deuorant, & velut pardi vigilant, quo-
modo reſiſtant Deo, horrendum eſt. Arguet *Ierem. 2.*
te malitia tua, & auerſio tua increpabit te,
ò legis *Sacerdos*, & Pontifex *ſumme*, qui
exurgens è Sede Pontificia te ſtatuis *in me-
dium* concionis, vt ſanctum Iſrael prouo-
ces, & eius populum perdas. Scito, & vide
tu qui nouus Põtifex in nouo populo crea-
tus, imitaris hac in parte peſsimum hunc,
quia malum, & amarum eſt reliquiſſe te
Dominum Deum tuum, & non eſſe timorem *Ierem. 2.*
mei, dicit Dominus Deus exercituum. Ti-

morem

morem Domini exuit Pontifex, qui exurgit è ſede veritatis, vt mendacium perpetret, qui in medio Eccleſiæ ſtatuitur, vt publicè Deum offendat, & ſit cunctis ſcandalum. Ergo noſce teipſum (ait Apoſtolus ad Epiſcopum lib. 2. Conſtitut. c. 18.) *Conſtitut. Apoſt.* & ſic te in vita gere, vt tuo loco dignum, quippe qui ſciat maiorem à te reponendam eſſe rationem. Cui enim plus commendauerunt, plus ab eo exigent.

Interrogauit Ieſum. Hoc quidem proprium eſt Sacerdotis officium *interrogare Ieſum*, orare ad eum pro populo, & inuocare, vt cunctis auxilietur, pacemque præſtet: quia pater ipſe pacis, & pax noſtra, per quem pater audit nos, & omnia donat. *Andr. Coloſſ. Archiepiſcop.* Subinde perorat Mag. Andreas de Petra Archiepiſcopus Coloſſeu. pro Eugenio ad Patres Concilij Baſil. Cum plurima ſint, quæ ad Sacerdotis, & Pontificis officium attinent; tamen illud præcipuum eſt, quod in conciliandis, pacandiſque populis conſtat. Siquidem Sacerdotis propria actio dicitur, cum inter Deum, hominemque medius, quaſi conciliator accedat, vt placet Beato *S. Thom.* Thoma 3. p. q. 30. art. 1. propterea & Sacerdos à Deo legem, & ſacramenta recipit, quo populis voluntatem Dei ſignificet, cōciliarique volentibus paramenta debita tribuat. Et rurſus acceptas ab hominibus oblationes, & ſacrificia Domino offert, vt diuinam maieſtatem hominis vitio vehementer infenſam placet, atque conciliet. *Hebr. 6.* Hoc acutè proſpexit, qui ait: Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in his, quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona, & ſacrificia pro peccatis; itaque *interrogat* ad pacem dupliciter, & cum orat, & cum offert. Attamen tàm ſalubri, & debita interrogatione non eſt vſus *Sacerdos* iſte, ſed peſſima, quæ reis ſolet fie- *Pſal. 34.* ri. Quapropter cōqueritur: Surgentes teſtes iniqui, quæ ignorabam interrogabant me. Retribuebant mihi mala pro bonis ſterilitatem animæ meæ. Sed induantur confuſione, & reuerentia, qui maligna loquuntur ſuper me.

Dicens. Peruerſo corde, & animo dupli- *Pſal. 30.* ci: ſed muta fiant labia doloſa, orat Pſaltes, quæ loquuntur aduerſus iuſtum iniquitatem in ſuperbia, & in abuſione. Quid enim ſuperbius, quàm vt reum interrogari Sanctum Sanctorum ab eo, qui iniquitatem fert colligatam? Et quis abuſus horribilior, quàm à creatura, & ſeruo malo Deum ad *Pſal. 27.* iudicium vocari? Da ergo illis ſecundum opera eorum; & ſecundum nequitiam adinuentionum ipſorum, ſecundum opera manuum eorum tribue illis, redde retributio- *Pſal. 36.* nem eorum ipſis. Gladius eorum intret in corda ipſorum, & arcus eorum; atque doloſitas confringatur contra ſeipſos, vt cadant in laqueum, quem ſtatuerunt mihi.

Non reſpondes quicquam. Dum de taciturnitate Chriſtum incuſat Sacerdos, excuſat potius, atque laudat, quod dictis ſtultè prolatis, nec reſpondeat, nec ad inſipientes conuertat ſe. Nam ſcriptum eſt: Flagel- *Prou. 26.* lum equo, & camus aſino, & virga in dorſo imprudentium, non verbum, reſponſumque ſapiens. Ne ergo (ſubditur) reſpondeas ſtulto iuxtà ſtultitiam ſuam, ne efficiaris & ſimilis. Tempus, & reſponſionem cor ſa- *Eccl. 7.* pientis intelligit. In manu artificis opera laudabuntur, & Princeps populi in ſapien- *Eccl. 9.* tia ſermonis ſui. In ſenſu verò ſeniorum verbum, quod tempore ſuo profertur, & non reſpondetur, neque profertur. Quando non expedit; ſed velut in manu opus, aut cibus conſeruatur opportunitati.

Ad ea, quæ tibi objiciuntur ab his? Hi quidem obiecerant, ſed Pontifice, & toto conſilio adhortante; mentitur ergo alijs, quam ſibi, ac complicibus, criminationes, quæ in Chriſtum proponebantur, tribuens. Dominus enim eſt, qui facit, quæ ſerui ad imperium eius, exequuntur. Vnde Sapiens iis, qui interrogant (ſi filius Dei es) impu- tat criminationes. Ipſi idem dicunt: Con- *Sap. 2.* tumelia, & tormento interrogemus eum. Vnde Pſaltes ab his ſolis vniuerſa emanaſſe decantat. Quoniam, inquit, mihi pacificè *Pſal. 35.* loquebatur: Et in iracundia terræ loquentes, dolos cogitabant. Pacificè quidem *Sap. 2.* erant loquentes, ſeu loqui videbantur cum interrogarent (ſi filius Dei es) quouſque *Ioan. 10.* animam noſtram tollis. Hæc tamen dicentes ſimul in iracundia terræ vel (vt Hieron. *Hier. verſio.* vertit iuxtà Hebræum) in rapina terræ. Hoc ad modum vulpis, & aſtutorum raptilium, quæ vocem mentiuntur, & geſta, vt decipiant; nec hac contenti aſtutia loquentes erant dolos, & falſa teſtimonia per miniſtros ſuos. Quare velut de auctoribus totius impietatis de hiſce proſequitur Vates. Et dilatauerunt ſuper me os ſuum. Dixerunt: *Pſal. 34.* Euge, euge viderunt oculi noſtri, vel vt habet Hebræa האח האח ראתה עיננו heach heach rahatha ghenenu, quod propriè vertitur vah, vah, vidit oculus noſter. Et hac quidem interiectione vah vſi ſunt contra Chriſtum cum è Cruce penderet. Vah, qui *Marc. 15.* deſtruis templum, & in tribus diebus reædificas illud, deſcende de Cruce. Itaque ipſi maiores Sacerdotes, inquam, & Scribæ ſunt, qui objiciunt Chriſto crimina, qui teſtes falſos inducunt, qui accuſant, & qui iudicant

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT LXI.

Ille autem tacebat, & nihil reſpondit. Rurſus ſummus Sacerdos interrogabat eum, & dixit ei: Tu es Chriſtus filius Dei benedicti?

Expoſitio. I*Lle autem*, qui corda vniuerſorum ſcru-
tabatur, quoue tenderent interrogatio-
nes eorum probe nouerat, *nihil* penitus *re-
ſpondit* ad Sacerdotem, nec voluit accuſa-
tionibus, quæ nullius erant momenti, ſatiſ-
facere. *Rurſum* ergo ad reſponſum tenta-
uit Chriſtum *ſummus Sacerdos*: *Interroga-
bat* quippe *eum* multis ſermonibus, & tan-
dem *dixit ei* manifeſtè, quod ſummopere
deſiderabat ſcire, quo criminationes om-
nes reſpiciebant. *Tu es*, inquit, deſideratus
cunctis gentibus, vtpotè *Chriſtus*, quem an-
nuntiarunt Prophetæ, & nos ab eo redem-
ptionem ſperamus, & ſalutem? Quippequi
filius Dei benedicti, à quo datum optimum,
& donum perfectum, regnumque repromiſ-
ſum?

Ille autem tacebat. Ad obiecta crimina,
& criminatores non reſpondet, tacet verò
interrogatus à Sacerdote. Annon idem eſt,
tacere, & non reſpondere? Minimè, non re-
ſpondere, eſt propriè nihilo ducere, quæ ad
reſponſum incitant. Tacere eſt opportunum
verbum obſeruare ad tempus opportunum.
Vtrunque eſt prudentis, & docti, ac ſapien-
Prou. 17. tis, iuxtà illud: Qui moderatur ſermones
ſuos doctus, & prudens eſt, & pretioſi ſpiri-
tus vir eruditus, vt qui omnia dijudicet,
ſciatque tempus loquendi, tempuſque ta-
cendi, quiuè digni ſunt reſponſo, quiuè ſtul-
ti, abſque reſponſo dimitti debeant.

Et nihil reſpondit. Itaque tacuit Chri-
ſtus, vt prudens. Quia vir prudens tacebit.
Nihil reſpondit, vt ſtultos inſinuaret eos,
Prou. 11. qui ſibi aduerſabantur. Nam quomodo nix
in æſtate, & pluuia in meſſe, ſic indecens eſt
ſtulto gloria. Hanc mox dico reſponſum
Chriſti, quod gloriam afferat ei, qui inter-
Prou. 26. rogauit. Vt quid ergo Sapiens ait: Reſpon-
de ſtulto iuxtà ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſa-
piens eſſe videatur? Reſponſum hic intelli-
ge factum durum, quo ſtultus diuerberatus,
Prou. 22. meliora ſapit, iuxtà illud: Stultitia colli-
gata eſt in corde pueri, & virga diſciplinæ
fugabit eam.

*Rurſum ſummus Sacerdos interrogabat
eum*. Vt & importunitatem ad loquendam
compelleret Chriſtum, & multiplici inter-
rogatione facta ad accuſatum ſe iuſtum iu-
dicem cunctis oſtenderet, vt qui parum du-
ceret, & teſtimonia quouſque apertior fie-
ret veritas. Verum quanto amplius inter-
rogat, tanto ſe iudicem iniquitatis prodit,
vt ad eũ quaſi ad vnum Principũ infideliũ,
dictum videatur: Peccatum ſuum quaſi So- Iſai. 5.
doma prædicauerunt, nec abſconderunt. Væ
animæ eorum, quia reddita ſunt eis mala.
Qualia autem ex parte nunc ſcimus; qui
gentis poſteritatem videmus abſque lege,
ſacrificio, & patria degere.

Et dixit ei. Non vt diſcat, & credat (in-
quit Theophyl.) ſed vt captet contra eum Theoph.
occaſionem. Hoc enim ſtudium præuidit
Vates fore in hiſce hominibus: Captabunt, Pſal. 93.
inquit, in animam iuſti, & ſanguinem inno-
centem condemnabunt. Et de hoc in ſpe-
cie iniquo Sacerdote viſus eſt decantaſſe: Pſal. 49.
Sedens aduerſus fratrem tuum loquebaris,
& aduerſus filium matris tuæ ponebas ſcan-
dalum. Hæc feciſti, & tacui. Frater dicitur
Chriſtus hominis etiam impij, propter hu-
manitatem filius matris, quod & ſi ca- Coloſſ. 1.
put ſuper omnem Eccleſiam ſit, eius ve-
lut vnus ex filijs Eccleſiæ numeretur, quia
homo natus eſt in ea. Vnde frater draco- Pſal. 93.
num, & ſocius ſcorpionum propter malos
Eccleſiæ filios dici ſolet.

Tu es Chriſtus filius Dei benedicti? Duo
proponit, de quibus erat controuerſia: eſſet
ne Chriſtus, & hoc dato, eſſet ne filius Dei.
Chriſtum quidem eſſe admittebant multi.
Vnde Samaritana dixit: Scio quia Meſſias Ioan. 4.
venit, qui dicitur Chriſtus. Sciebat hoc mu-
lier tùm ex reſponſo Scribarum, & Phari-
ſæorum ad Herodem facto, etiam ex paſto- Luc. 20.
rum reuelatione, quia natus eſt nobis ho-
die Saluator, qui eſt Chriſtus Dominus.
Hæc enim, quæ ab Angelo didicerant liberè Luc. 2.
multis prædicabant, vt & Anna prophetiſ-
ſa, & Simeon illud idem myſterium euange-
lizabant his, qui expectabant redemptio-
nem Iſrael. Veruntamen Chriſtum eſſe fi-
lium Dei, in primis diabolus dubitauit pro-
pter quod dixit: Si filius Dei es dic, vt la- Matt 4.
pides iſti panes fiant. Dubitarunt Proceres
Synagogæ. Vbi dixerunt: Vbi eſt Pater tuus? Ibidem.
Et Apoſtolorum vnus hoc idem in dubium
vertit, quando dixit: Oſtende nobis Patrem,
& ſufficit nobis. Sed poſtmodũ per Petrum,
ad quem de myſterio abſcondito reuelatio
facta erat vniuerſi confeſſi ſunt: Tu es Chri-
ſtus filius Dei viui. Myſterium tamen, quod Matt. 16.
Apoſtolis, ob eorum pium animum reuela-
tum eſt, omninò fuit occultum, & celatum
principibus ob inuidiam, quæ eos obcæca-
nit; vt nec Chriſto crederent, neque ope-
ribus fidem darent, neque oraculis, quæ ar- Gen. 22.
canum depredicabant, vt illud: In te benedi-
centur omnes gentes. Orietur ſtella ex Ia- Leu. 24.
cob, & conſurget virga de Iſrael, & percu- 1. Reg. 1.
tiet Duces Moab, & vaſtabit omnes filios
Seth: Dominum formidabunt aduerſarij
eius, & ſuper ipſos in cælis tonabit Domi-
nus iudicabit fines terræ, & dabit imperium Pſal. 109.
Regi ſuo, & ſublimabit cornu Chriſti ſui. Et
illud commune: Dixit Dominus Domino
meo

meo ſede à dextris meis; atque alia oracula Iudæi cæci non ſcrutabantur, neque illis argumentum diuinitatis, & humanitatis Chriſti erant. Quapropter hoc illi, vt piaculum, & blaſphemiam imputabant, eòque dignum morte cenſebant, ſi ex ore proprio audirent omnes, qui conuenerant in Concilio. Ideò quærit: *Tu es Chriſtus filius Dei benedicti?* Adiecit autem hoc, inquit Theophyl. quia multi fuerunt Chriſti, Reges, inquam, & Pontifices: ſed nullus horum fuit filius Dei, qui benedicendus, & laudandus eſſet; ſed quem expectabat longè, ait Gloſſ. ordin. ex Hieron. non videbat prope, ſicut Iſaac caligantibus oculis Iacob ſub manibus non agnoſcebat; ſed longè poſt de eo futura canit.

Theophyl.

Gloſſa.

CAPVT LXII.

Ieſus autem dixit illi: Ego ſum. Et videbitis filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei, *& venientem cum nubibus cæli.*

Expoſitio.

DEnique *Ieſus* non iam de obiectionibus, quæ erant falſæ, ſed de veritate ipſa, interrogatus, tùm maximè, quod cum per Deum viuum adiuraſſet licet inſipienter, non vult reſponſum differre; ſed *dixit* manifeſtè illi. *Ego ſum* Chriſtus, & ego ipſe filius Dei benedicti, & ipſe Saluator, & Redemptor, ac Iudex vniuerſorum. *Et* propterea vos, qui me hodie iudicatis iniuſtiſſimè, *videbitis* hiſce proprijs oculis me *filium hominis* iudicem Orbis terræ, & vindicem cunctorum, qui malè agunt. Et vos iterum qui delectamini ſedibus deorſum ſtatuti, intuebimini me non inopem, aut humilem ante pedes veſtros, ſed *ſedentem* in gloria *à dextris* conſtitutum *virtutis Dei*, & eius bonis, ac opimis fruentem, vt filium vnigenitum. *Et* inſuper *venientem* me à cælo cælorum côtemplabimini in maieſtate magna, atque potentia, ac ſi *cum* omnibus *nubibus cæli*, quæ corruſcationibus, fulgoribus, ſplendoribus, & prodigioſis formis, ſolent admirationem intuentibus generare.

Ieſus autem dixit illi. Quia tempus loquendi opportunum nactus fuerat, quando, inquam, de veritate quæritur, ſeipſum negare non poteſt, qui eſt via, veritas, & vita. (*Ioan. 14.*) Etiam qui veritatem profitentur tunc ſolum eos fas eſt loqui, cum ſermo de veritate introducitur. (*Pſal. 30.*) quoniam veritatem requiret Dominus, & retribuet abundanter facientibus ſoperbiam. (*Pſal. 38.*) Ergo Pater filijs notam faciat veritatem, vt loquatur veritatem, vnuſquiſque cum proximo ſuo, (*Zach. 8.*) & inter iuſtos, qui cuſtodiunt veritatem, connumerari. (*Iſai. 26.*) Quia ſcriptum eſt: Præparabitur (*Iſai. 16.*) in miſericordia ſolium, & ſedebit ſuper ipſum in veritate. Fortè ne ſolus Chriſtus? Et qui non egit dolum in lingua ſua, nec fecit proximo ſuo malum, ſed veritatẽ, quam guttur eius meditatur, & operatur, & loquitur. (*Pſal. 14.*) Protector eſt enim Deus omnibus exquirentibus ſe in veritate, (*Eccl. 2.*) vt filij mercedem accipiant, hæredes quidem facti Dei (*Rom 8.*) cohæredes autem Chriſti. Dixit itaque tunc Chriſtus verum, quando de vero adiuratus quæritur; vt verum, nullo modo mendacium, ſpem noſtram ponamus, nihilque præter veritatem exeteeant, qui ſunt eius, & optant eum eo regnare.

Ego ſum. Duabus dictionibus ſatisfacit vtrique quæſito, & ſe Chriſtum, ac Dei filium confitetur. Nam dicente Moyſe: Ecce ego vadam ad filios Iſrael, (*Exod. 3.*) & dicam eis: Deus Patrum veſtrorum miſit me ad vos; ſi dixerint mihi; quod eſt nomen eius? quid dicam eis? Dixit Dominus ad Moyſen: Ego ſum, qui ſum, ait ſic dices filijs Iſrael. Qui eſt miſit me ad vos. Vnde S. Thom. 1. p. q. 13. art. 11. (*S. Thom.*) Qui eſt, nomen Dei eſt proprium. Quo inquit Lyra ex Hieron. ad Marcell. de (*Lyran.*) decem Dei nominibus, & Auguſt. lib. 5. de (*Hieron.*) Trinitate tit. 2. ſignificatur neceſſitas eſſendi, & æternitas, & immutabilitas per omnem modum, quæ eſt conditio propria, & ſingularis ipſius Dei. Omnia enim alia eo ipſo, quod ſunt de nihilo habent principium ſui eſſe, & ſunt vertibilia in nihil, quia ſubtracta manutentia diuina caderent in non eſſe, & ideò non eſſe conuenit eis, quantum eſt ex ſe, ſed eſſe habent à Deo, ſecundum quod dicitur: Ecce vos eſtis ex nihilo, & opus veſtrum ex eo, quod non eſt. Burgenſis probat (*Burgenſis.*) apud Hebræos non referri inter nomina Dei niſi illud ad יהוה iehoua reducamus. Hoc quidem eſſe maximum admittit. Poſt quod locum habere אהיה heihe, hoc eſt ero, vt habeat textus Hebræus, Galatinus per- (*Galatinus.*) ſuadet. Sed miſſa quæſtione cum Sanctis admittamus, Qui eſt, Ego ſum, nomẽ Dei eſſe. Quo ſe Chriſtũ hoc loco talem publicauit. Verum, quomodo hoc nomine reſpondeat vtriq; quæſito luculentius contemplemur. Etenim Meſſiam fore Deum apertè Iſaias deponit. Et vocabitur nomen eius, inquit (*Iſai. 41.*) Emanuel. Hoc eſt Deus homo factus, exponit Paulus Emiſſenus homil. habita in (*Paul Emiſſenus.*) Concil. Epheſino tom. 6. cap. 13. Nam Deus verbum, qui ante ſæcula arcano, ineffabiliq. modo ex Patre genitus eſt, nouiſſimis temporibus per mulierem in lucem prodijt. Conſonat interpretatio nominis Emanuel, ideſt, nobiſcum Deus, qui ſcilicet in carne nobis communicat. Quare hanc cum oculis inſpiciendum proponeret, Dicendo *ego ſum*, ſcilicet, Deus ille, qui vobis promittitur Emanuel, reſpondet, & quod ſit Meſſias, & Deus. Deus quidem filius de quo alter quæſierat. Itaque oſtendens humanitatem, & prædicans diuinitatem, quæ oſtenſa huma-

humanitati ineſt, ſe dicit Meſſiam, Dei filium, de quo apud Vates: *Iſai.8.* Voca nomen accelera, ſpolia detrahere. Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & vocabitur nomen eius admirabilis. *Ierem.23.* Et hoc eſt nomen, quod vocabunt, Dominus iuſtus noſter. *Ierem.30.* Seruient Domino Deo ſuo, & Dauid Regi ſuo, quem ſuſcitabo eis. Quia hæc dicit Dominus Deus: *Ezech.34.* Ecce ego ipſe requiram oues meas, & viſitabo eas. Ac propterea nunc dixit: *Ego ſum*, ſcilicet Deus, qui promiſit per ſeipſum requirere oues, ſaluare, & redimere.

Et videbitis filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei. Ac ſi diceret, quia ego me vobis Deum, verumque Meſſiam declaraui, & humiliaui; duo multo diuerſa ſequentur; vobis quidem humilitas, & mihi exaltatio aduenict. *Epheſ.1.* Sedebo quidem ego à dextris Dei exaltatus ſuper omnem principatum, & poteſtatem; vos autem humiliati vſque ad profundum laci, & culmum miſeriarum, me ſublimem valde videbitis, quando venero percutere terram, & arripuerit iudicium manus mea, *Deut.32.* vt deſtruam ſedes ducum ſuperborum, & ſedere faciam mites pro eis. Et ſciant omnia ligna regionis, *Ezech.17.* quia ego Dominus humiliaui lignū ſublime, & exaltaui lignum humile. Et ſiccaui lignum viride, & frondere feci lignum aridum. Dicit *videbitis*; quia (inquit Theophyl.) *Theophyl.* non ſine corpore veniet, ſed qualis viſus eſt ab his, qui eum crucifixerunt. Reſpondit *filium hominis* (ait Zacchar. Chryſopol. lib.4. cap.165.) *Zacchar.* vt intelligamus filium eundem eſſe Dei, & filium hominis, ne quaternitatem faciamus in Trinitate, ſed homo in Deo, & Deus in homine ſit, ò Iudæe, ò pagane, ò hæretice ſi in Chriſto contemptus, infirmitas, & Crux tibi contumelia eſt; vide illum ex Virgine natum, ad dexteram Dei Patris ſeſſurum, & in ſua maieſtate venturum ad iudicium. Vnde Apoſtolus cum Crucis abiecta deſcripſiſſet, ait: *Philip.2.* Propter quod, & Deus illum exaltauit, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genuflectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris. Qui cum ſit ſempiterna virtus, & dextera Patris, ſeſſio humanitatis eius fundationem quandam, & firmitatem regalem ſignificat.

Et venientem cum nubibus cæli. Vt eum eſſe aduerterent, de quo ſcripſit Daniel: *Dan.7.* Aſpiciebam ego in viſione noctis, & ecce cum nubibus cæli, quaſi filius hominis veniebat, & vſque ad antiquum dierum peruenit, & in conſpectu eius obtulerunt eum. Et dedit ei poteſtatem, & honorem, & Regnum, & omnes populi, tribus, & linguæ ipſi ſeruient. Poteſtas eius, poteſtas æterna, quæ non auferetur; & regnū eius, quod non corrumpetur. Subinde animaduerterent nihil ei per mortem poſſe adimere, neque damnum inferre, ſed triumphum, & imperium, quo cum venientem viſuri eſſent, ſicut abierat, iuxtà Angeli ſententiam: *Act.1.* Viri Galilæi quid admiramini aſpicientes in cælū? hic Ieſus, qui aſſumptus eſt à vobis in cælum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cælum. Vnde Hieron. Gloſſ. *Hieron. Gloſſa.* Aſcendit in nube, cum nube veniet, ideſt cum corpore ſolo ſuo, quod aſſumpſit à Virgine, aſcendit, & cū multiformi Eccleſia, quæ eſt corpus ipſius, & plenitudo, ad iudiciū venturus eſt, ſicut dicit Matthæus: *Matth.25.* Cum venerit filius hominis, & omnes Angeli eius cū eo. Nubes quoque cæli ſunt Apoſtoli, ait Zacchar. Chryſopol.) *Zacchar.* verbis compluentes, & corda fidelium rigantes. *Cum nubibus cæli*, ideſt, in prædicatoribus cæleſtis verbi, vbi arcana Dei celantur, ſemper venit. *Venientem* autem dicit, ne ſibi falſo perſuaderent, vt adhuc eorum poſteri arbitrantur, in inferno damnandum fore, ibique detineri, contra id, quod legimus: *Pſal.15.* Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem: Domine eduxiſti ab inferno animam meam. Deus redimet animam meam de manu inferi, cū acceperit me; ad reſurrectionem, ſcilicet corporis. *Venientem* igitur non ab inferis videbunt, ſed è cælo, qui aſcendit ſuper cælum cæli ad Orientem.

CAPVT LXIII.

Summus autem Sacerdos ſcindens veſtimenta ſua, ait: Quid adhuc deſideramus teſtes?

Expoſitio. HAbet intentum peruerſus, quare ſimulare vltra non valet animum, quinimo publicè excandeſcit in Chriſtū, & omnes contra eundem prouocat facto inſolito. *Summus* quippe *Sacerdos*, & totius Concilij Præſes cum eſſet *ſcindens*, quaſi ad auditum blaſphemiæ, *veſtimenta ſua* ſacerdotalia Ephot, ait, ò viri Iſraelitæ, qui Deum timetis, & zelatis honorem eius, quantum iſte, & à timore, & honore Dei alienus ſit, ne dicam aduerſarius, vt qui ſibi, quæ ſolius omnipotentis ſunt, tribuat, quiſque iam nouit. *Quid* ergo *adhuc* multiplicare *deſideramus teſtes*, qui aduerſus eum deponant, cum ore proprio ſeipſum condemnet, reatumque, & temeritatem confiteatur?

Summus autem Sacerdos. Dum omnes audiſſent Chriſtum loquentem nemo alius à Sacerdote auſus eſt tumultū in innocentem excitare. Is, qui pactum vitæ, & pacis

acce-

acceperat, bellum inchoat contra pacificum, fit in eum blaſphemus, & oppugnator acerrimus, & ad pugnam reliquos excitat. Vt enim Sacerdotes contempſerunt legem primi; ita legiſlatorem primò oppugnant. Cauſam autem expreſſit Iſaias dicens: *Sacerdos*, & Propheta neſcierunt præ ebrietate, abſorpti ſunt à vino, errauerunt in ebrietate, neſcierunt Videntem, ignorauerunt indicium. Vinum dicit abundantiam temporalium bonorum, quorum amore capti, Chriſtum, qui paupertatem prædicabat, neſcierunt, & primi de terra tollere, & blaſphemare exorti ſunt. Vt in cauſa Chriſti omne iudicium ignorare viderentur. Quare ab eiuſmodi vitio omninò liberum vult Petrus lib. 2. Conſtitut. Apoſtol. cap. 6. Eſſe Epiſcopum, qui *ſummus* eſt apud nos *Sacerdos*.

Iſai. 28.

Lib. 2. Conſtit. Apoſt.

Scindens veſtimenta ſua. Hæc plura erant propria ſummo Sacerdoti, ſcidit tamen ſolum אפד Ephod ſecundùm Hieronymnm. Dictum eſt ephod (ait Arias Montanus lib. Aaron ſiue deſcriptio ſanctorum veſtimentorum) à præcingendo ſiue rectius, ab ambiendo. Ambiebat enim humeros, tergum, & pectus. Latinus interpres noſter ſuperhumerale tranſtulit, alij antiqui ſcapulare dixerunt. Materia conſtabat varia, ac multicoloria, auro in primis ductili, hyacintho, ac purpura, & oltro, ſiue cocco bis tincto, opere phrygionico commiſsis. Opere, inquit חשב cogitantis, hoc eſt, ingenioſi artificis. In vtroque humero ſingnlas habebat gemmas שהם ſcocham, hoc eſt, onichem, vt latini vertunt. Harum quænis ſex nomina filiornm Iſrael deferebat ſculpta. Ita vt Sacerdos ſummus duodecim tribuum nomina in humeris portaret; ex eadem materia erat rationale, quod Hebræi vocant חשן משפט choſcen miſphat, hoc eſt obſeruationem iudicij, fuit quadratæ figuræ palmi, & quorum ordines lapidum, in quibus duodecim nomina tribuum filiorum Iſrael ſculperentur habebat, portaturque à Sacerdote ſummo in pectore ſuper ephod, illique catenulis colligatum. Hoc fuiſſe tunc fractum nemo admittit, ſed neque ephod, ſi vera ſunt, quæ ex Ioſepho ſuperius retuli, videlicet ſtolam, quam, cùm ſummi Sacerdotis propria indumenta intelligit, ſolitam à Romanis aſſeruari, concedique diebus feſtiuis ad miniſteria ſacra, quibus abſolutis iterum intra Turrim Antoniam reclndi, & ſumma cum veneratione cuſtodiri. Niſi fortè velis tunc petitam, vt ea ferrent iudicinm contra Chriſtnm, malitiam apud ſuos ſimularet. Vtcunque probabilius videtur nullam ſcidiſſe veſtem, quæ ſummo Sacerdoti proprio eſſet, vtpotè rationale, ephod, neque tunicam ſuperiorem, vnde tintinabnla, & malogranata pendebant, aut aliquod aliud peculiare, ſed commune cum alijs Sacerdotibus, vel domeſticum, quo etiam domi ſolent noſtri vti, ſpoliatis inſignijs Præſnlatus, qnibus in publico, & dnm miniſteria exercent ſe induunt. Erat enim domi, & noctutno adhuc tempore, quando precioſis exuti veſtibus, ſolent homines vulgaribus indui. Verum ſiue has, ſiue illas fregerit probamus, quia patres inde colligunt, videlicet ſignificari hac fractione rumpendum fore ſacerdotium Aaronicum, & omnia Iudæorum ornamenta penitus abolenda, ob ſcelus, quod in Chriſtum perpetrarunt, vt impleretur. Ecce ego extendam manum meam ſuper te, & auferam iuſtificationem tuam, &c. Denudabunt te veſtimentis tuis, & auferunt vaſa decoris tui, & derelinquent te nudam, plenamque ignominia. Hanc modo à temporibus Titi, & Veſpaſiani ſuſtinere videmus, & omni ſacro, quo valeant iuſtificari, deſtitutos eſſe omninò credimus. Sunt enim illis omnia mortifera, quæ olim in fide Chriſti prædicabantur ſalutifera.

Hieron.
Arias Montanus.
Quid ſit Ephod.
Interpres latini.

Quid rationale ſit?

Ioſephus.

Ait. Non quidem zelans gloriam Dei, qui blaſphemijs dehonoratur, ſed vt odio concepto ſatisfaceret contra iudicis munia, *ait*, loquitur factus accuſator nouus: Is, qui non facilè accuſatotibus fidem præſtare debebat, vt optimum poſſet iudicium ferre, *ait*, accuſationem aduerſus inſontem, vt non iam inſpectores fiant reliqui; ſed omnes ſimul accuſatores, & iudices peruerſi. Vnanimiter enim audito ſummi Sacerdotis dicto, omnes exclamarunt: rens eſt mortis. Propterea dilatauit infernus animam ſuam, & apernit os ſuum abſque vllo termino, & deſcendent fortes eius, & populus eius, & ſublimes, glorioſique ad eum. *Iſai. 5.*

Quid adhuc deſideramus teſtes. Ergo peruerſus iudex eo ſolùm teſtes deſiderabat, vt calumniam ſtrueret acriorem, non vt veritatem, quod eſt iudicis elucidaret. Imò verò hanc ſuo præſenti dicto obſcurare nititur in eorum damnationem prolapſus, qui dicunt malum bonum, & bonum malum. Ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: Ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum. De quibus ſubditur: *Iſai. 5.*

Væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobiſmetipſis prudentes.

CAPVT LXIV.

Audiſtis blaſphemiam. Quid vobis videtur? Qui omnes condemnauerunt eum eſſe reum mortis.

Expoſitio. AVdiſtis (exclamat ſceleſtis ille) *blaſphemiam*, quam non erubuit iſte cunctis Synagogæ proceribus aſtantibus eructare? *Quid* igitur de eo agendum *vobis videtur*? Num teſtes vobis plures, aut meliores expectabimus, *qui* hominis iniquitatem denuntiēt, ſuperabundant, *qui* adſumus *omnes*, conclamant, proferatur iam citius in eum ſententia. Quare *omnes* communi Concilio *condemnauerunt*, cum velut iudices, & dixerunt *eſſe reum mortis*, neque debere aliam eos expectare ſententiam, ſed celeriter ad ſupplicium trahi.

Audiſtis blaſphemiam. Hanc dicit falſiloquus confiteri Chriſtum in gloria Dei Patris eſſe. Ergo ne ô ſcelerate omnis lingua blaſphemat? Tu ſolus blaſphemus es, & qui Ioan. 10. tecum ſentit. Nec enim credis, quem Pater ſanctificauit, & miſit in mundum, vt ſaluetur mundus per eum. Non adoras eum, Hebr. 1. de quō Deus: Et adorent eum omnes Angeli eius. Neque confiteris, quem laudat omnis creatura Dei. Quinimò exprobras factori tuo: Deum qui te genuit dereliquiſti, & oblitus es Saluatoris tui. Nunquid Iſai. 45. non ego Dominus, inquit, & non eſt vltrà Deus, abſque me? Deus iuſtus, & Saluator Iſai. 45. non eſt præter me. Cui ergo aſſimilaſtis me, & adæquaſtis, & comparaſtis me, & feciſtis ſimilem? Profectò dæmonibus, quorum eſt blaſphemare. Igitur vlulate paſtores, & clamate, & aſpergite vos cinere optimates gregis: quia completi ſunt dies veſtri, vt interficiamini, & diſſipationes veIerem. 35. ſtræ, & cadetis quaſi vaſa pretioſa, & peribit fuga à paſtoribus, & ſaluatio ab optimatibus gregis. Quia adhuc iugiter tota die nomen meum blaſphematur. Etenim Iſai. 52. blaſphemum eſt dicere Chriſtum non eſſe filium Dei benedicti, & Chriſtum de blaſphemia notare, vt Iudæi faciunt eſt irremiſſibilem proferre blaſphemiam, omnemque ſibi pœnam conſiliare.

Quid vobis videtur? Non hæc dicit, vt aliorum ſe iudicio ſubdere velit ſe, ad ſuum iniquiſſimum cunctos trahere, & ſubmoue-Prou. 27. re contra Chriſtum; quia ira non habet miſericordiam, nec erumpens furor: & impetum concitati ſpiritus ferre quis poterit? Non quidem Deus tametſi patiens, & multæ miſericordiæ. Non Angelus, & ſi ſpiritus, qui non perturbatur; neque homo cuius ſpiritus eſt in naribus eius. Nam hic ſtultus fatua loquitur, & cor eius facit Iſai 32. iniquitatem, vt perficiat ſimulationem, & loquatur ad Dominum fraudulenter, & vacuam faciat animam, quæ eſurit iuſtitiam, & potum ſitienti præ anguſtia auferatur.

Qui omnes condemnauerunt eum eſſe reū mortis. Lex quidē blaſphemū ad mortē damnabat, non crucis, ſed lapidum, quibus Stephanum lapidarunt, & Chriſtum, qui dixerat: Ego principium, qui & loquor vobis tentarunt impetere, ſed cur modo non lapides, ſed Crucem minantur? Iſtam enim mox minantur, & ad eam damnant. Quod odium ad ſummum vſq; in illis contra Chriſtum creuiſſet, vt parum ſibi videretur ad lapides Chriſtum damnare, niſi & Crucem, quæ cum pœna ignominiam affert, darent. In horum igitur odio, & præcipitoſa ſententia, necnon in Chriſti ad hæc taciturnitate videmus impletum: Eſt corruptio mendax in ore contumelioſi, & eſt iudicium, quod non probatur eſſe bonum, & eſt tacens, & ipſe eſt prudens. Ioan. 8. Odium ſacerdotū in Chriſtum. Eccl. 19.

CAPVT LXV.

Et cœperunt quidam conſpuere eum, & velare faciem eius, & colaphis eum cædere, & dicere ei: Prophetiza, & miniſtri alapis eum cædebant.

PRonuntiata per effrænatos ſententia *cœperunt*, quidam cæteris inuerecundiores *conſpuere eum*, qui pro reuerentia dignus erat, adoratione; *& velare* pallijs *faciem eius*, in quam deſiderant Angeli proſpicere. Et inſuper *colaphis* furioſis *eum* inhumaniter *cædere*, *& dicere* per contemptum *ei*, qui vniuerſos diligit: *Prophetiza*, inquiunt nobis quis eſt, qui te percuſſit. *Et* interim *miniſtri* iniquitatis *alapis* crebris, & ferociſſimis, *eum* iniuſtiſsimè *cædebant*, qui cunctis eſt iuſtiſsimus, ac Dominus noſter. Expoſitio.

Et cœperunt quidam conſpuere. Conſpuitur, qui omni irriſione dignus eſt, vel certè *conſpuit*, qui vafer eſt, & omnium inuerecundiſsimus. Et huiuſmodi quidem nunc primum reuerendiſsimus ſupra Angelos, & homines Chriſtus, fortitos eſt æmulos, & ab his ignominioſiſsimus eſt habitus, qui ſecundùm Iob erant filij ſtultorum, & ignorantium, & in terra penitus non parentes. Nunc, inquit, in eorum canticum verſus ſum, & factus ſum eis in prouerbium, abominantur me, & longè fugiunt à me, & faciem meam conſpuere non verentur. Sputum autem pertulit primò Chriſtus, quia redemptor peccati originalis primam illius occaſionem, quam dedit verbum mulieris, Iob 30. Conſpuitur primo Chriſtus quia redemptor peccati originalis.

lieris, quod ſputo ſignificatur, tollere venerat ordinatiſsimè, vt nihil amplius immunditiæ, nec ſpurcitiæ in redempto homine remaneret, vt impleretur: *Ierem. 33.* Reducam in conuerſionem terræ, ſicut à principio, dicit Dominus. Terra eſt homo, quia à ſuis prauitatibus Deus ad innocentiam per mortem, & paſsionem filij conuertit ſicut à principio, quando formauit eum rectum, *Eccl. 7.* antequam ſe infinitis quæſtionibus vltro immiſceret.

Et velare faciem eius. Et poſt verbum, quod extitit peccati initium (præcepit nobis Deus, *Gen. 3.* ne comederemus, & ne tangeremus) ſequutum eſt in muliere velamentum mentis, & excæcatio, vt non agnoſceret tentationem, nec malitiam ſerpentis aduerteret, ſed in elationem ſui, & appetitum inordinatum incideret, proponens animo tranſgreſsionem præcepti facere. (Cur velatus Chriſtus.) Quod ergo prauaricatrix mente ſuſtinuit in perniciem totius generis; hoc Redemptor libenter exterius paſſus eſt, vt velamenta, quæ *Ier. 33* deformant, aboleret: Iuxtà illud: Ecce ego obducam eis cicatricem, & ſanitatem, & curabo eos, & reuelabo eis deprecationem pacis, & veritatis; quia vetus error abijt; *Iſai. 26.* Et, inquit, ecce noua facio omnia. Vnde *Heb. 10.* Paulus: Initiauit nobis viam nouam, & viuentem per velamen, id eſt, carnem ſuam. Hac quidem velauit diuinitatem, quæ facies *Pſal. 79.* dici ſolet, iuxtà illud: Oſtende faciem tuam, hoc eſt diuinitatem. Hæc itaque ſubiecit ſe velamini carnis noſtræ, vt factus Deus abſconditus, velamen præſens ignominiæ, & dedecoris ſuſtinens in carnis facie, animas noſtras illuſtraret. Ergo quaſi liberi (ſcri- *Pet. 2.* bit Petrus) & non quaſi velamen habentes malitiæ libertatem, ſed ſicut ſerui Dei, omnes honorificate. Siquidem ab hominum genere velamen ignorantiæ, erroris, & igno- *Pſal 8.* miniæ Chriſtus ſuo velamine tulit, vt gloria, & honore coronatus, iamiam videatur *2. Cor. 3.* homo, & reuelata facie, gloriam Dei poſsit ſpeculari.

Et colaphis eum cædere. Inter colaphum, & alapam nullum aliud diſcrimen aſsi- *Laur Valla* gnat Lauren. Valla, quàm quod colaphus græcum ſit nomen, alapa latinum. Mihi tamen videtur colaphum commune eſſe, & ad alapam, & ad pugnum, vnde & colaphizo interpretari ſolet percutio, pugno, diuerbero. (Differentia inter colaphũ, & alapam.) *Colaphis* ergo Chriſtum *cædere*, hoc eſt, nunc pugnis, nunc digitorum ſummitatibus, quandoque tergo manus, aliquando vola, & manus extremitate, quæ iungitur brachio, prout poterant, iuxtà quod plus, minuſue appropinquari poterant agno patientiſsimo. Qui inter anguſtias dicebat: *Iſai. 50.* Ego autem non contradicò, retrorſum non abij: Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus, & faciem meam non auuerti ab increpantibus, & conſpuentibus in me. *Iob 30.* In multitudine eorum conſummitur veſtimentum meum, & quaſi capitio tunicæ ſuccinxerunt me. Comparatus ſum luto, & aſsimilatus ſum fauillæ, & cineri. *Iſai 43.* Dominus Deus auxiliator meus, & ideò non ſum confuſus. Ideò poſui faciem meam, vt petram duriſsimam, & ſcio, quia non confundar. Veruntamen, vos ò *Ier. 39.* mortales, qui ſeruire me fecistis in peccatis veſtris, præbuiſtis mihi laborem in iniquitatibus veſtris, accingite vos cilicijs, plangite, & circuite ſuper ſepes, vocate ad planctum eos, qui ſciunt plangere, vt plangant quaſi ſuper morte vnigeniti: non ſuper vnigenitum, quia filius hominis va- *Matth. 26.* dit, ſicut diffinitum eſt de eo; ſed ſuper morte, & plagis, quam non iam in Iudæis, ſed per voſmetipſos infertis in ſceleribus, quibus iugiter iram Dei prouocatis.

Et diuerberabant. Exprobrantes, & iniuriantes, vt non corpus ſolum diuerberarent, ſed animum mudis omnibus contriſtarent. Inde Chriſtus perorat. Quare oblitus es *Pſ 42.* mei? Et quare contriſtatus incedo, dum affligit me inimicus? *Pſ 41.* Dum confringuntur oſſa mea exprobrauerunt mihi, qui tribulant me inimici mei. *Iob 30.* Deriſerunt quidem me iuniores tempore, quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei. Quorum virtus manuum mihi erat pro nihilo, & vita ipſa putabantur indigni. Egeſtare, & fame ſteriles, qui rodebant in ſolitudine, ſqualentes calamitate, & miſeria. Profectò tale erat mortalium genus in peccatu, & his prorſus ſimiles, qui Chriſto exprobrabant, & dicebant ironicos.

Prophetiza. Quo populi deuoti eum ſolebant honorare, quia ſicut Prophetam habebant, iſti infames dehonorant, vt impleretur: *Matth 13.* Nemo Propheta ſine honore, niſi in patria ſua. In hac Iſaiam irriſere, Ieremiam vexarunt, & reliquos, vt mendaces habuerunt ſui: Et hoc liberè Chriſtus admiſit, vt notatus de pſeudopropheta, mulſit, quo credens pſeudoprophetæ: Eritis *Gen 3.* ſicut Dij; & tentauit falſo prophetare, redimeretur ab eiuſmodi falſitate, & peri- *Matt 7.* culo falſorum prophetarum, qui veniunt, vt ipſe dixit, ad vos in veſtimentis ouium intrinſecus autem ſunt lupi rapaces, à fructibus eorum cognoſcetis eos. Hoc eſt, dictis, quæ plena ſunt dolo, factis, quæ nihil habent veri, & geſtis, quæ ſimultates portendunt. Nihilque iam poſſunt, quia *Pſ. 34.* veritas de terra orta eſt, & iuſtitia de cælo proſpexit, & omnes, inquit, cogno- *Iſai 31.* ſcunt me à minimo vſque ad maximum; vt non zaphinis, ſed ciuitas ſolis vocetur, Eccleſia vna, quam lux vera illuminat limpido lumine, quod nullas tenebras patitur.

Et miniſtri alapis eum cædebant. Alapa eſt ictus, quem extenſa manus infert, quo

Digitized by Google

tàm multipliciter, nunc caput, nunc faciem, nunc collum, & alias corporis partes mulctabant, vt liceat in eo contemplari, quæ typus de ſe profert dicens: *Iob 30.* Frater fui draconum, & ſocius ſtruthionum. Cutis mea denigrata eſt ſuper me, & oſſa mea aruerunt præ caumate, hoc eſt, calore. Calorem enim frequens ictus generat in corpore, etiam congelato; inſuper denigrat carnem crebra percuſſio. Ecquis dubitat talia Chriſto accidiſſe ſtans velut ſignum ad ſagittam in medio rabidorum, qui draconibus erant petulantiores, & ſtruthionibus inurbaniores, ne dicam crudeliores? Vnde ſubiecit. *Iob 30.* Verſa eſt in luctum cithara mea, & organum meum in vocem flentium. *Pſal. 44.* Siquidem ſpecioſus forma præ filijs hominum, quaſi leproſus abiectus, & humiliatus, ac percuſſus à Deo præparatur. *Pſal. 72.* Et dixi. Ergo ſine cauſa iuſtificaui cor meum, & laui inter innocentes manus meas. Et fui flagellatus tota die, & caſtigatio mea in matutinis. Hac enim hora contigerunt iſta Chriſto apud Caipham. Non tamen abſque cauſa iuſtificauit ſe, qui eſt noſtra iuſtitia, nec abſque cauſa flagella ſuſtinuit; noſtri enim cauſa, & flagellatur, & percutitur, & noſtri agens perſonam ſine cauſa iuſtificaui, inquit, cor meum, vt qui peccatores non habeamus iuſtitiam ex nobis, vnde gloriatio nobis proueniat. Propter quod iuſtus, & innocens iniuſta patitur, vt iuſtitia ſua nos iuſtificet.

CAPVT LXVI.

Et cum eſſet Petrus in atrio deorſum, venit vna ex ancillis ſummi Sacerdotis.

Expoſitio. REdit Euangeliſta ad Petrum, qui intra atrium domus Annæ ſedens ad ignem calefaciebat ſe. *Cum eſſet* ergo *Petrus* ille zelator vitæ, & mortis magiſtri *in atrio*, quo ſolebant communes homines *deorſum* expectare. *Venit* quaſi perfunctorie *vna* inſolentior *ex ancillis*, quæ vxori *ſummi Sacerdotis* inſeruiebant, ac paruulorum curam gerebant, munditiæque domus, & veſtium quibus domeſtici vtebantur.

Et cum eſſet Petrus in atrio deorſum. Quoniam iam incipiebat de *deorſum* eſſe aſſociatus ſceleratis, & *in atrio* impiæ domus ſedens, indeque ſolamen captans; vtpotè calefactionem expectans. Qui enim eſt Chriſti diſcipulus, nihil cum his commune debet habere; quia plantatus in domo Domini, in atrijs domus Dei noſtri *Pſal. 91.* florebit, & fructum feret temporibus ſuis, ſi non *deorſum*, ſed ſurſum cor habuerit: ſi non cum impijs, ſed in cæleſtibus conuerſabitur, & quæ in domibus quadratis peſſimorum oblectant, non concupiuerit: ſed exultauerit tota die ad Deum fontem viuum. Et hoc didicimus in actis (ait Baſil. concio. 4. in Pſalm. 14.) *Baſilius.* quomodo rectè fieri poſſit ab his, qui pietatis ſcopum perſectè implent. Quotquot enim, inquit, poſſeſſiones domorum, aut agrorum erant vendentes, afferebant precia eorum, quæ vendiderant, & ponebãt ad pedes Apoſtolorum. Non ſolum vt diſtribueretur egenis, ſed vt ipſi ſpoliati temporalium cupidine, cæleſtium contemplationi vacarent, & aſcenſiones in Deum crebro formantes, ad eum tandem transformarentur. Ergo Petre noli *deorſum*, nec *in atrio ſedere*, quod tantis peperit iacturam, alioquin incides in laqueum, quem exprobraſti.

Venit vna ex ancillis ſummi Sacerdotis. Hoc eſt Annæ. Habebat, & hic ancillas ad negocia domeſtica, vt diximus. Cumque hoc ſit commune vxoratis principibus plures domi ancillas retinere, cur earum multitudinem Euangeliſta expreſſerit non facilè quantum ad myſterium penetro. Niſi forte velit, hiſce conditionem tùm Principis *Sacerdotis*, & ſuorum inſinuare, fuiſſe, inquam, leuem, procacem, libidinoſam, & vaniſſimam; more ancillarum vagantium, quarum mores ſapiens ſic deliniat: *Prou. 7.* Occurrit, inquit, mulier ornatu meretricio, *Meretrix.* præparata ad decipiendas animas, garrula, & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo conſiſtere pedibus ſuis, nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxtà angulos inſidians. Huius mores prædominatos in Anna, Caipha, ac cæteris Iudæorum Principibus Iſaias notat, cum ait: *Iſai. 3.* Ecce dominator Dominus exercituum auferet à Ieruſalem, & à Iude, validum, & fortem, &c. & mulieres dominatæ ſunt eis. Quod autem *vna* non plures ſimul Petro occurrant, *Cauẽdæ mulieres.* malitiam, quæ in parua muliere regnat, aperit. Tanta enim eſt, vt *vna* ſufficiat incendium toti Orbi aſtruere, Apoſtolum ad negationem Chriſti inducere. Petrum petra duriorem emollire, vt ceram, & diſcipulum Chriſti ſub poteſtate horrendæ beſtiæ, atque blaſphemiæ collocare. Vnde dicitur: *Prou. 19.* Vinum, & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes. Ergo commorari leoni, & draconi magis placebit, quàm habitare cum muliere nequam: Huius quippe conſuetudinem abhorret oraculum, bonam autem laudat, quia ædificat domum, corona eſt viro ſuo, eiuſque animam pretioſam facit, ſed quis inueniet? *Prou. 31.* Procul, & de vltimis finibus pretium eius.

Digitized by Google

CAPVT LXVII.

Et cum vidiſſet Petrum calefacientem ſe aſpiciens illum, ait: Et tu cum Ieſu Nazareno eras.

Expoſitio.

ET ita ad conſpectum virorum, & turbæ militum veniens ancilla *cum vidiſſet* inter alios *Petrum* ſedere ad ignem, & *calefacientem ſe* propter noctis humiditatem, & temporis frigiditatem (erat enim hyems) diligentiuſque *aſpiciens* hominem alienæ linguæ, alterius veſtitus, ac tremebundum, non tàm præ glacie, quàm pauore eius, quod imminebat mali, *ait ad eum: Et tu* quidem non es ex noſtris, quippe inermis, ac triſtis, profectò *cum Ieſu Nazareno*, qui tenetur captus, *eras*. Alioqui cum noſtris gauderes, & lætam noctem duceres, vacareſque iocis, & potibus cum his, qui opus diù optatũ nunc nunc perfecerunt: & pro eo lætantur, & ad ignem ſtantes conuiuantur, & epotantur lautiſſimè.

Et cum vidiſſet Petrum calefacientem ſe. Fortaſſis non *vidiſſet*, ſi ab igne *Petrus* fuiſſet alienus, & optantem calefieri mulier adultera procax quærit, videt, apprehẽſumq. ait Salomon, deoſculatur iuuenem, & procaci vultu blanditur dicens: Victimas pro ſalute deuoui hodie, reddidi vota mea; idcirco egreſſa ſum in occurſum tuum, deſiderãs te videre, & reperi. Ergo ne, ò mortales, reperiat, lõgè ab igne cõcupiſcentiæ ſimus, quod ſi illum, qui in ſinu eſt, nequimus extinguere; ſic tamen ab omni occaſione ſeparemur, vt nemo credat, aut ſuſpicetur nos velle calefieri, velle luxuriari, aut quid agere inhoneſtum, immò verò his omnibus auerſari, ne deſcendant vnicornes, & tauri cum potentibus, deprædantes continentiam noſtram, ac fidem.

Prou. 7.

Aſpiciens illum. Ancilla iuuenis ad ſeneni conuertit oculos, & attentius, quàm iuuenilem militum manum aſpicit. Etenim hos proprijs vinculis illaqueat incentor malorum, & eos proprio cupidinis igne ardere facit, inflammat, & conſumit. Senem autem ad malum externo adhibito prouocatore inducit. Sic enim pleriſque ſenibus in eremo conſtitutis illuſit, & eorum mortificatam vim accendit aſpectu muliebri, licet perſæpè falsò. Scio Petrum non aſpici ad conſuetudinem carnis: aſpicitur tamen, vt omni luxuria peius facinus perpetret. Nam ſicut bouum iugum, quod mouetur, ita & mulier nequam non vnum, aut alterum vitium intendit, ſed omni, prout nouit, loco, tempori, ac perſonæ conuenire. Petrus ergo qui ſe ipſum de conſtantia animi gloriabatur, nunc ab inconſtantiſſima aſpicitur, vt ad inconſtantiam omnium nefandiſſimam pertrahatur.

Ignis cõcupiſcentiæ.

Conſtantia Petri ab inconſtãti fœmina vincitur.

Ait. Hem exordium funeſtæ orationis, & facti horrendiſsimi, mulierem cum viro ſermonem miſcere. Quia enim Adam Eua eſt loquuta, & Petrum Ancilla, vterque inferorum facti ſunt exemplum. Ergo qui in Sirenarum pericula non vis conijci dic ſapientiæ: Soror mea es, & prudentiam voca amicam tuam, vt cuſtodiat te à muliere extranea, & ab aliena, quæ verba ſua dulcia facit.

Prou 7.

Et tu cum Ieſu Nazareno eras. Exprobrat Petro Diſcipulatum, & Apoſtolatum, quem Chriſto adhærens fuerat ſortitus, ac ſi diceret: *Et tu*, qui nobiſcum es, diſcipulus eras quondam Ieſu, & qui modo, vt vnus ex noſtris ſedes ad ignem, *eras* paulò ante in Apoſtolatu, quem ignis deſuper conſecrat, glorians. Quomodo tàm cito cecidiſti, & decidit capitis tui corona, vt vnus ex nobis miſer, miſerabilis egens ſedili, & igne terreno, fieres? Quis tuum abſtulit ducem, qui præceptorem, cum quo ante hac eras, reliquiſti? Iſtane eſt fraternitas, & ſocietas, quam inter vos perpetuo fore eratis ſolliciti prædicare? Aut certè quomodo à Ieſu Nazareno vos ſeparaſtis, vinculum, & fœdus, vt ingrati, & ſocij menſæ rupiſtis? Aut ille, qui tantam de vobis curam habere videbatur, vos deludit, decepit, & irriſit. Quare, vel dicito non eſt ipſe, vt faciunt, qui meliora ſapiunt Principes noſtri; vel publicè teipſum prædica diſcipulum, vt mox vnà cum magiſtro pœnam dignam luas. Petrus autem quid? mox dicemus.

CAPVT LXVIII.

At ille negauit dicens: Neque ſcio, neque noui quid dicas. Et exijt foras ante atrium, & gallus cantauit.

Expoſitio.

AT Petrus *ille*, qui quondam montes aureos pollicebatur, & ante bellum arma canebat, ſeque virum robuſtum, & fidelem iactabat, protinus, vt audiuit mulierculæ vocem, & opprobrium, *negauit* præ timore, & pro animi puſillanimitate dixit: *Neque ſcio* Ieſum, quem mihi obijcis magiſtrum, *neque noui* Nazarænum, quem ſacri Apoſtolatus auctorem fingis. Denique *quid dicas* tua iſta obiurgatione pænitus ignoro. *Et* cum paululum ſuper facto ſecum ipſe conſultaſſet, vrgeretque conſcientia, *exijt* ab atrio, & igne, vnde illi mala iſta acciderant, & foras conſtitutus *ante atrium* cœpit deliberare, abiretne, ac expectaret finem. Dum hæc in animo Petri, verſantur, *gallus* excuſſis alijs *cantauit* ſuum primum gallicinium, & eum, qui velut gal-

lus inter gallinas ſuperior futurus erat, ſuo cantu præmonuit, arguit, reprehenditque, quod in tenebris volatile cõfiteatur anctorem; homo autem, qui ſuper volucres eſt, publicè deneget. Ecquis hanc gallo intelligentiam dedit? Puer paruulus, qui lupum & agnum minat, & regit.

Iſai. 11.

At ille negauit. Altiſſimo permittente, qui neminem vult præſumere, nec in ſuis viribus gloriari; ſed in dextera omnipotentis ſpem reponere totam, ac robur. Qui ergo vt gigas ſe ſupra cor ſuum, ac vires ſublimarat, *negat* præ formidine, & vt lepus aufugit à vero. Quid dicam Petre? Homo cum in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Quid ſimilis? Immo verò hoc in negocio diſſimilior. Nam miluus in cælo cognouit tempus ſuum, turtur, & hirundo, & ciconia tempus aduentus ſui. Tu autem tempus gloriæ tuæ, & partus feliciſſimi nõ agnouiſti. Aderat tempus ſupremi principatus, ſi quæſitus non negaſſes, ſed conſtanter ad mortem vſque veram tenuiſſes confeſſionem. Permiſit tamen Deus (ſcribit Theophyl.) ſingulari diſpenſatione fieri, vt ne extolleretur, & ad hoc, vt compateretur labentibus à ſeipſo eruditus, quanta ſit humana fragilitas, & imbecillitas. Propterea (lib. 2. Conſtit. Apoſt. cap. 38. 40. 41.) ſanxit peccatoribus pœnitentibus facilè indulgere. Nec oportet malè animatum eſſe in eum, qui ſemel, & iterum deliquit; ſed conuerſum ad adorationem admittere, vt illum filium; qui perierat, qui luxurioſus fuerat, qui cum meretricibus patrimonium dilapidauerat, qui porcos paſcebat, & cum ſiliquis expleri cuperet, non potiebatur optato, quem peccaſſe pœnituit, & ad patrem rediit, peccaui in cælum, & coram te, neque ſum dignus amplius vocari filius tuus, quem pater filiorum amans, cum cantu excepit.

Cur permiſſa negatio Petri?
Pſal 48.
Ier 8.
Theoph.
Conſtitut Apoſt. li. 2.
Luc 15.

Dicens. *Dicens*, negat Petrus, quia non corde, ſed ore, vt ſupra ex Patrum ſententiis diximus, ac propterea veniam facilè promeruit; ſecus qui corde ſimul negauerit, vt non ſit hominibus odio; qui magis animam ſuam, quàm Deum amat. Hic, ait Clem. lib. 5. Conſtitut. Apoſt. cap. 4. miſerabilis, & miſer eſt, vtpotè impurus, & deteſtandus: qui amicus quidem hominum eſſe voluit, inimicus verò Dei, qui non iam partem cum Sanctis tulerit, ſed cum ſortitus maledictionem, qui pro regno eorum, qui benedictionem tulerũt, expetiuit ignem ſempiternum, diabolo, & Angelis eius præparatum; non modo hominibus inuiſus, ſed à Deo repulſus, & à facie eius proiectus.

Ore nõ corde negauit Petrus.
Clem lib. 5. *Conſtit.*

Neque ſcio. Non ſcire Chriſtum, eſt propriè Paganorum, & Apoſtatarum, qui ad eos deficiunt, & ex toto fidem, quam profeſſi fuerant, omninò abiurant. Hæretici etiam neſciunt Chriſtum, in vno, aut altero articulorum, quos fides præcipit credere. Ergone Petrus hæretizauit, aut in hæreſim Petri ſucceſſor poteſt prolabi? Primum manibus, ac pedibus iunctis nos deteſtamur; quia nõ negans corde, fidem, pro qua Chriſtus rogarat, non amiſit, vt Sãcti deponunt. Hæreticus autem fidei habitum amittit. Abeant ergo Magdeburgenſes, qui & hoc, & aliis annotatis, ſeu potius confictis in Petro erroribus, non ſolum Petrum proclamant hæreticum, ſed Antichriſtum. Centuria 2. lib. 2. cap. 10. Muta tamen fiant labia infelicium, qui dixerunt: Linguam noſtram magnificabimus maledictis adinuentis in Sanctos. Nihil enim horum; ſed Vicarius eſt Chriſti Petrus, & totius nerui eccleſiaſtici robur, & columna firmiſſima, quia tu es (inquit veritas) Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Hinc audacter dico ad ſecundum; Romanum Pontificem minimè ad hæreſim declinare poſſe; Eccleſia enim Romana (ſcribit Lucius Papa I. epiſt. p. ad Epiſcopos Galliæ, & Hiſpaniæ) Apoſtolica eſt, & mater omnium Eccleſiarum, quæ à tramite Apoſtolicæ traditionis nunquam erraſſe probatur, nec hæreticis nouitatibus deprauata ſuccubuit; ſecundum ipſius Domini pollicitationem dicentis: Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua. Vnde Gelaſius in ep. ad Anaſtaſium Imper. Hoc eſt, quod Apoſtolica Sedes magnopere cauet, vt quoniam mundi radix eſt Apoſtoli glorioſa confeſſio, nulla prauitatis rima, nulla prorſus contagione maculetur. Nam ſi, quod Deus auuertat, id quod non fieri poſſe confidimus, tale aliquid proueniret, vnde cuique reſiſtere auderemus errori? Ergo quia ſemper reſtitit (ait Agatho Papa in ep. ad Conſtantinum Imperatorem) per Dei gratiam à tramite Apoſtolicæ traditionis nunquam erraſſe probatur. In Petro enim (addit Leo I. ſerm. de aſſumpt. ad Pontificatum) omnium fortitudo munitur, & diuinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, vt firmitas, quæ per Chriſtum Petro tribuitur, per Petrum Apoſtolis cæteris conferatur. Plura de his lege apud auctores, quos ſæpè, vt citauimus præſertim R.P. Bellaminum 3. controuerſia lib. 6. per totum.

Luc. 22.
Error Magdeburgẽſiũ.
Pſal. 30.
Pſal. 11.
Roman. Põtifex errare in fide nequit.
Lucius Papa.
Gelaſius Papa.
Agatho.
Leo.

Neque noui quid dicas. Non noſcere quid alius dicat, eſt eius, qui diiudicare ignorat. Ergone Petro iudicium, & iudicis integri tollemus officium, ac pariter ſucceſſori? Abſit; in vtroque quidem illud agnouit Theodoretus ad Leo. I. ſcribens: Si Paulus, inquit, præco veritatis tuba ſanctiſſimi ſpiritus ad magnum Petrum cucurrit, vt iis, qui Antiochiæ de inſtitutis legalibus, contendebant, ab ipſo ferret ſolutionem: multo magis nos, qui abiecti ſumus, & puſilli ad Apoſtolicam veſtram Sedem currimus, vt Eccleſiarum vlceribus medicinam

Theodoret.

à vobis

Digitized by Google

à vobis accipiamus. Nam (vt inquit Anacletus Papa, epiſt. 3. de ordinat. Archiep.) hæc Apoſtolica ſedes cardo, & caput, vt prædictum eſt, omnium Eccleſiarum, à Domino, & non alio eſt conſtituta. Et ſicut cardine oſtium regitur; ſic huius ſanctæ ſedis auctoritate omnes Eccleſiæ, Domino diſponente, reguntur. Vnde ait Vigilius Papa ad Eutherium ſcribens: Omnium appellantium ſedem Apoſtolicam Epiſcoporum iudicia, & cunctarum maiorum negocia cauſarum, eidem ſanctæ ſedi reſeruata eſſe liquet. Sed de his ſatis.

Anacl.

Vigil Papa

Et exijt foras ante atrium. In ſignum reſipiſcentis animi, qui locum, in quo deliquit, deteſtatur. Negauit quidem intra *atrium*, ſed non permanſit in *atrio*, quia neque peccatum erat protracturus. Beatus quidem vir, qui in via peccatorum non ſtetit. Quia via impiorum tenebroſa, neſciunt, vbi corruant. Igitur (hortatur Salomon) ne delecteris in ſemitis impiorum, nec tibi placeat malorum via, fuge ab ea, nec tranſeas per eam, declina, & deſere eam; non enim dormiunt, niſi malefecerint, & non capitur ſomnus ab eis, niſi ſupplantauerint. Commedunt panem impietatis, & vinum iniquitatis bibunt.

Pſal. 1

Prou. 4.

Impij fugiendi.

Et gallus cantauit. Quantum ad litteram de galli cantu plura habes ſuperius, & apud Matth. nunc galli cantum in ſignum Petro datum eſſe aliquantulum perpendamus. Eſt hoc animal peruigil nocte, & ſolicitum lucente die. Datur ergo in ſignum Petro, vt vigilia contra peccati noctem, & obſcuritatem, necnon ſolicitudine operis dum operandi dies eſt; & tempus opportunum aduerteret, plenam peccati remiſſionem ſe poſſe conſequi. Intonuit autem *gallus*, poſt Petri receſſum ab atrio prauorum, vt tunc Domini auxilia adeſſe ſciremus, quando nos, quod ex parte noſtra eſt, facimus, & laboramus, ſeu proponimus à malo recedere. Hinc vox illa: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.

Gallus in ſignum datus Petro.

Zach. 1.

C A P V T L X I X.

Rurſus autem cum vidiſſet illum Ancilla, cœpit dicere circumſtantibus: Quia hic ex illis eſt.

Expoſitio.

VEl quod rediјſſet ad atrium, vel quod ad oſtium foras ſtaret Petrus oculis circumſpicientium ſe denuo obijcit. Quare *rurſus cum vidiſſet illum* alia *Ancilla*, quę illac pertranſibat, *cœpit* alta voce *dicere circumſtantibus* turbis. Ecquid vos non attenditis qui vobiſcum ſint, amici ne, an inimici? An non cernitis; *quia hic* homo, qui præſens adeſt, *ex illis eſt*, quos noſtri Principes nituntur, vt nociuos Reipublicæ perdere cum magiſtro ſuo?

Rurſus autem cum vidiſſet illum Ancilla. O mirabile, qui ſe cunctorum fortiſſimum iactabat ante caſum (& poſt factus eſt etiam porta inferi robuſtior) ab *Ancilla*, quæ tùm ſexu, tùm ætate mollior, debilior, & cunctis infirmior eſt, non ſemel tantum, ſed rurſus, ac tertio tentari aggredi voluit Deus, & permiſit præcipitari, ne quis glorietur; ſed timeat quiſque, & ſibi caueat, ſeque etiam ab infirmis cuſtodiat. Nam non ſolum *Ancilla* Petrum deijcit, ſed & aqua, quæ mollior eſt, folium quod vento rapitur, aer qui eſt cunctis mobilior, & feſtuca, quid minimum ſolet eſſe, corpus affligere, & ad impatientiam hominem ducere, demumque, & mortem inducere, atque vtinam tantum corporis.

Infirmitas Petri.

Infirmitas hominum

Cœpit dicere circunſtantibus. Non Petro, vt prima fecerat. Erat quidem verecundior. Nam vt in bonitate gradus reperiuntur; ita & malitiam non eandem, ſed differentem mulieres malæ participant. Circunſtantes itaque, vt notos alloquitur, vt per hos Petrus expugnaretur, grauiuſq. bellum, ac durus ſentiret. Diabolus enim, qui aduerſus ſanctos pugnat, nihil prætermittit, quo minus vincantur, Deum abnegent, atque blaſphement nomen viuentis. Habet enim iram magnam comitatam fallaci arte multiplici, vt Leuiathan tortuoſus iure appelletur, cuius caudæ officium agit mulier, quæ per ſeipſam prouocat ſanctum ad caſum, & quæ per alios, & iam quicunque bonum diſſuadent, & hortantur ſimplicem ad malum, iuſtumque contriſtant, adhuc peſtilentiores cauda draconis dici merentur. Ideo ait Deus: Ecce ego Addam, vt admirationem faciam populo huic miraculo grandi, & ſtupendo: Peribit enim ſapientia à ſapientibus eius, & intellectus prudentium eius abſcondetur: Nam nihil eos aduerſus ſanctos profeciſſe, quinimo multa illis conciliaſſe bona, aperte confitebuntur, cum dicent: Hi ſunt, quos aliquando habuimus in deriſum, & in ſimilitudinem improperij; ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt?

Diaboli aduerſus ſanctos machinamenta.

Iſai. 29.

Sapient. 5

Quia hic ex illis eſt. Hoc eſt, diſcipulis Ieſu, & Apoſtolis; audierat enim ſtatutum à ſenioribus eſſe, vt ſi quis confiteretur Ieſum, fieret anathema, & mulctaretur. Quapropter Patres cæci cuius oculos illuſtrator vitæ Chriſtus reſtituerat, interrogati de miraculo, non ſunt auſi loqui, ne Chriſti laudes proferentes expellerentur. Iſta ergo de illis dicit, vt declararet circunſtantibus dignum pari ſupplicio Petrum, qui ex illis eſſet, qui Ieſum, & confitebantur, & profitebantur eius doctrinã. Breuis quidem omnis malitia, ſuper malitiam mulieris, ſors peccatorum cadat ſuper ipſam.

Ioann 9.

Eccl. 25.

C A P V T

Digitized by Google

CAPVT LXX.

At ille iterum negauit. Et poſt puſillum rurſus qui aſtabant, dicebant Petro: Verè ex illis es: Nam & Galilæus es.

Expoſitio. AT vehementer turbatus Petrus *ille*, qui aduerſus armatorum cohortes non timuit, vibrato gladio, bellum ſolus ſuſcipere, vt magiſtrum tueretur, nunc eundem *negauit* muliercula lingua, velut aſpide, percuſſus. Et nec ſic finem malis fecit. Nam *poſt puſillum* temporis, *rurſus* aſpicientes, *qui aſtabant*, expectantes in foribus atrij, *dicebant Petro*: *Verè tu*, qui ſic ſtas meticuloſus, *ex illis es*, qui contra Principum ſtatutum, & doctrinam, & vitam, & mores Ieſu profitentur. *Nam &* habitu, & lingua *Galilæus es*, ac huiuſce Galilæi ſectator, & diſcipulus.

At ille iterum negauit. Quid *iterum*? Et *iterum* atque *iterum* negaſſet Petrus Chriſtum, ac millies, niſi adfuiſſet virtus diuina. Erat quidem in nocte, & obſcuro, quando ad quodcunque offendiculum corruit, ne dum infans, ſed gigas; in obſcuro quidem, quia nondum Spiritus ſanctus, qui illuminat, qui cor rectum confert, & creat nouum, atque ſanctificat hominem, ne polluatur vltra, neque declinet. Vnde Pſaltes: *Pſal.* 138. Quo ibo à ſpiritu tuo? tolle ventum naui, & gubernaculum; quid ventis commiſſa poterit, niſi fluctuare, demumque frangi inter *Pſal.* 124. ſcopulos, atque ſubmergi? Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam; in vmbram vero mortis, ò Deus, corruam, ſi auferas Spiritum ſanctum tuum. Deficiet enim mihi dies, & tertia nox neruos occu- *Origen.* pabit. At qui ſcandalizatur, (ait Origen. tract. 35. in Matth.) non in die ſcandalizatur, ſed in nocte, & in nocte illa, in qua proditur Chriſtus. Sic enim, & Petrus dene- In nocte negatur Chriſtus. gans, non in die denegat, ſed in nocte, & in nocte, cui nondum propinquauerat lux. Ante cantum enim galli negat. Si quis autem quærat, quomodo poſt talia, & tanta ſigna, & prodigia, & ſermones non ex inferiori virtute, quàm ex qua ſacta fuerant, ſigna, & prodigia, dicto ſcandalizantur diſcipuli, ſciat, quia vult oſtendere per hæc ſermo: Quoniam ſicut nemo poteſt dicere Dominum Ieſum, niſi in Spiritu ſancto; ſic nemo poteſt ſine ſcandalo eſſe, ſine Spiritu ſancto. Quando autem implebatur, quod dixerat *Matth.* 26. Ieſus: Omnes vos ſcandalum patiemini in hac nocte, non dum erat datus Spiritus ſanctus, quoniam Ieſus non dum fuerat ho- Lapſus Petri vnde prouenit. norificatus; itaque negat Petrus infirmior adhuc, quod Spiritum ſanctum non recepiſſet; quo factus eſt poſtmodum omni adamante fortior. Ergo ſpiritu principali *Pſal.* 50. confirma me Deus.

Et poſt puſillum rurſus, qui adſtabant. Hactenus mulieres Petrum impulerunt: modo irruunt viri ſuper eum, vt qui viris, ac mulieribus Pontifex eſſet futurus, vtriſq. parcere, veniam dare, & meliora quærere ſciret, & bonum pro malo reddere, iuxta magiſtri regulam. *Poſt puſillum* autem, vt vix reſpirandi daretur Petro ſpacium, eum aggreſſi ſunt alij, vt diaboli malitiam aduertamus. Is enim, qui tentator eſt malorum, ſemel proſtratum continuis adinuentis laceſſit, ne valeat reatum agnoſcere, quin ad profundum iniquitatum prolapſus, vulneratuſque omni ex parte contemnat medicinam, & medicos, qui ſanitatem pollicentur irrideat, proculque expellat. Attende tibi igitur ò homo à peſtifero. Fabricat enim mala, nè fortè inducat ſuper te ſubſannationem in perpetuum. Immitis animus illius conſeruabit verba tua: & non parcet de malitia, & de vinculis.

Dicebant Petro. Vt qui verbis ſe iactauerat, verbis tantum prouocaretur ad pugnam, vt ſciret deinceps verbum proprium corrigire, & alienum cauere. Illo quidem incautè prolato irritamus Deum, & hoc ſæ- *Prou.* 3 pius ad ea, quæ non decent, trahimur. Ne ſis ergo ſapiens apud temetipſum, time Deum, & recede à malo; ſanitas quippe erit vmbilico tuo, & irrigatio oſſium tuorum. Eſt enim ſapientia timor Domini, qui nos ſenſatos in verbis proprijs facit, & amabiles Deo, cuſtoditq. ab alienis ne inficiamur.

Verè ex illis es. Plura fortè in Petro conſiderantes viri, quàm Ancillæ, vt quod remotus, triſtis, meticuloſus, anxius, & timore plenus eſſet, apertè, & *verè ex illis*, quos iubebant patres comprehendi Petrum Aeua prima inter homines mendax. dixerunt. *Verè* autem non dixerant Ancillæ quia typus Æuæ, quæ ex mortalibus prima, veritatē abiecerat mendacio protecta. Viris dicere *vere* conceditur. Quoniam Adam virorum dux, non eſt ſeductus mēdacio ali- *Pſal.* 61. quo; tametſi ob peccatū ſpontè actum, mendaces filij hominum in ſtateris ſuis feratur,

Nam & Galilæus es. Differebant enim *Galilæi* à cæteris, non tàm habitu, quàm ſermonis pronuntiatione. Vnde dictum eſt illi: Nam & loquela tua manifeſtum te *Matth.* 26. facit. Ergo *Galilæus* ex illis *es*, illatio profecto falſa erat, neque enim omnes Galilæi ex diſcipulis Chriſti erant. Neque omnes non Galilæi à Chriſti diſcipulatu aberant. Itaque ignorantium more verum dicunt; ſed inſipienter inferunt. Fortaſſis ſapienter quoad myſterium, quod Spiritus ſanctus etiam per malos, facta, & dicta eorum, vt per Balaam, & alios ſæpe intendit. Eſt quidē *Galilæus* Syriacum nomen quod Hieronymus interpretatur volubilis *Hieron.* à verbo גלל galal, quod eſt, voluere, reuoluere, & circuire. Vnde & cælum à volubilitate dixere גלגל & גלגל gilgal, & galgal,

Quare

Galilæus interpretatur cælum. Quare & *Galilæum* cælum, & ſpheram per metonimiam interpretari poſſumus, & debemus, vt nucleum, qui ſub cortice verborum latet, enucleemus. Etenim *Galilæus es*, ergo ex diſcipulis Ieſu, nihil certius, nihil verius, ſi *Galilæum* volubile cælum, ſpheramque volatilem, atque rotam exponamus. Nam qui diſcipulus Chriſti eſt nihil commune habet cum mundo (quia ego, Ioann. 15. inquit, vos elegi de mundo) quæ mūdi ſunt non ſectatur, quia niſi quis renunciauerit Luc. 14. omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus; tantum illi conceditur Deus. Ioann. 15. Quia ſicut palmes non poteſt habere vitam in ſemetipſo, niſi manſerit in vite; ita nec vos, niſi in me manſeritis. Conſequentet quæ ſurſum ſunt in cælis, licet diſcipulo ambire, eoq. clamare: Pater noſter qui es Matth. 6. in cælis ſanctificetur nomen tuum adueniat regnum tuum. Quod non eſt de hoc mūdo, ſed in altiſſimis principatur. Vnde Apoſtolus: Noſtra conuerſatio in cælis eſt, noſq. Phil. 3. Pſal. 18. pariter cæleſtes, & cæli, qui enarrant gloriam Dei. Atqui hunc quis negabit diſcipulū Chriſti? Profecto omnis qui ſic *Galilæus* erit, ex neceſſitate conſequētiæ, & conſequentis inferetur ex illis Diſcipulis, qui Ieſu doctrinam, & mores complectuntur.

CAPVT LXXI.

Ille autem cœpit anathematizare, et iurare: quia neſcio hominē iſtum, quem dicitis.

Expoſitio. ILle autem cernens iam non mulieres contendere ſecum, ſed viros, magis timuit, ſibique imminere mortem putauit, niſi negationem anathemate, & iuramento credibilem faceret. *Cœpit* ergo, vt cogitauit *anathematizare* ſeipſum, & maledicere ſi vnquam ſocietati illorum coniunctus fuiſſet; inſuper *iurare* per Deum viuentem; *quia neſcio*, inquit, *hominem* exoſum vobis, atque Principibus, nec *iſtum* noui ex nomine, aut familiaritate, *quem* vos *dicitis* Ieſum Nazarenum, tenetiſq. captum.

Ille autem cœpit anathematizare. ἀναθεματίζω Græcum verbum, idem eſt, quod execror, deteſtor, etiam deuoueo. Vnde & ſacri homines, atque donaria Deo ex voto dicata anathemata dici conſueuerunt, necnon execrata, & maledicta. Vnde apud Iuſt. Mart. Iuſtinum Martyr. lib. q. & reſp. quęſt. 121. legimus: Anathema id dicitur quod Deo eſt dedicatum, atque deſtinatum, & in communem vſum amplius non conuertitur, aut, quod à Deo per malitiam eſt abalienatum, iuxtà illud Pauli: Si quis non amat Domi- 1. Cor. 16. num Ieſum Chriſtum, is anathema ſit. Hoc Chryſoſt. eſt, exponit Chryſoſt. hom. 16. ad Rom. ab omnium commercio ſegregatus, alienus ab omnibus ſit. Nam quemadmodum anathema donum quod Deo oblatum dedicatur, nemo eſt qui manibus temerè conſtringere audeat, neque ad id propríus accedere, ſic & eum, qui ab Eccleſia ſeparatur, ab omnibus abſcindens, ac tanquam longiſſimè abductus, hoc nomine à contrario, ſcilicet, appellatur, magno cum, tremore omnibus interminatum, ab eo, vt ſeperarentur; ac pedem referant. Anathemati enim honoris gratia appropinquare nemo audebat; ab eo autem, qui ab Eccleſia abſciſſus erat, ex oppoſita omnes ſentētia ſeparabantur. In hunc modum Petrus cœpit *anathematizare*, hoc eſt execrare ſeipſum, deteſtari, & excommunicare, ac dicere: Veniat ſuper me omnis maledictio, ſiamque iam iam alienus à fratribus, & ab Eccleſia, immo verò à Deo, ſi quid mihi aliquando commercij fuit cum homine iſto. Itaque maledictum factus pro nobis maledictum Gal. 3. Chriſtus abſtulit, dicente Zacharia: Et ha- Zachar. 14 bitabunt in ea, & anathema non erit amplius; ſed ſedebit Ieruſalem ſecura. Veruntamen etſi pro nobis Chriſtus abunde ſatisfecerit, & abſtulerit omnem maledictionem, quæ animas grauabat, aduocat maledictum, & quidem grauius ſuſtinet Chriſtus, quam Iudæus, aut Gentilis. Quia ſeruus ſciens voluntatem Domini ſui, & non Luc. 12. faciens, vapulabit plagis multis. Duo in præſenti facto libet aduertere primum eſt anathematizationem ſequi negationem, alterum verò tunc cœptam ferri, quando ter Petrus abnegaſſet. Vt qui alios anathematis gladio & excommunicationis mucrone ferire debebat, vtpotè Hæreticos, & inobedientes; ſciret cauſam quæ digna eſt anathemate, eſſe, inquam, peccatum mortale; nec qualecunque; ſed grauiſſimum, quod plures ſcandalizat. Annotaret inſuper, & tempus pronunciandi excōmunicationem, non eſſe illico poſt commiſſum peccatum, ſed iterū, atque iterum, & tertio expectare. Atquè hinc trina monitio, quæ in pronuntiandis eiuſmodi cenſuris ſolet obſeruari.

Et iurare. An per Deum, vel per creaturam, non exprimitur; quocunque tamen modo *iurauerit*, minime à peccato excuſatur. Prohibuerat iam Chriſtus per cælum, aut terram; quibus omnis creatura comprehenditur, vllo modo *iurare*. Quemadmodum & Pius Papa I. 21. quæſt. 1. Si quis Matth. 5. voluit nouo ſtatuto ab omnibus obſeruari. Per Deum iurare, lex, quæ iuramentum in Pius Papa. iuſtitia, iudicio, & veritate tantum admittit; multo minus licebat Petro. Quare quocunque modo *iurauerit* periurus fuit. Sciens enim nequiter iurauit, ferens in teſtimonium mendacij Deum, alioqui veriſſimum, aut creaturam, quæ creatoris firmitatem, & veritatem repreſentat. Quid adhuc ò Petre? vide quàm malum, & amarum eſt, te ſemel negaſſe.

Quia neſcio hominem iſtum, quem dicitis. Manife-

Arias Mõtanus. Manifeſtum profecto mendacium (ait Arias Montanus) & quod redargui poſſet, à circumſtantibus nimirum; ſed adeo ignorantem affirmare, vt hominem illum neſciret, qui nulli in Iudæa, & Galilæa non eſſet, vel facie, vel fama notus. Deinde poterat rogari, quid igitur tibi rei eſt hic, homini tàm ignaro eius negotij, quod

Zach. Chr. ſic agitur. Ecce (proſequitur Zacharias Chryſopolitanus lib. 4. cap. 163.) Completa eſt prædictio Chriſti, & conuicta præſumptio Petri. Primo, ait, neſcio quid dicis: Secundo cum iuramento negat, tertio cœpit deteſtari, & iurare, quia non noui hominem. Quoniam perſeuerare in peccato dat incrementum ſcelerum, & qui minima ſpernit, in maiora corruit. Ego quidem hoc reputo maius, quaſi per contemptum *hominem iſtum*, vt Pilatus fecit atque alij hoſtes, Chriſtum appellare: videbatur enim iam ob peccatum, quod grauat, excæcat, & maculat totum hominem, dedignari ſuo nomine, Ieſum ſaltem proferre. Duo quidem genera abundant in peccatis, & tertium adducit iram, & perditionem. Tertium dico contemptum; duo priora mihi videntur negatio, & deieratio. Abundant quidem iſta in peccatis hominum, qui facillimè ſe à Deo auertunt, factis negando eum patrem, Deum, & conditorem. Factaque multis periurijs, ac propoſitis peſſimis confirmant. Contemnere vero adducit interitum, & plagam inimici, à qua nemo ſurgit, niſi omnipotentis dextera ſubleuetur. Quoniam in profundũ receſſit aquarum multarũ, vnde clamat obrutus: Mitte manum de alto, & eripe

Pſal. 143. me de aquis multis, à quibus, & Petrum miſericors Dei manus eduxit, quia voluit eũ,

CAPVT LXXII.

Et ſtatim gallus iterum cantauit, & recordatus eſt Petrus verbi, quod dixerat ei Ieſus: Priuſquam gallus cantet bis, ter me negabis; & cœpit flere.

Expoſitio. ET ſtatim, vt omnem negationem impleuit Petrus, *gallus iterum* perſtrepere cœpit, & ſolito vehemẽtius *cantauit*, vt eũ, qui perditioni proximus erat, excitaret à ſomno maligno. Et quidẽ intonante etiam de cælo omnipotente factum eſt. Nam ad gallicinium *recordatus eſt Petrus* tùm negationis ſuæ, tùm *verbi* prophetici, *quod* prædixerat *ei Ieſus* Prophetarum eximius, atque auctor. *Dixerat* enim *ei*: tu qui tàm arroganter de fidelitate, & conſtantia iactas, depone clamationem. Nam *priuſquã* vocẽ emittat *gallus*, & *cantet* pro more *bis* ſuum gallicinĩũ, *ter*, non coactus, neque perſuaſus, *me negabis*. Hæc in memoriã reuocauit Petrus audiens ſecundũ galli cantum, & *cœpit*, tum amariſſimè *flere*, & pœnitere omniũ, quæ toto illo decurſu inſipiẽter egiſſet.

Et ſtatim gallus iterum cantauit. Poſt vltimam negationẽ *gallus* cantat, & poſt primam. Nec ſine cauſa duplex ſignum datur Petro. Primum quo agnoſcat ſeipſum in tenebris ignorantiæ verſari, atque erroris; ſecundũ vt aduertat lucẽ adeſſe, & illuceſcere ſibi diem ſalutis, ſi velit oculos aperire. Primo enim galli cantu viget obſcuritas noctis: Secundo autem diei crepuſculum videtur imminere, atque diluculum. Itaque primo cantu ad memoriã peccati vocamur, ſecundo autem ad ſpem veniæ, & miſericordiam clementiſſimi Dei.

Et recordatus eſt Petrus verbi, quod dixerat ei Ieſus. Recordatus eſt, quia Chriſtus erat Deus, quem negauerat. Dei enim eſt, ventura annuntiare ex ſeipſo. Annuntians, *Iſai. 46.* inquit, ab exordio nouiſſimum, & ab initio quæ nec dum facta ſunt dicens. Inde incidit ad confeſſionẽ, quam de eo paucis ante diebus fecerat: Tu es Chriſtus filius Dei viui. *Matth. 16.* Demum cœpit peccati ſcelus, & grauitatẽ perpendere, & qualitatẽ pœnæ, quã præmeruiſſet. Tum maximè inimicitiã, quam incurriſſet, ac in ſemetipſo dicere: Quoniam *Pſal. 37.* iniquitates meæ ſupergreſſæ sũt caput meũ, & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me. Putruerũt, & corruptæ ſunt cicatrices meæ à facie inſipientiæ meæ. Peccatum meũ con- *Pſal. 50.* tra me eſt ſemper, tibi ſoli peccaui, & malũ contra me feci, vt iuſtificeris in ſermonibus tuis. Quibus mihi priuatũ in Eccleſia promiſiſti, te mihi apud patrem obtuliſti oratorem, & bonum omne, ac gaudium, parce, ne memineris iniquitatis meæ; ac ſimilibus vtens prouocatus recordatione oraculi, pœnitentiam inchoabat.

Priuſquam gallus cantet bis, ter me negabis. Repetuntur verba eadẽ, quod totius iuſtitiæ, & pœnitentiæ, atque fletus Petri cauſa extiterint. Nihil enim magis ad pœnitentiã inducit, & nouã vitã, quã recordari oraculorũ Dei. Illuminãt n. oculos; quia lucerna pe- *Pſal. 118.* dibus meis verbũ tuum. Inflammant affectũ, quia ignitum eloquium tuum vehementer. Innouãt tandẽ totum hominẽ, quia eloquia *Pſal. 11.* Dñi, eloquia caſta, argentũ igne examinatũ, probatum terræ, purgatum ſeptuplum.

Et cœpit flere. Quia ſe longe à Deo factũ agnouit, vnde flens eructabat. Fuerunt mihi lacrymæ meæ, panes die ac nocte, dũ dicitur *Pſal. 41.* mihi quotidie, vbi eſt Deus tuus? Hæc recordatus ſum; & effudi in me animã meã. Aduertat igitur æmulator Petri fletum eius, vt ſi negatorẽ deteſtatur, pœnitentẽ admirẽtur. Et qui negationẽ Petri non refugit peccãdo ſed ſperat, diligenter perpendat fletũ, vt quẽ ſociũ in peccatis habere gaudet, ſequatur pœnitentẽ. Quia pœnitentia regnũ cælorũ largitur, ad quod nos perducat. Qui viuis & regnas in perpetuum.

IN SA-

IN SACROSANCTVM CHRISTI EVANGELIVM SECVNDVM MARCVM

LIBER DECIMVSQVNITVS.

IN CAPVT DECIMVMQVINTVM

PRAEFATIO.

PROSEQVITVR Euangeliſta Chriſti paſsionem, vſq. ad mortem, & ſepulturam præſenti in capite. Habito enim ſummo mane concilio apud Caipham, ſtatuunt hoſtes tradere Chriſtũ Pilato, qui tametſi ex interrogationibus ad eum factis, & ex his quæ aduerſus eum ferebãtur, inſontem iudicaret, & laboraſſet dimitti, nunc donãs aduerſarÿs Barrabam, & nunc eius innocentiam publicè prædicãs, demum ſoluto Barraba ſeditioſo, & homicida, Ieſum vitæ auctorem morti tradidit. Quapropter miniſtri, accepta in eum agendi libertate. Primum multis affecerunt ignominÿs, & plagis. Poſtea educunt eum cruce ad golgotha ſupplicÿ locum; porrò crucifigunt, illuduntque multipliciter, quandoq. verbis, & aliquando factis, ſed & qui preteribant illac, blaſphemabant eum, & Sacerdotes, ac Scribæ cachinnabantur, quid? Etiam latrones, qui cum eo crucifixi erant, conuiciabantur ei. Denique à ſexta ad nonã factis per orbẽ tenebris, exclamauit Chriſtus de cruce ad patrem: Deus Deus meus. Verũ cùm putarent adſtantes vocari Eliam, cœperunt nouo irriſionũ genere, illum ſugillare. Chriſtus autem in his ſpiritum emiſit, non abſque terrore omnium. Quamobrem Centurio protinus, illum confeſſus eſt Dei filium. Facto demum ſero, Ioſeph ab Arimathea, accepta à Pilato licentia, depoſuit corpus de cruce, & ſepulchro glorioſo illud tradidit. Id quod mulieres, quæ viuentem in carne ſolitæ erant ſequi, attentè aduerterũt, vt opportuno tempore pietatem, quæ mortuis debetur, cum eo exercerent. Itaque huius capitis integra narratio tria continet. Primum quid cum Chriſto actum ſit intra Pilati ædes. Secundum quid reliqui impÿſsimi in Chriſtum fabricarunt data aduerſus iuſtum, mortis ſententia. Tertium quid animi pÿ officium impenderunt mortuo. Hæc nos ſolito percurramus more.

CAPVT PRIMVM.

Et confeſtim manè conſilium facientes ſummi Sacerdotes cum Senioribus, & Scribis, & vniuerſo concilio, vincientes Ieſum, duxerunt, & tradiderunt Pilato.

HAbentes itaque Chriſtum penes ſe Iudæi, vt diù concupierant, *confeſtim* in domo Caiphæ, ſummo *mane conſilium* in vnum *facientes*, qui aduerſus Regem, & dominum conſpirarant, vtpotè *ſummi Sacerdotes*, qui relictis ſacris præter profanũ, nihil aliud agebant, & erant & hi *cum Senioribus* dierum malorum, & operum, & cum *Scribis* mendoſis, ex totoque ignaris, & cum denique *vniuerſo concilio*, quod ſenadrim ex ſeptuaginta duobus ſapientibus conſtans dicebatur. Inſimul hi congregati, de communi concilio, *vincientes* durioribus vinculis *Ieſum*, ne poſſet facilè, vel tolli, vel fugere, *duxerunt* illi ipſi manu militari ſtipati, ne quid in eos à ſtudioſis moliretur; demumque *tradiderunt* gentili Præſidi, vtpotè *Pilato*, vt in eum quàm citius, quàmque acerbius animaduerteret. Expoſitio.

Et confeſtim. Quia veloces ad effundendum ſanguinem innoxium; ac velociores *Iſai. 59.*
aquilis, vt cum Ieremia loquar; iam enim *Ier. 4.*
in patribus dixerant: Super veloces aſcendemus; & quid veloces? qui ad malum compellunt currere, error, ignorantia, & malitia. Hæc enim præcipitoſum facit ho- Cauſa mali.
minem iracundum; quid ira in ſinu ſtulti requieſcit. Illa verò velocem efficit, ad *Eccl. 5*
proferendum ſermonem, & ad currendum in malum. Propterea orat Pſaltes: Boni- *Pſal. 118*
tatem, & diſciplinam, & ſcientiam doce me. Bonitatem, ne maligner; diſciplinam, ne errem; & ſcientiam, ne ignorem. *Manè concilium facientes*. Vbi *concilium* habuerint non exprimitur, creditur, vt plurimum domi Caiphæ habitum: Nonnulli ta- Locus concilij.
men placet, in loco deputato, circa templũ;

quo

quo Iudas argenteos proiecit, cùm nollent, qui adhuc erant congregati iuxtà templum, precium ſanguinis recipere. Dicitur autem *mane* factum, hoc eſt, appropinquante diluculo. Nocte enim (ait Arias Montanus) non omnium *concilium* conuenerat; ſed quidam ex illis, cum miniſtrorum cohortibus, cuſtodiæ ipſius præerant. *Manè* autem magno ſtudio, & appetitu ipſum damnandi *concilium* coactum, *conciliumque* initum eſt. Damnatus verò fuit omnium ſententia, vinctus, & illuſus, & traditus Pilato, quapropter per præoccupationem ſcribi ſententiam omnium: Reus eſt mortis, actum Caiphæ, & ſimilia volunt plerique. Illi potiſſimum, qui volunt cum Ioann. Petrum negationes ſuas, & inchoaſſe in domo Annæ, & compleſſe. De quibus vide Matth. expoſit. faciunt autem *manè concilium*, quando Lucifer oriebatur, quia cæptum eius proſequebantur, vtpotè bellum, quod in cælo factum eſt inter Michaelem, & Draconem ſuper primogenito, quem introduxit Deus iterum in orbem terrarum, & dixit. Adorent eum omnes Angeli eius. Ac proinde illos eſſe, qui ſurgebant manè, ad ſectandam ebrietatem, lupos rapaces, qui *manè* comedunt prædam, necnon aſinam Balam, quæ cum Domino ſuo ſurgit *mane* ad maledicendum. Propter quod Deus, ò Hebræe, numerauit *mane* iſto Regnum tuum vt transferatur, & detur meliori te, & oſtendat quid ad ſe pertineant. Ad te autem *manè* loquetur iudicium, & perditionem; *aliis* ſemen tuum florebit; quaſi lumen erumpet iuſtitia; tu denique ingrata gens, *manè* ſicut herba tranſies, & vſque ad veſperam ſucciderís; illum autem quem ſibi elegit, adiuuabit Deus *manè* diluculo, vt ſit illi brachium in *mane*, & ſalus in tempore tribulationis; ſed audi tempus Regis noſtri: Cœperunt Principes furere à vino, ait veſter Propheta; extendit manum ſuam cum illuſoribus. Quia applicauerunt quaſi clibanum cor ſuum cùm inſidiaretur eis: tota nocte dormiuit coquens eos, manè ipſe ſuccenſus quaſi ignis flammæ. Quis ipſe? profectò Deus, qui ad iram ſuccenſus, velut ignis ſtipulam deuorauit populum olim electum, nunc autem homicidam, & reprobum. Nam eius Princeps à vino iræ, & malitiæ, furere aduerſus ſanctum cœperunt, & populus demum manũ ſuam, atque animum extendit contra hæredem, cum illuſoribus, qui tragediam miſerabilem acceperant. Quia omnes tàm rectores, quàm vulgus ſtatuerunt cor ſuum velut clibanum accendere malitia, & odio, tum potiſſimum quando Deus ipſe inſidiaretur eis, hoc eſt, curaret modis omnibus miſeros liberare. Tota quidem nocte, hoc eſt, toto peccati tempore ab Adam, vſque ad Ioannem; dormiuit coquens eos, hoc eſt, non viſus, neç vix agnitus, ſed abſconditus Deus, vt dormiens, diſpoſuit tot, tantiſque figuris, & enigmatibus, atque lege, vt reciperent diſciplinam. Quando ergo eos oportebat *manè* hæredem ſuſcipere. *Concilium* habent aduerſus eum, & rebellant. Propterea & hoc *mane*, ait Deus ipſe, quaſi ſuccenſus ignis flammæ incipiam iraſci, & non perficiã donec faciam conſumationem. Igitur qui tantam perniciem ab vno *mane* incauto proueniſſe Iudæis prædicamus, caueamus, tàm infauſtum *mane*, bonum autem eligamus continuò quale proponunt oracula. Manè vigilabo ad te, ſcilicet, Deum, manè ſurgamus ad vineas, ſcilicet, cæleſtiũ ſpeculationem, manè ſemina ſemen tuum, ſcilicet, bonum opus. Quia qui manè ſic vigilauerint ad me inuenient me, ait Deus.

Arias Montanus. — *Apoc.* 12 — *Hebr.* 1. — *Gen* 49. — *Num* 22. — *Dan.* 7 — *Num.* 10 — *Ezech.* 24. — *Iſai.* 17. — *Idem.* 58. — *Pſal.* 45. — *Iſai* 33. — *Oſea* 7.

Conſumata Iudæorũ malitia Deũ excitauit ad vindictam. — *Cant.* 7. — *Eccl.* 11. — *Prou.* 8

Summi Sacerdotes cũ Senioribus, et Scribis & vniuerſo Concilio. Hoc vniuerſum *Concilium* ſeptuaginta duo, qui erant de illo ſupremo Senatu, quem diximus Senadrim vocari ſolitum, à quibus diffinitio robur habebat. Etenim hi poſtquam ſcribæ ſententiam pro more ſcripturis probarunt, coram toto Senatu, Seniores allegarunt damna, quæ imminebant toti Reipublicæ, ſi Chriſtus ſuperuiueret: Necnon Sacerdotes dixerunt, ex toto ſacrum diminui cultum, & miniſtros duci inglorios, ob vnius vitam, poſteaquã ergo ſic vniuerſi dixerunt, ſtatuerunt illi proceres Synagogæ acquieſcendum fore votis omnium; tùm maximè quod non tàm teſtibus, quàm proprio ore cauſam mortis dignam protuliſſet Chriſtus, propter quam morti eum tradi oporteret. Propterea orat tunc latenter: confortati ſunt, qui perſecuti ſunt me inimici mei iniuſtè: quæ non rapui, tunc exoluebam. Illi quidem rapuerant, quæ obijciebant Chriſto, extollentiam, cultum Dei, honorem, & ſimilia; quæ ad vindictam prouocant; exoluit autem Chriſtus patienter ferens mala, nec ſolùm exoluit, ſed reſtituit omnia ſicut antiquitus, ac multo amplius ſacerdotium, cultum, honorem, & bona reliqua meliorauit, magnificauit, & ampliauit. Ergo (concludit Iſaias) in Domino dicet meæ ſunt iuſtitiæ, & imperium: ad eum venient, & confundentur omnes, qui repugnant ei. Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet.

Concilium ſeptuaginta duorum Senadrim. — Crimina cõficta in Chriſtum. — *Pſal.* 78. — *Iſai.* 45. — *Iſai* 46.

Vincientes Ieſum. Vinxerant iam in horto, quando comprehenderunt eum, durius adhuc Annas ligari præcepit, & ſic ligatum tranſmiſit ad Caipham generum, qui cum Concilio duplicauit vincula, non ſolũ vt morem, quem Bedæ Gloſſa refert, fuiſſe Iudæis vinctũ tradi reum, quam vt maligni animi, qui continuò crudeſcit, & ſæuit conditionem obſeruaret; ſed nouit benè iuſtus hic noſter iumentorum ſuorum animas, ſcitque benè, & diſcit ex his, quæ paſſus, qualiter

Beda. — *Prou.* 12.

qualiter viſcera impiorum horum ſint crudelia. Propterea caſtigatione crudeli percutientur, & ipſi. An non iam percuſſi, dureque ligati, & vincti in mendicitate, & ferro, ducti ſunt ad triumphum Titi, & Veſpeſiani. Quemadmodum ſcribit Ioſephus de bello Iudaico, & teſtatur arcus triumphalis, qui ſub Capitolio Romæ inuiſitur. *Ioſeph.*

Duxerunt, & tradiderunt Pilato. Qui erat Præſes, Romanum gerens pro Cæſare Imperium, eo loci; adducitur ad hunc vinctus, vt Iudæis ab hinc infirmus, à quibus malignè vinctus fuerat; Gentilibus autem, à quibus ſoluendus erat, licet ad ſuſcipienda duriora ſupplicia flagelli, & crucis, validus & robuſtus. Subinde Iudæi nunc tumultuãt. *Ierem. 8.* Expectauimus pacem; & non erat bonũ, tempus medelæ, & ecce formido. Gentes autem ſuper omnia adorant Deum, qui dedit *Hieron. Gloſſ.* eis Saluatorem, & liberatorem. Vnde Hieronym. Gloſſ. ord. Adeſt Sanſon vinctus à Dalila. Samſon interpretatur ſol eorum, quibus occubuit ſol in Meridie. Dalila *Iud. 16* ſitula interpretatur, ideſt, Synagoga, quæ *Iud 15* ſitulæ more limpidum liquorem non tenet, & quiſquilias immũdas colligit. Samſon noſter, maxilla verbi ſui innumeras cateruas Iudæorum, & dæmonum hic ſternit, & fontẽ perennis vitæ ſitientibus nobis, ideſt, corpori ſuo aperit. Erat tunc Pilatus in Prætorio, hoc eſt, in loco deputato ad Prætoria exercitia, quæ iudicis ſunt, exercenda, quo non introierunt Iudei, vt non contamina- *Mich. 3.* rentur, ſed manducarent Paſcha, velut mundi, & immunes à peccato. Cùm tamen ædificarent Sion in ſanguinibus, & Ieruſalem in iniquitate, quam adhuc non potuerunt expiare.

Tradunt denique Chriſtum Pilato. Vt iam nihil ad ſe pertinere Chriſtum, ſed ad gentes, quorum caput Chriſtus conſtitutus eſt. Ipſe autem Hebræus Populus direptus, & vaſtatus. Nec eſt qui ſuſtentet eum, ex omnibus filijs, quos genuit; & non eſt qui apprehendat manum eius, ex omnibus filijs quos enutriuit. Illi ſunt poſteritas Iudæorum, qui nihil poſſunt prorſus; hos verò cõtemplor Chriſtianos, qui ex Iudæis velut filij enutriti, ex bonis parentum habent bona, quæ ſalutem conſiliant, parum tamen ſalutis ſpiritualis Iudæorum curant, quinimò ſæpius auerſantur. Vnde Paulus: Noli *Rom. 15.* gloriari aduerſus ramos. Quod ſi gloriaris non radicem portas, ſed radix te. Dicis ergo fracti ſunt rami, vt ego inſerar. Benè propter incredulitatem fracti ſunt, tu autem fide ſtas, noli altum ſapere, ſed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè, nec tibi parcat.

CAPVT SECVNDVM.

Et interrogauit eum Pilatus, Tu es Rex Iudæorum? At ille reſpondens, ait illi: Tu dicis.

VT adduxerunt vinctum, qui omnium libertas erat futurus, *interrogauit* ſeorſum *eum Pilatus*, ſedens pro Tribunali in prætorio; inter multa autem, quæ ab illo quæſiuit, fuit de Principatu, & Regno: Dixit enim illi. Tunc qui videris abiectùs *es Rex* ille *Iudæorum*, quem veſtra oracula prænunciant, & expectat tota natio? *At ille* non ſe negat, nec abſcondit præſidio Regio, & Imperatorio, vt qui ſuperior, quinimò vultu demiſſo in Regium mutatus *reſpondens* abſque pauore, *ait illi. Tu* quidem *dicis*, & compelleris ſic dicere: Quia Rex ſum ego. *Expoſitio.*

Et interrogauit eum Pilatus. Antequam in multis eum accuſauerant, productis teſtibus, quorũ teſtificationes eũm nihil apud Iudicem videbantur prodeſſe; obiecerunt crimen læſæ maieſtatis, quòd ſe Regem faceret: quapropter omiſſis alijs quæſitis, ſingulatim *interrogauit* eum: ſi Rex Iudæorum eſſet. *Interrogauit* Chriſtum *Pilatus*, vt Iudicem æquum ſe oſtenderet. Is enim non credit teſtibus facilè, quia qui citò credit leuis eſt corde; ſed iuxtà allegata interrogat, vt ex reſponſis, ac modo reſpondendi, facti veritatem, atque teſtium elucidet. Inde ſapiens: Aperi os tuum muto, & cauſis omnium filiorum, qui pertranſeunt: aperi os tuum, diſcerne, quod iuſtum eſt, & iudica inopem, & pauperem. Mutus & tacens in iudicio eſt pauper, & inops, quem diuites, & potentes expugnãt, cui os aperitur, quando placidè, & benignè à Iudice interrogatur de veritate facti, de quo inſimulatur à falſiloquo. Sicque agendum fore in omnibus cauſis, quæ inter mortales tractantur, docet ſequenti ſententia. Pro qua 70. habent ϰ̀ κρῖνε δικαίως ὑχᾶς & iudica omnes ſanè. Quod facit aperiens os ſuum, poſtquam decernit auditis omnibus, quod iuſtũ eſt, iuxtà quod profert ſententiã pro paupere, qui iniuriam patitur, non reuerens, neque timens perſonã potentioris. In hoc defecit Pilatus; Tametſi benè cœpiſſet, vt adhuc noſtrorum plerique factitant, qui initio optimi iudicis vices gerunt, demum peruertunt iudicium, timore potentiũ fracti, aut corrupti amore ſui, vel pecuniæ cui omnia obediunt. *Eccl. 19.* *Quomodo Iudex inueſtiget veritatem cauſæ. Prou 30.*

Tu es Rex Iudæorum? Aliter quæſierat Caiphas, videlicet. *Tu es Chriſtus filius Dei benedicti?* Iudæus de Chriſto, Gentilis de Rege interrogat. Non quod re vera non idem eſſet *Rex*, & *Chriſtus*, ſiquidem *Chriſtus* vnctus, *Regem* autem vngi conſuetum

erat; ſed vt interrogatione inſinuaretur egeſtas, quam quilibet populus patiebatur, & auxilium, quo poterat reparari. Gentilis, quem ſignat Pilatus, erat indomitus, effrenatusque ad vniuerſa vitia, & rebellis *Regi Regum*, nec alio quàm eodem poterat dominari, & ſubijci Onager aſſuetus in ſolitudine. Quia *Rex* ſapiens populi ſtabilimentum. Et quis iſte, niſi qui eſt vnus modo omnibus imperans Chriſtus: *Rex* magnus ſuper omnes Deos, & *Rex* fortis qui dominatur, & dominabitur eorum in perpetuum. Huius itaque neceſſitatem inſinuat Pilati interrogatio. Iudæi verò eum interrogant per Caipham. *Tu es Chriſtus*, ideſt, vnctus, ſe innuctos adipe, & pinguedine ſpiritus denotant, quia terra, terra, terra vt exclamabat eorum Propheta vnus, & alius, verè fœnum eſt populus exiccatum eſt fœnum, & cecidit flos. Nec poterat aliter quàm ſpiritus vnctione per Chriſtum reſtaurari, viuificari, & florere.

Pſal. 94.

Iſai. 40.

At ille reſpondens, ait illi. Libet ſuper participium *reſpondens* philoſophari. Etenim *reſpondens* eſt continuò dicens, *reſpondens* ergo dicere ſe eſſe Regem, eſt indicare ſe Regem ab initio eſſe. Vnde natum quærentes Magi dixere: Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? & Pſaltes; ſedebit Dominus Rex in æternum. Et vbi ſedit Dominus primò, niſi in vtero matris? Antea enim; cælum & terram ego impleo dicit Dominus, factus vero homo cantari cœpit: Deus ſedet ſuper ſedem ſanctam ſuam, ſuper thronum, & ſolium Dauid. Hoc eſt, in humanitate, vt in ſede ſedit, qui nulli alteri heret; vniturnè hypoſtaticè. Igitur, quia ab initio Rex, eſt *reſpondens*, quia Rex ſum, vel vt habet textus.

Matth. 2.
Pſal. 28.
Ier. 23.
Pſal. 46.

Tu dicis. Videlicet me Regem eſſe. Quare Pilato vult, & quæſitum, & ſolutionem tribui, non ſibi; ne quid arrogantiæ ſibi apud imperitos, & maliuolos videretur tribui. Etiam vt Populus Gentilis, qui venientem ad mundum Regem fuerat confeſſus in Magis; ita in Pilato Regem confiteretur è mundo ad patrem proficiſcentem, in ſignum confeſſionis perpetuæ, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris, quæ apud nos Gentiles, vſque in finem conſeruabitur in terris, & electo, ac meliori labio in cælis intonabitur æternis temporibus. Hinc Hilarius apud Zachar. Chryſopolit. lib. 4. cap. 167. Nota Dominum Sacerdoti quærenti. An ipſe Chriſtus eſſet reſpondit tanquam de præteritis, *Tu dixiſti*, quia ſemper ex lege venturum Chriſtum ipſe *dixiſſet*. Pilato autem legis ignaro interroganti: An ipſe eſſet Rex Iudæorum, dicitur *tu dicis*, quia per fidem præſentis confeſſionis ſalus eſt gentium.

Philip. 2.

Hilarius Zach. Chr.

CAPVT TERTIVM.

Et accuſabant eum ſummi Sacerdotes in multis.

Expoſitio.

Videntes itaque æmuli Chriſtum familiariter interrogari eiuſque reſponſa gratiſſimè accipi à Pilato ſuſpicari cœperunt velle Pilatum Chriſto ſuffragari. Ergo vt crimen augerent, & criminoſum apud Iudicem magis Chriſtum redderent, *accuſabant* vehementer *eum*, non iam vulgares, & conductitij homines, ſed iidem *ſummi Sacerdotes*, non potentes malitiam celare, *in multis* & quidem omni ex parte falſiſſimis, deferebant inſontem, vt populo eſſet pernicioſus, imperio inutilis, apud Deum blaſphemus, apud homines ſeditioſus, non obſeruans ſedem, ſed deſtruens, nullum honorans, ſed cunctis detrahens ſermonibus, atque factis, quod antiqua iura diſſolueret; nihilo duceret traditiones, vt nouam ſectam diſſeminaret. atque in alijs pluribus inſtanter *accuſabant eum*.

Et accuſabant eum. Cum ſcilicet, ad prætoriũ Pilati introiſſet, vbi & mutiret. Quando verò ille, vt iudices interrogabat, quis ex vobis arguit me de peccato, nemo habuit quicquã de eo dicere? Geſſit quidem ſtatũ ſui iudicij ſupremi, & clari, in quo nemo quid poterit in Deum proferre, ſed in ſemetipſum; dicentes qui modo in multis Deum incuſant, vel quod non dederit, quæ ſanctis, vel quod ſubtraxerit, quæ videbantur habere, ergo errauimus. Quod mox ad Pilati prætorium *accuſent eum*, tùm poſteritatis ſuæ, tùm quoque paganiſmi typum gerunt, qui, quod Chriſtus in prætorio ſæculari, & apud Iudicẽ ſæcularẽ cauſam videatur dixiſſe; non ceſſant Chriſtum accuſarẽ hominẽ communẽ, quin reliquis deteriorẽ, vtpotè reum, qui innumeris accuſationibus non valẽs ſatisfacere, cruci adiudicatus fuerit ignominiosè. Sic Porphirius, & Iulianus Apoſtata, ſic & Paganus ſæpè, ac ſæpius multo, imò verò continuò Iudæus Chriſto noſtro improperat. Attamen reminiſcentur demum, & conuertentur ad Dominũ omnes fines terræ. Et adorabunt in conſpectu eius vniuerſæ familiæ gentium, quoniã Domini eſt Regnum, & ipſe dominabitur gentium.

Ioann. 8.

Pſal. 21.

Summi Sacerdotes. Summi ſummum imperium, & *Sacerdotes* ſacerdotem magnum Ieſum. Quoniam dicebat illis: Vos de deorſum eſtis, ego de ſupernis ſum. Vos de mundo hoc eſtis. Ego non ſum de hoc mundo. Sed ecce vos eſtis ex nihilo, & opus veſtrum ex eo, quod non eſt, abominatio eſt, qui elegit vos; vtpotè Diabolus, quia vos ex patre diabolo Ego autem exiui à Patre, quem vos dicitis: Deus noſter eſt, & ad patrem vado qui non abominatio eſt, ſed benedictio, qui me benedixit, ſanctificauit, & miſit in mundum,

Ioann. 8.

Iſai. 41.

Ioann. 8.

dum, vt teſtimonium perhibeam veritati, & glorificem eum, qui me miſit, vos autē inhonoraſtis me ò *Sacerdotes* Domini, agite; hæc eſt poteſtas veſtra tenebrarū. Tu autem Domine ſabbaoth qui iudicas iuſtè, & probas renes, & corda, videam vltionem tuam ex eis: tibi enim reuelaui cauſam meam. *Ier. 11.*

In multis. Quæ & qualia fuerint *multa* iſta, non ſcribitur, credi poteſt multo plura, quam per teſtes falsò inductos ſuperius fuiſſe propoſita. Quia os impiorum redundat malis, profert mēdacia abſque numero verſipellis, & cor inſipientiū prouocat continuò ſtultitiam; eamque multiplicat, vt iuſtum contriſtet. At non contriſtabit iuſtum, quicquid ei acciderit, impij autem implebuntur malo, quia in ſemita iuſtitiæ, vita, iter autem deuium, ducit ad mortem. *Prou. 15. Prou. 14. Prou. 12.*

CAPVT QVARTVM.

Pilatus autem rurſum interrogauit eum, dicens: Non reſpondes quicquam? Vide in quantis te accuſant.

Expoſitio. INſiſtentibus pertinaciter Sacerdotibus præſertim ſūmis, quorū vultū reuerebātur omnes, & multa obiectantibus, vt videretur *Pilatus* velle illis acquieſcere *rurſū*, aduocato proprius Ieſu, *interrogauit* de nonnullis quæ æmuli obtrectabant. Quibus cùm nihil reſponderet innocens, locutus eſt iterum illum *dicens*: *Non reſpondes* ſaltem mihi *quicquam*, qui poteſtatem habeo dimittere te, & opto? *Vide* quæſo *in quantis* criminibus iſti tui aduerſarij *te accuſant*, à quibus difficile mihi erit te liberare, niſi tu teipſum iuueris, & aliquam feras excuſationem. Ergo tuipſius miſerere, reſponde ſi quid habes, aut ſaltem conſtanter nega, dicitoque: Non feci, veri nihil habet, quod obijcitur; ne videaris tacendo, in omnibus conſentire.

Pilatus autem rurſum. Quanto *Pilatus* interrogabat Ieſum, & aduerſarij inſtabant, tanto cauſa Ieſu iuſtificabatur. Nam cuius crimen notum eſt, ſemelque confeſſum, & teſtibus comprobatum, non interrogatur amplius, ſed ſuper manifeſto caſu ſententia promulgatur. Quapropter & tu *Pilatus interrogans rurſum*, & qui interrogationes vrgetis, vos teſtes mei dicit Dominus. Teſtes dico iuſtitiæ meæ, & innocentiæ. Mementote iſtud, & confundamini, reuertimini præuaricatores ad cor. At miſeri omnes neſcierunt, neque intellexerunt, obliti enim ſunt, ne videant oculi eorum, & non intelligant corde ſuo. *Iſai. 43. Iſai. 46. Iſai. 44.*

Interrogauit eum dicens. Dicens quidem interrogat Pilatus verbo ſolo, eoque dulci, ſecus autem Iudæi crudeles: Contumelia, inquiunt, & tormento interrogemus eum; hoc eſt, iniurijs, & plagis percutiamus, vt ſciamus reuerentiam eius, & probemus patientiam illius, vel potius infamemus honorem eius propoſitis calumnijs, laboribus autem quot valeat ſuſtinere repleamus. Ideo conquæritur de Iudæis ſolis *dicens*: Facta eſt mihi hæreditas mea quaſi leo in ſylua; dedit contra me vocem. Ideo odiui eam. Nunquid auis diſcolor hæreditas mea mihi? Nunquid auis tincta per totum? Venite, congregamini omnes beſtię terræ, properate ad deuorandum. *Sap. 2. Ier. 12*

Non reſpondes quicquam? Non reſpondet aliquid, quod falſum ſeipſo corruat, & deſtruatur mendacium nullo impellente. Vana enim ſunt opera, & riſu digna, omnia verba mendacia. Vnde qui nititur mendacijs hic paſcit ventum, & qui congregat theſauros lingua mendacij, vanis, & excors eſt; vaſa vero peſſima, qui mendacijs vtuntur ad perdendos mites. Velut Iudæi qui ſolis his, velut ampullis, Chriſti fortiſſimam turrem diruere conabantur, ac propterea, nihil *reſpondet*. Et vt nos doceret eiuſmodi calumnias falſas, vel nihilo ducere, vel ad Deum, qui veritas eſt, miſericors, & iuſtus, vniuerſa falſiloqua remittere, illumq. animo exorare. Prætende miſericordiam tuam ſcientibus te; & iuſtitiam tuam his qui recto ſunt corde, non veniat mihi pes ſuperbiæ, & manus peccatoris non moueat me. *Prou. 10. Prou. 21. Pſal. 35.*

Vide in quantis te accuſant. Græca lectio habet, πόσα σου καταμαρτυροῦσι *quanta aduerſum te teſtificantur*. Nam non ſolùm mendacijs accuſabant, & infamabant Chriſtum, verùm tanta erat præpoſtera illorum conſcientia, vt quodlibet mendaciū iuramentis teſtificaretur, & hominibus eo perſuaſis, multaq. pecunia corruptis more hominum mendacium ſine honore, immò verò cum maxima eorum infamia, quamobrem confuſio illorū cum ipſis ſine intermiſſione. *Eccl. 21.*

CAPVT QVINTVM.

Ieſus autem nihil reſpondit ita vt miraretur Pilatus.

Expoſitio. FRuſtra conabatur Præſes interrogare eum, qui ſemel locutus eſt, & cuius ſtatutū nemo valet dimouere. Itaque *Ieſus*, & ſi multis perſuaderetur loqui, amplius *nigil reſpondit*, propter id quod ille iudicarat expedire. Huius autem taciturnitatis continuitas talis, tantaque fuit, & ita omnes reddit ſtupidos, *vt* etiam *miraretur Pilatus* vehementer.

Ieſus autem amplius nihil reſpondit. Quoniam videbat nihil profuturum ad conuerſionem eorum, quin potius maiorem illis adduxiſſet damnationem, multoties Chriſtum audire loquentem ſalutifera, reſpondentem ædificatoria vitæ, & dicen-

tem myſteria;etiam vt nos parcè loqui doceret, tùm maximè dum antè iudicem ſiſtimur: *Eccl 20.* Scriptum eſt enim, homo ſapiens tacebit vſque ad tempus, laſciuus autem, & imprudens non ſeruabunt tempus, qui multis vtitur verbis, lædet animam ſuam.

Ita vt miraretur Pilatus. Non ſola taciturnitas Chriſti in admirationem adduxit Pilatum, verùm quæ ad eum vxor demãdauerat, quæ de Chriſto ferebantur, quòd eſſet filius Dei, & Rex Iſrael: His enim auditis, videns eum tacere, multa in Chriſto per hominem, quem videbat, ſpeculabatur. Hincque anxietas dimittendi eum, & excuſandi. *Admirabatur* etiam, inquit Theo- *Theoph.* phyl. quòd cùm legis peritus eſſet, ac eloquens, & qui poſſet per defenſionem abſtergere calumnias, nihil diceret, ſed ſuſtineret fortiter calumnias.

CAPVT SEXTVM.

Per diem autem feſtum ſolebat dimittere illis vnum ex vinctis, quemcumque petyſſent.

Expoſitio. AGnoſcens deniq. Pilatus innocentiam Chriſti, proponit eum à morte liberare, putanſque ſufficere alium eius loco Iudæis dare exponit deſiderium. *Per diem* enim *feſtum*, tùm maximè Paſcharis *ſolebat* Romanus Præſes *dimittere illis*, eorumque tradere libertati, *vnum* ſceleratum hominem *ex vinctis*, qui tenerentur in carcere. Neque hunc aut illum offerebat, ſed *quemcumque* ex reis *petyſſent*.

Per diem autem feſtum. Dies feſtiuus quo ad votum Iudæorum vinctus quacumq. ex cauſa, erat ſolitum liberari, an tantùm eſſet Paſcha, an etiam quiuis alius, non eſt certum. Quare ſi tantùm Paſchatis tempore id concedebatur Iudæis, eo factum diuinitus, vt apropinquante libertate communi eorum, qui vincti erant in lacu, in quo non eſt ſubſtantia, haberent ſignum prognoſticum fideles, qui tàm anxiè à vinculis abſolui efflagitabant. Si autem in tribus diebus feſtiuis, qui apud Iudæos erant ſolemnes, id concederetur deſignabat abſolutionem eorum, qui, vel in lege naturæ, vel ſcripturæ, vel gratiæ captiui peccatis aliquando tenerentur per Chriſtum, iuxtà illud. *Iſai 45.* Ego ſuſcitaui eum ad iuſtitiam, & omnes vias eius dirigam, ipſe ædificabit ciuitatem meam, & captiuitatem meam dimittet non in prætio, neque in muneribus, dicit Dominus exercituum; ſed, vt Petrus *1.Pet.1.* exponit, pretioſo ſanguine quaſi agni im- *Hebr 9.* maculati, is enim emundat conſcientias *Iſai 1.* noſtras; & ſi fuerint peccata vt coccinum, *Apoc. 14* quaſi nix dealbabuntur. Vnde legimus poſt Chriſtum abiſſe liberos dealbatis ſtolis, in ſanguine agni. Alijs, atque omnibus diebus feſtiuis ſolitum fuiſſe Iudæis dimitti vinctum, ſi admittamus, vt credi poteſt, amplis priuilegijs datam gentem, quæ cunctis ferocior erat pro libertate tuenda, & cultu ſacro, qui facile ſub captiuitate demigrat, dicemus priuilegio hoc ſingulari inſinuari veniam peccatorum, quam ſingulis diebus feſtiuis impertitur benignitas Dei his, qui ſe preparant, vt par eſt, vel con- *Diebus feſtis facienda contritio.* feſſione, vel ſola contritione, quam nonulli ſcholaſticorũ, vtpotè Scotus, & ſequaces *Scot. in 4.* in huiuſmodi diebus debitam ex precepto (non facias opus ſeruile in die ſabbati) affirmant, & perſuadent efficaciter. Dimittebatur Romano priuilegio vnus etiam in ſignum ſpiritualis dimiſſionis, qua & ſi plures liberentur: vnus tamen poteſt dici eſſe, qui dimittitur, vtpotè vnus redemptus, quia omnes homines ſunt vnus homo; preſertim libertate Chriſti donati, vnitatem eiuſmodi excellentius & continent, & repreſentãt.

Solebat dimittere illis. Priuilegio Romanorum Imperatorum, qui (vt Ioſephus *Ioſeph.* ad Apionẽ gram. ſcribit) tametſi huius expreſſam mentionem non faciat, multis indultis gentẽ Hebræam honorarunt. Verùm quomodo Romana dimiſſio ſpiritualẽ per Chriſtum faciendam, vt dicimus, ſignaret, non videtur ſatis conſtare, quum typum Chriſti geſtorũ non facta Romana, ſed Hebræa, & quæ in antiquis, ſacriſq. ſcripturis continerentur præſignarent. Nihilominus tàm hæc, quã illa, & omnia quæ ſcripta ſunt, & facta, ad ea quæ Chriſti ſunt, qui eſt omnia in omnibus, nos manuducunt, & eleuant mentes ſpeculatorum, qui vident, & perſcrutantur omnia diligenter. Famulantur enim cuncta Chriſto, qui eſt hæres vniuerſorum, & habent ſingula rationem ſpeculi, in quo eiuſdem mirabilia opera, aliquantulum inſpiciamus, & apprehendamus.

Vnum ex vinctis. Non ex liberis, qui etſi rei ad manus Iudicũ, & miniſtrorũ iuſtitiæ nondum venerãt; ſed ex *vinctis* reus dimittebatur. Nam & peccatorũ nullus dimiſſionẽ promereretur, quin primo *vinctus* ſit per fidem. Accedentem enim ad Deum oportet *Hebr. 11* credere, quia ſine fide impoſsibile eſt placere Deo. Sed neque ſola placat, neque iuſtificat, ſed liberalitas, & miſericordia Dei, quæ conceditur ijs, qui dolent de malè actis, & pœnitent plenè.

Quemcumque petyſſent. Minimè qui ſolum vellet; alioquin omnes liberi è carceribus fuiſſent. Velle quidem ſupponebatur in vincto, petitiu autem à Iudæorum Principibus facta libertatẽ promerebatur, concedebat verò illam Præſes Romanus. Et in *Libertas ſpiritualis.* libertate ſpirituali eadem penè excogitato; voluntatem propoſiti noſtri, quod velimus, & huiuſce voluntatis ſigna congrua proferamus, vnius Principis qui Iudęis principat

vtpotè

vtpotè Chriſti meritum,& petitionem, demumque vnius præſidis orbis conſenſum,& & efficaciam,atque imperiũ; quoniam gratiam,quæ vinctũ liberat, Chriſtus fecit, hoc eſt,meruit. Dat autem Dñs his qui volunt, & optimæ voluntatis ſigna euulgãt,vt contritionem interius,exterius autem confeſſionẽ,aut eiuſdẽ deſideriũ.Quia dixi(inquit Vates)confitebor aduerſum me iniuſtitiam meã, & tu remiſiſti impietatẽ peccati mei.

CAPVT SEPTIMVM.

Erat autem qui dicebatur Barrabas, qui cum ſeditioſis erat vinctus, qui in ſeditione fecerat homicidium.

Expoſitio. ERat ex ſceleratis, qui ſub cuſtodia ſeruabantur, vnus peſſimus omniũ, quem proChriſti vita ſeruãda excogitabat Pilatus dare. *Dicebatur* antè is *Barrabas* nomine, *qui* cum perturbatoribus Regni,& *ſeditioſis* vrbis,*erat vinctus*,& diligẽtiſſimè præ alijs cuſtoditus. Quoniam non ſolùm aliorum animos ad ſeditiones commouebat, verùm *in ſeditione*,quam is ipſe excitauerat, *fecerat* vnius inſignis hominis *homicidiũ*,vt nihil poſſet,quin mulctaretur ſuffragari. Erat enim facinus horrendũ,& aduerſus perditũ cognatio demortui,quæ erat nobiliſſima,& in Regno,ac vrbe potentiſſima,inſtabat duriſſimum de eo ſupplicium ſumi debere.

Erat autem qui dicebatur Barrabas. Qui interpretatur filius patris, vel magiſtri, aut filius confuſionis, vel ignominiæ; nomen ne, an cognomen à ſtudiorum prauitate, vt qui vocitari cœpit mala ſpina, capo di ferro, mala teſta, vipera, leone,aut alio cognomine,à facto probroſo,non conſtat ex textu.Libet alterutrum,ſeu vtrumq. imaginari; ſubindeque dicere inter vinctos peccato, nullum infamiorem *Barraba*, eo videlicet,qui per omnia ſimilis eſt patri, vt per antonomaſiam filius patris appelletur, vtpotè diaboli, cuius ſunt omnes perditi, Hæreticus tamen, & apoſtata in fide, filius talis patris dici meretur;filius inquam magiſtri omnium ſcelerum, & peccatorum; vnde, & confuſionis filius, qui confundit matrem ſuam Eccleſiam; necnon ignominiæ, vt qui ſeipſum abſque mercede proſtituat,& conſtructis vbique lupanaribus,poſt amatores ſuos properet cũ ignominia imaginis, quã portat,& irreuerentia Baptiſmi, & ſacramentorũ,& oraculorum Dei,quibus Deus infælicem veſtierat, & ornauerat, ad quem ſub nomine Ieruſalẽ dicitur: Habens fiduciam in pulchritudine tua,ideſt preſumptione ſcientiæ, fornicata es in nomine tuo, non meo, quia non Chriſtianus, ſed Arrianus, & Arriani, Lutheranus, & Lutherani; & expoſuiſti fornicationem tuam omni tranſeunti, hoc eſt hæreſim cunctis offers. Et ſumens de veſtimentis tuis feciſti tibi excelſa hinc inde conſuta: Hoc eſt, de ſacris oraculis ſumpſiſti ſententias, vt dogmata falſa ſtabilires.

Ezec. 16.

Deſcriptio Hæreticorũ egregia, ex Propheta.

Ibidem.

Et fornicata eſt ſuper eis,ſicut non eſt factum,neque futurum eſt,hoc eſt,totum animum, atque mentẽ applicaſti falſis illis inuentis,quod neque fiet,nec factum eſt inter veros mei ſtudioſos. Et tuliſti vaſa decoris tui, de auro meo, atque argento meo, quæ dedi tibi,& feciſti tibi imagines maſculinas & fornicata es in eis. Hoc eſt acta mea, meorumque ſanctorum, quæ in exemplum dedi,tu falſaſti, vt Magdeburgenſes,& inde hęreſes,velut imagines coloribus illuſtraſti, ijſque totum deuouiſti, vt fornicaria corpori,cui adiungitur. Et ſumpſiſti veſtimenta tua multicoloria, & operuiſti illas; hoc eſt,varietatem ſcientiarum,& apparentium rationũ, quibus falſitatem illarũ operuiſti. Et oleum meum,& thymiama meũ poſuiſti coram eis. Hoc eſt baptiſmum in quo vngimur oleo, & confirmationẽ,quæ eſt thymiama perfectum militiæ Chriſtianæ prędicaſti vnà cum hæreſibus. Et panem meum, quem dedi tibi, ſimilam, & oleum, & mel, quibus enutriui te, poſuiſti in conſpectu eorum, in odorem ſuauitatis. Hoc eſt Euchariſtiæ panem, ſimilam penitentiæ mundæ, oleũ ordinis, & mel coniugij celebraſti pariter inter hæreſes. Et tuliſti filios tuos, & filias tuas,quas generaſti mihi, & immolaſti eis,ad deuorandũ; hoc eſt,fideles,quos per ſanam doctrinam, & fidem antea mihi feceras deuotos, ac filios per lauacrum regenerationis genueras,ad hęreſes compellis deficere,vt in interitũ tecum abeant. Nunquid parua eſt fornicatio tua? ac ſi diceret cunctis peſtilentior,pariterq. auctor,omnibus deteſtabilior, quia *Barraba*, hoc eſt filius totus patris diaboli,magiſtri iniquitatis, & ignominiæ, confuſioniſque.

Ibidem.

Ibidem.

Qui cum ſeditioſis erat vinctus. Seditioſos vocat cũctos reos,qui in carceribus ob crimen mortis detinebantur. Et nos quoque homicidam ſeditioſũ appellemus,quinimo ſpiritualius agendo quemcumq.cõtingit lethali culpa,quam mortalẽ dicimus,pari nomine donemus. Secedit enim à Deo quem offendit;Angelis,quorum cuſtodiã ſpernit; grauis eſt hominibus,à quibus beneficia quę in ſtatu gratiæ facere poterat,ſubtrahit,eſt inutilis,& pernicioſus;quid? omnibus etiã elementis, ob enim peccatũ procellæ excitantur in mari;terra diſſipatur diluuijs,terremotibus ædificia corruunt, mucro ſæuit bellis in homines,& iumenta, atque peſtis, famis,& horridũ de cælo ſignũ nulli parcit, quærens vindictam de peccato in Deum, & proximum ſumere. Secundùm enim magnitudinem operis, eſt viſitatio eorum. Vnde legimus iuſtitia eleuat gentem, miſeros autem facit populos peccatum.

Flagella ob peccata emiſſa.

Digitized by Google

Iure ergo optimo peccator appellabitur ſeditioſus, vt qui non inter homines ſolum, verum inter Deum, hominesque inimicitias procreat, & orbem tumultibus repleri compellat.

Qui in ſeditione fecerat homicidium. Hoc cõmittens fateor plus cæteris ſeditioſum dici debere. Sunt tamen huius tres ſpecies diſt. 1. Homicidiorum. Et qua-
Species homicidij. tuor ca. ſequenti, vtpotè interfectores, detractores, & odium habentes. Primæ ſpeciei homicida eſt; qui non facto ſolùm, ſed con-
D. 1. c. periculoſe c. noli. cilio, atque fraude aliquem interficit, diſt. 1. periculoſè, & c. noli. Qui interfectores ab homicidio excuſentur vide apud Syluestrũ, Angelum, & alios ſummiſtas; verbo homicidium, & qui pœnam homicidij, quam iura taxant promereantur, eamq. explicare vtiliſſimũ in concionibus foret, quando locus ferret, ſed multo melius obſeruari, ne culpa tàm grauis, tàm leui, vt ſolitum eſt, pœna plecteretur. Ex omnibus minimam, ſed pro fragilitate, & abuſu temporum competen-
Trib. Conc. tem iudico, quam Conc. Tribur. ſub Arnulpho Imper. cap. 54. vſque ad 58. aſſignat. Eſt enim prolixa, perlegat illam ſtudioſus.

CAPVT OCTAVVM.

Et cùm aſcendiſſet turba, cœpit rogare, ſicut ſemper faciebat illis.

Expoſitio. Hunc erga inſignum homicidam, & ſeditioſum, pernicioſum cùm preces loco Chriſti obtuliſſet, vnanimiter reſpuerunt commutationem, ſed Barrabam dari liberum petierunt, Chriſtum autem morti. *Et cùm* iterum *aſcendiſſet* propriùs ad pretorium, & iudicij ſedem, & magnis clamoribus peteret *turba* dimitti homicidam, Pilatus *cœpit* dulci eloquio, & obſecrationibus *rogare* adſtantes, vt ſuum vellent hac in parte propoſitum ſequi, nollentque ſanguinem innoxium effundi, *ſicut* enim in huiuſmodi negotijs, & cauſis, quæ frequentes erant Iudæis perfidis, & iniquis *ſemper faciebat illis*, ne vellent à iuſto, & recto diſcedere; ſed iuſtum iudicium expectare, quod iniuſtiſſimi ſemper diffugiebant; ſic & in hac Chriſti cauſa ſummopere ſtuduit ad rectitudinem eorum mentes ducere, & mollire corda, & perſuadere, vt vitam darent inſonti. Nihil tamen proficiebat apud eos, qui ſe obcæcauerant.

Et cùm aſcendiſſet turba. Græca lectio habet, *& vociferata turba* ἀναβοήσας ὁ ὄχλος Nam perſuaſa à Principibus Sacerdotum, vt peteret Barrabam, vociferari cœpit: Ieſum crucifige, Barrabam dimitte; Vulgata huiuſmodi *vociferationem* per verbum *aſcendit*, expreſſit, iuxtà morem ſcripturæ, quæ populi acta, & clamores per ſimile verbum declarat, vt ingemiſcentes filij Iſrael propter opera *vociferati* ſunt, *aſcenditque* clamor eorum ad Deum ab operibus: *Aſcendebat* vlulatus in cælum, & alibi per aſcendere voces, clamores, & ſimilia conſueuit ſcriptura magnitudinem actus reprimere, vt illum Deo qui in altis habitat, ante omnes innoteſcere ſciamus. *Aſcendit* ergo *turba*, hoc eſt *vociferata* eſt nimis, vt inualeſcerent clamores eorum, nec aliud poſſet percipi, quam non hunc, ſed Barrabam. Vnde Chriſtus: Dederunt contra me vocem ſuam. Quia *Iſai 29.*
quaſi phythonis de terra vox tua, & de humo eloquium tuum muſitabit, aduerſus ſanctum Iſrael.

Propterea erit, inquit Deus, ſicut puluis *Ibidem*
tenuis, multitudo ventilantium te; & ſicut fauilla pertranſiens multitudo eorum, qui contra te præualuerunt. Et vox eorum *Ier. 50*
(ſubdit Ieremias) ſicut mare ſonantis, vt quemadmodum illi aduerſus Deum deorſum vociferati ſunt tolle, tolle, crucifige, crucifige, & dimitte nobis Barrabam; ita qui vindictam de Barritu tam nefando Deo imperante ſumpſerunt, pari voce ac horribiliori clamarent. Gladius non iam ad Chaldæos, ſed Hebræos; gladius non ad diuinos, ſed eos qui diuinitatem impugnant, gladius ad fortes Iſrael, gladius ad Populum eius, & gladius ad theſauros eius. Quia gladius exacuctus eſt, & limatus ad occiſionem, vt qui ad mortem, ad mortem. Itaque aſcendentes *vociferati* ſunt contra Chriſtum, & contra eos aſcendentes in Ieruſalem Romani *vociferati* ſunt crucifigatur populus, cuius milliaria non pauca, propter hanc vocem cruci ſuffigi iuſſit Veſpaſianus, & Titus.

Cœpit negare. Græca habet *poſtulare* αἰτεῖσθαι *Poſtulabat* quidem ſibi dari Chriſtum, Barrabam autem ſuſpendi. Quod poſtulans *rogaret* ambitionis animum declarabat: Is enim cùm vel honorẽ perpetuari, vel augeri, vel certè aſſumi ad illũ deſideret, nemini vult diſplicere, cunctis ſe beneuolũ oſtendit, & *rogat*, non ſolum ſuperiorem, ſed inferiorem, cui profectò inferior eſt, atque ſeruit multis rogationibus. *Rogat* enim inferior; ſuperior imperat, aut dicit, fiat, & fit irreuocabile verbum. Qui ergo præeſt, ſubditur *rogans*. *Rogat* autem alliciat animos, & de ſe benè ſentire compellat. *Sicut enim rarus eſt* (ait Cyprianus de ieiunio, & *Cypr.*
tentationibus Chriſti) aut nullus qui de ſe mala dici equanimiter ferat; ita rarus eſt qui non benè de ſe velit ſentiri, & ſe ſi rectè viuit, ſtantem in vitæ rectitudine, non diligat æſtimari. Quod ſi opera virtutum foras exierint, rarus eſt qui hominum iudicia conſpuat, & laudes humanas contemnat.

Sicut

Sicut ſemper faciebat illis. *Semper* quidem quoties de Chriſti libertate, aut morte occurret ſermo, vel *ſemper*, hoc eſt, in vniuerſis alijs negotijs, quæ cum Iudæis eſſet ſolitus tractare; Id quod duo vitia indicabat; vnum in rogante Pilato, alterum in rogatis Iudæis. Etenim hi quia Domino à multis diebus peccauerant, iudicium, iuſtitiam, & ius omne peruerterant, adeo vt comparatione illorum, iuſtificaretur Gentilis Præſes. Qui vt in facto præſenti, contemplamur (omitto, quæ ex Athenienſium, & Romanorum iudicijs adduci poſſent) homo gentilis melius diſcernebat lumine naturali, quid inter iuſtum, & iniuſtum intereſſet. Propterea Vates ad ſuos clamabat: Quomodo facta eſt meretrix ciuitas fidelis, plena iudicij? Iuſtitia habitauit in ea, nunc autem homicidæ. Argentum tuum verſum eſt in ſcoriam, vinum tuum miſtum eſt aqua. Hoc eſt, ſanctitas clara, fortiſque iuſtitia, & veritas deteriorata ſunt, & à ſuo ſplendore abierunt, ſola vmbra retenta. Videbantur ſolùm Sancti, vt qui hypocritæ, apparebant tantùm iuſti, ſed non erant, vt qui raptores. Vnde ſemper, Pilatus gentilis in vniuerſis negotijs *rogabat* eos iuſtitiam, & æquitatem aduertere. Hoc vitium in rogatis inſinuat ſemper rogare, in rogante verò, vt diximus, ambitionem, de qua ſatis.

Iſai.1.

CAPVT NONVM.

Pilatus autem reſpondit eis, & dixit: Vultis dimittam vobis Regem Iudæorum?

Expoſitio.

CVm nullo modo rogationibus acquieſcerēt, ſed furibundi intonarent dimitte Barrabam, denuò *Pilatus* rogans *reſpondit eis*, *&* pietatem humanam præſeferens *dixit*: Acquieſcam ego, & huic petitioni veſtræ, ſed *vultis*, vt cum Barraba *dimittam* quoque *vobis Regem Iudæorum*?

Pilatus autem reſpondit eis. Si fortè leniret illorum animos; ne quid vltrà in Chriſtum molirentur. Nolebat enim diſplicere eis, neque etiam aliquid in Chriſtum agere. At veritas dixit: Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire, aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget, ſæpiuſq. vtrumque poſtmodum patitur aduerſum, quando relicto ſuperiore, inferioris mēdacio adhæret, vt Pilato accidit, qui accuſatus à populo apud Tiberium, relegatus eſt Lugdunum, vt inter ſuos miſerabilem finiret vitam, & ab his ad inferos tranſiret infelix.

Matt. 6.

Et dixit. Ad eos, qui aſcenderant, & acclamarant: ſperabat enim ſe aliquid apud eos proficere. Poteſt quidem hæc ſpes apud eos, qui ſanæ ſunt mentis, rationibus perſuadentur, & non vincuntur malitia, agnoſcuntque ſuperiorem. At populus inſipiens incitauit nomen tuum, decantat eorum Propheta. Ergo ſi Deum, qui ſe genuit non audit, non reueretur, quid fatigaris ò Pilate, vltrà ad eum dicere, ſed ponere in pondere iudicium, quod facturus es, & iuſtitiam in ſtatera? Populus non intelligens vapulabit plagis multis, te autem facies in conſumationem iuſtificans impiorum ſcelus pro inſipientium latratu, & iuſtum condemnans.

Pſal.73.

Vultis dimittam vobis Regem Iudæorum? Accuſauerāt enim eum quòd ſe *Regē* faceret. Audierat, & ipſe ſuſpicionem, quam ex miraculis, & prodigijs plerique colligebant eſſe Meſſiam, & Regem, qui in domo Dauid, & ſolio vſque in ſempiternum regnaret iuxta oracula. Etiam fortè ſciebat tentatum à turbis, vt raperent eum, Regemque conſtituerent ſuper eos. Ad hæc propterea alludens *Regem Iudæorum* vocat Pilatus.

CAPVT DECIMVM.

Sciebat enim quòd per inuidiam tradidiſſent ſummi Sacerdotes.

Expoſitio.

IDeo conabatur Pilatus eripere Chriſtum de manibus Iudæorum, ac nece, quam intentabant illi inferre, quoniam probè *ſciebat* tùm ex eorundem probationibus, & accuſationibus, tùm ex factis Chriſti, *quod per inuidiam* perſonæ, non per zelum legis vti fingebant ſibi *tradidiſſent* vinctum *eum*, qui nihil mali faceret. Etſi *ſummi Sacerdotes* in quibus videbatur nihil mali debere ſuſpicari, facti auctores eſſent nihil aliud ſibi poterat perſuadere; tùm maximè quod odium atque æmulationem clarè demonſtrarent.

Sciebat enim. Erat quidem & ipſe curialis, & honoratus à Cæſare non abſque multorum inuidia. Eſt enim hæc curiarum pediſſequa, familiaris honoribus non feriens niſi excelſa, velut fulgur. Ergo quia æmulationem ſuſtinuerat, nouerat æmulatores, qui meliorem ſe, neque honoratiorem pati poſſunt.

Sunt faciles partus, ſed proles nata parentem
Ore refert nunquam.

Theocritus in Encomio Ptolemei.

Quia nemo ex inuidia ſe alium proſequi confitetur; facillimè tamen omnes ea contra alios excitantur, & tametſi diſsimulent. Sciet tamen Pilatus, & qui verſatus in arte fuerit.

Quòd per inuidiam tradidiſſent eum. Sed deteſtabilem. Nam quod inuidiæ pateant labores hominum, theſauri, honores, & habitus digniſſimi, malum eſt; ſed excuſabile,

Pilatus gentilis in Chriſtum, quam Iudæi fidelis.

gentilis homo, & paganus præſumit in iure Hebræum, qui de legis iuſtitia præſumebat, erudire, monere, docere, à malo retrahere, & quod conueniebat, ſaluti eorum docere; nihil tamen profuit. Quoniam tradiderat illos Deus in reprobum ſenſum. Ad quem, proh dolor, qui vt in laqueum inciderit nè dum à gentili, ſed nec à fideli poterit erui. Exempla patent in ſtatibus Eccleſiæ noſtræ, cuius ſæpius profeſſione ſanctiores cùm debacchati fuerint non patiuntur à ſæcularibus admoneri, aut certè monita non accipiunt, vel inſaniunt potiùs. Quamobrem laudo ſententiam, quæ ait: Ne contendas cum peſſimis, nec æmuleris impios, quoniam non habent futurorum ſpem mali, & lucerna impiorum extinguetur.

Prou. 24.

Ait illis. Quos concitauerant Pontifices, vt inexcuſabiles apud Deum fierent, qui æmulis potius, quàm iudici hac in parte integro, nec corrupto donarijs, ſed pro veritate pugnante, & iuſtitia voluerint credere; omnis enim poteſtas à Domino Deo eſt. Per hanc ergo, & ſi diſcolam ſæpius meliora conſulit ſubiectis. Vnde & qui reſiſtit, vt hi, ordinationi Dei reſiſtit, & voci. Propterea quia non audierunt vocē meam, & non ambulauerunt in ea, & ambulauerūt poſt prauitatem cordis ſui, ait Deus, ecce, ego cibabo populum iſtum abſynthio, & potum dabo eis aquam fellis, & diſpergam in gentibus, quas non nouerunt ipſi, & patres eorum, & mittam poſt eos gladium, donec conſumentur.

Rom. 13.

Ier. 9.

Quid ergo vultis faciam Regi Iudæorum? Sæpius meminit Pilatus *Regis Iudæorum* non quidem per ironiam; alioqui perſuaſio eius peruerſa potius, & digna vituperio fuiſſet, quàm laude. Nam tantùm à perſuadendi genere abfuiſſet, quod ad diſſuadendum potentiſſima extitiſſet. Ea multis enim collegerat, tùm maximè ex his, quæ vxor ad eum miſerat verè Chriſtum eſſe Regem illum, quem Iudæi expectabant, alterius tamen Regni habenas moderantem, quam crederent homines infimæ mentis (quum clarè iam ab eo audiſſet Regnum meum non eſt hinc alioqui miniſtri mei vtique decertarent.) Huius tamen Regni myſterium nec regimen Regis, non ſolùm non cognoſcere, ſed nec ſubolere poterant Iudæi, qui nimium temporalibus oblectabantur; vt porci, qui è luto ad maria rapti ſunt; illi verò ab amore Regni, Regiſq. temporalis ad extremam pauperiem.

Pilatus videtur ſuboluiſſe veritatem.

Ioan. 18.

Amor carnalium obcæcauit Iudæos.

Luc. 8.

Propter hoc (inquit Michæas) cauſa veſtri. Sion quaſi ager arabitur, & Ieruſalem quaſi aceruus lapidum erit, & mons templi in excelſa ſyluarum.

Mich. 3.

CAPVT XIII.

At illi iterum clamauerunt: Crucifige eum.

IAm noctem pro viſione acceperant, & tenebras pro diuinatione, ſuperque omnes ſol occubuerat, & ſuper eos obtenebrabatur dies: Vtpotè Chriſtus, quem non agnoſcebant. Quapropter *illi* populi malæ mentis, & obuelati ſpontè propria caligine, *clamauerunt* valenter, *crucifige eum,* qui ſe Regem facit, à nobis tolle eum, qui non amicus, ſed contrarius eſt nobis, & difficilis ad videndum, Regem Iudæorum ducito inglorium, quia non habemus Regem niſi Cæſarem. Suſpende in ligno ſtultum, qui nos in ſtultum finem ducebat. Viuere nolumus eum, qui nobis peccata diſciplinæ noſtræ improperat.

Expoſitio.

Sap. 2.

Ioan. 19.

At illi iterum clamauerunt. Et vſque modo clamant. Prolongauerunt enim iniquitatem ſuam, & quoad vſque iuſtitia conuertatur in iudicium, & qui iuxtà illam omnes, qui recti ſunt corde. Hoc eſt vſque in finem ſæculi, quando iudicium fiet cum habitatoribus terræ. Et ipſi conuertentur ad veſperam, & famem patientur vt canes, & circuibunt ciuitatem, vt Regem, contra quem mox clamant, inueniant, credant, & ſequantur.

Pſal. 128.

Pſal. 58.

Conuertentur Iudæi in fine ſæculi.

Crucifige eum. Non ſolùm tolli volunt, ſed genus mortis illi præfigunt, quod maledictis, & ſceleſtibus dari ſolebat. Sed felix lignum per quod fit ſalus. Vnde Ieſus poſtulatus ad ſupplicium (notat Arias Montanus à populo non modo innocens habitus, & cognitus, ſed beneficentiſſimus per omnem vitam, tanquam ſi populi ipſius intereſſet illum occidi: & tamen intererat: ſed non ſentientes quid boni agerent, prauo ſtudio, & mala mente id agebant per ſummam ſtultitiam, & nefariam temeritatem.

Arias Montanus.

CAPVT XIV.

Pilatus verò dicebat illis: Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant; Crucifige eum.

QVanto clamores populi inualeſcebant, tanto *Pilatus* tùm Chriſto, tùm genti compatiebatur. Propterea *dicebat illis,* vt Iudex, qui æquitatem hoc in negotio quærebat. Si crucifigi, inquit, Ieſum vultis. *Quid enim* apud vos, dum conuerſaretur, prædicaret, & manducaret, *mali fecit,* quod in alterius damnum vergat, oſtendite? *At* inſani *illi* prorſus dementicantes *magis*

Expoſitio.

quam

quàm antea, ac fortius multo *clamabant*. Crucifige ò Iudex eum, neque protrahas iam tanta dilatione ſupplicium eius, protinus confodi, & citò ſuſtolle, vt videamus ignominiam eius.

Pilatus verò dicebat illis. Hominis æquitatem,& quia nullam in eo cauſam inuenerat, nec mali aliquid egiſſe, vt dignus fieret ſupplicio crucis, ſed libertati reſtituendus eſſet: Nam & Herodes, ad quem paulo ante
Luc.23. deſtinauerat,vt ſuę iuriſdictionis hominem, quippè Galilæum,nihil in eo inuenerat. His atque alijs poſtremo Pilatus auertebat Populū, & totam gentem Hebræam à ſcelere, quod in Chriſtum moliebantur. Hactenus ſe iudicem æquum oſtendit Pilatus,quam peruerſus autem deinceps extiterit metu ductus, ambitioneq. contemplabimur. Neque enim Iudicem, aut alteram benè cœpiſſe iuuabit, niſi & curauerit perficere optimè.
Matth.24. Qui perſeuerauerit enim vſque in finem,hic ſaluus erit.

Quid enim mali fecit? Item qui neſcit malum,nec dolum ſciuit, ſed bonum continuò egit,& fecit, neque à bono poterat recedere, perſcrutatur, quidne mali fecerit? Et cur non quæris ò Pilate de bono? vt propter quod velint crucifigi vitæ authorem,
Ioan.8. oſtendant. Sic is te facere docuit,dicens ad eoſdem:Multa bona opera oſtendi vobis de Patre meo, propter quod horum vultis me lapidare? Propter malum nos iuſtè percutimur, & de vnoquoque noſtrum apprimè
Prou.24. quæritur. Quid enim malefecit iſte? Septies
1.Cor.1. enim in die cadit iuſtus.Qui autè eſt iuſtitia noſtra, & ſanctificatio caſum nec ſcit, nec
Pſal.118. pati poteſt. Quia bonus es tu, air ad eum Vates. Nos quia mendaces, & mali in malū à mane ad veſperam ſæpius prolabimur. Huiuſmodi ergo quæſitum creaturæ facito, creatori ſeu de creatore noli dicere, *Quid enim mali fecit*, ſed quid boni fecit,propter quod vos cùm ſitis mali ab vtero,& ab vbere peſſimi, vultis percuti, & ſuffigi cruci?

At illi magis clamabant. Induerant enim iam omnes ſpiritum æmulationis, & ſuper-
Pſal.73. biæ, quem maiores fabricarant: Quare ſuperbia eorum qui te oderunt aſcendit ſemper,cecinit Pſaltes. Aſcendit quidem vt diximus ſupra,vociferatur, & clamat raucus præ aſſiduitate clamandi, & clamoris ferocitate,ſed exaltare Domine qui iudicas terram, redde retributionem ſuperbis. Vſquequo peccatores Domine, vſquequo peccatores gloriabuntur.Effabuntur,& loquentur iniquitatē omnes,qui operantur iniuſtitiā?

Crucifige eum. Semel crucifigi petierant, & iterum hoc idem poſtulant,& abſque numero id ipſum clamauerant fieri; vt peccatum ſuum proprio ore augerent. Loquitur enim ſemper blaſphemias populus iſte ſanguinarius, qui nihil præter mortem acclamat vitæ. Veruntamen ſcitote, ait per Iere-miam,& cognoſcite, quid ſi occideritis me, Ier.26. ſanguinem innocentem tradetis contra vosmetipſos, & contra Ciuitatem iſtam, & habitatores eius. In veritate enim miſit me Dominus ad vos, vt loquerer in auribus veſtris omnia verba hæc, quando ſcilicet vobiſcum eram.

CAPVT XV.

Pilatus autem volens populo ſatisfacere, dimiſit illis Barrabam, & tradidit Ieſum flagellis cęſum, vt crucifigeretur.

HEu vincitur *Pilatus* clamoribus Po- Expoſitio. puli,Iudæq. gentis pertinacia. Quare *volens* non vltrà contendere,ſed *Populo* ſceleratiſsimo *ſatisfacere,dimiſit illis* ſibi ſimilem, quem petierant *Barrabam* virum ſanguinum,*&* ſpontè *tradidit* inſontem *Ieſum*, & pacis virum *flagellis* crudeliter *cæſum* à planta pedis vſque ad verticem, *vt* ſic exacerbatus,multiſq. plagis confoſſus, *crucifigeretur* à miniſtris, quos ad facinus tùm verbis,tùm pecunijs animauerant Principes Populi, Pontifices, atque ſeniores.

Pilatus autem volens populo ſatisfacere. O ſtulte *Populo*, qui totus eſt coniuratio *ſatisfacis*? Ergo ne vis illi ſimilis fieri. Caue tibi & attende diligenter auditui tuo, quoniam cum ſubuerſione tua ambulas. Audiens verò illa, quæ *Populus* iſte peſsimus loquitur, quaſi in ſomnis vide, vaniſsimaq. & ſtultiſsima vt ſomnium reputa, & vigilabis à præcipitio. Vnde te paras præcipitare. Nullius enim facies, ò Iudices, in iudicio eſt metuenda; ſed veritas; nulli niſi æquitati *ſatisfacere* oportet. Huius enim miniſtri eſtis, Reges terræ, & qui præeſtis populis, ſcitote piaculum eſſe, illis velle acquieſcere cum iniuria proximi, contra legem Dei, ac veſtri ruinam. Nam qui ſubuertitis iudiciū, parcitis reo, & impio; iuſtum autem condemnatis; & ſedem fortè perdetis, ac certò potenter tormenta ſuſtinebitis. Quia conuertitis in abſynthium iudicium, & iuſtitiam in terra relinquitis. Eſtote ergo dicunt Apoſtoli ad ſuos lib.2.conſtit.Apoſt.cap.37. Conſtit. Apoſtolica. tamquam argentarij periti;vt enim hi nummos adulterinos ſegregant, probos autem ſibi adiungunt, ſic oportet Epiſcopum, quæ vitijs quidem carent retinere, vitioſa verò vel curare, vel ſi eſt ægritudo inſanabilis expellere, & non celeriter amputare, neque quibuſuis credere. Vſu enim venire ſolet, vt quidam propter æmulationem, aut inuidiam contra fratrem aliquem falſam inſtituant accuſationem, vt duo illi ſenes Babilone aduerſus Suſannam; & illa Ægyptia contra Ioſeph. Tu igitur homo Dei nè huiuſmodi accuſationes facilè admittas, ne inno-

innocentem perimas,& occidas iuſtum, qui enim talia vult admittere, magis ille pater iræ, quàm pacis eſt, qualem ſe hic geſſit Pilatus, qui morte iuſti putans populum pacificatum iri, talibus, ac tantis inuoluit erumnis, vt omnem ſuperent menſuram. Quia hæc dicit Dominus ad eum. Inſanabilis fractura tua, peſſima plaga tua, non eſt, qui iudicet iudicium tuum ad alligandum curationum vtilitas non eſt tibi. Id quod modò miſer experitur.

Ier 30.

Dimiſit illis Barrabam. Hunc petierant, hunc accipiunt. Accipiunt quidem dimiſsū libertati ſolitæ deprædādi,& interimendi, quem aduerſum ſuis ſceleribus nouerit, aut certè iniquiorem. Vix enim corrigitur, qui in vitijs occaluit. Quinimò venia fit audacior, ad quodcumque facinus. Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas, & vos poteritis benè facere cùm didiceritis malum, ait Deus ad ſimiles, qui eo *Barrabam* libenter accipiunt, vt ducem ſcelerum habeant ſaltem ſocium.

Ier. 13.

Et tradidit Ieſum flagellis cæſum. Flagellis iuſſit *Ieſum cædi*, vt flagellatum proponeret populo, & perſuaderet ſic caſtigatum dimitti liberum, abſque mortis ſupplicio. Cumque illi, vt canes ad carnes cruentatas, & elephantes ſanguine ad bellum excitantur, contra Chriſtum amplius ſæuirent, cæſum iubet crucifigi. Quià (inquit Zacharias Chryſopol. ex Anguſt. Beda, Hieron. & alijs) Romanis legibus ſancitum erat, vt qui crucifigeretur, prius verberaretur. Ideò quoque credendus eſt flagellaſſe Ieſum, vt eius iniurijs Iudæi ſatiati à morte Domini deſiſterent. Vndè etiam permiſit cohortem ſuam illudere ei; aut forſaſſis iuſſit, columna cui alligatus ille, qui ſoluere compeditos ſolet, demonſtrat vſque hodie veſtigia Dominici cruoris. Ieſus verberatur, vt nos à verberibus liberemur, dicente Scriptura ad iuſtum virum: Flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. Moris Romanorum flagellare primū, quem vellent ad mortem damnare meminit. Vlpinus Iuriſconſultus l. 8. ff. de pœnis, & Caliſtratus l. 6. in fine, & l. 2. ff. de pœnis.

Zacharias Chryſop. Anguſt. Beda. Hieron.

Veſtigium ſāguinis Dominici in columna hæret, & iam hodie.

Pſal. 90.

Vlpian. Caliſtratus.

Vt crucifigeretur. Videlicet à miniſtris Pilati, Romanis, inquam, militibus, quos Brutianos in huiuſmodi miniſterijs ſolitos miniſtrare Romanis, dicemus ſi credimus Feſto Pompeo. In verbo Brutiani, & Aulo Gellio lib. 10. cap. 3. qui prædictos in pœnam, quod ad hoſtem Annibalem defeciſſent hac ignominia notarent, vt ad huiuſmodi officia vilia magiſtratibus in prouincias euntibus parerent. Verùm tam paruum Brucianorum numerum tantis Romanorum Magiſtratibus, qui per Orbem diſtendebantur non potuiſſe ſufficere facilè perſuadeor: perindeque decretum Senatus intelligi, Brutios inter Romanos aliud exercitium non potuiſſe agere, quàm reos de mandato Magiſtratuum punire, quod verò hi ſemper, & vbique forent Brutiani in tam ampliato Imperio credi non poteſt. Denique ſubditis Romanæ militiæ committitur Chriſtus, & flagellandus, & crucifigendus; vetari ſiquidem aiunt (ſcribit Cyrill. lib. 12. in Ioan. cap. 6.) ab impia cæde Paſcha celebraturi, nam aliter miniſterium Pilati non quæſiſſent. Velox enim ſemper animus Iudæorum ad omne malum eſt. Hi enim (ſubdit Ambr. ſer. de Ral. Ian.) arte inſinuant ſe hominibus, domos penetrant, ingrediuntur prætoria, aures iudicum, & publica inquietant, & ideò magis præualent, quo magis ſunt impudentes. Hoc enim non recens in ipſis, ſed inueteratum, & originarium malum eſt, nam olim iam, & Dominum Saluatorem intra prætorium perſecuti ſunt, & Præſidis eum iudicio condemnarunt. In prætorio ergo à Iudæis innocentia opprimitur, ſecretum proditur, religio condemnatur. Cùm enim Chriſtus occiditur omnis in eo veritas, & iuſtitia condemnatur. Quoniam ipſe eſt veritas, iuſtitia, religio, ſanctitas atque myſterium. Denique vt *crucifigeretur* dicitur, & non vt *crucifigerent eum*, vel quod criminalis iuſtitia ad Romanos ſpectaret; vel quod putarent Iudæi Chriſto per alios occiſo eos non cōtaminari quin Paſcha manducarent. Hoc enim feſto durante. Agripa à Petri cæde abſtinuit, volens poſt Paſcha producere eum populo, vel tertio, quod Pontificibus quemquam occidere iudicarent non licere. Vnde reſponderunt: Nobis non licet occidere quemquam. Quod etiam Ethnicos obſeruaſſe perſuadent, quæ Suetonius in Tito c. 9. ſcribit; Pontificatum maximum ideò, inquit, ſe profeſſus accipere, vt puras ſeruaret manus, fidem præſtaret, nec auctor poſt hæc cuiuſquam cædis, nec conſcius quamuis interdum vlciſcendi cauſa, non deeſſet, ſed periturū ſe potius, quàm puniturum adiurans. At Iudæorum Pontifices non religione, ſed hypocriſi potius à Chriſti morte abſtinuiſſe crediderim, ne haberentur ſanguinarij, cùm reuera nihil præter ſanguinem ſitirent alienum. Viri ergo ſanguinum declinate à me, ait ad eos Propheta.

Feſtus Pompeius. *Aulus Gellius.* Officiū Brutianorum.

Cyrill.

Ambroſ.

Act. 12.

Ioan 19.

Suetonius.

Pſal. 138.

CAPVT XVI.

Milites autem duxerunt eum in atrium prætorij, & conuocant totam cohortem.

Expoſitio.

Poſtquam adiudicauit fieri petitioni eorum, promulgauitq. ſententiā mortis contra Chriſtum, *milites* militiæ Romanæ inſimul conuenientes *duxerunt eum* in atrium Regij Prætorij, *&* ibi *conuocant* ad infe-

inferendum ignominioſa Chriſti commilitones, & *totam cohortem*, quæ præſens erat.

Milites autem. Alterius, ſcilicet, gentis quàm Iudæorum. Hi enim ſuſpecti de rebellione ad militiam in proprio Regno non admittebantur, vt ſolitum eſt cum captinis agi. Gentiles igitur erant, qui poſt ſententiæ promulgationem duriores, quàm par erat, fuerunt in Chriſtum de quibus ipſe ad patrem. Reſpice inimicos meos, quoniam multiplicati ſunt, & odio iniquo oderunt me. Cuſtodi animam meam, & erue me, non erubeſcam, quoniam ſperaui in te. *Pſal. 24.*

Duxerunt eum in atrium Prætorij. Vt in patenti loco poſitum, & dilatato, plures in eum animaduerterêt, & à multis conſpici lugubre ſpectaculum; inſpectoribus tamen, vtpotè Pilato, qui ad lithoſtros Græcè, Hebraicè verò Gabbatha poſitus, iam illuſores benè aſpiciebat, & illis congaudebat; præſertim Iudæis erat ludus militum, & illuſio ſumma lætitia. Iam licet contemplari Samſonem in medio hoſtium poſitum, non qui ludat, ſed qui illuditur. Pilatus cum ſuis aulicis ab alto proſpicit, excitat illudentes, & laudat, inferius circundatur atrium à Iudæis, qui riſibus, & cachinnis, & nugis in Chriſtum, aerem corrumpunt. Exercent ludum milites, & quiſque ſtudet quanto inſanior, in ſanctum inſanire. Ille verò quaſi ouis coram tondente non aperuit os ſuum, non maledicebat, non comminabatur, ſed mente conſcia ad patrem dicebat. Inimici mei viuunt, & confirmati ſunt ſuper me, & multiplicati ſunt, qui oderunt me iniquè. *Pſal. 37.* Omnia excelſa tua, & fluctus tui ſuper me tranſierunt. *Pſal. 41.* Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu feciſti, *Pſal. 38.* ſed vſquequò exaltabitur inimicus meus ſuper me?

Et conuocant totam cohortem. Fortaſſis inducti à Iudæis, vt pœnam & ignominiam maiorem Chriſto à pluribus prouocato inferrent, vel etiam à Centurione iubente, & Duce, vt inde ſtipatus tota cohorte ad Caluariæ locum traheretur. Nullum vnquam exemplum tantæ inhumanitatis (ſcribit Arias Montanus) *Arias Montanus.* & crudelitatis aduerſus quemquam manifeſtarium malefactorem extitiſſe legimus, atque hinc ſpectatum eſt aduerſus hominem innocentiſſimum, iuſtiſſimumque pronunciatum Iudicis voce: Quid mali fecit? rogauerat ille, nemo vnquam, vel leue quid obiecit, neque tantùm innocentiſsimum, ſed beneficentiſsimum, in omnes eum eſſe conſtabat. Igitur magnum in hac re myſterium latet; noſtri videlicet debiti ab illo ſuſcepti.

CAPVT XVII.

Et induunt eum purpura, & imponunt ei plectentes coronam ſpineam.

ET vt irridendi augerent materiam, *Expoſitio.* & inferrent ſimul maiores cruciatus exuunt non ſolùm veſte alba, qua illuſum Herodes remiſerat ad Pilatum, ſed proprijs; quæ imbibitæ vulnerum ſanguine cohærebant cicatricibus corporis; exutum verò *induunt eum* rurſus *purpura* viliſsima, vt eius Regiam dignitatem, quam ſibi vſurpare calumniabantur æmuli, deſpicere viderentur. Capiti autem in diadematis locum *imponunt ei ſpineam coronam, plectentes* duriſsimis ictibus eam, vt ſpinis perforata capitis cute, & carne grauiores dolores ſentiret. Manibus quoque tradiderunt arundinem, quæ ſceptrum fictitij Regis videretur, ſed de ea alij, Marcum nos percurramus.

Et induunt eum purpura. Purpura vnde nomen accepit veſtis tincta coccineo, piſcis eſt ex concharum genere, habens in *Purpura piſcis.* faucibus liquorem tingendis lanis expetitum, cuius naturam, dignitatem, & medicinam multis proſequitur Plinius lib. 9. *Plin.* natural. hiſt. cap. 36. 37. 38. 39. 40. & 41. Huius liquore non fuiſſe tinctam clamydem coccineam, qua milites Chriſtum induerunt, certum eſt, quandoquidem erat veſtis militaris, ſolita Romanis militibus, atque pueris colore perſimili, vtpotè coccineo intincta, vnde adhuc penes nos purpuræ nomen retinêt huiuſmodi veſtes, quæ liquore purpuræ tinguntur veſtes, vix regibus, qui ab harum frequenti vſu purpurati dicuntur, ſufficiunt. Ficta itaque purpura, ſeu potius artificiata induitur Chriſtus, vt fictum Regem pronuncient illuſores. Qui autem de cælo auditum facit iudicium, facitque *Pſal. 75.* magnalia, aliud & quidem excelſum Re- *Pſal. 71.* gnum totius mundi Chriſto datum voluit deſignari (vt ſcribit Cyrillus lib. 12. in Ioan. *Cyrill.* cap. 15.) ſunt & Martyres, & qui mori cum Chriſto affectant, veſtimentum purpureum quo Chriſtus induitur, vt Gregorius ſuper *Greg.* Cant. 7. proſequitur. Poſſunt & nobis huiuſmodi veſtes Regiæ repreſentare virtutes, quæ vitijs acriter repreſsis, nos accendunt, & inflammant ad ſpem celeſtis Regni, quibus Chriſtum prædicamus Regem, ho- *Orig.* noramus, & adoramus vt initium & finem, vide Origen. hom. 8. ſuper Exod.

Et imponunt ei plectentes ſpineam coronam. Iam nunc prodeat ſponſa, & ſuo ſacro epithalamio, ad ſpectaculum inuitet, dicens: Venite, videte Regem Salomonem *Cant. 3.* in diademate, quo coronauit illum mater ſua in die deſponſationis ſuæ. Eſt enim

ſponſus

ſponſus ſanguinum, qui ſuo ſanguine purpureo omnium corruptiſſimos ſanguines, vtpotè animas peccato infectas lauit, & cocco bis tincto illuſtrauit, vt eſſemus Reges, & Sacerdotes Deo noſtro, non iam terra, quæ ſolebar ob maledictum ſpinas, & tribulos germinare. *Iſidor.* Iſidor lib. epiſt. 95. quandoquidem execrationis illius, qua terra poſt mandatum à nobis violatum, mulctara eſt, ſeges ſpina erat. Dominus autem vt omnem in ſeipſo morbum curaret, aduenerat, idcircò ſpinea corona, vt victor redimitus eſt: quemadmodum ſcilicet clari & celebres victores faciût, qui hoc ipſum telum, cuius ope victoriam conſecuti ſunt, in triumphum geſtant. Caput Chriſti ſpinis coronatum, *Auguſt.* Aug. in Ioann. facit Martyrum carnes, quæ dirè lacerãtur. *Greg.* Greg. hom. 20. in Euang. ſpirituales viros imaginatur, ſpinas ipſas, vt qui ſua præclara doctrina audientium mentes purgant ad pœnitentiã commiſſorum, & deſiderium æternorum. *Orig.* Nos præſenti in loco cum Orig. hom. 1. in Pſal. 36. & hom. 35. in Marth. *Hier.* Hieronym. que in Pſal. 57. & ſup. Iſai. 33. aptius fortè dicemus peccata malarum mentiũ eſſe, moreſq. peruerſos, quibus caput noſtrum Chriſtum affligimus. Ergo quia in capite ſuo mala noſtra ſuſcepit, conſueuerũt olim Chriſtiani (*Clem. Alex.* vt refert Clem. Alexandr. lib. 2. Pedago.) non coronari floribus, vt gentiles factitabant. Seruantur hæ ſpinæ multis in locis tot, & rantæ, vr pleriq. de earũ veritate addubitent, minus tamen rectè eã in Eccleſijs proponantur, miraq. ſæpius iuxtà fidem in eis operetur Deus. Quid deniq. de illis ſcribat *Greg.* Greg. Turon. accipite, ferunt, inquir, ipſas coronæ ſentes quaſi virides apparere, quæ ramen ſi videantur aruiſſe folijs, quotidiè tamen reuiuiſcere virtute diuina.

CAPVT XVIII.

Et cœperunt ſalutare eum: Aue Rex Iudæorum.

Expoſitio. PRoſequuntur ſtulti, & nefarij homines execrabilẽ ludũ; etenim vt more Regis induerunr Chriſtum, *cœperunt* ſtatim genu flexo inſtar ſubditorum *ſalutare eum* Regem; ac dicere: *Aue*, ſaluuſque ſis, & incolumis multis annis viuas, ò *Rex Iudæorum.*

Et cœperunt ſalutare eum. Optimè quidẽ *cœperunt* rantùm, ſed non perfecerunr *ſalutare*, velut miniſtri eorũ, qui credunt, & contremiſcunr, *Phil. 2.* credunt quidem, quia Dñs Ieſus in gloria eſt Dei Patris. Hoc rantùm dicere, & credere, eſt incipere ſalutationẽ, quæ Regi Regum, ac vniuerſorũ Principi debetur. Perficir autẽ, qui vt credir ſic ex animo adorat, laudat, extollir, ei cõgaudet, vt ille, qui intonar. Ego autem in Domino gaudebo, *Habac. 3.* & exultabo in Deo Ieſu meo: Deus Domi- nus fortitudo mea, & ponet pedes meos quaſi ceruorũ, & ſuper excelſa mea deducet me victor in Pſalmis canentem. Sic quidem ſalutatur perfectè, atque plenè Chriſtus, quando adoratur Emanuel, & colitur Deus, & homo, vt ſcribit *Cyrillus.* Cyrillus. lib. de recta in Chriſtum fide ad Imperatrices Eudoxiam, & Pulcheriam.

Aue Rex Iudæorũ. Aue ſalutationis, vox eſt benè præcantis, qua nos Mariam, ſequẽtes exemplum Angeli, ſalutamus. *Luc. 1.* Aue Maria gratia plena. Nos tamen iure; illi præpoſterè dicebant Chriſto, *Aue*, vt & Iudas, qui dixit *Aue* Rabbi. Nihilominus vellẽt, nollent impijſſimi, & ſpurciſſimi homines ore ſuo Saluatorẽ Chriſtũ confitebantur, & Regem, qui Iudæis in redemptionem vniuerſorum promiſſus erat, ſpectante vniuerſo ſenatu confitebantur. Quid ad hæc Chriſtus? factus ſum, inquit, velut homo non audiens, & non habens in ore ſuo redargutiones, *Pſal. 37.* Quorſum? vt exemplo eius patientiã amplecteremur: Grauis enim cauſa eſt (ait Cypr. *Cypr.* epiſt. 56. ad Thiberitanos de exortatio. martyrij) ſeruum pati nolle, cum prior paſſus ſit Dominus, & pro peccatis noſtris nos pati nolle, cùm peccatum ſuum proprium, non habens, paſſus ſit ille pro nobis? Filius Dei paſſus eſt, vt nos filios Dei faceret, & filius hominis pati non vult, vt eſſe Dei filius perſeueret? Si odio ſæculi laboramus, odium ſæculi ſuſtinuit prior Chriſtus. Si contumelias in hoc mundo, ſi fugam, ſi tormenta tolleramus, grauiora expertus eſt mundi factor, & Dominus, qui & admonet, dicens; ſi ſæculum inquir vos odit, mementote quia me priorem vobis odit, ſi de ſæculo eſſetis, ſæculum quod ſuum eſſet amaret. Sed quia de ſæculo non eſtis, & ego elegi vos de ſæculo, propterea odit vos ſæculum. Mementote ſermonis, quem dixi vobis: Non eſt ſeruus maior Domino ſuo.

CAPVT XIX.

Et percutiebant caput eius arundine, & conſpuebant eum, & ponentes genua, adorabant eum.

Expoſitio. FAlſæ ſalutationi addunt grauiores nugas. Nam ſalutatum Regem illudebãt geſtis difformibus. *Et percutiebant* grauiter *caput eius* dilaniatum ſpinis, & ſanguine madefactum; *arundine* autem, & fortè fracta concutiebant, vt dolorem augerent. *Et* in ſignum tributi Regij *conſpuebant eum* in facie, vt decorem eius deformarent. *Et* inſuper *ponentes* ad terram humiliter *genua, adorabant eum* oſculantes veſtimenta eius proſtrati.

Et percutiebant caput ſuum Arundine. Vt qui vani, arundine vana offendebãt Chriſtum.

Iſai. 5. ſtum. An hi ſolum? Et qui trahunt iniquitatem in funiculis vanitatis, & in vanitate ædificant Ciuitates, hi prouocauerunt eum in vanitatibus ſuis, ſed quos his ſimiles facimus? Omnes homines qui declinauerunt, *Pſal. 13.* & ſimul inutiles facti ſunt, ſcriptū eſt enim: Veruntamen vani filij hominum, mendaces filij hominum in ſtateris, vt decipiant ipſi de vanitate in idipſum: vel juxtà Hebraicam veritatem, Hieron. *Hieron.* Veruntamen vanitas filij Adam, mendaces filij viri in ſtateris doloſis, fraudulenter agunt ſimul. Siue enim fuerint fideles, qui filij viri interpretari poſſunt, quia Chriſti, qui eſt vir, quem *Ier. 31* nouo miraculo mulier circundedit, & ſeptem *Iſai. 40.* mulieres, hoc eſt, ſeptem dona ſpiritus, qui ſuper eum requieuit, apprehenderunt; ſiue vniuerſi generis humani, qui filij Adam ſolent appellari, omnes offendimus in vanitatibus, & mendacijs, percutimuſque caput noſtrum Chriſtum, velut arundine, opere inutili, & vaniſſimo, vnde Caldæus Paraphraſtes in hunc locum habet: *Greg lib. 31 mor c 4 & hom 6. Eu. Zach. Chr.* Si acceperint homines ſtaterā ponderantes fata ſua, illi quidem ipſamet vanitate erūt leuiores, denique ait Zachar. Chriſop. lib. 4. cap. 169. Quòd tunc fecerunt milites Pilati vſque hodie faciunt milites diaboli, Hæretici, & Pagani, qui caput eius percutiunt, negando eum eſſe Deum, & conando errorem ſuum confirmare auctoritate ſcripturæ, quæ per *arundinem* intelligitur; ſolent enim ſcribi *arundine*.

Et conſpuebant eum. En munera, quæ *Matth 2* Regi offerunt nato, obtulerunt Reges aurum, Thus, & myrrham. Quia ſcriptum *Pſal. 71.* erat: Et viuet, & dabitur ei de auro Arabiæ: Morienti autem ſputa viliſſima, quæ dehoneſtant in tributum perſoluunt. Quò cæcum is ipſe illuſtrauerat quondam, ingrati homines denigrant. Quid ad hæc? Sputū Chriſti eſt verbū Dei, quod illuminat ocu- *Quid ſunt ſputa.* los, nè obdormiamus in morte, neque in Meridie offendamus cæci. Militum autem, qui pro Pilato carni obſeruiunt, & amplexātur ſtercora, ſputum eſt verbum malum, & indecorum ciuſmodi genti communiſſimum, *Dan. 4. Iob. 24* quo Rapſaſſes viuenti Deo detraxit, Nabuchodonoſor inſaniuit, & malùs omnis, aut Dei erat, aut ocioſitati locū præbet. Propter quod, & ipſi rebelles fuerūt lumini, neſcierunt vias eius, nec reuerſi ſunt per ſemitas eius. Quoniam verbum nequam, & ocioſum tenebroſum eſt, ideoq; rebelles lumini, qui *Conſpuere Chriſtum ſpiritualiter.* eo os ſuum aſſueſcunt, hoc eſt, Chriſto, qui & lux mundi, & eius verbum lucerna. Itaq. in faciem Chriſti conſpuunt quicumq. Dei maieſtatem, quæ facies dici ſolet, verbo blaſphemo offendunt; qui etiam dilaniant murmurationibus Præſides, qui oculi; prædicatores, qui labia; Iudices, qui ſupercilia; Religioſos, qui genæ; actiuos, qui lingua; contemplatiuos, qui frons; Rectores, qui tempora; ac plebem, peculiarèmque hominem, qui mentum dicitur, & capillus capitis. Quoque in faciem *conſpuunt*, vt contra Hæreticos campum aperiamus; quicumque aliquid de veritate humanitatis Chriſti negant, vt Lutherus, qui plenum gratia à contemptu Chriſtum negat; Macharius, qui voluntatem humanam in Chriſto non agnoſcit; Viſmarienſis, qui Chriſto corpus cæleſte conceſſit, nobiſque, quæ commune non admiſit, & ſimiles impoſtores adinuentionibus ſuis faciem gratiarum ſpurcare nituntur, ſed fruſtra. Quoniam excelſus ipſe, & excelſum nomen eius, & altiſſima quæ ſunt in ipſo, vt nullis, neque vilibus, neque pretioſis cedant iuxtà illud Iob: Nōn dabitur aurum obrizum pro ea, *Iob. 28* nec appendetur argentum in commutatione eius. Nec conferetur tinctis in die coloribus, nec lapidi ſardinycho pretioſiſſimo, vel ſapphiro. Hoc eſt, Chriſto qui ſapientia eſt patris, nec Angelus, qui aurum nec argentum, cui homo ſimilis dicitur; nec homo, qui argentum dicitur; nec virtutum varietate excellens, qui eſt tinctus coloribus Indiæ, hoc eſt, participationibus bonorum triumphantis Eccleſiæ; nec dignitate præeminens, qui ſardonycus appellatur; nec priuatus quiſpiam, quantumuis honoratus cæleſtibus, qui ſapphirus eſt; nec omnes ſimul, qui in cælo & terra ſunt; neq. omnia quæ conſtāt valent Chriſto conferri. Quia in ipſo condita ſunt vniuerſa, & ipſe ſuper omnes eſt. *Conſpuant* igitur nebulones, quantum voluerint, non poterunt faciem eius immutare.

Et ponentes genua adorabant eum. Formam adorationis, quaſi per ludum tradentes, & indicantes, quid verè cum Chriſto acturi eſſent gentiles, poſtmodum, videlicet *adorare* ex animo cum curuati, iuxtà oraculum: Gloria libani ad te veniet, *Iſai. 60.* abies, & buxus, & pinus ſimul ad ornandum locum ſanctificationis meæ, & locum pedum meorum glorificabo. Et venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te, & adorabunt veſtigia pedum tuorum, omnes qui detrahebant tibi, & vocabūt te Ciuitatem Domini Sion, ſancti Iſrael. Hæc interpretatur Eccleſia, ſed proprius Chriſtus, ad quem omnis cultus, & adoratio tendit. Ad hunc venit, tùm ſtans, tùm miniſtrans omnis Angelus, qui in tres partiti Hierarchias per abietem, buxum, & pinum denotantur. Curuati, qui veniunt, ſunt gentiles, per quos in paſſione humiliatus fuit, & ficta adoratione illuſus, modò verò integra, & perfecta adoratione accedunt. Hæc *Adoratio vera & ficta.* autem perfecta cenſetur, quando poſito genu adoratur. Quando, inquam, animo contrito, & ſpiritu humili maieſtas Dei noſtri, totuſque Chriſtus agnoſcitur redemptor, conditor, Deus, & protector,

cum

cum quo per quem, & in quo ſunt omnia, etiam poſitis genibus adorant Chriſtum, qui illis obſeruiunt temporalibus occupati. Curuat enim genu (ait Auguſt. in Pſal. 37.) qui terrenis adheret, & ſecuodùm Hieron. ſup. Iſai. 2. 60. quando falſitas veritati ſubijcitur curuatur genu, ergo quando Hæretici abiurant Hæreſim, & fidem noua profeſſione confitentur, curuato genu adorant.

Aug. *Hieron.*

CAPVT XX.

Et poſtquam illuſerunt ei, exuerunt illum purpura, & induerunt eum veſtimentis ſuis, et educunt illũ, vt crucifigerent eũ.

Expoſitio:

DEponunt ludum non fracti, ſed vt maioribus erumnis defatigẽt eũ, qui nunquã defatigatur, neq. dormitabit, neq. dormiet quibuſuis occurrentibus triſtibus. Et ita *poſtquã* prauis inuẽtionibus *illuſerunt ei*, qui nulli illudit, ſed cũctis optima cõſulit, *exuerunt* precipitanter *illum purpura* militari, & crudelitate pari *induerunt eum* perfuſum cruore nimio, *veſtimentis ſuis*, vt poſtmodum dolores illi cumularent. Et ſic indutum tunica, & pallio *educunt illum* ab atrio domus Prætoriæ, iuxtà Pilati ſententiam, & voluntatem prauam Iudæorum *crucifigerent eum* turpiter, & enormiter, quem honorant omnia, & reuerentur.

Et poſtquam illuſerunt ei. Non tàm milites, qui tragediam agebant, quàm inſpectores, qui faces accendebant; agentes enim, & conſentientes, tùm maximè cauſam dantes, & excitantes facinus horrendum, & penam, & culpam eandem incurrunt. Illuſus autem ab omnibus tùm gentilibus, tùm Iudæis eſſe voluit, vt qui illuſiones noſtras, quibus illudimur à Demonibus, venerit, ſua morte, tollere ab vniuerſis, qui ſub gentilitate ſunt, & Iudaiſmo. Vnde Paulus: Commendat autem charitatem ſuam Deus nobis, quòd cùm nos adhuc peccatores eſſemus, ſecundùm tempus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Illud autem, ſecundùm tempus, notat Theodoretus in illum locum, pro eo quod eſt in tempore opportuno, ac tempore conuenienti. Idem autem dicit etiam in epiſt. ad Galatas: Quando autem venit plenitudo temporis miſit filium ſuũ factum ex muliere, factum ſub lege, vt eos qui ſub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus. Multo igitur magis nũc iuſtificati in ſanguine ipſius ſalui erimus ab ira per ipſum, qui enim pro impijs, & iniquis execrabilem illam mortem ſubijt, clarum eſt, quòd eos etiam qui in illum crediderunt à ſupplicio liberabit. Iram enim futurum ſupplicium appellat. Hactenus Theodor.

Rom. 5. *Theodor.* *Galath. 4*

Exuerunt illum purpura. Si induere purpuram eſt Regis dignitatem ſignare, & diuinitatem, quæ charitas eſt, & ignis ardens *purpuraque* bis tincta per totum, hoc eſt, in verbo, quod erat in principio, & in homine, quem aſſumpſit, charitas increata, & creata; quid erit, dicito, *exuere purpuram? Exuit purpuram*, qui diuinitatem in Chriſto non agnoſcit vt Photinus. Qui initium totum ex Maria ſumpſiſſe eum dogmatizabat. Et qui humanitatis veritatem illi non concedit, vt Iſlebius, & Andreas Muſculus, & alij qui phantaſticnm tantùm corpus habuiſſe affirmarunt, *purpura*, quæ nos Reges facit, & Sacerdotes, *exuunt Chriſtum*, noſque pariter, qui eius membra ſumus ſuo errore nos faciunt abſque ore, abſque ſalute, & chariſmatibus melioribus, quæ nobis Deus, & homo, Chriſtus conſiliauit. Non ſolus Deus, quia noluit; non ſolus homo, quia non potuit, ſed Deus & homo Chriſtus, cui nihil eſt impoſſibile, neque velle deſinit nobis, quæ ſaluant, vt latius proſequitur (Cyrill. Alexand. lib. de recta in Chriſtum fide ad Imperatrices) nec non Theodorus Epiſcopus Ancyrorum oratione de natiuitate Saluatoris. Et quoniam omnibus ſumus debitores, ò fidelis, aduerte tùm quoque *exui* Chriſtum *purpura*; cùm honorem tollis proximo, & eum, qui Chriſti eſt infamas; tùm maximè ſpolias regia ſtola, & veſtimento honoris, quando ad peccatum inducis; ad vnumque Marſupium tecum conuenire compellis, vt legem iniuſtitiæ ſimul proſequamur: Es enim miles Diaboli, ſpoliator filiorum Dei, & raptor.

Ioann 1. *Hereſes Photini.* *Iſleb. Muſculi* *Cyr. Alex.* *Theodor.*

Et induerunt eum veſtimentis ſuis. Iuxtà literam *veſtimenta Chriſti* erant pallium, & tunica inconſutilis. Paupercula quidem quæ tantùm operimentum erant, non ornamentum, nequis ſuorum in veſtitu vnquam gloriaretur corporeo, neque pretioſum amaret indumentum carni: Sed quod animæ gloriam, & honorem perhennem conſiliat, minimè quod lanocinium ſapit, & proſtitutioni eſt proximum, à quibus ſimplicitas chriſtiana, & ſanctitas aliena eſſe debet. Propterea ſcribit Beatus Rhenanus in lib. Tertull. de pallio: ſub tempora Apoſtolorum veriſſimile eſt Chriſtianos, ſimplici cultu, calciatuque fuiſſe vſos. Id quod etiam multis ſæculis obſeruatum conſtar. Nam veterum monachorum veſtes, qualibus Benedictini vtuntur, communes olim omnibus Chriſtianis ætate diui Benedicti quidam fuiſſe putãt. Itaque *veſtimentis ſuis* Chriſtus ad mortẽ properans *induitur*, exutus alienis. Ne quis morti propinquus diuitijs aliorũ ſe inſarcinet, ſed reſtitutis alienis ſit proprijs contentus, de quibus teſtamentum condat, eaque in pauperes, & familiam diſtribuat. Porrò *veſtimenta* Chriſti (ait Zachar. Chryſop.) ſunt Iudæi, quos, & ſi adue-

Rhenanus Tertull. Neglectus antiquis cultus. *Zach. Chr.*

ſi aduenientibus Gentilibus, qui dicuntur *purpura*, videatur exuiſſe, in fine tamen temporum induet iterum. Cùm enim intrauerit plenitudo gentiũ, tunc omnis Iſrael ſaluus erit. Quia ſcriptum eſt: Et erit in die illa; non adijciet reſiduum Iſrael, & hi qui fugerint de domo Iacob, inniti ſuper eo, qui percutit eos; ſed innitetur ſuper Dominum ſanctum Iſrael; in veritate reliquiæ conuertentur, reliquiæ, inquam, Iacob ad Deum fortem. Deus fortis & Dominus potens in prælio Chriſtus eſt, ad quem conuertentur reliquiæ Iudæorum, hoc eſt, credent in eum, etiam qui fugiunt ab Eccleſia pagani non iam innitentur Diabolo, qui eos percutit, ſed Chriſto qui eſt ſanctus Iſrael.

Conuerſio Iudæorum in fine. *Rom* 11.

Pſal. 23.

Et educunt illum vt crucifigerent eum. Et cur non occidunt intra atrium tot, tantiſque in eum actis? In primis quia non poterant: Siquidem mori, vel non mori eiuſdem erat. Præterea, quia mortis ſuæ myſterium non poterat, nec poteſt in artio, & intra mundum comprehendi, quouſque educatur foras, quando, inquam, in cælis agnum occiſum contemplabimur ſedentem in throno Dei. Ad hæc Theodoretus in illud Cantic. Vadam ad montem Myrrhæ, & ad collem thuris: Quærendum eſt igitur, cur montem de morte loquens dixerit, collem autem de diuinitate. Quia illud tàm excelſum, atque arcanum eſt, vt ab homine animo, & cogitatione nequeat comprehendi, cum in forma Dei eſſet, non rapinam, arbitratum eſſe, ſe eſſe æqualem, ſed ſemetipſum exinaniſſe, formâ ſerui accipientem, & in ſimilitudine hominum factum, & habitu inuentum, vt hominem, humiliaſſe ſemetipſum vſque ad mortem, mortem autem crucis. Vt autem ad propriam gloriam rediret, & clarificaretur ea gloria, quam habuit antequam mundus fieret, id verò nec magnum, nec laborioſum, immò facilè admodum fuit: Idcircò montem Myrrhæ dicit, collem autem thuris, vt hoc ſibi facilè demonſtraret, illud autem arduum in primis propter humanitatem. Itaque cùm ad mortis cruciatum appropinquaret, nunc, inquit, anima mea turbata eſt, & pater ſi poſſibile eſt tranſeat à me calix iſte. Et rurſum ſubijcit. Et quid dicn? Pater ſalua me ea hac hora, ſed propterea veni in horã hanc. Id hoc etiam loco ſignificans, vadam, inquit, mihi ipſi ad montem Myrrhæ, & ad collem thuris. Vtrunque enim libens facio nulla vi, nulla coactus neceſſitate. Poteſtatem enim habeo ponendi animam meam: Et poteſtatem habeo iterum ſumendi eam. Nemo tollit eam à me, ſed ego pono eam à me ipſo, vt iterum ſumam illam. Hactenus Theod. itaque tot plagis non moritur, quia ſui iuris erit mori aut non. *Educitur* verò ab atrio ad mortem, quod ſuæ paſſionis myſterium ſicut non potuit abſolui intra Prætorij atrium, quo mundus deſignatur, ita nec penetrari ab his qui viuunt in mundo, donec foras eductum in cælo conſpiciant. Hinc ſponſa: Quis mihi det te fratrem meum; hoc eſt factum hominem ſuggentem vbera matris meæ, hoc eſt, iiſdem Eccleſiæ oraculis, & obſeruantijs conformem; vt inueniam te foris, hoc eſt, tecum ad gloriam cæli transferar, & deoſculer te, hoc eſt, mente penetrem tua myſteria, & comprehendam ſicut comprehenſus ſum; vt iam nemo me deſpiciat, ſcilicet, ignorantem, pauperem, & neſcientem, quæ appetitus ambit ſcire, & poſſidere.

Theodor. *Philip.* 2. *Matth.* 26. *Marc.* 14. *Luc.* 22. *Ioann.* 18. Chriſtus libere paſſus. *Cant.* 8.

CAPVT XXI.

Et angariauerunt prætereuntẽ quemdam Simonem Cyrenæum venientem de Villa, Patrem Alexandri, & Ruſi, vt tolleret crucem eius.

Expoſitio.

ET cum debilitato corpore peneque exangue videretur Chriſtus crucem ligneam, quam humeris ab egreſſu atrij impoſuerant, portare haud poſſe. *Angariauerunt* certo prætio *prætereuntem* illac *hominem* quempiam robuſti corporis, & ſtaturæ inſignis. *Simonem* inquã, *Cyrenæum* patria, *venientem* tunc *de Villa*, quæ erat Ciuitati propinqua. *Patrem* dico, *Alexandri*, & *Ruſi*, qui religione, & obſeruantijs Chriſti erant noti, ac celebres. Is itaque angariatus eſt à Iudæis, vt tolleret breui in tempore crucem eius ad locum ſupplicij, ſicque ocyus finem acciperet, quod diu malignantes mente tractarant, optabantq. perfici.

Et angariauerunt prætereuntem quempiam ἀγγαρίζω Græcũ verbũ, eſt idem, quod Latinis, cogo, vnde ἀγγαρεία grauamẽ. Suidas vocem perſicam eſſe dicit, quam vt germanam mox, tàm Græci, quàm Latini proferũt accommodantq. oneri omni, præſertim importunis vectigalibus; vnde & imponens, & exigens *angarians* dicitur. *Angariauerunt* ergo *prætereuntem quempiam*, hoc eſt, compulerunt ſine precio dato, ſiue minis, portatorem crucis fieri. Nemo (aduertit Arias Mont.) erat qui lignum illud ne faſtum libens tangere vellet; tanquam execrabilem enim rem omnes horrebant. Et quidem adhuc pleriſq. non felix lignum, per quod ſit ſalus videtur, ſed infelix, ſub quo adhuc corrumpitur mater. Nam crucis profeſſionem, quæ eſt Apoſtolica, aut abhorrent, vt Hæretici noſtri temporis, inimici crucis Chriſti, ſucceſſores eorum quibus crux, & ſcandalũ, & ſtultitia erat; aut certè angariati portant coacti neceſſitate victus, qui mox abundat ſub cruce. Neque enim aliter pleriq. Præſulũ Epiſcopatibus ſe offerrẽt, neque aliqualem animarum curam ſuſciperent; nec prædicatorum, ac confeſſorũ multi vacarent exercitijs

Suidas. *Arias Montanus.*

citijs

citijs ſui muneris; quid? Neque Sacerdotes aliqui ſacra facerent, niſi ſecum ageretur more militum conductorũ, quos ſtipendium ad arma mouet, nõ honor Regis, neque cuſtodia Regni, aut populi pro quo militant. Similes pulchrè Greg. lib.8. mor. cap. 30. *Angariatos* appellat. Hinc Petrus apud Clẽ. epiſt. 1. ad Iacobum patrem Domini, ad omnes miniſtros Eccleſiæ ſuper omnia, inquit, auaritiam fugite, quæ homines occaſione præſentis lucri ab æternis ſeparat bonis.

Greg. Clem. Rom.

Simonem Cirenæum ſic à patria dictum. Eſt autem Cyrenæ inſigne Libyæ oppidum, inter Marcotidẽ, & Zeugitanã Prouinciam ſitũ, vnũ ex his quæ Pentapolim efficiũt. Vnde totus Libyę tractus inter Affricã propriè dictã, & Libyã Marmaricã, ſiue Marcotidẽ intermedius vno nomine Cyrenæa, aut Cyrenaica regio appellatur. Hinc oriundus *Simon* crucis Chriſti portator angariatur: Significat autem: Simon iſte (ait Zachar. Chriſop.) gentes quondam peregrinas, nunc autem obediendo factas ciues, & domeſticas Dei, ſicut alibi dicitur. Hæredes quidẽ Dei, cohęredes autẽ Chriſti, vnde *Simon* pulchrè obediẽs interpretatur, *Cyrene* verò hæres.

Oppidum Cyrena.

Zach. Chriſ. *Epheſ. 2. Rom 8.*

Venientem de Villa. Eſt *Villa* vel pagus paucis domibus conſtans non ſæptus muro. Vel locus ſolatij. Inde venit nobilis qui ad ſacrum Chriſti miſterium aſſumitur. Si pagum fingis *Villam*, vt quæ ruſticorum ſit habitatio, dicito angariatum hominem ſolo infimo ortũ, atque parente mediocri, cui Chriſti crux, vtpotè Epiſcopatus, aut alia Eccleſiæ adminiſtratio cõmittitur. Ex vtriſque, & alterutris ad Eccleſiaſtica munia Chriſtus delegit, tametſi ex nobilibus non multos ſecundũ Apoſtolũ, modò verò tota nobilitas eo ſpirat, & obtinet principatus Eccleſiaſticos, nec vitupero, ſed quod cum fauſtu, & victu delicato nobilitatis ſæculi, eam quæ ſuperat ſæcula velint, & contendant adminiſtrare.

Quid Villa.

Patrem Alexandri, & Ruffi. Qui inter diſciplinæ Chriſti ſtudioſos annumerabantur, propter quod erat patri honor, quia honor patris filius ſapiens, ſed & filij ex patris actu honorem accipiunt. Ad hæc Zachar. Chryſop. Magnæ opinionis Simon iſte fuiſſe videtur, cum filij etiã cuius tanquã noti omnibus ex nomine deſignantur. Alij quidem per merita patrũ ſuorum commemorantur, vt populus Iudaicus per Patriarcharum, & Prophetarum merita, alij verò per merita filiorum, vt hic Simon filiorum meritis, qui erant diſcipuli commendatur. Per hoc admonemur in præſenti vita parentes adiuuari per merita filiorum ſuorum.

Prou. 10. *Zach. Chr.*

Vt tolleret crucẽ eius. Non vt loco Chriſti crucifigeretur quemadmodum nonnulli Hæretici ſomniarũt. *Tollit* tantùm *crucem* Simon, poſt Chriſtum tamen. Nam Ioannes ait Chriſtũ baiulaſſe crucem. Vnde Theoph. Aliquandius portauit ipſe lignũ, deinde autem quum inueniſſent aliquẽ, qui portaret, coegerunt illum, & poſteà portata eſt ab illo crux. Primus itaque Chriſtus crucẽ baiulat, poſt ſequitur Simon angariatus. Hic eſt Martyr omnis, qui primum Martyrum, & vt cantat Eccleſia Regem Martyrum ſequitur. Nos autem quid? Otioſi ne? abſit. Primum omniũ Chriſtum ſub cruce; ſeu potius principatu contemplemur, quomodo in eo (vt inquit Gloſſ. ord.) educitur Abel in agrum à fratre vt perimatur; Iſaac cum lignis, & holocauſtũ fiat; Ioſeph cũ talari tunica tincta ſanguine; & alia id generis in eo implentur. Poſt Martyrũ memorias in memoriam reuocemus, quomodo angariati charitate Chriſti, ſpe celeſtis gloriæ, & fide non ficta gaudentes ibant, poſt Chriſtum ad coronam martyrij. Subinde calcaria nobis addamus, vt nos vna crux tangat, qui præcedentium præmia expectamus: Hinc Greg. Nazianz. orat. 18. in laudẽ S. Cypriani. Cùm multa nos ad melioris vitæ ſtudium ducãt, atque ad virtutem erudiant, ratio, lex, Prophetæ, Apoſtoli ipſique adeò Chriſti, primi Martyris cruciatus, qui crucem conſcendit, meque ſecũ duxit, vt peccatũ meum affigeret, & de ſerpente triumpharet, & ſanctitatẽ ligno afferret, & voluptatẽ vinceret, & Adamum ſalute afficeret, ac prolapſam imaginẽ erigeret, atque inſtauraret: cum tot, inquã, tantaque habeamus, non minus tamen ad vitam rectè inſtituendam nobis vtilitatis afferunt Martyres, holocauſta ratione prædita, victimæ perfectæ, oblationes Deo gratæ, & acceptæ veritatis præconia, mendacij proſciſſiones, legis, quæ ſpirituali modo intelligitur, expletio, erroris expreſſio, vitij inſectatio, peccati diluuium, mundi luſtratio. Hæc ille: Quibus ſi ſedulò attenderimus facilè, & Chriſti & Cyrenei, hoc eſt, Regis, ac Martyrum euademus imitatores.

Theoph. *Gloſſ. Gen. 4. Gen. 22. Gen 37* *Greg. Naz.*

CAPVT XXII.

Et perducunt illum in Golgotha locum, quod eſt interpretatum Caluarię *locus.*

ANgariato itaque Cyreneo facilius *perducunt* ſemimortuum *illum*, vt videbatur ipſo aſpectu, *in Golgotha* extra vrbem *locum* damnatorũ. *Quod* nomen propterea *interpretatum eſt caluariæ locus*, aut qui mortuorum caluarijs repletus eſſet. Præſertim vt alij oppinantur, quod Adæ Caluariam contineret ſepultam.

Expoſitio.

Et perducunt illum. Stipatum militibus ne tolleretur, præcedentibus lictoribus, vt viam ſternerent, vndique circumdatum Sacerdotibus, Senioribus, & Phariſæis, atque Scribis, vt adderent dolorem ſuper dolorem, denique ſequente pio mulierum exercitu, vt flerent coronã Hieruſa-

lem, quæ abibat; atque hinc inde concomitante latrone, qui, ſi fieri poſſet facinoroſum cæteris Chriſtum redderent. Interim ad ſemetipſum Chriſtus intonabat. Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me feſtina. Confundantur, & reuereantur, qui quærunt animam meam. Exultent, & letentur in te omnes, qui quærunt te, & dicant ſemper magnificetur Dominus, qui diligunt ſalutare tuum. Ego verò egenus, & pauper ſum Deus adiuua. Et propter quem, ò homo, ſe fecit modo cunctis pauperiorem, qui diues eſt? Chriſtus ſecundùm ſcripturas, ſcribit Cyrillus.

Cyrillus.

Exageſi ad Acatium Epiſc. tom. 6. Epheſ. Concil. cap. 16. factus eſt hoſtia pro peccatis noſtris. Et hac etiam de cauſa peccatum nominatur. Qua ſapientiſſimus Paulus, Deum Patrem eum, qui peccatum non nouerat, pro nobis peccatum feciſſe commemorat: Neque enim dicimus Chriſtum peccatorem fuiſſe, abſit hoc, ſed iuſtum, immò ipſammet iuſtitiam; peccatum enim non nouit. Victimam itaque fecit illum pater pro mundi peccatis. Nam & cum iniquis reputatus eſt, & ſententiam in ſe ſuſcepit iniquis conuenientiſſimam, cui quidem rei fidem facit Iſaias 53. Petrus 1. Pet. 2. Paulus Rom. 5. Hebr. 2. Rom. 1. Ioann. 1. ſanguineque ſuo Eccleſiam ſanctificauit. Leuit. 16. Hebr. 9. Hebr. 13. Eſtote ergo (concludit poſt hæc Cyrillus) idem cum Paulo Epheſ. 5. imitatores Dei, ſicut filij chariſſimi. Et ambulate in dilectione ſicut Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem, & hoſtiam in odorem ſuauitatis.

Victima prò mundi peccatis.

Iſai. 53. Petrus Paulus Ioann. Leuit. 16. Hebr. 9. Cyrillus Epheſ. 5.

In Golgotha locum. Nomen eſt Syriacum, vel Chaldæum, quantum ad terminationem (ſecundùm Arias Montanum lib. de interpret. nom. Hæbr. Chald. & Græcor.) deriuatum à verbo גלה Galah, hoc eſt, tranſmigrare, qui autem *in Golgotha* loco adducebantur, tranſmigrabant ab hac, ad aliam vitam. Erat enim locus damnatorum, extra vrbem Ieruſalem, ad partem aquilonarem montis Sion, ſic parum à turri, quæ dicebatur mulieris diſtans. Proficiſcebatur autem eo per portam veterem, ſic olim dictam, quòd cæteris euerſis, illam Aſſyrij intactam reliquiſſent, poſt iudicij porta eſt appellata, à iudicio, quod per eam egredientes *in Golgotha* exercebant miniſtri iuſtitiæ. Quòd eo loci Chriſtus tranſmigrantium Dux, & primogenitus, mortuorum mortem ſubierit multa inſinuant myſteria his, qui ſpeculationibus vacant, ego terrigena tria colligo. Primum à porta, qua eo proficiſcebatur; ſecundum à turri quæ propinqua erat, & tertium à loci ſitu, & æthimologia. Hæc eſt tranſmigratio, ſitus autem extra portam. Hic patitur Chriſtus qui non moritur, vt cæteri quòrum anima ſeparatur, & corpus corrumpitur, vnde nomen defuncti obtinet. At Chriſti ſanctum corpus non vidit corruptionem, ſed neque anima tenebras inferni, vt Iudæi fabulantur, auctore Cyrillo loco proximè citato, ſuſtinuit; ſed illuſtrauit eductis, qui ſedebant in tenebris. Quare eius mors non defunctio, ſed trãſmigratio appellatur, quod eo corpus depoſuerit, vt depoſito equo, dominus, cuius ſpeciem anima gerebat, tranſmigraret ad ſuos, inuiſeret, conſolaretur, & reaſſumpto equo vna tranſmigrarent ad proprias ſedes. Fit autem huiuſmodi tranſmigratio extra portã, velut extra vineam, hæres percutitur, vt non vineæ, ſed vinitoribus; non ciuitati, ſed ciuibus, qui vt latrones foris agrediuntur Regem, imputetur cædes. Hoc eſt non Eccleſiæ iuſtorum, propter quam liberè ibat ad mortem; ſed filijs alienis à Deo, & Eccleſia, qui contra fas manus violentas iniecerunt in eum. Accidit geſtum verſus turrim mulieris, vt peccatum, cuius initium à muliere emanauerit, ſciamus tàm præclari Chriſti victoria dilui. Erat ad locum acceſſus per portam veterem, quod ad deſtructionẽ veteris Adam, quem Aſſyrius, hoc eſt, Diabolus curarat, ab initio integrum conſeruari.

Arias Mõtanus.

Cyrillus

Cur extra portas mortuus Chriſtus.

Quod eſt interpretatum Caluariæ locus. Vt dictum eſt à Caluarijs mortuorum, vel Adam, vt quidam dixere, licet Hieronym. & alij non probent; vel certè aliorum, in quos cùm iudices exercebant mortis iudicia. Iſthuc itaque perductum Chriſtum crucifigunt; tribus ne aut duobus clauis? incertum eſt. Vnde à primis Eccleſiæ exordijs crucifixum Chriſtum, quidam tribus; alij quatuor clauibus ſuffixũ depingũt. Hiſtoria Helenæ Imperatricis (quæ & crucis, & clauorum Chriſti extitit inuentrix) tria eſſe fert. De cruce quoque ſolet addubitari cuiuſnam ligni: An orbis noſtri, an paradiſi terreſtris originem ducentis; & an vnius ſpeciei, vel plurium. His tamen miſſis, cur Pilatus Chriſtum adiudicarit cruci, ſicque petierint Iſraelitæ quum ſimilis mors nulli ex lege daretur, ſed dilapidatio? Erat quidem Iudæis ſolitum, vt ſcribit Philo lib. de ſpeciali lege tantùm homicidas crucifigere. Apud Romanos (auctore Luciano Dialo. Iud. vocal.) mos erat quoque famoſos latrones ſimili crucis pœna percutere. Quare etſi ob accuſationem blaſphemiæ lapidibus perimi Chriſtum oportere audita optione Pilati Barrabam an Chriſtum vellent dimitti, totam pœnam Barrabæ debitam ex homicidio, & latrocinio, vtpotè crucem in Chriſtum conuerti acclamaut dicentes; crucifige, crucifige. Quod tamen maligno animo petierunt, magno myſterio Deus præordinarat fieri, vt qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur, vt (qui ſub ligno frondoſo præuarica-

Hieron.

Cum Chriſtus cruci adiudicatus, & non lapidatus ſecundum legem.

Philo.

Lucian.

Pœna Barrabæ in Chriſtũ conuerſa

Ioann. 12. *Orig.*

uaricarant per fructum ligni reconciliarentur; quia dixit: Si exaltatus fuero è terra omnia traham ad me ipſum. Hinc Orig. hom 8. in diuerſos Euangelij locos filij Dei humilitas, noſtra exaltatio eſt illius crux, noſtra victoria eſt, illius patibulum, noſter triumphus. Inſitum igitur (proſequitur Cyrillus Hieroſolym. Cathacheſi 13.) illuminatorum, eſt lignum vitæ in terra, vt maledicta terra deinceps frui poſſet benedictione, & vt liberentur, viuificenturque mortui. Hoc enim ſigno conſpecto (deponit Ephrem Syrus lib. de vera penit. cap. 3.) aduerſariæ poteſtates conterritæ, trementeſque recedunt. Crux ipſa Chriſti veraciter ſanctificauit orbem, fugauit tenebras, lucemque reuixit. Hæc eliminauit errores, viamque monſtrauit. Hæc ab ortu ſolis, & occaſu, à Septentrione & Meridie collegit gentes, atque in vnam Eccleſiam, in vna fide ſub vno capite, in charitate connexuit. Hæc orthodoxorum inexpugnabilis murus eſt. Nam quod olim in lamina monſtrabatur (ait Hieron. ad Fabiolam Epi. 128.) in ſigno oſtenditur crucis. Tunc ſignum, iuxta Ezechielis vocem, gementibus figebatur in fronte; nunc portantes crucem dicimus ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine. Sed hæc de cruce ſufficiant. Veſſe quidem myſteria omnia percurrere, cultum, & mirabilia opera eius, vix multis libris fieri poſſet.

Cyrill.

Ephrem.

Hier. *Ezech 9.* *Pſal. 4.*

CAPVT XXIII.

Et dabant ei bibere mirrhatum vinum: & non accepit.

Expoſitio.

ET interdum Chriſtus mortem in cruce deſtrueret, ſitiretque corpore præ anguſtia carnis dilaceratæ, ſeu verius vniuerſorum ſalutem ardenter ſitiret, *dabant ei*, qui aderant carnifices, & miniſtri Pilati, ſeu Iudæi *bibere mirrathum vinum*, quod piæ mulieres morituris præparabant, nè mortis grauitate vexarentur ſopiti. Et tamen qui, genimen vitis niſi in Regno Dei nouum vltrà non bibiturum, dixiſſet *non accepit* intra ſtomachum, quod eius ori ad motum fuerat poculum. Cùm enim guſtaſſet, noluit bibere.

Et dabant ei bibere. Quoniam ipſe dixerat ſitio, iam pendens de cruce, vt deſiderium redemptionis noſtræ inſinuaret; haud ſecus quam pugis qui victor de omni hoſte exclamat deſiderio adhuc hoſtem. Et hoc quidem fecerat Chriſtus extenſus in cruce, quæ ſuper montem defixa erat iuxta illud: Et præcipitabit in monte iſto, faciem vinculi colligati ſuper omnes populos, hoc eſt, Diabolum; quòd omnes vinciebat ad mortem inferni. Et telam quam orditus eſt ſuper omnes nationes, hoc eſt, peccatum quod adinuenit tentator. Præcipitabit mortem in ſempiternũ, hoc eſt, damnationem inferni, & auferet Dominus omnem lachrymam ab omni facie; hoc eſt, triſtitiam non perueniendi ad cælum, & oprobrium populi ſui auferet de vniuerſa terra, hoc eſt, detentionem ſanctorum in limbo. His igitur abſolutis ſitiuit, hoc eſt, optauit maiora pati. Si iſta non ſuffeciſſent; & ſitiuit, hoc eſt, deſiderauit vniuerſos tantis frui commodis. Tunc igitur dabant ei bibere adſtantes non quidem, vt opus charitatis, quæ iubet ſitienti potum dare, ſed vt nugarentur inſani. Quod & nos facimus quando Deo quæ à nobis efflagitat damus; longè tamen aliter quàm par ſit, velitque ipſe ſibi offerri. Vnde tunc dicit, & miniſtranti ſacramenta, & offerenti preces, & danti munera. Quis quæſiuit hæc de manibus veſtris?

Iſai. 25.

Mirrathum vinum. Vinum quod præ dulcore delectat, & Myrrham, quæ præ amaritudine vix guſtari poteſt, Chriſto morienti offerunt, & licet peruerſo animo non abſque myſterio eius, qui diſponit omnia ſufficienter, vt videlicet morientes profiterentur vnica potione Deum, & hominem. Hic quidem Mirrhæ faſciculus, & humiliatus vſquequaque, Mirrham accepit, & omnem amaritudinem, vt ab ea nos liberet. Deus autem qui dulcis eſt, & benignus, odoratus eſt *vinum*, quod lætificat cor. Non autem accipit. Quoniam & ſi diuinitati fiant oblationes crebræ, nihil ei de nouo aduenit, ſed & homo Chriſtus tantis ſe voluntariè laboribus obtulit, vt nulla additio poſſit fieri. Datur autem vnica hæc potio duobus ferè pugnantibus conſtãs, amaro, & dulci; vt vnicum Chriſtum in Deo, & homine coniunctis profiteretur, & eundem Deum prædicatione *myrrathum*, hoc eſt, mortuum, & paſſum, atque hominem, *vinum*, hoc eſt, Deum. Nam, & homo Chriſtus Deus eſt, & Deus Chriſtus mortuus eſt. Sed hominis paſſiones (inquit Neſtorius apud Theodotum Ancyrorũ Epiſcopum oratione de natiuit. Saluatoris, quæ habetur Appendice 5. tom. 6. Epheſ. Concil. cap. 2.) non præſumo Deo coniungere. Ergo neque ſanare cùm paſſiones hominum dicis, neque cruce expoliaſſe virtutem diaboli, neque noſtrum peccatũ adfixiſſe ligno, neq. proprijs paſſionibus ſanaſſe hominũ paſsiones, neque morte dicis eum deſtruxiſſe mortem. Si enim non fecit Deus proprias paſsiones, vnde paſsionibus Chriſti tantarum corruptionum ſunt factæ virtutes? Quomodo perempta eſſet morte mors, niſi Deus propriam eam feciſſet? Et infra; quomodo autem crux peccatum crucifixiſſet, aut mors mortis tyrannidem deſtruxiſſet, niſi hæc facta fuiſſent Dei, & ab illo

Digitized by Google

illo virtutem ſumpſiſſent propria faciente; quæ ſunt noſtra non patiente ipſius natura. Itaque *vinum* dicitur *myrrhaticum* ſicut & myrrha dicitur hoc loco vinum, hoc eſt, Deus mortuus, & homo Deus viuens.

Theoph.

Et non accepit. Quia, inquit Theophylactus, illudentes dederunt ei: Alius autem

Concord. Euang.

Euangeliſta dicit acetum cum felle; & alius aliud quid oblatum eſſe Domino, & nihil in his contrarium. Quum enim nulla apud eos diſciplina, alij alia offerebant, & alius quidem acetum, & fel, alius autem vinum myrrhatum fortaſſe, & vinum acetoſum erat, & amara myrrha, & hinc conueniunt, quod dicit ille myrrathum vinum, alius verò acetum cum felle. Nam & vinum acetum dici poteſt, quia acetoſum, & myrrha fel, quia amara. Neque in hoc diſſonant, quod vnus dicit. Dabant ei bibere, ipſe autem non ſumebat; & alter, quumq; guſtaſſet, nolebat bibere, omninò enim dicendo *non accepit*, manifeſtauit, quod non biberit. *Non accepit* etiam, quia (inquit

Zacharias Chryſop.

Zachar. Chryſopol.) guſtauit pro nobis amaritudinem mortis, ſed tertia die reſurrexit, & reſurgendo mortem reiecit. Verè autem *non accepit*. Quia vinum myrrhaticum dabatur (ſecundùm Arias Montan.) vt

Arias Mõtanus.

ſtupentibus membris, & mentis alienatione inducta, ſenſibuſque non integris moreretur, id quoniam ad animi integritatem minuendam propinabatur; *non accepit* Ieſus quamquam nihil illi nocere huiuſmodi potio poſſet. Valeret autem ſi bibiſſet ad impiorum maleuolorum, ac perfidorum maledicentiam fouendam.

CAPVT XXIV.

Et crucifigentes eum diuiſerunt veſtimenta eius mittentes ſortem ſuper eis quis quid tolleret.

Expoſitio.

DVm cæteri illudunt pendenti de Cruce *crucifigentes eum* milites ad ſpolium, mundo quidem precioſius, & ſi hominum ignorantia viliſſimum, vtcunque diſpõente Altiſſimo *diuiſerunt* in partes *veſtimenta eius*, quæ more pallij paleſtini ab humeris totum corpus penè tegebant, *mittentes ſortem*, vt per eam lis omnis ſolueretur. Sors autem erat, vt *quis, quid tolleret*, quod ei per ſortem accideret.

Et crucifigentes eum. Scilicet proprijs manibus. Nam qui linguis crucifigerent, atque affectibus plerique erant, vtpotè Concilium Senadrim 72. Sapientum, & turba innumera, quæ hiſce adhæſerat; nemine opem ferente crucifixo, aut conſolante. Vnde patrem ſic de Cruce effatur: Tu

Pſal. 68.

ſcis improperium meum, & confuſionem meam, & reuerentiam meam. In conſpectu tuo ſunt omnes, qui tribulant me; improperium expectauit cor meum, & miſeriam. Et ſuſtinui, qui ſimul contriſtaretur, & non fuit; & qui conſolaretur, & non inueni. Et dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto. Fiat menſa eorum in laqueum, in retributionem, & in ſcandalum. Illis nè ſolùm? Profectò, & ijs, qui ſunt iterum crucifigentes Chriſtum in ſemetipſis. Quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt. *Phil. 3.*

Diuiſerunt veſtimenta eius. Veſtimentorum Chriſti, vnum diuiditur, alterum verò ſeruatur integrum; hoc per ſortes, illud per diuiſionem communicatur. Sub ſortem cadit gloria; prout, inquam, Deus elegerit gloria munerari. Vnde Pſaltes: Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei, tu es, qui reſtitues hæreditatem meam mihi, funes ceciderunt mihi in præclaris; etenim hæreditas mea præclara eſt mihi. Eſt quidem hæreditas hæc, atque gloria, inconſutile veſtimentum Chriſti, quod nec acus paſſionis, neq; mortis fractura deformauit, aut rupit. Fit nobis commune per ſortem, hoc eſt, æternum Dei propoſitum, quo ſuos prædeſtinat conformes fieri imaginis filij ſui. Diuiditur alteri *veſtimentum*; vtpotè meritum, & gratia. Hanc diuidit ſpiritus, prout vult; illud autem communicatur, prout quiſque ſeipſum diſponit, exercetque in Sacramentorum receptione. Per hæc quidem meritum Chriſti maius, vel minus participamus. Poſſumus, & *veſtimentum* vtrunque ad pondere dignitatis Pontificiæ, & poteſtatem referre, vt inconſutilis tunica, ſit vicaria eius poteſtas, quæ in Vicario ſuo Romano, inquam Pontifice reſidet. Hæc inconſutilis eſt, quia nec diuidi, nec minui poteſt ab homine, quin ſuam plenitudinem, de qua alias, ſemper retineat. Quia iſtius Sedis priuilegia (ſcribit Nicol. I. ad Mithaelem Imperator.) perpetua ſunt, diuinitus radicata, atque plantata impingi poſſunt, transferri non poſſunt; trahi poſſunt, euelli non poſſunt, quæ ante imperium veſtrum fuerunt, permanent, Deo gratias, hactenus illibata, manebuntque poſt vos, & quouſq; Chriſtianum nomen prædicatum fuerit, illa ſubſiſtere non ceſſabunt. Datur per ſortem, quia per electionem diuinam non Imperatorum, aut conciliorum vota, neque etiam Cardinalium, qui & ſi perſonam eligant, auctoritatem non dant; ſed qui dixit: Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Vnde Gregor. in Concil. 30. epiſt. dixit: Sancta Romana Eccleſia nullis ſynodicis conſtitutis, cæteris Eccleſijs prælata eſt; ſed Euangelica voce Domini, & Saluatoris noſtri primatum obtinuit. Proinde Anſelmus lib. de Incarnation. Verb. cap.

Quid p. Chriſti veſtimenta intelligẽdum?

Pſal. 15.

Nicol. I.

Poteſtas Põtificia à Deo, & non ab homine.

Matt 16.

Gregor.

Anſelm.

1. ſic

r. ſic ad Vrbanum Papam ſcribit: Quoniam diuina prouidentia veſtram elegit ſanctitatem, cui vitam, & fidem Chriſtianam cuſtodiendam, & Eccleſiam ſuam regendam committeret. Fuſius hæc legito ſuis locis, & apud Turrecremat. lib. 2. ſum. Eccl. cap. 39. & Bellarminum tertia controuerſia lib. 2. per multa cap.

Turrecre. *Bellarm.*

Veſtimentum. Quod in partes diuiditur, eſt ſumma ſubordinaria poteſtas Eccleſiaſtica, quam in quatuor partes, vtpotè Patriarchas quatuor, ſubiectos Romano Pontifici, diuiſerunt Patres, prout nouerunt expedire, videlicet, Alexandrinum, & Antiochenum; Anaclet. ep. 3. Leo ad Anatholium epiſt. 53. Gregor. ad Eulog. lib. 6. epiſt. 37. can. 6. Concilij Nicæni, Chalcedon. act. 16. Hieroſolymitanus, & Conſtantinopolitanus multo poſt tempora Apoſtolorum facti ſunt. Horum quatuor ſedes, & poteſtates poſt Romanam, quæ olim quoque inter tres Patriarchatus numerabatur loco cum habent ſupremum, ſubordinantur tamen Romano Pōtifici cuius aſſenſu, & conſtitutione ordinatæ ſunt, conſeruantur, & vt videbitur illi rugeri poterunt. Semper tamen quatuor prædictæ, & retinuerunt, & retinebunt nomen Patriarchatus, potiſſimum, velut quatuor partes, in quas diuidunt milites Chriſti noſtri veſtimenta.

Quatuor Patriarchæ. *Anaclet.* *Gregor.* *Conc. Nic.* *Chalced.*

Mittentes ſortem ſuper eis. Non ſolùm inconſutilis tunica admittit *ſortem*, ſed & quatuor veſtimentorum Chriſti ſciſuræ per *ſortem* diſtribuuntur. Quoniam nihil eſt, quod non præſupponat voluntatis Dei propoſitum, vt proſequamur *ſortis* ſignificatum, quo hactenus vſi ſumus. *Sortis* qualitas non exprimitur? Ego illam crederem, de qua Cicero lib. 2. de diuinatio. Quid enim *Sors* eſt, idem propemodum, quod micare, quod talos iacere, quod teſſeras, quibus in rebus temeritas, & caſus, non ratio, nec Concilium valet. Tota res eſt inuenta fallacijs, aut ad quæſtum, aut ad ſuperſtitionem, aut ad errorem. Verùm etſi huiuſmodi homines, à Deo alieni, multos in his errores fortè commiſiſſent, *ſortem* præſenrem duxit ille, in quem nullus error cadit.

Cicero.

Quis quid tolleret. Ex quatuor, ſcilicet partibus, in quas veſtimentum eſt primò diuiſū, deinde ſors facta ſuper vnamquamque partem cui nam caderet. Non enim omnes partes vni communicantur, tùm maximè quæ his ſignificantur, vtpotè ſtatus ordinis Chriſtiani, in plures diſtribuunt. Nam fidelium alij ſunt coniugati, alij viduati, religioſi alij, & alij continentes, quorum omnium vna fides eſt, quæ ſecundùm Hieron. in prædictos quatuor ordines diſtribuitur.

Hieron.

CAPVT XXV.

Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum.

Erat, inquit Euangeliſta *hora tertia*, quando mortis ſupplicium, atque ſententia cœpit in eum agi, ob quam abſque miſericordia aliqua, quin pardis crudeliores, *crucifixerunt eum*, in loco deſuper propoſito.

Expoſitio.

Erat autem hora tertia. Quando, ſcilicet, crucifixerunt eum, id eſt nona ante Meridiem, ait Gagnæius, quæ *tertia* erat ab orto ſole, quando diem incipiebant. Subdit paulò inferius: Hieron. in Pſalm. 77. annotat in Marco ſcriptum fuiſſe *hora* ſexta, notula ſeuarij numeri, quæ eſt 6. ſed deſcriptorum abuſu eſſe 3. quæ eſt nota numeri ternarij pro 6. At cùm Lucas dicat, quod *hora* ferè ſexta factæ ſunt tenebræ, ante quod factum, multa acta ſunt Chriſto pendenti in Cruce, multa in eum iacta conuitia, collocutio Chriſti ad Mariam, & Ioannem: Veriſimilius ergo eſt *hora tertia* crucifixum eſſe, à quo tempore vſque ad excitaras tenebras horæ penè tres interceſſerunt, & ab excitatis tenebris vſque ad Chriſti mortem, horæ tres aliæ. His tamen videtur Ignatius ad Trallianum aduerſari dicens: *Hora tertia* accepit à Pilato, permittente id patre, *hora* ſexta crucifixus eſt, Nona expirauit, ante ſolis occaſum ſepultus eſt. Adde, quod Marcus, non ait, *Hora tertia*, crucifixum, ſed quod erat *hora tertia*, quando, ſcilicet, quæ præmittit ludibria agi cœperunt; quod ſequitur: *Et crucifixerunt eum*, nō refertur ad *horā tertiam*, ſed ad tempus, quod ſequitur *horam tertiam*, ac ſi diceret: *Hora tertia erat* quando illudi cœpit Ieſus in atrio Pontificis, & poſt hæc *crucifixerunt eum*. Conſonat Arias Montanus ſcribens: Iam prætererat *tertia*, & vrgebat dies ad ſextam; ita publicè in clara die crucifixus eſt ille Ieſus, & publicè ab omnibus ſpectatus, & titulo inſcripto indicatus, & ibi publicè Rex Iudæorum declaratus, & tamen idem Iudæorum Rex cum iniquis reputatus, & inſultatione grauiſſima à prætereuntibus deluſus. Itaque inter tertiam, & ſextam crucifixus eſt, quia hora erat quaſi ſexta, & poſt tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram.

Gagnæius. *Hieron.* Qua hora Chriſtus crucifixus iuxta computū noſtrum? *Ignatius* *Mar.* *Arias Montanus.*

Et crucifixerunt eum. Scilicet in ligno Crucis, quam præpararant ad interitum carnis, quæ neſcit corruptiones. Fuit tamen ſalus, & gloria vniuerſa. At proinde illi canit Eccleſia.

Arbor decora, & fulgida,
Ornata Regis purpura,

Hym. Paſſ.

Ele-

Electa digno ſtipite,
Tam ſancta membra tangere,
Beata cuius brachijs:
Saeculi pependit pretium,
Statera facta corporis,
Praedamque tulit tartari.
O Crux aue ſpes unica.
Hoc paſſionis tempore
Auge pijs iuſtitiam,
Reiſque dona veniam.

Præſtatur autem hic honor Cruci, & petitio, propter eum, qui in ea pependit, & repreſentatur. Nec quidem id aliundè, quàm à traditione Apoſtolica, accepimus, iuxtà illud Damaſc. lib. 4. orthod. fid. c. 17. Imaginis honor ad prototypũ, ideſt, exemplar, imaginiſque veritatem, transfertur. Eſt autem hæc traditio non ſcripta, perinde ac adorationis ad Orientem, adorare, ſcilicet Crucem, & alia plurima his, quæ dicta ſunt ſimilima. Omnem enim Crucem ob repreſentationem reueriti ſunt ſemper fideles. Neque enim ſcribit Chryſoſt. in demonſtratione aduer. gentiles, ſic Regia Corona ornatur caput, vt Cruce, quæ omni cultu dignior; & quam omnes prius abhorrebant, eius figuram tantopere quærunt; atque adeo vbique ea inuenitur apud Principes, apud ſubditos, apud mulieres, apud viros, apud virgines, apud nuptas, apud ſeruos, apud liberos. Subinde omnes ea ſe ſignant inſcribendo in nobiliſſimam partem noſtram: In fronte enim noſtra, quaſi in columna quotidiè figuratur, ſic in ſacra menſa, ſic in Sacerdotum ordinationibus, ſic iterum cum corpore Chriſti, in myſticis cœtus fulget. Quoniam (vt inquit Ambr. ſerm. 43.) in vno ſigno Chriſti omnium rerum eſt tuta proſperitas. Vnde ſcriptum vidit Conſtantinus in Cruce præoſtenſa, vt ſcribit Euſeb. lib. 1. de vita Conſtant. In hoc vinces. Et quidem vicit eo, Maxentium, vt tradit quoque Nicephorus lib. 8. Eccl. hiſt. cap. 3. Antonius, & Hilarion, ſæpius de diabolo triumpharunt. Athanaſio, Hieron. in eorum vitis referentibus. Quare vincit, quod peius eſt (ait Gregor. Nazianz. oratione p. contra Iulian. Imper. apoſt.) Crux illa in qua pependit Chriſtus honoratur, tùm ob repreſentationem, tùm ob contactum, & ſingulis eiuſdem particulis idem honor, quem latriam dicimus, debetur. Iuxtà illud Ambr. oratione in Theodoſium. Helena egit, quæ Crucem, particulam videlicet Crucis, nimirum clauum vnum, in capite Regum leuanit, vt Crux Chriſti in Regibus adoretur. Quoniam vt lib. 6. carm. Sybill. Sibilla cecinit.

Damaſc.

Adoratio Crucis traditio Apoſtolica.

Chryſoſt.

Gloria Crucis.

Ambr.

Euſeb.

Eius virtus.

Athanaſ. Hieron.

Ambr.

Sybilla.

O lignum felix, in quo Deus ipſe pependit.

Qui plura de Crucis Chriſti adoratione, & magnificentia optarit, proſequatur citatos auctores, tùm maximè Ionam lib. 1. qui ſcripſit contra Claudium Taurinenſem. Petri Cluniacenſis epiſtolam, quam aduerſus Petrum Bruum ad omnes Epiſcopos tranſmiſit, & Thomam Vualdenſem tom. 3. tit. 20. qui, Vuicleuiſtas priorum errorem de non adoranda Chriſti Cruce, neque illius particulis, ſuſcitantes, expugnat, & ex Neotericis, qui paſſim aduerſus Magdeburgenſes ſuper his emittunt diſputationes, interim nos curſum proſequemur.

Ionas.

Petrus Cluniacen.

Tho. Vualden.

CAPVT XXVI.

Et erat titulus cauſæ eius inſcriptus: Rex Iudaeorum.

Expoſitio.

Etſi tantam ignominiam, quantam non valemus deſcribere, aduerſarij Chriſto intulerint, honorem ſibi debitum non potuerunt abſcondere, & propriam accuſare malitiam, vt qui tàm inſolenter in proprium Regem, ac Dominum egerint. In Cruce enim, vnde quaſi maledictum quid, pendebat benedictio, *erat titulus*, qui *cauſæ* ſuæ innocentiam demonſtrabat cunctis. Tùm maximè, quod in loco Crucis ſubli-miori *inſcriptus* eſſet, & triplicato idiomate, vt facilè ab omnibus, qui Hebræam, Græcam, linguamque Latinam callerent, legi poſſet. Is autem erat *Rex Iudaeorum*. *Rex*, inquam ille, qui *Rex* Regum antè ſæcula regnat in ſeipſo, & ſuper condita imperium abſolutiſſimum habet. Qui volens omnibus opitulari, factus homo contulit ſalutaria, præſertim Iudæis. Ex quibus carnem accepit, iiſque præſentiam obtulit, & omnia bona, quapropter ſpecialius dictus *Rex Iudaeorum*, licet & gentium, quin & Angelorum ſemper ſalutatus fuerit *Rex*, Deus, & Dominus.

Et erat titulus. Huius materia non ſatis conſtat, cuius ligni ſit inſpicitur in Eccleſia peculiari Romæ. Sed an ex olea, pino, buxo, aut cedro ſit, non dignoſcitur. Ex his enim quatuor, ſcilicet, cedro, pino, cypreſſo, & buxo vult Beda in ſuis collectaneis, & floribus, totam Chriſti Crucem efformatam, in ſimilitudinem. T. Græcæ litteræ, cuius formam auctore Hieron. in cap. 9. Ezech. olim ת thau Hebraicum retinebat, vt idem Beda in quæſt. in Gen. opinatur. Licet aliter Auguſt. epiſt. 120. cap. 26. ſentiat, credens lignum longum ſuper tranſuerſum eminuiſſe. Quod Irenæus lib. 2. c. 42. probare ſic de Cruce Domini ſcribens. Habitus, ideſt figura Crucis, fines, & ſummitates habet quinque, duas in longitudinem, duas in latitudinem, vnam in medio, in qua quieſcit, qui clauis affigitur. Titulum autem, vt quid aliud à Cruce quippè in tranſuerſum ſuper caput, non ponit inter

Beda.

Forma, & materia Crucis.

Hieron.

Auguſt.

Irenaeus.

inter ſummitates quatuor crucis. Cæterum formam retinuiſſe Tita T. græcæ litteræ, vt cumque dicimus cum Beda, quoniam parua ligni lõgi eminẽtia pro nihilo reputabatur, proportione facta ad cæteras extremitates Crucis. Quemadmodum & montium eminentia non tollit, quominus terram dicamus rotundam, quia reputantur, vt parui grani confixi ouorum teſtis, & corticibus; ſic & eminentiam ligni longi Crucis ſuper tranſuerſum; nec non titulum oportet imaginari, vt eius figuram in Thau, *Ezech. 9.* quod fronti gementium ſcriptum legimus; in ſerpente erecto; qui ita ab Hebræis de- *Num 9.* ſcribitur. In Arca Noe, cuius fabricam ad hoc declinaſſe ſignum, & in cythara Dauid, quæ ſimilem retinuiſſe formam nonnulli credunt, atque in alijs præceſſiſſe aptius aſtruamus. Atque occaſione tituli, qui cùm ferret *cauſam*, ſcilicet innocentiæ Chriſti, & beneficentiæ, necnon damnationis populi exaſperantis, & reprobati, quam iuſſit Deus, apud Iſaiam, ſcribi ſuper buxum *Iſai. 30.* eiuſdem materiæ quid inconueniret illum dicere? Antiquitate qualis ſit non diſcernitur, tùm maximè quod ſub vitreo oſtendatur. Eſſe tamen buxeum oraculum Iſaiæ me perſuadet.

Cauſa eius inſcriptus. Cauſa nomen dupliciter poteſt interpretari. *Cauſa*, ſcilicet, hoc eſt accuſationis. Accuſabant enim quòd ſe Regem fecerat, vel cauſæ, hoc eſt veritatis, & æquitatis ſuſcepti iudicij iniuſti. Quia ſciebat Pilatus, quòd propter inuidiam accuſaſſent eum, & in ruinam propriam, cùm aduerſus Regem inſurgerent. Itaque *cauſa titulus* Chriſtum exaltat, quod Rex exiſtens pro gente occubuerit, liberè ſua ex parte, & vtiliter; Iudæos autem crucifixores infimulat, & infamat iuſtè, vt qui nec à Rege abſtinuerint manus ſanguinarias. Poſt ergo titulum buxi ſubdit Vates: Pro eo, quod reprobaſtis verbum hoc, & ſperaſtis in calumnia, & in tumultu, & innixi eſtis ſuper eo; propterea erit vobis iniquitas hæc ſicut interruptio cadens. Hæc atque alia mala conſequenter poſita ſunt.

Titulus cauſa eius. Quam habet aduerſus Iudæos. Et vt non prætereamus mel, quod roſa patens nobis offert, quomodo & in titulis hominum eorundem cauſæ bonæ, & malæ deſcribantur, tantiſque proſequamur. Primum tamen ſcito titulum honoris cauſa datum. Vocauit Deus protoplaſtum noſtrum Adam. Vnde quantus honor illi acceſſerit Pſaltes integro Pſal. 8. exponit; quin & nominis interpretatio apud *Georg. Venetus.* Hebræos, vt Georgius in ſua Harmonia ait, hoc ipſum aperit: At deficiente illo, Deus in vituperium, eodem vocat nomine: Ecce *Gen. 3.* Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt. Inde licet inferre titulos honorare dignos; indignos autem afficere vituperio. Nam S.D.D. N. qui eſt Rom. Pontificis titulus. *Titulus indigno vituperium, digno verò honor.* Illuſtriſſimus, & Reuerendiſſimus, qui eſt Cardinalium. Reuerendiſſ. quo donantur propriè Epiſcopi. Admodum Reuerend. qui olim vix Epiſcopis concedebatur, nunc in Religione conuerſis ſæpius per abuſum ab aliquibus datur. Etiam S. C. R.M. qui Imperatori, & Regi è domo Imperatoria emerſo conceditur. S. A. qui ducibus Imperatori ſubiectis. S. E. qui ducibus alijs. S. Illuſtriſſimo, qui Marchionibus, & Comitibus raro dari olim ſolebat, nunc à pluribus familijs vſurpatur. Hi atque alij tituli honoris ſunt, & cauſam honoris præſeferunt ei, qui operatur ſtudioſa, qui autem degenerat à virtute, non gloriam, ſed dedecus ex titulo importat, apud Deum tantùm, qui corda nouit, & ſcit qui ſunt honore digni, atque indigni; Nos verò quibus non licet formare iudicium de occultis, neque efficere poſſumus quempiam, vel ſtudioſum, vel vitioſum, ſuis quoque titulis debemus donare. Tùm maximè ſupremos, vt Pontifices, atque Reges. Et non credere hæreticis, qui titulis noſtrorum Eccleſiaſticorum ſe opponunt, quum nihil habeant aduerſus dignitatem, & perſonam, quaſi qui ictus ad inſignia turrium traſmittit, nõ valens turrim diruere. Vt Diabolus, ait Chryſoſt. in Pſal. 13. ita etiam quilibet *Chryſoſt.* facit hæreticus vehementiſſimus in tempore perſecutionis loquens cum Pontifice; nec eum vocat Pontificem, nec Archiepiſcopũ, nec Religioſiſſimum, nec ſanctum, ſed quid? Reuerentia tua, ſapientia tua, prudentia tua, & nomina illi adducit communia, eius negans auctoritatem, vtinam & Lutherani, Caluiniſtæ, & fœtens, & horrida Magdeburgenſium colluuies his noſtros nominarent. Denegant ex toto ſummos, & iure debitos, ratione officij, titulos, minores illis aduerſari contendunt, tantùm quos horret proferre oblatrant. His tamen miſeri titulis non noſtrorum, ſed ſuam cauſam dicunt. Quia lingua prauorum peribit. Lege Dominicum Stephanum de oſculatione pedum Rom. Pontif. *Dominicus Steph.*

Inſcriptus. Litteris quidem Hebraicis, Græcis, & Latinis. Quæ capiti Chriſti viciniores honoratiorem locum tenebant. Nam vt Romæ, ita & in prouincijs latinum græco ſermoni prætulere Romani Impera- *Honor linguæ latinæ.* tores, eorum Præſides, atque Senatus, vt ex his, quæ Suetonius in Tiberio cap. 71. Dio. Hiſtor. lib. 57. & Valer. Maxim. lib. 2. cap. *Suet Dion. Val. Max.* cuius verba referam: Inter cætera, inquit, obtinendæ grauitatis indicia, illud quoque magna cum perſeuerantia retinebant, ſcilicet Romani Magiſtratus, ne Græcis vnquã niſi latinè reſponſa darent. Quin etiam ipſa linguæ volubilitate, qua plurimum valent, excuſſa, per interpretem loqui cogebant, non in Vrbe tantùm noſtra, ſed etiam in

Græcia,

Græcia, & Aſia, quo ſcilicet latinæ vocis
honos venerabilior diffunderetur. Hunc ta-
men honorem nunquam plenè obtinuit;niſi
poſtquam cæteris linguis facta eſt capiti
Chriſti propinquior; ea enim *inſcriptus*
titulus effecit,vt principatum ſuper omnes
in Orbe toto obtineat, & latina potius ſa-
cra publicentur. Vnde Philippus Legatus
Legatus Pótificius in Cóc. Epheſ. Rom. Pont.in Concil.Epheſ,tom.2,cap.23,
dixit,Vetus conſuetudo habet,vt Apoſtoli-
cæ Sedis diplomata latinè promantur, &
hoc fat eſſe ſolet. Hæc autem per Orbem
totum trahi, & vniuerſa fidei myſteria per-
ſæpè continere,& explicare, quis negabit?
Inſignem principatum tenens, ab inſcri-
ptione, ſcilicet tituli (ait Nicolaus Papa
ad Michaelem Imperat.) quæ in linguam
latinam inſultarat, omnibus nationibus
prædicat Ieſum Nazarænum. Inde fortè
Marcianus Imper Conc.Chalcedon. Marcianus Imperator ad Patres Concil.
Chalcedonenſis Act. 6. primò latinè poſt
græcè orauit, vt honorem ferret linguæ,
quam Chriſtus ſibi plus cæteris voluit ap-
proximari, & cum lingua nationem lati-
norum, apud quos ſedis ſuæ plenitudinem
ſtabiliuit, & conſeruat vſque in finem mun-
di intactam. Græcis, & Hebræis remotius
conſtitutis. Illi enim per ſchiſmata, hi per
infidelitatem à Chriſto elongantur.

Rex Iudæorum. Incompletus eſt titulus,
quem Matth.ſcribit: *Ieſus Nazarenus Rex*
Iudæorum. Marcus cauſam facti, & necis
Chriſti occaſionem ſolùm expreſſit. Nam
quod eſſet Ieſus Nazarenus, aut diceretur
nihil ad eos; quod autem *Rex Iudæorum*
diceretur pati non poterant. Immò verò
omnes conatus oppoſuerunt, quouſque de
terra tollerent, quem criminabantur *Re-*
gem Iudæorum. Quòd verò *Rex Iudæorum*
totam cauſam,tàm ex parte Chriſti volun-
tariè morientis, quàm ex parte Iudæorum
malignè occidentium demonſtret, ex ſcri-
pturis liquidò conſtat. Etenim hæc *Regem*
Iudæorum, non aliter redemptionem fa-
cturum pronunciarunt, quàm per mortem,
non ſæculi potentia, aut facultate ad ſe-
dem regni eleuandum fore, quàm claue
Apoc.3. Dauid ſuper humeros deportata. Tunc
enim hæreditas confirmata eſt Iſaac, & be-
Gen.22. nedictio, quando baiulato faſce lignorum
voluntati paternæ ſe obtulit. Et Chriſtus
tunc vniuerſorum accepit imperium,quan-
do virgam Crucis in manu tulit, vt percu-
teret Ægyptum, vt nataret ſuper aquas tri-
bulationum, & præſcindi ſe paſſus eſt, vt
minimum cedri lignum tunc in vineam la-
tiorem creuit, quæ Orbem impleret, & du-
raret vſque in finem. Quod etiam Crux,
Prædicta mors, & paſſio Chriſti. mors,& damna paſſa à Iudæis proprijs, ma-
ligno animo ſibi, vt Regi deberent inferri,
Pſal.2. apertè deponunt oracula, vt illud aſtite-
runt Reges terræ,& Principes conuenerunt
Iſai.51. in vnum aduerſus Dominum, & aduerſus
Chriſtum eius. Et oblitus es Domini fa-
ctoris tui, qui tetendit cælos, & fundauit
terram. Quomodo conuerſa es mihi in
amaritudinem vitis aliena? Et alias plu-
ries ingratitudo Iudæorum, quæ aduer-
ſus ſuum Regem, quem expectabant ſa-
cris oraculis deſcripta, nunc præſenti
Scriptura, *Rex Iudæorum*, promulga-
tur. Hæc eadem affixa Cruci nos docent,
tunc nos Reges fore Regni Chriſti, & ſui
ſacerdotij Sacerdotes ſpirituales, aut ordi-
nati, quando Cruci confixi erimus. Alio-
quin ait Proſper in reſponſionibus ad ca- *Proſper.*
pitula obiectionum Gallorum cap.9. nato
Saluatore in carne ſubſtantiæ noſtræ,& cru-
cifixo pro omnibus nobis, non fuerat ne-
ceſſarium, vt renaſceremur, & ſimilitudini
mortis eius complantaremur; ſed cum ſine
hoc Sacramento nemo hominum conſequi-
tur vitam æternam, non eſt ſaluatus Cruce
Chriſti, qui non eſt crucifixus in Chriſto.

CAPVT XXVII.

Et cum eo crucifigunt duos latrones, vnum
à dextris, & alium à ſiniſtris eius.

ET vt maiorem ignominiam Chriſto, Expoſitio.
quem odio maligno oderant,inferrent,
cum eo perditi homines *crucifigunt*, ac ſi-
mili mortis pœna afficiunt *duos*, inter
alios, *latrones* famoſiſſimos. *Vnum*, qui
publicus depredator fuerat, *à dextris*, &
alium, qui nocturnis temporibus latroci-
nabatur, *à ſiniſtris*, vt inter extremos ſce-
leſtiſſimos conſtitutum, vniuerſi acclama-
rent facinoroſum, blaſphemum, & malo-
rum caput.

Et cum eo crucifigunt. Similibus cruci-
bus, atque clauis, non funibus, vt ſolent
pictores, ad diſtinctionem Chriſti crucifixi Pictorũ error
funibus alligatos depingere latrones;Chri- deprehẽditur.
ſtum autem defixum clauis. Omnes enim
(ait Ronius Marcellus verbo patibulum) *Roni.Marcell.*
deligati ad patibulum circumferuntur, &
Cruci affiguntur. Hæc quidem erat lex
conuerſorum, qui ad Crucem damnaban-
tur, vt flagellati propria onerarentur Cru-
ce,vſque ad locum ſupplicij, vbi ſuper eam
extenſi clauis affigebantur. In hunc mo-
dum plurimos Iudæos iuſſu Imperatorum
ſuffixos fuiſſe Ioſeph.lib.6.de bello Iudaico *Ioſeph.*
cap.12.ſcribit. Eumque morem commu-
nem Romanis extitiſſe. Plutarchus de tar- *Plutarch.*
da numinis vindicta. Macrobius lib.1. Sa- *Macrob.*
turnal. cap. 11. referunt. Et quidem cum
his obſeruatum fidem facit dubium, quod
Ruffinus lib.10.hiſt. cap.8. ſcribit adinuen- *Ruffinus.*
tis tribus Crucibus incidiſſe dubium, quæ
nam ex illis pro Cruce Chriſti accipienda
foret: ſimilitudo enim proueniebat ex
clauorum fixuris,& ideò addubitarunt.Nec
dubitationem ſoluit ſignum diſtinctionis,
quod

Digitized by Google

quod in crucibus diſcerneretur, ſed miraculum, vt *Euſebius.* Euſeb. in Chron. ſcribit, atque alij.

Hieron. *Duos latrones.* Inde Hieron. apud Matth. cap. 27. argumentatur contra opinionem eorum, qui volunt Golgotha Caluariæ locum, dici à Caluaria Adæ, qui ibi ſepultus eſt: ſi quiſpiam, inquit, contendere voluerit. Ideò Dominum ibi crucifixum, vt ſanguis eius ſuper tumulum Adæ diſtillaret, interrogemus eum, quare & alij latrones cum eo crucifixi ſunt? Ex quo patet, Caluariam non ſepulchrum primi hominis, ſed locum ſignificare decollatorum, vt vbi abundauit peccatum, ſuperabundet & gratia. Adam verò ſepulchrum iuxtà Hebron, & Arbeæ in Ieſu filij Naue legimus; at non eſſe primum parentem, qui eo loci vocatur Adam maximus, ſed vnum ex gigantibus ſtirpis Enacim putarunt Patres, qui in Golgotha ſepultum iri volunt primum hominem. Perſuadet idipſum (inquit Cæ- *Baron.* ſar Baronius Annalium Eccleſiaſt. anno Chriſti 34.) illud maximè, quod inuſitata ſit ea in diuina Scriptura nomenclatura, vt primus omnium parens Adam ſit maximus appellatus, quòd ergo duo Latrones cum Chriſto in Golgotha crucifigantur, eſt, vel quòd eſſet locus communis damnatorum, vel diuinitus factum, vt moriente *Cur duo latrones ſimul cum Chriſto crucifixi?* Chriſto pro omnium ſalute, vna crucifigerentur, qui vniuerſitatem redemptorum ſignificarent: Horum enim quidam efficaciter redimuntur, vt boni. Alij qui tantùm ſufficienter, vt mali. Qui in latrone *Duo genera redēptorū. 1. Pet. 3.* à ſiniſtris deſignantur. In latrone verò à dextris boni. Pro omnibus enim mortuus eſt iuſtus pro iniuſtis, vt nos offerret Deo mortificatos quidem carne, viuificatos autem ſpiritu in Chriſto Ieſu Domino no- *Zachar.* ſtro. Inde Zachar. Chryſop. lib. 4. can. 70. dixit, latrones ſignificare eos, qui ſub fide, & confeſſione Chriſti, vel agonem martyrij, vel quælibet inſtituta arctioris vitæ ſubeunt. Sed qui pro ſola æterna gloria, fide dextri latronis ſignantur; qui verò pro alio, latrone ſignantur ſiniſtro. De illis *Matt. 5.* quidem dictum eſt: Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quia ipſorum eſt Regnum cælorum; pro his ve- *1. Cor. 13.* rò dicit Apoſtolus: ſi tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habeam nihil mihi prodeſt.

Vnum à dextris, & vnum à ſiniſtris *Theoph.* *eius.* Vt homines (inquit Theophylactus) malè ſuſpicarentur, quòd & ipſe malefactor crucifixus eſt. Ergo Iſrael pertranſit *Ioſ. 3.* inter diuiſiones aquarum, & arca in medio aluei figit greſſum, quouſque ad tutum ſe recipiat populus, quem ſaluat *Ioſ. 3. Num. 16.* Aaron ille accenſo turibulo inter mortuos liber. Et quis iſte, niſi Chriſtus, qui facto proprij corporis holocauſto, & turibulo inflammato inter morti deſtinatos inceſſat, dicens: Domine Deus ſalutis meæ in *Pſal. 87.* die clamaui, & nocte coram te. Intret in conſpectu tuo oratio mea, inclina aurem tuam ad precem meam. Æſtimatus ſum cum deſcendentibus in lacum. Sicut vulnerati dormientes in ſepulchris, quorum non es memor amplius. Longè feciſti notos à me. Poſuerunt me abominationem ſibi. Vtpotè maledictum inter maledictos, ſed non maledictus, immò verò benedictionibus cæli benedictus in ſæcula, quibus & nos à Cruce repleuit. Quare in medio tribulationum conſtituto velut Moyſi in aquis cantare licet: Benedixiſti Domine terram *Pſal. 84.* tuam, auertiſti captiuitatem Iacob. Porrò quòd *à dextris* crucifigatur vnus latro, alter *à ſiniſtris*, myſterium non vulgare tangit; videlicet, Cruce fieri Chriſtum pacis auctorem, vt inquit Paulus: Pacificans *Coloſſ. 1.* per ſanguinem Crucis eius, ſiue quæ in cælis, ſiue quæ in terris. Terra quidem, & terrigeni ſiniſtram tenent manum; cælum, & cælicolæ *à dextris*, hoc eſt, potioribus, eſſe dicuntur. Quæ ergo diſſidebant ſiniſtra, & dextra pacificauit ſanguine Cru- *Theodor.* cis. Ipſe (inquit Theodoret. in hunc locum noſtram procurauit reconciliationem, cum paſſione ſuſtinuit, & ſanguinem effudit, & pro nobis ſacrificium obtulit, & terrenis cæleſtia coniunxit: Nos enim auerſabantur, etiam populi Angelorum, propter ſummam improbitatem. Ea de cauſa etiam cùm natus eſſet chorum ducentes, hymnum obtulerunt dicentes: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus.

CAPVT XXVIII.

Et impleta eſt Scriptura, quæ dicit: Et cum iniquis reputatus eſt.

ET ex his apertè cunctis innotuit, quòd *Expoſitio.* *impleta eſt* ad vnguem *Scriptura* illa, *quæ dicit* apud Iſaiam Prophetam. *Et cum* *Iſai. 53.* *iniquis reputatus eſt*, qui peccatum non fecit. Quinimò ſanctiſſimus vniuerſorum tulit peccatum, & emundauit delicta maxima ſuo cruore viuifico.

Et impleta eſt Scriptura. Hanc enim ſtuduit Chriſtus obſeruare, vt nec iota vnum de his, quæ de eo ferebantur apud Prophetas, præterierit: Vnde mortem diſſuadenti dixit: Quomodo implebuntur *Matt. 26.* Scripturæ Prophetarum? Sunt enim hæ velut iuramenta Dei, à quibus nefas eſt recedere. Quod ſi hoc non licet Chriſto, qui auctor eſt, vt qui nos ab impletione Scripturarum, quæ propter noſtram vtilitatem

ſcripta ſunt, & perfectionem, & conſolationem diffugimus? *Dan. 12.* Vt enim non ſaluabitur niſi qui fuerit ſcriptus in libro, qui eſt vitæ: ita nemo placebit Deo, niſi, quæ de eo *Matt. 5.* ſcripta ſunt, impleuerit. Iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant. Et quæ omnia? Mandata, quæ mandauit Deus patribus noſtris. Pactum, quod pepigit nobiſcum Deus, quando per baptiſmum ab Ægypto peccati, & Babylonis fornace, quæ eſt infernus, nos liberauit. Et teſtamentum Altiſſimi, quod non in carta, aut atramento, ſed ſanguine precioſo, in proprio corpore ſcripſit. Hoc dico perfectam eius imitationem ſecundùm propriam virtutem, & conatum, quo quis iugum ſuaue ſupportat.

Quæ dicit. Hoc eſt præcipit, idque dupliciter, & vtroque modo diſiunctiuè ſi *Matt. 19. Luc 18.* velimus finem; præcepit neceſſaria ad illum implere, vtpotè mandata, quia ſi vis ad vitam ingredi ſerua mandata, ait Chri- *Duplex genus præcepti* ſtus: Si autem cumulatius, atque perfectius recipere finem optamus, præcipit Concilia obſeruare: Horum enim Conci- *Luc. 5.* lium, præceptum eſt illi, qui in altum ducere rete exoptat, & inter perfectos annumerari: Quia vos qui reliquiſtis omnia, & *Matt. 19.* ſequuti eſtis me, centuplum accipietis, & vitam æternam poſſidebitis. Eſt item omnis Scripturæ dictio præceptum, quod nihil *Qua ratione conſiliū dicatur præceptum?* ſit in eo contentum, qui vel ad omnes, vel aliquos ſpectat non ſtatuat hoc, vel illo tempore contingi, vel denique non velit reuerentiam præcepti altiſſimo: Nam Concilium, quod nos dicimus ante votum eſſe liberum, ſub præcepto poſtulat honorem, & reuerentiam, vt qui non poſſit, aut cui non placeat illo obſtringi, perſtringatur reuereri, non contemnere, non diſſuadere, neque impedire.

Et cum iniquis reputatus eſt. Sed ab hominibus, quorum iudicium, aut falſum, vt præſenti in loco; aut dubium quoties iniquum reputamus hominem ex his tantùm quæ patent. Ex internis, ſi penetrantur, colligi poteſt certum iudicium, illi ſimile: *Pſal. 118.* Præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ; interim neutrum iniquum reputemus, quin primò à nobis ordiamur *Iſai 53.* (vt ille) omnes nos quaſi oues errauimus. *Pſal 79.* Indeque prece ſimili exorare: Deus virtutum conuerte nos: Oſtende faciem tuam & ſalui erimus. *Dan. 9.* Peccauimus, iniquè geſſimus, iniquitatem fecimus. *Luc 15.* Tametſi ſalubrius ſit à culpa peculiari intonare cum prodigo: Pater peccaui in cælum, & coram te.

CAPVT XXIX.

Et prætereuntes blaſphemabant eum, mouentes capita ſua, & dicentes: Vah qui deſtruis templum, & in tribus diebus ædificas.

ET vt omnium iniquorum, hac, illacq. *prætereuntes* milites, & Iudæi multis *Expoſitio.* conuicijs *blaſphemabant eum*, vt ſacrilegum quendam, & ſacrorum violatorem. Ac more hiſtrionum *mouentes capita ſua* illudebant illi miris cachinnis, & nugis, quæ vſque ad animam penetrabant. Etenim inter alia, ac penè innumera blaſphema, erant *dicentes* hoc mendacium clarum: *Vah*, impoſtor, & ſceleſte, *qui* factis, & verbis, deſtruit templum Dei, auertit Sacerdotes, & cultum eius abominatur, & tantùm ſibi tribuit, vt ſi verbis illius attendendum foret, manus liberas faciendi, quod vellet daremus. Quandoquidem *in tribus diebus ædificat* illud magnificentius, & quæ eo ſpectant clariora, quàm vnquam ſe reſtituturum promittit.

Et prætereuntes. Horum alij eſſe potetant, qui illac via publica præteribant. Ad hos enim plagis ipſis currente ſanguine, penè omni corpore deſigurato, vt videretur leproſus clamabat: Omnes verò qui tranſitis per viam, videte ſi eſt dolor, ſicut dolor meus. Cumque eorum nul- *Thren. 1.* lum inueniret miſericordem, ſed crudeliter agentes adiecit: Conſolantem me quæſi, & non inueni. Sunt, & *prætereuntium* alij, vtpotè milites, & Iudæi, qui velut feles capto mure hac, illacque diſcurrebant, nunc à facie, nunc à tergo, & à lateribus quandoque ſugillantes ei: At ille dùm malediceretur non comminabatur, ſed finem proſpiciens dicebat: Miſit de *Pſal. 56.* cælo, & liberauit me. Dedit in opprobrium conculcantes me. Miſit Deus miſericordiam ſuam, & veritatem ſuam, & eripuit animam meam de medio catulorum leonum; dormiui conturbatus. Filij hominum dentes eorum arma, & ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus. Exaltare ſuper cælos Deus: & in omnem terram gloria tua. Ita & nos cùm tribulamur à *prætereuntibus*, ab his, inquam, qui prætierunt mandata, Deum neſciunt, nec legem obſeruant, finem totius tragediæ reſpuentes, iſthæc meditemur. Nam om- *Pſal. 118.* nis conſumationis vidi finem: latum mandatum tuum nimis, dixit Vates; ac ſi diceret; quid bonis, maliſque demùm ſuccedat, perſpexi, propterea nihil moror quæcunque pati.

Blaſphe-

Blaſphemabant eum. Qua verò blaſphemia non exprimitur . Siquidem ſingula verba , quæ proferebant nihil niſi blaſphemiam ſubolebant . Nam ſi aliquid contra Deum eloqui , blaſphemum reputatur , quid dicemus facere eos , qui opere , verboque aduerſabantur Deo , nonnè eos omni ex parte , & in omnibus acclamabimus blaſphemos . Sic quidem ſe geſſit popolus iſte incredulus cum Chriſto Deo , & Redemptore , qui eos genuit, atque redemit. *Iob 16.* Aperuerunt , inquit , ſuper me ora ſua , & exprobrantes percuſſerunt maxillam meam , ſatiati ſunt pœnis meis , concluſit me Deus apud iniquum , ait humanitas , & manibus impiorum me tradidit . Ego ille quondam opulentus repentè contritus ſum, tenuit ceruicem meam , confregit me , & me ſibi quaſi in ſignum . Hæc paſſus ſum abſque iniquitate manus meæ , cùm haberem mundas ad Deum præces.

Mouentes capita ſua. Vt ſpiritum vertiginis ſe iam ex peccato ſortitos indicarent , foreque inſtabiles , vagos , & profugos per Orbem totum . Quia eleuabit *Iſai 9.* Dominus hoſtes Razin ſuper eum (ait Iſaias) & inimicos eius in tumultum vertet;Syriam ab Oriente , & Philiſtim ab Occidente , & deuorabunt Iſrael toto ore . Et diſperdet Dominus ab Iſrael caput, & caudam incuruantem , & refrænantem die vna . Longæuus, & honorabilis , ipſe eſt caput ; & Propheta docens mendacium , ipſe eſt cauda . Hos diſperdere cœpit per Aſſyrios, & Babylonicos,per Romanos autem perfecit diſperſionem, quæ vſque in finem perdurabit .

Et dicentes. Vt erant ſemper ſoliti:Quia errauerunt ab vtero,locuti ſunt falſa. *Pſal 57.* Furor illis ſecundùm ſimilitudinẽ ſerpentis, ſicut aſpidis ſurdæ,& obturãtis aures ſuas.Huius enim ſibilus perpetuò noxius , & de voce Iſraelitarum quid ſonat oraculum ? *Iſai. 1.* Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate , ſemini nequam , filijs ſceleratis ; dereliquerunt Dominum , *Iſai 8.* blaſphemauerunt ſanctum Iſrael , ab alienati ſunt retrorſum . Omnia enim quæ loquitur populus iſte coniuratio eſt .

Vah , qui deſtruis templum Dei. Hoc primo aſpectu blaſphemum minimè reputatur . Ego autem omni blaſphemo maius iudico . Primum quidem , quia conditor non deſtruit conditum , quia diligit omnia , quæ fecit . Dilectio autem deſitionem, & annihilationem dilecti non admittit. Præterea *templum deſtruere* , qui poteſt , niſi ſeipſum, aut *deſtruat* , aut nullum admittat cultum , & gratiarum actionem . Id autem quis niſi blaſphemus , & omni blaſphemo ſuperior , vtpotè inſipiens , dicet ? Etenim *templum* verum , Deus ipſe eſt, qui cum ſit vbique orationem admittit quocumque in loco , quoties in ſpiritu , & veritate oramus , & nihil magis , quàm cultum ab omnibus exigit , dariquc in omni gente , populo , natione , & lege , præcipit : Quia cælum , *Ier. 23.* & terram ego impleo , & gloriam meam alteri non dabo : ſed mihi curuabitur omne genu . His autem aduerſa facere meditatur , *qui templum deſtruit* viuum , nec admittit materiale . Ergo qui *templum* eſt viuum, atque æternum , & non aliam ob cauſam venit, quàm vt ſpirituale templum erigat Domino, & cultum reformet, quomodo poterit ò blaſphemi *deſtruere templum* ? Hoc veſtrum eſt,ò illuſores, qui Deum ſimilem feciſtis idolo,qui verſis vultibus ad Orientem Deum poſt tergum reſpicitis , neque Deo , ſed militiæ cæli , & aliquando beſtijs , & ſculptilibus , ſecundùm conſuetudinem gentium immolatis filios veſtros , voſque ipſos conſecratis. Agite , quia non præualebitis, non deſtruetur vnquam templum Dei in ſæculum. Domum enim Dei decet ſanctitudo , in longitudinem dierum.

In tribus ædificat. Alij legunt , *ædificabas* , alij *ædificas* græca ab omnibus diſſonat ; legit enim pro *deſtruit deſtruens* καταλύων .Et pro *ædificat, ædificans* οἰκοδομῶν . *Varia lectio* Iſta cum alijs lectionibus peregrinis à Vulgata , malitiam blaſphemantium plus indicat, vt quæ nugax magis , & irriſoria, ac ſi dicerent , vide cùm multa pollicitus fueris,nunc nihil agas , in nihilum penè redactus ? Qui legunt per tertiam perſonam præſentis temporis ad myſterium inclinant , videlicet , quod in Cruce pendens, & de Cruce deſtruat templum , quod erat Deo abominabile , & ædificet illud , quod eſt omnium excellens iuxtà prædicationem Zachariæ , qui dixit : Ecce vir oriens *Zach. 6.* nomen eius , & ſubter eum orietur , & ædificabit templum Domino , & ipſe extruet templum Domino , & ipſe portabit gloriam , & ſedebit , & dominabitur ſuper ſolio ſuo , & erit Sacerdos ſuper ſolio ſuo . Et quando magis Sacerdos Chriſtus, *Heb. 1.* quàm in Cruce ? Ibi non in ſanguine vitulorum , ſed proprio introiuit ad ſancta non corruptibilibus , ſed æternis templum , quod in cælo eſt , erexit ; & quod in terra perdurat vſque in ſæculum magnæ gloriæ plusquam primi ædificauit , vbi & ſedet , & dominatur .

CAPVT XXX.

Saluum fac temetipſum, deſcendens de Cruce.

Expoſitio. ASſueti mēdacijs, atque blaſphemijs, os prauum continere non poſſunt, ſed ingiter ad maiorem perniciem dilatant; conclamant enim, ò Saluator, qui veniſti ſaluare, tantiſque ſalutem viſus es impartiri, adeſt tempus quando poſſis demonſtrare, qui ſis. Eia *ſaluum fac* properè *temetipſum*, antequam ſpiritum mittas; *deſcendenſq;* ad nos *de Cruce*, te tuiipſius Saluatorem oſtendito, vt noſtrum credamus, & admittamus.

Saluum fac temetipſum. Inde conſtat Iudæos negaſſe Chriſtum Saluatorem totius humani generis, vt qui non ſaluaret ſemetipſum, & pariter aſtruebant publico præcone non eſſe Deum, quem Scriptura Saluatorem vnicum proponit, quia ego ſum, inquit, Dominus Deus tuus, ſanctus *Iſai.43.* Iſrael, Saluator tuus. Ego ſum, ego ſum Dominus, & non eſt abſque me Saluator. Ego annunciaui, & ſaluaui, auditum feci, & non fuit in vobis alienus. Vos teſtes mei dicit Dominus, & ego Deus. Sed quomodo teſtes ſi clamant, *Saluum fac temetipſum*? An Deus ſalute eget? aut abſque ſalute Saluator ſaluabit? minimè. Eſt quidem ſaluans, & Saluator ipſe; ſaluans quidem omnes, quia ipſe ſemper Saluator, ſalus, & fortis. Horum ſunt teſtes Iudæi maledicentes, vt qui eo nullum deinceps Saluatorem viderint præter eum, qui ſalutem, quam promittebat eis, contulit gentibus. Facti ſunt enim in traductionem, abſque duce, ductore, & Rege ſaluante, quare per negationem, quia aliud non recipiunt, teſtes ſunt Chriſtum Deum, & hominem Saluatorem eſſe.

Deſcendens de Cruce. Itaque non ſolùm vobis damnationem, ſed & reliquis miſeriam perpetuam quæritis: Vos enim affigendo Cruci peccatum peccatis, quod ſcriptum eſt: Stylo ferreo in vngue adamanti- *Ier 17.* no, propter quod ait Deus: ignem ſuccendiſti in furore meo vſque in æternum ardebit. Nobis autem dùm petitis crucifixum deſcendere, optatis interitum perpetuum, quoniam qui ſaluat, & liberat à morte, non *deſcendit de Cruce*, ſed ad eam aſcendit, vt fructum multum afferat; & poſt aſcenſum fixus in Cruce permaneat, quouſq; mortis auctores deſtruat; conſiliet autem, quæ vitam præſtant. Nam Chirographum decre- *Coloſſ.2.* ti, quod erat contrarium nobis, tulit de medio; affigens illud Cruci, expolians principatus, & poteſtates, traduxit palam confidenter, triumphans illos in ſemetipſo, vel (vt inquit Origen. homil. 8. in Ioſue.) ſe- *Origen.* cundùm alios Græcos codices, triumphans illos in ligno Crucis, vtpotè hominem, qui triumphat, & Diabolum, qui ad triumphum velut vinctus trahitur. Hinc Paulinus Na- *Paulinus.* tali 8. S. Felicis. Nos Crucis inuictæ ſignum, & confeſſio munit; armatique Deo mente, non quærimus arma corporis, & quanquam membris videamur inermes: Arma tamen gerimus, quibus & ſub pace ſerena contra incorporeos animos decernimus hoſtes. Nam (vt Damaſcen. lib.4. orthod. *Damaſc.* fid. cap. 12. tradit) eſt ſignum omnis tutelæ, & libertatis. Id quod natura in multis expreſſit, quemadmodum (Ambroſ. ſerm. 52. *Ambroſ.* annotauit) auis enim expanſis alis in modum Crucis volitat, nauis ex malo, & antena Cruce formata velificat; piſcis enatat in hunc penè modum, & homo. Vndè apud Ægyptios ſignum erat hieroglificum (vt Ruffinus lib.2. hiſt. cap. 29. refert.) ſignifi- *Ruffinus.* cans vitam. Erratis ergo ò Iudæi clamantes *deſcende de Cruce*. Nam quid Crux ſine crucifixo? crucifixus eſt, qui lignum facit vitale, triumphale, & myſterijs ſcatens, vt Gregor. Nyſſen. orat. 1. de reſurre- *Greg Nyſſ.* ction. & Irenæus lib. 5. tradunt. Per Chriſtum *Irenaus.* crucifixum habet (vt Auguſt. epiſt. 119. *Auguſt.* ſcribit) profundam fidem, ſublimem ſpem, latam charitatem, & longam perſeuerantiam, quæ Paulus Epheſijs optat. Quare inſaniam deponite ò miſeri, ac dicite potius. Pone me, vt ſignaculum ſuper cor *Cant.8.* tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum; extenſum dico in Cruce. Nam crucifici, ac Crucis ſuprema pars, mihi cælum eſt, quod eius merito aperitur placato Deo; extrema quæ figitur terræ audacem facit contra infernum, cuius portas euertit euacuatis ſpolijs; quæ ad ortum reſpicit, me illuminat noua luce, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, & *Ioan.1.* quæ ad occaſum vergit contra ſpiritales nequitias, & poteſtatea tenebrarum. Fac *Pſal.85.* ergo iterum, precor ò Chriſte, mecum hoc ſignum in bonum. An non ſemper in bonum? Vtique ſi vel nos Chriſto crucifixo in Cruce crucifigimur, vt perfecti; vel Crux ferens Chriſtum crucifixum intentione, & fide noſtris animis, & corporibus, vt ſolitum eſt in baptiſmo, confirmatione, & alijs actionibus fieri. Itaque crucifixum de Cruce deſcendere non petamus, ſed Crucem cum crucifixo nobis in omni occaſione, vt Tertullia- *Tertull.* nus lib. de corona mili. atque alij ſuadent, familiarem faciamus.

CAPVT

CAPVT XXXI.

Similiter & ſummi Sacerdotes illudentes, ad alterutrum cum Scribis dicebant. Alios ſaluos fecit ſeipſum non poteſt ſaluare.

Expoſitio. EAndem *ſimiliter* inſaniam proſequebantur, & *ſummi Sacerdotes*, qui tantùm aberant à cognitione myſterij Crucis, & crucifixi in ea, vt & ipſi eſſent *illudentes* crucifixo, qui myſteria à ſæculis abſcondita, quæ nondum innotuerant Angelis, operabatur. At ſtolidi *ad alterutrum* ſummo cum ludibrio *dicebant*. Hem *alios*, hic infelix, qui nunc agonizat in Cruce, *ſaluos fecit* à multis ægritudinibus, vexatione dæmonum, & quoſdam vitæ reſtituit, quamprimum ad noſtram redactus eſt poteſtatem, nihil vltrà potuit; nam *ſeipſum* modò ad extremam ductum miſeriam *non poteſt ſaluum facere*. Quia dereliquit eum Deus, & voluit conterere eum in infirmitate.

Similiter & ſummi Sacerdotes. Si Pauli teſtimonio licet agere, profectò non verè, ſed ironicos appellari modò *Sacerdotes* legis dicemus. Veritati enim figura cædit, lex legi, ſacerdotium ſacerdotio, Hoſtia Hoſtiæ, & *Sacerdos*, qui eſt ſecundùm ordi-
Pſal. 109. nem Melchiſedech Chriſtus, eum qui eſt ex origine corruptibili Aaron diſſoluit, nec aliquid eſt, nec nomine Sacerdotis fungi debet, Chriſto præſente in Cruce, vt in altari, in quo ſeipſum offert immaculatam Hoſtiam Deo placentem, & intrat ad interiora velamina per proprium ſanguinem. Vt quid ergo ſacrificante Chriſto, & Pontificante Aaronicos dicis, ò Marce, *Sacerdotes*? An licet vtroque ſacerdotio vti, & *Sacerdotes* ſuis hoſtijs ad altaria ſua accedere? Abſit modò, tunc licebat quouſq; mortifera eſſe cœperunt legalia. Quando verò tempus hoc initium habuerit, nihil definitum habemus. Quare Chriſto in Cruce immolante, & vero Sacerdote, poterant adhuc Aaronici appellari *Sacerdotes*, & eſſe, ſed ironicos, facta comparatione omnium, quæ tàm in Sacerdote, quàm ſacerdotio, & Hoſtia licet contemplari; Moſaica enim vmbra ſunt. Quæ in Cruce cernuntur, tàm Sacerdos, quàm hoſtia nihil niſi veritatem præcedentium vmbrarum continent: Vndè
Auguſt. Auguſt. lib. 17. de Ciuit. cap. 20. Id ſacrificium ſucceſſit omnibus illis ſacrificijs veteris Teſtamenti, quæ immolabantur in vmbra futuri, propter quod etiam vocem
Pſal. 39. illam Pſalm. 39. agnoſcimus. Sacrificium, & oblationem, noluiſti, corpus autem perfeciſti mihi, quia pro illis omnibus ſacrificijs, & oblationibus corpus eius offertur. In Cruce quidem oblatum eſt cruentiſſimè, in Sacramento quotidie incruente nomini eius offertur.

Illudentes. Illudunt crucifixo quicumque à crucifixi moribus differunt; proprius, qui illum impugnant, vt olim Claudius Taurinenſis, Petrus Bruis, Vuitecleuiſtæ, & hiſce temporibus Caluinus, & ſectarij, præſertim Centuriatores Magdeburgenſes, qui non tàm verbis, quàm ſcriptis illuſerunt crucifixo, & Cruci eius. Quorum imagines multis conuitijs afficiunt, & earum cultũ idololatriam oblatrant, & cultores idololatras, atq; vniuerſa, quæ, vel ex hiſtorijs, vel ſanctorũ dictis videtur honori Crucis, & crucifixi fauere, & illum nobis, vt verum, vt debitum, vt honeſtum, & vtilem perſuadere labefactantur, adulterant, reprobant, & figmenta eſſe prædicant. At in primis Crucem venerandam eſſe cum reliquis imaginibus, vnanimiter Patres, quos hactenus citauimus, ſtatuunt, ſimiliter Concilia vt Act. 7. Senonenſe cap. 14. Moguntinum cap. 41. In ſpecie venerandam Crucem decernunt Syn. 6. can. 73. Syn. 7. ac vlt. Syn. 8. Act. vlt. Perſuadet ratio. Quoniam Regis noſtri ſignum, ſcabellum, thronus, & altare. Præterea ſalutiferum animabus, quas vt ſerpens erectus liberat, & corporibus, quæ cuſtodit, opem fert, id quod Conſtantinus Imperator, Heraclius, & Sanctus Martinus in bello experti ſunt, & in morbis curandis, plerique Sanctorum ſolo Crucis ſigno ſe mirabiles exhibuere, vt Franciſcus Aſſiſinates, Paulinus, Didacus, alijque innumeri. Quapropter Sedulius in carmine Paſchali cecinit.

Aduerſarij Crucis Iconoclaſtæ. — *Cõc Senon. Mogunt. Synod. 6. & 7. & 8.* — *Virtus Crucis.* — *Sedulius.*

Pax Crucis ipſe fuit, violentaque robora membris,
Illuſtrans proprijs, pœnam veſtiuit honore;
Suppliciumque dedit ſignum magis eſſe ſalutis;
Ipſeque ſanctificans in ſe tormenta beauit.
Neue quis ignoret, ſpeciem Crucis eſſe colendam.
Quæ Dominum portauit ouans, &c.

Etiam quia hoc ſignum Crucis erit in cælo, cùm Dominus ad iudicandum venerit; portatum quidem manibus Angelorum, vt vult Aug. ſer. 130. Denique adorandã voluerunt Sancti omnes Crucem, quod inſtrumentum redemptionis, & redemptoris, cuius ſanguinem ſuſcepit, & quem iugiter extenſum repreſentat fidelibus, qui propterea, & in proceſsionibus ſacris, & in bellis eo ſemper vtuntur, vt per eum, in quo omnis victoria, & ſalus cuncta proſperè ſuccedant. Qui autem ſoleret antiquitus ſignum hoc venerandum deferri, & componi, lege apud Valerium de ſignis hieroglyphicis lib. 50. & Primaſum lib. 4. in Apocalypſim. *Auguſt.*

Interim nos honorem, qui tali, ac tanto ſigno debetur diligentiſſimè obſeruemus, caueamuſque illuſores, qui tàm crucifixo, quàm cruci ſunt continuò illudentes.

Ad alterutrum cum Scribis dicebant. Habent itaque & peſſimi ſuos choros, qui ad *alterutrum dicant*, & alternatis vicibus maledicant. Nunc Deo, nunc proximo malignentur, & linguis quandoque perſtrepent aduerſus bonum, cum didicerint malefacere, & loqui blaſphema. Qui dixerunt: *Ierem. 18.* *Verba deſperatorum.* Deſperauimus, poſt cogitationes noſtras ibimus, & vnuſquiſque prauitatem cordis ſui mali, faciemus. Et ſupercilium quo demum ſic *ad alterutrum dicentes* Hæretici poſt multiplicationem hæreſum, & poſt iniquitatum aceruum peſſimi deueniūt, vt aſſueti malis deſperent à bono, continuentque vt ibices, & tygres ferocitatem, atque malitiam. Propterea exorat Ieremias: *Ier 18.* Ne propitieris iniquitati eorum, & peccatum eorum à facie tua non deleatur. Fiant corruentes in conſpectu tuo in tempore furoris tui abutere eis. Igitur nos *ad alterutrum* ſimus *dicentes*, non vt hi, ſed more Angelorum, quorū alter ad alterum *Iſai. 6.* cātabat: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabbaoth. Hoc eſt, quæ nos apud Deum ſanctificent loquamur ſemper, vt dignos ſecundùm Ignatium in epiſt. ad Magneſianos, *Ignatius Mar.* nos exhibeamus cognomento, quod accepimus, videlicet, Chriſtiani.

Alios ſaluos fecit. Quod ſi *alios* fecit, ò ſcelerati, is eſt, quem Deus per Prophetas mundo ægro promiſit: Deus ipſe veniet dixit Iſaias, *Iſai 35.* & ſaluabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt, &c. Quod oraculum in ſignum ſui aduentus dedit Chriſtus Ioannis diſcipulis, ſed & Dauid ſalutes per Chriſtum operandas contemplans intonauit: *Pſal 67.* Benedictus Dominus die quotidiè proſperum iter faciet nobis Deus ſalutarium noſtrorum: Deus noſter Deus ſaluos faciendi: & Domini Domini exitus mortis; vel iuxta Hebraicam veritatem Hieronymi *Hieron.* Deus noſter ſalutis, & Dei Domini mortis egreſſus. Et quis egreſſus mortis Domini, atque Dei? profectò mors Chriſti, qui Deus eſt, & Dominus. Ergo, ò Iudæi, Deus noſter ſalutis, quem veſter Propheta concinnat, hic eſt, qui ſaluos fecit alios, ac mortis ſuæ eſt Dominus, vt non egeat Saluatore. Quare (ait Hieron.) *Hieron.* Etiam nolentes confitentur, quod *alios ſaluos fecit*, & ſe propria damnant ſententia; quia *alios fecit*, & ſe ſi vellet ſaluare poterat. Quia igitur proprio teſtimonio non creditis, audite comminationem, quæ iam vos opprimit: Veruntamen Deus confringet capita inimicorum ſuorum, verticem capilli perambulantium in delictis ſuis. Capita veſtra ſunt omnes Principatus præſertim animæ. Has enim damnat, illos verò tollit, vt ſitis ſemper alienigenis ſubditi. Capilli verticem dicit opulenta, quæ vobis olim humus gignebat, nunc autem confringit, vt vobis ſemen omne ſteriteſcat.

Seipſum non poteſt ſaluare. O cæci intuemini ad videndum, & quando, dicitote, ſe *ſaluat* homo, niſi cū oritur opertus materno ſanguine? Quando ſe *ſaluat* Rex, niſi cùm calcat rebellem, & cruore eius repletur. Sed & Deus, ò ignari, quando *ſaluat ſemetipſum*, & glorioſum publicat, niſi cùm ait: Ego Dominus, & præter me non eſt alius? Atqui ò rudes homines ſcitote iſta in Cruce mox agi. Etenim moriens Chriſtus acclamatur: Dominus fortis, & potens, *Pſal. 23.* Dominus potens in prælio. Et ego, inquit, propugnator ſum ad ſaluandum. *Iſai. 63.* Torcular calcaui ſolus, & de gentibus non eſt cui mecum; calcaui eos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea, & aſperſus ſanguis eorum ſuper veſtimenta mea, & omnia indumenta mea inquinaui. Non hoc, ait, quod nec ſanguis, nec corpus inquinata ſint, ſed peccata hominum atque homines, quorum naturam induit, & exuit ſanguinem, vt à ſanguinibus peccatricibus, & natura iræ emundet. Hæc apparere faciunt inquinatum, & quaſi leproſum, reſperſum ſanguine materno, ſcilicet ſynagogæ; proinde cecinit Pſaltes: De torrente in via bibit, *Pſal. 109.* propterea exaltauit caput. Quid igitur dicitis, ò Iudæi, *ſeipſum non poteſt ſaluare*? Immò nunc *ſaluat* honorem diuinum, qui eſt verbi, *In Cruce ſaluat Chriſtus* quod ipſe eſt; nunc *ſaluat* claritatem ſuam, quam ab initio apud Deum habuit, antequam mundus fieret; nunc *ſaluat* Orbem terrarum, *Ioan. 12.* nè vltrà maledicat ei Deus propter peccatum. Quid? etiam vos ſaluat ſi velitis ſaluari.

CAPVT XXXII.

Chriſtus Rex Iſrael deſcendat nunc de Cruce, vt videamus, & credamus. Et qui cum eo crucifixi erant conuitiabantur ei.

Sic itaque illudebant veritati ſummi Sacerdotes: *Expoſitio.* Expugnauimus iam eum, qui ſe nobis efferebat, prædicabat filium Dei, & Chriſtum. Ergo iam flagellatus, & affixus, iſte *Chriſtus*, qui videri volebat *Rex Iſrael*, & adorari, *deſcendat* ad nos *nunc de Cruce* iſta duriſſima, *vt videamus*, tandem hoc vltimo miraculo, quis, qualis, quantuſque ſit, *& credamus*, quem ſe prædicat. *Et* pariter, *qui*, vnà cum eo in Golgotha loco, *crucifixi erant* Latrones *conuiciabantur* inuerecundè *ei*, qui nihil mali fecerat.

Chriſtus Rex Iſrael. His illudunt ei, quibus ipſe glorioſus eſt, & ſublimis valdè.

Quia

Pſal 88. Quia ſemel iuraui in ſancto meo ſi Dauid mentiar, ſemen eius in æternum manebit. Et thronus eius, ſicut ſol in conſpectu meo, & ſicut luna perfecta in æternum, & teſtis in cælo fidelis. Semen Dauid Chriſtus eſt. De quo iurauit Dominus veritatem, & non *Ibidem.* fruſtrabitur eum, de fructo ventris tui ponam ſuper ſedem tuam, hoc eſt, regnum, dicente Angelo. Super ſolium Dauid, & *Luc. 1.* regnũ eius ſedebit. Itaque dùm putant vecordes detrahere crucifixo, laudem conciliant, qua ſeipſos confodiant, atque filios, vt qui eum, quem proprio ore Chriſtum confeſſi ſunt, atque Regem abnegauerint, & inſimulauerint. Vt intereant in ſæculum ſæculi; tu autem altiſſimus in eternum *Pſal. 91.* Domine, quoniam ecce inimici tui Domine, ecce inimici tui peribunt; & diſpergentur omnes, qui operantur iniquitatem. Et exaltabitur ſicut vnicornis cornu meum, & ſenectus mea in miſericordia vberi, hoc eſt in gloria, quia ad dexteram Dei ſedet. Qui autem auerſati ſunt cùm demerſi ſunt in profundum inferni.

Deſcendat nunc de cruce. Nunc iterum volunt Chriſtum de cruce deſcendere, vt & nunc inſipientiã eorum vniuerſi agnoſcant. Videntur enim piratę, qui poſt furtum cimbæ expectant triremes regias, vt deprædentur, aut certè homicida, qui poſt effuſum innoxium ſanguinem miniſtros Iuſtitiæ ad ſe venire prouocant, expectant, neque formidant: Equidem non miniſter iuſtitiæ punitiuæ, ſed Iudex verus veniet Chriſtus, quando depoſita cruce inſpicietur deſcen-*Iſai. 40.* dere: Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium eius dominabitur. Et merces eius cum eo, & opus illius coram illo. Illius, inquam, qui iudicandus eſt, vnde Chaldæa paraphraſis habet: Ecce merces facientibus verbum eius cum eo, quia omnia opera eorum manifeſta ſunt coram eo, vt quiſq. accipiat præmium, quale exigit opus eius. Propterea cruce depoſita, hoc eſt, ſtatu humili, & abiecto, qualem nunc, ò Iudæi, in cruce ſuſtinet, *deſcendet* *Iſai. 40.* quippè in fortitudine Dominus. Vnde Septuaginta legunt. Cùm virtute venit, & brachiũ cum dominatione. Percutiet enim terram, ſedes Ducum ſuperborũ deſtruet, & cunctis dominabitur. Ergo nè optatis iam Iudæi percuti anathemate, & deuorari ardoribus ſempiternis in igne deuorante, qui clamatis *deſcendat de cruce?* Væ vobis deſiderantibus diem Domini. Ecce ego, ait Deus ad vos ò Iudæi, inducam ſuper eos mala, de quibus exire non poterunt, & cla-*Ier. 11* mabunt ad me, & non exaudiam eos. Tunc, ò miſeri, qui pendentem in cruce non admittitis, ſed abſque cruce iterũ deſcendere poſtulatis, dicetis: Tranſijt meſſis, finita eſt *Ier 8.* æſtas, & nos ſaluati non ſumus. Hoc dicit *Chald. Par.* cætus Iſrael (ait Chaldæus Paraphr.) quãdo, inquam, tranſiuit tempus, impletus eſt finis. Ergo antequam illud tranſeat, veniatque finis; aſcendite vos ad crucifixum, & cruci configite, vt deſcendentem ſine cruce *Ezech. 39.* læti videatis, comendatis adipem in ſaturitatem, & bibatis ſanguinem in ebrietatẽ, quam ego, inquit, immolabo vobis: En immolatam in cruce agnoſcite, vt eius fructus percipiatis nunc, & ſemper.

Vt videamus, & credamus. Credere ſe offerunt videndo; at fides, ò ſtulti, non per viſum, ſed per auditum. At hunc, ve-*Iſai. 50.* lut aſpis obturaſtis, quia, inquit, vocaui, & non erat, qui audiret. Quid ergo, *vt videamus, & credamus?* Fortè ne viſus ſupplebit auditum? Et quidem hunc clauditis: *Iſai 42.* Quia quis cæcus niſi ſeruus meus, & ſurdus niſi ad quẽ nuncios meos miſi? quis ſeruus niſi quis venundatus eſt? Et quis cæcus niſi ſeruus Domini? Audientes igitur audietis & non intelligetis; videntes videbitis, & non creditis, quamdiù velamen de cordibus veſtris non tuleritis. Hoc facit vt nullis ſapientibus Scribis, neque Prophetis, qui ad te miſſi ſunt, ò Iudæe, credas, neque videas ſalutare Dei, quod in cruce velut in *Iſa. 5.* ſolio cunctis aſtris ſplendidiſſimo leuatur ſignum nationibus; tùm maximè ſuper te montem caliginoſum Iudæa, nè excuſationem de peccato tuo habeas.

Et qui cum eo crucifixi erant. In eodem quidem loco Caluariæ, ſed non in eadem cruce, aut iiſdem clauis, vt ille qui audacter dixit. Ego enim ſtigmata Domini Ieſu *Gal. 6.* in corpore meo porto; Chriſto confixus *Gal. 2.* ſum cruci. Quid? An non & crucifixo? Viuo ego iam non ego, viuit vero in me Chriſtus. Qui ſic cum Chriſto crucifiguntur, vt propria reputent, quæ agnus innocens portauit in corpore ſuo, laudant, benedicunt, adorant, & exaltant in omni tempore: Secus qui aliter crucifiguntur: Nam proſequitur Euangeliſta.

Cruciabantur ei. Græca lectio habet concrucifixi exprobrabant quidem ei, quæ fecerat alijs vtilia, ſibi autem nihil: Vnde ad conuicia veniebant, eum appellantes impotentem, ſtultum, & ijs ſimilibus probabant reuerentiam eius, & maieſtatem denigrabant. Cæterum hæc notatio (ad-*Arias Montanus.* uertit Arias Montanus) non ad perſonas, ſed ad conditionem referenda eſt. Namq. ex latronibus alter tantùm conuiciatus eſt Ieſu ſuo, & ſocij nomine, cùm diceret, ſaluũ *Vtrum vterque latro conuiciatus eſt?* fac temetipſum, & nos, alter autem reſtitit ſocio conuicianti, & ſe Ieſu commendauit. Eſt itaque Euangeliſtæ concilium oſtendere, Ieſum fuiſſe illuſum ab omni hominum genere, Summorum, & Sacerdotum, & Scribarum, imperitorum, ac vulgi, vt prætereuntium, & peſſimorum quoque, & latronum etiam in cruce pendentium. Poteſt quoque iuxtà literam dici, quod primũ

vterque

Zachar.
vterq. blaſphemauit (ait Zachar. Chriſop.) dehinc terra adumbrata, vnus credidit. *Pluralis pro ſingulari.* Vel ita pluralis numerus eſt apud illos pro ſingulari. Quod genus locutionis inuenimus in epiſtola ad Hebræos *Hebr. 11.* clauſerunt ora leonum, cùm ſolus Daniel ſignificetur, & ſecti ſunt, cum de ſolo Iſaia dicatur. Et in Pſalmo: *Pſal. 2.* Aſtiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum. Reges dicit propter Herodem; Principes propter Pilatum: quid enim vſitatius, quàm vt dicat aliquis, & ruſtici mihi inſultant, quamuis vnus tantùm inſultet. Pagani etiam dixerunt Phædras, & Clytemneſtras, cum ſingulæ fuerint. Non eſt ergo contrarium *Concord. Euangel.* Marco, & Matthæo, quod Luc. de vno manifeſtauit, ſed tunc eſſet contrarium ſi illi dixiſſent ambos latrones conuiciatos Domino. Ita enim non poſſet ſub numero plurali vnus tantùm intelligi. Quod autem latro conditionem paſſionis exprobrat vniuerſis etiam fidelibus ſcandalum crucis eſſe futurum ſignificat.

CAPVT XXXIII.

Et facta hora ſexta tenebræ factæ ſunt per totam terram vſque in horam nonam.

Expoſitio.
ET interim dùm hæc agerentur mala, irrideretur vitæ auctor ab omnibus, qui circunſtabant, multaſque blaſphemias contra ſe proferri audiret Chriſtus, cœpit Orbis excandeſcere, tamque ægrè Sol factum tulit, vt ad ecclypſim cucurrerit generalem, *Facta* enim erat *hora ſexta* diei, cùm Sol ad Occaſum properat, & *tenebræ* denſiſſimæ, quæ palpari poſſent, *factæ ſunt* illicò *per totam terram, vſque ad horam nonam*, vt nemo à loco in quo erat, ſe amoueret.

Zach. Chr.
Et facta hora ſexta. Hoc eſt Meridie, ne quis ecclypſim interpretaretur noctem, quæ ſequuta eſt paſſionem, vt quidam factitarunt (ſicut ſcribit Zachar. Chryſopolit. ex Hieronym.) qui ſcripſerunt, inquit, contra Euangeliũ, ſuſpicantur diſcipulos Chriſti *Solis deliquium naturale fit ortu lunæ.* Solis deliquium, quod ſtatutis temporibus accidere ſolet ob imperitiam ſuper Domino interpretatos, cùm defectus Solis nunquam fiat niſi ortu Lunæ. Nulli autem dubium eſt Paſchæ tempore fuiſſe plenam. Et ne videretur vmbra terræ, & Luna Soli oppoſita breues feciſſe tenebras; trium horarum ſpacium ponitur, vt omnis cauſantium occaſio tolleretur. In omni quidem opere miraculoſo, quo Deus vult glorificari aduertendum eſt, his fieri circunſtantijs, vt qui eas diligenter penſitauerit nullo modo naturæ, aut potentiæ creatæ, opus tribuat; ſed Deo qui vult hiſce glorificari, & magnificari.

Tenebræ factæ ſunt per vniuerſam terram. Quia omnis terræ Deus, qui patitur, & qui orbem terrarum limpido illuminat lumine moritur. Ergo Sol qui corpoream creaturam fœcundat, regit, illuſtrat retracto lumine, vindictam de omni creatura videtur expetere, & vindicare ſe velle inſinuat, tenebras per vniuerſam terram inducens. *Gloſſ.* Hinc Gloſſa interl. Sol refugit, quia non poteſt videre mortem Chriſti, & collaborat laboranti: vel ne impij blaſphemantes ſua luce fruerentur. *Hier.* Et ordinaria ex Hieronym. petita: Hic adeſt Noe inebriatus, ac nndatus, cælo, ac terra ebrioſo pallio tectus, & ab homine irriſus; hic ſtillauit de ligno ſanguis. Huiuſmodi tenebras tantùm Iudæa contigiſſe videtur Orig. *Origen.* in Matth. tract. 35. ſenſiſſe. Verùm contra Celſum agens lib. 2. ex teſtimonio Phleg. liberto Tiberij Cæſaris, & Chronographo ecclypſim generalem, ac tenebras probat. *Phelong. Libertus* *Defectio vniuerſalis ſolis* Idipſum facit Euſeb. in chron. ann. 33. *Euſeb.* Chriſti, Tertullianus in Apolog. *Tertull.* Lucianuſq. *Lucian.* iu actibus ſui Martyrij nou ex Phlegonta, ſed aliorum Gentilium annalibus dicunt probari hoc miraculum ecclypſis, & tenebrarum, quæ ſuper vniuerſam terram patiente Chriſto acciderunt. Inter omnia tamen teſtimonia, quæ nobis fidelibus poſt Euangelium fidem faciunt, eſt illud Dionyſij, *Dionifius Areop.* quod ſcribit ad Polycarpum; dùm in Apollophantem inuehitur his verbis: *Præclarum teſtimoniũ.* Quid de illo, qui tempore crucis Dominicæ factus eſt Solis defectu, dicturus es? Eramus tunc ambo apud Heliopolim, amboque ſimul incidentem mirabiliter Soli, Lunæ globum notabamus, non enim eiuſcæ coniunctionis tunc aderat tempus, ipſamque rurſus ab hora nona ad veſperum, ad Solis diametrum ſupra naturæ vires reſtitutam. In memoriam autem illius renoca etiam aliud quoddam, nempè enim, vt ipſe non ignorat, eam lunæ incidentiam ab Oriente cœpiſſe, & vſque ad ſolaris corporis finem perueniſſe, actum deinus reſilijſſe notauimus; neque verò ea ex parte vt aſſolet, & incidentia illa, & repurgatio facta eſt; ſed ex aduerſo diametri. Hæc ſunt, quæ tunc temporis corrigere naturam profectò ſuperantia, ac ſoli Chriſto poſſibilia, qui auctor eſt omnium, facitque magna, ac ſtupenda, quorum nou eſt numerus, iſta illi ſi licuerit, dicito. *Error Zachariæ corrigẽdus.* Ergo corrigendus eſt Zacharias Chriſopolytanus, qui lib. 4. cap. 171 alludens ad priorem Origen. ſententiam ſic ſcribit: Sub Moyſe *factæ ſunt tenebræ*, ſuper omnẽ terram Ægypti, tribus diebus, omnibus autem filijs Iſrael erat lumen omnibus locis, in quibus commorabantur. Sub Chriſto autem *tenebræ factæ ſunt* ſuper omnem terram Iudæam tribus horis, lumen autem

fuit

fuit ſuper omnẽ reliquã terrã, quod vbiq. illuminat omnem Eccleſiã Dei in Chriſto. Si enim ſuper omnem terram *tenebræ* tunc *factæ fuiſſent*, ſine dubio inueniretur in hiſtorijs aliquibus eorum, qui in chronicis conſcripſerunt noua talia facta. Hæc ille contraria dictis. Necnon ijs quæ Amos
Amos 8. ſcripſit de hoc Solis Occaſu,& vniuerſitate tenebrarum, & erit, inquit, in die illa, dicit Dominus occidet ſol in Meridie, & tenebreſcere faciam terram in die luminis. Dies luminis eſt dies mortis Chriſti; qui per mortem corpori claritatem, nobis autem vitæ ſplendorem dedit. In hac die dicitur terra, hoc eſt, orbis obtenebratus.

Nomine enim terræ ſic dicta abſolutè, totus is orbis elementaris ſolet intelligi, ſicut & nomine cæli ætherea regio, vt ibi in principio creauit Deus cælum & terram.
Gen. 1. **Deut. 32** Audite cæli quæ loquor, audiat terra verba oris mei. Denique apertè aduerſatur Euangelio, qui tenebras ſolùm in Iudæa, & non per vniuerſam terram affirmat, contigiſſe. Diſcedit quoque à ſignificato. Hoc enim eſt, *tenebris*, peccatum, diabolus, & mors, quæ cùm vniuerſam occuparent terram, in ſigno ſuo decuit publicè demonſtrari, vbique terrarum, quando & prælium, & iudicium contra ea agebatur. Reus enim ſedente Iudice ſtatuitur hoſtis ad duellum vocatus, comparet, & in die triumphi tyrannis conſpicitur. Ergo & triumphante Chriſto per mortem de poteſtatibus tenebrarum, peccato, & morte oportuit in ſigno tenebroſo comparere, in vniuerſis locis, in quibus regnabant, & vnde expellebantur noua victoria. Vnde Vates: Ecce tenebræ operient terram, & caligo populos, quando ſcilicet Dominus regnabit à ligno, vt ferant iudicium conſcriptum, & pereant in victoria, quam obediens vſque
Prou. 21. ad mortem Chriſtus, & fecit, & narrat.

Ier. 15 *Vſque ad horam nonam*. Occubuit ergo Sol cùm adhuc media eſſet dies penè vſque ad occaſum, vt illuſtrationem totius gentis Hebrææ in fine ſæculi redituram credamus. Tunc illis in iuſtitia regnabit Rex, quem modò abnegant, & Principes, qui nunc con-
Pſal. 2 ueniunt aduerſus Dominum, & Chriſtum eius, in iudicio præerunt, vt non addant vl-
Iſai 32. trà præuaricationem. Et erat vir Hebræus, ſicut qui abſconditur à vento, & cælat ſe à tempeſtate, ſicut riui aquarum in ſiti, & vmbra petræ prominentis in terra deſerta. Siquidem vniuerſa diffugiet mala, vtpotè ventum cæremoniarum, tempeſtatem captiuitatis diabolicæ, propter quam adhuc tenetur captiuus corpore, ſitim ac deſiderium quo æxtuat Chriſti explebit; & in huiuſmodi ſolitudine, & deſerto Chriſti vmbra protegetur. Eſt enim Chriſtus Petra prominẽs, ac Principatũ tenens, in vita quoq. præſenti, vt protegat, defendat, atque cuſtodiat vniuerſos, qui ſunt ſub vmbra alarum ſuarum. Ergo tũc non caligabunt oculi videntium, & aures audientium diligenter auſcultabũt. Hoc eſt non erunt rebelles lumini, quia in Domino iuſtificabitur, & laudabitur om-
ne ſemen Iſrael. Exprimuntur in paſſione **Iſai 45.**
Domini. *Hora tertia ſexta & nona*, vt ijs potiſſimum memoriam Chriſti, qui pro no-
bis paſſus eſt, habeamus. Quemadmodum **Tertull.**
Tertullianus lib. de ieiunio. Cyprian. de **Cypr.**
oratione Dominica, & Chriſ. hom. 59. ad **Chryſoſt.**
Populum Antioch. atque alij annotarunt, ſimiliter & dies in quibus ob reuerentiam mortis Chriſti ieiunandum foret, vtpotè quartam feriam, & ſextam toto anno, in quadrageſima verò totam poſtremam hebdomadam magna cum auſteritate præſertim ſextam, & ſabbatum conſuluerunt ieiunare, & conſueuerunt vſque ad veſperam vt conſtat apud Clem. lib. 5. Conſtit Apoſt. cap. 19. & lib. 7. cap. 22. Ignatium epiſt. ad
Philip. Tertull. aduer. phiſicos cap. 1. & 9. **Clem. Rom.** **Ignat.**
Clement. Alexandr. ſtrom. lib. 7. Diony- **Clem. Alex**
ſius Epiſcopus Alexandr. in epiſt. canonica ad Baſilidem, & alij plures.

CAPVT XXXIV.

Et hora nona exclamauit Ieſus voce magna, dicens Eloi, Eloi, lammaſabathani? Quod eſt interpretatum: Deus meus, Deus meus vt quid dereliquiſti me?

Expoſitio. ET cùm iam expulſis tenebris rediſſet Sol *hora nona*, quaſi poſt luctam magnã *exclamauit* ab imò pectoris *Ieſus voce magna*, qua nunquam auditus fuerat homo clammare, *dicens: Eloi* qui in altiſſimis habitas, *Eloi*, qui ſemper me audis, *lammaſabathani? quod* eloquium *eſt*, inquit Euangeliſta, *interpretatum* ex Hebræo ſeu Syriaco idiomate ad ſermonem in quo præſens hiſtoria conſcribitur, *Deus meus*, qui me, ſcilicet ab æterno genuiſti vnum tibi, *Deus meus* cui ſcilicet ſeruio in humanitate aſſumpta, *vt quid* in hoc tempore anguſtiæ *dereliquiſti me* hominem pugnare cum beſtijs inferni, & inter hoſtiles gladios ſolicitum pro victoria ſolùm à notis, & fratribus derelictum?

Et hora nona. Hac quidem quæ ad veſperam tendit paſſionis agoniam complet Chriſtus, vt eam ponderi diei, & æſtus finem dare, atque initium quietis, ſomnique iocundi eſſe inſinuaret. Eſt enim agnus, qui occiſus ad veſperam Hebræis portentauit captiuitatis Ægyptiacæ finem, & initium libertatis, quæ ſecuta eſt; quinimò dedit hominibus vmbram, & refrigerium, quod mercenarij expectant, vt requieſcant à laboribus ſuis. Quia Angelus faciei Dei, qui

exaltauit

exaltauit nos in dilectione ſua, & in indulgentia ſua, hoc eſt, ſui corporis communicatione,& aſperſione ſanguinis: In eo enim redemit nos à poteſtate Diaboli, portauit nos ad patrem, cui nos reconciliauit; & eleuauit nos cunctis diebus ſæculi ad futuram gloriam, quæ reuelabitur nobis,quando ſimiles ei erimus. Igitur miſerationum Domini recordabor,laudem Domini ſuper omnibus, quæ reddidit nobis,& ſuper multudinem bonorum domui Iſrael, quæ largitus eſt eis, ſecundùm indulgentiam ſuam, & ſecundùm multitudinem miſerationum ſuarum, hoc eſt,effectuũ, quos ſuſcepit tota Eccleſia, & eius filij,ex indulgentia,quæ nobiſcum in morte Chriſti facta eſt,memorabor, vt ad laudem me excitem,& gratiarum actionem continuam. Quales autem, & quanti ſint effectus indulgentiæ Chriſti, per multitudinem bonorum, & per multitudinem miſerationum indicantur eſſe à cunctis malis liberari miſericorditer, & ditari magnificè bonis omnibus. Id quod *hora nona* nobiſcum factum eſt. Veſperam inquam diei, quando & denarium receperunt operarij.

Iſai.44.

Exclamauit Ieſus voce magna. Et quomodo clamat ſi vocem eius foris non audiri debere,deponat Vates? Et qui, *voce magna*, qui dicit. Ego ſum Dominus,faciens omnia, extendens cælos, ſolus ſtabiliens terram, & nullus mecum? Etenim vt Deus neque clamat, neque foris loquitur, vt qui nullo indigeat, ſed omnia ſint ſibi præſentia; neque enim eſt locus extra Deum, aut ſubſtantia ad quam loquatur; omnia quidem in ſeipſo continet. *Exclamat* igitur,

Exclamatio miraculoſa.

vt in extremis humanitatem aperiat cunctis, & habere validam roboratam potius, quàm afflictam,cuius potentia tantũ abeſt, quod diminutionem ſenſerit ex profuſo ſanguine, vt eam auxerit crux, clauus, corona, flagellumque inundans nobiliorem viſus fuerit reddere. Cùm ergo cæteri præ ariditate oris, & æſtu febris ante mortem videntur defuncti, abſque voce, & flatu, Chriſtus dùm æſtimatur exanimis rugit vt leo, vociſcratur vim patiens,clamat validè & voce magna,qua non ſuperliminaria domus, ſed corda vniuerſorum terrentur; vt quem noluerunt agnoſcere tacentem, ſilentem, & patientem,confiteantur in futuro iudicio exclamantem.

Dicens. Tacens enim exclamare ſolitus erat continuò,neque ceſſat ſimilem clamorem animi ad patrem proferre, à dextris eius conſtitutus, quandoquidem in ſilentio rogat pro Petro, vt non deficiat fides, & pro vniuerſis prçcatur,vt præparetur locus his, qnos Deus prædeſtinauit, vocauit, magnificauit, & iuſtificauit. Nunc *dicens* clamat, vt aduertamus totam Chriſti paſſionem,& crucem eſſe clamorem ad Deum,

Luc 22.
Rom. 8.

Paſsio Chriſti continuus clamor.

vt miſereatur noſtri. Ad nos, vt imitemur veſtigia eius, & ad hoſtes vt fugiant, ſicut cera à facie ignis. Quanto ergo cruces nobis multiplicamus, ac quoties crucis ſignum, vel corpori imprimimus, vel oculis proponimus, clamorem Chriſti,quin Chriſtum *dicentem*, nobis appropinqnamus, & prædicantem voce magna, vt pœnitentiam agamus, & appropinquabit Regnum cælorum, vt ſimus mites, & poſſidebimus terram, vt diligamus inuicem, & habebimus vinculum perfectionis. Similes facti patri, qui perfectus eſt. Hic eſt ſonus alarum,qui viſus eſt Ezechieli, quaſi aquarum multarum, quaſi ſonus ſublimis Dei, & vt ſonus caſtrorum. Nam quæ Chriſtus vt volucrũ animal,extenſus in cruce ſuis alis loquitur, & dicit, eſt ſonus, velut aquarum, & comminans, vt qui Dei, qui per tale ſignum loquitur,& inuitat, ad agonem,& palmam, omnemque virtutem perſuadet. Sunt enim virtutes caſtra Dei.

Ezech.1.

Eloi,Eloi, lammaſabathani. Non ſolùm iſta, ſed reliqua dixit Chriſtus ſermone Hebræo; cur autem hæc pauca referantur ſolùm,vix percipio. Niſi fortè de Euangeliſta honorem diuinum putauerit extolli potius Hebraico idiomate. Sunt enim *Eloi, Eloi* diuina nomina, quæ apud Matth.ſcribũtur *Eli,Eli*,Hebraicum enim idioma, vt primum, & à ſanctis patribus vſitatum, vt denique à Deo in carne noſtra locutum,ac datum, vt primũ quod ſcribi cœpit, quodq. diuina explicauit, nemo reliquis nobilius eſſe ambigit, & in quo plus maieſtatis nomina diuina habent, maioremque emphaſim.

Dignitas linguæ Hebraicæ.

Quod eſt interpretatum. Interpretationem idem Euangeliſta adhibet, vt qui ſermonem habens ſcientiæ, & interpretationẽ linguarum, quid vnumquodque idioma admitteret probè calleret. Hoc enim in vno quoque interprete deſideratur,alioqui proprietatem linguæ vtriuſque ignorans vel in verbis, vel in ſententijs transferendis ab vno ad aliud idioma, ſæpiſſimè errabit. Id quod olim Diuus Hieronymus,& ante eum Origenes in bibliorũ tranſlationibus, quæ paſſim multiplicabantur,annotarunt, quas, vel Hæreſis, vel imperitia tranſlatorum vitiabat. Quare iſta duo ab optimo interprete aliena eſſe debent,ſi velit dignam, & iuſtam ſcripturæ verſionem facere.

Facultas neceſſaria interpreti. *Hieron.*

Deus meus,Deus meus,vt quid me dereliquiſti? En Marci interpretationem huius verſiculi, qui eſt initium Pſalmi vigeſimi primi, cuius titulus eſt. Victori pro cerua matutina. Quam Hebræi,qui Pſal. de perſecutione Hebræorum tentata per Nahamam interpretantur Reginam Heſter, faciunt. Burgenſis verò paſſionem Chriſti, quæ velut mane, crepuſculumq. diei, velociter vt cerua annunçiauit tranſitum à no-

Pſal.21.

Verſio Hie. ctæ legis ad diem Euangelij. Huius ergo *Septuaginta* Pſalmi primus verſus eſt, אלי אלי למה עזבתני *Eli, Eli lamabbazbathani*, quē Hier. vertit Deus meus, Deus meus, quare dereliquiſti me? Septuaginta verò habent. *Deus Deus meus reſpice in me, quare dereliquiſti me?* Iuxta Hebræos אל Deus fortis exponitur ab איל heial, quòd eſt fortitudo. Iod vltima litera habet vicem pronominis mi. *Paraphr. Chald.* Vnde Chaldæa paraphraſis habet *Deus mi*, *Deus mi*. Ergo clamat Chriſtus ad Deum fortem in die anguſtiæ, tùm quòd eam amore, qui eſt fortis, vt mors ſuſtineat; tùm quòd fortiter agat auxiliante fortiſſimo omnium Deo; quorſum ergo, *dereliquiſti me?* Iuxta hominum aduerſantium ſermonem, qui dicebant. *Deus dereliquit* eum. Etiam imperfectorū ſuorum dubitationem repræſentant, videntes humiliatum vſque *Pſal 42.* ad mortem Chriſtum, dubitare cœperunt, & intra ſe dicere ad Deum. Tu verò repuliſti, & deſpexiſti: diſtuliſti Chriſtum tuum. Auertiſti teſtamentū ſerui tui: prophanaſti in terra ſanctuarum eius; & reliqua proſequebantur, quæ videntur hominis derelicti. *Luc. 24.* Vnde qui ibant ad Caſtellum Emaus dixerunt: Nos putabamus quòd eſſet redempturus Iſrael. Quaſi in dubium reuocantes myſterium, quod ſæpius palàm audierant. Igitur vel hoſtium, vel puſillorum ſui gregis vox eſt, *quare me dereliquiſti*. Eam tamen exprimit Chriſtus, vt qui caput ſuorum, aliorum verò iudex, cuius eſt nonnunquam peſſimorum vocem agere. Ab his diſſentiunt Hæretici, quos apud Matth. expoſitionem videto, ſimiliter quid catholici ſuper iſta proferant.

C A P V T X X X V.

Et quidam de circumſtantibus audientes, dicebant: Ecce Eliam vocat.

Expoſitio. ET in ſonitu tàm magnificæ vocis, quaſi è ſomno poſt diuturnas tenebras euigilaſſent, *quidam* Hebreæ linguæ ignari, qui erant *de circumſtantibus, audientes* clamorem validum *Eli* ſeu *Eloi, dicebant* ad alterutrū nugantes: *Ecce* quomodo deſperatus de rebus ſuis, *Eliam* illū fortiſſimū Prophetam *vocat* ad ſe, vt ab eo auxilium contra nos acciplat, atque robur, quo non ſolùm valetudinem recuperet; ſed nos omnes infirmet, fuget, & perdat.

Et quidam de circumſtantibus. Non enim propter obſcuritatem tenebrarum abire potuerant, qui venerant Chriſtum crucifigere, neque ſi potuiſſent, abijſſent, quouſque Chriſtus ſpiraſſet, timentes ne corpore ab eis furtiuè ſublato, errorem priore maiorem commiſiſſent. Peruerſi enim ab opere non deſiſtunt, quouſque omnem malitiam oſtendant; & perficiant iuxtà malum eorum animum, quo illud aggreſſi ſunt. Ideo peruerſi difficilè corriguntur.

Audientes dicebant. Quod ſcilicet audierant prout conceperant non ſincerè, vt veritas poſtulabat. Semper enim malè audiens, malè percipit, & qui hoſtis eſt continuò ſermonem aliter quàm profertur intelligit. Inter eos ſiquidem locum habet, de *Ierem 9.* quibus dicitur: Et extenderunt linguam ſuam quaſi arcum mendacij, & non veritatis, confortati ſunt in terra; quia de malo ad malum egreſſi ſunt, & me non cognouerunt, dicit Dominus.

Ecce Eliam vocat. Eloi intelligūt *Eliam*, vel quo Romani milites eſſent, vel certè Iudæi malè affecti, qui ex debilitate linguæ, & corporis agonizantis fortè arbitrabantur *Eloi* dici pro *Elia*, vocariq. in adiutorium. In deriſum ergo proferunt interpretationem falſam, & in verbis nugantur, cùm iam nihil reſtaret, quo corpus dilaniarent, etenim quia non profertur citò contra malos ſententia, abſque timore vllo filij hominum perpetrant mala.

C A P V T X X X V I.

Currens autem, & implens ſpongiam aceto, circumponenſque calamo, potum dabat ei dicens: Sinite, videamus ſi veniat Elias ad deponendum eum.

OCaſione interpretationis falſæ *currēs* *Expoſitio.* furibundus *vnus* ex circumſtantibus ad vas potione amara preparatum, *& implens* diligenter *ſpongiam aceto* horrido, *circumponensque* imbibitam *calamo* longo propinat ori eius, & quaſi delectabile *potum dabat*, & offerebat *ei, dicens* inſimul ad alios, *ſinite* me facere ò ſocij, *videamus ſi* hoc nouo torquendi genere compatiatur, quem iſte in adiutorium vocat, *veniat*que properè *Elias*, quem inuocauit, *ad deponendum eum*, nè vltrà in *eum* animaduertamus.

Currens autem vnus. Qui cæteris fortè ſceleratior erat, vt Principibus complaceret, ac turbis, quæ pariter inſaniebant, ludum nouum proponeret, *currit* ad opus nefandum. Hoc quidem ſub curſu pedum, & velociter, ſæpius inſinuat ſcriptura, vt pedes eorum ad malum currunt. Cucurrit *Prou. 1* aduerſus eum erecto collo, & pingui ceruice armatus eſt.

Et implens ſpongiam aceto. Erat enim ibi vas *aceto* plenū, quo cùm fuiſſe permixtum Hyſopum Theophylactus arbitratur. *Theoph.* Ex huiuſmodi *aceto* condito *implent ſpongiam*. Nam qui nouam amaritudinem Chriſto infert, & continuis peccatis illius

maieſtatem

maieſtatem offendere meditatur, ſeipſos primò replent malitia, & prauitate, atque ignorantia; deinde ex tali conceptu iniquitas, quam Chriſtus deteſtatur, egreditur. *Aug.* Quare ſecundùm Auguſt. in Ioann. tract. 119 *ſpongia* iſta ad os Chriſti admota ſignificat (Quid ſpongia.) Iudæorum corda, quæ velut *ſpongia* fraudulentijs cauernoſa ſunt, & plena vanitate, aut malignitate, quæ nunquam ab eis recedit. *Prou. 1.* Sed fruſtra iacitur rete ante aculos pennatorum: ipſi quoque contra ſanguinem ſuum inſidiantur, & moliuntur fraudes contra animas ſuas.

Circumponenſque calamo potum dabat ei. *Theoph.* Quo citius, inquit Theophylactus eum conficeret amaritudo, nihil quidem obtabilius erat illis, quàm defunctum vita inſpicere. *Pſal. 40.* Quando morietur, dicebant, & peribit nomen eius; ſed quouſque irruitis in hominem, interficitis vniuerſi vos, tanquam parieti inclinato, & maceriæ depulſæ? *Pſal 62.* Ipſis verò cantat per Pſaltem Chriſtus: In vanum quæſierũt animam meam, introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladij, partes vulpium erunt. Rex verò lætabitur in Deo, & nomen eius in æternum manebit, & dominabitur in vniuerſa terra. *Calamum* ſeu Arundinem, qua Chriſto ingratus potus offertur (*Orig.* dicit Origen. in Matt. hom. 35.) dogmata eſſe Hæreticorum, qui & ſi Scripturis ſacris illa ſtabiliantur, tàm ipſi, quàm quæ afferunt, deteſtantur. *Beda.* Refert Beda de locis ſanctis, ſpongiam hanc cum calice argenteo Chriſti Hieroſolymis aſſeruari, & oſtendi ad deuotionem populi excitandam, nunc in Baſilica Lateranenſi, Romæ ſummo honore ſeruatur, & quaſi aſperſa ſanguine videtur rubicunda, quod (Spongia Romæ aſſeruata.) miniſtri prius eam ſanguine tinxerint, deinde aceto impleuerint, vt crudelitatem ſuam magis magiſque declararent.

Dicens. Qui *dicens* dat potum amarum Chriſto, eſt, qui blaſphemias loquitur, ſancta execratur, & ebullit maledicta in ſanctum Iſrael, qui denique peierat, loquiturq. mala aduerſus proximum, *dicens*, potum horridum Chriſto offert. Verùm qui in altum mittit lapidem, ſuper caput eius cadet, & plaga doloſa doloſi diuidet vulnera, & qui foueam fodit, incidet in eam, & qui *Eccl 27* ſtatuit lapidem proximo, offendet in eo, & qui laqueum alij ponit, peribit in illo.

Sinite, ſi veniat Elias ad deponedum eum. Hæc irridentes dicebant. Neque enim *Sap. 2* credebant alicuius potentia ab eorum manibus impijs liberari poſſe. Hæc cogitauerunt, & errauerunt, inquit ſapiens. Excæcauit enim illos malicia eorum, & neſcierunt ſacramenta Dei, neque mercedem ſperauerunt iuſtitiæ, nec iudicauerũt honorem animarum ſanctarum, quas funditus anihilari optarunt, tùm maximè animam Chriſti, quam ſummè deteſtabantur.

CAPVT XXXVII.

Ieſus autem emiſſa voce magna expirauit.

INter hæc noua deliria, quibus impetiebatur *Ieſus* emiſſa in altum *voce*, & qui- *Expoſitio.* dem *magna*, ac maiore omni tonitru *expirauit*, priuſque ſpiritum ſuum comendauit.

Ieſus autem. Hoc nomen preſenti loco interponitur, vt confundantur viuerſi qui vel Chriſto dicebant. Si Rex Iſrael eſt, deſcendat de cruce, vel putabant Eliam in auxilium accerſiri. At *Ieſus*, ideſt, *Saluator*, ſi eſt, vt vniuerſa deponunt oracula, neque Elia eget, neque eum oportet deſcendere, cùm vbique Liberator, Saluator, & ſalus ipſe ſit.

Emiſſa voce. Hæc eſt vox illa celebris, in virtute, in magnificentia, & vox aquarum multarum, quæ cælum, terramque turbat, ſcindit petras, montes aperit, confringit cedros, & vniuerſa concutit corda, vt (Cur vocem emiſit?) compellantur dicere. Verè hic homo filius Dei erat. Abiens *vocem* terrificam emittit, quod ad ſecundum aduentum, qui futurus eſt in *voce* terribili ſe præparabat, & vindictam de inimicis ſumeret. Emittendo autem foras *vocem* ſpirat, vt non ex materia corporis animas rationales credamus, ſed à Deo quaſi *foris* aduenire, ad eundemque per mortem redire iuxta illud: Reuertatur *Sap. 2.* puluis in terram ſuam & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. Quoniam Deus creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum.

Expirauit. Præmiſſa ſententia. In manus tuas Domine commendo ſpiritum (*Luc 23*, *Pſal 30*) meum; etiam vt pij contemplantur præmiſſo integro Pſalmo: In te Domine ſperauis cuius vltimus verſiculus recitatur, & creditur vox magna, quam emiſit, dùm ſpirare vellet, qua & dicta *expirauit*. Conſumatum eſt dixit ante emiſſioné vocis magnæ. (*Zach.* Chr. *Hier.*) Itaque ait Zachar. Chryſop. ex Hier. infirmata carne, mox diuina virtus inualuit, quæ dicit: Aperite mihi portas iuſtitiæ, ingreſſus in eas, confitebor Domino. Nos cum ima voce, vel nulla morimur, qui de terrá ſumus, ille cum exaltata voce *expirauit*, qui de cælo deſcendit. Inclinauit caput, & quaſi ſuper patris gremium repauſans tradidit ſpiritum, qui poterat illum in ſinu ſuo fouere, & confortare. Vnde alibi dicit.

Nemo poteſt tollere à me animam meam, ſed ego pono eam.

CAPVT

CAPVT XXXVIII.

Et velum Templi ſciſſum eſt in duo à ſummo vſque deorſum.

Expoſitio. ET hoc quoque moriente Chriſto accidit mirabile. *Velum* enim exterius *Templi*, quod diſtinguebat populum à Sacerdotibus, & Leuitis *ſciſſum eſt* in duo fragmenta *à ſummo* eius loco *vſque deorſum*, vt non poſſet aditum tegere, neque ingreſſum prohibere, quin iam omnia paterent, facileque ad ea accedi poſſet.

Duplex velum. *Et velum Templi*. Hoc duplex fuiſſe vnum anterius, aliud exterius ex eadem materia, ſed non iiſdem figuris, nec eadem præſtantia, ſcribit Arias Montanus lib. de Sacris fabricis volumine ſecundo. Et Ioſephus de bello Iudaico lib. 6. cap. 6. Ex his anterius, quod populum à Sacerdotibus ſeparabat, ſciſſum fuiſſe Hieronym. epiſt. 150. 9. 8. affirmat. Quoniam externa Iudæorum, vtpotè ceremonialia finem accepere per Chriſtum, qui veritas eſt. Vnde per Prophetam dixit: Sacrificium, & oblationem noluiſti, aures autem perfeciſti mihi, ſeu corpus aptaſti mihi. Tunc dixi ecce venio. Veniens ergo iam vt intraret ad interiora velamina per proprium ſanguinem, exterius ſcinditur, hoc eſt, ceſſat legale opus, quod externis figuris, & ceremoniis plenum erat, ſignificans veritatem, & gratiam quæ per Ieſum Chriſtum facta eſt. Oportebat enim, ſcribit Origen. tract. 35. in Matth. ea velari donec ille, qui ſolus poterat reuelare, manifeſtaret ea videre volentibus, vt per mortem Chriſti Ieſu deſtruentis credentium mortem, qui liberati fuerint à morte, poſſint aſpicere quæ ſunt intrà velum.

Arias Mõtanus. *Ioſeph.* Anterius ſciſſum eſt. *Hier.* *Pſal. 39.* *Hebr. 9.* *Ioann. 1.* *Orig.*

Cyrill. Alex. *Sciſſum eſt in duo*. Quoniam & hoc velum ſecundùm Cyrill. Alexandr. lib. 5. ſtrom. typus erat cæli quo teguntur ſuper cæleſtia, non inconueniet dicere ſciſſura hac ſignificari cæleſtis ianuæ apertionem, quam nobis mors Chriſti conſiliauit, vt liceat, iam cum Propheta omnes adhortari. Tranſite, tranſite per portas, præparate viam populo, planum facite iter, & eligite lapides, & eleuate ſignum ad populos, vt ſcilicet ingrediatur gens iuſta cuſtodiens veritatem. Iſti enim apertæ ſunt portæ cæli iugiter. Coinquinatum verò in illud non intrat.

Sciſsio hæc apertionem denotat ianuæ cæleſtis.

A ſummo vſque deorſum. Hoc eſt, ab extremo in extremũ facta eſt veli ſciſſura, quæ nobis non minus præcedentibus myſterium aperit, videlicet vniuerſa nobis patefieri per fidẽ Ieſu Chriſti, qui mortuus eſt. Significabat enim velum totum mundũ ſenſibilem, quo ad intelligibile ducimur. Intelligibilium autem quædam *ſumma*, & in ſummo loco conſiderantur, *deorſum* alia. Hæc ſunt quæ ad humanitatem Chriſti ſpectant, illa quæ ad diuinitatem; per mortem Chriſti velamen quod impediebat agnitionem, ſciſſum eſt *à ſummo vſque deorſum*, hoc eſt, ablatum obſtaculum quo remorabamur à cognitione Dei, & & hominis Chriſti. Vnde Centurio ſtatim protulit, *verè hic homo filius Dei erat*. Confeſſus eſt hominem, qui *deorſum* pendebat in cruce, & credidit Deum, qui in excelſis habitat, atque ſummis cælorum. Auctore Ephrem Syro ſermo de paſſione Domini, quando velum templi ſciſſum eſt, viſa eſt columba è templo egredi. Per hoc manifeſtante Deo, inquit Theophylactus, quod gratia ſpiritus è templo euolet, & quod ſancta ſanctorum omnibus conſpicua, & acceſſa fiant, quod & factum eſt Romanis ingreſsis. Et quod lugeat etiam templum, idque quod in calamitatibus facere ſolent, quum veſtes dilacerantur, hoc & templum quaſi animatum eſſet, faciat, compatiens conditori ſuo patienti, & veſtes ſuas diſrumpens: Et aliud quiddam in hoc manifeſtatur. Caro ipſa velamentum eſt noſtri templi, hoc eſt mentis. Itaque virtus, quam habuit caro aduerſus ſpiritum, paſsionibus Chriſti diſſoluta eſt ab Adam vſque ad nouiſsimos homines; etenim Adam ſanctificato paſsionibus, non vltrà caro illius maledicta erit, neque corruptioni obnoxia, ſed incorruptibilitate honorati ſumus omnes. Huic allegoriæ fauet quoque Origen. hom. 2. in Cantica, vbi carnem Chriſti velamen, ſeu *velum Templi* conſtituit. Similiter Greg. hom. 22. ſuper Ezechielem.

Ephrem. Egreſſa è templo columba. *Theoph.* *Orig.* *Greg.*

CAPVT XXXIX.

Videns autem Centurio, qui ex aduerſo ſtabat, quia ſic clamans expiraſſet, ait: Verè hic homo filius Dei erat.

INter alios qui ad vocem Chriſti extremam, terribilemque quaſi de ſomno viſi ſunt ad veram vigiliam excitari, & agnitionem veritatis, vnus gentilis homo ex his qui parebant Pilato, Dux cohortis militaris. *Videns* enim iſte *Centurio*, & perpendẽs ſingula, quæ tunc acta erant, & ſecũ cõferens tenebras, quæ præceſſerãt terremotus, qui paulò antè acciderãt, & petrarũ ruptura, quæ voragines oſtendebant, cœpit multũ admirari. fuuit tamen admirationẽ, & auxit Chriſtũ rectis oculis intueri, & geſtus, qui cũ humilitate præſeferebãt maieſtatẽ, *ex aduerſo* enim *ſtabat* oculo ad oculũ proſpiciens Expoſitio.

proſpiciens ſingula. Potiſſimum obſtupuit;
quia in agonia mortis Chriſtus *ſic cla-*
mans validè; qualiter nullus hominum
ſanus potuiſſet, *expiraſſet*. Tunc non va-
lens ſe amplius continere, quin conceptam
fidem euulgaret, *ait* publicè cunctis au-
dientibus. Inſanum eſt prorſus dubitare,
aut amplius continere fidem, quam quem-
que de Chriſto dignum eſt profiteri. Nam
verè meo iudicio ſentiant aliter; qui vo-
luerint, quia *hic homo* non ſacrilega, aut
ſeditioſus, vt criminabatur, ſed *filius Dei*,
cui rerum omnium ius cedit *erat*, dùm apud
nos eſſet, & erit, vt qui Deus, cuius eſſe eſt
in eternum permanere.

Videns autem Centurio. Cùm nihil vi-
deatur niſi humile, & abiectum in Chriſto,
mirum eſt conuerſionem Centurionis viſio-
ni tribui, difficultatem auget quod clamor,
quem fertur vidiſſe minimè natura ſua vi-
deatur: Vox enim, vt quæ aeris percuſſio,
& agitatio, inuiſibilis eſt. Adde quod fi-
des non per viſum, ſed per auditum eſt.
Ioann 20. Quomodo ergo *videns Centurio*, fidem
Chriſti profitetur? Optimè. Quia vidiſti
me Thoma credidiſti, dictum eſt Apoſtolo;
& Centurio quia vidit, credidit. Quia vi-
dit humile in ſublimi, vidit abiectum in
forti, vidit hominem micare diuina,
vidit carnem operari cæleſtia, vidit vulne-
ra ſubolere in corruptionem, & vidit ſan-
guinem ſplendore diuinitatis quodam lu-
cere, & denique vidit vſquequaque percuſ-
ſum, neque confidentiam amiſiſſe, neque
panoris, terroris, aut turbationis ſignum
demonſtraſſe. Sed & clamorem vidit, vt
populus ille, qui videbat voces, hoc eſt,
horrenda, & tremenda, quæ ad voces illas
fiebant aerem concuti, turbari cælum, ter-
ram tremere, & corpora omnia agitari, vt
ergo hi ab effectibus, & in effectibus cau-
ſam dicebantur videre. Ita *Centurio* vidit
clamorem in terremotu, qui factus eſt per
vniuerſam terram, vidit in ſciſura petra-
rum, atque alijs viſibilibus, quæ tunc acci-
derunt. His autem Chriſto in cruce pen-
dente non hunc ſolùm, ſed plures conuer-
tendos prædixerat Iſaias dicens: Omnes ha-
Iſai. 18. bitatores orbis, qui moramini in terra, cùm
eleuatum fuerit ſignum in montibus vide-
bitis, & clangorem tubæ audietis: quia hæc
dicit Dominus ad me, quieſcam, & conſi-
derabo in loco meo, ſicut meridiana lux
clara eſt, & ſicut nubes roris in die meſſis.
Signum in montibus eleuatum crucifixus
eſt, qui in monte Moria, ac vertice mon-
tium nobiliori dicitur ſublimatus. Tunc
ait Vates, videbitis quæ, ſcilicet, ſalutē con-
ſiliens, & audietis clangorem tubæ, hoc eſt,
vocē mouentis ad arcē, & ad mænia ciuita-
tis, ne fiat iam quis præda leoni, lupo, aut
feræ peſſimæ. Sed & ego, loquitur Chriſtus,
quieſcam, ſcilicet in cruce, & inde velut de
loco meo, quem ad ſaluandum omnes ele-
gi, conſiderabo fines terræ, & ſigillatim
corda filiorum hominum; quæ ſicut meri-
diana lux clara eſt oculis, ita mihi omnia
innoteſcunt, & ſicut eiuſmodi luce cuncta
illuſtrantur, ſic ipſe illumino omnem homi-
nem venientem in hunc mundum, & mi-
hi appropinquantem clarifico, & inflam-
mo.

Etiam auxilium præbeo, & ſolamen,
ſumque meis ſicut nubes roris in die meſ-
ſis, quando meſſores æſtuant præ labore,
& caloris rigiditate. Atqui iſta me quie-
ſcente in loco meo; hoc eſt cruce fiunt.
Ergo tunc orbis terrarum vidit, audiuit, &
accepit ſalutem, quando ſignum ſuper om-
ne ſignum, ſignumque vniuerſis mirabilius
eleuatum fuit in monte. Quoniam dixit:
Si exaltatus fuero à terra omnia traham ad Ioann. 12.
me ipſum. En viſionem Centurionis. Iam
proſequamur reliqua.

Qui ex aduerſo ſtabat. Ex aduerſo ſtare
intelligi poteſt dupliciter, vel pro vul-
tu oppoſito vultui, vel pro tergo faciei ad-
uerſo. Hoc in ſcripturis damnoſum eſt,
illud autem laudabile, vt ego autem ad
Dominum aſpiciam. Oculi mei ſemper ad Pſal 24.
Dominum; quod ſequitur. Verterunt ad Iſai 30.
me dorſum, audiunt poſt tergum monen-
tis; ad iram prouocat Deum. Vtrumque
in Centurione licet contemplari; ſed vnum
ſpirituale, & alterum corporale. Etenim
oculo corporeo intendebat in Chriſtum;
ſpirituali autem ad Idolum quod colebat.
Cœterum quia diligenter corporis intuitu
Chriſti acta perſpexit dignus erat ſpiritua-
liter illuſtrari. Nam facienti quod in ſe
eſt, Deus non denegat gratiam, quin ad ſi-
miles dicit. Percutiam illis fœdus pacis; Ezech. 34.
pactum ſempiternum erit eis, & fundabo
eos, & multiplicabo, & dabo ſanctificatio-
nem meam in medio eorum in perpetuum.
Quoniam dixit ad eum veniemus, & man-
ſionem apud eum faciemus. Hæc eſt ſan- Ioann 14.
ctificatio, & hoc pactum, quod pacificat,
& multiplicat incrementa iuſtitiæ, habere
Chriſtum in nobis manentem. Et quis hic
& laudabimus eum? Qui *ex aduerſo ſtat*,
qui Chriſtum in ligno conſiderat, ſingula
acta meditatur, & diligit, atque confitetur
eum, qui pro ſe patitur.

Quia ſic exclamans expiraſſet. Ponitur
clamor Chriſti, conuerſionis, & confeſſio-
nis tota cauſa, quod clamor, voxque Chri-
ſti diuinū verbum, vnde omnis iuſtificatio
ſignificet, etiam quod inſtrumentū diuini-
tatis, quæ operatur omnia eſſent Chriſti
verba. Vnde erat ſolitus dicere. Verba
mea non ſunt mea, ſed eius qui miſit me.
Ego à me ipſo non loquor, ſed qui mecū eſt; Ioann. 14.
loquitur mecum. Ergo quia clamorē audi-
uit, & vocē Chriſti percepit, Cēturio muta-
tus eſt in virū alterū, facta ſuper eū dextera

Domini

Digitized by Google

Pſal.28. Domini, quia clamor illius vox præparantis ceruos, quæ reuelat condenſa, & facit vt in templo Dei omnes dicant gloriam. *Luc 15.* Siquidem gaudium eſt in cælo ſuper vno peccatore penitentiam agente.

Ait: verè hic homo filius Dei erat. Non in occulto loquitur, vt Nicodemus: Scimus *Ioann 3.* quia à Deo veniſti magiſter; non dixit, quia *Marc 7.* Propheta ſurrexit in Iſrael vt turbæ, neque *Ioann. 4.* vt Samaritana: Num ipſe eſt Chriſtus? ſed ſpectante populo, in medio hoſtium *Matth. 16.* exclamat: *Verè hic homo filius Dei erat.* Et quid amplius confeſſus eſt Apoſtolus. Hoc ſolùm viſus eſt ſuperare, quo dixit: Tu es Chriſtus filius Dei viui, hic autẽ *erat*. Præſens enim & futurum magis diuinitatem explicant; vt Ego ſum, qui ſum, vel ero, qui ero iuxtà Hebræam lectionem. Præteritum vt *erat*, diuinitati quæ eterna eſt, videtur repugnare, niſi addatur intelligentia, quod *erat*, & omne præteritum quod de eo dicitur, ſit reſpectu creaturæ, vt *hic erat filius Dei*, hoc eſt, verè hic homo cum nobiſcum eſſet, *erat* ſeipſum demonſtrans Deum, vt & mox clamore magno fecit. Hac intelligentia confeſſionem Centurionis, Apoſtolicam effero, & confeſſori, quæ Chriſtus de Petro *Matth. 16.* confitente tribuere non vereor. Beatus es, centurio, quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus, qui in cælis eſt. Quin addo, quia gentilis homo moriente Chriſto veram confeſſionem Chriſti tenuit, neque pertimuit; gentilitas conſeruauit fi- *Fides Chriſti morientis à milite Romano conſeruata.* dem veri redemptoris, & dùm à milite Romano fuit profeſſa, habet Roma, vt integram Chriſti confeſſionem, & prædicet, & inuiolatam conſeruet. Hinc nota, ait Hier. *Hier.* quod Centurio antè crucem in ipſo ſcandalo paſſionis, verè filium Dei confitetur, *Arriu.* & Arrias, in Eccleſia prædicat creaturam. Vnde meritò per Centurionem fides Eccleſiæ ſignificatur, quæ velo myſteriorum cæleſtium per mortem Domini reſerato, continuò Ieſum, & verè iuſtum hominem, & verè *filium Dei*, Synagoga tacente, confirmat.

CAPVT XL.

Erant autem & mulieres de longe aſpicientes, inter quas erat Maria *Magdalena, &* Maria Iacobi *minoris, &* Ioſeph *mater, & Salome.*

Expoſitio. TAntæ impietati, quantam impij, & ſcelerati in ipſiſſimam commiſerant pietatem Ieſum muliebris pietas deeſſe non poterat, quin ſaltem miſericordiam oſtenderet ei, quem aliter tunc non liceret viſitare.

Erant enim. Ait Euangeliſta, & *mulieres* denotæ, quæ præ lachrymis, & dolore *de longe aſpicientes*, quæ ſporciſſimi homines in corpus alioqui ſpecioſum præ filijs hominum agebant, penè ſeipſas conficiebant. *Inter quas erat* famoſiſſima illa *Maria Magdalena*, quæ amore erga Chriſtum reliquas ſuperabat; erat & *Maria mater Iacobi minoris, & Ioſeph* quoquemiter. Etiam aderat *Maria Salome* vxor.

Erant autem & mulieres. Penes has videtur relicta deuotio in Chriſtum. Neque enim à cruce, & à locis, in quibus paſſus fuit Chriſtus, abfuere. Quia columnæ au- *Eccl 26.* reæ ſuper baſes argenteas, & pedes firmi ſuper plantas ſtabilis mulieris. Hæc qui- *Conſtantia & pietas mulieris.* dem conſtans in amore optimo, quo ſemel accenditur nullis perturbationibus dimouetur; ſed pedes firmos, vel formoſos, vt habet græca lectio, hoc eſt affectus ſuper cogitationes dignas habens quiduis patitur, omnem penuriam ſuſtinet, nec aliquid facit quæ aduenire poſſent incommoda, dummodo cui ſe ſemel deuouit, fidem ſeruet, vt iurè columna, quæ vento non rapitur, aurum quod pretioſum eſt, appellari mereatur, ac dici columna aurea ſuper baſes argenteas, hoc eſt, amantis fortitudo, quæ ſuper bonum fundatur, propter quod pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo ſapiens dat. Tùm maximè mulier bo- *Iob. 2.* na quæ ſortita eſt animam bonam. Hæc pro bono ſic certat, ſic inflammatur, vt nihil vile erubeſcat, nihil graue pertimeſcat, nec eam terreant vniuerſæ manus militares. Quid? Etiam portas inferi ſpernit, & cla- *Cant. 5.* mat ad omnes: Nunciate dilecto, quia amore langueo. Atqui tàm ſalubri languore æſtuentes mulieres Euangelicæ, Chriſtum ad paſſionem ſequuntur, vt qui à mulieribus initium ſecundùm carnem accepimus, & aliquando corruptionem naturæ mulierum in redemptione imitemur exemplum, & in vita ſpirituali, quæ propoſita eſt mater gratiæ, ductricem ſequamur ad filij crucem. Hæc enim, ait Cyprianus de *Cyprianus.* paſſione Chriſti vna medela corroſit illas, quæ in immenſum excreuerant cicatrices, & viam ſuam concupiſcentiarum perdidit corruptela, & deleta damnationis conſcriptione nouis literis aſſignata eſt, & reſtituta libertas; priuilegio dato, charta indulgentiæ, ſigillo plagæ lateralis firmata.

De longe aſpicientes. Non enim proprius accedere poterant militibus, & Senatu Iudæorum impedientibus, vt qui nullum ſolatium adferri Chriſto vellent, imò potius plagas, & vulnera ſuper dolorem adaugeri. Etiam à longe erant *aſpicientes*, vt honeſtatẽ muliebrem, quam Chriſto placere nouerant, viderentur obſeruare. Non enim iuxtà crucem eſſe poterant, quando à lictoribus Chriſtus patiebatur opprobria,

& tormenta, quin ſe nefandorum periculo obtuliſſent. Dicitur tamen, matrem Ieſu iuxtà crucem ſtaſſe, & diſcipulum, quod aliquantulum, parumque abeſſent. Illud tamen præ amore erat illis longe, quod optaſſent commori Chriſto, & crucifigi.

Inter quas erat Maria Magdalena, & Maria Iacobi minoris, & Ioſeph mater, & Salome. De *Maria Magdalena*, & alijs tribus Marijs dictum eſt alibi. Mox annotato ſolùm vt præcipuas Chriſto deuotas annotari tres præſentes *Marias Magdalenam, matrem Iacobi, & Ioſeph*, cuius matrem

Theophyl. ſententia reijcitur.

vult Theophyl. dici Mariã matrẽ Ieſu, quæ cùm eſſet nouerca, locum matris habebat; verùm non ſic ſentiunt reliqui, quinimò inter has tres negãt referri Domini matrem, ſed duas prædictas, & *Salome* quam Matth. vocat matrem filiorum Zebedæi. Referuntur hæ tres ſolæ, vt in his aſtantium cruci Chriſti conditionem, & numerum contemplemur, numerus eſt partium orbis tres, Aſia, Affrica, Europa, quæ fœminis nominibus pariter dicuntur; etiam triplex ſtatus contemplantium, agentium, & mixtorum: Triplex quoque animæ potentia, quæ perfici optat Chriſtum in cruce aſpicit, nec ab eo recedit, vt memoriam augeat, intellectum exacuet, & inflammet affectum. Conditionem Chriſto crucifixo adhærentium ex nominibus iiſdem perpẽdito. *Magdalena* interpretatur magnifica, qua ſignificatur is, qui renunciat omnibus, quæ poſ-

Phil. 3.

ſidet, eaque arbitratur vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciat, & prædicet crucifixum, & portet in ſuo corpore: *Mater Iacobi, & Ioſeph*, eſt qui qualecumque iugum, ſed ſanctum continuat ſemel ſuſceptum, reputans

Pſal. 103.

de ſe dictum: Exibit homo ad opus ſuum, & ad operationẽ ſuam vſque ad veſperam. Nam Iacobus eſt ſupplantator, qui laborat, vt teneat; Ioſeph eſt accreſcens, qui tantũ abeſt, vt frangatur labore, quem in ſuo ſtatu paritur, vt potius aſcendat de virtute in virtutem. *Salome* eſt pacificus, qui non ſolùm renunciat omnibus, patienterque agit in cunctis, ſed pacifico eſt corde, vt nullis dimoueri poſſit à contemplatione crucifixi, in quo pacem omnem reperiat, gau-

Cant. 8. Philip. 3.

dium, & dulcedinem. Vnde dicit: Ego murus, & vbera mea ſicut turris, ex quo facta ſum coram eo, quaſi pacem reperiens. Murus quia omnia poſſum, inquit, in eo qui me confortat, vbera ſicut turris, hoc eſt, ſuperabundans delectatio, quia gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in

Habac. 3. Cant. 2.

Ieſu ſalutari meo. Pacem reperiens: Quia ego dilecto meo, & dilectus meus mihi. Et quando? Quando facta ſum coram eo, quando me totam cruci tradidi, & crucifixo.

CAPVT XLI.

Et cùm eſſet in Galilæa, ſequebantur eum, & miniſtrabant ei, & aliæ multæ, quæ ſimul cum eo aſcenderant Ieroſolymam.

Expoſitio.

Hæ quidem non communi pietate mulieribus, ac repentina afficiebantur erga Chriſtum, ſed peculiari, & diuturna beneuolentia in illum proſequebantur. Nam *cùm eſſet* prædicans, & operans miracula *in Galilæa*, etiã ſuis domibus, & cognatis *ſequebantur eum*, cupidæ fieri vitæ ſuæ imitatrices, vel ſaltẽ edoctæ ſalutari ſua doctrina, & paſci ſacro diuino verbo, quod de ore eius velut mel, & lac fluebat copioſiſſimũ, & dulciſſimum. Ac nè ingratæ viderentur beneficiorũ, pro ſpiritualibus alimonijs *miniſtrabant ei* temporalia, quæ tãm ſibi, quàm diſcipulis viderentur neceſſaria. *Et cum his aliæ multæ* interfuere mulieres præſenti ſpectaculo, *quæ* Chriſto deuotæ, & ſtudioſæ diſciplinæ eiuſdem mellifluæ, *ſimul cum eo* è Galilæa, & Maritimis eius *aſcenderant Ieruſolymam*, ſperantes maiores in dies fructus facere tali, ac tanto magiſtro ductore, & patre.

Et cùm eſſet in Galilæa ſequebãtur eum. Eſt *Galilæa* volubilis גלל Galal inuoluere. Cùm autem nihil mundo ſenſibili, ac terrà noſtra, magis inuolutum ſit, vt qui non vno, aut alterò, ſed tredecim velamentis, ſeu potius quatuordecim inuoluatur, vndecim videlicet cælis, & reliquis tribus elementis, aqua, aère & igne, *Galilæam* interpretatur Origen. hom. 35. in Matth. Quare

Orig.

in *Galilæa* ſequitur Chriſtum, qui in hoc mundo contendit vitæ illius imitatorem fieri, & imbui modis omnibus curat doctrina eius, quæ vel relictis omnibus iubet ſequi magiſtrum, vel retentis omnibus ea prudenter diſpenſare. Enimverò duorum alterum faciendum eſt (perorat Gregor.

Greg. Naz.

Nazianz. orò. 16. de pauperum amore) vt vel omnia propter Chriſtum deponamus, quo verè, ac ſincerè ipſum, ſublata humeris cruce, ſequamur, ac leues, & expediti, nec ab vlla re in diuerſum tracti, ad ſupernum mundum conuolemus, Chriſtumque loco omnium rerum eluceremus propter humilitatem elati, & propter ægeſtatem locupletati, vel certè cum Chriſto opes noſtras partiamur, vt ipſæ honeſtè poſſeſſæ, & cum iis, qui paupertate conſtricti ſunt communicatæ ſanctitate quadam imbuantur, vtrumque fecerunt *mulieres hæ*, vnde ſequuntur.

Et miniſtrabant ei de facultatibus. Scilicet, ſuis, vt quæ per doctrinam videbantur

filiæ

filiæ, patri morem gererent, & quæ iam centuplum accipiebant, denarium redderent; ſunt quidem temporalia omnia adhuc minora denario; ſi cum ſpiritualibus conferantur. Hinc pro iis, qui laborant in Euangelio, & ſpiritualium ſunt miniſtri argumentatur Paulus: *1.Cor 9.* Quis militat ſuis ſtipendijs? Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat? Nunquid ſecundùm hominem hæc dico? an & lex hæc non dicit? Non alligabis os boui trituranti. Subinde infrà: Si nos vobis ſpiritualia ſeminauimus, magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus? Quòd autem vt Chriſtus, ita & Apoſtoli à mulieribus eiuſmodi ſubſidia acciperent, idem Apoſtolus paulo antè docet: *1.Cor.9.* Nunquid (inquit) non habemus poteſtatem ſororem mulierem circumducendi, ſicut & cæteri Apoſtoli, & fratres Domini, & Cephas ſororem mulierem circumducendi. *Theodor.* Theodoretus ait, quidam ita ſunt interpretati, quòd quemadmodum Dominum ſequebantur fideles mulieres, neceſſarium alimentum diſcipulis ſuppeditantes: itē etiam aliquos ex Apoſtolis ſequebantur aliquæ ardentiorem fidem oſtendētes, & ab eorum doctrina pendentes, & diuinam prædicationem adiuuantes, ſic interpretantur *Oecumen.* Oecumenius, *Theoph.* Theophylactus, ac reliqui.

Et alia multæ quæ ſimul aſcenderāt cum eo Hieroſolymam. Vt continuarent, ſcilicet ſuæ doctrinæ pabulum, & vitæ imitationem Paſcha celebrarent, & adeſſent morienti, cui ſe viuentes tradiderant. *Ieroſolymam* itaque veniunt cum Chriſto deuoti ſpiritus, hoc eſt, ad locum certaminis, vt ipſo præliante, & vincente, modum ab eo diſcāt, non in gladio ſed virtute; non in galea, ſed ſapientia; neque in clypeo, ſed in patientia, victoriam de inimicis omnibus reportare, & ſalutem. *Luc 17.* Quia in patientia (inquit) veſtra poſſidebitis animas veſtras. Subinde *Baſil.* Baſil. conc. contra iraſcentes. Memor ſis Domini, quòd diues exiſtens, propter nos pauper factus eſt, ſi ſtultum, & indoctum te appellarit, memor ſis iudaicarum contumeliarum, quibus in veram ſapientiam conuitia iactauerunt: Samaritanus es, & dæmonium habes: *Ioann. 8.* Nam ſi contra iraſceris, opprobria iam confirmas. Quid enim ſtultius eſt ira? Si verò iram ſuppreſſeris, pudefacis contumeliatorem, re ipſa temperantiam oſtendens. *Conſideratio efficax ad patientiā.* Alapis cæſus es? Nam etiam Dominus. Conſpuit quis faciem ſuam? Sed & herus noſter idem paſſus eſt. Non enim auertit faciem à turpitudine ſputamentorum. Calumniam perpeſſus es? Nam etiam ipſe iudex. Dilaniarunt tibi tunicā? Exuerunt etiam meū Dominum, & diuiſerunt veſtes ipſius inter ſe. Nondum condemnatus es, nondum crucifixus es, multa tibi deſunt, vt ad ipſius imitationem perueniás. Ergo qui imitari Chriſtum profeſſi ſumus, ſic aſcendamus cum eo *Ieroſolymam*, vt exemplum patientiæ diù conſiderantes, & pro poſſe æmulantes, in patientia quoque & nos cum eo triumphemus.

CAPVT XLII.

Et cùm iam ſero eſſet factum. Quia erat paraſceue, quod eſt ante ſabbatum.

DEnique abſolutis omnibus, quæ ad mortem Chriſti ſpectabant, *& cùm iam ſero* cunctis dolendum *eſſet factum*, agi cæpit de funere, *quia* tunc iam erat *paraſceue* religioſiſſimū, *quod eſt* in hebdomada die illa ac toto paſchate *antè ſabbatum*, quod ſingulis hebdomadibus ſolitum eſt obſeruari. *Expoſitio.*

Et cum ſero eſſet factum. Sed quo modo fit *ſero* moriente Chriſto, cum dicat Paulus. *Rom 13.* Nox præceſſit, dies autem appropinquauit? Vtique ijs qui commoriuntur, & conſepeliuntur Chriſto dies eſt mors, & paſſio eius: Vnde Abraham pater veſter, dixit Chriſtus Iudæis, deſiderauit, vt videret diem meum, vidit, & gauiſus eſt. *Ioann. 8.* *Gen. 1.* Tunc enim dixit Deus, fiat lux, & facta eſt lux, quæ lætificat triſtes, illuminat cæcos, ſaluificat pereuntes, viuificat mortuos, & ijs, qui errant, viam parat, & portum. Si in lumine diei huius ſacræ, ac primæ ambulare voluerint, & operari. Ergo operamini dùm dies eſt, nam veniet nox in qua nemo poterit operari. *Ioann 8.* An non receſſit? Redijt quidem ijs, quos malitia excæcauit, vtpotè, Iudæis, & alijs qui per diem incurrunt tenebras, dùm in ſtatu gratiæ ſub peccato ſpontè venundantur. His quidem *ſero factum eſt*, mors Chriſti. Quinimò Chriſtus nihil vobis prodeſt dixit hiſce Apoſtolus, nec ſolùm non prodeſt, ſed eſt pauor, & terror vt nox.

Quia erat paraſceue. Græca vox eſt *paraſceue*, id eſt, *præparatio*, quo verbo (inquit *Auguſt.* Auguſt. in Ioann. tract. 117.) libenter vtuntur Iudæi in huiuſmodi obſeruationibus, etiam qui magis Latinè quàm Græcè vtuntur, præparabant ſic Iudæi, vt manducarent Paſcha, quod diſtulerant à vigilia præcedente, vſque ad veſperam illius diei *Idem* in tractatu 76. in eundem Ioann. vocat paraſceuem Aug. cænam puram. *Textus Apuleius* Non eam quæ apud feſtum in verbo Penem admittebat oſſa porcina, nec quam Apuleius in Aſclep. in fine dicit cænam abſque animalium cede, & eſu ſolis aridis cibis aſſuetant fieri; ſed quam *Tertull.* Tertull. lib. de penit. c. 9. celebrari vult potius animæ gratia, quā corporis, is enim erat finis inſtitutionis Paſchę, vt neque carnibus aſſis, neque pane azimo,

ac lactucis corpus replerent; ſed animam inſtruerent, & eleuarent ad miſteria, quæ per Chriſtum agi debebant.

Quod eſt ante ſabbatum. Hoc eſt, dies veneris, quæ præcedit diem, quæ propriè *ſabbatum* appellatur. Communi enim appellatione omnes dies hebdomadæ *ſabbata* apud Iudæos vocabantur. Vnde Phariſæus
Luc. 18. dixit: Ieiuno bis in *ſabbato*, hoc eſt, duobus diebus hebdomadæ. Non in *ſabbato* propriè dicto. Hoc ſiquidem R. Moyſ. Ægypt. de cer. lib. 3. de temp. cap. de ſabb. & cap. de ieiun. teſtatur vetitum Iudæis ieiunium. Alijs autem diebus conceſſum, quæ cum *ſabbata* dicerentur, vocabantur à Gentilibus ieiunia ſabbatariorum, & Iudaica *ſabbata* pro ieiunijs. Ergo quia *paraſceue* erat, iam quæ accedebat ad veſperam diei ſequentis, vt liceret Paſcha manducare, properabant ſepulturã Chriſti. Eoque frangere cogitabant vt citius & moreretur, & tolleretur de cruce, cum reliquis, nõ tamen fregerunt, cũ vidiſſent mortuum. Qua in re quàm ſuperſtitioſi fuerint quis non aduertit? Non eos ſtimulat peccatũ omni ſcelere grauius; & dubitant Paſcha celebrare crucifixo pendente in cruce; degluttiunt camellũ, & culicẽ colant.

CAPVT XLIII.

Venit Ioſeph ab Arimathæa nobilis decurio, qui & ipſe erat expectans Regnum Dei, & audacter introiuit ad Pilatum, & petijt corpus Ieſu.

Expoſitio. QVum mortuo Chriſto tractaretur apud Iudæos de funere eius, depoſitione corporis è ligno, ac ſepultura, *venit* inſpiratus à Deo *Ioſeph* vir inter ſuos facile Principes, vt qui *ab Arimathæa* ciuitate, *nobilis* genere, *decurio* honoratus; inter ſanctos verò Dei homines, ac iuſtos, non infimi gradus; vt *qui & ipſe* in ſanctitate, & iuſtitia viuens coram Domino, *erat expectans* auidiſſimè *Regnum Dei*, redemptionem humani generis, ac redemptorem. Is ergo veniens *audacter* nullis Iudæorum minis perterritus, *introiuit ad Pilatum* Præſidem, *& petijt* inſtanter, vt ſibi, quocunque pretio, ſi aliter non liceret, *corpus Ieſu* deponere, & tradere ſepulturæ honorificè, vt illi, à quo tàm ingentia beneficia reportaret, qualecumque amoris, & gratitudinis ſignum oſtenderet.

Venit Ioſeph ab Arimathæa. De ciuitate hac habes apud Matth. nunc interpretationem accipito *Arimathæa*. Idem quod leo mortuus Dño, vel lux mortis Domini. Inde autem venit *Ioſeph*, idest, augmentum Domini, vt eum ſolum magnificatum, & locupletem Domino, credamus, qui leo, ſed mortuus Domino; qui fortis aduerſus carnem, & ſanguinem, principeſq. & poteſtates tenebrarum, ſed humilis, abiectus, nihil capiens apud ſemetipſum, non arrogans in oculis ſuis, neque præſumens; promptus ad omnia, quæ illi iubent, ac velut mortuus, alterius ſe credit imperio, voluntati, ac legi, vt faciat in eum quæ ſibi placuerint. Hic
eſt verè Ioſeph, verè augmentum; vndè legimus: Sapientiam ſcribe in tempore vanitatis, & qui minoratur actu, ſapientiam percipit, qui ſapientia replebitur. Tempus vanitatis, dico ego, tempus abiectionis, quando inſipientibus reputantur humiles, abſque honore, & ſine honeſto. In hoc tempore ſcribe ſapientiam, hoc eſt, ſcito ſapientiam acquiri, & naſci; velut fontes in conuallibus, & flores optimi, herbaque graſſima, & abundans in terra Geſſen, i. appropinquans, quã coluit Iacob, qui & Chriſtus; à quo nunquam receſſit humilitas, ſed eam coluit à conceptu, & ibidem habitauit vſque ad mortem, iuſſitque paſci pecora, & requieſcere ibidem paſtores cùm dixit, Diſcite à me, qui mitis ſum, & humilis corde. Quia in hoc tempore, & tàm irrigua habitatione, tamque propinquo loco, in quo habitat ſapiẽtia Chriſtus, facilimum eſt ſcribere, ſapientiam percipere, eaque repleri. Imò verò nemo repletur vera ſapientia, niſi humilis, qui eſt leo mortuus Dño, is eſt *Ioſeph* qui venit ad *Arimathæa*. Eccl. 38.
Gen. 47. Humilitas Chriſti. Matth. 11.

Nobilis decurio. Ideſt vnus de curialibus, inquit Lyra. *Decuriones* enim dicuntur qui ſunt de curia alicuius magni Principis. Dicuntur etiam *decuriones*, qui accipiunt curam plebis. Fortaſſis vtrinque tale nomen ſortitur. *Ioſeph*, vt qui *nobilis*, atque diues, potuit præfici populis; & quia ſapientia, fide ac morum ſplendore inter aulicos Præſidis Romanorum primum habere locum, diciq. per anthonomaſiam, *nobilis decurio*. Laudatur autem à *nobilitate*, qui Chriſtum ſepelit non ſolũm, vt perſuadeatur tradere mortuos ſepulturæ, eſſe opus alioqui excellens, quo Patriarchæ, vt Abrahã, ac reliqui, Regeſque gentium, vt Pharaones, ac priſcorum plures Reipublicæ, vt Athenienſium, & Rodiorum nobilitari gentem, præ pietate potius, quàm armis putarunt, quàm vt ſepulturam Chriſti, atque ſepulchrũ fore honori nobilibus terræ, Regibus, *decurionibus* & omnibus, in orbe primatum tenerent, vt lingerent iuxta Iſaiæ vaticinium puluerem terræ. Lyra. Qui decuriones?

Qui & ipſe erat expectans Regnum Dei. Eſſe nobilẽ genere, & decurionẽ conditione apud homines hominẽ nobilitat; apud Deũ eſſe iuſtum, & in iuſtitia *expectare Regnum*, vt ille, Ego autem in iuſtitia apparebo conſpectui tuo: ſatiabor cùm apparuerit gloria tua; hoc illuſtrat ſuper aſtra cœli virũ, & Sole lucidiorem reddit. Et qui vtraque nobilitate laudatur inter viros glorioſos, qui in Pſal. 16. Eccl. 44.
genera-

generatione hominum recenſetur. facilè reputetur Princeps; qualẽ affirmo Ioſephum præſentem; vt qui non ſolùm conſilio Iudæorum ſe vinci non fuerit paſſus, verùm etiam bonos in bono ſuperauit, & anteceſſit, vtpotè Apoſtolos, qui etſi Principes Orbis, quæ ſunt digna Principe nondum excogitarant in Regem Regum Chriſtum agere, velut iſte Ioſephus ab expectatione Regni commendatur, qui mortuum Chriſtum tradit ſepulturæ, vt ſimilibus fore ſolatium Chriſti opprobria, atque mortem aduerteremus. Quia ego Dominus, ait, ſuper quo non confundentur, qui *expectant* eum? Nunquid tolletur à forti præda? aut quod captum fuerit à robuſto, ſaluum eſſe poterit? Hoc eſt homines à morte peccati, & animæ Patrum à Limbo? Equidem ſubdit, & captiuitas à forte tolletur, & quod ablatũ fuerit à robuſto ſaluabitur. Hos verò, qui iudicauerunt te, ego iudicabo; & filios tuos ego ſaluabo. Hi ſunt, qui expectabant redemptionem Iſrael, quorum vni in mundo detenti dicebantur fortis præda, hoc eſt, ſub peccato conſtituti; alij in Limbo captiui. Hos autem & illos Chriſtus veniens, atque moriens, ſaluauit, præcipiens Aquiloni, & Auſtro, hoc eſt, inferno, & mundo dari ſibi, atque reſtitui filios. Reliquos verò vt qui Chriſtum, vel iudicauerint ad mortem, vel conſenſerint impiè agendo; Dominus iudicabit, & mittet in caminum ignis.

Iſai. 49.

Et audacter introiuit ad Pilatum. Audaciam ſibi adijecit Mariæ matris Conſilium, quo ad opus auctore Metaphraſt. in ſerm. Virg. Mar. Aſſumpt. 15. Auguſti fuit adhortatus. Introitum *ad Pilatum* ſibi conceſſit nobilitas ſæculi, & decurionis honor. Manus enim manum fricet, & ſibi facilè placent Principes, introitumque ſuis ſimilibus pandunt, tàm ad ſe, quàm ad reliqua, quæ ſunt ditionis ſuæ. Id quod ſummum ius, & iuſtitiam reputant, vt non ſe denegent leones leonibus, & vna nonnunquam ſæuiant tygres aduerſus pauperem, & inopem. Verùm in iniquitate patrum præparantur filij occiſioni. Qui non conſurgent, nec hæreditabunt terram, neque implebunt faciem Orbis Ciuitatum. Vt ſperabant praua cõuenientia poſſe fieri, ſuoſq; poſteros in terra ſolos dominari. Inter hos abſit, vt noſtrum Ioſephum referamus, quia tamen in facilitate introitus *ad Pilatum* typum geſſit ſimilium, de ijs occaſione ſui facti, tantiſper egimus.

Iſai 14.

Vana ſpes mundanorũ

Et petyt corpus Ieſu. Vt non abeſſet à lege ciuili, quæ corpora damnatorum, niſi Principis auctoritate decernit, haud demoueri loco. Præterea vt legem Dei, quæ mortui curam habere præcipit, impleret. Porrò vt ſatiefaceret gratiarũ pelago, quas viuus, & mortuus Chriſtus ſibi, vt diſcipulo licet occulto, conceſſerat; demumque vt gentis ſuæ crudelitatem damnaret, quòd viuum dilaceraſſent, & dilaceratum iuxta odium, quo bonum proſequebantur, auibus, & beſtijs deuorandum reliquiſſent; niſi Deus, qui omnium tùm maximè Chriſti ſui, vt filij prouidiſſet ſepulturæ eius. *Petyt* tandem à Pilato *corpus Ieſu*; hoc eſt, theſaurum inuiſum, & abſconditum ab iniquo poſſeſſore, & iniuſto, vt impleretur oratio: Deus meus eripe me de manu peccatoris, & de manu contra legem agentis, & iniqui. Quoniã tu es patientia mea Domine: Domine ſpes mea à iuuentute mea.

CAPVT XLIV.

Pilatus autem mirabatur, ſi iam obyſſet, & accerſito Centurione, interrogauit eum, ſi iam mortuus eſſet.

PIlatus autem etſi libentiſſimè homini benè de ſe merito quamprimum obſequi ſtatuiſſet, & eius petitioni morem gerere; *mirabatur* tamen *ſi iam* tàm breui ſpatio, quod tantùm intererat trium horarum *obyſſet*. *Et* vt admirationem deponeret, *accerſito Centurione*, qui præerat crucifixionis Chriſti ſpectaculo, *interrogauit* diligenter *eum, ſi iam* Chriſtus crucifixus *mortuus eſſet*, & funditus expiraſſet. Expoſitio.

Pilatus autem mirabatur. Non ſolùm, quod tàm citò Chriſtus obijſſet, quàm quod nobilis ille corpus petijſſet eius, quem ipſe ad mortem damnauerat. Nam ſuperbi, & arrogantes, atque impij, quibus pietas eſt horrori, humilitatem autem neſciunt, ſeque humiliari, vilium hominum, ignobilium, & contemptorum, atque pauperum eſſe putant, piè agere, & exercere humilia; repugnare autẽ potentibus ſæculi, nobilibus genere, & excelſis. Quia ſubſtantia diuitis Vrbs roboris eius, & quaſi murus validus circumdans eum. Subſtantia diuitis eſt honoris celſitudo, nobilitatis gradus, abundantia alimoniæ, & vniuerſorum, quæ ſublimant in ſæculo, facultas, qua ſuperbus redditur ſibipſi confiſus, vt neminem timeat, velut Vrbs robuſtiſſima, vel munita, vt habent Septuaginta; tantopere etiam his vaniſſimis pennis ſe eleuat, ac ſi murus validus, & altiſſimus circumdaretur, quo nemo pertingit. Itaque vt dicam cum Io. gloria eius valdè inumbrat, vt nihil præter vmbram nubium ſequatur, atque ſuperba, & vaniſſima ſibi, ac ſimilibus cogitet, ſuper altitudinem nubium, vt ille dixit: Aurum aurifodina, lapidicinia gemmarum; hoc eſt, optima, atque vera, quæ in humilibus exercitij ſunt, & pijs, penitus ignorat, contemnit, & admiratur, cum videt, vel audit à ſui ſimilibus perfici.

Prou. 18.

Septuaginta

Si iam

Si iam obijſſet. Sola hæc admirationis Pilati cauſa exprimitur, vt crudelitas crucifigentium, & miniſtrorum amplius pateat. Nunquam enim acciderat crucifixum aliquem tàm breui è Crucis ſupplicio expiraſſe; at Chriſtum tàm acerbè, & antè Crucem, & cruci ſuffixũ exagitarunt, vt niſi animam retinuiſſet, expectans tempus, quod ipſe morti ſuæ elegerat, & plagæ, quæ apud Pontifices receperat, & verbera, quibus in Pilati domo dilaniatus fuerat, compuliſſent multo ante emittere ſpiritum. Quoniam, inquit, quem tu percuſsiſti perſecuti ſunt; & ſuper dolorem vulnerũ meorum addiderunt, ac ſi diceret: Totius crudelitatis ſolitæ exceſſerunt; nam quem tu, vt agnum pro ſalute ægrorum percuti ordinaras, perſecuti ſunt ſupra modum, nec ſibi ſuffecit morti tradere, niſi vulnus vulneri, plagam plagæ vſque ad vltimum vitæ exitum adderent. Subinde orat: Appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum, & non intrent in iuſtitiam tuam. Deleantur de libro viuentium, & cum iuſtis non ſcribantur.

Crudelitas in Chriſtum commiſſa.

Pſal. 69.

Pſal. 69.

Et accerſito Centurione. Qui & Longinus, quem ex Apocryphis volunt quidam lancea perforaſſe dextrum Chriſti latus, & inde currente ſanguine, à cæcitate curatum; veritas tamen hiſtoriæ quam Metaphraſtes die 16. Octobris de eo ſcribit, aliter habet: videlicet abdicata militia in rus proprium ſe recepiſſe, ibique Chriſto militaſſe vſque ad martyrium, quod de mandato Pilati, inſtantibus Iudæis, quia Chriſtum prædicabat, propter Chriſtum accepit in Capadocia. Erat enim Capadox. Hunc itaque accerſit Pilatus. Fortaſſe inſtigante Diabolo, qui etiam bellum excitat contrà ſemen mulieris, cuius erat iam *Centurio*, qui Chriſtum Dei filium confeſſus fuerat. Putabat Centurionem accerſitum coram Pilato iteraturum confeſſionem, & illius occaſione perditum iri, cunctoſque pro facto deterreri, ne quis alius confiteri Chriſtum præſumeret; verùm nihil effeciſſet, ſicut nihil profecit tot mirriadibus Martyrum, quos ſuo conſilio tyranni percuſſerant.

Metaphr.

Lõginus Cẽturio.

Dæmonis aſtutia.

Interrogauit eum, ſi iam mortuus eſſet. Ex interrogatione inuentũ dico fuiſſe Diabolicum accerſiri Centurionem. Nam qui Chriſtum Dei filium confeſſus fuerat; interrogatus ſi mortuus eſſet, anceps de reſponſo reddi poterat, abſolutè ne diceret mortuum, eum, qui mori non poſſe, ſua confeſſione dixerat, vocans filium Dei, an ſub diſtinctione quæſito ſatisfaceret, videlicet corpore tantùm mortuum, vel ſi ſolùm reſponderet ad mentem quærentis, qui purum hominem putabat Chriſtum, aut ſi ſecundùm fidem, quam paulò antè profeſſus fuerat, confiteretur Chriſtum, & mortuum, & viuum. Ergo vt reſponſum, quod diſpliceret Pilato, & Iudæis Centurio proferret, Diabolus eum ſolùm non alium compellit interrogari, *ſi iam mortuus eſſet*, ſed liberauit Dominus pauperem à potente, & pauperem cui non eſt adiutor. *Pſal. 71.*

CAPVT XLV.

Et cùm cognouiſſet à Centurione, donauit corpus Ioſeph.

Expoſitio.

ACcerſitus ergo venit Centurio ſua militari manu, cui præerat, non nihil ſtipatus, tanquã prudenter interroganti, atque quæſito ſatisfecit, vt profeſſæ fidei nullam intulerit iniuriam, neque habuerit tyrannus, quo nouum Atletham in ſermone caperet, quin *cùm cognouiſſet* certò, quod *à Centurione* quæſierat, donauit, vt videbatur liberè, clanculum autem, vel per alios accepta pecnnia non pauca, *donauit* quidem *corpus* precioſiſſimum Ieſu Saluatoris, & Redemptoris, qui non corruptibilibus auro, vel argento, ſed pretioſo ſanguine adhuc bulliente vniuerſos redimerat.

Et cùm cognouiſſet. Videlicet mortuum Ieſum, viuentem autem cum mortuis non agnouit, neque morti, vitæque imperantem ſciuit eum, qui tunc pendebat de Cruce inter mortuos liber. Hoc non cognouit Pilatus, neque cæteri, qui dixerunt: Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur amplius. Nam ſi cognouiſſent mortuum hominem, & Deum viuum in vno Chriſto, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. Fidelis eſt, & quidem acceptus, qui ſic Chriſtum cognoſcit, & confitetur. Vnde intonat Athanaſius: Quicunque vult ſaluus eſſe antè omnia opus eſt, vt teneat Catholicam fidem, quam niſi quiſque firmiter, inuiolabiliterque tenuerit ſaluus eſſe non poterit. Summa autem totius Catholicæ fidei eſt Chriſtum Deum viuum, & mortuum ſemel hominem, credere.

Ier. 11.

1. Cor. 2.

Athanaſ. Symbol.

A Centurione. Hic primus fidem facit Pilato Chriſtum obijſſe, vt qui primus viſus fuerat mortis Chriſti fructum reportaſſe, agnoſcens filium Dei eſſe, prædicator, & teſtis eiuſdem primus fieret. Etiam Centurioni humanæ militiæ conueniebat teſtimoniũ antè omnes ferre mortis Chriſti, quæ militiam ſpiritalis nequitiæ, & malitiæ ſuperarat, & exaltauerat ad ſummam confidentiam, & honorem, Eccleſiaſticam, & Hierarchiam, vt poſſet deinceps abſque vllo pauore in centenarijs ſuis, & millenarijs præliari, & triumphare. Denique *Centurio* eſt, qui prædicat mortuum Chriſtum, hoc eſt, perfectus, qui centum, id eſt, numero virtutum completo præeſt. Is qui-

1.Cor. 1. dem ait: Prædicamus Chriſtum, & hunc crucifixum.

Donauit corpus Ioſeph. Hei non ſolùm viuus, ſed mortuus ſub Pilato eſt Chriſtus: *Donat* quippe *corpus* eius mortuum, vt vile quid, & abiectum. Vſquequò Domine, Pſal. 88. auertis in finem, exardeſcet ſicut ignis ira tua?

CAPVT XLVI.

Ioſeph autem mercatus ſindonem, & deponens eum inuoluit ſindone, & poſuit eum in monumento, quod erat exciſſum de petra, & aduoluit lapidem ad oſtium monumenti.

Expoſitio. Itaque accepta corporis Chriſti donatione, haud ſegnis *Ioſeph* ad dignum pro facultate ſua funus ſe accinxit. In primis *mercatus* precioſã *ſindonẽ*, deinde parauit aromata multa, poſt adiutus Nicodemo viro religioſo, ad Crucem deuotus, & lachrymoſus acceſſit, *& deponens* reuerenter *eum*, qui tàm indecenter illuc fuerat affixus, *inuoluit* præmiſſis funeralibus vnctionibus, ſed magnificis *ſindone* munda. *Et* inuolutum more gentis Hymnos decantans, & Laudes, *poſuit eum* proprijs manibus *in monumento* ſuo *nouo*, *quod erat* ſumma arte *exciſum de petra* integra, *&* deſuper *aduoluit* magnum *lapidem* non minori compactum artificio, illumque repoſuit *ad oſtium monumenti*, nè vltrà mortuo inſultarẽt hoſtes; ſed reuerenter vſq; ad horam reſurrectionis ſuæ ſub petra cuſtodiretur depoſitum bonum, cæteris dignius, honoratius, & glorioſius.

Ioſeph autem mercatus ſindonem. Erat *ſindon*, vt dictum eſt, amictus precioſus, & albus, ex lino Ægyptio contextus, quem Hebræi vocant סדין ſadhin, interpretaturq; Paginus. Pagnino auctore tàm nocturnum, quàm diurnum linteum. *Mercatus eſt* eam *Ioſeph* primùm, vt oſtenderet pecuniam ſuam iam Chriſto conſecratam, & pijs eiuſdem officijs, quod in vnoquoque Chriſtiano potiſſimum deſideratur; quia enim Domini Pſal. 23. eſt terra, & plenitudo eius; omniaque recepimus de manu Domini; equum eſt illi vniuerſa dicare, ſicut & cor, vt iurè dicat: Pſal. 118. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum in teſtimonia tua, & non in auaritiam. Porrò *mercatus eſt ſindonem* ex Paupertas Chriſti. proprijs, vt paupertatem Chriſti in terris admirarentur inſpectores; quia vt in Cruce non habuit vbi caput ſuum reclinaret, ita nec depoſitus habuit veſtimentum, quo tegeretur. Præterea *mercata ſindone* vult ſepeliri, vt deinceps nullum ad ſe, vt veſtimentum applicari poſſe diligenter aduerteremus, niſi quod mercatus eſſet Ioſeph, hoc eſt, ſanguine agni immaculati. Eo enim redemptus eſt *ſindon*, quo Chriſtus operitur, & quo cum ſepelitur.

Et deponens eum. Scilicet de ligno. Eductis clauis non ſine martello, & ferreis tenacibus decurrente etiam ſanguine, quem diligenter à Maria matre collectum ſcribit Metaphraſtes; qui 15. Aug. de illa hæc quoque refert. Dicunt hi (inquit) qui de his rebus tractarunt eam ab initio vſque ad finem ſe fortiter, atque conſtanter egiſſe, Metaphr. honeſtè quidem, & non indecore vtentem motu animi: factis etiam oſtendens ſe eſſe Conſtantia, & fortitudo Virginis. matrem, ſed matrem omninò illius, qui amico mortuo oſtendit amorem, & motum animi certis finibus continuit: mortuumque videns filium, eo motu animi vſa eſt, vt oportuit; quin etiam in eo de Cruce deponendo maternis manibus inſeruiuit, & clauos, qui extrahebantur in ſinu ſuo accepit, & membra illius amplexa eſt, partim quidem vinis aſtringens, partim quidem Eius erga filiũ iã mortuũ ſollicitudo. ſuis lachrymis plagas emundanas, deinde tota toti corpori circumfuſa. Ecce tibi ab omni ſæculo præfinitum myſterium, ad finem vſque venit, ò Domine placida voce dicit; & Ioſepho in manu tradens ſudarium, ait: Tibi autem deinceps curæ erit, vt ſepulturæ tradens, hocque cum honoſtè componas, myrrha condias, & ei iuſta facias, quod & ſedulò exequutus eſt, vndè ſequitur.

Inuoluit ſindone. Præmiſſis vnctionibus factis, & precioſis, quas Nicodemus pari conſilio veniens, attulerat. Venit autem & Nicodemus ait illius Euang. qui venerat ad Ieſum nocte primùm, ferens mixturam myrrhæ, & aloes, quaſi libras centum, his perunctum corpus *inuoluit* Ioſeph *ſindone* adhibitis etiam alijs linteaminibus, vtpotè ſudario, quod erat ad caput eius.

Sindone. Retinuit imaginẽ Chriſti, monſtraturque Taurim. *De* ſudario Beda lib. de Beda. locis ſanctis cap. 5. meminit, quomodo vſque ad ſua tempora illæſum fuerit ſeruatum. Hoc aliud eſſe ab eo, quod Berenica dicta Verònica obtulit Chriſto, & ab eodem recepit ſua effigie ſignatum, oſtendit Methodius Epiſcopus apud Marianum Scotum in chronol. an. Dom. 39. liber, & de reliquis inſignis Chriſti paſſionis videre Method. Marianus. Scotus Greg. Turon. de glor. Martyr. cap. 7. & 8. Greg Turonen.

Et poſuit eum in monumento. Sicut mos eſt Iudæis ſepelire, inquit Ioan. vt obſerua- Ioan. 19. torem legalium fuiſſe etiam poſt mortem aduerterent Iudæi, qui legis detractorem incuſabant. *In monumento* autem eſſe voluit Chriſtus, vt omnium memorias recordationis ſuæ mortis impleret. Monumentum eſt, quod meminiſſe facit, & recordari; quia tamen potiſſima recordatio, vt ſignum fidelitatis optimæ, & de mortui, quæ nos co excitant ſepulchra, monumenta dici conſueue-

ſuenerunt. Vnde quia iuſtorum eſt in memoria æterna eſſe. Eorundem proprium eſt in monumento poni, cæterorum autem ſepultura aſini ſepeliri, vt non ſint amplius in memoria.

Quod erat exciſum de petra. Et in eadem quidem *petra* viua, vt non facilè dimoueri poſset, niſi montis parte exciſa: Neque enim aliud decebat corporis Christi Sacrarium, quam *petra*. *Petra* fuit Maria, ſed ſpiritualis intrà quam corpus latuit formatum; *petra* eſt Eccleſia, in qua nobiſcum eſt, vſque ad conſumationem ſæculi. *Petra* eſt iuſtus ad quem, inquit, veniemus, & manſionem apud eum faciemus.

Ioan. 14.

Ergo qui monumentum Christi eſſe ambit, fiat *petra* fortis, & conſtans in omnibus iuſtificationibus Domini. Fiat denique *petra* mortua carni, ac mundo, vt non tàm ſepulchrum, & ſepultura fiat Christi, ſed & conſepeliatur eidem. Nam ſepultura eius ſecundùm Origen. lib. 2. contra Celſum peruenit ad conformes mortis eius, & ad ſimul cū eo crucifixos, atq; mortuos; ſicut & Paulus ſcribit: Conſepulti enim ſumus cū eo per baptiſmū, & ſimul reſurreximus cū eo, vt ſcilicet fiat amputatio, & quaſi diuiſio prioris vitę proſequitur Oecum. ſuper Col. 2. quæ in errore erat, & nouā vitā incipiatis, q̄ in virtute eſt.

Orig.
2. Tim. Col. 2.
Oecumen.

Et aduoluit lapidem ad oſtium monumenti. Hæc Ioſephus, & pij, qui cum eo aderant. Iudæi autem, quid? Traditum eſt nobis ab antiquis ſcribit Niceph. hiſt. lib. 1. cap. 32. Iudæos lapidem illum, qui in ſalutiferum ſepulchrum illud pro operculo poſitus fuerat ad ſummū monumenti labrum, petramque infernè ſe illi coniungentem ferramentis quibuſdam fabrili lapicidarum arte perforaſſe, ferrumque ingens à fabro ex propinquo acceptum, per vtrunque foramen immiſiſſe, & in circuli ſiue annuli formam circumegiſſe, atque ita firmiter comitibus commiſsis, omni ex parte quaſi vinculum circumduxiſſe, vt lapis qualicumque modo, loco ſuo reuelli, at ſaltem ratione aliqua remoueri, niſi arte quadam, & vi adhibita, neceſſariò, aut ferrū confringeretur, aut petra rumperetur, non potuerit. Atque in hunc modum cum magna cura, atque etiam ſigno impreſſo, cum ſepulchrum firmiſsimè communiſſent, cuſtodia inſuper cōpetenti adhibita, eos abijſſe. Conſonat Beda de locis ſanctis ca. 2. dicens ſuo tempore lapidem ferrorum veſtigia monſtraſſe. Verùm impijſsimorum aſtutia, & malitia tantùm adfuit, quod nocere Christi ſepulturæ, vt eam haud ſecus, quàm bonorum pietas glorioſum reddiderit ſepulchrum Christi, iuxtà oraculum: Non quidem glorioſum quoad apparatum, & funeris pompam, ſed primum propter contentum, qui Deus glorioſus erat, & carnem inde glorioſam, cum anima ſuſcitandam; deinde propter ſolicitudinem diſparem, quæ in pijs, & impijs circa Christi ſepulturam viſa eſt, & quidem omnis ceſsit in laudem, & gloriam ſepulti. Poſtremò propter bona, quæ Christi ſepultura peperit vniuerſis per reſurrectionem, quæ indè cœpit. Formam monumēti ex Beda deſcribit Zachar. Chryſopol. Dicitur, inquit, monumentum Domini, quod domus fuerit rotunda, de ſubiacente petra exciſſa; tantæ altitudinis, vt intus conſiſtens homo, vix manu extenſa culmen poſsit attingere; quæ habet introitum ab Oriente, cui lapis ille magnus impoſitus eſt, in cuius monumenti parte aquilonari ſepulchrum ipſum, hoc eſt, locus Dominici corporis de eadem petra factum eſt, ſeptem habens pedes longitudinis, trium verò palmorum menſuræ cætero pauimento altius eminens. Qui videlicet locus non deſuper, ſed à latere meridiano per totum patulus eſt. Vnde corpus inferebatur; color autem eiuſdem monumenti, ac loculi, rubicundo, ac albo dicitur eſſe permixtus. His conſentit Burcardus de locis ſanctis.

Niceph.
Iudæorum inuentio, atque cuſtodia circa ſepulchrum.
Beda.
Forma ſepulchri.
Bed. de geſt. an glor. lib. 3. c. 16. 17. de locis ſanctis c. 2.
Zacharias Chryſop.

CAPVT XLVII.

Maria autem Magdalena, & Maria Ioſeph aſpiciebant vbi poneretur.

DVm ſepulturam Christi curarent Ioſeph, & Nicodemus aliquantulum remotius ſtabant mulieres, quæ Christo erant affectæ, tùm maximè intererant ſpectaculo *Maria* illa *Magdalena*, quæ à Christo etiam mortuo recedere non valebat, ſed vt viuentis olim pedes optabat deoſculari; & vnà cum ea pari pietate coniuncta adfuit *Maria* mater *Ioſeph*. Hæ vt poſtera die inuenirent locum ſepulturæ *aſpiciebant* diligenter *vbi* à viris illis religioſis *poneretur* corpus dilecti, quod redeuntes cogitabant nouis aromatibus, & vnguentis pretioſiſsimis inungere, vt ſuo potius amori, quàm neceſsitati incorruptibilis corporis ſatiſfacerent.

Expoſitio.

Maria autem Magdalena. Hanc magnificentiorem reliquis poſt matrem in Christum fuiſſe, vt nihiloduxerit fracto alabaſtro diffundere vnguentum celebre ſuper caput eius; ſimiliter & ardentiorem conſtat; quia ſtabat ſecus pedes Domini, & audiebat verbū illius. Eadē, & mortuo Christo adhæret, dilectione immenſa æſtuans, ſtat præſens cunctis, quæ circa ſepulturam Christi fiunt, & vt magnifici animi aſpicit ſepulturæ locum, vt priori ſimilem, ac fortè maiorem magnificentiam declaret ergà mortuum ſuum, & dilectum. Denique ait Origen. hom. 10. in diuerſos Ioſeph, poſuit in monumento corpus tuum, ô Christe,

Matt. 26.
Marc. 14.
Ioan. 12.
Luc. 10.
Origen.

Maria ſepiliuit ibi pariter ſpiritum ſuum, & ita indiſſolubiliter iunxit, & quodammodo vniuit eum cum corpore ſuo, vt facilius poſſet ſeparare animam ſe viuificantem à viuificato corpore ſuo, quàm ſpiritum ſuum te diligentem à defuncto corpore tuo. Hoc quidem eſt verè, Magdalenam eſſe, hoc eſt magnificam, vt quæ non externa ſolùm diſtribuere parat, ſed ſeipſam totam animo prius communicet ſepulto. Is quidem verè (ait Gregor. Nazianz. Iambico decimoquinto) magnificus eſt, qui rebus ſplendidis ſtudet, nihil autem ſplendidius, quàm ſe totum dare ei, qui dignus eſt Chriſto. Vnde & Magdalum, ait Origen. hom. 27. innumeros, magnificentia interpretatur.

Naziàn.

Orig.

Et Maria Ioſeph. Putarũt nonnulli iſtam *Mariam* fuiſſe matrem Ieſu, ſed apud Matt. hoc reiecimus. Nunc & huius cum Magdalena ſtationem ad ſepulchrum Chriſti contemplemur. Illa, vt diximus, ſtat vt ſe magnificem declaret; hæc quoque cæteris abeuntibus non recedit, vt nihil præclarius inſinuet, quàm quod futurum eſt homini, cogitare, vtpotè mortem, ſepulturam, & rerum omnium ſpoliationem, quæ in fine cunctis euenit, indeq; ad contemptum rerũ omniũ temporaliũ pergere, iiſq; piè diſtributis, aut relictis propter Deum, voluntariam ſibi deligere ſepulturam, quæ in religionis integra obſeruantia conſiſtit, & pietate. Hinc Baſil. concion. ad diuites. Videte finem pecuniarum, ò diuites, & deſinite affectibus, pecunijs inhærere; & poſt pauca. Anteuertas itaque, & teipſum ſepelito, pulchra ſepultura eſt pietas. Omnia indue, & abi, diuitias priuatum tibi ornatum facito. Habe teipſum tecum. Crede bono conſiliario, qui te diligit Chriſto, qui pro nobis pauperum factus eſt, vt nos per illius paupertatem diteſceremus, qui ſeipſum redemptionis pretium pro nobis dedit.

Cogitare nouiſsima hominis.

Baſil.

Aſpiciebat vbi poneretur. Vt ſcilicet tranſacto ſabbatho (ait Lyra.) venirent ad vngendum corpus eius. *Aſpiciebant* quoque, vt non deeſſet, neque ſexus, neque conditio hominum, qui ſepulturam, mortem, & reſurrectionem Chriſti contra Iudæos teſtificarentur. Diuiſerunt enim Iudæi (ſcribit Iuſtin. Martyr in tryph.) toto corde, qui prædicarent, & nunciarent ſectam quandam impiam, & legibus contrariam, excitatam à Ieſu quodam Galilæo impoſtore: quem crucifixum, & ſepultum diſcipuli ſuffurantur, dùm quo homines in errorem pellicerent reſurrexiſſe dicentes. Idem & cuſtodes ſepulchri accepto cum pecunia Iudæorum mandato redarguente conſcientia mentiti ſunt. Conuincuntur de mendacio non ſolùm per Apoſtolos, & omne genus hominum, qui hiſce intererant, ſed per mulieres, quæ *aſpiciebant vbi poneretur corpus*, illudque ſuſcitatum viderunt. Nos autem ſingula iterum, atque iterum inſpiciamus mente alta. Si modò concedat Deus (inquit Theophyl.) vt etiam nos ſicut Ioſeph ille fiamus ſemper aucti, & adijcientes in curſu virtutis, ac tollentes hoc, ideſt bonum, accipiamus verò corpus Ieſu per communionem, & collocemus in monumento exciſo ex petra, hoc eſt in anima memori, quæ Deum non obliuiſcatur. Sic autem anima illa ex petra exciſa, hoc eſt, à Chriſto, qui eſt petra, in quo conſiſtere poterimus. Inuoluatur verò in ſindone, hoc eſt, in corpore mũdo ſuſcipiatur. Nã ſindon animæ eſt corpus, quaſi veſtis. Oportet igitur non ſolùm in anima pura ſuſcipere diuinum corpus Domini; ſed & in corpore puro. Id quod precamur nobis donari, per eum, qui candidus eſt, & rubicundus, & electus ex millibus, ſpecioſus forma præ filijs hominum, pro quibus mortuus, ſepultus, & ſuſcitatus triumphat, vt & nos donorum ſuorum participes pariter cum eo triumphemus, & conregnemus. Amen.

Lyrae.

Iuſt Mart.

Iudæorũ fallacia, & impoſtura.

Theoph.

Cant 8.
Pſal 44.

FINIS LIBRI DECIMIQVINTI.

IN SA-

IN SACROSANCTVM CHRISTI EVANGELIVM SECVNDVM MARCVM

LIBER DECIMVSSEXTVS.

IN CAPVT DECIMVMSEXTVM

PRAEFATIO.

POSTQVAM attentè ſepulturæ Chriſti locum inſpexiſſent mulieres religioſæ, temporis data copia, quæ fuit poſt ſabbathum, emptiſque aromatibus, ſummo manè ad monumentũ redeunt, quod videntes apertum cum admirarentur, Angelum coſolatorem ſimul, & prænunciũ reſurrectionis Chriſti audiunt. At illæ tremore percuſſæ aufugerunt, nec cuiquam eorum, quæ audierant quippiam reuelarunt. Quouſque idem Dominus ſuſcitatus apparuit Magdalenæ; tunc enim ſe continere illa non potuit, quin mœſtis diſcipulis gaudium magnum nunciaret. Verùm quia vehementer ab eis concupitum, ita vix tùm creditum. Quid? etiam duobus illud idem renunciantibus nõ crediderunt, donec plenius digni fuerunt informati, & oculis videre, quæ auditu perceperant. Itaque perfecti circà veritatem reſurrectionis magiſtri, ac pleniſſimè per quadraginta dies inſtructis diſcipulis, nouiſſimè apparens vndecim Apoſtolis, & exprobrata eorum incredulitate, curaque Euangelij tradita, & ſignorum; multis alijs, qui aderant videntibus eleuatus eſt ad dexteram Patris. Vndè ſic ab eo ſuffragati ſunt, vt vbique Euangelium prædicare potuerint, & Orbem miraculis implere, traducereque ad veram, & vnigeniti fidem, quæ ſola ſaluat. Tribus itaque totum cap. completur ſententijs, prima reſurrectionem Chriſti veram demonſtrat, ſecunda officium, & munus legatorum Chriſti ſuſcitati inſinuat. Tertia verò Aſcenſionem Chriſti ad Patrem, & ſeſſionem demonſtrat.

Partitio.

CAPVT PRIMVM.

Et cùm tranſiſſet ſabbathum Maria Magdalena, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromatha, vt venientes vngerent Ieſum.

Expoſitio.

ET ita *cùm* domi feſtiuitatem diei ſolemnis, non abſque dolore, & lachrymis celebraſſent, & *tranſiſſet ſabbathum*, quod ſanctas mulieres ab itinere, & obſequio pietatis in mortuum corpus retardauerat; *Maria* illa *Magdalena* amoris impatiens, & *Maria Iacobi* ſedula miniſterijs officioſis, & *Salome* amica pacis, & eius qui pacem annunciat omni populo, *emerunt* ex proprijs pecunijs, non ex collectis *aromatha* multa, vt venientes ſummo mane *vngerent* deuotè *Ieſum*, cuius corpus intra ſepulchrum tumulari aſpexerant, & notauerant.

Et cùm tranſiſſet ſabbathum. Seu שבתון ſcabbathon, hoc eſt, requies, vel ceſſatio à verbo שבת ſcabath, ceſſare, quieſcere. Quieuit enim Deus illo die ab omni opere, quod patrarat; vndè & in illo lex præcipiebat quieſcere, ab omni opere ſeruili demptis his (exponit Theodoretus q. 1. in Deuteron.) quæ fiunt animæ cauſa, veluti lectio ſacrorum eloquiorum, auſcultatio Pſalmorum, ſacræ decantationes, & ſimilia. Quandoquidem (ſubdit idem in Pſal. 91.) ſpiritus opus multiplicabat; precibus enim, & hymnis dare operam iubebat, & Deo geminas hoſtias adolere, circumcidere hominem, eiuſdem etiam temporalia curare, quæ non paterentur dilationem, velut aſinum, bouemque prolapſum erigere; ac vitæ conſulere, quemadmodum doctor ſummus Chriſtus occaſione querimoniæ, quam aduerſus Apoſtolos tulerant propter ſpicas oſtendit; damnans eorum ſuperſtitionem, quæ in Doſithæo, vt ſcribit Epiphan. lib. 1. in Panar. cap. 11. initium ſumpſerant tàm ſuperſtitioſè colentes ſabbathum, vt nec loco ſe mouerent toto die. Itaque quieuerunt

Gen. 2.

Theodor.

Idem.

Luc. 6.

Epiphan. Doſithę auctor ſuperſtitioſæ obſeruationis ſabbathi.

uerunt quoque mulieres, & ſanctificarunt ſabbathum cum planctu, vt quæ legati ſabbatho finem debebant annunciare, reſurrectione Chriſti promulgata, legem illius ſi vnquam complerent.

Sabbathum. Enim requietionis eſt, & *Leuit. 16.* affligetis animas veſtras religione perpetua, vel vt habet lectio hebræa חקת עולם chucath holam ſtatuto, ſcilicet ſæculi, hoc eſt, vſque ad finem ſtatuti, quod reſurgente Chriſto completum eſt, & terminatū: Vndè *Auguſt.* Aug. de tēpore ſer. 251. *Sabbathum* tranſlatum eſt in diem Dominicum, quod & verbū tranſiſſet hoc loco poſitum inſinuat. Sabba- *Clemens.* thum quidem legis (inquit Clem. conſtitut. Apoſt. lib. 7. c. 37.) eſt requiēs à fabricatione mūdi perfectio vniuerſi, legū inquiſitio, laus grati animi, pro beneficijs in homines collatis, Deo adhibita. Dominicus verò dies, his omnibus præſtantior, vt qui repreſentet ipſum mediatorē prouidentē, legiſlatorē, auctorem reſurrectionis, primogenitū omnis creaturæ, Deū verbum. Ergo vt quid præſtantius poſthabito *ſabbatho* Dominicū diem celebramus. Contendūt tamen Iudæi, oſtendere non tranſiſſe ſabbathū, ſed vt naturæ præceptum, & decalogi vniuerſos, & li- *Philo.* gaſſe, ligareq. Vndè Philo de mundi opificio dixit: Eſt, inquit, feſtus non vnius populi regioni ſuæ, ſed in vniuerſum omniū, quæ ſola digna eſt, vt dicatur popularis feſtiuitas, & *Tertull.* mundi natalis. Ad hæc præmiſſa ex Tertulliano diſtinctio facilè reſpondemus *ſabbathum*, inquit lib. aduer. Iudæo. æternum, & *ſabbathum* temporale Scripturæ deſignant. *Iſai 1.* Dicit enim Iſaias Propheta *ſabbatha* veſtra *Ezech. 22.* odit anima mea. Et alio loco: *Sabbatha* mea prophanaſtis. Vndè dignoſcimus *ſabbathum* temporale eſſe humanum; & *ſabbathum* æternum eſſe diuinum. De quo per Iſaiam prædicat: Et erit, inquit, menſis ex menſe, & dies de die, & *ſabbatham* de *ſabbatho*, & veniet omnis caro adorare in Ieruſalem. Quod intelligimus adimpletum temporibus Chriſti, quando omnis caro, ideſt, omnis gens adorare Ieruſalem venit Deum patrem, per Ieſum Chriſtum filium eius, ſicut per Prophetas prædictū eſt: Ecce proſelyti per me ad te ibunt. Itaque *ſabbathum* temporale, quod inter cœremonialia ponitur Iudæorum fuit, vſque ad tempus Chriſti. Æternum, legia naturæ præceptum, quod omnes gentes deuincit. Chriſtiania autem ob acceptum beneficium, die Dominica, indicitur à temporibus Apoſtolorum. Cæteris ante Chriſtum in gentilitate viuentibus diuinitus præſcripta dies non erat, in qua ſpirituale *ſabbathum*, quod eſt æternum obſeruaretur. Verùm doceant *Tertull.* (ait ibidem Tertull.) ſicut iam prælocuti ſumus, Adam ſabbathizaſſe; aut Abel Hoſtiam Deo ſanctam offerentem, *ſabbathi* religionem placuiſſe; aut Enoch tranſlatum *ſabbathi* cultorem fuiſſe; aut Noe arcæ fabricatorem propter diluuium immenſum *ſabbathum* obſeruaſſe; aut Abraham in obſernatione *ſabbathi* Iſaac filium ſuum obtuliſſe; aut Melchiſedech in ſuo ſacerdotio legem *ſabbathi* accepiſſe; ſed dicturi ſunt Iudæi ex quo hoc præceptum datum eſt per Moyſen exinde obſeruandum fuiſſe. Manifeſtum eſt itaque non æternum, nec ſpirituale, ſed temporale fuiſſe præceptum, quod quandoque ceſſaret, vt & ceſſauit penitus Chriſto ſuſcitato; ceſſauerant enim etiam ſæpius Iudæi à celebritate temporalis ſabbathi, vt ex eorundem Rabbinis, & ſcriptis docet beatus Rhenanus in Tertull. lib. aduerſus Iudæos. Ex his colligitur *ſabbathum* decalogi Iudæis fuiſſe temporale, quod licuit præterire vrgente neceſſitate, & ceſſauit, data meliori occaſione diei celebrandi ſpirituale; & æternum, quod eſt morale, quale à Sanctia in lege naturæ obſeruatum eſt, die nobis incerta; & quale poſt Chriſtum ſuſcitatum ex Apoſtolorum decreto, nos Chriſtiani obſeruamus, die Dominica. Quando ergo hæc venit tranſiuit ſabbathum cæremoniale Iudæorum, velut quid temporale apparente æterno, & ſicut flos orto fructu.

Præceptum ſabbathi tēporale.

Rhenanus.

Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromatha. Quamdiù enim durauerat *ſabbathum* (ait Lyra) *Lyran.* non erat eis licitum aliquid emere: ſed in veſpere eiuſdem diei terminabatur ſolemnitas: & tunc *emerunt aromata*, vt in craſtino benè manè venirent ad ſepulchrum, vt factum eſt. *Emerunt* itaque *aromata*, quæ conſeruationi corporis adforēt, & odoriferum redderent. Verùm dum pietatem, quæ in omni gente ſemper viguit paucis Barbaris exceptis, (vtpotè Maſſagetis, qui mortuorum corpora edunt Herodo. lib. 1. *Herodo.* teſtimonio. Parthis, qui brutis obijciunt, vt ſcribit Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 2. & ſimi- *Alexand.* libus efferatis gentibus) putant, & optant circà magiſtri corpus exercere, piaculum meditantur, videlicet, corpus illud ſacrum fore corruptibile; niſi alio *aromata* ab eis empta fingamus, videlicet, ad honorem demortui, & ſignificatum ſuæ ſepulturæ cunctis declarandū; mortuus quidem, & ſepultus fuit Chriſtus, vt per ſemetipſum intraret in ſancta, adoleret incenſum, & offerret Hoſtiam viuentem, quam Deus ſuper omnia aromata acceptaret, vtpotè ſanctos Patres, & omnem animam. Dùm igitur Chriſtus intrà velum tabernaculi in abſcondito Pontificem agit, pij animi, qui foris expectabant Sacerdotem magnum *aromatibus*, fidem eorum, quæ ſecreto fiebant, proteſtari parant.

Et quamuis res hæc noſtris (vt inquit Cyrillus Alex. ad Imperatrices) hoc eſt, humanis verbis exprimatur, eſt tamen admodum diuina, an non diuinū tunc gigantem age-

re, cũ cadaner ſepultum iacet; tunc Orbem concitare, & inferos, cùm exanime apparet; & cùm tegitur lapide, dilapidare vſq; ad necem hoſtes. & ſpolia deprædari, & his omnibus id dicito diuinins, quod dùm videtur fœtori propinquum, & corruptioni, peneq.

Eccl. 24.

ſolitarium, & abiectum tunc eructet: In plenitudine Sanctorũ detentio mea. Quaſi cedrus immortalis exaltata ſum in Libano, glorioſa, & quaſi cypreſſus incorruptibilis in monte Syon Eccleſię, quaſi palma triumphans exaltata ſum in Cades, ac nigro loco inferorũ; & quaſi plantatio roſæ odoriferæ, ac ſplẽdidæ, in Ierico, ideſt mũdo. Quaſi oli-

Pſal. 81.

ua ſpecioſa, ac viridis in cãpis. Quia viuens inter mortuos liber, ac ne omnia proſequar, quæ ſepulto Chriſto facilè appropriãtur, de ſepulchro vniuerſa, quæ Deũ, quæ Angelos, quæ Sanctos, & omnẽ creaturã Dei delectare poſſunt, cãtat, intonat, & loquitur ijs, qui attendunt; ijs quidem qui *aromata emunt*, vt eius corpus vngant. Hoc eſt fidem (vt aſſen-

Gregor. *Origen.*

tiamur Greg. in Cant. 5.) veram tenent, igne charitatis accensã, quæ per dilectionẽ operatur; vel ſtudiũ Scripturarũ, vt Orig. hom. 1. in Cant. meditatur diligenter, ac piè proſequitur, vel deniq; omnẽ modeſtiã cõplectitur, iuxtà Bernar. iudiciũ ſer. 2. reſur. & 15.

Bernar.

ſer paruo. Namq; his *Maria Magdalena*, quæ meditatur ſpecula, ſit Chriſti bonus odor. *Maria Iacobi*, quæ pugnis, & militiæ vacat, Regina ſedet à dextris Regũ Regis in veſtitu deaurato; & altera *Salome*, quæ & à ſuperis, & ab inferis pacem venatur, & reperit, ſiue actioni vacet, ſiue contemplationem exerceat, ſic Chriſtũ delectat ſuis aro-

Cant. 2.

matibus, vt iugiter loquentẽ audiat. Surge, propera amica mea, formoſa mea, columba mea, & veni. Itaque non eſt benè operans (quem fingimus aromata in odorem Chriſti atque honorem portare) qui non afferat Chriſto Deo gloriam, & honorem, & ab eodem immenſa reportet.

Taxãtur mulieres ſanctę *Theoph.*

Vt venientes vngerent Ieſum. Taxantur ex eo mulieres à pleriſq; tũ maximè Theophyl. in eas inuehit, dicens: Neque dignum deitate Ieſu ſapientes mulieres illę faciunt, aſſident ſepulchro, & vnguenta emũt, vt ſecundùm conſuetudinem vngant corpus, vt fragrans maneat, & nè quid fœtidũ ex corruptione oriatur, & vt vnguẽta, & alia, quæ virtutem ſiccandi habent, humoremq. corporis abſorbent, incorruptũ illud ſeruent. Et talia quidem ſentiebant mulieres; verũ longius multo abeſſe ab ea opinione, ſignificatum aliud, quod hic contemplor me

Excuſantur.

perſuadet. Significat quidem *Ieſum vngi* aromatibus, diuinitatem, quæ ſaluat, corpori ſepulto ineſſe. Aliud eſt enim velle *vngere* corpus, & aliud *Ieſum*; illud quidem poteſt infirmitatem fidei, vt diximus oſtendere; hoc autem fidem præſagit maximam; videlicet corpus illud non commune eſſe cadauer, impotens, & fractum, ſed diuinum, eſſeque diuinitati vnitum, vt enim aromata nihil virtutis deperdunt, quin attrita, inflammata, & inter oppoſita aſſumere vires videntur, & potentiam, ſic corpus Chriſti iacens in ſepulchro tantùm abfuit ab impotentia, vt omnipotens verbum haberet ſibi vnitũ; tantùm ab annihilatione, vt æternitatem indueret; tantùm à menſura, vt immenſum Deum haberet; & tantùm ab animalium cadaueribus alienum, vt Deus ab Angelis ſalutaretur, & Sanctis. Quoniam vt anima in Limbo, & corpus in ſepulchro erat verbo diuino vnitum. Quoniam vtrobique partes diſcretæ pro tridno illo dixere. Quoniam à dextris eſt mihi nè commo-

Corpus in ſepulchro erat vnitum Verbo. *Pſal. 15.*

uear, hoc diadema Regis, vtpotè anima; hoc ſceptrum, vtpotè corpus; quorum alterum velut in manu dextra, & velut in ſiniſtra alterum, tenebat diuinum verbum, nè anima quidem in inferno dimitteretur reliquis ſimilis, neque corpus in ſepulchro videret corruptionem. Vt enim veniens Dei filius

Cant. 4.

ad aſſumptionem hominis dixit: Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris, ita perpetuò ab illo conceptionis inſtanti ait:

Ibid.

Tota pulchra eſt amica mea, columba mea, & macula non eſt in te. Veniens vocat animam montem, à plenitudine ſpiritus, quem

Iſai. 11.

ab inſtanti conceptionis accepiſſe Iſaias prædixit, & patres credunt. Montem autem myrrhæ dicit à doloris amaritudine, quam in portione inferiori ſuſtinuit; corpus vocatur collis à perfectionum corporearum multitudine, Thuris autem à mortalitate.

Ioan. 1.

Venit ad vtrumque, quando Verbũ caro factum eſt. Tunc quoque ac ſemper animam dixit amicam, & dilectam à comprehenſione Verbi, corpus columbam ab immunitate peccati, vt nec ſeparatum ab anima maculam corruptionis admiſerit, quia ſemper caro innixa fuit ſuper dilectum Dei filium, ſicut & anima. Vnus in vtro-

Ambroſ. *Cõc. Later.*

que ait Ambroſ. lib. de incarnationis Dominicæ Sacramento cap. 5. Vnde in Conc. Lateranen. ſub Martino. Primo conſultat. vlt. can. 6. dicitur: Si quis ſecudùm ſanctos Patres non confitetur propriè, & ſecundùm veritatem ex duabus naturis ſubſtantialiter vnitis, inconfusè, & indiuisè vnum, eundemque eſſe Dominum, & Deum Ieſum Chriſtum, ſit condemnatus. Inconfusè dicit, quod naturæ remaneant integræ, & indiuiſæ ait, quod & ſi caro ab anima in morte fuerit diſcreta, neutra tamen à diuinitate. Hanc igitur ineſſe corpori mortuo profiteri volentes ſacræ mulieres vngere aromatibus corpus parant.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

Et valdè mane vna ſabbathorum veniunt ad monumentum, orto iam ſole.

Expoſitio. ET ita cum pridie ad veſperam multa, precioſaque aromata ex pigmentarijs ſummo precio comparaſſent, vt vngerent precioſiſſimum omnium Chriſtum Ieſum, *valdè mane* antequã luceret Sol ſuper terram, paululum à media nocte, *vna*, ac prima *ſabbathorum*, quia inter dies hebdomadæ ſabbathi eſt primus, poſt ſabbathum propriè ſic dictum *veniunt* properè, intrepidè, & deuotè *ad monumentum* vbi corpus Ieſu fuerat tumulatum, peruenerunt autem eò, *orto iam ſole*, micanteque in ſummis cælorum, vt iam crepuſculum diei, atque diluculum videretur in Orbe luceſcere.

Et valdè mane. Id lucas dixit, valdè diluculo; & Ioan. *mane*, cùm adhuc tenebræ eſſent. *Ioan. 20.* *Matt. 28.* Vndè & Matth. Veſpere autem ſabbathi, quæ luceſcit in prima ſabbathi. Nam valdè *mane* poſt noctis medium, tenebræ adhuc ſunt, & eſt veſpere. Tametſi veſperam hic interpretatur Euſeb. Emiſſen. *Euſebius.* ſtellam, quæ lucifer *manè*, ſerò heſperus dici ſolet. Hæc, inquit, lucebat in prima ſabbathi, quando mulieres aggreſſæ ſunt iter verſus ſepulchrum: *Valdè* igitur *mane* egrediuntur ad Chriſtum, vt initium diei immutandum Chriſti reſurrectione indicarent, ac fore deinceps *mane* non veſperam, vt olim factum eſt veſpere, & *mane* dies vnus. Sed contra, venit *mane*, & nox. Primo enim creationis tempore cœpit delictum, quod finem accepit gratia mediatoris. Recreationis verò tempore factum eſt, *mane* primo, hoc eſt candor lucis æternæ apparuit mundo, vt omnem hominem illuminaret; *Ioan. 1.* ſecuta eſt nox, his, qui noluerunt in lumine diei ambulare, Quamobrem: *Ioan. 7.* Ambulate in lumine diei, ne tenebræ vos comprehendant. Venit enim nox in qua nemo poterit operari. Igitur quia dies ſpiritualis optata initium ſumpſerat valdè *mane*, ad eam properant ſanctæ mulieres, vt fruerentur illius ſplendore, memores ſententiæ. *Eccl. 4.* Qui manè vigilauerint ad me, inuenient me.

Vna ſabbathorum. Hoc eſt, prima dierum hebdomadæ poſt ſabbathum magnum, atque ſolemne, à quo ſequentes dies appellationem ſumebant. **Sabbathũ prima dies Iudæis nobis Dominica.** Illa igitur *vna ſabbatorum*, quæ illis erat prima laboris, nobis eſt Dominica, Deo ſacra, & feſtiua, & vitalis. Ac propterea *vna*, hoc eſt, potiſſima, & prima, quæ cunctis debet venerationi eſſe. *Auguſt.* Vndè Aug. ad Ianuarium epiſt. 119. cap. 13. ſolùm celebrandum ſabbathum traditum eſt, ſcilicet antiquis; quia erat antea requies mortuorum. Reſurrectio autem nullius erat, donec veniret Chriſtus, qui reſurgens ex mortuis, iam non moreretur, & mors illi vltrà non dominaretur. Sed poſtquam facta eſt talis reſurrectio in corpore Dominico, vt præiret in capite Eccleſiæ, quod corpus Eccleſiæ ſperaret in fine; iam etiam dies Dominicus, ideſt, octauus, qui & primus inciperet celebrari. Ipſa etiam cauſa intelligitur, cur obſeruandum Paſcha, vbi agnum occidere, & comedere iubentur, quod manifeſtiſſimè paſſionem Domini præfigurat, non eis ita præceptum, vt attenderent occurrere ſabbathum, & cum menſe nouorum, & tertiam Lunæ hebdomadam concurrere, vt eundem quoque diem Dominus potius ſua paſſione ſignaret, qui etiam Dominicum, ideſt octauum, qui & primus eſt, declaraturus aduenerat.

Veniunt ad monumentum. Id eſt, quod memoriam excitat, & continet pignus precioſum, charumq; dilecto, qui in eiuſmodi memoria oblectatur, & gaudet. Hoc ſanctis *Cant. 7.* fœminis erat ſepulchrum Chriſti, ad quod ſummo mane proficiſcuntur, velut ad agrũ, *Orig. ho. 8. in cap 15. Exod.* vt ſaturentur panibus, quos non deſertum Sin; ſed hortus Getſemani de petra agri tulit mirabiliter acceptos de cælo, vt tàm abundanti annona commorentur pij in villis læti, & ſatures, hoc eſt in ſtatu Eccleſiæ (ad quem vocatus eſt quiſq; ſalubri pabulo enutritus) guſtet, quã ſuauis eſt Dominus, & *Pſal. 83.* cũ eo potius cõmorari gaudeat pauper rebus ſæculi, quã abundans habitare in tabernaculis peccatorũ. Surgunt etiam manè ad monumẽtũ, vt ad vineas, vt ad cœtus Sãctorũ, qui iucundiores ſunt vineis; & videamus, inquiũt, ſi floruit vinea, quæ poſtridie tã diras putationes ſuſtinuit fortiter; ſi noſter, *Cant. 8.* inquã, dilectus refloruit ſuſcitatus, & ſi flores fructus parturiunt, ſi rubicundi quidem ſudores, & liuores ſanguinolenti ſplendent ſupra Solis ſplendores; ſi floruerunt deniq; mala punica, hoc eſt ſtigmata in corpore ſponſi defixa, deſideratam cunctis iucunditatem afferunt. Ibi, ò dilecte, ſi merear iungi, & tenere quod concupiui, latus glorificatum, aut complecti pedes, dulciores ſuper mel, & fauũ, vel certè videre manus ſuper aſtra cæli rutilantes, me vltrà continere *Cant 4.* nõ potero, quin dem tibi vbera mea, hoc eſt me totũ tibi tradam, nihil mihi reſeruans, *Ier. 3.* quia Dux virginitatis meæ, quia protector *Pſal 26.* vitæ meæ, quia Saluator ab inimicis meis *Pſal 13.* iracundis, & quia auxilium meum, refugium *Pſal. 70.* meum, & firmamentũ es tu. Felix qui ſic ad monumentũ Chriſti venit; & nõ ſolùm ipſa die reſurrectionis animũ hiſce accendit in Chriſtũ; verumetiã ſingulis diebus Dominicis, quæ reſurrectionẽ eandẽ repreſentant, eadẽ pręmeditatur, & agit in gratiarũ actionẽ recepti beneficij. Ideò Apoſtoli li. 7. Cõſt. *Cõſt. Apoſt.*

Apoſt. c. 31. ſanxerunt: Die reſurrectionis Domini, quem Dominicum dicimus, conuenite ſine vlla conuentus intermiſſione, ad agendum gratias Deo, & profitendum beneficia, quibus nos Deus per Chriſtum affecit, cùm liberauit nos ignorantia, errore, vinculis, vt ſic ſacrificium veſtrum reprehenſione careat: ſitque Deo acceptum, & gratum, qui de ſua Oecumenica Eccleſia dixit: in omni loco offertur mihi thymiama, & ſacrificium mundum. Quia ego ſum Rex magnus, Dominus omnipotens, & nomen meum admirabile in gentibus.

Orto iam Sole. Quia modò Sole orto, nunc valdè mane, & quandoque cùm adhuc tenebræ eſſent, vel ad veſperam, legimus in Euangeliſtis, mulieres ad Chriſti ſepulchrum profectæ ſunt; & de profectionibus, num plures cenſeri debeant, an vna tantùm. In quibus etſi Dionyſius Alexandrin. epiſt. ad Baſilidem. Aug. lib. 3. de conſen. Euang. Euthymius, & Hieronym. ad Hedibiam epiſt. 150. q. 4. atque alij ex recentioribus inſudent, ſatis mihi ſatisfeciſſe videntur ijs, quæ ſupra diximus, videlicet ſummo mane cùm nondum orto Sole adhuc tenebræ eſſent, & veſpere potius, quàm dies clara, quippè diluculum, vel ſtella apud Græcos *ἑωσφόρος* dicta, iam micante in horizonte, & diem in tenebris prænunciante, mulieres eaſdem ab Vrbe, & è domo egreſſas, ad ſepulchrum Chriſti iter direxiſſe, perueniſſeque *orto iam Sole*; quòd moram in itinere muliebrem traxiſſent, vel multis ſermonibus, quos in via de Chriſti actis, & apertione ſepulchri habuerunt, iter agendo, ſe occupaſſent. Itaque, ait Gagnæius, antequam ad ſepulchrum perueniſſent *iam ortus* illis fuit *Sol*. Nec immeritò luxiſſet tenebrarum meminit, quia homo per peccatum à luce Paradiſi in tenebras, lapſus, mundum tenebris, ac erumnis inuoluit, quas lux Solis orientis excluſit, & per reſurrectionis fidem, à peccati tenebris, & vmbra mortis, ad vitæ lucem Chriſto largiente reduxit, iuxtà beati Iob fidem (dicentis; poſt tenebras ſpero lucem) qui reſurrectionis fidem habebat. Vndè eam aſſecutus Paulus expreſſit clarius intonans: Reſurrexit propter iuſtificationem noſtram. Hæc enim eſt lux, quæ illuminat tenebras noſtras, & quæ nos ambulare facit in latitudine, vt non offendamus in lapidem, neque in petram ſcandali impingamus; ſed velut Angeli Dei aſcendamus per mentis ſpeculationem ad Deum, qui inhabitat lucem inacceſſibilem, & deſcendamus per voluntatis affectum ad omnia mandata, quouſque & ipſe in eandem claritatem filij, & lucem, quæ in reſurgente Chriſto viſa eſt, transformemur. Id quidem, *ortus Sol*, ijs, quæ ad monumentum venerunt, ſignat; vt quem ob peccata morti traditum nouerant, ſperarent ſibi Solem oriturum; quia Sol oriens mundo Chriſtus eſt, quem Deus ſuſcitauit à mortuis, vt eius reſurrectio (exponit Theodoretus in to. 4.) communẽ omniũ reſurrectionem procuraret: per illam enim & iuſtificationis commoda accipimus; & in baptiſmo conſepulti peccatorum remiſſionem ſuſcipimus. Neque enim (ſubdit Oecumenius in eundem locum) idcircò noſtra peccata ſibi propria fecit, ac mortis pœnam pro nobis luit, quo reos, ac mortis debitores haberet; ſed vt nos iuſtificaret, donata vita ijs, qui in peccatis mortui erant, & perfectè reatu liberos dimitteret. Quemadmodum & Abraham, ac Saræ matricem, ſenectute, ac ſterilitate iam emortuos vitæ reſtituit, filiorumque procreationi. Hoc *Sol* oriens mundo in plantis, terræque naſcentibus efficit poſt ſuſceptum rorem, aut pluuiæ humorem. Ita quem ſanguis Chriſti, velut ros ſerotinus, & matutinus imber madefecerit ad noua germina prouocat, renouat, vt aquilæ, eius iuuentutem, & efficit matrem filiorum lætantem, patremque familias immenſæ ſobolis, cui benedixit Dominus. Quare Solis huius ortus, atque dies, illa eſt, de qua Pſaltes: In die mandauit Dominus miſericordiam ſuam, & nocte canticum eius. Hoc eſt gloriæ ſolemnitas, quæ poſt noctis mortem ſequetur his, qui benignitate, & miſericordia reſurrectionis Chriſti, ditari in vita præſenti meruerint: ijs quidem accidet canticum, atque iubilus. Vndè Hebræa lectio habet canticum eius mecum, cui Græca conſonat dicens: Canticum eius apud me. Et quod Dei canticum, & noſtri Chriſti, niſi gloriæ claritas, pro qua exorabat: Pater clarifica filium tuum. Hanc ergo mecum habebo, ait iuſtus, qui viuens miſericordiam mortis, & reſurrectionis Chriſti participat; ſiquidem huic omnifariam *ortus eſt Sol*, iucundus, & lætus.

Dionyſius Alex. *Aug.* *Euthym.* *Hieron.* *Gagnæius.* *Iob 17.* *Rom. 4.* *2. Cor. 3.* *Theodoret.* *Oecumen.* Similitudo. *Pſal. 41.* Lectio Hebræa. Græca.

CAPVT TERTIVM.

Et dicebant ad inuicem: Quis reuoluet nobis lapidem ab oſtio monumenti?

PRoficiſcentes itaque in medijs tenebris *dicebant* mœſtiſſimè *ad inuicem*: Heu quid agimus; aut quo tendimus miſeræ? Neque virum domeſticum conſuluimus, neque ſcimus inuenturum, quò pergimus aduenam operarium, qui vel precibus, vel pecunia iuſſis pareat: Noſtrarum autem nulla, neque inſimul omnes valemus opus hoc grande perficere. *Quis* igitur *reuoluet nobis* aduenientibus *lapidem* ingentem *ab oſtio*

Expoſitio.

oſtio monumenti, quem vidimus multis viris, ac ſtrenuis vix potuiſſe portari, eoque os ſepulchri obſtrui?

Iſai 4.

Et dicebant ad inuicem. Non ad virum, vt illæ, quæ apprehenſum virũ ſic alloquebantur: Panem noſtrum comedemus,& veſtimentis noſtris operiemur, tantummodo inuocetur nomen tuum ſuper nos,aufer opprobrium noſtrum. Talem quidem virum nondum ſortitæ fuerant mulieres noſtræ, vt iſta aſſarentur. Quærebant tamen,vt ſimilẽ ad eum haberent ſermonem: Etenim Chriſtus ſuſcitatus eſt, cuius nomen inuocatur ſuper ſeptem mulieres, hoc eſt ſeptẽ orbis naturas; intellectualem Angeli,rationalem animæ,æthercam cælorum; corpoream elementorum; mixtam inſenſatorum;compoſitam viuentium;& plaſmatam diuinis manibus hominis;ſuper has omnes naturas dicimus inuocari nomen Chriſti ſuſcitati;quod omnia iſta velut Sole materiali,reſurrectione Chriſti viſa fuerint meliorari,non ſolùm in eodem Chriſto, in quo ſunt condita vniuerſa; verùm etiam in ſeipſis. Nam horum quædã mox illuſtriora ſunt reddita, vt Angelorum cœtus,& patrum;alia ſperarunt,& ſperant per Chriſtum,qui innouabit omnia, meliorari. Sunt enim omnia Chriſti regnũ, ſuper quæ (vt vidit ille)ſcribitur: Rex Regum,& Dominus dominantium;quia poteſtas eius ſuper omnia opera Dei noſtri. Vt quid ergo inuocantur? quia vi quadam, & impulſu naturæ, vel claro affectu alia deſiderant perfectionẽ, quæ per Orbis innouationẽ rebus inerit. Propter quod Chriſtus, qui auctor tantorum futurus eſt, apparens in gloria Patris ſui, adhuc dicitur deſideratus,& expectatus. Vndè deſideratũ quærentes hæ mulieres nihil ad illum, ſed ad inuicẽ dicebant;cũ inuenerint verò tũc loquentur,inuocetur nomen tuum ſuper nos,quod Magdalena fecit,quando inuenti Chriſti pedes complecti voluit.Interim ergo quid dicunt?

Septem Orbis naturæ.

Chriſti nomen ſuper omnia inuocatur.

Apoc. 19.

Quis reuoluet nobis lapidem. Lapis quidem difficultatem ad ingreſſum Chriſti offerebat,adeò vt nedũ mulieres;ſed neque virorum aliquis,nec quidem mortales omnes reuoluere poterant,nec tollere difficultatem credendi reſurrectionẽ Chriſti. Nam ſi rationem Philoſophi conſulimus dicit: A priuatione ad habitũ non eſt regreſſus, neque idem numero deſtructũ redit, plantaq. moritur, eadẽ prorſus non vireſcit, germinat, aut fructificat. Si venimus ad oracula, audiemus conquirentem Prophetam: Domine quis credidit auditui noſtro, aut brachium Domini, cui reuelatum eſt? ac ſi diceret: Non eſt, qui fidem adhibeat nobis dicentibus: Omnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis: Quia erexit Dominus tabernaculum, quod ceciderat. Surrexit Ionas, & venit in Niniuem. Surrexit Salomon pro Dauid patrẽ ſuo. Quid? ſurrexit Dominus tibi homo, in lucem ſempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam. Non occidet vltrà Sol tuus, & Luna tua non minuetur: Quia erit tibi Dominus in lucem ſempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam. His atque alijs oraculis, quæ Chriſtum reſuſcitandum prænunciant, non crediderunt mortales; quia non erat, qui *reuolueret lapidem*, & qui difficultatem amoueret, quouſque idem Dominus ſurrexit percutiens terram terremotu, Angelus annunciauit myſterium, idemque Dominus ſuſcitatus in multis argumentis indubitatam reddit reſurrectionis demonſtrationem, omnibuſque expoſitam, adeò vt non his tantùm (ſcribit Oecumenius in hunc locum) qui tunc erant,quod ipſo aſpectu futurum erat; verùm etiam poſteris omnibus manifeſta fieret reſurrectio. Etenim Chriſti reſurrectio caput eſt noſtræ fidei (inquit Theophylactus Bulgar.Archiep.in ca.15.1.Cor.) Quia ſi Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt fides noſtra, quod abſurdum eſt, ſubdit idem. Id quod eo loci Paulus perſuadet contra Græcos, qui naturæ lumini adhærentes, reſurrectionem,quam ſupernaturale lumen prædicat, non admittebant; ante quos fuere Sadducæi, & poſt omnes Marcion, Cerdo, & Manes, aduerſum quos egit Theodoretus, epitome de diuinis decretis lib. 5. cap. de baptiſmate, & reſurrectione, atque alij innumeri *lapidem* hunc nobis *reuoluere* elaborarunt, & omninò tollere difficultatem credendi reſurrectionem, tùm Chriſti, tùm noſtram contendunt luminaria magna in cælo, & aſtra, quæ poſt occaſum videntur exurgere noua apparitione; in varia rerum ſucceſſione, quæ tàm in ſenſatis, quàm in inſenſatis conſpicitur, vt nihil communius entibus, quàm poſt lapſum ſurgere, poſt occaſum oriri, poſt mortem reuiuiſcere, & poſt non eſſe, ad aliud melius, & vberius commutari. Quare dicere nefas eſt nobis; *Quis reuoluet nobis lapidem*? Hoc imperfectorum eſt, & ſi ius dicam muliebre. Quia animalis homo non percipit, quæ Dei ſunt.

Quid lapis ad oſtiũ monumenti ſignat?

Iſai.53.

Pſal.46.

Oecumen.

Theoph.

Reſurrectio Chriſti fidei caput.

Negantes reſurrectionẽ.

Theodoret.

Symbolũ reſurrectionis

Ab oſtio monumenti. Hoc eſt, ſepulchri exciſi, quod erat intrà veſtibulum petræ, quoque exciſum, eſtque modò, & inſpicitur veſtibulo exteriori deſtructo propè tẽpli fabricam, quam deſuper erexere pij (vt ſcribit Cyrill. catecheſ. 14.) Et quod eſt *oſtium monumenti*, quo ad Chriſtum introducimur, eundemque continuò memoratur? Diuina quidem Scriptura. Hæc enim Chriſtum in primis de ſepulchro, ac limbo audire facit intonantem ad Patrem: Diligam te Domine, fortitudo mea; Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & li-

Cyr. Hiero.

Sacra Scriptura oſtiũ monumenti.

Pſal.17.

& liberator meus, in te eripiar à tentatione, & in Deo meo tranſgrediar murum ſepulchri; perſequar inimicos meos, & comprehendam illos; & non conuertar donec deficiant, à ſua, inquam, proteruia, & fiant ſcabellum pedum meorum. Porrò ipſa eſt, quæ nobis ſpem dat eſſe cum Chriſto. Ait *1 Cor. 15.* enim: Omnes quidem reſurgemus; quia *Matt. 22.* Deus Abraham, atque viuentium non mortuorum, & ſimilia profert teſtimonia, quæ velut Leuitarum tentoria, per gyrum tabernaculi fixa, indicant Dominatorem, qui ſub papilionibus, nube, hoc eſt, in fidei ænigmate latet, proponitur, & oſtenditur nobis, qui deſertum vitæ huius colimus, quoaſque ad tabernaculum non manufactum admittamur. *Origen.* Subinde Origen. hom. 20. in cap. 15. Ieſu Naue. Quid dico, quia diuinæ virtutes paſcantur, & epulentur in nobis, ſi nos verba diuinæ Scripturæ proferamus ex ore? *Præmiũ vacantiũ Scripturæ ſtudijs.* ipſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus, ſi nos inueniat his vacantes, & huiuſcemodi ſtudijs, & exercitijs operam dantes, non ſolùm paſci, & refici in nobis dignatur; verùm etiam ſi has epulas apud nos viderit apparatas, patrem ſecum dignatur adducere. Sed quia hæc ſatis magna, & ſupra hominem videntur non in eis tibi; ſed ipſius Domini, & Saluatoris ſermonibus comprobentur, dicentis: Amen dico vobis, quia ego, & pater veniemus, & manſionem faciemus, & cœnabimus apud eum. *Oſtium* ergò magnum eſt Scriptura, quæ non ſolùm nos ad Deũ pertrahit, quinimò Deum ipſum Omnipotentem ad nos trahit, & perſcrutari vniuerſa eius monumenta, & mirabilia, quæ dedita Scripturis mens cognoſcit nimis. Huiuſmodi enim cognitio eſt manducatio ſalubris, quam Deus intrà nos ſumit, & nos cum eo ſumimus.

CAPVT QVARTVM.

Et reſpicientes viderunt reuolutum lapidem. Erat quippè magnus valdè.

Expoſitio. ET ita anxiè peruenerunt ad veſtibulum intrà, quod ſepulchrum erat excauatum profundius aliquantulum, ad quod cùm à limine veſtibuli eſſent intentè *reſpicientes viderunt*, non abſque ſtupore *reuolutum lapidem*, qui eas turbabat, *erat quippè* diſpar iuribus multorum, nec facilè *magnus valdè* cùm eſſet, poterat ab oſtio monumenti dimoueri.

Et reſpicientes. Hoc quidem facilè illis licuit, quod milites, qui ſepulchri cuſtodiæ præerant, tùm terremotu perterriti, & ſurgentis ſplendore, tùm Angelorum aduentu meticuloſi aufugiſſent. Fuga igitur militum facilem mulieribus acceſſum præbuit ad monumentum, vt liberè omnia reſpicerent. Et qui milites niſi dæmones, & hæretici? fugatis ſuis peruia ſunt Chriſti myſteria, his qui ſunt ſanæ mentis fideliter gradiuntur; & ambulant confidenter. Ad hæc *Iſai. 35.* quidem ambulabunt, qui liberati fuerint, ait Vates, ſed quando? quando, inquam, non erit ibi leo, & mala beſtia non aſcendet per eam, nec inuenietur ibi. Leonem qui circuit quærens quem deuoret, Dæmonem dico, qui fide propellitur, mala beſtia, ac fera peſſima, quæ demolitur vineas eſt hæreticus, quẽ Chriſtus ſpiritu oris ſui interficiet. Itaque liberi ab his reſpicientes, & nos erimus monumenta Chriſti abſcondita.

Viderunt reuolutum lapidem. Per Angelum, ſcilicet, vt Matth. deponit, qui venerat reſurrectionem manifeſtare aperto *Matt. 28.* tumulo, & miraculo terræmotus. Tribus *Matt. 22.* quidem his myſterium reſurrectionis confirmatur, fitque multum credibile. Per Angelum, vt per exemplar, quia in illo Regno ſuſcitati erunt ſicut Angeli Dei; per lapidis reuolutionem, velut per ablationem totius impedimenti, peccati, inquam, & mortis, iuxtà gloſſam, quia abſorpta eſt *Gloſſa.* mors in victoria reſurrectionis, & qui ſemel ſuſcitatus eſt ad claritatem reſurre- *1. Cor. 15.* ctionis perfectæ, iam non moritur, & mors illi non dominatur, & quia ſemel mortuus eſt peccato, viuit Deo. Per terræmotum *Rom 6.* indicatur omnipotentia auctoris: Dedit *Pſal 45.* enim vocem ſuam, & mota eſt terra. Et venient, inquit, mortui tui, interfecti mei *Iſai 26.* reſurgẽt. Reſuſcitabo enim mortuos de lo- *Exod. 17.* cis ſuis, & de monumentis educam illos. De terræmotu, & Angelo habes apud Matt. *Matt. 28.* nunc de reuoluto lapide quippiam percurramus. Quærentibus Chriſtum videtur *lapis reuolutus*. Primùm quidem, vt ſuſcitati conditionem fore eandem agnoſcerent, ſolummodò tranſmutatam in melius contemplarentur. Eſt quidem Chriſtus, vt antea, *lapis* angularis in fundamento fundatus. Veruntamen in carne mortali obuo- *Iſai. 28.* lutus, quaſi ad oſtiũ abſcondens mirabilia, quæ in ſeipſo portabat, at ſuſcitatus apparuit *reuolutus* oſtendẽs claritatẽ, agilitatẽ, ſubtilitatẽ, & impaſſibilitatem, quæ in beata anima continebantur, vt in origine, vndè eiuſmodi dotes pullulant, non itaq; alium, ſed eundem, qui prius ſe ſuſcitauit. Neque alteri cuipiam in hoc eam gloriam largitus eſt (ait Cyrill. Alex. aduerſus Theodore- *Cyrillus Alex* tum anathematis. 7.) ſanè, & ad Deum patrem, qui in cælis eſt, dicebat: Pater glorifica me gloria, quam habui antequam *Ioan. 17.* mundus eſſet apud te; quamuis & Deus eſſet, & ex Deo ſecundùm naturam, & gloriæ Dominus. Et infra: Glorificauit igitur non alium quempiam, ſed ſeipſum, declarans vnitum ſibi templum ſecundùm veritatem, quod nec morte domaretur. Pereat

ergo

ergò hæreſis ſchaphouſæ mortuum inquam Chriſti corpus computruiſſe in ſepulchro, neque ſuſcitatum quod ibi iacuit. Præterea videre mulieres *lapidem reuolutum*, ſignum fuit, myſteria abſcondita tunc primum manifeſtari, & fieri clariora, ſecundùm Bedam, quando Chriſtus ſuſcitauit [*Beda.*] ſeipſum, quaſi candelabrum accenſum illuſtrans tàm ſcripturam, quàm mentis oculum, vt legerent librum myſteriorum, qui doctis, & indoctis erat ignotus. [*Luc.* 24.] Vnde ſuſcitato Ieſu recordati ſunt Apoſtoli eorũ, quæ audierant, & intelligentiam perceperunt, qui cum eo ad caſtellum Emaus vſque profecti ſunt. Denique videtur *lapis reuolutus*, & commotus, vt ſciant omnes Chriſtum ſuſcitatum fore *reuolutum lapidem*, hoc eſt, promptiorem ad vindictam incredulis poſt reſurrectionem quam antea, ſiquidem primus eius aduentus prædicatur manſuetus, ſecundus verò comminatur torrens inundans, atque terribilis. Vnde qui [*Iſai* 8.] primò dicebatur petra ſcandali, & lapis offenſionis, in quem impingens, & ſi læſus tamen non grauiter, poſt in ſecundo aduentu, erit lapis cadens reuolutus à loco ſuo, qui non lędit ſolùm, ſed confringit, & comminuit, vt molà aſinaria granum, quia abſque vlla ſpe, & plaga inſanabili.

Erat quippè magnus valdè. Non ſatis videtur explicaſſe per *magnum*, lapidis molem, niſi addidiſſet, *valdè*, aduerbium. Erat quidem non tàm magnus, iuxtà oſtij menſuram, quàm denſus, & ſpiſſus vt grauiſſimum onus eſſet his, qui tentarent remouere. Vnde hac ex parte, lapidem *valdè magnum* dicerem peccatum. Hoc enim dicitur onus graue, quod in profundum mittit celeriter, velut lapis in flumen iactatus, ſuo pondere citò dilabitur, quinimò lapis vocatur peccatum ipſum vt ibi; qui ſtatuit lapidem proximo, offendet in eo. [*1. Cor.* 15.] Itàque huiuſmodi *lapide* clauditur Chriſti [*2. Cor.* 13.] monumentum, quia propter peccatum mortuus eſt, & factus maledictum, quia ſcriptum eſt: Maledictus omnis, qui pendet [*Theoph.*] in ligno, à qua acſi (exponit Theophyl. in 3 ad Gal.) condemnatum quempiam, adiudicatumque morti alius quiſpiam innoxius eximat à morte, pro illo mortem ſubire volens, & eligens. [Chriſtus maledictum ſuſtinuit vt illud ſolueret.] Suſcepit igitur maledictionem, ex eo quod penderet, diſſoluitque maledictionem, quæ nobis, quòd legem non impleremus, erat impoſita; ipſe tamen non ſubiectus huic; legem enim impleuit, & peccatum non fecit, legem quidem mortis, legem ſepulturæ, & legem, quæ ob peccatum impoſita erat peccatori. Vnde & ſuppoſito lapidi paſſus eſt, ſicut & ſupponi cruci; ergo quidam legem hanc ſoluit ſuſcitatus, apparet reuolutus lapis ille magnus valdè, qui tantam gentem oppreſſerat, & donati ſunt libertate ſpirituali fideles: Quia, inquit, Habac. egreſſus es in [*Abac.* 3.] ſalutem populi tui, in ſalutem cum Chriſto tuo, ſcilicet in eius reſurrectione, percuſſiſti caput de domo impij, hoc eſt, dæmonem; denudaſti fundamentum eius vſque ad collum, hoc eſt, peccatum omne deſtruxiſti, & eius fallaciam aperuiſti. Maledixiſti ſceptris eius, hoc eſt, idolatrijs capiti bellatorum eius, hoc eſt, Principi mundi huius: venientibus vt turbo ad diſpergendum me, in cruce, & in ſepulchro; exultatio eorum ſicut eius, qui deuorat pauperem in abſcondito, quia dixerunt: Euge, euge; viderunt oculi noſtri. Quid verò ex his prouenerit bonis ſubditur, Viam feciſti in mari equis tuis, hoc eſt, primogenitus [*Pſa.* 72.] ſuſcitans, ne dùm, infelicem, ſed feliciſſimam feciſti mortem, atque labores tuis, qui facti ſunt iumentum apud te, præ obedientia qua ſe totos ſubdunt, tanquam dilatatam, & ſeueram, vt & ſi in luto aquarum multarum, hoc eſt, in periculo multarum tribulationum, in quibus peſſimi pereunt, boni ſecuri tranſeunt, te ductore, & exemplo vitæ, mortis, & reſurrectionis. Vnde ad portus tranquillitatem pertracti, carmen concinunt: Cantemus Domino, [*Exod.* 15.] glorioſè enim magnificatus eſt, equum, & aſcenſorem deiecit in mare. Talia ſunt acta reſurrectionis Chriſti, quæ *lapis reuolutus*, tàm etſi *magnus*, & *valdè magnus*, præſignant. Quinimò quanto maior culpa, tanto donum, quo euertitur amplum, & libertas quæ tàm iniquè ſeruituti opponitur fæliciſſima quippè angelica, qua nos Chriſtus reuoluto lapide peccati nos donauit.

CAPVT QVINTVM.

Et introeuntes in monumentum viderunt iuuenem ſedentem in dextris, coopertum ſtola candida, & obſtupuerunt.

[Expoſitio.] QVum vidiſſent itaque reuoluto lapide monumentum apertum, depoſuerunt anxietatem, quæ eas toto fermè itinere defatigarat, & *introeuntes* prompto, & beneuolo animo *in monumentum*, hoc eſt, veſtigium, quo ſepulchrum operiebatur circumquaque *viderunt* decorem *iuuenem*, & formoſum, *ſedentem* ſupra lapidem reuolutum *in dextris* ſepulchri, attentiusque pulchritudinem iuuenis ſpeculantes, inſpexerunt *coopertum* toto corpore *ſtola* ſplendente, & *candida*. Vnde quæ anteà ſolicitæ erant, quis reuolueret lapidem, *obſtupuerunt* viſo tàm præclaro, & inopinato ſpectaculo.

Et introeuntes in monumentum. Hoc eſt, veſtigium quod claudebat ſepulchrum.

Vnde

Arias Montanus. Lyran. Vnde Arias Montanus ſcripſit: Totus hortus dicitur *monumentum*, aut certè ſeptum circa ſepulchrũ intrà clauſurã, ergo (ſubdit Lyra) quæ erat circa *monumentum*, introierunt. Dicitur autem *monumentum*, quaſi mouens mentem, ſcilicet illius qui aſpicit, vt oret pro anima ſepulti, & præcogitet de morte propria, quia ſancta, & ſalubris eſt *2. Mac. 12.* cogitatio pro defunctis exorare. Nec di- *Cypr.* gnus eſt in morte accipere ſolatium (ſcribit Cyprianus lib. 4. epiſt. 2. ad Antonianũ de Cornelio & Nouatiano) qui ſe non cogitauit eſſe moriturum.

Viderunt iuuenem ſedentem in dextris. *Beda* Vt ait Beda, ad partem meridianam; quia dùm corpus iacebat, caput ad Occaſum, pedes ad Ortum, dextrum ad Meridiem, & ſiniſtrum ad Aquilonem; quod verum eſt *Gagn.* (inquit Gagneius) de corpore ita iacente, non tamen de ſepulchro, quod facilè intellexerim, dextrum ſepulchri ad Orientem, ſiniſtrum verò Occidentem verſus. Quod autem Matth. dicit Angelum ſedere ſuper *Conc Euan.* lapidem: Marcus verò poſtquam ingreſſæ ſunt in monumentũ, vidiſſe ipſas mulieres intro ſedere, non eſt mirandum (inquit *Theoph.* Theophyl.) poteſt enim fieri, quòd quem viderunt foris ſedere, ſicut Matth. dixit ſuper lapidem, illum iterum viderint intus in monumento, qui præuenerit mulieres, & ingreſſus ſit. Quidam autẽ dicunt quod aliæ quidem fuerint mulieres, quæ apud Matth. aliæ autem quæ apud Marcum. Magdalena verò omnium Comes fuerit, nimirum quod alacris eſſet, flagranſque, ac offi- *Hieron.* cioſa. Huius ſententiæ videtur Hier. ad He- *Aug.* dibiã epiſt. 150. q. 4. Necnon Aug. qui quantum ad Angelos, ait lib. 3. de conſ. euang. c. 24. tres apparuiſſe. Vnum extra monumentũ intrà ſepta ſedentẽ ſuper lapidem reuolutum; intrà monumentũ duos, vnũ ad caput, & aliũ ad pedes, vbi poſitum fuerat corpus Ieſu. Marcus vnum expreſſit vt vnius reſurrectionem prædicaret, & in ſui ipſius apparatu qualitatem reſurgentis deſignaret. Ideo eum primo introducit iuuenem, ſicut & in hiſtoria Tobiæ, ob immortalitatem, quæ in ſimili ætate plus ſplendet. Secundo ſedentem, à fœlicitate perpetua. Tertio in dextris ſedentem; à primatu, quem reſurgens Chriſtus ſuper omnes accepit. Quarto coopertum ob ſocietatem eorum qui ſecum reſurrexerunt. Quinto ſtola indutum quæ eſſentiale præmium deſignat, totum complectens beatum in gloria patris ſui. Sexto candida ſtola opertum proponit Angelum; vt gloriam accidentalem, quæ reſuſcitato in æterna beatitudine candorem peculiarem inducit, Chriſto ineſſe contemplemur. Poſſunt, & quidem adduntur his pleræque aliæ allegoriæ, nos præſentibus contenti ſumus.

Coopertum ſtola candida. Sic Angelus proponitur, vt beatum venuſtate, honeſtateque præditum meditemur, nulliſq. membris, quæ mortalibus videntur deformitatem generare, conſtare; iiſdem enim præditi, quaſi operti *ſtola candida*, cunctis apparent glorioſi tàm in ſe, quàm in mem- *Iſai. 53.* bris. Sic Chriſtus Princeps Regum terræ *Apoc. 7.* acclamatur formoſus in *ſtola* ſua; ſic reliquos dicit oraculum dealbatis ſtolis Chriſtum ſequi, quia nihil ibi diſſonum, nihil ibi difforme reperitur.

Et obſtupuerunt. Inſperato ſpectaculo, ac nouo, quod beatitudinis formam præ ſe *Gloſſ.* ferebat. Vnde Gloſſa interl. petita ex *Hieron.* Hier. ait obſtupuerunt, quia inſpexerunt, quod oculus non vidit, nec auris audiuit, quæ præparauit Dominus diligentibus ſe. Hæc quidem velut in exemplari proponebantur oculis intuentium Angelum, cuius *Hieron.* aſpectu dignę fuerunt habitæ mulieres, quę cum aromatibus venerant, ait Hier. Quia illæ mentes ſuper nos ciues aſpiciunt, quæ cum virtutibus ad Deum per ſancta deſideria veniunt.

CAPVT SEXTVM.

Qui dicit illis: Nolite expaueſcere: Ieſum quæritis Nazarenum, crucifixum: Surrexit non eſt hic, ecce locus vbi poſuerunt eum.

Expoſitio. QVi venerat lætus nuncius pati non potuit mulieres attriſtari ſuo aſpectu ac verbo. Quapropter obſtupeſcentibus illis *dicit* ſonora voce, & clara, ac læta; *nolite*, ò deuotæ, Deoque charæ mulieres *expaueſcere*, propter ea quæ audiſtis, & vidiſtis. Scio enim quia *Ieſum* vnicũ veſtrum Saluatorem, & dilectum *quæritis: Nazarenum* quidem moribus, vita, & in omibus operibus ſuis floridum, quem paulò antè *crucifixum* vidiſtis, & *crucifixum* mirabiliter triumphaſſe. Is ille eſt qui mox *ſurrexit* è mortuis, factus primogenitus mortuorum, & Princeps Regum; *non eſt hic* iam ſub lapide, quia exaltatus, non intrà monumentum iacet, quia glorioſus. Verùm vt plenam myſterij agnitionem apprehendere, & referre valeatis, reſpicite diligenter ad monumenti concauum. *Ecce locus* eſt vacuus penitus, *vbi* de ligno depoſitum *poſuerunt eum* ſignato ſepulchro, & munito cuſtodibus.

Qui dicit illis. Eò quidem miſſus erat Angelus, vt *diceret illis*: vtpotè pijs, & ſanctis mulieribus ſalutis noſtræ myſterium, quemadmodum in ortu Chriſti factum pariter legimus. Sunt enim adminiſtratores ſpiritus, vt ſuis legationibus, hæreditatem *Adminiſtratorij ſpiritus* ſalutis, pij acquirant, & intelligant abſcondita, quæ mortalium mentes non penetrãt. Ea tamen aliter hominibus communicant,

aliter

Loquutio Ang. li duplex.

aliter ſpiritibus ſeparatis. Hos quidem allocuntur ſpirituali ſermone, qui eſt declaratio conceptus in ſeipſo, ac velut quædam pectoris denudatio, quam alius intuens agnoſcit.

Suggeſtio interna ab Angelis ſit.

Nos verò mortales formata in aere dictione, aut per aſſumptum organum, & corpus ad cognitionem ſecretorum trahunt; nonnunquam per internam ſuggeſtionem, & ſecretam intelligentiam occulta nobis aperiunt. Verùm de huiuſmodi locutionibus, & illuminationibus Angelorum inter ſe nobiſcum. Damaſ. legito lib. 3. Orthod. fid. cap. 32. S. Thom. 1. par. q. 100. Scholaſt. d. 9. ſecundi.

Damaſ.
S. Thom.

Nolite expaueſcere. Nam neque eò Angelus bonus mittitur, vt audientes *expaueſcant*: imò verò vt lætentur, & gaudeant.

Pſal. 121

Quia legati Altiſſimi, & ciues Hieruſalem, quæ ædificatur vt ciuitas, plena gaudij, & vocis exultationis, & iubili ſempiterni. Nec quidem dies ipſa, aut legatio admittebant in aliquo pauorem; quum compellerent non iam dicere. Exurge quare obdormis Domine? Exurge & ne repellas in finem, quare faciem tuam auertis, obliuiſceris inopiæ noſtræ, & tribulationis noſtræ?

Pſal 43.

Sed intonare: In conuertendo Dominus captiuitatem Sion, facti ſumus ſicut conſolati. Tunc repletum eſt gaudio os noſtrum, & lingua noſtra exultatione. Quia veſtiuit Dominus Beniamin, ſeu Benoni duplici ſtola; nobiſque omnibus byſſum, & purpuram indumentum præparauit, vt nemo timeat domui ſuæ à frigoribus niuis; hoc eſt peccati, mortiſq. periculis adeptus quæ Chriſtus bonis ſua reſurrectione conſiliauit bona, vtpotè byſſum corpori, & purpuram animæ, quibus omnis fælicitas importatur. Nemo ergo iam *expaueſcat*, in hac die in qua Dominus operatus eſt ſalutem in medio terræ, quamque patres conſtituerunt eſſe ſolemnem, vt in eo omni tempore deinceps vacarent epulis, gaudio atque conuiuijs. Vnde non ſolùm ieiunare die Dominica, in qua reſurrectionis memoria agitur, propter Euſtachium, & Hæreticos alios prohibitum fuit antiquitus, verùm etiam genuflectere, vt habet canon vigeſimus Niceni Concilij. Vnde Tertullianus lib. de corona militis dixit: Die Dominico ieiunare nefas ducimus, & geniculis adorare.

Pſal. 125.
Gen 45.
Prou. 30
Hær. Euſt.
Nicen. Cõc.
Tertull.

Ieſum quæritis Nazarenum crucifixum. Summa myſteriorum Chriſti honorum, & dignitatum, quæ in reſurrectione obtinuit, tribus hiſce nominibus complexus eſt Angelus. *Ieſum* dicit, ideſt, ſaluatorem, quo nomine, vt prætercam Hebræos, tùm maximè Georgium in ſua Armonia, & Galatinum lib. de Archanis hebr. qui mira de hoc nomine philoſophantur ex Hebræis, vniuerſa includi nomina, & acta cæterorum hæroica, & digna memoratu enchomia Paulus expreſſit dicens: Dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur. At qui hæc per mortem promeruit, & per reſurrectionem obtinuit. Hac quidem triumphum, de victoria in morte habita, compleuit. Omnia enim ſubiecit tunc ſub pedibus eius pater, qui illum à mortuis ſuſcitauit. *Ieſus* itaque, perfectuſque Saluator reſurgens quandoquidem non ſolùm alios à ſeruitute peccati, & omni miſeria ſaluauit, ſed ſeipſum liberum ab omni ſubiectione effecit, & cunctis ſuperiorem, quum prius humiliaretur vſquequaque. Quare poſt mortem ſuſcito, acclamat, vt Regi, ac Domino omnis creatura: Dignus eſt accipere gloriam, honorem, & diuinitatem. Quia omnia cognoſcunt quàm admirabile ſit nomen eius, poteſtas formidabilis, & imperiũ dilatatũ à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum; propter quod ne dùm amici, ſed inimici etiam terram lingent pedum eius, & adorabunt ſcabellum pedum ſuorum; nomen autem *Ieſum* triumphorum, victoriarum, & dignitatum eius compendium, inuocabunt ſemper, quicumque optarint ſaluari, & cum Chriſto in reſurrectione triumphare. Atque iſta ſint dicta de *Ieſu*. Porrò *Nazarenum* contemplemur. Hoc quippè nomine effectus mirabilis quẽ vniuerſis Chriſtus mortuus, & ſuſcitatus conſiliauit, compediosè demonſtratur.

Georg. Ven.
Galat.
Philip.
Apoc. 4.
Pſal. 8.
Pſal 71.
Pſal 98.

Eſt enim *Nazarenus*, ſeparatus, diuiſus, exemptuſue à verbo נזר nazar, quod iſta ſignificat, necnon conſecrare; vnde Nazir, נזיר ideſt conſecratus, & diuiſus, per צ Zade, idem eſt, quod flos, quomodo Hier. in Iſaiam, Chriſtum vult dici *Nazarenum*, hoc eſt floridum, quia dixit, Ego flos campi, & lilium conuallium. Et quidem vtroque modo Chriſtum dici *Nazarenum*, facilè eſt demonſtrare. Nam non ſolùm conſecratus eſt Deo, ſed electus, & filius; ſeparatus vnicè ad gloriam Dei, vt cunctorum ſolamen; diuiſus pariter à reliquorum conſortio, quia ſuper omnes eſt, & ſolus potens, quia, inquit: Ego ſum ſolus. Eſt exemptus quoq. non tàm à peccato, vt qui dolum non fecerit, quàm à peccati potentia, quia ſanctum Domini vocabitur. Potiſſimum hoc loco *Nazarenum* interpretarer floridum, vt inde quod vniuerſis Chriſti reſurrectio portentet inſpiciamus, videlicet cuncta ſic iam à Chriſti reſurrectione ad innouationem diſponi, vt florere videatur. Vt enim Chriſti corpus reſurrectione viſum fuit ad floridam, & omninò lætam conditionem tranſmeaſſe, ita facta vniuerſorum reſurrectione florebunt omnia, hoc eſt, perfectiorem induent naturam, terram nouam. Ecce enim ait: Ego creo cælos nouos, & terram nouam: Et non erunt in memoria priora, & non aſcendent

Quid Nazaren.
Hier.
Cant. 2.
Iſai. 65.

ſuper

bile affirmat oraculum; propter quod, vt arbores continuò germinare facit nulla vi allata, & nubes in pluuiam, grandinem ſe effundere, integris ijs remanentibus; ita nos credimus Chriſtum patris germen, & terræ pluuiam ſerotinam, & matutinam, abſque damno vteri, vel ſepulchri ſe hominem mundo communicaſſe, & prælectis à Deo glorioſum apparuiſſe. Scio difficile Salomoni quondam fuiſſe vtrumque myſterium penſatis naturæ legibus: diuinius autem diligenter contemplans ad hæc, & cætera Dei miracula intonat: Cantate Domino canticũ nouum, quia mirabilia fecit. Saluauit ſibi dextera eius, & brachium ſanctum eius, velut habent 70. ſaluauit eum dextera eius, hoc eſt, diuinitas, quæ Chriſtum Dominum ſuſcitauit à mortuis. Vndè Paraphraſtes Chaldæus vertit ſequentia; & brachium ſanctæ maieſtatis eius. Huius igitur maieſtatis diuinæ omnipotentiam conſiderantes, Chriſtum illæſo ſepulchro exire, non modò non miramur; ſed credimus, & exultamus cum Abraham, qui diem hanc Chriſti, & præfinitum myſterium videre cupiebat, & vidit in ſpiritu, & gauiſus eſt. Idem & Dauid conceſſum canticum, hoc nouum nouo myſterio decantatum demonſtrat. *Locum* quoque iubet Angelus intueri, vt ſciant, qui ſuſcitatum quærunt, & cum eo volunt reſurgere, meditari eos primum oportere mortem, ſepulchra mortuorum mente reuoluere; & quàm menſurabiles, ſeu breues dies nobis Deus poſuerit. Igitur ait Gloſſ. ordin. ex Hier. oſtenditur mortalitas mortalibus ad actionem gratiarum debitam, vt intelligamus quid ſimus, aut fuerimus; & ſciamus quid erimus.

Septuaginta

Paraphr. Chald.

Ioann. 8.

Meditatio mortis

Gloſſ. Hieronym.

CAPVT SEPTIMVM.

Sed ite, dicite diſcipulis eius, & Petro, quia præcedet vos in Galilæam: Ibi eum *videbitis, ſicut dixit vobis.*

Expoſitio.

Ergo quia locum cernitis vacuum. Sciti ſque reuixiſſe mortuum, quem quæritis, nolite tanti gaudij reas effici, ſi illud celaueritis, *ſed* quamprimum *ite* veloces ac *dicite* ijs, qui in vnum congregati ſunt *diſcipulis, & Petro*, qui triſtis, multumque ſuæ ſalutis anxius plorat negationem, bonum hoc nuncium annunciate, vt vires recipiat, omneſque exultent. Præſertim cùm audierint, quia non obliuiſcitur veſtri magiſter, quinimò ſuſcitatus *præcedet vos in Galilæam*, vt conſoletur à laboribus, quos ſuſtinuiſtis: Nam *ibi* ſeipſum viuum, & triumphatorem propalabit, & vos depoſito mærore *eum* exultantem *videbitis* pariter læti, *ſi. ut* antè multo *dixit* ipſe *vobis*, cùm vobiſcum eſſet in carne mortali.

Sed ite. Mulieribus committit Angelus Euangelium reſurrectionis, natiuitatis autem paſtoribus legimus primò anunciatum; vel, vt altius loquar, tenellus, & delicatus, qui nondum ſcit vocare patrem, & matrem, committitur annunciandus robuſtis viris, fortis autem, & gigas Chriſtus, inquam, ſuſcitatus ſexui muliebri debiliſſimo annuntiatur, vt nemo ex legatis dijudicet legationes cæleſtes, neque quæ legantur myſteria; ſed ex natura ipſa legationum perpendat diuinorum magnitudinem. Vnde Pſaltes: Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, non ait audiam, quis me pro Domino alloquatur. Neque enim ſitientes multum de vaſe curant, ſed potionem ipſam diſcernunt.

Ioann 8.

Pſal. 84.

Dicite diſcipulis eius, & Petro. Diſcipulis vult per mulieres reſurrectionis myſterium annunciari, vt ſicut mulier olim viro mortem propoſuerat, ita mox contrà vitæ legati viris fierent mulieres: Sciretque ſexus deſpectus honorem per reſurrectionem filij ſolius mulieris aduenſſe, vt non ſolùm primus tanti gaudij fieret particeps, verùm etiam fidelis legatus. Quorſum ergo mulierem in Eccleſia prohibet Paulus docere? Quia, inquit, lex dicit ſubditas eſſe, vbi Theophyl. Archieſ. Bulgar. legem Geneſis librum appellat, in quo ſcriptum eſt. Ad virum tuum conuerſio tua, & ipſe tui dominabitur. Si igitur decretum eſt, vt viro ſubdatur, quanto magis ſpiritualibus in Eccleſia doctoribus? At obijcit Hæreticus, qui prædicandi munus, & gubernandi ad mulieres quoque pertinere vult, & conſecrandi; lex finem accepit. Accepit quidem finem lex per Moyſem data, quæ intenta erat ceremonijs, & iudicijs; lex verò naturæ, quæ mulierem viro vt capiti, tàm in temporalibus, quàm in ſpiritualibus ſubijcit, eadem permanet. Quare non ſolùm Pauli fuit hoc ſtatutum, ſed omnium Apoſtol. lib. 8. Conſtit. Apoſt. cap. 30. & 31. lib. 3. cap. 6. ſemperque obſeruatum, quinimò in dies multa eidem addita, vt ex Synodo Laodicena ca. 44. & alijs conſtat, quibus à ſacris amouerentur. Vnde Tertull. lib. de velandis virginibus: Non permittitur mulieri in Eccleſia loqui, ſed nec docere, nec tingere, nec offerre, nec vllius virilis muneris, ne dum ſacerdotalis officij, ſortem ſibi vendicare. Aduertendum tamen ex Chriſoſt. in 1. Cor. 14. arceri tantùm mulierem à docendi officio, & prædicandi publicè, vt ex officio ſibi credatur competere, vt viris; priuatim quidem docere nihil prohibet; quinimò paſſim factitarunt ſanctæ, & ſi caſus ferret non adeſſe virum, vt præſenti in loco: Neque enim virorum aliquis, cui euulgatio myſterij committeretur, intererat, vt ignauiam

Mulieres primum annuntiant reſurrectionem.

1. Cor. 14

Theoph.

Mulier cur in Eccleſia tacet?

Obiectio Hær.

Reſponſ.

Conſt. Apoſt

Sin. Laod.

Tertull.

Chriſoſt.

ergo

ergo Apoſtolorum reprehenderet Angelus, committit mulieribus prædicare *diſcipulis* reſurrectionem. Petrum nominauit *Theoph.* Angelus, vt præcipuum (inquit Theophyl.) ac ob excellentiam; vel quia negauerat Petrus, ſi veniſſent mulieres, & dixiſſent quod præceptum eſſet eis, vt annunciarent *diſcipulis* dixiſſet Petrus; ego negaui eum, iam non ſum illius *diſcipulus*; abiecit igitur me, abominatus eſt me. Illius igitur gratia apponit, *& Petro*, vt non offendatur *Petrus*, quod ipſe non meruerit verbum, vtpotè qui negarit, & propterea indignus ſit, qui alijs diſcipulis connumeretur. Adde, *Petri* flentis ſit potiſſimum memoria, vt pœnitentium nomina, quæ peccato à libro vitæ videbantur deleri, iterum ſcribi, & conſeruari in memoria æterna deprehendamus, ſtareque decretum: Quacunque hora peccator ingemuerit vita viuet, & amplius non recordabor peccati ſcilicet, Nominis autem & fœlicitatis pœnitentis, atque boni operis, perpetuò recordatur; vt & nos pariter memores ſimus eorum, qui poſt mala ad bonum feſtinant, & lachrymis expiare facinus curant, & nullo modo auerſari. *Clemens.* Etenim ait Clemens lib. 2. Conſt. Apoſt. cap. 15. Si ingredientem iuxtà fluuium, & iam prolapſum contis quibuſdam impellendo, in amnem protuſeris, cùm potius manum porrigere debuiſſes, fratrem tuum profectò occideris, cui magis dextram dare labenti oportuiſſet, ne omninò periret, ſic prorſus facit, qui pœnitentem non ſuſcipit, non iuuat prolapſum, & non conſolatur flentem peccata ſua. Secus is, qui ait: *Dicite diſcipulis eius, & Petro*.

Quia præcedit vos in Galilæam, Habet alia lectio *præcedet*: Nam qui reſurrectione factus erat agilis, potuit citò inuiſiſſe *Galilæam*, vtpotè Nazaret, vel Capharnanũ, aut certè montem, in quo poſtmodum congregatis diſcipulis apparuit. Ad hanc enim refertur futurum *præcedet*; præteritum autem *præcedit* ad alterum fortè myſteriorum, quæ tetigimus. *In Galilæa* promittit conſpectum Chriſti Angelus, volens eos *Theoph.* ſecundùm Theophyl. eripere à tumultu, & metu Iudæorum, etiam & nouum Chriſti ſtatum ſub nomine *Galilææ* deſignaret. *Galilæa* namque tranſmigratio facta interpretatur, ait *Zachar.* Zachar. Chryſopolit. & Gloſſa or- *Gloſſa.* dinar. ex Gregor. Magno: Iam enim à paſ- *Greg.* ſione ad reſurrectionem, à morte ad vitam, à pœna ad gloriam tranſmigrauerat. Et benè poſt reſurrectionem *in Galilæa* à diſcipulis videtur, quia reſurrectionis eius gloriã poſt læti videbimus, ſi modò à vitijs ad virtutum celſitudinem tranſmigremus. Qui ergo in ſepulchro nunciatur in tranſmigratione oſtenditur. Et qui in mortificatione carnis agnoſcitur, in tranſmigratione mentis videtur; aſcendit enim homo ad cor altum, & exaltatur Deus in perfectione, quam ſedulus contemplator ſupernorum acquirit. *Pſal. 63.*

Ibi eum videbitis. Viderint me? nihil Marcus alibi expreſſit, quinimò memoratis apparitionibus eodem die factis, nullam de Galilæa mentionem facit, ſolus Matth. *Matt. 28.* eſt, qui tandem Chriſtum in morte, qui erat Galilææ viſum pronunciat. Et quidem ego ad hanc etiam ſolemnem, & nimis lætam apparitionem vltimam, & communem referri verba Angeli crederem. Aug. de conſ. *Auguſt.* Euang. myſterium ait. Sub his includi. Vnde Gloſſ. ordin. Quia verò ſpecialiter hæc *Gloſſa.* vox non Euangeliſtæ narrantis, ſed Angeli ex mandato Domini, & ipſius Domini eſt propheticè dictum, intelligendum eſt; Gali- *Myſtica interpretatio.* læa namque tranſmigratio, vel reuelatio dicitur. Prius ſecundùm tranſmigrationis ſignificationem, quod dicitur: *Præcedet vos in Galilæam*, ibi eum videbitis, ſignificat; quod gratia Chriſti de populo Iſrael erat tranſmigratura ad gentes, à quibus Apoſtoli nullo modo prædicantes ſuſciperentur, niſi eis Dominus viam præparaſſet in eorum cordibus, & hoc eſt: *præcedet vos in Galilæam*. Quod autem gaudentes mirantur, victis omnibus difficultatibus, aperiri ſibi oſtium in Domino per illuminationem fidelium, hoc eſt, *ibi eum videbitis*, ideſt, *ibi* membra eius inuenietis, *ibi* corpus eius viuum in eis, qui vos ſuſceperint, cognoſcetis. Secundùm autem hoc, quod Galilæa reuelatio dicitur, non intelligendum eſt in forma ſerui; ſed in qua eſt æqualis patri, qui dicit: Ego diligam eum, & ma- *Ioan. 14.* nifeſtabo ei meipſum. Non ſecundùm hoc quod videbant eum: non etiam ſecundùm hoc, quod cum cicatricibus videndum, & tangendum poſt reſurrectionem oſtendit; ſed ſecundùm ineffabilem lucem, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, ſecundùm quod lux lucet in tenebris, & tenebræ eum non comprehenderunt. Illuc nos *præceſſit*. Vnde ad nos ve- *Ioan. 1.* niens non receſſit, & quo præcedens nos non deſeruit. Illa enim reuelatio vera eſt Galilæa cum ſimiles ei erimus, & videbi- *1. Ioan. 3.* mus eum ſicuti eſt. Ipſa etiam erit beatior tranſmigratio ex iſto ſæculo in illam æternitatem, ſi eius præcepta ſic amplectamur, vt ad eius dexteram aggregari mereamur. Tunc ibi non videbunt impij. Tolletur enim impius, vt non videat claritatem Dei.

Sicut dixit vobis. Præſentiam in Galilæa conſpiciendam promiſit, quoties gloriam pollicitus fuit, ac vitæ perfectionem, ſuique aſſiſtentiam iuſtis, digniſque ſeruis, nunquam defuturam. *dixit*. Poteſt & ſicut *dixit*, connotare ſolam reſurrectionem, de qua ſæpius cum Apoſtolis ſermonem tenuerat, Vnde ſic intelligendo, quoties

ties de reſurrectione antè mortem egit, toties *dixit* ei reſurrecturum tertia die, & fore illis obiectum lætitiæ, quæ omnem ſenſum ſuperet.

CAPVT OCTAVVM.

At illæ exeuntes, fugerunt de monumento: inuaſerat enim eas tremor, & pauor, & nemini quicquam dixerunt: timebant enim.

Expoſitio. AT cum repentina non patiatur natura, neque inopinatis, atque inſolitis vix acquieſcat, tantũ abſuit quod mulieres viſis, & auditis oblectarentur, vt potius *illæ* à ſe ipſis alienatæ retroceſſerint turbatæ, *exeuntes* ad pedes ſe coniecerunt. Et neque Angelum audire, neque locum videre multùm curarunt, ſed illicò *fugerunt* velociter *de monumento*. Nam ad intuitum Angeli *inuaſerat eas tremor, & pauor*, vt audierunt loquentem. Et ideo ac ſi nihil illis accidiſſet, *nemini quicquam* eorum, quæ euenerant, *dixerunt*; ſed velut incredibile ſomnium, & portentoſum ſtatuerunt celare, quouſque res aliunde innoteſceret. *Timebãt enim* tùm ſimplicitati ſuæ, ne illuderentur, tùm vitæ, ne criminarentur, tùm denique honori Chriſti, ne illi detraherent æmuli, ſi per eas myſterium abſconditum euulgaretur.

At illæ exeuntes. Exeunt de ſepulchro, reſurrectione Chriſti audita, vt cum eo ſe reſurrexiſſe indicarent. Quia ſicut in Adam
1. Cor. 15. omnes moriuntur, ita in Chriſto omnes viuificabuntur: Eſt enim ipſe caput noſtrum, à quo membra non dicedunt; eſt Princeps Regum terræ, quem ſequuntur terrigenæ; eſt Moyſes, quo cum populus ad oppoſitam maris ripam ſe recipit; eſt Elias, qui diſcipulum Eliſæum ſuo decorat pallio immortalitatis; eſt denique magni Concilij Angelus, qui pueros de camino mortis, & inferni liberat, & ſecum traditur, facitq. ſuæ exultationis, & gloriæ participes. Ergo, qui talem agnouimus Ducem, exeamus de ſepulchris, neque credamus cum corporibus animas interimi, neque admittamus corporibus perpetuò corruptis animarum ſolùm reparationem quandoq. futuram. Illud quidem Epicuræi, hoc Sadducæi affirmabant,
Tertull. Auguſt. inquit Tertull. lib. de carnis reſurrectione, Aug. lib. de Hæreſ. ad quod vult Deum Hereſ. 1. Ad quos, & eos, qui ſequuti ſunt peruerſum dogma, & dicunt non eſſe reſurrectionem, neque qualitatem probari reſurgentiũ, ſcripturã Iſai. 26. Dan. 12. Exod. 3. &
Iſai. 26. Dan. 12. Exod. 3. Cypr. oracula omnia proponimus. Deinde (vt Cyp. in Symb. vtar verbis) reſponſionem ſermonibus Pauli facimus, dicentes eis: Inſipiens tu, quod ſeminas non viuificatur, niſi prius moriatur. Et quod ſeminas non corpus, quod futurum eſt ſeminas, ſed nudum granum tritici, aut alicuius cæterorum ſeminum, Deus autẽ dat illi corpus prout vult. Quod ergo in ſeminibus, quæ tu in terram iacis per annos ſingulos fieri vides; hoc in tua carne, quæ Dei lege ſeminatur in terra, futurum eſſe non credis? Verùm quia rationales ſumus conditi ſubdit Greg. lib. 14. *Greg.*
mor. in Iob. cap. 30. Spem reſurrectionis noſtræ ex ipſa debemus rerum ſpecie, & contemplatione colligere; ſed quia in nobis ſenſus torpuit rationis, acceſſit in exemplũ gratia redemptoris. Venit namq. conditor noſter, ſuſcepit mortem, oſtendit reſurrectionem: vt qui reſurrectionis ſpem ex ratione tenere noluimus, hanc ex eius adiutorio, & exemplo teneremus. Nos ergo, qui exemplum credimus, audimus Angelum, & ex ſenſibilibus ratiocinamur, exeamus de ſepulchris; hoc eſt, non admittamus ibi homines conſumi, ſed inde aliquando ſuſcitandus, vt iuſti in vitam æternam, iniuſti ad ſupplicium aſſumantur.

Fugerunt de monumento. Non ſatis eſt exire, ſed oportet vero fideli *fugere de monumento.* *Monumentum* defunctorum eſt fœtoribus plenum, nonnunquam vermibus ſcatet, & abundat ſerpentibus; etiam dæmonibus eſt locus gratus, vt hac Marci hiſtoria vidimus. Ergo *monumentum fugiendum* his, qui exeunt, & deteſtantur hæreſim de reſurrectione, fugiendus erit mundus, Princeps eius Diabolus, atque peccatum. Quia non reſurgunt impij in iudicio, *Pſal. 1.*
neque peccatores in concilio iuſtorum. Quoniam nouit Dominus viam iuſtorum, & iter impiorum peribit; vel vt habet Paraphraſtes Caldæus: Propterea non conſiſtent impij in die iudicij magni, neque peccatores in ſocietate iuſtorum, quoniam *Paraphr. Cald.*
manifeſta eſt ante Dominum via iuſtorum, & via impiorum perdetur. Non enim probabit Deus impios, ſed improbabit cum malè eorum factis, vt inter alios Baſilius *Baſilius*
Magnus ſummarum moralium, ſum. 69. cap. 1. in vnum collectis oraculis probat.

Inuaſerat enim eas tremor, & pauor. Arbitrabantur enim ſe in Angelo phantaſma, atque ſpectrum videre; & eiuſdem ſermone pauidæ factæ ſunt. Sed hoc illis euenit ex inſolito ſpectaculo, & auditione ſermonis, à quo mentes longè aberant. His autem, qui audientes reſurrectionem mortuorum expauẽt, *pauor* prouenit à difficultate myſterij, *tremor* autem à vita mala, & peccati conſcientia, quæ incipit accuſare hominẽ, *Impiorum in iudicio error.*
cui dura in communi reſurrectione præparantur. Quia non dabit Deo placationem *Pſal. 48.*
ſuam, neque rationem villicationis ſuæ reddet. Nunquid, ait Deus, iuſtificabo ſtateram *Luc. 16.*
impiam, & ſacelli pondera doloſa? Hinc *Matth. 6.*

Pſal. 75. Pſaltes: Tu terribilis es, & quis reſiſtet ti-
bi? Ex tunc ira tua. De cælo auditum fe-
ciſti iudicium, terra tremuit, & quieuit, vel
iuxtà Hebræum ארץ יראה ושקטה Eres irah
veſecatha, terra timens tacebit. Hoc eſt
peccator, quem terræ oppacitas, atque
ſpina inuoluit. Is quidem ſtatutus ante
iudicem timens tacebit; quia non habebit
quid reſpondeat, ſed tremens, pauenſque
vltimum expectabit ſupplicium. Stupe-
bunt autē iuſti ſuper hoc, & innocens cōtra
hypocritam ſuſcitabitur, vt impio, qui non
poſuit Deum adiutorem ſuum, neque re-
ſurrectionem, vt oportebat audiuit; timo-
Iob 17 rem addat, & *pauorē*. Et tenebit iuſtus viam
ſuam rectam, quam viuens cœperat, &
mundis manibus, atque operibus bonis
addet fortitudinem corporis glorioſi, quod
pati non poteſt, nec perturbari. Procul
ergo ſit nunc à nobis *tremor & pauor*; qui-
nimò gaudeat audire Chriſtum ſuſcitatum,
& omnium communē fore reſurrectionem
in Chriſto contemplans pluſquam Abra-
ham, aut patrum quiſpiam lætari oportet.
Rom 8. Non enim (deponit Paulus) accepiſtis ſpi-
ritum ſeruitutis ad timorem, ſed accepi-
ſtis ſpiritum adoptionis filiorum Dei, in
quo clamamus Abba pater. Nam etſi illi
Theoph. patrem haberent Deum, nemo (inquit Theo-
phyl. in hunc locum Rom. 8.) inuentus eſt
in orationibus, qui vocaret patrem Deum,
quemadmodum nos nunc omnes poſt bap-
Rom 6. tiſma. Quando conſepulti, & complanta-
Coloſſ. 2. ti ſimilitudini mortis eius, ſperamus reſur-
rectioni eiuſdem configurari, & conforma-
ri. Ad exemplum quippè Chriſti reſurge-
Tertull. mus, ait Tertull. lib. de reſur. carnis. Qua-
re in initio libri dixit. Fiducia chriſtiano-
rum reſurrectio mortuorum. Id quod
Iuſtin etiam Iuſtinus Martyr. Apol. 2. ad Antoni.
& Adrianum Cæſares multis proſequitur,
& probat luculenter myſterium noſtræ re-
ſurrectionis, quæ Dei filios non iam pauē-
re, aut timere facit, ſed continuò gaudere
etiam in tormentis, vt olim Machabæos, &
poſt Apoſtolos, ac reliquos qui aſpera
Chriſti veſtigia in virginitate, in abſtinen-
tia, in infirmitate, in perſecutione, & mor-
te probroſa ſunt ſecuti. Quotquot enim
Chriſti ſunt mente conceperunt, vt inquit
Theodor. Theodoret. in 2. ep. ad Timot. reſurrectio-
nis ſpem ſigillum eſſe veritatis, quæ illu-
ſtrat, atque beat.

Et nemini quicquam dixerunt. Cùm ni-
hil feruentius, vigilantiusve, atque celerius
prædicari oporteret ſuper tecta ac publicè,
& omni occurrenti in via; quia Chriſtus re-
ſurrexit, & in hoc quidem reſurrexit, vt &
viuorum, & mortuorum dominetur. Et
quia nos reſurgemus. Propterea electus
Apoſtolus nefas ducens celare myſterium
1. Tim 4 intonuit: Nolumus autem vos ignorare
fratres, de dormientibus, vt non contriſte-
mini, ſicut & cæteri, qui ſpem non habent.
Dormit autem (ſcribit Hieronym. epiſt. 152 *Hieron.*
ad Minerium, & Alexandrum) iuxtà idio-
ma ſcripturarum, qui mortuus eſt ſpe re-
ſurrectionis futuræ: omniſque qui dormit,
vtique expergiſcitur, ſi tamen non ſubita
vis mortis cùm oppreſſerit, & mors ſomno
fuerit copulata. Cumque omnes ita dor-
mierint lege naturæ, ſoli ſancti & corpore,
& anima in melius mutabuntur, ita vt in-
corruptio omnium reſurgentium ſit, glo-
ria autem atque mutatio propriè ſancto-
rum, iuxtà Danielis oraculum: Et multi de *Dan. 12.*
his, qui dormierunt in terræ puluere, alij in
vitam æternam, alij in opprobrium, vt vi-
deant ſemper. Qui autem docti fuerint,
fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti. Et
qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi
ſtellæ in perpetuas æternitates. Subinde
Paulus: Alia claritas ſolis, alia claritas Lu-
næ, & alia claritas ſtellarum, ſtella enim à
ſtella differt in claritate, ſic & reſurrectio
mortuorum. Qui enim talis digni ſunt, *Theodor.*
ſubdit Theodoretus, gloria quæ cæleſtibus
conuenit amicientur. Qui autem in terre-
nis cogitationibus hæſerunt ſuo inſtituto
conueniens indumentum acceperunt. Neq.
enim omnes iuſti erunt eorumdem partici-
pes, ſe rectè factis conuenientem habebunt
remunerationem. Hoc etiam prædixit Do-
minus in ſacris Euangelijs: Multæ enim,
inquit, ſunt manſiones apud Patrem meum.
Tantùm igitur gaudium tacere quis pote-
rit? Aut cui fas eſt tàm ſalubre myſterium
ignorare? Neque hoc excuſabile, neque
illud laudem promerebitur, ſed vituperium.
Ergo etſi notus in Iudæa Deus ſuſcitatus, *Pſal. 75.*
ibiq. confregerit potentiam Sathanæ, arcum
peccati doloſum, ſcutum infirmæ carnis;
gladium mortis, & bellum totius humani
generis cum Deo ſuo; omnes gentes plau- *Pſal. 46.*
dere manibus, & iubilare in voce exulta-
tionis, quia ſurrexit Chriſtus, nos iubet,
publicareq. myſterium, vt audiat terra, &
plenitudo eius, & omne germen eius; læte-
turque deſerta, & inuia, & exultet ſolitudo *Iſai 34.*
gentilitas, & floreat quaſi lilium ſpe prouo-
cata reſurrectionis optima. Cæterum cur
mulieres tacuerint, ſubditur.

Timebant enim; Huiuſce timoris plu-
res cauſas afferre quis poſſet? Ego interim
vnam, aut alteram proponam, videlicet re-
putari vt ſtultas ab hominibus, aut indiſ-
cretas apud Deum. Nam qui ſapiens eſt
timet offendi Deum in publicandis ſecretis,
quouſque non ſemel, aut bis, ſed pluries
ſibi fuerit cælitus demandatum. Vnde
Pſaltes: In corde meo abſcondi eloquia tua
vt non peccem tibi. Idcircò orat benedi- *Pſal. 118.*
ctus es Domine, doce me iuſtificationes
tuas, vel præcepta tua (vt habet Hebræa *Hieron.*
Hier.) quæ iuſtificant, hoc eſt, doce me ple-
nius, quid iubeas in acceptis reuelationi-

bus

bus fieri. Edoctus enim, & certus de voluntate tua, vt alias in labijs meis pronunciaui omnia iudicia oris tui; ſic & nunc Quomodore celanda ſunt arcana Dei. quoque in mandatis tuis exercebor, & conſiderabo vias tuas, quò inquam tendas, quándo denudas myſterium; & illud alteri præcipis aperiri. Tali igitur timore mulieres detentæ laudem habent, ſecus ſi timor mundanus ad ſilentium eas compulerit, nè inquam reputarentur ſtultæ: Siquidem huiuſmodi longè è Sánctis abeſſe debet; tùm maximè ab his qui ſacri verbi, & myſterij cæleſtis præcones eliguntur, dicente Deo: Accinge lumbos tuos, & ſurge, & Ier. 1. loquere ad eos, omnia, quæ ego præcipio tibi. Ne formides à facie eorum, nec enim timere te faciam vultum eorum. Ego quippè dedi te hodie in Ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum.

CAPVT NONVM.

Surgens autem mane prima ſabbathi, apparuit primò Mariæ Magdalenæ de qua eiecerat ſeptem Dæmonia.

Expoſitio. ETſi omnes tacuerint mulieres, cuſtos qui de nocte vigilat, non ſilebit. Quare *ſurgens* de ſepulchro, & mortuis ad gloriam patris, & claritatem, *mane* inquam, ſummo diluculo, *prima* die ſabbati, quod eſt inter ſabbatha dierum hebdomadæ primum, *Apparuit* poſt matrem *primò* dilectæ *Mariæ Magdalenæ*, quæ plus cœteris diſcipulis amoris ſigna declararat in Magiſtrum, à quo & maiora acceperat. Namq *de* illa cùm inter mortales vitam traduceret, *eiecerat* ipſe *ſeptem Dæmonia*, quibus miſerabiliter eius anima diuexabatur, & corpus non paruam per ea deſformitatem contrahebat, & ignominiam.

Surgens autem. Multis prouocatus precibus ſanctorum, quos de limbo eduxerat, & illud idem celebre ſpectaculum vehementiſſimè deſiderantibus Angelis, qui vt Satellites Ducem, & fortes Iſrael Salomonem præcedebant, ſubſequebantur, circumibant, & honorabant Sanctũ Dei Iſrael: Pſal. 7. Hinc intonabat Adam. Exurge Domine Deſiderium reſurrectionis Chriſti. Deus meus in præcepto quod mandaſti, & ſynagoga populorum circundabit te; velut paſtorem pecora quæ ab obſcuro egrediuntur ad Paſcua, vel lupis agitantur. His quidem ſimiles ſunt pij ſuperſtites, illis autem nos, qui tecum in altum regredi ſperamus. Acclamat pariter Noe, cum reliquis ſui ſæculi. Exurgat Deus, & diſſipentur inimici Pſal. 67. eius, & fugiant, qui oderũt eum à facie eius ſicut deficit fumus deficiant, ſicut fluit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie Dei, vtpotè Iudæi & Gentiles increduli, & iuſti qui te expectant, epulentur, & exultent in conſpectu Dei, & delectentur in lætitia. Quia, inquit Dauid, tunc ſatiabor Pſal 16. cùm apparuerit gloria tua; ſeu reſurrexerit ſpecies tua, corporis inquam. Ergo Pſal. 107. exurge pſalterium, & cythara conclamant filiæ Hieruſalem, quia tu gloria Hieruſalem, tu lætitia Iſrael, tu honorificentia populi noſtri. Exurge (conclamant Prophe- Pſal 43. tæ) quare obdormis Domine, exurge, & nè repellas in finem. His conſonant Angelorum declamationes: Exurge Domine Deus, Pſal. 11. exaltetur manus tua, nè obliuiſcaris pauperum. Surge Domine in requiem tuam tu & arca ſanctificationis tuæ; anima inquam, & corpus ſimul, vt videat omnis caro ſalutare Dei. Repetebant quoque perſimiles clamores apud ſemetipſos, qui verſabantur in luctu Maria mater cum ſacro fœminarum collegio, & cœtu venerando Apoſtolorum: Quoniam propter te dice- Pſal 43. bant, mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis. Quoniam humiliata eſt in puluere anima noſtra, conglutinatus eſt in terra venter noſter. Exurge Domine adiuua nos, & redime nos propter nomen tuum. Denique omnis creatura, & quæ in cælo, & quæ ſuper terram, quæ ſub terra clamabant, optabant, & nihil appetibilius ducebant, quàm videre Agnũ occiſum, in throno cum Deo ſedentem, & dignum honorem per reſurrectionẽ ſuſcipere: Quapropter annuens pijs, iuſtiſque poſtulatis reſpondet. Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum nunc exur- Pſal. 11. gam. Et vt dixit, factum eſt, & ſurgens de ſepulchro clauſo, integer ſuis apparuit cum cicatricibus, & ornamentis corporis glorioſi. Quo apparente rurſus conclamatum eſt. Afferte Domino gloriam & honorem. Adorate ſcabellum eius, quoniam Pſal 28. ſanctum eſt, ſcilicet corpus. Vndè adorantibus cunctis, quiuis cœpit ſeorsũ cantare. Iſte Deus meus, & glorificabo eum, itaque Exod. 15 ſurgens Chriſtus immortalis factus eſt primus reſurgentium, inquit S.Thom. 3. par. S Thom. quæſt. 53. Et quia glorioſus eſt exemplum totius reſurrectionis bonorum deponit Tertull. lib. de carnis reſurrectione. Quia Tertull. verò ſurrexit Deus eſt cauſa efficiens reſurrectionis omnium, ait Alex. de Aleſ. 3. Alex. p. 5. quæſt. 20.

Mane. Mane diei interpretantur poſt Variæ opiniones mediam noctem, qui hac hora volunt Chriſtum ſurrexiſſe in primo gallicinio, inter quos numerantur Hier. ad Hedib. epiſt. 150 Hieron. quæſt. 3. Dioniſ. Alex canon. ad Baſilid. Dion Alex. cap. 1. Euthym in Matth. atque alij. Quibus Euth. contradicit interpretatio germana *Mane*. Quod tàm in artificiali die, quàm naturali, & ciuili eſt diei crepuſculum, primumque diluculum id quod aduertentes illi, *Mane* coniungunt ſequentibus non præcedentibus

Verior ſententia. Ignatius.

bus verbis. Verùm coniungi prioribus verbis potius non tàm punctuatio, quam Ignatius ad Trallianos ſcribens epiſt. 5. perſuadet: ait enim illuceſcente Dominico die reſurrexit ex mortuis iuxtà id quod dixerat. Sicut Ionas fuit in ventre cæti tres dies, & tres noctes, conſonantque tùm lectioni, tùm ſententiæ. Auguſt. in Pſal. 58. & lib. 4. de Trinit. Ac tota Romana Eccleſia, dùm cantat hymnum Aurora lucis rutilat. Cælum laudibus intonat. Mundus exultans iubilat, gemens infernus vlulat; cum Rex ille fortiſſimus, mortis confractis viribus, pede conculcans tartara, ſoluit à pœna miſeros. Ille qui clauſus lapide, cuſtoditur ſub milite, triumphans pompa nobili. Victor ſurgit de funere. His concordant oracula, quæ videntur ad myſterium alludere, vt ſurgam diluculo; ad veſperum commorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Si ſumpſero pennas meas diluculo; quaſi diluculum præparatus eſt egreſſus eius, & ſimiles; necnon figuræ quæ facto applicari ſolent, idem inſinuant: Moyſes enim diluculo ſtetit coram Pharaone; Ezechias quoque Rex ſurgens diluculo adunauit omnes Principes, & aſcendit in domum Domini. Atque his ſimilibus perſuadetur reſurrectionem Chriſti factam diluculo. Sunt tamen alij, qui omninò incertam volunt horam, vt Theophylactus in Mar. Non inquit ſurrexit *mane*. Quis enim vidit, quando ſurrexit? Sed apparuit *mane* Dominica die, quæ eſt prima ſabbathi; neque enim ſacri Euangelij ſcriptores (proſequitur Greg. Nazianz. de reſurr. oratione 2.) vel veſpere ſabbathorum, vel maiori parte noctis præterita, vel diluculo rurſus, vel poſt Solis radij emerſum reſurrexiſſe Dominum dixerunt, liberum eſt ergo opinari.

Aug. *Eccleſ Rom.* *Hymnus Paſch.* Pſal. 56. Pſal. 29. Pſal. 138 *Oſea.* 6 *Exod* 8. 2. *Par.* 29 *Theoph.* *Nazianz.*

Prima ſabbathi. Si *prima ſabbathi* die, quæ eſt poſt *ſabbathum* magnum, ſurrexit Dominus, profectò conſtat impletum quod idem prædixerat. Et tertia die reſurget, ſoluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Nam Chriſtus obijt in die paraſceue, quæ eſt ante ſabbathum magnum, hora nona. Cuius diei reliquum per ſynecdochem pro die computatur, ſecunda eſt *ſabbathum* magnum; tertia per eandem figuram eſt initium primæ *ſabbathi* quod eſt, vel diluculum, vel etiam gallicinium his, qui à media nocte diem ordiuntur. Noctes quoque tres ſic annumerari oportet; vt primò ſit paraſceue integra, ſecunda ſabbathi magni media, & aliquid primæ *ſabbathi*. Sepultus ergo ſexta *ſabbathi*, quæ vocatur paraſceue (inquit Gloſſa ex Hieron. Beda, Auguſt. & alijs, circa veſperum ſequenti nocte, & die *ſabbathi*, cum ſequenti nocte in monumento poſitus die tertia, ideſt, primo mane *prima ſabbathi* ſurrexit. Et benè vna die, & duobus noctibus in ſepulchro iacuit, quia lucē ſuæ ſimplæ mortis noſtræ duplæ mortis tenebris adiunxit. In morte enim animæ, & ſpiritus tenebrarum. Vnde ad nos ſuam; ideſt, carnis mortem attulit, & duas noſtras ſoluit. Simplam ſuam duplæ noſtræ contulit, & duplam noſtram moriens abſtulit. Aduertenda eſt hic opinio Pauli Midelb. lib. 1. ſuæ paulinæ cap. 2. & lib. 2. cap. 2. videlicet Chriſtum tribus diebus, & totidem integris noctibus manſiſſe in ſepulchro. Vndè quot errores ſequantur facilè colligi poteſt, vt & Ioann. lucidius lib. de vero die paſſionis Chriſti cap. 9 oſtendit, videlicet, Chriſtum non fuiſſe mortuum in die paraſceue, nec mane primæ ſabbathi, quæ eſt Dominica dies reſurrexiſſe, contra totam Eccleſiæ œconomiam, & veritatem patrum, qui ab Ignatio, & alijs oculatis teſtibus didicere per ſynecdochem tàm dies, quàm noctes tres ſepulturæ Chriſti annumerare.

Marc 9. *Ioann.* 2. *Gloſſ.* *Hier.* *Beda* *Auguſt.* *Error Pauli Medelb.* *Ioann. Luc.*

Apparuit primò Magdalena. Videlicet in hortolani effigie, dùm enim non inueniſſet corpus in ſepulchro, anxia cœpit foris deflerè abſentiam dilecti; tunc igitur flenti apparuit Chriſtus, dicens illi: Mulier quid ploras? Ad quem illa, tulerunt Dominum meum, & neſcio vbi poſuerunt eum. Proſpecta igitur pietate fœminæ nomine proprio ac ſolito eam appellans Maria ſeipſum detegit diſcipulæ. Itaque quando aliæ fœminæ perterritæ recurrunt ad Apoſtolos nunciare vacuum eſſe ſepulchrum, ibidemque proſpici, & audiri Angelos Maria Magdalena conſtans, lachrymans, & præ cœteris amans, meruit prima inter mulieres Chriſti diſcipulas videre ſuſcitatum magiſtrum, vt Petrus inter viros, quemadmodum Ambroſ. lib. 10. in Luc. cap. 24. deponit. Verùm antè omnes matri apparuiſſe Epiphanius contra Hæreſim, & libellum Ætij Actor. 1. teſtatur etiam ab alijs, quorum nulla à noſtris Euangeliſtis, fit mentio, viſum eadem die fuiſſe, nonnulli ſcripſere. Hier. enim de ſcriptor. Eccl. in Iacob. cap. 2. refert ex Euangelio ſecundùm Nazareos apparuiſſe Iacobo. Ioſepho autē ab Arimatia Gregor. Turonenſis lib. 1. hiſtor. cap. 21. Nec tamen credere nos monet pietas, ſcriptura autem primatum hac in parte tribuit *Magdalenæ*, vt inde ad dignitatem, & amplitudinem pœnitentiæ conſiderandam penitus ſubleuemur, vt quæ non ſolū amicitiā cū Deo integret, ſed familiaritatē generet. Vndè qui peccator quando dixit poſt pœnitentiā. Bonum mihi lex oris tui ſuper millia auri, & argenti. Et quæ lex oris Dei? Pœnitentia. Hanc quidem expreſſit dicens. Conuertimini ad me, & ego cōuertar ad vos. Pœnitentiam agite, & appropinquabit Regnum cælorū, & ſimilibus verbis,

Ambr. Chriſtus primum apparuit matri. *Epiph.* *Hieron.* *Greg. Tur.* *Pſal.* 113 *Zach.* *Matth.* 3

tùm

tùm in veteri, tùm in nono inſtrumento promulgatam legimus, & completam à veris ſapientibus; non ſolùm vt bonam, ſed vt bonum abſolutè, & ſimpliciter neceſſariũ his, qui in carne viuunt, & de profundo peccati volunt ſurgere, demumq. ad ſtatum Iacob, qui vidit ſcalam, quæ ad cælum tendebat, ad dignitatem Moyſi venire, qui loquebatur cum Deo; & obtinere fortitudinem Gedeon, qui non ſolùm meruit videre Dominum, ſed ab eo vellus nunc roratum, nunc à rore liberũ area irrorata, in ſignum roboris, & victoriæ accipere. Hoc eſt, Chriſtum paſſum à cincinno capitis, vſque ad talos rore tribulationis plenum, & eundem ab his liberum iam contemplans, ſuſcitatũ; hæc ſunt pænitentiæ dona, hiſque Magdalena pœnitens primò perfruitur, vt cuius priuilegia celebramus, & admiramur facta, & pœnitudines imitemur, ſi fortè & nobis apparere reſurrectio noſtra Chriſtus dignabitur.

Neceſſitas & fructus pœnitentiæ. *Gen 28. Exod 19* *Iud. 6.*

De qua eiecerat ſeptem Dæmonia. Mirari ſatis nequeo poſt ſummum honorem Magdalenæ collatum fieri mentionem ignominiæ extremæ, qua olim paſſa fuerat, ſiel obſeſſa, vt litera ſonat, vel tentata, vt ſancti exponunt dæmoniorum vitijs: Verum enimvero idipſum, & in eiuſdem cedere honorem, & in magnificentiam myſterij reſurrectionis idipſum conducere paucis aperiamus δαίμων quidem ſapiens, ac ſciens interpretatur ἀπὸ τοῦ δαῆν quod eſt ſcire, & ſapere. Nam intellectualis ſubſtantia Angeli viribus naturæ eſt aptiſſima cunctis ſcientijs, & ad omnem ſapientiam capaciſſima, nullique inferior, imò verò ſuperior hac in parte omnibus hominibus. Adeo vt Porphyrius (auctore Theodoreto lib. 3. de dijs & Angelis) Dæmones eos vocet, quos Homerus Deos, illoſque ingenitos fecit Marcion, Cerdo, & Manichæi apud eundem Theodor. lib. 5. de diuin. decretis ſubiectos vni Diabolo, quem Plato lib. 10. de legibus (vt ſcribit Clem. Alexandr. ſtomat. lib. 5.) animam maleficam fingit. Huius tamen maleficium, ac cæterorum malas artes, atque ſcientias lux vera, & ſapientia clara, quæ nunquam marceſſit, veniens in corpore, & ſuſcitans ad nouam vitam diſſoluit, deſtruxit, perdidit, & euertit. Ac propterea ſapienter poſt reſurrectionis memoriam, fit mentio expulſionis dæmonum; ac ſi diceret Sol apparuit; ergo tenebræ diſſoluuntur, vera ſapientia claruit; ergo falſa profugit, veritas ſeipſam manifeſtauit; corruit ergo mendacium. Quod ſi corruerunt dæmones, non item ingeniti vti Theodoretus eo loci demonſtrat, ſi quoq. eiecti ſunt Dæmones, per Chriſtum, tùm maximè ſuſcitatum ironicos neceſſe eſt ſic eos appellari, vt qui ignari potius, quàm ſcientes, & ſtulti magis, quàm ſapientes ſint prolapſi à Deo, & ſtatu quem primitus inter aſtra cæli, ab auctore conſequuti fuerant. Non enim ſcientiæ ſplendor Chriſtus, ſcientem abigit; ſed perficit, ſapientem non perdit, ſed exaltat; neque veritas veritati aduerſatur, ſed clarificat. Eijci ergo per Chriſtum Dæmonia, ſignum eſt, ea nihil niſi ironicos ſic appellari: eſſe autem mendoſa, & mala apertè conuincit, hoſtes hominum fieri, inſidiari animabus, ad maleficia eaſdem inducere, & inimicitias cum Deo exercere; præſertim aufugere eius nomine inuocato, nec ſtare antè pedes eius. Itaque apparuit Chriſtus primò Magdalenæ, de qua eiecerat ſeptem dæmonia, vt per lucem veram, quæ in reſurrectione illuxit orbi terræ, ſciamus tenebras Dæmonum propelli. Quia reſurrectionem propter iuſtificationem noſtram, quam dæmonum obſcuritas, fraus, atque malitia tulerat. Celebrat ergo myſterium appendix iſta, *de qua eiecerat ſeptem dæmonia*, & magnificat Magdalenam, quod verum reſurrectionis fructum, vtpotè animi iuſtificationem accepiſſe demonſtret.

Porph. Theod. *Plato Clem. Alex.* *Theodor.* Infirmitas Dæmonum.

Septem dæmonia eiecta dicuntur, hoc eſt, multa, inquit Theophylactus, ſolet enim ſcriptura ſeptenarium numerum pro multitudine accipere: vt quod ſterilis peperit ſeptem. Vndè non tàm Euripides apud Clem. Stromat. lib. 6. Dæmonum multas ſpecies dixit, quam vnus eorum Iacobo (cuius hiſtoriam Theodoretus deſcribit) palam cònfeſſus eſt dicens: Dæmonum multitudinem per totum terrarum orbem eſſe diſperſam, qui ſtudent ſimul totam perdere humanam naturam. Et quid? nonne legionem in vno ſolo obſeſſo legimus fuiſſe? Tota igitur legio, & innumerum penè legionum multitudinis ſeptenario includuntur numero, tùm quod ſeptem plagas permittente Deo inducant, tùm quod ad ſeptem capitalia vitia conentur vniuerſos protrahere, & ijs quempiam inficere, infectumque poſſidere. Vndè ab ijſdem liber, dicitur à Dæmonibus liberatus; qua libertate Magdalenam à Chriſto datam credimus, nam quid ſeptem dæmonia (inquit Gregorius) niſi vniuerſa vitia ſignificant, vel ſeptem Dæmonia, ait Theophylactus, quæ contraria ſunt ſeptem ſpiritibus virtutis, vt ſpiritus præſumptionis, hoc eſt, abiecti timoris; ſpiritus ruditatis, ſpiritus mendacij, & alij quotquot ſunt contrarij doni ſpiritus. Hinc demum colligito neminem dignum reſurrectione Chriſti, neque eius ſuauis aſpectus niſi liberum à dæmonibus, & ſpiritibus malis, qui horridum faciunt habitaculum, nè ſubintret lux vera, neque columba ſpecioſa requieſcat. Ergo præcare. Fiat cor meũ immaculatum in iuſtificationibus tuis, vt non confundar, ab his, qui appropinquant mihi, & accipe-

Theoph. *Clem.* *Theodor.* Variæ dæmonum ſpecies *Marc 5. Luc 8* *Greg. Theoph.*

Pſal 30.

re animam meam conſiliari ſunt; ſicque lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis Chriſtus, quem ſuſcitaſti, vt luceat omnibus, qui in domo ſunt; & illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Quia Deus Dominus, & illuxit nobis, vel iuxtà Hebræum ויאר לנו Vaier lanu, apparuit nobis, vt enim Sol apparens illuſtrat, & Chriſtus ad mundum veniens, & exurgens de ſepulchro illuminat, quia per eſſentiam lux vera, & claritas, quam nullæ tenebræ valent obfuſcare, niſi peccata Dæmonum, quæ regnant in corpore maleuolo, & corde maculato. Ergo hoc cuſtodito mundum, & poſtulato ſeruari viridum, vt Dei ac Domini, qui apparuit claris illuſtrationibus perfruaris, & potiaris vſque ad perfectum diem, quem Deus ſanctis præparauit in cælis.

Matth. 5.
Ioann. 1.
Pſal 117

CAPVT DECIMVM.

Illa vadens, nunciauit his, qui cum eo fuerant, lugentibus, & flentibus.

Expoſitio.

TVm gaudio, tum iuſſione magiſtri impulſa Magdalena non diſtulit reſurrectionem nunciare; ſed properè *vadens* Hieroſolymam, *nunciauit* ſigillatim *his*, *qui* multis diebus *cum* Chriſto *fuerant*, dixitq. & *lugentibus* in amaritudine animi, atque *flentibus* inconſolabiliter, qui bonum percipere de magiſtro nuncium expectabant reſurrexiſſe Dominum, incolumen videri, & glorioſum.

Illa vadens. Et præmonita, quia obediens; & amica, quia diligens multum, patrem Chriſtum, fratreſque Apoſtolos accelerat bonum deferre nuncium, eo vadit itinere quo venerat. Nam & hoc præſtat nobis reſurrectio, vt ad Deum, vnde venimus, redeamus. Vnde de ſeipſo qui exemplum reſurrectionis proponitur, ait: Exiui à patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum & vado ad patrem. Ergo qui legatus fidelis reſurrectionis Chriſti vult haberi, vadat quo venit, retromittat quæ veniens acceperat, nihil educat, quæ ſibi occurrerunt placentia; ſed contendat dimiſſis omnibus initium repetere, ac totum fieri ſpirituale, & perfectum ſicut pater, qui perfectus eſt. Hæc quidem diſciplina cuſtos ſpei, retinaculum fidei, fomes ac nutrimentum bonæ indolis, facit in Chriſto (ait Cyprian. de diſciplina, & habitu virginum) manere ſemper, ac iugiter Deo viuere, & ad promiſſa cæleſtia, & diuina præmia peruenire. Hanc & ſectari ſalubre eſt, & auerſari, ac negligere læthale.

Ioann. 16

Legatus Chriſti qualis eſſe debet

Cypr.

Nunciauit his, qui cum eo fuerant. Vtpotè Diſcipulis, & Apoſtolis; qui cum eo fuerant in miraculis perpetrandis, & erudiendis populis, vt teſtes quoque hi ipſi fierent reſurrectionis, quæ doctrinam omnem, & miraculorum potentiam claudebat. Et cur per mulierem? vt talem per reſurrectionem, cuius Chriſtus eſt ſymbolum, fore oſtendat in ſurgentibus ſexum, qualem per mulierem accepere; ſed in ætatem plenitudinis Chriſti, vt inquit Paulus, ea inquam ſtatura (ait S. Thom. additio. ad 3. p. q. 81. a. 1. & 2.) qua futuri erant in iuuentute, qui eſt terminus accretionis, ſi nullus naturæ error fuiſſet, qui Deo dante corrigetur. Hanc ſuam & poteſtatem, & liberalitatem ſcribit Tertull. lib. de reſurrect. carnis) ſatis iam in Chriſto ſpopondit, imò, & oſtendit: non tantū reſuſcitatorem carnis, verùm etiam redintegratorem. Atque adeò, & Apoſtolus. Et mortui (inquit) reſurgent incorrupti. Quomodo niſi integri qui retrò corrupti, tàm vitio valetudinis, quàm & ſenio ſepulturæ. Id quod Auguſt. in Enchir. cap. 17. 22. de Ciuit. cap. 14. & 20. Iuſtinus Mart. 2. Apolog. & oratione paranet, atque alij proſequuntur multis ſcripturæ teſtimonijs, etiam gentilium, qui tacitè & quandoque apertè idem profitebantur. Etiam Magdalena viris Apoſtolicis nunciat fidei myſterium, non vt fæmina, ſed Eccleſiæ gerens typum ſecundùm Seuerum. Nam fides Eccleſiæ prior eſt Apoſtolis; hi quidem filij illa mater, cui dictum eſt. Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij: conſtitues eos Principes ſuper omnem terram; poſtquam tamen nati fuerint filij, hoc eſt, eruditi in fide, quæ filios generat, & initiati fuerint Sacramentis Eccleſiæ, penes quam velut Theſauri reſeruantur integra, illæſa, & incorrupta filijs, qui ab Oriente, & Occidente vocantur, & per lauacrum regenerationis, & renouationis generantur in ea. Hæc locum habet quæſtio: An Eccleſia ſit maior ſenatu Epiſcoporum præſertim ſummo? ſolutionem tamen aliunde quærat lector ſi velit: conſultius tamen faciet in publico ſpectaculo eam prætirire. Ne fortè baſiliſcum ſuſcitet in Eccleſia, videaturque Ioann. Vuicleff, atque Huz euigilare. Fuit enim huiuſmodi quæſtio multorum errorum origo.

Epheſ. 4.
S. Thom.
Tertull.
Auguſt.
Iuſt. Mart.
Pſal 44.

Lugentibus, & flentibus. Quoniam emiſerant magiſtrum, vitæque auctorem, & quod cum eo mortem non obijſſent. Hic erat luctus charorum, & fletus amicorum, qui dicunt dilecto: quid enim mihi aliud eſt in cælo, aut à te quid volui ſuper terram? Fuerunt mihi lachrymæ panes die ac nocte, dùm dicitur mihi quotidiè, vbi eſt Deus tuus. Hæc recordatus ſum, & effudi in me animam meam.

Pſal. 72.
Pſal. 41.

His flentibus. Annunciatur gaudium reſurrectionis, quod in Chriſto reſurgente

quiſque

Digitized by Google

Theod. quiſque fidelium accipit. Huius enim reſurrectionem (ait Theodoretus, Dialogo tertio impatibilis.) habemus tanquam fideiuſſorem communis reſurrectionis.

CAPVT XI.

Et illi audientes quia viueret, & viſus eſſet ab ea, non crediderunt.

Expoſitio. ET ſi nihil poterat diſcipulis iucundius accidere, quàm audire magiſtrum ſuſcitatum eſſe ad vitam; *audientes* tamen illud à muliere nuſquam ſibi perſuadebant. Tùm maximè quod non ſolùm diceret, *quia viueret*, ſed quod *viſus* proprijs oculis *eſſet ab ea*, quæ nunquam ad ſecreta intima videbatur alias admiſſa. Propterea *non crediderunt ei*, tametſi affirmanti, & conteſtanti ſe teſtem oculatam.

Et illi audientes. Tametſi non paterentur ſe perſuaderi audire non recuſabant, quod in ſe lætum erat præſeferebat iocunditatem animis, atque corporibus. Quoniam his reſurrectio Chriſti immortalitatem, agilitatem, claritatem, & ſubtilitatem conciliat: illis autem abſolutam coronam, & appetitus omnis ſatietatem. Conſiderandum eſt tamen (inquit Origen. *Euſeb. Pamph.* apud Pamphil. apologiam pro Origene de reſurrectione) propter illum ſermonem Ioannis, quem in reuelatione ſua dicit: Beatus qui habet partem in reſurrectione prima, in hoc, ſecunda mors non habet poteſtatem: ne fortè diuidi omnis reſurrectionis ratio in duas partes poſſit, ideſt, in *Mors prima, & ſecunda.* eos qui ſaluandi ſunt iuſtos, & in eos, qui cruciandi ſunt, peccatores; vt ſit vna quidem bonorum quæ dicitur prima, illa verò quæ eſt miſerorum ſecunda dicatur. Fuit *Error Papiæ & aliorum.* quidem opinio olim Papiæ, & cæterorum, quos alibi annotauimus, & tandem error Cherinti, & vanitas Iudaica. Fides vnam tantùm admittit reſurrectionē corporum, quæ malis ſit triſtis, bonis autem læta, propter quam *audientes* erant Apoſtoli liberè, & auidè Chriſtum reſurrectionis cauſam iam è mortuis ſuſcitatum. Non perſuadebantur autem quod ſummè optarent.

Quia viueret. Non in anima ſolùm, ſed in corpore, quod iacebat mortuum. Nam reſurrectio eſt eius quod cecidit, hoc quidem eſt corpus cum anima abeſt. Ea igitur redeunte reſurgit, & viuit corpus. Ad hoc enim veniſſe ſe Chriſtus dicit, vti quod perijt ſaluum faciat (argumentatur Tertull. *Tertull.* lib. de reſurrect. carnis) niſi ſi & ouis illa *Luc. 15.* ſine corpore amittitur, & ſine corpore reuocatur: Nam ſi caro quoque eius cum anima (quod totum pecus eſt) humeris boni corporis aduehitur, ex vtraque vtique ſubdicta reſtituendi homines exemplum eſt: aut quàm indignum Deo, dimidium hominem redigere in ſalutem; penè minus facere cum etiam ſecularium Principum plena ſemper indulgentia vindicetur. Diabolus valentior in hominis iniuriam intelligitur totum eum elidens: Deus infirmior renunciabitur non totum eum releuans? Atqui & Apoſtolus ſuggerit, vbi *Rom. 5* delictum abundauit, illic gratiam ſuperabundaſſe. Quomodo denique ſaluus habebitur, qui poterit & perditus dici, carne ſcilicet, & anima ſaluus? His atque alijs multis impugnantur Sadducæi, & hæretici alij, qui carnem reſurrecturam negabant. *Viuit* itaque, quia caro corpuſque mortuum reuixit.

Et viſus eſt ab ea. Etiam tactus, non quando illi apparuit primò in horto, ſed ſecundò in via, quando ſimul redeuntes mulieres ſalutauit dicens: Auete. Tunc *Matth. 28.* enim ſe tangi permiſit. Verùm qui videri poſſet corpus glorioſum non parua inter ſcholaſticos diſceptatio eſt. Præpoſitiuus *Præpoſitini opinio.* enim ait ſic videri corpus glorificatum, vt & non glorificatum; niſi quod hoc non poſſit non videri, nec tangi obiectum, illud autem tantùm videri, tangiq. eum conceſſerit. Antiſiodorenſis ait corpus glorifi- *Antiſiod.* catum non videri aliter à non glorificato; quàm per immutationem factam ex parte videntis. Tertij dixerunt, vt ſcribit Alex. *Alex.* 3. par. quæſt. 22. Nulla immutatione in vidente facta corpus glorificatum videri, quia receptum per modum recipientis eſt in vidente, & recipiente, Conſule Alexandrum, & S. Thom. in addit. ad 3. par. *S. Thom. Additio.*

Non crediderunt. Scilicet mulieri indignum ferentes ei qui mortem intulerat fidem pro vita adhibenti credere. Etiam quod myſterium ne dùm mulierum, ſed & virorum mentes ſuperaret. Vnde Tertull. *Tertull.* initio lib. de carnis reſur. ait: Hoc credere veritas cogit, veritatem Deus aperit: ſed vulgus irridet exiſtimans nihil eſſe poſt mortem. Vulgum appellat exutum omni *Quidam philoſophi admittebant reſurrectionē.* ſapientia. Nam plurimi ſapientum gentilium reſurrectionem admittebant, vt Theodoretus ſermo 9. de prouidentia, probat *Theod* tàm Philoſophos, quam poetas ex pœnis & præmijs, quæ poſt hanc vitam admittebant, reſurrectionem crediciſſe. Vnde Æſopus *Aeſopus.* quæſtionem Xanti inter cœnandū motam, quando, ſcilicet, futura eſſet ingens hominum perturbatio, vt refert Max. Planudes, alijs alia reſpondentibus ſoluit dicens: cum reſurrexerint mortui repetentes quæ poſſederunt.

* * *

CAPVT

CAPVT XII.

Poſt hæc autem duobus ex his ambulantibus, oſtenſus eſt in alia effigie, euntibus in Villam.

Expoſitio. POſt hæc, quæ cum Maria Magdalena in horto ſunt acta; & cum mulieribus iter agentibus etiam die eadem *duobus* diſcipulis *ex his*, qui fælicem rerum Chriſti euentum expectabant. *His* quidem *ambulantibus*, ſecumque conſabulantibus, ſuper his, quæ acciderant, *oſtenſus eſt* Dominus *in alia effigie*, quam ſe oſtenderat mulieribus, vtpotè peregrini. In hac autem *euntibus in Villam*, quæ & caſtellum Emaus, ſui præſentiam, & conſolationem, magiſter optimus exhibuit.

Poſt hæc autem. Non quod ſimul & mulieribus, & diſcipulis proficiſcentibus, necnon quieſcentibus domi, apparere non poſſet, cum realem præſentiam pluribus, & innumeris conſecratis panibus exhibeat; *poſt hæc* tamen alia perſecit, vt internallis temporum agens, non videretur phantaſma ſuſcitatum, vt fabulati ſunt hæretici; ſed idem, qui prius in tempore operans, & in menſura hominum humanitatis ſuſcitatæ apparitiones metiens, tametſi ſuſcitato ad immortalitatem æuum eſſet menſura, ſeu æuiternum, æternum autem illius diuinitati.

Duobus ex his ambulantibus. Horum vnus erat Cleophas, alterius nomen ſupprimitur. Quod poſt Mariam Magdalenam duobus tantùm appareat, iuxtà Marcum, non vacat myſterio; *ambulantes* autem fuiſſe, quibus ſe Chriſtus oſtendit. Poſt vnam Magdalenam, duo viri aſſequuntur videre ſuſcitatum, vt ab vna charitate ad duas theologas virtutes, ſeu perfectionem earum, progreſſum fieri, & in omnibus videri Chriſtum ſuſcitatum admittamus. Charitas, quæ eſt dilecti, trahit, vt adamas dilectum. Fides, quæ eſt agnoſcentis, fit
Pſal 72. vnum cum cognito; vnde dicit: Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, & ponere in Domino Deo ſpem meam. Hæc quidem virtus tertia confidit, ſuſpiratque gemitibus inenarrabilibus: quando veniam, & apparebo ante faciem Dei. Nec confunditur; quoniam, vt in Arrha poſſidet in ſpe ſuſcitatum, quem in fide contemplatur, vt in ſpeculo, & in charitate, velut extra ſe diligit. Quod *ambulantes* ſint *duo*, quibus ſecundò apparet, præſagit fore in ſtatu perfectionis acquirendæ, qui per fidem ambulat ad Chriſtum, & per ſpem iugiter vocat Chriſtum: Semper enim augmentum in fide nos facere oportet, & nouis fulcimentis continuò ſpem roborare, ſi cupimus cum ſuſcitato lætari. Hinc ſponſa languens dixit: Fulcite me floribus, ſtipate me malis. Mala ſunt ſpei anchoræ, vtpotè Cant 2. Dei operum, quæ facit hominibus, conſideratio, necnon multiplex eius promiſſio, & ſuper omnia agnoſcere Deum veracem, qui non fallit, & ſcire bonum eſſe Deum, qui nihil magis, quàm ſeipſum communicare, deſiderat. His ſperans adeò ſtabilitur, Pſal. 124. vt confidat, quaſi leo, & iuxtà Prophetam, ſicut mons Sion. Flores dixerim fidei actus externos, vtpotè cultum Dei, atque ſanctorum, religionis obſeruantiam, pietatis cuſtodiam, & ſimilia, quibus velut fornax lignis, ſeu domus trabibus abiegnis atque cedrinis tabulatis, ita fulcitur fidelis, & ornatur hiſce virtutibus, & exercitijs externis, vt ſit velut domus, quæ ſupra firmam petram ædificatur. Sic quidem ſit in fide, & ſpe augmentum, quod qui fuerit aſſecutus videbit Dominum, & ſalua fiet anima eius.

Oſtenſus eſt. Non agilis; quia non viderunt in inſtanti moueri, non ſubtilis; quia non penetrabant intima eius; non clarus; quia non potuiſſent in eum inſpicere; Neque item immortalis; quia ſuę impaſſibilitatis ante eos experimentum non fecit. Quinimò manducãs, & bibens apud eos videbatur velle ali, nutririq. quod eſt mortalis hominis. Qui ergo *oſtenſus eſt* ad gloriam ſuſcitatus, qui nihil glorioſi corporis præſetulit oculis mortaliũ expoſitus. Eſt quidem *oſtenſus* idem, qui erat Deus, & homo, Chriſtus qui mortuus, mox ad immortaliũ vitã ſuſcitatus; non tamen viſus, niſi quomodo capaces erant mortales videre, vt qui ſidem reſurrectionis firmaret. Nam neque Angelum quis vnquam terrenorum vidit ſecundùm ſuam naturam, ſed modo conuenientiori myſterio, quod nunciabant. Vnde Tobias vidit vt iuuenem præcinctum Tob. 5 ad iter. Iacob vt tranatantem. Gedeon geſtantem Iudic. 6. virgam. Balam tenentem gladium; Num. 22. & alij aliter prout expediebat, & ſufficiebat fidem facere, quod eſſet Angelus, vereque, & decenter myſterium annunciaret. Sic & ego Chriſtum ab alijs viſum contemplor, ſe autem oſtendiſſe ſemper glorioſum. Vt quid ergo dicitur?

In alia effigie. Non quæ corpori Chriſti ineſſet, ſed intuentium oculis. Immortalis enim, & impaſſibilis non patitur tranſfigurationes, tranſmutationes, neque alterationes aliquas, ſicut nec cælum, quod peregrinas impreſſiones non ſuſcipit. Huiuſmodi mutationes ſuſcipit corruptibile elementum, & eius diſſolubile mixtum, vt oculus quod videat idem, nunc vna, nunc altera effigie, prout mens alterius conſiderationi intendit. Ita quæ in horto erat, mente voluebat hortulanum, & fortè arguebat apud ſemetipſam de furto, vndè

Impaſsibile non ſubiacet corruptioni aut alterationi.

qui

Talis apparuit Chriſtus qualis erat cōceptus diſcipulorum. Gregor.

qui primo occurrit Chriſtus, viſus eſt ei hortulanus. Hi autem, qui peregrinabantur, pertranſeuntes, imaginabantur peregrinos, inter quos ſic Chriſtum arbitrati ſunt. Itaque talem ſe exhibebat hominibus Chriſtus ſuſcitatus, ſecundùm Gregor. qualem mente conceperant, & imaginabantur eſſe.

Hieron.

Euntibus in villa. Hæc dicitur Caſtellum Emaus, diſtans ab Ieruſalem ſtadiorum ſexaginta, eiuſque indigenam fuiſſe Cleopham Hieron. de locis hebraicis deponit. Fuit olim nobile oppidum. Sed à Varrone Syriæ Præſide obcæſos Romanos milites concrematum eſt; vndè poſtea nomen accepit Nicopolis; extat & modò nobile ob fontem, qui ægris ſalutem confert, non naturali virtute, vt Ioſephus lib. 4. de bello Iudaico cap. 1. putat; ſed vt ſcribit Zozomenus lib. 5. hiſtor. cap. 20. ibi, quod ibi aliquando Chriſtus pedes abluerit. Quid cum his Chriſtus egerit Lucas refert. Quorſum verò *euntibus in villam*, cuius Cleophas erat indigena, inquiramus. Prætermiſſis aliorum ſententijs, mihi videtur factum, vt qui diſcipulus eſt Chriſti, expectans continuò redemptionem, & credens reſurrectionem nihiloducat *villam*, neque ſe iam huius, vel illius oppidi indigenam faciat, ſed Orbis colonum arbitretur, & quo eum ſors tulerit præſtoletur cum ſilentio ſalutare Dei. Quoniam vbique mandauit Deus Angelis iuſtum cuſtodiri, & ſplendor Domini Dei noſtri, ac Dominus ipſe ſuper eum eſt.

Ioſeph. Zozomen.

CAPVT XIII.

Et illi euntes nunciauerunt cæteris: nec illis crediderunt.

Expoſitio.

AMbulantibus itaque, & peragrantibus in Villam, ſe Chriſtus ſocium offert, ſed incognitum, quouſque in fractione panis agnoſci patitur. Quo facto *illi*, quibus tàm inſigne donum erat conceſſum, *euntes* illicò è caſtello, & menſa, repedarunt ad condiſcipulos, *nunciaruntque* omnibus *cæteris*, quomodo Chriſtum vidiſſent in via, & quomodo inter cœnandum cognouiſſent eum in fractione panis, ſolita ab eo fieri. Verùm illi adeò erant à facto, & myſterio alieni, vt diù, multumque titubantibus, *nec illis*, tametſi viris fide dignis, *crediderunt*, nec aſſenſum eorum dictis præbuere, ſed imaginationibus, & ludificationibus cuncta imputarunt.

Et illi euntes. Eadem hora Hieroſolymam vndè exierant, nullo accepto præcepto, vt mulieres; ſed tùm gaudio, quod exilire facit, tùm amicitia vera, quæ non nouit ſecretum abſcondere amico, & familiari, tùm maximè charitate, quæ iam ardebat in cordibus ſuis, *euntes* properarunt euulgare myſterium. His enim tribus, qui obſtrictus fuerit, relictis omnibus annunciabit hominibus veritatem; ſolicitudo eum præmet omnium Eccleſiarum, & orabit vbique ſibi oſtium ad Euangelium aperiri, vt fructum aliquem gratiæ ſpiritualis impartiatur omnibus gentibus, ſapientibus, & inſipientibus, græcis, ac barbaris; ſiquidem omnibus ſe debitorem facit charitas, amicitia, atque gaudium, quod euangelizans pacem, & habet ex his, quæ nouit, & ſperat plenum, propter opus, quod perficit. Quia repoſita eſt, inquit, mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus, in illa die, iuſtus Iudex; non ſolùm autem mihi; ſed & his, qui diligunt aduentum eius. 2. Tim. 4.

Nunciauerunt cæteris. Qui de eorum erunt conſortio, eiuſdem inſtituti ſacri, & pari mente pia præditi. Talibus prædicare præceptum Domini iucundum. Narrare abſcondita à conſtitutione mundi ſuauiſſimum, & loqui ſapientiam velut inter perfectos vtiliſſimum. Secus autem, qui mittit margaritas antè porcos. 1. Cor. 2.

Matt. 7.

Nec illis crediderunt. Scilicet aliqui eorum (notat Gloſ. interlinearis, & ordin.) notandum, quia aliqui fuerunt, qui non crediderunt. Non quod de omnipotentia Dei, cuius eſt reſurrectionis opus ambigerent, vt Gentilium Philoſophi, nec de indignitate Chriſti, vt blaſphemant Iudæi, nec quod non deceret, aut nihil referre putarent Chriſtum è mortuis excitari, vt hæretici fabulantur; ſed quod repentino gaudio in ſummis triſtitijs preſſi, eorum mētes hebetatæ fuerunt, vt non diſcurrerent, neque in memoriam reuocarent de reſurrectione Magiſtri prædicationes, quas ab eo audierant, legerantque in Prophetis. Immemores ergo oraculorum, & Scripturarum, quæ ſunt Doctorum arma, quibus à dextris, & ſiniſtris, velut gladijs ancipitibus præliantur, & velut fundamentales lapides, ſuper quos fundant Apoſtolici viri ſtructuram omnem Eccleſiaſticam non crediderunt relationi ſimplici virorum, vel mulierum. Et quidem modò relationem ſimplicem reuelationis habitæ, tametſi concernat Eccleſiæ ſtatum, non credunt facile noſtri. Qua incredulitate etſi aliquando deludantur, vt Barac (qui non credidit Deboræ) perſæpè laudantur. Quia qui citò credit leuis eſt corde.

Gloſſ. ordin. & interl.

Cauſa incredulitatis Apoſtolorū.

Iudic. 4.

Eccleſ. 19.

CAPVT

CAPVT XIV.

Nouiſſimè recumbentibus illis vndecim apparuit: Ex exprobrauit incredulitatem eorum. Et duritiam cordis: quia ijs, quę viderant eum reſurrexiſſe, non crediderunt.

Expoſitio.

Denique cum nec vni, nec duobus annuiſſent teſtibus multiſariam veritatem ſuæ reſurrectionis patefecit. *Nouiſſimè* tamen poſt quadraginta dies, cùm tempus remeandi ad patrem appropinquaſſet, *recumbentibus illis vndecim apparuit* Dominus Ieſus ad vitam ſuſcitatus, integro corpore, & cicatricibus ad decorem retentis; ſuique copiam fecit, vt inſpectores facti, & certiores, idoneum ferrent teſtimonium cæteris, ad quos mittendi erant. *Primùm* tamen *exprobrauit* aſperrimè *incredulitatem*, quæ in eorum animis verſari viſa eſt, & duritiam cordis, multum ab Apoſtolicis viris, & Euangelicis aliena; *Quia ijs*, quos ad eos deſtinauerat, & *qua* certò *viderant eum* ipſum *reſurrexiſſe* à mortuis, *non crediderant*, non abſque iniuria tùm legatorum, qui erant digni fide, tùm legationis, quæ Sole ipſo lucidior erat ex oraculis, tùm quia ſecundùm legem duo, vel tres teſtimonium ferunt, certumq. de veritate omni faciunt.

Nouiſſimè autem. Hoc eſt, vltimatè, poſtquam terræmotu omnium animos excitaſſet, velut reſurrectionis prænuntio; Angelos deſtinaſſet, qui certò eum viuere annunciarent, nonnulloſque tùm virorum, tùm mulierum prælegiſſet oculatos teſtes, qui cæteris fidem facerent. *Nouiſſimè*, cunctis à Deo præordinatis inſimul apparere ſtatuit, vt in receſſu ad patrem videretur eundem ſeruaſſe modum, quo in aduentu ad mundum vſus fuerat. Venturus enim ad nos prodigijs primùm quaſi terræmotibus indicauit, idipſum fecit multis hinc inde demandatis Angelis, qui ad Abraham, Iſaac, Iacob, Moyſen loquerentur, annunciarentque Chriſtum; his adiecit Prophetas, & prophetiſſas, quæ tàm Hebræis, quàm Gentilibus prædicerent adeſſe Deum, & Redemptorem. *Nouiſſimè* in terris viſus eſt ipſe, & cum hominibus conuerſatus eſt, & non tàm hominem ſanctum, quàm Deum omnipotentem ſe declarauit ſermone, & opere; tùm maximè in morte vtroque argumentorum genere vſus eſt, vt & modò abiens verbo ſimul, & mirabili opere ſe ad vitam glorioſam ſuſcitatum oſtendit. Denique in nouiſſimo temporum præteritorum meliora, & potiora effecit, vt expectemus adhuc admirabiliora in nouiſſimo, quod ſequitur temporis, vtpotè in iudicio.

Prænuntij Chriſti.

Baruch. 3.

Recumbentibus illis vndecim apparuit. Apparitio iſta non eſt, quam in Galilæa promiſerat ſe illis exhibiturum; quando enim Dominus apparuerit diſcipulis in Galilæa, non ſatis ex Euangeliſtis conſtat. Præſentem verò fuiſſe poſtremam, quando aſſumptus eſt in cælum, narratio ſequens demonſtrat. Nec obſtat referri hic vndecim, cum Act. 1. plures videantur annotari; præſertim apud Paulum qui dixit: Deinde viſus eſt pluſquam quingentis fratribus ſimul. Etſi enim multi adeſſent ſoli *vndecim* connumerantur, quòd electi eſſent teſtes myſteriorum Chriſti, & Orbis Epiſcopi, ad quos ſpectabat auctoritas, quæ conſequenter proponitur. *Apparet* autem *recumbentibus* ad cibum, vt reſurrectionis ſupremum fructum, qui eſt per eam plenè requieſcere, & cibis depaſci cæleſtibus, inſinuaret abiens. Non ergo mundi huius voluptuoſum quid, nec oportet (inquit Baſil. moralium ſum. 68. cap. 1.) proprietates huius ſæculi poſt reſurrectionem expectare, ſed Angelicam, & nullius rei indigam vitam in futuro ſæculo noſſe. Filij, inquit Chriſtus, huius ſæculi, ducunt vxores, & nuptum elocantur. Illi vero, qui illo ſæculo digni habebuntur, & reſurrectione ex mortuis, neque ducunt vxores, neque nuptum elocantur. Neque enim mori amplius poſſunt. Æquales enim Angelis ſunt, & filij ſunt Dei, quum ſint filij reſurrectionis, quos ad præſtantiora ſurrecturos probat Pauli teſtimonio ſæpè citato. Sed dicet aliquis, quomodo reſurgunt mortui, &c. Itaque *recumbentibus* ad cibum carnis, ſuſcitatus apparet Chriſtus, vt ad verum recubitum, & fercula lautiora, & ſupremi ordinis cibos, ſuorum mentes ſubleuet, vtpotè Angelorum, vtpotè Dei, qui ſolis ſpiritualibus, & incomprehenſibilibus mortali delectatur, ijſdemque facit participes, quos vocat, diſcumbereq. facit ſuper menſam ſuam in regno ſuo.

Act. 1.

1. Cor. 5.

Cur numerentur ſoli vndecim.

Baſil.

Status reſurgentium.

Et exprobrauit incredulitatem eorum. Non præſentem, quum omnes crederent, ſed præteritam, quando neque Magdalenæ, neque mulieribus reliquis voluerunt vndecim credere, neque teſtimonium virorum, qui Emaus ad eos redierant admiſerunt; tùm maximè Thomam de incredulitate redarguit, quod neque collegis ſimul enarrantibus aſſenſum præbuerit. Vitium enim incredulitatis, quod ſit proximum contemptui diuinorum oraculorum, etiam hæreſis, tàm horrendũ eſt, vt dimiſſum mereatur exprobrationẽ, & pro eo reprehenſione dignus ſit homo, quamdiù vitæ eſt comes. Non quod dimiſſum nõ credatur habita pœnitentia, ſed quod facilè rediuiuat, vt hedera, & gramen niſi ſæpius aqua calida lachry-

Incredulitas graue peccatum.

lachrymarum irrigetur, & diris execrationibus, vt falcibus eradicet, & increpetur: Præſertim quando increduli vera narrantibus bonum amiſimus, & ijs, qui ſanam doctrinam tradunt, non ſetientes, in errorem, hæreſimuè, aut apoſtaſiam, quod Deus auertat, homo incidit. Tùm etiam reconciliatus Eccleſiæ iugiter dicat: Peccatum meum contra me eſt ſemper, quis dabit oculis meis fontem lachrymarum. Deus nè elongeris à me, Deus meus in auxilium meum reſpice. Et ſimilibus conetur timorem in ſeipſo generare, & excitare animum ad confidentiam ſolius Dei, qui ſolus poteſt ſaluare, & ſaluum, atque incolumem cuſtodire.

Pſal. 50.
Ier 9.
Pſal. 70.

Quid ſit cordis duritia.

Et duritiam cordis. Incredulitas eſt mentis, quæ non aſſentitur vero, duritia cordis eſt affectus, qui diuertit ſe à bono, hæretq. malo, cuius malitia induratur animus, vt omnem exuat pietatem, quam Deo, qui illum condidit, ſibi quo nihil proximius, & fratri, qui eſt ſibi ſimilis, debet iure naturæ, & lege omni. Aditum tàm peſtiferæ duritiæ aperit incredulitas, vt cæcitas homini lapſum in foueam, & profundum. Ideò incredulitatem primò Chriſtus inuexit, poſt contra duritiam armatur. Meretur quidem, & iſta peculiariter reprehendi; quod cor volens peccet: Niſi enim conſentiret mens perperam dictans nihil efficeret.

Error Euthichij refutatus à Gregorio.

Quia his, qui viderant eum reſurrexiſſe non crediderunt. Incredulitatem Chriſtus redarguit ab oculatis teſtibus, vt iiſdē quoque. Euthichium Patriarcham Conſtantinopolitanum, qui reſurrecturos fore inuiſibiles affirmabat, facilè conuinceret, vt & fecit Gregorius, qui miſſus Conſtantinopolim legatus coram Imperatore Tiberio Conſtantino conuicit de hæreſi, eamque abiurare compulit, ac demum confiteri veram carnis noſtræ reſurrectionem, ac dicere cum Iob: Scio enim quod Redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra reſurrecturus ſum. Et rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum. Quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius. Repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.

Iob 19.

CAPVT XV.

Et dixit eis euntes in mundum vniuerſum prędicate Euangelium omni creatura.

Expoſitio.

1. Tim. 2.

ET ita cùm multis ſermonibus cunctorum animos confirmaſſet, effeciſſetque fideles, & feruidos in omni profeſſione fidei, *dixit eis* Princeps Paſtorum, qui omnes vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, Orbemque terrarum, omnemq. infidelitatem ſcabellum pedum ſuorum fieri: *Euntes*, inquit prope diem *in mundum* totum, & *vniuerſum* mortalium cœtum, conuentumque, atque populum adite, & *prædicate* fideliter *Euangelium*, quod à me accepiſtis, ac *omni creaturæ* veritatem, quæ hactenus deſtituit, publicate, vt qui in tenebris ſunt videant, quod bonum eſt, & dilucidum complectantur propulſata errorum caligine, quę tādiù apud homines præualuit.

Et dixit eis. Hoc eſt, præcepit non enim ſub conſilio committitur prædicatio Apoſtolis; ſed ſub præcepto tradit iuxtà illud: Mandatum accepi à patre, quod & tradidi vobis; ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi pater meus Regnum. Regnum, vocat Eccleſiam, quam & acquiſiuit ſanguine ſuo in arcu, & lancea tulit de manu Amorrhæi; & prædicans præceptum patris ſibi impoſitum pulchram reddidit, & abſque ruga. In hunc mundum diſponit Chriſtus Petro vniuerſam Eccleſiam, & particularem priuato Epiſcopo, vt vſque ad ſanguinem pugnet pro acquirenda anima, nullum recuſet periculum, pro illius ſalute, & eam conuertat ad Dominum, atque perficiat, præceptum prædicationis ſedulò impleat. Vnde in Concil. Carthag. 4. cap. 20. dicitur: Epiſcopus nullam rei familiaris curam ad ſe reuocet, ſed lectioni, & orationi, verbi Dei prædicationi, tantummodo vacet.

Ioan 10.
Luc 22.
Act 20.
Gen 48.
Epheſ. 5.
Cōc Carth.

Euntes in mundum vniuerſum. Vt qui totus ſit Dei, cuius primam veritatem annunciabitis; totus ſit hominis, cuius verum finem proponetis; totus repleatur abominandis idolis, quorum cultum ſubuertetis; totus infectus ſit peccatis, quorum ſpurcitiam depelletis; totus deformetur bellis, quæ vos reformabitis pace; ac totus ruinæ ſit proximius, cuius veram reſtaurationem, & commutationem in melius annunciabitis. His enim non ſolùm homines lætati ſunt, prædicantibus Apoſtolis, verùm, & mundi materialis partes, gaudij ſpecimen præbuere quandoquidem veritati, & legationi Apoſtolicæ iuſſis Apoſtolorum parendo tàm frequenti, & inuſitato miraculo fidem facere.

Prædicate Euangelium. Hoc (inquit Tertullianus lib. de Monogomia) eſt lex Chriſtianorum. Et ſecundùm Cyrillum lib. de recta in Chriſtum fide, eſt fides in Chriſtum. Quare prædicari Euangelium per Orbem totum, eſt Chriſtianorum legem publicari, & fidem. Quid, inquā, qui eſſe volunt Chriſti obſeruare debeant, & operari; quid & eos credere oporteat. Vtrumque oretenus acceperunt Apoſtoli à Chriſto, nos verò ab Apoſtolis non æquè: Nam & credibilium, & operabilium quædam per Scripturas, & alia per traditionem ad nos deuenerunt ab Apoſtolis, vſque ad hæc tempora.

Tertull.
Cyrill.

Omni

Digitized by Google

Lyran.

Omni creatura. Hoc eſt omni homini (exponit Lyra) qui habet conuenientiã cum omni creatura, per eſſe enim, conuenit, cum inanimatis; per viuere, cum vegetabilibus; & plantis; per ſentire cum animalibus; per intelligere cum Angelis. Vndè appellari eſt ſolitus microcoſmus, hoc eſt, minor mũdus. Verùm etſi *omnis creatura* dicatur homo, non ſic hoc loco capi ratio ſuadet. Namque ſic vni tantùm prædicaſſe Euangelium, eſſet præceptum adimplere. At inquit Apoſtolus prædicator: omnibus debitor ſum propter ſpẽ, quæ repoſita eſt in vobis in cælis (ſcribit ad Coloſ.) quam audiſtis in verbo veritatis Euangelij præſentis, quod peruenit ad vos, ſicut & in vniuerſo mundo eſt, & fructificat, & creſcit. Vbi Theodoret. Euangelij fructum vocauit, eorum, qui audierunt fidem, & laudabilem vitæ inſtitutionem. Incrementum autem credentium multitudinẽ. Quapropter præcipiens Chriſtus Euangelium *omni creaturæ* prædicari, erat dicere, vt ab vno ad alium, inde ad familiam, à familia ad vicum, quouſque populum, gentem, nationem, ac denique omnem linguam iugo fidei, ac legis ſubiugaſſent, pergerent prædicando, & conuerſioni vniuerſorum, & ſingularium intenderent.

Rom. 1.
Coloſſ. 1.
Theodoret.

CAPVT XVI.

Qui crediderit, & baptizatus fuerit ſaluus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur.

Expoſitio.

NEceſſe eſt enim vos ſedulos fieri Euãgelij præcones, Orbique toti oportet eius veritatem annunciari, ne tota gens pereat, ſed ſaluentur electi, & veri fideles. Siquidem tantùm, *qui* veſtræ prædicationi aurem præbens animo *crediderit* firmiter, quæ ſibi proponentur, & inſuper in ſignaculum fidei perfectum, *baptizatus fuerit* profitens conceptam fidem hic *ſaluus erit*, ſi à promiſſis non deſtiterit, ſed in fine vſq; fidelis, & conſtans perſtiterit. *Qui verò*, vel auditis non aſſenſerit, vel ab aſcenſis, & creditis retrocedens *non crediderit, condemnabitur*, haud ſecus quàm ille, qui prædicantẽ non habuit, neque quod in ſe eſt fecit, vt addiſceret diſciplinam vitæ, rationiſque doctrinam integram veritatis, quæ vobis mox annuncianda demandatur.

Qui crediderit. Nõ hoc aut illud, vel quod oraculis conſtat, aut quod rationi humanæ conſonat, ſed *qui crediderit*, inquit, omne credibile, quod ſcilicet per Euangelium innoteſcit, prædicatur à vobis, qui Orbis curam ſuſcepiſtis, etiamſi rationi videatur aduerſum. Quia qui vos audit me audit. Proinde (Chryſoſt. ho. 83. in Matt. & ad Pop; Antioch. ſexageſima per orat;) credamus vbique Deo, nec repugnemus ei, etiam ſi ſenſui, & cogitationi noſtræ abſurdum eſſe videatur quod dicit; ſuperet ſenſum, & rationem noſtram fermè ipſius; quod in omnibus, præcipuè in myſterijs, faciamus.

Luc 10.
Chryſoſt.

Et baptizatus fuerit. Vt enim Circumciſio erat olim ſignaculum fidei, ita modò baptiſmus. In illo enim fidẽ profitemur credentes in Chriſtũ, & totam fidei efficaciam, quæ in paſſione, morte, & ſepultura, & reſurrectione Chriſti conſiſtit ablutione illa baptiſmali, & immerſione vna, vel trina iuxta ritum cuiuſq; Eccleſiæ demonſtramus. Vnde Clemens lib. 7. Conſt. Apoſt. cap. 17. baptiſmus datur in memoriã filij Dei, aqua adhibetur pro ſepultura, oleum pro Spiritu ſancto, ſigillum Crucis pro Cruce, chriſma confirmatio confeſſionis eſt, fit patris commemoratio tanquã cauſæ, & emiſſoris; ſpiritus coaſſumptio, vt teſtis; mergi commori eſt, emergere conſuſcitari: Pater Deus eſt ſuper omnia, Chriſtus vnigenitus Deus, ideq; dilectus filius, & gloriæ Dominus: Spiritus ſanctus paraclitus eſt, qui à Chriſto mittitur, & de quo Chriſtus docet, & qui ipſum Chriſtum prædicat: Propterea baptizatur fidelis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, hoc eſt, in merito, & potentia Chriſti, qui eſt idem patri, & quia filius Patri conſubſtantialis, idem Spiritui ſancto, quẽ cum patre vnica voluntate ſpirat, atq; producit. Vt ergo Deus, & Dominus, atque vna fides, ita vnum baptiſma.

Rom. 6.
Clement.
Ritus baptiſmi declarãtur.

Saluus erit. Scilicet per fidem, quæ iuſtificat, & per baptiſmum, quo peccata omnia remittuntur. Subinde Damaſc. lib. 4. orthod. fid. c. 10. Peccatorũ remiſſio omnibus æquè per baptiſmũ donata eſt, gratia verò Spiritus ſancti ſecundũ proportionẽ fidei, & puritatis. Propterea Baſil. (in exhortatio. ad Bap. quæ eſt 13. inter hom. variorum argumentorum) dixit: Baptiſmus eſt captiuorum, & æris alieni remiſſio, peccati mors, animæ regeneratio, amictus ſplendens, character indeprehẽſibilis, cæli iter, regni cæleſtis cõciliatio, adoptionis gratia. His addit plurima epithota Greg. Nazian. orat. in S. Bap.

Damaſc.
Baſil.
Nazianz.

Qui verò non crediderit. Non credens eſt omnis infidelis; negatiuus, qui fidem nunquam admiſit, quod neſciuit, vt paruulus, & ignorans, vel fidem abominatur, vt ſectatur paganiſmi. Poſitiuus infidelis, eſt hæreticus, qui hæreſim inter ſymbola fidei, vt falſum inter vera ponit. De his omnibus ſubditur.

Duplex infidelitas.

Condemnabitur. Iuxtà ſtatutũ: Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto non poteſt introire in Regnum Dei. Nec puteris (ſcribit Clemens epiſt. 4. ad Iulium, & Iulianum) quod etſi omnẽ pietatem colatis, omnemque iuſtitiam, baptiſmum verò non accipiatis, ſpem poſſitis habere apud Deum, immò maiori pœna digni eritis, qui bona

Ioan. 3.
Clement.

opera

Digitized by Google

opera non bene operati eſtis. Confertur enim meritū homini ex bonis geſtis; ſed ſi ita generātur ſicut Deus iubet. Deus autem iuſſit omnem colentem ſe baptiſmo conſignari. Propter hanc enim regulam ſidei (diffinit Concil. Milenit.) etiam paruuli, qui nihil peccatorum in ſemetipſis adhuc committere potuerunt, ideo in peccatorum remiſſionem veraciter baptizantur, vt in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt, ſed pro paruulo obijcit Secundinus ſolitarius Gregor. Papæ P. Si corpus originali tenetur culpa, vndè anima quæ à Deo datur rea erit, quæ adhuc in actuali delicto corpori non conſenſit? Ad quem Gregor. grauis eſt quæſtio, nec valet ab homine comprehendi: quia ſi de Adam ſubſtantia, anima cū carne naſcitur, cur non etiam cum carne moritur? Si verò cum carne non naſcitur, cur in carne, quæ de Adā prolata eſt, obligata peccatis tenetur? Sed cùm hoc ſit incertum, illud incertum non eſt, quia niſi ſacri baptiſmatis gratia fuerit renatus homo, omnis anima originalis peccati vinculis eſt obſtricta. Hinc enim ſcriptum eſt: Non eſt mundus in conſpectu eius, nec vnius diei infans ſuper terram. Idipſum, quod certum eſt, multis alijs probat, quod verò incertum dixerat de origine animæ indeciſum reliquit, quod ſuo tempore non eſſet ab Eccleſia deſiuitum, animam rationalem non per generationem, ſed per creationem eſſe, vt fides orthodoxa mox credit. Quare inquit Bernard. epiſt. 240. ad Hidelfunſum Comitem paruulis Chriſtianorum Chriſti intercluditur vita, dum baptiſmi negatur gratia. Eſt itaque baptiſma cunctis neceſſarius, abſquequo nemo ſaluatur, ſed condemnatur.

Conc. Mil. — Baptizantur omnes in remiſsione peccatorum — Greg. — Quæſtio difficilis — Bernard.

CAPVT XVII.

Signa autem eos, qui crediderint hęc ſequentur: In nomine meo Dæmonia eijcient: linguis loquentur nouis.

Expoſitio. ERgo vt & vos ſitis in peragendo verbi myſterio ſolicitiores, magiſque frugiferi, & alij feruentius vobis hæreant, ſequantur quæ veſtram doctrinam, fidem teneant, & baptiſmo initientur. Tàm vobis, quàm cœteris fidelibus auctoritatem, quæ ſit vniuerſis ſtupori polliceor, vtpotè miraculoſam. Nam *ſigna* admiranda *eos, qui* ſermonibus veſtris, ac veris credibilibus *crediderint, hæc, quæ* mox recenſebo *ſequentur*. Primum enim *in nomine meo*, quod eſt mirabile in vniuerſa terra, & formidabile malis, *dæmonia*, ad malum à ſuo caſu prona, *ejcient* ab energumenis, & cœteris, qui aliquam ab eis tentationem patientur. Inſuper *linguis* varijs ad ædificationem audientium *loquentur*. Hæc quidem hominibus regionis ſolitis, ſed inanditis, ac *nouis*, vt ſapientes, ac literati confundantur, in credentium peritia.

Pſal. 8

Signa autem. Hæc promittuntur fidelibus vt ſint ineſcationes ad proſequendam veritatem, & aprehendendum fructum, qui ſub tam amenis Punicorum folijs latitat, & per ea quaſi per cymbas tapetibus ornatas veniant ad theſauros, qui nauibus onerarijs deportantur ex India, & Ophir. Iuxtà illud Pauli gratias ago Deo meo ſemper pro vobis, in gratia Dei, quæ data eſt vobis in Chriſto Ieſu, quod in omnibus diuites facti eſtis in illo, in omni verbo, & in omni ſcientia, ſicut teſtimonium Chriſti confirmatum eſt in vobis. Euangelij autem confirmationem (exponit Theodoretus) admirabilia *ſignorum* effecta appellat. Per illa enim oſtendebatur prædicationis veritas, & oſtenſam, velut incomparabiles diuitias, proſequebantur Corinthij, & ad eam anhelant iugiter ſpirituales homines, qui in vniuerſis rebus corporeis contemplantur inuiſibilia Dei, & per ea quæ facta ſunt, velut per *ſigna* cælitus data, ad diuinitatem, ſempiternamque Dei virtutem, & omnipotentiam rapiuntur.

Theodor. — Rom. 1.

Eos qui crediderint. Quod ſigna operentur credentes indicium eſt, & certum documentum inter fidei effectus commemorari debere ſigna miraculoſa. Id quod depoſuit veritas dicens: omnia poſſibilia ſunt credenti. Horum autem poſſibilium nonnulla Paulus in illa, quæ ad Hebræos ſcribitur, enumerat, & plura quam his referantur. Quare fidei effectus quoſdam proprios, & intrinſecos dicere oportet, & alios quaſi extrinſecos, & improprios. Eiuſmodi ſunt ſigna miraculoſa, quæ circa alios operantur credentes; intrinſecos dico credere, & confiteri, ſine quibus non eſt fides: per hanc enim corde creditur ad iuſtitiam, & confeſſio fit ore ad ſalutem, quando & vbi oportet.

Marc. 9. — Hebr c. 11. — Fidei effectus duplices. — Rom. 10.

Hæc ſequentur. Quorſum autem, & vndè potiſſimum proueniant, & efficiantur, Paulus expreſſit dicens: Diuiſiones gratiarum ſunt. Idem autem ſpiritus, & diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus. Et diuiſiones operationum ſunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus. Vnicuique autem datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem. Vbi Oecumenius, & Theophylactus. Manifeſtationem ſpiritus vocat ſigna, per ſigna enim paracleti aſſiſtentia demonſtrabatur, ſcilicet, in primis credentibus, & in reliquis, qui per Baptiſmum receperunt Spiritum ſanctum. Is enim eſt auctor fidei, quam Chriſtus rationem miraculorum facit Deo

1.Cor. 12

operante, ad vtilitatem & ædificationẽ totius Eccleſiæ. Vndè Apoſtoli apud Clem. lib.8. Conſtit. Apoſtol. cap.1. Hæc chariſmata prius nobis Apoſtolis tributa ſunt, à quibus Euangelium omni creaturæ prædicandum erat; deinde cum ijs etiam, qui per nos crediderunt, omninò communicantur, non quidem ad vtilitatem eorum, qui chariſmata operantur, ſed qui non credunt, ad credendum adducantur, vt quibus non eſt verbum perſuaſum, eos ipſa vis ſignorum commoueat. Signa enim non fidelibus ſiunt, ſed infidelibus, tùm Iudæis, tùm Gentilibus. Neque enim in expellendis dæmonibus vtilitas noſtra agitur; ſed eorum, qui Chriſti operatione ab eis eripiuntur, & purgantur, quod ipſe Dominus cùm erudiret nos, his verbis demonſtrabat. Nolite gaudere, quòd ſpiritus vobis ſubijciuntur, ſed gaudete, quòd nomina veſtra ſcripta ſunt in cælo; illud enim poteſtate Dei, hoc efficitur noſtra in Deum beneuolentia, & ſtudio, idque iuuante nos Deo.

In nomine meo dæmonia eijcient. Primum armantur fideles aduerſus Dæmones, & Principes, ac Poteſtates tenebrarum. Non ſolùm quod hominum animas erroribus illaqueaſſent, ſed quòd ſtatuiſſent Chriſti rebus obuiare, & bellum aduerſus ſanctos excitare, vt factum eſt per tot Imperatores, qui perſecutiones commouerunt Chriſtianorum. Vndè Tertullianus lib. Apologetico aduerſus Gentiles cap. 27. agnoſcimus vndè talia ſuggerantur, quis totum hoc agitet, & quomodo nunc aſtutia ſuadandi, nunc duritia ſeuiendi ad conſtantiam noſtram deijciendam operatur. Ille ſcilicet ſpiritus dæmoniatæ, & angelicæ paraturæ, qui noſter ob diuortium æmulus, & ob Dei gratiam inuidus de mentibus veſtris aduerſus nos præliatur, occulta inſpiratione modulatis, & ſubornatis ad omnem, quam in primordio exorſi ſumus, & iudicandi peruerſitatem, & ſæuiendi iniquitatem. Nam licet ſit nobis tota vis Dæmonum, & eiuſmodi ſpiritus; vt nequam tamen ſerui nonnunquam contumaciam miſcent, & lædere geſtiunt, quos alias verentur. Denique inuicti nominis potentia, & conſtantia ceſſarunt perſequi, aufugerunt ad Idolis, & reſponſa dare vltrà non poterant aduenientibus Apoſtolis, vt Euſebius lib. 5. prepara. Euang. cap. 8. ex gentilium dictis, Plutarchi de defectu oraculorum, Iuuenalis, Porphirij Cleombroti, & aliorum. Adeoque muti Diaboli iratum fecerunt Tiberium (auctore Firmico lib. de erroribus prophanorum cap. 6.) vt de ciuitate expelleret Diagondam, Baccum, Zubazinum, & Deos Ægyptiorum. Itaque *in nomine* Chriſti omne genus Dæmoniorum eiecerunt Apoſtoli, & fideles; Faunos, & Satyras à ſyluis; à nemoribus, Hamadriades, & Dryades; Oryades à montibus; ab aquis Nymphas, Naiades, Heuides, Tritonas; ab hominibus Pythonicos, Paredios; à domibus Empuras, Lamias, Lares, & Penates. Nec ceſſant adhuc fideles tùm exorciſmis, tùm ſolo Chriſti nomine Dæmones depellere ab hominibus, quos nonnunquam magia, & lethali culpa tenent captiuos, & vexant.

Tertull.

Pulchra cõſideratio, & vera doctrina.

Euſeb. Plutarch. Iuuenal. Porphyr. Firmic.

Genera dæmoniorum.

Linguis loquentur nouis. Vt mundum, quem linguæ confunderant, & diuiſerant in nationes varias, vnirent in vnum populum, gentem, ac plebem, cor vnum, & animam vnam. Venite igitur, dixerunt Angeli, ſcilicet, deſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum, vt non audiat vnuſquiſque vocem proximi ſui. Atque ita diuiſit eos Dominus ex illo loco in vniuerſas terras, & ceſſauerunt ædificare. Ob peccatum enim factum eſt hoc, & putandum (ait Gloſſ. in illud numeri 18. omnem medullam olei, & vini) quod diuerſi Angeli diuerſas in hominibus linguas, & loquelas operati ſunt. Verbi gratia, vnus vni homini linguam impreſſit Babylonicam, alius Ægyptiam, alius Græcam, & ſic fortaſſe diuerſarum gentium ipſi Principes fuerunt, qui linguæ, & loquelæ videbantur. At præſentem linguarum nouitatem vnus ſpiritus dedit Apoſtolis in die Pentecoſtes, inquit Theodoretus in 1. Cor. 12. non vt confunderet mutuo loquentes, aut fugaret audientes, ſed vt horum vnuſquiſque prædicantes, in qua lingua natus eſſet, audiens facilius crederet, ſociareturque ſancto gregi; illi verò ad congregandum omnes ad vnius Dei cultum, fidei veritatẽ, & ſanctitatem Eccleſiæ procurandã, & dilatationẽ, fierent promptiores, auidioreſq; quandoquidẽ ad gẽtem ignotæ linguæ nõ mitterẽtur, nec ad fabrilia, ſed Euangelium Dei, ac Regnum denunciarent. Aduertendum tamen *linguas* dici *nouas*, quòd etſi proprijs gentibus antiquæ fuerint, non tamen Apoſtolis, ſed *noua*; *Noua* quidem idiomate, & *noua*, acquirendi modo, etiam loquendi. Siquidem in his non literam; ſed ſpiritum à quo fluxerant, attendebant Apoſtoli; ſciebant enim, quia, qui lingua ſolùm loquitur non hominibus, vt inquit Paulus, loquitur, ſed Deo, nemo enim audit, ſpiritu autem loquitur myſteria, Nam qui prophetat hominibus, loquitur ad ædificationem, & exhortationem, & conſolationem. Qui loquitur lingua, ſemetipſum ædificat: Quia non intelligitur ab alijs, qui ignorant linguam. Quare donum hoc etſi magnum, ſit minimum, imò verò nullum abſque ſpiritu, quo loquatur prædicator ad cor, & ijs tantùm qui linguam norunt, vera annunciat. Alioqui

Gen. 11.

Gloſſ.

Theodor.

1 Cor 14.

Diuerſa ſunt loqui lingua & loqui ſpiritu.

linguis

linguis loqui, ad oſtentationem potius ſeruijt, vt olim Corinthis, quos Paulus redarguit eo loci.

C A P V T X V I I I.

Serpentes tollent: & ſi mortiferum quid biberint non eis nocebit, ſuper ægros manus imponent, & bene habebunt.

Expoſitio. PRæterea his adhuc maiores addentur fauores, aut certè non inferiores. Nam *ſerpentes*, quorum lætalis morſus non poteſt medicina cohiberi, neque eorum furor audax comprimi, meo inuocato nomine *tollent* fideles à domibus, quo ſæ hieme recipiunt, ab agris vbi gradiuntur turmatim, etiam à beſtijs & hominibus, ad quos vel intrare tentant, vel lædere. *Et ſi* etiam inopinatè *mortiferum quid biberint*, vel compulſi ab æmulis deglutinerint, *non eis nocebit*, quantumuis veneficum fuerit. Demumquè *ſuper ægros* omnium penè ægritudinum, in quibus ars medica deficit, poteſtatem fideles accipient. Etenim *manus imponent* oblatis infirmis, occurrentibuſque, & per fidem, quæ operatur omnia, *bene habebunt* quique claudi, ſurdi, & ſimiles.

Serpentes tollent. Hos enim immaniſſimos pluribus in locis Dæmones enutriebant, vt hominibus omne genus moleſtiæ inferrent. Animas enim illaqueabant illi multis erroribus, corpora autem ſerpentum plaga diuexabat, atque ita familiares hominibus faciebant, & incantationibus aſſeruari, vt ijſdem contra homines Olaus. vterentur, quemadmodū Olaus in ſuis Gothiæ regionibus vſitatū fuiſſe cōmemorat. Laertius Ælianus Reuſius Hinc domitores ſerpentum apud Laertium, Ælianum, Reuſium, atque alios memorantur, etiam qui ab his deuorati fuerint. Denique tanto ſtudio illudendi hominibus Dæmon tenebatur, vt ad cultum ſerpentum fatuos homines adduxerit. 4. Reg. 18 Quid? Etiam Iudæos, qui ſerpenti æneo incenſum adolebant, & libabant vinum libaminum, quo Deo cæli erat ſolitum libare. Ergo vt fraudes ſatanicas penitus de terra tolleret, & viam, qua poſſent tuti mundum diſcurrere, mundaret, vaniſſimumque cultum damnaret, & pacem integram hominibus conciliaret, poteſtatem, qua *ſerpentes tollant*, concedit; nullum excipit ſerpentum genus. Omne enim infeſtum, aut inuiſum eſt homini, ob peccatum quod eo inſtrumento in omne mortalium genus ſæuit. Etiam propter magos, qui hiſce ad ſuas malas artes ſæpius vtuntur.

Et ſi mortiferum quid biberint. Et hoc quidem fidelibus conceſſit, vt ab iniuria tùm Dæmonum, tùm hominum tuerentur. Hi quidem, quem gladio verentur, aut nequeunt perdere veneno, ſuſtollunt. Quod ſolitum frequentius erat antiquis. Illi non perdere, ſed tranſmutari in formas varias mortifera potione curabant, vt hominum imagini inſultarent. Quemadmodum Iſidorus lib. 8. ætimolog. cap. 9. Iſidor. & Auguſt. 18. de Ciuit. Dei cap. 17. & alij Auguſt. tradunt. Vnde 26. quæſt. 5. cap. nec mirum, Rabanus qui eſt Auguſt. & Rabbani lib. de præſtigijs, fertur, inquit, in gentilium libris, quod quædam magna famoſiſſima Circe ſocios Vliſſis mutauerit in beſtias, legitur & de ſacrificio, quod Arcades Deo ſuo Licæo immolabant ex quo quicumque ſumerent in beſtiarum formas conuertebantur. Sed hæc omnia magicis præſtigijs potius fingebantur, quàm rerum veritate complerentur. Et infra: Hæc poteſtas immundis ſpiritibus ideò datur, vt per vaſa ſibi apta, hoc eſt, prauos homines, ſeducant illos, qui ſpernunt veritatem, & credunt mendacio, & iuxtà Pauli ſententiam, ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, 1. Tim. 4 ſed ad ſua deſideria coaceruabunt ſibi magiſtros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur, onerati peccatis, ducentur varijs deſiderijs ſemper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis peruenientes. Supponit itaque Auguſt. Diabolum hiſce malis artibus adhuc in homines graſſari. Auguſt. Nec dubito quum multos, etſi non mutatos in beſtias, tamen diuexatos varijs morbis, & oppreſſionibus per ligaturas, & potiones veneficarum mulierum, & virorum viderim; quibus obſtat nomen Chriſti, quod fideliter inuocatur, vnde ſequitur.

Non eis nocebit. Quod venefica potio non noceat fideli, minus certum eſt, quum plures, qui fide excellebant, & ſanctitate, legamus, & viderimus infecto potu defungi. Vtcumque nihil certius Chriſti promiſſo, quod locum habet in his, qui ad fidei confirmationem venenum bibunt, vt Ioannes Euangeliſta, Antonius Paduanus, & alij, qui incolumes ex potu nefario euaſerunt. Etiam de ijs qui mortem corporis, aut læſionem poſt huiuſmodi poculum paſſi ſunt, intelligi poteſt; quod etſi corpori nocumentum intulerit venenum, minimè tamen animæ quæ impoſturis peſſimorum potius profuit, & propter iuſtitiam, ac vitæ innocentiam malos ſuſtinens, martyrij ſpeciem aſſequitur, & coronam, quoniam beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt Regnum cælorum.

Super ægros manus imponent. Quod

in curandis ægris manuum impoſitio videatur requiri, non eſt abs re. Etenim infirmitates & ægritudines deſignant peccata, quæ extenſis in cruce manibus deleuit Chriſtus ut nubes; & ſacerdotibus commiſit abſolui, qui ad myſterium Chriſti alludentes per impoſitionem manuum abſolutionem conferunt. Si ægritudines imaginemur debilitatem virium, iis comparabimus animi puſillanimitatem, ad reſiſtendum Diabolo, & hoſti militiæ Chriſti; manuum autem impoſitionem dicemus confirmationis ſacramentum, quod ab actu, manus impoſitio dici ſolet. Imponitur quidem manus in ordinatione Sacerdotis, & Epiſcopi etiam Diaconiſſæ apud *Clem.* Clem. lib. Conſtitut. Apoſtol. 8. cap. 19. In baptizato quoque. Verùm in his ratio Sacramenti non conſiſtit in manuum impoſitione, velut in confirmatione, & ordine, in quibus ſignificat gratiam conferri ſecundùm *Ambr.* Ambroſ. lib. de dignit. Sacerdot. cap. 5.

Et bene habebunt. Neque bene haberi ægros, neque innoxios a ve ſeruari fideles, neque linguis loqui nouis videmus. Quid hoc? *Auguſt.* Reſponſ. Auguſtinus tract. 6. in epiſt. beati Ioannis. Primis temporibus cadebat ſuper credentes Spiritus ſanctus, loquebantur linguis, quas non didicerant, quomodo ſpiritus dabat eis pronunciare; ſigna erant tempori opportuna. Oportebat enim ita ſignificari in omnibus linguis Spiritum ſanctum, quia Euangelium Dei per omnes linguas curſurum erat toto orbe terrarum. Significatum eſt illud, & tranſijt. Cur fiant ſigna? Idem de reliquis ſignis iudicium facito, quæ ut plurimum ceſſarunt, quod fidem orbis acceperit confirmatam abundè, ut non egeat denuò ſuperuenientibus hiſce prodigijs perſuaderi; ad oſtenſionem tamen virtutis, & ſanctitatis, & alicuius priuati commodum (ut inquit S. Thom. 3. part.) ſolet quoque Deus per ſuos fideles talia ſigna in dies operari.

CAPVT XIX.

Et Dominus quidem Ieſus poſtquam loquutus eſt eis, aſſumptus eſt in cælum, & ſedet à dextris Dei.

Expoſitio. AD plenum ergo informatis diſcipulis, & edoctis in omnibus, quæ ad ornatum Eccleſiæ faciebant, & perfectionem totius militiæ ſpiritualis, Dux optimus ad loca tutiora, vnde ſuos iuuare facilius, & abundantius poſſet, ſe ſtatuit recipere, vt *Dominus* vniuerſorum, & *quidem Ieſus*, Saluator que ſedulus præliantium. Itaque *poſtquam* abundè *loquutus eſt eis*, qui principatum militiæ Chriſtianæ tenerent, & ſingula, quæ prodeſſe poterant optimo totius Eccleſiæ regimini, denunciaſſet, illis benedictis, *aſſumptus eſt* non alterius miniſterio, ſed virtute propria eſt eleuatus *in cælum* illud empireum, amplam beatorum manſionem, ſuſceptus autem in excelſam omnium habitationem, non inter Angelos, aut Cherubinos *ſedit*, ſed ſuper omnem principatum, & poteſtatem; quippè *à dextris Dei*, quæ ſunt potiora Dei, & omnium digniſſima, & feliciſſima, quæ valent communicari; quia ipſum conſtituit caput ſuper omnem Eccleſiam. *Coloſſ. 1.*

Et Dominus quidem Ieſus. Vocatur hiſce nominibus aſſumptioni propinquus, ut quid tam ſibi, quàm reliquis, Chriſti aſſumptio portenderit, diſquiramus. *Dominus* eſt, qui Principatum tenet, & regimen abſolutum; Saluator, qui liberat ſedulò à preſſuris, & periclitantes ponit in tuto, & ſecuriſſimo loco, ſed hoc quando fælicius quam cum aſcendit ad cælum, vnde deſcenderat. Vado, inquit, præparare vobis locum. *Ioann. 16.* Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad patrem. Et quorſum? quia rogabo patrem, & alium paraclitum dabit vobis. *Matth. 28.* Inſuper vobiſcum ſum vſque ad conſumationem ſeculi in Sacramento altaris, & iugiter. Vado, & venio ad vos largiens benedictionem ſpiritualium, quodque optabilius in perfectiſſimo Saluatore, iterum veniam, & accipiam vos ad meipſum, & gaudebit cor veſtrum, *Ioann. 14* & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis. Hæc Saluator aſcendens conſignauit hominibus. Propter quod, & *Dominus* *Pſal. 23.* tunc proprium celebratur. Quis eſt iſte Rex gloriæ aſcendente Chriſto conclamant Angeli? quibus reſpondetur Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio, Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ. Tunc enim apparuit palam triumphans de hoſtibus iracundis; Tunc pendens iterum ante eos Rex Regum, & Dominus Dominantium acclamatus eſt; Tunc ſolium Regni David patris ſui, quod in æternum non diſſipabitur, poſſedit, & Regium ſceptrum. Vnde, & tunc dixit: Ego autem *Pſal. 2.* conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem *Philip. 2.* ſanctum eius; tunc denique genu curbauit omne genu, & omnis lingua confiteri cœpit; Quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris, & intonari tam ab Angelis, qui præcedebant triumphatorem, quàm à patribus, & ſancta captiuitate: Dominus regnauit decorem indutus eſt: Indutus eſt Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe. *Pſal. 92.* Etenim firmauit orbem terræ, qui non commouebitur vltra ab hoſte, qui ſolebat inſolenter agere contra habitatores

res

res eius, & agminibus Iſrael exprobrare.
Gloſſa. Ideò Gloſſa ordinaria (in illud Gen. 41. Di-
xitque rurſus Pharao ad Ioſephum) ex Iſi-
doro applicat triumphum Ioſeph aſcenſio-
ni Chriſti. Dominus inquit noſter poſt-
quam deſtractus eſt à Iuda, ſicut Ioſeph à
fratribus, & de inferni carcere ſurrexit,
aſcendit currum cæleſtis Regni, de quo di-
Pſal. 67. citur in Pſalmo: Currus Dei decem milli-
bus multiplex.

Poſtquam loquutus eſt eis. Loquuta hic
non proferuntur, vt liberum ſit referre
ſententiam ad ſermonem præcedentem;
aut certè ad alium, qui ſupprimitur. Nam
præterea quæ ab Euangeliſtis narrantur
multa, & dixiſſe, & feciſſe Chriſtum Ioan-
nes deponit, & patres ſibi perſuadent, in
cœna, aut loco præſenti docuiſſe Apoſto-
los, quæ vniuerſum Eccleſiæ ſtatum con-
cernebant. Vndè emanarunt traditiones,
Vnde emanarunt traditiones. quæ abſque Scriptura obſeruantur, nec mi-
norem auctoritatem, quam Scriptura ipſa,
in Eccleſia habent, ſed his miſſis quid eſt
Chriſtum loqui Apoſtolis antè aſcenſio-
nem? Primum vt ſcirent eundem fore poſt
aſcenſionem, qui videbatur in colloquio
Matt. 28. familiari, & vnicum ſui conſolatorem. Etſi
enim alium conſolatorem, videlicet para-
clytum promiſerit, loqui è cælis, & con-
ſolari ſuos frequenti, & dulci ſermone
Pſal. 84. haud ceſſat: Quia Deus tu conuerſus viui-
ficabis nos, & plebs tua lætabitur in te,
Cant. 2. ait Pſaltes. Et ſponſa: En dilectus loqui-
tur mihi. Et quid loquitur? Pacem in ple-
bem ſuam, & ſuper Sanctos ſuos, & in
eos, qui conuertuntur ad cor: Hoc eſt
Pſal. 84. pœnitentes, qui gaudium in cælis excitant,
& Angelos ad laudem Dei ſua pœnitentia
prouocant. Porrò loquitur eis antequam
aſcendat, quoniam ſic loquens venturus
eſt vocans, & alliciens ad ſe, qui eum fue-
rint ſequuti.

Aſſumptus eſt in cælum. Vt iam & ho-
mo diceret: Cælum mihi ſedes eſt, terra
autem ſcabellum pedum meorum. Quid
Iſai. 66. terra niſi homo de terra terrenus? Et quid
cælum niſi Angelus, qui cælicola eſt? ad
hos quidem aſſumptus, in illis, vt in Thro-
nis habitat. Vndè & ſedere dicitur ſuper
Iſai. 39. Cherubin. Fit & hac aſſumptione terra
ſcabellum pedum eius; quoniam per do-
na, quæ hominibus acquiſiuit, aſcendens,
ad legem, & fidem vniuerſos ducit, ſibique
ſubiectat: Vndè Pſaltes: Regna terræ can-
Pſal. 69. tate Deo; pſallite Domino, pſallite Deo,
qui aſcendit ſuper cælum cæli ad Orien-
tem. Cur autem cantare debeant Paulus
Epheſ. 4. mutata ſententia expreſſit. Aſcendens, in-
quit, in altum, captiuam duxit captiui-
tatem; dedit dona hominibus. Quod au-
tem aſcendit, quid eſt, niſi quia deſcendit
primum in inferiores partes terræ? Nam
Ioan. 3. is ipſe dixit: Nemo aſcendit in cælum niſi
qui deſcendit de cælo, filius hominis, qui
eſt in cælo. Hinc infert Origen. dialog. 3. *Origen.*
de Chriſto homine, poſtquam igitur ver-
bum Dei deſcendit, & humanitatem ex
vtero ſumpſit, nemo aſcendit. Vbi autem
ille Chriſtus aſcenderat, poſtea ſecuti ſunt,
qui ſunt eius: Sic namque dixit: Primi-
tiæ Chriſtus, deinde, qui ſunt Chriſti. Quod
dicitur *aſſumptus* intellige propria virtu-
te. Inde Gloſſa ordinaria (in illud Eccl. *Gloſſa.*
48. Et ſurrexit Elias Propheta quaſi ignis)
notandum quod Elias in curru aſcendit,
homo enim purus adiutorio egebat alieno,
ideſt Angelico, qui nec ad cælum æreum
per ſe aſcendere poterat, quem naturæ in-
firmitas grauabat. Chriſtus autem non
curru, neque ab Angelis leuatur, qui enim
fecerat omnia, ſuper omnia, ſua virtute
ferebatur. Enoch tranſlatus vſque ad cæ-
lum æreum. Elias ſubleuatus, quos aſcen-
ſionis ſuæ prænuncios, & teſtes voluit ha-
bere, vnum ante legem, alium ſub lege,
vt quandoque veniret, qui cælos veraciter
penetraret.

Et ſedit à dextris Dei. Quia, dixit Do- *Pſal. 109.*
minus Domino meo (ait Vates) ſede à
dextris meis. Hoc eſt, pater filio, ſi mi-
hi conſubſtantialis, & eiuſdem diuinitatis,
quæ tota eſt dextera, potens, & felix om-
ninò particeps, & indiuiduus comes. Pla-
num eſt enim (ait Cyrill. Alex. lib. de recta *Cyrill.*
in Chriſtum fide ad Imperatrices) Dei
verbum ita factum eſſe hominis filium,
vt tamen Deus eſſe non deſierit. Manſit
enim quod erat. Hac igitur ratione geni-
tori aſſidere, & in diuinitatis gloria, &
maieſtate conſpicuum cerni dicitur, etiam
ſi factum ſit caro. Cæterùm quod à *de-
xtris Dei ſedeat*. Chriſtus, quaſi humana
forma circumſcriptum eſſe Deum patrem
arbitrandum non eſt (aduertit Auguſt. lib. *Auguſt.*
de fide, & ſym. cap. 7.) vt de illo cogitanti-
bus dextrum, aut ſiniſtrum latus animo
occurrat: aut idipſum quod ſedere pater
dicitur flexis poplitibus fieri putandum
eſt; ne in illud incidamus ſacrilegium quo
execratur Apoſtolus eos, qui commutaue-
runt gloriam incorruptibilis Dei in ſimili-
tudinem corruptibilis hominis. Tale enim *Rom. 1.*
ſimulacrum Deo nefas, & Chriſtiano in
templo collocare, multo magis in corde
nefarium eſt, vbi verè eſt templum Dei, ſi
à terrena cupiditate, & errore mundetur.
Ad dexteram ergo intelligendum eſt, di- *Quid ſit ſedere ad dexteram?*
ctum eſſe in ſumma beatitudine, vbi iuſti-
tia, & pax, & gaudium eſt, ſicut ad ſini-
ſtram hædi conſtituuntur, ideſt, in miſeria
propter iniquitates, & labores, atque cru-
ciatus. *Sedere* ergo quod dicitur Deus,
non membrorum poſitione, ſed iudicia-
riam ſignificat poteſtatem, qua illa maie-
ſtas nunquam caret, ſemper digna dignis
tribuendo: quamuis in extremo iudicio

multo manifeſtius inter homines vnigeniti filij Dei Iudicis viuorum, atque mortuorum claritas indubitata fulſura ſit. Ex his collige quatuor *de dextera Dei* ſententias.

Quadruplex opinio de dexteræ interpretatione.

Prima quod ſit ipſa diuinitas indiuiduè cõmunicata filio; ſecunda quod ſit felicitas ſuprema, quæ rationali creaturę poteſt communicari. Tertia, quod iudiciaria poteſtas. Et quarta, quod ſit locus poſt patrem digniſſimus. Hanc reputato hæreticam, cæteras amplectitor, non vt opinata, ſed vt credita.

Error.

Nam primum conuenit Chriſto, quia Deus, & homo ſibi reliqua vendicat.

CAPVT XX.

Illi autem profecti prædicauerunt vbique Domino coöperante, & ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis.

Expoſitio.

DEnique poſtquam plenè de omnibus, quæ oportuerat, fuiſſent edocti *illi* ſacri Apoſtoli, ſanctique Diſcipuli, relicta Iudæa, quæ eos malè audiebat, immò verò perſequebatur, *profecti* ſunt ad exteras regiones, vſque ad fines mundi; vt iuſſa implerent. Et quidem comitibus ſanctis Angelis *prædicauerunt* Euangelium Dei æternum *vbique* quo eos decebat ſpiritus, cum ingenti animarum lucro. Nam *Domino coöperante* res fiebant, & proſperabantur. Tùm quoque *ſermonem* eorum non humanæ ſapientiæ lenocinium confirmabat; ſed *confirmante* Deo, *ſequentibus ſignis*, opus eorum, atque eloquium, mirum in modum creſcebat in omnibus gentibus, quæ ſub cælo erant.

Illi autem profecti. Non quidem ſtatim poſt Aſceſſionem Domini, ſed poſt dies Pentecoſtes, & aduentum Spiritus ſancti, iuxtà mandatum Chriſti. Et præcepit, inquit Lucas, eis ab Hieroſolymis ne diſcederent, ſed expectarent Spiritum ſanctum.

Act. 1.

Quoniam dixit: Ille docebit vos omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis; me clarificabit, quia de meo accipiet, & vos induet virtute ex alto, vt poſſitis reſiſtere in die malo, neminem formidari, non timere eos, qui occidunt corpus, & ſtare antè Reges, & Præſides, prædicareque conſtanter verbum veritatis, cui non poterunt contradicere omnes aduerſarij veſtri.

Ioan 14. *Ioan 16.* *Luc 24.* *Matt. 10.* *Ibid.*

Pleni ergo Spiritu ſancto *profecti* ſunt, alioquin cucurriſſent non miſſi, laboraſſent abſque fructu, & nihil penitus effeciſſent, vt pleriſque noſtrorum accidit, qui loquuntur ſecundùm ſpiritum ſuum, nec ſi eſt ſpiritus ſciunt, ſed in verbis oris ſui ſpem ponunt, & confidant in prudentia, & litteratura, quæ de terra eſt.

Act. 19.

Vndè ſpinas meſſuerunt, quæ ſub floribus pungunt, dilaniant, atque perdunt. Ergo qui ad Euangelium proficiſcitur, Spiritum ſanctum, & principalem, quo illuſtretur, & confirmetur, ſedulò poſtulet, & ſibi modis omnibus tribui ſtudeat, quia ſpiritus eſt, qui operatur omnia, & viuificat oſſa quantumuis arida, vt ſuperuiuant; facitque prophetare omnem carnem ſuper quam deſcenderit, linguam autem adeò eruditam reddit, vt ſtultam faciat ſapientiam ſæculi, & conſiliarios mundi in ſuum ſtultum finem ducat, demumque apprehendat in aſtutia ſua.

Ezech. 37.

Prædicauerunt vbique. Primùm quidem Hieroſolymis, & omni Iſrael, poſt alijs, quia vos, inquit ad eos Chriſtus, eritis mihi teſtes in Hieruſalem, & in omni Iudæa, & Samaria vſque ad extremum terræ, quod demum aggreſſi ſunt, quando perſecutionem à Iudæis paſſi ſunt, occiſo Iacobo, & Stephano: Vndè Paulus: Vobis oportebat primum loqui Regnum Dei, ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes: ſic enim præcepit nobis Dominus. Poſui te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea vſque ad extremũ terræ.

Act. 1. *Act. 7. &* *Act. 13.*

Quo autem anno ad gentes profecti fuerint Apoſtoli, non eſt certum. Nam Meliton Sardenſis Epiſcopus apud Bedam in retracta: in Act. Ap. cap. 8. abiſſe eos vult anno ſecundo ab Aſcenſione Domini. Apollonius apud Euſebium lib. 5. hiſt. cap. 17. ait Chriſtum Apoſtolis præcepiſſe, nè antè annum duodecimum à ſua Aſcenſione Iudæam desererent.

Meliton. *Beda.* *Apollon.* *Euſebius.*

Ex Actibus Apoſtolorum collegimus propter Cornelij gentilis hominis conuerſionem miraculoſam decreuiſſe Apoſtolos gentilibus conſulere, abiſſe autem ad gentes poſt mortem Stephani, quæ remanentibus Apoſtolis Hieroſolymis diſcipulos diſperſit. Hos autem ſequuti ſunt Apoſtoli poſt mortem Iacobi, quando Angelus de manibus Herodis Petrum liberauit.

Act. 12.

Tunc quidem Petrus, ait Metaphraſt. die 29. Iunij, liberatus à vinculis, cum ab Hieroſolymis veniſſet Cæſaream ſtratonis, & ex ijs, qui ſequebantur cum Presbyteris, Epiſcopum ei conſtituiſſet, venit Sidonem, vbi cum multos curaſſet, & Epiſcopum conſtituiſſet, venit Berythum, in qua etiam cùm vnum eorum, qui ſequebãtur ordinaſſet Epiſcopum, venit Biblym; deinde Tripolim, vbi apud Marſonē virum quendam prudentem diuertit, quem cum fidelibus, qui erãnt Tripoli Phœniciæ Epiſcopum conſtituiſſet, venit Orthoſiam; deinde Anthandrum; deinde in Inſulam, quæ dicitur Aradus: indè Balaneas, & illinc Pantam; deinde Laodiceam, in qua cùm multos, qui morbis laborabant, & vexabãtur à Dæmonibus, curaſſet; Eccleſiamque congregaſſet, & Epiſcopum conſtituiſſet, venit Antiochiam Syriæ Ciuitatem, vt Petrus hac via ad gentes proſilijt, ita alij poſt ſecundam illam

Metaphr. Itinerarium Petri.

illam perſecutionem Agrippæ prædicationem gentium generalem ſunt proſequuti, vno conſenſu. Peculiari enim conſilio Paulus ſtatim à ſua conuerſione, & gentes, & Iudæos vbique conuertere ad Chriſtum ſtuduit; & Iacobus Zebedei filius Hiſpanias peragrauerat. Verùm communi conſilio non ſunt omnes Apoſtoli ad gentes profecti vſque ad ſecundam perſecutionem, & Petri libertatem; quo autem anno ipſe non *Chryſoſt.* definiam, ſed cum Chryſoſt. homil. 70. in Matth. 22. Apoſtoli prædicauerunt Iudæis longoque temporis ſpatio, cæſi, & flagellati in Iudæa manentes, ac demum ab ipſis propulſi, ad gentes profecti ſunt. Hic quoque locum habet quæſtio, an Apoſtoli per ſeipſos vniuerſum Orbem peragrauerint, & impleuerint verbo Dei, itaut ſuo tempore in omnem terram exiuit ſonus eorum. Alias diſcuſſam, & ſæpè tactam mox prætereo.

Domino cooperante. *Cooperari Domini*, eſt operanti opem ferre, & auxilium, quo valeat propoſitum complere. Quod alias Propheta vocat tenere manum, velut paruuli, vt poſſit deambulare, eructus ſtare, & comedere. Neque enim quippiam poſſet niſi auxiliante Domino, qui fecit cælum, & terram. Conſuere ſibi folia ficus potuerunt primi homines, minimè autem tunicas, quibus induerentur. Hæc Deus ipſe fecit. *Gen 3.* Folia ficus ſunt deſiderium boni, quo videmur peccati ignominiam deijcere; nihil tamen valet, neque ſufficit, quouſque Deus ipſe faciat tunicas pelliceas, iiſque induat, hoc eſt pœnitentiam diffundat, & eius partes, gratiam largiatur, & dona communicet. *Nihil poſſumus ſine Deo.* Tunc dicet homo, Dominus Deus auxiliator meus, & ideò non ſum confuſus.

Et ſermonem confirmante. Sermonem confirmauit, quia ego, inquit, ero vobis os, *Luc 21.* & ſapientia; cooperabatur quoque illi, quando ad corda perducens audientium compellebantur homines cedere veritati, & credere, fructumque ferre nunc trigeſimum, nunc ſexageſimum, *Luc. 8.* & aliquando centeſimum, vt non rediret vacuum Dei verbum.

Sequentibus ſignis. Aliquando à ſignis incipiebant fructificare Apoſtoli, vt Paulus Mileti. Quando viperam innoxius ſuſtinuit. *Act. 28.* Petrus & Ioannes, quando paralytico dixerunt ſurge & ambula; *Act 3.* Marcus quoque noſter quando ingreſſus Alexandriam Coriarij manum ſanitati reſtituit, & alij ſæpius antequam vrbes intrarent dæmonia clamare, idola mutire, aut deijci compellebant. Nonnunquam, immò vt primum ſequebantur *ſigna*, quæ confirmarent veritatem prædicationis habitæ. Non exprimuntur *ſigna*, tùm quod multiplicia, tùm quod à multiplici gratia emanarent. Nam prophetia, diſcretio ſpirituum, gratia ſanitatum, & operatio virtutum, ex quibus innumera pullulant ſigna. Ad confirmationem ſermonis ordinantur, quibus omnem prædicationem Apoſtolorum confirmatam eſſe, fidem facit fructus, qui Orbem impleuit, & Eccleſiæ ſtabilitas, quæ vſque hodie durat, & perdurabit in finem nouis continuò ornata *ſignis*, donec ille cæleſtis clarus ſplendeat ſuper Orbem terrarum, & videamus eum, *Pſal. 54.* qui ſaluos nos fecit à puſillanimitate, & tempeſtate, & tranſtulit in Regnum filij, vt conregnemus in ſæcula ſæculorum. Amen.

Iſtos in Marcum commentarios cum reliquis Eccleſiæ cenſuræ ſubmitto, meq. ipſum bonorum iudicio, vt ſint æqui cenſores.

INDEX

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX LOCORVM
SACRÆ SCRIPTVRÆ,
QVAE IN HOC OPERE VEL EXPLICANTVR, vel ad conceptus prædicatorios conducunt, in quo primus numerus paginam, ſecundus paginæ columnam indicat.

Geneſis.

Cap. 1. SPIRITVS Dei ferebatur ſuper aquas. pag. 26. col. 2
Fiat lux, & facta eſt lux. pag. 5. col. 1. & pag. 274. col. 1. pag. 773. 2
Fiat firmamẽtum, & factũ eſt. 125. 2
Factum eſt veſpere, & mane. 26. 2. & 683. 1
Lucem vocauit diem, & tenebras noctem. 192. 2
Separauit Dominus lucem à tenebris. ibid.
Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. 552. 1. & 591. 2
Creſcite, & multiplicamini, & replete terram. 494. 1
Vidit cuncta quæ fecerat; & erant valdè bona. 33. 1. & 357. 1. & 441. 1
Cap. 2. Requieuit die ſeptimo ab vniuerſo opere, quod patrauerat. 14. 1. & 780 2
Non eſt bonum hominem eſſe ſolum. 69. 1. & 396. 2
Cap. 3. Præcepit Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud. 723. 1
Eritis ſicut Dij. 723. 2
Adam vbi es? 700. 2
Quare hoc feciſti? 55. 2
Spinas, & tribulos germinabit tibi. 162. 2
Fecit Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos. 44. 1
Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt. 43. 1. & 755. 1
Cap. 4. Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius, ad Caim autem, &c. 310. 2
Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra. 264. 1
Cap. 6. Pœnitet me feciſſe hominem. 33. 1. & 692. 2
Omnis caro corruperat viam ſuam. 55. 2. & 103. 2
Cap. 8. Qui egrediebatur, & non reuertebatur. 605 1
Cap. 12. In ſemine tuo benedicentur omnes gentes. 10. 2
Cap. 13. Si quis poteſt hominum numerare puluerem terræ. 572. 1
Cap. 14. Proferens panem, & vinum; erat enim Sacerdos Dei altiſſimi. 673. 2
Cap. 16. Et vocabis nomen eius Iſmael. 18. 1
Cap. 18. Loquar ad Dominum meum cum ſim puluis, & cinis. 695. 1
Cap. 28. Quam terribilis eſt locus iſte. 108. 2
Cap. 49. Vaſa iniquitatis bellantia. 404. 1
Pulchriores ſunt oculi eius vino. 96. 1
Nephtalim ceruus emiſſus. 538. 1

Exodus.

Cap. 3. SOlue calceamenta de pedibus tuis. 480. 2. & 700 2
Quis ſum ego, vt vadam ad Pharaonem. 23. 1. & 427. 1
Dixit Deus ad Moyſen: Ego ſum qui ſum. 22. 1
Qui eſt miſit me ad vos. 48. 2
Dominus Deus patrum veſtrorum apparuit mihi. 719. 2
Cap. 12. Menſis iſte vobis principium menſium. 650. 1
Renes veſtros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus. 668. 1.
Edent carnes nocte illa aſſas igni, & azimos panes cum lactucis agreſtibus. pag. 667, 2
Cap. 14. Crediderunt Domino, & Moyſi ſeruo eius. 698. 2
Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt. 698. 2. & 8. 1. & 403. 2
Cap. 17. Scribe hoc ob monumentum in libro. 303. 1
Cap. 20. Non occides. 109. 2
Cap. 33. Miſerebor cui voluero. 533. 1
Cap. 35. Obtulerunt mente promptiſſima, atque deuota primitias Domino. 581. 1

Leuiticus.

ET acceptabilis erit atque in expiationem eius proficiens. 702. 2
Cap. 10. Pectuſculum, quod oblatum eſt, & armum,

qui ſeparatus eſt. 374.2

Cap.14. *Affligetis animas veſtras religione perpetua.* 781.1

Cap.23. *Dies primus erit vobis celeberrimus.* 661.1

Offeretis ſacrificium in igne Domino ſeptē diebus. 661.2

Anima quæ afflicta non fuerit in die hac peribit de populis ſuis. 670.1

Cap.24. *Qui blaſphemauerit nomen Domini, morte moriatur.* 331.1

Numer.

Cap.15. *QVoniam aduerſus Dominum rebellis fuit.* 456.2

Deuter.

Cap.6. *Audi Iſrael, Dominus Deus noſter, Dominus vnus eſt.* 62.1. & 590.1

Cap.16. *Non poteris immolare phaſe in qualibet vrbium tuarum.* 663.1

Iuſtè quod iuſtum eſt perſequeris. 277.1

Cap.18. *Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum.* 130.1

Cap.21. *Lapidibus eum obruet populus ciuitatis & morietur.* 317.1

Maledictus à Deo eſt, qui pendet in ligno. pag. 404.1

Cap.25. *Pro menſura delicti erit, & plagarum modus.* 170.1

Cap.28. *Aperiet Dominus theſaurum ſuum optimum, cælum.* 380.2

Cap.32. *Concreſcat vt pluuia doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum.* 57.2

Dei perfecta ſunt opera. 217.1

Vtinam ſaperent, & intelligerent, ac nouiſſima prouiderent. 696.2

Videte quod ego ſim ſolus. 272.2

Iudicum.

Cap.6. *OBſecro mi Domine, ſi Dominus nobiſcum eſt.* 797.1

1. Reg.

Cap.3. *LOquere Domine, quia audit ſeruus tuus.* 42.1

Cap.15. *Melior eſt obedientia, quàm victima.* 69.1

2. Reg.

Cap.15. *OMnes flebant voce magna, & vniuerſus populus tranſibat.* 690.2

Cap.18. *Abſalon fili mi quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te.* 339.1

3. Reg.

Cap.6. *MAlleus, & ſecuris &c. non ſunt audita in Domo Domini cum ædificaretur.* 233.1

Si Dominus eſt Deus ſequimini eum: ſi autem Baal ſequimini illum. 115.1 Cap.18.

Arante in duodecim iugis boum. 124.2. & pag.455.2 Cap.19.

4. Reg.

INcubuit ſuper puerum. 693.2 Cap.4.

Plures ſunt nobiſcum, quàm cum illis. pag. 279.2 Cap.6.

Confregitq. ſerpentem æneum, & filij Iſrael adolebant ei incenſum. 807.1 Cap.18.

Tobiæ.

OPera Domini reuelare, & confiteri honorificum eſt. 460.2 Cap.12.

Non eſt alius Deus omnipotens, præter eum pag. 694.1 Cap.13.

Iob.

FAciebant conuiuium per domos vnuſquiſque in die ſuo. 257.1 Cap.1.

Sit nomen Domini benedictum. 20.1

Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo. pag. 479.2. & 771.2 Cap.2.

Veruntamen animam eius ſerua. 330.1

Ecce docuiſti multos, & manus laſſas roboraſti. 394.2 Cap.4.

Homo naſcitur ad laborem, & auis ad volatum. 47.1. & 408.1 Cap.5.

Vulnerat, & medetur; percutit, & manus eius ſanabunt. 87.1

Fratres mei præterëunt me, ſicut qui raptim tranſit. 161.2 Cap.6.

Quare detraxiſtis ſermonib⁹ veritatis. 714.2

Dies mei velocius tranſierunt, quàm à texente tela ſuccidıtur. 275.2 Cap.7.

Si venerit ad me non videbo eum, & ſi abierit non intelligam. 8.2 Cap.9.

Quis dicere poteſt ei: cur ita facis? 648.2

Si iuſtificare me voluero, os meum condemnabit me. 123.1. & 332.1

Tædet animam meam vitæ meæ. 692.2 Cap.10.

Memento quæſo, quòd ſicut lutum feceris me. 378.1

Sempiternus horror inhabitat. 378.1

Homo natus de muliere breui viuens tempore. 137.1 Cap.14.

Antequam dies eius impleantur peribit, & manus eius areſcent. 344.1 Cap.15.

Ruga mea teſtimoniũ dicit contra me. 90.1 Cap.16.

Caligauit ab indignatione ocul⁹ meus. 263.1 Cap.17.

Tenebit iuſtus viam ſuam. 794.1

In puncto ad inferna deſcendunt. pag. 44.2. & 200.2. & 408.1 Cap.21.

Mane primo conſurgit hõmicida, interficit egenum, & pauperem. 193.2 Cap.24.

Cum vix paruam ſtillam ſermonis eius audiremus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri? 228.2 Cap.26.

Non dabitur aurum obrizum pro ea, nec appendetur. 746.2 Cap.28.

Non cõferetur tinctis Indiæ coloribus. ibid.

Vo-

Cap.29. *Vocem ſuam cohibebant Duces, & lingua eorum gutturi ſuo adhærebat.* 54.2
Cap.30. *Nunc in eorum canticum verſus ſum, & factus ſum eis in prouerbium.* 722.2
In multitudine eorum conſumitur veſtimentum meum. 723.2
Frater fui Draconum, & ſocius Struthionum 724.1
Cutis mea denigrata eſt ſuper me, & oſſa mea aruerunt præ caumate. ibidem.
Verſa eſt in luctum cithara mea, & organum meum in vocem flentium. ibid.
Cap.33. *Tabeſcet caro eius, & oſſa quæ tecta fuerant nudabuntur.* 113.2
Cap.36. *Si audierint, & obſeruauerint complebunt dies ſuos in bono.* 245.1
Cap.40. *Fortitudo eius in lumbis eius, & virtus illius in vmbilico ventris eius.* 137.2. & 441.2
Stringit caudam ſuam quaſi cedrum, nerui teſticulorum. 51.2. & 189.2
Ecce abſorbebit fluuium, & non mirabitur. pag. 191.1
In oculis eius quaſi hamo capiet eum. 58.2
Cap.41. *Reputabit quaſi paleas ferrum, & quaſi lignum putridum æs.* 189.2
Non eſt poteſtas ſuper terram, quæ comparetur ei. 137.1

Pſalm.

Pſal.1. *BEatus vir, qui non abijt in conſilio impiorum.* 84.2. & 727.1. & 698.1
Et erit tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum. 15.2
Tanquam puluis quem proijcit ventus à facie terræ. ibidem.
Pſal.2. *Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum.* 769.1. & 701.2
Qui habitat in cælis irridebit eos. 38.2
Loquetur ad eos in ira ſua. 59.2
Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion. 7.1
Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. 7.2. & 31.2
Pſal.3. *Multi dicũt animæ meæ non eſt ſalus.* 714.2
Multi inſurgunt aduerſum me. 532.2
Pſal.4. *Filij hominum vſquequò graui corde.* 12.1. & 315.2
Iraſcimini, & nolite peccare. 527.2
Mirificauit Dominus Sanctum ſuum. 58.1
Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine. 698.1
Pſal.5. *Quoniam non eſt in ore eorum veritas; cor eorum vanum eſt.* 5.2
Quoniam tu benedices iuſto. 502.2
Pſal.7. *Exurge Domine Deus meus in præcepto quod mandaſti, & ſynagoga populorum circumdabit te.* 795.1
Ego Dominus ſcrutãs corda, & renes. 332.1
Concepit dolorẽ, & peperit iniquitatẽ. 565.1
Pſal.8. *Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra.* 148.2
Opera digitorum tuorum ſunt cæli. 354.1
Quid eſt homo quòd memor es eius, aut filius hominis quoniã viſitas eũ? 23.1. & 331.1
Gloria, & honore coronaſti eum. 723.1
Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius. 59.1
Factus eſt Dominus refugiũ pauperi. 499.1 Pſal.9.
Tibi derelictus eſt pauper. 499.2. & 694.1
Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus. pag. 655.1
Vt ſagittent in obſcuro rectos corde. 473.2 Pſal.10.
Diminutæ ſunt veritates à filijs hominum. pag. 5.2. & 183.2 Pſal.11.
Vana locuti ſunt vnuſquiſque ad proximum ſuum. ibidem.
Eloquia Domini eloquia caſta: argentum igne. 8.2. & 730.2
Illumina oculos meos ne vnquam obdormiam in morte. 389.2 Pſal.12.
Ne quando dicat inimicus meus præualui aduerſus eum. 17.2
Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudijs ſuis. 699.2 Pſal.13.
Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt. 17.2. & 69.2
Domine quis habitabit in tabernaculo tuo. pag. 416.2 Pſal.14.
Qui iurat proximo ſuo, & non decipit, qui pecuniam. 113.1
Conſerua me Domine quoniam ſperaui in te. 75.1. & 790.1 Pſal.15.
Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum. pag. 239.1
Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei tu es. 752.2
Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper. 34.2.
Quoniam à dextris eſt mihi ne commouear. pag. 782.2
Perfice greſſus meos in ſemitis tuis. 687.1 Pſal.16.
Ego autem in iuſtitia apparebo conſpectui tuo. 774.2
Satiabor cùm apparuerit gloria tua. 417.2
Diligam te Domine fortitudo mea. 127.2. & 394.1 Pſal.17.
Et poſuit tenebras latibulum ſuum. 557.1
Tenebroſa aqua in nubibus aeris. 51.2
Cum ſancto ſanctus eris. 27.2. & 305.1.
Deus qui præcinxiſti me virtute. 687.1
Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciant firmamentum. pag. 54.2 Pſal.18.
Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam. 63.2
Exultauit vt gigas ad currendam viam. pag. 666.1
Ab occultis meis munda me Domine. pag. 63.2. & 92.2
Memor ſit omnis ſacrificij tui, & holocauſtum tuum pingue fiat. pagina 690. col. 2 Pſal.19.
Lætabimur in ſalutari tuo, & in nomine Dei noſtri magnificabimur. ibidem.

Hi in curribus, & hi in equis. 543.2
Pſal. 21. Circundederunt me vituli multi, tauri pingues obſederunt me. 690.2. & 713.2
Aperuerunt ſuper me os ſuum ſicut leo rapiens, & rugiens. 690.2
Aruit tanquam teſta virtus mea. 667.1
Erue à framea Deus animam meam. pag. 696.2
Narrabo nomen tuum fratribus meis in medio Eccleſiæ laudabo te. 696.2
Pſal. 22. Dominus regit me, & nihil mihi deerit. pag. 95.1
Virga tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt. 239.2
Paraſti in conſpectu meo menſam aduerſus eos, qui tribulant me. 345.2
Calix inebrians quam præclarus eſt. 526.2. & 695.2
Pſal. 23. Dominus fortis, & potens. 21.2. 36.2. & 59.1
Pſal. 25. In quorum manibus iniquitates ſunt, dextera eorum repleta eſt muneribus. 714.1
Ego autem in innocentia mea ingreſſus ſum. 714.1
Pſal. 26. Dominus illuminatio mea, & ſalus mea quem timebo. 345.1. 393.2. & 420.1
Tibi dixit cor meum, exquiſiuit te facies mea. 69.2
Ne auertas faciem tuam à me, ne declines in ira ſeruo tuo. 93.1
Adiutor meus eſto. 451.2
Pſal. 28. Afferte Domino gloriam, & honorem. 371.1
Vox Domini ſuper aquas. 54.2
Pſal. 29. Ad veſperam demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. 28.2
Ego autem dixi in abundantia mea non mouebor. 509.2
Pſal. 30. In te Domine ſperaui non confundar in æternum. 525.1
Muta fiant labia doloſa, quæ loquuntur aduerſus iuſtum iniquitatem. 717.1
Pſal. 31. Confitebor aduerſum me iniuſtitiã meam. pag. 16.2
Nolite fieri ſicut equus, & mulus. 646.1
Pſal. 32. Verbo Domini cæli firmati ſunt. pagina 54. col. 2
Reprobat conſilia principum. 622.1
Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos. pag. 53.1
Pſal. 34. Apprehende arma, & ſcutum. 39.1
Dic animæ meæ ſalus tua ego ſum. 89.2
Confundantur, & reuereantur quærentes animam meam. 113.1
Omnia oſſa mea dicent; Domine quis ſimilis tibi. 664.1
Pſal. 36. Obſeruabit peccator iuſtum, & ſtridebit ſuper eum dentibus ſuis. 112.2
Apud Dominum greſſus hominis dirigentur, & viam eius volet. 664.1
Cùm ceciderit non collidetur, quia Dominus ſupponit manum ſuam. ibid.
Non vidi iuſtum derelictum. 683.1
Pſal. 37. Quoniam iniquitates ſupergreſſæ ſunt caput meum. 730.2
Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus. 20.1. & 694.1
Amici mei, & proximi mei aduerſum me appropinquauerunt, & ſteterunt. 694.1
Ego autem tanquam ſurdus non audiebam. pag. 169.2
Et factus ſum ſicut homo non audiens. pag. 651. col. 2
Pſal. 38. Veruntamen vniuerſa vanitas omnis homo viuens. 423.1
Aduena ego ſum apud te, & peregrinus, ſicut omnes patres mei. 423.1
Pſal. 39. Beatus vir cuius eſt nomen Domini ſpes eius. 547.1
Sacrificium, & oblationem noluiſti 769.1
Aures autem perfeciſti mihi. 326.1
Ego autem mendicus ſum, & pauper. 276.2
Pſal. 40. Beatus vir, qui intelligit ſuper egenum, & pauperem. 665.2
Etenim homo pacis meæ in quo ſperaui, qui edebat panes meos. 669.2
Pſal. 41. Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte. 453.2. & 730.2
In die mandauit Dominus miſericordiam ſuam, & nocte canticum eius. 784.2
Dũ confringuntur oſſa mea, exprobrauerũt mihi, qui tribulant me inimici mei. 723.2
Vbi eſt Deus tuus? 670.1
Pſal. 42. Quare triſtis incedo, dùm affligit me inimicus. 723.2
Pſal. 43. Mandat Deus ſalutes Iacob. pag. 50. col. 1. & pag 667. col 2
Exurge Domine, & ne repellas in finem. pag. 182.2
Humiliata eſt in puluere anima mea. pag. 215. 1. & 378.1
Pſal. 44. Specioſus forma præ filijs hominum. 724.1
Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime. 697.1
Myrrha & gutta, & caſia à veſtimentis tuis. pag. 479.1
Audi filia, & vide. 345.1
Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus. 342.1
Pro patribus tuis nati ſũt tibi filij, cõſtitues eos principes ſuper omnem terram. 798.2
Pſal. 45. Deus noſter refugium, & virtus. 39.1
Non timebimus dum turbabitur terra: & transferentur montes in cor maris. 560.1
Pſal. 46. Omnes gentes plaudite manibus: iubilate Deo in voce exultationis. 785.1. & 794.2
Elegit nobis hæreditatem ſuam, ſpeciem Iacob quam dilexit. 680.2
Pſal. 48. Dominabuntur eorum iuſti in matutino. pag. 554.2
Ne timueris cùm diues factus fuerit homo. pag. 151.2
Cum interierit non ſumet omnia. 139.1. & 320.1
Homo cùm in honore eſſet non intellexit. pag. 38.1. & 726.1
Pſal. 49. Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? 23.1
Sedens aduerſus fratrem tuum loquebaris, & ad-

& aduerſus filium matris tuæ ponebat ſcandalum. 718.2
Sacrificium laudis honorificabit me. 16.1
Pſal. 50. *Secundum magnam miſericordiam tuam. pag.* 668.2
Peccatum meum contra me eſt ſemper. pag. 730.col.2
Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci. pag. 85.2
Ecce enim in iniquitatibus conceptus. pag. 701.col.1
Aſperges me hyſſopo, & mundabor. pag. 15.col.2
Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam, & exultabunt oſſa humiliata. 15.2.& 679.2
Cor mundum crea in me Deus. 31.2
Ne proijcias à facie tua, & ſpiritum ſanctum tuum ne auferas à me. 6.2
Spiritu principali confirma me. pag. 728. col.1.& 94.1
Cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies. 16.2
Tunc acceptabis ſacrificium iuſtitiæ. pag. 614.col.1.
Pſal. 51. *Dilexiſti malitiam ſuper benignitatem. pag.* 556.1
Ego autem ſicut oliua fructifera in domo Dei. 151.1
Pſal. 52. *Dixit inſipiens in corde ſuo non eſt Deus. pag.* 17.1
Pſal. 53. *Voluntariè ſacrificabo tibi.* 669.1
Pſal. 54. *Timor, & tremor venerunt ſuper me. pag.* 425.2
Ecce elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine. 77.2
Non defecit de plateis eius vſura, & dolus. 31.1
Veſpere, & mane, & meridie narrabo. pag. 700.2
Redimit in pace animam meam. 713.2
Molliti ſunt ſermones eius ſuper oleum, & ipſi ſunt iacula. 204.1
Pſal. 55. *Tota die verba mea execrabantur.* 296.1
Aduerſus me omnes cogitationes eorum in malum. 84.2
Pſal. 58. *Ecce loquentur in ore ſuo, & gladius in labijs eorum.* 705.1
Pſal. 60. *Sic pſalmum dicam nomini tuo in ſæculum ſæculi.* 100.1
Pſal. 61. *Quoniam ab ipſo patientia mea.* 645.1
Mendaces filij hominum. 27.1.401.1. & 728.2.
Diuitiæ ſi affluant nolite cor apponere. 36.2
Pſal. 62. *Deus Deus meus ad te de luce vigilo.* 132.2
Sitiuit in te anima mea. 205.2
Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea. 62.2.& 690.2
In velamento alarum tuarum exultabo. pag. 34.1
Pſal. 63. *Intenderunt arcum ſuū rem amarā.* 132.1
Pſal. 64. *Beatus quem elegiſti, & aſſumpſiſti.* 415.2
Pſal. 66. *Sanctum eſt templum tuum.* 56.2
Benedicat nos Deus Deus noſter. 30.2
Exurgat Deus, & diſſipentur inimici eius. Pſal. 67. *pag.* 695.1
Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa. 17.2
Mons in quo beneplacitum eſt Deo habitare. 416.1
Congregatio taurorum in vaccis populorum. 380.2
Zelus domus tuæ comedit me. 292.2 Pſal. 68.
Tu ſcis improperium meum, & confuſionem meam. 709.1
Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum. pag. 626.1
Placebit Deo ſuper vitulum nouellum, cornua producentem, & vngulas. 709.1
Quàm bonus Iſrael Deus his qui recto ſunt Pſal. 72. *corde.* 39.1
Et dixi: Ergo ſine cauſa iuſtificaui cor meum, & laui inter innocentes manus meas. 724.1
Et fui flagellatus tota die, & caſtigatio mea in matutinis. ibid.
Mihi autem adhærere Deo bonum eſt. 483.2
Ponere in Domino Deo ſpem meam. 724.1
Pſal. 73. *Vſquequò Deus improperabit inimicus. pag.* 659.1
Deus autem Rex noſter antè ſæcula. 666.2
Superbia eorum, qui te oderunt aſcendit ſemper. 190.1.& 666.2.& 742.1
Notus in Iudæa Deus, in Iſrael magnum Pſal. 75. *nomen eius.* 343.2.& 383.1
Tu terribilis es, & quis reſiſtet tibi. 794.1
De cælo auditum fecit iudicium, terra tremuit, & quieuit. ibid.
Multitudo ſonitus aquarum, vocem dederunt nubes. Pſal. 76. 427.1
Filij Ephrem intendentes, & mittentes arcum. Pſal. 77. 625.2
Et ira aſcendit in Iſrael. 115.1
Adiuua nos Deus ſalutaris noſter. 627.1 Pſal. 78.
Oſtende faciem tuam. 723.1 Pſal. 79.
Neſcierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant. Pſal. 81. 566.2
Ego dixi: Dij eſtis, & filij excelſi omnes. pag. 375.2
Ibunt de virtute in virtutem. 28.2 Pſal. 83.
Miſericordiam, & veritatem diligit Deus. pag. 108.1
Gratiam, & gloriam dabit Dominus. 26.2
Benedixiſti Domine terram tuam, auertiſti. Pſal. 84. 29.1
Deus tu conuerſus viuificabis nos. 437.2.
Audiam quid in me loquatur Dominus Deus. 18.1.& 791.2.327.1
Veritas de terra orta eſt, & iuſtitia de cælo proſpexit. 437.2.723.2
Inter mortuos liber. 309.1 Pſal. 87.
Super me confirmatus eſt furor tuus. pag. 709.1
Longè feciſti notos tuos à me. 709.1
Elongaſti à me amicum, & proximū. 709.1
In æternum miſericordia ædificabitur in Pſal. 88. *cælis.* 49.2

Etenim veritatem tuam in Eccleſia Sanctorum. 580.2
Tu dominaris poteſtati maris. 289.1
Domini eſt aſſumptio noſtra. 430.1
Pſal 90. Angelis ſuis Deus mandauit de te. 255.2
Pſal.91. Plantati in domo Domini, in atrijs Dei noſtri florebunt. 729.1
Pſal.92. Dominus regnauit decorem indutus eſt. 215.2.& 683.1.& 637.1
Indutus eſt fortitudinem, & pracinxit ſe. 707.1
Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus. 180.1
Pſal,93. Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob. 97.1
Captabunt in animam iuſti, & ſanguinem innocentem condemnabunt. 718.2
Pſal.94. Venite adoremus, & procidamus antè Deum. 23 2
Hodiè ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra. 150.1
Pſal.98. Exaltate Dominum Deum noſtrũ, & adorate ſcabellum pedum eius. 22.2
Pſal.101. Aedificauit Dominus Sion, & videbitur in gloria eius. 123.1
Pſal.102. Quantum diſtat ortus ab Occidente, longè fecit à nobis iniquitates noſtras. 139.2
Pſal.103. Qui facis Angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos ignem vrentem. 9.2
Exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem vſque ad veſperam. 34.1.& 362.2
Emittes ſpiritum tuum, & creabuntur, & & renouabis faciem terra. 26.1
Pſal. 104. Nolite tangere chriſtos meos. 402.2
Pſal.106. Poſuit flumina in deſertum, & exitus aquarum in ſitim. 35.1
Pſal.108. Oratio eius fiat in peccatum. 562.2
Pſal.109 Dixit Dominus Domino meo.pag. 603.2. & 609.2
Sede à dextris meis. 7.1.& 30.2
Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. ibidem
Ante Luciferum genui te. 427.2.& 673.2
Iurauit Dominus, & non penitebit. 33.1. & 673.2
De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput. 683.2
Pſal.110. Memoriá fecit mirabilium ſuorũ miſericors, & miſerator Dñs. 201.1.& 542.2
In quo corrigit adoleſcentior viam ſuam. 82.2
Pſal.111. Deſiderium peccatorum peribit. 617.2
Pſal.112. Humilia reſpicit in calo, & in terra 72.2
Pſal.113. Aures habent & nõ audient. 326.2.& 350.1
Pſal.115. Credidi propter quod locutus ſum. 396.1.
Ego autem humiliatus ſum nimis. 12.1
Ego dixi in exceſſu meo omnis homo mendax. 174.2.& 211.1
Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. 695.2
Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum eius. 187.2
Pſal.116. Veritas autẽ Domini manet in aternũ. 7.2
Teſtimonia tua meditatio mea eſt. 374.1 Pſal.118.
Viam mandatorum tuorum cucurri. pag. 100.1
Bonitatem, & diſciplinam, & ſcientiam doce me. 6.2.& 731.2
Super ſenes intellexi. 506.2
Humiliatus ſum vſquequaque Domine. 687.2
Feci iudicium, & iuſtitiam non tradas. 107.1.
Lucerna pedibus meis verbum tuum. 730.1
Ignitum eloquium tuum vehementer. pag. 730.2
Propterea ad omnia mandata tua dirigebar. 385.2
Doce me iuſtificationes tuas. 799.1
Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt. 75.1.& 374.2 Pſal.119.
Vnde veniet auxilium mihi. 27.2 Pſal.120.
Auxilium meum à Domino. 159.1.142.2
Oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum donec miſereatur noſtri. 397.1 Pſal.122.
In conuertendo Dominus captiuitatem Sion. 29.1 Pſal.125.
Qui ſeminant in lachrymis, in exultatione metent. 670.1
Euntes ibant, & flebant mittentes ſemina ſua. 36.1.& 337.1
Niſi Dominus adificauerit domum ſuam, in vanum laborauerunt, qui adificant eam. 63.1.& 164.1 Pſal.126.
Beatus vir, qui impleuit deſiderium ſuum. 39.1.
Beati omnes qui timent Dominum. 40.1 Pſal.127.
Fily tui ſicut nouella oliuarum in circuitu menſa tua. 27.1
Quoniam elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem ſibi. 663.1 Pſal.131. Pſal.132.
Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum. 52.1
Sicut vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron. 452.1
Et miſit ſigna & prodigia in medio tui Aegypte. 59.1 Pſal.124.
Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in aternum miſericordia eius. pag. 357.1 Pſal.135.
In conſpectu Angelorum pſallam tibi. pag. 310.1
Domine probaſti me, & cognouiſti me. 343.1 Pſal.138.
Tu cognouiſti ſeſſionem meam, & reſurrectionem meam. 790.2
Quo ibo à ſpiritu tuo? & quo à facie tua fugiam. 728.1
Mirabilia opera tua, & anima mea cognoſcet nimis. 9.1
Imperfectum meum viderunt oculi tui. 65.2
Nimis honorati ſunt amici tui Deus. 27.2.& 630.2
Viri ſanguinum declinate à me. 632.2

Aenerunt

Pſal.139. Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentis, venenum aſpidum ſub labijs eorum. 131.1
Pſal.140. Eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum. 73.2
Singulariter ſum ego donec tranſeam. 154.2
Pſal.142. Anima mea ſicut terra, ſine aqua tibi. pag. 602.2.728.1
Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. 34.1.728.1
Pſal.143. Benedictus Dominus Deus, qui docet digitos meos ad bellum. 351.1
Qui das ſalutem Regibus, qui redemiſti Dauid ſeruum tuum de gladio maligno. 714.1
Beatum dixerunt populũ, cui hæc ſunt. 4812
Pſal.144. Vt notam facerent filijs hominum potentiam ſuam. 186.1
Pſal.145. Lauda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vita mea. 91.2
In illa die peribunt omnes cogitationes eorum. 86.2
Pſal.148. Ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandauit, & creata ſunt. 392.1
Beſtia, & vniuerſa pecora, ſerpentes, &c. 38.1
Pſal.149. Gloria hæc eſt omnibus Sanctis eius. 27.2

Prouerb.

Cap.1. AVdiens ſapiens ſapientior erit, & intelligens. 79.2
Audi fili mi diſciplinam patris tui. pag. 429.2
Cap.2. Qui relinquunt iter rectum, & ambulant per vias tenebroſas. 256.1
Cap.3. Nè ſis ſapiens apud temetipſum: time Deum, & recede à malo. 728.2
Beatus homo qui inuenit ſapientiam, & qui affluit prudentia. 697.1
Via eius viæ pulchra, & omnes ſemitæ illius pacificæ. 230.2
Cap.4. Audi fili mi, & ſuſcipe verba mea. 99.1
Nè delecteris in ſemitis impiorum. pag. 727.1
Omni cuſtodia ſerua cor tuum. 326 1
Cap.5. Iniquitates ſuæ capiunt impium. 87.1
Cap.6. Vſquequò piger dormies? quando conſurges à ſomno tuo? 49.2.& 696.2
Zelus, & furor viri non parcet in die vindictæ. 308.2
Cap.7. Dici ſapientiæ ſoror mea es, & prudentiam vocaui amicam meam. 725.2.& 253.2
Vt cuſtodiat te à muliere extranea, & ab aliena. ibid.
Occurrit mulier ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas garrula, vaga. 724.2
Victimas pro ſalute voui, hodiè reddidi vota mea. 725.1
Idcircò egreſſa ſum in occurſum tuum deſiderans. ibidem.
Intexui funibus lectum meum ſtraui tapetibus pictis ex Aegypto. 166.2
Fili mi audi me, & attende verbis oris mei. 148.1
Iuſti ſunt omnes ſermones mei. 511.2.& 647.1 Cap.8.
Ego ſapientia habito in conſilio. 259.2.& 386.2
Quando præparabat cælos aderam. 359.1
Delitiæ meæ eſſe cum filijs hominum. pag. 149.1
Sapientia ædificauit ſibi domum. 647.2 Cap.9.
Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miſcui vobis. 330.2
Qui nititur mendacijs, hic paſcit ventum. 731.2 Cap.10.
In labijs ſapientis inuenitur ſapientia. 61.1
Argentum electum lingua iuſti. 106.2
Nouit iuſtus noſter iumentorum ſuorum animas. 98.2 Cap.12.
Doctrina bona dabit gratiam. 393.2 Cap.13.
Vbi non ſunt boues præſepe vacuum eſt. 46.1 Cap.14.
Extrema gaudij luctus occupat. 258.1
In corde prudentis requieſcit ſapientia. 307.2
Cor ſapientis quærit doctrinam. 114.1 Cap.15.
Cor ſapientis erudiet os eius. 178.2 Cap.16.
Spiritus triſtis exiccat oſſa. 671.1 Cap.17.
Ira patris filius ſtultus. 243.1
Qui moderatur ſermones ſuos doctus, & prudens eſt. 716.1
Os ſtulti contritio eius, & labia ipſius ruina animæ ipſius. 67.1 Cap.18
Subſtantia diuitis vrbs roboris eius. pag. 775.2
Cuſtos prudentiæ inueniet bona. 176.1 Cap.19.
Homo indigens miſericors eſt. 50.1
Timor Domini ad vitam. 639.2
Noli diligere ſomnum. 706.1 Cap.20.
Diſſipat impios rex ſapiens. 59.1
Miſericordia, & iudicium magis placent Domino, quàm victima. 289.2 Cap.21.
Peruerſa via viri aliena eſt à Deo. 98.2
Qui diligit epulas in egeſtate erit, qui amat vinum. 96 2
Deſideria occidunt pigrum. 81.1
Vir impius procaciter obfirmat vultum ſuum. 115.1
Adoleſcens iuxta viam ſuam, & cum ſenuerit non recedet ab ea. 448.2.& 709.2 Cap.22.
Eijce deriſorem, & exibit cum eo iurgium. 184.2
Qui diligit cordis munditiam. 378.2
Inclina aurem tuam, & exaudi verba ſapientum. 279.1
Fili mi præbe mihi cor tuum. 12.1 Cap.23.
Fouea profunda eſt meretrix, & puteus anguſtus aliena. 252.1
Septies in die cadit iuſtus. pag.97.col.2.& pag.742.col.1. Cap.24.

Nè con-

Ne contendas cum peſſimis, nec æmuleris impios. 742.1
Cap.26. *Quomodo nix in æſtate, & pluuia in meſſe, ſic indecens eſt ſtulto gloria.* 424.2
Quomodo pulchras habet claudus tibias, ſic indecens eſt in ore ſtultorum parabola. 591.1
Iudicium determinat cauſas. 455.2
Sicut canis, qui reuertitur ad vomitum. 388.2.& 383.1
Quomodo ſi argento ſordido ornare velis vas fictile. 579.1
Labijs ſuis intelligitur inimicus. paginâ 704. col.2
Cap.27. *Ira non habet miſericordiam.* 654.2
Melior ſunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oſcula odientis. 438.2
Sicut auis tranſmigrans de nido ſuo, ſic vir qui dereliquit nidum ſuum. 691.1
Cap.28. *Meliora eſt pauper ambulans in ſimplicitate ſua, quam diues in prauis itineribus.* 152.1
Qui abſcondit non dirigetur. 139.1
Qui corripit hominem, gratiam apud eum inueniet. 503.2
Cap.29. *Peccantem virum iniquum inuoluet laqueus, & irretita auicula.* 17.1
Cap.30. *Duo rogaui te nè deneges mihi.* 509.2
Cap.31. *Stragulatam veſtem faciat ſibi.* 40.1

Eccleſiaſtes.

Cap.1. *Hanc occupationem peſſimã dedit Deus.* 618.2
Cap.2. *Vadam, & affluam delitijs, & fruar bonis.* 408.2
Cap.3. *Omnis homo qui comedit, & bibit, videt bonum de labore ſuo, hoc donũ Dei eſt.* 47.1
Cap.5. *Dulcis eſt ſomnus operanti ſiue parum ſiue multum comedat.* 67.2
Cap.7. *In tota anima tua time Deum.* 611.2
Cap.11. *Mane ſemina ſemen tuum, & veſpere non ceſſet manus tua.* 171.2

Cantica.

Cap.1. *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engadi.* 668.2
Faſciculus mirrhæ dilectus meus mihi. 32.2
Trahe me poſt te, curremus. 451.2
Oſculetur me oſculo oris ſui. 471.2
Cap.2. *Ego flos campi, & lilium conuallium.* pag. 779.2
Fulcite me floribus, ſtipate me malis. pag. 800.2
Surge propera amica mea, columba mea. 51.1.& 508.2
Flores apparuerunt in terra noſtra, ficus protulit groſſos, vox turturis audita eſt. 9.681.1.& 785.2
Vox turturis audita eſt in terra noſtra vineæ florentes. 8.1
Sonet vox tua in auribus meis. 731.2
Vox enim tua dulcis, & facies decora nimis. 55.1
Reuertere, ſimilis eſto dilecte mi capreæ. 79.1
Cap.3. *Quæſiui quem diligit anima mea.* 48.2
Inueni quem diligit anima mea. 68.2
Cap.4. *Sicut greges tonſarum, quæ aſcenderunt de lauacro.* 16.1
Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te. 152.2.& 782.2
Fauus diſtillans labia tua ſponſa, mel, & lac ſub lingua tua. 11.2
Cap.5. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* 171.2. & 310.1
Miſit manum ſuam per foramen. 453.2
Anima mea liquefacta eſt. 599.2
Nuntiate dilecto, quia amore langueo. pag. 771.2.& 557.2
Manus illius tornatiles, aureæ, plena hyacinthis. 73.2
Venter eius eburneus, diſtinctus ſaphiris. 380.1
Cap.7. *Aſcendam in palmam, & apprehendam fructum eius.* 546.2
Veni dilecte mi, egrediamur in agrum. 640.2
Cap.8. *Quis mihi det te fratrem meum, ſugentem vbera matris meæ.* 748.2
Delicijs affluens innixa ſuper dilectum. 69.2
Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum. pag. 382.1
Fortis vt mors dilectio. 46.1
Soror noſtra parua eſt, & vbera non habet. pag. 220.2.& 416.2

Sapientiæ.

Cap.1. *Cuſtodite ergo vos à murmuratione, quæ nihil prodeſt.* 85.1
Os quod mentitur, occidit animam ſuam. 411.2
Cap.2. *Quoniam hæc eſt pars noſtra.* 335.2
Contumelia, & tormento interrogemus eum. 434.2.& 735.1
Morte turpiſſima condemnemus eum. 662.1
Excæcauerat eos malitia eorum. 88.2
Cap.3. *Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt.* 265.1 413.2
Cap.4. *Gratia Dei, & miſericordia in Sanctos eius, & reſpectus in electos illius.* 27.1
Cap.5. *Hi ſunt quos aliquando habuimus in deriſum, & in ſimilitudinem improperij.* 737.2
Cap.6. *Puſillum, & magnum ipſe fecit, & eſt ei cura de omnibus.* 70.1
Inuenitur ab ijs, qui quærunt illam. 440.2
Cap.7. *Super ſalutem, & ſpeciem dilexi illam.* pag. 5.2

Mihi

Mihi autem dedit Deus dicere ex ſententia. 147.2
Cap. 8. *Attingit à fine vſque ad finem fortiter. pag.* 168.1
Intrans in domum meam, conquieſcam cum illa. 80.1
Cap. 10. *Reddet Dominus mercedem Sanctorum ſuorum.* 519.2
Cap. 18. *Cum medium ſilentium continerent omnia. pag.* 461.1

Eccleſiaſtici.

Cap. 1. *NE acceſſeris ad Deum duplici corde. pag.* 489.2
Cap. 2. *Accedens ad ſeruitutem Dei prepara animam tuam ad tentationem.* 159.2
Qui timet Dominum non erunt incredibiles verbo eius. 146.1
Cap. 3. *Quanto magnus humilia te in omnibus. pag.* 11.2
Cap. 4. *Congregationi pauperum affabilē te facito. pag.* 74.1
Pro iuſtitia agonizare pro anima tua. pag. 40.1
Non confundaris confiteri peccata tua, & ne ſubjicias te omni homini pro peccato. pag. 19.1
Non ſit manus tua ad capiendum porrecta, & ad dandum collecta. 116.2
Cap. 6. *Amicus fidelis protectio fortis, qui inuenit illum inuenit theſaurum.* 401.2
Cap. 7. *Noli quærere fieri Iudex, niſi valeas virtute rumpere iniquitates.* 185.1
Cap. 8. *Cum fatuis non ineas conſilium.* 259.2
Cap. 9. *Non des mulieri poteſtatem animæ tuæ. pag.* 493.1
In manu artificum opera laudabuntur. pag. 25. col. 2
Terribilis eſt in ciuitate ſua homo linguoſus. 67.1
Cap. 10. *Omnis iniuriæ proximi ne memineris.* 115.2
Auaro nihil ſceleſtius. 162.1
Quid ſuperbis terra & cinis. 66.2
Cap. 11. *Vt caprea in laqueum, ſic & corpus ſuperborum.* 500.1
Cap. 14. *Beatus vir, qui in ſapientia morabitur. pag.* 96.1
Beatus vir, qui non eſt lapſus verbo ex ore ſuo. 355.2
Cap. 15. *Omne execramentum erroris odit, & non erit amabile.* 311.1
Appoſui tibi aquam, & ignem ad quodcunque volueris porrige manum tuam. pag. 323.2
Cap. 16. *Qui minoratur corde, cogitat inania & vir imprudens cogitat ſtulta.* 124.1. & 228. 2. & 689.1
Cap. 17. *Reuertere ad Dominum, & auertere ab iniuſtitia tua.* 687.2
Cap. 18. *Senſati in verbis, & ipſi ſapienter egerunt, & intellexerunt.* 178.2
Poſt concupiſcentias tuas non eas. 450.1
Cap. 19. *Qui citò credit leuis eſt corde.* 49.2
Non credas omni verbo. 203.1
Eſt correptio mendax in ore contumelioſi. pag. 722.2
Cap. 20. *Eſt qui præ confuſione promittit amico, & lucratus eſt eum inimicum gratis.* 689.1
Cap. 21. *Deprecatio pauperis ex ore ad aures eius perueniet.* 722.2
Cap. 22. *Cum dormiente loquitur, qui narrat ſtulto ſapientiam.* 337.2
Fidem poſſide cum amico in paupertate illius, vt & in bonis illius læteris. 689.2
In tempore tribulationis illius permane illi fidelis. ibidem.
Cap. 23. *Vir multum iurans replebitur iniquitate. pag.* 262.1
Hic enim in plateis ciuitatis vindicabitur. pag. 612.2
Cap. 24. *Ab initio & ante ſæcula creata ſum, & vſque ad futurum ſæculum non deſinam. pag.* 231.1
In plenitudine Sanctorum detentio mea. pag. 782.1
Quaſi cedrus exaltata ſum in Libano. ibid.
Cap. 25. *Nequitia mulieris immutat faciem eius. pag.* 254.1
Breuis omnis malitia, ſuper malitiam mulieris. 727.1
Cap. 26. *Gratia ſuper gratiam mulier ſancta, & pudorata.* 220.1
Columna aurea ſuper baſes argenteas. pag. 771.2
Cap. 27. *Narratio peccantium odioſa, & vſus eorum in delictis peccati.* 113.1
Cap. 28. *Homo iracundus accendit litem, & vir peccator turbabit amicos.* 118.2
Cap. 32. *Vbi auditus non eſt, non effundas ſermonem.* 148.1. & 383.1
Vir conſilij non diſperdat intelligentiam. pag. 360.2
Cap. 33. *Præcordia fatui quaſi rota carri.* 541.2
Cap. 35. *Beatus ergo homo, cui donatum eſt habere timorem Domini.* 486.1
Cap. 38. *Honora medicum propter neceſſitatem. pag.* 157.1
Cap. 39. *Si enim Dominus magnus voluerit, ſpiritu intelligentiæ replebit illum.* 206.1
Cap. 44. *Cum ipſis permanent bona.* 212.1

Iſaias.

Cap. 1. *COgnouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui, Iſrael autem &c. pag.* 36.1.
Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate. 25.2
Calendas veſtras & ſolemnitates veſtras odiuit anima mea. 487.1
Manus veſtræ ſanguine plenæ ſunt. 574.2. & 14.2

Lau-

Lauamini, mundi eſtote. 56.2
Auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis. 135.1
Principes tui infideles, ſocij furum omnes diligunt munera. 298.2
Cap.2. *Et fluent ad eum omnes gentes, & venient populi multi.* 18.1
Venite, aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob. 80.2
De Syon exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem. 14.2 & 72.1
Cap.3. *Ecce Dominator Dominus exercituum.* pag. 724.2
Dicite iuſto quoniam benè. 658.1
Populum meum exactores ſpoliauerunt. pag. 703.1
Cap.4. *Panem noſtrum comedemus, & veſtimentis noſtris operiemur.* 785.1
Cap.5. *Cantabo dilecto meo canticum.* 684.1
Vinea facta eſt dilecto meo in cornu filij olei. 8.1. & 694.1
Qui dicunt bonum malum, & malum bonum. 721.2
Væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris. ibid.
Propterea dilatauit infernus animam ſuam. ibid.
Cap.6. *Clamabat alter ad alterum.* 12.1
Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabbaoth. 762.1
Vir pollutus labijs ſum ego. 23.1
Excæca cor populi huius. 330.1
Cap.7. *Vocabitur nomen eius Emanuel.* 32.2
Butyrum, & mel comedet. 282.1. & 444.1
Cap.8. *Liga teſtimonium, ſigna legem in diſcipulis meis.* 246.1
Cap.9. *Primo tempore alleuiata eſt terra Zabulon.* pag. 62.2
Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam. 13.2
Et vocabitur nomen eius, admirabilis. pag. 108.2
Lætabuntur coram te, ſicut qui lætantur in meſſe. 790.1
Cap.11. *Et requieuit ſuper eum Spiritus Domini.* pag. 30.1
Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo. 94.1
Et leuabit ſignum in nationes. 95.1
Cap.13. *Infantes eorum allidentur in oculis eorum.* pag. 441.1
Facies combuſtæ vultus eorum. 671.1
Cap.14. *Quomodo cecidiſti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris.* 61.1
Aſcendam in cælum. 194.1
Similis ero altiſſimo. 121.1
Cap.16. *Emitte agnum Domine.* 662.1
Cap.19. *Rex fortis dominabitur eorum.* 21.2
Benedictus populus meus Aegypti. 20.2
Cap.21. *Cuſtos quid de nocte.* 271.2
Cap.24. *Et congregabuntur in congregatione vnius faſcis in lacum.* 74.1
Cap.25. *Factus eſt Dominus fortitudo pauperi.* pag. 232.1
Præcipitabit in monte iſto faciem vinculi. 731.1
Domine exaltetur manus tua, & non videant. 446.2 Cap.26.
Iſte omnis fructus eius, vt auferatur peccatum eius, cùm poſuerit omnes lapides altaris. 711.1 Cap.27.
Erant in vertice vallis pinguiſſimæ. 690.2 Cap.28.
Sacerdos, & propheta neſcierunt præ ebrietate. 721.1
Et delebitur fœdus veſtrum cum morte. pag. 164.1. & 703.1
Flagellum inundans cùm tranſierit non veniet ſuper nos: quia poſuimus mendacium ſpem noſtram. 703.1. & 584.2
Ponam iudicium in pondere, & iuſtitiam in menſura. 170.2
Peribit ſapientia à ſapientibus. 727.1 Cap.29.
Sicut puluis tenuis multitudo ventilantium te. 733.2
Audient in die illa ſurdi verba libri. 491.1
Qui dicunt videntibus: nolite videre. pag. 578.2 Cap.30.
Aures tuæ audient verbum poſt tergum monentis. 770.2
Lingua balborum velociter loquetur. pag. 46.1 Cap.32.
Stultus fatua loquetur, & cor eius faciet iniquitatem. 722.1
Angeli pacis amarè flebunt. 353.1 Cap.33.
Lætabitur deſerta, & inuia, & exultabit ſolitudo, & florebit quaſi Lilium. pag. 367.1 Cap.35.
Vox clamantis in deſerto. 11.1 Cap.40.
Omnis caro fœnum. 12.1
Aſcende ad montem tu qui euangelizas Sion. 41.2
Ecce Dominus in fortitudine veniet. pag. 763.1
Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilum. 21.1
Et tu Iſrael ſerue meus, quem elegi. pag. 31.1 Cap.41.
Hieruſalem Euangeliſtam dabo. 36.2
Quis cæcus, niſi ſeruus meus? 75.1 Cap.42.
Dedi te in fœdus populi. 694.1
Ego ſum, ego ſum ipſe, qui deleo iniquitates tuas. 88.2 Cap.43.
Effundam aquas ſuper ſitientes, & fluenta ſuper arida. 147.1 Cap.44.
Non recogitant in mente ſua. 660.1
Ego ſum Dominus faciens omnia, extendens cælos. 766.1
Ego antè te ibo. 212.1 Cap.45.
Verè tu es Deus abſconditus. 37.1
Quia mihi curuabitur omne genu. 23.2
Annuntians ab exordio nouiſſimum. 731.2 Cap.46.
Veniet ſuper te malum, & neſcies ortum. pag. 63.2 Cap.47.
Vtinam attendiſſes mandata mea, facta fuiſſet ſicut flumen pax tua. 141.2 Cap.48.
Et poſuit os meum quaſi gladium acutum. pag. 207.1 Cap.49.

Dedi

Dedi te in lucem gentium vt ſis ſalus mea. 7.1
Et erunt reges nutritij tui. 518.2
Nunquid tolletur à forti præda? 63.2
Cap.50. *Vocaui, & non erat qui audiret.* 528.2
Ego autem non contradico, retrorſum non abij. 723.1
Corpus meum dedit percutientibus. ibid.
Iuxta eſt qui iuſtificat me, quis contradicet mihi. 187.2
Poſui faciem meam vt petram duriſſimam. pag. 723.2
Cap.51. *Attendite ad petram vnde exciſi eſtis.* 164.2
Poſui verba mea in ore tuo, & in vmbra manus meæ protexi te. 7.1
Ponet deſertum eius quaſi delicias, & ſolitudinem eius quaſi hortum Domini. pag. 13.2
Cap.52. *Solue vincula colli tui.* 354.2
Iugiter tota die nomen meum blaſphematur. 722.1
Cap.53. *Domine quis credidit auditui noſtro.* 785.1
Et aſcendet ſicut virgultum coram eo. pag. 702.2
Nec reputauimus eum. 22.2
Peccata noſtra ipſe tulit. 28.1
Ipſe enim attritus eſt propter ſcelera noſtra. 670.1
Sicut ouis ad occiſionem ducetur. 714.1
Liuore eius ſanati ſumus. pag. 97. 2. & *pag.* 662.1.
Generationem eius quis enarrabit. 340. 2. & *pag.* 427. 1
Cap.54. *Ad punctum in modico dereliqui te, & in miſerationibus magnis congregabo te. pag.* 693.2
In momento indignationis abſcondi faciem. ibidem.
Ecce accola veniet, qui nō erat mecum. 86.2
Cap.55. *Quærite Dominum dum inueniri poteſt, inuocate eum dum propè eſt.* 142.1. & 377.2
Verbum meum &c. non reuertitur ad me vacuum. 159.1. & 309.1
Cap.56. *Dabo eis locum in domo mea, & in muris meis.* 365.2
Omnes beſtiæ agri venite ad deuorandum omnes beſtiæ ſaltus. 715.2
Cap.57. *Vias eius vidi, & ſanaui eum & reddidi conſolationes ipſi, & lugentibus eius.* 699.1
Creaui fructum labiorum pacem ei. 92.1
Cap.58. *Clama ne ceſſes quaſi tuba exalta vocem, qui euangelizas Sion.* 12.1. & 308.1
Annuncia populo meo ſcelera eorum. pag. 492.5
In die ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra. 103.1
Ecce adſum. 41.1
Cap.59. *Pedes eorum ad malum currunt, & feſtinant, vt effundant ſanguinem innocentem.* 731.2
Quia veritas in plateis corruit. 177.1
Sicut ad vindictam quaſi ad retributionem. pag. 699.1
Timebunt qui ab oriente. 199.2
Filij tui de longe venient, & filiæ tuæ de latere ſurgent. 95.1. 365.2 Cap.60.
Qui ſunt iſti, qui vt nubes volant. 46.1
Gloria Libani ad te veniet, abies, & buxus, & pinus ſimul. 746.2
Et venient ad te curui filiorum eorum, qui humiliauerunt te. ibidem.
Et ſcies quia ego Dominus ſaluans te. 520.2
Gaudens gaudebo in Domino. 202.1 Cap.61.
Torcular calcaui ſolus. pag. 405.1. & 644.2. & 670.1 Cap.63.
Quaſi animal in campo deſcendens Spiritus Domini. 34.2.
Facti ſumus vt immundi omnes nos. 70.1 Cap.64.
Ecce ego creo cælos nouos, & terram nouam. pag. 779.2 Cap.65.
Et exultabo in Hieruſalem, & gaudebo in populo meo. 521.1
Puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit. pag. 342.1
Et ædificabunt domos, & habitabunt. pag. 615.1
Cælum ſedes mea, Terra autem ſcabellum pedum meorum. 43.2. & 809.1 Cap.66.
Quis audiuit vnquam tale? & quis vidit huic ſimile? 95.1

Ierem.

ANtequam te formarem in vtero, noui te. 188.2 Cap.1.
A a a Domine Deus, quia puer ſum, neſcio loqui. 23.2. & 246.2.
Vt euellas, & deſtruas, & diſſipes, & ædifices, & plantes: 59.1
Virgam vigilantem ego video. pag. 172.1. & *pag.* 239. 2
Quid inuenerunt in me patres veſtri iniquitatis? 448.1 Cap.2.
Arguet te malitia tua, & auerſio tua increpabit te. 716.2
A ſæculo confregiſti iugum meum, rupiſti vincula. 713.2
Dabo vobis paſtores iuxtà cor meum. pag. 400.1 Cap.3.
Vocabunt Hieruſalem Solium Domini. pag. 663.1
Vſquequò morabuntur in te cogitationes noxiæ? 132.2 Cap.4.
Tu autem vaſtata, quid facies? 318.2
Percutiet eos Leo de ſylua, lupus ad veſperam vaſtauit eos. 713.1 Cap.5.
Et erubeſcere neſcierunt. 336.1 Cap.6.
Bonas facite vias, & ſtudia veſtra. 114.2 Cap.7.
Miluus in cælo cognouit tempus ſuum. pag. 50.1. & 726.1 Cap.8.
Tranſijt meſſis, finita eſt æſtas, & nos ſaluati non ſumus. 763.1
Quis dabit capiti meo aquam. pag. 60. 2. & *pag* 670.1 Cap.9.

Mors

Mors aſcendit per feneſtras noſtras, ingreſſa eſt domos. 37.2
Cap.11. *Maledictus vir, qui non audit verba pacti huius.* 169.2
Inuenta eſt coniuratio in viris Iuda. 601.1
Quid eſt, quòd dilectus meus in domo mea fecit ſcelera multa? 56.1
Cap.12. *Reliqui domum, dimiſi hæreditatem.* 52.2
Cap.16. *Ecce ego mittam piſcatores multos.* 48.2
Cap.17. *Peccatum Iuda ſcriptum eſt ſtylo ferreo in vnge adamantino.* 233.1
Prauũ eſt cor omniũ, & inſcrutabile. 150.1
Ego Dominus ſcrutans corda. 387.2
Sana me Domine, & ſanabor, ſaluum me fac. 55.2
Cap.22. *In memetipſo iuraui.* 262.1
Cap.23. *In diebus illis ſaluabitur Iuda.* 455.2
Cap.29. *Cogitationes pacis, & non afflictionis: pag.* 87.1
Cap.30. *Inſanabilis eſt fractura tua.* 135.2
Obducam enim cicatricem tibi, & à vulneribus tuis ſanabo te. 157.2
Cap.31. *Confluent ad bona Domini ſuper frumento & vino, & oleo.* 41.2
Inebriabo animam ſacerdotum pinguedine. pag. 690.2
*In charitate perpetua dilexi te. pag.*53.2. & 93.1. & 226.2.
Cap.33. *Ecce ego obducam eis cicatricem, & ſanitatem, & curabo eos.* 723.1
Reducam conuerſionem terræ, ſicut à principio. 723.1
Cap.48. *Maledictus homo, qui facit opus Domini fraudulenter.* 101.2
Cap.50. *Vox eorum, ſicut mare ſonantis.* 738.2
Cap.52. *Incendit domum Domini, & domum regis, & domos Ieruſalem.* 671.1

Threni.

Cap.1. *O Vos omnes, qui tranſitis per viam attendite, & videte, ſi eſt dolor, ſicut dolor meus.* 670.1
Ego plorãs, & oculus meus deducens aquas. ibidem.
Memoria memor ero, & tabeſcet in me anima mea. ibid.
Cap.3. *Bonum eſt viro, cum portauerit iugum ab adoleſcentia ſua.* 498.2
Cap.4. *Paruuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis.* 371.2
Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum. pag. 116.1

Baruch.

Cap.3. *IN terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.* 106.1. & pag.211.2
Cap.5. *Adducet enim Deus Iſrael cum iucunditate in lumine maieſtatis.* 425.1

Ezechiel.

MAnus hominis ſub pennis eorum in quatuor partibus. 230.1 Cap.1.
Venit finis: finis venit. 641.2 Cap.7.
Quaſi vulpes in deſertis, propheta tui Iſrael. 220.2 Cap.13.
Feciſti tibi proſtibulum in cunctis plateis. pag. 301.2 Cap.16.
Habes fiduciam in pulchritudine tua. pag. 737.1
Sumens de veſtimentis tuis, feciſti tibi excelſa hinc inde conſuta. ibid.
Fornicata eſt ſuper eis. ibid.
Sumpſiſti veſtimenta tua multicoloria. ibidem.
Nunquid voluntatis meæ eſt mori impij. pag. 94.2 Cap.18.
Sabbatha mea profanaſti. 781.1 Cap.22.
Expandi amictum meum ſuper te, & operui ignominiam tuam. 710.1 Cap.27.
Cedri non fuerunt altiores illo in Paradiſo Dei. 191.2 Cap.31.
Viuo ego dicit Dominus. 624.1 Cap.33.
Nolo mortem impij, ſed vt conuertatur, & viuat. 669.1.41.2.140.1
Percutiam illis fœdus pacis, pactum ſempiternum erit eis. 770.2 Cap.34.
A quatuor ventis veni ſpiritus, & inſuffla ſuper interfectos iſtos, & reuiuiſcant. pag. 26.1 Cap.37.
Putaſnè viuent oſſa iſta? 94.1

Daniel.

ASpiciebam donec throni poſiti eſſent. pag. 636.2 Cap.7.
Millia millium miniſtrabant ei. 38.2
Aſpiciebam ego in viſione noctis. 720.1
Magnificabitur aduerſus omnem Deum. pag. 635.1
Sta in gradu tuo. 697.2 Cap.10.
Multi de his, qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt alij in vitam æternam. pag. 794.2 Cap.12.
Qui autem docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti: ibidem.

Oſeæ.

PErcutiam cum eis fœdus in die illa. pag. 38.1 Cap.2.
Ego dedi eis frumentum, & vinum, & oleum, & argentum multiplicaui ei. pag. 376.2
Multos dies ſedebunt filij Iſrael cum rege, ſine principe. 13.2 Cap.3.
Non eſt veritas, non eſt miſericordia. pag. 14.2. & 234.2 Cap.4.

Et

Et ſanguis ſanguinem tetigit. 213.1

Cap. 11. *In funiculis Adam traham eos.* 451.2

In medio tui ſanctus. 58.1

Cap. 14. *Tollite vobiſcum verba, & conuertimini ad Dominum.* 535.1

Ero quaſi ros Iſrael, germinabit ſicut lilium. 507.2

Ioel.

Cap. 2. *REplebuntur areæ tuæ frumento.* 393.2

Effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem. 16.1

Sol conuertetur in tenebras, & luna in ſanguinem. 635.1

Cap. 8. *Occidet ſol in meridie, & tenebreſcere faciam terram in die luminis.* 265.1

Micheas.

Cap. 6. *CVruabo genu Deo excelſo.* 24.1

Humiliatio tua in medio tui. 96.2

Cap. 7. *Væ mihi factus ſum ſicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ.* 164.2

Nahum.

Cap. 2. *ET ipſe extruet templum Domino.* pag. 549.col.2

Habac.

Cap. 1. *ET facies hominis quaſi piſces maris.* pag. 48.2

Cap. 2. *Ecce qui incredulus eſt, non erit recta anima eius.* 309.1

Cap. 3. *Ante faciem eius ibit mors.* pag. 59.1. & pag. 67.1

Egreſſus eſt in ſalutem populi, in ſalutem cum Chriſto tuo. 707.2

Sophonias.

Cap. 1. *ET tribulabo homines, & ambulabunt, vt cæci.* 631.1

Aggæus.

Cap. 2. *MAgna erit gloria domus iſtius nouiſſima plusquam primæ.* 116.1

Zacharias.

Cap. 1. *EGo Dominus locutus ſum in zelo, & zelatus ſum zelo magno.* 115.2

Ecce vir oriens nomen eius. 615.1

Et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa. 339.2 Cap. 2.

Ecce volumen volans. 107.1. Cap. 5.

Audientes non audient, & intelligentes non intelligent. 715.1 Cap. 7.

Noluerunt attendere, & auerterunt ſcapulam. ibid.

Cor ſuum poſuerunt, vt adamantem. ibid.

Et ſeminabo eos in populis. 638.1 Cap. 10.

Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum? 371.1 Cap. 13.

Plagatus ſum in domo eorum, qui diligebant me. pag. 28.1. & 434.2

Framea ſuſcitare ſuper paſtorem meum. pag. 431.2. & 685.2

Et habitabunt in ea, & anathema non erit amplius, ſed ſedebit Ieruſalem ſecura. 729.2 Cap. 14.

Malachias.

MAgnum nomen meum in gentibus. pag. 62.1. & 249.1 Cap. 1.

Non eſt mihi voluntas in vobis. pag. 421.2 & 675.1

Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam. pag. 377.1. Cap. 2.

Angelus Domini exercituum eſt. pag. 10. col. 2

Dominus teſtificatus eſt inter te, & vxorem adoleſcentiæ tuæ. 305.2

Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam ante te. 11.1 Cap. 3.

Ecce ego mittam vobis Eliam. 433.1

Matthæus.

POenitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum. 14.1. & 44.1 Cap. 3.

Ioannes habebat veſtimentum ſuum de pilis camelorum. 19.2

Aperti ſunt cæli. 28.2

Hic eſt filius meus dilectus. pag. 59.1. & 76.1. & 382.2

Ductus eſt Ieſus in deſertum à ſpiritu, vt tentaretur à diabolo. 35.1 Cap. 4.

Mitte te deorſum. 30.2

Vade ſatana. 33.2

Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum. 41.2

Beati pauperes ſpiritu. 523.2 Cap. 5.

Vos eſtis ſal terræ. 284.2

Vos eſtis lux mundi. ibid.

Non accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus. 40.1

Non veni ſoluere legem, ſed adimplere. 15.1

Sic orabitis: Pater noſter, qui es in cælis. 695.1 Cap. 6.

Nolite ſolliciti eſſe quid manducetis, neque corpori quid induamini. 242.1. & 384.1

Petite, & accipietis, pulſate, & aperietur vobis, pag. 342.2

Qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. 723.2
Cap.9. Vt autem ſciatis, quia filius hominis habet poteſtatẽ in terra dimittẽdi peccata. 219.1
Quia non veni vocare iuſtos ad pœnitẽtiam, ſed peccatores. 488.1
Cap.10. Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes. pag. 328. col. 2.
Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus patris veſtri qui loquitur in vobis. 6.1
Qui perſeuerauerit vſque in finem hic ſaluus erit. 36.1
Non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum, nec ſeruus ſuper Dominum. 48.1
Qui confitebitur me coram hominibus confitebor & ego eum. 411.1
Qui recipit prophetam in nomine prophetæ. pag. 467.2
Cap.11. Pauperes euangelizantur. 8.1
Qui mollibus veſtiuntur in domibus regum ſunt. 19.1
Confiteor tibi pater, &c. abſcondiſti hæc à ſapientibus. 389.1
Nemo nouit patrem, niſi filius. pag. 71.1. & 340.2
Quia mitis ſum, & humilis corde. 52.2
Tollite iugum meum ſuper vos. pag. 36.1. & 399.2
Iugum enim meũ ſuaue eſt, & onus meum leue. 101.1
Cap.12. Quis erit ex vobis homo, qui habens ouem vnam. 115.1
Qui non eſt mecum contra me eſt. 37.2
Fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus. 201.2
Cap.13. Vobis datum eſt noſſe miſterium regni Dei. pag. 8.1
Simile eſt regnum cælorum grano ſynapis. pag. 592.2
Cap.14. Ad eum veniemus, & mãſionem apud eum faciemus. 42.1
Cap.15. Cæcus autem ſi cæco ducatum præſtat, ambo in foueam cadunt. 61.1
Quot panes habetis? 240.1
Cap.16. Vos autem quem me eſſe dicitis. 451.1
Tu es Chriſtus filius Dei viui. pag. 32.2 & pag. 59.1. & 730.2
Caro autem & ſanguis non reuelauit. pagina 6.1
Nec portæ inferi præualebunt aduerſus eam. 181.1
Quid enim prodeſt homini ſi vniuerſum mundum lucretur. 378.1
Cap.17. Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. 7.2
Cap.18. Quia angeli eorum vident faciem patris mei, qui in cælis eſt. 38.2. & 192.1
In ore duorum vel trium teſtium ſtat omne verbum. 413.1
Si autem te non audierit, dic Eccleſiæ. pagina 269.2
Vbi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo. 45.1
Sunt Eunuchi qui ſe caſtrauerunt propter regnum cælorum. 52.2 Cap.19.
Si vis ad vitã ingredi ſerua mãdata 208.1.
Vade, vende omnia, quæ habes. pagina 399.2
Nihil eſt impoſſibile apud Deum. pag. 694. col. 1
Multi ſunt vocati, pauci verò electi. pag. 235.1 Cap.20.
Principes gentium dominantur eorum. pag. 134.2
Verebuntur fortè filium meum. 552.2 Cap.21.
Quid me tentatis hipocritæ? 38.1 Cap.22.
Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari. pagina 516. col. 2
Diliges Dominum Deum tuum. 553.2
Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi. 606.1 Cap.23.
Onerã grauia, &c. imponunt in humeros hominum. 20.1
Ecce relinquetur vobis domus veſta deſerta. pag. 13.1
Surgent pſeudochriſti, & pſeudoprophetæ. pag. 437.1 Cap.24.
Fidelis ſeruus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam. 656.2
Amen dico vobis, neſcio vos. 411.1 Cap.25.
Venite benedicti in regum patris mei. pag. 613.2
Diſcedite maledicti in ignem æternum. pag. 621.1
Qui paratus eſt diabolo, & angelis ſuis. pag. 672.1
Hæc quotieſcunque feceritis, in mei memoriam facietis. 307.1 Cap.26.
Semper pauperes habebitis vobiſcum. pag. 470.2
Tranſeat à me calix iſte. 696.2
Amice, ad quid veniſti? 380.1
Omnes vos ſcandalum patiemini in me. pag. 728.1
Nam & loquela tua manifeſtum te facit. pag. 728.2
Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma. 404.1
Vere filius Dei erat iſte. 771.1 Cap.27.
Veſpere autem ſabbathi, quæ luceſcit in prima ſabbathi. 783.1 Cap.28.
Docete omnes gentes. pag. 346.1. & pag. 346. col. 2
Ecce vobiſcum ſum. 41.1

Marc.

NOn eſt propheta ſine honore niſi in patria ſua. 723.1 Cap.6.
Omnia poſſibilia ſunt credenti. pagina 72. col. 1 Cap.9.
Nemo bonus niſi ſolus Deus. pag. 66.1. & 423.2 Cap.10.

Cap.12. Diliges Dominnm Deum tuum, & proximum tuum. 444.1
Cap.14. Triſtis eſt anima mea. 670.1
Vigilate, & orate. 474.2
Cap.15. Noli ſcribere Rex Iudæorum. 404.1
Cap.16. Prædicate euangelinm omni creatnra. pag. 5.1.
In nomine meo dæmonia eijcient. pag. 237.2 443.1
Snper ægros manus imponent. pagina 501. columna.1

Lucas.

Cap.1. PArare Domino plebem perfectam. pag. 663.2
Miſſus eſt Angelns Gabriel à Deo. pagina 10.1
Ecce enim vt facta eſt vox ſalutationis. pag. 11.1
Cap. 2. Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus. 8.1. & 75.1
Videamus hoc verbum, qnod factum eſt. pag. 564.1
Lumen ad reuelationem gentium. pagina 512.2
Cap. 3. Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem Zaccariæ filium in deſerto. 15.1
Ipſe me baptizabit. 15.2
Cap. 4. Ieſns plenns Spiritn ſancto regreſſus eſt à Iordane. 34.2
Quanta audiuimus facta in Caphar naū. 53.2
Nemo propheta acceptus eſt in patria ſua. pag. 118.2
Per medinm illorum ibat. 27.1
Rogauernnt pro illa. 63.2
Cap. 5. In verbo tno laxabo rete. 24.1
Remittuntur tibi peccata tua. 89.1
Vt autem ſciatis, quia filins hominis habet poteſtatem. 633.2
Cap.6. Scriptum eſt enim diligite inimicos veſtros. pag. 475.1
Cap.7. Beatus qni non fuerit ſcandalizatns in me. pag. 477.1
Qui mollibus veſtinntur in domibns regum ſunt. 418.2
Cap.8. Qui habet aures audiendi audiat. pagina 515.1.
Cap.9. Filius hominis non habet vbi caput reclinet. pag. 52.2
Cap.10. Neminem per viam ſalutaneritis. 28.2
Qui vos audit me audit. 45.1. & 540. 2. & 706.2
Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes. 38.1
Homo quidam deſcendebat ab Ieruſalem in Iericho. 664.1
Maria optimam partem elegit. pagina 31.2
Cap.11. Beati qui andinnt verbum Dei, & cuſtodiunt illud. 163.1, & 429.3
Cap.12. Vt det illis in tempore tritici menſuram. pag. 272.1
Seruus, qui cognouit voluntatem Domini ſni. 729.2
Ignem veni mittere in terram, & qnid volo, niſi vt ardeat. 12.1
Cap.14. Factum eſt vt imperaſti. pagina 26. columna 2.
Homo quidam fecit cænam magnam. pagina. 662.1
Qui non bainlat crncem ſuam, & venit poſt me, non poteſt meus eſſe diſcipnlns. pagina 36.1
Cap.15. Pater peccaui in cælum, & coram te. pag. 726.1
Iam non ſnm dignus vocari filius tuus. ibidem.
Cap 1.6. Quotidiè epulabatur ſplendidè. 329.1
Cap.18. Non ſum ſicut cæteri hominum, velut etiam hic pnblicanus. 687.1
Ieiuno bis in Sabbatho. 774.1
Cap.19. Venit enim filius hominis quærere, & ſaluum facere, quæ perierant 36.1
Quia ſi cognouiſſes & tu quidem in hac die tna. 79.1
Cap.21. Ego dabo vobis os, & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere. 6.1
In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. 36.1
Cap.22. Vos eſtis, qui permanſiſtis mecnm in tentationibus. 40.2
Ego autem rogaui pro te Petre, nè deficiat fides tua. 694.2, & 712.1
Qui habet duas tunicas vendat vnam, & emat gladinm. 333.2
Cap.23. Nolite flere ſuper me. 629.2
Cap.24. Nonnè cor noſtrum ardens erat in nobis. pag. 165.2
Cognouerunt eum in fractione panis. pag. 674.2

Ioannis.

Cap.1. IN principio erat verbnm. pagina 31. columna.1
Quod autem factum eſt, in ipſo vita erat. pag. 619.1
Vt teſtimonium periberet de lumine. 110.2
Ipſe eſt lnx vera. 31.1
Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. pag. 32. col. 1.
Qui poſt me venit antè me factus eſt. pag. 22.2
Gratia autem, & veritas per Ieſum Chriſtum. 8.1
Ecce Agnus Dei. pag. 13.1. & 661. & 662.1
Cap.2. Quid tibi, & mihi eſt mulier. pag. 52.2. & 142.2
Soluite templnm hoc, & in tribus diebus excitabo illud. 715.2
Cap.3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto non poteſt introire in regnum Dei. 504.2

Spiritus vbi vult ſpirat. 80.1
Qui non crediderit iam iudicatus eſt. 18.2
Cap.4. *Fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* 364.1
Scio quia Meſſias venit, 51.2
Ego cibum habeo manducare, quem vos neſcitis. 662.2
Cap.5. *Ecce ſanus factus es.* 84.1
Pater meus vſque modo operatur. pag. 30.1. 148. 2. & 395.2
Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis ſunt. 589.2
Scrutamini ſcriptura, &c. quæ teſtimonium perhibent de me. 62.2
Cap.6. *Qui credit in me habet vitam æternam. pag.* 12.2. & 322.1
Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi. pag. 384.1
Nemo poteſt venire ad me, niſi pater. pagina. 451.2
Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. 674.2. & 680.1
Cap.7. *Tempus meum nondum aduenit, tempus autem veſtrum ſemper eſt paratum.* 701.1
Mea doctrina non eſt mea. 147.2
Clamauit: ſi quis ſitit, veniat ad me, & bibat pag. 12.1. & 322.1
Cap.8. *Vade, & iam ampliùs noli peccare.* 140.1
Quis ex vobis arguet me de peccato. 734.2
Qui ex Deo eſt, verba Dei audit. 351.2
Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis. 169.2
Nonnè bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu? 562.2
Antequam Abraham fieret, ego ſum. pagina. 22.2. & 43.1
Cap.9. *Hunc neſcimus vndè ſit. pag.* 157. 1. & pag. 204.1
Cap.10. *Qui intrat per oſtium paſtor eſt ouium. pag.* 686.2
Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit, ſaluabitur. 43.2
Poteſtatem habeo ponendi animam meam. pag. 73.2. & 397. 2. & 693.2
Cap.11. *Lazarus amicus noſter dormit. pag.* 225.2. & 700.2
Pater gratias ago tibi. 674.1
Cap.12. *Venit hora vt clarificetur filius hominis. pag.* 694.2
Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit ipſum ſolum manet. pag. 662.1
Vbi ego ſum, illic & miniſter meus. pag. 149.2
Pater ſaluifica me ex hac hora. pag. 577.1 & 694.2
Omnia traham ad me ipſum. pag. 18. 2. & & 65.1
Cap.13. *Antè diem feſtum Paſcha. pagina* 661. columna 1.
Sciens, quia venit hora eius, vt tranſeat ex hoc mundo ad patrem. 694.2
In hoc cognoſcent, quòd diſcipuli mei eſtis, ſi diligitis inuicem. 268.1
Cap.14. *Ego ſum via, veritas, & vita. pagina* 539 column.2
Non creditis, quia ego in patre, & pater in me eſt. 29.2
A me ipſo non loquor. 710.2
Veniemus, & manſionem apud eum faciemus. 778.1. & 710.2
Si quis diligit me, ſermonem meum audit, & pater meus diligit eum, & ad eum veniemus. 690.2
Ego vado, & venio ad vos. pag. 436. 1. & 696 2.
Vt ſciat mundus, quia diligo patrem. pag. 31.2
Cap.15. *Ego ſum vitis vera.* 683.1
Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum. 156.2
Manete in me, & ego in vobis. Sicut palmes non poteſt. 33.2
Non vos me elegiſtis, ſed ego vos elegi. pag. 49.1
Spiritus qui à patre procedit. pag. 585. colum. 2
Cap.16. *Pater meus amat vos, quia vos amaſtis me. pag.* 180.2. & 359.2
Exiui à patre, & veni in mundum. pag. 130.2. & 798. 1
Cap.17. *Nunc clarifica me tu pater.* 786.2
Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te Deum verum. 11.1
Cap.18. *Regnum meum non eſt de hoc mundo. pag.* 548 1
Ego in hoc miſſus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati. 1.1. & 140.2
Cap.19. *Non haberes poteſtatem aduerſum me vllam.* 498.2
Cap.20. *Sicut miſit me pater, & ego mitto vos. pag.* 124.2. & 370.2
Quia vidiſti me Thoma credidiſti. pag. 770.1

Acta Apoſt.

Cap. 1. *Ioannes baptizauit aqua, vos autem baptizamini Spiritu ſancto.* 16.1
Eritis mihi teſtes in Ieruſalem, & in omni Iudæa. 244.1
Videntibus illis eleuatus eſt, & nubes ſuſcepit eum. 100.2
Viri Galilæi quid admiramini aſpicientes in cælum. 720.2
Cap.2. *Viri Iſraelitæ audite verba hæc.* 471.2
Quem Deus ſuſcitauit ſolutis doloribus inferni. 790.1
Cap.4. *Quoniam non eſt aliud nomen ſub cælo datum hominibus.* 20.2. & 43.1
Cap.7. *Cælum mihi ſedes eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum.* 377.2
Cap.9. *Saule, Saule quid me perſequeris. pag.* 37.2

Domi-

Domine quid me vis facere? 49.2
Cap.10. *Occide, & manduca.* 19.1
Quæ Deus purificauit tu commune ne dixeris. 397.2
Cap.14. *Per multas tribulationes oportet intrare in regnum cælorum.* 417.2
Cap.19. *Ioannes quidem baptizauit baptiſmo pœnitentiæ.* 25.1
Multi veniebant confitentes actus ſuos. pag. 25.1
Cap.20. *Attendite vobis, & vniuerſo gregi. pagina 402. col. 1.*

Epiſt. ad Rom.

Cap.1. *Paulus &c. ſegregatus in euangelium Dei quod antè promiſerat.* 7.2
Per quem accepimus gratiam & apoſtolatum. 398.2
Iuſtus ex fide viuit. 84.1
Cap.2. *Prædicant non furandum & ipſi fruantur. pag.* 106.1
Cap.4. *Mortuus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram. pag.* 405.1
Cap.5. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum.* 213.1
Commendat charitatem ſuam Deus nobis. pag. 747.1
Cap.6. *Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem.* 26.1. & 661.2
Mors illi vltrà non dominabitur. pag. 28. colum.2
Cap.7. *Inuenio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* 20.1
Cap.8. *Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis. pag.* 194.1
Ipſe enim ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſimus filij Dei. 698.1
Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti. 680.2
Vanitati enim creatura ſubiecta eſt. pagina. 643.1
Spe enim ſalui facti ſumus. 643.1
Primogenitus in multis fratribus. 42.1
Cap.9. *Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* 128.1. & 438.1
Cap.10. *Non enim eſt diſtinctio Iudæi, & Græci. pag.* 92.1
Cap.11. *Non omnes obediunt euangelio.* 95.2
Quis enim cognouit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius. 9.1
Per ipſum, & cum ipſo, & in ipſo ſunt omnia. 656.2
Cap.13. *Nox præceſſit dies autem appropinquauit pag.* 505.2. & 773.2
Cap.15. *Noli gloriari aduerſus ramos: quod ſi gloriaueris.* 733.1
Cap.16. *Conteret Dominus Satanam ſub pedibus noſtris.* 38.1

1. Corinth.

Nos prædicamus Chriſtum crucifixum. pag. 81.1 Cap. 1.
Infirma mundi elegit Deus. 50.2
Qui gloriatur in Domino glorietur. pagina. 607.2
Si cognouiſſent nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. 58.1 Cap. 2.
Ego plantaui, Apollo rigauit: ſed Dominus incrementum dedit. 662.2 Cap. 3.
Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorum. 662.2 Cap. 4.
Hic iam quæritur inter diſpenſatores, vt fidelis quis inueniatur. 201.1
Modicum fermentum totam maſſam corrumpit. 386.1 Cap. 5.
Si nupſerit virgo non peccabit. 64.2 Cap.7.
Vnus eſt Dominus Ieſus Chriſtus, & vnus noui teſtamenti mediator. 14.2 Cap.8.
Nunquid non habemus poteſtatem ſororem mulierem circumducendi, ſicut & cæteri Apoſtoli, & fratres Domini, & Cephas. pag. 773.1 Cap.9.
Baptizati ſunt in mari. 25.1 Cap.10.
Petra autem erat Chriſtus. 126.2
Laudo vos fratres, quod per omnia mei memores eſtis. 321.1 Cap.11.
Nunquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum, quia Eccleſiam Dei contemnitis. 669.1
Probet autem ſeipſum homo. 668.2
Qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit. 661.2
Si quis eſurit domi manducet, vt non ad iudicium conueniatis, cætera autem cùm venero diſponam. 679.1
Operatur omnia in omnibus. 49.1 Cap.12.
Diuidens ſingulis prout vult. 371.2
Sectamini chariſmata meliora. 28.2
Charitatem autem non habuero, nihil ſum. pag. 536.2 Cap.13.
Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam. pag. 303.2
Charitas patiens eſt, benigna eſt, non æmulatur. 133.2. & 450.2
Charitas non quærit quæ ſua ſunt, ſed quæ Chriſti. 17.2
Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate. pag. 398.2
Charitas operit multitudinem peccatorum. pag. 628.1 Cap.14.
Non ſum dignus vocari Apoſtolus. 169.1 Cap.15.
Gratia Dei ſum id quod ſum. 771.1
Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Chriſto omnes viuificabuntur. 793.1
Si quis non amat Dominum Ieſum Chriſtum anathema ſit. 729.1 Cap.16.

2. Ad Corinth.

Cap.2. *CHriſti bonus odor ſumus pag.* 32.1. & 657.2
Cap.3. *Littera occidit, ſpiritus autem viuificat. pag.* 352.1. & 373.2
Cap.4. *Ab his, qui foris ſunt.* 477.1
Cap.6. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis.* 43.2
Cap.11. *Quis infirmatur, & ego non infirmor. pag.* 292.2. & 339.1
Cap.12. *Sufficit tibi gratia mea.* 64.2
Gloriabor in infirmitatibus meis. 434.2
Cap.13. *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus.* 70.2. & 453.2

Epiſt. ad Galat.

Cap.2. *VIuo ego iam non ego, viuit verò in me Chriſtus.* 174.2. & 710.1
Cap.4. *At vbi venit plenitudo temporis. pag.* 41.1 & *pag.* 49.1. & 667.2
Filioli mei, quos iterum parturio. 46.1
Donec formetur in vobis. 663.1
Cap.5. *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum.* 20.1
Qui talia agunt regnum Dei non poſſidebunt. 333.1
Pax, Patientia, Longanimitas. 7.1
Cap.6. *Si quis exiſtimat ſe aliquid eſſe cùm nihil ſit, ipſe ſe ſeducit.* 345.2
Deus non irridetur. 226.1
Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri. 406.2
Neque circuncisio aliquid valet, neque præputium. 48.2

Epiſt. ad Epheſ.

Cap.1. *ELegit nos in ipſo antè mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti.* 124.1. 236.2
Ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam. pag. 604.2
Cap.2. *Per ipſum habemus acceſſum ad Patrem. pag.* 28.1
Non eſtis hoſpites, & aduenæ, ſed eſtis ciues ſanctorum. 42.2
Cap.3. *Factus ſum miniſter ſecundùm donum gratiæ eius.* 120.1
Cap.4. *Vnum corpus, & vnus Spiritus, vna fides. pag.* 361.2
Cap.6. *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem.* 20.1
State ergò ſuccincti lumbos veſtros in veritate loricam iuſtitiæ. 241.2

Ad Philipp.

Cap.2. *HOc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu.* 30.1
Qui cùm in forma Dei eſſet. 707.1
Semetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens. 31.2. & 356.2
Propter quod, & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen &c. vt in nomine Ieſu omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum. pag 699.2. & 38.2. & 43.1. & 356.1. & 662.2
Cap.3. *Quorum finis interitus.* 102.2
Reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum. 417.2. & 422.1
Cap.4. *Omnia poſſum in eo, qui me confortat. pag.* 46.1. & 364.2

Ad Coloſſen.

Cap.1. *PAcificans per ſanguinem Crucis, ſiue quæ in cælis, ſiue quæ in terris.* 757.2
Cap.2. *Conſepulti, & in baptiſmo.* 661.2
Cap.3. *Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt.* 417.1. 661.2.
Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram. 505.2

1. Ad Theſſal.

Cap.4. *HAEC eſt enim voluntas Dei, ſanctificatio veſtra, vt abſtineatis vos.* 144.1
Nolumus vos ignorare de dormientibus. pag. 224.2

1. Timoth.

Cap.2. *OMnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* 663.1
Cap.3. *Qui epiſcopatum deſiderat.* 529.2
Cap.6. *Qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem.* 162.2
Radix omnium malorum eſt cupiditas. pag. 586.2. & 442.1

2. Ad Timoth.

Cap.2. *MEmor eſto Dominum Ieſum Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis ex ſemine Dauid.* 666.1
Sectare verò iuſtitiam, charitatem fidem, pacem. 436.2
Stultas autem, & ſine diſciplinatione quæſtiones de vita. 439.1
Cap.4. *Teſtificor coram Deo, & Chriſto Ieſu.* 253.1
Prædica verbum, inſta. 550.1
Doctrinam non ſuſtinebunt: ſed ad ſua deſideria coaceruabūt ſibi magiſtros. 807.2

Ad Titum.

Cap.1. *COnfitentur verbis ſe noſſe Deum, factis autem negant.* 409.1

Cap.13. *Secundùm miſericordiam ſuam ſaluos nos facit.* 26.2

Ad Hebr.

Cap.1. *SPleudor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius* 31.2
Cui enim aliquãdo dixit angelorum Deus, filius meus es tu, ego hodie genui te. 7.2
Iterum introduxit primogenitum in orbem terrarum. 43.1
Cap.4. *Tentatus per omnia voluit.* 37.1
Cap.7. *Segregatus à peccatoribus, & excelſior cælis factus.* 56.2
Cap.9. *Si ſanguis hircorum, & cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat.* 679.2
Cap.10. *Tunc dixi: ecce venio.* 769.1
Cap.11. *Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium. pag.* 44.1
Sancti vicerunt regna, arma verterunt exterorum. 47.1
Cap.13. *Chriſtus extrà portam paſſus eſt.* 575.1

Epiſt. Iacobi.

Cap.1. *VNuſquiſq. tentatur à concupiſcentia ſua.* 37.2
Omne datum bonum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt. 218.2
Deus elegit pauperes in hoc mundo. 50.2
Fides ſine operibus mortua eſt. 221.2
Ex operibus iuſtificatur homo, & non ex fide tantùm. 93.2
Qui in vno deliquit factus eſt omnium reus. 490.2
Cap.4. *Petitis, & non accipitis, eò quòd malè petatis.* 367.2
Humilibus Deus dat gratiam, ſuperbis autem reſiſtit. 158.1

1. Petri.

Cap.2. *SErui ſubditi eſtote in omni timore, non tantùm bonis, ſed etiam diſcolis.* 206.2
Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum. 52.1
Cùm malediceretur, non maledicebat. 122.1
Cap.3. *Quia pro peccatis noſtris mortuus eſt, iuſtus pro iniuſtis.* 686.2
Cap.5. *Circuit quærens quem deuoret.* 37.2
Salutat vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone. 1.1

2. Petri.

Cap.1. *SPiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti. pag.* 46.1

Quaſi liberi, & non quaſi velamen habentes malitiæ. 723.1 Cap.2.

1. Ioannis.

SAnguis enim Ieſu Chriſti emundat nos ab omni peccato. 679.2 Cap.1.
Omne quod eſt in mundo, aut eſt concupiſcentia carnis. 20.1 Cap.2.
Hoc mandatum habemus à Deo. 597.1 Cap.4.
Hæc eſt enim charitas Dei, vt ambulemus ſecundum mandata eius. 48.1 Cap.5.
Et ſcimus quoniam filius Dei venit. 32.2

2. Ioannis.

HOc eſt mandatum, vt quemadmodum audiſtis ab initio. 48.1 Cap.1.

Apocal.

HAbeo aduerſum te pauca. 104.1 Cap.2.
Vincenti dabo manna abſconditum. pag. 324.1
Vincenti dabo edere de ligno, quod eſt in Paradiſo. 38.2 Cap.3.
Qui vicerit faciam eum columnam in templo meo. 233.2
Sto ad oſtium, & pulſo. pag. 94.1. & 158.2. & 663.1
Qui vicerit faciam illum ſedere in throno meo. 368.2
Poſt hæc vidi turbam magnam. 360.1 Cap.4.
Et procidebant viginti quatuor ſeniores. pag. 210.1
Dignus es Domine accipere gloriam, & honorem, & virtutem. 139.1
Dignus eſt agnus, qui occiſus eſt accipere virtutem. 148.2. & 432.1. & 662.1 Cap.5.
Vſquequò non iudicas, & vindicas ſanguinem noſtrum. 245.2 Cap.6.
Non eſurient, neque ſitient amplius. 349.2 Cap.7.
Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat. 118.1 Cap.9.
Habet quidem iram magnam. 37.2 Cap.12.
Adorate eum qui fecit cælum, & terram. pag. 24.1 Cap.14.
Rex regum, & Dominus dominantium. pag. 84.2. & 593.2 Cap.19.
Vidi ciuitatem ſanctam Hieruſalem nouã deſcendentem de cælo. 413.2 Cap.21.
Non intrabit in eam aliquod coinquinatum. 44.1
Sanctus, & impollutus. 88.2
Ecce venio velociter. 28.2 Cap.22.

FINIS.

INDEX RERVM PRAECIPVARVM

MATERIARVM CONTENTARVM IN HOC TOMO.

Prima litera paginam, ſecunda columnam deſignat.

A

ABNEGATIO, & quid ſit. pag. 47.col.2
Abſcedere à Deo impiũ, & horrendum. 276.1

Abſolutio.

Abſolutio Sacramentalis Sacerdotis eſt actus iudicialis. 89.1
Ad eam requiritur poteſtas ordinis, & iuriſdictionis. 542.2
Abſoluit tàm Chriſtus, quàm Sacerdos. 542.2
Abſolutio eſt à Chriſto efficienter principaliter, à ſacerdote miniſterialiter. 275.2
Abſolutio Sacramentalis poteſt iterari. 397.2
Abſtinentia maior ſæpè in minus perfectis. 98.1
Abuſus in obſeruantia feſtorum. 487.1
Abuſus celebrantium proprij natalis diem. 256.2
Abuſus, & licentia viatorum repræhenditur. 278.2
Accedentes ad Deum malignè. 563.1
Acceptio nummorũ præuaricatio veritatis. 185.1
Accumbere menſis priſca conſuetudo. 608.1
Actus humani, vel immanentes, vel tranſeuntes. pag. 331.2
Adæ lapſus. 331.1
Adminiſtratorij Spiritus. 778.2
Admiratio, vt plurimum propter ignorãtiam ſit. pag. 61.1
Admirari quid ſit. 235.2
Adoptio quid ſit. 488.1
Adoratio vera, & ficta. 746.2
Adoratio crucis traditio Apoſtolica. 754.1
Aduentus Chriſti probatur contra Iudæos. 249.1
Aduentus Chriſti duplex. 413.1
Aduerſarij crucis iconoclaſtæ. 761.2
Adulatio quid ſit. 122.1
Adulatio familiare, & commune vitium. ibid.
Adulatio ſtultorum, & iniuſtorum vitio. 579.2

Adulterium.

Adulterium quid ſit. 332.2
Quid ſub eius nomine comprehendatur. ibid.
Adulterij damna. ibid.
Adulterij infamia. 258.1
Adulterium committit qui dimiſſa propria vxore aliam ſibi copulat. 493.1
Aeramentum quid ſignificet. 304.2

Affectus.

Affectus varij paſſionum naturalium in iuſtis, & peccatoribus. 87.2
Affectus luxurioſi. 198.1
Affectus amantes eſt amatum ſequi. 265.2
Affectus iuſti ardens erga Deum. 229.2
Afflictio dat intellectum. 117.2
Afflictio non ſemper eſt pœna peccati. 263.2
Agricolarum munia. 569.1
Agricolæ ſpirituales, qui ſint. 570.1
Ambitio malum periculoſum. 482.1
Ambitio Dœmonis quanta 135.1
Ambitioſi ſtudium. 52.2
Ambulare myſticè quid ſignificet. 306.2
Amen quid ſignificet. 44.1
Amen iuramenti nota conſtituitur. 136.2

Amare, Amor.

Amanti Deum omnia ſunt facilia. 539.2
Amoris diuini triplex gradus. 597.2
Amoris diuini quartus gratus eſt rarus. ibidem.
Amor duplex. 594.1
Amoris proceſſus in perfectis. 595.2
Amor proprius pernicioſus. 77.2.135.2.141.1
Amor proprius bona temporalia Chriſto anteponit. 202.2
Amor concupiſcentiæ aliquando in ſanctis regnat. pag. 120.1
Amor carnalium obcæcauit Iudæos. 742.1
Amor coniugalis ſuadetur. 305.1.& 2
Amor & amicitia eſt ad alterum. 396.2
Amicus homo eſt animal natura mutabile de facili. 108.1
Amicorum imperfectorum conditio. 424.1

Ange-

Angelus.

Angelus quid ſignificet. 5.1
Angelus Græcè, Latinè nuncius. 10.2
Angeli boni,& mali non habent nomen perſonæ, ſed officij. 196.1
Angeli ſunt ſpectatores bonorum operum. pag. 197.2
Angelus datus in cuſtodiam vnicuique genti. pag. 207.1
Angelus cuſtos cuiuſque perſonæ. ibid.
Angeli aſſiſtunt diuino officio. 309.2
Intellectu, & libertate ſuperant hominem. pag. 444.1
Angelis primum mandatum impoſitum. 596.1
Angeli boni intelliguntur ibi: *Mittet Angelos ſuos, &c.* 637.1

Anima. Animus

Anima iuſti Chriſti pabulum. 32.1
Anima vndè bona. 152.2
Anima vndè pulchra? ibid.
Anima humilis dicitur ſoror paruula. 220.2
Eius excellentia. ibid.
Animus hominis ſpiritualis eſt vas. 554.1
Anima quàm ſit chara Deo. 330.1
Anima in peccato dicitur filia in extremis. pag. 211.1
Anima dùm corpus informat dicitur terra. 152.2
Eius idiomata recipit. ibid.
Anima aliquando ſignificat ſenſum, & corpus animale. 408.2
Anima noſtra domus eſt Chriſti. 80.1
Animus hominis ſubiectum eſt virtutis, & doctrinæ euangelicæ. 177.2
Animi grati conditio. 32.1
Benefactoris memoriam, & imaginem retinet. ibidem.
Anna, & Cayphas viciſſim gerebant pontificatum. pag. 712.2
Anaximander Mileſius ſpheræ inuentor. 488.1
Anni Hebræorum Lunaris. 650.2
Annulus cur datur à ſponſo ſponſæ. 497.2
Annulus cur quarto digito inſeritur. ibid.
Antè faciem irc, quid ſit. 539.2

Apoſtoli. Apoſtolus.

Apoſtoli ſunt duodecim horæ, quæ occaſum neſciunt. 27.1
Apoſtoli, vt cæli ſigna lucent in firmamento. ibidem.
Apoſtoli vocantur nubes. 46.1.427.1
Apoſtoli dicuntur filij nuptiarum. 99.2
Vocantur filij thalami. ibidem.
Lucent in perpetuas æternitates. 100.1
Dicuntur cæli. 126.1
Cur dicti amici: Prophetæ verò ſerui. 165.1
Apoſtoli quomodò Chriſti fratres dicãtur. 232.1
Apoſtolus idem quod miſſus. 124.2
Apoſtoli diſtinguntur nomine, & cur? 126.2
Apoſtoli quando mittuntur bini. 236.1
Apoſtolorum paupertas. 238.1
An obligauit vſque ad finem vitæ. ibidem.
An obliget ſucceſſores. ibidem.
Apoſtoli quando ordinati ordinibus minoribus. pag. 237.2
Apoſtoli acceperunt Sacerdotium in cœna & non antè. ibid.
Apoſtoli quales teſtes. 246.1
Apoſtoli in medio maris conturbati quid repræſentent. 289.2
Apoſtolorum incredulitas, eiuſq. cauſa. 801.2
Non habentes pleniſſimam fidẽ putabant Deum importunitate laſſari. 99.2
Apoſtoli excuſantur. 387.2
Apoſtolorum zelus. 391.2
Apoſtolorum conſtantia. 622.2
Operati ſunt omnia in nomine Domini. 551.2
Apoſtoli octo cur ſedere iubentur in horto. 91.2

Apparitio.

Apparitio Spiritus ſancti viſibilis, vel alterius diuinæ perſonæ aliquid inuiſibile, & ſpirituale præſignabit. 19.2
Apparitiones viſibiles diuinarum perſonarum amplius non fiunt, & quare? ibidem.
Apparitio in forma columbę cur attribuitur Spiritui ſancto. ibidem.
Appellatio conceditur gradatim à minori ad maius. 204.2
Appetitus electiuus in homine qualis. 325.2
Approbant aulici quicquid Reges loquuntur. pag. 149.1
Aſina, & pullus, eorumq. ligamen quid ſignificet. pag. 539.2
Aſſimilatio pulchra. 427.1
Aſſuetus in malis difficulter benè operatur. 48.2
Aſtutia dæmonis. 776.1
Attributa diuina ex creaturis cognoſcuntur. pag. 568.1

Auaritia. Auarus.

Auaritia quid, & quando peccatum mortale. pag. 334.2
Auaritiæ filiæ. ibidem.
Auaritiæ nequitia. 509.2
Auaritia fugienda. 713.1
Grauis infirmitas. 111.2
Significata per manum aridam. ibid.
Reddit homines incapaces operandi bonum. pag. 163.1
Omnia mala parit. ibid.
Auaritiæ damna. ibid.
Parit timiditatem. 185.2
Eſt inſatiabilis. 319.2
Clericis inhibita. 162.1.510.1
Auaritiæ ſtudium. 553.2
Auari deſcriptio. 113.1
Auarus habet animam venalem. 152.1
Eidem tria mala inſunt. ibidem.
Auari nequitia. 161.1
Auari audiunt verbum Dei fruſtrà. ibidem.
Auari ærumna. ibidem.
Auctor ſuperſtitioſæ obſeruationis ſabbathi. pag. 780.2

Audire,

Audire, Auditus, Auris.

Auditus, quid ſit, 154.1
Auditorum verbi Dei tres gradus. 162.1
Audire correptionem vtile, & neceſſarium eſt. pag 233.2
Auguſtinus cur ſcripſit de Ciuit. Dei. 621.1
Auris obturata verbum Dei non recipit. 42.1
Auris interior, & exterior. 326.1
Aures habere, & non audire quid? ibid. 2.

Authoritas.

Authoritas euangeliorum. 6.1
Authoritas Cyrilli quomodò intelligenda. 26.1
Authoritas dimittendi peccata de cælo eſt. 88.2
Authoritas Chriſti plenior in Petro, quàm in alijs. 124.2
Authores canonum pœnitentialium. 140.1
Authoritas Moyſis in Sacra Scriptura. 316.1
Authoritas, & inſtitutio traditionum Eccleſiæ. pag. 31.2
Auxilium excitans quale. 453.1
Auxilium ex Deo, infirmitas verò ex homine. pag. 513.1

B

Baptiſmus.

Baptiſmus Ioannis ceſſit baptiſmo Chriſti. pag. 15.2
Baptiſmi Ioannis & Chriſti differentia. ibidem.
Baptiſmus pœnitentiæ quid. 17.1
Baptiſmus Ioannis non remittebat peccata. ibid.
Baptiſmus Chriſti hoc particulare habet, quod in eius ablutione omnes ſaluentur. 18.2
Baptiſmi Chriſti mirabiles effectus. ibid.
Baptiſmum deſiderans accipere, debet melioris vitæ nouitatem promittere. 19.1
Baptiſmus Ioannis nō dabat gratiam, ſed aquam infundebat. 25.2
Baptiſmus Ioannis ad Chriſti baptiſmum præparabat. ibidem.
Baptiſmus Chriſti dat Spiritum ſanctum, dignè ad Sacramentum accedenti. 26.1
Baptiſmi Chriſti effectus. ibidem.
Baptiſmus Chriſti ianua eſt ad Eccleſiam. 28.1

Baptizare.

Baptizare in deſerto quid ſit. 15.2
Baptizati Ioannis Baptiſmate denuò baptizabantur. pag. 25.1
Baptizari denuò non licet, niſi cū ignoretur. 26.1
Baptizari in Spiritu ſancto quid ſignificet. 26.2
Baptizantur omnes in remiſſionem peccatorum. pag. 805.1
Baronij opinio. 659.1

Beatitudo.

Beatitudo cæleſtis qualis. 343.1
Beati ſtant non ſedent. 525.2
Beatitudo Chriſtiana. 425.1

Bellum.

Bellum quando licitum. 621.1
Bella plura antequam poſt Chriſtum. 621.1
Beelzebub quid ſit. 132.2
Benedictio anteponenda paſtui. 331.1

Beneficium. Beneficentia.

Beneficentia Dei ergà peccatores. 204.2
Beneficij duplex genus. 207.2
Beneficia ſpiritualia cōceſſa à Deo animæ. 225.1
Beneficia Dei. 653.2
Benignitas Dei nunquā deeſt benè operanti. 41.1
Beringarij, & aliorum error. 675.2

Blaſphemia.

Blaſphemia quid ſit. 138.2
Blaſphemiæ diſtinctio à peccato in genere. ibid.
Blaſphemia in Spiritum ſanctum. 139.2
Blaſphemia ſpecies eſt infidelitatis. 336.2
Blaſphemiæ ſpecies. ibidem.
Blaſphemia memorabilis pœna. 377.1

Bonitas. Bonum.

Bonum quid ſit. 423.1.503.2
Bonum cur aliquid dicatur. 151.2
Bonitas extrinſeca, & intrinſeca. 503.2
Bonitas Dei erga homines quanta. 173.1
Breuitas vitæ noſtræ à quo procedat. 237.2

C

Calix.

Calix quid & vndè dictus. 677.2
Calix in Sacra Scriptura, quid ſignificet. pag. 303.2
Calix aliud à baptiſmate. 526.1
Calix Domini olim reſertus Ieroſolimæ, nunc Valentiæ. 678.1
Calices lignei vitrei, & argentei. ibid. 2
Caluinus ieiunij quadrageſimalis hoſtis. 321.2
Caſus malorum feſtinanter venit, & cum feſtinatione tranſit. 150.2
Cathecumenus non poteſt eſſe particeps Sacramentorum. 345.2
Cauſa interior peccati duplex. 332.2
Canticum animæ gratæ. 31.2
Caput deſignat animam. 571.2
Caſtigatio fit ad ſalutem. 455.1
Caupones prohibentur ab oblatione. 610.2
Cauſa charitatis in Chriſti corpore. 419.2
Cæphas idem ſignificat, quòd caput. 127.1

Charitas.

Charitas quid ſit. 598.1
Charitatis effectus. 450.2
Charitas in cælo non immutatur, ſed augmentatur. 24.2
Chari-

Digitized by Google

Charitas Apoſtolorum. 46.1
Charitas debet eſſe ordinata. 51.2
Charitas in carnalibus infructuoſa. 103.1
Charitas per peccatum deſinit. ibid.2
Charitas radix omnis fructus. 151.2
Charitas alimentum animæ. ibidem.
Charitas ſignatur per virgam. 139.2
Charitas virtus Epiſcopalis. 268.2
Charitas Deo coniungit. 285.1
Charitas paſtorum qualis eſſe debet erga oues Domini. 350.1

Chriſtus.

Chriſtus obiectum fidei. 7.2
Chriſtus in quem pſalmos, & cantica collimauit Dauid. 9.1
Chriſtus ſolus conditor noui teſtamenti. 14.1
Chriſtus cur præcepit ſuos neminem per viam ſalutare. 28.1
Chriſtus cur vocatus dilectus. 31.2
Chriſtus altile præparatũ iuſto proponitur. 32.2
Chriſtus fidem non ſuſcepit. 33.2
Chriſtus ſponſus, qui Eccleſiam deſponſauit. pag. 99.2
Chriſtum proprium ab omni creatura laudari, eiq. genu curuari. 108.2
Chriſtus cur aliquando humanum ſubſidium admittit. 120.3
Chriſtus mons. 122.2
Chriſtus vocat quos vult. 123.1
Chriſti reuerentia ergà matrem. 143.1
Chriſtus ſingularis. 154.2
Chriſtus granum ſynapis. 176.1
Chriſtus cur aliquando videatur dormire. 182.1
Chriſtus permiſit Dœmones eſſe in terra. 197.1
Chriſtus præcepit aliquando petendam eſſe domum, aliquando relinquendam, & quare. pag. 206.2
Chriſtus cur ſolus ad mortuam puellam accedere noluerit. 226.2
Chriſtus cur poſt captum Ioannem in Galilæam diſceſſit. 39.2
Chriſtus vnicus in hoc ſæculo. 43.1
Chriſtus pœnitentiam, & fidem exigit à ſuis. pag. 44.2
Chriſtus cur elegit pauperes. 50.2
Chriſtus cur è ſynagoga egreſſus. 62.2
Chriſtum aſcendiſſe in nauem Petri, eiuſque domum intraſſe quid ſignificet. 63.1
Chriſtus non indigebat oratione. 68.1
Chriſtus vbi inuenitur. 69.1
Chriſtus non fuit ſubiectus legi. 74.1
Chriſtus nobis eſt omnia. 79.1
Chriſtus quomodo admiratur. 135.2
Cur dedit diſtribuendos panes, & piſces Apoſtolis. 281.2
Chriſtus ſemper præſens ſpiritu Eccleſiæ rectoribus. pag. 285.1
Chriſtus vbi quærendus. 242.1
Chriſtus cur voluit deprecari. 359.2
Chriſtus aliquando ſecundum conſuetudinem naturæ noſtræ loquitur. 361.2
Chriſtus vocat ſuos ad labores. 416.1
Chriſtus libenter cum iuſtis conuerſatur, non cum iniuſtis. 443.1
Chriſtus roſæ comparatus. 445.2
Chriſtus cur tanta permiſit dœmoni in ſua præſentia. 447.1
Chriſtus eſt paſcha. 667.1
Chriſtus integer ſub ſingulis diebus & ſpecierum partibus in Euchariſtia. 674.1
Chriſti imitatio. 377.2
Chriſtus vitis. 457.1
Chriſti nomine omnia facienda. 475.1

Chriſti generatio.

Chriſtus ſupernè eſt ex ſolo patre infernè ex ſola matre. 428.1
Chriſtus ſapientia genita. 231.1
Chriſtus filius Dei naturalis. 32.1
Chriſtus natus puer non grandæuus, ſicut Adam. pag. 468.2
Chriſtus ſimilis ominò patri. 31.2
Chriſtus cur primogenitus dictus. 452.2

Chriſti aduentus.

Chriſtus venit in hunc mundum, non ex imbecillitate, ſed amore. 21.2
Chriſtus venit, vt nos ad ſui amorem accenderet. ibid.
Chriſtus poterat non veniens genus noſtrum reparare. ibid.
Chriſtum venire poſt Ioannem quomodo intelligendum. ibid. 2
Chriſtus propter Iudæos primum venit. 343.2
Aduentus eius duplex modus. 324.1

Chriſti gratia.

Chriſtus abſque menſura habuit donum gratiarum. pag. 36.1
Chriſtus continebat omnes gratias, quæ diuiſim vniuerſis creaturis communicari valet. ibid.
Chriſtus quia ſolus ſine peccato, ideò in ipſo ſolo Spiritus ſanctus in Iordane manſit. ibidem.
Chriſtus accepit Spiritum ſanctum, vt homo, eumq. dat nobis vt Deus. 29.2
Chriſtus in Sacramento baptiſmi dat gratiam ex ſe excellēter authoritatiuè, & efficaciter. 26.2

Chriſti impeccabilitas.

Chriſtus ſolus per ſe liber à peccato. 30.1. 286.1

Chriſti ſcientia.

Chriſtus omniſcius. 235.2
Chriſtus cognouit intima cordium, & quomodo. pag. 86. & 50.7.2
Chriſtus ſolus cognouit diſtinctè, & manifeſtè virtutem quæ in ipſo erat. 218.2
Chriſtus cur aliquando ſe non ſcientem oſtenderit. 219.1

Chri-

Chriſtus baptizatus.

Chriſtus cur baptizandus venit ad Ioannem pag. 27.1
Chriſtus baptizatus. ibid.2
Chriſtus in Iordane baptizatus ſtatim aſcendit de aqua & cur. ibid.2

Chriſtus ductus in deſertum, eius tentatio, & ieiunium.

Chriſtus expulſus à ſpiritu in deſertum, omnes fructus ſpiritus exercuit. 33.2
Chriſtus ab vno ſpiritu ductus fuit in deſertum. pag. 34.2
Chriſtus cur in deſertum abijt. 35.1.36.2
Chriſtus fuit cum beſtijs in deſerto, vt peccatorum cauſam ageret. 38.1
Miniſterio vtitur Angelorum. ibid.2
Chriſtus ieiunans in deſerto viam regiam, & ſeiunctam à periculo oſtendit. 37.1
Chriſtus vt homo fuit tentatus in deſerto. ibid.
Chriſtus an toto illo quadraginta dierum ieiunij numero fuerit tentatus. ibid.
Chriſtus multifariam olim in membris tentabatur, & nunc tentatur. ibidem.

Chriſti predicatio, & doctrina.

Chriſtus optima annunciat mundo. 5.1
Chriſtus prædicauit & Pater per Chriſtum. 7.1
Chriſtus exclamans cuius vox dicitur Ioannes. pag. 12.2
Chriſtus author, & doctor fidei. 32.2
Chriſtus prædicabat ſeipſum, verum verax, æternum, & immutabile verbum. 81.1
Chriſtus ob feruorem prædicandi omittebat horam comedendi. 132.1
Chriſtus docebat moralia ſine parabolis, & ſpeculabilia theologica cum parabolis. 147.2
Chriſtus ſolemnem prædicationem poſt mortem Ioannis præcurſoris orditus eſt. 40.1
Chriſtus quid prædicauit & docuit. 41.1
Chriſtus author Euangelij, & primus Euangeliſta. ibidem.
Chriſtus cur in Synagoga, & in templo doceret, ac diem feſti prædicationi ſuæ elegit. Præcurſor verò neque locum, neque tempus obſeruauerit. 54.1
Chriſtus docebat iuxtà audientium, & captum mores. ibidem.
Chriſtus quid prædicabat. 228.1
Chriſtus inſtruit non verbis modo, ſed etiam exemplis. 384.2

Chriſti poteſtas, & principatus.

Poteſtatis plenitudo apud ſolum Chriſtum. 247.2
Chriſti nomen vincit hoſtes. 145.2
Chriſto miniſtrabant omnia. 530.1
Chriſtus vt homo habuit poteſtatem excellentiæ dimittendi peccata. 89.1
Chriſtus diuerſimodè dimittit peccata. 17.1
Chriſtus ſolus alligat dæmonem. 138.1
Chriſtus quando & propter quid ſuper angelos principatum acceperit. 38.2
Chriſtus quando principatum Eccleſiæ acceperit. pag. 290.1
Chriſtus ſe videntibus aliquid ſupra hominem in corpore ſuo deliteſcere oſtendebat. 291.2

Chriſti miracula, & curationes.

Chriſtus miracula perpetrauit ſecundùm diuinitatem principaliter agens, & ſecundùm humanitatem vt inſtrumentum. 228.1
Chriſtum non poſſe miracula operari, quomodo intelligatur. 234.2
Chriſtus non operatur miracula quando per malitiam, & incredulitatem eſſent allatura nocumentum. 235.1
Chriſtus per impoſitionem manuum ſolùm mundat corpora. Apoſtoli verò morbos pellunt, & infundunt Spiritum ſanctum. ibid.
Chriſtus volens ſanare ſocrum Simonis cur acceſſit ad eam, & apprehendit manum illius. pag. 64.1
Chriſtum tantùm apud infirmos, & petentes agit quantum eorum poſtulat deuotio, atque fides. 66.2
Chriſtus multos non omnes dicitur curaſſe, & cur ibidem.
Chriſtus cur poſt ſanationem ægrotorum in deſertum ſeceſſit. 68.1
Chriſtus cur ſanando leproſum manum extenderit. pag. 73.2
Chriſtus aliquos morbos curauit tacendo, alios dicendo. ibid.
Chriſtus ſanando corpus mundabat & animam pag. 75.1
Chriſtus ſanatū leproſum cur miſerit ad Sacerdotem. 76.1

Chriſtus Saluator, & Redemptor.

Chriſtus in Cruce ſaluat. 752.1
Chriſtus ſufficiens omnibus medicina modo applicetur. 89.2
Chriſtus liberando animam à peccatis infundit virtutem operandi bonum. 90.1
Chriſti præſentia plus proficit, quàm corporales abſtinentiæ. ibidem.
Chriſtus Saluator animarum, & corporum. pag. 551.2
Chriſtus non venit perdere, nec iudicare, ſed redimere, & ſaluare. 57.1
Chriſtus camelus portans infirmitates, & peccata noſtra. 20.1
Chriſtus præſeruauit Angelos. 3 9.1
Chriſtus ab inſtanti conceptionis factus eſt propitiatio pro peccatis noſtris. 136.2
Chriſtus ex ſcripturis potuit cognoſci, vt Redemptor. 88.2

Chriſti cultus.

Chriſtus latria colendus. 23.2

Chri-

Chriſti humilitas, & obedientia.

Chriſti humilitas. 774.2.577.2
Chriſtus vicit obedientia. 47.1
Chriſtus retinuit ora omnium, nè eius fama per orbem diſcurreret. 62.1
Chriſtus cur iuſſerit leproſo tacere. 75.2
Eius doctrina humilitatem ſuggerit. 428.2
Chriſtus humilis reſpicit, ab arrogantibus autem auertit faciem. 543.2

Chriſtus paſtor.

Chriſtus verus paſtor. 273.1
Chriſtus paſtor bonus. 686.2

Chriſti paſſio, & mors.

Chriſtus liberè paſſus. 748.1
Sine paſſione Chriſti poſſibile erat Deo ſaluare hominem. 708.1
Chriſti paſſio neceſſe eſt, vt applicetur. 74.1
Chriſtus non ſolùm in cruce, ſed ab inſtanti conceptionis paſſionem ſentit. 445.2
Chriſtus quod ſubſtinuerit ab ingratis. 620.1
Chriſtus conſpuitur primò, quia redemptor peccati originalis. 622.2
Conſpuere Chriſtum ſpiritualiter. 748.1
Chriſtus cur velatus. 723.1
Chriſtus in nocte negatur à Petro. 728.1
Conſilium ſeptuaginta aduerſus Chriſtum. 732.2
Crimina conficta in Chriſtum. ibid.
Chriſtus cur extrà portas paſſus, & mortuus eſt. pag. 750.2
Chriſtus cur cruci adiudicatus, & non lapidatus ſecundùm legem. ibid
Chriſtus qua hora crucifixus iuxtà computum noſtrum. 753.2
Concordia Euangeliſtarum de hora paſſionis. pag. 752.1
Cum eo latrones ſimul crucifixi. 757.1
Crudelitas in Chriſtum commiſſa. 777.1
Conſtantia, & pietas mulierum aſſiſtentium cruci. pag. 771.2
Chriſtus in cruce ſaluat. 762.2
Chriſtus cur vocē emiſit dùm moreretur. 768.2
Chriſtus qua neceſſitate mortuus. 405.1
Chriſtus paſſionis diem elegit. 651.1
Chriſtus maledictum ſuſtinuit, vt illud ſolueret. pag. 787.1
Chriſti corpus in ſepulchro erat vnitum verbo. pag. 782.2
Chriſti ſepulchrum deſcribitur. 778.1
Chriſti morientis fides conſeruata à milite Romano. 771.1

Chriſti reſurrectio, & apparitio gloria.

Chriſti reſurrectio, eiuſq. deſiderium. 795.1.2
Preces ſanctorum patrum. ibid.
De Chriſti reſurrectionis hora variæ opiniones. ibid.
Verior ſententia, quæ reſurrectionem in initium dominicæ diei ponit. 796.1
Error Pauli Medelburgenſis de reſurrectione. ibid.2
Chriſtus apparuit matri. ibid.
Apparuit Magdalenæ. ibid.
Chriſti apparitio duobus diſcipulis facta. 800.1
Talis apparuit, qualis erat conceptus diſcipulorum. pag. 801.1
Reſurrectio Chriſti quid cauſat in corporibus beatis. 799.1
Quid operatur in animis beatorum. ibid.
Apparitio Chriſti facta recumbentibus vndecim. pag. 802.1
Cur numerentur ſolùm vndecim cùm plures alij fuerint? ibid.2
Reſurgentium ſtatus. ibid.
Chriſtus reſurgens quinque plagas retinuit, & quare? 371.1.795.2
Chriſtus liber à noſtris miſeriis. 286.1
Cauſa claritatis in corpore Chriſti. 419.2
Reſurrectio Chriſti cauſa noſtræ reſurrectionis. pag. 795.2

Chriſtianus.

Chriſtiani quales fuerunt in primitiua Eccleſia. pag. 1.2
Chriſtiani habent intelligentiam Sacræ Scripturæ. pag. 8.2
Chriſtianus fidelis debet fabricare ſuper fundamenta humilitatis. 23.2
Chriſtianus perfectus non ſolùm nomen, ſed imitationem Chriſti aſſequitur. 86.2
Chriſtianus, qui ſanitatem animæ eſt conſequutus ad præceptum Dei attendat. 90.2
Chriſtianus, qui opera virtutum non facit, dexteram aridam dicitur habere. 113.2
Chriſtiani, qui ſignis profitentur fidem, ſed mortuam deſerunt, non ſuſcipiūt verbū Dei. 164.2
Chriſtiani, qui Chriſtum à ſeipſis abire compellunt. pag. 204.1
Chriſtiani fruſtrà in Chriſto gloriantur, cuius mandata non cuſtodiunt. 230.1
Chriſtian' pius à diuinātibus debet cauere. 256.2
Ciuitas Dei quæ. 297.2

Clamor.

Clamor ex intimo cordis egreditur. 12.2
Clamor Prophetæ. ibid.
Clamor Chriſti. ibid.
Clamor Angelorum. ibid.
Clamor pœnitentis. ibid.
Clamor prædicatoris. ibid.
Clamandum ad ſurdos. ibid.2
Clamor prædicatoris contrà induratos. ibid.

Clericus.

Clerici nihil olim proprij habebant. 51.1
Clerici in adoleſcentia à dæmonibus vexati, ſacris ordinibus non debent ordinari. 205.2
Clericus deponendus non dicens officium diuinum. pag. 211.1
Clerici quantū vitare debent conuerſationē mulierum.

lierum. 226.2
Clerici debent bona ſua pauperibus diſtribuere. pag. 277.2
Clericis inhibita auaritia. 510,1

Cæcitas, cæcus.

Cæcitas multiplex. 290.2
Cæcitas mentis eſt falſum imaginari verum, & amplecti malum vt bonum. 116.1
Cæcitas Arianorum. 122.1
Cæcitas Apoſtolorum. 290.2.389.1
Cæcitas Iudæorum. 421.2
Cæcus cæcum ducit. 61.1
Cœlum quare apertum in baptiſmo Chriſti. 29.1
Cogitationes humanæ per boues arantes ſignatæ. pag. 149.2
Cogitatio cur dicatur mala. 332.1
Cognati aliquando infideles. 234.2
Cognati veri ſunt qui præcellunt doctrina, & ſapientia. ibid.

Cœlibatus.

Cœlibatio ſacris viris conuenit. 496.1
Cœlibatio defenditur. 225.2

Cognitio.

Cognitio varia,& multiplex in beatis. 21.1
Cognitio de Deo triplex. 192.2
Cognitio Chriſti non eadem in omnibus. ibid.
Cognitio veritatis abſq. eius obſeruantia nihil prodeſt. 41.1
Cognitio beneficiorum. 348.1
Cognoſcere,& intelligere ſignificāt diuerſa. 388.2
Color veſtium Chriſti. 418.2

Columba.

Columba in cuius forma fuit viſus Spiritus ſanctus non erat anima. 29.2
Significauit abundantiam ſpiritus,eiuſq.plenitudinem in Chriſto, poſteà communicandam in baptiſmo. ibid.
Cur deſcenſus in forma columbæ attribuitur Spiritui ſancto. ibid.
Columba manens ſuper Chriſtum, ſignificat eius vnctionem. 30.1
Quid ramus oliuæ in ore columbæ deſignet. ibid. 2
Columba egreſſa è templo Salomonis quid portendebat. 768.2
Comminationes in dæmones quantũ poſsēt. 59.1
Comminatio ſemper eſt conditionalis. 46.1
Commune quod nam dicebatur à Iudæis. 297.2
Communicatio multiplex. 329.2
Communio gratiæ,& meritorum in electis 451.1
Communicandi tantùm ſunt ieiuni. 679.1

Comparatio.

Comparatio inter Deum,& creaturam nō datur. pag. 21.2
Comparatio datur inter Chriſtum, & Ioannem, in quo ſit. ibid.
Comparatio inter Chriſtum,& Ioannem. ibid.
Comparatio pauperis ad vitem. 30.2
Complacentia in peccato. 454.1
Compaſſio magis habenda peccatori, quàm ei, qui mulctatur æculei ſupplicio. 60.2
Computatio Græcorum à Septembri annos ducebat. 650.1
Latini computabant annum à Martio, alij à Ianuario. ibid.
Cōceptio Mariæ mūda à peccato originali. 142.2
Concilium deficere poteſt à Papa,& à veritate. pag. 709.1
Concordia impiorum in malo. 806.1
Concordia in clauſtris ſeruanda. 450.2
Concordia Matthæi,& Marci ſuper ficu facta arida. 557.2

Concupiſcentia.

Concupiſcentia quid ſit. 163.1
Concupiſcentia muſca importuna. 20.1
Concupiſcentiæ ignis. 725.1
Concupiſcentia in homine, vt latrunculi Syriæ. ibidem.
Cōcupiſcētia importunitas aduerſus ſāctos.ibid.
Cōcupiſcentiæ multiplex illuſio in homine. ibid.
Concupiſcentia malum appetit, aduerſatur bono,quod dictat lex mentis. 37.2
Concupiſcentia fouetur cum ſenſuum diſciplina negligitur. ibid.
Concupiſcentia mortificatione, & diuinæ gratiæ auxilio, vel vt mare intra terminos ſuos cohibetur. ibid.
Concupiſcentiæ poſt peccatum remanet ad agonem, non ad culpam. 217.2
Concupiſcentia non eſt peccatum. ibid.
Concupiſcentia dicitur aliquando peccatum, & quomodo hoc intelligendum. ibid.
Concubitus omnis illicitus inhibetur præcepto, *ne adulteres.* 505.2

Conditio.

Conditio animi grati. 32.2
Conditio hominum maligna offerre ſemper Deo deteriora. 65.2
Conditio ſocietatis malignorum. 118.1
Conditio detractorum. 131.2
Conditio tyranni eſt aliena ſibi vindicare. pag. 137.2
Conditio boni, & fidelis parentis. 211.2

Confeſſio.

Confeſſio facienda. 465.2
Confeſſio diuina in quo ſtet. 130.1
Confeſſio peccatorum veteris teſtamenti non erat ſacramentalis. 19.1
Confeſſio illa fuit diſtincta ſacramentali,quam Chriſtus inſtituit. ibid.
Confeſſio debet fieri omnium peccatorum. pag. 163.1. 200.2

Con-

Confeſſio humilitatis comes. 344.2
Confidere in pecunijs dupliciter contingit. 511.1
Confidentia de proprijs viribus non agnoſcet diuinum auxilium. 287.2
Confidentia in Deo multùm operatur. 345.1
Confirmatio Pontificum in fide. 688.1
Coniunctio inter virum, & vxorem dignior ea, quæ eſt inter filium, & parentes. 193.1
Conſeruatio charitatis, & gratiæ. 710.2
Confugiendum ad Deum in malorum inſidijs. pag. 296.2
Conſideratio pia, & præmittenda orationi. 699.2
Conſideratio fructuoſa ſuper illud. ibid.
Videte autem vosmetipſos. 621.1
Conſideratio efficax ad pœnitentiam. 773.1
Conſideratio pulchra, & vera doctrina Tertuliani de origine, & cauſa perſecutionis Chriſtianorum per Gentiles. 806.1

Conſilium.

Conſilium fit præceptum poſtquam illud fuerit amplexus religioſus. 239.1
Conſilium, qua ratione dicatur præceptum. 758.1
Conſtantia, & pietas muliebris. 771.2
Conſtitutio Apoſtolica. 656.2
Conſuetudo religioſorum in Hiſpania. 371.1
Conſuetudo antiqua Alexandrinæ Eccleſiæ. 675.1
Conſumatio ſæculi per menſem ſignata. 175.2
Contemplatio iuſtitiæ quàm vtilis. 41.1
Continens nemo eſſe poteſt, niſi Deus conceſſerit. pag. 64.2
Continentia viri ſine voluntate vxoris eſſe non poteſt. 494.1
Contrà Eccleſiaſticos, & Religioſos auaros. 62.2
Contrà vanas traditiones, & obſeruationes. 315.2
Contritio eſt pulmentum, quo delectatur Iſaac. pag. 120.2
Contritio diebus feſtis facienda. 736.2
Contriſtari doctorem veritatis graue, & pernicioſum. 70.2
Controuerſia de temporali poteſtate Papæ. 75.2
Contumelia. 772.1
Conuentus in Eccleſia fieri antiqua eſt conſuetudo. 608.1
Conuerſatio regularium, & ſæcularium, quàm ſit diſpar. 91.1
Conuerſatio Chriſti dulcis. 131.1
Conuerſatio integra. 437.2
Conuerſatio cum homine indocto fugiẽda. 230.2
Conuerſio mirabilis. 476.2
Conuerſio populorum ad Chriſtum. 95.1
Conuerſio fit repentè. 452.2
Conuiuium quando exercendum. 283.2
Conuiuia olim celebrata in Eccleſia. 668.2
Cophini duodecim fragmentorum quid ſignificent. 283.1
Cor aliquando in Scriptura ſumitur pro anima, aliquando pro potentijs rationalibus. pag. 116.1. 329.2
Cordis munditia. 307.1
Corpus humanum totum poroſum. 340.2
Correptio leuis contribulatis. 289.2
Correlaria ſex, quæ ad præceptum dilectionis ſequuntur. 600.1
Correlatiuorum lex. 590.2
Corruptio morum in Scribis. 84.2
Corruptio hominum vſq. ad Chriſti aduentum, pag. 214.2

Creatura.

Creaturæ omnes obediunt voci Dei. 18.1
Creaturæ hominem ad Deum alliciunt. 681.1
Creaturæ omnes propter hominem cõditæ. 149.1
Creaturæ ſunt parabolæ notificantes Deũ. 568.1
Creatura Dei inſcriptio eſt. 552.1
Creatura non poteſt operari in inſtanti. 217.1
Creatura repræſentat Deum. 280.2

Credere.

Credere Deo, & in Deum diuerſa ſunt. 565.2
Quid credere oporteat. 560.1

Crux.

Crucis ſignum familiare. 684.2
Crucis myſteria, & forma. 754.2
Crucis gloria, & virtus. ibid.1
Crucem adorare traditio Apoſtolica. ibid.
Crucis aduerſarij iconoclaſtæ. 761.2
Crudelitas mulieris omni alia maior. 254.1
Crudelitas Phalaris. 325.1
Crudelitas in Chriſtum commiſſa. 776.1
Cur Chriſtus dicit bibo, & non bibam filijs Zebedæi. pag. 525.1
Cur in parabolis loquutus eſt Chriſtus. pag. 567.2
Cur venia, & non hæreditas, ſicut aliàs dicitur, Sinagoga? 575.2

Cura.

Cura parentum habenda in neceſſitate. 51.2
Curare infirmitates eſt gratia gratis data. 126.1
Curare animas eſt gratiæ gratumfacientis ibid.
Cura de bono nomine eſt habenda. 210.1
Curæ ſeculares impediunt conuerſionem animæ à peccato. 226.2
Curæ ſeculares prohibitæ Eccleſiaſticis. 240.2
Cura mortuorum habenda. 265.2
Curatio corporum ſignificabat adeſſe Saluatorem promiſſum. 63.1

Curioſitas.

Curioſitas habitus in religioſis reprehenditur. pag. 19.1
Curioſitas quàm pernicioſa. 159.2
Curioſitas non ſemper damnatur. 278.2
Curioſitas inimica religionis. 298.1
Cuſtodia iuſti. 255.2
Cuſtodia cordis habenda. 307.2

D

Dæmon.

Dæmonis induratio. 57.2

Dæmoniorum varia genera. 806.2
Dæmon neque diuinitatem Chriſti, neque eum eſſe verum Meſſiam certitudinaliter cognouit. pag. 58.2
Dæmones in Creatoris iniuriam creaturam rationalem obſident. 67.1
Dæmones non habuerunt certam ſcientiam de Deo. ibid.2
Dæmones habent varias appellationes ab effectu & affectu. 121.1
Dæmones quomodo, aut in quo viderint Chriſtum. pag. ibid.
Dæmones cur Chriſtum laudarent. 122.1
Dæmones non cognouerunt Chriſtum Redemptorem. ibid.2
Dæmon neque finem excipere durante diuino beneplacito, & ordine vniuerſo. 136.2
Dæmonum principatus in fine mundi poſt iudicium euacuabitur. 137.1
Dæmon dicitur fortis à fraude,& aſtutia. 137.2
Dæmones per volucres cæli ſignati. 149.2
Dæmones virtuti ſanctorum ſubijciuntur. 189.1
Dæmonum fallacia. ibid.2.450.1
Dæmonis aſtutia in tentando B. Euphraſinam Virginem. 190.2
Dæmon natura bonus. 191.2
Dæmones dona naturalia retinuerunt. 192.2
Dæmones, & creaturæ etiam irrationales adiurantur. 194.2
Dæmonum aſtutia in peruertendis hominibus. pag. 543.1
Dæmoniatus graue tormentum exire à corpore humano. 195.1
Dæmones cur pluris duxerint mitti in porcos, quàm in alia animalia. 198.2
Dæmones quomodo corpus ingrediantur. 199.1 - 200.1
Dæmonis ſtudium. 349.2
Dæmonum turpitudo. 196.1
Dæmones non volunt bonum. 444.2
Dæmones animas hominum illaqueunt. 806.1
Chriſti rebus obiant. ibid.
Bellum aduerſos ſanctos excitant. ibid.
Dæmones tyrannos mouerunt ad perſecutionem Eccleſiæ. ibid.
Obmutuerunt in idolis aduenientibus Apoſtolis ibidem.
Iratus Tyberius obmuteſcentibus oraculis expulit ab vrbe Dyagondam, Bacchum, Zubazinum, & Deos Aegyptiorum. ibid.
Omne genus dæmoniorum eiecerunt Apoſtoli, & fideles. ibid.2
In Dæmones conuerti animas error Tertuliani. pag. 188.2
Eius damnatio,& confutatio. ibid.
Dæmones pertimeſcunt initia rectè viuere inſtituentium vigilias,orationes,ieiunia,& cætera. pag. 189.1
Dæmonum poteſtas. ibid.
Conditione naturæ homines tranſcendit. ibid.
Meritis Sanctorum ſubiacet. ibidem.
Poteſtas Mauritij Epiſcopi Andegauenſis ſuper dæmonijs. ibid.
Dæmones ligantur à magis. ibid.2
Inuocantur per ſacrificia. ibid.
Adorantur à magis etiam cultu latriæ. ibid.
Dæmones tamdiù pactum cum magis ſeruant, quamdiù nocere poſſunt animabus. ibid.
Dæmonis ſuperbia. 190.1
Complacet ſemper in primo peccato. ibid.
Dæmonium impurum habitans in monumentis. ibid.
Deſcriptio dæmonum, prout apparuerũt cuidam infideli ſuſcitato per Iulianum. ibid.
Dæmonum inuidia aduerſus Sanctos. ibid.
Eorum inſidiæ contra Monachos,& Virgines. ibid.
Dæmonum crudelitas, & rabies. 191.1
Dæmonum peruerſitas non naturæ, ſed voluntatis eſt vitium. ibid.2
Error Manichæi,& Priſciani,qui dæmonem natura malum introduxerunt. ibid.
Dæmonium coactè genuflectit Chriſto. 193.1
Aduerſus dæmones ſecurè confligunt in Chriſto fideles. ibid.
Deflent ſe deuinctos ſigno crucis. ibid.
Dæmon homicida. ibid.
Dæmonis blaſphemia. 194.1
Dæmones credunt, & contremiſcunt filium Dei. ibid.
Adiurant Chriſtum. ibid.2
Dæmonum tormenta non poſſe hominibus nocere. ibid.& 195.1
Dæmonis inſidiæ contrà Iulianam Virg. ibid.
Ab eadem ſuperatur. ibid.
Dæmones adiurari magis poſſunt, quàm perſuaderi obſtinati benè agere. ibid.
Dæmonem Amandus Epiſcopus fugauit. ibid.
Originis error circà dæmones confutatur. ibidem.
Dæmonum legio. 196.2
Notabile dictum Amati Abbatis contra dæmonem. pag. 197.1
Dæmones eas regiones amant in quibus plus nocere poſſunt. ibid.
Hominum hodio iumenta corripiunt. ibid.
Confusè loquuntur per os vnius hominis. 198.2
Legio dæmonum obſidebat Orionem. ibid.
Dæmones varijs vitijs præpoſiti. 199.1
Dæmonum voluntas ſemper mala. ibid.
A Deo moderantur, vt noceant tantùm ſecundùm demerita hominis. ibid.
A Dæmonum legione obſeſſus liberatur. 200.1
In porcos ingreditur, duoq. millia ſuffocat. ibid. col. 1.2.
Dæmonem à puella expulit ſanctus Maclouius Epiſcopus potu aquæ benedictæ. ibid.1.
Sanctus Hubertus ſigno crucis liberat Pythoniſſam. ibid.

Damnum.

Damnum quod naturæ accidit propter abominationem in templo factam. 56.1
Damna quæ obueniunt peccatori habenti aridam dexteram. 16.2

Dam-

Digitized by Google

Damnum vnius ſimilis proprium reputatur alteri ſimili. 156.1
Damna illorum quos Deus à ſe dimittit. 275.2
Damnum præcipitantia. 331.2
Damna eorũ à quibus Chriſtus diſcedit. 445.1
Damnati complacendo in peccato. 481.2
Dauid quomodo typus Chriſti. 63.2
Decalogus,orditura,notitia Dei,& quorsũ. 593.1
Defectionis ſolaris cauſa. 764.1
Defectio vniuerſalis ſolis. 764.2
Deformitas, & turpitudo Dæmonum. 196.1

Delicioſi. Deliciæ.

Deligioſi per porcos ſignati. 197.2
Eorum deſcriptio. ibid.
Eorum hypocriſis. ibid.
Eorum libertas & luxuria. 198.1
Varijs peccatis ſubijciuntur. ibid.
Eorum cæcitas, præcipitantia,inconſtantia. ibid.
Induratio eorum ad bonum. ibid.

Deprecatio.

Deprecatio quid ſit 71.1
Deprecatio pauperis. ibid.
Deprecatio Iſaac pro vxore. ibid.
Deprecatio Aaron, & Dauid. ibid.

Deſcriptio.

Deſcriptio lacus Ienezareth. 46.2
Deſcriptio Iudæ proditoris. 671.1.
Deſcriptio inſignis auari. 713.1
Deſcriptio hæreticorum egregiè ex Propheta. pag. 737.1
Denominationes variæ legis naturæ. 390.1
Deſtructio idolatriæ. 472.1

Deſertum.

Deſertum quid ſignificet. 13.1
Deſertum locus perditionis. ibid.
Deſertum ſumitur pro loco locutionis, & prædicationis. ibid.2
Deſertum item pro gentilitate ſumitur. ibid.

Deus.

Deus quid ſit. 37.1
Deus conteret Satanam ſub pedibus noſtris. pag. 38.1
Deus ſe manifeſtum fieri in tempore diſpoſuit. pag. 42.2
Deus,cur Adæ vxori eius fecerit tunicas pelliceas. pag. 44.1
Deus ordinauit naturã hominis, ſudore, & anguſtia ſuſtentari. 47.1
Deo nihil præter peccatum vile. ibid.2
Deus obſeruat tempus non aſtrictus, ſed vt nos doceat omnia tempus habere. 50.1
Deus in anguſtijs promptus eſt. 75.1
Deus aliquando iuſtos deſerit, vt ad maiora per orationem, & ſimilia tendant. ibid.2
Deus diuerſimodè redit ad bonos, & ad malos. pag. 79.1
Deus fidelium ſola ſpes, & fiducia. 83.1
Deus ex fide viuentibus loquitur. 84.1
Deus cur ſolus peccata dimittit. 85.2
Deus à Salomone domum habere cæpit. 108.2
Deus eſt manus dextera mortali. 113.2
Deus malum exterminat, cum ruina eorum, quæ ſunt eius. 116.2
Deus ſeminatur,& quomodo ſẽper ſeminet. 148.2
Deus cur aliquando prolonget poſtulatum noſtrum. 343.1
Deus quomodo hõnes ob peccata deſerat. 348.2
Deus reſpicit humiles. 436.2
Deus cur videatur à dæmoniacis. 446.2
Deus vult minimas actiones ſibi offerri. 242.1
Deus audienti loquitur. 606.1
Deus cur inæqualiter res nobis diſtribuat. 613.2
Deus vtitur infidelibus ad caſtigationem fidelium. 618.1
Deus cur aliquando deffert auxilium afflictis. pag. 287.2
Deus quomodo viſitet animam. 209.1
Deus author prophetiæ. 380.1
Deus munus non acceptat in fraudem parentum factum. 319.1
Deo omnia offerenda. 301.1

Deus diligendus.

Deus quomodo diligendus. 595.1
Deus quomodo concupiſcibiliter amatur. ibid.1
Deus amatur concupiſcibiliter etiam à perfectis, ſed non primò. ibid.
Deum diligunt perfecti, perfecti propter ſe. ibid.
Deus diligendus ex toto corde. ibid.1
Deus diligẽdus ex tota mẽte,ex tota anima. ibid.
Dei bonitas dilectionis eſt finis. 596.1
Deus à vero amante in ſingulis quæritur. ibid.
Dei amor primum, & maximum mandatum. ibid.
Præceptũ de diligẽdo Deo impoſitũ angelis. ibid.
Præceptum de Diligendo Deo, ideò primum, quia ad aliud non ordinatur. ibid.
Dei dilectionem ſequitur dilectio proximi. ibid.2
Dilectio Dei eſt ſeruare mandata. ibid.
Dei mandata omnia mutuam charitatem reſpiciunt [illegible] ibid.2
Deum amat qui ſe amat. 597.1
Ad amorẽ Dei,& proximi,tota lex reducitur. ibid.
Amor Dei finis dilectionis proximi. ibid.
Deum amandi triplex gradus. ibid.2

Dei ſcientia.

Deo nihil abſconditum. 168.1
Error Petri Abelardi de ſcientia, & prouidentia Dei. ibidem.
Scientia,& prouidentia Dei attingit à fine,vſque ad finem. ibid.
Manifeſta ſunt Deo,quæ occulta ſunt nobis. ibidem. col.2.
Deus cognoſcit tam facta,quàm quæ fieri poſſũt. ibidem.
Dei ſcientiæ non eſt numerus. ibid.

Comprehendit infinita. ibid.
Deus habet rerum omnium ideas. ibid.
Dei eſſentia omnium rerum eſt ſufficiens ſimilitudo. ibid.
Earum ſcientiam cauſat in intellectu. ibid.
Error Empedocles de ſcientia Dei. ibid.
Deus ſapientia eſt. ibid.
Deus per idem cognoſcit bona,& mala. 167.2
Deus quomodo dicatur neſcire. 172.2
Deus per ſcientiam ſuam operatur. 8.2
Deus pater à ſe ſcit. 644.1

Deus cauſa.

Deus operatur occultè. 8.2
Deus in ſapientia bona omnia operatur in tempore. 26.2
Deus ſolus in inſtanti operatur. 90.2
Deus nunquam deſiſtit operari bonum. 112.1
Deus omnia operatur, vt ad ſe omnes trahat. pag. 219.1
Dei prouidentia,& cura de viris ſanctis. 255.1
Deus omnibus ſubuenit. 323.1
Deus aliter in materialibus,& aliter in ſpiritualibus operatur. 329.1
Deus principium, & finis omnium. 516.2

Deus vocat, & iuſtificat.

Deus dat nobis potentiam, & à nobis requirit actum. 326.1
Deus illuminat intellectum, & præparat voluntatem. ibid.2
Aperit aures, & oculos. ibid.
Deus iugiter ad omnes clamat. 327.1
Vult omnes homines ſaluos fieri, & vocat ad ſalutem. ibid.
Deus nobis operatur, vt operemur. 216.2
Deus dat velle,& perficere. ibid.1
Ab eo eſt datum optimũ,& donum perfectũ. ibid.
Eius inſpiratio dat intelligentiam. ibid.
Inſpirat, & inſpiratos facit ſancta loqui. ibid.
Deus quomodo animam iuſtificet. 226.2
Deus mentem trahit per fidem, voluntatem per amorem. ibid.
Deus integram, & ſanam voluntatem creauit in primo homine. 324.1
Dei gratia neceſſitas. ibid.
Liberat voluntatem, eamq. adiuuat ad omne bonum,actiones,ſermones,cogitationes. ibid.
Deus credentem trahat. 451.2
Deus ad ſe alios trahis amore,alios timore. 60.1
Deus trahit non cogit. 513.2

Dei bonitas, & miſericordia.

Deus vndè miſericors dicatur. 73.1
Quomodo miſericordia conuenit Deo. ibid.
Deus miſericors eſt ſecluſa iuſtitia. ibid.
Deus vult omnes homines ſaluos fieri. 94.2
Deus nunquam ſpernit pœnitentiam, ſi ei ſincerè,& ſimpliciter offeratur. 149.1
Deus aliquando excæcat peccatores, nè ſit illis in maiorem condemnationem,ſi intelligant,& non faciant. 157.2
Deus nunquam olim populum ſuum deſeruit vt aliquos prædicantes, ac vera docentes haberent. pag. 273.2
Deus bonus à ſe. 504.1
Deus omnis vnitas eſt per ſe perfecta, & omnis per ſe perfecta vnitas Deus. ibid.
Deus eſt ſummum bonum. ibid.

Dei veritas.

Deus increata veritas à quo omnes veritates reſultant. 40.2

Deus immenſus.

Deus ſolus à ſe,& per ſe immenſus, quia non recipit aliundè menſuram. 104.1
Deus non eſſet ſi alicubi non eſſet. 97.1
Deus infinitus,æternus omnia in omnibus. 504.1

Dei immutabilitas.

Deum eſſe mutabilem,& inſipientem horrendum eſt imaginari. 136.2

Dei amor.

Deus diligit amore vnico, & eſſentiali vniuerſa quæ ſunt. 149.1

Dei libertas.

Deus reliqua à ſe non neceſſariò vult, ſed ex hypoteſi. 92.2

Dei permiſſio.

Deus permittit malum, non facit. 577.1
Deus non eſt volens iniquitatem. ibid.2
Vide verbum peccato.

Dei iuſtitia.

Deus non ponit rationem antè tempus. 570.1
Non eſt apud Deum ſtatera doloſa. ibid.
Deus requirit ab homine fructum. 159.1
Vide verbum Chriſtus.

Diabolus.

Diabolus ſemper fidelibus aduerſarius, & nunquam à tentatione ceſſans. 37.1
Diaboli rabies contra filios Dei. ibid.
Diabolus Behemot,& Leuiatan intelligitur apud Iob. pag. ibid.
Mali ex patre diabolo ſunt. ibidem.
Diabolus tentatur. ibid.1
Diabolus confeſtim adeſt his qui benè agunt, vel audiunt bonum. 159.2
Diabolus cogitationibus peſſimè aufert verbum, & cogitationem bonam. ibid.
Diabolus varijs cogitationibus perturbat fideles. pag. 208.1
Diabolus aliquando ſub ſpecie pietatis aliquid perſuadet. 406.1

Diaboli aſtutia in peruertendis hominibus. pag. 543. col. 1.
Diabolus præcipit taciturnitatem. pag. 532. c. 2.
Diaboli illuſio aduerſus religioſos, prædicatores, præſules. ibidem.
Vide verbo Demonum.

Diaconus.

Diaconi officium & dignitas. pag. 237. col. 1.

Dicere.

Dicere in diuinis quid ſit. pag. 31. col. 1
Dicere in diuinis ſolius eſt patris. ibidem.
Dicere Deo ac Chriſto tripliciter contigit. pag. 219. 2.
Dicere aliquando ſignificat prædicare. 412. 1.
Dicere idem quod facere. ibidem.
Pater in diuinis dicit filium. pag. 30. 2.
Dicere Dei eſt cogitando intueri. pag. 31. 1.
Pater comprehendens eſſentiam dicit verbum æquale ſibi. ibidem.
Dictio terrena & mundana. ibidem. col. 2.
Quid generet. ibidem.

Dicta mirabilia.

Dictum admirabile Amandi Epiſcopi. pag. 195. 2.
Dictum Demetrij Phalerij. pag. 216. 2.
Dictum Iſocratis. ibidem.
Dictum Cypriani. pag. 317. 1.
Dictum Xenefontis. ibidem.

Dies.

Dies & Nox Angelicam & humanam naturam ſignat. pag. 36. 2.
Dies feriales ſabbathi nomen habent. pag. 140. 1.
Dies Sabbathi quietem ſignificat. pag. 105. 1.
Dies feſti non præuaricantur quando ob conſeruationem ſui legem feſti prætereunt. p. 109. 2.
Dies Sabbathi inſtituta, vt in ea homo quieſceret à labore. 110. 1.

Differentia.

Differentia quæ eſt in dicendo non ſum dignus, & ſum indignus. 23. 1.
Differentia inter ſpiritum Dei bonum & nequam. 30. 2.
Differentia inter noſtram & Chriſti tentationem. pag. 37. 2.
Differentia vocationis Apoſtolorum ſignat differentiam eorundem. 50. 1.
Differentia inter ſequi & proſequi. 68. 2
Differentia inter Opidum ſeu Ciuitatem, & pagum aut villam. 70. 1.
Differentia inter Dei cognitionem & noſtram. pag. 83. 2.
Differentia inter electionem factam a Deo, & ab homine. 12. 2.
Differentiæ tres pereuntium. 153. 2.
Differentiæ tres ſaluandorum. ibidem.
Differentia inter ignorantiam, & neſcientiam. pag. 159. 1.
Differentia inter verbum Dei & hominis. 176. 1.
Differentia inter ſimilitudinem, & parœmiam ſeu prouerbium. 172. 1.
Differentia inter plagam, & flagellum. 222. 1.
Differentia inter electionem, & miſſionem Apoſtolorum. 236. 2.
Differentia inter electos, & reprobos circa affectum præſentis vitæ. 275. 1.
Differentia inter ſpiritualia, & corporalia conuiuia. 275. 1.
Differentia inter apparitionem boni ac mali Angeli. 289. 2.
Differentia inter vanum, & fruſtra. 311. 1.
Differentia inter furtum, & rapinam. 339. 2.
Differentia inter curationem vexati, & aliorum infirmorum. 350. 2.
Differentia inter verba deficio, & exoluo. 360. 2.
Differentia inter egreſſus Chriſti, & diſcipulorum. 400. 2.
Differentia inter vnctionem Chriſti, & aliorum. pag. 403. 1.
Differentia inter colaphum, & alapham. 723. 1.
Differentia permiſſionis, & præcepti. 491. 2.
Differentia inter damnatorum, & electorum corpora. 637. 2.
Difficultas ſequendi Chriſtum. 48. 2.
Dificile erat Chriſtum cognoſcere. 461. 2.
Dignitas Linguæ Hebraicæ. 766. 2.
Dignitas viri Iuſti. 255. 2.
Dilectionis correlaria ſex. 600. 2.
Diligere Deum eſt eius mandata ſeruare. 596. 2.
Diligendus magis bonus extraneus, quàm malus propinquus. 51. 2.
Diſcipuli Chriſti qui dicendi. 306. 1.
Diſcipuli miſſi bini, & bini ad prædicandum. pag. 236. 2.
Quando ordinati. 277. 2.
Diſcipuli turbati in medio mari. 289. 1.
Diſcipulorum zelus. 392. 2.
Diſcipuli vocati a piſcatione. 47. 2.
Diſcipuli ſequuti Chriſtum. 49. 2.
Excuſantur à calumnia Porphirij, & Giuliani. ibidem.
Aliorum Diſcipulorum vocatio. 51. 1.
Diſcipulorum renunciatio, & paupertas. 52. 1.
Diſcordia carnis, & ſpiritus. 407. 2.
Diſtractio ab Oratione. 310. 1.
Diſtributionis Ordo. 508. 2.

Diuinitas.

Diuinitas Chriſti probatur. 7. 2. 637. 2
Diuinitas Chriſti non eſt paſſa. 672. 1.

Diuerſitas.

Diuerſitas Euangeliſtarum. 2. 1.
Diuerſitas lectionis circa initium Euangelij Marci. pag. 4. 2.
Diuerſitas manducantium in conuiuio Chriſti. pag. 377. 1

Diuer-

Diuerſitas inter hominem, & Angelum poſt peccatum. 444.2
Diuerſa genera paupertatis. 656.1
Diuerſa genera dæmoniorum. 806.2
Diuerſa genera præcepti. 758.1
Diuerſa ſunt loqui lingua, & loqui ſpiritu. 806.2
Diuerſitas inter præceptum, & permiſſionem. pag. 491.2
Diuerſitas inter damnatorum, & electorum corpora. 637.2
Diuerſitas amoris erga Deum. 595.1. & 2
Diuerſa ſunt Deo credere, atque in Deum credere. 565.2
Diuerſa conſilia Sacerdotum. 665.1
Diuerſitas inter ſacramenta veteris, & nouæ legis. 666.1.

Diuiſio.

Diuiſio gratiarum in Sanctis. 30.1
Diuiſio regni, & poteſtatis pernicioſe. 134.2
Diuiſum regnum non poteſt ſtare. ibidem. col.2
Diuiſa domus non ſtabit. 135.2
Satan in ſe diuiſus. 136.2

Diuitia.

Diuitiarum moleſtia. 151.2
Diuitiarum vanitas. ibidem.
Diuitiæ ſunt ſpinæ. ibidem.
Suffocant ſemen verbi ſpiritualis. 152.1
Diuitiarum deteſtatio. 163.1
Diuitiæ temporales nihil veri continent. 162.2
Diuitiarum deceptio. ibidem. col.2
Non viuunt in die vltionis. ibidem.
Non liberant ab oppreſſione. ibidem.
Diuitiarum iactantia non prodeſt. ibidem.
Diuitias appetentes incidunt in tentationem, & laqueum diaboli. ibidem. col.2
Diuitiarum ſequela eſt luxuria, ira, omniſque irrationalis motus. ibidem.
Sunt inſtrumenta pœnarum, & oblectamenta culparum. 163.1.
Diuitiarum cumulus prohibitus à Græcis Legiſlatoribus, Dracone, Licurgo, Solone. ibidem.
Diuitiarum nomen deteſtatum Philoſophis. ibid.
Diuitias Chriſtus prohibuit ſuis ſectatoribus. ibidem.
Diuitiæ animum diſtrahunt a bono. ibidem.
Diuitiæ Eccleſiaſticis conceſſæ. 238.1
Diuitiæ quibus Eccleſiaſticis permiſſæ. ibidem.
Diuitiæ prælatis eccleſiæ non ſunt prohibitæ. ibidem. col.2
Præceptum illud (ne quo tollerent in via) Apoſtolos reſpicit non ſucceſſores. ibidem.
Diuina auctio in raptores bonorum Eccleſiaſticorum. ibidem.

Diuites.

Diuitum pœna. 151.2
Diuites à reliquis peccatoribus ſunt omnino alij. pag. 161.2
Diuitum nequitia. 162.1
Diuites quomodo ſe gerere debeant, vt in regnum Dei intrent. 510.2
Diuites penitus a regno non excluduntur. 510.1
Diuinationes, & prophetiæ diſtinctio. 603.2
Diuortium quare prohibitum. 489.2

Doctor.

Doctores Sacri ſunt labia ſponſæ. 11.2
Doctor tria habere debet. 267.2
Doctorum prædicatio operibus confirmanda eſt. pag. 267.1
Doctoris officium. 266.2
Eorum eſt conuocare gregem ad Chriſtum. ibid.
Doctor qualis eſſe debeat. 346.1
Aptare ſe tenetur captui auditoris. ibid.
Peritus in verbo, & honeſtis moribus. ibid.
Doctores per piſcatores ſignificati. 372.2
Doctores examinandi. ibid.
Quibus authoribus aſſuefieri debeant. ibid.
Abijciant libros profanos, & contagioſos. ibid.

Doctrina.

Doctrina noua quænam dici poteſt. 61.2
Doctrina Chriſti antiqua. ibid. col.1
Doctrina nouatorum peruerſa. ibid. col.2
Doctrina Euangelica non eſt abſcondenda. 167.2
Doctrina ſignata per virgam. 239.2
Doctrina Græcorum, & Ægyptiorum vana. 372.1
Fabulas ſapit, & inutiles allegorias. ibid.
Doctrina hominum quæ? 311.2
Doctrina pernicioſa Lutheri. ibid.
Nihil ſapit niſi animale. ibid.
Pœnitentiam, & ſanctitatem proiecit. ibid.
Mandatum Dei reijcit, traditionem ſuam ſtatuit. pag. 312.1
Doctrina hæreticorum nihil commune cum ſanctis Patribus. ibid.
Bacchi ſcolam non Chriſti ſectantur. ibid.
Doctrinam, & traditiones hominum præferebant Iudæi mandatis legis. ibid. col.2
Doctrina Salmudiſtarum pernicioſa. 313.1
Doctrina Eccleſiæ inconcuſſa. 321.1
Doctrina Chriſti humilitatem ſuggerit. 528.1
Documenta ſalutaria tria. 502.2
Dolus quid ſit. 335.2
Beatus qui non egit dolum. ibid.
Dolus Iudæ proditoris. 703.2

Dominus Dominium.

Dominus quid ſit. 594.1
Dominium Dei. ibid.
Dominium Eccleſiaſticum. 238.1
Dominium temporale Papæ. 519.1

Domus.

Domus nomen quid intelligatur. 315.2
Domus iudicij mors. 40.1
Domus Petri in qua eius ſocrus laborabat febribus circumciſio eſt. 531.1

Domus noſtra eſt paradiſus. 90.1
Domus Dei Eccleſia materialis. 108.2
Domus Dei tabernaculum dicitur. ibid.
Domus vbi Chriſtus aliquando ſe recepit Mundus eſt. 130.2
Domus nomine familia,& cognatio ſolet intelligi. 135.2
Domus Dei quæ eſt ſtabilis eſt perquirenda. pag. 136.1
Domus Dęmonis eſt conuẽtus peſſimorum. 138.1
In quas domus liceat intrare. 243.1
Domus noſtra corpus noſtrum. 399.2

Donum.

Donum Dei ſuperat delicti immenſitatem. 84.1
Donum vbi rigius eſt, vbi grauius periculum reddit inexcuſabilis culpæ. 113.2
Donum Dei ſecundùm vſum vel abuſum prodeſt vel obeſt. 149.1
Donum celeſte grano ſynapis aſſimilatur. 176.2
Dona quæ Chriſtus in gentes contulit. 367.1
Donum prophetiæ in Chriſto. 145.1

Dormitio.

Dormitio pro morte ſumitur. 171.2
Dormire variè interpretatur. ibid.
Dormitio, & ſomnium vitanda ſunt ad præparationem extremi iudicij. 648.1
Vbi multa dormitio, & ſomnia plurima ſunt vanitates. ibid.
Dormitiones prolixæ pigritiam inducunt, & cæcitatem. ibid.
Dormierunt Diſcipuli in horto. 696.1
Dormitio obedientiæ hoſtis. 697.1

Dubito Dubitatio.

Dubitatio circa illa verba. Ecce ego mitto Angelum meum. 9.1
Dubitare de Chriſto, an filius Dei ſit eſt opus diaboli. 32.2
Dunſtanus eleuatus cum lecto è terra. 538.1
Duritia peruerſi cordis. 491.2

E

Ebrietas.

EBrietas fugienda. 283.2
Ebrietas magnum malum, vnde omnia vitia pullulauerant. ibid.
Ebrioſus operarius non locupletabitur. ibid.
Damnatur decreto Eutachij Papæ. ibid.
Chriſtianis prohibita, maximè Sacerdotibus. ibidem.

Eccleſia.

Eccleſia eſt nomen Græcum, idem quod connocatio. 269.2
Eccleſiæ primitiuæ perſecutores. 622.2
Eccleſia figuratur per Lacum Genſaret. 46.2
Eccleſia ſemper quieſcit. ibid.
Eccleſiæ ſtatus ſignatus per concurſum populorum ad Chriſtum. 80.2
Eccleſia omnem gentem, & nationem nata eſt continere. 81.1
Eccleſia medijs miniſtris continuò colluſtratur. pag. 119.2
Eccleſiæ congregatio non tàm bonorum, quàm malorum. 256.2
Eccleſiæ ſtatus per terram ſignatus. 186.2
Eccleſia ſignata per terram Emanuel, & Beniamin. ibid.
Intrà Eccleſiam eſt via quæ ducit ad Chriſtum. ibidem.
Extrà Eccleſiam non eſt ſalus, neque rectitudo. ibidem.
Eccleſia eſt Chriſti patria. 235.1
Eccleſia per nauem deſignata. 269.2
Eccleſia aliquando pro ſolis Epiſcopis cum Vicario Chriſti Romano Pontifice accipitur. Vt ibi dic Eccleſiæ. Mat. 18. ibid.
Eccleſia eſt in Epiſcopo, ſicut Epiſcopus in Eccleſia. ibid.
Concilium propriæ dicitur Eccleſia. ibid.
Eccleſia etiam ſumitur pro congregatione vniuerſali fidelium. ibid.
Eccleſia Catholica, idem quod vniuerſalis. ibid.
Eccleſiæ Paſtores, & Doctores non ſemper in actione, ſed aliquando in contemplatione aſſe debent. 270.1
Eccleſia in medio terræ fundata, & quomodo? pag. 285.2
Eccleſia fundata in montibus ſanctis Apoſtolorum, & Prophetarum. 286.1
Eccleſia fundata ſuper Chriſto lapide angulari. ibidem.
Eccleſia lætis ac triſtibus ornatur. ibid.
Eccleſiæ ornamenta conſtituta ſunt inter exceſſum, & defectum. ibid.
Eccleſia ſignata per Phæniſſam. 347.2
Eccleſia pro omnibus orat. ibid.
In Eccleſia fieri conuentus, antiqua conſuetudo. pag. 608.1
Hi conuentus non ſolùm ad Euchariſtiam ſumendam, ſed etiam ad pſallendum, & orandum fiebant. ibid.
In Eccleſia fieri conuentus ter in die ad pſallendum, ac orandum hortatur Clemens. ibid.
Eccleſiæ nunquam defuerunt perſecutores. 519.1

Eccleſiæ vnitas.

Eccleſiæ omnes ſiue Patriarchales, ſiue metropolitanę cum Chriſto, & eius Vicario idem ſapere, credere, & profiteri debent. 171.1
Vna eſt Eccleſia toto orbe diffuſa. ibid.
Vnitas Eccleſiæ deſumitur ab vnitate capitis, fidei, legis, & Sacramentorum. ibid.
Vnitas Eccleſiæ aſtruitur multiplici anthoritate patrum. ibid.

Eccleſia Romana.

In Eccleſia Romana Sacramenta, & Euangelium Chriſti illibata conſeruantur. 181.1

Pri-

Primatum tenet ſuper reliquas. ibid.
Eccleſia Romana voce Domini conſecrata. 127.2
Eccleſia Romana ſemper orat pro filia. 347.1
Vide Petrus Papa.

Effectus.

Effectus baptiſmi flaminis. 16.1
Effectus Sacramenti baptiſmi. 26.1
Effectus vocis cæleſtis. 31.2
Effectus peccati. 36.2
Effectus Sacramentorum non impeditur a miniſtris malis. 166.2
Effectus carnis. 224.2
Effectus triſtitiæ. 225.1
Effectus lacrimarum. ibid.
Effectus fidei duplices. 805.2
Effectus orationis. 461.1

Efficacia.

Efficacia eſt virtus ſpiritus. 34.1
Accelerat bonum. ibid.
In inſtanti iuſtificat baptizatum. ibid.
Neſcit tarda molimina. ibid.
Propulſat tenebras, & peccata. ibid.
Prædominatur paſſionibus. ibid.
Naturam eleuat, & mutat. ibid.
Facit omnia diiudicare. ibid.
Expulit Chriſtum in deſertum. ibid.
Continuò interpellat pro nobis eius vis, & efficacia in Chriſto. ibid.
Eius frequentes impulſus aliquando retardantur peccatis. ibid.

Efficacia verbi diuini.

Verbum concionatoris Chriſtum in animis audientium formare intendit. 12.1
Auditur in excelſis. ibid.
Intonat, & cor pungit. ibid.
Mentem inflammare debet, non delectare ſenſum. ibid.
Chriſtum in peccatoribus mortuum ſuſcitare iubetur. ibid.
Quomodo fieri debet ad induratos, & ſurdos. ibidem. col.2
Verbum Dei frequenter prædicandum, & de hoc ſtatutum Concilij Moguntini. 289.1
Vide verbo prædicator.

Effigies.

Effigies diuerſæ Dæmonum. 196.2
In forma canis apparuit Triphoni. ibid. col.1
Benedicto in ſpecie muli. ibid. col.2
Sanctæ Catherinæ in bonis forma, & puparum. ibidem.
Vincẽtio in forma Senis, Heremitę, Æthiopis. ibid.

Electio Electi.

Electio omnium facta eſt in Chriſto. 124.1
Electorum labores ſemper manent. 615.1
Electi cohęredes Chriſti eidẽ conregnabunt. ibid.
Non laborabunt fruſtra. ibid.
Opera eorum ſequuntur eos. ibid.
Electi à Chriſto pauperes. 50.2
Electorum cur tantum fiat mentio: & congregabit electos. 637.2
Differentia inter electorum, & damnatorum corpora in reſurrectione. ibid.
Non ſoli reſurgent Electi aut improbi. ibid. & pag. 638.1
Electi qui circa mundi finem inuenientur, morientur. ibid.
Tertulliani error de regno electorum. ibid.
Propter electos potiſſimum fit reſurrectio, & iudicium. ibid.

Electio Prælati.

Eligere indignum præſulem graue peccatum. pag. 166.2
Eius electio prohibetur ibidẽ à Canonibus. ibid.
Electores damnationis eius ſunt participes. ibid.
Electionis eius incommoda. ibid.

Eleemoſina.

Eleemoſinæ virtus. 610.2
Magnum eſt, & pulchrum donum. ibid.
Abundanter facienda, & libenter. ibid.
Vbique facienda. 209.1
Etiam infidelibus facienda. 475.2
Eleemoſinæ fructus. 466.1
Eleemoſina Cornelium Centurionem ſaluauit. ibidem.
Virtutum omnium maximè regia eſt. ibid.
Ioannis eleemoſinarij dictum notabile. ibid.
Eleemoſinæ merces. ibid.
Sententia Ephrem de eleemoſina. ibid.
Eleemoſina telonarium conuertit ad pœnitentiam. ibid.2

Elongatio elongati.

Elongatio à Deo duplex. 310.1
Elongamur à Deo per peccatum, vel per negligentiam. ibid.
Elongatur à Deo diſtractus in oratione. ibid.
Elongati à Deo Hęretici. ibid.
Elongati à Chriſto, accedendo proficiunt. 535.1
Eloquentia neceſſaria in prædicatione. 50.2
Encomium ſcripturæ, & Euangelij. 8.1
Energumini reijciuntur ab altari. 206.1
Ephod quid ſit. 721.1

Epiſcopus.

Epiſcopus non eſt nomen honoris, ſed operis. pag. 125.1
Epiſcopus debet ſine intermiſſione Eccleſiam ſuam docere. ibid.
Epiſcopi eſt paſcere gregem. 124.2
Epiſcopi dicti Sal, Lux, teſtes, Chriſti. ibid.
Cum Epiſcopis eſt renouatum pactum Leui, vt populis legem annunciarent. ibid.
Epiſcopi audiendi cum reuerentia ſicut legati, & præcones pacis. 125.2

Epiſcoporũ potiſſimũ eſt munus prędicare. ibid.
Epiſcopi transferri poſſunt ex maiori fructu. pag. 146.1
Hæc tranſlatio ex neceſſitate fieri debet, vel vtilitate populi, & loci. ibid.2
Tranſlationem fieri prohibuerunt Nicenum, Calcidonenſe, Antiochenum concilia. ibid.
Quæ rranſlatio prohibita. ibid.
Epiſcopus quid obſeruare debeat. 156.1
Debet pſalterium noſcere. ibid.
Inquirendus à Metropolitano. ibid.
Scire debet ſcripturam, & Canones. ibid.
Epiſcopus non debet eſſe timidus. 185.1
Epiſcopus debet circumire, & viſitare epiſcopatus ſui Caſtella. 236.1
Hæc viſitatio non grauet populum expenſis, & quomodo facienda ſit. ibid.
Leges eius pręſcribit Tridentinum. 24. cap3. ibid.
Epiſcopus honorandus vt Deus, Diaconus vt propheta. 236.2
Epiſcopus debet eſſe parcus. 240.2
Epiſcopi officium, & virtus. 268.1. 360.1
Epiſcopi debent ſe abſtinere à locis vbi iudicialia negocia exercentur. 293.1
Epitimium quid ſit. 19.2

Error.

Error cirça Euangelium Marci, & Matthæi de authore eorum. 6.1
Error Originis de Malachia propheta. 10.1
Error Brenſi de Ioanne Baptiſta. ibid.2
Error aliorum heræticorum circa eundem. 14.1
Error Bucerij circa deſertum Ioannis. 15.1
Error negantium Chriſto ad orationem Latriæ. pagina. 23.2
Error Brenſi de authore baptiſmatis Chriſti. pagina. 25.1
Error dicentium baptiſatos à Ioanne ideò fuiſſe denuò baptiſatos, quia non fuit in eis prius ſeruata vera forma. ibid.2
Error Baringerij, & Chitrei. ibid.
Error Vigilantij, Euthachij, & aliorum negantium interceſſionem Sanctorum. 27.2
Error Neſtorij circa perſonam Chriſti. 32.2
Error Caluini damnantis ſolitariam contemplationem. 35.1
Error circa intelligentiam illorum verborum: *Porrò vnum eſt neceſſarium.* ibid.1
Error Brentij, & aliorum circa hoc, quod eſt Euangelium. 41.2
Error Fauſti negantis teſtamentum nouum. 45.2
Error hæreticorum circa ſcripturæ interpretationem. 55.1
Errores varij circa Chriſti humanitatem, & diuinitatem. 74.2
Error Cherinti, & Ebionis circa Iudaiſmũ. 75.2
Error Arrij de diuinitate Chriſti. 85.2
Error Lutheranorum de pernicioſa fiducia circa veniam peccatorum. 88.2
Error hæreticorum de veritate naturæ aſſumptę. pagina. 120.1
Error Magdeburgenſium, & Lutheri circa abnegantes ordines Eccleſiaſticos. 123.2
Error Heluidi circa Virginitatem Mariæ. 141.2
Error Centuriatorum circa debitum honorem, & reuerentiam eiuſdem Virginis. 142.2
Error Ioannis Hus circa Eccleſiam. 156.1. 669.2
Error Abailardi circa prouidentiam Dei. 168.1
Error Armacarij circa tempus ordinationis Apoſtolorum. 237.2
Errores varij de Chriſto. 250.2
Error Democriti Anaxagoræ circa diſtinctionem rerum. 280.2
Error antiquorum Gentilium circa miracula Sanctorum. 287.2
Errores Phariſęorum circa vota, & oblationes cum fraude parentum, & aliorum. 300.2. 313.1
Error Hebræorum circa obſeruantiam traditionum. 313.2
Error Valdenſium, & Nicolai Galij, qui negabant licere occidere hominem. 333.2
Error Auerrois de vnitate animæ. 339.1
Errores Lutheri, & Manichæi circa opera diuina. pag. 357.1
Iudæorum errores contra veritatem adhærentium ſuperſtitionibus. 401.2
Error peccatoris. 409.2
Error Pelagij damnatus. 415.2
Error Manichei, & Priſciliani de veritate carnis Chriſti. 417.1
Error Arrij, & Zabelli de diuinitate Chriſti. 417.1
Error Guliani Pelagiani circa peccatum originale. pag. 448.2
Error Manichæi, qui dæmones natura malos finxit. pag. 444.1
Error Beringarij, & aliorum circa formam corporis Chriſti. 675.2
Error hereticorum circa poteſtatem Papæ. 706.1
Error Magdeburgentiũ de Petro Apoſtolo. 726.2
Error Pictorum deprehenditur. 756.2
Error Zachariæ Chriſopolitani de defectione Solis. pag. 769.2
Error impiorum in iudicio. 793.2
Error Papię, & aliorum circa varias reſurrectiones. 799.1
Error Euthichij aſſerentis reſurrecturos inuiſibiles. pag. 803.1
Eſca Chriſti ſuauis eſt miſereri. 63.1
Eſdras quid præſtiterit in libris Moyſis. 333.1
Eſſentia diuina eſt ſimilitudo omnium intelligibilium. pag. 168.2
Eſſentia diuina interpretatur dextera. 604.1
Eſus carnium ab antiquo Monachis prohibitus. pagina. 353.1
Etymologia nominis Dei. 594.2

Euangelium.

Euangelium quid ſit. 41.2. 44.2. 624.2
Euangelium Marci cur à quibuſdam dicatur Petri. pag. 2.1
Euangelium Marci dictum epitomen Matthæi. ibidem.
Euangelium quid ſignificet. 5.1
Euangelium vnum eſt. ibid.

Euangelium Marci negabant antiqui hæretici, Ebeon, Cherentus, Mernilus, Marcion, partim negant, partim recipiunt Anabaptiſtæ. ibid.
Euangelium Marci canonicum eſſe. ibid.
Euangelium Marci diuerſum eſſe à Matthęi contra Eraſmum. 6.1
Euangelium eſt ſcriptura diuinitus inſpirata. ibidem.
Euangelium non Euangeliſtarum, ſed Ieſu Chriſti. pag. 7.1
Euangelium nihil habet erroris. 8.1
Euangelij nomen dignitatem oſtendit. ibid.
Euangelium eſt optatiſſima de veritate annunciatio. ibid.
Euangelium continebatur in lege ſicut granum in ſpica. ibid.
Euangelium aperit veritatem oraculorum, & myſteria regni Dei. ibid.
Euangelium eſt veritas. 40.2
Euangelium omnium continet veritatem. 41.2
Euangelium eſt primitiæ Scripturarum. ibid.
Euangelium cuncta cõplectitur credibilia. 44.2
Euangelio credere quid ſit. ibid.
Euangelium dicitur non ſolùm quod Apoſtoli ſcripſerunt, ſed etiam traditiones quæ ab iiſdem emanarunt. 45.1
Euangelio non credunt qui conſilia, & bullas Sanctiſſimi non recipiunt. ibid.2
Euangelium continetur in lege. 105.2.420.2
Euangelium ſumitur pro ipſa unctione. 658.1
Euangelium præ cæteris ſcripturis venerandum. pagina. 658.2
Euangelij variæ ſignificationes. ibid.1

Euangeliſta.

Euangeliſtæ vno, & eodem ſpiritu Euangelia ſcripſerunt. 2.1
Euangeliſtæ in ſcribendo non errarunt. 5.2
Euangeliſtæ conſiliantur in ſupputatione paſchę. pagina. 661.1

Euchariſtia.

Euchariſtia quando inſtituta. 673.2
Materia Euchariſtiæ. ibid.
Eam deſignauit Melchiſedech, offerens panem, & vinum Abraham. ibid.
Per Euchariſtiam vnimur Chriſto. ibid.
Euchariſtia mortis antidotum, pharmacum immortalitatis ex Ignatio. ibid.
Chriſtus conſecrauit vſus forma ordinaria. 664.1
Chriſtus totus ſub ſingulis partibus ſpecierum. ibidem.
Euchariſtiæ figura fuit manna. ibid.
Euchariſtia eſt Sacramentum permanens. ibid.2
Chriſtus neque alteratur, neque mutatur in Euchariſtia. ibid.
Euchariſtia continet Chriſtum, & non tantùm in ſigno. ibid.
Conſuetudo Eccleſiæ Alexandrinæ circa reſeruationem Euchariſtiæ. 675.1
Forma conſecrationis corporis *hoc eſt corpus meum.* ibid.1. & 2
Variæ opiniones circa pronunciationem pronominis *Hoc*. ibid 2.
Ex eodem demonſtratur præſentia realis corporis Chriſti. ibid.
Quomodo Chriſtus ſubeſt Speciebus panis, & vini. 676 1
Conſecratio fit in inſtanti. ibid.
Declaratur ſignificatum verbi *Eſt*. ibid.
Quomodo Euchariſtia dicitur ſignum. ibid.
Poſſibilitas conſecrationis oſtenditur. ibid.
Item realis præſentia. ibid.2
Sub ſpeciebus panis ex vi conſecrationis primò eſt corpus, reliqua per concomitantiam. ibid.
Quare corpus eſt inuiſibile. ibid.
Poſſibilitas tranſubſtantiationis demonſtrat Cyrillus. ibid.
Nihil ibi manere panis aut vini præter accidentia vtriuſque. 677.1
Panis erat poteſtate corpus Chriſti. ibid.
Anathema affirmantes remanere ſubſtantiam panis, & vini. ibid.
Non repugnant Chriſtum eſſe naturali exiſtendi modo in Cælo, & ſimul multis in locis ſacramentaliter. ibid.
Excellentia Euchariſtiæ eſt dignatio Chriſti erga nos. ibid.
Per ſumptionem Euchariſtiæ Chriſtiani fiunt veri Chriſtiferi. ibid.2
Calicis conſecratio. ibid.
Materia Sanguinis vinum, & aqua. 678.1
Miſtica ſignificatio illius mixtionis Calicis. ibid.
Typus huius erat ſanguis, & aqua qui fluxerunt ex latere Chriſti. ibid.
Euchariſtiæ dignitas, & excellentia. ibid.
Præfertur omnibus oblationibus. ibid.
Offerenda eſt pura mente. ibid.
Memoria eſt mirabilium Chriſti. ibid.
Fieri præcipitur in commemorationẽ eius. ibid.
Solis Sacerdotibus contrectare licet calicẽ. ibid.
Olim conſecrabatur in calicibus ligneis. ibid.
Zepherinus Papa præcepit conſecrare in vitreis, Vrbanus in argenteis. ibid.
Sacrificans tenetur communicare ſeipſum. 676.1
A ieiunis communicandum. ibid.
Nullo præcepto tenentur fideles communicare ſub vtraque ſpecie. ibid.
Sumi totum Chriſtum ſub vna ſpecie. ibid.
Forma conſecrationis calicis. ibid.2
Euchariſtiæ vnitas. 680.1
Vndè ſumenda eſt Euchariſtiæ vnitas. ibid.
Sanguis ex vi verborum fit primò ſub ſpeciebus vini. ibid.2
Effectus Sanguinis in nobis. ibid.

Exaggeratio.

Exaggeratio contra auaros. 148.2
Exaggeratio contra beneficiorum immemores: pagina. 207.1.393.1
Exaggeratio contra eos, qui indignè adſunt Sacrificio miſſæ. 271.2
Exaggeratio contra diuinãtes, Aſtrologos. 448.1
Exaltatio debetur humilitati. 790.2

Excla-

Exclamatio miraculoſa Chriſti morientis. 766.1

Exemplum.

Exemplum bonum doctrinæ annectendum. pagina. 499.2
Exempla ſanctorum Sacerdotum, & religioſorum quantum poſſent. 104.2
Exemplum paupertatis in Chriſto, & Apoſtolis. pagina. 105.2
Exemplum benignitatis Chriſti. 133.2
Exemplum Iulianæ virginis qua dæmonem ſuperauit. 195.1
Exemplum Oſualdi Epiſcopi. 197.2
Exemplum Abbatis Simeonis. 210.2
Exemplum Oſualdi Anglorum regis. ibid.
Exempla varia eorum, qui ſpiritualem perfectionem in corpore ſenſere. 217.2
Exempla admiranda diuinæ vltionis. 234.1
Exemplum notabile Siſennandi regis. pagina. 249.2
Exemplum Simeonis Abbatis. 273.1
Exemplum malum religioſorum quàm officit. pagina. 295.1
Exemplum Ciconæ circa parentum amorem. pagina. 316.2
Exempla vltionis filiorum inobedientiæ. pagina. 217.1
Exempla rara viuentium ſine cibo. 330.1
Exempla ab infidelibus captanda. 446.2

Exercitatio.

Exercitatio bonorum operum, mentum Chriſti applicat animæ. 74.1
Exercitatio corporalis ad modicum vtilis eſt, pietas autem ad omnia. 798.1
Exercitatio corporalis ad depellendam otioſitatem vtilis. ibid.2
Exitus puellæ ſaltatricis quę caput Ioannis Baptiſtæ ab Herode petijt. 264.2

Exorciſmus.

Exorciſmi Eccleſiæ vocantur tormenta verborum, & flagella ſpiritualia. 59.1
In exorciſmis adhibendæ comminationes. ibidem.
Caluini error, & calumnia circa exorciſmos. Eccleſiæ. ibid.

F

Fabula de Phætontis incendio. 602.1
Factio ſupponit ſubiectum. 425.2
Facultas neceſſaria interpreti. 766.2
Fallacia Iudæorum, & impoſtura aduerſus Chriſtum. 779.2
Falſitas teſtium aduerſus eundem. 715.2
Falſitas in diuinis oraculis nunquam reperitur. pagina. 8.2
Falx quid ſignificet. 175.1

Febris.

Febris virtute naturæ in inſtanti, & perfecte non poteſt ſanari. 64.2
Febricitari quid ſit. ibid.
Febris intemperatiam ſignificat. ibid.
Febri laborabat ſocrus Simonis. 63.1
Illa febricitans ſignificat animam Chriſtianam laborantem ſub peccato. ibid.2
Eadem febris ſignificat infidelitatem animæ. ibidem.
Apoſtoli rogarunt pro ſocru Simonis. ibid.
Sanatur à febribus. 64.1
Febris ſocrus Simonis ſignificat ardorem concupiſcentiæ. ibid.2
Dimiſſa febri miniſtrabat Chriſto, & Apoſtolis, & quid hoc ſignificet. ibid.
Per ſocrum Simonis interpretatur ſynagoga, quæ modò febricitat ex inuidia contra Eccleſiam. 65.1
Felicitas ſecura in mundo non eſt. 291.1
Fermentum quid ſigner. 385.2
Ferocitas beſtiarum poſt Chriſti aduentum ex parte deſijt. 38.1

Feſtum Feſtiuitas.

Feſtiuitas ſabbathi cur in Dominicam tranſlata. pag. 110.2
Feſtiuitas ſabbathi propter hominem inſtituta. ibidem col. 1
Feſta celebranda. 487.1
Seponenda negocia vt celebretur puro animo celebritas Eccleſiæ. ibid.
Exurgendum eſt à peccato, & vitijs, audiendumque ſacrum. ibid.
Abuſus in celebratione feſtorum. ibid.
Quomodo celebrandę feſtiuitates. pagina, ibidem.
Fici fertiles in Hircania. 639.2

Fidelis.

Fideles omnes filij nuptiarum ſunt. 99.1
Fidelis mundi cura occupatus, & Chriſto adherens cui comparatur. 337.2

Fides.

Fidem Dei habere quid ſit. 559.1
Fidei certitudo. ibid.2
Fides ſaluum facit. 221.1
Fides prima ſalutis via. ibid.2
Fides fundamentum Chriſtianæ religionis. ibidem.
Fides prima eſt omnium virtutum in conuerſione credentium. ibid.
Fides Lutheri, & Centuriatorum mortifera. ibidem.
Fides eſt turris. 568.2
Fides turris Dauid. 569.1
Fides eſt armatura noſtra. ibid.

Quomodo petendum ſit aliquid in fide. 560.1
Fides, & ſpes ad regnum Dei quaſi viæ perducunt. 44.1
Fides, & ſpes non ſunt in beatis. ibid.
Fides ſine charitate perfectè non vnit Chriſto. pagina. 48.1
Fides eſt initium iuſtificationis. 60.1
Fidem habere ſine operibus, eſt ad ianuam domus, in qua Chriſtus manet ſtare. ibid.
Fides informis in peccatore. 453.2
Fides eſt cognitio enigmatica de Deo. 83.2
Fides ſine operibus mortua. 93.2.221.1
Fides per granum ſynapis ſignificatur. 166.2
Fides eſt fundamentum Chriſtianæ religionis. pagina. 221.2
Fides fructuoſa non poteſt eſſe, niſi bonis operibus ornetur. ibid.
Fides ſola non eſt principaliter miraculi effectris, ſed Deus. 224.1
Per fidem inducitur Deus ad patrandum miracula. ibid.
In dubijs fidei ad Pontificem recurendum. pagina. 318.1
Fides non ſemper requiritur in infirmo ad recuperandam ſalutem. 357.2
Fides paruulorum ſupletur per patrinos, & Eccleſiam. ibid.
Fides duplex. 453.2
Fides augmentum habet, & gradus. 395.2
Fidei minimus etiam gradus hominem ſaluare poteſt, & quomodo. ibid.
Fidei proceſſus contra hæreticos tredecim modis terminatur. 455.2
Fidei hoſtium ideſt hæreticorum pœna. ibid.
A fide aberrantes à Chriſto diſcedunt, & ab Eccleſia præſcindi debent. ibid.
Fides vera, & integra opera importat. 221.1
Fides Hemorroyſæ. ibid.
Fides à Deo eſt. 451.1
Fidei appetitus eſt in homine. ibid.
Fidei obiectum. ibid.
Fides Chriſti morientis in milite Romano conſeruata. 771.1
Fides non eſt habenda dæmonibus, etiam, ſi vera dicant. 67.1
Fides non eſt habenda hæreticis, etiam vera dicentibus. 203.1
Quomodo petendum eſt aliquid in fide. pagina. 560.1
Fiducia quid ſit. 8.1
Pernicioſa fiducia Luteranorum, ſperantium ſaluari ſine operibus. 881.2
Figura duodecim Apoſtolorum. 124.2
Figura Euchariſtiæ fuit manna. 664.1
Figura Chriſti Dauid. 63.2

Filius.

Filius non poteſt eſſe alterius ſubſtantiæ vel diuerſi generis. 32.2
Filius eſt vnius, & eiuſdem ſubſtantiæ cum patre. ibid.
Filius vnus dicitur, & vnde. 573.1
Filius tenetur Patri prouidere. 51.2
Filius an poſſit ſuſcipere religionem deſpectis parentibus, & in extremo poſitis. ibid.
Filij inobedientes lapidibus obruebantur antiquitus, & cur. 317.2
Filij à pueritia inſtruendi. 448.2

Filius Dei.

Noſtri cauſa factus eſt filius hominis. 7.2
Filius Dei in forma ſerui venturus, ſeruum habuit, qui eum præcederet. 10.1
Vide verbo Chriſtus, & verbo Deus.

Fimbria.

Fimbria quid ſit. 293.1
Omnes quærebant Chriſti fimbriam tangere. ibidem col. 2
Tactu fimbriæ Chriſti omnes ſanabantur. ibid.
Fimbria veſtimentorum Chriſti, myſticè deſignabat eius humanitatem. ibid.
Tactu fimbriæ Chriſti ſanata Hemorroiſſa. pagina. 217.1

Finis.

Finis in operibus ſicut principium in ſcientijs. pagina. 597.1
Finis doctrinæ Chriſti. 488.2
Finis orationis vocalis. 700.1
Finis prædicationis Euangelicæ. 7.2. 107.2
Finis eorum, qui à iudicio, & iuſtitia abeunt. pagina. 107.2
Finis vltimus hominis eſt Deus ſolus. 109.2
Finis potiſſimus miniſtrorum Chriſti. 119.2
Finis Apoſtolorum, & Epiſcoporum. 124.2
Finis verbi Dei. 146.1
Finis mundani timoris. 201.2
Finis conuenientium ad Chriſtum. 209.1
Finis operum, & miraculorum Chriſti. 221.1
Finis reſurrectionis. 218.2
Finis doctrinæ, & ſcientiæ Dei. 230.2
Finis peccati, & mortis poſt iudicium. 586.2
Finis mundi an ſit reuelatus. 746.1
Finis mundi quo ad tempus incertus. ibid.2

Flagellum.

Flagellum Dei, & eius effectus. 120.2
Flagellis humiliamur ſicut ſata pluuijs. ibid.
Deus flagellans ſaluat. ibid.
Flagellum multipliciter inſertur. 217.2
Flagellum Dei pœnas in reprobis inchoatur & ad meliorem mentem reuocat inſanos. ibidem.
Flagella doctrinam, & ſapientiam inducunt. pagina. 218.1

Fœmina.

Fœminæ cur vellentur. 497.1
Fœminæ mollicies. ibid.1

Fœ-

Fœminæ pudicitia. ibid.2
Fœminæ non licèt inter eccleſiaſticos præſidere. pagina. 264.1.
Fœminæ in eccleſia taceant. ibid.
Fœminę iudices eſſe non poſſunt. ibid.
Fœminæ ordinem ſuſcipere nequeunt. ibid.
Fœminę accuſare non permittitur, niſi in certis caſibus. ibid.

Fœnum.

Chriſtus fecit turbam ſedere ſuper viride fœnum. 278.2
Fœnum interpretatur gloria mundi. 279.1
Fœnum interpretantur diuites auari. ibid.
Fœnum vniuerſim interpretari poteſt omne peccatum, quod mortem infert animæ. ibid.
Fœnum interpretatur fructus operum. ibid.
Fœnum interpretatur doctrina ſimplicium. ibid.

Forma.

Forma fidei in Niceno Concilio contracta. pagina. 7.2
Forma gratiarum actionis. 684.1
Forma orationis præparantis ad mortem. 694.1
Forma, & materia Crucis. 754.2
Forma ſepulchri Dominici. 778.2

Fornicatio.

Fornicatio nunquam licita. 333.1
Fornicatio eſt ſoluti cum ſoluta. ibid.
Prohibetur præcepto Non Mœchaberis. ibid.
Fornicarij regnum Dei non poſſidebunt, iuxta Apoſtolum. ibid.
Fornicatio nulli impunè conceditur. ibid.
Hæreſis Begardorum de fornicatione damnata. ibidem.
Eſt peccatum mortale ex genere ſuo. ibid.
Fornicatio ſpiritualis eſt idolatria. ibid.
Fornicationis nomine intelligitur quæuis immunda pollutio. ibid.
Error Græcorum de fornicatione. 496.2
Fornicatio non dirimit matrimonium. ibid.2

Fortitudo.

Fortitudo Ioannis Baptiſtæ. 21.2
Fortitudo Chriſti. ibid.
Fortitudo Prædicatori neceſſaria. 46.1
Fragilitas hominis per locuſtam ſignata. 20.1

Fragmenta.

Fragmenta quæ turbis ſuper fuerunt. 375.1
Significant profunda fidei, & ſcripturæ miſteria. ibidem.
Fragmenta non colligunt turbæ, ſed Apoſtoli perfectiores. ibid.
Fragmentorum ſeptem ſportæ. ibid.2
Deſignant ſeptem dotes, quæ Beatis poſt hanc vitam reſeruantur. 376.1
Significant ſeptiformem gratiam Spiritus ſancti. ibid.
Septem ſportæ ex Hieronimo ſignificant ſeptem primas Eccleſias. ibid.
Septem ſportæ etiam interpretari poſſunt ſeptem Diaconi aſſiſtentes Pontifici. ibid.
Septem ſportę fragmentorum ſignificant ſeptem Angelos ſtantes in conſpectu Throni. ibid.
Fremitus quid ſit. 655.1
Fremitus Apoſtolorum cõtra Magdalenam. ibid.

Fructus.

Fructus Euangelij, & ſacræ ſcripturæ. 7.1
Fructus narrationis Euangelij. 8.1
Fructus tentationis Chriſti. 37.1
Fructus conuerſionis peccatoris eſt diſcumbere cum Chriſto. 94.2
Fructus Euangelici in tres gradus diſtincti. pagina. 153.2
Fructus Spiritus ſancti, & quot ſunt. 178.1
Fructus illorum, qui ſe à negotijs ſubducunt. pagina. 270.1
Fructus benedictionis ſibi ſumendi. 331.1
Fructus prudentiæ. ibid.2
Fructus eleemoſinæ. 477.1

Fuga.

Fuga aliquando laudabilis, & neceſſaria. 39.2
Fuga Chriſti in Galilæam. ibid.
Exempla varia de fuga Sanctorum. ibid.
Chriſtus fugit perſecutores. 118.2
Fugiendum tempore perſecutionis de vna in aliam Ciuitatem. ibid.
Fuga Mercenariorum, qui cuſtodiebant porcos. pagina. 201.1
Fuga mundi. 261.2

Fur, Furtum.

Fur dicitur qui bona Domini poſſidet. 220.2
Fur non dicitur qui authoritate Iudicis aufert. pagina. 334.1
Furtum prohibitum. ibid.2
Furtum commitit qui acceptis abutitur. 221.1
Furtum committit qui talentum Domini abſcondit, & iuxtà dona non lucratur. ibid.
Furtum eſt rei alienæ vſurpatio. 334.1
Furti grauitas ex qualitate materiæ, & actus penſanda. ibid.
Furtum aliquando veniale peccatum, aliquando mortale. ibid.
Furtum auaritiæ filia. ibid.
Furtum aduerſatur iuſtitiæ communitati. ibid.
Furtum aduerſatur principio practico, quod tibi non vis fieri &c. ibid.
Furti nomine prohibetur rapina. ibid.
Grauius peccatum rapina quàm furtum. ibid.
Hæc grauitas ex duplici cauſa penſanda. ibid.
Differentia inter furtum, & rapinam. ibid.
Furtum non commiſerunt filij Iſrael auferentes ſpolia Ægyptiorum. ibid.

Digitized by Google

Furtum aliud ſpirituale, aliud corporale. ibid.
Furtum ſpirituale eſt non ſolum aliena concupiſcere, ſed occupare dignitates, & dona quibus alij melius vterentur. ibid.
Fures ſpirituales hoc ſenſu multi. ibid.
Furti pœnæ. ibid.
Fures nequaquam morte plectendi, niſi præſumantur inuaſores. ibid.
Fures cenſentur ex iure infames, qua pœna apud Perſas etiam notabantur. ibid.
Fures Argiui: Vndè dictum. ibid.
Fures olim abſoluebantur lege quarundam gentium. ibid.
Lycurgi lex de furibus. ibid.
Dictum notabile pueri furantis vulpem. ibid.

G

Galilæus.

Petrus eſt dictus Galilæus. 728.2
Galilæi differebant à cæteris, non ſolùm habitu, ſed pronunciatione. ibid.
Diſcipuli Galilæi dicebantur diſcipuli Chriſti. ibidem.
Galilæus Syriacum nomen interpretatur volubilis. ibid.
Eius etymologia. ibid.
Rectè interpretatur cælum. 729.1
Verus Galilęus nihil commune habet cum Mundo, quæ ſurſum ſunt quærens. ibid.

Gallus.

Prædicta negatio Petri ante galli cantum facienda. pag. 688.1
Gallus an cantauerit ad ſingulas negationes Petri. ibid.
Ante primum galli cantum negauit Petrus Chriſtum, ante ſecundum completa eſt negatio. ibidem.
Gallus cantat ex timore. ibid.
Ideò in ſignum datus Petro. ibid.
Gallus etiam in ſignum datus Petro, quia ſymbolum vigiliæ. 727.1
Gallus cantauit reſedente Petro ab atrjo. & quare. ibid.
Gallus cantauit vt Petrum excitaret ad pœnitentiam. 730.1
Poſt ſecundum galli cantum recordatus Petrus verbi Ieſu, amarè fleuit. ibid.2
Quare duplex cantus galli aſſignatus in ſignum Petro. ibid.
Gaudium verum iuſtorum eſt exire de Mundo, pagina. 864.1

Generatio, Genitus.

Genitus eſt generanti dilectus. 31.2
Generatio filij fuit manifeſtatio Dei patris. pagina. 71.1
Generatio Verbi diuini. 329.1
Pater genuit filium ex vtero, per quem intelligitur intellectus. ibid.
Generatio Chriſti. 417.2
Filius genitus æqualis eſt Patri. ibid.
Filius genitus Vnigenitum habet eſſe, verum exiſtens ſemper, & coexiſtens Patri. ibid.
Genitus ab æterno filius, ingenitę Patris naturæ coniunctus. ibid.
Eunomij error circa generationem filij impugnatur. ibid.
Impugnatur etiam Neſtorius, & Arius. ibid.
Filius genitus non factus eſt. 418.1
Deus verus non tantùm Deifer. ibid.
Naturalis non adoptiuus. ibid.
Genitus Chriſtus ſupernè ex ſolo patre, infernè ex ſola matre. ibid.
Genitus eſt filius per intellectum, voluntate concomitante tantùm. ibidem. & 573.1
Quomodo intelligitur Patrem generaſſe voluntate. ibid.
Quid importet generatio ibi: Non tranſibit generatio hæc &c. 643.1
Genezaret lacus. 291.1
Genezaret ſymbolum cæleſtis patriæ. ibid.
Genezaret auram ex ſe generare videtur. ibid.

Gentilis, Gentilitas.

Gentiles futurum iudicium conijciebant. 641.2
Gentilitas ſignata per mulierem profluuio ſanguinis ſubiectam. 219.1
Gentilitas nunquam profecit ex ſuis doctoribus. ibid.
Gentilitatis doctores multa de virtutibus promittebant, nullam tamen animę ſalutem conferebant. ibid.
Varij Gentilitatis Dij. ibid.
Gentilitatis ſuperſtitiones. ibid.
Gentilitatis ſtultitia. ibid.2
Gentiles in ſuo cultu ſemper deteriores fiebant. ibidem.
Inanimes ſubſtantias colebant diuinis honoribus. ibid.
Gentiliũ corruptela vſque ad aduentum Chriſti. ibid.
Gentiles per canes ſignificati. 344.1
Gentilibus Deus coferebat tantùm temporalia, non autem ſpiritualia, quæ eſt hæreditas filiorum. ibid.

Genus.

Genus humanum ſub regni nomine ſignatum, pagina. 135.1
Genus diffidentiæ eſt contriſtari nimium de obeuntibus. 224.2
Genera artium. 324.2
Genera dæmoniorum. 806.2

Gloria. Gloriandum.

Gloria Mundi per fœnum ſignata. 279.2
Gloria crucis, & eius virtus. 754.2
Gloria nulli, niſi per Chriſtum à Deo conceditur. pag. 124.2

Glo-

Gloriandum in quo ſit. 419.1
Gloria quam monſtrauit Chriſtus in transfiguratione. ibid.2
Non eſt gloriandum in veſtibus Chriſtiano. ibid.
Gloria redundauit in corpus Chriſti à diuinitate, & anima eius. ibid.2
Non fuit per modum qualitatis permanentis, ſed tranſeuntis paſſionis. ibid.
Diſpenſatiuè factum eſt, vt gloria animæ Chriſti non redundaret ad corpus. ibid.
In transfiguratione ſuſpenſum eſt miraculũ. ibid.
Gloria in corpore beati redundat ab anima. ibidem. col.1

Grabatum.

Grabatum ſubmittere quid ſit. 83.1
Grabatum ſignificat motum paſſionis. ibid.
Cur Chriſtus iubet tollere grabatum. 90.1
Grabatum intelligitur peccati cõplacentia. ibid.

Gratia.

Gratia deducit in terram rectam. 54.1
Datur in inſtanti baptiſato. ibid.
In inſtanti cauſatur à Sacramentis. ibid.
Neſcit tarda molimina. ibid.
Eleuat animam, & purgat à peccatis. ibid.
Gratia diuinitus data à maiorum obedientia non eximit. 76.1
Begardorum error. ibid.
Gratia humiles facit. ibid.
Gratia per veſtem nuptialem ſignata. 79.1
Fiducia ſine gratia non ſaluat. ibid.
Gratia ſponte offertur, & datur. 165.2
Gratia ſignificatur per ſemen. 171.2
Gratia voluntatem noſtram non excludit. 172.1
Augmentum gratiæ homine neſciente fit. ibid.
Deus gratiam omnibus offert. ibid.
Iuſtificatus non ſcit ſe in gratia eſſe. 173.1
Gratia Dei in nobis cauſat velle, & operari. ibid.
Gratia voluntatem non neceſſitat. ibid.
Non patitur Deus ocioſam eſſe gratiã ſuam. ibid.
Cooperatores ſumus gratiæ Dei. 173.1
Gratia Dei præuenit, vt bonum velimus conſequitur, vt bonum incipiamus, cooperatur nobiſcum vt bonum perficiamus. ibid.
Sine gratia nequit liberum arbitrium præcepta omnia adimplere. ibid.
De hoc Pelagij hæreſis circa neceſſitatem gratiæ. ibid.
Ipſe ſimul cum Cœleſtio damnati. ibid.
Effectus gratiæ. ibid.
Gratiam in homine germinat quando principium oſtendit virtutis, & interpretatur herba. ibidem.
Gratiæ profectus interpretatur ſpica. ibid.
Gratiæ fructus interpretatur frumentum. ibid.
Mediante gratia cor hominis paulatim pertingit ad opus perfectum. 174.1
Gratię fructus nemo ſibi tribuere debet, ſed Deo ibidem. col.2
Per gratiam tolli libertatem hæreſis Iouiniani. pagina. 175.1
Gratia hominem impeccabilem non reddit, trahit, non cogit. ibid.
Gratia mediante Deus author eſt omnis meriti & boni operis in nobis. ibid.
Gratia, & habitus ſupernaturales infunduntur, non acquiruntur. 177.1
Gratia comparata grano Synapis. 176.2
Gratia ſeminatur in intellectu, & voluntate, tanquam in terra. 177.2
Fructus gratiæ, ſeu ſpiritus. 178.1
Gratia per coronam ſignata. 220.1
Gratia per Chriſtum facta eſt. 249.2
Gratiæ neceſſitas. 271.1
Hæreſis Pelagij, & Coeleſtij negantium neceſſitatem gratiæ. ibid.
Gratia offertur facienti quod in ſe eſt. ibid.
Damnatio Pelagij, & Cæleſtij. ibid.
Gratia adiuuat infirmitatem noſtram. ibid.
Non volentis neque currentis, ſeb miſerentis eſt Dei ſalus noſtra. ibid.
Gratia Dei non fuit vacua in Paulum. ibid.
Victoria noſtra eſt ex gratia. ibid.
Sufficentia noſtra ex gratia eſt. ibid.2
Gratia non tantùm ad facile, ſed ad poſſe operandum neceſſaria. ibid.
Gratia operans quid ſit, & quando conceditur, pagina. 395.1
Eadem dicitur cooperans. ibid.
Gratia non deſtruit naturam, ſed perficit. 398.1
Gratiæ cooperamur aliquando minus perfectè, aliquando perfectius. ibid.
Gratia non tollit libertatem. 399.1
Gratiæ myſteria ex ſola Dei reuelatione cognoſcuntur. 644.2

Gratia gratis data.

Gratia iuſtificans, & gratis data ſignantur per duos piſces. 201.2
Gratia gratis data ſignata per ambulationem ſuper mare, & intrare ianuis clauſis. 288.1
Gratia gratis data multis confertur, & vix eſt qui aliquam non poſſideat. ibid.
Gratia gratis data etiam malis datur. 559.2
Gratiarum actio à Chriſto præcepta. 107.1
Gratiarum actionis forma. 684.1
Grauedo colorum in dormientibus diſcipulis eiuſque cauſa. 699.1
Grauius eſt Chriſtianum ſcandaliſare quàm Gentilem. pag. 477.1

H

Habitus Habere

HAbere commercium cum Mundo prohibitum Apoſtolis. 238.1
Nihil habere eiſdem præceptum fuit miſſis ad prædicandum. ibid.
Habere diuitias licet Eccleſiæ. ibid.
Cur nihil habere præceptum Apoſtolis. ibid.2
Nihil habere non eſt præceptum vniuerſale, reſpiciens ſucceſſores Apoſtolorum. ibid.
Habitus intellectus, tàm practici, quàm ſpeculatiui. pag. 229.1

Habitus ſunt propugnacula intellectus. ibid.
Habitus voluntatis enumerantur. ibid.
Habitus voluntatis ſunt hoſtium animæ compingitur. ibid.

Hæreſis.

Hæreſis Photij fingentis Chriſtum purum hominem. pag. 7.1
Hæreſis Dauidis Georgij negantis Chriſtum eſſe filium Dei naturalem. ibid.
Hæreſis Caluini damnantis ſolitariam contemplationem. 35.1
Hæreſis Lutheri dogmatizantis nullam exigi ab hominibus pœnitentiam, neque antè, neque poſt baptiſmum. 44.2
Hæreſis omnis à libertate interpretandi ſcripturas proceſſit. 55.2
Hæreſis Lutheri circa Eccleſiaſticos ordines. pagina. 123.2
Hæreſis Manichæi duos Deos introducentis. 148.1
Hæreſis Pelagij. 164.1.173.2
Hæreſis Lutheri, & ſequacium negantium confeſſionem auricularem. 172.1
Hæreſis Iouiniani. 175.1
Hæreſis Pethiliani. ibid.2
Hæreſis dicitur procella magna à ventis agitata. pagina. 181.2
Hæreſis quibus conuincitur. 184.1
Hæreſis Haggromacorum, & Lutheri contra venerationem reliquiarum Sanctorum. 187.2
Hæreſis Celſi vocantis excantationes Chriſtianorum inſanum opus. 200.1
Hæreſis Lutheranorum negantium animam à vitijs per Chriſtum non poſſe ſanari. 208.1
Hæreſis Lutheri quod poſt Baptiſmum remaneat concupiſcientia, & originale peccatum. 217.1
Hæreſis Centuriatorum, & Lutheri de paupertate Mariæ Virginis. 232.1
Hæreſis Eluidij de Virginitate Deiparæ. ibid.
Hæreſis Caluini aſſerentis Chriſtum plura ignoraſſe. pag. 235.2
Hæreſis Ioannis Vuicleff de diuitijs Eccleſiaſticorum. pag. 238.2
Hæreſis Heraclionitarum, Vuicleff, & Lutheri negantium extremam vnctionem eſſe Sacramentum nouæ legis. 248.1
Hæreſis ſimilis Hydræ. 251.1
Hæreſis Brentij contra Ioannis Baptiſtæ innocentiam. pag. 263.1.2
Hæreſis Vualdenſium contra ſepulturam Eccleſiaſticam. 265.2
Hæreſis Eunomis, & Ioannis Vuicleff, detrahentium reliquijs Sanctorum. 266.1
Hæreſis Haggiomacorum, & aliorum negantium interceſſionem Sanctorum. 270.2
Hæreſis Pelagij, & Caleſtij negantium neceſſitatem gratiæ. 273.1
Hæreſis Lutheri de abſolutione peccatorum. pagina. 275.2
Hæreſis Adephij, & Alexandri. 302.1
Hæreſis Lutheri, & Magdeburgenſium. 307.1
Hæreſis quàm pernicioſa. 314.1
Hæreſis Magdeburgenſium aſſerentium nos peccare neceſſariò, nullumque libertatis arbitrium ineſſe homini. 324.1
Hæreſis Pelagianorū aſſerentiū libertatem à Deo in homine conualeſcere, vt qua probabitur facilitate reſurgere, & abſque gratia ſeſolâ iuxtà operari, & promereri vitam æternam. ibid.
Hæreſis Lutheranorum baptizatis abſque gratia dimitti peccata. 364.1
Hæreſis Neſtorij, qui Deum ab homine in Chriſto ſeparabat. 370.1
Hæreſis Melanctonis, & Molinæi. 402.2
Hæreſis Baſilidis. 410.2
Hæreſis Lutheri, & Centuriatorum detrahentium orationi vocali. 432.2
Hæreſis contagio. 435.2
Hæreſis baſem habet mendacium. ibid.
Hæreſis patrem habet Satanam. ibid.
Hæreſis veritati oppoſita. ibid.
Hæreſim definire nequeunt Pontifices Romani. pagina. 688.1
Hæreſis falſo imputatur Pontificibus. ibid.
Hæreſis circa neceſſitatem matrimonij. 495.2
Hæreſis Chiliaſtarum de retributione temporali poſt iudicium. 518.1
Hæreſis, & erroris horror. 566.1
Hæreſis peſtilens malum. ibid.
Hæreſis tenebras amat. ibid.
Vide verbo error.

Hæreticus.

Hæretici negant Philonis teſtimonium. 1.2
Hæretici negabant Euangelium Marci. 5.2
Hæretici carentes ſpiritu Sancto errant in oraculis. pag. 6.2
Hæretici hærent in ſolo cortice ſcripturæ. ibid.
Hæretici pſeudoprophetæ vocandi, & cur. 55.1
Hæretici per ſcripturam conuincendi. 107.1
Hæretici conuicti malunt tacere quàm confiteri verum, & erratum abiurare. 115.2
Hæreticorum auſus. 181.2
Hæretici nihil aliud cupiunt quam vt perdantur electi. 183.1
Hæreticus per Leænam ſignatus. 203.1
Hæretici in ſententijs inſtabiles. 251.1
Hæretici per rauas ſignati. ibid.
Hæretici authoritate Sacræ Scripturę conuincendi. 309.1
Hæretici à Deo longinqui. 310.1
Hæretici volunt errores veritati, & rationes anteponi. 313.1
Hæreticus dicitur malus oculus. 336.2
Hæreticorum deſcriptio egregia ex propheta. pagina. 737.1
Offerunt cunctis hæreſim. ibid.
Oracula contorquent, vt falſum ſtabilient. ibid.2
Falſant acta Sanctorum. ibid.
Vtuntur varietate ſcientiarum, & apparentia rationum. ibid.
Prædicant vera ſimul cum hæreſibus. ibid.
Compellunt fideles deficere ad hæreſes. ibid.
Hæreticorum trepidatio. 566.2
Hæreticorum hallucinatio. 584.2

Hære-

Hæretici contemptores. ibid.
Hæretici ſimulant ſe eſſe ſectatores ſcripturarum. pag. 589.2
Hæreticorum abſurditas circà præceptum dilectionis Dei. 600.2
Hæretici vulpes. 610.1
Hæreſiarchæ aptum ſymbolum. ibid.
Hæreſiarchæ quaſi vulpes in deſertis. ibid.
Vident mala, & diuinant mendacium. ibid.
Inflammantur amore proprio, & concupiſcentia. ibid.
Mittuntur à patre mendacij. ibid.
Quærunt, quæ ſua ſunt. ibid.

Hæbrei.

Hæbrei libros Legis à prima voce appellant. pag. 4.2
Hæbrei Scripturas habebant, ſed non intelligebant. 20.2
Hæbrei aſſimilantur locuſtis. ibid.
Opinabantur Ioannem aliquandiù eſſe Chriſtum. ibidem.
Præcepta implere promittebant, ſed non obſeruabant. ibid.
Hæbrei poterant cognoſcere Chriſtum redemptorem. 80.1
Excæcauit eos malitia, & odium. ibid.
Obliti ſunt nè videantur oculi eorum ex propheta. pag. ibid.
Hæbrei continuò quærunt, qui veritatem doceat. pag. 135.2
Conſulunt Rabinos. ibid.
Petunt frangi panem in Sinagogis. ibid.
Eorum plaga inſanabilis ibid.
Futura eorum conuerſio. ibid.
Hæbrei memoria antiquorum ſanctorum ieiunio celebrant. 188.1
Hæbrei aſpernantur Legem Euangelicam. pag. 297.2
Apud eos commune, & profanum idem erat, tenentes legem neſcierunt, & abiecerunt eam. ibid.
Immunda reputant omnia, quæ ad Chriſtum ſpectant. ibid.
Vide verbo Iudæi.

Hæbraica Lingua.

Chriſtus locutus ſermone hæbreo. 766.1
Hæbraica lingua eſt prima. ibid.
Hæbraica lingua vſi ſunt Sancti Patres. ibid.
Hæbraica lingua data lex, & reliqua diuina explicata. ibid.
Hebraica lingua prima ſcribi cæpit. ibid.

Hieroſolyma.

Hieroſolymorum deſtructio prædicta à Chriſto. pag. 617.1
Hieroſolimorum reliquiæ ſublatæ ab Adriano. ibid.
Hieroſolymorum deſtructio cæpit à monte oliuarum. ibid.2
Hilaritas placet Deo. 534.2
Henrici Octaui lapſus. 496.2

Homo.

Hominis deſcriptio. 413.2
Homo ſolus inobediens voci Dei. 18.1
Obturat aures, & cor aggrauat. ibid.
Eius ingratitudo. ibid.
Homo antiquitus ob innocentiam beſtijs dominabatur. 38.1
Poſt peccatum ruptum eſt fœdus inter hominem & beſtias. ibid.
Poſt Chriſti aduentum beſtiæ hominibus manſuetiores factæ. ibid.
Homo aſſimilatur piſci. 48.2
Homo in ſpiritu immundo ſignificat luxurioſum. pag. 56.1
Homo captus in peccatis ſuis factus eſt præda dæmonij. 73.2
Non habet vires ſeipſum liberandi. ibid.
Homo quot, & quibus languoribus veſcetur. pag. 66.2
Homo varijs languoribus ſubditus. ibid.
Hominis humiliatio in medio ſui. ibid.
Aſſimilatur varijs rebus. ibidem.
Humiliari coram Deo debet. ibid.
Homo moleſtijs carnis affectus. 84.1
Homo moleſtatur quinque de cauſis. ibid.
Homo benè operans filius eſt thalami nuptialis. pag. 99.2
Homo in ſingulari poſitus, tàm in nouo, quàm veteri teſtamento Chriſtum ſignificat. 110.1
Homo antè aduentum Chriſti dexteram habuit languidam, ſiniſtram verò ſanam. 116.2
Homo habens dexteram aridam ſignificat auaros. ibidem.
In homine poſt peccatum remanſit potentia ad naturalia opera, licet debilis. 117.2
Homo peccans dicitur ſathanas conſurgens contra ſemetipſum. 136.2
Homo natus de muliere eſt in peccatis conceptus. 137.1
Hominis inſtabilitas. ibid.
Homo non ſeparat quod coniunxit Deus. 495.1
Hominis eſt agere propter finem. 646.2
Homo more ſacræ Scripturæ vas appellatur. pag. 137.2
Homo omnium finis ſub fine. 149.1
Homo priuatus perſepè ſanctitatē ſimulat. 167.1
Homo publicus per candelabrum aureum ſignatus. ibid.
Homo nihil perfectum poteſt operari, niſi Dominus benignitatem ſuam infuderit. 177.1
Homines vani oleribus aſſimilati. 178.1
Homo paganus per vultum ſignatus. 203.1
Homines vani in vanum laborant. 311.1
Homo in inferno dicitur functus, & cur? 318.1
Homo elinguis eſt iuxtà auditus ſurditatem. pag. 350.1
Homo ſibi relictus ignorantiæ, & peccato obnoxius. 355.2

Homo

Homo spiritualis solùm percipit diuinarum rerum intelligentiam. 374.2
Homo spiritualis nunquam ſe ſatiatum ſentit ſpirituali dulcedine, dùm in carne eſt. ibid.
Homo mundanus ſemper triſtis,& defatigatus incedit. ibid.
Homo debet progredi de virtute in virtutem pag. 397.1

Homicidium. Homicida.

Homicidia ab ira procedunt. 333.1
Aduerſantur commutatiuæ iuſtitiæ ibid.
Prohibentur primo præcepto negatiuo. ibid.
Homicidium clerici, vel religioſi grauius quàm laici. ibid.2
Homicidium patris,matris,vxoris,grauius quàm aliorum. ibid.
Contra homicidas multa ſtatuit lex. ibid.
Errores Valdenſium circa homicidium. ibid.
Non eſt homicida, qui ex lege animaduertit. ibidem.
Pœna ſtatuta in homicidas. ibid.
Duplex homicidij genus. 333.1
Homicida eſt qui animam ſuam ſpontè peccans, vel alienam dato ſcandolo petimit. ibid.
Homicida corporalis non timendus à iuſtis. pag. ibid.

Honor.

Honor ex bonis operibus nō eſt quærendus apud homines. 75.2
Honor fugientem ſequitur. 92.1
Honor quærendus ex Deo ibid.2
Honor triplex. 210.1
Honor creaturarum dulia dicitur, & hiperdulia. ibidem.
Honor Deo debitus vocatur latria. ibid.
Diſtinctio latriæ à reliquis,fit mente,& intentione. ibidem.
Eſt actus religionis. ibid.
Honor virtutis eſt præmium. 233.2
Honorandi viri ſancti. ibid.
Honor exhibetur ob excellentiam ibid.
Primò, & principaliter Deo debetur, reliquis prout accedunt ad Deum. ibid.
Honorantur Sancti in cælo. ibid.
Honorem præcedit labor. ibid.
Propheta non honoratur in patria ſua. ibid.
Honores eccleſiaſtici iuxtà merita conferendi pagina. 234.1
Honores impunè abſque meritis non ambitur. pag. ibid.
Honoris ſigna nulli debent derogare. ibid.
Honor inter ciues, & cognatos non acquiritur. ibidem.
Honor linguæ latinæ. 755.2
Honor debetur parentibus. 316.2
Honorandi parentes ſubiectionis reuerentia, & ſubſidio obſequij. ibid.

Honor Doctorum.

Honorandi doctores exemplo Chriſti. 708.1
Criminationes cōtra Doctorē nemo ſuſcipiat. ibid.
Doctores, Patres ſunt ſpirituales. ibid.
Magis portandi, quàm reprehendendi, niſi à fide errauerint. ibid.

Honor templorum.

Honor templorum. ibid.2
Immunia à ſanguine conſeruanda. ibid.
Honoratur Eccleſia, quando ad eam confugientibus immunitas obſeruatur. ibid.
Non eſt tradendus, qui ad Eccleſiam confugit, niſi præſtita cautione. ibid.

Hora.

Hora aliquando ſignificat mortem, Ioann. 12. pag. 694.2
Hora vna non potuit vigilare Petrus cum Chriſto. pag. 697.1
Hora tertia crucifixus Chriſtus, quomodo intelligendum. 753.2
Hora ſexta tenebræ factæ ſunt ſuper terram. ibid.
Hora nona Chriſtus expirauit. ibid.
Hora orationis antiquitus. 700.1
Hoſtis obedientiæ. 697.1

Humanitas Chriſti.

Humanitas Chriſti ſignata per calceamenta, quorum corrigiam non erat dignus Ioannes ſoluere. 24.2
Humanitas Chriſti ſignata per tectum domus, in quo ſauxit paraliticum. 82.2
Nō peruenitur ad Diuinitatem Chriſti, niſi credatur eius humanitas. ibid.
Humanitas Chriſti oſtium,& cortinæ tabernaculi interpretatur. ibid.
Humanitas non diminuit aliquid de proprietatibus Diuinitatis. 89.1
Chriſtus homo factus verbum Dei permanſit. ibidem.
Chriſtus in humanitate pro peccatoribus mori potuit. ibid.
Chriſtus vt homo habuit poteſtatem excellentiæ dimittendi peccata. ibid.
Humanitas Chriſti inſtrumentum coniunctum Diuinitati. ibid.2
Veritas humanitatis Chriſti aſtruitur. 188.1
Vide verbo Chriſtus.

Humilis. Humilitas.

Humilitatis definitio. 345.1
Quanto maior quis eſt, tantò humilior debet eſſe. pag. 113
Humilitas comparata ædificio, palmæ, cedro. ibid.
Humilitates ſequitur gloria. ibid.
Ab humilitate augmentum orditur. 23.1
Humile hominis principium. ibid.

Ars

Ars, & natura ab humilitate incipiunt. ibid.
Humilitas operi ſtatuenda fundamentum. ibid.
Humilitas Ioannis baptiſtæ. ibid.
Humilitas Pauli. ibid.2
Humilitas Ioannis meruit Chriſtum laudatorem. ibidem.
Humilitas parens omnium bonorum. ibid.
Humilitas initium beatitudinis. ibid.
Humilias Chiſti. ibid.
Humilitas per profunditatem terræ ſignata. pag. 150.2
In humilitate naſcitur ſemen verbi. ibid.
Humilitas per granum ſynapis ſignata. 176.2
Humilitas,& fides Hemorroyſſæ. 215.1
Humilitas ſancti Franciſci. 334.2
Humilitas ſectanda. 378.1
Humilis omnia in Deum refert, nihil ſibi attribuens. ibid.
Humilitatis ſtudium ex cognitione ſui prouocatur. ibid.
Humile lignum ſubleuat Deus. ibid.
Humilitatis ima ſectanda ei, qui faſtigia diuinitatis cupit. ibid
Humilis interrogare non præſumit. 431.2
Humilitas Chriſti deſcribitur ex Apoſtolo. pag. 707.1
Humilitatem veram habuit non fictam, vt fingunt hæretici. pag. ibid.
Humiliationis Chriſti ratio, & cauſa. 538.1
Humilitas radix vitæ ſpiritualis. 529.1
Ab humilitate regimen inchoare debent Epiſcopi,& Prælati. ibid.
Humilitatem ſequitur gloria. 500.1
Per eam conformatur homo imagini Chriſti. ibidem.
Humilitas nunquam à Chriſto receſſit. 774.2
Humilitas virtutum gazophilatium. 469.2
Humiles receperunt honorem à tyrannis. 470.1
Humiles dicti pueri ſenſu non corpore. ibid.
Huſſitarum error. 669.2
Hydromantia quid ſit. 250.1

Hypocrita.

Hypocrita in Deum peccat. 136.2
Hypocrita petroſa terra dicitur. 160.2
Hypocritæ ſimulant humilitate ficta. ibid.
Ædificant in iniuſtitia. ibid.
Hypocritæ ſepulchra dealbata, intus plena ſerpentibus. ibid.
Hypocritæ mortui ſunt, & viuere mentiuntur. ibidem.
Verbum Dei audiunt, ſed non faciunt. ibid.
Hypocritæ gaudium fictum, & inane. 161.1
Hypocriſis damnatur. 241.1
Hypocritæ duplex peccatum,occulta ſcilicet iniquitas,& aperta ſimulatio ibid.
Hypocritæ foris candidi, intus ſordidi. ibid.
Amatores ſunt vanæ gloriæ. ibid.
Hypocritæ fallaces. 261.2
Simulant paupertatem,appetunt diuitias. ibid.
Simulatæ foris virtutis, vitium intùs amplectantur. pag. ibid.
Hypocrita rectè dicitur hiſtrio. 262.1
Hypocriſis deteſtabilis. 305.2
Hypocriſis Scribarum,& Phariſæorum. ibid.
Hypocriſis eſt externis vigilantijs inuigilare,negligere perfectionem interioris hominis.ibid.
Hypocriſis damnata. 308.1
Hypocrita propriè hiſtrionem ſignificat. ibid.
Hypocritæ alienas perſonas referunt, non proprias. ibid.
Hypocritæ dicti Phariſæi, & Scribæ à Chriſto. ibidem.2
Hypocriſis magna impietas. ibid.
Hypocritæ vulpes, quæ demoliuntur vineas. ibidem.
Fabricatores ſunt mendacij, & cultores peruerſorum dogmatum. ibid.
Arguit eos propria malitia. ibid.
De hypocritis variæ Prophetarum ſententiæ. ibidem.
De hypocriſia Scribarũ, & Phariſæorum prophetauit Iſaias. 309.1
Hypocritarum cor elongatum à Deo. 310.1
Hypocriſis quid ſit. ibid.2
Hypocriſis deſcribitur ſimulata ſanctitas. 385.2
Comparantur tineæ. ibid.
Hypocriſis materia circà quam. ibid.
Hypocriſis via ad infernum deducit. 586.1
Hypocrita luxurioſus dicitur, & ſurdus. 316.2
Hypocritę proprium eſt omnem nequitiam committere. 335.2
In cælum mittit os ſuum. ibid.
Hypocrita quomodo cognoſcendus. 456.2
Hypocrita comparatur æri ſonanti ſtipulæ. ibid.
Oculos habet, & non videt,aures habet, & non audit. ibid.
Præco eſt Luciferi, defenſor Sathanæ, diſcipulus ſpiritus immundi. ibid.
A ſenſibus alienum ſe fingit. ibid.
Dum probatur, neſcit ſpiritum. ibid.

I

Iacobus.

Iacobus Zebedæi vocatus à Chriſto. 51.1
Interpretatur ſupplantator. ibid. 127.2
Ethymologia nominis. ibid.
Tenuit veſtigia Chriſti. ibid.
Eius laudes. ibid.
Vocatur teſtis transfigurationis. 415.1
Inter tres primos Apoſtolos numeratur. ibid.
Occiditur ab Herode. ibid.
Interpretatur patientia. ibid.
Eius petitio à Chriſto. 523.1
Interpretatur actio. ibid.
Aſſumptus eſt cum Petro, & Ioanne à Chriſto ſeorſim ab alijs in horto. 691.2
Qui per eum deſignentur. ibid.
Iacob figura venientium ad Chriſtum: Iſaac autem Chriſti. 120.2
Ianua prima ſalutis. 354.1
Idolatria quando cæpit ceſſare. 290.1

Ieiu-

Ieiunium.

Ieiunium Chriſti. 36.2
Ieiunium diſcipulorum Ioannis,& Phariſæorum. pag. 98.2
Ieiunium hæreticorum infructuoſum. ibid.
Ieiunabant diſcipuli Ioannis exemplo Ioannis, Phariſæi ex iactantia. ibid.
Ieiunans comedentem non iudicet. ibid.2
Improperant Phariſæi Chriſto, quòd diſcipuli eius non ieiunarent. ibid.2
Ieiunio præſtantior eſt Chriſti præſentia. 99.2
Ieiunij finis. ibid.
Ieiunio macerandus homo vetus, vt nonus induatur. 110.1
ieiunium Apoſtolorum à Chriſto prædictum. pag. ibid.
Ieiunium purgat mentem, ſubleuat ſenſum. ibid.2
Ieiunium carnem ſubijcit ſpiritui. ibid.
Ieiunium concupiſcentiam extinguit. ibid.
Ieiunium Moyſis. 101.1
Ieiunium Niniuitarum. ibid.
Ieiunium Danielis. ibid.
Ieiunium ſuaſit Chriſtus. ibid.
Ieiunium reſpuitur ab hæreticis. ibid.
Ieiunium quadrageſimale pro decima omni tempore ſoluendum. ibid.
Ordinatur varijs canonibus. ibid.
Ieiunium rogationum. ibid.
Ieiunium quatuor temporum. ibid.
Ieiunabant in primitiua Eccleſia feriam ſextam, & Sabbathum. ibid.
Ieiunium inſtituerunt Apoſtoli,& Chriſtus. ibid.
Ieiunium feriæ paraſceues,& Sabbathi ſācti.ibid.
Inſtitutio eſt Apoſtolica. 670.1
Ieiunium Sabbathi ſancti præfertur. ibid.
Ieiunium ſignum triſtitiæ, & compaſſionis. ibid.
Ieiunij, & orationis virtus contrà dœmonia. pag. 460.2
Ieiunans abſtineat à vino, & carnibus. ibid.
Ieiuniorum præſidia collata aduerſus dæmonum inſidias. 461.1
Ieiuniorum refectio eſt oratio. ibid.
Ieiunio adiungenda oratio, & eleemoſina. ibid.
Cur lunaticus ſpiritus,non expellitur, niſi in ieiunio, & oratione. ibid.
Ieiunij pharmacum adhibendum contrà dæmonium gulæ. ibid.
Ieiunij, & orationis cultoribus donatur gratia expellendi dæmones. ibid.
Ieruſalem typus Eccleſiæ. 646.2
Vide verbo Hieruſalem.

Ignis.

Ignis amoris clauſus eſſe non poteſt. 244.1
Ignis infernalis non extinguitur. 483.1
Habet coniunctum vermem. ibid.
Ignis,& in ſempiternum cremabit. ibid.2
Eius viuax eſt flamma,vorax pœna. ibid.
Torquet ſine requie, & fine. ibid.
Variè torquet, & cremat damnatos iuxtà diuerſitatem peccatorum. ibid.
Idem eſt omnium ignis, ſed diuerſa pœna. ibid.
Viciſſim ignis,& frigus torquet damnatos. ibid.
Ignis concupiſcentiæ. 725.1

Ignorantia.

Ignorantia in his,quæ ſunt animæ. 315.2
Ignorantia humana. 366.2
Ignorantia hominum circà ea, quæ ſibi proſunt. pag. 551.2
Vide verbo error.
Imbecillitas naturæ ex ſe. 687.1
Imperfectio naturæ præualuit in Apoſtolis vſque ad aduentum Domini. 444.2
Imitatio Chriſti. 469.2
Impaſſibile non ſubiacet corruptioni, aut alterationi. 800.2
Impaſſibilis erat Chriſtus poſt reſurrectionem. pag. ibid.
Imperium vitæ, & mortis ſoli Chriſto ſeruatur. pag. 175.2

Impius, Impij.

Impetus belli non tyronibus,ſed expertis militibus committendus. 40.2
Impij fugiendi. 727.2
Impiorum alij alijs nequiores. ibid.
Impiorum in iudicio futuro queremonia. ibid.
Per impios diabolus tentat Sanctos. ibid.
Impio præualente aduerſus iuſtum,cuncta videntur eclypſim pati. 39.1
Impoſitio manus quando iteratur. 502.1
Impunitas malos fouet. 646.2

Impudicitia.

Impudicitia oppoſita eſt pudicitiæ. 335.2
Impudicitia eſt ſpecies intemperantiæ. ibid.
Impudicitia conſiſtit in ſignis exterioribus animi impudici. ibid.
Impudicorum deſcriptio apud ſapientem. ibid.
Impudicorum corpora ſunt mortua. 336.1
Impudicitia Maſſagetarum. ibid.
Impudicorum perditio. ibid.
Impudicitia reperitur in alijs etiam vitijs in quibus regnat inuerecundia. ibid.
Impudicitia totius intemperantiæ comes. ibid.
Impudici extrà regnum manent. ibid.
Inconſtantia temporalium. 329.1
Indignatio Apoſtolorum aduerſus Magdalenam, ob effuſum vnguentum ſuper caput Chriſti. pag. 654.1
Indignatio Apoſtolorum, & Iudæ diuerſa fuit. ibidem.
Indignati Apoſtoli ex zelo pauperum,Iudas ex lucro. ibid.
Indignationis variæ ſunt ſpecies. ibid.
Indignatio Iudæ in ſupremo gradu fuit. ibid.
Indui duabus tunicas quid ſignificet. 242.1
Inconſtantia populi. 740.2

Incredulitas.

Incredulitatem exprobrauit Chriſtus diſcipulis, pag. 892.2
Incredulitas Thomæ redarguitur. ibid.
Incredulitas graue peccatum. ibid.
Proxima eſt contemptui diuinæ ſcripturæ, & hæreſi. ibid.
Incredulitas eſt mentis. 803.1
Diſtinguitur à duritia cordis. ibid.
Incredulitas viam aperit duritiæ. ibid.

Induratio.

Induratio in malum. 660.1
Induratio Sacerdotum aduerſus Chriſtum. ibid.
Non recogitarunt mente. ibid.
Induratio Nabal Carmeli. ibid.
Induratio Iudæorum præſentium. ibid.
Inermis eſt, qui ſine oratione eſt. 694.1
Infælicitas hominis. 409.1
Infideles humanitatis officia exercent. 446.2
Infidelitas duplex eſt. 804.2
Infidelis negatiuus, qui fidem nunquam admiſit, vel reſpuit. ibid.
Infidelis poſitiuus eſt hæreticus. ibid.

Infirmitas.

Infirmitas dæmonum. 797.2
Infirmitas Petri. 707.2
Infirmitas hominum. ibid.
Infirmitas ſocrus Simonis difficillima. 64.2
Infirmi à Chriſto ſanati cur vi omnes, aut aliorum ope ad eum deferebantur. 65.2
Infirmitates ſæpius in beneficium hominis, & gloriam Dei cadunt. 615.1
Infirmitatis cauſa ſæpius eſt peccatum. 84.1
Infirmitas eſt communis omnibus. 97.2
Infirmitas grauis eſt auaritia. 112.2
Infirmitatum duplex genus. 126.1
Influxus Dei per ſemen ſignatur. 158.2
Ingratitudo peccatorum. 561.1
Ingratitudo Capharnaitarum. 53.2
Iniquitas progenitorum noſtrorum. 117.1
Inquinatio dicitur commutatio. 329.2
Inquiſitio, & diſputatio præmittenda definitioni. pag. 431.2
Inſipientia populi. 740.2
Inſtabilitas reprobatur. 691.1

Intelligentia, Intellectus.

Intelligentiam ſcripturarum poſſident purgati animo. 6.2
Intelligentia ſcripturarum habetur per Spiritum ſanctum. ibid.
Intellectus eſt murus, & ſpecula animæ. 210.2
Intellectus prouidet, & dictat cuncta. ibid.
Intellectus conſulit reſiſtendum aduerſatio. ibid.
Intellectus propugnacula ſunt habitus practici. pag. ibid.
Intellectus habitus enumerantur. ibid.

Interceſſio ſanctorum.

Interceſſio ſanctorum probatur. 63.2. 270.2. 394.1
Error hæreticorum aſſerentium contrarium. pag. 64.1
Decretum Synodi Conſtantinopolitani de inuocatione ſanctorum. ibid.
Sancti etſi corpore abſunt, adſunt tamen ſpiritu orantes apud Deum pro nobis. 270.2
De hoc notabile exemplum apud Metaphraſtem, ibidem.
Germanus orat Caſſianum ſepultum, vt pro ſe & plebe intercedat apud Deum. ibid.
S. Dominicus ſpondet ſe vtiliorem futurum in cælo ſuis filijs, quàm in terra. ibid.
Sancti non ceſſant pro nobis rogare. 344.1
Viuos cuſtodiunt, & mortuos excipiunt. ibid.
Decretum Tridentini, Toletani, Gerundenſis, Aurilianenſis contra Haggiomachos. ibid.
Interceſſio ſanctorum grata eſt Deo. 64.1
Interceſſio ſanctorum plurimum iuuat. ibid.

Interpretatio.

Interpretatio vera verborum Apoſtoli circa omnium mortem. 638.1
Interpretatio ſcripturæ non eſt quærenda ſine patrum ſenſu. 671.2
Interpretationem veram ſcripturæ non aſſequuntur hæretici. ibid.
Interpreti neceſſaria facultas. 766.2

Interrogatio.

Interrogandum eſt quod neſcitur. 155.1
Interrogatio fraudulenta. 573.2
Interrogatio congrua. 490.1
Interroganda ſunt quæ ſcire oportet. 464.2
Inuerecundia libidinis. 336.1

Inuidia.

Inuidiæ proprium eſt bene actis detrahere. 113.1
Suſtinere non valet bona opera aliorum. ibid.
Inuidia religionem annihilat. 132.2
Inuidia malorum aduerſus Chriſtum. 163.2
Inuidiæ fucus. 564.1
Exempla inuidiæ. ibid.

Ioannes Euangeliſta.

Ioannes incipiens euangelium ſuum ab æternitate verbi Dei vſque ad reſurrectionem pertingit, pag. 2.1
Ioannes Domini gratia, donum, miſericordia interpretatur. 128.1
Ioannes cur filius tonitrui dicatur. ibid.
Ioannes vocatus à Chriſto. 51.1
Ioannes aſſumptus à Chriſto teſtis transfigurationis. 415.1
Ioannes dilectus à Chriſto. ibid.
Ioannes teſtimonium perhibuit de Chriſti gloria. pag. ibid.

Ioan-

Digitized by Google

Ioannes aſſimilatur Luci. ibid.
Ioannes aſſumptus à Chriſto teſtis agoniæ in horto. 691.2

Ioannes Baptiſta.

Ioannes Baptiſta habuit nomen, & officium angeli. 9.2
Ioannis Baptiſtæ ſanctitas à tota Trinitate probata. 10.2
Ioannis Baptiſtæ laudes. ibid.& 255.1
Ioannes cæpit in vtero eſſe Chriſto familiaris. pag. 11.1
Ioannes Baptiſta *vox*, & cur. 11.2,263.2
Ioannes Baptiſta cur *Vox clamantis* dicitur. 12.2
Ioannes ſolus meruit Chriſti vox appellari. ibid.
Ioannes cur *Vox clamantis in deſertum*. 13.1
Ioannis prædicatio ſicut mel dulcis. 20.2
Ioannes comedens locuſtas conuerſionem omnium gentium ad Chriſtum præſignauit. 21.1
Ioannes reſpectu Chriſti ſicut ſcintilla ad ſpheram ignis, & ſicut lux minimæ lucernæ ad ſplendidiſſimum Solem. ibid.
Ioannes de plenitudine Chriſti accepit. ibid.
Ioannis prædicatio non communis, neque vulgaris, ſed mirabilis, & myſterioſa. 21.1
Ioannes nos erudit quomodo noſtra enarrare debeamus. 22.2
Ioannes illis verbis, *Cuius non ſum dignus ſoluere*, &c. ſe inferiorem non ſolùm Chriſto, ſed etiam Apoſtolis conſtituit. 24.2
Ioannes ad eos ſanctitatis terminos peruenit, quo humana natura poterat peruenire. ibid.
Ioannes non vt peccator, ſed vt humilis dicit ſe non eſſe dignum ſoluere corrigiam calceamentorum Chriſti. ibid.
Ioannes baptizato Domino vidit cælos apertos, pag. 28.1
Ioannis traditio finem legalium ſignat. 39.2
Ioannes Baptiſta Angelus. 433.1
Iordanis fluuius. 191.1
Iordanis quid ſignificet? ibid.

Ira.

Ira eſt omnis malus motus ad nocendum. 116.1
Ira continet omnes alias paſſiones. ibid.
Ira habet ſpecies atque gradus. 654.1
Iræ ſupremus gradus eſt furor. ibid.
Ira aliquando naſcitur ex concupiſcentia. ibid.
Ira Iudæ proditoris aduerſus Magdalenam. ibid.
Ira aliquando fel, aliquando zelus dicitur, & includit vel peccatum, vel imperfectionem. ibid.
Iraſcendum, & non peccandum iuxtà Pſalmiſtam. pag. ibid.
Ira deſtruit miſericordiam. ibid.
Ira excitat murmur. ibid.
Ira ſuccenſa difficulter cohibetur. ibid.
Ira Dei in ſcripturis intelligitur zelus. 115.2
Ira Chriſti aduerſus Phariſæos. ibid.
Ira Dei ſicut ignis exardeſcit. ibid.
Iratus dicitur Deus, non quia paſſioni ſubeſt, ſed iuxtà modum loquendi imperfectè intelligentis. pag. 116.1
Ira ad vindictam inhiat contra rationem. ibid.
Ira rixam, tumorem, contumeliam, indignationem, & blaſphemiam generat. ibid.
Chriſtus vt homo non fuit ſubiectus huic paſſioni. ibid.
Iræ ante Chriſtum quid ſit. 48.2
Iſaias clarius de Chriſto loquutus. 37.1
Iſaac onuſtus lignis, & deferens ignem deſignat debitum pœnitentiæ operibus. 44.2
Itinerarium Petri. 810.2

Iudas.

Iudas Galadites rebellus factus Romanis. 580.2
Iudas Iſcariotes, qui & proditor dicitur. 130.1
De eo error Caianorum. ibid.
Aſſumptus inter duodecim Apoſtolos. ibid.
Tenuit confeſſionem Chriſti, eiuſq. fidem. ibid.
Eius deſperatio. ibid.2
Eius indignatio, & auaritia. 654.1
Iſcariotes dictus à patria. 559.1
De qua tribu fuerit. ibidem.
Interpretatur vir occiſionis. ibid.
Vnus fuit de duodecim Apoſtolis numero, non merito, corpore, non anima. ibidem.
Abijt ad ſummos ſacerdotes Chriſtum proditurus. pag. ibid.
Abiurauit fidem Chriſti, & Apoſtolatum. ibid.2
Cor eius congregauit iniquitatem. ibid.
Intrauit in eum Sathanas. ibid.
Eius auaritia, & malitia. ibid.
An interfuerit conſilio ſacerdotum de capiendo Chriſtum. ibid.
Conuenit de precio proditionis cum ſacerdotibus. pag. 60.2
Quærebat occaſionem tradendi Chriſtum. ibid.
Induerat maledictionem Spiritus vertiginis. ibid.
Cur Iudas non dicitur veniſſe in ciuitatem, ſicut cæteri Apoſtoli. 666.2
Eius proditio manifeſtatur p Xp̄m in cœna. 669.1
Erat ex patre diabolo, tamen inter ſanctos computabatur. ibid.2
Maxima dignus eſt reprobatione. ibid.
Eius crudelitas. ibid.
Eius deſcriptio. 671.1
Tribus ſignis manifeſtatur à Chriſto. ibid.
Miſerrimos ſuper natos mulierum. ibid.2
Eius interitus, & damnatio prænunciatur. 672.2
Clementia Chriſti erga eundem. ibid.
An ſumpſerit Euchariſtiam cum reliquis. 773.1
Iudas ſibi nocuit, reliquis profuit. 702.2
Aduenit cum turba nocte. 703.1
Signum quod dederat militibus. ibid.2
Eius confidentia de benignitate Chriſti. 704.1
Oſculatus eſt Chriſtum. ibid.2

Iudæi.

Iudæi verò immundi. 300.1
Eorum error circa traditionem ſeniorum. ibid.
Quid dicebantur ſeniores inter Iudæos. ibid.2
Senioribus ſucceſſerunt Scribæ, & Phariſæi. ibid.
Iudaicarum traditionum antiquarum inuentores R. Moyſes

R. Moyſes. R. Achiba[m]. R. Iudas, & filij Samonæi. ibidem
His ſucceſſerunt Talmudiſtæ. ibid.
Phariſæi, & Scribæ peruerterunt traditiones admiſcentes dogmata peruerſa. ibid.
His peruerſiores ſunt Talmudiſtæ. ibid.
Duas leges finxerunt accepiſſe Moyſen à Deo, vt fingendi libertas daretur. ibid.
Iudæi ſentiebant ſe pollui cõtactu gentiliũ. 301.1
Eorum fallacia, & vſura. ibid.
Non comedunt niſi lotis manibus. ibid.2
Eorum traditiones multæ aduerſabantur legi ſcriptæ. 303.1
Moyſes Iudaicæ legis ſcriptor fuit. ibid.
Commiſſa eſt ſacerdotibus Leui. ibid.
Quid circa eam præſtiterit Eſdras. ibid.
Iudaici populi excidium. 622.1
Iudæorum in Chriſtum machinatio. 556.2
Iudæorum vana expectatio. 638.2
Iudæorum finalis conuerſio. 748.2
Eorum fallacia, & impoſtura. ibid.
Iudæi conuertentur in fine ſæculi. 742.2
Vide verbo Hæbrei.

Iudex, Iudicium.

Iudex quomodo inueſtiget veritatem cauſæ. pag. 733.2

Iudicium finale.

Meditatio iudicij fructuoſa. 639.2
Signa præcurrentia extremum iudicium prædicuntur à Chriſto. 639.1
Multi venient in nomine Chriſti ſeductores. ibid. 2
Erunt bella, & opiniones præliorum. 620.2
Exurget gens contra gentem, & regnum aduerſus regnum. 621.1
Perſecutio Eccleſiæ. 622.1
Prædicatio vniuerſalis Euangelij. 623.2
Anguſtia creaturarum, & terror. 630.2
Eclypſis Solis, & Lunæ. 634.2
Caſus ſtellarum, & virtutum de cælo. 635.2
Hæc ſigna ſequitur aduentus Iudicis in nubibus cæli cum virtute, & gloria. 636.1
Collectio electorum fiet miſſis angelis. 637.1
Iudicij diem, & horam nemo hominum aut Angelorum ſcit. 644.1
Quo ſenſu ea neſcire dicatur filius. ibid.2
Iudicij memoria tenenda. 642.2
Iudicium omne à Petri ſucceſſore pendet. 558.2
Iuliana virgo dæmonem ſuperauit. 195.1
Iuramentum Herodis temerarium, & ſacrilegum. 258.2
Iurandum in veritate, iudicio, & iuſtitia. ibid.
His circumſtantijs caruit iuramentum Herodis. ibidem.
Iuramentum familiare regum. 259.1

Iuſtificatio.

Iuſtificatio impij fit à Deo in inſtanti. 238.1
Deus operatur vltimam diſpoſitionem voluntatis ad iuſtificationem. ibid.
A iuſtitia formaliter peccator dicitur iuſtificari. ibidem.
Deus ſolus infundit iuſtificationem. ibid.2
Iuſtificatio conſeruatur, & augetur in anima. ibid.
Non cognoſcitur à nobis. ibid.
Iuſtus ignorat an odio, vel amore dignus. ibid.
Iuſtificationis incertitudo. 269.1
Iuſtificatus non debet ſine dubitatione ſe ſtatuere iuſtificatum. ibid.
Suam infirmitatem, ac indiſpoſitionem formidare debet. ibid.
Prædeſtinationis, & iuſtificationis ſigna. ibid.

Iuſtitia.

Iuſtitia æqualitatem præmiorum ad opera conſiderat, & ſingulis ſua diſtribuit. 41.2
Iuſtitiæ contemplatio quid efficiat. ibid.
Iuſtitia diſtributiua in quo conſiſtit. 276.1
Iuſtitia ad medium attendit. 580.2
Iuſtitiæ medium conſiſtit in propoſitione Arithmetica, & Geometrica. ibid.
Iuſtitia diſtributiua Geometricam reſpicit. pagina ibid.
Commutatiua Arithmeticam. ibid.
Secundum iuſtitiæ diſtributiuæ legis conferuntur præmia Chriſtianis. ibid.

Iuſtus.

Iuſtus per ſingula virtutis opera naſcitur ex Deo. pag. 32.1
Iuſtus qui tuetur animæ dignitatem, etiam beſtijs formidabilis eſt. 38.2
Iuſtus in eremo Angelorum miniſterium promeretur. ibid.2
Iuſtus cum pacatis beſtiis dicitur habitare, cum caro non concupiſcit aduerſus ſpiritum. ibid.
Iuſtus oleo lætitiæ vngitur. 39.1
Iuſtus Chriſti, & filii Dei nomen ſortitur. ibid.
Iuſti ſolatium, & pax. 42.1
Iuſtus ex operibus proximi ſemper bona iudicat, malus autem mala. 96.1
Iuſtus in viis, & operibus ſuis glorificatur ſociante Domino 205.1
Iuſti ſemper intenti ſanctis cogitationibus. pag. 297.1
Exterioribus aliquando iuuantur. ibid.
Iuſti aliquando vrbanitatis leges & conſuetudinem hominum contemnunt, aliquando curant. ibidem.
Eorum actiones ſobriè iudicandæ. ibid.
Interpretantur populus Iſrael, & ciuitas Dei. ibidem. 2
Aguntur Spiritu ſancto. ibid.
Continuò proficiunt, & ſanctis inſpirationibus cooperantur. ibid.
Iuſti ſupplantantur à malis. 296.2
In malorum inſidiis confugiant ad Deum. ibid.
Iuſti ſe inuicem prouocant ad Dei laudem. pagina. 304.2

c Non

Non tam voce, quàm opere Deum laudant, ibid.
De die in diem proficiunt, ibid.
Iuſtorum collegia à temporibus Apoſtolorum ordinata. 305.1
Iuſtorum præmia. 519.1
Iuſtorum exercitia. 568.2

L

LAbor neceſſarius ad premium conſequendum. 333.2

Lacus Genezareth.

Lacus Genezareth deſcribitur. 46.2
Vocatur mare. ibid.
Eſt latitudinis quadraginta ſtadiorum, centum longitudinis. ibid.
Figura eſt Eccleſiæ. ibid.
Laici nullum opus ſacerdotale poſſunt facere. pag. 307.2
Laici non poſſunt diſputare cum hereticis. pag. 437.2

Lapis.

Lapis quid ſignificet. 291.2
Lapis ad oſtium monumenti poſitus à Ioſepho. pag. 777.1
Hunc lapidem ſignarunt Iudæi. 778.1
Quid ſignificet. 785.1
Lapis reuolutus eſt per Angelum. 786.2

Lapſus.

Lapſus fidelis grauior, quàm infidelis. 299.1
Lapſus peruertit hereticos à policiæ moribus, & bono viuendi inſtituto. ibid.
Lapſus ſemper timendus eſt in hac vita. 430.2
Lapſus Petri. 687.1.688.2
Lapſus Petri vndè prouenit. 728.2
Lapſus prælatorum grauior. 713.2

Laus.

Laus Ioannis Baptiſtæ. 10.2
Laus vitæ ſolitariæ. 91.1
Laus Deo debetur ex operibus ſuis. ibid.2
Laudes ieiunij. 100.2
Laus operis Deo, non operanti, tribuenda. 280.1
Laudes mulierum. 220.1
Laudes prælatorum, & ſacerdotum. 375.2
Laurus bonum ſignum antiquis. 11.2
Lectus delicioſi hominis argumentum. 166.2
Legatus Pontificius in Conc. Epheſino. 756.1
Legatus Chriſti qualis eſſe debet. 798.1
Legati officium. 342.1

Legio.

Legio quantum contineat. 196.2
Legio dæmonum. ibid.
Sumitur pro magno numero. ibid.
Obſeſſus à legione dæmonum deſignat populum Gentilem. ibid.
Legioni permiſſum eſt intrare porcos. 196.2
Ad duo millia porcorum ſuffocauit. ibid.

Lepra Leproſus.

Leproſus ad Chriſtum accedens. 72.1
Eius fides. ibid.
Eius humilitas. ibid.2
Sanatus à Chriſto. 74.2
Iuſſus eſt à Chriſto tacere miraculum. 75.2
Amandatur ad ſacerdotem iuxtà præceptum legis. 76.1.2
Lepra concupiſcentiæ vitium notat. 75.1
Leo quomodo excutit timorem. 692.2

Lex, Legiſlator.

Lex Moſaica pedagogus noſter fuit in Chriſto. pag. 76.2
Non eſt ſeruanda promulgato Euangelio. ibid.
Legis circumciſio amplius inutilis. ibid.
Lex nihil ad perfectum adduxit. ibid.
Legis translatio fit translato ſacerdotio. ibid.
Lex eſt data ſub ſacerdotio Leuitico. ibid.
Decretum Apoſtolorum circa legis obſeruantiam ad conuerſos Gentiles. ibid.
Lex diuina neminem cogit. 162.1
Lex gratiæ dicitur rudis, & quare. ibid.
Lex vetus cur data eſt. 491.2
Lex primò docenda, mox diligenter ſeruanda. pag. 54.2
Lex tota cur ex duobus præceptis charitatis pendeat. pag. 597.2
Legis finis deſcribitur. ibid.
Nihil ad perfectum adduxit lex: quomodo interpretatur. 506.2
Legiſlatores Gentilium non rectificarunt animam. pag. 540.2

Libertas

Libertas interpretandi ſcripturas damnatur. pag. 55.2
Libertas cauſa omnium malorum. 184.1
Libertas voluntatis per fundam Danidis ſignata. pag. 324.1
Libertas voluntatis poſt peccatum originale integra remanſit. 324.1
Libertas hominis. 444.1
Libertas ſpiritualis. 736.2
Libri Moyſis canonici. 303.2
Libri Moyſis ab Eſdra reſtituti. ibid.1
Libido equæ, & mulieris. 491.1
Ligari funiculis Adam quid ſit? 540.1
Lingua verax comparat ſalutem animæ, quæ autem mentitur interitum procurat. 37.2
Linguæ flagello nihil peſtilentius. 67.1
Lingua diaboli pernicioſa. ibid.
Linguæ mendacis pœna. ibid.
Locus in quo conuenit conſilium ſacerdotum. pag. 781.2

Locu-

Locuſta quid ſignificet in ſacra Scriptura. 21.2

Locutio Loquacitas.

Locutio Dei Patris ad Chriſtum in Iordane. 33.1.
Locutio Chriſti ad animam duplex. 42.1
Loqui rectè maximum eſt miraculum Dei. 355.2
Locutio Angeli duplex. 772.1

Longinus.

Longinus Centurio. 776.1
Apocriphi cæcum finxerunt, & perforaſſe lancea Chriſti latus. ibid.
Credidit in paſſione Chriſti. ibid.
Accerſitur à Pilato... ibid.
Martyrio coronatus in Capadocia. ibid.
Lotio vera 299.1
Lotio ſuperſticioſa Phariſæorum. ibid.
Lotio cubitalis. ibid.
Lotio cordis à malitia, & eius fructus. ibid.2
Lotio baptiſmalis. ibid.
Lotio lacrhymarum, & pœnitentiæ, eiuſq. fructus. ibidem.
Lucas cœpit Euangelium à natiuitate præcurſoris, & terminauit in aſcenſione Domini. 2.1
Lucernam ſub modio poni quomodo intelligatur. pag. 166.1
Lucerna omnibus lucens. 167.1
Lucerna eſt verbum Dei. ibid.
Lucifer per Aquilam ſignatus. 203.1
Ludi Bachanales improbantur. 161.1
Decretum Sextæ Synodi contra ludos publicos. ibidem.
Lumen gloriæ à Deo eſt. 425.1

Lutherus.

Lutherus monachatui infeſtus. 220.2
Lutheri error circa præceptum *non concupiſces*: pag. 506.2
Lutheri error reijcitur. 598.2
Lutheri error de impoſſibilitate dilectionis Dei pag. 500.1

Luxuria.

Luxuria duplex corporis, & mentis. 56.1.316.2
Luxuria mentalis appetitus inordinatus propriæ excellentiæ. 56.1
Radix eſt peccatorum ſpiritualium. ibid.
Luxuria corporalis eſt inordinatio carnis circa voluptates venereas. ibid.
Inter vitia intemperantiæ peccatum maximè exprobrabile. ibid.
Eius propagines duodecim. ibid.
Luxurioſi inconſideratio. ibid.
Luxurioſi ſymbolum contemplatur lex in porco. ibid. 2
Item in coruo. Eſau &c. ibid.
A luxuria mundi debent eſſe Sacerdotes, & miniſtri Eccleſiæ. ibid.
Luxuriæ peccatum comparatur caprifico. ibid.
Luxuriantis corpus mortuum dicitur. 336.1
Luxurioſi dicuntur eſſe circa viam. 160.1
Luxurioſi deſignati in grege porcorum, quem intrauit legio dœmonum. 198.1
Luxuria radix multorum peccatorum. ibid.
Luxurioſorum magnus numerus. ibid.
Saturari neſciunt. ibid.2
Prohibentur ſacris. ibid.1
Luxurioſorum finis. 200.1.& 2
Luxurioſæ mulieres inſidioſæ. 254.1
Luxus ſubſtantiam prodigit. 336.1

M

Machinamenta Diaboli aduerſus ſanctos. 727.2

Magia, Magus.

Magiæ inuentor Zoroaſter Bactrianorum Rex. pag. 189.2
Magiæ ſpecies Theurgia, Goetia, Pharmaſia. ibidem.
Theurgia docet inuocationem dœmonum per ſacrificia. ibid.
Goetia mortuos cogit inuocatis dœmonibus. ibidem.
Pharmaſia eſt quæ in cibo, & potu adhibetur. ibid.
Pactum dœmonum cum magis. ibid.
Magi colunt latria dæmones. ibid.
Magia prohibita. ibid.
Semper peccatum eſt. ibid.
Magi ſub iudice conſtituti virtutem amittunt. pag. 704.1
Magnum patientiæ Chriſti argumentum. 659.1
Malignitas eorum, qui malè de ſanctis, & religioſis iudicant. 220.2

Malitia.

Malitia peccati. 585.2
Malitia ſpontanea. 491.1
Malitia ſacerdotum. 660.1
Malitia Iudæorum excitata Deum excitauit ad vindictam. 732.2
Malitia pernicioſum vitium. 332.2
Malitia dæmonem peruertit. ibid.
Malitia Iudæorum vndè proceſſit. 404.1

Malum, Malus.

Mali cauſa. 731.2
Malus ex ſe poteſt tutè malum iudicare. pagina. 96.1
Malus paſtor. 477.1
Malum facere nunquam licet. 114.2
Malum quid ſit. ibid.
Mali initium eſt à Deo deficere. ibid.
Malum minus eſt, quemquam nolle intelligere, vt malè agat, quàm intelligere clarè, & præuaricari. 157.1
Malum ambitioſi. 482.1
Mali quandoque regunt in populo. 106.1
Mali multa quæ non ſeruant præcipiunt. pagina ibidem.

Malum inobedientiæ. 697.1
Mali quandoque audiunt verbum Dei. 255.2
Mandatum primum legis. 553.1
Mandata omnia coharens ſibi. 601.1
Manducare quid propriè ſit. 665.1
Manducare, & bibere myſticè quid ſignificent. pag. 301.2
Non manducabant Phariſæi, niſi lotis manibus. pag. ibid.
Manducauerunt quinque millia in deſerto ex quinque panibus, & duobus piſcibus ad ſaturitatem. 282.1
Manifeſtatio propriè eſt boni, mali autem per accidens. 168.1
Manna figura Euchariſtiæ, 674.1

Manus.

Manus Chriſti tornatiles. 73.2
Manus arida quid ſignificet. 112.1
Manus arida myſticè deſignat genus humanum. pag. 113.2
Manus deſignat opus. 211.2.395.1

Marcus.

Marcus à Luca Ioannes cognominatus. 1.1
Marcus relatus inter Septuaginta diſcipulos Chriſti, ibid.
Marcus Romæ ſcribit Euangelium. ibid.
Marcus Alexandriæ iecit nouæ legis fundamentum. ibid.
Marcus ſcriptor Euangelij,& prædicator. ibid.
Primus prædicauit in tota Ægypti regione.ibid.2
Alexandriæ martyrium ſuſtinuit. 2.1
Obijt ſeptimo Kal. maij octauo Neronis anno. ibidem.
Incepit Euangelium à prædicatione Chriſti, & peruenit vſque ad aſſumptionem. ibid.
Marcus breuiator Matthæi, & quomodo intelligendum. 4.1
Marcus exordia prædicationis Chriſti vocat initium Euangelij, & cur, 5.1
Mare quid ſignificet. 180.2
Mare myſticè mundum deſignat. 186.2

Maria Magdalena.

Maria Magdalena vnxit caput Domini. 653.1
Murmur Apoſtolorũ, & Iudæ contra eandẽ.654.1
Excuſatur à Chriſto. 651.7.& 2
Eius vnctio prædicatur per vniuersũ mũdũ.558.2
Adfuit paſſioni Chriſti. 771.2
Eius amor, conſtantia, & pietas. ibid.
Primum poſt matrem Domini locum habuit, & ardentior fuit. 778.2
Stabat ſecus pedes Domini. ibid.
Adeſt ſepulturæ Chriſti. ibid.
Amor eius in Chriſtum commendatur. 779.1
Interpretatur magnifica. ibid.
Emit aromatha ſimul cum Maria Iacobi,& Salome,vt vngeret corpus Dñi in ſepulchro. 781.2
Excuſatur in hoc cum reliquis. 782.1
Venit ad monumentum cum reliquis valdè manè. pag. 783.2
Inuenit lapidem reuolutum ab Angelo. 786.2
Introiens in monumentum vidit Angelum. 778.1
Angeli verba ad ſanctas mulieres de reſurrectione Chriſti. 790.1.2.791.1.& 2. 792.1.& 2
Apparet Chriſtus Magdalenæ aute reliquos poſt Matrem. 796.2
Prædicanti reſurrectionem Chriſti non crediderunt Apoſtoli. 799.2

Maria Virgo.

Maria Virgo exemplum totius ſanctitatis à conceptione extitit. 142.2
Præfertur ſanctis, & Angelis. ibid.
Gratia plena fuit. ibid.
Eius humilitatem reſpexit Deus Pater. ibid.
Fæcunda filio, obumbrata Spiritu ſancto. ibid.
Tota pulchra. ibid.
Virgo & mater. ibid.
Eſt mons in vertice montium, ſuper omnium ſanctorum dignitatem. ibid.
Omnes Sancti eam Angelis excelſiorem prædicant. 143.2
Regina cælorum,Domina Angelorum. ibid.
Blaſphemia Centuriatorum, & aliorum contra Virginem repellitur. 142.2.143.1
Maria vnica eſt. ibid.
Mariæ dignitas. ibid.2
Poſt Chriſtum ſedit in regno. ibid.
Prima inter omnes creaturas eſt. 144.2
Mariæ fortitudo,& conſtantia. 777.2
Eius conſilio Ioſeph ab Arimatia ingreſſus ad Pilatum, petijt corpus Ieſu. 775.1
Eidem primum apparuit Chriſtus poſt reſurrectionem. 796.2

Martyrium.

Martyres grano ſynapis aſſimilantur. 176.2
Martyrij ſpeciem patitur, qui propter opus verum perſecutionem patitur. 252.1
Martyrij duplex cauſa. 409.1
Martyr quis dicendus. 411.1
Matthæus in Euangelio eſt diffuſior Marco. 2.1
Matthæus à humana natiuitate exordiens, vſque ad reſurrectionem peruenit. ibid.
Martyres Chriſti, & diaboli. 613.1

Matrimonium.

Matrimonij ratio tota in quo conſiſtit. 493.2
Matrimonij forma conſenſus poſtremus. ibid.
Matrimonium ſoluitur ingreſſu religionis. pagina. 495.1
Matrimonium eſt Sacramentum. pagina 495. col. 2
Matrimonium infidelium quando ſolubile. pag. 496.1
Matrimonium non diſſoluitur lapſu alterius coniugis in hæreſim. ibid.
Matrimonij lex noua promulgatur. pagina ibid. col. 2

Matri-

Matrimonij violati caſtigatio. ibid.
Matrimoniū nō dirimitur per fornicationē. ibid.
Matrimonij diuortium fit ſola morte. ibid.
Matrimonium clandeſtinum inualidatur per Concilium Trident. 497.1
Medardus vidit cælum apertum. 538.1
Medicinam quam Chriſtus morbis applicat ferè omnes abhorrent. 65.2
Medicina à Deo ſolo eſt. 213.2

Meditatio.

Meditatio mirabilium Dei innouat animum. pag. 104.1
Meditatio diuinorum operum vtilis. 374.1
Meditationes fructuoſæ. 391.1
Meditatio mortis. 791.1
Meditationes per ſingulos dies hebdomadæ diſtributæ. 392.2
Medium quid ſit. 266.1
Mel quid ſignificet in Scriptura ſacra? 20.2
Melchiſedech typus Chriſti. 673.2
Membra à Chriſto ſanata melius ſe habebant quàm prius. 90.1

Memoria.

Memoria peccati remiſſi plurimum iuuat. pagina. 90.1
Memoria tenenda Angelicæ præſentiæ dum diuinæ laudes ſoluuntur. 310.1
Memoria cœleſtium ſuauis. 429.1

Mendacium.

Mendacium vnius loci facit Scripturæ totam hiſtoriam in dubium reuocat. 9.2
Mendacium ex ſeipſo ſtare nequit. 59.2
Mendacis pœna eſt, vt apud eum nulla reputetur veritas. 67.1
Mens mala omnia in calumniam rapit. 105.1

Menſis.

Menſis primus Iudæorum computu. 650.1
Menſis primus Gentilibus fuit Ianuarius. ibid.
Alijs September, vt hodie Græcis. ibid.
Menſe Septembri mundus opinione aliquorum creatus. ibid.
Martius primus menſis. ibid.
Menſe primo ſolemnitas azimorum celebrabatur. ibid.
Menſis primus Iudæis incipiebat ab æquinoctio vernali. ibid.
Menſes ſuos Iudæi computabant per Lunationes. ibid.
Merces eleemoſynæ. 657.1

Meretrix.

Meretrices habent corpora mortua. 356.1
Meretricum inuerecundia, & luxus. ibid.
Meretrix præparata ad decipiendas animas pagina. 724.2

Meritum.

Meritum Chriſti dignificat opera noſtra facta in gratia. 74.1
Meritum aliud ſufficiens, aliud efficax. 351.2
Meritum applicare ſurdo eſt aures eius tangere. pag. ibid.
Meritum ſine charitate non eſt. 536.2
Merita ſanctorum cauſa per accidens liberationis aliorum. 544.1

Miniſterium Miniſtri.

Miniſterium totius Eccleſiæ deuolutum eſt Apoſtolos, eorumq. ſucceſſores. 170.1
Miniſtri Eccleſiæ ſollicitè attendant ad ea, quæ ſunt contraria fidei. 223.2
Miniſterium verbi diuini laicis prohibitū. 346.1
Minuta duo ſignificant animam, & corpus. pagina. 61.2
Miracula cuncta Chriſti omnibus fidem faciebant eorum, quæ in ipſo erant. 64.2
Miraculum multiplicationis quinque panum, quid repreſentet. 280.2
Miracula, & prodigia Dei non poſſunt rationibus probari. 361.2
Miracula à Chriſto cur facta ſunt in redemptionis opere. 544.1
Miraculorum virtus quid ſit. 560.2
Miſeria hominis. 331.1

Miſericordia.

Miſericordia ſemper obia ſit pœnitenti. pagina 140. col. 1
Miſericordia in egenos ſuadetur. 273.1
Miſericordia Chriſti. 436.2.445.2
Miſericordia Dei. 533.2
Miſſio Apoſtolorum. 236.2
Mittuntur à Deo multi inſtinctu interno. pag. 539. col. 1
Modius quid ſit. 166.1

Modus.

Modus perfectus ſequendi Chriſtum. 93.1
Modi varij condendi Lucernam ſub modio. pag. 166.1
Modus quo diuinant dæmones. 256.2
Modus conſolandi in tribulatione poſitos. pag. 289. col. 2
Modi diuerſi quibus res in homines intrant. pag. 323.2
Modi diuerſi quibus homo ſe inquinat. 325.2
Modi varij liberandi à peccato. 351.1
Modus orandi duplex. 370.2
Modus docendi optimus. 392.1
Modi duo interrogandi Chriſtum. 432.2
Modi tredecim quibus proceſſus in fidei cauſa terminatur. 455.2
Modi quatuor permiſſionis. 491.2

Mollicies in veſtibus fugienda. 419.1
Moleſta Deo ſunt omnia in quibus Chriſti meritum non lucet. 33.2

Monachus, Monachatus.

Monacho non licet exire monaſterio cauſa terreni lucri. 162.2
Monacho non licet pœnitentiam dare,nec baptizare. ibid.
Nec licet viſitare infirmum, mortuum ſepelire, neque ad Eccleſiam ſæcularem tranſire. ibid.
Monachus ſine monaſterio eſt piſcis ſine aqua. pag. ibidem.
Monachatui infeſtus Lutherus. 220.2
Monſtrum eſt virum ſe ſubijcere vxori. 493.1
Montes quid ſignificent. 190.2.191.1
Monumenta mortuorum quid ſignificent. 190.1.2

Mores.

Mores aliquorum doctorum. 147.2
Mores mundanorum magis obſeruantium traditiones, quàm diuina præcepta. 315.1
Mores aliquorum, qui ſpecie boni malum contegunt. 318.2
Mores improbi fermentum dicuntur. 385.2

Mors.

Mors per falcem ſignata. 175.1
Mors eſt expectanda continuò. ibid.2
Mors iuſtorum qualis eſt. 225.2
Mors iuſtorum auditur, non videtur. 265.1
Mors cui nam dulcis? 412.2
Mors quibuſdam amara non fuit. ibid.
Mortis præparatio facienda. 642.1
Mortui ſunt qui extra Chriſtum ſunt. 592.2
Mors Chriſti variè ab antiquis prædicta. 708.2 756.1
Mortis meditatio. 791.1
Mors prima, & ſecunda. 199.1
Mortificatio. 692.1
Quæ & quot mortificanda ſunt in corpore noſtro. pag. 20.1
Mortales per vtres ſignati. 104.1
Mortui tres à Chriſto ſuſcitati. 228.2
Motus imbecillitatem mouentis arguit. 148.2

Mulier.

Mulier prima peccatrix. 212.2
Eius peccatum, Adamo non peccante, non imputaretur proli. ibid.
Materiam præbet generationis. 213.1
Mulier in profluuio ſanguinis. ibid.
Infirmitas menſtrualis eſt mulierum. ibid.
Mulier ſola inter animantia profluuio ſanguinis ſubiacet. ibid.
Mulier laborans profluuio ſanguinis ſignat Gentilitatem. ibid.
Tetigit veſtimentum Ieſu. 215.2
Eius fides,& humilitas. ibid.
Typus eſt Eccleſiæ. 219.2
Mulierum laudes. 220.1
Plures in Hiſpania, Italia,& Gallia commendantur. ibid.2
Mulieris bonæ mors laudabilis. 232.1
Mulieres virorum cauſas diſcutere eſt indecens. ibidem.
Mulieres in publico nihil aliud proſequi debent, quàm propriam cauſam. ibid
Mulieres cauendæ ſunt. 724.2
Mulier Petrum ad negationem Chriſti perduxit. ibidem.
Mulieres ſanctæ fugientibus Apoſtolis aſtiterunt cruci. 771.2
Earum pietas, & conſtantia. ibid.
Rectè dicuntur columnæ aureæ ſuper baſes argenteas. ibid.
Chriſtum ſequuntur ad paſſionem. ibid.
Eidem miniſtrabant in Galilæa. 772.2
Mulieres ſanctæ taxantur, & excuſantur. 782.1
Mulieres primùm annunciant reſurrectionem. pag. 791.2
Mulieres in Eccleſia tacere iubentur. ibid.
Mulieribus hæretici munus prædicandi,& conſecrandi tribuunt. ibid.
Mulieres arceantur à docendo publicè. idid.
Munditia in miniſtris Eccleſiæ requiſita. 56.2
Sine munditia non eſt offerenda hoſtia ſpiritualis. pag. ibid
Mundandi ſunt, qui ferunt vaſa Domini. ibid.
Munditia à peccato. ibid.
Munditia contemplanda eſt per contemplationem, & per ſalutarem actionem. ibid.
Ad Euchariſtiam requiritur munditia. 302.1

Mundus.

Mundus totus non eſt dignus habere, aut nominare iuſtum. 143.1
Mundus per mare ſignatus. 186.2
Mundus totus in maligno poſitus eſt ibid.
Mundi malitia à Chriſto victa. ibid.
Mundi viſibilis machina poſt hanc vitam relinquetur iuſtis,& quare? 283.1
Mundus quo menſe creatus. 650.1
Mundi potentatus inanes. 528.2
Mundani tyranni reuera non principantur. ibid.
Eorum timor,& concupiſcentia. ibid.
Mundi vanitas. 586.2
Mundi fuga. 461.2
Mundani proprium eſt in omni opere premium,& lucrum ab homine ſperare. 103.2
Munus viri Apoſtolici. 474.2
Mutus quis dicendus? 350.1
Mutus ſpiritualis. ibid.
Eloquium Domini neſcit. ibid.
Ore non corde pſallit. ibid.
Loquacitatem,& nugas diligit. ibid.
Peccata peccatis adijcit. ibid.
Quid ſignificat mutus, & ſurdus apud Marcum. pag. ibid.2
A Chriſto ſanatur, & quomodo. 354.1.355.2

Myſte-

Digitized by Google

Myſterium.

Myſterium trinitatis monſtratum in baptiſmo Chriſti. 30.2
Myſterium trinitatis declaratur. ibid.
Myſterium incarnationis latebat in verbis prophetarum, Veni, deſcende, ſurge &c. 212.2
Myſteria diuinitatis, & humanitatis Chriſti nemo penetrare poteſt. 340.2
Myſteria vniuerſa ad ſolum Chriſtum hominem ſpectat agnoſcere. 371.2
Myſtica ſignificatio vnctionis. 657.1

N

Nardus.

NArdus eſt ſymbolum animæ. 94.2
Nardus modica herba grauiſſimi, & excellentiſſimi odoris. ibid.

Natura.

Natura rationalis non iuuat hominem gratia priuatum. 116.1
Natura humana ſãguinis profluuio laborat. 215.1
Natura aſſumpta benedicta dicitur. 548.2
Naturæ ordo duplex. 597.2
Naſci ſpiritualiter quid ſit. 457.2
Nauis quid ſignificet. 269.2
Aliquando Eccleſiam interpretatur, aliquando prælatos cum Pontifice. ibid.

Nazareth.

Nazareth patria Chriſti, quia ibidem nutritus. pagina. 229.2
Nazareth deſignat Ieruſalem cœleſtem. 230.1
Nazareth in Synagoga docuit Chriſtus. ibid.2
Nazarenorum admiratio in doctrina eius. 231.2
Eorum incredulitas. 235 1.2
Nazarenus quis ſit. 779.2

Neceſſitas.

Neceſſitas trahit ad meliorem vitæ rationem. pagina. 107.2
Neceſſitas gratiæ ad reſiſtendum peccato. 330.1
Neceſſitas alimenti. ibid.
Neceſſitas gratiæ Chriſti aſtruitur. 415.2
Neceſſitas, & fructus pænitentiæ. 797.1
Negatio Petri cur permiſſa. 726.1
Negantes reſurrectionem. 785.2
Neglectus orationis damnatur. 697.2
Neglectus antiquis cultus. 747.2
Negligentia hominum in procurando ſalutem animæ. 214.1
Negligentia in ſequenda vocatione. 390.1
Negociatores mundi dicuntur tranſeuntes in via. pag. 159.1

Nequam, Nequitia.

Nequitia omnis boni abſentia eſt. 335.2
Nequitia à ſterilitate, & nihilo dicta. ibid.
Nequam totus peruerſus eſt. ibid.
Cùm didicerit malum, bonum facere nequit ex praua conſuetudine. ibid.
Nequitia proprium Hypocritæ eſt. ibid.
Neſcientia quid ſcit, & quæ vitioſa. 258.1

Nihil.

Nihil ſunt qui bonum non operantur. 163.2
Nil poſſumus ſine Deo. 811.1
Nihil æquam verbi Dei ſimilitudinem gerit. pagina. 176.1
Nihil quod intrat in hominem inquinat, niſi de ordinatio præceſſerit. 323.2
Nihil faciendum ſine conſilio. 360.2
Negromantici qui ſint. 250.1
Nobilitas, aut ignobilitas hominis in anima ſita eſt. pag. 330.1

Nomen.

Nomen Euangelij dignitatem oſtendit. 8.2
Nomine Apoſtolorum etiam Eccleſiæ patres intelliguntur. 45.1
Nomen cur Pontificibus, & religioſis mutetur. pagina. 92.2
Nomina Apoſtolis à Chriſto data, miſteria continent. 126.2
Nomen Petrus à quo deriuetur eius dignitas. pagina. ibid.
Nomina propria quid ſignificent. 129.130.1.2
Nomina amicorum Dei in ſcripturis ſolent deſcribi, & quare. 210.1
Nomen Domini vincit hoſtes. 545.2
Nomine Euangelij quid intelligatur. 658.1
Nomen Chriſti ſuper omnia inuocatur. 785.2
Nouiſſimi non excluduntur à Regno. 520.1
Nouiſſimorum temporum præludia. 641.2
Nouiſſima cogitare. 779.2

Nox.

Noctes quadraginta ieiunauit Chriſtus. 36.2
Nox nocti indicat ſcientiam. ibid.
Nox ſymbolum peccati. ibid.
Nocte, & die inuigilat Dominus ſuper iuſtos. pagina. 172.1
Nocte, & die vigilat etiam ſatan ad eorum perditionem. ibid.
Nox deſignat pericula. ibid.
Nox deſignat tentationes. ibid.
Ad quartam vigiliam noctis Chriſtus venit, ambulans ſuper mare diſcipulis laborantibus. pagina. 287.1
Quid hoc ſignificet. ibid.
Chriſtus incarnatus media nocte. 647.2
Nocte media futurum iudicium. ibid.
Noctis vigiliæ quomodo quis captandæ. ibid.
Media nocte clamor aduentus ſponſi. ibid.
Scandalum diſcipulorum in Chriſtum euenit nocte. 685.1
Nox ſpiritualis quid ſit. ibid.
Negatio Petri contigit nocte. 687.2.688.1.& 2.& pagina. 725.2

Nubes.

Nubes.

Nubes quæ Chriſtum obumbrauit in transfiguratione. 425.2
De nouo creata eſt, non formata ex fumis terræ. pagina. 426.1
Comparatio huius nubis, cum ea in qua olim loquebatur moyſi. ibid.
Nubes lucida fuit, & Spiritum ſanctum ſignificans, &c. ibid.
Reſurrectio ſignatur per prædictam nubem. ibid.
Nubes obumbrans non dicitur quia vmbram inducit, ſed quia expellit. ibid. 2
Nubes etiam ſumitur pro ſpiritu bono. ibid.
Audita eſt vox de nube. ibid.
Nubes ſumitur in ſcriptura pro ſanctis. ibid.
Nullum tempus conceſſum peccato. 660.2

Numerus.

Numerus duodenarius vniuerſitatem dicit. 227.2
Numerus binarius eſt ſignum amoris mutui inter miniſtros Chriſti. 237.1
Numerus ſapientum pauciſſimus. 326.2
Numerus quaternarius ſemper in laude ponitur. pag. 377.1
Numerus eorum, qui aliquando ad æſum agni conueniebant. 651.1
Nuntium bonum tempore Euangelij cæpit audiri. pag. 8.1

Nuptiæ.

Nuptiarum filij dicti Apoſtoli. 99.1
Ad nuptias vocati indigni. ibid.
Nuptialem veſtem non habere quid ſit. ibid.
Nuptiarum filij intelliguntur omnes fideles ad Eccleſiam admiſſi. ibid.
Nuptiarum filij dicti ſpecialiter Apoſtoli, quòd ad myſterium incarnationis laudandum, & manifeſtandum fuerint vocati primi. ibid.
Nuptiæ dicuntur contractus Vxoris cum Viro. pag. 497.2
Ethymologia nominis. ibid.
Nuptijs præire debet verecundia. ibid.

O

Obediens obedientia.

Obedientia cum fortitudine præclara arma. pag. 47.1
Obedientia ſancti vicerunt regna. ibid.
Obedientia Chriſtus factus eſt propugnator ad ſaluandum. ibid.
Andreas interpretatur obedientia. ibid.
Obediens ſine fortitudine factus eſt. ibid.
Obedientiæ vis, & efficacia. ibid.
Obedientia ſola virtus eſt, quæ menti cæteras virtutes inſerit, inſertaſque cuſtodit. ibid.
Obedientia melior eſt quàm victima. ibid.
Obedientiæ ſymbolum Petrus. ibid.
Obedienti ſolùm conceditur Chriſtum proſequi ad ſtatum perfectionis. ibid.
Obedientia non tranſgreditur, non complendo præceptum, quod eſt ſupra vires. 277.1
Obedientia non derogat, ſi dificultatem præcepti exponamus. ibid.
Obedientiæ ſingularis quorundam monachorum. ibid.
Obedientia Virginis. ibid.
Obedientia qualis debeatur parentibus. 316.2
Obediendum non eſt parentibus impietatem præcipientibus. ibid.
Obediens Chriſtus. 652.2
Obedientia Chriſti prędicta eſt à Pſalmiſta. 653.1
Vir obediens narrat victorias. ibid.
Obiectiones Iuliani, & Porfirij contra Chriſtianos. 9.2
Obiectum Salutis duplex. 409.1

Oblatio.

Oblatio vera, & ratio honoris debiti, quem Deo creatura exhibere debet. 16.2
Oblata ad vitæ neceſſitatem recipienda. 340.2
Oblatio pretioſa. 612.2
Oblationis copia olim in populo Iudęorum. ibid.
Obliuio periculoſa mandatorum Dei. 390.1

Obſeruantia.

Obſeruantia malignorum contra iuſtos. 112.2
Obſeruabant Phariſæi Chriſtum ſi ſabbatho ſanaret. ibid.
Obſeruabit peccator Iuſtum, & ſtridebit ſuper eum. ibid.
Obſeruantia vnius præcepti cum alterius tranſgreſſione non iuuat. 312.2
Obſeruabant Iudæi traditiones hominum, tranſgredientes charitatem. ibid.
Obſeruantia legalium pernicioſa. 142.2
Obſeruantia ſuperſtitioſa. 313.1. & 2.
Obſeruantia Apoſtolorum commendatur. 383.2
Obſeruandæ ceremoniæ. 488.1

Obſtinatus.

Obſtinati negligunt audire verbùm Dei. 154.1
Obſtinati ponunt mendacium ſpem ſuam. ibid.
Verbum ſalutis non admittunt. ibid. 2
Audiunt vt ſugillent, & redarguant. ibid.
Aſſimulantur vulpi ſingenti mortem. ibid.
Obſtinatus in malo dicitur oculos malos habere. pag. 336.1
Obſtinatorum concupiſcientia. ibid.
Obſtinatorum deſcriptio. ibid. 2
Obſtinatio hereſiarchæ. ibid.
Oculus malus. ibid.
Occultum reuelabitur. 197.2
Nihil occultum eſt oculis Dei. ibid.

Odium.

Odium hominum erga diſcipulos prænunciatur à Chriſto. 616.1
Odio habuerũt impij corripientẽ in porta. ibid.

Odium aduerſatur charitati. ibid.
Deum primò expugnat, qui fratrem,& ſanctum odio proſequitur. ibid.
Odium ſacerdotum in Chriſtum fuit ſummum. pag. 722.1

Officium diuinum.

Officium diuinum multi ſolis labijs dicunt. pagina. 309.2
Officium diuinum ſpiritu dicendum. ibid.
In officio diuino mens concordanda voci. ibid.
Officium diuinum dignè pſallentibus Deus adeſt ſpecialiter per gratiam. ibid.
Officio diuino ſpecialiter mancipatis aſſiſtunt Angeli. ibid.
Officium miſſæ celebranti maximè adſunt Angeli. pag. 316.1
Pſallendum cum eorum timore, & veneratione. ibidem.
Officia Eccleſiaſtica non debent dari effœminatis. pag. 166.2
Eorũ electio reprobatur multis canonibus. ibid.
Officia prælati. 204.2
Officium Epiſcoporum. 392.2
Officium aurium eſt audire. 317.1
Officium prædicationis clamare. 12.1
Officium veri paſtoris. 556.2
Officium Brutianorum olim inter Romanos. pagina. 743.1

Omnis Omne.

Omnes vnum Chriſti corpus ſumus. 665.1
Omnes in Chriſto mortui ſunt peccato quantùm ad ſufficientiam. 670.2
Omne poſſibile eſt Deo quod vult. 695.2
Omne quandoque ſumitur pro maiori parte. pag. 606.2
Omnia admittere quid ſit. 514.2
Omnia dimittit qui ſeipſum dimittit. ibid.
Omnia dimittit qui ab omnibus abſtinet. ibid.
Omnia dimittentium præmia. 517.1.& 2
Omnia à Deo pendent. 643.2
Omnipotentia Dei ex opere cognoſcitur. 148.2

Opera bona, & mala.

Opera humana tantùm habent perfectionis, quãtùm Dei operibus aſſimilantur, Deum ductorem habent. 27.1
Opera bona vſque ad mortem exercenda. 40.1
Opera vniuerſa peccatorum, vel mortua, vel mortifera exiſtimantur. 160.2
Opera Dei admirationem,& ſtuporem ſemper gignunt. 290.1
Opera Dei miranda. 355.2
Opus Dei fit in inſtanti. 398.1
Opera omnium virtutum poſſunt eſſe cauſa martyrij. pag. 409.1
Opera noſtra à Chriſto habent formam. 610.2
Operari ob ſpem coronæ,& præmij laudabile eſt. pagina. 590.1
Opera fidem faciunt, & quando. 76.1
Opera bona debent eſſe ſecreta, ſed vt proſint alijs, prodantur. 77.2
Opera bona continuò facienda. 148.2
Opus idem poteſt maiorem, vel minorem gratiæ, at gloriæ gradum ſibi acquirere. 165.1
Opus bonum in omni ſtatu vitam abundanter largitur. ibid.
Opera carnis quæ ſunt. 212.2
Opera ſunt adiungenda fidei. 230.1
Opus creationis, & recreationis hominis cur manibus tribuatur. 231.2
Operis boni initium ex gratia. 438.1

Opinio.

Opinio perfida Iudæorum circa Meſſiæ aduentum. 10.1
Opinio Originis reprobatur. 195.2
Opinio non generat ſcientiam. 250.2
Opinio quid ſit. 401.1
Opinio de vita Ioannis Euangeliſtæ. 413.2
Opinio quorundam dicentium Elyam omnia reſtituturum. 434.1
Opinio Latinorum de mundi principio. 650.2
Opinio Hæbreorum de formatione hominis. pagina. 491.2
Opinio Præpoſitiui. 499.2
Opinio Baronij. 659.2
Opinio quorundam de tranſlatione Paſchę à Iudæis. 661.2

Oraculum.

Oracula quomodo dant teſtimonia credibilia. pag. 76.1
Oracula ſcripturarum infallibilia. ibid.
Oracula prophetarum quando vera. 308.1

Oratio Orare.

Orationis virtus. 28.2.302.2
Oratio neceſſaria antè, & poſt prædicationem. pag. 50.2
Oratio optima precari eſſe cum Chriſto. pagina. 205.1
Orandum quomodo ſit. 210.2
Oratio Moyſis in caligine. ibid.
Oratio puerorum in camino ignis. ibid.
Oratio procedens à charitate efficax eſt,& exauditur. ibid.
Oratio duplex mentalis, & vocalis. 211.2
Orationis fructus contrà hæreticos aſtruitur. pag. 223.1
Orare ad Patrem Chriſtus docuit. ibid.
Orationes,& formulas deprecandi compoſuerunt Apoſtoli. ibid.
Orationes à ſanctis compoſitæ in Lyturgijs frequenter. ibid.
Orationes ſunt arma Eccleſiæ. ibid.
Orationis Chriſti variæ cauſæ. 285.1
Orauit in monte. ibid.
Ad orationem redire debet Prædicator poſt ſermonem.

Digitized by Google

ſ monem. ibid.
Oratio præſulis, & prædicatoris iuuat populum. pag. ibid.
Oratio, & vigilia in præſules ſunt neceſſaria. pag. 474.2
Orationis frequentia ſuadetur. 302.1
Eidem incumbendum quantum tempus, & occupatio permiſerit. ibid.
Hæreſis Adelphij, & Alexandri circa orationem. pag. ibid.
Orationem fieri ter in die ſtatuerunt Apoſtoli. pag. ibid.2
Hunc morem coluit primitiua Eccleſia,& etiam num tenet occidentalis. ibid.
Orationum ſex tempora ſtatuta Eccleſiaſticis. pag. ibid.
Oratio refectioni præmittenda. ibid.
Orationis vtilitas. ibid.
Orationi aſſuetus non errabit. ibid.
Conſultatio Sancti Franciſci circa orationem, & prædicationem. ibid.
Orationis fructus. ibid.
Ad orationem ab operatione accedendum. ibid.
Oratio eſt lotio ſpiritualis. ibid.
Orandum inſtanter. 342.2
Orandum pro ſcripturarum vera interpretatione acquirenda. 432.2
Orandum quid ſit, & quomodo. 643.2
Oratio quid ſit. 561.1
Oratio eſt facienda in fide. 560.1
Orans omnia præter Deum obliuiſcatur. 592.1
Orans excutere debet diſtractionem. ibid.
Orans charitatem cum alijs ſeruet. ibid.
Oratio prolixa commendatur. 609.1
Orationes prolixæ Phariſæorum, & ſcribarum fictæ erant. ibid.
Orationis effectus. 461.1
Oratio propè iantis ad mortem. 694.1
Oratio Chriſti in horto. 694.2.695.1.& 2
Orationis neglectus damnatus. 697.2
Oratio hominis lumen eſt. ibid.
Orandum ne intretur in tentationem monet Chriſtus. ibid.
Oratio ad Deum eſt receſſus à creatura. 698.2
Oratio eſt aſſenſus mentis in Deum. ibid.
Oratio Deo ſiſtit. ibid.
Orauit Chriſtus,vt nobis orandum eſſe doceret, contra hoſtes. ibid.
Oratio arma fuerunt patrum. ibid.
Ad orationem præparatio, piaque conſideratio mentem excitans. 699.1
Oratio Chriſti prolixa. 700.1
Orationem trinam cum ſuis interuallis habuit ad patrem vt nos certis horarum ſpatijs orare doceret. ibid.
Orationis tempora, & formæ deſcriptæ à Patribus, & concilijs. ibid.
Orandum veſpere,mane,& meridie. ibid.
Orbis totus in Ægypto, & Aſſyria deſignatur. pag. 70.2

Ordo.

Ordo charitatis. 51.2.343.2
Ordo miraculorum Chriſti mirabilis. 72.1
Ordo non ſolùm ſanctitatem, ſed honeſtatem requirit. 205.2
Ordo, & dignitas non ſantificant hominem. pag. 206.1
Ordo diſciplinæ qualis ſit. 332.2
Ordo charitatis vnde petendus. 650.1
Ordinatio ſignificatur illis verbis, *Verba autem mea non tranſibunt*. 643.2
Originis error de reſurrectione ſolius animæ eiuſque impugnatio. 583.2
Origo peccati per fontem ſanguinis ſignata. pag. 217.2
Ornatus gratiæ. 710.1
Os Domini quid ſignificet. 471.1

P

Panis.

Panes in veteri teſtamento erant in triplici gradu. 109.1
Panes duodecim propoſitionis quid ſignarent. pag. ibid.
Panem propoſitionis cur ſolis Sacerdotibus manducare liceret. ibid.
Panis Sacramentalis, non quia ex ſe malus, ſed quia male accipitur damnum præbet. ibid.
Panis quid ſignificet, & cur prohibitus Apoſtolis. pag. 240.1
Panis multiplex. ibid.281.1
Panis Chriſti veram dat ſaturitatem. 282.1
Panis more Hæbreorum cibum omnem ſignificat. 306.2
Panis abundantiam omnium rerũ ſignificat. 388.2
Panes, & piſces quid ſignificent. 373.2
Quinque panes multiplicati à Chriſto in deſerto, ſaturarunt quinque millia. 282.2
Reliquiæ ſupererant duodecim cophini pleni. pag. ibid.2
Paganiſmus dicitur generatio peccatrix. 411.2
Papa eſt ſupremus Iudex. 205.1
Papa eſt ſuper conſilium. ibid.
Paradoxum quid ſit? 313.1

Paralyſis.

Paralyſis corporalis, & ſpiritualis. 81.1
Paralyſis eſt membrorum diſſolutio. ibid.
Paralyſis typus eſt corporis, quo piger iacet in mollicie carnis. ibid.
Paralyticus ad Chriſtum defertur. ibid.
Paralyticus ſubmiſſus per tectum. 802.1
Paralytici grabatum deſignat motus paſſionis. pag. 803.1
Paralyticus ſanatur. 90.2

Parabola.

Parabolæ familiares Paleſtinis. 176.1
Parabola quid. ibid.
Parabola conſicta ſententia. ibid.
Parabolis ſe mutuo prouocabant olim Reges. pagi-

pagina . ibid.
Inter ſapientiores relatus Pythagoras à Philoſophis ob parabolas. ibid.
Parabola quid ſit. 328.1
In parabolis Chriſtus docebat turbas. 133.2
Parabolæ ſunt ad ſciendam ſcientiam, & diſciplinam. ibid.2
Cur loquutus eſt Chriſtus in parabolis. 147.2
Parabolam ſeminantis exponit Chriſtus Apoſtolis. 158.2
Parabola grani ſynapis. 176.2
Sine parabolis Chriſtus non loquebatur. 199.1
Cur Chriſtus vſus eſt parabolis. ibid.

Parentes.

Parentes honorare præcipitur. 316.2
Parentibus debetur omne beneficium impenſum proximo. ibid.
Parentes honorat qui timet Dominum. ibid.
Parentum honor opere, ſermone, & patientia completur. ibid.
Parentibus obediendum per omnia. ibid.
Parentibus impijs non eſſe obtemperandum in malo. ibid.
Parentum honor non modo ſubiectionem, ſed obſequium importat. ibid.
A parentibus ſunt bona filiorum. ibid.
Erga parentes tales eſſe quis ſtudeat, quales in ſe liberos ſuos eſſe optaret. ibid.
Exemplum Ciconiæ in ſubueniendo parentibus. pag. ibid.
Parentes filijs theſaurizant. 490.2
Parentum honor omni lege præceptus. 317.1
Parentibus ſubditus fuit Chriſtus. ibid.
Parentes Dauid eripuit à periculis. ibid.
Parentum honor naturali lege inditus. ibid.
Etiam feris communis eſt. ibid.
Parentibus rebellis pœna. ibid.
Parentibus inobedientes lapidabantur in lege. pag. ibid.2
Parentibus inobedientis filij memorabiles vltiones. ibid.
Traditio Phariſæorum in fraudem parentum. pag. 318.1
Paruuli intrant in regnum Dei. 501.1
Cur paruulos tangere rogatur Chriſtus. 491.1

Paſcha.

Paſcha vndè dictum. 650.1
Paſcha quid ſit. ibid.
Paſcha Iudæorum ſymbolum fuit paſſionis Chriſti. ibid.
Paſcha tranlatum à Iudæis quidam opinantur. pag. 661.2
Paſchales victimæ à populo cedebantur. ibid.
Conſiliantur Euangeliſtæ in ſupputatione paſchatis. ibid.1
Error Græcorum. ibid.
Chriſtus celebrauit paſcha. 668.1

Paſſio Chriſti.

Paſſio Chriſti neceſſe eſt vt aplicetur. 74.1
Sine paſſione Chriſti impoſſibile erat Deo ſaluare hominem. 702.1
Paſſio Chriſti aditus eſt ad regnum. 301.2
Paſſionis Calix adinuentio Dei. 521.2
De paſſione Chriſti vide librum. 14. & 16. per totum.

Paſſio animi.

Paſſio in Deo nulla. 116.1
In Chriſto homine non fuit paſſio ſed propaſſio. pag. ibid.
Paſſio pernicioſa. 83.1

Paſtor.

Paſtores Eccleſiaſtici exurgere debent in periculo animarum. 183.2
Paſtorum munia. 569.1
Paſtores vigilare debent. ibid.
Exemplo ſuo, & frequentia excitationum ſanctarum prouocent ſubditos. ibid.
Doctrinam orthodoxam profiteantur. ibid.
Malos à bonis ſegregent. ibid.
Legem cuſtodiant, & doceant. 566.1
Paſtores ſumma in agendo prudentia, iudicando ſapientia præditi eſſe debent. ibid.2
Paſtoris officium perficere nequeunt, niſi vitæ integritate, & ſpiritu diuino afflati. ibid.
Mali Paſtores reprobantur. ibid.
Paſtinatio ſpiritualis quid ſit. 568.1
Paſtinator Chriſtus. ibid.

Pater Diuinus.

Pater Deus ſolus eructat verbum, & ideò ſolus dicitur emittere vocem. 30.2
Pater diuinus Chriſtum in Iordane vocauit filium. 32.1
Pater Deus in ſolo Chriſto ſibi complacuit. 33.1
Pater in iuſtis per Chriſtũ ſibi complacet. ibid.2
Pater quando exheredare poteſt filium. 344.1
Patres vſi ſunt argumento ad hominem contra hæreticos. 602.2
Vide verbo parens.
Patria noſtra quænam ſit. 229.2.234.1
Patria huius mundi nihil niſi damna continet. pag. 234.1
Patria, & cognomen proditoris. 459.1

Paupertas.

Paupertas cum pietate coniuncta Deum allicit. pag. 50.1
Pauperes miſericordes ſunt. ibid.2
Paupertas exoſa filijs ſæculi. 232.2
Paupertas hominis quanta. 276.1
Paupertas Chriſti. 327.2.777.1
Paupertas Diſcipulorum. 470.2
Pauperes, & humiles Chriſti ſectatores ſunt. pag. 578.2

Paup er-

Paupertatis commoda. 508.2
Pauperum patrocinium. 554.2

Peccator.

Peccator exclamare debet in templo. 506.1
Peccator impeditur noſſe Deum, aut diuina. 58.1
Peccator qui dum peccat indicat Deum abſentem, quaſi prouidentiam Dei negat. 97.1
Peccatores, qui cognoſcunt peccata, indigent medico. 97.2
Peccatores ablata charitate in æternum periſbunt. 103.1
Peccator omni egeno pauperior. 133.2
Peccator aduerſatur Deo, ſibi, & legi. 136.2
Peccatores exiſtimant hominem ſanctum ſibi pernicioſum eſſe. 204.1
Peccator iuſtificatus quid facere debeat. 208.1
Peccator reſurgens debet in bonis operibus proficere. 227.2
Peccatores reſiſtunt diuinæ potentiæ, & gratiæ. pag. 235.2
Peccatores ſemper in tenebris. 256.2
Peccatores non habent tempus, nec horas. 274.1
Peccatoris miſeria quanta ſit. 292.1
Peccatores canes nominantur. 347.1

Peccatum.

Peccatum obcæcat corda. 17.1
Peccata obuelarunt Hæbreos, ne Chriſtum agnoſcerent. ibid.
Peccata mortalia Spiritum ſanctum abijciunt, venialia autem frequentes eius impulſus retardant. 34.2
Peccati effectus. 60.1
Peccatum, & author peccati intrat in animam. ibidem. 2
Peccatum omne licet ſit offenſio proximi dicitur eſſe contra Deum. 85.2
Peccatorum nexus. 87.1
Peccata remittuntur per ſacerdotem Euangelicum. 89.1
Peccatum genus eſt ad omnem culpam. 138.1
Peccatum omne Deo authore, & Chriſto mediatore dimittitur. 139.1
Peccatum dimittitur pænitenti, impænitenti grauatur. ibid.
Peccatum dimitti quid ſit. ibid.
Peccatum in Spiritum ſanctum. ibid. 2
Peccatum eſt irremiſſibile quando non ænitemus in extremis. ibid.
Peccatum Adæ infecit poſteros. 213.1
Peccatum originale contrahitur à patre, non à matre. ibid.
Peccata actualia ſanguinum nomine intelliguntur. 217.1
Peccatum originale fons ſanguinis dicitur. ibid.
Peccatum omne tam originale, quàm actuale deletur à baptiſmo. ibid. 2
Peccatum Iudæorum graue, & cur. 235.1
Peccatum eſt priuatio. 695.2
Peccatum veniale retardat. 286.1
Peccatum etiam in intellectu eſt. 332.2
Peccatum originale tametſi purgatum fomitem, & concupiſcentiam relinquit. 339.1
Peccata ob quæ exhæredari poteſt filius à patre. pag. 344.1
Peccati vulnus. 456.2
Peccatum Iudæorum. 651.1
Peccati duplex cauſa interior. 332.2
Peccatorum vulgaris excuſatio. 566.2
Peccatum peccato viam ſternit. 589.1
Pecuniæ ſtudium pernicioſum. 424.2
Pera quid ſignificet. 246.1
Prohibita Apoſtolis. ibid.
Peltani ſcolia. 639.1
Pericula hominis. 385.1
Perfectionis via. 508.2
Periodus vitæ iuſti. 275.2

Perſecutio.

Perſecutio vndè promanat. 571.2
Perſecutores nunquã defuerunt in Eccleſia. 519.1
Perſecutores excitauit dæmon ex inuidia. ibid.
Perſecutio Iudæorum in Chriſtum. 655.2

Perſeuerantia.

Perſeuerantia in bonis operibus neceſſaria. 36.2
Perſeuerantes in gratia ſtantes dicuntur. 412.2
Perſeuerantia eſt donum Dei. 535.2

Phariſeus.

Peruerſitas Phariſæorum. 295.1
Phariſæi quinam dicebantur. ibid.
Phariſæorum inuidia, & odium. 96.2
Reprehendunt Chriſtum, quòd cum peccatoribus conuerſaretur. ibid.
Phariſæorum ieiunium ex iactantia. 98.1.2
Phariſæorum zelus fictus de cuſtodia ſabbathi. pag. 105.2
Phariſæorum vana ſuperſtitio. 299.1.2
Phariſæorum conſpiratio cum Herodianis aduerſus Chriſtum. 117.2.118.1
Phariſæorum peruerſitas. 295.1
Phariſæi conueniunt Ieroſolymis ad Chriſtum. pag. ibidem.
Phariſæorum errores. 300.2
Phariſæorum peruerſa interrogatio. 106.1
Phariſæorum hypocriſis. 308.1.& 2.307.1.2
Phariſæi redarguuntur de tranſgreſſione quinti præcepti. 316.2.319.2.320.1
Phariſæi tentant Chriſtum petentes ſignum de cælo. 379.2.380.1
A Phariſæorum fermento iubet caueri. 385.2
Phariſæorum, & ſcribarum peruerſitas. 432.2
Phariſæorum interrogatio ficta circa libellum repudij. 489.1
Phariſæi indurati. 441.1
Philo Iudæus ſe author breuiarij de tempore. pag. 723.2
Philo Chriſtianos laudat. 1.2
Philoſophi per ranas ſignati. 251.1

Philo-

Philoſophi admittentes reſurrectionem. 799.2
Philoſophorum reprehenſio. 594.2
Philoſophorum deliria. 599.2
Philoſophi in quo ſequendi. 663.2
Pictorum error. 756.2
Pietas diuina erga peccatores. 139.2
Pietas erga miſeros debet eſſe prompta. 209.2

Piger, Pigritia.

pigri vecordia. 639.2
Pigritia damnatur. 81.2
Pigritia a religioſo fugienda. 299.2
Pilatus Gentilis magis fidelis in Chriſtum quàm Iudæi. 742.1
Pilatus videtur ſuboluiſſe veritatem. 742.1
Piſcator hominum qualis eſſe debet. 49.1
Piſcis quid ſignificet. 281.2
Plenitudo gratiarum in Chriſto. 30.1
Pluuia ſerotina diluuium efficit. 79.1
Pluralis numerus pro ſingulari ponitur. 764.1

Pœna.

Pœna eorum, qui indecenti veſtitu vtuntur. 19.2
Pœnę eorũ, qui retardãt obtẽperare voci Dei. 94.2
Pœna negligenter audientiũ verbum Dei. 108.1
Pœnæ hæreticorum. 184.1
Pœna rebellis filij ex lege. 317.1
Pœna furti. 334.2
Pœna peccatorum. 349.1
Pœna damnatorum duplex. 710.1
Pœna filiorum ex peccato parentum. 448.1
Pœna hæreticorum. 455.2

Pœnitentia, Pœnitens.

Pœnitentia eſt via per quam Deus ad nos deſcendit, & nos ad Deum aſcendimus. 14.1
Pœnitens in deſerto ſe baptizat. 15.2
Pœnitentia regno Dei repugnat, & ſi via ſit ad illud. 44.1
Pœnitentia eſt dolor pro malè actis. ibid.
Pœnitentia duplex. ibid.
Pœnitentia ſignata per tunicam pelliceã factam à Deo primis parentibus. ibid.2
Pœnitentiæ effectus. ibid.
Pœnitentia amara habet radices. ibid.
Pœnitentiæ operibus dedictum ſignat Iſaac lignis onuſtus. ibid.
Pœnitentia vera veniam promeretur. 139.2
Pœnitens de omni crimine debet dolere. 200.2
Pœnitens vero corde poteſt priſtina iuſtitiæ opera recuperare. 202.1
Pœnitentiæ virtus. 246.2
Pœnitentiæ neceſſitas, & fructus. 366.1
Poligamiam aſſeruiſſe videtur Iuſtinianus primus inter Chriſtianos. 297.1

Pontifex.

Pontifex Romanus æqualem ſibi Epiſcopum, vel Pontificem creare non poteſt. 237.2
Pontifex in fide non poteſt errare. 360.2
Pontifex Romanus ſolus poteſt concilium generale congregare. 361.1
Pontificis Romani primatus. 369.1
Populus Iudæorum myſticè deſignatur per matrem, & fratres Ieſu foris ſtantes. 141.2
Populus Gentilis myſticè deſignatur per aſinum ligatum. 468.1
Poſſibile eſt omne præceptum. 600.1
Potentia diuinæ vocationis. 49.2
Potentia Chriſti deſignatur manibus. 231.2
Potentia Chriſti duplex. 290.1

Poteſtas.

Poteſtas eijciendi dæmonia ſignum deſolandæ idolatriæ. 126.1
Poteſtas tẽporalis infirma cõtra dęmones. 189.1
Poteſtas dæmonum quanta ſit. ibid.
Poteſtas Apoſtolorum immediante à Chriſto non à Petro emananit. 237.1
Poteſtatis plenitudo apud ſolũ Chriſtum. 247.2
Poteſtas vxoribus non eſt concedenda. 260.2

Præceptum.

Præceptum naturæ eſt malè acta per pœnitentiam retractare. 44.1
Præceptum paupertatis datum Apoſtolis. 238.1
Præceptum quintum decalogi quomodo intelligendum. 316.2
Præcepta humana ſepè à ratione prudentiæ deficiunt. 328.2
Præcepta decalogi legis naturæ concluſiones ſunt. 505.1
Præceptum charitatis multiplex. 504.2
Precepto, NON OCCIDES, arcemur ab omni vi, quæ corpus, vitamq. proximi lædit, ab ira etiam, odio, rancore, indignatione, ac omni paſſione, quæ in proximum eſt. 505.1
Præcepto, *Nè fureris*, quid præcipiatur. ibid.2
Præcepti, *Nè falſum teſtimonium dixeris*, expoſitio. pag. ibid.
Præcepti Ne, fraudem feceris, ratio. ibid.
Præceptum de honorandis parentibus, etiam ad alios maiores exteuditur. 506.1

Prædicare.

Prædicare Mundo Euangelium diuinæ fuit potentiæ. 2.1
Prædicandum iuxtà capacitatem auditorũ. 79.2
Prædicare Hypocritis, eſt quaſi ſuper petroſa ſeminare. 160.2
Prędicandũ pręcipuè Rectoribus populorũ. 248.2
Prædicando aliquando cum aſperitate. 253.1
Prædicandum ſæpè populis. 289.1
Prædicandum etiam induratis. 314.2

Prædicatio.

Prædicatio quid. 289.2
Prædicationis fructus. 178.1
Prædicationi inſtandum. 550.2
Prædicationis bona opera ſunt adhibenda. 72.1
Prædicatio Euangelij in Eccleſia ſolũ eſt. 147.1
Prædicationis Euangelicæ finis. 267.2
Prædicatio non debet commendari auaro, nec luxurioſo. 166.2
Prædicatio Euangelica per granum ſinapis ſignata. pag. 176.2
Prædicatio vita animæ. 209.1
Prædicationem negari magnum ſuppliciũ. 245.1
Prædicationis munus ſolũ eſt Sacerdotũ. 281.1
Prædicatio prohibita mulieribus. 314.2

Prædicator.

Prædicator eſt ianitor. 647.1
Prædicator gaudet encomio Angeli. 11.1
Prædicatores ſunt labi a ſponſæ. ibid.2

Prædicator clamans quid efficiat. 12.1
Prædicator quid ex officio ſuo facere debet. ibidem. 249.1
Prædicatores quomodo debeant prædicare induratis. 12.2
Prædicator, quod verbo docet, exemplo oſtendat. pag. 20.1
Prędicator non ſe debet vocare indignum officio prædicationis, ſed non dignum. 23.1
Prędicator ſuper humilitatis fundamentum debet ſuam texere prædicationem. ibid.
Prædicator nullus officio prædicationis dignus. pag. ibid.
Prædicator exemplo humilitatis mouet Auditores adimplere quod audiunt. 23.2
Prædicatorum inſtructio. 40.1.203.2.349.1
Prædicatoris ſcopus ſola ſalus animæ. 46.1
Prædicator debet præterire omne obſtaculũ, quo fructus prędicationis valeat retardari. ibid.
Prædicatoris fortitudo quæ. 46.1
Prædicator in vero amore debet ad locum prædicationis pergere. 53.2
Prædicator quem ordinem ſeruare debeat. 54.1
Prædicator debet fugere populi applauſum. 68.1
Prædicator non eſt qui loquitur, ſed in prædicatore Chriſtus. 70.2
Prædicator non debet ſuperbire propter multitudinem, & concurſum auſcultantium. 80.1
Prædicator quomodo tractare debet cum diuerſis. 864.1
Prædicator non debet in ſuggeſtis more ſcholaſtico tractare de prędeſtinatione. 123.1
Prædicator non debet falſa dogmata quæ vulgus ignorat in publica cõcione pertractare. 123.2
Prædicatorum abuſus. 164.2
Prædicatores abſque charitate quibus comparentur. 165.2
Prædicator qui ob temporale commodum prędicat dicitur lucernam ſub modio ponere. 166.1
Prædicatoribus vtile documentum. 178.2.179.1
Prædicator nimiæ ſapientiæ ſtudioſus viro immundo aſſimilatur. ibid. 179.1
Prædicator qualis eſſe debeat. 203.1
Prædicator nunc gaudioſa, nunc triſtia enarrare debet. ibid.2
Prædicator ſemper habet auxiliãtẽ Deum. 207.1
Prædicator non voce tantùm, ſed opere debet Chriſtum annunciare. 230.1
Prædicatores non debent dedignari ad infima loca deſcendere. 226.2
Prædicatoris fiducia in Deo qualis, & quanta eſſe debeat. 238.2
Prædicatori quid vitandum. 240.2
Prædicatorem dedecet diſcurrere per conuiuia. pagina. 243.2
Prædicatores recipiendi hoſpitio. 244.2
Prędicatores non audire quã perniciosũ eſt. 245.1
Prædicatores oculi hominum, & eorum encomia pag. ibid.2
Prædicator ſtudere debet quomodo ſe atq; alios ad pœnitentiam trahat. 247.2
Prædicator debet ad Deum poſt ſermonem in orationem redire. 285.1
Prædicatoris prudentia in adminiſtrando Dei verbo. 314.2
Prædicator ſubſtentationem iuſtè accipit. 327.1
Prædicator amicus magis neceſſarius aquam, ignis, & aqua. ibid.
Prædicator in cauſa fornicationis nimis acerbus non ſit, & cur. 333.1
Prædicatores ſunt examinandi. 372.1
Prædicatorum quorundam taxatur vanitas. 381.1
Prædicatoris officium deſcribitur. ibid.
Prædicator debet habere bonum nomen. 403.2
Prædicatorum præmium. 170.2

Prælati.

Prælati Eccleſiaſtici debita ſolicitudo. 208.2
Prælati aliquando à publicis negotijs animum auocare debent. 270.1
Prẹlati nõ debẽt eſſe accept ores perſonarũ. 277.1
Prælati debent præeminere virtutibus. 284.2
Prælati qualiter debent Eccleſiæ laboranti ſuccurrere. 286.2
Prælati humilitatem cum authoritate habere debent. 293.2
Prælati quomodo erga ſubditos ſe gerant. 465.2

Præmium.

Præmium non ſine labore conceditur. 233.2
Præmium miniſtrorum Eccleſiæ. 284.2
Præmium gloriæ facilitat labores. 417.2
Præmium dilectionis. 690.2
Præpoſitio (in) pro ergo, & beneuolentiam, & ardorem animi denotat. 53.2
Præmium vacantium ſcripturæ ſtudijs. 786.1
Prænuncij Chriſti. 802.1
Præſentia Chriſti in anima vtilis. 290.1
Præſentia Chriſti realis in Euchariſtia. 674.2
Præſentia neceſſitatem non imponit. 643.1

Præſul.

Præſul alijs imperans neceſſe eſt maioribus parear. 166.1
Præſules boni duplici honore ſunt digni. 267.2
Præſules poſſunt, & debent cogere turbam otioſam ad auditionem verbi Dei. 365.1
Præſules delicta omnium portant, & de omnibus rationem reddent. 362.1
Præſules quomodo ſe gerere debent circa ſubditos. 43.1
Præſul non omnia corrigere debet. 433.2
Præſumptio prædeſtinationis vitanda. 687.1
Præſumptio Iudæ. 703.1
Præterire eſt retro mittere quæ non faciunt ad propoſitum. 46.1
Præuaricator feſti cenſendus non eſt qui ob conſeruationem eius legem prætereat. 109.1
Primus præſumptionis gradus. 187.1
Princeps dæmonũ eſt, qui prẹualet in malitia. 133.1
Principes gentium porcorum ductoribus aſſimilati. 201.1
Principium creationis, & recreationis hominis idem eſt. 231.2
Priuilegium eſt ſpiritualem perfectionem in corpore ſentire. 217.2
Proceſſus Dei, & naturæ diuerſus. 398.1
Promptitudo ad reſpondendum voci Dei. 49.2
Promptitudo reſpõſionis ad vocem diuinam magis

gis

gis neceſſaria ſeni quàm iuueni. 51.2
Pronomen quid demonſtret in forma Euchariſtiæ. pag. 675.2
Proprietas deteſtabile vitium in religioſis. 53.1
Proprietas grani ſynapis. 176.2
Protectio Dei ſecura, & ſuauis. 297.1
Protectio Chriſti in ſuos. 535.1
Proteruorum pæna. 612.1
Prouidentia Dei deſignatur. 359.1
Proximus eſt in proximo vt ſimile in ſimili. pagina. 136.2
Prudentia quid ſit. 328.2
Prudentiæ partes. 385.2
Pueris nihil fælicius quàm à teneris annis in oblationem conſecrari Altiſſimo. 498.1
Puluerem de pedibus excutere quid ſignificet. pag. 245.2

Q

QVæ triſtitia fuit in Chriſto. 692.2
Quæſtio difficilis de culpa originali. 805.1
Qualitates Prælati. 696.2
Quare à ramo, & non ab arbore ſumendam docet Chriſtus futuri iudicij intelligentiã. 640.1
Quatuor Patriarchæ. 753.1

Quies.

Quies concedenda laboranti. 67.2.379.1
Quies conceditur ſpirituali homini, vt ad maiora certamina excitetur. ibid.
Quies ex corde appetenda eſt, ſed pro multorum lucro aliquando poſponenda. 246.2
Quies perfecta non habetur, niſi poſt huius vitæ curſum. 348.1
Quid vitandum paſtoribus. 712.1
Quinam exeunt ad Chriſtum, vt ad latronem pagina. 707.1
Quid per Chriſti veſtimenta intelligendũ. 752.2
Quinam malè loquuntur de Chriſto. 473.2
Qui dicendi primi in vocatione. 519.2
Quinam mittuntur à Deo. 539.1
Quinque erant in templo Salomonis, quibus carebant reliqua. 617.2
Quid primo prædicandum. 624.1
Quid oportet credere. 560.1
Quis diligit Deum. 504.1
Quomodo orandum contra hoſtes. 459.2

R

RAbbi quid ſignificat. 422.2
Ramus oliuæ virentibus folijs in ore columbæ ſignificat gratiam Spiritus ſancti. 30.2
Rapina furto grauior. 334.2
Raſio capitis quid ſignificat in religioſis. 52.1

Ratio.

Ratio efficax probans Chriſtum non eieciſſe dæmonia in Beelſebub. 234.1
Ratio efficax ad patientiam. 300.1
Ratio adminiſtrationis petenda. 391.1
Rationes variæ cur Moyſes, & Elyas apparuerint in transfiguratione Chriſti. 421.1
Rationale quid ſit. 724.1
Reatus quid ſit. 140.2
Recipiens prædicatores Deum recipit. 471.1
Redemptorum duo genera. 757.1
Reges vndè dicti. 555.1
Regio Galilææ Gentilitatem deſignat. 602.2

Regnum.

Regnum Dei quid ſit. 41.2
Regnum Dei non datur ſine merito adultis. 42.1
Regnum Dei animi ſolatium, & pax. ibid.
Regnum Dei eſt ipſemet Deus. ibid.
Regnum Dei quomodo appropinquauit. 43.2
Regnum Dei variè interpretatum. 171.1

Religio, Religioſus.

Religio per ſepem denotatur. 568.2
Religioſus non debet iurare niſi Deum. 52.1
Religioſus obſeruare debet diligentius à decalogum quam ſeculares. 52.2
Religionis heroici actus. ibid.
Religio nihil prodeſt, niſi egrediatur Religioſus à peccandi occaſionibus. 68.1
Religioſus ſine monaſterio, piſcis ſine aqua pag. 162.2
Religioſus dupliciter ad ſeruitutem Dei trahitur. 201.2
Religioſus de alienis viuat. 243.2
Religioſis aliquando requies, & ſolatium conceditur. 268.2
Religioſi abſtinere ſe debent à locis, vbi iudicialis poteſtas exercetur. 293.1
Religioſi, & ſerui Dei nunquam vacare debent à pia occupatione. 362.2

Reliquia.

Reliquiæ ſanctorum tota die prædicant conuerſionem. 264.1
Reliquiæ ſanctorum venerandæ. 266.1
Reliquiæ fragmentorum panum quid ſignificent. pag. 282.2
Relinquens domum vnam pro Chriſto inueniet plures. 517.1
Remedia contra vanamgloriam. 482.2
Remiſſio peccatorum quid efficiat. 15.1
Renes accincti quid deſignant. 668.2
Renouatio omnium facta per Chriſtum. 703.2
Reprobatum fidem non facit. 9.2
Repudium permiſſum non conceſſum fuiſſe quidam opinantur. 491.2
Repudium quomodo permiſſum, & qua de cauſa. pag. ibid.
Reſpondendũ aduerſarijs placido eloquio. 97.1
Reſpondendum aliquando hæretico. 490.1
Reſtitutio ſoli Chriſto attribuenda. 434.1

Reſurrectio, Reſurgens.

Reſurrectio Chriſti ſignata per promptum aſſenſum de aquis Iordanis poſt baptiſmum. pag. 28.2
Reſurrectio mortuorum in momento fiet. 217.2
Reſurrectio mortuorum erit in vniuerſalitate temporum, & perſonarum. ibid.
Reſurgentium diuerſi ſtatus. 588.2
Reſurgentium duo genera. 587.1
Reſurrectio erit ſecundùm formam naturalem.

f 2 pagi-

pagina. 553.2
Reſurrectionem quinam negant. 583.1
Reſurrectionis poſſibilitas declaratur. 588.1
Reſurrectionis ſymbola ex creaturis proponuntur. pag. 590.2
Reſurrectio probatur. ibid.
Reſurrectio, & Iudicium fiet potiſſimum propter electos. 638.2
Reſurrectionis memoria fructuoſa. 642.2
Reſurrectionis hora cur occulta. 644.2
Variæ opiniones circa horam reſurrectionis Chriſti. 616.1.644.2
Reſurrectiones duas poſuit Papias. 799.1

Reuerentia.

Reuerentia erga Deum ſuadetur. 24.1
Reuerentia verbi Dei neceſſaria. 70.2
Reuerentia filiorum in patres. 540.1
Ritus benedicendi vtenſilia. 369.2.
Ritus celebrandi concilia. 402.1
Ritus baptiſmi declaratur. 804.2
Romanus Pontifex errare nequit in fide. 716.2

S

Sabbathum.

Sabbathum fuit prima dies Iudæis, nobis Dominica. 783.1

Sacerdos, ſacerdotium.

SAcerdotes ſunt Angeli. 10.2
Sacerdos baptizando confert miniſterialiter gratiam. 16.2
Sacerdotium Chriſti vnum in omnibus Epiſcopis. 114.2
Sacerdotium Aaron inferius Sacerdotio Chriſti. pagina. 711.2
Sacerdotum honor. 611.1
Sacerdotij potiſſimum, & ſupremũ onus. 137.2
Sacerdotum officium, & dignitas. 274.1
Sacerdotes diſpenſatores myſteriorũ Dei. 276.2
Sacerdos ſolus poteſt conſecrare. 306.2
Sacerdotum munditia. 388.2
Sacramenta nouæ legis neceſſaria ſunt ad ſalutem. 19.1
Sacramentum altaris conuincit, vltrà à Deo nobiſcum fieri non poſſe. 207.1
Sacramentum Euchariſtiæ permanens eſt. 674.2
Sacrificia vetera valebant donec reuocata ſunt. pag. 614.2
Sacrificium Chriſti ab origine mundi, & vſque in finem efficax. 414.2
Sadducæorum error. 391.2

Salus.

Salus animæ ſola eſt prædicatorum ſcopus. 46.1
Salus non eſt extra Chriſti Eccleſiam. 63.1.136.1
Salus non eſt abſque ſacramentis, & bonis operibus. 74.1
Salus non datur niſi operanti omnia. 255.2
Salus ex proprijs non ex alienis operibus pendet. pag. 416.2
Salus noſtra Chriſto attribuenda. 545.2

Sancti.

Sancti qui à Deo mittuntur digni ſunt reuerentia, honore. 27.1
Sancti vident, & audiunt noſtras orationes. 77.2
Sancti ad menſuram receperunt ſpiritum. 30.1
Sancti immitatores Chriſti. 44.2
Sancti intercedunt pro nobis. 270.2
Sancti contra ſceleratos mittuntur. 570.1
Sanctorum merita cauſa per accidens ſaluationis aliorum. 545.1
Sandalia diſtinguntur à calceis. 241.2
Sandalia myſticè quid ſignificent. ibid.
Sandalijs vtebantur Apoſtoli. ibid.
Sanguis Chriſti mundat, & fœcundat. 681.2
Sanguis Chriſti pro omnibus effuſus. 682.1
Sanguis Chriſti reſtituit ſalutem noſtram. 117.2

Sapientia.

Sapientia quid ſit. 31.1
Sapiens in oculis proprijs promptus eſt ad murmurationem. 85.1
Sapientiæ via eiuſque partes potentiales. 99.2
Sapientia Crucis. 406.2
Sapiendum ſobriè. 62.1
Sapientiæ præſtantia. 612.1

Sathan.

Sathan interpretatur aduerſarius. 37.2.134.1
Sathanæ fraudes, & potentia. ibid.
Sathanas qualis. 159.2
Saturitas vera quæ. 282.1
Saturitas nulli in hac vita datur. 375.1
Scandalizare in Chriſto quid ſit. 233.1
Scandalizare Chriſtianum grauius peccatum, quàm gentilem. 477.1
Scandalum paſſiuum Iudæorum. 234.1
Scelera non ſunt abſcondenda confeſſario. 169.1

Scientia.

Scientia Angelorum qualis eſt. 67.1
Scientia dæmonum qualis. ibid.
Scientia hominum fallibilis. 250.2
Scientia prædicationem præcedere debet. 399.1
Scioli vani, & ignorantes. 306.1
Scopus prædicationis. 46.1
Scribæ qui dicebantur. 295.2

Scriptura.

Scriptura diuina non ab omnibus intelligitur. pagina. 6.2
Scripturæ vtilitas. 7.1
Scriptura inſtruit. 9.1
Scriptura eſt fauus mellis. 11.2
Scriptura ſacra ſicut mel. 20.2
Scriptura aſſimilatur reti. 50.2
Scriptura ſacra ſignata per tectum domus vbi Chriſtus manebat. 81.1
Scriptura eadem, & Dei, & hominis verbum eſt. pag. 159.1
Scriptura nondum facta pro factis annunciat. pag. 309.1
Scriptura ſacra verbum Dei dicitur. 310.2
Ex ſenſu Patrum interpretanda eſt. 373.1
Scriptura Sacra oſtium eſt monumenti Chriſti. pag. 785.2
Scripturæ laus, & quomodo adhibenda. 555.1

Scutum

Scutum contra inſidias malignantium. 296.2
Secta Herodianorum. 386.1
Secretum ſeruandum. 432.1
Securitas regni cæleſtis. 423.2
Sedere quid ſignificet? 202.1
Segnities excutienda. 647.2
Semen quid ſignificet myſticè. 148.2
Seminatores varij. 171.2
Seniores qui nam dicebantur inter Iudæos. 300.2
Senſibile non intrat in cor ſpirituale hominis. pag. 329.2
Senſus humani feneſtræ animæ dicuntur. 37.2
Senſus litteralis ſcripturæ ad conuincendum hæreticos idoneus. 425.2
Sententia, *noſce te ipſum* à Deo, & non ab Apolline orta. 306.2
Sepulchra Sanctorum venerata. 187.2
Septem orbis naturæ. 785.1
Sequi Chriſtum quid ſit. 48.1
Sequi Chriſtum quomodo poteſt. 52.2
Sequaces Chriſti varij. 119.1
Sequela Chriſti, & ſanctorum eius. 212.1
Sequaces Chriſti imitatores eius eſſe debent, non tantùm inſpectores. 230.1
Seruitus Dei, & libertas idem ſunt. 205.1
Seruiri nequit ſimul Deo, & mundo. 384.1
Sidon ciuitas à quo fundata. 349.1

Signum.

Signa non fidelibus, ſed infidelibus dantur. 219.1
Signa reprobationis. 268.1
Signa affectuum non paſſiones in Chriſto fuerunt. pag. 381.2
Signa multa data fuerunt Iudæis. 382.1
Signum crucis familiare. 684.1
Signum fortis, & audacis. 692.1
Signum diuerſorum ſacramentorum. 508.1
Silentium imponendum hæreticis. 59.2
Silentium vtile, & neceſſarium. 67.1
Similitudo quid ſit. 176.1
Simonia hæreſis dicitur. 165.1
Simulatores, & callidi tenebræ dicuntur. 161.1
Synapis granum quid ſignificet. 176.2
Singularitas quorundam ſanctorum. 209.1
Socrus Simonis febricitans, quid ſignificet. 63.2 65.1
Sol hiſce inferioribus vtilis. 251.1
Solis ſimilitudo. 784.1
Solatium peccatoris inuocatio Chriſti. 211.1
Solemnitates Iudæorum à veſpera in veſperam fuere. 650.2
Solicitudo vana quænam dicitur. 313.2
Solicitudo omnis in Deo proijcienda. 242.1
Solitudinis vtilitas. 69.2
Soluere corrigiam calceamentorum eſt ſoluere vincula peccatorum. 24.1
Somnus ignorantiam inducit. 699.2
Soror quid ſignificet? 144.2
Sorores Chriſti quid deceat. 232.2
Species homicidij. 738.1
Spes vana mundanorum. 775.1

Spiritus.

Spiritus Euangeliſtarum vnus fuit. 2.1
Spiritus malus inducit ſuperbiam, bonus humilitatem. 30.2
Spiritus ſancti efficacia, & virtus. 34.1
Spritus expulit Chriſtum in deſerto. ibid.
Spiritus malus cur immundus dicatur? 60.1
Spiritus Dei torrens inundans. 80.2
Spiritus immundus quis? 141.1.188.1
Spiritus in anima eſt ſemen. 253.2
Spiritus nequam obnubilat. 426.1

Spiritus ſanctus.

Spiritus ſanctus datus Apoſtolis, & ſcriptoribus ſacris. 6.2
Cur deſcenderit, & manſit ſuper Chriſto in Iordane. 28.1
Donum, & amor dicitur. 29.2
A nobis recipi, dari non poteſt. 30.1
Eius efficacia, & operatio in anima. 34.1
Spiritus ſanctus illuminat. 426.2
Spiritualia præferenda carnalibus. 131.1
Splendor ſanctorum. 420.1
Spongia quid ſit. 768.1
Spongia porrecta Chriſto in Cruce, aſſeruatur Romæ. ibid.
Sportæ ſeptem fragmentorum quid ſignificent. pag. 376.1
Sputa quid ſunt. 746.1
Sputum Chriſti diuinam eius naturam exprimit, pag. 350.1
Sputum verbi prædicationem deſignat. 395.1

Status.

Status extremus vitæ periculoſus. 211.1
Status bonus proſequendus. 291.1
Status coniugalis qualis eſſe debet. 305.1
Status beatorum per menſam ſignatus. 345.2
Status beatorum triplex. 416.2
Status generis humani triplex. 700.2
Sterilitas omni peccatori communis. 160.1
Studia hominum diuerſa. 285.1
Studium ſacræ ſcripturæ vtile. 380.2

Stultus, Stultitia.

Stultum eſt ſermonibus veritatis detrahere. 10.
Stultitia quid ſit. 337.1
Stultitia ex defectu naturæ proueniens abſque culpa eſt. 338.1
Stultus timor Iudæorum. 632.1
Stupor quid ſit. 54.2
Stylus, philoſophorum, & hæreticorum mendax. pag. 10.1
Stabilitas Chriſti. 790.2
Suggeſtio interna ab Angelis ſit. 779.1

Superbia.

Superbia mundanorum redarguitur. 72.2

Super-

Superbo grauis humilitas. 121.1
Superbia impedimentum eſt audiendi verbum Dei. 150.2
Superbia origo omnium criminum. 191.1
Superbiæ duodecim gradus. 337.1
Superbia Phariſæorum. 381.1
Supremus iræ gradus eſt furor. 654.1
Surdus quis dicendus? 350.1
Surditas quandoque vtilis, & neceſſaria. 169.2
Surrectio matutina ad laudandum Deum exemplo ſanctorum ſuadetur. 67.2.68.1
Surgere quid ſit. 90.1
Suſcitandum ſemen Chriſto tanquam fratri. pag. 208.1
Symbolum reſurrectionis. 785.2
Synagoga per ſocrum Simonis ſignata. 65.1
Synagoga cur dicitur vinea à Chriſto, & non hæreditas ſicut olim. 175.2
Synderefis vis, & efficacia. 255.2
Sybillæ mentionem fecerunt de conuiuio Chriſti facto in monte. 284.1

T

TAbulæ Areſtidis magni olim pretij. 23.1
Tangere Chriſtum quid ſignificet. 219.2
Telonium quid ſignificet. 93.1

Templum.

Templum ad quid inſtitutum? 55.2
Templorum erectio aſtruitur contra Nouatores. pag. 555.2
Templum primum Hieroſolymitanum quot annis ædificatum. 614.2
Templum ſpirituale ædificatum à Chriſto. 615.1
Templum Hieroſolymorum tertiò ædificatum ab Herode. 615.2
Tempus cur vacuum dicatur. 43.2
Tempus quærendi Chriſtum. 142.2

Tentatio.

Tentatio Chriſti fructifera. 37.1
Tentatio eſt quædam Chriſtiani hominis probatio. ibidem.
Tentatio patientiam parit, ex qua oritur ſpes. pag. ibid.
Differentia inter tentationem noſtram, & Chriſti. pag. ibid.
Tentare Deum religioni aduerſatur. 183.2
Tentationis prouentus. 287.1
Tentare quid ſit. 381.1.797.2
Terra bona quænam dicatur. 153.2
Teſtamentum nouum pannus dicitur. 102.2
Teſtimonium variè ſumptum. 246.1
Teſtimonium aduerſum Chriſtum etiam tacendo fit. 715.1
Tertulliani, & aliorum error, circa regnum temporale poſt iudicium. 638.1

Timor.

Timor Domini in maioribus nitet. 14.1
Timor Dei vtilis. 146.1. 345.1
Timor à paſtoribus Eccleſiæ alienus eſſe debet. pag. 185.1
Timor ſeruilis indignus perfecto. ibid.2
Timor filialis ſuadetur. 224.1
Timor humanus. 422.2
Timor ad viſiones excitatur etiam in ſanctis. pag. 425.2
Timor humanus malus. 454.1. 652.1
Titulus indigno vituperium, digno verò honor eſt. 755.2
Tolerantia Chriſti. 445.1
Traditiones vndè emanarunt. 809.1
Transfiguratio typus hominis ſpiritualis. 288.1
Tribulatio, & perſecutio interioris hominis. pag. 161.1
Tribulatio vtilis. 293.1
Tribulati comparantur camelis. 20.1
Trinitas mons excelſus. 122.2
Turba quid ſignificet. 81.2
Typus pœnitentiæ. 478.1
Typus ſeſſionis iuſtorum. 143.2
Tyrannus in malum dominatur. 134.2
Tyrannus dæmon in peccatores. 447.2

V

VAdere pro mori. 672.2

Vanitas.

Vana gloria damnanda. 607.2
Vanitas mundana vmbræ aſſimilata. 178.2
Vanitas Gentilium. 214.2
Vanitas mundanorum. 420.1

Varietas.

Varietas, & turpitudo luxus. 198.1
Variæ opiniones de hora reſurrectionis Chriſti. pag. 79.2
Variæ dæmonum ſpecies. 797.2
Varij modi expellendi dæmones. 460.2
Velum templi duplex. 769.1
Velum anterius ſciſſum eſt. ibid.
Ventus contrarius quid ſignificet. 286.2

Verbum.

Verbum quid ſit. 31.1.404.2
Verbum Chriſti, vt inſtrumentum diuinitatis mouebat mentes humanas. 50.1
Verbum Dei magna ſolicitudine audiendum. pag. 148.1
Verbum Dei cadere ſuper petroſa quid ſit. 150.1
Verbum Dei creſcit. 151.1
Verbum Dei fructus. 153.1
Verbum Dei cur in omnibus non fructificet. pag. 152.1
Verbum Dei per lucernam ſignatum. 167.1

Verbum Dei quomodo reſcinditur. 320.2
Verbum pro opere aliquando ſumitur. 346.2
Verbum Dei malè affectis amarum. 509.1
Verbum à Deo vnum, non multiplex. 564.2
Verba conſecrationis ſunt Chriſti. 675.2
Verba deſperatorum. 762.1

Veritas.

Veritas inchoata in viatoribus, plena in beatis. pag. 5.1
Veritas Euangelij præferenda humanis. ibid.
Veritas, & certitudo ſcripturæ. 9.2
Varietates creatæ ab vna diuina varietate reſultant. 40.2
Veritatis definitio. ibid.
Veritas formæ conſecrationis Euchariſtiæ. 675.2
Verum non patrocinatur falſo. 318.2
Veſtigium ſanguinis Dominici in columna hæret. pag. 743.1

Veſtis, Veſtimentum.

Veſtimenta pellicea. 44.1
Veſtimentum Chriſti quod ſit. 215.2
Veſtimenta deſignant meritum. 544.2
Veſtimentorum mollicies fugienda. 602.1
Veſtis Ioannis quid deſignabat. 20.1
Vexatio dæmonis duplex. 237.2

Via.

Via Domini quid ſit. 14.2
Via Domini pœnitentia. ibid.1
Via Domini nouum teſtamentum. ibid.
Via Domini obſeruantia decalogi. ibid.
Via, & ſemita in quo differant. ibid.
Via peruerſi peccatoris qualis? 313.1
Videre aliquando probari ſignificat. 72.2
Videre pro audire hæbraiſmus eſt. 592.1
Viduarum habenda cura. 608.2
Earum ſtatus prælatus matrimonio. 611.2

Vigilantia.

Vigilantia vtilis. 172.2
Vigilantia paſtoralis per virgulam ſignata. 239.2
Vigilantia commendatur. 385.1
Contra quos vigilandum eſt. 645.2
Quomodo vigilandum eſt. 648.2
Vilitas hominis. 23.1
Villa quid ſit? 749.1
Vindicta quando poſtulanda. 245.2
Vinum aqua mixtum à Chriſto conſecratum. pag. 678.1
Violatio legis duplex. 320.2
Virga quid ſignificet. 155.2. 239.1
Viri in arte ſua peritiſſimi. 231.2
Viri ſancti honorandi. 233.2
Virgines non debent prodire in choro ſaltantium. 257.2
Virginitas defenditur, & commendatur. 225.2

Virtus.

Virtus crucis. 761.2
Virtutes colligantur ſicut & vitia. 586.2
Virtutes quomodo reducuntur ad præcepta decalogi. 597.1
Virtus miraculorum aliquando in reprobo. 472.1
Virtus nominis Ieſu. 475.2
Virtute oppoſita vitium vincitur. 20.2
Virtus orationis. 28.2
Virtutes ſignatæ per ſata, per quę Chriſtus ambulauit. 104.2
Virtus omnis mediocritas eſt. 114.1
Virtus omnis noſtra à Deo eſt. 125.2. 325.1
Virtus omnis poteſt aſſimilari grano ſynapis. pag. 176.2
Virtutes per monilia ſignatæ. 202.2
Virtus Chriſti efficacitas perfecta vocatur. 218.2
Virtuti exhibetur reuerentia. 255.1
Virtutes quatuor fidelium. 377.1
Virtus Chriſti in dæmones. 447.1
Virtus naturalis voluntatis. 451.2
Viſitatio Epiſcoporum commendatur. 236.1
Viſitatio per gratiam. 699.2
Viſus perfectior auditu. 292.1

Vita.

Vita contemplatiua quàm vtilis, & neceſſaria. pag. 33.2
Vita contemplatiua in via incipit, & in patria perficitur. ibid.
Actiuæ præponitur. ibid.
Vita contemplatiua quid ſit. 270.2
Vita vera religioſi qualis. 450.2

Vitium.

Vitium vincitur virtute oppoſita. 20.2
Vitium cum virtute non poteſt ſtare. 204.1
Vitium incredulitatis abominabilis. 445.2
Vmbra quid ſignificet. 178.2

Vnctio.

Vnctio Chriſti. 30.1
Vnctionis extremæ inſtitutio, materia, forma, & effectus. 247.2
Vnctionis olei antiqua conſuetudo. 248.1
Vnigenito nihil magis vnum. 33.1

Vocatio.

Vocatio Chriſti ad cæleſtia tendit. 47.2
Vocatio quomodo ſit certa. ibid.
Vocationis Chriſti potentia. 49.2
Vocatio diuina efficax. 51.1
Vocatio nulla ſine ſequela. 123.2
Vocatio Dei duplex. 236.2
Vocationi quis poteſt reſiſtere. 513.2
Vocatione quinam primi dicendi. 519.2

Volun-

Digitized by Google

Voluntas.

Voluntas diuina ad operandum extra ſeipſam ſe determinat. 73.1
Voluntas diuina eſt regula omnium quæ ſunt. ibidem.
Voluntas ſaluandi in Deo duplex. 123.2
Voluntas propria quàm pernicioſa. 144.1
Voluntas Dei nos efficit Deos per participationem. ibid.2
Voluntas Dei aliter principium Spiritus ſancti, aliter creaturarum. 428.2
Voluntas in Chriſto duplex. 695.2
Voluntas antecedens. 551.2

Vox.

Vox in deſerto quæ ſit. 13.1
Vox audita in baptiſmo Chriſti fuit vox Patris æterni. 30.2
Vox cœlitus in Iordane emiſſa probat factum Ioannis,& Chriſti. 81.1
Vox cæleſtis dulcis. ibid.
Vocis cæleſtis effectus. ibid.
Vox terrena qualis, & quid generet. ibid.
Vox diuina eſt efficax. 51.2
Vox diuina ab omnibus creaturis auditur. 182.2
Vox duplex,vna dicens,altera non dicens. 426.2
Vulnus peccati. 475.1
Vulnerare in capite quid ſit. 571.2

Vſus.

Vſus cãdelabri qualis fuerit apud antiquos.166.2
Vſus adiurationis in Eccleſia. 196.2
Vſus pij cœnandi inter pios fideles. 257.1
Vſus rerum ex neceſſitate licitus. 376.2
Vtilitas lectionis ſcripturæ. 576.1
Vtrum vterque latro conuiciatus eſt Chriſto. pag. 763.2
Vtendum eſt ſacramentalibus antè ſacramenta. pag. 488.1

Vxor.

Vxor quæ non ſubijcitur viro ſuo criminis rea eſt. 493.1
Vxorum pluralitas ex diuina reuelatione licuit. pag. 494.2
Vxor præfertur parenti,quando vtriq. nequit ſimul ſubueniri. 493.1

Z.

Zebedæus quid ſignificet. 51.1.127.2
Zelus de ſalute animarum,ſacrificium Deo acceptabile. 292.2
Zelus dæmonum. 447.1

Zona.

Zona pellicea Ioannis meritum Chriſti ſignificat. pag. 20.2
Zona pellicea pauperes ſunt mundo mortui.ibid.
Zona pellicea mortificatio Iudaici populi. ibid.
Zona pellicea eſt concupiſcentia in Ioanne mortificata. ibid.
Zona pellicea circa lumbos virtus eſt caſtitatis. pag. ibid.

FINIS.

REGESTVM.

✠ A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz.

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sſſ Ttt Vuu Xxx Yyy.

a b c d e f.

Omnes ſunt terniones, præter ✠ Yyy, & f qui ſunt duerniones.

ROMAE,
Ex Typographia Alphonſi Ciacconi.
M. DC. XXIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

1-6-3

Digitized by Google